


JO. JACOBI
MANGETI,
MEDICINÆ DOCTORIS,
& Sereniſſimi ac Potentiſſ. REGIS PRUSSIÆ Archiatri,

BIBLIOTHECA CHIRURGICA,
SIVE
Rerum ad ARTEM MACHAONICAM quoquô modô ſpectantium

THESAURUS
ABSOLUTISSIMUS;
QUO OMNES PRORSUS HUMANI CORPORIS AFFECTIONES Chirurgi Manum, aut aliam aliquam ejuſdem Operam expoſcentes, *Ordine Alphabeticô* explicantur;

ET PER CURATIONES, OPERATIONES, CONSILIA, OBSERVATIONES, AC CADAVERUM Anatomicas inſpectiones, è variis, iiſque præſtantiſſimis Autoribus, Veteribus ac Recentioribus petitas, abundè; imò & curiosè tractantur. *Cum* FIGURIS *æneis neceſſariis.*

TOMUS TERTIUS.





GENEVÆ,
Sumptibus GABRIELIS DE TOURNES & FILIORUM.

M. DCC. XXI.

Graaf Opera omnia 8. *Lugd. Bat. cum figur.* 1677.
———de Succo Pancreatico 8. *figur. Lugd. Bat.* 1671.
———de virorum Organis generationi inservientibus, & de usu Syphonis in Anatomia 8. *Lugd. Bat.* 1668.
Guillelminus de sanguinis natura & constitutione 8. *Vltrajecti* 1704.
———de Salibus 8. *Lugd. Bat.* 1707.
———de Idearum vitiis, correctione & usu ad statuendam & inquirendam morborum naturam 8. *Lugd. Bat.* 1709.
Gruhlmanni de novo contra Oculorum caliginem remedio 4. *Ienæ* 1706.
Griendelii Micrographia nova 4. *Norimb.* 1687.
Glandorpubii Gazophylacium Polyphusium 4. *Bremæ* 1633.
Grimm compendium Medico Chymicum 8. *August.* 1684.
Grabæ Cervi Descriptio Physico-Medico Chymica 8. *Ienæ* 1688.
Grabe de Arcanis Medicorum non Arcanis, cum Epistola Bartholini de Transplantatione Morborum 8. *Hafniæ* 1673.
——— de modo simplicium Medicamentorum facultates cognoscendi 8. *Hafniæ* 1669.
Hippocratis & Galeni Opera omnia, *græce & latine*, fol. 13. vol. *cum figuris*, *Parisiis* 1679.
———Opera cum Œconomia Foesii fol. 2. vol *gr. lat. Genevæ* [1657
Hafenreffer de cutis affectibus 8. *figur. Vlmæ* 1660.
———officina pharmaceutica 8. *Vlmæ* 1653.
Harderi Apiarium Observation. Medic. 4. *Basileæ* 1687.
Hamilton, de febre miliari & Regulis Praxeos 8. *Vlmæ* 1711.
Hagendorn Observationes & historiæ Medico practicæ 8. *Ffurti* 1698.
———de Catechu; *sive* Terra Japonica 8. *Ienæ* 1679.
Hannemanni Ovum Hermetico Paracelsico Trismegistum 8. *Ffurti* 1694.
———Methodus cognoscendi simplicia vegetabilia 4. *Khiloni* 1677.
Harris de morbis acutis Infantum 8. 1715. *Amst.*
Hartmanni Officina Sanitatis Chymiatrica *cum notis* Cardilucii 4. *Norimb.*
———Succini Prussici historia 4. & 8.
———Praxis Chymiatrica 8. *Genevæ* 1681.
Harvæi exercitationes de Generatione Animalium 12. *Hagæ* 1680
——— de motu Cordis 12. *Roterd.* 1661.
Heredia Opera Medica fol. 4. vol. *Lugd.* 1689.
Heurnii Opera Medica fol. *Lugd.* 1658
Herculis Saxoniæ Opera fol. *Patavii* 1683.
Henningeri scriptores Diætetici quatuor de conservanda valetudine 8. *Argent.* 1713.
Hellvvigii observationes Medico physicæ 4. *Augustæ* 1680.
Hermanni Cynosura Materiæ Medicæ 4. *Argent.* 1710.
ab Heer Fons Spadanus & Observationes Medicæ rariores 12. 2. vol. *fig. Lugd. Bat.* 1685.
Van Helmont Opera 4.
Heer Physiologia Helmontiana, *sive* Tractatus X. de Archeo 4. *Lipsiæ* 1706.
de Heide experimenta circa sanguinis missionem, fibras motrices, urticam marinam &c. 8. *Amst.* 1686.
Hermanni *Pauli* Floræ Lugduno Batavæ Flores 8. *Lugd. Bat.* 1690.
———Lapis Lydius Materiæ Medicæ 8. *Lugd. Bat.* 1704.
Havers de Ossibus 8. *Lipsiæ* 1692.
Heinz de affectibus Soporosis 4. *Argentorati* 1678.
Helbigii introitus in veram physicam 8. *Hamb.* 1680. & 12. *Heidelberg.* 1680.
Heinsius de purgantium validiorum abusu in febribus 4. *Lipsiæ* 1693.
Hanhardi nova experim. de Salibus 4. *Basileæ* 1685.
Hermanni Discursuum synopsis 8. *Londini* 1653.
Hennicken recta chymice curandi methodus 12. *Ffurti* 1686.
Hippocratis Œconomia a Foesio fol. *Genevæ* 1662.
———de Morbis popularibus 8. *Londini* 1717.
———Coacæ, cum not. Foesii & Jonstoni 12. *græc. lat. Amst.* 1660. *Elzevir.*
———Aphorismi illustrati a Dieterico 4. *Giessæ* 1656.
Hoechstetteri observationes Medicinales 8. *Ffurti* 1674.
Hoeferi Hercules Medicus 4. *Norimb.* 1675.
Hobokeni Anatomia Secundinæ humanæ 8. *figur. Vltrajecti.*
Hofmanni *Friderici* Dissertationes Physico-Medicæ curiosæ Selectiores 8. 2. vol. *Lugd. Bat.* 1708.
———Dissert. Phys. Med. curiosar. Decas 8. *Lugd. Bat.* 1713
———Fundamenta Medicinæ 8. *Halæ* 1695.
———Clavis Pharmaceuticæ Schroderianæ 4. *Halæ* 1681.
——— *Danielis* Annotationes Medicæ de Generatione fœtus, ejusque partu 8. *Ffurti* 1719
———*Caspari* de Medicamentis officinalibus tam simplicibus quam compositis 4. *Ienæ* 1686.
Hofmanni Praxis medica curiosa 4. *Ffurti* 1680.
———Pathologia parva 8. *Ienæ* 1640.
———de Thorace ejusque partibus fol. *Ffurti* 1627.
———de Generatione Hominis fol. *Ffurti* 1629
——— Notæ in Galenum de Ossibus fol. *Ffurti* 1630.
———*Ioannis Mauricii* Dissertationes Anatomico Physiologicæ 4. *Norimb.* 1685.

———Acta Laboratorii Chemici Altdorfini 4. 1719.
———Disquisitio Corporis Humani Anatomico Pathologica 4. *Norimb.* 1713.
———Synopsis Institut. Medicinæ ex sanguinis natura 8 *Altdorf.* 1663.
———Catalogus Plantarum in agro Altdorfino nascentium 4. *Altdorf.* 1662.
Hollerii opera omnia Practica fol. *Paris* 1664.
———de Materia Chirurgica libri tres fol. *Paris* 1552.
———in Aphorismos Hippocratis 8. *Genevæ* 1675.
Horstii *Gregorii* Opera omnia fol. *Norimb.* 1660.
———idem 4. *Goudæ* 1661.
Horstii *Ioh. Danielis* Observationes Anatomicæ 4. *Ffurti* 1656.
Hortus sanitatis, *cum figuris* fol. *Argent.* 1536.
———Medicus Edimburgensis 8. *Edimburg.* 1683.
———Dionysii Joncquet Medici Parisiensis 4. *Paris* 1659.
———Malabarici Catalogus a Commelino 8. *Lugd. Bat.* 1696.
———Academici Lugduno Batavi Catalogus 8. *figur. Lugd. Bat.*
ab Hulden Tractatio de mirandis naturæ fontibus 4. *Ienæ* 1697.
Jacchini Comment. in Librum Rasis de partium morbis 4. & 8. *Lugd.*
Jackson Enchiridion Medicum 8. *Bruxell.* 1705.
Jacobæus de Ranis & Bartholinus de Diaphragmate 8. *figur. Paris* 1676.
Jehring de Calculorum in humano corpore generatione 4. *Ienæ* 1664.
Jens Tyrocinium Medicum 8. *Hagæ* 1697.
Imperati Historia naturalis 4. *figur. Bremæ* 1695.
Jones de Morbis abstrusioribus 8. *Londini* 1683. & *Hagæ* 1684.
Jordanus *Hieronymus* de eo quod supernaturale est in morbis humani corporis, ejusque curatione 4. *Ffurti* 1651.
de Impotentia virili discursus Medicus 8. *Coloniæ* 1698.
Joepferi manuductio ad vitam longiorem 4. *Norimb.* 1680.
Jouberti Opera Medica fol. 2. vol. *Ffurti* 1668.
Jungken Praxis Medica 8. *Ffurti* 1698.
———Fundamenta Eclectica Medicinæ Modernæ 8. *Ffurti* 1693.
———Manuale, *sive* Vademecum praxeos Medicæ 8. *Ffurti* 1707.
———Medicus præsenti Sæculo accommodandus 8. *Ffurti* 1689
———Lexicon Chymico-Pharmaceuticum 8. 2. vol. 1709.
Kerchringii Spicilegium Anatomicum 4. *cum figur.*
——— Comment in Currum Triumphalem Antimonii Basilii Valentini 12. *Amst.* 1685.
Kyperi Institutiones Medicæ 4. *Amstel.* 1654.
———Anthropologia Corporis humani 4. *Lugd. Bat.* 1660.
———Collegium Medicum 8. *Lugd. Bat.* 1655.
Knaut methodus Plantarum genuina 8. *Ienæ* 1716.
Konig Regnum Vegetabile 4. *Basileæ.*
———Animale 4. *Basileæ* 1698.
———Minerale 4. *Basileæ* 1703.
Kornmanni Opera curiosa 8. *Ffurti* 1696.
Khunrath de Chao Physico-Chemicorum Catholico 12. *Argent.* 1699.
Kunkelii observationes utiles de salibus, Auro, & Argento potabili, spiritu mundi & similibus 12. *Londini* 1678.
———Philosophia Chemica experimentis confirmata 12. *Amst.* 1694.
Lancisii Opera Medica 4. 2. vol. *cum figuris.* 1718. *Genevæ.*
Langii Opera Medica Theoretico Practica fol. *Lipsiæ* 1704.
———idem 4. *Ffurti* 1688.
———Miscellanea curiosa Medica 4. *Lipsiæ* 1669.
Lamswerde naturalis Molarum Uteri historia 8. *fig. Lugd. Bat.* 1686.
Lanzonus de Balzamatione Cadeverum 12. *Genevæ.* 1696.
Ledelii Centaurium minus, Auro tamen majus 8. *Ffurti* 1694.
Lentilii Eteodromus Medico Practicus Anni 1709. 4. *Stutgard.* 1711.
———Jatromnemata Theoretico Practica 8. *ibid.* 1712.
———de Hydrophobiæ Causa & cura 8. *Vlmæ* 1700.
———Tabula Consultatoria Medicæ 8. *Vlmæ* 1696.
Leeuwenhoek Arcana Naturæ Ope Microscopiorum detecta 4. *cum figuris Lugd. Bat.* 1708.
———ejusdem Continuatio 4. *Lugd. Bat.*
Lemery Cursus Chymicus 12. *Genevæ* 1681.
Liber Mutus, in quo tamen tota Philosophia Hermetica figuris Hieroglyph. depingitur. fol.
Lindenius Renovatus Mercklini 4. *Norimb.* 1686.
Lyncei Historia Plantarum fol. *Romæ* 1651. *figur.*
Linsing Institutiones Medicæ 8. *Ffurti & Erlangæ.*
Lyonnet de Peste 8. *Lugd.* 1639.
Licetus de Monstris 4. *cum figur. Amst.* 1665.
Loevv in Aphorismos Hippocratis &c. 4. *Norimb.* 1711.
———Tractatus de Variolis & Morbillis 4. *Norimb.* 1699.
Lommii Observationes Medicæ 8. *var. edit.*
Lochneri Nerium *sive* Rhododaphne veterum & recentiorum 4. *Norimb.* 1716.
Lovver de Corde & de Motu & Colore Sanguinis 8. *Londini* & *Amstelod.*
Lossius de morborum curationibus 8. *var. ed.* 1687.
———Observationes Medicæ 8. *Londini* 1672.
Ludovici Opera Pharmaceut. Med. 4. *Ffurti* 1712.

Mangeti BibliothecaMedico-Pract. fol. 4. vol. *Genevæ* 1695.
——— ———Anatomica fol. 2. vol. *figur. Genevæ* 1699.
——— ——Chemica fol. 2. vol. *figur. Genevæ* 1702.
——— ———Pharmaceutica fol. 2. vol. *figur. Genevæ* 1704.
——— ———Chirurgica fol. 4. vol. *figur. Genevæ* 1721.
Malpighii Opera omnia fol. *Londini figur.* 1676.
———Opera posthuma 4. *Amstel.* 1698.
———Dissertatio Epistolica de Bombyce 4. *figur. Londini* 1669.
———& Fracassati Epistolæ Anatomicæ 12. *Amst.* 1669.
Mangold materiæ Medicæ idea 8. *Basileæ* 1715.
Manardi Epistolæ & Consultationes Medicæ fol. *Hanov.* 1611.
Maroja Opera Medica fol. *Lugd.* 1688.
Massariæ Opera Medica fol. *Lugd.* 1669.
Martini Collectio Medico Practica fol. *Venetiis* 1628.
———Prælectiones in Hippocratem, de Aëre Aquis & Locis 4. *Paris* 1646.
Maroldi Practica Medica 4. *Ffurti* 1650.
Marggravii Opera Medica 4. *Amst.* 1715.
———Materia Medica contracta 4. *Amst.* 1682.
———Prodromus Medicinæ Practicæ 4. *Lugd. Bat.* 1685.
Matthioli Opera omnia fol. *cum figur. Basileæ* 1674.
———de simplicium Medicament. facultatibus 16. *Lugd.* 1571.
Mayerne de Febribus 8. *Londini* 1695.
———de morbis gravioribus & Chronicis Syntagma 8. *Lond.* 1690
———praxis Medica 12. *Genevæ.*
———de Arthritide 12. *Genevæ.*
Marchettis Anatomia 8. *Lugd. Bat.* 1688. & 8. *Patavii* 1675.
Macasii Promptuarium Materiæ Medicæ 12. *Lipsiæ* 1677.
Majeri Secreta naturæ Chymica, nova methodo indagata 4. *figur. Ffurti* 1687.
———Tractatus de septem montibus Planetarum 8. 1651.
Marci disceptatio de Natura Epilepsiæ, illius ortu & causis, &c. 4. *Ratisponæ* 1678.
Manelphi Theoria de Febribus 4. *Romæ* 1625.
Maurocordatus de motu & usu Pulmonum 12. *Ffurti.*
Mesvæ Opera fol. *Venetiis* 1623.
———de Re Medica 8. *Lugd.* 1560.
Mena de sanguinis missione & purgatione 8. *Taurini* 1626.
Mentzelii Index Nominum Plantarum multilinguis fol. *Berolini* 1622.
Mermanni Consilia Medica fol *Ingolstad.* 1675.
Mercklini Casus Incantationi obnoxii 4. *Norimb.* 1698.
———de ortu & occasu transfusionis sanguinis 8. *Norimb* 1679.
Medicinæ exercitamenta ex selectis Authoribus, à Rhegino illustrata fol. *Lugd.* 1564.
Medicus Euporistus, cum variis ad praxim Medicam observationibus 8. *Hagæ* 1711.
Meibomius de cervisiis & aliis potibus, & Turnebius de vino 4. *Helmstad.* 1668.
———Hippocratis magni ΟΡΚΟΣ, sive Jusjurandum 4. *Lugd. Bat.* 1643.
Meynier speculum Universi, in quo de auro potabili &c. 8. *Bonnæ* 1674.
Messis Medico Spagyrica fol. *figur. Genevæ* 1687.
Melichii Armamentarium Medicum 8. *Ffurti* 1657.
Methodus Generalis bene medendi ad omnes morbos &c. 8. *Lugd.* 1589.
Michaelis de Apoplexia & methodo curandi 4. *Hildesiæ* 1685.
Mylii Opus Medico Chymicum 4. 3. vol. *Ffurti* 1618.
———Antidotarium Medico Chymicum reformatum 4. *Ffurti* 1668.
Michaelii Oculi Fabricatio & usus 8. *Lugd. Bat.* 1651.
Minsicht Armamentarium Medico Chymicum cum Mantissa Musitani 8. *Genevæ* 1697.
Mizaldi Arcana Mirabilia 12. *Norimb.* 1681.
Mysteria Physico Medica 12 *Ffurti* 1681.
Moebii Fundamenta Medico Physiologica 4. *Ffurti* 1678.
———Epitome Institutionum Medicinæ 4. *Jenæ* 1663.
———Synopsis Epitomes Institut. Medicinæ fol. *Jenæ.*
Montagnanæ Opera Medica fol. *Ffurti* 1604.
Montani Medicina Universa fol. *Ffurti* 158-.
Mollembroccius de Varis, seu Arthritide vaga Scorbutica 8. *Lipsiæ.*
Moroni Directorium Medico Practicum 4. *Ffurti* 1665.
Moor Pathologia Cerebri 4. *Amst.* 1704.
Morley Collectanea Chymica Leydensia 8 *Antuerp.* 1702
Morelli methodus præscribendi formulas remediorum 8. *Genevæ*
Morton Opera Medica 4. *Lugd.* 1719.
———de febribus inflammatoriis 8. *Londini* 1694.
———de Phtysi 8. *Londini* 1689. & 12. *Ffurti.*
———de Morbis universalibus Acutis 8. *Bremæ* 1693.
Le Mort Chymiæ veræ Nobilitas & Utilitas 4. *Lugd. Bat.* 1696.
———Pharmacia & Chymia 8. *Lugd. Bat.* 1684.
Moræi Consult. & observationes de febre maligna 12. *Ffurti* 1670
Moralis in Aphorismos Hippocratis 4. *Venetiis* 1648.
Mockius de causis Concretionis & Dissolutionis Rerum 4. *Friburg.* 1596.
Moralis Enchiridium Medicum, Ethicum & Theologicum 12. *Venetiis* 1655.

Morescotti Compendium Medicinæ 12. *Herborn.* 1604.
Mulleri Lexicon Medico-Galeno-Chymico-Pharmaceuticum *Lat. Germ.* fol. *Ffurti* 1661.
Munnick Anatomia 8. *figur.* 1699.
Muys Praxis Medico Chirurgica Rationalis 12. *Amst.* 1695.
Musæum Hermeticum 4. *Ffurti.*
Mundii Opera Medico-Physica 8. *Lugd. Bat.* 1685.
Musitanus de Morbis mulierum 4. *Genevæ* 1709.
Musgrave de Arthritide Anomala 4 1715.
——— ———Symptomatica 4. 1715.
Nasii Methodus medendi fol. *Brixiæ* 1633.
Nenteri fundamenta Medicinæ Theorico Practica 4. *Argent.* 1718.
———Theoria hominis Sani seu Physiologia Medica 8. *Argent.* 1714.
Nymmani Tractatus de Apoplexia 4. *VVitteberg.* 1670.
Neucrantzius de Harengo 4. *Lubecæ* 1654.
Needham Observationes Anatomicæ 12 *Lugd. Bat.* 1714.
Nuck Operationes & Experimenta Chirurgica 8. *Lugd. Bat.* 1696. & *Jenæ* 1698.
———Sialographia, &. Ductuum Aquosorum Anatome 8. *Lugd. Bat.* 1696.
———de Ductu Salivali Novo 12. *Lugd. Bat.* 1686.
Nucleus Sophicus per Liberium Benedictum 8. 1603.
Novum Lumen Chymicum 8.
Ochus de Febribus 4. *Venetiis* 1657.
Ortlob Oeconomia Hominis 4. *Lipsiæ* 1697.
Paracelsi Opera fol. 3. vol. *Genevæ* 1658.
Pacii Comment. in Galeni Methodum Medendi fol. *Vicetiæ* 1609.
Pathologia Nova Theoret. Pract. secundum medendi Methodum Sthahlianam 4. *Lipsiæ* 1715.
Paulli Quadripartitum Botanicum, de simplicium Medicamentorum facultatibus 4. *Ffurti* 1708.
———de Febrium Causa, & morbillorum, scorbuti, Luis Venereæ &c. 4. *Argent.* 1678.
Paullini Cynographia curiosa, *seu* Canis descriptio 4. *Norimb.* 1685
———de Candore 8. *ibid.* 1703.
———Sacra Herba, *seu* Nobilis Salvia 8 *Augustæ* 1688.
———Lagographia curiosa, *seu* Leporis descriptio 8. *ibid.* 1691.
———Bufo breviter descriptus 8. *Norimb.* 1686.
———varia alia scripta.
de Partus Octomestris Natura fol. *Ffurti* 1601.
Pantaleonis *Hermeticæ Scientiæ Periti* Examen Alchymisticum 8. *Norimb.* 1679.
———Tumulus Hermetis Apertus 8. *Norimb.* 1684.
———bifolium Metallicum 8. *Norimb.* 1679.
Patinus de Peste 4. *Augustæ* 1683.
Pechlinus de Medicamentorum purgantium facultatibus 8. *Amst.* 1702.
———Observationes Physico Medicæ 8. *Hamb.* 1691.
———de Potu Theæ 4. *Kilonii* 1684.
Penotus de Denario Medico & alii Tract. Chymici 8. 1608. *Bernæ.*
Peucer de præcipuis Divinationum generibus 8. *Ffurti* 1607.
Peyeri Merycologia, *sive* de Ruminantibus & Ruminatione 4. *Basileæ* 1685.
——— Parerga Anatomica 8. *Genevæ* 1681.
Petermanni praxis Medica 8. *Lipsiæ* 1707.
Pezoldi Observationes Medico Chirurgicæ 8. 1715. *Vratislav.*
Pechey Promptuarium praxeos Medicæ 12. *Amst.* 1694.
Pecqueti Experimenta Nova Anatomica 12. *Amst.* 1700.
Pestis & Calamitatum Taurini anni 1599. descriptio 4. *Taurini* 1600.
Petri Carduus Sanctus, *seu* Benedictus 8. *Lipsiæ* 1698.
Pharmacopæa Schrodero Hofmannian fol. *figur. Genevæ* 1687.
———Augustana Zvvelpheri 4. 2. vol. *Norimb.* 1693.
———extemporanea Fulleri 8. *Amst.* & 12. *Londini.*
———Batæana 8. *Amst.* 1719.
———Londinensis 12. *Ffurti* 1711.
———Parisiensis 4. *Paris* 1645.
———Schroderi 4. *Lugd.*
———variæ aliæ Pharmacopææ.
Pharmacopolarum Schedulæ, *seu* Inscriptiones fol. *Genevæ.*
Philaletha introitus Apertus ad Occlusum Regis Palatium, Opus Chemicum 8. *Jenæ* 1699.
Pitcarnii Opuscula Medica 4. *Roterd.* 1714.
———Elementa Medicinæ 4. *Hagæ* 1718.
Piens de febribus *cum not.* Mangeti 4. *Genevæ* 1689.
Pisanelli de Alimentorum facultatibus 12. *Osnabrug.* 1677.
Plateri Observationes Medicæ 8. *Basileæ* 1680.
———Praxis Medica 4. 3. vol. *Basileæ* 1666.
———Quæstiones Medicæ 4. 8. & 12.
Plazzonus de Vulneribus Sclopetorum 4. *Venetiis* 1618.
———de Partibus Generationis 12. *Lugd. Bat.* 1664.
Plumier Nova Plantarum Americanarum Genera 4. *Paris* 1703.
Plempii Fundamenta Medicinæ fol. *Lovanii* 1664. 4 *Amst.* 1658.
———Ophtalmographia fol *Lovanii* 1659. & 4. *Amst.* 1632.
———in Abuali Ibn-Tsina, *seu* Avicennam fol. 2. vol. *Lovanii* 1658.

Series hujusce Catalogi reperitur cum Titulo Tomi quarti.



JOH. JAC. MANGETI BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ

LIBER DECIMUS.

De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Litera L. incipientibus.

LABIORUM MORBI.



LABIA præter musculos duos quos habent cum maxilla communes, quadratum scilicet & buccinatorem aliosque etiam, tum utrique famulantes, obliquè scilicet sursum trahentem, obliquè deorsum trahentem, oris constrictorem, seu orbicularem; tum cuique proprios, superiori, nimirùm duos, sursum trahentem unum, ac deorsum moventem, alterum; inferiori verò unicum nempe deorsum trahentem; innumeris præterea glandulis serô copiosô irriguis, fibrillis nerveis, ac vasis non unius generis invicem connexis, interspersa sunt; sicque variis obnoxia ægritudinibus. Nam si serum quod illa alluit acrius redditum, corrosivum quid induat, *ulcera*, & *crustas*, imò etiam carcinomata excitabit. Si parciùs affluat, ac stipticitatem aliquam acquirat, glandulas constringendo, ac fibrillas iis intimè connexas & ad dextras ac sinistras variè protensas paulò validius retrahendo, *fissuras* procreabit. Si abundantiùs depluens inibi cumuletur, *magnitudinem* faciet *excedentem*, ad quam referri potest affectus *Cheilocace* dictus, ubi præter tumefactionem partis non est quod aliud reperias, quamquòd labia à gingivis & dentibus abscedentia longiùs & foràs aliquatenus replicentur multa cum deformitate, ac in utroque latere, dextrô scilicet & sinistrô, angustô sed profundô sulcô, inde à gingivis, aut gingivarum confiniô ad usque extimam labii viam, seu ejusdem marginem, (nunquam ulteriùs ascendendo) dividantur, perque hosce sulcos sanie semper madeant, aut crassô pure obsita sint. Si irritatio in spiritus fibras musculares animantes invehatur, *tremor* inducetur. Si retractio aliqua peculiaris fibrarum musculosarum à quâcunque demùm causâ enascatur, *perversio* partis orietur. Si ulcera in utrôque labiô posita dum cicatrisantur, ea invicem conglutinent, *labiorum continuitas* fiet. Si glandula aliqua in specie ad magnam intumeat molem *labiorum globum* efformabit. De *labiô leporinô* hìc nihil addo, quia ejus natales internæ non debentur causæ, nec humorum pravæ cuipiam dispositioni adsignandi veniunt, sed imaginationi maternæ fœtui impressæ unde ejus labium superius ad instar labii leporini unica vel etiam duplici fissura divisum videtur ab ipsô nasô ad sui usque marginem. Alios affectus eosque memoratos quod spectat: Carcinoma remediis propriô capite descriptis, curabitur, ut & etiam Tremor, ac Perversio convulsiva, aut inflammatoria. Hìc itaque de reliquis tantùm.

CURATIONES.

Ulcera Crustosa.

Labia ulceribus crustosis inficiuntur, quæ à pituitæ cujusdam salsæ putredine, aut ab humore melancholicô, aut à bile retorridâ, vel à pituitâ & melancholiâ simul mixtis generatur. Si hæc ulcera non ritè curentur, faciem deformem efficiunt, & serpendo cancrosa evadent.

Curatio, diætâ, purgatione, venæsectione aliisque præsidiis universalibus perficietur, deinde lotione crustarum cum aqua plantag. aut aqua aluminosa, descri-

ptionis noſtræ, in qua, ſi ulcera ſint putrida, diſſolvantur unguentum Apoſtolorum, aut pulvis mercurii. Si verò ſimplicia ſint, abluentur hydromel. aut œnomelite, addendo parum aluminis rochæ. Vel uſurpabitur aqua ſequens, quæ valdè efficax eſt.

℞. Sacch. albiſſ. ℔. j. ſal. comm. ℔. ß. alum. rochæ ℥ j. m. & deſtillentur in alembicô vitreô, fiat aqua, cujus guttulæ aliquot immiſſæ in cruſtam, exſiccant, ſanant, & cicatricem inducunt: dictæ cruſtæ guttulis quibuſdam hujus aquæ cum paucô bombace tangentur.

Vel ℞. Tutiæ præp. ℥j. olei roſar. & ſucci ſolani an. ℥ij. ponantur ſimul in mortario plumbeô & agitentur cum piſtillô plumbeô tamdiu donec acquirant convenientem conſiſtentiam: poſtea cum modicô ceræ albæ liquefactæ fiat unguentum molle, & ſervetur in pixide plumbea ad uſum. Quòd ſi ulcus non poſſit exſiccari, tangatur aquâ aluminosâ magiſtrali Fallopii cap. de ulceribus venereis deſcriptâ, vel aquâ ſublimatâ ſecundâ, oleô vitrioli vel ſulphuris, ſolis, vel temperatis aquâ plantagin. deinde uteris unguentô de plumbô, vel collyriô ſequenti.

℞. Aq. alumin. deſcriptionis noſtræ ℔. j. trochiſcor. de tuthia, & collyrii alb. Rhaſis ſine opio, ana ʒiij. ceruſſæ, & utriuſque litharg. præp. & lot. aquâ roſarum an. ʒß. diſſolvantur omnia ſimul & fiat collyrium, de quô abluatur frequenter ulcus. *Iohann. Vigierius in Chirurgiâ magnâ.*

Fiſſuræ.

In curatione fiſſuræ labiorum, evacuatâ materiâ, lintea tenera ſuccô ſempervivi madida imponi; & ſi profundiores fiſſuræ ſint, adipe anſerinô & caponis illiniri debent. Prodeſt & ungentum ex lythargyr. argent. & myrrh. an ℈ß. cum cerâ virgineâ & oleô communi paratum. Foris imponitur in petiâ. *Ioh. Ionſtonius in Idea Medecin. Pract.* Pro remediô præſtantiſſimô hocce in caſu, oleum ceræ deſtillatum habet *Ioh. Harthm.* tractatu de oleis chymicè deſtillatis. Non minoris eſt efficaciæ oleum è vitellis ovorum.

Magnitudo excedens; & Cheilocace ſeu Labroſulcium.

Labia tumentia ſanant fotus ex hyſſopo, origano, ſatureia, ſalvia, & roſis rubris parati; ut & ſuffitus ex maſtiche, olibano, myrrhâ, ſuccino, benzonio &c. Item oleum myrrhæ per deliquium elicitum & applicitum: Præmiſſis univerſalibus. Imò ſi malum paulò pertinacius, ac rebellius fuerit, & cauteria, & aurium perforationes, & veſicantia emplaſtra, locis aptis ac commodis veniunt admovenda. Atque hæc de tumefactione ſimplici; aliud jam ſupereſt, ſcilicet de peculiari illa tumefactione ulceroſa quæ vulgô Cheilocace ſeu Labroſulcium audit, breviter agamus ex *Arnoldo Boëtio* de affectibus omiſſis, tract. 10.

Morbus hic cui græcum nomen à parte affectâ, latinum à præcipuô ac maximè conſpicuô ſymptomate fecimus, familiare in Hiberniâ omni tempore, interdum verò etiam epidemiæ luis inſtar in quamplurimis populariter graſſatur, rariſſimè tamen, ac vix unquam, adoritur adultos, ſed infantes duntaxat, eoſque ferè ab altero ætatis anno ad quartum aut quintum, quanquam & teneriores aliquantò, & paulò vetuſtiores non ſunt ſemper ab eô immunes.

Labra in eo admodum tumeſcunt, tumore duro & nonnihil rubicundo, ſed nequaquam fervido, aut inflammatorio, & qui nunquam ſuppuretur aut caput fœdet. Vergit autem aliquantò magis introrſum, quàm ad exteriorem partem, unde labia à dentibus & gingivis abſcedunt, ac longiùs & foras aliquatenus replicantur ſulci qui labrum à dextris & ſiniſtris interiùs dividunt, ſemper ſaniē madent, aut craſſo pure obſiti ſunt, interdum quoque cruſtulæ in iis ſuccreſcunt. Malum hoc quandoque utrumque labium inceſſit, ut plurimum tamen ſuperius tantùm eô afficitur; quando ambo ſimul hæc obſidet labes, longè tamen ſemper deterior eſt ſuperioris quàm inferioris labii conditio. Ut plurimùm, ac ferè ſemper hunc morbum comitantur aphthæ in palato, linguâ, buccis, labiis, gingivis, quamquam infinitus eſt infantium numerus qui aphthas patiuntur abſque eo ut in cheilocacen incidant, ſicuti rurſus non rarò accidit ut idoneis remediis adhibitis aphthæ aboleantur, & cheilocace ſuperſtite.

Malum hoc nonnullis ſponte aut levibus remediis ſaneſcit, aſt plerumque ſi diutiùs negligatur, aut perperam curetur, contumaciſſimum evadit, ita ut poſtea difficillimè tollatur, & multo opere ægrè ſanatum, aut ſanitati proximum improvisò rebellet; in nonnullis verò immedicabile penitus redditur, & ſerpente contagio miſeros infantes lenta tabe conficit, & tandem letho mittit; id quod tum præcipuè uſu venire ſolet quando epidemicè hæc labes ſævit, ob quas cauſas Anglicum vulgus cancrum oris appellat, quod tamen de aliis quoque ulceroſis ac malignis oris affectibus uſurpat.

Ad peragendam feliciter curationem corpus purgandum eſt, non ſemel ſed repetitis vicibus, ita ut idoneum temporis ſpatium ſemper interponatur. Purgationes pro captu corporum & ætatis ſatis validæ eſſe debent, præcipuè ex ſenna & mercurio dulci, quæ duo cæteris in hoc caſu præferenda. Quod ſi cum infante tractabili res eſt magnopere conducet purgare decoctis paratis è fumaria, betonica, phyllit. rad. lapathi, cichor. polypod. ſenna, agaric. coriandr. tamarind. cujus decocti bini, ternive hauſtus die dandi per ſat longum temporis ſpatium. Quòd ſi grandior ſit infans, ſanguis quoque è bracchiis detrahendus, vel hirudinis ſuctu aperta vena, vel ſcapello etiam. Interea etiam oris ulcuſculis adhibenda idonea remedia, & labra fovenda illinendaque iis quæ tumorem imminuere, ſordes detergere, ſulcos emundare atque implere valeant, eoſque cum reliquâ labiorum carne æquare.

In hos uſus multa ſunt quæ inſervire valeant, ſed cæteris præcellit decoctum chærephylli, quinquefol. myrrhid. roſar. ac ſalviæ, in quo ſal vitrioli alb. ſat. magnâ copiâ diſſolutum ſit, ac linimentum factum è ſacchar. ſaturn. aq. plantag. & aceto roſacco. Utiliſſimum quoque eſt hirudines faciei admovere, iiſque ſanguinem, tum ex fronte & temporibus, tum ex labiis ipſis affatim deplere, idque bis aut ter facere. Quòd ſi hæc omnia non ſatis juverint, tandem in alterutro, aut utroque brachio excitandæ fontanellæ; & per multos dies potui dandum infanti decoctum concinnatum ex ſarſapar. radic. chin. fumar. phyllit. lapath. integr. ſem. card. rad. ſcorſon. & paſſul. maj. ac quamdiu hoc bibet omni alio potu arcendus erit. Ubi tenellum admodum infantem invadit hoc malum, nonnulla iſtorum omittenda, quædam aliter ordinanda, & in omnibus clementiora deligenda ſunt, quod minimè opus eſt particulatim explicemus.

Labiorum continuitas.

Curatio inſtituenda 1. Dividendo ac ſeparando ab invicem labia conjuncta & conglutinata per cultellum acutum. 2. Eadem ab invicem disjuncta tenendo, per lamellas præſertim plumbeas 3. Cuticulâ obducendo, cicatriſando ſeparata hæc labia, initium ducendo à loco ubi committuntur ſecundum naturam labia. In quem finem optimo cum ſucceſſu applicantur utrinque hami plum-

plumbei obtusi, os in longum expansum servantes, ne scilicet coalitio utriusque labii denuò habeat locum, ad novamque cogat dissectionem. Ubi autem locus commissuræ fuerit suâ tectus cuticulâ, adeoque cicatrice obductus, facilis erit reliqua curatio, dummodo cicatricem admittat reliqua labiorum pars media. *Franciscus Sylvius de le Boë.*

De Labiorum nodo, seu globo. vide quæ inferiùs in observationibus ex Stalpartio Meekren *adducentur.*

Labia Leporina.

In Labio Leporino (quicquid demùm dicat *Gasp. Amthor.* in Nosoc. Infantili de curatione per suum unguentum perficienda, si statim secundo à nativitate die, ter de die imponatur cum linteis. Cujus unguenti hæc est compositio.

℞. Olei olivar. picis comm. pingued. canis, taxi, an ℔j. liquefiant ad ignem. post dissolve mastich. oliban. galban. an. ℥j. M.) Non potest tamen felicior successus sperari quàm ab operatione; quæ licèt crudelis admodum sit, ut plurimùm optimè cedit, si modò scilicet temporiùs instituta, non expectetur donec patiens adolescentiam, aut maturam attigerit ætatem; tunc enim etiamsi margines labii divisi ad invicem adducantur, ac inter se conglutinentur, deformitas semper magna supereſt ex cicatrice in parte ficciori, quæ est dilatationi inepta; imò vox non parum inde depravatur. Itaque in junioribus perficiatur, non quidem statim post nativitatem; quia sic illic siccitas partis extimescenda venit; hic sanè major mollities non minùs faceret difficultatis, continuique infantis è dolore ejulatus, totum opus disturbarent ac suturas disrumperent. Hâc autem ratione illa absolvatur suô tempore; scilicèt quintô, aut sextô ætatis annô.

Ægro in sedili luci objecto, collocato, chirurgus forcipibus aptis labiorum ab utraque parte portionem apprehendet, post cultello recurvo cutem intermediam resecabit, à parte superiori nasôque proxima, ad inferiora descendens, ut sic vulnus recens & sanguinolentum fiat. In idem negotium possunt etiam adhiberi forfices eximiæ aciei. Tum permittendum ut aliquot sanguinis effluant guttæ, & oræ labii quàm maximè æqualiter fieri poterit ad invicem adducentur, ut acus argentea, aut chalybea, per eas satis altè transfigatur, quæ acus in ipsô relinquetur vulnere, postquam filô per ipsius foramen immissô circumducta fuerit, eâ prorsus ratione quæ sartoribus familiaris est, dum acum filô indutam conservare volunt. Si fissura fuerit grandior, in ipsius oras duæ acus possunt immitti, alia quidem in superioribus, alia in inferioribus. Si partes divisæ ad se invicem facilè adduci nequeant, ut uniantur, duæ incisiones, in superiori labii cutis parte ad formam lunæ crescentis, ita sunt instituendæ, ut earum cornua vulneri sint objecta, sic enim ejusdem oræ faciliùs ad se invicem accedunt. Si tantum ab una parte labium difficiliùs accedat, unica sufficiet incisio. Si acus per labium transacta multùm ab utraque parte promineat forcipibus est exscindenda, sub ejusdem extremis apponendo minores pulvillos desuperque emplastrum de betonica, & inter duas incisiones ad formam lunæ crescentis confectas applicandum linteamentum siccum, ut quæ excrescent carnes vulnus compleant, sicque labium laxius faciant. Ut plurimum die post operationem octava, vel decima conglutinantur atque uniuntur labii oræ: tunc si satis valida fuerit unio, exscindendum est filum acui circumductum, ipsaque acus amovenda, & ulcus atque parvula quæ supersunt foramina desiccantibus curanda. Aliquandò labia duplici finduntur loco, sed hoc nihil intereſt, nam dummodò distantia inter utramque fissuram major non fuerit, eâdem illæ curantur ratione ac si unica tantùm adesset. Si fissuræ hæ in auribus, aut naribus reperiantur eodem modò ac in labiis procedendum. Quidam in hisce operationibus incisionem fissuræ marginum non adhibent, sed postquam sub labio pulvillum minimum imposuerunt, cutem intermediam penicillo oleô antimonii aut lapide aliquo caustico fuso, intinctô, leviter attingunt; sic quicquid cutis separare volunt separant, quô peractô acum, ut suprà dictum, transfigunt.

Operatio in Labio Leporino, exercenda ex Clariss. Anton. Nuck.

Labium superius (rarissimè inferiùs) nonnunquam ita fissum apparet, ut haud obscurè *labium leporinum* repræsentet, affectus, qui manum chirurgicam sæpe etiam requirit.

Antequam autem hanc Operationem suscipiamus, attendendum primariò examinandumque, utrum labium unô tantùm, an duobus in locis sit fissum: an fissura magna vel parva; an divisum conspiciatur palatum; an gingiva tumore aliquô, vel cartilagine, vel exostosi sit obsessa: an dentes promineant aut obsint: an patiens sit infans, puer, aut adultus (in his enim non facilè tentanda est Operatio) an denique corpus benè aut malè dispositum; quibus ad rationis trutinam ritè ponderatis, utrum malum curabile sit, nec ne, facilè concludi poterit.

Si in infante labium simpliciter fissum occurrat, sequenti methodo procedendum: Ligatis infantis manibus pedibusque, ministrorum alter sedili insidens firmiter eum teneat, alterque ejus caput quantùm possibile immobile servet. Chirurgus interim diductis ab invicem labiis, partem labii superiorem interioremque adhuc integram, à connata maxilla superiori, cultello separet, quò hiatus integrè expleri, labiàque eo rectiùs extendi possint.

Hisce peractis, statim fissuræ margines callosâ superficie quodammodo induratas, acutiori forfice, loco atramento priùs notato, resecando cruentas reddat: dein interposito plumaceolo, ne gingiva jam separata denuo coalescat, tres *acus argenteas, vel chalybeas* unam post alteram, à parte superiori incipiendo, per labium divisum traducat, genisque compressis (quod commodè, servo caput tenente, peragitur) labia cruenta ita adaptet, ut filum circa easdem sæpius glomeratum, eadem adducta in hoc statu servet; Hòcque feliciùs succedit, si *laminis plumbeis* orbicularibus perforatis labiorum latera magis comprimantur. Mox resectis acuum extremitatibus, fila liquore balsamico v. g. *Balf. Copayv.* vel *Unguen. Arcæi* humectanda, quibus *plumaceolum* eodem balsamo irroratum superimponendum, hisce insuper *Emplastrum glutinosum* ab una parte malę ad oppositam sese extendens, applicandum, quo genę rectiùs adducantur: denique *compressula* ad formam nasi accommodata fasciç ope alliganda.

Internè labium *Syrupo de Symph. Fernelii*, aut *Violaceo* oblinirì potest, cavendùmque quantùm possibile ne plorando, sternutando, cibos quoque duriores comminuendo, labia quodammodo diducantur, quod *Cucuphâ æneâ*, extremitatibus suis genas comprimente, vel *Splenüs* è chartâ tabellatâ compositis, nonnunquam prępediri poteſt.

Sequenti ab Operatione die obligatio maneat, necesse est. Tertiô verò die aliqualis fiat deligationis solutio, tollendo ea, quę externè filis fuêre applicata; media

mediç interim Acûs vinculum tantillum relaxetur, (uti etiam cum reliquis aliquando procedendum) ne fortiori filorum constrictione ulcera oriantur.

Quartò die media Acus extrahenda, reliquarumque Fila magis solvenda. Quintô sæpe acuum superior tutò extrahitur; & sextô septimôve inferior sive ultima; quibus sublatis, applicatô Emplastrô cicatrisante unà cum Fasciâ, facillimè restituitur patiens.

Sunt qui *Unguentis*, secundô post partum die impositis, Labia Leporina in infantibus restituere satagunt; sed nostrô judiciô, malè procedunt.

Hæc Clariss. Nuckius. Celeberrimus autem Fabricius ab Aquapendente, non tantùm hôc in casû acû transmissâ consuit; sed etiam glutinô, (de quô vid. sub titulô Lagophtalmos) partes labii consutas ad se invicem adducit, ut sutura in tenellô subjectô peracta non discedat aut dissolvatur.

Observationes.

De Rostrô Leporinô singulari.

Honesta fœmina, sub gestationis ferè finem negotii expediundi causâ, ad vicinam ostio minùs obserato invisens, tandem illam per camerç rimam meridiari cum amico videt, non sine risu & joculari apprehensione. Post tres prçter propter septimanas enititur puellam; cùm vigilaret, variè semet (sed modo quem apud Martialem faciliùs quis legerit, quàm ego descripsero) moventem; ut cum anicula jam in sella sederet, etiam facies inde cum rubore nonnunquam intumesceret. Primò torminibus parentes adscripserant, sed cum postmodum minus verecundam viderunt, ad me detulere annum tunc cum dimidio natam; uxori rem aperuit mater, nec per expantiora adhuc exempla absonum id ratus sum; curam verò pro talium more, aut nullam aut perdifficilem futuram. Nihilominus experiundi gratiâ, per 14. dies vesperi quidem quotidiè granum unum cinnabaris nat. manè guttas tres vel quatuor spiritûs cephalici Hart. dedi, sicque incompta illa motitatio evanuit. Sexennem autem Quartillam hanc Petronianam dysenteria sustulisse dicitur. Incidit hîc in memoriam singularis & (inter similes conceptu difficilior) puellç, etiam in gestationis demum fine, deturpatio, ante biennium observata. Est in vicinia rusticus, per inflictam à patre gravidç matri alapam (rostro leporino admodum prç aliis deformis; siquidem palati s. cœli extremitas aliqua, cum ipsius maxillç parte (quasi excisa) versus nares sursum flexa iisque adnata est, cum mystace & dentibus aliquot. Hunc (injunctum tegmen negligentem,) intuita ex improviso, & exhorrescens gravida quçdam, post tres septimanas puellam peperit, cætera perfectam, nisi quod simile penitus ostentaret rostrum. Cùm autem frustum ipsum; quasi per columellam quandam, extremitati narium annatum, ac post dies aliquot, duos incisorios, molliculos adhuc dentes utrinque protrudens, lactis suctionem penitus suppresso spiritu impediret, cochleari verò infusum vegetiori infanti non sufficeret, parentes quidvis tentare prius voluerunt, quam puella denegato alimento tandem fatisceret; aut deforme malum ampliùs increscеret. Moniti de difficultate, præsertim ob palati anticam illam excavationem; non tamen destitere. Præcidit proin chirurgus noster aulicus illam excrescentiam, & actuali cauterio (non tamen planè candenti) leviter admoto hæmorrhagiam statim compescuit; infante ne minimum quidem vagitum edente, sed quasi bene secum actum foret, strenuè postmodum sugente, & lac applicantibus se invicem labiorum extremitatibus quorum unitionem convenientiori tempore reservabat, (deglutiente, carne quoque glandulosa in palato, ad hiatus occlusionem semet protendere incipiente. Verùm post 14. diem, citra externam hinc causam, dum hactenus benè valuisset, noctu subitò, & epilepticè aliterve, spes nostra hæc occidit. Addamus huic; sed feliciori eventu, aliam ante annos aliquot binis in quavis maxilla incisoriis ab ortu armatam. His sibi linguam totaliter transfixerat, ut modicè saltem utrinque ad latera cohæreret. Parentes ad tonsorem detulere, quo (ob deficientem suctionem ac nutritionem) aut dentes evelleret, aut linguæ illud frustum auferret. Interveniens illos suo loco relinquerent suasi; (siquidem evulsos lacteam quandam materiam, & hinc lethales convulsiones insequi notum est) vulnus autem solis oculis cancri inspersis, ac per vices extracto pyrolæ saccharato inisperso intra paucos dies (ceu plurimis aliis, per casum aliterve sic læsis) persanavimus: Provectioribus ætate inspersum vitriolum albicans similiter confert. *Dan. Ludovici.*

De excrescentia in Labio superiore.

Venit ad me ex pagò Lossen paupercula, ac inspiciendum præbet Labium, quod mirum in modum excreverat: in medio Labio ulcus fuerat; Ex eo principio caro ista fungosa suum ortum habuit: Nullam aliam spem eam habere quam sectionem ostendo. At illa paupertatem obtendit, aliud consilium expetit. Consulo ergo, ut tumorem cum setis equinis fortiter apprehendat, & indies arctiùs astringat. Fecit hoc, licèt, ut ipsa postea dicebat, magno dolore, multis noctibus insomnibus, tandem tamen decidit caro ista superflua. Venit ad me lætior, ego unguenta consolidantia illi præscribo, quibus adhibitis in totum convaluit, Deoque gratias egit; Quia enim paupercula erat, & lino in fila ducendo se sustentabat, labium ad hunc laborem obeundum maximo erat impedimento.

Scholion.) De excrescentia ejusmodi carnea in supremo vulvæ labro orta, exemplum refert Marc. Donatus Hist. Med. Memor. l. 5. c. 3, Curatio cum setis equinis est egregia & admodum conveniens, constricta enim arteria nutrimentum afferente, ut tumor tabescat necessum est. Unde verò ista arteria originem trahat? quæstio movenda. Arteria enim est pars spermatica, & non generatur extra uterum: Marc. Aurelius Severinus de Absc. anomal. c. 13. pro veris arteriis habere non vult, sed putat illas saltem aliquid simile esse, ut venulæ illæ in affectu, qui Arabibus zebel vel sebel vocatur, ubi textura rubra venularum in annata oculi tunica sive albo oculi videtur. Quod verò ad illum affectum attinet, cum Sennerto l. 1. P. 3. S. 2. c. 15. sentio venulas illas revera existere, visum verò effugere, nisi sanguine valde turgeant. Itaque, salvis aliorum judiciis, putarem, quod crescente ista hypersarcosi adjacentes arteriæ & venæ simul crescant, ut in pueris & nondum adultis fieri videmus, ubi arterias & venas cum aliis partibus augmentum acquirere nemo negare potest. Hoc quidem secundùm naturam fit, sed quid naturam per errorem idem facere prohibeat, non video. Vocatur verò iste tumor encanthis sive hypersarcosis, & oritur exulcerata parte è materia affluente nutritia & ad glutinationem superflua. *Georg. Chr. VVincleri.*

Labiorum tumor in puero, ab humore Bufonis conquassati in ea resiliente.

Puer cùm offensum Bufonem lapidibus insectaretur, nonnihil humoris conquassati Bufonis fortè prosiliit in Labium pueri, quæ statim singula tumescebant in crassitiem duorum circiter pollicum: Cùm verò principiis

piis obstare negligeret, neque uteretur medicinâ, quæ labia pristinæ tenuitati restitueret, ad hoc tempus usque Labia eandem monstrosam figuram servant. *Dom. Nath. Fairfax, in Actis Philosoph. Febr. 1666.*

Tuberculum Labii excisum.

Visitavi cum D. Casparo Kolichen Poliatro meritissimo, infantem XVI. menses natum, cui tuberculum rotundum superius labium occupavit. Occasionem huic cerasum dedisse creditur, quod matri prægnanti quidam per jocum alliserat. Jamque metus est ne excrescat. Dependet enim instar cerasi maturi. Sectionem perfecit Laurent. Nicolai Lithotomus ex voto. Filo cum acu transverberatum tuberculum novaculâ abscidit. Mox fibulis labium superius consuit, vulnusque curavit. Fibulæ vices apud illum supplet acus crinalis, quæ utrinque laminula plumbea rotunda perforata clauditur. Tuberculum dissectum glandulæ speciem præ se ferebat, sine ulla alia materia extranea. Ex glandulis illis quæ circum labia habitant, actus hic tumor fuit. *Th. Bartholini.*

Curatio Labii Decurtati temeraria.

Medicus quidam insignem suam Chirurgiæ scientiam gloriatus, civis cujusdam Ratisbonensis filiæ cœlibi, Labii superioris decurtati vitium nativum emendare certò promittens, ipsas manus adhibuerat, sectionem transversim per malæ musculos ducens, nihil aliud perfecit quàm quod Labii vitium carne nova denuo obduxerit, & simul novam, oblongam ac indecoram buccæ cicatricem temeraria sectione sua induxerit. *Helvvigii.*

Labii pseudo-cancer.

Singulas corporis nostri partes, invadere posse cancrum jam olim Galenus libro secundo ad Glauc. capite decimo & lib. introd. 26. docuit. Sæpenumero tamen contingit, ut nonnulli se cancros sustulisse glorientur; cùm ne simile quidem illis malum fuisset. Unde non famam tantùm laudemque inter plebeios affectant, sed & plus aliis sapere videre volunt ægrosque non raro decipiunt.

Muliercula quædam gravida, nec ætate provecta 22. April. 1682. meum imploravit auxilium, cujus labii inferioris parvum tumorem, minorisque fabæ magnitudinem nonnihil excedentem, cæruleique coloris, ac quibusdam cancrum habitum secabat Medicus Chirurgusque. *Corn. Solingius.*

In dissectione quæ crasso fiebat forcipe, è tumore præter viscosum, lentumque quendam humorem, nihil omnino profluere animadvertimus, qui, commordentibus labium dentibus, in læsam quandam glandulam (qualibus infimum labium, nec non aliæ oris abundant partes) juxta arteriolam quandam effusus, commodo exitu negato, stagnavit, unde glandula magis, magisque intumescens, quicquid hoc est vitii produxit. Tumore itaque sublato, Hungarico supprimebatur sanguinis affluvium vitriolo, nec non lapide hæmatitide, ac postridie in partem affectam Syrupus è ros. sicc. illinebatur, unde brevi percuratum vulnus. *Corn. Stalpartius in Observationibus rarioribus.*

Labii nodus.

Ictu, casu aut percussione, imò etiam ubi dentibus apprehendimus labium, nodus in eo producitur, quem ex doctrina Albucasis quæ habetur 2. part. Chirurg. part. 27. cultro primò exscendere, hinc alumine usto conspergere tenetur Chirurgus.

Nodum hunc quidam oleo vitrioli, alii cauterio actuali tollere tentarunt. Nobis arrisit modus declarandus, non nisi ubi cancri naturam induere incipit, locum inveniens. Inter varios, in quibus extirpatio ejus à nobis instituta, etiam nominari potest Reverendus Doctissimusque Vir, Dn. Jacobus Heyblock, amicus singularis, qui fabæ magnitudinis nodum jam ab aliquot annis, cum molestia summâ, venarumque tensione, in labio inferiore gestaverat.

Labium ipsum ope pollicis & indicis sinistræ manûs incurvabamus, hinc cultro acuto crucialem apertionem instituebamus usque ad nodum, ita tamen ne læderetur ipse; separatis hinc integumentis volsello, nodum sensim extraximus, eo educto cavitatem replevimus linteo combusto ad hæmorrhagiam, firmiter eapropter linteum hoc digitis compressimus, partim quo in totum sanguinis fluxio inhiberetur, partim quo quod in vulnere residuum, auferendum, tolleretur.

Styptico hoc ablato, ad mundificationem vulneris nil nisi Mel Rosarum cum Spir. vini, hinc ad consolidationem ipsam tutiam pulverisf. applicavimus.

Nodos præter dictos observare itidem licuit nobis Vesiculas pituitosas, in labiis existentes, quas cancris annumerarunt varii, quo in arte Chirurgica plurimum experti habeantur Chirurgi.

Nihil aliud vesiculæ hæ sunt, quàm lymphæ extra vasa lymphatica dicta, prolapsæ, eò quod compressionem labii ex mutuo dentium contactu, lacerata. Sæpius eas forfice aperuimus, applicatoque Melle Rosf. cum aq. vitæ curavimus.

Non raro observare nobis datum vesiculis his dissectis, exsiccatisque, duritiem aliquam relictam esse, quæ & dolorifica, & molesta. Hanc sequenti modo tollere soliti sumus, uti testatur, inter alia, exemplum viri Reverendi Dn. Christiani Harisocher, Theologi apud Alcmarienses in Ecclesia Remonstrantium, in quo præsenti Viro magno D. Egberto Veen, Medico nostri loci curatio hæc peracta. Acum falcatam filo fortiore instructam cruciatim per labium affectum trajecimus, sic ut fila inter partem sanam & induratam continerentur, hinc sinistrâ manu, filum utrumque, quatuor extremis gaudens, ita extendimus, ut, cultri acutioris ope, ictu uno alterove, duram partem ab eo quæ sana separaverit dextra. Vulneri imposuimus, ut supra, linteum combustum Spiritu Vitrioli madefactum, hinc Mel Rosar. cum aq. vitæ. *Job. à Meehren in Observationib.*

De globulo mobili inferioris labii.

Juvenis viginti tres annos habens, ostendebat mihi in labio inferiori tumorem rotundum, mobilem, parum dolentem, sed interea tamen satis molestum mole sua, quæ æqualis erat globulis illis, quos pueruli in lusibus suis adhibere solent; color à reliquo labio non differebat.

Patiens ante trimestre spatium, labium inferius suis dentibus momorderat, & ab illo tempore animadvertit hunc tumorem.

Jam temporis nemo fere est, qui nesciat, quàm multæ exiguæ glandulæ non tantùm per reliquas oris partes, sed etiam per labium inferius disseminentur, quarum una sine dubio à morsu læsa fuit ita, ut humores ex arteriola egressi, in glandula, occluso exitu, substiterint, & sic glandula hæc parva in tantum tumorem excrevit, quantum in hac Observatione mox exhibui.

Quamvis hic tumor in praxi sæpius occurrat, tamen

neminem novi, qui ipsius causam explicuit, & unum tantùm, qui ejusdem curâ exemplo proponit, nempe Jobum van Meeckeren Chirurgum Amstelodamensem, qui, nisi me mea fallat memoria, huic affectui nomen indit, quod Belgicè sonat *een steen tznoop.*

Sed quid miraris? num putas impossibile, glandulam tam exiguam ad talem magnitudinem posse pervenire? perpende, quæso, quantùm unius & ejusdem uteri magnitudo differat in virgine & parturiente; perlege disputationem, quam Clarissimus Dominus Johannes Munnicks, Professor Ultrajectinus, anno 1678. die 20. Novembri publicè ventilandam proposuit, in qua narrat, virginis alicujus tubam uterinam tam latè extensam fuisse, ut centum & duodecim aquæ libras contineret.

Sed quid hæres? oportet, ut afferam adhuc unum experimentum, quod ad rem propositam propiùs accedit; ego nempe, ubi à frigore supra modum læsus eram, non rarò glandulas circa collum, quas in statu sanitatis tactu reperire non possum, in tantam molem excrescere animadverti; ut ovum columbinum superarent.

Ut tandem ad curam properem, dico, quod medicamenta hic loci commodè applicari vel retineri nequeunt, ideoque sectione scalpelli simul & semel totum tumorem sustuli, vulnusque relictum solo melle rosarum sanavi. *Joh. Mays. in Praxi Chirurgica rationali.*

De affectu oris apud nostrates vulgo nuncupato de VVater-hantzer.

Puerulum biennem, qui jam per tres integros menses quartanâ laboraverat, non ita pridem invisi, ac inter ejusdem labium superius & gingivam inveni ulcus, quod ante quatriduum initium suum ceperat, satis altè sursum vergens, cavum, durum, dolens, nigricans & gravè-olens.

Hujus nempe ægrotuli sanguis à cibo potuque acido & acescente, nec non à quartana diuturna, multò, quàm par est, evasit acidior, atque ita non tam alibi substitit, quàm inter labium superius & gingivam, quia sanguis & humores ibi facilè coagulantur ab aëre frigido per inspirationem admisso, nec non à reliquiis cibi inter dentes hærentibus, atque morâ suâ acorem contrahentibus.

Sanguis autem & humores stagnando tandem valde corrosivi evaserunt & sic Fibrillas labii & gingivæ non tantùm vellicarunt valde, sed earum multas dirruperunt etiam, atque hoc pacto exortum est ulcus altum, cavum, durum, dolensque.

Ut autem nigroris mox adducti rationem eò feliciùs investigemus, priùs referre libet, quod non ita pridem frustulum lintei candidi per microscopium meum conspexerim, & quod singulæ Fibrillæ, ex quibus fila contorta erant, glaciei instar pellucidæ apparerent, sed unumquodque filum ex pellucidis istis Fibrillis conflatum album cernebatur, non aliter ac aqua apparet quidem pellucida, sed spuma alba, quæ constat ex multis aquæ superficiebus sibi invicem ita superpositis, ut multùm aëris interjaceat.

Cùm autem linteum hoc combusseram, non tantùm tota fila, sed singulæ eorundem Fibrillæ oculo meo microscopio armato colorem nigrum offerebant, quia nimirum pori in linteo à vi ignis valde distorti sunt, & particulæ multæ sub forma fumi ex linteo avolarunt, sic ut radii solares in poris illis suffocati ad oculum meum non reflecterentur.

Et quod ignis in linteo effecit, hoc particulæ acido-corrosivæ præstiterunt in ulcere, dum Fibrillas dirrumpebant, illarumque poros aliter figurabant, imo multas particulas ex ulcere sub forma vaporis avolare cogebant, ut manifestum erat ex fœtore.

Ut autem multis mirandi causam præripiam, quòd acidum ad nigritiem inducendam concurrere scribam; volo ut conspiciant, quàm bonum atramentum ex decocto gallarum conficiatur cum aceto, in quo limatura chalybis priùs infusa fuit; aut saltem malum citrium cultello dissecent, nam tunc mox cultellum egregiè nigrescere videbunt.

Sola igitur ulceris graveolentia adhuc enodanda superest; ac ut prædicta comparatio hic loci mihi iterum inserviat, unumquemque olfacere jubeo ingratum odorem, qui in combustione lintei nostras nares plerunque ferit, nam quod agit ignis respectu lintei, idem operatur humor acido-corrosivus ulceris respectu, dum salis volatilis (quod magnâ copiâ in statu sanitatis continetur in partibus corporis humani, aliorumque animalium, ut destillatio docet) multas particulas corrumpit, illarum figuras immutat, ac ita easdem, solutis vinculis, quibus priùs alligabantur, avolare facit, quo tempore cum aëre, quibus se miscent, in nares propulsæ fibrillas nervorum olfactui inservientium nimio tremore agitant, & sic animæ graveolentis odoris conceptus exhibetur.

Phœnomenis hujus morbi in praxi tam sæpe occurrentis, & à nemine, quod sciam, hactenus bene dilucidati perspicuè satis explicatis, mihi perinde erit, an cum Hildano gangræna, cum Carolo Batto cancer, an verò cum Cornelio van der Voorden dicatur ulcus noma, quandoquidem ego meras illas quæstiones de nomine parum admodum moror, qui nihil capto nisi res.

Hoc autem malum celerrimè proserpit & brevi ægrum jugulare potest, sicut ego ante duos menses expertus sum in puella quatuor annorum, quæ quinto post morbi invasionem die ad me deportata fuit, adeò deformis, ut homini vix similis videretur, nam dimidia nasi, & quarta linguæ pars jam absumta erat, ac mala sinistra lapidis instar dura, magnoque foramine perforata, unde intra quatriduum juxta meam prognosin obiit.

His igitur sedato animo ponderatis sequens unguentum acido-corrosivo resistens præscripsi:

℞. Theriac. ℥iiß. ung. ægyptiac. ℥iß. gum. laccæ Spir. salis armon. ana ℈ij spir. cochlear. parum M. F. ung. quo cum pauculo spiritûs vini mixto calidè quotidie lavabatur sexies pars affecta, eique imponebantur lintea carpta eodem medicamento imbuta, atque hoc solo remedio non tantùm hunc puerulum, sed etiam plures alios feliciter ac intra breve tempus sanavi. *Idem ibidem.*

De labio leporino.

Puella semestris jam à nativitate sua laborabat labio leporino, hoc est, fissurâ hiante labii superioris, formam puellæ aliàs haud adeò deformis miserè dehonestante.

Pater meus accersitus labium liberavit à partibus adjacentibus, ut extremitates melius ac faciliùs ad se invicem appropinquarent; deinde utramque labii fissi extremitatem sufficienter excoriavit, ac univit, unitamque servavit tribus acubus argenteis, circum quas fila decussatim ducebantur, ut acus in situ suo retinerentur; interim cuspides acuum abscissæ sunt instrumento idoneo, quia metus erat, ne illi aliàs stragulis, aliisve rebus infigerentur, & sic carnem, cutimque dilacerarent & exciderent, sicut id ipsum contigisse recordor.

Octa-

Octavo die acus extractæ fuerunt, ac utraque labii leporini extremitas prorsus coaluerat ac conspiciebatur unita, sanguine scilicet ac humoribus ab una extremitate in aliam circularem suum motum peragentibus. Foramina autem ab acubus producta nonnihil puris adhuc fundebant, procul dubio non alia de causa, quàm quod acus nimis diu labiis infixæ permansissent, quare pater, ubi postea similem affectum in aliis curavit, citius exemit, & quia acus argenteæ non minus quam chalibeæ tanguntur rubigine, in locum argentearum substituit acus confectas ex chalybe, quia hæ carnem cutimque faciliùs perforant.

Clarissimus Sylvius vult, ut labium leporinum absque acubus sanetur sola ope emplastorum; atque chirurgum quendam ægrotulos nonnullos hoc pacto sanasse memini.

In infantibus semestribus hæc operatio plerunque exercetur, nam juniores si sint, carnem adeò mollem habent, ut illa minima de causa laceretur ab acubus inhærentibus, ac in ætate magis matura labii fissi extremitates tam prompte non coalescunt.

Sed unde fit, ut infantes labio leporino deformati aliquando ex utero prodeant in lucem? plerique mirabilem hunc effectum adscribunt matris imaginationi; verùm hanc aliquid hîc efficere alii iterum negant ac pernegant. In ovo gallinaceo ante incubationem pullum jam-jam formatum per microscopium conspici posse perhibent; volunt que eodem modo in ovo humano, ex quo nos generari statuunt, corpusculum jamjam formatum contineri, sive illud sit integrum, sive labio leporino affectum; atqui res hoc pacto nondum satis dilucidatur, ratio addi deberet, cur in uno ovo humano corpusculum labio fisso laborans generetur potiùs quàm in alio, sed hæc penitius inquirere, ad praxin parum aut nihil conducit, ideoque hoc labore supersedebimus. *Idem ibidem.*

Mira Labiorum intumescentia Clariss. Joh. Henrici Hottingeri,

Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Filia honesta, parvæ staturæ, ac emaciata, XVI. annum agens. Anno 1701. Mense Februario, cœlo pluvioso ac nubiloso, plateam perambulavit, insciâ ipsâ; Labia, superius & inferius derepente ita intumuerunt; ut farcimina ferè æquarent, colore intensè rubente, imò ad livorem inclinante, nullam tamen tensionem, dolorem, aut aliud incommodum passa est; hinc animis Parentum ac Propinquorum tenacissimè infixa hæsit opinio, deformitatem hanc à fascinatione productam fuisse, cùm nulla satis apparentia naturalia adfuerint indicia. Sed diligentiùs & exactiùs examinata, ingenuè fassa est, duos vel tres Menses demum ab impetigine ac ulcusculis colli manantibus fuisse liberatam, Lunareque tributum nondum persolvisse. Facilis hinc fuit conjectura, tum ab istis suppressionibus, congregatione plurimarum particularum heterogenearum salitarum, acidarum in massa sanguinea stabulantium, quàm & ipsa Plethorâ originem suam traxisse. Succurri itaque Remediis materiam hanc evacuantibus, sanguineam massam edulcorantibus, imò & Emenagogis; Externè Sacculum discutientem ac resolventem applicui. Evanuit hinc tumor planè intra quatuor dierum spatium, eodem, absque dolore, vel tensione, modo, vel aliquo stigmate relicto; Sed non diu moras egit, recurrebat enim unius mensis revolutione, iisdem circumstantiis, ipsa non percipiente; Hostem hunc iisdem ferè aggressus sum armis, quem, sed cunctantiùs, vici: Institi sed incassum, pharmacis menses provocantibus, massam sanguineam salsam, torpidamve excitare laboravi: Tumor quidem erat sedatus, sed rivuli uterinum fundentes cruorem operti perseverarunt. Ulteriùs Medicamentis uti recusabat, cùm optima se nunc perfrui valetudine asserebat: Quanquam confirmata reconvalescentia, non nisi Mensibus sine dubio brevi tempore, fluxuris, sit speranda.

De Labiis per resectionem decurtatis, eorumque reparationis modô, vide sub titulô, Caro ablata quomodo restituenda.

LACHRYMATIO *Vid.* EPIPHORA.

LACTIS VITIA, & LACTATIO LÆSA.

De his consuli potest Bibliotheca Medico-Practica.

LAGOPHTALMOS.

De hôc morbô scribit Clariss. Hieronimus Fabric. ab Aquapend.

QUando oculus non contegitur à palpebris: Si vitio superioris palpebræ id accidit, λαγοφθαλμὸν Græci dicunt: Provenit autem hic morbus, vel quia nimiùm excisa cutis est in curatione Palpebræ laxatæ ac super oculum corrugatæ; vel, ut Paulus ait, ex imposito supra palpebras caustícô medicamentô; ex immodicâ scilicet ustione, vel aliâ de causâ. Si igitur plurimum palpebra deest, nulla id restituere curatio potest: Si verò parum, mederi licet. Ac propterea paulò infrà supercilium cutis incidenda est, lunatâ figurâ, cornibus ejus deorsùm spectantibus. Altitudo plagæ esse debet ad cartilaginem usque, id est ad substantiam palpebræ membraneam, quam Celsus, ut video, Cartilaginem nominat. Ego autem addo esse potiùs vitandum subjectum palpebræ musculum orbicularem, qui scilicet cuti proximè subjectus est, qui lædi non debet, alioqui palpebra concideret, neque ampliùs attolli posset. Attamen diducenda incisio est, & linamentum adjiciendum, ut apertum vulnus ita carne repleatur, ut palpebræ oculum operiat. Quæ Chirurgia, ut videtis, primùm obsoleta est, quia magna: Incidere enim ab unô àd alterum angulum, non est exiguum inferre vulnus; quod si magnum est, ex Celsô, periculum infert: Deinde alterum incommodum illius Chirurgiæ est, quod refert Celsus lib. 3. cap. de Pilis palpebrarum oculum irritantibus: Inquit igitur; si quidem sub hâc Chirurgiâ duo circumstant pericula; si nimium fuerit excisum, non contegi oculus possit; si parum, ne nihil actum sit. Ego propterea hujus chirurgiæ vice, mitiorem, immò mitissimam excogitavi, quæ glutino perficitur. Glutinum autem, de quô hic, secundùm Autorem nostrum, ex multiplici paratur materiâ, quæ omnis glutinosa est, tenax, & astringens, unius modi sunt pulveres ex thure resinosô, mastiche, bolô armenâ, sarcocollâ, quibus ad prohibendam madefactionem ex sanie, admiscetur colophonia, aut resina picea, aut aliud. Dum prius interim pulveres semper ovi albumine excipiuntur, ad mellis crassitudinem.) Applicetur igitur glutinum, quod duas, aut tres habenulas suspensas habeat, ad superiorem palpebram, & aliud ex adversô respondens, ad alteram; & alligentur habenulæ sibi invicem adversæ, & subinde valentiùs adstringantur, trahanturque; ita enim distendi, & inferior ad superiorem palpebram adduci, & oculum tegi tandem necesse erit. Quod si etiam aliud glutinum statim supra supercilium applicetur, cum suis habenulis, & aliud deorsùm illi respondens

agglutinetur, trahanturque, & alligentur invicem habenulæ, erit & hoc aliud præsidium, distentionem superioris palpebræ adjuvans, per supercilii & frontis cutem deorsum protensam. Quæ Chirurgia, uti mitissima, ita tutissima & felicissima est.

LAPIDILLUS.

Vid. sub titulô *Calculus*, ubi scilicet de *Lithotomiâ*.

LAQUEI CHIRURGICI.

Laquei apud antiquos varia obtinuere nomina; unde alius est nauticus, alius pastoralis, alius lupus &c. apud nos alius audit textorius &c. Usus eorum est, primùm, ut post sectionem herniarum, quæ per ablationem testiculi fit, peritonæi processus arctè constringatur: deinde cùm vena est secanda, sanguinis: ad fontem recursus iisdem inhibetur, quò possit vena intumescere: item ad intercipiendum sanguinem ex arteriis & venis, fluxurum, ubi sectio profundior est instituenda: Traducitur enim acûs magnæ, & nonnihil incurvæ beneficiô, crassum filum; quô fortiter adductô angustantur vasa majora, ne sanguinis effluxus turbet operantem chirurgum. Varia quoque per laqueos ligaturæ instituuntur. 1. cùm membrum sphacelatum amputandum est: Insuper 2. ad dolorem inserviunt extremis artubus excitandum, quò sanguis nimiùm fluens revellatur: Item 3. ad extendendum luxata, vel fracta ossa majori robore: Tandem 4. ad retinendas ferulas adhibentur. *Hæc Clariss. Joh. van Horne in Microtechne.*

LARYNGOTOMIA. *Vid.* BRONCOTOMIA.

LEPRA ARABUM. *Vid.* ELEPHANTIASIS.

LEPRA GRÆCORUM. *Vid.* IMPETIGO.

LEUCE. *Vid.* IMPETIGO.

LEUCOMA. *Vid.* CORNEÆ VITIA.

LICHEN. *Vid.* IMPETIGO.

LIENIS MORBI.

Generalis horumce morborum deductio, post partis istius explicationem, anatomicam, videri potest in Bibliothecâ nostrâ Medico-Practicâ. Hic tantùm super tumoribus variæ naturæ, aliisque ad Chirurgiam magis pertinentibus per Curationes aliquot, Consultationes, ac Observationes agemus.

CURATIONES.

Tumor Splenis.

Splenis tumor laxus & distendens, si à succo vitriolato, quem vulgus fæcem Melancholicam vocat, propriè melanagogis deturbatur. Talia sunt extractum Ellebori nigri. It. Extractum senæ aliaque composita Extracta cum Essentia Epithymi, polypod. Cuscutæ, capparum, scolopend.

Universaliter tamen has fæces exturbat Mercurius dulcis (qui ad miraculum usque operarationes perficit.) Item panchimagogon Quercetani, cujus justa dosis existente necessitate data multùm valet, præsertim si acuatur cum Mercurio vitæ ad gr. ij. Merc. dulcis gr. xvi. Merc. vitæ longa tritione miscendo, & posteà cum Extractô Ellebori nigri in pilulas formando.

In hoc casu Pilulæ istæ exhibendæ sunt post mediam noctem, repetita altera atque etiam tertia nocte, vel eadem, vel aliquantulum immutata dosi. Præstant simul in hac cura, quemadmodum in cæteris splenis affectibus, in vino maceratæ radices filicis, quæ ab innata proprietate hujus visceris affectus curat. It. in victu quotidiano admisceatur Galiopsidis seu lamii pulvis propter dispositam proprietatem, quam habet ad morbos lienis: Itali Milzatellam vocant; (auff. dem Haberacker.)

Externè, si opus fuerit, applicetur tale vel simile Cataplasma.

℞ Rad. Cucumeris asinini, bryoniæ an. ℥j. scillæ Num. j. rad. liliorum albor. bulb. j. sem. malvæ, althææ, fænugræci, an. p. j. lini p. ij. flor. altheæ, Malvæ, mercurialis, parietariæ, an. Mj. rad. betæ albæ Mß. Decoque omnia in aqua ferrariorum cùm sexta parte aceti, & F. Cataplasma, vel etiam fotus ad regionem splenis. Huc referantur Emplastra usualia.

Si distensio à flatibus, à purgantibus abstinendum quidem, sed infusum radicis filicis cum pauxillo sennæ sufficiat, præsertim, si semina carminativa simul adjecta fuerint.

Extrinsecùs valent inunctiones ex oleo rutæ, capparum, liliorum alborum cum pulvere seminis agni casti, ceterach, corticibus capparum, ad justam consistentiam mistis.

Quòd si dolor vehementior urget, cappares contusi & in forma Emplastri exteriùs applicati dolorem subitò tollunt.

Obstructio splenis.

In obstructione lienis statim corpus ab initio leniendum sequenti syrupo:

℞ Rad. ellebori nigri præparat. ʒiß, herbæ scolopendriæ M. i. Cuscutæ Mß. fol. sennæ Alex. s. s. ℥jß, galangæ ℈jß. zinziberis ℈j, sem. anisi ʒß, medull. Carvmni ʒii, Epithymi ʒß. Infundantur in decocti aperitiv. s. q. per noctem: manè coque ad ℥viii, exprimantur & colentur. In colatura infunde rhabarbari elect. ℥iii. Cinamomi ʒj.

Colaturæ adde syrupi de 5. radicibus & de absinthio an. M. pro tribus dosib. matutinis.

Inungatur latus sinistrum calide manè & vespri Unguentô sequente.

℞ Unguenti Agripp. ℥j. ol. de capparibus ℥ß, lauri ʒjß. M. Quod si fortè ad primam dosin syr. istius liquidioris non respondeat satis alvus, tum seq. addi potest ex pulvere, qui

℞ Spec. diaturbit. cum Rhabarbaro ℈j. Diagrydii gr. iij.

Quibus peractis, si vires permittant, & reliqua, incidatur vena interna brachii sinistri, & plenitudinis ratione emittatur sanguis, Hinc per biduum utatur seq.

℞ decocti aperitivi majoris ℥viii. oxymel. Elleborati ℥iij, syr. de betonica; de 5. radicibus ana ℥iß. aq. fæniculi, Cinamomi an. ʒiii. sp. vitrioli ℈ß, salis scolopendriæ ℈j, M. Pro 4. dosibus. Interim fiat Apozema.

℞ Rad. fæniculi, petroselini an. ℥ß, asari, sarsaparill. an. ʒiii. herb. agrimoniæ, Ceterach. Cuscutæ. Scolopendriæ an. Mß. sem anisi ʒß. fæniculi, Coriandri præp. an. ʒj. flor. borraginis, buglossæ, betonicæ ana p. ij. passularum ℥i. Decoque ad ℔ j. in s. q. aq. simplicis: Colaturæ adde syr. de 5. radicibus ℥ij. de Cichorio cum Rhabarbaro ℥ß. oximelitis elleborati ℥iv. f. apozema pro 5. dosibus. Singulis v. dosibus, horis duabus ante & post cœnam addatur Electuarium, quod

℞ Conservæ fumariæ, betonicæ, buglossæ ana ℥iß, Cort. aurant. Condit. ℥ß, Extracti scolopendriæ, Croci Martis nostri an ʒiii, ocul. Cancri præparat. Salis Corall. an. ℈j, C. C. usti, spec. arom. rosat. an. ℈jß. cum syr. de scolopend. q. s. F. Electuarium, de quo capiat ad magnitudinem castaneæ.

Potus sit Vinum, aut aqua hordei chalybeat.

℞ Vini aut aq. hord. ℔ vi. infunde in cineribus calidis Martem, aut Croci Mart. ℔j, Cinam. ℥iii.

stent

stent per 8. noctes in vase bene clauso; hinc colentur. De colatura capiat ad libitum, aut utatur vino vel potu, in quo concocta aut macerata sint sequentia, aut, quod melius est, sequentia sacculo inclusa cum vino novo aut cerevisia deferveant.

♃ Rad. polypodii ℥iiß, herbæ fumariæ, melissæ, rorisinarini, Cuscutæ an. Mij, Cort. radicis Capparum, Tamarisci an. ʒvi. fol. linguæ Cervinæ Mii. tart. albissimi ℥j. M. Prodest quoque Extractum splenis bovis eo modo præparatum, ut infrà de suppressione mensium describitur.

Quod si morbus in scirrhum abiit, iisdem medicamentis addi possunt pilulæ, quæ fiunt sequenti modo.

♃ Gum. ammoniaci ℥ii. dissolve in acet. & per pannum rarum trajiciantur. Adde aloes succo rosar. nutritæ ℥ß. salis absynthii ʒij, incorporentur omnia & F. Massa, conservanda in aluta madefacta oleo anisi, de qua per intervalla.

♃ ℈ii. ad ʒj, & F. Pilulæ. Prodest quoque sequens aqua assumpta.

♃ Rad. raphani sylvestris ℔iiii. polypodii quercin. ℔jß. sem. fœniculi ℥i, Cardamomi ʒii. radices incidantur & reliqua contundantur & infundantur in Vini vet. ℔ xv. stent in loco calido per tres noctes vase quotidie bene agitato. Deinde adde aq. nasturtii aquatici, bardanæ, fumariæ an. ℔ii, seri lactis destillati ℔jß, destillentur in lento igne per curcurbitam, dosis haustus unus vel per se, vel cum syr. aliquo. It. Fiat ex nasturtio, Bardana & Fumaria recentibus in mortario lapideo succus, qui depuratus ad usum servetur cum aliis miscendus aut ad syrupos coquendus.

Ad lienis regionem, ubi sentitur tumor, applicetur Emplastrum ex Ammoniaco in aceto scillitico soluto, prius tamen foveatur locus sequenti fomento.

♃ Herbæ scolopendriæ, meliloti an. Mjß, flor. Chamomillæ, anethi, genistæ an. Mj, sem. filicis ʒß. Decoq. in s. q. Vini albi, aq. & aceti ana, usque ad consumptionem mediæ partis, cum hoc decocto foveatur locus spongiis manè & vesperi.

Ad confortationem lienis maximè confert Electuarium sequens, aliàs Electuarium Solenandri dictum

♃ Passularum majorum ℔ß.

Coque in vino generoso ad pultis consistentiam, excerne per setaceum & admisce conservæ anthos.

♃ Corticum citri condit. pulveris Cinam. an. ʒj. spec. aromatici rosat. diamargariton. calidi, diacinamomi an. ℈ij. ligni aloës odorati ʒß. Croci oriental. vel essentiæ ejusdem ℈ß. M. Capiat ad libitum magnitudinis Castaneæ.

In pastu sæpiùs utatur capparibus & foliis genistæ muriâ condit.

Potest quoque offerri Diacapp. in tabulis.

♃ Diacapparum & croci Martis an. ʒi. sacchar. in aqua scolopendriæ soluti ℥iiii. F. s. a. Tabulæ de quibus sumat manè unam & 3. horas post pastum.

Non incommodum quoque erit exhibere sæpius tartarum vitriolatum, & crem. Tartar. spiritum ejusdem & tincturam, cui succenturiatur Vinum Martiale, pulvis cachecticus, sp. Vini tartarisatus, adjunctis simul externis, aliàs nihil efficientibus. In primis Emplastrum de cicuta de quo suprà tart. vitr. primas tenet modò præcesserint mitiora aperientia, præsertim in scirrho inveterato.

(Tincturam spleneticam vide infrà de calculo.) Fomentum pro Hypochondriis:

♃ Rad. althææ ℔ß. bryoniæ, Cucum. agrest. an. ℥iii, apii, petroselini an. ℥ii. Cort. & rad. Capparum, Tamarisc. an. ℥i, fol. hederæ, sambuci an. Mij. Ceterach. Mj. sem. agni casti, abrotani an. ℥ß. fl. genistæ, Chamomillæ, melilot. an. p. jß. F. Decoctum.

♃ Ol. capparum, amygdalarum amararum an. ℥jß. Tartari ʒi. Gum. bdellii, ammoniaci dissoluti in acet. scillitico an. ʒvi, Ceræ tantillum. F. linimentum.

Inveteratam plerumque dissolvunt deobstruentia hepatis, in primis quæ à Marte suppeditantur specifica: spir. vitrioli hic multum prodest: acidulæ ejusmodi obstructiones facilè tollunt.

Scirrhus Splenis.

In scirrho splenis dextrè curando, præsertim, si inveteratus fuerit, solers cura maximopere requiritur. Nihilominus, si quæ huic visceri scirrhum passo convenientia adducenda sunt; ante omnia ab initio acquirenda sunt mitiora inprimis aperientia. Tartarus vitriolatus inter omnia talia principes partes obtinet, cui succenturiatur quasi Vinum Martiale. It. pulvis Cachecticus; postremò omnium spir. vitrioli tartarisatus. Hæc autem omnia parùm aut nihil proficient; nisi deinceps externa quoque in subsidium eant.

Mirabile est Emplastrum de succo cicutæ & de succo Mandragoræ (succus Mandragoræ ebur dissolvit; hinc à Medicis recentioribus in usum introductus) si utrique cùm ammoniaco distemperati fuerint. Vide quæ suprà de scirrho hepatis dicta sunt.

Inflammatio Lienis, Abscessus, Ulcus.

Inflammatio lienis, abscessus, & ulcus eandem requirunt curam cum hepatis affectibus. *Joh. Hartmann. in Praxi Chymiatrica.*

De Tumore lienis.

Affectus sensibus patet. Indicationes sunt, obstructionum reseratio, tumoris emollitio & discussio.

Conveniunt hîc purgantia, viz. cum granis Angelic. sequentibus, de quibus sumat gr. xii. dimidia horæ quadrante ante levem cœnam, & manè sequente sumat potionem sequentem.

♃. Fol. senn. ʒiij. pulp. tamarind. ʒvi. flor. cordial. p. ij. sem. coriandr. ʒj. coq. in aq. font. q. s. In colat. infund. cass. recent. extract. ℥j. rhabarb. ʒj. macis ℈j. Post infusion. adde mann. ℥j. M. F. potio.

Repetatur purgatio septimo quoque die. Grana Angelica per se sumi possunt tertio quoque die, & sic componuntur.

♃. Sen. ℥ij rhabarb. ℥j. irrorentur succo limonior. affund. infusion. novæ rosar. pallid. ℥xii. sal. tart. ℥ß. stent in infusione per biduum, f. colatura & expressio fortis, in qua dissolvatur aloës è vesica ℥iv. f. exhalatio, addendo mastiches ℥ß. pulver. coriand. santal. citrini an. ʒij. coagula ad pilular. consistentiam.

♃. Gumm. ammon. aceto scillicit. solut. & inspissat. ℥ß. sagapen bdell. eodem modo prepar. an. ʒij. myrrh. ℈iv. croc. ʒj. pulv. stomach. ʒiiß. sal. absynth. arthemis. tartar. vitriol. an. ℈j. syr. beton. de alt. ana q. s. f. massa pilularis.

♃ hujus massę ʒß. anim. hepat. gr. v. f. pil. 3. deaurand. manę hor. 4. ante prandium. superhausto alę maciatę saccharatę momento, supperambulando. In lecti ingressu sumat ʒß. sinę anima hepatis. Continuetur per septimanam aut diutiùs.

♃ syr. Martial. ℥ß. aq. absynth. ℥j. aq. pomor. redolent. ℥ii. aq. cinam. gutt. iv. M. f. Julap. exhibend. manè hor. quartâ ante prandium. Postea augeatur syrupi quantitas ad ʒvi. Interim tertio quoque die sumat granor. angelic. gr. xii.

♃. syr. de cihor. simpl. de quinque rad. ana. ℥i. de alth.

alth. Fernel. ℥iii. viol. beton. ana. ℥iiiß. ſpir. vitrioli & ſalis in æquali portione mixt. q. ſ. ad gratam aciditatem Mſ. pro doſ. 14. bis in die ſumendis longè à paſtibus ex poſſeto alterato fol. tamariſc. ceterach. ling. cervin. viol. borrag. bugloſſ. & meliſſ.

Si opus ſit clyſtere propter alvum aſtrictam,

♃. fol. agrimon. m. ii. chamæm. totius m. j. ſummit. abſynth. p. ij. roſ. rubr. furfur. macr. hord. integr. ana. p. jß. Coq. in poſſeto & cola. de colatura.

♃ ℥xii. adde ſyr. viol. ſacch. rub. ana. ℥iß. vitell. ovor. numero 2. Mſ. f. Clyſter.

♃ Rad. alth. ʒiii. cichor. taraxac. rub. tinct. rec. ana. ℥ß. raſur. corn. cerv. ebor. ana. ʒiii. cicer. rub. cappar. à ſale mundat. uvar. Corinthiac. ana. cochl. j. Includ. ventre junioris galli, qui conſutus elixetur cum fruſto carnis vitulin. addendo ſub finem fol. endiv. borrag. bugloſſ. chærefol. calend. cum flor. ana. p. jß. poma redolentia ſecta cum cortic. numero 3. macis florem unum aut alterum, reduc. ad ℥xxx. pro tribus juſculis, in quorum ſingulis diſſolve crem. tartari ʒß. gum. Arab. gr. xxiv. Capiat tribus horis ante prandium.

♃ Rad. cynogloſſ. alth. lil. alb. bryon. cort. med. ulm. ana ʒii. fol. malv. parietar. cicut. chamæd. ceterach. ana. m. j. ſummit. rut. flor. chamæm. melilot. an. p. ii. flor. centaur. hyperic. an. p. iiß. ſem. malv. ℥ß. lin. ℥j. Incidantur & bulliant in cacabo cum ol. commun. axung. ſuill. ana. ℔j. medul. crurum bovis ℔ß. vin. Canarin. ℔jß. acet. ſcillit. ℔ß. ad liquorum conſumptionem, & ſpecierum putrilaginem. Exprime & ſeparetur pars purior à craſſo, quocum fricetur pars affecta manè & veſperi manu calida per horæ quadrantem ſuperpoſito linteo calido.

Fotus ſequens uſurpari poteſt ante uſum linimenti, viz.

♃ Rad. alth. cort. med. ulm. ſambuc. ana. ℥iv. heder. fraxin. rad. bryon. utriuſque enul. irid. noſtrat. ana. ℥iii. lign. rhod. cortic. aurant. citr. ana. ℥ii cynogloſſ. totius m. iii. fol. rut. chamæm. hyperic. centaur. min. cum toto, tamariſc. ana. m. j. ſcabioſ. malv. parietar. ana. m. jß. flor. geniſt. ſambuc. eupator. Meſues, ſummit. abrotan. utriuſque an. p. iij. ſem. agn. caſt. nigell. Roman. ana ℥i. bacc. laur. junip. ana. ʒx. Conciſa includantur ſacculis quatuor oblongis mediocriter latis, quibus decoctis in duabus partibus aq. fabror. & una vin. alb. addit. acet. vin. alb. accerrimi ℔ß. f. Fotus toti hypochondrio ſiniſtro per hor. unam.

Præterea conveniunt quoque Cataplaſmata emollientia & diſcutientia: Item Emplaſtrum de cicuta cum Ammoniaco.

Proſunt quoque cereviſiæ medicatæ in aliis viſcerum obſtructionibus deſcriptæ. *Theod. de Mayerne Prax. Med. lib.* 3.

De obſtructione Lienis.

♃. Gumm. ammon. ℈j. reſin. ſcammon. gr. viii. ſal. lapid. hæmat. gr. v. M. f. pilulæ num. v.

Vel ♃. Gumm. ammon. extracti hellebor. nigr. & fumariæ an. ʒß. reſin. ſcammon. ℈j. ſal. fraxini gr. xv. olei ſtill. myrrh. tartar. an. gut. v. M. f. maſſa pilularis. doſ. ʒß.

Seu ♃. Gumm. ammon. galban. an. ʒi. ſal. hæmatit. ℈i. olei ſtill. tartar. gut. viii. M. f. maſſa pilularis, doſ. ℈ß. veſperi.

Elixyria. ♃. tinctur. lapid. hæmatit. ſpir. gumm. ammon. tartari an ℈j. M. Doſ. gut. xv. in decocto fol. ſcolopendr. & polypod.

Conditum. ♃. Pulp. paſſul. ℥ij. extracti abſinth. & fumar. an. ʒij. ſal. lapid. hæmatit. ʒß. olei myrrh. tartar. an. ℈ß. M. f. conditum. Doſ. mane & veſperi à ʒj. ad ʒij.

In India. ♃. Extract. fol. ſenn. ℈j. reſin. turbith. gr. viij. ſal. cinnam. vitriol. gr. x. fœcular. Aronis ℈j. conſerv. flor. tamarindor. ʒij. M. f. bolus.

Vel ♃. Pulp. paſſular. ℥ij. conſerv. flor. tamarind. ℥j. ſyr. rhei & ſyr. chalybeati an. ℥ß. M. Doſ. à ʒij. ad ℥ß. mane & veſperi.

Vel ♃. Marmaladæ ſpleneticæ ℥ij. Doſ. ʒj. ad ʒij. bis in die.

Externa. ♃. Unguenti althææ ℥i. gumm. ammon. ℥ß. olei lign. guajaci, tartari an. ℈j. ſacchar. ſaturni ʒj. M. F. linimentum. In India præprimis uſu ſe commendat noſtrum unguentum ſpleniticum.

De Scirrho Lienis.

♃. Gumm. ammon. opopanac. bdellii. an. ʒj. reſin. Jalap. ʒß. reſin. guajaci ℈i. mercur. dulc. ʒj. ol. ſtill. tartari ℈j. myrrhæ ſtillat. ℈ß. M. f. maſſa pilularis. Doſ. ℈j. quæ ſemper alterno veſperi uſurpetur. Interim poſſunt potus aperientes, communis vice bibi, & herbæ ſpleneticæ vino aut cereviſiæ debito modo admiſceri.

Pulvis. ♃. Tart. vitriol. noſtri ʒß. ſal. eſſential. tartar. fraxini an. ℈ß. M. f. pulvis pro una doſi.

Vel ♃. Magiſter. tartari ℈j. ſal. lapid. hæmatit. gr. vi. M. pro una doſi.

Sive. ♃. ſpir. gumm. ammon. tartar. eſſentiæ martis an. ℈j. M. Doſ. à gut. x. ad xii.

♃. Elixyr. balſamici ʒj. ſpir. gumm. ammoniaci, tartari an. ʒß. eſſent. martis ℈j. M. Doſis anteriori ſimilis.

In India. ♃. Elixyr. proprietat. ʒj. ſp. lign. ebeni, gumm. ammon. an. ʒß. eſſent. martis ℈i. M. Doſ. ℈j.

Spir. ſalis ammoniaci acidus, propter contentum in ſe volatile ſulphur metallicum, ſi debito modo & tempore ordinario potui, vel communi aquæ loco acidularum, admiſcetur exoptatò operatur.

Externa. ♃. Emplaſtr. de mucilaginibus. ℥ij. de meliloto ℥j, olei tartar. fœtidi lign. gajaci an. ʒß. ſacch. ſaturni ℥ß. M. f. emplaſtrum.

In India. ♃. Gumm. ammon. galban. an. ℥j. olei galban. deſtill. lign. ebeni an. ʒj. de caparib. ℥ij. amalgam. mercur. ʒß. ceræ ex baccis cinnam. ℥ij. ceræ citrinæ q. ſ. M. f. artis lege emplaſtrum.

Inflammationes lienis eodem modo, quo hepatis, tractentur. *Hartmann. Nicolaus Grimm, Compendii Medico-Chymici lib.* 3.

Conſultationes.

Pro Egregio Viro ſcirrho lienis laborante.

Quod tumor in hypochondrio ſiniſtro egregii viri ſit de ſerie ſcirrorum, ſuadet inſignis ad tactum durities percepta, quod verò talis exiſtat exquiſitè, ex abſentia doloris liquet, & quamquam moleſtiam aliquam cum ſenſu gravitatis ad partem illam percipiat æger, hoc tamen in ſenſum partium loco laboranti adjacentium, referendum exiſtimo, tumor enim penſilis factus, egregio viro ſtante, atque etiam inſidente, diſtrahit, ac deorſum partes trahit circumſitas, ut ſenſus ille gravitatis neceſſariò fiat.

Cæterùm tumorem hunc lienem occupare, præter illius poſitum; habilitas ipſius lienis ad hujusmodi tumoris generationem ſuadet, lien etenim, qui & ſanguine craſſo, ac fœculento nutritur, quique pluribus vaſis eſt refertus, facilè hoc morbi genus, ut unicuique patet, incurrere poteſt, & quamvis muſculi abdominis ea in parte ſint ſuperpoſiti, eos tamen minimè affectos eſſe exiſtimo, quando tumor non partibus extimis: ſed paulo profundioribus obſervetur.

Hujus tumoris principia, & modus generationis ad curationem primùm inveſtiganda. Quare duo propone principia,

cipia, ſuccum videlicet melancholicum, necnon pituitoſum craſſum, & lentum, illum à jecore, hunc autem à ventriculo ad lienem tranſmiſſum, tanquam ad locum non tantùm ex propria natura imbecilliorem, ut tactum fuit, verùm etiam ex accidenti ob intemperiem frigidam excitatam. Porrò ſuccus ille melancholicus propriam habuit originem à jecoris intemperie calida, necnon ab alimentis paulo craſſioribus, quibus patiens uſus fuit, qui cum interea ſit habitûs, ac temperamenti melancholici (cùm tamen prius à primordio ortus fuerit naturæ bilioſæ) ſine dubio & jecur ſucci melancholici ferax habet, quare & illud ipſum fervidius exiſtere opportebit, nam ſuccus hujuſmodi ex omnium ſententia à nimio calore jecoris generatur.

Cùm itaque hoc verum ſit, & ventriculum juſto frigidiorem, atque ad gignendum ſuccum pituitoſum in egregio viro maximè aptum eſſe, neceſſario quoque fateri oportet: nam præter id, quod jecur fervidius ſubſtantiam calidi innati ipſius ventriculi depopulari ab omnibus proponitur, ſæpè etiam accidit, ut cruditates in ventriculo genitæ, ibique retentæ intemperiem cognatam inducant & ob id ipſum frigidiorem reddant: cruditates autem hujuſmodi gignuntur triplici de cauſa. Prima quia fervore à jecore ori ſuperiori ventriculi impertito patiens ſitibundus evadit, unde plurimum potum aſſumens inſignem occaſionem humores crudos in ventriculo gignendi ſibimet impertitur; accedit quòd jecur fervidius juſto, difflando fumos in ventriculum emittit tempore concoctionis, ut coctionem ipſam labefactari ſit neceſſe, à coctione autem vitiata occaſio cruditates coacervandi exoritur, quod accidit & ob humoris melancholici præſentiam, quia ſuâ naturâ frigidus, & ſiccus, coctioni, quæ fit in calido ac humido reluctatur; Ut his omnibus rationibus facilè ſit intelligere ventriculum in egregio patiente ſine dubio frigidum eſſe, quod pariter ex potu aquæ pregreſſo colligi poteſt.

Verùm quoniam (quod attinet ad ſcirrum) ex Galeno quinto Simpl. triplex eſt ſcirrorum modus generationis, per repletionem primus factam à copia materiæ; per ſiccationem ſecundus à cauſa valenter ſiccante ortam ac per concretionem poſtremus ob frigiditatem inductam, cùm in propoſito caſu præceſſerit intemperies frigida lienis, jure optimo ſcirrum hunc per concretionem ortum fuiſſe ſancire oportet, quamquam etiam & repletionem quoquo pacto locum habuiſſe non dubitem, à qua repletione obſtructiones fuere ſubortæ, à quibus propagata materia per parenchyma lienis tumor fuit aliqua ratione ſuſcitatus; Cauſa verò illius frigidæ intemperiei potus extitit frigidæ, tametſi eadem lienis intemperies, ſed intra latitudinem ſanitatis veluti à primo ſemine ſubſtiterit, ut referunt. Utrum autem gelidæ potus poſſit lienem potiſſimum immutare, colligo ex mente Divini Hippocratis qui lienem in humano corpore locum aquæ conſtituit, & ſanè ſumma cum ratione: quia lien præter id, quod eſt receptaculum humoris melancholici, cujus Comes perpetuus eſt ichor, ut Divinus idem Hippocrates ſanguinem melancholicum aquam dixerit, laxus adhuc, rarus ac pluribus vaſis refertus, vel facilè tenui liquore; facileque penetranti, ut eſt aqua, imbui poteſt, ut non ſit mirum ſi potus ille morboſam illam intemperiem in lienem introduxerit. Atque hiſce omnibus cauſis varia ac penè innumera errata in omnibus ferè rebus non naturalibus, at præcipuè in alimentis improbis aſſumptis, in intempeſtivo, ac nimio motu corporeo, uſque craſſioris aëris perpetrata adjicere teneor.

Quare ſi egregio patienti (ut pietas Chriſtiana ſuadet) eſt ſuccurrendum, oportet lienem & ventriculum calefacere, jecur refrigerare, priùs tamen obſtructiones per attenuantia, ac detergentia, incidentiaque emendare, materiam impactam, præmiſſa emollitione diſcutere, ſed ante hæc iterum, atque iterum toti proſpicere eſt neceſſarium.

Verùm quoniam ſcirrus exquiſitus, ut eſt ille, de quo interim agitur, materiis Medicis non cedit, quoniam pars laborans facultate regente, quæ eſt morborum medicatrix deſtituitur, ſcopos propoſitos attingere haud licebit, & eo magis quoniam plura viſcera ſunt malè affecta, ac tolerantia, quæ omnium ſignorum ſalubrium ſigillum exiſtit, quàm maximè deſideratur, quando vires totius corporis in dies magis ac magis languere videantur, quod & ætas egregii patientis inclinans permittit; Sed quoniam ipſe prudens, ac obſequens eſt, & morbus de genere eorum tractatur, qui etiam ſi non ſanentur, ægros tamen (ſi bene hi à Medicis tractentur) non interimunt, ſpero ſaltem futurum, ut à majori calamitate, hydropica nempe paſſione mox imminente præſervetur; quamprimum idcirco materiis præſidiorum eſt ipſi ſuccurrendum.

Si de chirurgicis igitur ſit cogitandum, nunc poſtquam affectus eſt ferè confirmatus, miſſionem ſanguinis ex partibus infernis, interim verò ex talo ſiniſtro per ſectam venam; Autumno futuro ex venis podicis per hyrudines applicitas probo; fonticulum etiam laudo in parte domeſtica femoris ſiniſtri geſtatum, immiſsâ pilâ cereâ helleboro nigro, & Agarico refertâ; ſicuti & plures inuſtiones ad lienis regionem factas, veſicatoriaque adhibita non improbo, & eò magis ubi ulcera excitata diutius quàm fieri poterit aſſerventur.

Pharmaca reſpiciunt materiam tum in totô tum in parte determinata, necnon & viſcerum diſcraſias; Quapropter ſi de prioribus ſit ſermo, lenita alvo cum ſyrupo de polypodio Magiſtri Auguſtini vocato, & melle roſato ſolvente, quod ex ſuccis dicitur; præparatiſque humoribus decocto in jure columbi turrialis parato, betonicæ, lupulorum, fumariæ, Ceterac, Agrimonii, cicorii, & paſſularum, adjecto ſyrupo de cicorea compoſito, & biſantino cum aceto, vel oxymelle compoſito, deturbandi ultimo loco ſunt iidem humores infuſo Agarici, hellebori nigri cum ſyrupo de polypodio; poſt hæc denuo præparandi ſunt humores oxymelle facto cum decocto tamariſci, praſſii, cuſcutæ, corticum capparorum, hyſſopi, calamintæ, cicorii, borraginis, radicum aperientium, liquiritiæ, vel Altheæ, ac pro purgante uſurpanda ſunt Catapocia ex helleboro, quinimmo & invervallis quibuſdam uſus alicujus purgantis placidioris mirificè proderit, quare ſyrupus de polypodio propoſitus, vinum cum ſena, & Cartamo, vel cum myrobalanis Indis, & chebulis medicatum, item & pulvis hellebori nigri præparati cum ſucco roſarum ter irroratus, ac in umbra exicatus ad grana decem ex ovo ſorbili exhibitus arridet.

Sed huc referenda quoque ſunt, quæ inſenſibiliter evacuant, atque obſtructiones reſerant, jus ideo galli antiqui cum ſimplicibus jam dictis, chinâ, & ſaſſafras alteratum, pilula ex Ammoniaco ante ſyrupum matutinum aſſumpta maximè convenit, præcipuè verò ſi Ammoniacus in aceto ſcillino diſſolvatur; vinum etiam chalibeatum, itemque trochiſci de Agno Caſto, Rhaſis, ac oxymel tum ſcillinum, tum ex decocto aſari cum aceto ſcillino paratum uſui eſſe poterunt; De vino autem ſtatuo, ut prius bulliat in duplici vaſe cum aqua ſcolopendrii, adjectis ſimplicibus ſpleneticis, caryophilis, ac cypero, in quo vino poſtmodum, de more, chalybem immacerare oportebit, & aliquando in vino ita præparato helleborum, polypodium, & Cartamum pariter immacerare expediet.

Exteriùs ſtillicidia ex aqua lanarum, vel ex oleo ſem. lini, & rutaceo, vel ex decocto ſimplicium jam dictorum laudantur, potiſſimum verò quod ex oleo communi

ni cum modico aquæ Ardentis, plantis ſpleneticis, radice cyclaminis, peucedani, hellebori utriuſque, liquiritiæ, malvarumque & colocyntide, facta ebullitione in duplici vaſe, paratur: A ſtillicidio adhibendum eſt, vel Cataplaſma Oribaſii ex fermento acri in aceto diſſoluto, ac ad ſpiſſitudinem coćto, adjectoque pulvere thymi, pulegii, ſerpilli, & abſynthii, vel unguentum de Artanita Meſ. fotus quoque ex ſpongia madefacta in aceto decoctionis radicum filicis; & extenſionis lapidis pyritis igniti huc eſt referendus, à quo vel oleum ex radicibus cucumeris agreſtis, aut cyclaminis factum, vel unguentum, quod ex partibus æqualibus butyri rec. olei nardini, & ſucci radicis cyclaminis, ſiſimbriique aquatici conficitur, eſt uſurpandum; poſtremò & ceratum ex Oeſipo cum aliqua portione cerati Diapirites, vel Diachilon magnum cum gummis, adjecto Ammoniaco, ſuccoque tabacci, maximè efficax habetur.

Pro lienis autem alteratione conveniunt omnia calefacientia commemorata, ſolùm etenim ad illius proportionem ſervandam addendus eſt pulvis lienis Aſini, vel Equuli.

Gratiâ verò ventriculi grana maſtiches devorata, aromaticum roſatum, & cariophylatum aſſumptum, ac ceratum ex maſtiche cum laudano, & Benzoino videntur accommodata.

Pro jecore demum nil præſtantius excogitari poteſt ſucco cichorii tum aſſumpto, tum adhibito.

Victûs ratio jam per ſe viro Excellentiſſimo curanti cognita eſt; id autem ſemper conſtitutum habeat, ut cibaria in aqua chalibeata coquantur, & vinum medicatum cum ſimplicibus ſpleneticis, vel chalibeatum, aut etiam auratum offeratur; item ut alvus in proprio ſit officio, devorato pane in prima menſa ex tota farina cum pulvere tartari albi, fœniculi, ac paſſulis parato. Atque utinam hæc omnia in ſalutem egregii viri ſuccedant. *Julius Cæſar Claudinus in Conſultation. Medicinalib.*

Tumor inſignis Lienis in Virgine.

Conſultatio I.

Lienoſa eſt nob. Virgo, cui ſeptem abhinc annis, poſt febres, lien manifeſtè intumeſcere cœpit, & modò in tantam molem excrevit, ut totius abdominis partem, non ſolùm epigaſtricam ſed & hypogaſtricam quoque obſederit; ſupereminet enim tum meſenterium, tum inteſtina, uterum & ventriculi partem, ac ferè totum jecur; quod inſigne incrementum ſuſcepiſſe credendum, ob menſtruorum perfectam ſuppreſſionem, vigeſimum licèt ætatis annum attigerit; ſuſpicandum enim naturam ſanguinem impuriorem à jecore, per ramum cœliacum, ad lienem ipſum effundere cœpiſſe, & temporis proceſſu vas illud laxius redditum, & valde pervium, ſanguinem craſſum, fœculentum atque melancholicum facile admiſiſſe, ac in lienem ipſum transfudiſſe; nec hunc rurſus ad hepar, per ramum ſplenicum remeaſſe, propter ejuſdem obſtructionem; ideo lienis venæ repletæ, nec ampliùs novæ materiæ capaces, humorem eundem melancholicum, ſed naturalem, in ejuſdem corpus & parenchyma eructarunt; unde tumor in hanc magnitudinem ſuccrevit; qui tamen nondum ſcirrhus exquiſitus, ſed ſcirrhoſus dicendus, cùm tactui quodammodò cedat, & potiſſimùm doloris non ſit expers; præterquamquod, ſi ſcirrhus exquiſitus foret propriam frigiditatem partibus circumſtantibus, potiſſimùm jecori impertiret, ſicque Pat. in cachexiam aut hydropem incidiſſet; & quidem multò promptius & facilius, ſi jecur unà cum liene tumorem eundem pateretur, ut à Conſanguineis hujus Patientis fuit dubitatum.

Affectus equidem graviſſimus, tum ob magnitudinem tumoris, tum quia jam inveteratus, & cauſam foventem difficulter removendam habet; unde imminentis hydropis periculum inſtat. Aliqua itaque hoc anni tempore hyemali ſunt agenda, ut ſaltem pernicioſum hoc malum remoremur; utque accuratam curationem in vernum tempus differamus.

A nobis itaque præſtanda, cauſam potiùs antecedentem, quàm conjunctam ſpectabunt, ne ſcilicet tumor adaugeatur, neve jecur, hucuſque forſan obſtructum, intumeſcat atque induretur.

Ordine itaque executivo, ſumat primò pot. magiſt. ex manna clarif. inde, quinque dies, matutinis horis, hunc. ſyr.

♃. oxymel. ſimpl. ℥ii. ſ. aq. cinnam ℥i. pollinis crem. tart. ʒiii. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Deinde ſumat hujuſmodi potionem.

♃. Pot. ex manna clarif. ℥iv. ſyr. de polyp. ℥iii. aq. flor. cit. par. m. f. p.

Qua peracta primarum viarum expiatione, ad aliquod medicamentum aperiens, deobſtruens & ſimul evacuans ſtatim deveniendum, ſyrup. ſcil. Fernel. à nobis præſcriptum, ad ℥ii. alternis diebus, in vino albo non dulci diſſolvendum & exhibendum. Diebus verò intermediis bibat hoc preparans.

♃. Decoct. paratę in aqua fabrorum, radic. cich. petroſelini, capparum, fol. agrim. cuſcutę, aſplenii, ſcolopendrii & tamariſci ℥vi. in qua diſſolve gr. x. tart. vitriol. & Pat. ſummo mane prębeatur, ita alternatim ad dies triginta vel quadraginta; quibus tranſactis ſumat ℥vi. decoct. epith. Meſ.

His peractis, ſi poſſibile fuerit uteri vię aperiendę forent, aliquot dies, horis veſpertinis, prębendo pil. ex optimo aloë non lota, ad gr. x. ſequenti verò mane, epoto cyatho aq. ſtill. capil. Ven. artemiſię & matricarię, in qua diſſoluta ſint grana ſalis ejuſdem artemiſię, aut gutt. ol. ſabinę.

Interim ceratum totum lienem occupans erit applicandum, hac formula.

♃. diachyl. magni ireati ℥iii. oxelęi ℥ii. oeſypi ℥i. m. & ref. ad ignem; addendo ſalis ammoniaci ℈i. ſucci herbę reginę ℥i. ref. ceratum.

Toto autem hyemali tempore, in uſum ducat pulverem archangelicę, ſive Urticę maculoſę Plinii, quę habetur pro Lamio Dioſcoridis, ad ʒſ. in vino albo tamariſcato aſſumendum; quòd ſi vinum, jejuno ventriculo, non conferat, diſſolvatur in jure tenui tamariſcato, aut in aqua ſtill. ſcolopendrii ſive aſplenii.

In victûs ratione ſe bene gerat, & Medici aſſiſtentis pręceptis obtemperet; neque enim exiguos errores ferre poteſt ſtatus ipſius Patientis. Comedat itaque frequenter cappares, petroſelinum, fœniculum, juſcula ſint petroſelino alterata. Vinum paucum, modicè generoſum, & tamariſcatum bibat. Abſtineat omnino à carne ſuilla, bubula, à piſcibus, à lactariis omnibus, à laganis, à leguminibus, à fructibus, exceptis piſtaciis; parum cibat & multùm laboret, vitam mulieribus familiarem fugiat. Atque bis ſaltem menſe hujuſmodi medicamento utatur.

♃. pil. de tribus cum rhab. de hiera cum agarico an ʒſ. magiſt. mechoac. gr. x. m. ref. pil. & aur. Quę nunc agenda proponimus, ne in deterius ruat Nobiliſſima Virgo, pręſtantiora & efficaciora, opportuniori tempore proximo videlicet Vere pręſcripturi. *Raym. Joh. Fortis Conſult. & Reſp. Medic. t. 1. Cent. 3.*

Pro eâdem.

Conſultatio Secunda.

Cum Nobiliſſ. Virgo, ſeptem abhinc annis lienoſa,

ex præscriptis à nobis medicamentis præservativis, potiùs quàm curativis, anni quoque tempore frigido & incommodo administratis, levamen præter spem consecuta fuerit, juremerito sperare juvat iisdem & aliis curativis efficacioribus, hoc Verno tempore purgationibus idoneo; fore ut salubres progressus succedant, & in meliorem statum Nobiliss. Virgo redigi possit.

In quem finem primò primarum viarum expiatio erit procuranda. Secundò jecur omnino reserandum. Tertiò venosum genus depurandum. Quartò lien aperientibus, attenuantibus, incidentibus, emollientibus & evacuantibus exhauriendum. Quintò uteri venas aperire tentandum. Et tamen viscera roboranda. Quæ omnia accommodato ordine erunt administranda, hac ratione.

Prima intentio medicamentis jam alia consultatione præscriptis perficietur. Secunda usu succorum depur. hoc pacto.

℞. Succ. depur. cich. agrim. an. ℥jß. decoct. cichor. borrag. malv. agrim. cuscuth. petroselini ℥v. m. pro syr. & sic pro aliis, quinque diebus exhibendis; diebus verò intermediis assumat bolos hujusmodi.

℞. extract. rhab. ℈i. tart. vitriol. ℈ſ. flor. caſſ. q. s. m. f. bol. ij. quibus horâ post superbibat semicyathum aquæ agrim. In horum autem usu ita alternatim pergendum ad quindecim dies. Verùm die tertia, aperiatur vena magis conspicua sinistri brachii, & sanguis ad uncias sex educatur. Accuratè considerandum; quo tempore cauterium sinistræ coxæ inuri poterit, nisi antehac inustum fuerit.

Quindecim verò exactis diebus, tertiæ intentioni satisfaciendum, sanguinem tum in portæ ramis, tum in cava purificando, syr. Fernel. usu ad ℥ii. in vino albo, duodecim continuis diebus assumendo; quibus exactis, decoctio epythimi Mes. erit præscribenda. Inde ad quartam intentionem explendam erit progrediendum, hoc decocto,

℞. Salsæ parillæ electæ, ligni tamarisci an. ℥i. medii cort. fraxini, salicis an. ℥ſ. aq. fabror. fumar. an. ℔. i. s. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad consumpt. dimidii in fine ebull. adde folior. asplenii, scolopendrii an. pug. i. bull. par. & colat. servetur pro duabus vicibus, matutino tempore assumenda; cui immisceantur gutt. xii. spir. tart. ter rectif. cui decoctioni præmittantur bol. ita parandi.

℞. Terebinthinæ Cypr. lotæ in aqua malvarum ʒſ. trochisc. de cappar. ℈i. salis ammon. gr. v. m. refor. bol. ante decoctionem exhibendi; in quorum usu triginta vel quadraginta dies persistendum; sed decimo quoque die præbeantur boli.

℞. extracti veratri nig. ℈i. extracti sennæ ʒi. flor. caſſ. ℥ſ. m. f. bol. quibus horâ post superbibat seri destill. vel aquæ hord. ℔. i. ß. & tribus horis ab iis prandeat.

Postrema superest medica intentio implenda, quæ licet difficillima, negligenda tamen non est. Præbeatur itaque summo mane cyathus aquæ still. Arthemisiæ & capill. Ven. cui immisceantur gutt. iii. ol. Sabinæ, vel ejusdem sabinæ aquæ still. ℥i. præmisso bol. ita parato.

℞. trochisc. de myrrha ℈i. borracis mineralis ℈ſ. succi matricariæ q. s. ref. bol. In his autem pergendum supra 20. dies; in quorum medio tundi poterit saphena pedis, parcè sanguinem educto, ad motum illi conciliandum.

Dum hæc omnia administrantur, externa medicamenta, emollientia præsertim, sunt continuò applicanda; ut ceratum præterita consultatione præscriptum, & stillicidium tumenti lieni adhibitum, ex lotura pingui & oleosa lanarum, modico aceto addito parandum. Verùm ut Nob. Pat. ad Luta D. Bartholomæi se conferat omnino consulimus quindecim aut viginti dies, manè & vesperi admovenda; reliquo autem tempore ceratum jam dictum lieni appositum gestet. Chalybis verò usus erit in Autumnum differendum.

Victûs rationem, paucis superiori consultatione à nobis præscriptam, servet in omnibus, ut & cætera omnia prodesse & salutaria evadere possint. *Idem ibidem.*

Pro eâdem.

Consultatio tertia.

Repetitis curationibus Nobiliss. Virginem lienosam integræ sanitati non fuisse restitutam, nil mirum; quin potiùs admirari subit quod in pejus, verbo, in Hydropem prolapsa non fuerit, ob insignem adeò & amplum tumorem, qui tamen remediorum ope, dimidia saltem parte obliteratus; reliqua verò mollior valdè observatur, & quidem non tactu solùm sed & visu. Sicut enim dum splen florescit, corpus contabescit; ita cùm Virginis corpus quodammodo floreat, Lienem contabescere conjiciendum est. Jure igitur, tertia vice, idoneo hoc Verno tempore, opem nostram medicam exposcit, ut in meliorem statum redigatur, & propiùs ad sanitatem accedat, sicque hydropem arceat, quam medicamentis non proficientibus minatur. Hipp. oraculum.

In hunc itaque finem Medicæ nostræ intentiones erunt primas vias expedire. Secundò emolliendo aperire. Tertiò humores emollitos evacuare. Quartò tumorem quoque laxare, & insensibiliter cautè resolvere. Quintò totum impuritate emundare. Tandem uteri vias aperire, & menstrua provocare.

Pro prima itaque intentione, Leniens primò ex Manna clarif. & syr. de polyp. conveniens erit. Præparans inde sit oxymel, cum polline crem. tart. aq. cinnam. irrorato; quinque verò exactis diebus, assumat syr. ros. sol. & de polyp. cum elect. lenit. Inde ad ulteriorem humorum præparationem deveniendum, syr. hujusmodi.

℞. Succi depur. chich. borrag. agrim. an. ℥i. decoct. malv. lupul. fumariæ, scolopendrii ℥iv. m. pro syr. & sic pro aliis; cui præmittantur ℥ii. oxymel. ex florib. Genistæ parati. Secunda verò die aperiatur vena interna sinistri brachii, educto sanguine ad ℥vi. & septem post diebus præbeatur infus. agar. sennæ, rhab. in aq. borrag. additis syr. ros. sol. & Diaphæn. ʒii. cui succedat aquæ aut juris hordei potus ad ℔i. siccitas enim in purgationibus prævertenda.

Et quoniam ab expertis medicamentis, aliàs utilibus, non est recedendum; melius enim est, dicebat Avic. medicamentum expertum non experto. Ideo rursus in usum revocetur syr. Fernel. juxta nostram descriptionem paratus, & more Ferneliano, in vino albo, tertio quoque die oblatus. Intermediis verò diebus, sumatur jus Columbi, malvâ, foliis chamæd. scolopend. rad. cappar. alteratum, additâ aceti squill. ℥i. in quibus alternatim persistat, ad 15. dies; quibus exactis assumat decoct. epith. Mes. ℥vi. cui pariter aquam, vel jus ex hordeo Pat. supperbibat.

His peractis, tumoris emollitio omni conatu; internis & externis molienda. Quare jus Galli anniculi ita præscribendum.

℞. Salsæ elect. lign. Tamar. rad. Helen. an. ℥i. radic. gent. cappar. an. ℥ſ. aq. still. agrim. fumar. an. ℔. i. s. malvæ ℔i. m. f. inf. per horas 24. deinde adde quartam partem Gall. & bulliant ad comsumpt. dimidii; colatura verò servetur pro tribus diebus, matutino tempore assumenda; cui præmittatur bolus ex Terebinth. Cypria,

Cypria, ſucco raph. lota; cui addatur croci Martis aperitivi cum acido ſulph. parati, granum; quorum uſui integro menſe inſiſtat; decimo tamen quoque die aſſumat hujuſmodi pilul.

♃. pilul. de trib. cum rhab. extr. ſennæ an. ʒſ. extr. Helleb. nig. ℈i. m. refor. pilul. quatuor horis ante cibum aſſumendæ, à quibus pariter ebibat calycem aq. hordeac. aut cich.

Externa quoque ſunt adminiſtranda; quoniam verò Luta D. Bartholomæi non parum profuere, ideo repetenda, appoſito ſtatim ab iis cerato, prima conſultatione deſcripto.

Interim menſtruorum provocatio internis & externis tentanda. In quem finem aſſumendus quotidie matutino tempore, jejuno ventriculo, cyathus aq. ſtill. capill. Ven. & lil. alb. additâ aq. Sabinæ ℥. i. Extrinſecùs verò inſeſſus in aq. ſulph. D. Helenæ, ſine tubulo, tempore quo luta adminiſtrabuntur, poterunt adhiberi, illita poſtea uteri regione ol. lil. alb. cum aromat.

His accedat congrua victûs ratio jam propoſita; circa quam repetere liceat quod exercitia, & conſueti tantùm corporis motus non ſufficiunt, laborare enim oportet. *Idem ibidem.*

De tumore Scirrhoſo Lienis.

Conſultatio. I.

Comes Illuſtriſſimus ad me pervenit, de Lienis tumore conquerens, quem duobus abhinc annis, non ſine animi perturbatione aut applicatione geſtat; eundem non exiguæ molis, & perdurum manibus deprehendi, qui paulatim ſuccrevit, libera fovente vivendi ratione; non enim inflammationi, febribus, aliiſve hujuſmodi ſucceſſit affectibus, quamvis ſcirrhoſus tumor certò ſit, à craſſo ſanguine, facilè exuſtis cruditatibus commiſto, productus: præcalida enim eſt ejuſdem jecoris intemperies, & liberam, atque incautam ſemper vitam duxit.

Purgationes conſuetas, & ne quidem minorativas, nedum eradicativas inivit: modò meo conſilio Purgationem hoc verno tempore, tanto malo neceſſariam aggredi decrevit, ne Scirrhus tumor perfectus evadat, ſicque tracto in conſenſum jecore, Cachexia, & tandem Hydrops accedat.

Medici itaque ſcopi erunt, primas vias & totum expurgare; deinde partem affectam emollientibus nonnihil calefacientibus & evacuantibus tractare.

Et à fonte Chirurgico iterata eſt deſumenda ſanguinis miſſio, ex Jecoraria dextra primùm, deinde ex Salvatella ſiniſtra.

Ex fonte Pharmaceutico reliqua depromenda medica auxilia; & primò Leniens ex manna clarificata, aut ex lenit. cum tartaro. Primum Præparans erit Julapium acet. ad ℥. iii. cortic. citri alteratum; quinque tranſactis diebus, repetatur præſcriptum Leniens. Deinde ulterior procuretur præparatio ſuccis depuratis chich. fumariæ, pomorum dulc. in decoct. Chichoraceorum, additis malvâ, lupulis & agrimoniâ. Septem tranſactis diebus, aſſumat Purgans ex infuſ. agarici, rhabar. & ſenæ, addito ſyr. roſ. ſolutivo paratum, vel Electuarium lenit. & Caſſ. additâ drachmâ pilul. de tribus. His peractis, opportuniſſimus erit uſus ſyrupi Ferneliani duodecim vicibus aſſumendi in vino albo, ſed alternis diebus, ut diebus intermediis aſſumat cyathum aquarum agrimoniæ atque fumariæ, in quibus diſſolvantur tart. vitriol. gr. x. Interim Lieni Ceratum erit apponendum, ita parandum.

♃. Gummi. Ammoniaci, in aceto diſſoluti, Cerati oxelæi an. unc. j. ſalis nitri ʒ. j. adipis anſeris, ſucci urticæ mortuæ an. ℥. ß. m. & ad ignem cum cera q. ſ. reform. Ceratum Lieni apponendum. Hæc pauca præſcripſi, ut executioni mandentur, forſan enim plura omnino omitterentur: repeti namque debebunt medica auxilia, ut prorſus Lien ad naturalem ſtatum redigatur.

Interim victûs ratio congrua erit ſervanda, adeò ut loca non inhabitet paludoſa. Abſtineat ab uſu carnis bubulæ, ſuillæ, leporinæ & anſerinæ; à volucribus lacuſtribus; à piſcibus cœnoſis & ſquammis carentibus, ſicut ab Oſtraceis & à Conchyliis; à fructibus .Ex herbis, à lactuca & braſſica; ab omnibus leguminibus, hordeo, orizâ & ciceribus rubris exceptis; à vinis craſſæ ſubſtantiæ, nimis generoſis & dulcibus, & ſit pro menſa Tamariſco medicatum. Somnus diurnus ſit brevis. Exercitium, imo labores, ſed ante cibum, non ſolum convenientes, ſed neceſſarii ſunt. Et ſemel aut bis in menſe aſſumat pilulam ex ſemidrach. pilul. de tribus, & ſemiſcrup. Magiſt. Mechoac. compoſitam. Alacrique animo cum ſociis, ſed ſine compotationibus, vivat. *Idem Tom. 2. Cent. 3.*

Pro eodem

Conſultatio. II.

Inſignis tumor lienis dimidiam abdominis partem occupans, qui durus quidem, non ſine ſenſu, cum manibus tractatus & preſſus dolorem patiatur, primam originem habuit in Illuſtriſſ. Comite duodecim abhinc annis, dum duplici tertiana tunc temporis correptus, & curatus, imperfectè tamen fuit expurgatus, relicta enim in corpore excrementa, ſi non ſimilem priori febri recidivam excitarunt, ſaltem valetudinarium Comitem Illuſtriſſ. reliquerunt, & facilè aliqua febricula detentum: immodicè namque continuò ſitiebat, & pro ſiti ſedanda, indiſcriminatim aquam & vina cujuſcunque generis avidè potabat; quare humiditates in corpore excrementitias redundantes ſuſcepit Lien. (ideo ab Hipp. fons aquæ dictus) & intumuit, quoniam facilè cruditates quoque quibus ætas illa tenella ſcatere ſolet, humiditatibus immiſtæ erant, unde obſtructiones non in vaſis ſolùm; verùm & in parenchymate, quæ earundem humiditatum depoſitionem & evacuationem impedientes, tumoris in ipſo liene cauſa fuerunt, non parum conſpirantibus excrementis à Medico non expurgatis, & in corpore relictis.

Delituit tumor per annos, ætatis & vegeti caloris ratione, nec ſuas vires exerere potuit, probo namque totius corporis calore & convenienti nutritione potiùs, munera omnia, ut ſanus, perfectiſſimè Pat. obivit, uſque ad Sereniſſ. Domini ſui obitum, quem adeò ægrè tulit, ut mœrore confectus, paulò poſt acutè febricitare coactus fuerit, à qua quidem febre medicis auxiliis liberatus fuit, aucto tamen. & in tumorem non exiguum elevatò liene, adeò ut ab illo tempore, quatuor nimirum abhinc annis, valetudinariam ſemper vitam duxerit, totiuſque color, roſeus antea, in pallidum & flavum mutatus fuerit, macies invaluerit, & verbo, liene ſemper magis florente, totum corpus contabuerit.

Lienoſus itaque factus & confirmatus eſt Illuſtriſſ. Comes, dum lien non quidem Scirrho exquiſito, ſed ſcirrhoſo tumore laborat; & ad ſcirrhum legitimum atque exquiſitum hucuſque perveniſſet, ſi ætas conſiſtens, & ad humoris atrabilaris generationem idonea fuiſſet. At quoniam adoleſcens, & cruditatibus potiùs producendis obnoxia, ideo ad tumorem hujuſmodi conſtituendum pituitoſam materiam à calore craſſefa-

ctam,

ctam, longis magis, quàm melancholicam convenisse certò credendum; unde potiùs à copia humorum replente, quàm à siccitate condensante, aut frigiditate congelante tumorem factum fuisse credendum.

Verùm quoniam in diuturno lienis tumore necessariò & jecur refrigeratur, atque in consortium trahitur, ideo & viscus hoc non adeò perfectè sanguificare cœpit, sicque crassum & quodammodo exustum sanguinem gignere, & in seipso retinere incipiens, organicum quoque morbum, obstructiones scilicet, pati cœpit; à quibus intercepta aliqua ex parte bili, tum ad vesicam, tum ad ductum cholidocum transitu, bilis ipsa in eodem viscere manens, & massam sanguinis inquinans, ictericum Comitem Illustriss. reddebat; sicut frequenter augebatur affectus à tumore lienis vasa jam dicta comprimente.

Modò post varia & efficacia medicamenta administrata, tumoris moles nonnihil diminuta manu percipitur, adeò ut ad jecur comprimendum non ampliùs perveniat; mollior quoque, quàm antea, reddita est, obstructiones in jecore ex toto non adhuc ablatæ, licèt & ipsæ imminutæ sint; ideo præter hucusque administrata aperientia, post præmissam totius convenientem expurgationem, in debellandis prorsus jecoris obstructionibus, lienisque tumore minuendo adhuc insistendum esse decerno, ut imminentem Hydropem arceamus.

Et ideo per integrum mensem, alternatim, Rhaponticum infusum, & salem tart. vitriolati ut assumat consulo: sed singulâ hebdomadâ medicamentum & aperiens, & per alvum purgans familiare sibi reddat. Et si res pro voto succedat, aliis quindecim aut viginti post diebus salem tartari quotidie rursus assumat, quorum omnium rectus usus talis erit.

℞. Raphont. opt. inc. ʒ. ii. Aq. de succo cich. ℥. iv. de succo agrim. ℥. ii. m. f. infus. per integram noctem, & fiat colatura pro potu, cui addatur syrupi de succo lim. ℥. j. m. summo mane quatuor horis ante cibum. Pro sequenti verò Die.

℞. Idem raphont. in prægressa infusione relictum, juris pullæ tenuis, endiviâ & galiopsi alterati ℥. vi. m. f. infusio per integram noctem & in colatura, dissolve salis tart. vitriol. ℈. j. m. pro potu. Sequenti verò die, nova repetatur infusio novo raphontico, ut suprà & ita pergat integro mense. Purgans autem singulâ hebdomadâ assumendum erit.

℞. Pilul. de trib. cum rhabarb. ʒ. j. Magist. Mechoac. gr. viii. m. reform. pilulæ, tribus poris ante prandium assumendæ. Mense peracto, eadem dosi sal tartari erit exhibendus, quinimo & usque ad semidrachmam ascendi poterit; quo tempore de horum medicamentorum effectibus certior fieri desiderabo. Interim toto hoc tempore Diachilon magnum, oxæleum, & de ammoniaco, aceto dissoluto Ceratum regione lienis semper erit gestandum, congruaque convenienti atque cauta vivendi ratione utendum.

Et primò fugiat aërem nubilosum, ventosum. Summo manè domo non exeat, & aërem nocturnum caveat. Secundò, inter carnes prohibentur, suillæ, bubulæ, agninæ, annosæ omnes & pingues, palustres & aquaticæ. Inter pisces, ferè omnes prohibentur, exceptis saxatilibus, Carpionibus & Troctis junioribus. Legumina omnia infensa, ita lactaria omnia, excepto exiguo butyro pro condimento. Ab omnibus eduliis pastâ paratis abstineat; ab omnibus pariter fructibus, pistaceis & amygdalis exceptis. Olerum usus nocebit, exceptis fœniculo, apio, capparibus, cæpis coctis, radicibus cichorii & petroselini simul coctis, & pro acetario conditis. Panis sit bene coctus & fermentatus. Vinum album tamarisco medicatum, ad ℥. iii. pro unaquaque situla: quinimo in vase è ligno Tamarisci parato detineatur. Pro ciborum condimentis conceditur allium, cæpa, acetum; nonnunquam & succus limonum. Inter aromata piper rudìter contusum, cinnamomum: præterea pulegium, thymus, satureja, & hujusmodi alia; & frequenter aliquot amygdalas amaras jejuno ventriculo comedat: vel saltem absynthii ad ℈j. assumat. Tertiò, Somnus nocturnus coctionibus magnopere prodest. Quartò, Exercitium omnino necessarium, manè tamen ante cibum, & horis vespertinis, quod potiùs ad laborem vergat: solo enim exercitio & abstinentiâ à potu nonnulli sanitati restituti fuere. Quintò, Coitus omnino arcendus, & bis in mense pilulis suprà propositis, excrementorum apparatus erit extraducendus, quibus addi poterit Extracti senæ ʒ. j. Tandem alacri & confidenti animo vivat: consortia genialia quærat, citrà tamen comessationes & compotationes. Hæcque sunt pro hoc hyemali tempore ab Illustrissimo Comite observanda, ut meliorem statum acquirat, & ad meliorem adhuc sibi comparandam viam pro venturo verno tempore sternat. *Idem Ibidem.*

Pro eodem

Consultatio III.

Jam diu lienosus Comes Illustrissimus durum quidem, sed sensui manifestum tumorem in liene habens, & ideo scirrhosum, non autem Scirrhum, plura proximè præteritis annis, & interna, & externa medicamenta, attenuantia, aperientia; emollientia, nunquam tamen vehementer resolventia, & apposuit, & assumpsit, à quibus, nisi juvamentum recepisset, in Hydropem jam incidisset, asserente Hipp. quod Spleneticis, quibus Pharmacorum potiones nihil proficiunt, is morbus in hydropem degenerat: subdit verò quod quibus proficiunt, diuturna quidem est affectio, sed non lethalis; profuerunt igitur ideo medicamenta, etiam sine exacta vivendi ratione, ut non solùm tumoris augmentum, & intensive, & extensive inhibuerint, verùm & eundem & intensive, & extensive imminuerint: siquidem & ipsius moles minor & renitentia mollior facta est; idcirco summa cum ratione Juvenis Illustriss. administrata remedia quæ juverunt repetita sanare posse sperat; & propterea rursus congruo hoc anni tempore verno pro Curatione ineunda ad me confugit, promittens se in vivendi ratione obsequentiorem, quàm antea, ut evidentiùs etiam, quàm antea, ex medicamentis juvamen consequatur.

Dum igitur modò abdomen manibus tractavi, lienis, ut dixi, molem minorem & molliorem deprehendi. Verùm sicut anno elapso obstructiones in cava jecoris aderant, quæ ictericum reddiderunt Co. Illustriss. ita adhuc earundem reliquias servari censeo: quæ quamvis tactu percipi non possint, cum in cava jecoris parte lateant, attamen & dolor quo afficitur equitando, & universalis subsecuta scabies à vitioso sanguine procedens, & morbo in intemperie, & instrumentali jecur affectum esse confirmant: nec mirùm, cùm facilè à liene per venam splenicam jecur in consensum contrahatur. Et ut quidpiam rursus de natura tumoris attingam, cùm aut ab utrisque mistis fieri possit, in casu nostro mistionem quidem non excludo, sed pituitosum humorem alios superare credo, ex Hipp. diuturno jam præterito tempore, & color totius pravus continuò redditus esset, & ulcus aliquod malum in cruribus apparuisset, & os graveolens observatum, gracilior evasisset, & splen eodem modo & durus, & magnus servatus fuisset: sicut cùm pituitosus est tumor ipse, hujusmodi mala non accedunt, tumorque minor & mollior reddi potest, sicut redditus est: cujus generationi non levem occasionem præbuit,

præterita libera vivendi ratio, nec non in aëre crasso & paludoso commoratio, & aquarum lacustrium impuritas; biliosum autem humorem subministrare potuerunt ætas ipsa juvenilis, jecoris temperamentum calidum & siccum, promiscua ciborum & condimentorum comestio, atque forsan vinorum dulcium consueta potatio.

Quibus paucis prælibatis, Curatio est confidenter à nobis instituenda ut Illustrissimus Co. ad sanitatem propiùs accedat, pro qua ordo talis requiritur, ut primæ viæ priùs expientur. Deinde jecoris obstructiones reserentur. Tertiò ut sanguinis massa purificetur. Quartò ut moles lienis & mollior, & minor reddatur.

Pro quibus intentionibus exequendis, remedia ordine executivo proponam.

Sic primò ℞. Syr. ros. solut. ℥iii. aut pot. ex man. clarif. ℥iij. aq. florum citri parum, m. f. potio quatuor horis ante prandium assumenda.

Quinque sequentibus diebus.

℞. Julap. acet. ℥.ii.ß. aq. florum citri ℥. j. aq. cinnam. ℥. ß. m. pro aliis. Inde repetatur suprascripta potio;

Vel ℞. Elect. lenit. ℥. j. cremor. tart. ʒ. ij. m. f. boli. Mox septem sequentibus diebus assumat.

℞. Succi depur. & per arenam trajecti. cich. borrag. agrim. an. ℥. j. tart. vitriol. gr. x. aq. stillat. cich. agrim. an. ℥. ii. m. pro syr. & sic pro aliis; Et si pro aquis libentiùs eligat jus pullæ tenue, alteretur cichorio, agrim. endiv. cuscutâ & malvis.

Secundo verò die dictorum succorum aperiatur Jecoraria dexteri brachii, Medico Excellentiss. præsente, & educatur sanguis, qui non excedat pondus ℥. vi. sed quantitas sit minor, si tenuis & serosus apparuerit: educitur enim sanguis non ratione tumoris lienis, sed ratione calidioris jecoris & vitiosi sanguinis, scabiem quoque inducentis; ideoque monebat Aëtius, quod in liene indurato curando observari debeat Ægri universum corpus frigidiusne sit, an verò calidius. Septem verò transactis diebus.

℞. Flor. cass. rec. extractæ, elect. lenit an. ℥. ß. pilul. de trib. cum rhab. ʒ. j. m. f. boli; quibus post horam superbibat jus pullæ hordeo alteratum, & tribus horis ab assumpto jure prandeat. Et quoniam non adhuc jecoris obstructiones satis apertas fore censeo, ideo repetatur.

℞. Aq. stillat. cich. agrim. asparag. ana ℥. ii. syr. de cich. cum rhabarb. Bisant. cum aceto ℥. ß. spirit. tart. ter rectif. gutt. x. m. pro syr. & sic pro aliis septem; à quibus.

℞. Floris cass. ʒ. vii. electuar. de succo rosarum ʒ. iii. m. f. boli, quibus post horam superbibat jus pullæ hordeo aut malvis alteratum, quibus horis ab assumpto jure prandeat. Hinc ad lienem convertatur Curatio ita.

℞. Succi depur. & per arenam trajecti fumar. unc. ii. decoct. in jure pullæ paratæ cortic. radic. cappar. tamarisci, scolopendrii, agrim. polypod. senæ ʒ. v. m. pro syr. & sic pro aliis septem; quibus assumptis.

℞. Floris cass. rec. extr. ʒ. vi. Extracti veratri ʒß. m. f. boli, quibus post horam superbibat jus pullæ malvâ alteratum ad lib. ii. & tribus horis ab assumpto jure prandeat; vel potu.

℞. Decoct. Epit. Mes. ℥. ii. aq. florum citri parum, m. f. potio; cui pariter, evacuatione incepta, superbibat supradictum jus.

His peractis, vinum chalybeatum ita paretur,

℞. Vini albi opt. lib. x. limaturæ chalyb. priùs aceto lotæ, lib. j. ligni tamarisci incisi ℥. iii. cort. rad. cappar. ʒ. j. ponantur in vase vitreo, & in hypocausto detineatur per hebdomodam, sæpe agitando, cujus dosis erit ad ℥. v. quotidie summo mane; efficacius autem medicamentum reddi poterit, si præmittatur hujusmodi bolus.

℞. Trochisc. de cappar. ℈. j. salis Martis gr. iij. cum succo fumar. reform. bolus, & aur. in cujus usu xv. & xx. diebus erit perseverandum; quo tempore seipsum conferat Illustriss. Co. ad luta nostra Patavina D. Bartholomæi, pro tumoris emollitione atque resolutione. Interim Ceratum appònat, ita parandum.

℞. Ammon. pinguis aceto dissol. unc. j. deinde adde diachil. cùm pingued. ℥. j. spirit. vini unc. ß. m. bull. ad consumpt. spiritûs & aceti, deinde adde. floris salis unc. ß. pulv. cyclam. nicotianæ an. ʒ. ii. m. reform. Ceratum, lieni apponendum; & tunc Avicennam secutus, de lacte quoque asinino exhibendo cogitabo, quod materiam tophaceam emollire atque dissolvere asseruit quoque Galenus.

Et quoniam scabies infestare potest, atque vigilias excitare, ideo ad evitandas molestas inunctiones, paretur talis aqua.

℞. Vitrioli Rom. ad albedinem calcinati unc. ii, aq. ros. scabiosæ, plantag. an. lib. ß. m. f. infusio per horas xxiv. deinde coletur, & servetur ad usum, & spongiola hac aqua madefacta mane & vesperi corpus illiniatur.

Quibus, ut necessariissima est addenda congrua vivendi ratio. Et primò aër crassus & paludosus datâ operâ evitandus, præsertim Æstate & Autumno. Secundò Victus debet esse qualitate attenuans: quantitate mediocris. Panis sit salitus, bene coctus & fermentatus. Vitentur carnes Annosæ, pingues, præsertim suillæ, agninæ, salitæ. Pisces pariter cœnosi, palustres, ut Tinca, Anguilla, & hujusmodi alii. Inter lactaria omnino caseus vitetur; edulia omnia ex pasta parata; omnia legumina, hordeo & orizâ exceptis. Inter olera, conceduntur borrago, cichorium, beta: progressu lupuli, asparagi cum aceto, fœniculum, apium. Fructus omnes; ut noxii damnantur: minoris autem momenti sunt fraga & parcus melonis usus, saccharo conditi; inter Bellaria concedi tamen possunt amygdalæ recentes & pistaciæ. Condimenta conceduntur aceti, petroselini, apii, fœniculi & aromatum quoque, sed parcè. Vinum moderatè bibendum, chalybeatum & tamariscatum, Æstate aqua quidem, sed nunquam nive refrigeratum. Tertiò Somnus diuturnus sit, sed nocturnus, quo deficiente; suppleat diurnus. Quartò plurimum spei reponit Aët. in exercitio, adeò ut solis deambulationibus & cursibus aliquos se vidisse sanatos affirmet: commendat quoque equitationes: quies enim, dicebat Celsus, hoc vitium fovet & auget; labores autem jubebat Hipp. Ante cibum Alvus Æstate electuario lenit. Hyeme verò pil. de tribus cum Extracto senæ semel aut bis in mense solicitanda, & Venus omnino deserenda; aut saltem rarissimè amplexanda. Et tandem animi passiones & perturbationes arcendæ; & alacres consocietates, sed sine compotationibus & comessationibus procurandæ. Hæcque pro meliori statu Co. Illustriss. cui sicut omnia bona debentur, ita perfectam sanitatem à Deo Opt. enixe precor: *Idem ibidem.*

Pro eodem.

Consultatio IV.

Tumorem scirrhosum in liene Illustrissimi Comitis hoc Vere proximè præterito tractavi, & medicamentis emollientibus, modicè calorificis aperientibus, nec non evacuantibus imminuere tentavi, quod equidem si non ex toto, aliqua ex parte pro voto successit, tum tumoris circumferentia minor & renitentia ejusdem mollior reddita est, quinimo moles ejus antea pluribus in locis indolens & insensibilis, dolens atque sensibilis est facta. Et quamvis præcalido hepati in remediis administrandis semper prospectum fuerit, non solùm moderatè calefacien-

citiſſime & ventriculum, & jecur permeantibus, aliqua tamen caloris impreſſio copioſioris bilis proventum induxit, quæ cum ſanguine per venam cavam ad cor delata, indeque per arteriam magnam ad univerſum corpus diſtributa, illud ictericum reddidit, cùm tamen Icteritia Lienoſis familiaris: unde dicebat Gal. quod quibus lien augetur, corpus minuitur, cacochymum redditur, & regio morbo ſæpe laborat: Icteritia autem poſtea remiſſa eſt ejuſdem bilis electiva eductione, & aliqua fervoris jecoris contemperatione, quam tentare cum Hipp. lacte aſinino auſi ſumus, quod admittere noluit bilis præſentia.

Verùm quoniam tumor inſignis magnitudinis & renitentiç conſiderabilis ſolis Purgationibus ſemel aut bis in anno peractis; ſi remitti; non tamen auferri, vel ſaltem novum augmentum inhiberi poteſt; ideò perſeveranti affectioni, perſeverans quoque, atque continua curatio & præſervatio debetur; quæ depromenda erit à congruo & convenienti ſex rerum non naturalium uſu, necnon ab aliquo leni & familiari electivè purgante medicamento, totò anni curſu frequenter uſurpando, ut mox Autumno proximo leni adhuc prægreſsâ corporis expiatione; quotidiano aliquo diuretico medicamento per menſem exhibito, lienoſi tumoris major adhuc imminutio obtineatur.

Peractis igitur quatuor hiſce diebus rhabarb. infuſionem in jure endiviâ alterato aſſumet Illuſtriſſ. Comes; jecoris ejuſdem fervor quodammodo erit tepefaciendus, præbendo ſeminum melonnm Emulſionem in jure pullæ paratam, additâ unciâ ſyrupi de ſucco limonum, aut ejus loco, ſucco endiviæ depurato ad unc. iii. in eodem jure Pullæ diſſoluto, addito limonum ſucco, idque continuato octiduo. Mox vacandum ab omni opere medico; ſed nunquam congrua vivendi ratio deſerenda.

Et primo loco paludoſa; æſtivo præſertim, & autumnali tempore; non incolat, ſi fieri poſſit; & crepuſcula, tum matutina, tum veſpertina effugiat: Secundò inter carnes abſtineat omninò à ſuillis, aprinis & leporinis, bubulis. Inter piſces, eligat ſaxatilles, ut Tructas, Carpiones, neque Bulberes mali: Edulia ex paſta parata, ſicut lactaria omnia mala, concedi tamen poteſt reſiduum ab extracto caſeo & butyro (vulgo Puina recens dictum). Legumina prorſus mala; excepto jure cicerum rubeorum. Inter herbas, conceditur borago, petroſelinum, apium, fœniculum, menthaſtrum, orminum; Condimentum allii & cæparum, imo & cæpa cocta in Acetariis ſicut & cappares. Inter fructus, Pepones conceduntur, optimi ſaporis, à Sole bene concocti, ut qui durities ſcirrhoſas emollire, & quodammodò detergendo, urinas quoque movere valeant; Piſtacia quoque conceduntur. Condiantur cibi aromatibus quidem, ſed moderatè, cinnamomo nempe & pipere ruditer contuſo. Acetum in condimentis libenter conceditur, in vaſe Tamariſci ſervatum. Vinum ſit album, tenue, maturum, non dulce, non acidum & tamariſco medicatum. Tertiò Somnus nocturnus diuturnus eſſe poteſt, diurnus brevis. Quartò Exercitium, etiam immodicum, opportunè tamen factum, magnam partem obtinet in hujus mali deſtructione, ſive deambulando, ſive equitando, ſive in rheda longum iter faciendo, ut autem opportunum ſit, jejunio ventriculo fiat. Quintò Evacuationes peccantis humoris ſolicitandæ, decimo quoque die aſſumendo bolos ita paratos;

℞. Extracti ſenæ, Extracti polypod. elect. lenitivi an. ʒ. j. Extracti rhabarb. ℈. j. m. reform. boli: ait enim Hipp. Splenicum purgabis modico ingeſto, multùm educente: quibus poſt horam ſuperbibat jus tenue hordeo vel malvis alteratum, & duabus tranſactis horis ab aſſumpto jure prandeat. Venus autem omnino ablegandâ, imo ut pollutiones nocturnæ arceantur; talis inunctio erit conveniens.

℞. Vng. roſati Meſ. Infrigid. Gal. popul. ſantal. ſucci ſempervivi, majoranæ. an. unc. j. m. reform. in mortario plumbeo, pro renum inunctione, ſuperponendo folia vitis, vel folia nymphææ, antea aquâ frigidâ lota: ita enim contemperari poterit renum fervor ex cingulo plurium annorum contractus, & eorundem laxitas corrigi. Sextò ſtudiis & applicationibus nonniſi ventriculo vacuo eſt incumbendum, & curæ quantùm fieri poteſt, ablegandç, geniales Conſocietates procurandæ. Autumnalis Purgatio ità exequi poterit, primò ſumendo pot. ex man. clariſ. unc. vi. exiguâ additâ aquâ florum citri, quatuor horis ante prandium. Inde quinque ſequentibus diebus matutino tempore aſſumat.

℞. Julap. acet. unc. ii. aq. flor. citri unc. j. aq. cinnam. cochlear. j. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Repetatur deinde potio ita paranda.

℞. Syr. de polypod. ℥. iiii. roſati ſolut. unc. iii. clarif. deinde adde aquç florum citri cochlear. j. m. Mox ſequentibus diebus ſyrupum hujuſmodi quotidie ſumat.

℞. Oxymel. comp. ſyr. Biſant. cum aceto, ſyr. de cich. cum rhab. an. unc. ß. decoct. malv. ſcolop. tamariſci, cort. radic. cappar. radic. apii unc. v. tart. vitriol. gr. x. m. pro ſyrupo, & ſic pro aliis. Hoc tempore, ſi Icteritia forſan reverteretur, Salvatella dextera aperiri poterit, quatuor aut quinque ſanguinis uncias educendo; ſicut ſi ad plumbeum colorem vergeret, aperienda eſſet ſiniſtra loco dexteræ. Septem tranſactis diebus, aſſumat.

℞. Decoct. epith. Meſues clarif. unc. v. & tribus poſt horis ſuperbibat juris hordeac. libram, & duabus horis ab aſſumpto jure prandeat; vel.

℞. Extracti ſenæ ʒ. j. Extracti veratri nigri ʒ. ß. Extracti de rhab. ℈. i. m. f. boli: erit enim medicamentum forte debile, ut dicebat Avic. & fortiora ſine moleſtia tolerat lien.

Tandem ad Diureticorum uſum erit deveniendum; cùm facilis ſit in Comite Illuſtriſſ. aditus ad urinam; ad quam conſpirat quoque anni tempus, & per quam alii quoque Lienoſi ſponte à natura expurgati & liberati fuere; parentur itaque boli. ii. ita.

℞. Terebynth. noſtræ in aqua raphani lotæ ʒ. j. ſalis tart. fixi gr. x. ſalis ammon. gr. iiii. m. reform. boli n. ii. & aur. quibus ſuperbibat jus pulli junioris, alteratum foliis ſcolop. tamariſci, radice cich. apii, fœnic. cappar. petroſel. ad unc. vi. In hujus autem uſu perſeveret integro menſe; & decimo quoque die aſſumat bolos in præſervatione ſuprà deſcriptos.

Ceratum jam à me præſcriptum atque paratum mutetur, & ſemper congrua victûs ratio ſuperiùs deſcripta, ſervetur; ut Illuſtriſſimus Comes ad ſanitatem optatam, & à me ex corde expetitam atque tentatam propiùs accedat. *Idem ibidem.*

Pro eodem.

Conſultatio V.

Lienoſus Illuſtriſſimus Com. multis abhinc annis, qui repetitis validis & appropriatis Purgationibus à tumore ejuſdem partis ſcirrhoſo nunquam vindicari potuit, quamvis tumor ipſe non parum imminui viſus fuerit, adeò ut anno proximè præterito habitus ejus multò, quàm antea, carnoſior, totiuſque color floridior factus fuerit, imminuti lienis teſtimonium verax, dum Hipp. tradidit, quod dum lien floret, totum corpus contabeſcit, & è contra. Verùm quoniam Pat. Illuſtriſſ. non minùs corporis, quàm animi delicatioris, deliciis libenter indulſit; ut ex quatuor anteactis Conſultationibus, pro eodem à me habitis, facilè elici poteſt in qui-

quibus de eodem crimine ſemper accuſatur, addito quoque incolatu & permanentia in Urbe, aërem lacuſtrem ſpirante, hinc factum fuit ut congeſta in toto excrementorum moles, fermentata ac putrefacta, Autumno præterito febrem continuam tertianam duplicem excitaverit, quæ quidem auxiliis medicis ceſſit, ſed lienis tumorem ex tempore magnopere adauxit, dum natura per venoſum & arterioſum genus omnis generis excrementa ad partem illam imbecilliorem & antea affectam depoſuit, qua ſecuta metaſtaſi, ceſſavit febris, & lien intumuit. His acceſſit quoque flavus totius color, qui eidem Comiti etiam in ſuperioribus annis valde familiaris fuit, tum propter obſtructiones, jecoris cavam occupantes, tum propter biliarii ductûs compreſſionem, à lienis mole procedentem. Et quamvis plura fuerint adminiſtrata remedia aperientia, utramque bilem educentia, quæ à me præſcripta, & in patrio ſolo adminiſtrata fuere, exiguum tamen juvamen tulerunt: ut propterea Patavium rurſus hoc verno tempore accedere decreverit. Convenimus igitur Medici tres, cùm in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum, & abdomine manibus tractato, invenimus tumorem in liene inſignis circumferentiæ & intumeſcentiæ, ad oſſa Ilii & Pubis inferiùs ſeſe extendentem, & ad latera dimidiam etiam hypochondrii ſiniſtri regionem occupantem, in ſitu lienis durum & ferè indolentem, non autem adeò durum & cum dolore in circumferentia. Præterea profundas obſtructiones obſervavimus quoque in hepate ipſo, permanente fœdo icterico colore in toto. Quare inita fuit repetita Conſultatio de agendis, ſequenti ordine propoſitis & adminiſtratis. Primum Leniens fuit.

℞. Pot. ex man. clarif. unc. v. aq. cinnam. parum, m. f. potio. Primum Præparans.

℞. Julap. acet. unc. iii. aq. florum citri, cinnam. an. unc. ß. pro una vice, & ſic pro aliis quatuor. Mox repetitum Leniens.

℞. Pot. ſolutivæ magiſtr. unc. v. addendo infuſioni conſuetæ rhab. opt. ʒ. i. ß. aq. florum citri, cinnam. an. unc. ß. m. pro potu, cui ſuperbibat jus pullæ ſimplex, aut hordeo alteratum. Inde ad ulteriora Præparantia devenimus, ita præſcripta.

℞. Succi depur. cich. borag. fumar. an. unc. i. ſalis tart. fixi gr. x. decoct. fol. endiv. beton. petroſel. unc. iii. m. pro una vice, & ſic pro ſex aliis. Secunda verò die dictorum Præparantium extractus fuit ſanguis ad unc. vi. ex Jecoraria dextera, ab initio nigricans, progreſſu verò floridus. Interim vinum Aperientibus & Attenuantibus pro menſa medicatum ita præſcriptum fuit.

℞. Salſæ parillæ, unc. iiii. ligni tamariſci unc. vi. m. pro duabus vini ſitulis. Secuta præſcripta præparatione, tale Purgans aſſumpſit.

℞. Pot. ſolut. magiſtr. unc. v. addendo infuſioni conſuetæ fol. ſenæ, rhab. el. an. ʒ. ii. aq. florum citri unc. ß. m. f. potio, jure pullæ tenui ſuperepoto. Mox in Aperientibus inſiſtendo, præſcriptum fuit.

℞. Decoct. cich. borag. fumar. agrim. lupulornm, ſcolopend. unc. v. Aperientis circulati ʒ. ß. m. pro una vice, & ſic pro quatuor aliis. Et tertio quoque die ſumpſit Purgans.

℞. Extracti ſenæ, rhab. an. ℈. i. m. f. pilulæ n. ii. pro una vice, & ſic pro aliis. Interim tumorem lienis quotidie perfricandum eſſe juſſimus, manibus tali inunctione illinitis.

℞. Ol. cyclam. capp. amygdalarum amar. an unc. i. m. Hinc ad ulteriora Aperientia & Purgantia devenimus.

℞. Decoct. cich. borag. fumar. agrim. lupulorum, ſcolopend. unc. v. ſalis tart. volatiliz. ʒ. ß. m. pro una vice, & ſic pro tribus aliis, tertio quoque die; Intermediis verò diebus minorativum Purgans fuit ita præſcriptum.

℞. Extracti ſenæ ℈. i. pilul. Paracelſi. gr. xv. m. f. pilulæ duę, & aurentur. inde alia aperientia validiora ita pręſcripta fuere.

℞. Decoct. ſupraſcriptę unc. v. ſalis tamariſci gr. x. Aquilę cœleſtis gr. v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; in quorum intermedio aſſumpſit pilulas Paracelſicas.

℞. Extracti ſenę ℈. j. pilul. Paracelſi gr. xv. m. f. pilulę ii. & aurentur. Et tandem tale Purgans.

℞. Decoctionis Epith. Meſ. pot. ex man. clarif. an. unc. iij. aq. florum citri parum. m. f. potio.

Et quoniam jam dicta omnia incaſſum adminiſtrata fuiſſe obſervavimus, ad uſum ſyrupi Ferneliani cum aliis Attenuantibus & Aperientibus deveniendum eſſe conſuluimus; ſed antea aperta fuit vena ſiniſtra, & modicus extractus ſanguis ſubſtantię ſolidę atque floridus. Inde pręſcriptum fuit.

℞. Decoct. cich. fumar. aſplenii, ſcolopend. unc. v. oxymel. ſquillit. unc. i. tart. vitriol. gr. x. m. pro una vice, ſic pro quinque aliis, tertio quoque die; intermediis verò diebus.

℞. Syr. Fernel. unc. ii. diſſolvatur in vino albo, & ſummo manè aſſumatur. Hinc ad majora Attenuantia & Aperientia interna, atque Emollientia externa deveniendum eſſe cenſuimus, nimirum ad luta D. Bartholomęi, utpote validè emollientia apponenda, & eodem tempore pręſcriptum fuit Decoctum ſplenicum attenuans & aperiens hunc in modum.

℞. Salſę parillę el. inciſę, radicis ligni tamariſci inciſi an. unc. i. aq. ſtillat. cich. lib. ii. agrim. lib. i. ſucci limon. unc. i. m. f. inf. S. A. per hor. xxiiij. bulliant ad conſumpt. dim. & in media ebullitione adde radic. althęę ʒß. poſtea f. colatura, & ſervetur pro duabus vicibus ſummo mane aſſumenda, cui pręmittantur hujuſmodi boli.

℞. Terebinth Ciprię ʒ. j. croci Martis aperitivi gr. vi. m. reform. boli n. iiii. pro duabus vicibus; in quorum uſu viginti diebus perſeveravit, & intermedio hujuſmodi Purgans aſſumpſit.

℞. Pot. ſolut. magiſtr. ℥. v. addendo infuſioni conſuetę polypod. querc. ℥. ß. radic. hellebori nigri prępar. ʒ. ij. aq. cinnam. cochlear. j. m. f. potio, cui ſuperbibat jus pullę.

Quę omnia licèt parum, aut nihil hucuſque profecerint; nihilominus dura provincia deſerenda non eſt, ut ad meliorem ſtatum ducatur Illuſtriſſ. Co. & imminens Hydrops totis viribus arceatur; in quem finem in Emollientibus, Aperientibus & Reſolventibus inſiſtendum. Et quoniam emollientia primum locum expoſtulare videntur, idcirco parumper ab Aperientibus & Digerentibus deſiſtendum, & Emollientia majora, tum intrinſecus, tum extrinſecus ſunt eligenda. Intrinſecus lac aſininum efficaciſſimum erit Emolliens, cùm tantùm in ſe contineat unctuoſitatem, quę quidem emollire poterit, at tumori craſſam & viſcidam materiam addere non valebit; quare pręmiſſo ſequenti medicamento evacuante deſcripto, lactis uſus de more cum ſaccharo ad triginta dies uſurpandus erit. Potion. ex man. clarif. unc. v. addendo infuſioni conſuetę polypod. querc. ʒ. iii. radic. veratri nigri prępar. ʒj. ß. aq. florum citri parum, f. potio, cui ſuperbibat jus hordeac. vel aquam, cùm ſerum reſpuat Par. Illuſtriſſimus. Decimo quoque die, dum lac aſſumit, aliquo minorativo medicamento purgante utendum erit, quale eſſe poterit illud à Paracelſo compoſitum, quod continet Extracta diagrydii. helleb. nigri, & colocynth. ad ſemidrach. exhibendum, cum exigua portione elect. lenitivi, aut floris caſſ. reformatum. Interim extrinſecus quoque efficaciora Emollientia ſunt quotidie apponenda, & ſi poſ-

possibile fuerit, tota nocte detinenda, hunc in modum paranda.

℞. Radic. cucum. asinini, brioniæ, althææ, lil. alb. an. ℥. j. sem. lini, fœnugræci, an. pug. ii. fol. malvarum, mercurialis, betæ, parietariç, ebulorum an. manip. ß. contund. contund. incid. incid. & m. bulliant in aq. ferrariorum cum sexta parte aceti, cui adde œsypi humidi ℥. ii. m. f. Cataplasma.

Terminato usu lactis, & Emplastri jam descripti, ad Aperientia & Resolventia efficaciora deveniri poterit, & intrinsecus, & extrinsecus adhibenda. Intrinsecus erit vinum chalybeatum, ita parandum.

℞. Vini albi opt. lib. xii. chalybis pręparat. lib. j. ponantur in vase vitreo per octo dies, & quotidie bis vas agitetur; tandem adde rad. tamarisci; corticum radicis. cappar. an. ℥. j. rad. polypod. querc. ℥. ii. fol. senæ rec. mundat. ℥. ii. post tres dies ex hoc bibere incipiat Patiens summo mane ad ℥. v. Toto hoc tempore illiniatur bis aut ter in die tumor lienosus adipe leonino, quem extollebat Gal. dicens, quod sit medicamentum optimum, quia ob partium tenuitatem & caliditatem valenter duros tumores emollit ac digerit.

Tandem medicamenta à proprietate & vi occulta juvantia nullo modo sunt omittenda per experientiam inventa, cui fides semper habenda; inter plura ab Antiquioribus & recentioribus recensita, in nostro casu eligi possunt Talus bovis pulverizatus; Vulpis hepar pulverizatum; decoctio lienis bovini; pulvis herbę galiopsis, quę milzatella quoque, & urtica mortua, imo & Arca Angelica appellatur. De talo bovis asserebat Gal. quod durum splenem liquefacit; de Vulpis hepate dicebat, quod duros lienis & hepatis tumores dissolvit. Decoctio lienis bovini extollitur à Quercetano, sicut herba galiopsis, sive milzatella commendatur à Dioscoride, Matthiolo, & omnibus Recentioribus. Quare modò unus, modò alter ex pulveribus tali bovis, hepatis Vulpis, aut galiopsis herbæ exiccatę ad ℈i. in decoct. lienis bovis assumi poterit summo mane per plures dies, dum universo lienis tumori apponetur Ceratum nostrum lienosum, ita efformatum.

℞. Ammoniaci pingu. ℥. ij. sal. albi ℥. j. comarum absynth. manip. j. m. contund. omnia per horas, ita ut à calore pistili atque mortarii liquefiant, & fiat Ceratum super aluta addendum, & lieni apponendum, quousque à seipso decidat.

Jam dictis omnibus congrua vivendi ratio addenda, quę superioribus Consultationibus fuit satis superque descripta; inter quę duo præsertim repetitione indigere nobis videntur, nempe parcè bibendum, & quamplurimum laborandum esse jejuno ventriculo. Deus omnia fortunet, & vota nostra secundet. *Idem ibidem.*

Pro virgine Lienosa. Quæ aliis tribus priùs allatis respondet.

Consultatio IV.

Nulla mihi vel gratior, vel expectata magis, quàm ad Te scribendi, Vir Inclite, offertur occasio, utpote in quo medica verè prudentia effulgeat, quam seriò in te agnovi, & unice diligo, & ex qua solidiora semper excipiam. Quæ igitur in Illustrissima Comitissa circa sanguinem observanda imperasti, ad amussim peregi. Primò namque, & quæ tempestivè, nec excedentes supervenere menstruæ expiationes, extitère coloratiores initio, postmodùm dilutæ valde, & viscida mucositate oppletæ. Dein qui ex vena cubiti eductus sanguis in prima matula niger ubique valde, in altera laudabilior. Concrevit uterque ex toto vix dimidius, consistens tamen, ac in sublimi obsistenti ex pituita, crusta velatus, reliquus purum serum. Alvi excretiones biliosæ simul & pituitosæ. Urinæ sæpius cum crassiori ac copiosiori sabulo, nonnunquam cum farinaceo sedimento deponuntur. Quæ omnia ulteriorem Alterationem & Defæcationem desiderantia, tuis præsidiis tractantur, ex quibus nil omittendum censerem, cum Indicantibus apposite respondeant. Tibi verò annuenti inserviet sedulò singularis observantia mea, qua summam tuam Virtutem semper ex animo colam. Vale.

Dum quæro, & Te verò hominem invenio, quid mirum, si pręsentem, aut saltem alloquentem, ut temetipsum videam, perpetuò concupiscam? Et cùm in profligandis morbis, spe quoque medica destitutis, te non semel, Duce Virtute, fortunatum observaverim, cur teipsum comitem semper non optabo? Et præsertim pro hac Comitissa Illustrissima, moribus præclara, meritis referta, & ut pristinę sanitati restituatur, totis nostris viribus digna: Hujus itaque sanguinem è brachio extractum, & solitâ diligentiâ à judicio tuo perspicaci consideratum, in genere quidem primò exustum vocari debere mihi quoque videtur, tum ratione copiosę serositatis, & tandem ratione crustaceę & omnigenę naturę excrementis abundans, quę ne tumori superaddantur, purgationem requirunt; eoque magis, cùm ab illo non valde distet menstruę purgationis conditio. Verùm consideratione non minus dignum, quàm utile est, ad crassam illam, furfuraceam, arenosam atque tartaream subsidentem materiam efformandam non sufficere venarum & arteriarum calorem, sed renum quoque fervorem concurrere omninò necessarium esse, cujus ratio in Curatione erit habenda; & ideo sallę Decoctum in tertia Consultatione pręscriptum, diureticum libenter redderem, infusione facta in aquis, moxque emulsione ex seminibus refrigerantibus diureticis pręscripta; adeò ut & Decoctum, & Emulsio simul prębeantur: ita enim toto prius Purgantibus evacuato, tutius per locum conferentem naturę expellenti inserviemus, & unà renum fervorem contemperabimus; non omisso tandem jam proposito lactis asinini usu: Meum tamen sit proponere. Tuum verò disponere; siquidem tuę summę Virtuti confisus, tuis quoque decretis lubens perpetuò subscribam. Vale. *Idem ibidem.*

Pro Eadem.

Consultatio IV.

Lienosa Illustrissima Virgo, tribus pręteritis meis Consultationibus descripta, quarta vice modò ad me pervenit ut de agendis pro meliori statu consulat; Etenim cùm de integra sanitate assequenda spem exiguam semper concepit, cùm ab infantia usque ad vigesimum suę ętatis annum tumorem in liene citra ullam animadversionem, minusque medelam, libera vivendi ratione nutriverit atque foverit, eundem tumorem uti sibi familiarem atque connaturalem semper patienter tulit, donec tandem ad tantam molem evectus est, ut totum abdomen, cęteraque omnia viscera naturalia occupaverit atque compresserit, sicque & Menstrua prorsus interfecerit, & coctiones, tum in ventriculo & primis viis, tum in hepate impedierit, & Virginem Nob. prope Cachexiam duxerit: tuncque ad Medica auxilia confugere coacta tantùm ab eorum administratione levamen consecuta fuit, ut tumor magnus & durus ad multò minorem molem sit modò redactus, ita ut in pręsens à me manibus tractatus, multùm à jecore distans observetur, nec adeò ventriculum obtegat, minusque Uterum comprimat, & in ipsius lienis regione, inter

umorem ipſum & coſtas mendoſas manus tangens apponi & intercedere poſſit; & idcirco & coctiones melius procedunt; unde totum corpus & magis nutritum, & probiori colore præditum eſt, ad motum quoque agilius; & menſtrua tandem poſt tertiam peractam Purgationem apparuere, quæ ſingulo quoque menſe, ſtatis temporibus, naturaliter & ſufficienter perſeverant; tumoris autem qualitas eſt, ut in inferiori hypogaſtrica parte durus & fere indolens ſit, in epigaſtrica verò ſuperiori, & mollior, & majori ſenſu præditus obſervetur. Quibus ita ſe habentibus, de agendis me conſulit Virgo Nob. ut aliquid in melius adhuc proficere poſſit: prolixas tamen & laborioſas Purgationes evitare cupiens; cui ſatisfacere intendo, cùm ejuſdem tumoris partem molliorem magiſque ſenſibilem attenuare, magis emollire, & imminuere ſpem habeam, dum interim & hypogaſtricam partem molliorem reddere, quoad poſſibile fuerit, tentabo.

Sed priùs primæ viæ ſunt expiandæ. Secundò Aperientibus & Attenuantibus à craſſis humoribus vindicandæ. Tertiò Tumor lienis emolliendus, & Purgantibus per epicraſin exhibendis imminuendus.

Præbeatur itaque potio magiſt. ex manna clarif. additis quoque duabus unc. mell. roſ. ſolut. & exigua aqua florum citri. Mox primum Præparans, ſex diebus matutinis horis offerendum, erit oxymel dilutum ad ℥. iii. cum polline crem. tart. & cochleari aquæ cinnamomi. Præparati verò humores expurgentur potione ex manna clarificata, conſuetæ infuſioni addendo portionem agar. atque rhabarbari. Inde ulterior procuretur humorum præparatio ita.

℞. Succi. depur. & per arenam trajecti, cich. agrim. an. ℥. j. ſalis tart. gr. xv. dec. in jure pulli paratæ, meliſſæ, lupulorum, aſparag. cuſcutæ, petroſel. ℥. iiii. m. pro ſyr. & ſic pro aliis ſeptem. Interim de ſanguinis miſſione nulla fit mentio, quoniam jam fluunt Menſes, quorum ordo naturalis à ſuperiori ſanguinis miſſione facilè perverti poſſet; ideo poſt jam dictam præparationem ſequatur Purgans ex infuſione rhab. agar. & ſenæ, addito ſyr. ſolut. & de polypodio. Tandem ad lienem emolliendum ac imminuendum internis & externis deveniri poterit. Præparans.

℞. Succi depur. & per arenam trajecti, fumariæ, agrim. an. ℥. j. aceti ſquillit. ℥. ß. tart. vitriol. gr. x. decoct. in aqua fabrorum paratæ, cich. lupulorum, ſcolopend. ſplenii, radic. cappar. ℥. v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Sequenti verò die bibat vinum chalybeatum, ita parandum.

℞. Vini albi maturi lib. j. limat. chalybis ℥. iiii. fol. tamaricis, aſplenii, ſenæ rec. mundatæ an. pug. j. cinnam. integri ʒ .ii. m. macer. xxiv. horas, & factâ colar. ſervetur pro duabus vicibus matutino tempore, ſummo mane præbenda. Tertia die repetatur ſyrupus ex ſuccis & tart. vitriolatô. Quarta reaſſumatur vinum chalybeatum, & ita progrediatur, alternatim utrumque ſumendo ſupra viginti dies. Et interim tota lienis regio erit illinienda.

℞. Adipis anſer. ℥. ii. leonini ℥. j. ol. de cappar. de cyclam. an. ℥. ß. m. reform. linimentum ſplenicum. Sed tertio aut quarto quoque die, frequenter toti regioni lienis cucurbitula ſicca apponatur, ſed ſtatim appoſita detrahatur.

Verùm quoniam Melancholicos per inferiora purgandos præcipiebat Hippocrates; ideo vinum medicatum electivè purgans, ut ſibi domi paret, & in uſum ducat familiarem Nob. Virgo, conſulo, hunc in modum: Accipiat phialam vitream, amplo oſculò fabrefactam, vino albo in menſa conſueto repletam, cui addantur hujuſmodi ingredientia.

℞. Fol. ſenæ rec. opt. mundatæ, radic. polypod. quercini an. ℥. ß. rhabar. opt. mat. ʒ. i. m. reponantur in phiala, & f. infuſ. citra ignem per diem naturalem, oſculo phialæ bene clauſo: deinde coletur, & colatura ad uſum ſervetur, cujus cyathus primus, poſtquam comederit, in prandio hauriatur; reliquo vero tempore prandii bibat vinum purum, ſibi conſuetum; hoc autem uti poterit quandoque etiam tempore æſtivo, frequenter verò Autumno & Hyeme; in cujus præparatione tunc addi quoque poterit limatura chalybis ad unc. v.

Hiſque omnibus victûs ratio conveniens erit ſemper addenda, adeò ut panis ſit bene ſalitus, bene fermentatus, beneque coctus. Vinum ſit medicatum; ſaltem tamariſcatum. Alimenta ſint attenuantia & acria: ſic acetum, non ſolùm medicamentis componendis, verùm & in cibis condiendis utiliſſimum exiſtimavit Galenus.

Plurimùm fiduciæ in exercitio ante cibum ponebat Aëtius: unde quietem hec vitium augere, dicebat Celſus. Ad alvum autem ſolicitandam utatur vino ſolutivo, jam præſcripto. Quæ Nobiliſſimæ atque Honeſtiſſimæ Virgini pro nunc ſcripta ſufficient. *Idem ibidem.*

Pro Eadem.

Conſultatio VI.

Tumor ſcirrhoſus qui multis abhinc annis Virginem Illuſtriſſimam corripuit poſt febrem perpeſſam & immodicum potulentorum uſum, dum à menſium ſuppreſſione, fomentum imò augmentum ſemper ſuſcepit, licet à præteritis Curationibus quodammodo ceſſiſſe viſus fuerit, rurſus tamen invaluit, & univerſam abdominis regionem, uno excepto jecore, occupans in ſuperiori parte, quia indolens, ſcirrhus omnino abſolutus atque perfectus factus eſt, cujus augmentum inhibere, nedum jam factum curare, impoſſibile mihi videtur: ſiquidem ſolam Vteri compreſſionem ab adeò inſigni tumore, præter ſanguinem, in Uteri venis craſſiorem redditum, menſtruorum expurgationem ſupprimere poſſe credo. Quare pauca aliqua, ſed efficaciora, adminiſtranda proponam, ut portio non adeò ſcirrhoſa minuatur, utque augmentum remorando, Cachexia & Hydrops, quoad fieri poterit, arceatur.

Idque primas vias expiando, humores atros atque melancholicos præparando, & per epicraſin expurgando; atque portionem tumoris lienis emolliendo & reſolvendo.

Pro quibus explendis, aliqua, ſed parca ſanguinis miſſio ex Jecoraria dextra admitti poterit ad ſanguinem potiùs explorandum, quàm evacuandum. Cauterium ſiniſtræ coxæ inuſtum præter rationem non eſſet. Leniens tumori tale Ceratum adaptari poterit.

℞. Diachil. magni cum pingued. ℥. iii. ſucci cyclam. petrolei an. unc. ß. pulv. rad. ireos, herbæ reginæ an. ʒ. ij. m. reform. Ceratum ad ignem, extendatur ſuper aluta, & lieni apponatur.

Primæ viæ expientur potione ex manna clarificata. Inde quinque diebus ſummo mane aſſumat julapium acet. cortic. citri aomatiz. ad unc. iii. tribus additis pollinis crem. tart. drachmis, ut repetatur potio jam dicta, addito rhabarb. & agarico infuſioni conſuetæ. Deinde pro humorum præparatione parari poterit hujuſmodi oxymel.

℞. Fol. capill. Ven. ceterach. tamariſci, fumariæ an. manip. ß. rad. petroſel. fœnicul. cappar. cyclam. an. unc. j. aq. ſtillat. malv. agrim. capill. Ven. cichor. an. lib. ß. m. bulliant ad conſumpt. tertiæ partis, deinde f. fortis expreſſio, & colaturæ adde aceti opt. unc. vj. mellis opt. ſacchari albi an. q. ſ. m. f. oxymel longum

longum S. A. ad ignem, & in ebullitione addatur globulus; ex pulveris radic. ireos odorat. & cinnam. an. ʒ. ß. paratus, cujus dosis est ad unc. ii. in decoct. malv. agrim. borrag. & scolopendrii, in cujus usu insistat ad xv. dies. Verùm post septem primos dies assumat medicamentum minorativum, ex lenit. confect. Hamech & Extracto senæ paratum; quod repeti poterit septem aliis diebus transactis.

Inde ad usum alicujus validi Aperientis deveniendum erit, quod simul & efficax ita parari poterit.

℞. Fol. malv. melissæ, borrag. fumariæ, matricariæ, matrisil. herbæ reginæ, scolopend. origani, pulegii, calamenthi, dictami Creten. an manip. i. rad. cappar. cyclam. althææ an. unc. ij. gumm. ammon. chalybis præpar. an. ℥. ß. salsæ parillæ opt. inc. ligni tamarisci inc. an. unc. iii. aq. stillat. capill. Ven. artemis. agrim. lil. alb. malvarum an. ℔. iv. m. macerentur per duos dies, deinde f. torcularis expressio. Expressioni iterum similia prioribus ingredientia addantur, & fiat nova maceratio per duos alios dies; deinde fiat rursus fortis expressio fæces omnes calcinentur, & reponantur in manica Hipp. deinde liquor expressus fervens ter fæcibus superaffundatur, mox tale lixivium B. M. destilletur, & aqua destillata servetur ad usum; atque tandem colligatur Extractum in fundo Continentis, ad melleam consistentiam redactum. Deinde.

℞. Jam dictæ aquæ unc. vi. summo mane quotidie assumendæ, cui præmittatur bolus ita paratus.

℞. Extracti jam dicti ℈. i. Trochis. de cappar. ℈. ß. m. reform. bolus; in hujus autem usu perseverare poterit integro mense, decimo quoque die assumendo Extractum senæ & polypodii cum flore Cassiæ. Interim in consueta victûs ratione persistat; ut vitam diutius protrahere valeat. *Idem ibidem.*

Observationes.

Pro lienis dolore, duritie, & Inflammatione.

Detur primò vomitus cum vino emetico. Deinde exhibe electuarium spleneticum.

℞. Ras. chalyb. præp. ℥i. scolopendr. ℥i. spic. nard. Lap. lazul. an. ℈ii. cinnam. ℥ß. cum melle cocto despumato. F. elect. cujus sumat. cochl. j. manè tribus horis ante cibum: & vesperi alterum cochl. duabus horis ante cœnam. Rodericus à Fonseca. tom. 2. consult. 75.

Multis & variis tentatis remediis, æger tamen hoc unguento sanus factus est.

℞. Ol. communis ℔iiij. medull. cruris bovis ℔i. butyr. rec. ℔ß. succ. bryon. succ. cyclam. an. ℔i. bulliant ad lentum ignem usque ferè ad succi consumptionem. colat. adde pulv. ceterach. cort. cappar. tamarisc. sem. agn. cast. an. ℥iii. M. F. unguentum. Est hoc unguentum mirabile quo omnes doctissimi Medici Ferrarienses usi sunt, inter quos numerare est Savonarolam, Ugonem de Senis, Leonicenum, Bonaciolam, Manardum, Brassavolam, & omnes hodie ibi artem medicam exercentes, cum quibus nos per septennium ibidem agentes eô quoque sæpe usi sumus & magnum ex ejus usu observavimus juvamentum. *Amatus Lusitanus.* cent. 1. curat. 86.

Pro Lienis obstructione.

Mulier quædam obstructione lienis cum Levi tumore non admodum duro laborans, sequentibus medicamentis utens egregiè habuit.

℞. Endiv. cichor. cum rad. ceterach, cap. ven. cuscut. scolopendr. an. M. i. summit. lupul. M. ß. cort. rad. cappar. tamar. an. ℥ß. sem. agn. cast. ʒii. sem. anis. carvi. an. ʒ. j. fol. sen. ℥iß. epithym. ʒiii. uvarum exacin. ℥i. F. omnium decoctio pro ℔i. add. ℥iii. aceti in decoctione, in colat. dissolv. oximel. simpl. syr. de quinque rad. & de scolopendr. an. ℥i. M. F. julepus. Deinde secta est vena lienaris in manu sinistra, quod egregiè profuit. Postea denuo purgata est, pilulæ iii. ex ℈i. ammoniac. aceto dissolut. exhibitæ sunt, supersorbendo oxymel. scilit. ℥iß. hoc enim solo vidi præceptorem meum Elidæum Bononiæ curasse quendam splenеticum tribus annis eo malo detentum. Jussi quoque ut uteretur vino decoct. rad. filicis, quo & idem præceptor meus uti solebat. Idem dedit Amatus, cent. 6. ad splenis duritiem post universalia remedia, ad viginti dies; minuit enim lienem, ut & fotus aceti acerrimi in quo lapis pyrites candens extinctus fuit, quod acetum spongiâ exceptum ad Gal. mentem optimum est remedium.

Utebatur etiam Elidæus hoc unguento & cerato.

℞. Succ. Bryon. succ. cyclam. an. ℔i. dialthææ ammoniac. in aceto solut. ol. cappar. amygd. d. an. ℔ß. omnia in duplici vase bulliant; adde ceræ q. s. ut F. unguentum.

℞. Pingued. anser. mucilag. alth. an. ℥i. pulv. tamarisc. ceterach. rad. filic. an. ʒi. resin. colophon. ʒii. ceræ, resin. pini, an. q. s. F. ceratum: commendabat pulverem tamarisci in furno exsiccati cum cinnam. in cibis, & in potu dabat pulv. rad. filicis. *Petrus Forestus* obs. 21. *De Lienis Morbis.*

Cùm Villicus quidam Lienosus siti maxima torqueretur, jus cum tribus aut quatuor guttulis spiritûs vitrioli sumens, ad temperandum immodicæ sitis æstum; ex hac potione ventre soluto plus quàm quadragies; siti & obstructione lienis liber convaluit, ita in multis casibus res eveniunt inexpectatæ. *Dominicus Panarolus.* obs. 21. pentecoste 2.

Sacratissimus Imperator Ferdinandus tertius; pro cura verna, ex consilio medicorum, solius limaturæ chalybis crudæ in vinum pallulatum infusione utebatur, quam malè colatam & filtratam frigidè bibebat, & in curru vectus celeriter, quia pedibus uti non poterat; sese per horam exercebat. *Wolfgangus Hoeferus, Herc. med. lib.* 3. *cap.* 3.

Pro Lienis Scirrho.

Post universalia remedia, imperavi, ut hoc arcano Præceptoris mei Faventini uteretur ad quindecim dies, quo omnis durities splenis dissolvitur.

℞. Rad. filicis ℥ß. rad. cuscut. ℥ii. M. & bulliant in ℥viii. vini albi potentis ad tertiæ partis consumptionem: colatura patienti detur. Postea ut hoc unguento regio lienis inungeretur mandavi: quo & alii curati sunt, & magni pretii apud me habetur.

℞. Ol. cappar. ℥i. ol. lil. alb. amygd. d. chamæm. butyr. rec. an. ℥ß. succ. bryon. cyclam. an. ℥ß. ebulliant olea ad consumptionem succorum: adde ammoniac. in aceto solut. ʒiiß. pingued. gallin. medull. crur. vitul. œsyp. humidi an. ℥ß. pulv. cort. rad. tamarisci, capparum, ceterach. rad. filicis, an ʒi. pulv. sem. agn. cast. genist. an. ℈i. ceræ parum. F. unguentum. *Petrus Forestus.* obs. 8. lib. 20.

Ceratum meum de ammoniaco, quo ego utor, fuit impositum: cujus hæc est descriptio.

℞. Ammoniac. dissolut. in aceto, ℥i. dialth. & empl. de melil. an. ℥ß. furfur. ʒi. pulv. rad. bryon. sicc. pulv. rad. ireos sicc. an. ℥ß. pingued. anatis, anser. gallin. an. ʒiii. bdell. galban. an. ʒiß. ol. irin. ʒiß. bulliant leniter in mucilagine sem. lini, fænugræc. an. q. s. adde ceræ ℥ß. terebinth. & resin. pini, an. ℥iß. F. ceratum S. A. Plurimùm emollit & resolvit duritiem scirrhosam ut

ut hoc ipsum pro arcano habeam, ac in officina pro me semper paratum inveniatur. Deinde lien fomentabatur cum aceto in quo lapis molaris vel pyrites candens extinctus sit. Idem. observ. 10. lib. 20.

Virum quendam à multis annis scirrho lienis graviter laborantem, divino favore fœliciter & brevi, his quæ sequuntur medicamentis, sanitati restitui. Instituta itaque primò optima victûs ratione, sequens lenitivum exhibui.

♃. Fol. agrimon. veronic. cuscut. scabios. fumar. an. M. ß. sem. anis. & fol. sen. an. ʒii. F. decoctio in colat. ℥iiii. dissolv. confect. hamec. ʒiii. diacathol. ℥ß. M. F. potio.

Purgato corpore, sequens præscripsi apozema.

♃. Rad. fœnic. aspar. lapat. acut. scrophular. polypod. q. saniculæ, cort. inter. rad. frangulæ, an. ℥i. fol. agrimon. veron. cuscut. scabios. ceterach. fumar. scolopendr. cap. ven. cochlear. nasturt. aquat. an. M. j. fl. genist. sambuc. an. M. ß. sem. fœnic. anis. an. ʒi. liquir. ras. uvar. pass. exacinat. an. ℥iß. fiat decoctio S. A. in colat. ℔i. dissolv. syr. de scolopendr. de epithymo, an. ℥iß. aq. cinnam. & aceti. an. ℥j. M. F. apozema pro tribus matutinis. Interim loco affecto sequentem applicui sacculum.

♃. Rad. alth. malv. cum toto, an. ℥i. fl. chamæm. melil. sambuc. fol. cochlear. nasturt. aq. an. M. ß. incidantur & contundantur, indanturque sacculo, quo filo intertexto, & in aq. cocto, calidè bis aut ter quotidie applicetur. Post fotum totum latus unguento meo, ad splenes induratos inunxi, emplastrumque meum de cicuta supra alutam extensum applicui. Hisce scirrho emollito, sequentem potiunculam propinavi.

♃. Confect. hamec. ʒiii. extract. hellebor. nigr. gr. vi. aq. cinnam. ℥ß. cum decoct. præscripto F. potiuncula, sumatur mane. Corpore ac potione tam per superiora quàm inferiora (absque tamen ulla violentia) probè expurgato maximum levamen persensit; evomuit enim multùm humoris adusti, nigri, & melancholici, procul dubio ab elleboro ventriculum versus attracti: quapropter ne imperfectum relinqueremus opus inceptum, denuò apozematis præscripti doses sex vel septem exhibui, interim quoque fomentationibus, inunctionibus & emplastro præscripto usi sumus: per intervalla quoque potiunculam ex confect. hamech. & extracto ellebori propinavi. Sic divino favore plenissimè convaluit, multosque deinceps annos incolumis supervixit. *Fabritius Hildanus* obs. 49. cent. 2.

Unguentum ad splenes induratos ex oleo amygd. d. ol. de cappar. pinguedine humana, ursi, caponis & anseris, in quibus succus cochlear. nasturt. aq. & tamarisc. coxerit, conficio. Addo nonnunquam nonnihil gummi ammoniac. dissoluti aut in prædictis succis aut aceto scillitico. Idem. pag. 657. Ibi etiam habetur descriptio empl. de cicuta.

Mirabile est Emplastrum ex cicuta cum ammoniaco, aceto dissoluto. Accipe cicutæ Miiii. ammoniac. ℔ß. infunde aceto acerrimo dies octo. Deinde bulliant, dum ammoniacum solvatur, hinc per pannum fortem lineum validè exprimatur, iterumque expressus liquor ebulliat quinquies, & adjectâ cerâ, cum oleo amygd. d. F. unguentum. Hoc sit pro secreto: nam omnem duritiem mollit. *Joann. Heurnius. lib. 2. Method. ad praxin. cap.* 10.

In lienis scirrho remedium habeo probatum, ceratum nimirum compositum ex duabus partibus ammoniaci in aceto dissoluti, unâ succi tabacci, dimidiâ resinæ pini, terebinth. & succ. ebuli, unâ olei de cappar. & ceræ novæ q. s. ad empl. seu cerati formam adipiscendam, quod emolliente & dirigente sua facultate plurimos obduratos lienes sanavit: dicam vobis aliud quod ostendit aliquando experientia: curabam quendam nobilem; cujus custos domûs erat hydrope affectus ex scirrho lienis, quem habebat permagnum, cui ego ordinavi spongiam ex aqua calcis vivæ expressam. Sanato domino non ampliùs accessi, neque ille me adivit, sed expertus indies magis spongiarum earum utilitatem perpetuò usus est spongiis jam propositis, quousque tum ex hydrope, tum ex scirrho lienis fuerit curatus. *Hier. Fabrit. ab Aquapendente* libr. 1. *Chirurg. cap.* 51.

Puella septem annos nata correpta fuit febre quartanâ, & post curationem ipsius incidit in tumorem durum & scirrhosum lienis: curata fuit solo usu aq. stillat. tamarisci; cum oleo vitrioli: sumebat singulis matutinis horis jejuno ventriculo, istius aquæ ℥iv. cum ol. vitriol. gr. vii. & intra mensem perfectè curata fuit. *Joh. Faber.* curat. 67.

Novi vetulam quandam (cùm viginti annis splenetica fuisset) tumore lienis duriusculo laborantem solo continuo esu capparum convaluisse. *Petrus Forestus.* obs. 2. lib. 20.

De exciso Liene ex homine, sine noxa.

Sculterus pagi *Henickenhagen*, non procul à Colberg. à rustico, quem in terram prostraverat, sibi subjacente in sinistro latere cum cultro graviter fuit sauciatus: in cultri acie media scissura magnam simul partem lienis extraxit: subsequentibus subinde vomitibus, magis fuit lien expulsus, & per noctem illam in suo sanguine, ob absentiam talium, absque adjutu ullius, qui potuisset opem afferre, decubuit. Manè è Colberga jussu Magistratûs, Nicolaus Matthiæ, Chirurgus Colbergensis, adveniens miserum in cruore immersum invenit, lienemque è corpore propendentem tumidum. Omnes, qui tum præsentes cum Sacerdote fuere, vidêre splenis parenchyma, & admirati sunt, tam nobile viscus per vulnus prominere. Chirurgus cum lacte, cæterisque ad idoneam fomentationem facientibus herbis plagam curare aggressus, patientem circa Solis occasum in urbem Colbergam tranferri curavit. Postero die Medico ad consilium vocato, lienem per vulnus prætumidum monstravit, & utrum præscindere eundem deberet, quæsivit. Ille verò, quia neminem sine liene vixisse unquam docuerint Authores, renuit: nec enim unde postea effluens affatim sanguis ex abdomine, viam vel modum exitus habeat, sibi constare, respondit. Chirurgus è contra, quia per lien amplius per vulnus intrudi, inque locum suum convenientem reponi posse non videret, satiùs esse illum auferri judicavit.

Huic assensit patiens, in tali mortis versans discrimine omnia pati patienter paratus. Tunc sericeo partem splenis propendentem arctim ligavit vinculo, & integrum viscus extraxit: Hinc eam, qua adhærebat corpori, partem funiculo perstrinxit, & tertio post die universum sectione abstulit lienem, sanguinem abundè fluentem pulvere stiptico compescuit, cæterisque convenientibus medicamentis intra trium septimanarum spatium ad sanitatem, vulneratum reduxit, remanente saltem in illo vulneris loco tuberculo avellanam æquante; quia vasa ibidem abscissa carni se agglutinarunt. In hunc usque diem commodè cum uxore, non exors prolis vivit, laboribusque solitis præest. *D. Danielis Crugeri.*

De Lienis resectione in Cane vivo.

Anno 1663. mense majo, assidente Magistro Pearle, Ducis Eboracensis Chirurgo ordinario, è cane gregario, quoad corporis molem mediocri, non pingui, lienem exsecui, transversim facto vulnere circa lienis regionem, ex quo iratum animalculum, partem omenti, intesti-

intestinorum & ipsum lienem extrusit, quem nullâ factâ ligaturâ, partim secando, partim digitis separando penitus avellimus, deinde partibus cæteris extrusis repositis, vulnus statim consuebamus, & hirriens animal servi curæ commisimus, qui brevi post suturas priori ab irato animali rupta, vulnus iterum consuere coactus erat. Ab illo tempore tamen canis perfectè sanus evasit, magis quàm antea mansuetus, & ad actus venereos postea valdè proclivis.

Hoc modo vitam sanam & multò jucundiorem degit, & pinguior etiam evasit. Mense Aprili anni sequentis, canis, quo casu nescimus, præ foribus mortuus & rigidus, capite contuso inventus est.

Aperto cadavere partes carnosas rubicundiores, quàm in aliis animalibus observavimus, uti & pinguedo, ubicunque erat, albissima apparebat. Mesenterium in vasorum interstitiis, diaphaneitatem, illius instar quæ in septo lucido reperitur, exhibebat; vasorum tamen ramificationes ubique pinguedine illa albissima coopertæ. Partes cæteræ omnes, pro naturæ modo apparebant; partes tamen omnes rubicundæ floridiores erant, quàm in aliis apparere solent animalibus, & partes albæ multò albidiores, quod quidem non injucundum præbebat spectaculum; sed ubi lien exsectus erat, pars omenti, & vasa splenica, cicatrici interiori vulneris firmiter annecti videbantur. *D. Timoth. Clarchii.*

Num lien certa veneris sedes.

Veneris sedem, vel malis nidum in Liene esse Helmontius Author est Tr. de asthm. & tuss. §. 58. Id quod Veteres simili illustravêre, ut conjicit citatus, dum Saturno Splenem Deastrorum primo, primam adscripsere paternitatem & inde Faunos & Satyros (genus salacissimum atque scurrile) figura depinxere. Quam sententiam multis firmare rationibus nititur in Tract. Jur. Duumvirat. ubi tandem §. 42. ita concludit. Uti Sanguificatio in venis mesenterii tanquam Jecoris stomacho: Sic spermatis coctio fit in testibus à Splene. Huic Opinioni magnam lucem affundere videtur Experimentum D. N. Frederici Deckers Med. Doct. in notis & observationibus nuper editis ad Praxin Barbettianam p. 221. lit. b. annotatum.

Dissecuimus quoque subinde canes lienem eximendi gratiâ; notatu dignum observavimus in cane fœmella jam destituta atque curata; nempè quod annum circiter à dissectione catulire incipiens, cùmque aliis canibus bis terve congressa, nunquam conceperit nec catulos produxerit; quare nonnulli lieni vim sanguinem prolem generandi aptum adscripsere.

Verùm autem verò, de singulis circa Naturam præprimis versantibus dubitare magna pars est Sapientiæ, vel ad minimum via ad indagandam veritatem, sic dubium mihi cum D. N. Regnero de Graeff amico meo integerrimo Anno 64. Leidæ decretum fuit simile experimentum. Canem fæminam ipse in ædibus paternis Schonoviæ alebat, ut meliùs cura ipsius haberetur, cui excissus lien erat. Quæ Canis postea imprægnata duos vivaces genuit catulos, & quod mirandum, quod canis aliàs vegeta duos solùm produxit. Et quo experimento liquet, licèt Lien haberet vim spermaticam, tamen non sufficere, ut illo sublato tota quoque tollatur animalis fœcunditas, licet imminueretur, nisi quis hîc instare vellet fœcundum quidem habuisse semen istum canem sed antea paratum & reconditum antequam Canis liene privata fuerat. Ex altera parte in dubio manet an lieni paucitas annumeranda, an potiùs massæ sanguineæ, ex qua Spiritus genitales extrahuntur, quæ non ita disposita fuit quemadmodum in aliis, nam licèt Lien absque canis interitu exscindi possit, & canes isti vivaces æquè ac alteri videntur, tamen dubito quod functiones naturales æquè peragantur, quemadmodum in aliis; Lien enim non est viscus inutile, uti censuere nonnulli Anatomiæ ignari, mirabilis enim & copiosa arteriarum & nervorum textura longè aliud docent, & licet Lien non ad esse, tamen necessarius erit ad bene esse Animalis.

Quæ experimenta jam cùm mihi ipsi non sufficiant, ut vel in dubiam vel vanam proclamem Helmontii sententiam, hîc Tibi author sum B. L. si majorem certitudinem desideras, ut varia experimenta tentes canesque fœminas & masculos quibus Lien sectus jungas, ex quorum reiterata conjunctione certò certiùs Sententiæ veritatem invenies.

Scholion.) Notum est à multis & primæ notæ Anatomicis sæpius operationem per quam exscinditur lien fuisse tentatam & levi quoque diligentiâ illam peragi posse, & ut plurimum feliciter succedere. Hinc miror nonnullos esse Summos Medicos, & inter illos aliquot Anatomicos, qui negant illam assertionem absque interitu animalis impossibilem esse, quia ipsimet experimentum tentarunt, sed cum morte canis. Quorum in gratiam, & illorum qui adhuc illud tentare volunt addo, quod cauti sint in ligatura vasorum abscissorum, nam multi unicâ ligaturâ omnia vasa constringunt, quæ vix sufficit, Sanguis enim copiosus movetur ad vasa abscissa, qui impetu suo sæpius vasa à ligatura liberat, per quæ sanguis & cum ipso Vita exitum quærit animalis.

Et hinc mors non dependet ex defectu lienis, sed potius ex operatione non ritè peracta. Si itaque successus in hac operatione sperandus, singulis vasis, singularis & quidem artificiosa injicienda ligatura, vel potiùs bifida si possibile est. Plura curiosa de Liene addere possem, sed illa tibi B. L. promitto invenienda in anno secundo Miscellaneorum. Unicum addo, quod dubiam meam mentem tenet de Liene, qui si Sedes esset Veneris; fermentumque præparet quod semen reddit fœcundum, cur non secundùm leges Circulationis sanguinis via adsit manifesta per quam Natura illud duceret ad testiculos. Posito enim in liene præparari fermentum aliquod, Lien tamen nulli parti illud communicare potest quàm Hepati, nisi quis statuere vellet lienis fermentum priùs admixtum toti massæ sanguineæ, tandem cum sanguine advenire ad testiculos, quod assertum tamen an subtilitati an potiùs veritati annumerandum nescio. *Joach. Georgii Elsneri.*

De Lienis resectione in homine vivo.

Lanius quidam rusticus in parte hujus Insulæ Occipentali, in Comitatu Sommersetensi, in villa prope Crookhorne, VVayford dicta, Guilielmus Panier, nomine, ære alieno oppressus, ne in jus caperetur, semet ut plurimum abscondere coactus erat, tandem dum privatim laniavit, lictores illum jam capturi erant, quos ut evitaret, vir desperabundus, cultrum laniarium in sinistram abdominis partem adegit, unde magno facto vulnere, pars omenti, intestinorum, & lien etiam statim erupere. Hinc lictores perterriti, virum, ut putabant, moribundum, statim dereliquere; Per trium dierum spatium, vulnus sine sutura manebat; tandem verò accersitus chirurgus, retrusis intestinis, partem omenti, cum liene, cultro abscindebat, & consuto vulnere brevi convaluit lanius, & per totum annum sequentem sanus & hilaris vitam degebat, & deinde in novam Angliam profectus est, ubi non ita dudum sanus adhuc vivebat. Vir fide dignus & testis oculatus Doubeny Tubevile M. D. & inter nostrates oculorum medela

medela celeberrimus, hanc obſervationem mecum communicavit. *D. Timothei Clarkii.*

Lien, citra Sanitatis læſionem, exciſus.

Clariſſ. Marci Gerbeſii. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

De genuino Lienis uſu, etiamnum ſub Judice lis eſt. Communiter tamen, & probabiliter videtur is eſſe ſanguini à craſſioribus, vulgò tartareis dictis, acidis & atrabilariis particulis depurando dicatus. Quæ aliàs ex quocunque hujus viſceris defectu in corpore relicta evaderent plurimarum graviſſimarum indiſpoſitionum cauſa: imprimis obſtructionum, magnorum lienum, ſchirrorum, melancholiæ, ſcorbuti, arthritidis vagæ, febrium quartanarum &c. Id quod quidem, ſi ita eſt, libenter videbo; ſi benignum Numen eò uſque mihi vitam prorogarit, quînam ſe habitura ſit triennis puellula, elapſo menſe Julio in noſtra hac Labacenſi Urbe, à propria ſua matre Liene fortuitò privata? Infecerat verò paulò poſt, cum veſpertinâ quieti ſeſe dederat lectum puellula, interdiu ceraſis nimium paſta. Hinc in iram concitata Mater, eam fortè obvio ceraſi ramuſculo in craſſiore ſui parte, alium ramunculum inſtar unci retortum ſibi adnatum habente non ſolùm acerrimè verberaverat, verùm eodem in ſiniſtrum hypochondrium adacto, eatenus vulnerarat, ut cum retracto ramuſculo extraxerit totum quantum Lienem.

Advocaverat propterea in ſubſidium citra moram Chirurgum Joh. Bapt. Funtun rei geſtæ unà mecum etiamnum ſuperſtitem teſtem. Hic primum reponendum cenſuerat eſſe lienem, & deſuper vulnus more ſolito conſolidandum: aſt negotium non ſucceſſit. Hinc mutato conſilio potiùs deligandum, & poſtquam nonnihil emarceſceret abſcindendum eſſe unà mecum concluſerat. Dictum factum. Lien proximè ad radicem filo bombicino ligatus fuit; poſt quatriduum abſciſſus & extremitas ejus unà cum filo ad interiora retruſa, extremitate fili tamen ad extrà, uſque dum ſponte abſceſſiſſet, propendente. Et tractato more ſolito vulnere, puellula eatenus priſtinæ ſanitati reſtituta eſt, ut etiamnum vegetiſſima vivat.

Dixi autem me libenter viſurum, quînam ſe cum tempore puellula hæc habitura ſit. Suppoſito ſiquidem allegato lienis uſu inevitabile videtur puellulam ſucceſſu temporis graviſſimis morbis fore obnoxiam non obſtante, quòd ſpleneticam mulierem exempto 32. lib. Schirroſo liene meliori ſanitati reſtituiſſe legatur *Florovantus:* neque obfuiſſe, ejus abſciſſionem certo lanio, & Ruſtico teſtentur *in Ephem. Nat. Cur. Clarkius & Hannæus: Lentilius* autem Sutorem Crailshemenſem in pueritia liene orbatum planè in velociſſimum curſorem evaſiſſe. *Si Lien* ſiquidem, uti in *Tract. ſuo de Scorbuto Cap. 3. ait Mœllenbrocius, officii oblivifcatur* (magis autem ſi planè abſit) *partes tartareæ atque ſalia ſylveſtria in ſanguine non ſeparantur & excernunt ſed ceu grave pondus in hypochondriis commorantur, obſtructiones augent. & accedentibus poſtmodum aliis cruditatibus peculiari modo corrumpuntur: unde corroſivam & acrem cum peculiari quadam malignitate conjunctam, & quaſi venenatam acquirunt naturam atque ſcorbutum, varioſque ex eo oriundos in corpore noſtro inducunt affectus.*

Lien putridus ex abdominis ulcere prodiens.

Curioſa ſanè mihi ac rara viſa eſt obſervtio, quam antè aliquot menſes amicus meus Carolus Ferrerius Med. Doct. communicavit. Atque hæc ipſius D. Ferrerii enarrata verbis Hiſtoria eſt.

„ Mulier ætatis ann. xxx. Temperamenti ſanguinei, „ cæpit Januario menſe An. MDCCXI. febriculâ „ laborare cum Tumore ad tactum profundo, circum- „ ſcripto, ac duro in hypogaſtrii parte ſiniſtrâ: Qui „ Tumor de die in diem unà cum doloris ſenſu in mani- „ feſtam ſurrexit molem, ſuccedente pedis ac cruris „ inflatione. Interim pus per pudenda cum diminutio- „ ne Tumoris, atque Ægrotantis modico Levamine, to- „ to Februarii menſe effluxit, perſeveranti tamen fe- „ briculâ, Tumoriſque duritie ac profunditate. Qua- „ tuor tandem exactis menſibus macilenta jam Mulier „ facta maraſmo appropinquabat. Julio menſe, ubi „ Tumor erat, undulationem Chirurgus percèpit; ideo- „ que tres circiter infrà umbilicum digitos lateraliter „ Lanceolam adègit; unde inſignis effuſio fætidiſſimi „ puris per multos dies ſubſequùta eſt. De atrociſſimis „ intereà doloribus Ventris conquerebatur Ægra, maxi- „ mèque in Hypochondrio ſiniſtro; tantàque fuit pu- „ rulentæ acredo materiæ, ut ſpontè alterum ſibi in um- „ bilico orificium paraverit, quod aliquantulùm dila- „ tatum fuit; quare ex utroque orificio ſanies mana- „ bat. Ad ſummam ferè maciem Corpus Mulieris per- „ venerat, cùm medicamentorum, quæ fætido ventri „ applicita fuerant, renovaturus apparatum Chirurgus, „ & ad orificium Umbilici magnum corpus corruptum „ animadvertens accerſitum me fecit. Putabat is Inte- „ ſtinorum putreſcentium maſſam ſe exhibere; at ego „ minimè inteſtinalem obſervans figuram, quidquid ta- „ men id-ipſum fuerit, tanquam putredine affectum, eſ- „ ſe educendum putavi. Itaque haud difficilè Chirurgi „ dexteritas hanc molem extraxit, Corpus hoc di- „ ligenter & oculatè examinatum, lienoſam omninò „ formam referebat. Octo tranſverſos digitos Longi- „ tudo, craſſitudo duos, quatuor latitudo ſuperabat. An- „ terior pars propriâ adhuc tunicâ veſtiebatur. Sub- „ ſtantia ejus à naturali Lienis ſubſtantia vix recede- „ bat. Poſterior pars corruptam ſuperficiem oſtende- „ bat. Sequenti nocte paululùm ægra quievit, indèque „ cibum appetere cæpit, & meliùs ſe habebat. Cæ- „ terùm multorum ſpatio dierum (quod mirabile eſt) „ portio alimenti vix immutati unà cum putridis recre- „ mentis per idem orificium prodibat. Nihilominùs fe- „ bris ſenſim evanuit, atque per orificium paulatim „ anguſtius factum ſeroſi tandem humoris portio dum- „ taxat fluere conſueverat. Poſtremò ſanitati reſtitu- „ ta eſt Mulier, cujus facies vividum, floridùmque colo- „ rem nunc refert. Viribus validis, naturalìque men- „ ſtruâ purgatione gaudet.

Extractum atque exſiccatum Corpus, quod ſpleni videtur ſimillimum, mihi humaniſſimè D. Ferrerius miſit. Experientiſſimo Chirurgo D. Alberto Vernæ dono dedi. Plurima ſunt, quæ in hàc Hiſtoriâ notatu digna reperies: Singula tibi examinanda relinquo: Hoc unum, quod ad rei veritatem pertinet, admonebo: ingenuo ſcilicet, atque perito Auctori fidem omninò eſſe habendam. *Ex communicatione amicâ Præclariſſimi Viri Joh. Fantoni, Profeſſoris Taurinenſis Celeberrimi, & Regii Archiatri.*

Lien ruptus, Anatome deprehenſus.

Clariſſ. Caroli Raygeri. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 2.

Nunquam ſatis mirari poſſum, quoties mihi occurrit abſurda illa & plena periculi Chirurgia in Schirro Lienis, viri alicujus nominis, cui multi fidebant Patavii, quam nominabat Splenem exſcindere aut Splenis exciſionem, cujus meminit Fab. ab Aquapendente de Curat. chirurg. pag. 248. Ponebat chartam ſupra lienem indura-

induratum, & supra chartam aciem securis, tum malleo securim percussit validè, & dimisit Patientes velut sanatos. Post plurimos ita tractatos tandem malè cessit cura, nam uno ictu & abdomen & Lienem & vitæ filum praecidit. Mirum sæpiùs factum non fuisse, valde enim tenella est membrana Lienis, ita ut levi ictu bacilli ruptam referat Tulpius Lib. 11. Obs. 29. Accidit Anno 1684. circa initium Decembris ut uxor cum marito aliquot saccos in inferiorem domus fornicem portando, impar ponderi unà cum sacco in gradibus caderet, omneque frumentum effunderet; succensus maritus graviter ipsam objurgavit, à verberibus tamen, quibus aliàs non infrequens erat, abstinuit. Ascendens vicinis suis conquesta uxor se graviter impegisse in sinistrum latus, ac dolorem ibi sentire, hoc tamen non obstante incipit ad pinsendum panem farinam subigere, maritus interim rixas & jurgia continuat; quæ etiam vicinæ mulieres audivêre. Derepente maritus aperit januam clamat ipsis ut intrent, videant quid sit illi bestiæ fortè temulentæ. Accurrunt illæ, deprehendunt fœminam agonisantem sine loquela; & post aliquot suspiria expirantem. Perterritus maritus, cùm potuisset fugere, nec pedem movit, in eo perseverans, tantùm intra verba mansisse litem, ad verbera non fuisse deventum. Alterâ die apertum cadaver, me præsente, perlustratum externè totum corpus, utrùm aliquod signum plagæ appareret, sed cutis naturaliter sine vibice aut livore deprehensa, venter verò horrendum in modum tumebat. Tegumentis remotis, tota capacitas abdominis plena inventa sanguine grumoso & ichoroso, quo evacuato, & intestinis ad latus repositis, Lien sat magnus (laborabat enim ut adstantes referebant Scirrho Lienis) aspectui se obtulit, in gibba parte secundùm longitudinem disruptus, unde ista effusio sanguinis & mors. Examinatus maritus, constanter negavit se ipsam vel baculo vel manibus percussisse. Hinc conclusum ex lapsu fortè aliquam læsionem aut rimam parvam acquisivisse, quæ validâ farinæ subactione aucta & dilatata, sanguinis profusionem & consequenter mortem intulit. Ita autem fuit omnis extravasatus sanguis per istam lienis fissuram, ut in trunco venæ cavæ, in cruralibus &c. ne guttula remanserit.

LIGATURARUM VARIÆ SPECIES.

Vide de iis sub titulo *Fasciationes*, sed præcipuè in *Instrumentis Chirurgicis*.

LINGUÆ MORBI.

De Linguæ fabrica hîc aliquid præfaremur, ni illud abundè factum esset in Bibliothecâ nostrâ Anatomicâ per Illustrissimos Viros Marcellum Malpighium, Carolum Fracassatum, ac Laurentium Bellini, quorum Dissertationes integras exhibuimus; illuc itaque Lectorem remittentes, in præsentiarum tantùm de hujus partis morbis agemus.

Sunt autem Linguæ affectus, ejus pustulæ & ulcera; ardoris sensus, nigrities, paralysis, convulsio, aphonia, magnitudo excedens, tumor, sanguinis fluxus ex ea immodicus; procidentia, gustus læsus, ranula, balbuties; item frænum, seu vinculum strictius, ac vulnera.

De Linguæ pustulis & ulceribus, jam actum capite de aphtis, in posterumque etiam agetur ubi de Lue venereâ. Ardoris sensum citra aliquam inflammationis apparentiam observavit Clar. Platerus; nosque etiam non semel vidimus; cui non aliàs medebamur quàm per universalia seri acrioris correctiva, ac præcipuè remedia antiscorbutica dicta, additis topicis quibus ichoris in papillulas fibrasque omnes hujus partis depositi, illamque adinstar aquarum stygiarum adurentis, vis obtunderetur. Nigrities in febribus mali moris satis est familiaris, ac remediis ibi allatis curatur. Vidi eam autem semel exortam ab assumptis pilulis lunaribus ejus compositionis quam maximè deprædicat, pro hydrope curando Illustrissimus Robertus Boyle in sua Philosophiâ experimentali; ac eam tam profundè impressam, ut nullâ arte detergi potuerit, sed ad finem usque vitæ perduraverit. Paralysis ac Convulsio nihil habent peculiare, quod propriis de hisce morbis capitibus non explicetur. Aphonia est proprius paralysis partus, vel naturæ vitium inemendabile, ac propterea speciali non opus habet tractatione. Totam linguam tumidam non semel etiam observavimus; indeque & loquelam & deglutitionem non parum impeditas. Huic malo providebamus per venæ sectionem, purgantia medicamenta, decoctum satureiæ & hyssopi ex vino & melle, adjectis etiam quandoque cucurbitulis scarificatis, raninarum venarum apertione ac salivam educentibus masticatoriis. Tumoris historiam raram à Clariss. Jul. Cæsar. Claudino mox adducemus, alios præterea multos nos ipsi vidimus, inter quos sufficiat uno verbo adferre illius historiam quem in Reverendissimo quodam Abbate non ita pridem adnotavimus; enascebatur in latere sinistro, spatio inter linguæ apicem ac radicem intermedio; nucemque juglandem magnitudine suâ æquabat. Ejus indolem curiosiùs rimatus, adverti illum quidem lividum, verùm non ex aliqua malignitate, sed tantùm per dentium vicinorum continuam attritionem; nihil durum in se continebat, sed flaccidus ac molliusculus erat, & à mera resolutione fibrarum partis oriebatur. Itaque nullatenùs probavi sententiam eorum qui vel scarificationes, vel incisiones, vel ligaturas consulebant; uniceque in eo fui ut post generalia remedia, pars specificis confortaretur: inter quæ sanè præcipuum tenuit locum essentia gummi laccæ paucis admodum volatilibus maritata: sic enim fibræ ad propriam mensuram propè fuere reductæ, humorque in spatium ab earum resolutione, ac quasi hernia, effectum inductus, ità fortiter expressus, ut jam commodè tumorem, aliàs sanè molestissimum, Vir Reverendus tolerare valeat. Sanguinis fluxus, vel à venis ac arteriis per morsicationem laceratis, vel ab iisdem lanceolâ compunctis oritur. Illius exempla duo vidimus insignia, primum quidem in viro epileptico, qui non tantùm ineunte paroxysmo linguam mordebat cum multa effusione sanguinis, sed semel etiam totam eam prope per sui medium conscidit; ita ut in vulnere curando futurâ linguæ opus fuerit. Aliud in viro admodum plethorico, cui subinde lingua tumens per dentium attritionem cum multa sanguinis expuitione lacerabatur. Hujus verò pluries testes fuimus, dum scilicet sanguis sero salsuginosiori prægnans inflammationes enormes in faucibus, tracheâ, arteriâ, œsophago, ac etiam ventriculo pariebat, ac præcipuè in iis qui hydrope pectoris laborabant, aut longis intestinorum ardoribus affligebantur, imò qui etiam aliàs suffocatione afficiebantur. In illis etenim post raninarum apertiones fluxum non tantùm immodicum, sed etiam aliquando ad mortem usque perdurantem, adnotavimus, unde in istis tundendis venis in posterum circumspectiores ac magis sobrii fuimus. De Procidentiâ hæc habet Platerus. Linguæ procidentia evenire potest, vix tamen aliud ipsam quàm summa pariet vis, cùm connexus per musculos, tunicam succingentem & ligamentum factus adeò firmus existat. Accidit tamen in contusione colli, vel pectoris vehementi, qualis est ea quâ valido rotæ ictu latronibus, membra & artus frangun-

tur, ut lingua procul ex ore mortuis exeratur; quod & ex casu potest accidere. Sic memini infanticidæ, cui collum laqueo frangebatur, abrupta resti deciduæ, linguam ex ore procidisse, à vehementi exitu aëris in pulmonibus coërciti linguam foràs propellentis. Hæc autem procidentia, cùm vix nisi à mortali læsione proveniat, lethalis plerumque est; quod si supervivant, aliis potiùs accidentibus gravioribus quàm huic cura adhibetur, Gustûs, tum naturalis, tum læsi, rationes in partis explicatione traduntur, hujusque per consultationes ac observationes curam proprio capite adduximus. De Ranulâ propriô itidem capite agetur. De Balbutie verò ac Blæsitate, Bibliotheca Medico-Practica videri potest.

Curationes.

Linguæ morborum Curatio generalis.

In Ranula sub initium præsertim aperiatur vena sub lingua: Quidam ranam vivam nuchæ applicant: non tamen semper respondet effectus.

Paralysis linguæ, præmissâ universali ipsius curâ, curatur frictione linguæ cum semine Erucæ & theriaca. It. oleo anisi in apicem linguæ instillato. It. Balsamo vel oleo caryophyllorum, spiritus cerasorum nigrorum loquelam amissam ad miraculum usque restituit.

Aphonia in genere curatur ut paralysis: in specie autem laudatur (præmissâ capitis universali purgatione.) 1. Aqua liliorum convallium. 2. Aqua Antapoplectica ex flor. lilii convallium & lavendula, de qua in Apoplexia. Quòd, si alterutri sanguis turturis fuit permixtus (sanguinem turturis universum in ℥ii. vel ℥iiii. aquæ misce) & tandem in usum revocatus, aquâ nempe colluendo linguam aut diutius in ore tenendo feliciùs succedet vocis restitutio.

Ubi tamen semper ad casus fuerit respiciendum, pro quarum varietate medicamentorum farragines quoque variant.

Præmissis igitur universalibus pertinentibus, localia tum loco affecto, tum prætereà in vertebras colli, nucham & collum ipsum reliqua sunt dirigenda, quę petantur â Practicis.

Balbuties difficulter tollitur.

Gustus depravatus amarus corrigitur usu radicis cichorii conditę, sic etiam amaritiem linguę tollit sal cichorii. It. rasura ipsius linguę cum radice zedoarię. Item gentianę.

Si abolitus vel imminutus, 1. tundantur venę sub lingua. 2. Utere gargarisinate, quod in affectibus oris communibus & angina est pręstans.

℞. Herbę malvę hortensis Mj. flor. rosarum rubrarum, prunellę, Veronicę, salv. an. Mß. rad. polypodii quercini ʒii.

Coque in aq. purę ℔iv. & acet. vini ℥vi. usquè ad casum transversi pollicis, postea colentur & colatura leviter exprimatur.

3. Fiat talis mixtura. ℞. spir. vitrioli ʒß, sp. Vini ℥iij. mellis ℥j. M. instar linimenti: hoc linimento post adhibitum gargarismum illinatur lingua, & imminutus gustus paulò post redibit. *Joh. Hartmann. in Prax. Chimiatrica.*

Linguæ Vinculum nimis strictum, sic curat Clariss. Nuckius.

In nonnullis infantibus Linguę Vinculum adeò strictum existit, ut nec ubera premendo lac sugere, nec ad majorem ętatem provecti, articulatè loqui possint, nisi Chirurgica manus huic malo opem tulerit.

Non tamen ita temerè, quemadmodum communiter fieri solet, hîc procedendum arbitramur; quoniam adeo vulgaris hic affectus non est, quàm quidem vulgus credit, quod imprudenter nimis vinculum naturaliter sæpe dispositum, non rarò dissecandum cupit. Omnium verò maximè culpandæ veniunt obstetrices illæ, quæ pollicis aut digiti unguibus frænulum dilacerant.

Indicium autem est, Operationem hanc esse necessariam, si infans ultra dentes & labia linguam exserere nequeat, vinculùmque versus dentes incisores solito quidem magis prolongatum, sed contractum conspiciatur.

Tunc itaquè Chirurgus sinistrâ linguam exsertam teneat, alteraque manu transverso vulnere vinculi hujus portionem forficis ope incidat: dein *Melle Rosaceo* aliquoties de die partem læsam inungat.

Cavendum interim probè, ne ad candelæ lucem sectio instituatur, nec vas arteriosum aut nervosum aliquod lædatur, seu Ductus Salivales inferiores dissecentur, ne hæmorrhagiâ & doloribus infans pereat, aut molestissimo ptyalismo, nullâ arte restituendo, tenellus patiens afficiatur.

Si verò fortè contingat, vas aliquod sanguineum læsum, copiosum sanguinem exspuere, hæmorrhagia talis alioquin satis periculosa, nullo medicamento rectiùs compescitur, quàm admoto *Penicillo Vitrioli Ungarici* particulâ instructo.

Quod si vinculum breve admodùm tensum, crassiusculum, aut carnosum fuerit, temerè, nec sine periculô sectio instituatur.

De consuendâ linguæ *majori ex parte per vulnera resectæ methodô, Vide Fabricium ab Aquapendente, in* Vulneribus, *sub finem Appendicis ad suum de iis Tractatum, quem integrum illic inserimus.*

Consultatio

Pro Nobili puella Romandiolensi linguæ tumore miro affecta.

Memini apud Galenum me legisse, linguam naturæ limites secundùm magnitudinem egressam, vario modo intumuisse, nam lib. de differentiis morb. 9. tumorem præter naturam, sed non totô genere (quod ibidem linguæ incrementum dicit) citra aliquam substantiæ mutationem proponit, at 14. Meth. 8. tumor verus, & inflammatorius, tanquam ille, qui succo lactucæ adhibito curatus fuit, ab ipso traditur, ut propterea tumor linguæ propositus in nobili puella 12. annos nata necessariò, & ipse vel incrementum simpliciter linguæ, vel tumor ejusdem verus sit constituendus.

Non esse autem tumorem verum ex eo convincitur, quoniam esset vel immflammatio, oedema, vel scirrhus; non primum quoniam est indolens, non secundum, quia prementi manui minimè cedit, & fovea non remanet, neque tertium, quoniam haud omnino sensu caret; Relinquitur igitur, ut sit incrementum illud à Galen. propositum loco citato absque ullo sensu doloris, quod tamen actionem duplicem lædit, nam & locutionem vitiat, quia puella veluti balbutiens loquitur, & incisionem ciborum aufert, tanquam eam, quæ dentibus anterioribus, ac incisoriis dictis celebratur, ut necessariò sit morbus, & morbus in magnitudine aucta valde, quoniam est adeo insignis tumor, ut in ore nullo modo contineri possit; Occupat autem apicem & paulo plus, non autem mediam pro majori parte, atque linguæ radicem, ut unicuique perspectum esse potest, ex quo non mirum si comedat, ac mandat puella, quoniam illud totum linguæ, quod intumescit, extra dentes, & os ipsum detinetur.

Hujus

Hujus tumoris generatio petenda est ex materia, quæ in tumoribus præter naturam à toto genere, non tantum copiâ, sed etiam qualitate ex lib. de tumor. præter naturam peccare debet, hic autem cum tumor sit solum incrementum quoddam & non à toto genere præter naturam, sufficit ut materia copiâ tantum peccet. Qualis autem sit hæc materia sic adinvenire licet, lingua est carnea, ergo necessariò constat, & alitur sanguine, at quod alit, ut quantum etiam auget, ergo lingua ex copioso sanguine augeri debet; quare cùm incrementum, de quo agitur, sit extra naturæ limites, nulli dubium est, & sanguinem ad linguam copiosiùs admodum, quàm pro illius nutritione, & augmento secundùm naturam deceat, per venas fluere, quo ubi pervenerit apponitur, appositus coquitur; ab alteratrice assimilaturque, atque sic jugiter appositâ novâ materiâ, continuo etiam forma linguæ parmanens majorem materiæ copiam informat; atque hoc est incrementum ejusdem. Sed sanguinem hunc primum à dolore, occasione frænuli linguæ in puella nostra ut disrupti; concitato attractum fuisse; mox verò à natura huic fluxioni assuefacta & imbecillitate à sanata illa fractione derelicta, transmissum esse; continuoque transmitti pro certo habeo.

Verùm undenam sit quod tumor hic in vespera parum decrescat, manè verò augeatur, semper autem livescat, & non rubeat ut sanguineus; brevibus oportet explicare.

Quantùm igitur ad primum attinet, id totum accidere puto, quoniam in coctione; & assimilatione sanguinis illius alioqui pituitosi (qualis in pueris ob ætatem humidissimam; & ingluviem generatur) multi flatus, potissimùm autem per noctem retracto, & coacto calore concitantur, qui per diem ob motum linguæ ac ambiens dissipati; sunt in causa, per quam tumor parum decrescat.

De secundo statuo id acidere, quoniam tumor hic in aere continuo versatur, qui sua frigiditate sanguinem ad superficiem linguæ affluxum, antequam assimiletur concrescere, & proinde livere facit, à frigido enim sanguinem nigrescere scribitur 3. de Sympt. causis 2. & ab Aëtio, ac Avicenna; quod in aliis nostri corporis partibus non contingit, quoniam ad illas ea sanguinis tantùm portio, quæ pro nutritione sufficit, sed non superfluit, demandatur; ex quibus facilè etiam est intelligere causam, cur epidermis linguæ in hoc tumore assiduò squammat; hoc enim accidit, quoniam ab aëre corrumpitur.

Ut ergo ab hac linguæ calamitate vindicetur nostra puella, oportet, quicquid linguæ superfluit potissimùm per incisionem auferre, sed primùm habitui totius corporis cacochymo, bilioso inquam, & pituitoso cum aliquo sanguinis subdominio, est prospiciendum per præparantia, & evacuantia medicamenta. Verùm quoniam hæmorrhagia venarum linguæ incisionem est subsequutura, idcirco oportebit, venas incisas agglutinare, unire & sanguinis motum retrahentibus compescere. Quibus peractis danda est opera, ut puella præservetur, quod fiet, si sanguis copiosiùs minuatur; motus illius ad linguam corrigatur; ac tandem occasio omnis sanguinem copiosiorem gignendi submoveatur.

Et quantum ad incisionem spectat, quin illa fœlicem successum sit assequutura non dubito, scimus enim in aliis animalibus, etiam cum salute illorum non semel sectam fuisse linguam, quod eò magis fœliciter evenire existimo, quoniam lingua est de numero earum partium, quæ solùm ad meliorem vitam conducunt.

Quantùm verò ad alias indicationes causam aliquam, quæ quò minus illis satisfaciendum sit, impedimento existat, prorsus ignoro: Difficultatem tamen aliquam obviam futuram fateor, ob multas rationes, maximè verò ob hæmorrhagiam ex venarum incisione suborituram.

Quare ad curationem descendens à fonte chirurgicò materias quasdam ante, alias verò post incisionem desumo, in serie priorum reponitur sanguis mittendus primùm à dorso per cucurbitulas scarificatas, vel à cubito per hyrudines venæ basilicæ applicitas, deinde ab occipitio vel à venis post aures per hyrudines pariter adhibitas. Post hæc & alia quamplura ad usum deducenda, sed ex pharmacia desumpta, ad incisionem est deveniendum; pro qua facienda tenaculas semicirculares parare oportebit, quibus totum illud, quod linguæ tumet apprehendetur, apprehensumque cultello incisorio abscindetur; statimque ad hæmorrhagiam præcavendam pars ferro candenti erit inurenda, quod adhùc fieri posse ignito cultello existimo. Post incisionem tandem extrema jugiter fricanda, lavanda, deliganda & ventosanda sunt. Et ad præservationem cauterium in brachiò sinistrò, & femore dextro non displicent.

Medicamenta tum communia, tum privata conveniunt: Ex coordinatione priorum lenita alvo cum syrupo & melle rosatis solutivis, humores præpararem decocto sonchi, hepaticæ, betonicæ, & borraginis cum suis serapiis; mox præparatos deturbarem infuso agarici trochiscati, & Rhab. adjecto syrupo ros. sol. (post quæ facienda erit incisio) deinceps de medicamentis privatis cogitarem, quorum alia ad partem ustam, alia ad sanguinem referuntur.

Si ad partem, primùm ad Crustam, & escharam ab inustione inductam conservandam inspergerem pulverem ex chalcytide, & mysi; deinde sublata ferè omni hæmorrhagiæ suspicione escharam digestivo loto, aut etiam tetrapharmaco abjicerem, ac mox facta suppuratione, si opus fuerit ad detergendum melle rosato colato uterer, & si aliqua inæqualitas præsens esset, cavitates pulvere ex thure, & mirrha parato replerem, ac tandem pro agglutinatione aquam thermalem aluminosam cum filamentis, vel Ceratum phœnicinum adhiberem. At gratiâ sanguinis cervicem petiis lineis poscâ imbutis obducerem, ac intus quæ sanguinem incrassant, exhiberem.

Manè igitur & vesperè jus medicatum cum portulaca, plantagine, equiseto, & acetosa, in quo amylum esset dissolutum offerrem, syrupus quoque ejusdem plantaginis, portulacæ, de rosis siccis, ac de ribes ex cochleari datus mihi probaretur.

At ubi rudimentum hæmorrhagiæ aliquod occurreret, primùm à saccharo rosato, pulvere carabe, & seminum papaveris albi, mox à philonio persico cum trochiscis de terra sigillata exhibito, nec non & à cataplasmate ex fuligine sartagini hærente, atque cotto combusto, albumine ovi excepto; applicitoque non recederem, quibus non conferentibus filamenta imbuta vel aquâ plantaginis; cui immixtus sit pulvis calcanti usti, vel oleo ipsius calcanti cum succo porrorum; vel oleo pariter sulphuris cum melle apponerem.

Quoad medicamenta præservatoria, jus pulli medicatum cum china ad plures dies exhibitum mihi non parum arrideret, ea tamen ratione, ut aliquot intervallis in illo myrobalani citrini, & chebuli macerentur.

Victûs rationem opportunam omnino seligerem; quapropter tempore providentiæ totius vellem, ut puella in aëre temperato detineretur, uteretur bonis cibis, ac vinum pauciferum biberet; & ubi facta fuerit incisio, cibi inviscantes & agglutinantes, liquidi tamen offerrentur, ideo jura parari possent ex carne pulli, vel caponis cum extremitatibus vituli in aqua chalybeata, & in juribus illis panis tritus aut hordeum, cum farre; vel Oriza ad liquationem usque incoqui poterunt, & si res eò devenerit, ut lingua valde intumescat, & sic cibum difficile admodum admittat; ut prop-

propterea raro idem cibus offerri possit, succus carnis caponis ac ova non erunt deneganda, quo casu etiam si instrumentum aliquod ad cibum in os infundendum opportunum videbitur, illud quod secundùm partem, quæ in os immittitur angustioris, secundùm verò illam, in quàm cibus infunditur latioris est foraminis, commodè parari poterit, quo tempore patiens, abstineat à vino necesse est, & utatur vino granatorum, vel cydonior. cum aqua chalybeata: At si vires collabi videbuntur, ab odoro vino, eodemque subaustero aquâ diluto non abhorrerem. Lingua verò ad agglutinationem properante, ac detumescente, liberalius, ac cibis paulò solidioribus nutriri poterit. Tempore autem quô decoctum chinæ puella assumet, victus mediocris, ac moderatè attenuans instituatur; vinumque dilutum aqua cocta cum china concedatur. Semper tamen alvus clysteribus, & glandibus communibus irritetur, ac in aliis omnibus mediocritas servetur. Faxit autem Deus ut voti nostri compotes hisce præsidiorum materiis afficiamur. *Jul. Cæs. Claudinus in Consult. Medic.*

Observationes.

De Linguæ calculo.

Sororcula quædam Delfia annos nata viginti & tres, cùm circa os maxillæ inferioris prope mentum longo tempore doleret, sub linguam musculosa carne laxiore versus radicem, Chirurgus qui illam quotidie invisebat, cùm duritiem diu sensisset, abscessum in lingua futurum sperabat: huic ficum aridam per medium scissam continuò ad suppurationem promovendam, loco dolenti apponit: & præter spem tumori jam emollito, lapillus quidam insigniter durus ultro exivit absque incisione ad magnitudinem nucis avellanæ, formæ tamen longioris ut vidimus: illo lapillo expulso statim omnis dolor cessavit, nulla suppuratione, aut sanie vel pure subsequente: & quod dictu mirum est, labris vulneris per se rursus unitis, absque ullis medicamentis. Istis etiam diebus lapillum ex lingua prodeuntem vidimus paulò ampliorem ab alio quoque tandem expulsum: res admiratu digna, lapillo erumpente, nec saniem nec sanguinem subsecutum fuisse, linguamque ita per se coalitam; fortè, cùm & vulnera linguæ facilè per se coalescant, ut constat in perjuris & iis maleficis, quibus lingua clavo perfoditur, facilè coalescit & conglutinatur ob mollitudinem carnis. *Petrus Forestus. obs. 26. & Schol. lib. 14.*

Intumuerat mulieri cuidam admodum lingua, ita ut eam movere, aut loqui non posset, uti neque aliquid deglutire, rupto tandem sponte abscessu procidit calculus tophaceus, durus & magnus. *Felix Platerus. obs. lib. 3. pag. 896.*

Vir quidam quadraginta annorum graves & frequentes in fauces & tonsillas fluxiones patiebatur: tandem animadversum est lapillum sub lingua concretum fuisse, qui facilè extractus est, ægerque ab eo tempore fluxionibus prædictis vexatus non fuit. *Petrus Estanove observ. 5.*

Lingua ex vulnere sclopeti curata, partibus subjectis arctè coalescens, cum impedita locutione, perita sectione separata, ac restituta.

Vir quidam Ruri degens, vulneratus Sclopeto in mandibulâ inferiori, cum ejusdem fractura, à rustico Chirurgo curatus, digna certè Medico curatio; cùm enim in his vulneribus pus erodat plerumque propinquas partes, patiens non omnino fuit sanatus; quod cùm globulus utramque partem mandibulæ inferioris trajecisset, lingua parte inferiori, non ab eodem, sed à pure fuit corrosa; prout & pars inferior ipsi subjecta, cui eadem ita annexa erat, ut patiens ne minimum quidem ipsam, non solùm exercere, sed nec movere, ac loqui posset. Curatione itaque suscepta, ut linguam ad naturalem statum reducerem, novaculæ acie paulatim sejunxi ab invicem partes ipsas conjunctas sectione sensim quindecim dies continuata, qua ægro loquela integra restituta est, imposito tantum sub lingua, à sectione, linteolo imbuto ovi albumine, cum pulveribus boli armeni orientalis, nec non usu aquæ hordei quotidie, cum syrupo diamoron, ratione doloris, & inflammationis; quandoque verò lactis, dolore urgente; quibus ægrum sanavi. *Petrus de Marchettis in Observation. Medico-Chirurg. Sylloge.*

Tumor carneus, & scirrhosus ad raninas, cum impedita locutione, & motu linguæ, sectione, & inustione solerti sanatus.

Alium nobilem Veronensem sanavi, laborabat autem tumore sub lingua, ubi raninarum ortus, magnitudine avellanæ majoris, duro, sed carneo, qui impediebat locutionem, & motum ipsius linguæ, nulla cavitate, neque alia materia inclusa, quàm carnea, qua constabat; verbo, tumor fuit potiùs scirrhosus, quam alterius generis; doloris quippe expers, præterquam, remediis adhibitis. Facta itaque totius corporis expurgatione, descendi ad operationem, qui cùm nec manubriolo, nec novaculâ, propter tumoris duritiem possem ipsum abscindere, paravi instrumenta illi secando, & inurendo accommodata, quibus mensis spatio eundem radicitùs extirpavi, appositis solis pulveribus adstringentibus cum ovi albumine, prout in casu superiùs proposito; sedato dolore, ac prohibita inflammatione, ab inustione & sectione, anodynis & medicamentis propriis quorum usu omnino æger convaluit spatio duorum mensium. *Idem ibidem.*

De ligamenti sub lingua periculosa sectione.

Nulla Chirurgo committitur operatio quam vulgus magis flocci facit, atque sectionem ligamenti sub lingua, ita etiam ut obstetricibus ut plurimum committatur, quæ ligamentum hoc digito abrumpere solent: quod mihi tamen non probatur, sæpissimè enim vicinas partes simul lacerant atque disrumpunt. Hinc dolor & inflammatio, ita ut pueri lac sugere non possint, fiuntque morosi, extenuantur atque debilitantur. Prudenter itaque hac in operatione agendum est, neque spernenda, etiamsi minima omnium videatur. In primis autem explorandum convenit, num ancyloglossus operatione hac indigeat, nec ne? multoties enim pueri aliam ob causam quam propter vinculum sub lingua, vocem articulare ac proferre non possunt nulloque ligamento lingua annexa est. In his sectionem periculosam esse, sequens exemplum demonstrat.

Rustici cujusdam hic in vicinia, in pago Corsellis, *Petityeux* nomine, filius duorum annorum ætatis, superiori mense Majo 1608. ad ædes meas adductus fuit, idque ad eum finem, ut sibi ligamentum sub lingua solverem, quandoquidem abscisso ligamento linguam officio suo fungi, infantemque brevi sermonem proferre posse, plane sibi persuasum habebant parentes. Porrò aperto ore & elevatâ linguâ, quæ crassa valdè erat nullum inventum est nervosum vinculum. Quamobrem parentes cum infante remisimus, manumque adhibere recusavimus. Post mensem venit Empiricus & circumforaneus, cui idem adductus fuit infans, is linguam mediante ligamento nerveo durissimoque annexam esse, parentibus persua-

perſuadebat, & dummodo pecuniam numerare vellent, ut infans brevi ſermonem proferret facillimè ſe efficere poſſe audacter ipſis affirmare auſus eſt. Numeratur pecunia: in ſinum cujusdam matronę collocatur infans, tum impoſtor linguam ex utraque & anteriori parte altè, ut mihi ab adſtantibus relatum fuit, ſeparavit. Sed quid fit? puer iſte, qui prius erectus incedere poterat, in ipſo momento maximis & aſperrimis priùs projectis clamoribus contrahitur, ita ut genua verſus inguina, & brachia verſus pectus retraherentur. Cęterum, quia dolores continui, & medicamenta adhibita non eſſent, valdè extenuatus atque debilitatus fuit infans: nunc tamen aliquo modo meliuſculè habet. Heri enim 18. hujus menſis Julii, ipſum unà cum doctiſſimo Dn. Eman. Urſtiſio, artium liberalium magiſtro, convictore meo aliisque ex meis domeſticis, ipſum adivi, & ea, quę recenſui, ex parentibus adſtantibusque excepi. Huc uſque ut antea, ne verbum quidem proferre poteſt, crura, brachiaque adhuc contracta ſunt, quę cum vi extenduntur, protinus iterum contrahuntur; ſed non ita ut antea; nulloque modò incedit. De dolore tamen non uſque adeò conqueritur, & appetitus rediit ita ut paulatim vires reficiantur, lingua craſſa, caput verò, totaque conſtitutio corporis phlegmatica eſt. Ego, quia pauperes, opem meam ipſis obtuli: ſi accedant, faciam quicquid in me erit, & libenter videbo, qualis erit exitus: Rarus enim eſt caſus, ſimilem enim nunquam mihi obſervare contigit. Eſt mihi frater uterinus, qui cùm infans eſſet, admodum valetudinarius fuit. Inter cæteros autem morbos, quibus obnoxius erat, ad quartum annum ætatis ne verbum quidem proferre potuit. Ego: cùm apud Chirurgum practicum verſarer, & ſingulis ferè diebus ſectionem hujus ligamenti feliciter adminiſtrarem, & quadam die ad paternos lares perveniſſem, linguam ipſius inſpicere viſum fuit. Tum mediante ligamento craſſo ſpiſſoque, linguam adeò annexam inveni, ut ipſa vix dentes anteriores attingere poſſet. Ego eâ qua potui diligentiâ, ligamentum hoc abſcidi, poſteaque ſingulis diebus ter quaterve locum affectum melle roſaceo inunxi. Duobus menſibus à prima abſciſſione elapſis, ligamentum aliquo modo iterum annexum inveni: quapropter eodem modo ut prius proceſſi. Res Dei beneficio ita feliciter ceſſit, ut brevi loqui inciperet, tandemque & huc uſque, laus Deo, vocem optimè proferre & articulare poſſet.

Vacat autem omni periculo operatio hæc, dummodo rectè adminiſtrata fuerit, præcipuè autem perſpiciendum convenit, ne nimis profundè incidatur, ego elevatâ linguâ, apice forficum ligamentum ut plurimum in duobus, nonnunquam & in tribus locis incido; ſic enim difficiliùs coaleſcit iterum, quàm ſi uno tantummodo in loco inciſio facta eſſet: incido autem tantummodò quicquid nerveum eſt, ita ut carnem vix attingam, quod ſi prima vice non ſatis abſciſſum, aut iterum annexum fuerit, poterit poſtea eadem operatio adminiſtrari, inciſo ligamento, jubeo ut nutrix ſæpiſſime digito melle roſaceo, aut communi madefacto; linguam blande elevet, ſic enim agglutinatio atque conſolidatio impeditur *Gulielm. Fabric. Hildan. Obſ. Chirurg. Cent.* 3.

Mutus loquens.

Iohannes (cui muti cognomen impoſuit infortunium) petiturus Italiam, incidit in pyratas Turcicos: quorum religioni nomen dare quum renueret; adnixi fuere homines feroces, linguam propterea radicitus ipſi evellere: ſed per plagam; ex vulgi ſententia, ſub mento inflictam. Verùm ea crudelitate minùs ex voto ipſis ſuccedente detruncarunt ipſi deinceps totam illam partem, qua lingua homini volubilis eſt; eaque adempta, privarunt juvenem omni voce. Qua re amplius annos ubi caruiſſet; evenit fortè ut intempeſta nocte admodum percelleretur ab inopinato fulgure: cujus perniciſſimum lumen, cælitus immiſſum, perſtrinxit uſque eò pavidum ipſius animum; ut inde ipſi, non ſecus ac olim Crœſi filio, diſſolveretur violenter tenax illud vinculum quod ipſum ſermonis uſu hactenus privaverat. Quem tamen, ubi vidit ſibi reſtitutum, vix credidit ſibi ipſi loquenti; nedum ipſi alii. Commovit quippe hæc inexſpectata ipſius vox uſque eò totam familiam, ut inde protinus abortierit juvencula ipſi cohabitans. Quo rumore latiùs deinceps ſe ſe diffundente, ivimus & nos tandem VVeſopum, modicum Hollandiæ oppidum, ſpectatum coram inſolitæ hujus rei novitatem: fama certè ſua nequaquam inferiorem. Qui enim integrum triennium obmutuerat, ob mutilatam mediam linguæ partem; eum audivimus, cum eodem vitio, non tantùm diſtinctè loquentem: ſed etiam accuratè pronunciantem quaſcunque litteras conſonantes; quarum tamen enunciationem, ſolius linguæ apici attribuunt ſagaciores naturæ indagatores. Sermo quippe non formatur ſine motu: nec conſonantes literę ſine linguę apice. Quatenus enim lingua volubilis, eatenus diſtinguit vocem in verba: & prout allidit, vel ad dentes, vel ad palatum, aut labia: pro eo, creditur, diſcernere vocabula, & modulari concinnè ſermonis ſonum. Ac proinde haud mirum, læſâ tam evidenter linguâ, genuino dearticulatæ vocis inſtrumento; læſam utique fuiſſe & ipſam vocem: ſed eandem poſt triennii obmuteſcentiam, manente lingua perinde mutilata, integrè ipſi nihilominus rediiſſe: id ſanè excedit omnium eruditorum captum: potuit, quippe, non modò expeditè exclamare, (id enim & aliis integrum fuit poſt abſciſſam, reſolutam, vel ligatam linguam) ſed diſtinxit quoque perſpicuè vocem in vocabula, & eloquutus fuit omnia admodum articulatè. Sed, ut explicem me clariùs, quoad repagulum à fulgure diſruptum; aſſeveravit mihi candidè, ſe protinus à fulgure percepiſſe majorem motum in muſculis linguæ. Quaſi ſublatô jam inæquali illo coalitu quem ſub mento reliquerat vulnus ibidem à pyratis ruditer ſanatum. Verùm deglutitio (cui non minus quàm elocutioni inſervit lingua) manſit ipſi perindè impedita: ideò ut ingenuè conqueſtus ſit, ne tantulum quidem alimenti, etiam tum temporis tranſmittere gulam, niſi id in eam intruderet violento digitorum ſuorum adminiculo. Vid. Eccleſiaſt. libro quarto, capite decimoquarto & B. Gregor. libro tertio Dialog. cap. 32. *Nicolaus Tulpius Obſervation. Medicarum lib.* 1.

Puella bilinguis.

Bilinguis fit elinguis: Puella civis cujuſdam Galli hac in Urbe degentis, quintum fere egreſſa annum, à nativitate duplici gaudet Lingua, & eſt elinguis, propter enim magnitudinem, gravitatem ac craſſitiem Linguarum, ſibi invicem incumbentium, rimæque circumcirca tantùm ſeparatarum, vix linguam movere, multò minus loqui poteſt. *Joh. Dolæi.*

Apoſtema Linguæ.

Venit ad me ſuperioribus annis juvenis, poſt inebriationem de faucibus, hinc linguâ admodum conqueſtus, per ſextiduum. Tumebat illa enormiter, ut ampliùs eam nec exerere, nec ferè intus movere poſſet, digito ſaltem inter inconditam vocem malum indicans. Eminentiam quandam erupturientis ſuppurationis conſpicere, vel per ipſam denegatam oris aperturam non poteram; nec intenſior apparebat rubedo, in linguæ qualitercunque apparentis ſubſtantiâ, ut de reſolutione cogitarem: com-

modéque incidebat Rulando adeò commendatus spiritus ligni Heraclini. Dedi de Guajacino, quem leniter illineret. & cùm in tempore, sive perfecta suppuratione venissem, post aliquot horas ruptum est apostema, pure non pauco, ingenti cum fœtore prodeunte; Et brevi per essent. rosar. scabiosæ, ac fæniculæ saccharatam, inspersisque similiter oculis canc. persanata sunt omnia, *Danielis Ludovici.*

Tumor Linguæ Miraculosus.

Nuper Ill. quidam Baro in more habuit venenatissima Linguæ jacula, non tantùm in quemlibet, sed maxime in Devotos religiosos frequentissimè jaculari; in flagranti à pio honestæque vitæ religioso deprehensus fuit, cùm infernale hoc pulsaret tintinnabulum: ad quem religiosus, quàm maledicta tua lingua jam dudum meruit pœnam, ex justa Dei vindicta intra breve tempus experietur. Relicto & minimè commoto Barone, elapsis paucis diebus, Tumor exiguus ad Linguæ latera pullulare cœpit, qui paulatim crescens carcinomatis inexpugnabilis naturam manifestavit; à quo tandem incurvata, convulsa & retracta ad fauces lingua, miserrimè delictum pœnitenter confessus, ad strictissimum Judicem suorum famulorum vindicem acerrimum, commigravit. *Pauli de Sorbait.*

Lapsus palati cum linguæ tumore mirabili.

Mulier quinquagenaria circiter, temperamenti calidi & humidi, cephalæâ & fluxionibus catarrhosis sæpius laborans, aliquando aëre nimboso sæviente, dolore capitis permagno infestata, palatum & linguam sensit subitò & insigniter intumescere, atque linguæ motum naturalem impediri, ut vix voculam balbutiret, nec quicquam cibi deglutiret, & cùm linguam exerere voluit, linguæ massa ad fauces retracta, musculi primi sublinguales in utroque latere acuminati serpentum linguarum instar prominerent, vixque respirare ipsa posset. Huic dum in primo aditu venas sublinguales statim incidi, ac pari tumorem scalpello pertundi, atque gargarismis ex aqua tepida cum pauco aceto & sale commixta, os elui curaram, confestim respirationis via aperta fuit, & tumor omnis evanuit. *Helwigii.*

Scholion Hellvvigianum. Hujusmodi ferè casus meminit Nicol. Tulpius observ. med. lib. 1. cap. 3. 8. quæritans, casum prolapsi à Medicis hactenus vel omninò præteritum, vel levi saltem brachio percussum fuisse, cùm malum tamen omnino grave & rarum sit, ortumque habeat à distillatione humoris deprimentis usque eò musculos sub palati finem sitos, ut præ pondere prolapsi præcludant viam spiritui tum per os, tum per nares erupturo, cum vitæ periculo. Et recordor eodem malo affectum quendam Religiosum, in paucis diebus obiisse.

Additamentum Schröckii. Naturalis linguæ magnitudo, ut cum Clar. Lindano pag. 569. Medic. physiol. loquar, tanta est, quæ impleat capacitatem inferioris tantùm maxillæ: Quam si excedat, morbosa evadit, magnumque inprimis nobilissimæ isti humanæ actioni, sive loquelæ, incommodum adfert. Hinc morbos inter, qui membris naturali figura non depravata, in magnitudine, cum eorum operatione læsa, contingunt, linguam etiam supra modum excrescentem expressè denominat Galenus cap. 9. libr. de differ. morb. ubi incrementum istiusmodi vidisse se, testatur, lingua, præter unicam magnitudinem, nullum in ipsa substantia vitium habente. Et Ill. Thom. Bartholinus cent. 2. hist. anat. 22. Clar. Joh. VValæi communicatione, puellam producit, quæ manûs magnitudine amplam grossamque linguam nacta fuerat, ut ore vix contineretur, à Medicis mirâ curâ, particularum superfluarum in extremitatibus abscissione ad consuetam molem perductam; qui ipse etiam aliam horridiorem & portentosam, ab imaginatione matris, in puero enatam linguam cent. 3. hist. 43. describit. Qualem magnum & tragicum linguæ tumorem miraculo adscriptum, recenset Illustr. Archiater Cæsareus, D. Paulus de Sorbait, Ann. II. Ephem. German. Cur. obs. 107. Ipse quoque Pergamenus, uti 14. meth. med. cap. 8. refert, linguam ita tumefactam cuidam vidit, ut ore contineri non potuerit, compendiosè tamen curatam. Subitam linguæ à tantillo menthæ nocturnis horis degustatione intumescentiam, theriacâ & vino curatam habet Borellus cent. 2. observ. 43. à veneno bufonis in mentham effuso causam deducens. Aliam à viperino veneno excitatam producit Johan. Faber exposit. in Nard. Ant. Recchi Hist. animal. Mexican. pag. 778. In lue quoque venerea similis quandoque adfectus contingit; exempli loco sit quod ex communicatione D. *des Gransprés*, Riverius obs. 1. suggerit, frequentiùs nempe & diutius celebratas frictiones mercuriales tantum fluxionis impetum in particulam illam corporis excitasse, ut quatuor digitorum transversorum mensura extra os prominuerit, feliciter tamen ab eodem curata. Plures consimiles observationes apud Marc. Donatum lib. 3. de med. hist. mirab. c. 4. videri possunt. Cæterùm præsenti in Casu, præter insignem linguæ tumorem, catharrus etiam in palatum vicinosque musculos impetum faciens, eos in tumorem periculosum distenderat, sanguine videlicet seroso in corpore abundante, seroque isto, mediantibus innumeris illis lymphaticis ductibus, quos unà cum glandulis, ut vocat, Palatinis, Celeb. Nicol. Steno §. 21. obs. anatomic. descripsit, ibi locorum collecto atque coacervato; quem tumorem Auctor noster, ad Tulpii mentem, Palati prolapsum nominat; quòd an benè fiat, Critici dispiciant; minus tamen propriè nominis istud obtinere mihi videtur; ad Anginam commodiùs referendus, quæ strictiori sensu faucium adfectum ab earum inflammatione, latiori autem à quacunque causa productum earum tumorem, difficultatem respirandi inferentem, denotat.

De Calculo sub Linguâ.

Degit hîc Grumbergæ honoratior fœmina, quæ quamdiu hîc vixi, (vixi autem per decennium) singulo vere & autumno de dolore sub lingua cum motu læso conquesta est. Ordinavi varia dolorem demulcentia, qui etiam sopiebatur. Intercurrebant abortus aliquot, etiam exclusio fœtus mortui cum retentione aliquali lochiorum. Hoc præterlapso anno, initio Martii accedit iterum pristinus ejus linguæ dolor adeò vehemens, ut ad anodyna & narcotica confugiendum esset: adponimus emollientia, cùm lingua admodum tumeret; quid fit? linguam dum movet prorumpit lapillus instar nucis avellanæ, cum intermissione dolorum, & plenaria reconvalscentia. Calculum sibi servat fœmina sanctè, utpote tam diuturnorum dolorum authorem. Placebat nonnemini hunc lapillum vocare Ranulam lapideam, alii tamen Practici calculum linguæ indigitant, quale exemplum habet Forestus lib. 4. obs. Zacut. Lusit. de Pr. M. adm. lib. 1. observ. 72. Talem calculum sub lingua latitantem Uratislaviæ ante annum Civi cuidam etiam extractum fuisse memini, nec spongiosa linguæ caro potest impedire generationem calculi, uti amarissimæ bilis vesicula generationem vermiculorum non impedit. *Samuelis Ledelii.*

De Calculo sub Lingua feliciter exciso.

Ut in omnibus ferè Corporis partibus, ita etiam sub lingua

lingua lapillos generari posse, fide digni Authores posteritati tradiderunt: Quorum Catalogum describit Joh. Georg. Schenck. Lithogenes. Patholog. Hist. c. 4. Eosdem sub lingua repertos connotavit Nicol. Florent. Serm. 4. tra. 1. c. 8. & Serm. 5. Tract. 9. c. 9. Item Laur. Joubert. paradox 3. Dec. 2. contra Brun. Seidel. Ejusmodi lapillorum sub lingua prognatorum & feliciter excisorum bina sequentia exempla observavit Chirurgus noster Antonius Stadtlender, è cujus fide digna communicatione utriusque casum Lectori fideliter recensebo. An. 1655. 7. Jan. vocatus est prædictus Chirurgus ad Nobilem Matthæum Rudiger Dantisci de magno dolore sub lingua per aliquot jam menses anxiè conquerentem, ejusque opem implorantem: Qui in loco affecto non solùm tumorem, sed etiam duritiem animadvertens, dedit ipsi Collutionem ex decocto herbarum partim emollientium, partim discutientium, à cujus usu meliùs habere cœpit; dolor tamen in totum non cessavit: Tum Chirurgus partem dolentem digito tangens, majorem duritiem percepit scalpelloque superficiem parum solvens, & instrumento tractans, lapidosum quid animadvertit, majoreque incisione facta, exemit lapidem sub lingua latentem magnitudine Olivæ conditæ minoris, post cujus exemptionem Vulnus melle rosato cum pul. flor. balaust. inunctum, consolidatum est, Nobilisque Patiens à dolore liberatus fuit. An. 1662. 22. Febr. accersitus est idem Chirurgus ad mulierem in ædibus Nobilis Jacobi Esken, Consulis & Camerarii Thorunensis, ministrantem, quæ itidem per longum tempus gravissimum dolorem sub lingua perpessa est, qui licet quandoque post usum anodynorum & emollientium Medicamentorum intermiserit, mox tamen reversus, & præsertim à comestione post motum linguæ atrocior factus est: Incisione itaque scalpello peracta, repertus est in loco dolente lapillus durus, hujus magnitudinis, coloris cinericei, cujus & prior erat: Quorum utrumque Chirurgus mihi monstravit. Mulier illa consolidato vulnere hucusque bene valet, neque de ullo dolore conqueritur, quam ego quoque de facie novi.

Scholion.) Similis Lapidis (qui modò in Illustrissima Societate Regia Anglicana custoditur) Acta Philosophica ejusdem laudatissimæ Societatis mentionem N. 83. p. 4062. cùm faciant, Historiæ sensus, ut huc transferretur, operæ pretium visum est.

Vir, cui Lapis excisus est, ore tenus retulit, quòd calculus generari cæperit in hyemali expeditione maritima, qua, præterquàm opinatus erat, diutius detinebatur, frigusque intensissimum perferre cogebatur. Paulò post reditum suum, quendam Nodum (sub Lingua) deprehendit, atque annis fere octo pertulit. Crescente Calculo, molestiæ quoque increvêre, præcipuè ad omnem frigoris sensum intensus dolor in hac parte, qui cessante frigore cessavit.

Circa septimum & octavum annum frequenter ac repentè omnes glandulæ oris & faucium intumuerunt ab assumpta Cerevisia aut cibo, qui tumor brevi iterum evanescebat. Tandem, quod præcipuè observatu dignum, vertigine repentina correptus est, à primo Vere ad Augustum circiter durante, quo mense sine ulla alia prævia causa, locus, ubi Lapis condebatur, desubito intumuit, cœpitque profluere materia purulenta ex ductu VVarthoniano; qui fluxus tamen statim cessavit (viro nil nisi frigus incusante) unde Tumor cum insigni inflammatione & summo suffocationis periculo, ut vix credi possit, quantum dolorem perceperit patiens, cùm cerevisiam, vel alium liquorem vellet deglutire. Hæ angustiæ durarunt quinque dies; quo toto tempore tanta saliva profluxit, ut caput reclinare non posset, quo dormiret; usque adeò, ut amici ægrum visitantes inter se quæsiverint, numne medicamento quodam Merc. usus fuisset.

Varietas & conditio spontaneæ hujus Salivationis annotatu digna est: Prima die Saliva tenuis erat, & instar aquæ, limpida sine ullis bullis. Secundo die erat spumosa, salsa (quod calori potiùs, quàm veræ salsedini licet adscribere, quoniam eo die Inflammatio in statu erat:) Tertio die summopere lentescebat, ac præterea foraminulum supra calculum fiebat, unde materia purulenta, perinde ut ante, proveniebat. Quarto die saliva profluebat insipida, in ore manifestè frigida, (quod rursus opinionem confirmat, supradictam acredinem effectum caloris fuisse, non verò immediatam salsuginosi humoris qualitatem;) spumosa modicè: Quinto die (quo incisio celebrabatur) saliva profluebat, ut quarto die, sed relinquebat summam viscositatem in dentibus, adeò ut sæpius cohærerent, ac si conglutinati essent.

Facta incisione, quæ non satis larga erat, membranæ quibus condebatur Calculus, primò removebantur: Lapis verò ipse adeò durus erat ut forcipibus tractari posset; contectus erat, graminei coloris materia, quæ mox exsiccata est, & calculum subalbum reliquit. Levis est Calculus respectu suæ magnitudinis pendens 7. grana circiter, ac similis est fabis, quas Equinas vocant. Apparent etiam in eo Lituræ vasorum quorundam capillarium, inter quæ prognatus est. Denique est scabrosus & arenosus, utut substantia est Tophacea.

Symptomata comitantia elaborationem Calculi. (nam incisio erat merè obstetricalis.) Locus generationis ansam præbent provocandi ad intemperiem Ranulæ. Liquet hinc talismodi Tumorem vocandum esse *Atheroma*; proinde nominamus Calculum, Lapidem Atheromatis. *Simonis Schultzii.*

Tophi sub Lingua.

De Tophis sub lingua (an Linguæ, an Tonsillis adscribendi, judicet Lector) sequentem narrationem Dn. D. Joh. *Jeremias Rutterferus* Phys. Oppenheimensis Dn. D. Christoph. Ernesto Stempelio Practico Annæbergensi, Amico meo singulari transmisit. Erat vir consistentis ætatis, huic frequentissimè post vehementiorem masticationem tonsillæ intumescere solebant, sine noxa tamen rursus detumescentes. Cùm aliquando subitò in tumorem insolentiorem elatæ deglutitionem impedirent, sensit vir ille aliquam titillationem circa radicem linguæ, quam statim solvit tophus aliquis albicans majoris pisi oblongati magnitudine, quo excreto levamen aliquod sensit, sed exiguum, donec post aliquot horas alius priore colore similis & consistentiâ, quantitate tamen minor succederet, quo facto post unum vel alterum diem evanuit planè tumor sine recidiva. *L. Christiani Frid. Garmanni.*

De vermibus intra Linguæ Venam stabulantibus.

Mense Septembri hujus 1677. Anni, vir quidam macilentæ staturæ, ætate circiter quinquagenarius, in Suburbio Uratislaviensi habitans, febricitare incipit, singulis diebus recurrente paroxysmo cum horrore & calore enormi in dies ingravescente, & delirio periodico. Cùm paroxysmi sic quater vel quinquies rediissent, tandem ingravescente febre, lingua subito intumuit admodum & nigrore infecta esse visa est, quocirca adstantes citra moram tonsorem vocarunt, qui venam sub lingua aperiret: qua dictum factum secta, mox vermiculus vivus prorupit, & post aliquot guttulas sanguinis alius paulo major, erucæ per omnia & capite & caudâ quàm maximè similis. Posthæc febris statim remisit, ægrotusque paulatim ad integritatem sanitatis rediit. *Observatio Collectorum.*

Vinculi linguæ ſectio in puella decenni.

Ratisbonæ puella quædam pulchra & ſana, à cunabulis quaſi muta, & ne vix, licet quàm maxime conaretur, voculam proferre potuit. Igitur inſpecto ore videbatur linguæ frænulum nimis conſtrictum, ac ex conſilio Medici, Chirurgus ligamentum hoc incidebat forcipe, non tamen abſque hæmorrhagia quadam, ſed non periculoſa. Exin puella inceperat expeditiſſimè garrire, atque ſine hæſitantia verba cuncta proloqui. *Helwigii.*

Scholion. Helwigianum.) Inter linguæ partes ab Anatomicis numeratur etiam ligamentum, corpus membranoſum, latum, valde validum, inferiori linguæ parti inter ambas venas ſublinguales, ranulas dictas à natura ſubſtratum, pro firmiori linguæ cum inferioribus partibus connexione, ac molliori baſis oſſis hyoidis innixæ conſtrictu, ut laxitate ſua permittat linguam liberè loqui. Hujus ligamenti pars extrema apicem linguæ verſus protenſa frænulum dicitur, hoc cum recens natis plerunque linguam adeò totam alligat, ut lactis ſuctioni impedimentum magnum ſit, & balbutiem moleſtam tempore inducat, obſtetrices poſt partum ungue divellere ſolent, (quod tamen periculoſum & non admittendum cenſet Th. Barthol. l. 3. Anat. reform. c. 13.) vel Chirurgi ſcapello aut forcipe incidunt, ſed adhibitâ cautelâ, ne venæ ſublinguales, ſive caro muſculoſa ob metum hæmorrhagiæ, ſive nervi ibidem implantati attingantur, ob metum convulſionis, qualem ſe vidiſſe ſcripſit Joann. Riolanus lib. 4. anthropolog. cap. 8. Cæterùm imperitè omnibus indifferenter infantibus frænulum hoc incidi queritur Bartholinus loc. cit. quum ex mille, quibus indivulſum manet, vix unus balbutiat.

Additamentum Schröckii. Compendioſam illam obſtetricum in diſrumpendo vinculo ſublinguali chirurgiam, non immeritò temeritatem vocat Hieron. Fabricius ab Aquapendente in Operibus ſuis chirug. qua nempe paſſim & ſine diſcrimine recens nato infanti, digiti ungue, quem paratum & acutum ad id perpetuò geſtant, ligamentum ſub eorum lingua incidant, ratæ niſi id pręſtarent, infantem nequicquam loqui olim poſſe; quam tamen inſcitiam & fatuitatem varia incommoda ſæpius ſubſequuntur, dolor imprimis & inflammatio, à qua papillæ maternæ apprehenſionis lactiſque nutricii ſuctionis lethale ſæpe impedimentum exoriatur, cui Excell. Car. Rayger Collega noſt. annot. in Jacob. Rolandi Agloſſoſtomogr. cap. 3. maxillæ, à digiti craſſioris intruſione luxationem, cum inevitabili infantis interitu junctam ſurperaddidit: Quare peritam Chirurgi operam accerſere præſtat, ſi ligamenti illius ſolutione opus fuerit: Funeſtum aliàs temerariæ iſtius ab obſtetricis unguibus diſruptionis, atque imprudentis poſtea Chirurgi ulterioris diſſectionis exemplum notavit Joh. Scultetus p. 2. Armament. Chir. obſ. 37. Quamvis autem in omnibus operationem iſtam haud neceſſariam eſſe certum ſit, quandoque tamen adminiſtrari debere caſu propoſito Author noſter egregiè oſtendit: Quin & hac in urbe jam adultioribus, loquela articulata deſtitutis vinculum hoc chirurgico auxilio cum fructu ſolutum fuiſſe compertum habeo.

Quatuor annos mutus, ſubitò vocalis.

Socium hîc adjungimus Crœſi filio, qui, ut perhibet Herodoti Clio, viſo irruente in parentem minaci Perſâ cùm antè mutus exegiſſet vitam, ὑπὸ δέους τοῦ κακοῦ ἔρρηξε φωνὴν Ἄνθρωπε, μὴ κτεῖνε, χραῖσον, Noſter hic, Chriſtiano-hafnienſis civis, per infortunium mutus, toto quadriennio vocem fruſtra exſpectaverat. Tandem ad me ventum: inſpicio fauces, expendo linguæ fabricam, & membrum infelix ſtylo ferreo latiori hinc inde converto. Nihil adeò à natura peccatum obſervo, tantummodo frigus partis flaccidæ diſplicuit, & movendi ſegnities. Deſigno igitur quæ fieri velim, & exaratis quæ in rem videntur, adque pharmacopœum remiſſis, dimitto ægrum; qui domum properans, ut ſe pharmacis recipiendis accingat, in ponte ſublicio, qui utramque urbem dirimuit, obviam fortè videt vetulam neſcio quam, ob inimicitias funeſtas jam olim ſibi inviſam; eâ conſpectâ toto animo exardeſcens, & vindictæ accenſus cupidine; Ut te, inquit, Dii Deæque omnes perdant, venefica; ſimulque laxata linguæ ſuæ fræna ſtupens obſervat, tum demum ſibi iratior, quàm aniculæ quod fauſtiſſimum ejus occurſum conviciis excepiſſet, & primum redeuntis linguæ uſum à maledictis eſſet auſpicatus. Scilicet, credibile, grumum aliquem ſive ſanguinis, ſive pituitæ tenaciorem, principio arteriæ loquacis impactum; & hactenus comprimentem vicinos nervos, ad motum illum incandeſcentis animi concitatiſſimum, & ſecutum hinc irritati ſanguinis motum vehementem delituiſſe. *Olai Borrichii.*

Jacobi Rolandi, De Belebad, Chirurgi Salamurienſis.

Agloſſostomographia, ſive, deſcriptio oris ſine lingua, quod perfectè loquitur, & reliquas ſuas functiones naturaliter exercet. E Gallico in Latinam verſa, Additis Annotationibus. à Carolo Raygero, M. D.

Curióſo Lectori S.

En tibi novum & memorabile naturæ miraculum, Os ſine Lingua perfectè loquens. Quod quondam de Africa hodie jure ſuo de Gallia dici poteſt; Ex ea ſemper aliquid novi, aliquid curioſi. Elinguatos olim Martyres ſingulari Dei miraculo aliis pœnas ſuas dixiſſe, & fidem verbis propagaſſe Chriſtianam, in illorum temporum leges hiſtoriis. At noſtra, vel Patrum memoria ſine lingua loquentes vix alibi, niſi in Galliis reperies. Mutilatas aut præciſas linguas locutas, & loqui poſſe. fortuito invento in artificium traducto, ſuperiori ſeculo in Gallia monſtravit ac docuit Paræus Chirurgus. Nunc alius ejuſdem Profeſſionis in eadem Gallia, novo antè & inaudito exemplo, producit, ac deſcribit Os ſine Lingua, ſine artificio, perfectè non tantùm loquens, ſed & reliquas ſibi convenientes edens actiones. Ita, quos Natura diſertos vult, ſine Lingua reddit loquaces. Nefas duxi uni Linguæ relinquere omnibus linguâ decantandum prodigium. Digna res, viſa, quin Orbis ſciat id quod ſola hactenus admirata Gallia. Habe ergo tibi curioſe ac benevole Lector, curioſum hunc Diſcurſum, quem vel pauci hactenus habuere, vel pauci ſoli, nempè Linguæ Gallicæ periti, intellexêre. Accipe grata mente, quod curioſitatis tuæ gratiâ transferre & communi ſub Litteratorum Idiomate tibi communicare volui. Multa hîc reperies curiosè tractata, & ad pleniorem hujus hiſtoriæ cognitionem omninò neceſſaria, quæ nec Riolanus annotavit in Anthropographia ſua, nec Bartholinus obſervavit in Obſervationibus, ambo tamen cum nonnullis aliis hujus rei mentionem facientes. Quod de meo acceſſit, una vel altera Obſervatio, recentior ſententia, melior ab Authore dictorum explicatio, non contradicendi reprehendendique ſtudio, nec vanæ gloriolæ aucupandæ causâ factum puta. Res, ætas, ſemper aliquid apportat novi, aliquid monet. Cæterùm ſi Translatione hac mea tibi placuero, plaude: ſi non, dum vel minus rectè ubique Idiotiſmum aſſecutus fuerim Gallicum, vel cujuslibet verbi ſenſum genuinum non expreſſerim; ignoſce Indigena peregrino, Linguæ Gallicæ

Gallicæ peritior imperitiori. Vale. Posonii. Kal. Novembris 1672.

Præfatio Authoris cum Ordine Tractationis.

Ad dignè graviterque loquendum vel scribendum, de Ore quodam memorabili, sine ullo linguæ vestigio perfectè & intelligenter se exprimente, aurea me Lingua Angelicis deberet instruere verbis, aut stylus requireretur ferreus, qui tabulis inscriberet aheneis miraculum hoc incredibile, quo ventura secula scirent, quod præterita ignorarunt, & præsentis hujus Doctissimi etiam Viri, nisi plane, vel testes, vel Judices hac in re, vix credunt. Quos inter incomparabilis noster fuit Anatomicus Riolanus (ceu testatur in Antroph. l. 4. cap. 8.) priusquam per D. Duncanum & me transmissum vidit puerum hunc Pictonem, de quo agimus. Verus enim nervus sapientiæ est, non facilè credere omnia quæ dicuntur, sed lumine rationis quærere veritatem in abdito latentem, & experientiâ se certum reddere de eo, quod controverti potest. Ego autem non intermittam & ore, & calamo, & verbis & scriptis, qualia etiam sunt in id incumbere, quo crinibus arripere queam istam occasionem, quæ se offert publicandi per universum Mundum miraculum hoc, quod jam innotescere cœpit Parisiis in illa totius Franciæ Epitome, sperans me materiæ hujus novitate ita rara, ac fuit preciosa olim ab Hipponio dicata statua, licèt non à Polyclete Excellentiss. sui temporis Sculptore facta, majorem firmioremque operi meo conciliaturum famam, quàm si historiam, vel descriptionem suscepissem omnium miraculorum Mundi, si unumquodque etiam, tàm magnificum, tamque superbum esset, ac fuere septem illa tantopere ab antiquitate decantata. Illos insuper, qui iis Ingenii dotibus pollent, quibus me ad exequendum propositum destitui sentio, quas tamen, tum ad illorum satisfactionem, tum ob splendorem pulcherrimæ hujus materiæ, vel maximè mihi optarem, benignis meam & voluntatem, & imbecillitatem intuentes oculis, labentem me potiùs confido relevaturos, defectus meos reparaturos, quâm destructuros Trophæum hoc, quod in honorem Chirurgiæ, charæ meæ Professionis, erigere laboro, ut facere solerent Aristarchi & efferati Spiritus contradictionis, sibi tantùm benevolentes quique quod non plantarunt, nec crescere, nec florere sinunt, sua ex aliorum ruinis exornantes ædificia; sed quoniam novo modo & ratione mihi loquendum, loquendo autem omnia quæ sunt laudantur, ita discursum meum instituam, ut Lector indè laudare, & admirari queat Deum, naturam in operibus suis quasi manu ducentem. Ordo itaque, ut benè formatus hic prodeat noster fœtus, septem erit Capitum, quo tanquam perfecto & sufficienti numero includam, quæ de hac materia dici possunt.

Et primùm quidem Caput continebit Descriptionem illius, qui Linguâ caret, & qua ratione ea amissâ.

Secundum, Conformationem Oris hujus elinguis exhibebit.

Tertium, De Constructione, & Usu Linguæ ordinario in homine edisseret.

Quartum, Linguam semel amissam nullo modo denuo regenerari posse adstruet.

Quintum, Quare qui Linguâ carent, nonnisi cum artificio loquantur? inquiret.

Sextum, Qua ratione hic noster sine Lingua & sine artificio locutus fuerit, proponet.

Septimum, Quomodo gustare, exspuere, ore assumpta hinc inde movere, & colligere, & deglutire sine Lingua potuerit.

Aglossostemographiæ, seu Descriptionis Oris sine Lingua.

§. 1. *Quis ille sine Lingua loquens, & qua ratione eadem amissa.*

In historia bene tractanda, Persona illa de qua agere, aut cujus notitiam dare volumus, ita ratione nominis, nativitatis, ætatis, patriæ, conditionis & constitutionis designanda est, ut nihil desiderari queat, quod ipsum ab aliis distinguat. Iste ergo, cujus miraculum me has lineas ducere formam ejus delineare & ad vivum repræsentare impulit: Petrus vocatur Durandus, octo vel novem Annorum puer, natus Andrea Durando, & Margaritha Salè, rusticis inhabitatoribus Pagi de La Rangeziere sub Parochia S. Georgii, ad Montem Acutum in Pictavio inferiori, (*près Montaigu en bas Poitou*) qui quinto vel sexto ætatis anno correptus variolis, morbo toti propè humano generi communi, quique persæpe horrendas edit strages, inprimis autem infantibus; & in facie malignitate sua crudelissimam nonnunquam exercet Tyrannidem, quam & ita in hoc puero exercuit, ut integram inde perdiderit linguam, illamque gangrænâ & putredine corruptam (quod in hoc morbo, ubi ægrotus negligitur, nec ritè medicamentis necessariis juvatur, facilè tam ob septicam Veneni naturam, quàm ob calidam, humidam & laxam linguæ constitutionem fieri solet) per partes exspuerit totam, nullo remanente vestigio adfuisse Linguam. Hoc tamen vel prorsus non, vel parum, obstante, quinque actiones linguæ competentes perfectè edit, quæ sunt loqui, gustare, exspuere, assumpta in ore colligere, deglutire, ceu alibi dicemus. Os namque hoc Linguâ destitutum, ejus in locum, noviter aliam acquisivit conformationem, mirabili planè naturæ prudentiâ, quæ nunquam non, ita ferente occasione, benignam se quasi matrem erga liberos suos exhibet.

Non alius crudelior, aut turpior hostis in mortalium insurrexit genus, præter Variolas, nulli, nec senibus, notante Nicol. Florent. Tr. 2. Sum. 4. Dist. 6. c. 13. Augen. l. 9. de feb. c. 7. Forest. l. 6. Obs. 44. nec pueris, quibus communissimus, nec fœtui in Utero latenti parcens, teste Schenckio, l. 6. obs. tit. de Variol. & Morb. Fab. Hild. C. IV. obs. 55. Rhod. C. iii. obs. 83. &c. & quos non occidit, illos ita quandoque notat, ut per omnem vitam Tyrannidis suæ turpissimas notas, maxima cum deformatione, circumferat, quod multis videre est apud *Schenckium l. c. obs. penult.*

Unum de meo addo. Ancilla quædam 30. & ultra annos malè valens, circa festa Natalitia sævissima Bruma Anno 1669. Trenschinio trium prope dierum itinere, huc Posonium proficisci constituit; Huc delata in suburbio divertit ægrota, videtque totum corpus repleri variolis. Negligentiùs initio habita, quia paupercula: post octiduum de adventu ejus, certior reddita Consobrina quædam mea, quia eam ante noverat, & restitutam servitio suo destinaverat, curam ipsius suscepit, me vocato in auxilium. Nihil intermissum, quod ex re videbatur, adhibita expellentia sufficienter, aliaque huic morbo convenientia remedia: Sed ecce, in morbi declinatione remittentibus symptomatibus variolæ quidem decidere sed remansere tubercula parva verrucosa, nullis medicamentis cedentia; Non hîc quicquid externè, vel internè adhibitum, profuit, inunctiones nihil, nihil Balnea artificialia vel naturalia, & licèt quandoque disparéant, vel squamularum instar decidant, statim iterum recrescunt, idque jam per integrum triennium. Sed non satis est, sævissimo morbo cutem defœdare exteriorem, quin & in interiora sævit. Deprehensum sæpe quosdam ab interitu dissectos, quibus Jecur, Lien, Pulmones, omniaque interiora, haud secus atque Cutis sordidissimis pa-

pulis

pulis manantibus ſcaterent. Fernel. l. 2. de Abd. rer. cauſ. c. 12. Barth. C. IV. Obſ. 45. Quam ori palato, faucibuſque nocent, vel præſens, de puero iſto elingui, ſufficit hiſtoria. Vidi ego Anno 1668. hic Poſonii in ſuburbio puerum 4. vel 5. annorum, cui poſt variolas, quibus ut Parentes referebant, os in guttur uſque quantum videri potuit plenum erat, remanens ulcus, & totum palatum, ſuperiores gingivas, labium, & aliquid de dextra gena abſumpſerat, miſerrima inſequente morte. Anno 1670. media æſtate hic morbilli quaſi Epidemialiter graſſantes, ſingulare aliquod oris vitium, idemque periculoſiſſimum conjunctum habebant. Aphthæ erant per totum os interius ad Uvulam uſque & fauces albæ, quaſi inducentes membranam, cum præſentaneo ſtrangulationis ac mortis periculoſo, niſi promptè ſuccurrebatur. Mulierculæ appellabant *den Meel-Hund*, fortè à colore, quòd totum os, ac ſi alba farina conſperſum eſſet, apparuerit.

(*b*) Inprimis ſi citò deſinunt, aut intermittunt uti pulveribus expellentibus, quos ego uſque in decimum quartum, & ſi malignitas adfuerit, in decimum octavum, impari tamen doſi, continuare ſoleo bono cum ſucceſſu. Diaphoreticis enim hiſce Ichor ille acris & erodens infringitur, & ad exhalationem, ſeu tranſpirationem quaſi inſenſibilem diſponitur, unde exiccatæ variolæ ſponte decidunt, nullis vel exiguis poſt ſe relictis veſtigiis. Undè non melius, non tutius, ad præcavendas foveas, ſeu variolarum veſtigia commendare tam propriâ quàm alienâ experientiâ poſſum, præter diligentem & continuatum uſum expellentium.

§. 2. *Qualis Conformatio Oris hujus quod ſine lingua loquitur.*

Os ab Anatomicis communiter, & externè, & internè conſideratur: Sed ut de hoc noſtro ritè agamus, motus inſuper & quies ſpectari debent. Quod ſi enim extrinſecus id, dum non movetur loquendo, intuearis, nullam ab alio obſervabis differentiam. At ſi apertum, & loquendo ſe movens inſpicias, ſtatim nobis differentiam, quid habere debeat, & quid habeat. Quod ſcilicet moveatur pro ratione Conformationis, ut uſus poſtulat, quodque Conformatio ejus interna inprimis conſiſtat in dentibus, in palato, in faucibus, in Uvula, in Amygdalis, in Ranularibus, in reliquiis linguæ, in Saliva.

Dentium inferioris maxillæ gemina eſt ſeries extrorſum, Primi ſiquidem, Lacteos appellant, ipſi non excidere & poſteriores non intermiſere verſus interiora ſuccreſcere (ſecus ac faciunt dentes ſupercreſcentes) ubi modò apparent longi, & quaſi inverſi, non aliam ob cauſam, quàm quod dentibus ſuperioris maxillæ ex oppoſito non jungantur, qui anteriorem ſeriem tantùm tangunt, & quod à primis remanentibus locum ſuum ſemper occupantibus introrſum preſſi, à lingua hìc deficiente, ad exteriora non repellantur aut retrudantur. Id quod facilè alio, & communi exemplo probari poteſt. Dens, verbi gratiâ, maxillæ cujuſdam, qui vicinum amiſit, ſemper creſcit; & ſe extendit in locum deperditi. Aut ſi dentes accreſcentes, vel etiam primi, non debito tempore evellantur, unà creſcunt, & extra naturalem ſitum ponunt illos, qui remanere debent, id quod non exiguam affert deformitatem, quam, ut evitemus, foramen dentis decidui, & qui non ampliùs regeneratur eſt implendum, ſuperflui autem maturè evellendi.

Palatum, Oris Cœlum, naturaliter convexum, ut ad vulgi mentem vox edatur fortiùs; potiùs autem juxta meam opinionem, ut lingua, dum ſe in rotunditatem contrahit, majus habeat ſpatium. In hoc puero depreſſum eſt, & planum plus ſolito, quod linguam non habuerit cùm creſceret, quod ipſum formaſſet, aut naturalem convexitatem conſervaſſet.

Faucium Iſthmus, ſive ille introitus, per quem aër, & cibus, & potus ingrediuntur & egrediuntur, hoc in ſubjecto ovalis eſt formæ, tam anguſtus, ut vix digiti apicem admittat. Una ſui parte palatum altera radicem linguæ attingit. In medio ſuperiùs annexa dependet Uvula, rimam in ſemilunarem formam dividens, & internè ad Epiglotidem deſcendens; cùm alias faucium hic Iſthmus aut gulæ introitus ſit rotundus, & cum Uvula duos quaſi arcus tribus inſiſtentes columnis repræſentet, nempe ut aër loquendo meliùs infringatur & prorumpat.

Uvula in hoc puero longa eſt, tenuis; ejuſque extremitas pendens ac mobilis. Longa eſt; ut Epiglottidem attingat. Tenuis, ne nimis rimam claudat. Deſcendens ad Epiglotidem, ne ſe nimium movendo mutationem & vocis inflexionem impediat, cujus ſcilicet gratiâ eſt in homine, qui ſolus inter reliqua animantia particulâ hac pyramidali carneâ gaudet, magis ad commodiorem loquelam, quàm ut eâ pulmones ab aëre frigido, Larynx ab ingreſſu pravorum, (niſi fortè in hoc ſubjecto elingui) Oeſophagus, vel à deglutitione magnorum fruſtorum, & Naſus à regurgitatione aſſumptorum præſerventur. Primum namque nares & os præſtant; ſecundum Lingua, tertio non repugnat inſervire poſſe Uvulam, quarto verò reliqua animantia magis eſſent obnoxia; quæ demiſſo in terram Capite cibum aut potum capiunt, quàm homo erecta cervice comedens & bibens.

Amygdalæ, duæ glandulæ ſunt, ſpongioſæ, à figura nomen ſortitæ, utrinque ad linguæ radicem in ingreſſu faucium ſitæ, ad excipiendam à Capite, & ori reddendam ſalivam, quo irrigentur Lingua, Palatum, Gingivæ, Ranulares, & imbuantur maſticanda. In hoc verò ſubjecto inſtar duarum Caſtanearum ſunt apparentiores, quàm alias in hac ætate ſolent, quam magnitudinem iterum à defectu Linguæ acquiſiverunt, in quam, quòd non evacuarint ſuam humiditatem, ita excreverunt. Quinimò neceſſarium erat in hoc ſubjecto, talem obtinuiſſe figuram, & dimenſionem ad coarctandam gulæ rimam, quo meliùs fieret elocutio.

Ranulares, (*Les Ranulaires ou Grenouilleres*) de quibus etiam recentiſſimi ſilent Anatomici, in hoc ore non inveniuntur. Sunt autem duo corpora rotunda, ſpongioſa, ſubrubra, utrinque in parte maxillæ inferioris anteriori dextrorſum & ſiniſtrorſum verſus dentes maxillares in formam pedum poſteriorum Ranæ ſub apice Linguæ & mento ſeſe extendentia, quo in loco illa tempore ſilentii ſe retrahit, reponit, & quaſi ſuper molliſſimum pulvinar quieſcit. Ultra hanc commoditatem, quam præſtant, inſerviunt etiam ad continendam ſuperfluam ſalivam, quæ aliàs ſemper ex ore proflueret. Hinc etiam ſi filum Linguæ minus dextrè ſecetur, perpetuâ oritur ſalivatio, & hoc in loco fieri ſolet Batrachion ſeu Ranula.

Quod ſupereſt, adhuc eo in loco, ubi antea Lingua fuit, duplex eſt corpus planum, & in oris fundo ſitum, carne conſtans muſculoſa, lineaque diſtinctum ſecundùm longitudinem excurrente, & ab interiori menti parte uſque ad gutturis ovale foramen ſe extendente, in medio ſui, utrinque inflatum, ſe colligit, & retrahit verſus palatum, ceu duæ hirudines ſibi junctæ, cùm puer loquitur, aut aliquid deglutit. Unde pro reliquiis habeo partium poſteriorum muſculorum, aut Genioglofforum, aut Myloglofforum, ubi terminata gangræna, quæ nunc conſtituunt iſtud corpus moventque.

Saliva, Aquoſus parumque glareoſus humor eſt, qui ex Cerebro ad infundibulum, & indè, ſcribit Riolanus, per duos parvos canales in ambas fertur amygdalas, ex quibus partes internas oris per illas cavitates circum has glandes; inſtar parvorum loculorum ſitas,

tas irrigat, ut os humectetur, Lingua reddatur agilis, ut ad hujus profunditatem deducat ſapores, & hi penetrent palati membranam, ut melius in ore moveatur cibus, ſerviat inſtar fermenti ad digeſtionem, ut tandem loquelam reddat ſuaviorem, lenioremque reſpirationem. Reſtat ut loquamur de motu Oris hujus externo, qui triplex, ſecundùm tres partes, quæ moventur, Labia ſcilicet, Maxillam inferiorem & Genas. Singulæ motus edunt diverſos; in hoc puero dum loquitur, deglutit, aut exſpuit, ab aliis diverſiſſimos. Quæ cùm facit labia magis verſus interiora, vel verſus exteriora inflectuntur & invertuntur, maxilla inferior valde cogitur, aut ſe extendere, aut contorquere, muſculi buccinatores genas intra dentes trahunt molares ad fungendum officio Linguæ.

Dentes, ut numero, ita quoque & ordine quandoque variant. Viſi quibus triplex, quibus duplex ordo, imò quibus dentium loco nonniſi continuum os fuit, teſt. Schench. lib. 1. obſerv. T. de Dent. Laur. l. 2. Hiſt. Anat. c. 10. Melch. Sebiz. Diſp. 2. de Dent. aliiſque; Ordinariè homini una eſt ſeries 16. Dentium in utraque maxilla. Quadrupedibus mordacibus ac rapacibus ad proportionem plures & validiores; Omnium autem piſcibus carnivoris plurimi ordines. Rarum eſt ac notatu dignum, quod Cl. Steno de Cane Carchariæ, aliàs Lamiæ dictæ, Piſcis voraciſſimi & Antropophagi, cujus in ventriculo nonnunquam, teſte Rondeletio, integer homo, iſque loricatus, fuit inventus, diſſecto capite refert, ſe tantum in media mandibula (nam pleroſque reſciderant, & quibuſdam in locis reſectis cum dentibus gingivis, ne veſtigia quidem dentium integra reliquerant:) tredecim dentium ordines inveniſſe, quorum interiores inferiora verſus recurvati ſub gingivarum molli & fungoſa carne ita deliteſcebant, ut nonniſi reſectis gingivis in conſpectum prodirent. In alio vero piſce, itidem ex Canum genere, diſſecto, maxillæ inferioris octo obſervavit ordines, ſingulos 19. dentibus inſtructos, in ſuperiori ſex cum 17. dentibus. At cur natura hiſce animalibus tot conceſſerit dentes? cùm ob ſtructuram in tàm ubere eorum numero minima pars uſui eſſe poſſit, prædamque inſuper totam ſine prævia maſticatione deglutiat, meritò mirandum; Prælaudatus Author factum hoc ob materiæ abundantiam & neceſſitatem, ut delapſis, vel quomodocunque amiſſis anterioribus, ſtatim interiores ſuccederent, exiſtimat, in diſcurſu ſuo elegantiſſimo, quem de hac Anatomia Florentiæ ſpecimini Myologiæ Elementorum annexum edidit. Fortè etiam, ut & hi verſus interiora reflexi inſtar hami ſerviant; quibus impedita præda ex rictu immanis belluæ extricare minimè ſe queat. Unde annoſis, quibus priores ſæpius excidere, minor ordinum numerus, quo aliàs multùm variare ſolent Authores.

Rondeletius ſex numerat ſeries; Tot Mercatus, ſed putat Cl. Steno in exiccato capite non tam benè omnes in gingivis latentes deprehendi potuiſſe. Bellonius in univerſum ipſi 140. dentes tribuit. Lamiæ verò, quam ab hoc diſtinguit, plus minùs ducentos per quaternos verſus (ut inquit) in utraque maxilla diſpoſitos. Alii triplicem tantùm ſeriem adſtruunt, vide Geſner. lib. 4. de Aqua. In Gaditana littora expulſam belluam marinam cujus inter duas pinnas ultimæ caudæ cubita ſexdecim fuere, dentes ejuſdem 120. maximi dodrantium menſura, minimi ſemipedum, ex Turriano citat *Jac. Pont.* in Att. *Fallar.* l. 2. *Synt.* 3.

Ita dicti à tempore, quòd lactentibus erumpant, non à materia, quòd ex lacte fiunt; ut cum nonnullis vult. Auth. lib. de Princip. 5. ſeu Carn. Quem librum meritò D. D. Melch. Sebiz. in Diſp. 2. de Dent. cum Mercuriali Hippocratis fuiſſe negat, quia non pauca continet à veritate aliena; aliiſque Scriptis Hippocraticis contraria. Formantur enim in Utero æquè ac reliquæ partes ſpermaticæ, ſed gingivis teguntur, tum quod minores, quàm ut illas tranſire queant, tum quod illorum nullus adhuc uſus; quibus gingivis in diſſectione remotis, in alveolis ſuis nemo, niſi Tereſiâ cæcior, non videre poteſt. Ego certè cùm ex fœtu legitimo tempore, ſed mortuo excluſo, ac proindè nunquam lac ſuxerat, Sceleton pararem Lutetiis Pariſiorum, ablatis gingivis perfectè abſolutos inveni (quos & adhuc monſtrare poſſum) octò priores dentes utrinque; ſub quorum uno vel alterò ſatis jam duro, eruto curioſitatis gratiâ, inveni ſubjacentem materiam cartilaginoſam; ceu rudimentum dentis ſubſecuturi, qualem etiam deprehendi in alveolis maxillarium. Undè non ineptè Cauſa deduci poſſet; cur anteriores cadant & regenerentur, molares verò; ſive maxillares non.

Fabricavit ſcilicet natura primos dentes primo ſeptenario deciduos, ut ſint operculi loco, ſub quo tutius & firmius creſcant ſecundi, & ut interea, dum hi adoleſcant, convenientemque acquirant duritiem ſerviant infanti, quem tamdiu edentulum eſſe non decuit. Dentes in ſenectute regeneratos, hinc inde vide apud Obſervationum Scriptores.

Nullum animal Uvula gaudet pręter hominem, quia nullum animal loquitur, magiſque articulatam vocem, ut ut varia avium modulamina & ſuaviſſimas tenellæ vocis inflexiones mireris, edit, præter eundem. Loquelæ enim vel maximè, vel primario inſervit, miſſis aliis actionibus, quę homini cum Brutis communes, & quas iſta ſine illa facilè peragunt. Unde vel eroſa, vel penitus amputata (quod nunquam fieri debere vult Rud. l. 4. c. 14.) ſtatim vox læditur, Laurent. Hiſt. Anat. l. 11. c. 18. Muti fiunt, Gal. de uſ. Part. 11. c. 11. Diterius, minuſque perſpicuè loquuntur. Joubertus de Aff. Thor. Vitiata voce abſurdè & de naribus loquuntur; Pareus Anat. l. 5. c. 13. raucam vocem edunt, Riol. Antropogr. l. 4. c. ult. Et quidquid contradicat Fallop. in Obſerv. Anat. certò adſtruens nullum pati vocem detrimentum ab exeſa uvula; Vivum hujus rei exemplum hic Poſonii habemus in Typographi filia 10. vel 11. annorum, quæ à primo ortu hac particula deſtituta, ſine impedimento aut regurgitatione ad nares deglutit, ſed difficulter loquitur, imò quaſdam literas planè pronunciare nequit; ut l. ſ. c. 1. ch.

Andegavi vidi hominem triginta annorum, qui duplicem habuit Uvulam, quæ legitimo in loco pendebat, ſed digitum minorem propè lata in medio diviſa, in apice verò Epiglotidem verſus iterum coaleſcens, ut mirabilem præbuerit formam. Deglutiebat iſte ſine difficultate quodcunque, ſed lubentius liquida, quàm ſolida, loquela tamen de naribus procedebat, (*il parloit du nez*, ut Galli dicunt) Tabidi autem quomodo reddantur hac particula deſtituti, non capio, niſi forte credam hoc potiùs fieri à deſtillationibus acribus & erodentibus ad pulmones, quæ cauſam etiam præbuere huic eroſioni, quàm ob ingreſſum aëris frigidi in eoſdem, quem Os & nares ſatis temperant. At quæri poſſet quomodo Aves loquantur, aut vocem humanam imitentur, iſtâ particulâ, ad loquendum, adeò neceſſariâ, deſtitutæ? Pſittacos certò loquentes plurimos habemus, nota, quæ de Corvo Auguſtum ſalutante dicuntur, & de Pica apud Martialem;

Pica loquax certa Dominum te voce ſalutò,
Si me non videas, eſſe negabis Avem.

De Auriviti Fringillæ quodam genere refert Deuſingius in Diſſert. de Surd. & Mut. ab Ortu Sect. 4. de Loquela Brut. Illam, quoties ſe ad Cantum componeret, ſubmiſſa & rauca voce Belgico Idiomate exclamaſſe:

maſſe : *Bing-Manectente.* Verùm enim verò non tam ad loquendum ſimpliciter, quàm ad bene loquendum, ad bene articulandam vocem ; ad pronunciandas literas gutturales videtur neceſſaria ; Unde loquuntur quidem iſtæ aves, vel potiùs imitantur humanam loquelam, ſed malè pronunciant, & quandoque vix, niſi ab aſſuetis, intelligi poſſunt.

His novum uſum tribuit VVarthonus in Adenogr. c. 22. Guſtûs organum eſſe vult, omneſque Oris partes, in quibus Guſtus perficitur, ſubtendere contendit. At meritò recedit ab iſta Sententia L. Bellin. in Guſtûs Organo c. 13. 14. guſtationem fieri adſtruens in papillulis, quas linguales fungos appellat, nihilque aliud eſſe dicit, quàm ſurculos nervorum è linguæ ſubſtantia aſſurgentes, & ſiphunculorum inſtar ad extimam ſuperficiem deſinentes, non ſtratos & linguæ plano parallelos, ſed eidem implantatos & erectos apice ſuo, ut oſculis occurrant ſalibus, quibus mediantibus guſtabilia ipſis communicantur. Atque papillaris hæc extenſio, ſeu papillare corpus, ut amat nominare Malpighius in Epiſt. ad J. Alph. Borellum ; per totum corpus linguæ expanſum, impoſuit fortè Veteribus, ut linguam duplici carne conſtare crediderint: glanduloſâ unâ, alterâ muſculoſâ ; Cùm in contrarium hodie diligens Inſpectio & Examinatio demonſtret, Linguam verum eſſe corpus muſculoſum, miris quidem fibrarum plexibus donatum, quia miros etiam ac varios, ſi ullum aliud membrum debuit edere motus, per quos fibrarum anfractus propullulant fungi illi nervei, ſive nervorum extrema filamenta.

Quid velit Author per Ranulares, non ſatis intelligo, denominationem ex Gallico retinui ; Non enim ſub hoc nomine quidquam vel legi, vel audivi, vel vidi. Vix erunt Muſculi Baſiogloſſi, ratione ortûs, inſertionis & formæ exterioris, unde & nonnullis Ypſilogloſſi audiunt, hiſce ſimiles, ſed ratione ſubſtantiæ diſſimillimi. Niſi fortè ita appellet carnem illam plurimis glandulis & pinguedine conſtantem, ad radicem Linguæ ſitam, quam nonnulli, teſte Barth. in Anat. reform. pro undecimo muſculo linguæ habent, quamque longè meliùs Cl. VVarthonus Glandulas maxillares nominat, & modo huic, quem proponit Author, non abſimili deſcribit in Adenogr. cap. 21. Earum inquit, pars poſterior parotidi & glandulis jugularibus, appropinquat multò craſſior & rotundior, ut & rubicundior, anteriùs progreſſa paulatim attenuatur, media autem via videtur primo aſpectu ab interiori parte quaſi diſcontinuari, & recedere, re ipſa tamen exiguo ramento continuatur, dein verò nonnihil iterum craſſeſcit, & cunei inſtar inter maxillam, & linguæ muſculos ad mentum uſque protenditur.

Et hic quidem locus non ſuperfluam ſalivam, ut vult Author, quam ad mentem illius temporis, novos ductus Salivales ignorantis, è Cerebro deducit, ſed ejus ſcaturriginem continet, quia vas ſalivale tranſit, & ſi in hac parte minus dextrè fiat Ranulæ operatio, vaſaque illa diſcindantur, perpetua oritur Salivatio. Id quod jam ante VVarthonum vidit & prædixit Carpus in Mundinum, liceat mihi locum hunc totum ex Cl. Deuſing. Diſp. de Alim. depur. quem à Brenzelio ; & hic Beringario habet mutuare, & quia multùm, quæ diximus illuſtrat, huc tranſcribere. Sub lingua, inquit, duo ſunt Orificia ſeu Oræ, ſive fontes, à quibus exit Saliva & duo habitacula Salivæ vocantur etiam ab Avicenna, generativa Salivæ, & in illa Orificia ingreditur ſtylus, teſte Avicenna & teſte Senſu: & talia orificia aperiuntur & conſtringuntur per ſuas pelliculas, prout clauditur & aperitur burſa. Et interdum aliqui Chirurgi ignorantes, propter aliquod opus manuale in iſto loco incidendo aperiunt talia orificia taliter, quòd ſuæ pelliculæ poſſunt non poſteà claudi tempore debito, & tunc perpetuò, velit, vel nolit patiens, ille ſemper eſt cum ore pleno ſputamine: Et ego habui tales præ manibus, quos fontes devaſtarat Curſor de Vercello, Baptiſta vocatus, volendo curare Ranulam ſub lingua : Et tales fontes implantantur ad Carnem glanduloſam, quæ eſt ſub lingua verſûs radicem, quæ eſt multa, & eſt ſemper plena ſputo, ſuſcipiens illam humiditatem à venis proximis. Hæc ille.

Confundit hic Author, ut & plerique veteres Anatomici Sputum cum Saliva. Humor ille craſſus viſciduſque, qui ſæpè cum Saliva commiſtus è tonſillis, ad quas è Capite, ceu Cerebri excrementum depluit, provenit, Sputum eſt non Saliva, quæ nobilioris naturæ & ortûs. Vide VVarth. Adenogr. c. 21. De cujus materia, modo generationis, uſibus & neceſſitate, cùm actum alibi fuſiùs, & ex profeſſo, hîc ſuperſedeo.

§. 3. *De naturali Conformatione & Uſu ordinario Linguæ in Homine.*

Si quis dignè & doctè de Lingua, aut alia Corporis humani parte loqui vel ſcribere vellet, linguam & calamum mutuare à Riolano, aut ex illo ſumere deberet, & tranſcribere, quod in pulcherrimo ſuo Anthropographiæ Opere tanta cum Excellentia, tanta cum elegantia dixit, ſcripſitque, ut curioſiſſimi Anatomici deſperent, aliquid ulteriùs, aut ipſo meliùs, proferre; dum nihil tam egregio operi ad ſui totalem perfectionem deeſſe videtur, quàm applauſus, quem jure promeruit, & qui meritò tam raro Authori debetur. In ejus igitur æs incidendum eſſet, ſi non & ſuum cuique tentare talentum, & quid valeant vires experiri liceret; quàm in totum alienis laboribus acquieſcere.

Dicam ergo, quòd Lingua ſit membrum particulare, unicum in ſuo genere, diverſas aſſumens in ore humano figuras, mediante linea quadam ſecundùm longitudinem excurrente, diſtincta ſine diviſione in partem dextram & ſiniſtram, carne conſtans duplicis generis, pulpoſa ſive glanduloſa, fibroſa ſive muſculoſa, duplici gaudens motu, uno proprio à ſe ipſo procedente, quo nonnunquam mentem præcurrit, & Velox dici poteſt, altero, qui à voluntate dependet, unde animalis vel voluntarius audit, inſtructum nervis, arteriis, venis, membranis tectum, & tandem duobus alligatum ligamentis, ut inſtrumenrum Loquelæ, Guſtûs, Exſpuitionis, ut colligat aſſumpta maſticanda, ut juvet deglutitionem, ut ſit inſtar ſpeculi, in quo ſigna ſanitatis, & morbi, & mortis videri poſſint, & ut mentis noſtræ ſit nuncius, noſtrarumque interpres cogitationum.

Figura Linguæ, quæ cum Proteo convenit, quia, prout nobis placet, variatur, certa deſignari nequit, quamvis recentiores Anatomici ipſi Pyramydalem adſcribant, quæ tamen nonniſi certis competit animalibus, Ariſtoteles latam eſſe dicat, ipſa certè conſtat experientia hanc pyramidalem figuram coactè tantùm accipere, tum nempe, quando ex ore protenditur, vel quando conjunctis duabus marginibus in formam imbricis effingitur.

Duplex in Lingua Caro eſt, glanduloſa ſuperiùs, inferiùs muſculoſa. Prima ſui generis (nec non vel glandula eſt, vel muſculus) poroſa, aut imperceptibiliter undique perforata, rara ceu ſpongia, ſubtilis, dura à radice, uſque ad apicem linguæ, ejuſque verum conſtituit corpus. Secunda fibroſa, ſed unita, compacta, muſculis conſtat, genioglosſis, baſiogloſſis, ſtylogloſſis, mylogloſſis, qui attingunt, inſeruntur, miſcentur cum hoc corpore, ut utrinque abſque confuſione aut commixtoi-

mixtione cum glandulosa, ad movendam figurandamque linguam pro voluntatis arbitrio.

Nervi, quorum beneficio lingua animatur, gustat & movetur, procedunt à tertia, quarta, & septima Cerebri conjugatione, secundùm plurimos Anatomicos, & secundùm receptum Distichon latinum, septem horum parium insertiones complectens. Sed Riolan. l. 4. c. 2. Bauhin. l. 3. c. 12. & Spigel. l. 7. c. 2. Tres Celeberrimi Anatomici nostri temporis nullam, tertii paris distributionem prosequendo, mentionem faciunt, quod ex illo nervus ad linguam progrediatur. Ipse quoque Riolanus quartum tantùm in oculis absumi vult. Quod ego in Riolano & Bauhino valdè miror, dum ille quidem l. 9. c. 4. dicit: Quòd Lingua nervos suos à tertia & septima conjugatione accipiat; Hic autem, sui quasi oblitus, l. 3. c. 89. inquit nervos habere à tertia, quarta, & septima Conjugatione. Ita Riolanus septimum par ad Linguam deducit, & exiguum ramum quinti, quem transire vult aquæductum Fallopianum. Spigelius autem ultra portionem septimi, tertii, & quarti, etiam partem inferioris quinti paris. Quod hìc obiter notare volui, quia ad propositum & quo unus vel alter ansam habent, hæc loca inter se conciliandi.

Arteriæ linguam vivificantes, ex Carotidibus proveniunt, ipsique istum ardorem, nigredinem, siccitatem, & deglutiendi difficultatem conciliant, quæ in febribus observatur ardentibus, magis per immissionem sanguinis calidi & ebullientis, perque communicationem caloris cum Oesophago, quàm per vapores ex toto corpore huc delatos, ut notavit Spigelius l. 6, c. 2.

Quæ nutrimentum afferunt Venæ ab illo Jugularis externę ramo, quem profundum appellat Spigelius, & à tertio ramo jugularis internę oriuntur, ut vult Bauhinus. Harum sectio valdè prodest in affectibus Cerebri, ut bono cum successu, observavit Riolanus.

Membranam lingua involventem communem habet cum interna Oris & Oesophagi à dura matre procedentem, & se extendentem ad hæc omnia investienda, unde etiam gustus speciem sensui communi communicat, sentitque affectiones Oesophagi, Ventriculi, humorumque læsorum.

Duorum Ligamentorum, quæ annectunt, ligant, & tenent linguam, alterum est membranosum, alterum nervosum, & rotundum. Illud basi sua leviter alligat linguam ad Os Hyoides, ut eo liberius & securius moveatur. Hoc autem apice suo mento interno symphysi ad dentes anteriores annectit, ne linguæ mucro, vel nimium ex ore propendeat, aut seorsim moveatur, & ut doceamur reprimere ac continere molestas illas quandoque in nugas, calumnias, aliaque oris vitia, heu nimis hoc seculo ordinaria, proruptiones. Ultra hoc rotundum ligamentum aliquandò aliud planum & superfluum reperitur, quod à Linguæ cuspide versus medium gingivarum inferius tendit, ita ut infantes hoc habentes nonnisi cum labore & dolore linguam extrahere, aut ubera sugere queant, quia impedit quo minus papillas mammarum apprehendant, unde quoque resecari solet. Sed quoniam nisi cura habeatur, facilè verum ligamentum offendi potest, administranda est ista operatio cum una parte forficis, ut cuspis sit inter duo ligamenta, dorsum versus linguam, acies directa ad gingivas, & ita resecandum est subitò, tenendo linguam digitis manûs sinistræ. Nonnulli fide digni referunt in Canibus ex hoc ligamento rotundo vermem fieri. Siquidem aut inter linguam & ligamentum rotundum esse debere scio, admonere volui, caveant, ne dissecent hoc ligamentum, ceu facilè fieri potest in exstirpando, ad præcavendam rabiem, hoc verme, ut Venatoribus solenne est.

Linguæ motus alius est proprius, & ab ipsa solùm dependens, alius verò ab alio, ut inquit Riolanus. Primus in carne sui generis consistit, alter in Musculi Illum Velocem, vel præcurrentem, vel ideò vocari, quòd præcurrat quasi alterum à mente procedentem. Nullus enim musculorum istam velocitatem linguæ possit dare, quam continuare videmus nonnunquam satis diu, dum retentum in ore aërem diverberat, ad formandam elocutionem, aut dum nobis etiam non advertentibus loquitur, ut videre est in Oratoribus, qui sæpe plus loquuntur quàm volunt, aut præmeditati sunt. Voluntarius in musculis dependens ad fortiores linguæ actiones requiritur, sine quibus illas edere nullo modo posset. Nam deglutire, colligere cibum, exspuere nunquam ex se ipsa potis esset. Verùm hi duo motus conjunctim ad omnes concurrunt actiones. Fertur incredibili velocitate per omnes Oris partes, referturque, pellitur, repellitur, ut faciat & dicat quod velit, adeò ut non tantùm cujuslibet hominis, sed & brutorum variorum voces imitari queat. Insuper quemadmodum natura omnes Corporis partes duplices fecit, ita quoque linguam in duas partes divisit, ne affecto uno latere offendatur & alterum, impediaturque illius functio naturalis. Non quidem, quod revera in duas partes dissecta, aut bifida sit, ceu in Lacertis, Vitulo marino, aut trifida, ut in Serpentibus; aut se habeat quemadmodum Torquemade in Hexaemero suo ex Joh. Bohemi libro de moribus omnium Gentium refert; Esse quosdam qui duplicem linguam habeant, quibus duas diversas cogitationes simul & semel erga duos itidem diversos exprimere aut proferre possint. Sed unica est & unita, unica solùm illa transversali secundùm longitudinem, divisa in duas partes, & ratione superficiei à parte inferiori, & ratione unius extremitatis ab alia, nisi ita duplex sit, quemadmodum in plurimis hominibus hodiè Cor reperitur duplex, aliud cogitans, aliud loquens, quod simulatoribus frequens, qui non meliùs repræsentari possunt, quàm in istis hominibus duplici lingua præditis.

Omnes qui hactenus de Lingua scripsere, nullo modo dubitarunt, illam Elocutionis, Gustûs (addo ego) Exspuitionis organum constituere, & quod multum, ad masticandum, deglutiendumque conferat adstruere. Nunquam, ut Exemplis probemus, Thyreus Philomelæ linguam amputasset, nisi exinde ipsam mutam fore credidisset. Facilè judicarent de saporibus illi, quibus Lingua repleta pituitâ crassâ, nisi hoc tantum facere possent linguâ in statu naturali constitutâ. Deglutirent exhibita Paralytici, exspuerentque sine impedimento, si lingua non ideò in ore esset, ut hæc omnia præstaret quæ modò diximus. Ita ut quinque notabilia habeat officia, quæ ipsi denegari non possunt, licet Exspuitio à me demum ipsi addita, & nemo illam hactenus inter actiones linguæ humanæ numerarit. Si enim consideres reliqua omnia animalia, vel salivare, vel certè spumare, salivare etiam Senes, Infantes, debiles, qui linguam habent resolutam, ut & qui ex iracundia, ceu Equi, vel Apri spumant, facilè judicabis Salivationem provenire ex imbecillitate, Spumam ex Commotione, Exspuitionem autem actionem esse voluntariam, dependentem à motu linguæ voluntario, ad exonerandum os eo quod ejicere gestit. Constat, linguam ut spongiosam, & ex variis compositum est partibus Corpus, recipere ac absorbere omnes evaporationes, destillationes & tincturas, ex omnibus Corporis partibus, repræsentare harum colores, qualitates: ad servitia, ut hoc præstet, habet nervos, arterias, membranas, quæ instar lineæ Communicationis sunt ad cognoscendam sanitatem, morbos, eorumque exitum. Quare huic materiæ non diutius immorabimur, utpote quæ satis nota, & apud alios legi

poteſt. Tandem nemo ignorat linguam veram eſſe mentis interpretem, nuncium rationis & propalatorem noſtrarum cogitationum, etiam intimarum, illam per elocutionem diſcernere hominem à brutis, per hanc fieri converſationes, probari amicitias, hac publicari beneficia & miracula Dei, hac iram placari cœli, hac gratiam concitari, hac benè, vel malè de proximo mereri, hac illum vel laudari, vel vituperari, occidi, vel reſuſcitari eundem. Verbo, gladius acutus eſt lingua, Peſſima ſimul & optima res in mundo. Sed mirandum, quòd certè aliis temporibus pro miraculo habitum fuiſſet, Os ſine lingua, ſine artificio cum parva incommoditate omnia hæc facere, quæ aliàs facit lingua in ore, quæque balbutientes difficiliùs, nec meliùs poſſent peragere, illi cum duplici lingua, quorum meminit Torquemade quàm puer iſte penitus elinguis peragit.

Operæ pretium eſt hæc loca inter ſe conciliare, ne graviſſimi iſti viri ſibi ſcribendo, vel non conſtitiſſe, vel contradixiſſe ipſis credantur. Quæritur itaque cur Riolanus, Bauhinus, Spigelius perſequendo tertii paris nervorum diſtributionem nullum ramum ad linguam deducunt? Cùm tamen poſtea Riol. l. 4. c. 9. de Lingua agens, ſui immemor nervos habere dicat eam à tertia & ſeptima conjugatione. Bauhinus verò itidem l. 13. c. 89. linguam nervos habere à tertia, quarta, & ſeptima conjugatione adſtruat. Cur Riolanus quartum par in oculos abſumi velit? Et cur Spigelius ultra ſeptimi, tertii, & quarti paris ramum, etiam ramuſculum quinti paris ad linguam deducat? Hic eſt ni fallor Status controverſiæ, quem Author confusè nimis & obſcurè in diſcurſu ſuo proponit.

Sed R. ad 1. Fortè Authorem non benè inſpexiſſe Riolanum, qui lib. 4. c. 2. diſpenſationem tertii paris proponens expreſſè in hæc erumpit: Alter ramus tertiæ conjugationis, qui Cranio excidit, linguæ communicatur. Bauhinus verò & Spigelius nullum quidem ramum in linguam deducunt, ſed tantùm in dentes, & gingivas abſumi volunt, quas partes etiam guſtare, & ſapores diſcernere vult Galenus. Bauhinus verò l. 3. c. 89. meliùs ſe explicat quaſi, cùm in tunicam tantùm vult ferri ramum tertii paris, non totaliter inſeri. 2. Cur quartum in oculos abſumi, atque adeò ab aliis recedere Anatomicis velit Riolanus, Riolano opus eſſet ut ſe explicaret, nam nimis ſuccinctus hoc in loco. Si quid conjectare licet, credo, cùm Authores mirum in modum quarti, & quinti, & ſexti paris diſtributionem inter ſe confundant, & non rarò tertii paris radicem pro quarto habeant pari, de hoc locutum fuiſſe exiſtimo, quod revera totum in oculis abſumitur. 3. Cur quinti paris ramus addatur, cùm illud auditui & auribus ſit deſtinatum ab antiquis verſiculis latinis? facilis reſponſio: Tertia & quarta conjugatio, licet ab iiſdem guſtui ſunt deſtinatæ, hoc non obſtante, ſurculos & ramuſculos ſuos in oculos & totum vultum ſpargunt.

Non de Carotidibus, quibus cum Oeſophago nulla eſt vicinitas, ſed de trunco Aortæ aſcendenti hoc dicit Spigelius loco ab authore citato; verba ejus hæc ſunt: Hinc ratio inquit, reddi poteſt, cur in febribus ardentibus lingua nigreſcat, & difficulter ægri deglutiant. Etſi enim verum eſt, ex univerſo corpore vapores ad caput plurimos tranſmitti, non maximam tamen hujus nigredinis culpam arteriæ vicinitati licebit adſcribere, quæ accenſa & inflammata Oeſophago, & ſic conſequenter ipſi etiam linguæ gravia mala impertit. Poſtquam enim incommoda, quæ ex refrigeratione Oeſophagi Aortæ accidere poſſunt, tractaſſet, illa ſubjicit mala, quæ vice verſa Aorta plus juſto incaleſcens Oeſophago & partibus vicinis aut continuis faucibus nimirum & linguæ affert. Unde fortè eſt, quod in tenellulis infantibus nullibi meliùs calorem præternaturalem deprehendamus, quàm in ore. Et quomodo ſane exigua illa vaſa ſublingualia, utut ſanguine fervidiſſimo plena, tantum ardorem, tantam ſiccitatem linguæ, totique ori communicarent, qua illæ partes non aliter, ac terra ſub Canicula furenti, omni exhauſta humiditate finduntur. Rectiùs ergo nigredinis & ariditatis linguæ in febribus cauſa remota erit, inſignis illa ſanguinis efferveſcentia in Aorta partiumque adjacentium incaleſcentia, ex ea autem reſultantes vapores & fuligines pro ultima habendi cauſa, vid. Senn. l. 4. de febribus c. 18. Nihil hoc ſymptomate apud nos in febribus malignis, inprimis in Lue Hungarica, communius, & eſt quandoque cum, ſed ſæpius ſine deglutitionis difficultate. Vulgus appellat *die Braunt, oder die Herg-Braunt*, ſcilicet à Colore linguæ, diverſus tamen toto Cœlo eſt affectus ab Angina: propinant communiter pulverem tormentarium, & credunt eo juvari, fortè ob nitrum & ſulphur, vide Hoefſer. Herc. Medic. l. 1. c. 12.

Nihil frequentius hîc in Hungaria harum venarum Sectione, id quovis Capitis dolore, febre, Lue Hungarica; quin & nonnulli ſingulis annis præſervationis cauſâ illâ utuntur, quemadmodum alii apertione Medianæ. Pro malo, imò lethali, ſigno habeo, ſi apertæ parum, vel nihil ſtillent ſanguinis; id quod bis hoc Anno mihi cum interitu ægroti accidit. Contrà autem ſi bene fluunt, bonum ſignum. Accidit quandoque ex apertis his tam exiguis venulis, tam inſignis Hæmorrhagia, ut nullis medicamentis ſiſti poſſit. Ita ante aliquot demum ſeptimanas, Vinitor quidam morbo Hungarico detentus, manè ſibi aperiri curavit raninas, ſtillavit ſanguis per totum diem, quem demum circa veſperam vocatus, omnibus aliis medicamentis fruſtra adhibitis, pulvere compeſcui ſympathetico.

Peſſimus ille mos, in quem meritò invehitur Aquapendens in Operationibus ſuis Chirurgicis, & apud nos invaluit, ut Obſtetrices digito ligamentum ſublinguale recens natis rumpere tentent. Ultra enim mala & pericula, quàm ille ibidem notavit, facilè & hoc accidere poteſt, ut parvum Os nimis diducendo, inprimis, ſi digiti Obſtetricis, vel fœminæ adminiſtrantis ſint paululum craſſiores, dislocetur maxilla inferior, cum inevitabili interitu infantis. Subitò enim Os ipſis quaſi clauditur, maxilla hæret immobilis, nec vagire, aut ſugere queunt, ſicque miſelli coguntur interire. Noſtrates hæc videntes Symptomata, in refrigerationem Capitis, & temporum cauſam conjiciunt, dicentes Germanicè: *Dem Kind ſeynd die Angeln erſtarret.* Cui ſententiæ vulgi primò fidem adhibens varia adhibui calefacientia, & diſcutientia; Sed poſtquam his me nihil prorſus profeciſſe viderem, in eam deſcendi opinionem, luxationem vel dislocationem adeſſe debere inferioris maxillæ, cui niſi ſtatim reponendo medeatur, mors juxta Hippocratem ſupervenit. Non tamen ſemper ex iſta cauſa oritur, affectus hic; quippe nonnullos interiiſſe memini, quibus ligamentum illud non ruptum fuit, ſed ſi digitis craſſioribus eſcam præbeant, quin & ſi Matris vel Nutricis papillæ mammarum plus juſto ſint majores & craſſæ, ut nonniſi cum valida Oris diſtenſione apprehendi ab ore ſugentis queant.

Mirum, fabulam iſtam vulgi in omnium doctiſſimorum virorum etiam eſſe Ore, & Scriptis reperiri: Plerique enim Anatomici, dum de ligamentis agunt linguæ, illud in Canibus aiunt abire in vermem. Quare nonnulli tam ſtudiosè præſcindunt iſtud ligamentum, credentes ita Canem præſervari à rabie, in quam ageretur, ſi vermis iſte vitam acquireret. At qua Metamorphoſi plus quàm Ovidiana ligamentum hoc in Vermem abiret? Quis quæſo unquam vivum illum vidit? Aut quomodo ſub lingua natum exiguum Animal in cerebrum repet, in eo Spiritus accendet, rabiemque introdu-

troducet? Hinc meritò cum VVarthono ridemus illos, supponendo rabiem Canum nihil aliud esse, quàm Cerebri inflammationem; aut quod in homine est Phrenitis. Aiunt enim non diu supervivere Canem rabiosum, & post mortem Cerebrum liquefactum ex naribus fluere, quod verisimile, desinente scilicet inflammatione in suppurationem, eaque consumpta massa Cerebri. Ut melius facere mihi videantur, qui ad præcavendam rabiem venas incidunt sublinguales quod à sene & perito Venatore habeo, qui Canibus suis inprimis petulantibus, & fervidioribus aperire illas solebat. A vermibus autem non sub lingua, sed in intestinis contentis rabiem ipsis suboriri, æque ac hominibus febres, deliria, phrenitidem valde credibile. Unde & illi Canes, quos Vermem hunc fictitium (certius fortè vermes in intestinis) habere & proclives in rabiem dicunt, omnia corrodunt, fortè à vaporibus verminosis, oris tunicas vellicantibus, ut in homine ex simili causa prutitus narium oritur.

Movetur Lingua beneficio musculorum, inde ipsi nullus alius, nisi voluntarius assignari potest motus; Si proprium, & à se sola, sine ope musculorum, aut nervorum, motum haberet, & loqueretur lingua, cur Apoplectici, & Paralytici non loquuntur? Præcurrit interim, ut Proverbium sonat, lingua mentem, sed rarò sapientem, id est, ad verba sua attendentem, multò minus Oratorem diserte & cum connexione perorantem.

Verè Anilem fabulam, & suave de delitioso Utopię Regno insomne somnium sapiunt, quæ bonus ille Bohemus in sat alias erudito tractatu de moribus Gentium habet, de fortuna Jamboli, seu de Insula à Jambolo reperta. Nam ut taceam, in illa pyrum supra pyrum, malum supra malum, uvam supra vitim senescere, terramque absque cultura, sponte sua, uberes fructus ferre, (fortè enim reliquiæ sunt Paradysi terrestris) dabo saltem curioso Lectori Descriptionem istorum hominum duplici lingua præditorum interserendo ita seriis jocosa, cùm fortè non in omnibus manibus sit Autor. Sic autem Ille: Ejus Insulæ homines corpore aut moribus haud nostris sunt similes, eademque tamen Corporis forma, sed quę magnitudine quatuor cubitos excedat, horum ossa veluti nervi (fortè voluit dicere veluti cera nervi nimis molles sunt, mirum, quomodo erecti incedunt) quo velis flectuntur, reflectunturque. Corpore sunt plusquam nos robusto ac agili, nam si quid manibus ceperint, nemo ex digitis eripere potest. (An Herculis progenies? Cui nemo clavam extorquere) pilis corporis adeò perpoliti, ut ne parva quidem lanugo appareat. (nihil ergo ibi Barbitonsores) Pulchri sunt, decori & Corpore composito. Aurium foramina multò nostris patentiora (scilicet respectu duarum linguarum, nam qui multa dicit, multa quoque audiat ille) quemadmodum, & lingua à nobis differunt. Habet enim eorum lingua privatim aliquid tum à natura, tum ab ingenio datum; Divisam linguam natura dedit, quæ scinditur in inferiori parte ut à radice duplex esse videatur. Ita variâ utuntur loquelâ ut non solùm vocem hominum loquantur, sed & diversarum avium imitentur cantus. Et quod mirabilius videtur, unà cum duobus hominibus perfectè simul respondendo & disputando loquuntur. Sed mirum cùm in istis hominibus omnia ab aliis diversa, quod non etiam duplicem mentem in una anima, ceu duplicem linguam in uno ore habeant. Hoc quippe si addidisset Author, fidem apud omnes promeruisset: nunc cùm omnes sciamus, linguam beneficio musculorum quidem moveri, sed non nisi per mentis cooperationem hæc vel illa eloqui posse, non posse autem unam mentem in uno instanti diversa concipere, vix credit unus & alter, qui ἐφαντασιώθη istam mentis duplicaturam præsupponit. Attamen inquies, de C. Julio Cæsare omnes Historici tradunt potuisse eum simul legere, scribere, audire, Epistolas de rebus maximis dictare aliis quatuor, ipsum manu sua quintam scribere, aut, si Calamum excipias, septem dictare. De Ælio Adriano Imperatore refert Spartianus uno tempore scripsisse, dictasse, audivisse, & cum amicis confabulatum. Origenem septem notarios totidemque puellas, præter alios juvenes, omnes simul ex ejus ore diversa scribentes incredibili agilitate fatigavisse, ex Trithemio legitur. Antonium Perenottum Granvellarum Cardinalem tantâ memoriâ fuisse præditum, ut quatuor aut quinque Scribas de variis Reipublicæ negotiis dictando defatigaret, Lipsius tradit in Præfat. Variar. quas eidem inscripsit. Item & Comminæum non rarò quatuor Scribis de rebus magnis & diversis eodem tempore dictare solitum ex eodem constat ibidem: & J. Pontani Artic. Bell. Synt. I. Hist. IX. Ergo si hæc isti unâ linguâ præstare potuerunt, cur non & illi duabus linguis diversa simul & semel loquerentur. Sed audi quæso quid Politianus Ep. 2. l. 12. scribat de Puero quodam Pauli Ursini filio, cui ille plura deposcenti quinque tamen Epistolarum proposuit argumenta; Consistit, inquit, in summo puer terram intuens modestè cogitans aliquantulum, mox tamen oculos attollens imperat ei, qui summus consederat, ut jam scribat. Ubi pauca dictavit, innuit & secundo, dictat & huic alterum argumentum: Pergit ad cæteros deinceps donec ad infimum. Rursus quoque ad primum revertitur: sarciens quod omiserat, fulciens, quod pependerat. Diffidebat ubi nihil. Ita sæpius in orbem remeans, Epistolas unotempore (quis credat) quinque absolvit. Ex his satis constare puto, uni menti unam linguam etiam ad diversa uno eodemque tempore peragenda sufficere, plures esse superfluas. Sed de his satis. Pueri duplicem & bifidam linguam habentis ex relatione Obstetricis meminit. *P. Borell.* C. II. Obs. 63.

§. 4. *Nullo modo linguam regenerari posse.*

Prodigiosa hæc historia de parvo nostro Pictone nobis ansam daret credendi quæcunque dicuntur, licet longissimè à vera ratione abessent, quia tam insolita, tam plena admirationis, nisi & nos quoque rationem & experientiam haberemus discernendi credibile à ridiculo, in illis quę nobis proponuntur. Ad hos ergo duos lapides Lydios (Experientiam scilicet & Rationem) examinabo; An lingua semel amissa possit regenerari? ut vult Horstius, refert Schenckius, subscribit Riolanus. Ad Chirurgum enim spectat hęc Quæstio, nunquam aliàs agitata, multùm quippe refert scire ad faciendum prognosticum in vulneribus Linguæ, an suscipienda, aut relinquenda sit, Cura, cùm vel ejus pars, vel tota amissa est. Quidquid in favorem hujus regenerationis dici potest, desumendum ab experientia Horstii, à Consensu Schenckii & Riolani, à silentio Hippocratis, & tandem à molli & carnosa linguę substantia. Horstius apud Schenckium refert linguam ex variolis contracta putredine ad radicem usque amissam intra 6. Menses regeneratam fuisse in puero sex vel septem annorum. Riolanus citando istam historiam l. 4. c. 8. videtur approbare, eo quod mollities linguæ mirum in modum apta sit, tum ad vulnerum acceptorum consolidationem, tum ad reparationem illius quod amissum. Hippocr. 6. Aph. 19. partes recensens quę amplius non regenerantur, nullam facit mentionem Linguę, cujus nunquam oblitus fuisset si illam resarciri posse credidisset. Ulterius Linguæ Caro mollis est, multùm habens tum sanguinis, tum spiritûs, multùm calidi & humidi, convenientissima ad sui regene-

regenerationem principia. Hinc credibile linguam vulneratam, modò vulnerum labia conjungi queant, facilè iterum coire, & juxta Horstium denuo regenerari posse. Sed quæ in contrarium afferuntur, plus roboris habere videntur rationes. Præter enim quod ad hæc proposita facilè respondere possit, en tibi alias quatuor rationes, quæ meo judicio refutari nequeunt. Prima desumpta est à natura Linguæ; Secunda à materia necessaria ad generationem; Tertia à modo tractandi vulnera linguæ; Quarta à quotidiana experientia.

Naturam Linguæ quod concernit, illa ita comparata est, ut semel amissa reparari nequeat, juxta illud: Partes dissimilares deficientes naturaliter non restituuntur. Jam verò Linguam utique partem esse dissimilarem, ex pluribus aliis compositam partibus similaribus, nervis, scilicet, venis, arteriis, membranis, musculis, & ligamentis, quemadmodum manus, aures, pedes; Manus autem, Aures, Pedes non regenerari posse, æquè ac Linguam, quis est qui dubitet? Ergo nec in uno, vel altero exspectanda regeneratio. Partibus quippe similis essentiæ, similia sunt accidentia. Ad regenerationem partis cujusdam in corpore, in totum deperditæ, requiritur materia in substantia, qualitate & potentia conveniens illi, quæ amissa, quæque reparanda. Jam sanguis, qui solus fortè hîc materiæ nomine veniret, non ita aptus secundùm omnes conditiones, ut inde regeneretur caro linguæ propria, multò minus fiant nervi, arteriæ, venæ, membranæ, ligamenta, musculi, quæ omnia ad ipsius compositionem requiruntur, semenque habent pro principio suo materiali; Concluditur itaque talem linguam, quæ inserviat homini, & sua officia præstet, quemadmodum illa quæ amissa fuit, refici, aut resarciri nullo modo posse. Quod si ridicula ista reparatio locum haberet in Chirurgia, aut unquam facta fuisset, Authores nostri à tot seculis non omisissent illius mentionem facere. Verùm ne unus quidem usque ad Ambrosium Paræum Coryphæum illum Chirurgorum Gallicorum docuit, quomodo vel simplex tantùm linguæ vulnus tractandum sit. Ut ipsi soli hanc Chirurgiam debeamus, quemadmodum & alias pulcherrimas operationes: quas propria & non nisi sola liberalitate publicandi inculpabili industria in publicum edidit fœcundum hoc ingenium. Accedamus ad Experientiam: Quis unquam vidit, illis, quibus vel propter malefacta amputata, aut alio modo ablata lingua eam recrevisse? Nonne observatum, illos per omnem vitam mansisse mutos? Illos verò qui insigne in lingua vulnus accepere maleque nec convenienter tractati sunt, difficulter fuisse locutos, propter Cicatricem scilicet, quæ non ita benè sine artificio, ob necessarium linguæ motum obduci potuit. Insuper si linguam hominis comparare licet cum lingua Equorum, videbimus illas, quas vel nimis longas, vel ex ore pendentes, præscindere novit faber quidam ferrarius Parisiensis, nunquam recrevisse, sed potius ita liberatum Equum ab illa deformitate, quæ ipsis valdè molesta est, tempore caloris propter muscas, pulverem, aërisque siccitatem. Pluribus agere possem de istius parodoxi falsitate, nisi proposita brevitas me revocaret ad Examen Historiæ Horstianæ, ad demonstrandum quomodo à Schenckio & Riolano citata, ad dicendum, quare Hippocrates linguam non nominarit, & ad probandum, quòd ejus mollities non possit esse causa regenerationis? In Horstii Historia quinque notanda, quæ eam suspectam reddunt, & impossibilem. 1. Quod ipse fatetur, se in principio morbi violentissimi Infantem non vidisse, ne fortè contagium afferret Illustrissimæ cuidam personæ, cui tum medebatur, ita ut referat tantùm ad id quod Chirurgi dixerunt, qui infantem inspexere. 2. Credibile, Chirurgos æquè fuisse deceptos, credendo linguam uti Uvulam amissam, quam tamen Uvulam Horstius postea, accepta libertate adeundi ægrotum, integram & salvam invenit, hinc notandum, non omnibus omnia semper esse credenda, 3. Possibile esse, copiam crustarum in ore latentium & fœtorem cadaverosum, qui ordinariè in variolis laborantium ore deprehenditur, impedivisse omnes, quo minus adesse, vel abesse linguam dignoverint. 4. Dari potest, putredine ablatam fuisse portionem superficiei linguæ, illamque abstinentia à cibo propter difficultatem deglutiendi, usque medicamentorum detergentium, ita extenuatam fuisse, ut penitus abesse fuerit credita. Quin & 5. fortè ita fundo oris affixa fuit, ut propter istam crustarum & puris copiam, item propter dolorem, propter extenuationem & debilitatem, puer illam ad loquendum, vel deglutiendum movere nequiverit, atque indè etiam ejus absentia certò sciri non potuerit, usque ad perfectam ejus restitutionem, quæ ipsam ibi patefecit, ubi non amplius quærebatur, & minimè exspectabatur. De Schenckio qui istam historiam in Observationibus suis refert, dicendum, ipsum vel ideò enarrasse, ne quicquam, quod memorabile, omitteret, cæterùm nec refutasse, nec approbasse. Idem de Riolano affirmari potest, quod & hic eam simpliciter ex Horstio retulerit, fidem relinquens penes Authorem, magis ad exornanda sua doctissima scripta, quàm ut probationis loco serviret, in re quadam, quæ absque Authoritate crederetur, si de simplici vulnere linguæ sermo esset, quia lingua balsamum in saliva continet, & ad propria, & ad aliarum partium vulnera, utpotè quæ, inprimis si jejuni hominis, præsentissimum remedium est, contra multa mala, quin & contra ipsa serpentum venena. Sed quid de Hippocratis silentio dicemus in allegato Aphorismo, nisi quod modus ejus loquendi valde concisus paucis verbis, & exemplis constans, ipsi non permiserit nominare linguam inter alias Corporis partes ejusdem naturæ, quæ amplius non minus regenerentur ac ipsa lingua, licet vel exiguum quid ipsis decesserit. Videamus mollitiem linguæ, quæ tam mirabilis ad restaurationem dicitur. Sed utut abundat sanguine, spiritibus & calore, non tamen ista omnia faciunt ad sui regenerationem, quia pars est composita ex diversis aliis partibus, & naturaliter definitam habet magnitudinem, intra quam & crescens & imminuta manere debet, non aliter ac manus, pes, oculus. Concludamus ergo amissionem linguæ totalem vel secundùm partes irreparabilem esse, sive naturaliter, sive per medicamenta. Quin & ars admirabilis Taliacotii, difficulter eo perveniret per appositionem similis substantiæ particulæ, si vel maximè talem in proprio, aut alieno corpore inveniret.

Non sunt de nihilo, quas toto hoc Capite, sat curiosè tractat Author, rationes, quæ contra Historiam Horstianam, & affirmativam Quæstionis, An Lingua mutilata recrescat? afferri possunt. Vix tamen his utut speciosè propositis in totum subscribere, aut Historiæ Horstianæ fidem omnem denegare possum. Verum est non statim omnia, quæ dicuntur credenda, facilè enim qui credit, facilè decipitur. Sed nec omnia quæ in natura accidunt, nimis rigorosè ad rationem semper sunt examinanda. Plus quandoque in hoc examine valet sensus externus, quàm omnes interni, & ubi sensus fidem faciunt, ibi ratio sensui repugnans spernenda. Multa pulcherrimis rationibus adstruuntur, αὐτοψία diluuntur: Multa iterum αὐτοψίᾳ probantur, quæ ratione consequi non possumus. Multa fieri videmus, miramur, facta vix credimus. Ita in Naturâ philosophandum, ut quid fiat, quid factum sit, discamus, non ut quid

quid fieri debeat, doceamus. Ipsa Magistra, nos Discipuli; In momento non rarò perfectè proponit, quod nos per totius vitæ curriculum imperfectè vix comprehendimus. Arte opus habet, à quâ juvari dicitur, non ratione sui, sed ratione nostri, ut per artem imitatores, intelligamus, credamus, quod ipsa sine arte peragit. Præcedit ipsa, ut nos sequamur ratione experientes, & experientiâ rationales ipsam sine ratione experientem, sine experientiâ artificiosissimam. Jam ad præsentem materiam. Si Casp. Taliacotio Bononiensi, si Paræo credimus, mutilatas Aures, Nares, Labia, arte reparari posse, ceu testatur ille in sua Chirurgia Curtorum, hic in tractatu de deficientium supplemento; utut rationi dissentaneum, particulam Carnis ab integro resectam, quæ statim mortua, ac putredini obnoxia, alio in loco, quin & alio in corpore reviviscere: adhærere in aures, nares, labia abire posse. Si Burro, si Kerkringio, si aliis, (vid. Thom. Barthol. Epist. ad Illustr D. Burrhi, & hujus responsi. de Artificio oculorum humores restituendi. Kerkring. Spicileg. Obs. Anat. ult. D. D. Sachsii Gammarolog. p.573. 474.) arte visum restitui, & humorem aqueum infusâ aquâ Chelidonii, vel aliâ reparari; cur non & eundem humorem naturaliter regeneratum fuisse credamus R. Columbo, l. 10. Rei Anat. Rhodio C. I. Obs. 82. Platero, &c. Cur non Horstio variolis, absumtam naturaliter renatam linguam? Ulterius, si lingua ita natutaliter quandoque in longitudinem & latitudinem excrescit, ut vix ore contineatur, sed extra illud pendeat, ceu, præter Galenum, binis exemplis probat Barthol. C. II. Obs. 22. & C. III. Obs. 44. ipseque Autor in Equis ostendit; cur non & mutilata, vel amputata, in debitam longitudinem iterum excresceret, & protenderetur. Si enim ejus Caro & substantia apta est ad unum, non inepta erit ad alterum. Insuper componitur Lingua ex Carne, ex Venis, ex Arteriis, Nervis & Membranis, at Caro citò recrescit, juxta Hippocratem & Galenum, Carnem lateris recrevisse testatur Barthol. C. 6. Obs. 59. Venam, præter Galenum, ut & membranam recrevisse notat Borell. C. II. Obs. 18. At si hæc separatim regenerata, quid obstat cur non & conjunctim ad linguæ corpus constituendum recrescent? Vide P. Zacch. in Quæst. Med. l. 5. Tit. 3. q. 5. §. 28. Non ergo absolutè impossibile linguam renasci, licet unum sit ex iis, quæ rarò, imò rarissimè fiunt, nam si semper, & omnibus, quibus mutilata lingua accideret, non peculiarem mereretur Observationem, sed æquè ac pilorum, unguium abrasæ cuticulæ regeneratio negligeretur.

§. 5. *Quare ii quibus mutilata Lingua, non amplius sine artificio loquantur.*

Licet spinosa ista sit Quæstio, nodo alligato Gordio, soli cuidam Alexandro reservanda, non intermittam tamen ejus tentare resolutionem, sperans, licet non eò, quò collimo, deveniam, ansam tamen me daturum aliis propius accedendi; Quin imò nullus pudor parvis ingeniis in gravioribus conatibus deficere, siquidem nec magnis omnia, quæ suscipiunt, ad voluntatem succedunt.

Considerandum igitur, quare ii, quibus præcisus Linguæ apex, non amplius loquantur, scilicet, quia Lingua in vocis articulatione debet retrahi, elongari, dilatari, constringi, apice suo agili ferri, modò versus palatum, modò versus dentes, ad rumpendum & dividendum aërem, ex quo formatur vox, vel fortior vel submissior, prout vel fortius, vel lenius, vel suavius litteras, syllabas, verba proferre placet. Id quod trunco suo, qui utpote nimis crassus & brevis, neque retrahi, neque elongari, nec dilatari, nec constringi potest, multo minus sat agilis est, ad movendum se contra palatum, & dentes facere nequit, ut iste plus impediat, quàm producat loquelam; Quod videre est, comparando istum puerum elinguem cum aliis, qui adhuc portionem linguæ habent, & tamen nisi instrumento adjuti artificiali, loqui nullo modo possunt. Ita ut necesse sit linguam, aliasque oris partes sanas esse & integras, aut restauratas instrumento trunco probè admoto, si quis velit intelligi. Id quod observare licet in iis, qui linguam habent paralyticam, aut calculis impeditam, inflatam, siccam, quibus frenum, aut nimis crassum, aut nimis curtum, aut superfluum, quibus vel nasus fractus, vel portio ablata palati aut labiorum, qui destituuntur dentibus anterioribus aut Uvulâ. Quod insuper probat historia muti ex Paræo, qui nunquam ad hoc beneficium pervenisset, nisi patinam ligneam mellorum fortuitò ori admovisset, quæ res ipsi tam benè cessit, ut Rosæ Sacerdotis Isidis ad exuendam formam Asini Apuleio. Nam ad perfectè edendam actionem opus est perfectis organis, ita quoque loquela omnium actionum eminentissima, quia per Verbum Mundus factus, & Christianismus propagatus, non fieri decuit, quàm per instrumentum omnibus numeris absolutum, quale est Lingua, quæ dignata insuper, ut figura fuerit & instrumentum Spiritus Sancti ad annunciandum verbum divinum fidelibus. Sed non sufficit ostendisse, quare in quibus lingua mutilata, sint muti, oportet etiam monstrare, quomodo isti muti facti loqui possint per instrumentum ad hunc affectum fabricatum. Necessitas artium Magistra istum modum fortuitò, sed fortunato casu traxit ex abjecto margine patinæ cujusdam ligneæ, quem ars postea expolivit & juxta hujus formam rudem & imperfectam efformavit instrumentum ingeniosum, quo mediante, applicando scilicet illud ori, mutus qui præcisam habet linguam, modò ante locutus fuit, suas potest declarare cogitationes, quin & cæteris paribus, addiscere, & loqui alias diversas linguas. Instrumentum istud fit, vel ex auro, vel ligno formâ ovali, capitato argenteo lato, uno & medio superius, inferius uno tantum crassum, habens in medio unius lateris cavitatem mediocrem, in altero planitiem æqualem, in parte crassiori foramen, per quod filum ducendum, quo in promptu ex Collo geratur. Applicatur hujus instrumenti pars tenuior trunco linguæ, crassior dentibus incisivis, & cava versus oris fundum, ut aër inspiratus melius frangatur, dividaturque, & ita dum linguæ reliquiæ commotæ feruntur in marginem hujus instrumenti fiat elocutio, repareturque illud quod in lingua desideratur.

Ita quendam diu difficultate loquendi, ob tumorem in basi maxillæ inferioris sub linguâ, laborasse, aperto autem tumore, lapides duos extractos fuisse, refert P. Borellus. C. II. Observ. 17. Kentmannus lib. de Calculis humanis ex tuberculo suo linguæ orto, quod Tubicinem quendam valde impedivit, aperto exiisse Calculum durum recenset. Vide plura apud Schenk. l. 1. Obs. Tit. de lingua, & Barth. Anat. reform. lib. 3. c. ult.

Mira res, in tam molli carne, in tam tenellâ substantiâ tam durum gigni posse calculum. Sed quid magis tenellum pulmonum substantiâ, quid mollius hepate, quid laxius Liene, attamen in his omnibus inventi & generati calculi, ceu produnt Observationum Scriptores, ut taceam renes & vesicam utramque, in quibus, quasi jam nihil novum, calculos inveniri. Ruffus apud River. in Obs. commun. p. m. 670. observavit in universo cujusdam corpore inter carnes, musculos, membranas, nervos, ossa indifferenter, in auribus

auribus, in genis, in ciliis natos calculos, Credo Gorgonis hunc ora vidisse, aut Deucalionem agnovisse Satorem.

Quomodo iste puer naturaliter sine linguâ, sine artificio loquatur.

En tibi paradoxum, tam mirabile, tam novum, quod neminem invenisset, qui ausus fuisset ejus defendere affirmativam, quodque semper in contemptu & incertitudine mansisset, non aliter ac obscuræ Centuriæ Nostradami, Miracula Plinii & numerus stellarum in cœlo, si propositum fuisset absque experientiæ testimonio, quod hodie perhibet P. Durandus, qui nos asserere cogit; Posse aliquem loqui sine Lingua. Ipsi Patres nostri nunquam hoc nisi miraculosè observarunt. Nihil enim in Naturâ creditur quod veritati non probabile, ac rationi conforme. Nam vidisse corda sine linguâ loquentia, aut Linguas sine corde disertas ad propagandam fidem Christianam, hoc naturam superat, & verificatur historiis Ecclesiasticis. Sed accidisse, ut os aliquod sine linguâ naturaliter sine artificio locutum fuisset, nullus adhuc Autorum prodidit, neque unquam, nisi nostris temporibus, visum.

Multa tegit sacro involucro Natura, neque ulli
Fas est scire quidem mortalibus omnia: Multa
Admirare modo, nec non venerare, neque illa
Inquiras quæ sunt arcanis proxima.

Inquit Poëta quidam, quibus docet ac demonstrat, occultam habere naturam potentiam, quam, datâ occasione, cùm vel minimè cogitemus, exerat. Prudentem istam opificem ita res suas disponere, ut illa dignior sit nostrâ admiratione, quàm nos illius cognitione; Industriam suam in minimis transcendere etiam altissimas nostras cogitationes, & illa, quæ nos contra omnem rationem putamus, tam regularia esse ut nihil desiderari queat. Argumento Confirmationis sit os istius pueri sine Lingua loquens, quod nunquam cuidam in mentem venisset, nisi visum fuisset, nec adhuc creditur, nisi quis ipsum viderit & audiverit loquentem, aut sciverit quomodò loquatur. Ad formandam aliàs vocem & verba, quæ differentiam constituunt inter homines & bruta, quæ nationes distinguunt, oportet, ut organa & cætera media eò pertinentia ita sint disposita, ne aliquid possit desiderari. Scilicet ut aër intret & egrediatur liberè pulmones per foramen Laryngis sufficienter apertum, ut Uvula pendula moveatur pro voluntate, ut Lingua sit integra, seque liberè debita cum promptitudine, & agilitate moveat ab una parte ad alteram, ut dentes in ordine, palatum ritè cum Naso formetur, ad faciendum ex aëris repercussione sonum vocis, qui producit loquelam, ut Saliva sit in sufficienti quantitate ad humectandas omnes Oris partes, & facilitandum motum Uvulæ, Labiorum & Linguæ. Nam si ista media, seu Instrumenta, non ita comparata & facta sunt, necesse est loquelam deficere, imperfectiorem fieri, aut ut natura, quæ libenter variat, si ipsi ex usu videtur, suppleat per aliquod æquivalens id quod deest; Et hoc nobis demonstrandum in hoc subjecto, in quo illa exeruit suam Prudentiam, Sapientiam & Industriam magis, quam in aliis reddendo loquelam illi, cui nec ipsa ars potuisset reddere linguam. At quomodo hoc nostrum os elingue tam benè loquitur? Causa est, quod foramen Laryngis valdè exiguum & ovale, quod Uvula ipsum claudens ex parte longa, quod parvum istud corpus carnosum, reliquiæ videlicet Linguæ, inflectur in medio versus palatum, quod dentes sint inversi & longi introrsum, quod labia habeant motum liberum, quod musculi buccinatores facilè se inter dentes molares contrahant, quod saliva inveniatur copiosa, tandem quod omnes partes voci & loquelæ necessariæ sint dispositæ ad loquendum ob defectum Linguæ. Per foramen ovale Uvula secundùm longitudinem donatum fit vox, dum pulmones attrahunt & repellunt aërem ut videre est in Linguâ Tibiæ Gingrinæ, aut Utriculi. Per inflationem parvi istius Corporis carnosi, (quod cum lingua ranæ comparari posset, nisi alligatum per duas extremitates) per motum labiorum, per retractionem buccinatorum, per tremulum motum Uvulæ, per commotionem maxillæ inferioris, aër rumpitur, prout necessarius est ad articulandam vocem, & formandam loquelam. Per dentium inversionem, per palati depressionem, amygdalarum magnitudinem, buccinatorum contractionem, abundantiam Salivæ, Oris capacitatem, retracta est, quantum opus ad determinandum sonum. Et per continuum loquendi exercitium in tenerâ istâ ætate partes etiam teneræ aptæ redditæ ad loquendum; quemadmodum fit apud omnes nationes diversa habentes Idiomata. Quod probari potest peregrinis Dialectis, quæ nonnullis subindè adhærent, quando aliam quàm vernaculam addiscunt, licet illam perfectè sciant, & per seculum exerceant. Ita facilè est formare partes ad voluntatem nostram, ceu mores in tenera Juventute, & difficile mutare, quando in consuetudinem abivere, sive bonam sive malam.

Vidisse Venerabiles Viros, qui abscissis radicitus linguis, pœnas miserabiliter loquebantur, inquit Justinus Imper. in Cod. tit. de Off. Præfect. Præt. Af. Nonnullus alios quibus Honorichius Vandalorum Rex linguas radicitus præciderat, loquelam tamen habuisse integram, præter duos, qui cùm se scortis commiscuissent, loqui amplius non potuere: Ut & alium, qui mutus natus, præcisâ postea linguâ, loqui cœpit, & Arrianorum confutavit impietatem, ex Cujacio refert. P. Zacchias. Quæst. Med. Leg. l. 5. f. T. 3. q. 5. confer. Gasp. à Reies Cam. Elis. jucund. quæst. LV. Nempe qui cœlum, qui terram, qui linguam ipsam sine lingua loquendo in principio rerum condidit, cur non & Idem sequioribus temporibus & Nominis sui divinam gloriam, & veritatem verbi sui propugnare sine linguâ potuisset. Certè non dignari videntur impii hæretici linguâ confutari, qui tot blasphemias contra *Deum*, contra æternum Verbum incarnatum impudentissimâ linguâ effutiebant. Non omisit & in hoc puncto Diabolus, simia illa infernalis, imitari *Deum* etiam sine lingua loquendo per varias Corporis humani partes, imò, ut impurum & impudicum Spiritum decet, per loca impura & pudenda. Ita enim ex Chrysostomo VVier. l. 2. de Mag. Infam. c. 14. Dicitur Fœmina Pythia quæ super tripode divaricatis cruribus malignum Spiritum inferiùs immissum, partesque genitales, è quibus loqueretur subeuntem, excipiens furore repleretur, &c. Vocabantur illæ ἐγγαστρῖται aut ἐγγαστρίμυθοι. Latinè Ventriloquæ, Ventriloqui, nam & in viris per ventrem, quamvis sępius per pectus, quin & per Os vinctâ linguâ locutus legitur; In στερνομαντεία spiritus inclusi pectoris cujus Os στέρνον nominatur, vel suggerebant, vel vinctis compressisque linguis obsessorum, ipsi per Os efferebant requisita præscitaque vaticinia. VVier. l. c. Non autem semper ex Tripode accersebant istum Spiritum, sed nonnullos à tenella ætate Dæmonium Pythonium possedisse scribit Origines l. 3. περὶ ἀρχῶν, talemque Ventriloquam fuisse, cujus Act. cap. 16. fit mentio, vult August. in lib. de Doctrina Christiana, & fœminam illam, quæ Samuelem demortuum evocavit, constat ex 1. Sam. 28. ubi notanter LXX. μαντεῦσαι δή μοι ἐν τῷ ἐγγαστριμύθῳ. Vide hac de re Selden.

den. De Diis Syr. Synt. l. c. 2. Sched. de Diis Germ. Syngr. 2. c. 47. & quæ ex Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani Epiſtola habet Camerar. Op. Subciſ. l. 3. c. 71. VVier. l. c. ubi ab Adriano Turnebo recenſitam jucundam leges Hiſtoriam de Petro quodam Brabantio, qui quoties volebat, toties ex ima corporis parte, ore quidem aperto, ſed labiis immotis, loquebatur, hacque ſive arte, ſive Exercitatione, ſive Impoſtura Dæmonis, Lutetiis benè dotatam uxorem acquiſivit, Lugduni verò divitis Mercatoris filium ſex Francorum millibus emunxit. Cardan. l. 1. de Ven. c. 17. Engaſtrimythos non ad Dæmoniacos, ſed ad naturæ miraculum reducit, & meminiſſe à quodam ſat celebri Anatomico audiviſſe, dum de duplicatura Mediaſtini ageret, ſi membrana iſta duplex naturaliter unita in duas partes dividatur, loquelam quaſi ex pectore procedere, ut circumſtantes credant, Dæmoniacum hunc aut Sternomythum, quod quidem ſuo loco relinquo, videatur tamen P. Zacch. Quæſt. Med. Leg. l. 2. q. 18. T. 1. Taceo præſtigioſas alias loquelas Arborum, Murorum Babyloniæ, Lapidum, Boum, Canum, quibus uſus Cacodæmon, ut Gentiles deluderet, & in ſui reverentia, Diabolicâ Idololatriâ devinctos contineret. *Gaſp. Reieſ.* l. c.

Nullum membrum eſt, per cujus operam homo à cæteris Animalibus differt, ac per ipſum Linguæ officium nempè per elocutionem tot hominibus utilitates alias perituræ, in ſcientiis addiſcendis emanant. P. Zacch. l. c. l. 5. t. 3. At ſi differentiam ponit inter hominem & bruta, cur & hæc loquuntur. Elephantos inter ſe ſermocinari, diſtinctas ſuſurrare atque emittere voces tradit Oppianus. Philoſtratus probat de Avibus, confer Aquapend. de Loqu. Brutorum. Sed fallunt & falluntur, ſermo externus internæ mentis interpres, hinc Græci Sermonem & Rationem uno & vocabulo Λογον appellarunt, quapropter ubi non eſt ratio, non eſt ſermo. Vocem habent Bruta, quâ aliquatenus affectiones ſuas exprimunt, ſi quid ultra, aſſimilari poteſt humanæ loquelæ, ut Simia humanæ figuræ. Vide elegantiſſimum Diſcurſum Cl. Deuſing. de ratione & loquelâ Brutorum; Vocem edere naturale eſt, at hoc vel aliud, hoc vel illo modo effari, rationis, artis, ac inſtituti.

Cur Animalia ejuſdem ſpeciei ad invicem loquentia ſe intelligant, homine excepto, qui alterius hominem nationis non intelligit, cùm tamen ſub eadem ſpecie humana continentur? Quærit Aquapend. de Loqu. Brut. Tot Linguæ, tanta loquendi varietas, ut externus alieno penè non ſit hominis vice inquit Plin. l. 7. c. 1. Sed id provenire, quia hominis locutio ad placitum, Brutorum naturalis. Habet homo potentiam naturalem ad loquendum, præ omnibus reliquis Animalibus, ſed nullam Linguam congenitam, quia hac vel illa Lingua loqui habitus eſt exercitio comparatus. Aliquid in ſuo univerſali naturale eſt, quod ſi ad ſpeciem revoces, fiet ad placitum: loqui & ſermone aliquid diſtinctè enunciare inſitum ingenitumque homini eſt, ſed hoc vel illo modo agere ad placitum Rhodig. l. 29. cap. 14. Adamus ſine Exercitio, ſine Magiſtro perfectè locutus, nullam facit conſequentiam: Ille in perfectione creatus, nos imperfecti naſcimur ætate perficiendi. Hinc hominem nihil ſine doctrina ſcire, non ingredi, non fari, non veſci, breviter nil niſi plorare inquit Plinius. Camerar. Tom. 3. Op. Subſcis. c. 71. putat, ſi qua lingua naturalis eſſet Ebraicam, qua concreata credibile Adamum locutum, fore. At cùm ita non ſit & æquè ac reliquæ addiſcendæ, ridendi meritò ii, qui per expoſitionem Infantum primam & connatam ex aliis linguis indagare voluere. Undè autem tanta linguarum diverſitas, & ex una tot Dialecti? Reſpondet Aldrovand. de Monſt. C. de Voce. Noës filios, nepotes, pronepotesque in diverſas Mundi plagas diſtributos, ut totus Orbis coleretur, hanc verò filiorum immaturam abalienationem, totius diverſitatis, imò & variarum linguarum extitiſſe cauſam, quod non quadrare cum ſacro Codice videtur Gaſp. Reies. l. c. qui varietatem Linguarum à confuſione illarum in extructione turris Babylonicæ divinitus facta provenire aſſerit; Sed licet adhuc controverti poſſet, an Linguæ Confuſio præceſſerit Diſperſionem ſubſecutam gentium? Vel an *Deus* præmiſerit Diſperſionem, quam inſecuta Linguæ confuſio? Certè poſteriori favet textus Biblici connexio. Statim enim ac Gen. c. 11. v. 7. Conſilium inivit *Deus* confundendi linguas, ſubjunctum ſequenti verſiculo legitur: Et diſperſit eos ſuper omnem terram &c. Deinde, ut *Deus* in feſto Pentecoſtes in unanimi & concordi Diſcipulorum congregatione linguas ſanctificavit, & cum Spiritu Sancto ſuper Apoſtolos effudit, ita credibile in Gentium diſperſione confudiſſe eaſdem. Tandem quotidiana experientia probat; non magis linguas corrumpi, confundi, immutari, quàm nationum diſperſione, confuſione, commixtione. Sed quidquid ſit, videtur Aldrovandus hîc locutus magis ex variis linguarum accentibus, aut Dialectis, quàm de Linguis ipſis. Credamus cum Veneranda Antiquitate, & nonnullis Sanctis Patribus, Irenæo, Epiphanio, Hieronymo, Hilario, Auguſtino, tot Linguas in confuſione Babylonica originem ſumpſiſſe, quot Capita ſecundùm familias & Linguas recenſentur Gen. 10. Sed non impedit credere, cùm illæ ſingulæ familiæ iterum in plures fuerint ſucceſſu temporis diſperſæ & diviſæ, nepotes Avorum moribus non ſatis imbutos, in diverſis Oris diverſa feciſſe, diverſa locutos. Hinc cauſam reddunt Autores, cur olim in una Græcia tot Linguæ Græcæ Dialecti, quia ſcilicet tot in ambitu ſuo continebat Inſulas, quarum quilibet ut loco diſtabat ſic Dialecto differebat. Quid quod, ut ſupra dictum, variarum gentium irruptio, cum priſcis Regni vel Provinciæ cujuſdam inhabitatoribus commixtio non novas penitus linguas, ſed novas tantùm producit Dialectos. Id quod ſequioribus ſeculis Lingua Latina probari poteſt, ex qua pronata Italica, Gallica, Hiſpanica. Probat hoc elegantiſſimè, ut eſt per omnia Ingenioſiſſimus Immanuel Theſaurus in Regno Italiæ, de Ortu Linguæ Italicæ loquens in vita Theodorici Oſtrogothi. *Allora di due popoli ſi fece un popolo; & di due Linguaggi, un Linguaggio; in cui latineggiando la barbarie, & barbareggiando la Latinità nacque la bella lingua Italiana.*

§. 7. *Quomodo Quis ſine Linguâ guſtare, aſſumta in ore colligere, exſpuere, & deglutire poſſit?*

Satis ſuperque demonſtravimus ſolum hominem perfectam habere linguam ad loquendum, & ad exſpuendum, quæ duo ipſi ſunt propria, guſtare verò, cibos colligere, deglutire cum reliquis animalibus commune habet. Sed unde quod Picto hic noſter ſolus inter omnes poſſit deglutire, colligere, exſpuere & guſtare, quod ori ingerit ſine Linguâ? Et hæc eſt illa difficultas quæ ſe offert, quam explicare debeo, quò ſatisfiat & promiſſis & Curioſo Lectori. Quantum ad Guſtum, licet Galen. l. 4. de cauſ. Morb. & Sympt. c. 15. & 16. dicat, nihil eſſe in toto corpore, quod diſcernat & judicet de Saporibus præter Linguam, & Ariſtoteles l. 1. hiſt. Anim. c. 11. Linguam appellet Judicem Saporum, dicatque ejus mucronem mirabiliter differentias illorum diſcernere. Idem tamen Galen. l. 9. de Uſu part. c. 8. ſcribit naturam nervum diſperſiſſe per omnes Oris partes, quibus expediebat Senſum guſtûs communicare, & lib. 16. c. 2. inquit, quod & dentes

ſentire debuerint, & ſapores diſcernere, quemadmodum reliquæ Oris partes. Sic & Durandus noſter omnes ordinarios Saporum ſpecies quàm optimè ſine linguâ dignoſcit: Ut ita, annotante Plinio, facultas guſtatrix in homine ſe uſque ad palatum extendit, propter ejus membranam communem, ut credibile eſt, cum Lingua nervorum extremitatibus dotatam. Recipit enim notabilem ramum à quarto pari, & juxta Veſalium ac Platerum non tantum à quarto, ſed à tertio dilatantem ſe per omnem palati tunicam, ut vices suppleat linguæ, vel amiſſæ, vel laborantis, vel craſſo humore obductæ, quâ de cauſa quidem ſæpe guſtum amittit, qui tamen neceſſarius ad ſanitatem, ad benè vivendum non tantum homini aliiſque animalibus, ſed & plantis, quem iſtæ habent in radicibus, quarum quælibet fibrillæ oris loco ſunt ad guſtandum ſeligendumque quod ipſis convenit: Hinc non omnes ubique creſcere, aut naſci herbas, quod non quibuslibet delectentur humoribus, probabile eſt. Quod Maſticationem attinet, lingua ibi inſtar batilli eſt, quo alimenta ab una maxillæ parte in aliam ferantur, comminuantur, meliuſque digerantur in Ventriculo.

Nihilominus hic puer neceſſitate edoctus, quaſi linguam haberet, mediantibus genis & labiis, per eorum muſculos repellit verſus maxillares illud quod maſticando cadere poteſt ab una parte in alteram. Primum enim quem ſumit, bolum nequit maſticare niſi in illo latere cui manu impoſuit. Alterum imponit alteri lateri, & ita variat, ponendo cibum modò in aliud latus, & quod ipſi buccinatores maximo ſunt auxilio, donec ſatiatus à paſtu recedat.

Lingua juvat etiam deglutitionem, quare quidam apud Galenum dixere, ipſam ceu alteram manum inſervire Ventriculo, illaque animalia, quæ eandem quaſi recurvatam habent, inſtar Cochlearis, incredibili cum velocitate gutturi infundere aquam. Et quid facere deberet noſter elinguis in re tam neceſſaria ad conſervationem vitæ, niſi & deglutitio ab aliis partibus dependeret, niſi actio eſſet libera, & motu planè fieret animali, muſculos ſuos habens ad operandum orbiculares & Oeſophagicos, fibraſque ipſas Oeſophagi, ubi duo illi muſculi juncti, detrudunt cibum inferius, & fibræ tenſę trahunt in ventriculum, niſi quoque animalia eſſe quæ deglutirent abſque lingua, ceu Teſtudo, Crocodilus, Ciconia; Alia autem licet habeant linguam, ipſis tamen ad hanc actionem inutilis eſt, ut pleriſque piſcibus, quibus lingua immobilis palato affixa. Certè miſerabilis hic noſter eſſet linguâ deſtitutus, ſi attractio & expulſio non à facultate naturali dependeret, & pondera rerum deglutitarum ad hoc non contribuerent. Undè mirandum non eſt, ſi deglutiat etiam majores bolos ſine adminiculo linguæ. Collum enim parum elongando, caput verò inclinando, retrahendoque buccinatores inter dentes peragitur hæc actio, modò Os humidum ſit ad reddendam viam lubricam, & humectando dura, ſi quæ deglutienda, quemadmodum hoc facit iſte noſter, quando deglutit.

Licet videatur nullius momenti agere de exſpuitione, ipſa tamen me magis, quàm reliquæ actiones affligerent, quippe inter omnia animalia ſolus homo exſpuit, reliqua, vel ſalivant, vel ſpumant, eo quod iſta actio videatur non aliter fieri poſſe niſi per linguam, ſine qua iſta tamen puer exſpuit, ac ſi linguam haberet, niſi & medium viderem aliud, quàm linguam, quæ ipſi in exſpuendo jam non ſervit. Aliàs autem ſputum à colatoriis palati, dum mucro linguæ anterius fertur, radix ejus inflatur & verſus ſuperiora aſcendit, attrahitur, rejiciturque ex ore, quando illa ad dentes iterum ſe confert anteriores, extendit ſeſe & dilatat inter labia, quæ & ipſa ad hanc actionem ſummè ad ſanitatem neceſſariam juvant, præſervatur quippè ea Cerebrum ab infinitis morbis, ex abundantia humidi & frigidi pronatis. Quomodo autem hic ſpuat abſque auxilio linguæ, hoc partim dependet à labiis, non minori agilitate præditis, quàm lingua, ſi ad experientiam recurrendum, & credendum Riolano, qui certis hoc probat exemplis. Dependet etiam ab interna Oris contractione, ac parva illa inflatione muſculorum linguæ, & à contractione buccinatorum, ſuper dentes molares, nam quando exſpuere vult, omnes partes ipſi ſerviunt ad id præſtandum.

Finem impoſiturus Diſcurſui de Miraculo, quod in hoc Ore elingui apparet, incipere poſſem alium de duobus aliis ob raritatem non minus memorabilibus, niſi illa aliis reſervaſſem inſerenda obſervationibus Chirurgiæ meæ Gallicæ. Tamen quia iſta quæ ſequuntur, neſcio quam inter ſe habent convenientiam, & Triadem efficiunt, non poſſum intermittere, quin parum de iis agam, ut eò magis Lector anſam habeat admirandi *Deum* in operum prodigioſorum naturæ varietate. Prima Hiſtoria de quodam eſt ex agro Andegavenſi (*de Rille pays d'Anjou*) oriundo, nomine *La Ramée*, 25. annorum, modò Marchionis de Lezay Coquo, qui à nativitate ſua planè nullum habet palatum, ita ut interior narium conſtructio penitus videri queat; Nihilominus tamen duas Uvulas habet benè diſpoſitas. Harum quælibet ad introitum gutturis ſita eſt pollice diſtantes, undè difficulter in Infantia fuit educatus, dum nullo modo ſugere ubera potuit, & adhuc difficulter loquitur, linguæ mucrone nullam ſuperius inveniente reſiſtentiam, ad infringendum aërem ſuctioni & elocutioni neceſſarium, ut ita opus habuerit uti palato factitio ad melius articulandam vocem, & intelligibilius loquendum; id quod ipſi ſuaſi. Altera eſt. Cantor quidam Cinonius (*à l'Egliſe de St. Meſme à Chion*) quem curioſitatis gratia viſitavi ultima Septemb. Anno 1630. in præſentia Dominorum Bureau, Santerre, Canonicorum, & Domini Tupini Medici in prædicta Civitate. Inveni ipſum in ætate 60. annorum circiter, jam per octo menſes lecto affixum, à quatuor verò menſibus apparet quaſi planè nihil haberet de partibus interioribus ventris inferioris, cujus partes continentes ita ſunt retractæ, extenuatæ, fundo alligatę aqualiculi, oſſi interno ilio, vertebris lumborum, coſtis ſpuriis, partique inferiori Diaphragmatis, ut verum appareat Sceleton chartâ pergamenâ involutum, quem à prædictis partibus detrahere impoſſibile, ita ut in parte anteriori omnes vertebræ ſpinæ Dorſi numerari poſſint. Exinde cogitari poteſt, quod nihil ipſi reſtet Hepatis, Lienis, Renum, quàm ipſa vaſa & membranæ ſiccatæ, per quæ quandoque ſeroſitas in veſicam deſcendit, quam adhuc deponit. Quod ſi verò de Ventriculi, Inteſtinorum, Meſenterii, Epiploi ſubſtantia aliquid adhuc adeſt, Atomi erunt quaſi, in reſpectu quod antea fuere, excepto inteſtino recto, quod aliquando Enema recipit, ſed abſque Excrementis reddit. Pinguis antea & ventricoſus fuit iſte homo, & adhuc firmas habet partes vitales ac animales brachia & pedes. Ex Lecto ad proximam ſellam proceſſit, pulſum habet æqualem, ſed parvum. Aſſumſit alimenta quædam liquida, inprimis vinum, cui nunquam pepercit, ſed abſque mora revomuit, unà cum aliis Sordibus, & materia membranoſa, talia incepit, & continuavit evomere, ex quo & ventrem ſuum perdere cœpit. Undè colligo partem unam inteſtinorum fuiſſe emaciatam & per vomitum rejectam; Aërem verò & vinum pro alimento eſſe moribundi hujus corporis.

Modus

Modus non variat rem, nec possunt animalia in spumantia, vel salivantia dividi, eadem Animalia quæ spumant, possunt & salivare, sic homo, ut ipse superiùs innui, salivat in Senectute ac Infantia, spumat & iratus & Epilepticus; Equus & spumat & salivat. Spuma enim est profluvium Salivæ Spiritibus, vel alia de causa agitatæ & commotæ. Hoc tamen notandum frequentiùs spumare Animalia cornibus destituta, quàm cornigera.

Ita memini me Puerum adhuc sæpius lusisse cum supremi cujusdam Excubiarum Magistri filia, lepida aliàs mihique coætanea puella, quæ inter strepitus bellorum nata, & nutrici Lue Venerea infectæ lactanda tradita, venenum cum lacte hausit, quod exulceratis faucibus palatum propè omne absumsit. Curata quidem, sed cùm Os restitui non posset, carie exesum, remansit foramen, in nares usque, quod gossipio replebat & sic loquebatur, edebat, bibebat, quo exempto nihil horum præstare potuit.

Videtur hic ad mentem J. Quercetani loqui, qui in Diætet. Polyhist. c. 3. de Puella quadam Conflanensi, quæ per sesquiannum sine cibo & potu substiterat, cujusque abdomen ita depressum, & instar marmorei lapidis induratum deprehenderat, ut nihil trajici, vel influere potuerit, agens quærit, quomodo vita frueretur? Subjungit partes potissimas corporis in quibus vita suam sedem habet, ideò tam vividas perstare, quod non ut reliqua membra ignobiliora crassum alimentum desiderarent; Sed cùm partes sint spirituales, & magis aëreæ, Spiritu ac aëre easdem foveri. Hinc Cor intercepto Spiritu statim præfocari, Cerebrum autem odoribus refici, &c. Sed pace Quercetani, non negamus partibus spiritualibus spirituale & subtilius competere nutrimentum, quàm aliis, at unde illud, nisi ex prima concoctione? Ubi verò non datur prima alimentorum mutatio, unde quæso secunda? Unde Alcohol Vini habebis, nisi prius Spiritum vini ex fæcibus, aut communi vino destilles? Purum aërem in alimentum cedere diu jam explosum. Nullum Elementum quatenus tale, esse potest Alimentum. Odoribus excitamus Apoplecticos, Epilecticos, Syncopticos, non quod materiam præbeant Spiritibus restaurandis, sed quod Cerebrum & partes magis sensibiles vellicando revocent, id quod etiam præstant Ligaturæ dolorificæ, frictiones &c. in hoc subjecto ad aërem confugere minimè opus, quia Vinum bibit, quod naturâ suâ halituosum, & alimentum spirituosum, & juxta Hipp. 2. Aph. 10. Facilius est potu, quàm cibo refici. Si terrestrem materiam revomuit; spirituosam tamen in Corpore mansisse probabile est.

Hactenus Rolandus de Belebad, commentante Clariss. Raygero, de loquelâ sine linguâ.

De tumore gravi linguæ, partiumque vicinarum.

Pituita non semper est, aut humiditas albicans, quę partibus corporis inhęret vel adhęret.

Aristoteles eam ob Causam Cerebrum album dicit, quod ex pituitâ albâ constituatur.

Fallopius Ranulas sublinguales ex pituitâ tenui, glutinosâ, originem ducere statuit, eo quod hæc materia copiosè eo loco colligatur, hinc ex admixtione sanguinis vel bilis flavæ aut atræ coloris ejus fieri cujus Ranula, unde nomen habet.

Nautæ cujusdam Sneckensis uxor per tres quatuorve dies faucium laboraverat ariditate, cui originem forsan dederat catharrus frigidus, frequenter hinc ipsi molestæ erant mucosæ collectiones; quarum partem ad faucium humectationem, emollitionemve deglutiebat, partem ad anxietatis quam ex angustia faucium patiebatur imminutionem, excreatione ejiciebat.

19. Mensis Martii 1656. subitò ex delapsu humorum ad asperæ arteriæ principium quasi suffocari videbatur, illa, ut ab hac materia fauces angustante liberaretur omnes intendebat conatus, evacuationemque moliebatur quâ fieri poterat vi, excrescentia hæc, molesta valdè, dum peragebatur, ex sonitu quem audivisse se ferebat, aliquid circa fauces disrumpi colligebat, quod factum certius constare videbatur, ex eo quod Lingua, Amygdalæ, ipsumque palatum illicò intumescerent.

Tumor hic partium dictarum brevi tempore incrementum sumpsit adeo magnum, ut quovis momento, quod fauces summoperè præcluderentur, suffocationem instare sibi persuaderet. Cogebatur adeoque de nocte me accedere, submisseque ipsi in hoc periculoso statu constitutæ succurrerem, licet sine voce, rogare.

Quæ primò in ore occurrebant sub lingua ad palatum, imò ad fauces ipsas nil nisi mucum albicantem compactum referebant (tantæ erant albedinis partes omnes locis dictis se exhibentes) unde ob summam anxietatem, mentum applicare pectori, fauces constringere, linguam extra os exserere, cogebatur. Præcipuum quod in hoc casu usurpare conveniens videbatur, quo mucus abstergeretur, Gargarismus erat sequens vi penetrante atque incidente præditus.

♃. Aq. Hord. ℔. j. Lavend. ℥. iiii. Vitæ ℥ii. Syr. Stœchad. ℥iß. M. F. Gargarism.

Urebatur eo, pro collutione, calidè. Jungebatur huic Unguentum collo, mento, pectori illiniendum.

♃. Mucag. Sem. Lini, Althææ, Fœnugræci, Extract. ex Decoct. Ficuum an. ℥j. Ol. Lilior. alb. Anethin. Axung. Anatis, an. ℥ß. Ceræ novæ q. s. F. Linimentum.

Præter hoc Cataplasma applicatum collo, mentòque, quod.

♃. Radic. Althææ. Lilior. alb. an. ℥ii. s. Ireos. nostrar. ʒ. i. Fol. Malvæ, Violar. Bismalv. an. Mj. Flor. Chamomill. Anethin. Melilot. an. M. i. Ficuum Recent. ℥i. Coquantur in aq. com. q. s. hinc terantur, & pistentur, postea adde Farinæ Semin. Lini, Fœnugræci an. ℥j. Adipis Gallin. Anseris, Anatis an. ℥iii. Coq. Mod. F. Catapl.

Nihil omnino hæc omnia effecerunt. Venæ sectionem hîc instituere, nihil erat quod indicaret; Tumor etenim splendens, albus, sanguinis fermentationem haud notabat, imò calorem potiùs imminuere quàm augere videbatur.

Ad materiæ revulsionem conveniens magis æstimabam Enema aliquod injicere, Cucurbitulasque nonnullas cum scarificatione applicare. Clysteris alvum lubricare, superfluitatesque evacuare, apti hæc erat descriptio.

♃. Rad. Althææ, Lilior. an. ℥iß. Ficus Ping. n. iiii. Fol. Malv. Violar. Verbasci, Mercurial. an. Mj. Semin. Lini, Anis. Fœnugr. an. ℥ß. F. Decoct. in aq. com. q. s.

In Colaturæ ℥ix. dissolve Mell. Violar. ℥j. Confect. Hamech. ℥iß. Hier. Picr. ʒii. Salis comm. ʒi. M. F. Enema, statim injiciendum.

Clysteris usu præmisso, Cucurbitulas tres quatuorve Cervici, ac scapulis cum scarificatione applicari curavi, imò & Vesicatorium ex cantharidibus locis, post aures.

Nec hæc aliquo cùm successu usurpata, quin potius in pejus ruere omnia videbantur, in lingua enim, palatove, imò partibus sublingualibus, buccisque color subniger se manifestabat, qui sphacelum earum partium minabatur, hinc respirandi majorem difficultatem.

Summo manè ęgrotantem nobiscum accessit Vir Experientissimus Dn. Franciscus de Vicq, qui affectûs gravitate perspecta, cui similem toto praxeos tempore

se

ſe haud obſervaſſe aſſerebat, Venæſectionem in brachio æque ac ſub lingua inſtituendam commendavit. Sub lingua eam inſtituere difficillimum erat, eò quod Tumor linguæ partiumque ſublingualium impediret, ſectis nihilominus raninis venis, ſanguis effluxit pravus, niger, cum reſpirandi difficultatis aliqua equidem imminutione, aſt gangrænæ ſignis evidentioribus, ad hanc Collutio ſequens præſcripta.

♃. Decoct. Hord. ℥vii. Scórdii ℔ß. Aquæ vitæ ℥iii. Liquor. Ægyptiac. ʒii. Mell. Roſar. ℥i. M. F. Gargariſma.

Imò & Cataplaſma hoc Collo mentoque applicari neceſſarium duximus.

♃. Nidum Hirund. benè purgatum. Flor. Chamomill. m ii. Coq. in cereviſ. tenuis q. ſ. ad conſiſtentiam Cataplaſmatis. Addendo Ol. Lili. albor. q. ſ.

Circa meridiem, quod & vires & reſpirationem imminui obſervaremus, ad evacuationem materiæ locis dictis hærentis, utrinque linguam longè profundeque vulnerare, utile duximus, ſanguinem etenim hìc collectum eſſe, haud adeo pituitam, in prægreſſis circa affectûs curationem obſervata, declarabant.

Quamprimum inciſiones peractæ, ſanguis effluxit ater, impurus, concretus, ſecuta illicò reſpiratio liberior, tumoris imminutio, loquendi major facilitas, hinc labiorum, linguę, internarumque partium buccarum ſeparatio, ad hanc promovendam Gargariſmum ſuprà præſcriptum uſurparet, Authores fuimus, omiſſo Ægyptiaco & ſpiritu vini. Eundem in uſum Linctum hunc parari juſſimus.

♃. Syrup. Roſar. Portulac. an. ℥ii. m.

Et horum mediorum uſum Curatio ſecuta integra, licet inexſpectata, ſic tamen ut intumeſcentia quædam intra muſculos & glandulas linguæ relicta fuerit, quam ſucceſſu temporis imminui poſſe cenſebamus.

Obſervatio hæc evidenter ſatis, meo judicio, declarat, ſigna quæ ab externis deſumuntur in dignotione morborum, cauſarumque morbificarum fallacia ſæpius eſſe, adeoque quæ ex materia mucoſa producta judicantur, ideò quod interius latentis calidioris humoris indicia haud adſint, non ſemper medicamentis calefacientibus, incidentibus, diſſipantibus curanda eſſe, ne exaſperetur malum, quale quid in noſtrâ ægrotante obſervare nobis licuit.

Marcus Aurelius Severinus humores pituitoſos ope ſanguinis per partium poros diffundi docet, adeoque in ejuſmodi caſu non adeo pituitam, quàm ſanguinem ipſum, Medicum-Chirurgum in ſua curatione reſpicere debere.

Obſervationi huic antequam imponamus finem, inquirere neceſſarium quæ fermentationis gravioris collectioniſque in hôc affectu cauſa fuerit.

Credibile valdè, eô tempore quô magnô conamine faucibus collectum mucum ejicere laboravit, aëris aliquid venæ jugularis ramulum intraſſe, cujus in linguam, fauces, palatumque diſtributio, hinc diſruptione accedente, ſanguinem fuiſſe extravaſatum, quale quid non rarò in vaſis pulmonum contingere notamus, ex clamore, tuſſi expectoratione.

Sanguis hic circa linguæ baſin collectus, pituitę quod habet lingua (habet autem ejus quantitatem majorem ac habent partes aliæ) commovit, ſic ut extrorſum delatum ranulas, candore notabiles, excitaverit; hinc etiam univerſam partium ore contentarum ſuperficiem madefecerit.

Annô 1659. mulier hæc ędes noſtras acceſſit, tumore gravi, inæquali, eôque ſatis magno, dictis locis fauces adhuc non parum anguſtari, non ſine dolore ſummo referens. Hic cancroſi quid accedere poſſe, & ætas ſenilis, & temperies frigidior, & ipſius affectus conditio præſens, inter alia ſuadebant. *Joh. à Meckren in Obſervat. Medico-Chirurgicis.*

Linguæ ulceroſæ durities ſcalpellô & cauteriô extirpata.

Quæ in monetis Belgicis invenitur inſcriptio, *idem tutor & hoſtis*, nempe Mare: Eandem dentibus noſtris accommodare liceat; qui benè conſtituti (præterquam quod linguæ & faucibus tutelæ ſunt) cibum diminuunt, variiſque in rebus nobis inſerviunt; malè è contra affecti hoſtes nobis infeſtiſſimi evadunt. Ecquæ pars corporis tam immanes in nobis excitat dolores, prout illi ſimulac carioſi redduntur? imò ne linguæ quidem parcunt, quæ ab illis carioſis non rarò ita induratur ac exulceratur, ut homines è medio tollantur. Varia in medium poſſem proferre exempla, aſt illa extra ſcopum forent. Videamus ſolummodo quomodo curanda ſit lingua, ab hac cauſa non ſolùm indurata, verùm etiam exulcerata. Curatio iſtæc ſemper ab evulſione dentium malè conſtitutorum eſt inchoanda, linguæque mel roſarum cum olei vitrioli tantillo, pro re nata, mixtum applicandum, idque ſæpius uno die, quia diu non adhæret parti affectæ. Si huic aut ſimili remedio non cedat malum, tumorque incrementum ſumat, aut pars affecta magis magiſque exulceretur, & magis fungoſa appareat, aut labia recurventur, tota pars linguæ indurata & exulcerata extirpanda, & poſt extirpationem inurenda; per experientiam enim ſum edoctus, nil magis valere (malignitatis ſignis apparentibus) quàm inuſtionem cauteriis actualibus, extirpata corrupta portione, inſtitutam. Alii potentiale cauterium præferunt, aſt minus prudenter. Vetula quędam à longo tempore hoc malum perpeſſa, poſt iteratam ſectionem recidivam paſſa eſt; inde exanimis ferè facta, à nobis auxilium petiit; itaque cum magiſtro Petro Mennoniſta, qui antea malum ſemel quoque incaſſum (quamvis ſatis profundè ſectio fuerat facta) amputaverat, deliberavi quo remedio affectus radicitus foret evincendus, decrevimuſque iterandam extirpationem, & poſt eandem peractam, inuſtionem cauteriis appropriatis & ſatis magnis faciendam. Poſtquam ęgra à nobis perceperat rem nondum eſſe deſperatam, & aliquod adhuc remedium ſupereſſe, nempe amputationem, & poſt eam inuſtionem; facilè conſenſit, animoque adeo forti & infracto operationes pertulit, ut vix ullos ejulatus emiſerit. Pręmiſſis itaque univerſalibus, linguam linteo comprehendimus, quò meliùs poſſet ore extrahi, poſteà ſcalpello acuto, incurvatoque totum malum abſtulit dictus magiſter: quo facto parti interiori buccæ linteum aquâ frigidâ madidum applicitum eſt, ne bucca nimis à cauteriis læderetur. Hoc facto partem læſam cauteriis inuſſimus, ſat fortiter cauteria adigendo, idque ſemel atque iterum iterando. Poſthęc oris collutionibus emollientibus uſa eſt ad dolorem compeſcendum & eſcharæ caſum promovendum; qua ſeparata cura brevi abſoluta eſt tincturâ myrrhę & aloës, mixtâ cum decoctis exſiccantibus & melle roſaceo, chelidonii, &c. Atque hac peractâ curâ vetula iſthæc vivit & valet in hunc uſque diem. *Clariſ. Dom. Fridericus Ruyſchius in Obſervationum Anatomico-Chirurgicarum Centuria.*

LITHIASIS, & LITHOTOMIA.

Vid. ſub titulô

CALCULUS.

LIPODER-

LIPODERMUS.

EST *præputii defectus*; de cujus remediis, & operatione vide quæ capite de variis penis morbis.

LORDOSIS *Vid.* GIBBOSITAS,

LOCHIA *Vid.* PARTUS.

LUES VENEREA.

Omissis hîc *Morbi explicationibus, ac curationibus, quas in Bibliothecâ nostrâ Medico-Practicâ recensemus, contenti erimus ea jam proponere quæ Clariss. Viri Carolus Musitanus, & Gualtherus Herris istô ipsô in argumentô habent. Sit itaque primò.*

Clariss. Caroli Musitani, Physiatros Professoris, &c. Tractatus

DE LUE VENEREA.

LIBER PRIMUS.

Cap. I. *Quid per Luem Veneream intelligant Medici.*

UT eorum, quæ passim tradeмus, clarior sit intellectus, quid per Luem Veneream Medici in eorum mente concipiant describere præstabit; Quoties igitur vir sanus in mulieris contaminatum uterum coïerit pustulosum, pollutumque os osculatus fuerit, vel contrà mulier sana virum in pudendis, vel in ore pollutum admiserit, virus quoddam in pudendis, vel in ore contrahunt, quod in aliquibus multos post dies, verùm ultra quadraginta, sub diversis se pandit apparentiis in iisdem partibus, cujusmodi sunt pustulæ cum profundâ, & durâ radice, erodentem eructantes saniem, quas caries vocant. Gonorrhæa virulenta, ac purulenta, cum urinæ acredine & in erigendo pene, intenso dolore. Venerei bubones in inguinibus, vel ob hujus virulentiam, extuberantes glandulæ absque suppurationis spe.; & hæc primitiæ sunt jam concepti veneni exteriùs efflorescentes, quæ parum accuratos passim decipiunt Medicos, ex eo quia earum curationi tantùm vacantes, nil de latente intus veneno, quod externi morbi fuit in causa deinde ampliùs cogitant. Porrò ex hac Medicorum incuriâ temporis circulo corpora, quæ haustum foverunt venenum, in diem semper novas repræsentant ab ipsâ lue pullulantium variorum morborum scenas etenim, ut communi utamur loquendi modo, impetus si facientes spiritus hoc contaminat venenum, ephemeram febrem; si humores putridam; si solidas partes, hecticam producit. Deinde quis memoret urinæ vitia, suppressiones, stillicidia & mingendi difficultates à carneis excrescentiis, ardores ab acrimoniâ, & ulceribus? Quis caries, & pudendorum corruptiones, gangrænas, & in totum præcisiones? Quis laryngis, faucium, gurgulionis, tonsillarum erosiones, raucedines, aphonias, & palati foramina, labiorum consumptiones, gingivarum putredines, nasi casus, ossis ethmoidis jacturam? Quis calvariæ, cœterorumque ossium omnium corruptiones? Quis oculorum strabismos, lippitudines, cœcitates, aurium surditates, tinnitus, graves auditus? Quis nodos, & gummata circa lacertos, & nervos, & cum his, & sine his dolores, cruciatusque acerbissimos, quibus aliqui brachiis, aliqui cruribus, manci redduntur? Quis serpiginosas rimas, & squamosas in manibus, & pedibus? Quis cerebri epilepticos insultus, melancholias, vigilias? Quis cordis palpitationes, & syncopes, pulmonis marasinos, asthmata, tusses, tabes? Quis hepatis ardores, fluxus varios, lienteriam, cœliacam, diarrhœam, atque dysenteriam? Quis totius corporis lassitudinem, membrorum omnium languorem? Quis capillorum omnium casus, ut alii sine barbâ, alii sine superciliis, plerique glabro capite ridiculi appareant? Quis tandem quicquid horroris, feritatis, turpitudinis, doloris, languoris, hoc virus in corporibus susceptum imaginari potest, unquam commemorabit? Cùm nullum sit morborum genus, nulla symptomatum species, quæ ex hac lue pullulare non possit, nullumque membrum, nullaque in corporis theatro tot repræsentat scenas, sub tot insignibus se pandit quàm hæc, de qua nunc agimus, Venerea Lues, nec cessabit, imò in æternum, & ultrà horribilibus se pandet modis.

Cap. 2. *De Luis Venereæ Nominibus.*

HUjus luis multiplex, ac varius lædendi modus symptomatumque ab eâ pullulantium diversitas, nominum quoque multiplicitatem, & varietatem induxit; quippe Medici, prætermissâ veneni radice, ad omnes producendi morbos idoneâ, tantùm pro læsionis modo invenêre nomina, præterea, quæ è provinciis, in quibus hæc Lues suam exercuit stragem. Dicta enim proptereà fuit *lues Gallica, lues Hispanica, & lues Neapolitana*; quippe cùm in *Neapolis* obsidione circa 14. Sæculi finem, ut infrà dicemus omnes dictæ Nationes concurrerint, ac lues tunc primò emergens affixerint, unaquæque earum reliquis sceleratum illud facinus vitio vertebat. Reduces ab Indiâ Hispani ad Neapolitanos in subsidium missi suspicionem dedêre illam luem ab Indiâ secum Neapolim attulisse, quam cùm Neapolitani, & Galli cum mulieribus ab Hispanis compressis coëuntes contraxissent, Hispanicam, & Indicam illi dedêre denominationem, at Gallorum plerique Neapolitanos ab Hispanis non distinguentes cum Galli Luem secum non attulissent, obsidentesque Neapolim illius paterentur furores, Neapolitanam indigitavêre. Tandem Neapolitani cùm nunquam anteà fuissent hanc experti luem, eàmque à Gallorum obsidione experirentur, Gallicam dixêre; Hispani intereà utrosque Neapolitanos & Gallos vicissim pro tanto scelere exprobrabant. Sanioris deinde judicii viri cùm cognovissent à luxu, Venerisque congressibus hanc luem erumpere, ac inter homines grassari, relictis nationum litigiis, non abs re hanc *luem* dixêre *Veneream*, quod nomen modum, quo lues propagatur, designat, non autem essentiam.

Medici deinde, dum sub hujus luis initiis affectus observabant, ob horum diversitatem diversa illi indidêre nomina ab antiquis desumpta, secundùm symptomatum proprietates. Fuere ex his, qui ob læsionem quam lues inferre solet, per *Albotin Avicennæ*, & per *Terminthon* Græcorum eam designarunt; Alii *Sahafatum*. seu scabiei pustulosæ speciem. Aliqui *Arthritidem* ob artuum dolores; Quidam *Psoram*, seu cutis defœdationem; Quamplures antiquorum *Elephantiasim* eam esse dixêre. Pleriqne hanc luem *malorum omnium congeriem* existimârunt; Nonnulli *morbum vagum*, *ancipitem*, *erronem* luem esse, ac sub nullo certo morborum genere collocandum; & tandem *Scabies scortatoria, Mentagra*, vel potiùs *Mentulagra lupanaris*, & ab aliquibus *pudendagra, caries Venerea, pustula obscœna*, *variola magna* dicta fuit; omnium tamen optimè *Hieronymus Fracastorius* vetustissimus poeta proprio, ac speciali *Siphylidis* nomine, dum eleganti carmine hujus luis materiam pertractavit, insignivit: fuit enim *Siphylus* primus æger ut ipse putavit, qui hac lue contaminatus fuit dùm inquit:

Siphylus (ut fama est) ipsa hæc ad flumina pastor.

Nos verò infrà cum hujus luis essentiam, & ejus lædendi modum demonstrabimus, nomen, quod illi adæquate correspondere possit, proponemus; quo nulla infametur natio, & omnes à notâ adeò infami vindicentur.

Cap. 3. *De Tempore, quo hæc Lues in humanam irrepsit carnem.*

DE tempore quo hæc innotuit Lues, authorum sententię tam variæ & discrepantes sunt, ut illi ipsi, qui illo tempore vixerunt, in hac re non convenerint, multò minus nos qui ab illo tempore jamjam ferè duo sęcula remoti sumus, eos conciliare valebimus. Itaque eorum opiniones recensebimus, & transverso notabimus stylo, ut nostram deinde stabilire possimus.

Nonnulli, & præcipuè, *Leonicenus*, Veneream Luem aëris vitio tribuunt, asserunt aërem hoc contraxisse vitium è magnâ Tyberiis, aliorumque fluminum alluvione sub *Alexandro VI. Pontifice Romano*, quæ universam ferè Italiam, & præcipuè Romam devastavit, & tota navigabilis reddita fuit. In cujus funesti eventûs memoriam, in publicâ columnâ hæc insculpta fuêre carmina.

Tempore Alexandri sexti, nonisque Decembris,
Intumuit Tybris bis senas circiter ulnas.
Insula quæque domus facta est mediisque repentè
Circumducta viis aquabat Cymba fenestras.

Æstate enim sequenti, sordes, & illa colluvies ab aquis relicta radiorum solarium æstu recanduit, totumque aërem putredinalibus effluviis infecit, unde hæc dira Lues mortalibus irrepsit. Verùm illi aquarum inundationi perperàm hæc lues tribuitur, cùm potissimum hoc malum tantùm Romæ acciderit, & Venerea lues Neapoli primò innotuerit. Prætereà aquarum inundationes potiùs pestilentes quandoque excitare solent morbos, ad breve tempus, nec per sęcula & ultra duraturos. Imò tales inundationes etiam sæpissimè antè acciderunt, nec anteà talis Venereus excitatus fuit morbus.

Alii hunc morbum epidemicum dijudicavêre, ejusque causam ab astris mendicarunt, inter quos fuit *Nicolaus Massa, & Hieronymus Fracastorius*, scribit namque uterque, quod mirum non videri debet, novos, insolentesque morbos certis apparere temporibus, idque variorum morborum historiis probat, & præcipuè de sudore Anglico. Credidit hujus morbi noviter exorti causam malâ planetarum configuratione, maleficisque cœlorum influxibus inductam fuisse; refert namque eam in Saturni, Martis, & Jovis conjunctionem, quæ tali accidit tempore, unde cecinit.

Intremuit, tactusque novis defluxibus æther.
Paulatim aërei tractus, inania lata
Accepêre Luem, vacuasque insuetus in auras.
Marcor iit, cœlumque tulit contagia in omne.

Sed *Massam*, & *Fracastorium* astra deceperunt, nam eorum effectus æque sunt benigni, & maligni ab ipsis per se non dependet, sed per accidens tamen fieri potest, hoc, vel illo modo aërem, aquam, terram, & humana alterando corpora, cùm rerum naturalium generationis, corruptionis sint excitatores, ut inde mali producantur effectus, quomodo verò hunc in specie; & non alium morbum producere potuerint, non explicant hi authores.

Crediderunt alii hunc morbum non epidemicum, sed sporadicum i. sparsum, ejusque originem Valentiæ, in Hispaniâ Terraconensi habuisse, namque loci Gallus quidam elephantiasi laborans, integram à nobili, & pulcherrimo scorto quinquaginta aureis emerit noctem illudque ita infecerit, ut hanc diram genuerit luem, ut indè factum fuerit, ut omnes alii, qui cum eodem rem habuerint, coinquinarentur, & hinc brevi tempore infectio plurimis communis facta fuerit. Quasi nulla anteà mulier elephantiaco commista fuisset. Verùm differt elephantiasis à luis Venereæ ideâ, ac proinde elephantiacus hanc luem excitare nequivit.

Multi hanc pestem ex Indiâ Occidentali, ubi populariter grassatur, ab Hispanis in Gallorum exercitum ad Neapolim delatam fuisse autumant; Referunt namque historici. *Christophorus Columbus* ex novo invento Orbe rediens, plurimos reduxit milites, qui non minùs auro, quàm hac peste gravati, hanc appellentes urbem à Gallis obsessam, cùm ferè biennium in navigatione consumpsissent, ubi primùm nostram civitatem occupârunt nulli temperantiæ, & continentiæ pepercerunt, ac præcipuè cum scortis avidissimè luxuriantes furibundæ libidinis œstro plus justo perciti, hujus mali generationi ansam dederunt. Dùm Galli obsidione magis, magisque premerent urbem, ob annonæ caritatem ejecta scorta avidè exceperunt Galli ignorantes hostiles dolos, & Hispanorum versutias, cum illis effrenatè coëuntes se infecerunt, & insueta illuxit lues, nec nostro priùs cognita cœlo. Unde inquiunt Hispanos hanc pestem non tantùm in hanc nostram urbem, verùm in Italiam, & totum in orbem invexisse. Verùm errant historici hanc Luem in quibusdam Indiæ regionibus epidemicam esse contendentes; nam alius à Lue Venereâ morbus est, qui an sit aëris, vel aquarum, vel victûs vitio nondum ab ipsis explicatus fuit.

Aliam hujus morbi originem adducit *Andreas Cæsalpinus* traditam à quodam milite Aretino, qui in eo bello militavit. Referebat is, oppidum id monte Vesuvio, quod dicitur *Summa*, ubi generosi copia vini est, quod Lachryma appellatur, clam noctù ab Hispanis derelictum, obsidentibus Gallis sed vino infecto, admisto sanguine, quem ex iis extraxerant, qui in Nosocomio Sancti Lazari laborabant: Ingressos enim Gallos, cùm se eo vino explevissent, cœpisse laborare morbis, & symptomatibus elephantiasim referentibus. Verùm si verum hoc esset, elephantiasis potiùs; quàm Venerea Lues hoc stratagemate excitata fuisset.

Leonhardus Fioravanti, empyricus, de hujus morbi origine aliam peculiarem habet sententiam, quam apud nullum alium scriptorem legimus: Narrat se rerum causas indagandi avidum aliquando Neapoli fuisse, cùmque variis discendi gratiâ conversationem iniisse, inter quos senex quidam nomine *Paschalis Gibilotto Neapolitanus* annorum 98. sibi retulerit, tempore, quo *Johannes, filius Renati Ducis Andegavensis*, bellum gereret in *Alphonsum*, *Neapolitanum Regem*, circa annum 1456. se sæpius à suo patre audivisse, qui fuerat mercator in Regis Alphonsi exercitu, quòd cùm magna, tùm inter exercitus annonæ caritas, & præcipuè carnium extitisset, utriusque exercitûs mercatores noctu clàm cæsorum militum cadavera in frusta concidissent, & varia edulia ex eis parata militibus vendidissent, qui avidè ea inscii assata, cocta in artocreatibus satis longo tempore comedissent, antequam nullus id scelus rescíverit; tandem hæc lues in toto Gallorum exercitu vagari cœpit, adeò ut vix unus inventus sit inter omnes, qui pustulis, bubonibus, doloribus, cappillorumve defluvio non laborârit. Quibus auditis, *Fioravanti* ut certior hac de re redderetur, per experimentum certiorari voluit, an humanæ carnis comestio hunc morbum in specie producere posset. Domi suæ suem alere cæpit; omnique ejus pabulo axungiæ porcinæ aliquid immiscuit, atque intra paucos dies suis pili, seu setæ deciderunt, & undiquè pustulæ, tumores, seu bubones protubue-

rubuerunt. Hoc non contentus experimento, etiam in cane periculum fecit, clauso in peculiari conclavi, ac nihil escæ ipsi dando præter caninam carnem per duos menses, & idem in eo deprehendit, qui dolorum & pustularum plenus, pilosque amiserit, & die, ac nocte dolorem suum hominis ægroti instar misero ululatu testatus fuerit. His duobus experimentis tertium addidit, idemque in Bubone ave tentavit, eundemque notavit effectum. Ex quibus experimentis concludit unumquodque animal propriæ speciei carnibus nutritum hunc morbum, qui hodiè Gallicus appellatur, incurrere. Atque hanc ipsam causam esse putat, quòd in Indiâ morbus hic sit epidemicus, utpote in qua Antropophagi carnibus vescantur humanis.

Miramur sanè tantum Empiricum, id est bonum tonsorem, his experimentis luis Venereæ causam indagasse, & tot Scriptores Italos, Gallos & Hispanos de hujus mali tali causa mentionem non fecisse. Nec Neapolitani senis relatio fidem facit, nec tempori quadrat propter falsam annorum computationem, nam Lues hæc non innotuit Anno 1456. quo tempore *Johannes, Renati Ducis Andegavensis* filius, contra *Alphonsum Neapolitanorum Regem* bellum gessit, sed illuxit circa annum 1494. in bello, quod *Carolus VIII. Galliarum Rex* cum *Alphonso, Neapolitanorum Rege* gessit. Præterea demus verum esse, quod falsum nos experientia docuit, animal suæ speciei carnibus nutritum, pustulis, & doloribus affici, ac pilorum casu corripi, adhuc sub judice lis esset, an morbus iste esset ipsissima Venerea Lues, & talis, qui per contagium, & præcipuè per Venerem in alios transplantari possit. Insuper rationem reddere deberet, cur animal ejusdem speciei carnibus nutritum, pustulas, dolores, & pilorum casum patiatur, alterius verò speciei non? Fabulosum judicamus Antropophagos, quia humanis vescuntur carnibus, hoc corripi morbo, cùm multi inscii nostris in regionibus ad longum tempus humanis pasti fuerint carnibus, nec hoc correpti fuerint morbo. Pustulas, dolores, & depilationes endemicum esse malum aliquibus Indiæ populis, non humanarum carnium comestione, sed aëris, aquæ, victûsve vitio verti certum sit.

Aurelius Minadoüs credidit hanc luem ex impurissimarum mulierum fœdissimis uteris irrupisse. Hanc luem illuxisse putavit, cùm fœminę impurissimæ redditę sunt, quandò variam seminum commistionem recipere cœperunt: Inquit enim sicut unum semen uni utero tantùm familiare, ac sanum est, & fœcunditatem promovet, ità seminum multitudo, & varietas uterum infœcundum, & infectum reddit, ut ex optimâ substantiâ prava, imò pessima corruptela fiat venefica, & explicatu difficilis, undè contagiosa generatur lues.

Sed falsum est ex nimiâ Venere semen putrescere, nàm citra contagium hęc lues genita fuisset, cùm assiduus, immoderatusque Veneris usus ab orbe infantulo fuerit, & pręcipuè post feracem illam benedictionem: *Crescite, multiplicami, replete terram*; & per annorum decursus nunquam interruptus fuit, cùm ad speciei humanę conservationem spectet; ideoque

Per victum, & coitum pugnant animalia quæque.

Libido nunquam satiatur, & extincta reaccenditur, usu crescit, in cęteris satietas, in coitu nulla, & pręsertim in mulieribus effervescens prurigine vulvę per libidinem inflatæ, perpetuò excandescit, unde jure *Juvenalis Satyr. 6.* inquit:

Et lassata viris nondùm satiata recessit.

Igitur experientiâ constat, ex quavis immodicâ Venere, & multorum putrescentiâ seminum nunquam genitam fuisse hanc luem citrà contagium. Nec hujus observationis mentionem aliqui fecerunt authores, quod utique non omisissent, si aliquam hujus rei notitiam habere potuissent. Præterea falsam quoque existimamus variam seminum commistionem in utero, ac proinde corruptionem veneficam fieri. Credimus Minadoüm parùm versatum fuisse in Veneris palæstrâ; nam mulieres meritoriæ post coitum semen non retinent, sed indè sponte labitur, cùm lubricam, & sine rugis hanc habeant partem. Si quandoque illud retineri accidat, vel post aliquod tempus rejiciunt, vel si non, concipiunt, & uteri os ita clauditur, ut specilli aciem non admittat, vel ita statim se comprimunt, ut illud rejiciant. Unde in coitu duplicem Veneris voluptatem sentiunt mulieres unam in seminis virilis ejaculatione, alteram in ejus expressione; ideòque harum mulierum uterus non fit diversorum seminum colluviarum. Insuper semen ut plurimùm intra uteri vaginam ejaculatur, unde sponte labitur, & mulieres à coitu statim indusio, vel petiâ ad id paratâ pudenda abstergunt.

Univocus est Historicorum, & Medicorum consensus in assignando hujus Luis originis tempore, aiunt enim anno 1494. *Carolo VIII. Galliarum Rege, cum Alphonso Rege* bellum gerente, numerosissimo exercitu Neapolim obsidente, primùm hæc Lues in Gallorum castris innotescere cœpit. Cùm ob annonæ caritatem Neapolitani inutilem propellerent multitudinem, milites Galli scorta exceperent, & quia hos non pudet etiam turpissima scorta palàm futuire, eorum pulchritudine allecti magno libidinis œstro insatiabiliter fornicari cœperunt. Unde totum inquinàrunt exercitum, & vix unus inventus fuit, qui cariebus, pustulis, ulceribus gonorrhϾâ, bubonibus, doloribusvè non laborârit. Tunc primùm tam virorum, quàm mulierum partes generationi dicatas hac lue laborare fuit observatum, unde *Fracastorius* eruditè cecinit:

Qui casus rerum varii, quæ semina morbum
Insuetum, nec longa ulli per sæcula visum
Attulerint: nostrâ qui tempestate per omnem
Europam, partimque Asiæ, Lybiæque per urbes
Sæviit: in Latium verò per tristia bella
Gallorum irrupit, nomenque à gente recepit.

Verùm, an obsidentes Galli, an obsessi Neapolitani, & Hispani tantum nefas primi in humano patrârint genere, vel passi fuerint, est in tenebris, ac ut suprà dictum est, ex incertitudine originis una gens alterum luis increpabat exercitum, atque gentis cognomentum addebat, Gallicum tamen frequentiùs fuit appellatum, ex eo quia Gallorum occasione Lues irrepsit.

Cap. 4. *An veteres Medici ante annum 1494. de hac Lue aliquid tradiderint, vel eam cognoverint?*

NIl inter homines tam vetus agitatum, quod aliquando novum non fuerit; unde ridiculi sanè sunt ii, qui veluti Medusæ spectrum attoniti novitatem exhorrent; actum jam esset de rebus humanis, si quod semel novum & insolitum fuerit, in humani generis usum admissum non fuisset, viverint nunc homines pecudum more, aliorumque brutorum, quæ cùm artium facultate inventivâ careant, hactenùs ab eorum origine herbis, glandibusque vescuntur sub aperto Jove degunt: nulla apud ipsa futurorum præventio, nulla præteritorum memoria. D. O. M. non omnia primo homini manifestavit, vel saltim quicquid ille callebat, amisit: reservavit ipsemet Deus determinatis temporibus passim ea propalare, quæ nunquam priùs innotuerant? sic suum fuit creationi tempus, suum transgressioni, suum univer-

universali diluvio, suum incarnationi, suum denique redemptioni, tempus, & licèt potuerat, non hæc omnia simul disposuit.

Quis negabit novam olim non fuisse *Hippocratis* doctrinam; Quis recentiorem illam *Galeni*? Attamen si dùm nova iis authoribus eam profitentibus vivis inter homines emersit, non fuisset recepta, nunc dictorum authorum doctrina vetus, & antiqua dici minimè posset, ac promittimus, quod quæ à nobis nùnc nova, & insueta medicorum vulgo odiosa traduntur, post tria, quatuor, aut decem sæcula, non secùs ac *Hippocratis* & *Galeni* placita pro antiquis, vetustisque habebuntur. Tam itaque est in hoc inferiori Orbe novitatis necessitas, ut ipsamet natura multoties exorbitet, monstra, prodigia, resque producat insolitas, ac si tribuli, & spinæ ex ingluviis, aliisque luxibus in humanâ novi pullulant pro inexpertis hactenùs causis morborum, pigra non est novis patefaciendis remediis, quibus novis succurratur languoribus. Ut nunc ad nostrum redeamus propositum, certum est non omnes morbos, quorum hactenùs plenam habemus notitiam, simul in humanam irrepsisse carnem, sed passim nunc unus, nunc alter pro videndi hominum modo emersit. Antiquitùs simplices erant morbi, & medicina paucis erat contenta medicaminibus. Prisci homines solidiora habebant corpora, facili cibo, nec voluptate, & arte degenerato nutriebantur, non ad appetitum excitandum, sed auferendum, eaque opere, labore, cursu aut versatâ glebâ solidabantur, unde nec innumerâ medicarum grege opus erat, nec tot ferramentis, pyxidibusque medicina referta erat. Nunc non mutata est humana natura, sed vita à multis ferculis, quæ multos fecerunt morbos. Bone Deus! Una gula tantorum morborum cohortem in humanam invexit naturam? Addimus & gulæ humorum cupidines, luxus, luxurias: ocia omniumque sensuum illecebras passim per ætates, & sæcula excedentes, quæ ita naturam lacessunt, & subvertunt humanam, ut novorum, insolitorum, inexplicabiliumque morborum semper fiat fœcundior ager, ac ut lacessita natura tota jam degener novis est producendis morbis proclivis, ita passim novis opus est medicis, novis medicinis, novis medicaminum præparationis modis, ut novis irruentibus morbis obviam eatur; quod ut ilia crepent iis, qui antiquitati strictissimo jure eorum assensum sacrarunt, Lues Venerea jam cunctis se patefacit hominibus, & cognitis priùs remediis nullo modo cedebat, ex eo quia licet symptomata, & effectus, quibus Lues hæc Venerea nobis se pandit, fuerint antiquis cognita, novum tamen aliquid in obsidione Neapolitanâ acquisivêre, quod iis remediis, quibus tunc olim expugnabantur, ampliùs posteà expugnari non poterant: fuit sanè illud novum, quod contagium vocamus, quo Lues de corpore in corpus per contactum transfunditur.

Non desunt medici, qui pervicaciter *Hippocrati* hoc malum innotuisse affirmant, & ab ipso *lib. 3. epid. sect. 3.* accuratè descriptum fuisse, ubi ossium denudationes, capitis & menti glabrities, carnium, & nervorum suppurationes, sacros ignes cum ulcusculis, variorum membrorum dolores, abscessus circa fauces, dentes, gingivas, & genitalium exulcerationes recenset. Sed levia proculdubio sunt prædicta, & inefficacia ad demonstrandum, quod quærimus; nam nec quidem *Hippocrates* citato loco Veneream Luem describere somniavit, sed tantùm pestilentam ibi refert constitutionem, in qua relatæ affectiones sunt vagatæ, quæ majori ex parte, acutis, febribusque malignis copulatæ fuêre, cùm Venerea Lues ex propriâ vi febrem non afferat. Præterea *Galeni* testimonio constitutio illa epidemica, & popularis fuit, qualis profectò non est Venerea Lues. Adde, quòd curationes longè inter se diversæ idem declarant. Insuper morbi epidemici non semper durant, sed tandem finiuntur, hæc verò lues nunquam ut malum epidemicum vagatur, & ex quo incepit ad hoc usque tempus, durat, & durabit.

Non defuerunt alii, qui luem hanc elephantiasim esse dixerunt, ex eo quia Venereâ lue apparente, cessavit elephantiasis, unde *Gabriel Fallopius* refert, quòd tunc temporis elephantiacorum nosocomia vacua reddita sunt, & Gallorum contrà innumeris repleta ægris. Idem inquiunt in utroque affectu est inficiendi modus, si quis c. ex. in lecto sudet cum infectis, si os ori conjunxerit, si cum infectâ coïerit. In utroque affectu pili, & capilli decidunt, pustulis, squamis, & ulcusculis defœdatur cutis, quare eadem utriusque affectûs erit natura, etsi voces, & nomina sint diversa. In æquivoco volutantur, qui cum elephantiasi luem confundunt Veneream; nam illa affectus cutaneus est, ac tota cutis redditur crassa, dura, ostrecosa, ejusque sanum nil remanet, labia intumescunt, & crassiora fiunt, sub linguâ tubercula, & glandulæ sub auribus innascuntur, & tota transformatur facies; hæc verò totius corporis est affectio, nec solam cutem, sed partes liquidas, carnes, cartilagines, nervos, & contaminat ossa: non semper, vel infrequenter fœdatur cutis, sed intimæ impetuntur partes, bubones in inguinibus protuberant, partes generationi dicatæ exulcerantur, & pustulæ, quæ in cute nascuntur, nunc plures, nunc pauciores, nunc majores, nunc minores existunt, & nunquam totam obsident cutem, sed semper aliquid sani inter ipsas mediat, & minùs sæpè visuntur in facie. Elephantiaci perpetuò inficiunt, & proles gignunt elephantiaces sanandisve destitutas; Gallici autem non semper filios generant infectos, & non ægrè restituuntur. Ad rationes in oppositum facilis est responsio, & ad primum: Verum quidem est in Italiâ, ubi Venerea Lues est frequentissima, & copiosissima, rarò elephantiasim vexare; non tamen aliis in locis, & præcipuè in Galliâ, ubi innumera ferè sunt pro elephantiacis Nosocomia, adeò ut nullus sit ferè pagus, in quo non sit hoc nosocomium, & tamen aliâ ex parte innumera etiam Lue Venereâ pollutorum multitudo. Ad secundam, idem inficiendi modus naturæ identitatem non arguit; non enim quia phthisis contagiosa est, ut lepra, inferre licet ejusdem fore naturæ. In pilorum defluvio diversitatem in utrisque cognoscimus, nam in hac lue decidunt quidem pili, capitisque capilli, non autem axillarum, & pubis; elephantici autem omnibus spoliantur, imò à pube, & axillis incipit casus.

Cæterùm ficos, sordida ulcera, & pustulas antiquitùs homines fœdasse præter *Celsi* testimonium apud *Martialem* non pauca legimus, & præcipuè *lib. 7. Epigrammatum, epigrammate 70.* hæc habet carmina.

Ficosa est uxor: ficosus & ipse maritus:
Filia ficosa est: & gener: atque socer.
Nec dispensator: nec villicus ulcere turpi:
Nec rigidus fossor: sed nec arator eget.
Cùm sint ficosi pariter juvenesque, senesque,
Res mira est: ficos non habet unus ager.

Et Juvenalis Satyrarum lib. 2. carm. 8.

Quis enim non vicus abundat
Tristibus obscœnis? Castigas turpia quàm sis
Inter Socraticos notissima fossa Cinœdos.
Hispida membra quidem, & dura per brachia seta
Promittunt atrocem animum, sed podice lævi
Cæduntur tumidæ, medico ridente, mariscæ.

De hoc quoque morbo scripsit *Gal. 5. de compos. med. per loca cap. 4.* Expresè quoque apud eundem bubones in inguinibus descriptos legimus *6. de simpl. med. facult. & 2. de sympt. causis cap. 2. & 6. de loc. aff. c. 6.* De gonorrhœâ

norrhœâ prolixè disputat, ut non prætereamus ea, quę in *lib.* habet *de tumoribus p. n. & 11. de facult.* ubi de Uvis, & 9. *de compos. med. per loc. cap.* 8. quibus in locis, diversis sub capitibus quamplures ulcerum, pustularum, ac tumorum species proponit, quas passim nunc in Lue Venereâ affectis præcipuè quàm in cœteris hominibus ab hac Lue immunibus, observamus.

Avicennas quoque, reliquorumque Arabum cohors multas tumorum, ulcerum, ac pustularum species describit, quæ grassatis nunc Luis Venereæ affectibus adæquatè respondet: at ut suprà notavimus, non defuêre, qui Arabum Sahafatum, mentagram, & pudendagram, hanc Luem, quam nunc Veneream vocamus, esse crediderint.

Verùm nos, cùm accuratè antiquorum libros ad hanc rem percipiendam evolverimus, certi sumus apud veteres inter morbos acutos pestem tantùm per contactum non solùm, sed etiam per fomitem ex contaminatis corporibus in non contaminata irrepsisse; in chronicis verò de scabie; & leprâ idem quoque evenisse tradunt: reliquos deinde morbos omnes per contractum sana corpora contaminandi hac prærogativâ omnes expertes fuisse legimus. Contrà observamus Luem, de qua nunc agimus Veneream nil novi secùm habere præter sui in sana corpora per contactum propagationem; affectus verò, & symptomata, quibus se pandit, in veterum sunt authorum observationibus diffusè descripta, nec hactenus in duorum millium Lue infectorum numero, quos observavimus, symptomata vidisse accidit, quæ apud *Celsum, Galenum, & Avicennam* notata non invenerimus. Undè concludimus Luem hanc Veneream Anno 1494. dùm Galli Neapolim obsidebant, antiquis morbis fermentale tantùm addidisse virus, quo per contagium ægri corporis cum sano, morbus, qui anteà non propagabatur, deinde propagaretur, non secùs ac scabies, & lepra antiquis quoque contagiosæ fuêre.

Cap. 5. *Ratio diffusionis Luis Venereæ per Europæ, Africæ, & Asiæ Provincias.*

Venerea hæc Lues non solùm Gallos, Hispanos, ac Neapolitanos, in quibus sui apparuêre primordia; afflixit, sed annorum lapsu extra Europam in Lybiam, & Asiam transfretavit, ut inumeræ testantur historiæ, quod multam afferre debet admirationem, nam cùm inter has mundi partes ob frequentatam nostris temporibus navigationem perenne sit hominum commercium, totaque, ut prædiximus, consistit hujus Luis essentia in acquisito contagio: quoties Europæi Lue contaminati in Lybiam, & Asiam navigârunt. & cum mulieribus Lybicis, Asiatisque inière commercium, hujus Luis Seminarium jam in dictas provincias transplantârunt, quod deinde per individua serpens, vulgaris morbus devenit, ut in Europæ magnis urbibus experimur; atque hoc eodem modo ubivis gentium hæc Lues hactenùs suum non diffundit virus, diffundere illud potest, cùm sufficiat polluti hominis cum sanâ contactus, ut Luis Venereæ fiat transplantatio.

Agitari hìc curiositatis gratiâ dubium posset, An bruta animantia huic Luis Venereę contagio sint obnoxia, cùm experientia nos doceat hominum pestem, pestem non esse brutorum, sicut contrà brutorum animantium pestis, licèt homines cum his commercium habeant, in eos non serpit, neque in sanitate, neque in vita læduntur; quapropter requiritur quædam mumialis ejusdem speciei dispositio in vivente, ad hoc ut fiat pestilentis auræ transfusio: homo itaque peste correptus, si equum ascendat nudum & simul immediatum habeant contactum, equi pili contagium suscipiunt, alteri homini communicabile, si illius fiat approximatio, sed equus nihil ab impresso contagio patietur, ex eo quia humanâ caret mumiâ humani contagii susceptivâ. Idem eveniet, si in specie equinâ sit pestis, nam licèt homines cum equis contaminatis commercium habeant, nil tamen in salute læduntur.

Contrarium tamen de Lue Venereâ nos docuit casus, enimverò meretricem aliquandò observavimus Lue Venereâ undique putrescentem, & sordidis ulceribus fœdam, quæ catulam habebat familiarem, hanc lingendis sibi ulceribus assuefecerat, quæ post aliquod tempus carcinomate in ore corrupta, totaque scabiosa, & in generationis loco exulcerata, tabefacta periit. Differt sanè pestis simplex à peste Venereâ, illa enim vitam immediatè adoritur, illamque extinguit, hæc immediatè nutrimentum corrumpit, propterea illa acuta est, hæc chronica, illa speciei mumiam requirit, hæc minimè quidem.

Cap. 6. *De Venereæ Luis Duratione, prolatum à Scriptoribus Judicium.*

Jam suprà, quæ ad Luis Venereæ historicam narrationem attinet, diffusè tradidimus, superest, ut quid de eâ scriptores prædixerint, subjungamus.

Hieronimus Fracastorius asseruit hanc pestem propriâ sponte aliquandò finem habituram, ac ut enormentico irrepsit modo, ita certâ adveniente planetarum revolutione, eam à lædendo desistere, existimavitque eam suo tempore senescere & paulò post planè interituram, ac longa post secula, eâdem planetarum revertente conjunctione reversuram, unde sic cecinit.

Namque iterum, cùm fata dabunt, labentibus annis
Tempus erit, cùm nocte atrâ sopita jacebit
Interitui data: mox iterum post secula longa,
Illa eadem exsurget, cœlumque, aurasque revise
Atque iterum ventura illam mirabitur ætas.

Hujus Luis causam *Fracastorius* è cœlo evocavit, cœlestemque ei tradidit originem, tanquam è matre Venere natam, & à Sideribus expositam mendicavit, quorum conjunctiones perennes non sunt, sed labente tempore mutantur, ideoque morbum esse credidit epidemicum quem interiturum secùm trutinavit, quia tempore, quo primùm hæc grassari cœpit, Lues statim à coitu pustulæ ex nigro virescebant, ulcera sordida innumera exedantia usque ad ossa, ac sanies ab his emanans ita pravum spirabat odorem ut cujus nares attigisset, is mox infici crederetur, & ipso magis aspectu, quàm dolore ægros torquebant. Gonorrhœę fœtidæ, in mingendo ob acrimoniam luctuosi ejulatus, in erigendo atrocissimi sentiebantur dolores. Bubones ante suppurationem sævissimis noctis torturis, & aliis hujus luis inficiebant symptomatibus, quæ nullis medelis, nullâ arte tolli, aut saltem sedari poterant. Imò adeò truculentior hęc grassabatur Lues, ut omnes ægrorum aspectum fugerent, contactu verò sic abstinerent, ut morbi præterea nullius. Tunc suo tempore mitiùs se gerere occipiebat, quia pustularum, ulcerumque fœditas cicurata, gonorrhœa, bubones, gummata, dolores &c. amicitiùs se gerere intuebatur; perperam credidit luem senectutem attigisse, quoquô modô interituram. Verùm planetarum conjunctiones eorumque rotationes *Fracastorium* luserunt, is non optimè astrologiâ callebat, credimus multoties hanc luem in humanam irrepsisse carnem, si ex planetarum conjunctione accessisset. Nec luem senescere, nec experientiâ cessare videmus, imò quo senior, eò evadit fortior, & licèt pustularum, ulcerumque fœditas tolerabilior evaserit, dolorum tamen cruciatus, gummata &c. immanius torquent. Ea est hujus Luis conditio, ut non statim perimat,

perimat, esto in prima origine violentiùs irrepserit, non per hoc ultimam habebit periodum, ea enim, quæ præter naturam sunt, ac vi fiunt, perpetuis carent caussis: Verùm est nil præter naturam, & violentum durabile, & ex se perpetuum esse, si tamen causa perpetua sit, ipsum perpetuum erit. Potest pestis quandòque extingui, ut de facto extinguitur, si eadem, quæ in peste præcavendâ, & curandâ adhiberetur sedulitas: modò quia semper dantur homines, qui hac laborant lue, aliosque inficere possunt, alii verò ab eorum consortio non se abstinent, etiam hæc tamdiu durabit Lues; quando istæ conversationes cum infectis, vagæ libidines, & coitus durabunt, & tamdiu eam propagaturam, & duraturam judicamus. Præterea experientiâ comprobatum est, quòd quoties morbus in humanâ pullulavit carne per contactum diffusibilis, chronicus, non autem acutus. nunquam ampliùs cessavit, sed diffuso undequaque semine, semper messem multiplicavit: Lues ergò Venerea, cùm jam in cunctis orbis terrarum provinciis suum transplantavit semen atque per secula semper ulteriùs serpet, eam in humanâ specie ad supremam usque periodum duraturam cognoscimus.

Eustachius Rudius sibi persuasit posse Medicorum ope, & artis auxiliis extingui, inquit enim: *Si unus esset mundi Princeps aut una multorum adversus hunc morbum conspiratio, medicorum ope planè extirpari posset. Si nimirùm ii, qui hac premuntur lue, cuncti medicis curandi consignarentur, & interim ab aliorum consortio sequestrarentur, ac illud idem cum hac lue infectis perageretur, quod cum infectis peste, vel leprosis fieri assolet, spei utique esset hanc luem extirpari posse; & eò magis, quia Venerea Lues, non ut pestis ad distans, est contagiosa, sed per concubitum propagatur.*

Optimum profectò pro Lue Venereâ extinguenda remedium excogitavit Rudius, sed inutile, quia faciliùs est dictu, quàm factu. Est remedium quod contra felem excogitarunt mures, de suspendendo nempe in ejus collo tintinnabulo. Si unus esset mundi Princeps, & præcipuè si ipse fuisset, hac totâ suâ solertiâ in id incubuisset malo, sed plures sunt orbis terrarum Principes, nec omnes eodem vivunt voto.

DE VENEREÆ LUIS ESSENTIA,

LIBER SECUNDUS.

AD Luis Venereæ essentiam percipiendam operæ pretium fuit, quæ historica sunt, priùs de hac Lue præmittere; multùm enim ad essentiæ cognitionem juvat quemque esse conscium hujus Luis originis, diffusionis, lædendi modi, symptomatum, accidentium, aliarumque circumstantiarum eam comitantium: Verùm quæ sequuntur, quia altioris sunt indaginis, attentissimum unumquemque exhortamur, etenim pollicemur, quòd si quæ ad Venereæ Luis essentiæ intelligentiam tSademus, intellexerit, verissimam omnium morborum theoriam percipiet, à qua curationis indicatione desumptâ, nunquam curandi morbos certitudine frustrabitur. Quapropter veteres cùm humores, & intemperies pro morborum caussis tantùm agnoverint, sintque humores occasiones tantùm, quibus animal infirmatur, caussâ pro efficienti occasionali desumptâ, morbi quidditatem non intellexère, quam omni conatu suggerere aggrediemur.

Cap. I. *Opinionum de Luis Venereæ essentia, Examen.*

HUcusque secundùm Scriptorum libidines multæ, ac diversæ fuère, circa Luis Venereæ essentiam Sententiæ, aut enim illam dixère caussam, non morbum, alii spirituum alterationem, aliqui venenum, quidam læsionem proprietatis temperamenti; alii excrementum; nonnulli symptoma nominârunt, qui verò morbum illam esse asseverârunt; alii arthritidem, psoram, elephantiasim, variolas, morbum epidemicum, continui solutionem, intemperiem calidam, & siccam; nonnulli calidam, & humidam; alii frigidam, & siccam; quidam morbum à totâ substantiâ, & qualitate occultâ; multi omnium morborum congeriem; tandem *Minadoüs*, nec caussam, nec morbum, nec Symptoma illam esse dixit.

Ex tot opinamentis, quàm intricatum sit negotium hujus Luis Essentiam assequi, quisque colligere potest; de tot namque Authoribus, qui de hoc scripsère morbo, vix pauci inter se conveniunt, quin potiùs phantasiæ ductu per vanas conjecturas peculiarem habent sententiam: sed omnes eodem amiciuntur pilo, eodemque inficiuntur cœno; cùm ex caudâ vulpem, & ex ungue leonem cognoscere profiteantur. Horum rationes in examen adducere joci gratiâ juvat, licèt non conducat, utpotè nimis rusticanæ, cùm confusionem animis inducant, & ignorantiam pariant.

Hercules Saxonia Luem hanc esse tantùm caussam, non verò morbum, nec symptoma asserit, quia extra corpus humanum existere potest, in linteis nempe, vel aliis id genus vestimentis, in sudore, fæcibus, præterea semine, & sanguine jam à corpore secretis, intra corpus humanum etiam, quia partes non viventes, morbisque subjectas inficit, & obsidet, nempe humores, spiritus.

Johannes Manardus esse morbum in solutâ unitate ab exustis humoribus contagio affectis pendentem scribi, probat primò, ex *Hip. lib. de loc. in homine num.* 47. ubi habetur. *Morbi quicumque ulcera sunt*, cùm Venerea Lues ex morborum numero sit, ad ulcera reducitur, quæ in solutâ unitate consistunt. Secundò, præcipua hujus Luis symptomata sunt pustulæ plurimæ universum afficientes corpus, necnon ulcuscula, quæ statim à Lue contractâ pudenda afficiunt: Sicuti etiam faucium, columellæ, narium erosio, & casus. Tertiò, dolores nimiùm atroces, qui infectos torquent ægrotos, quamvis non sint ulcera jam facta, saltem sunt dispositiones ad ipsa, cùm in doloribus continuum solvatur solùm, licèt non sit solutum? itaque hoc mali genus ad solutam unitatem, aut unitatis solutionem reducitur, & quicquid in eo observatur, est ulcus factum, vel fiens.

Hieronymus Capivaccius, Aurelius Minadoüs & alii sustinent hanc Luem non esse morbum, & primò, quia ad nullum morbi genus reduci potest; non ad intemperiem, ut pustulæ ostendunt; non ad solutam unitatem, ut docent gummata, bubones, & cætera; nec tandem in malâ compositione, ut ulcera suadent. Secundò, morbus est constitutio p. n. primò, & per se operationes lædens: Lues verò hæc primò, & per se non lædit; itaque morbus dicendus non est. Minorem probant: ubi quis post coitum Luem contraxit, multo intercedente temporis spatio, benè valet, nullumque persentit incommodum, quousque tandem ægrotare, & dolere incipiat. Ita multi post duos, tres, vel plures menses, & ferè omnes post aliquot dies Luis incommoda percipiunt. Imò nos quendam militem Hispanum post quadraginta annos, ex carie quendam monachum post quadraginta quinque, ex gonorrhæâ contractâ, attamen ante religionis ingressum, in gummata, & dolores incidisse observavimus. Hoc intermedio tempore nulla adest sensibilis læsio, cùm tamen adsit contracta Lues; igitur Lues non est constitutio lædens, cùm ipsa sine actuali læsione reperiatur, itaque non est morbus. Tertiò, Lues contracta quamvis lædat, non primò lædit: igitur non est morbus, cùm non quæcunque læsio sit morbus, sed illa solùm, quæ primò, & per se fit, ut à morbi causâ differat,

ferat, quæ non lædit primò, sed introducto morbo: itàque esto lædat Lues, quia dum lædit, læsionem primò non facit, morbus non erit. Assumptum probant, quia læsio facta à Lue est ulcus, bubo, gonorrhœa, caries, & similia, quæ sunt vel verissimi morbi, aut symptomata suos sequentia morbos: ergò Lues, ut lędat, requiritur morbi introductio, cùm nunquam lædat, nisi facto morbo: ergò ipsa non erit morbus. Quartò, Venerea Lues conservatur in subjecto non vivente: igitur non est morbus, qui est sola, & mera viventis passio, non viventi subjecto nullatenus communicabilis. Antecedens probant primò, quia est nonnullorum asserentium sententia Luem Veneream posse communicari per sudorem fluentem à corpore infecto, & conservari in linteis similibusque subjectis nullâ gaudentibus vitâ. Quomodò ergò Lues erit morbus, si in hisce inanimatis recipi potest subjectis? Secundò, Lues insidet sanguini, & semini adhuc à seminante deciso, qua propter semine infecto non minùs inficiuntur coëuntes, quàm fœtus. Si gignitur, nascitur infectus: sed neque semen, neque sanguis vivit, præcipuè post decisionem, & ejectionem è corpore: ergò non est morbus. Quintò, Venerea Lues est quid corporeum, imò verum corpus: ergò non potest esse verus morbus, cùm hic sit de genere qualitatum. Antecedens patet, quia aliud non est Lues, quàm vapor, seu seminarium quoddam contagiosum transiens denuo in aliud, quod omninò distat à qualitate, & accidentibus, & necessariò corporis, seu substantię rationem importat, unde *Lucretius* canit.

Tangere enim, & tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Si ergò hujusmodi rationem habeat Lues, morbus esse non poterit. Sextò, ex multis coëuntibus cum infectâ muliere, non omnes inficiuntur, sed aliqui, alii nullâ tentantur labe, & tamen omnes eundem excipiunt vaporem, seu seminarium: ergò Lues ista non est morbus, alioquin omnes ęgrotarent, quod falsum est, ut constat experimento à *Fallopio* adducto duodecim Scholarium, qui dum rem habuerunt cum muliere infectâ, tres tantùm ex illis Venereâ Lue corrrepti fuêre: ex quibus liquet Luem non esse morbum.

Neque symptoma esse potest, quia hoc est inseparabile à morbo, sicut umbra indissociabilis est à corpore.

Neque morbi causam esse, quia causa p. n. est illa, inter quam & actionem læsam cadit medium, morbus nimirum, cùm morbus sit id, quod proximè lædit actionem, cùm autem hæc morbi interventu lædat.

Capivaccius hunc affectum non morbum, sed excrementum putavit; dum eum definivit, quòd sit excrementum p. n. toto genere potens multifariàm lędere hominem genitum ex humanâ substautiâ à simili.

Alii Medici, dogmata quorum sunt caloris, frigoris, siccitatis, & humiditatis, relictis suprà notatis litigiis, ad causas manifestas hanc Luem reducere, scilicet ad intemperiem calidam, & siccam; conati sunt, hujus farinæ sunt *Alexander Massaria*; *Johannes Baptista Montanus*, & cęteri, & probant primò, quia proprius caracterismus, sine quo hęc Lues non elucescit, non consistit, nec viget, est exustio, ut apertissimè accidentia demonstrant supervenientia, quæ affectionis cujus sunt, materiam declarare valent. Ita pustulę universum ferè occupantes corpus, gingivarum erosio, faucium ulcera, capillorum defluvium, columellę imminutio, ossium caries, & similia, quæ Luem comitantur, atque ostendunt, certissimę faciunt exustionis fidem: sed talis, tantaque exustio, non nisi à calore morboso excedente dependet: ergò in calidâ intemperie reposita est Lues. Secundò, hoc idem deducetur ex bubonibus suppuratis, qui pręcipuè hunc sequuntur morbum; eorum namque labia multùm callosa, & nimis indurata observantur, maleficio scilicet caloris exurentis, & callum inducentis. Confirmat tertiò eorum assertionem mordax, & acerrima gonorrhœa, quæ primò, & plerùmque ab hac lue indici solet; adeò enim mordax esse consuevit, ut genitalia frequenter exulceret, & urinæ ardorem afferat, sic discurrendum de aliis incommodis à Lue inductis, quę non nisi prævalentem consequi calorem possunt. Excreta tandem omnia in infectis hac lue si benè observantur, utpotè acria multùm, mordacia, calidam intemperiem certè certiùs arguunt: commitantia igitur & subsequentia signa calidam intemperiem in hac Lue significant.

Nonnulli medentes, ut *Nicolaus Massa*, *Rondeletius*, & cæteri, desumpto à curatione argumento, quia Venerea Lues remediis omninò calidis, imò in calore multùm prævalentibus curatur: siquidem extenuans diæta calida, & sicca ab omnibus practicantibus præscribitur ita infectis; validiora, acriora, calidiora pharmaca eisdem administrantur; vehementiora adhibentur sudorifica ex salsâ, guajaco, & similibus parata; unô demùm verbo, quidquid pro hujus Luis curatione usurpatum, calidum est, ut ignis naturam sapere videatur, calidam, siccamque intemperiem pro hujus Luis causâ repudiarunt, cùm calidissimis, & siccissimis curetur præsidiis; meditantes præcipuè famigeratum illud in ore Medicorum theorema, quo sancitur curationem instituendam esse à contrariis; quia in eodem volutantur luto, dixerunt hujus Luis causam in intemperie frigidâ & humidâ consistere, id probant primò eodem argumento à curatione desumpto: Curatur calidis & siccis: ergò intemperies erit frigida & humida. Secundò, gummata, diuturni dolores, rebelles fluxiones, crassi, & cœnosi sanguinis generatio, & alia similia, frigiditatem, humiditatem prævalentem demonstrant: igitur.

Judicate vos quantùm & tantâ sententiarum multiplicitate absit hactenus veritas, & quæ in tanto morbo curando usque adeò adæquata ex theoriis desumpta fuerit indicatio: quod si in cognitione Luis Venereæ quæ tam palàm nobis alloquitur, in tantâ confusione jactantur medentes, in quantâ sanè erunt in aliis morbis, quorum latentior est fiendi & lædendi modus, quisque judicare poterit. Pendet quidem tanta confusio, sententiarumque contrarietas ab impostura & falsitate doctrinæ temperamentorum versutè à *Galeno* in rem medicam introductâ.

Alii multa hujus Luis symptomata considerantes, modò calida, modò frigida, modò exustionis signa, quæ siccitatem habent adnexam, modò humiditatis quà interdum copulantur, & tandem solutam unitatem; ut à tot se tricis expedirent, Syndromen, seu congeriem omnium morborum dixerunt, quia hęc Lues nullum denotat peculiare, & determinatum morbi genus, sed per omnia excurrit, & vagatur.

Multi, ut *Fallopius*, *Mercurialis*, *Zacutus Lusitanus*, *Fernelius*, *Sennertus*, & alii, Luis admirandos, contrariosque effectus meditantes, ac nullis primis, vel manifestis qualitatibus agere, imaginati sunt ad nullam reduci posse intemperiem, nec unitatis solutionem, formæ, seu structuræ lapsum; etenim cùm major morborum pars, & eorum, quæ homines crudeliùs vexant, intemperiebus accommodari non possint, ut à tot se eriperent tricis, necessarium fuit illis, qui præter temperamenta sciebant nihil, ut majorem ingenii hebetudinem patefacerent inter secundi generis causas recensere, scilicet ad occultas qualitates recurrere, tanquam ad sacrum ignorantię asylum, & ad speciosum vocabulum, quo apud imperitum vulgus ignorantiam tegere valeant; aliis verò nasutioribus ad plausibiles confugere terminos, uti sunt: Lues Venerea est morbus occultus, à totâ substantiâ, à deleteriâ facultate, à proprietate occultâ, à venenatâ aurâ, similesque, qui

qui si rectè examinentur, eos ignorantiæ arguunt, & sciunt, quod nesciunt. Id colligunt, quia virulentæ Luis natura est arcana, & prorsus ignoratur, nam licet quandoque sublata sit, & expugnata videatur, nisi tamen occulta illa qualitas expugnetur, homo inculpatam nunquam recuperat sanitatem. Observatum enim est ex parvâ, vel carie malè curatâ, Luem Veneream occultam per triginta, vel quadraginta annos furtivo modo in corpore delituisse, post quos in actum dolores, gummata, ulcera &c. erupisse quasi occultarum qualitatum actione. Ut etiam ex proprio, ac specifico curationis modo eruunt: putant enim remediis à totâ substantiâ agentibus expugnari, non quia calida, vel frigida sunt, sed quia modo nobis incognito, & occulto operantur. Hujusmodi credunt lignum Indicum, salsam parillam, hydrargyrum &c. Lignum namque calidissimum est, frigidissimum hydrargirum, quare si hæc Lues calida, aut frigida foret, horum usu intenderetur potiùs quàm remitteretur.

Nos, ut hos vitemus scopulos, & ne in barbarorum impingamus syrtes, non ex nostrâ phantasiâ, sed à rebus, circa quas philosophamur, veritatem hauriemus; quid sit morbus in genere, & quomodo in vivente sano exoriatur, investigabimus, ut deinde ad Luis Venereæ quidditatem tutiùs accedamus, undè sit.

Cap. 2. *De Essentiâ Morbi in genere.*

DUm vivens animal, quod intra se efficere à naturâ sibi datum est, efficere potest, vel si efficit, vel diminutè, vel depravatè, vel cum dolore, hoc tale vivens animal, vel in toto corpore, vel in aliquâ sui corporis parte, morbum habere dicimus. Præcedunt morbum vita, & vitæ integræ inculpatæque actiones; itaque ut, quid sit morbus intelligamus, quid in vita sit, & quid requiratur ad inculpatas actiones peragendas, priùs cognoscere necessarium erit; ab hac suppositione neque *Galenus* ipse recessit, nam *Galenus* morbum non agnovit, nisi in facultatibus læsis, constituitque apud *Galenum* essentiam morbi facultatum læsio.

Videndum nunc est, an facultates in vivente propriam habeant substantiam, & à temperamento tantùm dependeant, ut *Galeno* placuit, an verò ipsæ à simplici quadam entitate ætherea, & enermonticâ in spermaticis viventium partibus implantatæ exerceantur, ut *Hippocrates* priùs, deinde *Plato, & Aristotoles* sensêre.

Galeni sententia, præterquam quòd Atheismum includit, & animæ substantiam, præter temperamentum obstinatissime negat, ut *toto titulo de substantiâ facultatum naturalium*, & *titulo: an animi mores corporis temperiem sequantur*, hac demonstratione de falsitate convincitur: Nemo dat, quod non habet: elementa vitam non habent, ergò vitam dare non possunt. Respondent, distinguendo minorem, vitam non habent elementa separata, & simplicia, concedunt: non habent vitam elementa mista, negant. Sed iterùm contrà: mistio elementorum si vitam efficeret, ubivis fuerit elementorum mistio, ibi vita foret: sed omnia corpora Universi, in *Galeni* sententiâ, ex elementorum mistutâ constant: ergò omnia Universi corpora vitam habent: Sed hoc est falsum: ergò &c. Præterimus, quòd jam apud omnes sanæ mentis viros, elementorum quaternarium, earum qualitatum mistura, & ex eâ resultantia temperamenta indifferenter pro fabulamentis habentur.

Ad firmiorem *Hippocratis* sententiam transeamus, quæ vitam, spiritum impetum facientem asserit ethereæ naturæ, & hoc *Hippocratis* placitum, ultrò confirmavit *Aristoteles*; qui relictis elementis; eorum misturis, & complexionum figmentis, naturam, & vitam dixit spiritum proportione respondentem elemento stellarum: & in definitione, quam de naturâ tradidit, (idem enim est vita, ac natura in viventibus,) profundiori intellectu hanc veritatem expressit: dum dixit: *Natura est principium motûs, & quietis in iis, in quibus inest per se, & non per accidens*, quod motûs principium nullo modo in elementis concedi potest, cùm moveantur, & non moveant, & cùm in elementis tali, & tali modo misceri, & non misceri sit merè per accidens, elementorum miscela vitam nullo modo efficere potest, quæ per se, & non per accidens in vivente inest. Dicerat id fortasse *Aristoteles à Platone*, qui vitam, sive animam è corpore separabilem, non autem cum complexione corporis dissolubilem docuit.

Horum nos Philosophorum sententiam libenter amplectimur, quia veram agnoscimus illam, & cum illis sustinemus vitam in viventibus esse spiritum ethereæ naturæ, simplicis, & homogeneæ, motûs principium in se habentem, in spermaticis corporis partibus stabulantem & secundùm organorum dispositiones, in iis vitam exercentem. Hic spiritus per artus diffusus corporis agitat molem, & ubique unus, & idem membrorum diversitate diversas molitur functiones, non secùs ac eadem manus cum calamo scribit, penicillo pingit, gladio ferit, habenâ equum regit, ita vitæ spiritus cum naribus olfacit, auribus audit, palato gustat, manibus apprehendit &c. ut fusiùs diximus in nostrâ *Trutinâ Medicâ lib. 1. c. 2. de Apoplexiâ.*

Itaque nobis concipienda est vita in viventibus pro entitate quadam simplici, homogeneâ, similari, undequaque corpus penetrans, partibus spermaticis, & tenuibus earum fibris inserta; quam ut percipiamus, sciendum est, quod Vita animalium est de naturâ lucis, sive ipsa lux est, id quod intellexit Aristoteles, dum illam dixit *Proportione respondentem elemento stellarum*, nam elementum stellarum lux est, ac eodem modo se habet lumen cereum in medio obscuri cubiculi positum, quod sui diffusione aerem cubiculi æqualiter penetrans, circumstantes parietes illuminat, ac sicut lumen candelæ in elychnii fibris subsistit, ita animalium vita in fibris spermaticis ex semine productis subsistit; nec aliter lumen candelæ cerâ, sevo, vel oleo per fibras elychnii resoluto inducendo perseverat, ac vita animalium nutrimento ex cibis parato, & per fibras spermaticas diffuso perseverat.

Se habet ergo vita in corpore viventium ad modum Lucis, quæ in cubiculo tunc circumstantes parietes claro splendore illustrabit, cùm nullum corpus opacum inter lucem, & parietes interponitur, & cùm circumstans aër purus, & absque ullâ nebulâ præbet illi transitum, denique ut si aliquod corpus sit inter lumen, & parietes positum, illud simplex sit, & crystallinum, omni prorsus colore expers. Nam contrà, si inter lumen, & parietem ponatur corpus opacum, intercipitur luminis continuitas, relinquitque parietem obscurum. Si verò ambiens aër purus non sit, sed nebulosus, tunc languidum, & inæqualem splendorem lumen in parietes diffundet; ac tandem si corpus diaphanum Luci opponatur, quod sit viridi, vel rubro colore tinctum, tunc radii per illud corpus tinctum transeuntes, colore polluti transibunt, ac in pariete colorem corporis diaphani pingent.

Exemplum Lucis ad vitam transferre viventium, vel imaginamini ipsam viventium vitam lucem esse calidam se moventem, & in corpore viventis veluti in cubiculo clausam, hæc à centro corporis in totam circumferentiam, lumen, & calorem diffundit; per humores optimè ad vitalitatem dispositos transmittens radios, non secùs ac lux candelæ per ambientem aërem potissimum, atque dum sic in vivente res est disposita, inculpa-

inculpata salus in illo observabitur, omnes functiones organorum perfectissimæ erunt, omniaque optimè se habebunt, ex eo quia lumen vivens in corporis centro implantatum, absque ullo impedimento purissimos suos radios calidos per corpus usque in illius circumferentiam diffundit. Salus ergò in vivente semper morbum præcedit, tunc inculpata, & perfecta in viventibus erit, cùm quicquid in corporibus informat, illam puritatem, & perfectionem habeat, quam vita exigit, ad hoc ut in illud suum lumen, calorem, & motum impertiatur, ac tunc perfectissimæ, & inculpatæ totius corporis, singularumque ejus partium functiones erunt.

Declarandum nunc superest, ut morbus in sano corpore accidat, ac ut à similitudine Lucis in cubiculo obscuro non discedamus, dicimus, quòd non aliter morbus in sano corpore producitur ac umbra, caligo, & radiornm coloratio in illuminato cubiculo fiunt. Fingamus enim in cubiculi medio clarissimum lumen ardere, quod purum sit illud circumstans ambiens aër, & tandem quod nullum corpus opacum, vel diaphanum coloratum sit positum inter parietes, & lumen. Certissimum est cubiculum tam in suo medio, quàm in circumstantibus parietibus æqualiter illuminari, verùm esto, ut inter lumen, & parietem, opacum corpus ponatur, illicò in pariete pingeretur umbra corporis, quæ umbra licet occasionaliter à corpore causetur, tamen & effectivè à lumine fit; nam umbra aliud non est, nisi spatium alio spatio, in quo non est umbra minùs illuminato nullum adesse corpus solidum opacum, sed quod ejus medium sit tenebricoso fumo turbidum, tam caligans, debile, exileque lumen observabitur, & tam in medio, quàm in parietibus, quod quidem occasione fumi advenit, sed efficienter, & effectivè caligo illa à lumine nascitur. Esto demum fumum non turbare medium aërem, neque corpus opacum interponi, sed corpus diaphanum illudque viridi colore tinctum, observabitur, quod trans corpus diaphanum fertur, ubi in pariete terminatur, viridem efformat umbram, quæ etiam à lumine efficienter fit, occasionaliter verò à corpore diaphano viridi. Interest multùm in hac morborum physiologiâ, ut differentiam participantis inter causam occasionalem & causam efficientem cognoscamus quæ differentia clarissimè innotescet, si mente percipiamus, quòd causa occasionalis est illa, quæ indifferens est ad aliquem effectum producendum, & perseverare potest absque eo, quòd talis effectus sequatur, & hujusmodi in allatâ doctrinâ sunt corpus opacum, fumus, seu nebula, & corpus diaphanum tinctum, quæ umbram, caliginem, & tincturam in lumine induxerunt, nam si lumen à cubiculo auferatur, licèt ibi dicta corpora remaneant, uti prius erant, umbram, caliginem, & tincturam tamen non inducent: causa verò efficiens est illa, quæ ad affectum producendum non est indifferens, sed necessaria, ut est lumen, quod si à cubiculo auferatur, remanent ibi suprà notata corpora, neque coloratio producetur.

Exemplum nunc lucis ad viventium vitam transferamus, quam in corpore sanitatem producere diximus, quoties summam humorum puritatem, per quos transit, ut corpus vivificet, invenit, inculpata sanitas adest, & quoties in iis nil degeneratum, vel corruptum reperit, sed caliginosi sunt humores, vel in iis aliquid corruptum, vel degeneratum adsit, statim morbus in promptu est; ac ut nil ab allato lucis exemplo discedamus: finge tibi humoris particulam jam corruptam esse respectu vitæ, veluti corpus opacum respectu lucis, ac quoties id accidit, producitur in illo membro ob interpositionem humoris corrupti, per quem vita penetrare non potest, ac tunc morbi eveniunt, qui apud *Galenum* solutæ unitatis nomen meruêre. Si verò impuritas sit aliqua humoribus commista, illosque turbidos reddat, tunc lumen vitale per illos transiens caliginosum reddit, depravatasque operationes tunc in membris exerceri necesse est, producitque illos morbos quos *Galenus* & *Galenistæ* ad intemperies reducunt. Demum, si humores degenerati fuerint, scilicet quòd ubi salsi esse deberent, facti sunt accidi, ubi fluidi, viscidi, ubi volatiles, & resolubiles, fixi, & constantes, tunc vitæ evenit, quod luci ab opposito vitro colorato evenire prædiximus, scilicet quod radii vitales per tales humores degeneratos transeuntes secum ferant in membra degenerati humoris colorem, quo colore polluti puritatem, & simplicitatem vitæ exercere non possunt, sed membrorum functiones degeneres eruat: ut degener est vita quæ illas efficit, & hi morbi respondent illis morbis, quos *Galenus* & *Galenistæ* à totâ substantiâ, deleteriâ qualitate, causâ arcanâ, & latenti procedere adstruunt. Occasiones ergo, quæ ad morbos omnes producendos vitam disponere possunt, ad tria genera reducuntur s. ad humores in corpore corruptos, vel ad aliquod aliud, quod licèt corruptum non sit, utilitate capax esse non potest, ad humores impuros, & ad humores degeneratos. Vel tamen semper est memoriæ tenendum has causas ad hæc tria genera reductas, semper occasionales existere, ut suprà notavimus, nam illæ post mortem adhuc in cadavere perseverant, tamen morbum non producunt; ex eo quia vita cessavit, quæ umbram, caliginem sive colorem ab his causis nacta, efficiens causa morbi esset: ergo ex hac integrâ doctrinâ, quàm tradidimus, conclusionem hanc elicimus, scilicet quòd *Morbus in genere sit ens naturale physicum in viventibus constans ex ipsâ vitâ, tanquam ex materia, & ex umbrâ, caligine, vel colore à causis occasionibus in vita productis, tanquam ex semine. cujus deinde entis naturalis effectus sunt functionum membrorum læsiones.* Superesset pro doctrinæ integritate hîc explicandum entia omnia naturalia physica generabilia, & corruptibilia ex duabus tantùm causis, materiâ scilicet, & semine in universo produci; verùm de his fusiùs in nostrâ *Pyrotechniâ* egimus.

Cap. 3. *De Luis Venereæ essentiâ.*

MOrbi in genere constitutâ essentiâ, ad Luem Veneream illam traducemus; ad quam exactè intelligendam dicimus, quòd quicquid suprà retulimus de hujus morbi origine, alii astra, alii Indias, alii imperscrutabilem causam &c. accusavêre; nos ad causam naturalem physicam, & in viventibus corporibus producibilem reducimus, quod sic demonstrandum aggredimur.

Ulcus quodlibet chronicum, quod in vivente corpore ex temporis longitudine, & ex contractâ pravitate esthiomenum, sive malignum factum est, suam eructat saniem colore, odore, & sæpè acredine virulentâ, & aspicientibus perhorribilem, quæ sanies uti est omnium Medicorum consensus, aliud non est, nisi ulceratæ partis nutrimentum: tam ob continui solutionem, quàm ob exortam ibi pravitatem degeneratum, sive transmutatum in hoc aliquid acutum, & acre, quod sui contactu succedens, nutrimentum dulce, quod in ulceris locum natura transmittit, in suam materiam perenniter transmutat, unde succedit quoque ulceris perennitas.

Hac doctrinâ positâ, dicimus, quòd si inveniretur homo adeò sordidus, qui linguam, vel denudatum præputium in impuro aliquo ulcere esthiomene detinere

per aliquod spatium, ut halitus calidi ulceris in linguam, vel in glandem impingeret, si statim aliquo lavacro dictarum partium non fieret absterfio, hic in linguâ, & glande jam ulcus esthiomenum contraheret, verùm id non evenit, nam talis approximatio existimatur cuilibet homini sani judicii impossibilis, atque si fortaſsè talis eveniret contactus cum partibus corporis perfectâ cute obductis, non autem tenui epidermide, non induceretur quidem ulcus, ex eo quia ulceris halitus ob cutis duritiem spiritum sensitivum attingere non possunt, qui deinde halituum ideis imbutus, proprium corrumperet nutrimentum ad ulceris productionem; etenim si quis digitum in saniosâ Lue Venereâ infectæ mulieris vulvâ detineret, digitus Luem non contraheret, quam illicò contraxisset, si glandem, non digitum immisisset. Confirmat id quotidiana experientia, nam si in congressibus Lue Venereâ pollutis pustulæ, caries, ficus nunquam in cute externa penis pullulant, licèt illa cum contagiosâ vulvâ contactum habuerit, sed in glande, in parte internâ præputii, ac circa coronam efflorescunt, & ratio est, quia non sufficit halitum virulentum viventis carnem attingere, ut illam polluat, sed requiritur, ut spiritus sensitivus illius carnis virulentiam halitûs sentiat, quod in partibus, quas tenuissima epidermis cooperit statim accidit; in cute verò aut nunquàm, aut ex longâ applicatione.

Ex his observationibus, & experimentis deducimus id, quod suprà proposuimus s. quod ex physicis causis in vivente corpore existentibus Lues Venerea originem duxit; enim verò si demus casum, aliquam mulierem ex causâ non gallicâ ulcus malignum intra uteri vaginam contraxisse, illudque saniosum. Demus casum, virum illius ulceris inscium cum dictâ muliere coire, dicimus talem virum ulcus in parte aliquâ sub præputio contrahere, ex eo quia sanies in ulcere mulieris exaltata penetrat suâ acredine epidermidem partium intra præputium contentarum, ac spiritus sensitivus sub ipsâ exorbitans, ob Venereæ actionis motum, Labem illius saniei contrahit, quam deinde nutrimento sibi proximo imprimit, quod à suâ degenerans indole & in corrosivum transiens, ulcus extemplò aperit. Sic contrà, si vir in præputio tali laboraret ulcere, & cum sanâ coiret muliere, Mulier ulcus contraheret: nam cùm ob concubitûs turpitudinem, neque mulier virum, neque vir mulierem intra pudenda aspiciat, alter alterius ulcus non advertit, ac propterea ab eo non exhorret.

Ex hac ratione Sacræ literæ toto *Levit. XV.* huic suspicioni consulunt, quòd tam severè gonorrhœâ laborantes, ad alios accedere prohibuerint, omneque quod attigerint pro immundo habendum, & si testaceum quid sit, frangendum, ligneum verò & cœtera aquæ immergenda, mandaverint, ne aliquis ab eis inficeretur. Non negavimus tamen antiquitùs hunc morbum fornicatoriam non exercuisse turbam, sed à suis ægris semper fuit cœlatus; est enim pudibundus, & in illis incipit, quibus à pudore nomen est; & à mulierum sexu nec in optima constitutione, multò minùs adeò spuriè pustulata, & non nisi extremâ necessitate lethali Medicis ostenduntur; quòd ubi tum forsàn quandoque observatus, pro alio acceptus fuit.

Hoc posito, quod dubium non admittit, dicimus; quòd in obsidione Neapolitanâ cùm è Civitatis lupanaribus meretrices expulsæ fuissent, illæque in Gallorum tentoria se recepissent, facili negotio earum plures tali ulcere in uteri vaginâ laborabant, in quibus cùm se exerceret militum incontinentia, & alternatio, quid mirum fuit, si totus exercitus in pudendis saniosa contraxerit ulcera? Quid mirum fuit, si meretrices ab exercitu in civitatem reduces Neapolitanos deindè infecerint? Et tandem quid mirum fuit, quòd Galli in Galliam redeuntes, in illam regionem ulcerosum illum morbum transplantarint? Quod idem de Hispanis quoque Neapoli in Hispaniam revertentibus existimare possumus. Concludimus ex his itaque nostram hanc esse sententiam scil. Luem Veneream semet originem duxisse ex ulcere maligno in utero mulierum, vel intra præputium virorum ab intrinseco producto, non autem ab externo contagio.

Prætereà ex hoc modo originis Luis Venereæ deducimus id, quod à nemine in dubium vertetur, id est, quòd sanies, pus, halitus, sive effluvium illud ab infectâ muliere resultans, quod adhærendo epidermidi, præputium sani viri inficit, omnes suæ activitatis gradus, & contaminandi energiam in pollutæ mulieris utero acquisivit; ita ut inde emanans, omnes habeat proprietates, quæ necessariæ sunt ad epidermidem viri penetrandam; ac spiritum sensitivum sub eâ latentem attingendum, illique imprimendum id, quod suam subvertat œconomiam, ut proximum nutrimentum degener efficiat; nam si dictas proprietates in mulieris pollutæ utero non acquisivit, quicquid in viro sano producit, producere non posset: exemplum est in septicis, & escharam producentibus, quæ nisi activitatis gradum à naturâ, vel ab arte exegerint, cutem urere, & escharam inducere non possunt.

Quomodo hoc activitatis gradus acquirat sanies illa & quomodo sanum alioquin nutrimentum ad suam convertat virulentiam, philosophandum est.

Dicimus igitur, quòd pars ciborum, quæ ab illis pro nostro nutrimento educitur, spiritûs est salsus, & volatilis, ut fusiùs in *Trutina Medica, lib. 4. cap. 1. de Ventriculi actione* tradidimus, hic per corporis fibras, se insinuans, nos recreat, & sustentat, ac deinde in halitus, effluvia insensibilia per cutem resolvitur: verùm si spiritus iste ob expultricis defectum, vel ob ejus resistentiam totus non resolvatur, & pars illius in aliquo remaneat membro, membri calore agitatus fermentescit, & ex salso fit accidus, ut mechanicè de ciborum actione in ventriculo probavimus: evenit illi spiritui nutritio id, quod vino accidit dum ex novâ sui spiritûs motione in acerrimum mutatur acetum, quod erodit, exulcerat, spiritum irritat sensitivum, lapides, perlas, & corallia solvit, quæ omnia, dum vinum erat, non efficiebat, ac si deinde vi caloris naturalis ulteriùs exaltetur, in septicum, & exulcerantem transit liquorem: Ut de sale nitro observamus, quod si caloris vi in retortâ cum bolo armeno agitetur, exaltatum emittit liquorem, qui si nostræ carni applicetur, in illa ulcus inducit, quod non faciebat; dum erat in formâ salis; ut hoc modo quoties nutrimentum nostrum non omninò resolvitur secundùm naturæ leges, & in membris remanet, fermentescit, acescit, & in erodentem, exulcerantemque abit saniem.

Videndum nunc, quomodo parva particula hujus degenerati nutrimenti, & in saniem versi, magnam quantitatem perfecti, & sani nutrimenti in sui malitiam convertat, quod idem est, ac causam cognoscere, cur una aceti libra vini cadum in acetum convertat, & vini cadus aceti libram in vinum convertere nequeat; & pastæ fermentatæ uncia paulatim quantavis azimæ pondera in fermentatam convertat, & mille libræ azimæ unciam fermentatę in azimam convertere non possunt, quæ exempla respondent interrogationi, cur in corpore viventi parva pars gangrænata, vel corrupta reliquum sanum corporis mortificet, vel corrumpat, & reliquum corporis sanum parvam partem gangrænatam, vel corruptam sanitati, vel vitalitati restituere non possit. Tanquam non arcanum insinuarit antiqui: *Quod tangitur à putrido, putridum fit.* Sed animadvertere debebant

bebant, quòd, id est rusticis notum, philosophi judicii erat quomodò id eveniebat, nam evenire ex re ipsâ patebat.

Ut luce clarius hoc, quod valdè arcanum est in naturâ innotescat, supponendum primò est, quòd ad hoc ut inter duo corpora actio, vel motus succedat, debet inter ea intercedere symbolum, scilicet, quòd unum alterius naturam participet, nam aliter ex amborum contactu nulla succedet alteratio, nullusque motus; nam si acetum cum oleo, vel melle misceatur, neque mel, neque oleum in acetum convertet, quia mel & oleum aceti naturam non participat: verùm si acetum cum vino misceatur, quia ejusdem sunt naturæ, acetum ad sui naturam vinum convertit.

Secundò, supponendum est, quod quoties liquor volatilis in aliud corpus se fixius ejusdem naturæ agit, liquor volatilis fixat, & in naturam corporis, in quod agit, transit, juxta illud chymicorùm: *Omne volatile agens supra fixum, fixatur.* Sic vini spiritus, si cum sale tartari misceatur, pro eâ parte, qua sal est, in sal tartari transmutatur. Sic Spiritus salis communis, vel vitrioli si cum sale communi, vel tartari misceantur, fixantur, & in fixa salia transmutantur. Idem accidit de aceto destillato, quod si corpus aliquod rodit, cum eo figitur, & in sal transmutatur.

Tertiò, supponendum est, quòd quilibet liquor salsus, volatilis, & cremabilis, dum ex salso in acidum degenerat, fit fixus, ampliùs non inflammatur, & caloris actioni resistit. Clarum est hoc in vino, quod si destilletur, spiritum reddit salsum, volatilem, & accensibilem: sed si dictus spiritus in ipsomet vino acescat, ita ut vinum acetum fiat, tunc si destilletur, acetum non ampliùs spiritum salsum, volatilem, & accensibilem reddet, sed liquorem acetosum, non accensibilem, & ab actione caloris in salem fixum reducibilem.

Ex his suppositionibus deducimus, quòd ideò aceti libra mille vini libras in acetum convertit, & non contra mille vini libræ unam aceti libram in vinum mutare possunt, quia inter vinum, & acetum intercedit symbolum ejusdem naturæ, & quia vini spiritus volatilis, & salsus tangit in aceto alium spiritum acidum & fixum; sed ex secundâ suppositione, quoties volatile tangit fixum, fixatur, & in fixi naturam convertitur: ergò necessariò evenit, ut parva aceti quantitas quantùm vini tangat, tantùm in acetosam sui naturam convertat.

Exemplum hoc nunc ad rem nostram traducamus: Ut supra notavimus, quoties nutrimentum in aliquo membro viventis non resolvitur, acescit, & ex volatili fit fixum, ita ut natura, & membri calor illud resolvere non possit, hoc nutrimentum fixato in membro existente, dum sanum nutrimentum salsum, ac volatile in membrum advenit, & fixatum illud attingit, acescit illicò, & in naturam illius fixi fixatur, & hæc est fundamentalis ratio, cur parum putridi multùm sani corrumpat, & multùm sani parùm putridi sanum reddere non possit, scilicet quòd fixum constantius est volatili, & transmutat, & non transmutatur â volatili, cujus participat naturam. Eodem modo de Venereâ lue discurrendum est, nam nutrimentitius liquor volatilis est, & salsus, ac quoties fermentum Venereum, quod acutum, & acidum exaltatum est, nutrimentum sub epidermide gliscens inficit, degener reddit, exaltat, & figit, proximas inquinando partes, per exaltationem, & fixionem, erodentem acquirit acorem: fermentum hoc non est neque admodùm fixum, neque summè volatile, sed medium quid, nam oritur ex congressu cum muliere infectâ & rarò, vel nunquam per simplicem communicatur contactum, sed vel aliqua requiritur mora, vel concubitus, nec omnes cum eâdem infectâ coëuntes inficiuntur, nec eodem modo. Unde, ut his theoriis finem imponamus, ex traditis doctrinis hanc definitionem veram Luis Venereæ essentiam constituentem deducere possumus. *Lues Venerea est ens naturale physicum in viventium corporibus productum ex spiritu sensitivo, tanquam ex materiâ, & ideâ corrosivâ & corruptæ proprietatis à contractu saniei à contaminato membro productæ, desumptâ tanquam ex semine, quod in vivente proximum prius nutrimentum, deinde sanguinem, tertiò partes spermaticas molles, tandem cartilagines, & ossa corrumpit.*

Liceat nobis aliquantulùm digredi, & aliqua adducere problemata, quæ ad ulterioris hujus luis notitiam, ejusque caussarum faciunt intelligentiam, &c.

Primum est, cur hæc lues hìc Neapoli, ubi primùm innotuit, ferè adeò sęva, & formidabilis fuerit, ut ferè semper perniciosa, & lethalis extiterit; quàm nunc temporis adeò mitiùs, & amiciùs se gerat, ut nunquam ferè sit perniciosa, & lethalis?

Respondemus primò, id accidisse à corporum, qui inficiebantur, dispositione; cùm enim in castris magna fuerit fames ob annonę caritatem, pravisque cibis se impleverint milites, magnus, pravusque in eorum corporibus fuit apparatus, in quem cùm lues inciderit, in eo majores exercuit vires, tum ob passi dispositionem, tum ob luis agentis activitatem.

Secundò; morbi novitate id accidisse, quia initio vehemens timor, & terror omnes capiebat; in malis, namque contagiosis graviùs afficiuntur, fortiter pertimescentes.

Tertiò, quia initio hujus luis curatio non nota fuit, unde omnes morbi contagiosi magis in eorum initiis sunt sæviores, quàm in declinatione. O terque, quaque miseri, quibus sub horum morborum initio ægrotare contigerit, cùm ferè omnes occubuerint, nam Medici per hominum mortes tentant experimenta, antequam ad alexipharmacum deveniant. Nunc multò mitiùs agit lues, tum quia, quæ inficiuntur corpora non adeò, ut tunc, pravo detinentur apparatu; tum quia lues parvi æstimatur, imò flocci fit; tum etiam quia, & verior ratio est adinventa ejus curatio, nec ampliùs perniciosa, & lethalis existit.

Secundum est, cur quandoque hæc Lues illicò post unicum venereum congressum manifestetur; interdùm post plures concubitus, & maximâ cum difficultate contrahatur, & quandoque diutiùs lateat, ut post hebdomadam, mensem chymicum, & tandem etiam post triginta annos, & ultra, ut refert *Fernelius* de abditis rerum caussis; quo tempore nullum sui exhibeat indicium?

Respondemus id partim fieri ex Lue, partim verò ex corporis constitutione. Ex parte Luis, quando fermentum Venereum est adeò exaltatum, activius, & volatilius, ut activitate suâ, & volatilitate epidermidem penetret, & liquorem alimentitium volatilem exaltet, vel figat, ut in hujus Luis initio evenit. Multoties nos quosdam ægrè curavimus amicos, qui gonorrhœas, caries &c. contraxerunt, non ex membri virilis in uteri vaginam ingressu, sed tantùm ex penis perfrictione circa labia cunni quarundarum puellarum, quia se virgines simulabant, concepto Venereo fermento ex effluviis, quæ ex istarum colluviariis exhalabant. *Eustachius Rudius* se vidisse narrat quasdam meretrices tam volatile, & exaltato veneno Venereo infectas, ut omnes, qui cum iis rem haberent, non solùm illicò obirent, sed gravissimis corriperentur symptomatibus, quæ nulla arte & præsidiis tolli, vel saltim mitigari potuerint, imò nonnulli non multò post suum obierint diem. Tùm ex parte Luis, quando fermentum est magis fixum, quàm volatile, & otiosè penetrat; unde diutissimè delitescit absque sanitatis læsione, non secus ac favillæ sub cineribus, & ejus semen per decennium,

nium, & ultra reconditum manet, ejusque progressus est insensibilis, donec tandem penetrandi vi majori præditum fuerit, magisque subtile, & in vetustatem abierit. Ex parte corporis, quando est optimæ constitutionis, compactum, & densum, crassis exuberans succis, & præcipuè si ictu oculi venereum compleat actum. Hinc prostibulæ non facilè labem concipiunt, quæ membranam uteri vaginam constituentem, lævem, lubricam, & humore oblitam viscido habent ex assiduâ perfricatione, quia immissum semen eodem ferè momento labitur, cum quo simul faciliùs secedit virulenta illa materia, cujus adhæsioni sufficiens non suppetit tempus. Vel ex parte corporis, si pravis scateat succis, si molle, laxum, veluti raræ texturæ sit; si penem longum, glandem laxam, & præcipuè si diù in concubitu moretur Venereo, major inducitur fermenti agitatio, & faciliùs contrahitur Lues.

Tertium problema est, An vir, & mulier non infecti inficere possint?

Respondemus, quòd non ex famigerato illo axiomate: *Nemo dat, quod non habet.* Hoc tamen non obstante, dicimus cùm virum, tum mulierem posse inficere licèt actu non infectos. Hoc facilè intelligetur, si in actualem, & radicalem distinguamus infectionem. Unde non infecti nec actualiter, nec radicaliter sine dubio inficere non possunt; actualiter infectos experientiâ notum est inficere? radicaliter infecti licèt hac non molestentur Lue, continent intra se ejus radicem per actualem Luem jam olim susceptam, non curatam, vel negligenter, quæ non otiosa in corpore latet, sed lentè inficit, donec tandem, superatâ resistentiâ, infectio fiat actualis. Unde accidit quandoque mulieres radicaliter infectas, & absque actuali infectione inficere, & præcipuè tunc cùm menstruas patiuntur purgationes, quia tunc periodicè natura pravorum humorum cum aliquâ Luis portione inquinatorum colluvies per uterum purgant, & facili negotio inficere possunt. Hinc scortatorum vulgus sanguinum contrarietati conceptam refundit labem. Contrà verò quæ nullatenùs Luem passæ fuere, estò menstruorum tempore rem habeant cum viris, nil mali reportant isti nisi virile membrum sanguinolentum, & veluti elixum, vel vibicibus obsignatum ad breve tempus. Accidit etiam quandoque quòd meretrices nullâ prorsùs labe infectæ rem habent cum aliquo Lue Venereâ infecto, coinquinatum in utero excipiunt semen, si postmodùm illicò alteri conjungantur viro, semen illud coinquinatum in secundo concubitu excernunt, à quo secundus scortator inficitur, & ipsæ liberantur; & sanæ permanent. Idem accidere potest in viris, & nos novimus quemdam amicum, qui rem cùm habuisset cum quadam prostibulâ, statim adivit quandam mulierem castam, & connubio sociatam, quam pluries incassùm ad Veneris palæstram sollicitaverat, & paucis suasum compressit, cui virulentam transfudit gonorrhœam à Prostibulâ contractam, & ipse liber extitit; & hanc nos mulierem breviter, & clàm curavimus.

Cap. 4. *De Luis Venereæ Sede.*

HActenùs de Luis essentiâ, nunc de ejus sede inquiramus oportet, in qua statuendâ non una, eademque sententia est, sed ingens sententiarum cumulus, & quot in medicinâ sectæ, tot emergunt sententiæ.

Nonnulli cum *Leoniceno* hanc sedem esse cutem voluerunt, quia hæc non minùs quàm in scabie, lichene, & similibus exulceratur, & inficitur. Sed non semper sola afficitur cutis, verùm & aliæ partes internæ, ut pudenda, fauces, nervi, cartilagines, & ossa, quæ cariosa fiunt, ideòque hæc Lues inter cutaneos non connumeranda est affectus.

Alii hujus subjectum esse caput affirmant, tanquam illud, à quo semen emanare creditur, & quòd frequentiùs ulceribus, acoribus, capillorum defluvio, & dolore Luis vitio tentatur. Verùm id non est perpetuum, sed quandoque accidit; ideòque perperam pro Luis Veneris regiâ caput assignat.

Multi pudenda primariò affici existimarunt, quia in pudendis ex impuro concubitu prima Luis vestigia apparent, quæ nisi suo curentur alexipharmaco, statim affectio invalescit. Sic glans, & preputium cariatur, & exulceratur, caro callosa sepe longo tempore durescit, accedunt gonorrhœę, & bubones in inguinibus tuberant. Sed esto negari non possit à pudendis Luis originem esse, & precipuè sese eò loci prodere, tamen id non est perpetuum, licèt ut plurimùm accidat, sed etiam per oscula, amplexus, sudores, & vestes idem morbus contrahi potest; attamen per amplexus, sudores, & vestes non ita facilè contrahitur Lues, nisi longum post contactum. Imò infantes etiam per Lac, quod à nutrice sugunt, inficiuntur, & qui hoc inficiuntur modo, nil in pudendis apparet. Verùm id experientiâ nos falsum deprehendere fecit, nam moniales Surrentinę cùm ferè omnes formosam infantem ubera infectę nutricis sugentem, deosculatę fuissent, intra quadraginta dierum spatium; alię gonorrhœas, alię caries, pustulas, vel ulcera, & alię bubones in pudoris sinu contraxerunt; & nos multoties Luem in puerorum, & nutricum pudendis ex lactatione contractam curavimus.

Aliqui hujus Luis subjectum partes spermaticas dictas, nervosas, ac membranosas esse crediderunt. Verùm hic morbus non solùm nervosas, & membranosas afficit partes, sed etiam carnosas.

Plerique omnes nostri corporis partes esse Luis subjectum asseverant, cùm nullum membrum peculiare in nostro sit corpore, quod perpetuò in Lue non inficiatur; ideòque nullam partem certò assignare possunt, quę illam determinatè recipiat, & subjectet. Hoc illam deprehendimus, ut infrà suo modo dicemus, cùm nunc illam afficiat partem.

Hercules Saxonia triplex huic malo assignat subjectum, aliud in principio, scilicet dum recens est, pro subjecto ei spiritum naturalem seu partem massæ sanguineæ vaporosam, & deindè succos excrementitios, & tandem alimentitios. In medio, scilicet cùm progreditur, succos adustos, & ex partibus ventriculum, & hepar affici, atque hinc chylosim, & hæmatosin lædi. In inveterato affectu subjectum fore subdit succos pituitosos, crassos, & seminales particulas, ossa scilicet, nervos, & membranosa corpora. Verùm *Saxonia* cespitat in Luis assignando subjecto; sive enim Lues recens sit, sive antiqua, idem subjectum habere debet, & non migrare de subjecto in subjectum. Præterquam quod istum chylum nunquam natura cognovit à parte rei, nisi in medentium phantasiis, ut rationibus, & experimentis in nostrâ *Trutinâ Medicâ lib.* 4. *cap. De Ventriculi actione* fusiùs probavimus. Nec hepar est sanguinis officina, ut hactenùs creditum est, sed tantùm viscus, per quod sanguis transcolatur venalis.

Omnes nostri barbati, scilicet *Galenistæ*, nemine discrepante, sanxerunt hanc Luem hepari figere sedem, his suasi ineptiis: Lues hæc est affectio diuturna nimis, imò ibi fixerit radices, ferè nunquam evulsas vidimus illas; ideòque necesse est perennem in aliquo viscere habere fomitem, cujus maleficio tam pertinaciter perseveret. Præterea universum compati, & condolere corpus in hac Lue videtur, dum nulla extat pars, quæ ejus infectionem non persentiat: necessum igitur est aliquam statuere partem, qua dum cœterę noxium recipiunt succum inficiantur, & in infectione conserventur, alioquin

quin, deficiente hoc assiduo accursu, difficile non esset priorem receptum succum dissipari, & evinci, eoque magis quòd aliqua per intervalla fœdus initium videtur, dum per aliqua temporis interstitia feriata, tanti hostis arma observantur; sed quia postmodum nova accurrit materia similiter infecta, hinc affectionis perennitas oritur: aptior pars ad hujusmodi perennitatem fovendam excogitari non potest, quàm hepar, cujus actio toti corpori necessaria est, cùm partes omnes nutritione indigeant, & hepate, à quo sanguificatio pendet: hoc igitur viscere malè constituto, depraveteque operante noxæ, & læsiones, quæ in hac Lue accidere solent, sunt hepatis, & functionum ejus, ac naturalis facultatis, quæ in ipso resident. Hujusmodi sunt vitiosa nutritio, per quam corpus pravè, & vitiosè nutritur ob excrementorum copiam quæ ex hoc proveniunt: hoc totum incidat floridus faciei color defloratus, excrementorum in corpore congeries, sanguineæ massæ conspurcatio, coctionum læsiones, corporis emaciatio, pilorum casus, pustularum, aut ulcerum proventus, ossium adesiones, variaque tuberculorum genera. Concludunt tandem Luem hanc specificam habere inimicitiam cum hepate, & per unum contrahi membrum, ejus tamen fontem, seu primariam sedem esse hepar, illudque primariò à virulentâ infestari Lue, & per id reliquas partes hanc contrahere Luem.

Ab *Aristotelis* ævo ad *Galeni* usque sæculum hepar viscus abjectum, inutile corporis pondus, ignavum parenchyma nullius usus, nullius functionis vixit, per accidens tamen corpori necessarium. At suo sæculo, dùm medicinam faciebat *Galenus*, abjecti hepatis partes fovere cœpit, & græcalicâ loquacitate absolutum in animantis republicâ dominium illi tribuit, ad thronum evexit, illudque omnium partium corporis Monarcham constituit, ipsum vitæ œconomiæ præfecit, & reliquarum in corpore partium famulatum dicavit. Ab eo ventriculum calorem, intestina fotum, cor, & arterias sanguinem, cerebrum materiam pro spiritibus animalibus creandis, generationis organa materiam pro Semine, universumque corpus sanguinem pro nutrimento mendicare sancivit, unde credula, & inepta Medicorum posteritas hepati plaudere cœpit. Sed parvo quodam venarum lactearum phœnomene à *Pecqueto* propalato per sacculum lacteum, deinde per Lacteas thoracicas chylum in subclavias ascendere, ac demum in dexterum cordis ventriculum, hepar suspectum esse, & acceptum per tot sæcula imperium quod usurpaverat, amittere cœpit, & fatali quoque necessitate hoc nostro sæculo *Galeni* authoritas cùm declinare cœpisset, ejus quoque sectatores declinare cœperunt, & ferè omnes medentes resipiscere, & vertere terga *Galeno*, solùm pauci remansere barbati hirco obstinatiores, sed præter hos, quod maximè in republicâ medicâ dolendum, *Salernitanum Collegium* ceu *Galeni procurator per epistolam* illius tuetur caussam medicinæ tyrones cogendo, antequam diplomate impunè necandi insigniantur, ut jurent in verba *Galeni*, esto collegium sit *Hippocraticum*. Adeò *Galeni*, præjudicio allegati hepar morborum omnium patronum tutantur, ut quemlibet sive magnum, sive parvum morbum hepatis tantùm culpâ fieri, vel caussari communiter arbitrentur, & nil corporibus accidit, quod despoticâ non patretur hepatis lege, quod adeò verum est, ut Veneream Luem, quæ ab externo in corporibus creatur contagio, in insonte hepate suam habere sedem unico consensu insinuetur. O bella Medicina, quæ ita quemlibet agasonem unâ horâ reddere Medicum potest, ut inter proceres *Galenistas* assideas! Sed ad *Galenistarum* hepar noster redeat sermo.

Hepar in Lue Venereâ primariò affici falsum esse probatur primò. Qui per impurum congressum statim primò pudendorum cariem, pustulam, ulcus, gonorrhœam &c. contrahunt, certè nemo negabit Lue affectos esse Venereâ, & tamen in his hepar nondum laborat, cùm luis initia sint. Eadem ratio procedit in iis, qui per osculum ex. c. hanc luem ab initio contrahunt, vel in faucibus citra hepatis infectionem. Secundò, Curatur nullâ hepatis habitâ ratione, imò brevi temporis spatio, adhibito medicamento, quod luem extinguit, quod sequi non posset, si communicata hepati labes esset, necessariò namque in ejus gratiam plurima, & valida adhibenda essent medicamenta, quemadmodum facimus in reliquis affectionibus tale viscus affligentibus. Tertiò, Nulla malè affecti hepatis indicia post contractam luem apparent, cùm diu, multùmque perseveret floridus faciei color, facies namque (inquiunt) est hepatis probatissimum speculum, & index: quare si illud semper in hac afficeretur lue, semper etiam faciei color immutaretur, quod falsum deprehendimus; observavimus enim plures viros, pluresque mulieres hac labe infectos floridum faciei habere colorem, quod evidens signum est bonæ hepatis dispositionis, eique nullo modo labem fuisse communicatam. Quartò, Quando impurus exercetur concubitus, quærimus, quomodò à pudendis non primò infectis lues deferatur ad hepar, & ab hepate ad has remeet partes? Quomodò ad hepar deferatur, absque eò quòd in itinere non inficiat partes? Quis fidus ductor, & remeator? Quâ semitâ id facit? Credunt forsan luem ventris crepitui non absimilem esse, qui calcaneum collimat, & nasum ferit; ita collimare ad pudenda, & hepar afficere.

Aliqui barbati nasutiores hujus sententiæ ineptias meditantes, ut hos effugerent scopulos, luem in duplicem statum discriminarunt, unam incipientem, cui nullam certam consignârunt sedem, quæ illam determinatè subjectet; alteram confirmatam, quam in hepate radicatam constituerunt. Sed perperam distinguunt luem, nam confirmata non tantùm hepar, verùm & omnes in humano corpore partes inficere potest, quod barbitonsores etiam sciunt.

Hermetici tandem luis sedem, & portitorem spiritum naturalem esse volunt, præcipuè illum, qui in sanguinis massâ consistit, infici, & inquinari à spiritibus venenatis ex alio sanguine infectis similiter exeuntibus. Verùm hæc sententia *Hermeticos* fallit, nam ut docuimus in nostrâ *Trutinâ Medicâ*, præter spiritum vitalem non datur alius in corpore nostro spiritus. Præterea iste spiritus naturalis nil aliud est, nisi massæ sanguineæ vapor, qui à sanguine non differt, sicut aquæ vapor ab aqua non differt. Verùm *Hermeticorum* sententia nec pilo quidem differentior est à *Galenistarum* placito; nam isti etiam volunt Luis caussam esse venenum sanguinem depopulans, & jecur primariam offendens sedem.

Pro nostrâ sententiâ de Luis Venereæ Sede præmittimus, quòd Lues nunquam partibus corporis perfectâ cute obductis communicatur; nam si quis digitum in vulvam lue contaminatam immitteret, utique digitus Luem non contraheret. Præterquam quòd Chirurgi, & barbitonsores infectorum curationi vacantes, caries, ulcera, bubones &c. non semper Volsellâ, sed utplurimùm manibus tractant, quas frequenter virulentâ conspurcant sanie, & tamen omnes infectionis sunt immunes, ut quique in incurabilium Xenodochio observare potest, ubi horum infectorum ingens jacet numerus. Hinc colligimus multò minùs credendum esse, ex vestium, cubilium, linteorum, indusiorum &c. usu hanc contrahi Luem. Deridendus itaque est *Fallopius*, qui refert quendam Venereâ correptum fuisse

Lue,

Lue quia eaſdem adhibuerat caligas, quibus utebatur tempore, quo Lue laborabat. Et idem quandam caſtam irridet Matronam, quæ ex aquæ Luſtralis aſperſione ſe hanc Luem contraxiſſe affirmabat. Solent quandoque bonæ notæ Medici ſimulare, & credere videntur tali pacto contractam fuiſſe Luem, ne ægrorum famæ detrahant: Ita aſſeruit *Averroës* quandam mulierem concepiſſe, quia ſemen exceperat in balneo antecedenter emiſſum, & reverà eodem in loco ſemen exceperat ſed more conſueto. Sed ſub ſilentio hîc non involvendum, quod cuidam pulcherrimæ mulieri in Urbe accidit: erat huic conjux mercator, qui mercimonii causâ per octennium ab Urbe abfuit, tandem domum reverſus, puerum in aulâ ludentem invenit, de quo quęrenti, quiſnam eſſet puer ille? reſpondit uxor, non cognoſcis? Hic eſt filius tuus. Interroganti quot habebat annos? Sex inquit: Mirabatur, & ſecum obſtupebat, poſt octo annorum abſentiam reperiſſe filium. Quęrenti, quo modo id accidere potuiſſet. Reſpondit uxor: Care conjux, quadam nocte per ſomnium mihi videbatur inter tuos amplexus, & oſcula manere, teque mecum Veneris fœdus inire, ac illis conjugii deliciis concepi, & hunc quem vides, tuum peperi filium. At vir blandis uxoris dictis non acquievit, ſed multa ſecùm volutans, tandem plurium Medicorum conſilium convocavit ad inquirendum, an mulier per ſomnium ſine marę concipere poſſet? Mulieris famæ proſpicientes Medici, utique id caſu accidere poſſe jurejurando reſponderunt, hos enim pecuniâ corruperat, qui illam compreſſerat: Multa ad id confirmandum adduxerunt, mulierem ſine viri concubitu concipere poſſe, quia habet teſtes, in quibus prolificum gignitur ſemen, vim activam continet, uterum, & pro alendo fœtu materiam habet: Itaque dari poteſt caſus fœminam per ſomnium concipere poſſe. Inſuper equæ per equorum hinnitum ad diſtans ſine equorum coitu impraegnari poſſunt, ut multæ extant hiſtoriæ, quia ſpiritus equini deferri poſſunt ad equæ vulvam, poſtulante, & attrahente vulvâ, ibique equæ ſemen informare, & equum producere perfectum abſque equi ſemine: itaque afferre poteſt caſus, ut mulier per ſomnium etiam concipiat. Prætereà admirandi ſunt fortis imaginationis affectus; imaginatio namque humores, & ſpiritus movet, corpus alterat, morbos parit, eoſdemque curat, & peſtem inducit. Matris imaginatio fœtum afficit, & mutat, ac fœtui notas imprimit: quidni dari poteſt caſus per fortem ideam, ſeu imaginationem, ut mulier per ſomnium abſque viro concipiat & pariat? Has rationes multaque exempla adduxerunt medentes, & tandem communi ſtatuerunt ſententiâ caſum id efficere potuiſſe. At conjux his argumentis non contentus, neque perſuaſus, quia prudens erat, multa volutans animo, tandem inquit: Ego neſcio, an id efficere potuerit caſus cum literâ S. an cum Z.

Item in congreſſibus Lue Venereâ pollutis puſtulæ, caries, ulcera, verrucæ, &c. nunquam in extimâ penis cute pullulant: eſto in coitu totus cum cute penis ultrò, citroque ingrediatur, & egrediatur, ſed in glande, & in parte præputii internâ, ac circa coronam efflorefcunt: & ratio eſt, quia non ſufficit, ut virulentus halitus viventis carnem attingat, ut illam polluat, ſed requiritur, ut ſpiritus illius carnis ſenſitivus halitus virulentiam ſentiat, quod in partibus, quas tenuiſſima cooperit epidermis, accidit ſtatim, in cute verò nunquam, aut poſt longam applicationem. Hinc deducimus Luem tantùm inficere partes cute carentes, ita anus, vulva: glans cum parte præputii internâ, os, lingua, fauces, aut adjacentes particulæ. Unde per oſcula hæc Lues facilè contrahitur, ex his, qui os, gingivas, labia, linguam, vel fauces Lue exulceratas habent, quia ſanies, pus, halitus, ſive effluvium, quod inde emanat ſuâ acredine harum partium epidermidem intra os contentarum penetrat, & inficit. Eodem modo per lactis ſuctionem inficiuntur infantuli, quoties nutrices lue contaminatæ fuerint, vel viciſſim infantuli contaminati nutricum papillas, inde totum inficiunt. Imò pocula, cochlearia, ac communis omnium inſtrumentorum uſus in cibo, & potu, quibus uſi fuerint, qui os, aut adjacentes particulas ex Lue habent exulceratas, imbuta ſordibus, aut ſanie indè emanantibus inficiunt. Vitet quiſque cane pejus, & angue venereum virus, nec cum infectis cibum, potumve ſumat, non ſecus ac fit cum iis, qui leprâ laborant. Pari ratione in podice, vel vulvâ inficiuntur, alvum ſtatim excernentes in eodem loco ubi plurima ſanies virulenta ab ęgro venerea ulcera in podice patiente, depoſita eſt.

Dicimus immediatum Luis ſubjectum eſſe ſpiritum ſenſitivum ſub tenuiſſimâ epidermide latentem, qui virulentorum halituum ideis imbutus, ſuam ſubvertit œconomiam, & proximum depravat nutrimentum, ſubjectum verò mediatum præter nutrimentum, quod luis portitor eſt, ſunt ſanguis, partes ſpermaticæ, molles, cartilagines, & oſſa prout nunc ad unam, vel plures, nunc ad alias deflectit particulas.

Cap. 5. *De Luis Venereæ ſignis.*

Diagnoſtica ſigna hæc Lues nulla habet certa, demonſtrativa, & inſeparabilia, verùm omnia ſunt incerta, & fallacia, & licèt quamplurima ab authoribus proponantur, aliis ſint communia morbis, & contingentia eſſe poſſunt, ita ut non facilè per certa ſigna Lues dignoſci poſſit. Non morbus unus Lues eſt, ſed vagatur per quamplurima morborum genera, eſt veluti Syndrome, & Lerna malorum.

Primò Luis ſtatus diligenter perpendendus eſt, qui quidem alius in Lue incipiens eſt, alius adauctus, & alius inveteratus. Luem adultam cognoſcere non multùm operoſum eſt, verùm dum adhuc latet, & in primâ herbâ, eſt, eam cognoſcere hoc opus, hic labor eſt. Ut enim herbæ, & arbores jam adultæ vulgò etiam notæ ſunt, in primo verò germine, eas cognoſcere non niſi optimi botanici eſt, ita etiam Lues hæc dum variis morbis, & ſymptomatibus ſe ſe patefacit, lippis atque tonſoribus patet, dum in obſcuro latet, non niſi à peritis deprehenditur Medicis; ideòque ex his pluribus ſignis illam colligemus, pręter ea, quæ in particulari adducentur.

Ordinariam infectionem ex actionibus læſis; & accidentium ſpeciebus ut plurimùm venamur, inter actiones læſas triſtitia, & mœſtitia pręter rationem poſt concubitum recenſentur, unde qui anteà erant hilares, & jocoſi, ſi à coitu præter rationem mæſti, & taciturni fiant, potiſſimam hujus luis exhibent conjecturam, & tamen *omne animal poſt coitum mœret*. Sic ſpontaneæ laſſitudines poſt Veneris palæſtram idem denunciant, ob ſpiritûs ſenſitivi coinquinationem. Unde hac de cauſâ ad motum ſegnes, fiunt, & toto corpore graviores.

Primùm circa obſcena loca, ſeu pudenda in utroque ſexu incipit ex concubitu cum viro, vel muliere infectâ, cùm hoc modo lues diffuſa fuerit, ac his noſtris temporibus omnes mulieres meritorias infectas eſſe experientiâ conſtat, imò, quod pejus eſt, obſervantur in dies uxoratæ graviori inficere Lue, quæ quadam ſimulatâ caſtitate, tot *Penelopes* creduntur, unde incauti juvenes facilè inficiuntur, & quod peſſimum eſt virgines,

nes, absque eò quod castitas lædatur, & honor tangatur, aggreditur hæc lues, unde virgines: & lue conspurcatæ inficiunt. Itaque in omni mulierum genere difficilimum est reperire pudicam, ita canit *Juvenalis satirâ 6.*

Rara avis in terris, nigroque simillima cygno.

Et hac occasione quidam poëta in maritos invectus, ita cecinit:

Uxorem qui nescit mœcham, in vertice cornu
Unum habet: Ille potest qui simulare duo.
Qui videt, & patitur, tria portat: quatuor ille,
Qui ducit nitidos ad sua tecta procos.
Qui nullo istorum se credit in ordine poni:
Credit is & uxori, cornua quinque gerit.

Post Veneris usum si in pudendis, & præcipuè circa præputium, coronam, vel glandem usculcula appareant, certissimum contactæ luis indicium, & licèt quandoque à multâ perfricatione, & loculorum muliebrium angustiâ possint excoriari, sive exulcerari pudenda, si nullum adsit contagium, estò evenerit sanies, vulgaribus facilè cedet medicamentis.

Quandoque in pudendis vesiculæ crystallinę, caries vel pustulę pruriginosę grani milii similitudine apparent, vel totam circumdant coronam, quæ postquam rumpuntur, ulcera alba relinquunt, quæ pedetentim profunda, callosa, & dolorosa fiunt. Interdum gonorrhœa sanioso prorumpit fluxu, vel in inguinibus bubones apparere incipiunt. Si malum augeatur, floridus faciei color coinquinari incipit ex turbatâ coctione & vitiatâ sanguificatione, unde sub oculis circulus lividus paret, qualis in mulieribus menstruatis apparere solet.

Solent ulcera à pudendis quandoque ad alias serpere partes, nempe ad pubem, inguina, femora, brachia, manus, faciem, collum, capitis cutem, & universum corporis habitum, vel circa oris angulos. Ubi lues per compotationem, vel oscula aut lactationem contracta fuerit, tunc in ore, & partibus adjacentibus apparere incipiunt excoriationes, & ulcera, quę etiam in infantibus, si à parentibus sanis orti sint, fiunt, ubi à nutrice infectâ lac sumpserint, vel ab infantibus infectis nutricum papillæ, & partes circumjacentes exulcerantur, quæ vulgaribus non curantùr medicamentis, & inde ad pudenda fit luis diffusio. Si parentes hoc morbo laborarent, vel laborarint, & in infante quædam se offerant signa, quæ Luem arguant Veneream, vix dubitandi locus superest. Vel serpendo, gingivas, fauces, palatum, tonsillas, columellam, & narium pinnas exedunt, tunc loquelam vitiant; unde vox rauca, vel sibiloia, & omni sonoritate destituta, vel per nares clangosa.

Invadit interdum capillorum, pilorumque radices, eosque excidere facit à capite, superciliis, mento, cunctisque locis pilosis. Manuum ungues ut plurimùm finduntur vel planè decidunt. Manuum volæ, pedumque plantæ in rimas, & rhagades dehiscunt. Sic si in obscœnis partibus excrescentiæ, ut verrucę, mariscæ, thymi, mora, condylomata, cristę, aut in ano conspiciantur.

Certissima hujus luis indicia sunt dolores non in articulis, sed in eâ regione, quæ medio ossium est, & prope articulos, ut anteriore tibiarum parte, cruribus, brachiis, & scapulis, & capite, qui intensissimi, & accerbissimi sunt, ac circa vesperam exacerbantur, noctu ingravescunt, & sunt diuturni.

Hujus morbi soboles sunt gummata, & tumores duri, qui in ossium locis pullulant, dolore divexantes nocturno, à quibus ossa dilatantur, & non rarò exeduntur, vel cariantur, sanâ existente cute, & hoc sæpissimè accidit in cranio. Accidunt tandem tabes, febres hecticæ, cachexię, dentium casus, surditates, cœcitates &c.

Addimus & nos prędictis signis esse veluti hujus luis proprium signum, affectuum contumaciam in affligendo, & rebellionem, in desistendo; Nam nullus affectus est tam contumax, & rebellis, ut Venerea lues: Si quoties vulgaribus non cedat remediis, nec remittatur, sed crudeliùs vel denuò exacerbetur, de latente hujus luis naturâ meritò est suspicandum.

Cap. 6. *De Luis Venereæ Præsagiis.*

Venerea Lues cùm primò grassari cœpit, multùm ferox extitit, multasque hominum myriades jugulavit, at nostris temporibus aut neminem, aut paucissimos interemit, postquàm Veneris corruptę Mercurius vindex innotuit. Solet quandoque hæc lues fœdus inire, & planè extincta interdum, & veluti hydra videri, & tamen post plures, ut triginta, vel quadraginta annos, & ultra, eam nonnunquam sævissimis doloribus, pertinacibus gummatibus, ossium adesionibus, tabe, cœterisque symptomatibus, quasi clam corpus invadere observavimus, quia pustula, caries, ulcus, gonorrhœa, & bubo non alexipharmacis, sed vulgaribus curata fuêre præsidiis. Est hæc lues veluti parva favilla, quæ nisi optimè, & totaliter extinguatur, maximum parit incendium.

Faciliùs curatur hęc lues recens, quàm inveterata, quia hæc continentes, illa contentas contaminavit particulas. Qui aliàs hanc passi fuerunt luem, & denuò eandem contrahunt, majori curantur difficultate, quia fortiùs in iis imprimitur lues. Quoad anni tempora hæc lues faciliùs æstate, quàm hyeme curatur. Ulcera in pene recentia non tam ægrè curantur, quàm in vulvâ, vel in, & circa podicem, quia hic locus est excrementis dicatus, & medicamenta non satis commodè applicari possunt. Si nasi ossa sint adesa, & simul lenta adsit febris, difficilis curationis malum denotat, cum cerebro, vel ejus membranis sit impertitum. Vertigines, epilepsiæ, surditates, & cęcitates, gravissimæ, & pertinaces sunt; indicant enim Veneream luem cerebrum obsidere. Faciliùs curatur hęc lues, quę per Veneris congressum contracta est, quàm quæ alio modo, qui per præposteram Venerem contrahunt luem, difficiliùs curantur. Sic quoque difficillima, & ferè insanabilis erit lues contracta sanguinis, & seminis vitio ex primâ generatione, aut lactatione; hujusmodi namque occasiones connutritam reddunt luem, ac radicatam in partibus nutritis, aut solidioribus genitis ex principio, aut alimento coinquinato. Quò plures graviores morbi, & symptomata lui Venereæ copulantur, eò magis ægri periclitantur; quò pauciores, & leviores, minùs. Quapropter ii in primis pereunt quibus lui Venereæ febres putridę dictæ, & malignæ associantur; virulentia enim Venerea non tantùm alimentum corrumpit, malignitatem adauget, & febrem reddit graviorem, verùm etiam innatum debilitat calorem, unde nec febris, nec morbus ille malignus à natura superari potest. Parem infert difficultatem habitualis febris juncta lui; hæc enim paulatim partes omnes consumit, & tandem erit immedicabilis propter contrarias coincidentes indicationes, quibus simul satisfacere nimis arduum est, unde ægroti necessariò moriuntur. Ex læsâ ventriculi coctione pertinaces oriuntur obstructiones, & ex læsâ sanguificatione hydrops lethalis. Sed fusiùs in prognosi particulari.

Hîc unum pro coronide notandum est, quòd nunquam natura pro luis curatione crisim moliri visa fuit, nec critici supputandi, vel expectandi sunt dies; imò nec

nec ſanctorum preces valent, ut aliis ſuffragio ſolent morbis, nec unquam votivas tabellas de more ſuſpenſas vidimus pro hoc curato morbo, cùm in ſcortatorum flagellum immiſſus, uideatur, ut criminis luant pœnas.

Tandem ad infectorum ſolatium non tacendum cenſemus, quòd hæc lues nullius infamiæ, nulliuſque opprobrii notas infectis inurit, & hoc eſt maximum almæ Veneris privilegium, aliter totum humanum genus ignominioſum eſſet, cùm non tantùm hæc dira lues conjuges, viduas, juvenes, & ſenes inficiat, & quotquot in Veneris caſtris militant, ſed etiam nec uxorum pudicitiæ, nec virginum caſtitati, nec infantum innocentiæ parcat.

DE LUE VENEREA.

Liber Tertius.

De Curatione ſpecierum Luis Venereæ.

EX iis, quæ ſuprà diximus, jam conſtat, quòd Lues Venerea primò ultimum partium nutrimentum corrumpit, ſecundò ſanguinem, tertiò partes ſpermaticas duras, ac quælibet dictarum corporis partium, dum morbi virulentiâ imbuitur, ſuos producit in corpore effectus pro ſui proprietate. Quippè pollutum ab hoc morbo nutrimentum producit gonorrhæas virulentas, puſtulas, caries, ulcera, bubones veros, vel ſpurios, ſcabiem per univerſum corpus, alopecias, caloris depravationes per totum corporis habitum. Si deinde à nutrimento fermentum in ſanguinem diffundatur, tunc in promptu erunt capitis dolores, in perioſtiis dolores, in artubus noctù crudeliter cruciantes, qui deinde in gummata, & nodos abeunt: maciem poſteà inducit, ſive maraſmum Venereum, vel faciliter cachexiam univerſalem, & hydropem. Quartò, ſi ubi ſanguis contaminatus dolores, & gummata excitat, continentes partes, uti ſunt venæ, arteriæ, nervi, membranæ, & cartilagines, inficit, tunc in promptu erunt ulcera cavernoſa, & profunda, gangrænæ, membrorum ſtupores, paralyſes, contracturæ, ulcera corroſiva, in linguâ, faucibus, uvulâ, larynge, naribus, tinnitus aurium, & capitis dolores fixi, & profundi: Quintò, ſi ſpermaticis mollibus virus in oſſa, quibus adhærent; imprimatur caries oſſium, gangrænæ oſſium, palati foramina, naſi putredo, dentium corruptio, & cranii mortificatio uſque in cerebrum evenient. Verùm enimverò licèt, ab uno, eodemque ſemine tot fructus in viventes pullulent, unam tandem, eandemque curationem non admittunt; diverſificatur enim illa tam ratione partis, quàm ratione modi, quo pars à morbi virulentia læditur; itaque ſigillatim uniuſcujuſque ex enumeratis affectibus trademus nomen, & quid per nomen intelligatur, ejus ſigna, cauſſas, prognoſim, curationem, verùm de noſtro more, perpetuò vulgarium cauſſas, & curationes trutinabimus, eaſque ſemper repudiantes: Unum tamen hìc notandum, quòd Lues Venerea neque gradùs neque ſpecies mutat. Sed ſemper in uno gradu acquiſitę ſuę activitatis perſiſtit, horribilior, & vehementior tamen devenit, vel ratione partis lęſæ, vel materiæ quantitate ab ejus virulentiâ corruptę.

Cap. I. *Vulgarium præſidia in examen adducuntur.*

ANtequàm affectuum à Lue Venereâ pullulantium curationem exordiamur, operæ prętium duximus juxta noſtram Trutinam vulgarium pręſidia in iſto curando morbo examini ſubjicere, ut eorum indicationes, & curationes potiùs ludamus ineptas, quàm inde aliquid boni eruamus. Luem nullatenus iſti curare poterunt, cùm juxta eorum principia ex occultarum ægritudinum numero eſſe fateantur, quarum natura eſt illis intrinſecè abſcondita, & hinc occultos morbos non ſolùm ignorantiam in theoriâ, ſed & errores in praxi parere certum eſt; nam methodus, quę per indicationes à rei naturâ deſumptas procedit, morbi naturam, qui curandus aſſumitur, cognitam, & manifeſtam ſupponit, cujuſmodi apud ipſos non eſt lues. Ita fatetur *Gal. 3. meth. c. 16. Eorum quæ ſunt nobis incognita, vera methodus haberi nequit.* Curant vulgares morbum ignotum in cauſâ, & in effectu cognitum à poſteriori, & per experimenta; omnia enim remedia per experientiam inventa fuiſſe credunt, & *Sennertus*, *Fallopius*, cœterique hujus farinæ vulgares docent, niſi *Hiſpani*, qui primi hanc ab Indis attulêre luem unà ſimul remedia etiam non aſportaſſent, lignum nempe guajacum, ſalſaparillam, chinæ radicem, & *Jacobus Carpus* vel caſu, vel analogiſmo ductus curationem per hydrargyrum non inveniſſet, uſque modò vera hujus mali curatio lateret, & medicamenta occultâ qualitate agentia ignorarentur: hujuſmodi igitur remedia per experimenta inventa, & non per indicationes curativas noſtros barbatos Empiricos reddunt, præclaroſque doctores nihilo à tonſoribus diſſimiles.

Tria ſunt vulgarium præſidia pro lue curandâ, primum eſt phlebotomia, ſecundum purgatio, tertium ſunt ligna & radices. Verùm phlebotomia & medicamentum purgans ſunt veluti duæ firmiſſimæ columnæ, quibus tota vulgarium medicina nititur, has cunctis adhibent morbis, quibus remotis, tota quanta eſt, ruit. Perpetuò eorum medicina in ſanguinem, & ſtercus terminatur, non mirum, ſunt de hirudinum, & ſcarabeorum genere. Sunt vulgares Agyrtarum inſtar, qui oleum, vel emplaſtrum nacti, illud ad omnes prorsùs efferunt morbos, atque alios inſuper quampluri-mos valere.

De Phlebotomiâ.

Rixantur, & digladiantur *Vulgares*, an ſanguinis miſſio locum habeat in hoc affectu; & ferè omnes plenâ aulâ, paribuſque votis eam probant, credentes ſanguine miſſo non minùs pravos educi humores, quàm infecto hepati magnum præſtari beneficium. Præthereà eam admittunt, ut ſanguinis copia minuatur, & fervor in hepate compeſcatur, præcipuè ſi ex eo febris oriatur. Inſuper, ſi ſanguis nimiùm calidus ſit, & habitus plethoricus, quia propria luis remedia calida, & ſicca eſſe debent, quæ tutò adminiſtrari non poſſunt, niſi ſanguis priùs diminutus ſit, ratione cujus major evadat luis fomes, & excrementorum copia augeatur.

Locus ſanguinem deplendi eſt: Si virulentia nullum peculiarem ad aliquam partem motum habeat, *Fallopius*, *Sennertus*, & alii ex cubito ſanguinem mittunt, ex venâ ſcilicet internâ, ſeu baſilicâ ob hepatis rectitudinem; Si verò ad partem aliquam peculiariter habeat motum, & quidem ad inguina, ſi deliteſcens bubo, aut ſuppurationi reluctans, vel gonorrhœa recens ſuppreſſa, aut parcè fluens, in partibus inferioribus venam tundunt: ita enim virulentia verſus inferiora trahitur, & propter calidi ſanguinis affluxum poſteà bubo faciliùs ſuppuratur, & gonorrhæa refluit. Eodem modo ſi caries, ulcus &c. in pudendis adſit, in pedibus venam aperiunt. Itaque ſi infra hepar partes laborent, ex inferioribus venis ſanguinem educere congruum erit; Si ſupra hepar, ſcilicet ad caput virulentia ruat, & ibi vehementiſſimos excitet dolores, prava ulcera, capillorum defluvium, in brachio cephalicam aperiunt.

Hirun-

Hirudines podicis venis non rarò in lue locum habere credunt, scilicet dum vires debiliores venæ sectionem sustinere non possunt, vel dum sanguis crassus, & fæculentus plus justo in corpore redundat, aut dum ejus suppressa, vel saltem imminuta est evacuatio, aut cùm è propinquo hepar, & naturalia viscera evacuare & expurgare intendunt.

Cucurbitulis etiam utuntur, dum ad inguina attrahere volunt, ut cùm bubones, postquam apparuerint, non crescunt vel delitescunt. Item cùm ad partes cutaneas evocare intendunt.

Sed errant vulgares sanguinarii, sanguinem mittentes, quia vitium in sanguine excitatum à lue, non est ejus conditionis, ut phlebotomiâ emendari, & corrigi possit, nam quantumvis sanguinem detrahas, ille, qui remanet, est ejusdem energiæ, ac qui missus fuit, cùm non sit in quanto, sed in quali venenoso, quod antidotis expurgari debet, & sanguinem educi non indicat virulenta lues, nec est appropriatum præsidium, cùm ei tantùm alexipharmaca adversentur. Imò phlebotomia multùm nocere potest, quia vires, & calorem minuit, cùm noster calor à sanguine excitetur, virulentiam adauget, refrigerat, & refrigeratæ partes minùs veneno resistunt, imbecillæ vires concoquere non possunt, unde continuus excrementorum proventus cumulatur, nec tam citò restituuntur ii, quibus sanguis detractus fuit. Quare propter aliena pericula cauti ægri nullum aliud reformidant præsidium, quàm phlebotomiam. Testes sint ejulatus, planctus, & clamores tot in hac urbe infectorum, qui vulgarium sanguificinam tolerarunt, *Clamitat de terrâ ad cœlum sanguis in lue eductus, & suam habet vocem, sicut clamavit in Abel.*

In lue correpto sine noxâ è pedibus sanguinem extrahi credunt, ac si sanguis è pedibus extractus non esset ejusdem conditionis, ac ille, qui è brachiis extrahitur, ac elimininatus à toto, & in pedibus depositus, ac si extra vitæ œconomiam stagnaret, & *Harvejano* non repararetur motu. Crudele barbatorum subterfugium, quia ipsi crudeles.

Hirudines venis sedis locum habere credunt, & præsertim, si vires ita debiles sint, ut phlebotomiam ferre non possint; vel dum sanguis crassus, & fæculentus plus justò in corpore abundet; vel dum suppressa est aliqua evacuatio. Verùm toto cœlo errant, credentes sanguinem è venis eductum hæmorrhoidalibus non debilitare id facilè videre est in iis qui hisce obnoxii sunt evacuationibus, qui magis ab hac, quàm ab omni aliâ debilitantur. Observate, quæso, & comparate eos, qui hæmorrhagiam ex aliquâ corporis parte patiuntur, & videbitis eadem sanguinis copiâ exhaustâ, magis debiles apparere subditos infernæ evacuationi. Ridiculum est; cùm imaginentur sanguinem crassum, & fæculentum excerni; nam talis apparet ex stricto orificio, ex quo guttatim exit: quapropter statim coagulatur, dum educitur, cùm fit orificium strictum, quod facilè quisque observare potest etiam in brachio ex angusto foramine. Ex orificio autem stricto nulla aquosa sanguinis pars, sed crassior, in qua volatiliores partes conduntur, & consequenter melior, & utilior sanguinis pars excernitur, serosâ exclusâ. Imò venæ hæmorrhoïdales extimæ non ex splene, ut volunt, sanguinem recipiunt, sed ad ipsum reportant, quem hauriunt ab arteriis, & quia proximè illum exhauriunt, ideò sanguis est florentissimus. Id, quod ex suppressâ aliquâ evacuatione hæmorrhoides tundere dicunt, vanidum arbitramur, nam non semper ars imirari potest, quod naturà facit: non enim semper scit Medicus, an natura id facere debeat, & non possit, ut ille suppleat. Evacuat natura sanguinem aliquando per inferiores partes, sed quandoque id non rectè facit, & quandoque rectè ut quod in venis fluctuat excrementitium, evacuet: sed quomodò scit Medicus excrementitium hoc in venis fluctuare, & qua arte assequi datur partem, ex qua natura excrementum vacuare intendit, nam licet circuletur sanguis, & excrementum fluctuet, nec semper cum toto circulatur sanguine per totum corpus, & interdum misso sanguine ex parte ab excremento distanti, minuitur sanguinis motus, & excrementum vel in vasorum parietibus remanet, vel in illis, per quas ex uno vase in aliud transit sanguis. Isti Medici sanguinarii sunt publici grassatores, urbani Sicarii, horrendi lictores, spurci carnifices, crudele, & exitiandum hominum genus, sunt tandem ministri, scilicet divinæ ultionis executores, sanguinem ebibunt, & peccatis vescuntur populorum, ita habetur *Ecclesiast. cap.* 38. *num.* 15. *Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus Medici.* Sunt morbi Dei flagella propter peccata, ideòque impunè, proprioque genio fortunas hominumque vitam negotiantur, dum incerta, & periculo plena audent tentare remedia: saltem sanguinis eductionem tanquam maledictam rejiciant, & à remediorum censu eliminent.

De Purgatione.

Purgatio per pharmaca cathartica multùm in lue locum habet, corpus enim cacochymum, & vitiosos exturbat humores, ejusque antidotis meliorem sternit aditum, aliàs hujus morbi alexipharmaca impuro corpori parùm prodessent, eapropter detrimentum afferre, & corpus aliis obnoxium morbis reddere possunt, estò lues expugnetur. Non omnes per sudores vitiosi discutiuntur humores, sed tenuiori dissipatâ parte, crassior remanet, quæ nisi eliminetur, siccescit, & visceribus adhæret, & quandoque acrimoniam adipiscitur, & vasorum substantiam lædit. Unde lues curatu pertinacior redditur, & obstinatæ fiunt obstructiones.

Verùm ante purgationem corpus reddunt fluidum tribus præparantibus *Syrupis, de boragine*, scilicet, *lupul. cichor. endiv. fumar. pomis &c.* cum appropriatis *aquis* s. *Lupul. fumar. borag. cichor. capill. ven. &c.* quos ita præscribunt.

℞. *Syr. fumar. & lupul. ana* ℥.j, *aquæ fumar.* ℥.iij. *m.*

Vel ℞. *Oximell. simpl. aut compositi* ℥. ij. *aquæ betonicæ* ℥. iij. *m.*

Vel ℞. *Syr. Capill. Ven. & Cichor. ana* ℥. j. *aquæ lupul.* ℥. iij. *m.*

Nonnulli vulgares tanquam efficaciores earundem herbarum decoctiones ad uncias quinque, vel sex Syrupis præferunt, addito ad saporem saccharo.

Altercantur *Vulgares*, an in lue percurandâ purgantia lenia, vel fortia propinanda sint: Verùm quia lues, cùm sit gravis affectio, lenia respuit, eisque non cedit, fortiora, & validiora aliqui commendant medicamenta, quæ radicitùs luem exterminare valent. Contrà alii valentiora exhorrent, ne vires infirmentur, quas conservare tenetur Medicus, & in chronicis præsertim morbis. Verùm hæc lis, ne diu inter barbatos agitetur, facilè dirimi potest, si juxta corporis, & evacuandorum succorum conditionem diversificentur medicamenta, quò circa: Si corpora robusta, & humores educendi sint tenaces: potentiora administrare expedit, nullam timendo virium jacturam, quæ utpotè robustæ hujusmodi permittunt medicamenta excrementorum crassitiem exturbantia: Quòd si delicata sint corpora infecta, neque succis admodùm crassis abundent, rationabile erit mitiora propinare medicamenta, ut viribus consulatur.

Præparato corpore tribus syrupis, ad purgans deveniunt

niunt medicamentum, ſed juxta eorum nænias aſſignant humores biliofos, pituitoſos, vel melancholicos, vel ex his congeriem, cum hoc tamen diſcrimine, quod in recenti lue bilioſi magis, in diuturnâ verò pituitoſi, & melancholici dominantur. Inter medicamenta bilem expurgantia recenſent *rhabarbarum*, prçſtantiſſimum remedium, ceu hepatis animam, addito *ſyr. viol. aut roſ. ſolut. vel de cichor. Nic. in decoct. fol. ſen. prun. Damaſc. & pulp. tamarind.* Inter pituitam, & melancholiam purgantia principem habere locum credunt *Syr. Sueſſ. & de fumar. maj. addita confect. hamech. in decoct. fol. ſen. agaric. polyp. epithim. &c.* Ità concinnant pro bile purgans.

℞. *Fol. ſen. or.* ℥j. *prunor. damaſc. num.* vj. *pulp. tamarind. unc.* ß. *f. decoct. & in ſuff. colat. diſſ. Syr. roſ. ſolut. unc.* iv. *de Cichor. Nicolai unc. ij. rhabarbari* ʒ. j. *m. f. & adde aquæ Cinnam. parum.*

Pro pituitâ, vel melancholia.

℞. *Agarici trochiſ.* ʒ. *iij. polyp. querc.* ℥. *ij. fol. ſen.* ℥. j. (*Si aliqua adſit obſtructio*) *tart. vin. alb.* ʒ. ß. *f. decoct. & in ſuff. colat. diſſ. Syr. ſueſſ. & de fumar. maj. ana unc. iij. confect. Hamech.* ℥. ß. *m. f. p.*

Pro variâ ſuccorum congerie.

℞. *Fol. ſen. & polyp. querc. ana* ℥. j. *prun. damaſc. paria iij. Cinnam* ʒ. j. *f. decoct. in aquis cord. & in ſuff. colat. diſſ. ſyr. roſ. ſolut. & ſueſſ. ana* ℥. *iii. confect. hamech.* ʒ. iv. *m. f. p.*

Si æger à pharmaco potabili abhorreat, parant pilulas, ut

℞. *Pilul. aggregat. de fumaria, & de tribus, ana* ʒ. j. *cum cathart. roſ. formentur. pilul.* ix. *& deaurentur.*

Poſt quatuor deinde horas exhibent apozema, ut

℞. *Conſ. roſ. perſ.* ℥ *iij. elect. de ſuc. roſ.* ʒ. *iij. m.* & deſuper comedat æger.

Non loquimur de aliis *compoſitionibus ſcamoniatis, aquis ſolutivis, ſyr. de ſpinâ ponticâ, jalap. turbit, colocynthide, mannâ &c.* quia lippis & tonſoribus patent. Hæc, & alia ſunt *Vulgarium* quamplurima purgantia, quæ vertiginoſo feruntur motu, & curriculo iſto abſoluto, ſemper eadem recurrunt. Magnum errorem in quatuor purgandi humoribus patrant vulgares dum in iſtis luem quærunt, in quibus reverâ non conſiſtit, & in omnibus producitur, nec demonſtrari poteſt, cùm per ipſos ſit occulta. Eſt medicamentum purgans maximæ impoſturç inventum, remedium pecunioſum, emungendarum pecuniarum officina, quotidianus cenſus, & çgrorum certiſſima pernicies, quod naturç vim [illegible]. Purgantia igitur nos acri ſtudio rejicimus, quia [illegible]llum juvamen præſtare poſſunt: quòd vel minimam [illegible] ſpeciem nos curare dicimus, ſed ſaltem occultare valent; à diſſitis enim partibus, & à circumferentia ad centrum trahunt, & hujuſmodi attractio majorem luis penetrationem juvare poteſt, quàm hoc deſtituta auxilio non prçſtitiſſet, unde luis univerſalis imminet metus. Non eſt medicamentum purgans id, quod alvi ſolutionem promovet, nam in hoc minimam ſpem collocare debemus, ſed quod morbum per ſuum emunctorium ſolvit, ita ſunt reliquæ evacuationum ſpecies, vomitus nempe, urinæ, ſudores, inſenſibilis tranſpiratio &c. Sunt *Vulgarium* purgantia mucida, & rancida, quia vetuſtatem ſapiunt, & ante luis ortum extabant: nec tunc quicquam profuerunt; conſiderate, ſi nunc pro tanto curando morbo prodeſſe poſſent. Non ſunt medicamenta huic morbo propria, ſed communia per applicationem, ideòque de communi morborum omnium, nullum alexipharmacum pro hic continent, niſi virus laxativum, quod eſt de veneni corroſivi genere, ac pro ejus curatione noxia. Eſt lues morbus novus, ideòque nova medicaminâ, novosque requirit Medicos.

De Ligno Guajaco.

Sufficienter corpore per plures phlebotomias, tum pluribus purgantibus depleto, ad reliqua procedunt præſidia, quæ propriam, & ſpecificam hanc luem expurgandi vim habent, & totalem, ac omnimodam ejus extirpationem operandi, non quia calefaciunt, aut ſiccant, vel ſudores, aut aliam movent evacuationem; ſed id patrant propriâ vi, ac formâ, ſive occultâ, & arcanâ quadam proprietate, ſicut ejus cauſa eſt occulta, & deliteria. Hunc extirpant morbum ad eum ferè modum, ac theriaca venena, & malignitatem expugnat, unde luis antidota, & alexipharmaca vocantur. Hçc tria ſunt, primum Lignum guajacum, ſecundum Salſaparilla, & tertium Chinç radix.

Inter luis antidota principem tenet locum lignum Guajacum, quod etiam *lignum ſanctum*, ſeu *palus ſanctus* dicitur: ſanctum appellant ob eximias vires quas adverſus Veneris luem habet. Nonnulli à ligno ſancto guajacum diſtinguunt, verùm hæc differentia tantùm ſe tenet ex ligni adoleſcentia, vel ſenectute, ideòque hçc duo confundi ſolent, & pro uno, eodemque accipiuntur, eſto in oppoſitum blateret *Fallopius*. Dicitur *Indicum*, quia ex India ad nos vehitur. Naſcitur hæc arbor apud Indos, ubi Venerea lues endemia eſſe fertur, atque ibi unicum ejus præſidium, Guajaci planta ad fraxini proceritatem, & ad hominis mediocris habitûs craſſitudinem plerùmque aſſurgit. Folio refert quadantenùs plantaginis æmula, dura ac brevia; flores ejus producuntur lutei; fructus verò juglandis magnitudine, quæ eſu alvum ſubducit; cortex annoſus niger, juvenibus verò ſubrutilus. Hallucinantur, qui putant buxum, quæ apud nos naſcitur, idem eſſe cum guajaco: Siquidem guajacum pingue, & reſinoſum viſitur, materia intùs nigra, ebeni ferè modo: quin & ſapor amarior, & acris, quibus ſiccam buxi materiam carere conſtat.

Divinum ad luem arcendam prædicant guajacum quantùm ad vires, quia admodùm calidis, & ſiccis conſtat particulis, ut ex ſapore, odore, & acrimoniâ conjicere licet inſigni, quâ linguam mordicat, & quidem calidum putant in principio tertii gradûs, vel in fine ſecundi, ac ſimul tenuium partium, unde craſſa attenuandi, lenta incidendi, & detergendi vim habet, ſudores, & urinas ciendi, ſuperfluos humores frigidos diſſipandi, & abſumendi. Quapropter ſpecificum hujus luis credunt alexipharmacum, verùm nòn ob iſtas manifeſtas qualitates exhibent, guajacum vulgares, cùm non deſint noſtris in regionibus medicamenta hujuſmodi qualitatibus prædita, ſed ob peculiarem, ſpecificam, & occultam qualitatem, quâ Lui adverſatur.

Eligendum eſt optimum, & præſtantiſſimum, quod non ſit tempore, & vetuſtate conſumptum, ſed recens, non ſit totum nigricans, nec totum albicans, denſum, ponderoſiſſimum adeò, ut in aquis non fluctuet, ſed mergatur, reſinoſum, odoratum, guſtui & acre, & ſubamarum. Cortex optimus cenſendus eſt craſſus; & fortiter ligno adhærens, adeò ut vix ferro ſequeſtrari valeat, nam qui facilè ſeparatur à ligno vetuſtatem ſapit.

In luis curatione totaliter pendent à ligno vulgares, illudque in varias parant formulas, ſed præſtantiſſimum judicant, ſi limetur & in minutiſſimam redigatur ſcobem, quia ſic citiùs, & meliùs ex eo extrahitur virtus. Ita prçparatum infundunt, macerant, viginti quatuor horarum ſpatio in aqua nonnulli, alii in hordei decocto, quidam in aquis ſtillatitiis, aliqui in vino, alii in ſero lactis, quidam in jure carnis ad calentes cineres ſervant, poſtmodùm lento decoquunt igne ad tertiæ partis

partis consumptionem, & decoctum formant, quod maximè in usu est, quia in formâ liquidâ totum penetrat corpus, ut

℞. *Lign. guajac. cum cort.* ℥. *iij. infundantur in aquæ font. lib. iij. stent per* 24. *ad calentes cineres. Deinde bull. lento igne ad tertiæ partis consumtionem, addendo in fine f. a. flor. cord. p. j. passull. enucleat.* ℥ *j. liquiritiæ rasæ* ℥. ß. *coriand. præp.* ʒ. iv. *cinnam.* ʒ. *iij. f. colat. & servetur.*

Dosis lib. ß. Hoc simplici utuntur decocto in delicatis, imbecillibus, excarnibus corporibus in lue recenti, temporibus, & naturis calidis, quando tantùm alterare intendunt, Quòd si minus excalefacere velint, lignum infundunt *in aqua cichor. lupul. endiv. sonchi &c.* & herbas concoquunt refrigerantes. Si verò humectare intendunt, in tabidis, & emaciatis in jure pulli, vel carnium vituli, aut arietis decoctum parant addendo melonum semina, ptisanam hordeaceam, &c. Pro infantulis, & lactantibus lue infectis julepum parant, ut

℞. *Lign. limat.* ℥. *ij. aquæ graminis lib. ij. infunde per* 24. *horas, bulliant deinde ad duarum partium consumptionem f. colat. & cum saccharo q. s. f. julep.* De quo detur parùm, & sæpè.

Vel compositum formant decoctum, cui dejectoria addunt pharmaca, quod non solùm alterat, sed purgat, & alvum solvit. Usurpatur illud in corporibus duris, & rusticis, aut temporibus, & naturis frigidis, aut in Lue confirmata, quæ citam evacuationem tolerare possunt, ut

℞. *Lign. guajac. recenter limati* ℥. *iij. in aqua fontis lib. iij. infundantur per* 24. *horas. Deinde lento bulliant igne ad medietatis consumptionem, addendo f. a. polyp. querc.* ℥. *ij. prunor. damasc. num.* x. *fol. sen. or.* ℥. j. *endiviæ, plantaginis, fumariæ ana m.* ß. *flor. cord. p. j. coriand. præp.* ℥. ß. *f. colat. & servetur.* Dosis lib. ß. pro vice.

Postquam etiam primum decoctum simplici modo paratum, & colatum est, residuo ligno post primam coctionem, iterùm majorem aquæ quantitatem affundunt, & ad tertiæ partis consumptionem coquunt, & in ventriculi gratiam passul. coriand. debitam addunt quantitatem, & colaturam faciunt, vel saccharo edulcorant. Colaturam pro potu ordinario in prandio, & cœnâ exhibent. Vel guajacinum parant vinum, ut

℞. *Ligni lib.* v. *sacchari alb. lib.* iv. *Vini alb. lib. CI. Lign. cum saccharo in cadum inde, & vinum calefactum affunde.*

Hoc vinum prævalet in luis inveteratæ vestigiis delendis, præcipuè ubi prolixo remediorum usu defatigatus æger à medicamentis jam abhorret; commodius autem tempus, & opportunior modus hoc vinum parandi erit tempore vindemiarum, ut

℞. *Musti alb. dulciss. amphoras LX. lign. guajac. recens limati lib.* iv. *passul. enucleat. unc.* vj. *pomor. redolentium num. XL. fermentescat mustum in vase ligneo, & finito fermentationis tempore*, hoc vino utatur æger pro potu ordinario, vel semel inter prandendum, & semel inter cœnandum.

Aliqui tertiâ vice lignum coquunt, & decoctum pro ciborum elixatione inservit, pro panificio, pro manuum, & faciei ablutione, narium elotione, ulcerum mundatione &c. usurpant: Propinant decocta composita vulgares ad dies 25. simplicia verò ad dies 60. & ultra, quia lues Venerea morbus chronicus est.

Nautæ & mercatores qui lignum sanctum ad nos tam ex occidentalibus, quàm orientalibus Indiis invexerunt, præclaros ejus effectus in lue curandâ adeò versutè omni extulêre conatu, quo venale redderetur, ut scriptores veluti psittaci ejus virtutes miris decantare encomiis non sint veriti, fidem tantùm illorum relationibus potiùs adhibentes, quàm experientiæ; unde plura de ligno scripsêre, quæ vel nunquam vel rarissimè observantur in praxi, nec nominis rumor promissis respondet; sed magno in pretio fuit in luis principio, quapropter nunc in officinis prostat; & est vile, abjectum, ignavum & nullius compos efficaciæ. Ita evenit, ubi res ad summum devenit fastigium, eam retrocedere, & declinare necesse est. Aliquos non puduit Medicos firmiter credere hujus ligni decoctum non minùs nutrire, quàm jus pulli nutriat, & extenuata ab eo non offendi corpora, sed impinguari; easdem quoque impinguandi vires salsæ parillæ, ligno sassafras, & præcipuè chinæ radici perperam tribuerunt: Observârunt namque nonnullos lue Venereâ ferè tabefactos horum decoctorum usu hebetiores redditos fuisse, & statim protulerunt horum decoctionibus corpora pinguescere. Verùm hi malè de ligno cogitârunt; nam esto vegetabile sit calidum, tamen siccum, & tenuium partium prædicant *Vulgares*, & si aliquid in decoctione deponat, hoc potiùs medicamenti, quàm nutrimenti rationem habet. Quod nonnulli post luem Veneream opimi fiant, id accidens aliter evenit, nam nutrimentum, quod ad cunctas corporis partes effluit contaminatur, nec nutrit ob depravatam impressionem, cùm non sit de partium indole; si enim cibus quantumvis optimus non nutrit; imò *Corpora impura quò magis nutries, eò magis lædes:* considerate, si lignum, radices, &c. in tanto morbo nutrire possint. Per medicamenta lui adversantia, per secessum, sudores &c. eliminatur lues, purificatur nutrimentum, & statim corpus benè nutriri, & impinguari incipit. Id in mercurialium, & antimonialium exhibitione quandoque observamus. Numquid mercurius, & antimonium nutrit, & impinguat? In quibusdam aliis morbis, & præcipuè febribus, diarrhœis, dysenteriis &c. accidit, antè quas, cùm homines ob depravatum nutrimentum erant graciles, per morbum absterso pravo nutrimento, & optimâ ventriculo restitutâ coctione, posteà benè nutriri incipiunt, & corpulentiores evadunt.

Naturam ut novercam accusare debemus, si pro nostratibus curandis morbis medicamenta ex utriusque Indiæ locis, aliisque dissitis terræ plagis mendicaremus, & mercatores lucri cupidine allecti in nostras magno nostro sumptu asportarent regiones; latitant in nostratibus plantis adhuc summæ virtutis medicamina, quibus nostrates morbos curare valemus.

Indiæ populi quodam endemico laborant morbo, qui cum lue Venereâ quandam habet cognationem; quicquid aliqui dicant scriptores, quem ligni guajaci, salsæ parillæ, & chinæ decoctis curare satagunt, sed non eorum votis respondet sanatio, & experimenta de iis facta fallacia reperta fuêre, licèt hæc vegetabilia viridia, & succis plena possideant, tamen ii fucatam tantùm, & palliativam sanationem ab illorum simplicium decoctionibus adipiscuntur; unde symptomatum remissio, & quædam comparatæ valetudinis species emergit, ita ut iterum illa repullulent, & deinceps sæviora, quàm anteà exsuscitent. Considerate quæso nunc, an hujusmodi sicca corpora nimio virium detrimento ex dissitis regionibus ad nos convecta infectis profutura sint. Verùm quia jam pridem partâ fama multùm eis contulit, ut ridiculum sit ea omnino repudiare, quæ aliàs communi applausu sunt recepta, adhuc nostri *Vulgares* imposturam meditantes, ea multis præparationum formulis usurpant, ac testari hujusmodi plantas, quas celebriores reddiderunt, idem emolumentum contaminatis impertiri tenentur hîc loci, ac in solo naturali. Hos *Vulgares* secuti sunt *Spagyrici*, arcanorum distributores; & ex his extracta, salia; olea essentialia, spiritus, tincturas, quintas essentias speciosis decoratas nominibus concinnârunt, auro contra caras, & aliorum simplicium medicamentorum admistione, adulte-

adulterarunt, & ignarum vulgus, & ſtolida plebecula pretioſa chymicorum medicamenta, ſeu impoſturas exiſtimant, quia maximo emuntur pretio.

Credunt *Vulgares* lignum, & radices luis eſſe alexipharmaca, quia qualitate agunt occultâ: ſed vellemus ſcire, quo inſtrumento, ſenſu, & ratione id vos aſſecuti fuiſtis? Quis eam qualitatem occultam nobis ineſſe oſtenderit? Unde ejus virtus vobis innotuerit? A calore forſan? Pondere? Duritie? Nonne idem pondus, durities eadem in buxo, ebeno? Quando horum vegetabilium decoctionibus in aliis utimini morbis, illi morbi numquid occulti, dum medicamentis utimini occultâ qualitate agentibus? Occulta illa qualitas potiùs in veſtris depravatis phantaſiis, quâm in his vegetabilibus conſiſtit, cùm eam demonſtrare non poſſitis, Si tanta vis ligno, ſalſæ, & chinæ ineſt, quare jejunia quadrageſimalia, & tenuem inſtituitis diætam? Si alexipharmaca, quid coctione opus eſt? Quid prodeſt arcanum componere? Si iniit occulta qualitas, quid & compoſitione opus eſt? Non charitas lui medetur, verùm lucri cupiditas cum craſsâ Minervâ conjuncta, pecuniæ jactura, & majus aliud damnum quòd tam malè ægrorum corpora multantur. Caſu luem curant, ſi quandoque curant, cùm hujus mali cauſſa, & præſidia apud ipſos ſint occulta, & veluti cœci in tenebris ambulant, unde ambo, æger & Medicus in foveam cadunt, ideòque in morbis occultis, occultis præſidiis, tam medendi artem callet agaſo, quàm Medicus vulgaris: Unde factum eſt, ut tonſores, balneatores, veterenarii, & veteramentarii in luis curationem ſeſe ingerere auſerint.

Horum vegetabilium decocta fucatam, & palliativam luis ſanationem præſtare poſſunt, non quia alexipharmaca ſunt, & vi operantur occultâ, ſed quatenus ſolummodò ſudores movent, & ſuperficialiter venereum diſperdunt fermentum, eapropter non ſolùm guajacum, ſalſa, & china lui proſunt, ſed ea omnia vegetabilia, quæ ſudores eliciunt. Nos parvo ſumptu noſtratibus plantis, ut ligno buxi, viſci quercini, cedri, cupreſſi, rhodiâ radice feliciter multos deploratos ſanavimus gallicos, quos guajacum, ſalſa, & china, quæ non niſi ſicca, & omni ſucculentâ ſubſtantiâ emuncta in noſtras aſportantur regiones, curare potuerunt. Paravimus nos domi ex noſtratibus plantis decocta mediâ maceratione, digeſtione per 24. horas, & ebullitione, & ad commodiorem, & faciliorem ſalium eſſentialium, ſeu tincturæ extractionem pro qualibet aquæ communis librâ ſpiritûs vini alkoholizati unciam dimidiam admiſcuimus. Verùm hęc nunquam in vaſe aperto, ſed perpetuo in duplici, juncturis tritici farinâ, & ovi albumine optimè clauſis, ut vini ſpiritus, & horum vegetabilium volatile ſal in decoctionis aquâ ſolutum nullo modo aufugiat, ſed in vas aſcendat, ſuperius, ac iterum decidat. Vaſa, ſemper fuerunt vitrea, & horum defectu terreis, ſed vitreatis uſi ſumus.

Barbati decocta cum Vino parant, & reverâ laudabilior extrahendi ratio vegetabilium vires, quàm cum aquâ, & præcipuè ubi ventriculus frigidior, & debilior eſt, ac æger vino aſſuetus, quia decocti vis ad omnes corporis partes faciliùs penetrat, & ſudoris provocationem adjuvat. Non negamus vinum commodiſſimum eſſe ad vegetabilium detrahendas vires, ſed quia decocta cum vino in vaſe aperto ad tertiæ partis conſumptionem parant, totâ errant viâ; nam unuſquiſque, qui leviter deſtillandi arte eſt imbutus, ſcit, quòd ſi vinum leviter urgeatur igne, ſpirituoſa ejus pars, & optima ab eo prolicitur, & nihil remanet præter aquoſum, & ingratum, vel nauſeabundum phlegma omni virtute, odore, ac ſapore vini ſpoliatum: ſic tali modo decocta concinnantes, vini faciunt jacturam, cùm in decoctione deperdatur, remaneatque phlegma ipsâ aquâ ſimplici minus commodum. Corrigant decocta parandi modum, etſi cum vino vaſe benè clauſo conficerent, ut nil exſpiraret; certè nec tormina, nec nauſeam excitarent, ſicuti præfato modo parata. Præterea ligni caliditatem aquâ hordei, ſero lactis, & aquis ſtillatitiis refrigerantibus corrigunt, ſi in decoctis vino uterentur, ligni caliditatem potiùs intenderent, quàm corrigerent.

Vulgares decocta vim habere ſiccantem, atque adeò ad exſiccandos multos ab eis fictos humores propinari aſſerunt. Verùm nos adducimur, ut credamus unicam cujuſque exſiccantis vegetabilis Sex aliis aquæ unciis immiſtam, quæ ut ſex humectare valent, exſiccare poſſe, cùm ſiccitas ex *Ariſtotele* nil aliud ſit, quàm *humidi defectus*, atque ipſo naturæ lumine conſtat exſiccationem perfici per humidi evaporationem à calore factam; non igitur videmus, quomodo in ſex aquæ unciarum exhibitione, ſiccatio fieri poſſit, quin potiùs oppoſitum, ſcilicèt humectatio ſuccedat.

Verùm pro hujus rei intelligentiâ juxta noſtra principia dicimus decocta propriè non exſiccare, cùm ſiccitas non ſit qualitas poſitiva, neque poſito, quòd exſiccandi vim haberent, ideò morbos curare valerent, cùm non ſimplex humiditas, cui ſupponitur contraria ſiccitas, ſed humorum degeneratio à naturali ſtatu ut plurimùm ſimiles gignit morbos. Præterquam quòd ſemper cum ægri maximo propinarentur damno, quia non minùs excrementitium, quàm nutrimentitium humidum ſuâ ſiccitate reſolverent decocta; tum quia non eſſet major ratio, cur unum potiùs, quàm alterum reſolverent, exſiccarentque, tum etiam quia non adeſt in noſtris viſceribus ſedulus aliquis ſeparator, qui ad medicamenti exſiccantis nutum, excrementitium à nutrimentitio ſequeſtret, illudque ſubjiciat, exponatque medicamento, ut illud tantùm exſiccet, inſonte remanente.

Prædicant *Vulgares* lignum, ſalſam, chinam &c. calidum, ſiccum & qualitate occultâ præditum, ſed per coctionem ab his non extrahitur caliditas, ſiccitas, & occulta qualitas, quia hæ ſunt de accidentium genere, ſed juxta noſtra principia, ut fuſiùs egimus in *noſtra Pyrotechniâ*, dicimus, quòd omnis corporum actio ab intrinſecâ eorum eſſentiâ, ſeu ſpiritu ſeminali eorum conſtitutivo dependet, qui in vegetabilibus præſertim ſub formâ ſalis eſſentialis ludit; ita ligni, ſalſæ &c. decocta agunt virtute hujus ſpiritûs, ſive ſalis eſſentialis ſoluti in aqua decoctionis. Unde ligni, ſalſæ &c. decocta vim diaphoreticam habent, vel diureticam, quatenùs ſal illud eſſentiale aliud ſal mordax, piperinum, vel acidum exaltatum corrigit, & reſolvit, à quo Lues fovetur. Hic ſpiritus ſub formâ ſalis eſſentialis ludens in noſtratibus reperitur affluenter plantis Luem curantibus.

Hinc deducimus nunquam ex ligno, ſalsâ &c. decocta aperto vaſe fieri debere, nam ſpiritus ille, ſive ſal eſſentiale cùm ſit ſummè volatilis, facilè abit in auras, & quod remanet, nil eſt, niſi phlegma inutile, ignavum, & omnis virtutis expers. Hinc etiam eò magis ſecundum & tertium *Vulgarium* decoctum vanum, & nullius efficaciæ judicamus. Adeſt in ligno pingue, & reſinoſum quid, at nunquam illud in decoctis ſupernatare obſervatur, ſed ſub olei formâ tantùm in deſtillatione per deſcenſum, & non niſi aperto igne.

Chymici meditantes longâ decoctione, vaſe aperto, ad dimidiæ, vel tertiæ partis conſumptionem ſubtiles, ac ſpirituoſas diſſipari partes, vel medicamentoſas ſaltim minui vires, alio modo ligni decoctum parant, ne ejus virtus pereat: Cornutæ ligni ſcobem cum ſufficienti aquæ quantitate, induunt, cui receptaculum adaptant, ac ſuppoſito igne primo digeſtionis, deinde deſtillationis, ſpiritum ſulphureum, ſive eſſentiam è ligno

no cum aquâ evocant, ad dimidiæ partis aquæ destillationem. Hujus destillatæ aquæ, in qua ligni purum ens essentiale ludit uncias quatuor magno cum juvamine exhibent. Continuant deinde aquam destillare, quam pro quotidiano præscribunt potu. Nonnulli spiritum ex guajaco eliciunt, qui prolixâ & solerti digestione, fermentatione, & destillatione indiget, ut proliciatur, attamen summis virtutibus est præditus. Quidam summoperè guajaci oleum, tanquam alexipharmacum commendant, quod variis exhibent modis: Verùm nullum oleum per alembicum destillatur, sed tantùm per descensum, aperto igne, quod nullius est efficaciæ, & intra corpus non commodè, imò vix tutò exhiberi potest. Multi guajaci extractum miris efferunt encomiis: verùm nos nulli profuisse; imò cunctis obfuisse observavimus, ob admistam sulphurei menstrui partem, quod lui maximè adversatur. Præstat gummi guajacum naturale, sed debiles habet vires, nec recentem, aut antiquatam luem debellare potest, estò ex arboris incisione fluat.

De Salsaparillâ.

Primas in Lue curandâ guajaco tribuunt vulgares, post quod salsæparillæ radix succedit, quam aliqui Spartamparillam, & Hispani Sarsamparillam nuncupârunt. Advehitur illa ex Peru, ubi in sepibus nascitur, non aliter ac apud nos smilax aspera, vitis alba & nigra, ac lupulus salictarius, oblonga est, per terram longè, latèque serpit, ut sex cubitorum longitudinem æquet, & ultra, modicæ est corpulentiæ, & in fasciculos alligatur. Optima censetur, quæ intùs alba, & solida est, corticem habens plenum, & dum finditur, foraminulenta non apparet; quæ verò rufa est, & dum finditur, pulverulenta, inefficax est, quia vetustatem sapit. Credunt nullam manifestam excedentem habere qualitatem, ex qua temperiei excessus induci possit, unde omni corporis constitutioni, & ætati tutò exhiberi posse fatentur, ac propterea temperatior, & moderatè calida est in primo ordine, ac insipida, nullius acrimoniæ, amaroris, aut adstrictionis, aut odoris particeps, sed obscuram quandam habet dulcedinem; existimant tamen illam in siccitate magis excedere, quàm chinam, ac tenuibus constare particulis, & proinde potenter incidit, attenuat, discutit, insigniter exsiccat, sudores movet, & nimiam absumit humiditatem; attamen non ob has manifestas qualitates, Lui adversari fatentur, sed ob qualitatem occultam, scilicet quam nesciunt. Quare multùm valet salsa ad Luem profligandam, nec invidet ligno, nam multos curavit salsa, quos non potuit lignum; estò hoc salsâ efficacius à plerisque credatur; tamen in hoc lignum superatur, quod ob insignem tenuitatem laxandi, & penetrandi vim habet, dolores sedat, nec ullus dolor quantumvis contumax, & diuturnus erit, quem non tandem aliquando sopiat, & superet, si ejus decoctum constanter, & diutissimè sumatur. Sic pariter tumores duri, & gummata multo breviùs à salsâ, quàm à guajaco discutiuntur per insensibilem evacuationem, eorum consumptâ materiâ, quapropter in aliis multis affectionibus feliciter usurpatur.

Ejus decoctum pariter parant simplex, vel compositum, vase aperto, & ad duarum partium consumptionem, ut

℞. *Salsæparill. minut. concis.* ℥. ij. *infunde in aq. font. lib.* iij. *& per horas* 24. *macera*; *Posteà levi igne bulliant ad dimidiæ partis consumptionem, addendo s. a. passul.* ℥ ij. *coriand. præp.* ℥ j. *f. colatura.*

Dosis lib. ß. Addunt nonnulli in ventriculi gratiam mentham, absynthium, cinnamomum &c. aut simplicia cephalica, hepatica, vel nephritica juxta partis laborantis conditionem. Post primum decoctum per reaffusionem secundum pro potu ordinario parant, & tertium pro carnium, & ciborum elixatione, manuum, & faciei ablutione, ut de ligno diximus. Pro infantulis, & delicatis, addito saccharo in primo decocto Julepum formant. Ex salsâ etiam decoctum parant compositum, additis medicamentis purgantibus, eo modo ac de guajaco retulimus.

Parant *Vulgares* pulveres salsę, quos summoperè efficaces pro lue curandâ celebrant.

℞. *Salsæparillæ* unc. ij. *fol. sen. or. & hermodactyl. ana* unc. j. *turbit.* ʒ vij. *ivæ arthreticæ* ʒ iv. *Cinnamomi, & zinziberis ana* ʒ. j. ß. *f. omnium pulvis subtiliss.*

Dosis ʒij. pro vice, *cui adde diagrydii gr. vj. usque ad x.* Infunde per noctem in suff. vin. alb. opt. quantitate, manè sumat æger cum pulvere vinum.

Habeat apud *Vulgares* salsaparilla omnes roris marini virtutes, miris celebretur encomiis, appelletur parilla, eò quòd cum illâ nil aliud medicamentum comparari possit; illud interim à nobis quotidie observetur, minùs etiam guajaco, & chinæ radice exsiccare, ac urinæ vias magis, quàm cutis poros affectare, quapropter ad gonorrhœæ sanationem, quæ à seri virulentiâ fotum suscipit, eximia est, cùm testes, aliasque partes seminis coctioni, distributioni inservientes, occupet. Ejus decoctum ventriculum nimis laxat, ut estò simplicia pro eo roborando admisceas; frustrà tentaveris. Reperitur passim apud nos Smilax aspera, quæ vulgò dicitur *Salsa paesana* majoris energiæ, qua felici cum successu plures â Lue Venereâ eripuimus, & hanc pauperes pharmacopolæ pro salsaparillâ usurpant, quoties parilla præscribitur illis. Discrimen, quod inter Peruvianam salsam, & nostratem intercedit, est, quod illa magno, nostra ferè nullo emitur pretio; in reliquis tamen idem sapor, & cortex, eadem medulla, & facultas, imò in nostrate vividior, & vegetior.

De Chinæ radice.

Inter plura Venereæ Luis antidota Chinæ radix celeberrima recensetur, quæ à mercatoribus Lusitanis è Chinarum Regno advehitur, ad quam pro hoc fugando morbo confugiunt Chinenses. Radix hæc non est valdè longa, verùm admodum nodosa, & arundinum radici non absimilis. Color subrufus, pondus mediocre, id est neque levis, neque ponderosa, recens sit, & nullatenùs carie exesa, nullum insignem referens odorem, nulloque sapore præpollens; propterea in activis nullum excessum habere credunt, sed potiùs temperata, vel si excedit à temperato, ad frigiditatem in primo gradu inclinat: de recenti tamen radice *Garzias ab Horto* refert: *Eam insigniter adeò calefacere, ut siquis ejus decocto paulùm meraciori utatur, aut calidum hauriat, ob nimium medicamenti calorem in maximos hepatis ardores, in erysipelata, in phlegmonas, atque alia gravissima incidat symptomata; in passivis verò sicca non leviter: quapropter nec oleum, nec unctuositatem habere videtur.*

Tenuis est substantiæ cum aliquâ adstringendi vi, & substantificâ quadam humiditate, qua mediante, *Vulgares* miseris adulantur ægrotis, ejusque usum homines pinguescere dictitant, quia ejus decoctum facilè acescit; verùm hoc fusiùs etiam de guajaco repudiavimus, quod ejus decoctum acescat, non est sufficiens impinguandi ratio, cùm omnium lignorum, radicumque decoctum acescat. Cùm primùm mercatores in Europam advexissent miris laudibus Chinæ radicem, tanquam

tanquam auxiliare medicamen à divinâ auxiliatrice manu promanatum ad chronicos, deploratosque morbos celebrare cœperunt lucri cupidine tracti. Unde bardi Medici nimiùm quàm par est, mercatorum technis fidem præbentes, psittacorum more citra experientiam, & ultra vires eximiis præconiis commendare aggressi sunt: ut quæ tenuium partium digerendi vim habeat, siccitatis ratione attenuet, omnis generis excrementa liquet, quæ deindè in urinas, & sudores transeunt. Lui Venereæ non ob manifestas qualitates, sed ob occultæ formæ proprietatem non solùm prosit, verùm etiam ulcera abstergat, obstructiones reserat, sanguinem à corruptione vindicat, destillationibus medetur diuturnis, phthisim curat, hepatis inflammationes restinguit, hydropisim sanat, atrophiam tollit, lepram depellit, elephantiasim abigit; articulorum dolores aufert, & quia temperata est, omni ætati, omnique sexui, quocumque anni tempore, ipsisque adeò febricitantibus tutò exhiberi potest. Quæ facultates omnes cùm in guajaco desiderentur, à nonnullis tunc temporis supra guajacum china evecta est, & non ad solam Luem Veneream; sed ad sexcentos alios morbos adhibita fuit.

Ob tot tantasque virtutes à scriptoribus decantatas, *Carolus V.* partim ob Luem Veneream, partim ob atrophiam, partim ob artuum dolores de quorundam Medicorum consultatione hujus radicis decoctum accepit, & maximam ei largitus fuit famam, quæ vagata per orbem, Chinæ radix tanquam pretiosum medicamen auro carius maximo venundari cœpit, unde:

Pauperiem fugiens, currit mercator ad Indos.

Sed experientia ejus rumorem posteà derogavit, & celebritati nominis proportione nequaquam respondit, neque ejus pretio enormi: scribit namque de hac re *Julianus Palmarius de Venereâ cap.* 14. *Multos magno suo incommodo radicem hanc guajaco prætulisse, seque experientiâ comperisse, quòd etiam in magnâ victûs parsimoniâ adversus hanc Luem inefficax fuerit, sæpe etiam ejus decocto ita humescere ventriculus visus sit, & nativus calor opprimi, ut lienteria gravis, magnaque cruditas non rarò subsecuta fuerit, quibus imbecillos insiti calorum fomes inerat. Præter has incommoditates, & vitia, non rarò etiam lienis tumores, atque duritiem diutiùs utentibus inducere* scribit. Non agit qualitate occultâ, quia hæc qualitas est sacrum ignorantiæ asylum; nec adversus Luem est verum prophilacticon, cùm plura de hac radice circumferantur, quæ non nunquam, vel rarò observantur in praxi. Plurimi ægroti diuturnum hujus radicis usum adhibuerunt, nihilominus neque vel tantillum morbi vis se remisit, vel alleviata, recidivam passi fuêre, ita diuturna experientia nos edocuit maximo ægrorum incommodo; est itaque vana chinæ exhibitio pro ægrotis, non verò pro pharmacopolis, & Medicis, & tamen stolidum vulgus magnam medicamenti vim esse credit, quoties impendium maximum est, & medicamentum putat pretiosum, quòd carissimè emitur. Hujus farinæ est China, ac proinde non exiguam obtinuit famam; laudamus propterea pharmacopolas, qui pro chinæ radice à Medicis ordinatâ arundinum radices substituunt, quibus parem, & fortasse majorem inesse virtutem in praxi comperuimus, quia arundinum radix succi plena haberi potest in nostris hisce regionibus, chinæ verò omni succulentiâ emuncta in nostras asportatur regiones. Sed quia veterum corrigere errorem difficillimum est, expedit idcircò ægris, & vulgo morem gerere aliquando: Verùm tantùm divitibus ægris hæc propinent decocta, nec sumptuum, & crumenæ pauperum immemores illis fortunas absque salutis spe eripiant.

Hujus radicis decocta ita parant vulgares:

℞. *Chinæ in talleolas dissect.* ℥. j. *infunde in aq. font. fervent.* ℔. iij. *per* 24. *horas. Deindè bulliat lento igne ad consumptionem duarum partium: addendo in fine, fumariæ, lupulorum, capill. Veneris ana m.* j. *coriand. præp.* unc. ß. *cinnamomi.* ʒ. iij. *f. colatura, & servetur.*

Dosis ℔ ß. pro vice. Ex radice, quæ primo inservivit decocto, paratur secundum pro potu ordinario, ut

℞. *Rad. chinæ primò adhibitæ* unc. j. *Infundantur per* 24. *horas in lib.* 9. *aquæ fontis ferventis, deinde bulliat ad tertiæ partis consumptionem, addendo in fine, coriand. præp.* ʒ. *vij. cinamomi* ʒ. *iij. f. colatura, & servetur.*

Post secundum per reaffusionem tertium parant pro ciborum elixatione, manuumque, & faciei ablutione. Hęc decocta magnâ aquarum copiâ, & longâ indigent ebullitione, ut virtus extrahatur, & aquæ communicetur; & ad 30, 40. vel 50. dies assumuntur.

Hæc sunt vulgarium alexipharmaca pro Lue fugandâ; quorum unumquodque eam profligare valet, verùm tamen semper alia aliis sunt efficaciora, juxta varios morbi gradus, & patientis temperiem, nunc unum, nunc aliud usurpant; si nullâ tamen viscerum intemperies adsit præstantissimum esse guajacum judicant, licèt in occultis qualitatibus unum sit occultius alio, quia unum alio præstantius, & hac ratione nunc guajacum, nunc salsam parillam, nunc chinam usurpant, & nunc hæc omnia ob varias intentiones in majori, vel minori quantitate admiscent, ut

℞. *Lign. guajac.* ℔. ß. *cortic. ejusdem, & Salsaparillæ ana* unc. iij. *rad. chinæ* unc. j. ß. *Infunde spatio* 24. *horarum in aqua lib.* 12. *Postea bulliant ad medietatis casum, fiat colatura, Residuo reaffunde aquæ lib.* 12. *stent in infusione horis* 8. *posteà coque ad tertiæ partis consumptionem pro potu in mensâ.* Vel

℞. *Salsæparillæ, & cort. guajaci ana* ℥. *iij. Lign. guajaci* ℔. j. *infunde in aquæ lib.* 16. *& coque ad medietatis consumptionem. Deinde reaffunde, & coque pro potu ordinario.*

Multi his decoctis purgantia quandoque admiscent, quæ à nonnullis improbantur. Primò, quia antequam ad horum decoctorum usum accedant, diligenter purgandum est. Secundò, purgantia, & sudorifica motus efficiunt contrarios. Tertiò, fortiora sudorificis sunt, purgantia, & purgantia sudorifica per secessum trahunt, quia fortius attrahit minùs forte. Quartò, meliores notæ Medici purgantia decoctis non admiscent, sed per certa intervalla purgant quarto, vel quinto quoque die.

Verùm non improbandus in decoctis compositis est sudor, nec diversæ fiunt evacuationes, motusque contrarii, ad cutem scilicet per sudores, & ad alvum per purgantia; nam evacuationes prædictæ, & motus non fiunt eodem tempore, citiùs nempe post horam à decocto assumpto proritatur sudor, post multum verò tempus dejectio, quia vis dejectiora majori indiget tempore.

Lues Venerea morbus est chronicus, & diuturna expostulat medicamenta in ejus curatione, ac proinde tota barbatorum curatio in horum decoctorum exhibitione volutatur, undè si decocta propinant solutiva; eorum usum præscribunt ad dies 25. aut 30. Si fuerint simplicia, primò corpus deplent purgantibus de communi morborum omnium à nobis recensitis, deinde decocta exhibent simplicia ad dies 50. aut 60. vel ulteriùs, interim visitando quotidiè ægros, pecunias emungunt. Decoctum propinant valdè calidum, ad hoc ut citiùs per corpus penetret, & sudor proritetur: decocto assumpto sub aurorâ, superdormiat æger, ut citiùs digeratur, & per corporis habitum diffundatur, ac stragulis optimè cooperiatur, ut sudor copiosus emergat, vel in Laconico se componat, & ibi detineatur, quousque sudet. Et quia, dum simplicia assumuntur

decocta,

decocta, per sudorem non nisi tenuia evacuentur excrementa, crassioribus remanentibus, laudant propterea *Vulgares*, ut singulis quatuor, vel quinque decoctis assumptis, purgans aliquod præbeatur pharmacum, quod crassiora excrementa purgandi vim habeat, ita sunt *Syr. de fumar. maj. Syr. Suess. ros. solut. manna &c.* Nostrates vulgares hoc utuntur pharmaco:

℞. *Syr. de fumar. maj.* ℥ iv. *decoct. cord.* ℥ *ij. m.*

Imperant tamen, ne tali die sudor proritetur, quia æger duas non potest ferre evacuationes, & alteram impedit. Interim per totum decoctorum tempus ægrum ita in cimmeriis claudunt, ut ne aëris quidem claritatem aspiciat, nedum pedem è cubiculo efferat, & interim quoque exactissimam victûs rationem, scilicet mira jejunia instituunt per panis biscocti, & uvæ passæ, aut amygdalarum modicum, & si ad summum adeò exactam tolerare diætam non possit æger, vel parvam concedunt, carnem assam. Verùm sæpiùs evenit, ut ante constitutum tempus quidam ob tenuissimam victûs rationem ita imbecilles, & viribus destituti conspiciuntur, ut:

Vix habeant tenuem, quæ tegat ossa cutem.

Et penè spiritu, & vitâ deficiant. In tam conspicuo vitæ discrimine versantur miselli ægroti, ut in sceleti formam redacti, cum magnâ æris jacturâ, vitam quasi deperditam vix recuperare possint, nec mendicata sanitas ex voto succedit, nisi palliata, & fucata, dum dira Lues paulò post truculentior recrudescit.

Nostri malè feriati *Vulgares* præter decocta urbanas habent stufas calidas, & siccas, ad quas Lue correptos ablegant ægrotos, sed præcipuè Sole cancri signum percurrente; innumeras hominum, mulierumque infectas copias ad Tritholi vaporosum sudatorium in Puteolano, vel ad Pithecusæ sudatoria, ubi maximus de toto corpore fluit sudor, sed hic vanâ spe miseros ludit, levat quandoque, non eradicat Luem, nam calor ille sudorem proritans nullum antidotum, sive alexipharmacum ad Neapolitanum extinguendum venenum servat, sed est simplex, homogeneus, nec differt à quocumque culinario calore, sive igne (calor enim, & ignis non differunt, ut luculenter probavimus in nostrâ *Pyrotechniâ sophicâ lib. 2. cap. 1. de igne*) ideòque licèt degeneres attenuet humores, non sine capitis mortui residuo id exequitur, unde Lernæa hydra latens paulò post majores suscitat iras, & hinc lerna malorum, nec Vulcanus clandestina Veneris adulteria ulcisci potest; quia claudus, nisi vindice Mercurio. Venerea Lues est morbus mineralis, & minerale requirit remedium; curandum itaque, ut Mercurii naturam in stufam convertamus, hoc est absque stufâ procedat sudor: nam statim ac à Mercurio provocatus fuerit sudor, jam in proximo est sanitas; omnis igitur sudor absque mercurii interventu inutilis est. Sunt nonnulli, qui absque Mercurio sudoribus factis, aliquos Lue correptos curant, tamen res fundamento caret, & ferè semper in deterius malum minatur.

Cap. 2. *De Curandis affectibus Venereis à nutrimento corrupto nascentibus, & primò, De Gonorrhœâ.*

Effluvium saniosum ex interiori pudendi parte viri, seu mulieris, Medici gonorrhœam appellant, sed falsò, nam hoc nomen græcum gonorrhœa seminis profluvium designat, quod ex vesicularum seminalium debilitate retentricis, vel aliâ de causâ procedit; sed id, quod ex urethrâ fluit ex contagii gallici communicatione, semen non est, sed penis nutrimentum in saniem à contagio degeneratum: Neapolitanis dicitur *scalfatura*, reliquis Italis *purgatione*, Latinis verò rectè dicetur fluxus Venereus saniosus.

Signa.

Non immediatè post pollutum concubitum hic saniosus adveniet fluxus: sed ut plurimum ante quartum diem, multoties ante septimum, rarò ante quadragesimum, sed post quadragesimum à concubitûs die nunquam observatus fuit. Quisquè in concubitûs actu facilè futuram gonorrhœam cognoscere potest, si intra urethram in illâ Veneris palęstrâ, veluti lancinari, vel quoddam effluvium sentiet. Magna erit in mingendo acrimonia, in pene erigendo dolor, & si patiens penem emungat parvam saniei quantitatem, veluti perlam è glandis foramine educet. Acrimonia in mingendo, & dolor in erigendo ut plurimùm post 21. diem cessabit. Saniosus fluxus adeò erit assiduus & quandoque magnus, ut indusium ex eâ parte saniei immersum appareat; unde juvenes, qui parentibus sunt subjecti admonitos esse volumus, ut penem petiâ obvolvant, ne indusia, quę à matribus ut plurimum observari solent, conspurcent, & saniosæ Veneris clandestina connubia patefcant.

Multoties contendunt ægroti gonorrhœam exortam fuisse ob immoderatum motum, renum calore, equitatione &c. Tu verò facilè distingues, num gallica, aut non gonorrhœa sit; si simplex namque illa fuerit, & sine contagio, nullam ostendet virulentiam, excretio proinde colorata non erit, sed albida, nullumque afferet dolorem, nullum urinæ ardorem, & inflammationem nullam, at si copiosa, & diuturna erit, sequitur corporis consumptio. Contra si viridis, flava, multùm varicolor fuerit expurgata materia, in ejus fluxu dolor persentiatur, penis arrectio impediatur, urinæ verò sit ardor, glandem inflammet, præputium in tumorem elevet, & fluxus diuturnus, & copiosus sit, non sequitur, corporis tabes, apertissimum habebis indicium illam esse virulentam.

Causa.

Ridiculi sunt Medici vulgares, qui ex hepatis intemperie, & renibus hunc saniosum fluxum oriri autumant. Non negarimus quandoque hepar, & renes ex diuturno contagio Venereo infici posse, sed fluxum, qui ex polluto succedit commercio, ex quo fluit, suam habere productionis caussam, non autem in hepate, & renibus asseruimus.

Hujus saniosi fluxûs caussa est effluvium halituum ab utero Lue Venereâ polluto prodeuntium, & per urethram viri in ingressu se insinuantium, à quibus penetratâ illius partis epidermide, spiritus sensitivus sub epidermide gliscens, ideam contagii induit, cujus ope totius urethræ nutrimentum in saniem vertit, illam inflammat, & ad reliquos disponit affectus.

Prognosis.

Solet in gonorrhœâ ex sanioso illo fluxu præputium inflammari, & in tumorem elevari, ac vitreum videri, & in rimas dehiscere. Multoties inflammantur testes maximo cum tumore. Interdum supprimitur, & quandoque obstinata plurium annorum spatio perdurare consuevit, adeso quandoque grano hordeaceo, nullis cedens præsidiis. Ut plurimùm in carunculam, vulgò carnositatem, terminare, quæ vel nunquam, vel tardissimè curatur. Itaque nisi statim ab urethrâ contagium illud omninò abstergatur, omnes luis Venereæ species;

ſpecies, quas enumeravimus, temporis tractu ab eâ produci poſſunt; nam paulatim Venereum fermentum ex nutrimento in ſanguinem, ex ſanguine in partes ſpermaticas, & ex ſpermaticis ſerpit in oſſa.

Curatio.

Vulgares medici pro gallicâ gonorrhœâ curandâ præſtolantur, ut ſaniosus fluxus abſque remediis propriâ ſponte ceſſet, unde eorum malitia, quia efficacibus remediis ad fluxum gallicum perſanandum hactenus caruit, infirmis proponit, ut gonorrhœâ fluat per 40. dies, interim vana, & inutilia quędam exhibent medicamenta, quæ contra contagii virulentiam nil efficaciæ habent, ſed ex 40. diebus ſpontaneam exſpectant curationem. Inſtituunt interim victûs rationem, & prohibent auſtera, & acria, ut vinum rubrum, & acetum, prohibent aromatica acuta, & ſalſa; conſulunt deinde victum humidum, & refrigerantem. Nos errores in victu non laudamus in gallicis, neque in præſcribendâ dięta multùm immoramur, ſcimus enim contagium gallicum cuicumque extremę diætæ cedere omnimò non poſſe. Inſtitutâ victûs ratione, *Vulgares Medici* ſequentia recepta per multos dies exhibet.

℞. *ſemin. melon.* unc. ß. *contunde, & cum aquâ Capill. ven.* unc. ij. *diſſ. f. expreſſio. Sacchari* unc. ß. *m. ut f. p.*

Vel ℞. *Quatuor ſem. frigid. ana.* unc. ß. *contundantur modo, quo ſuprà, & diſſ. in eâdem aquâ, f. expreſſ. cum addendo, ſacchari, & exhibe ut ſuprà.*

Vel ℞. *Syr. Capill. ven. malvarum, & viol. ana.* ℥. ß. *aq. Capill. Ven. cum expreſſ. ſem. mel.* unc. iij. *Spiritûs vitrioli gutt. vj. m.*

Conſulunt *malvarum caules conditos, melonum ſemina condita* poſt prandium, & cœnam, & aſſiduum *aquæ capill. ven.* uſum, neque deſunt, qui ſuprà allatis viliora, & ignaviora præſcribant, credentes prædictas ſeminum, ſyruporumque mucilagines, ut urinæ acredinem infringunt, ut adeò acute urethram ſtimulet, contagium gallicum ſemel impreſſum è corpore eliminare poſſe: ſed ejulatus, clamores, & planctus tot miſerorum, qui ex gonorrhœis præſcriptis remediis curati, nunc morbi gallici furores ubique in corpore patiuntur, dictorum medicaminum ignaviâ, Medicorumque obſtinata ignorantiâ, ubique in hac civitate teſtantur: mirum ſanè eſt, quod hujus morbi virulentiam ſupra omnia venena extollant, & quod deinde à melonum ſeminibus, & aquâ capillorum Veneris tantę virulentię debellationem expectent? Morbum in causâ occultum prædicant, & manifeſtis, ac vulgaribus deinde medicamentis ſanationem perficiunt.

Per quindecim, aut viginti dies, & ultra notatis mucilaginibus exhibitis, aliqui *terebinthinâ utuntur lotâ aquâ violarum per os aſſumptâ ad quantitatem* ℥ ß. quolibet manè jejuno ſtomacho per ſex, vel octo dies cum *pulvere glycyrrhizæ, & ſaccharo ad formam boli*, ſed inſcitè faciunt; multùm enim ſui balſami per lotiones deperdit, fitque merè inutilis. Latet in terebinthinâ mirabile balſamum, quod in vias urinarias ſpecificâ fertur proprietate, illiſque balſamicam ſuam impertitur virtutem, ne earum nutrimentum degeneret, corrumpatur, vel fixetur: Unde eſt, quod poſt aſſumptam terebinthinam urina, quę reddita, violaceum à longè ſenſibilem ſecum ferat odorem. Nonnulli procedunt hoc modo:

℞. *Terebinth. lib. j. coquunt in aqua lib. xxiv. donec odorem amittat, & inſpiſſetur, adeò ut refrigerata digitis in pulverem verti queat, ac vitri modo diſſiliat*; ſed etiam ineptè faciunt, cùm tota pars eſſentialis in aquam tranſeat, remaneatque tantum pars inutilis balſamicâ ſpoliata virtute. Aliqui tandem medicaſtri terebinthinam propinant crudam in ovo ſorbili, quod medicaminis genus; ferculum nimis ingratum, ob olei roſacei defectum, à digeſtivo parum differt.

His parùm proficientibus ad Caſſiæ uſum patientem inducunt, eamque ita præſcribunt:

℞. *Pulp. Caſſ. noviter extract. per ſetam* unc. ij. *fol. ſen. or. pulveriſat.* unc ß. *cinnam. contuſ.* ʒ. ij. *Sach. q. ſuff. f. conſerva.* quæ exhibeatur in formâ boli.

Nos Caſſiæ uſum non omnino inutilem judicamus, nam omnes humores cujuſcumque generis dulces reddit, difficillimum lotii exitum facilitat, urinæ ardorem cicurat, & veneni gallici virulentiam mitigat, licèt non extinguat: errant tamen *Vulgares medici* in foliorum Senæ additione, nam ſimplicia omnia, quæ ſuaptè naturâ in renes, & veſicam properant, ſi ſolutivis miſceantur, propter vim ſolutivam per inteſtina præcipitant, antequam in renes deſcendant: Nos itaque ſequenti modo caſſiam exhibemus, & non parùm juvamus in virulentis gonorrhœis:

℞. *Pulp. Caſſ. recenter extract. per ſetam* ℥. ij. *pulp. tamarynd.* ℥. j. *pulv. glycyrhiz.* ʒ vij. *Sacch. parum f. conſ. in patinâ ſuper calidos cineres.* Doſis unc. j. uſque ad ij. Immediatè ante prandium exhibeatur quinque, aut ſex ſucceſſivis diebus.

His ſic exhibitis, ſi gonorrhœam patientes Medicos urgeant pro integrâ curatione, ad aſylum medicum, ſcilicet ad ſanguinis miſſionem, & purgans deveniunt medicamentum, ſcilicet ad ſanguinis, & ſtercoris eductionem, quibus ſi gonorrhœa non ceſſerit, infirmo ſuadent fluorem illum utilem eſſe, cùm natura per eum locum virulentam materiam expurgare conetur, neque cohibere debere, quia corpus inficere poteſt, & pejora eveniunt mala; hac malitiosâ induſtriâ, quod illi perficere nequeunt, per alios curari ſub pœnâ majoris damni infirmis prohibent. Ex pedibus itaque ſanguinem mittunt ſemel, & bis, quaſi retractum deorſùm verſus crura venenum intra corpus non remaneat. Deinde ad ſequens, vel ſimile deveniunt medicamentum purgans, abſque ullo tamen Anti-Venereo, ſed ſolùm per applicationem commune morborum omnium, quo ſemel, bis, & ter corpus ſolvunt:

℞. *fol. ſen. cr. tart. vin. alb. & polyp. querc. ana* ℥. j. *flor. cord. p. j. f. decoct. ſ. a. in aquâ capill. ven. & in ſuff. quantitate prædict. decoct. diſſ. Syr. Sueſſ. & roſ. ſolut. ana* ℥. iij *confect. hamech.* ℥. ß. *m. f. potus, adde aquæ cinnam. parum.*

Verùm nos fraternâ charitate *vulgares Medicos* admonitos volumus, (licèt de errore admoneri nolint) ne audeant ſanguinem mittere, neque purgans exhibere medicamentum, ſaltem dum in gonorrhœâ perſeverat urinæ acrimonia, & in erigendo dolor, ſed uſque hunc perſeverare debent in aperientibus, & diureticis, nec aperientium, & diureticorum uſus debet eſſe prolixus, quia teſtium inflammationem, & tumorem, vel podagram, vel involuntariam urinæ excretionem cauſſare poteſt, ut nos multoties obſervavimus. Verùm his ſyrupis aperientibus, & diureticis Laconicè res abſolvi poteſt.

℞. *Syr. de quinque radic. aperient. & de althæâ Fernel. ana* ℥. j. *aq. capill ven.* unc. iij. m.

Vel ℞. *Syr. de Nymphæa, & malvar. ana* unc. j. *aq. ejuſdem malvæ* unc. iij. m.

Vel ſequenti in hunc modum concinnato, quo plures curavimus gonorrhœas:

℞. *Decoct. capill. Ven. agrimoniæ, hepaticæ, plantaginis, Ceterach.* ℥. v. *Syr. de Succ. Vel.* ℥. ij. *m.*

Et ratio eſt, quia tam ſanguinis miſſio, quàm medica-

dicamentum purgans à corporis circumferentiâ centrum versùs trahunt, & venenum gallicum, quod in pene, vicinisque stagnat partibus, intrò trahitur, aut ejusdem materiæ in testiculos deductio, & horrendi morbi indè sequuntur. Terque quaterque infelix ille, qui virulentâ adhuc fluente gonorrhœâ ex misso sanguine, vel ab adhibito purgante gonorrhœa à fluore cessat, vel enim febre malignâ corripitur, vel intra mensis spatium acerbissimis in toto corpore doloribus cruciabitur. Expectent itaque, ut in gonorrhœis omnis dolor, omnis urinæ acrimonia, & omnis materiæ fœdus color cessent, nam tunc licèt sanguinis missio, quæ tamen nullo modo fieri debet, & purgans medicamentum, nihil proficiant, multùm nocere non possunt.

Si his præsidiis gonorrhœa non cesserit, oleis adstringentibus ex *mastiche*, *menthâ*, *rosâ*, *myrto* paratis Lumborum regionem, & perinæum inungunt, vel ex rebus adstringentibus fovent.

In diuturnâ gonorrhœâ prædicta non sufficiunt, & ad fortiora confugiunt, nempe ad salsæ parillæ pulverem, quam tali modò describunt.

℞. *Salsæ parill.* unc. j. *turbith*, *& hermodactyl. ana* unc. iij. *fol. sen. or.* unc. ß. *fiat omnium pulvis subtilissimus, de quo*

℞ ℥. ij. *pro vice. in qua dosi singulis vicibus sunt addenda gr. v. vij. vel viij. diagrid & infundatur de sero in vino albo generoso.* Posteà manè sumatur ad plures dies usque ad morbi declinationem.

Solet quandoque tam sæva, & rebellis esse, & tunc labem hepati impressam esse signum est, & decocta sudorifica ex ligno guajaco, & salsâ parillâ in vino austero parata, vel æstuaria multùm prodesse possunt, quibus non juvantibus utendum censent intra mentulam lotionibus *ex aquis plantag. rosf. rubr. portulac. & Nymph. additis cerussæ lotæ in aquâ rosf.* ℥. *ii. lithargyr. bol. armen. or. & terr. sigillat ad* ℥. j. *Bulliant ad tertiæ partis consumpt. & colaturæ addatur sacchari alb. parum*, & f. injectio pluries in die usque ad gonorrhœæ sanationem.

Tandem aquam commendant solutivam, quam ita parant:

℞ *Tartari*, *& polyp. querc. ana* unc. iij. *sen. or.* unc. ij. *passul. sine arillis* unc. IV. *coriand. præp.* unc. j. *cinnam. elect. parùm.*

Bulliant s. a. in sufficienti aquæ quantitate, & facta colatura servetur. De hac decoctione exhibeantur unc. vj. pro vice ad plures dies.

Ex his debilibus, & barbitonsoriis medicamentis, quæ tam sævo, deleterio, & pertinaci nostri barbati exhibent morbo, non ægrè quisque omnimodam sanationis impossibilitatem conjicere potest, & licèt quandoque his futilibus medicamentis gonorrhœa cessare videatur, quia Luis virulentia approprietatis non abstersa, & resoluta fuit, inquilinus remansit hostis, qui horrenda fabricat symptomata, temporis tractu barbatorum palliatæ patescunt sanationes.

Pro nostrâ methodo in curandis virulentis gonorrhœis repetimus id, quod in nostris theoriis diximus, scilicet quòd caussa occasionalis Luis Venereæ est fixatum nutrimentum, cui quoties nutrimentum sanum, & volatile approximatur, figitur quoque, & in ejus naturam convertitur. Gonorrhœa gallica hoc modo fit, scilicet halitus, & effluvia uteri gallici viri sani urethram intrant, ejus epidermidem penetrant, proximum illius partis nutrimentum sanum, & volatile attingunt, illudque in eorum naturam transmutant, transmuratum deinde in sanici formam effluit, totamque inflammat urethram, quæ inflammatio in vesicæ collum usque transfunditur, & hinc ęger cùm decumbit, intensis afficitur doloribus, si penis tentigine corripiatur, & in lotii emissione, nominatim verò in viris, convulsione nervorum penis, qui dum ad principium retrahuntur, intumescunt, à qua intumescentia, pars illa flectitur, & incurvatur, unde gradus urinæ acrimonię, & gonorrhœę exurgit, quam chordatam appellant Medici. Hac positâ doctrinâ indicatio curativa duplex indè consurgit, una, quæ fixatum jam nutrimentum resolvit, immutat, ac volatile reddit, & altera, quæ adveniens sanum nutrimentum in suo balsamo conservet, ita ut licèt contaminatum attingat, non transmutatur ab eo; quoties enim quod advenit in partem nutrimentum non transmutatur, & quod illud trànsmutat, resolvitur, & abstergitur, de gonorrhœâ jam actum est.

Resolutio, & abstersio fixati, & corrupti nutrimenti non fit nisi per vitriolata, ut alibi demonstrabimus; quoties enim loca, in quibus facta est degeneratio, attingunt, illa abstergunt, quod in gonorrhœis fit, injiciendo in urethram per syringam aquam vitriolatam dulcem, quam aliqui ex vitriolo Cyprio ita parant.

℞. *Vitrioli Cyprii* ℥. *ij.* ß. *aquæ rosf. & plantag. ana lib. j. fiat in aquâ vitrioli resolutio absque calore, deinde illam ter per chartam emporeticam filtra.* Quidam pro Cyprio utuntur *Hungarico.* Multi adhibent lapidem salutis, ut

℞. *Aquæ plantag. lib. j. Lapidis salutis* ℥. *viii. stent simul spatio duodecim horarum deinde decanta.* Verùm nos felici cum successu usi sumus *aquâ nostrâ Venereâ*, quam ita paramus:

℞. *Viridis æris* unc. ß. *aquæ font. lib. ij. stent simul usquequò aqua coloretur, decanta, decantata disolve. Mercurii meteorizati gr. ii. vel. iij. & filtra.*

Tandem nos specificum nacti sumus medicamen, & omni laude dignum pro curandâ virulentâ gonorrhœâ trium dierum spatio, quod nunquam gonorrhœâ correptum fefellit, illudque sine invidiâ communicamus.

℞. *Aquæ plantag. lib.* ß. *Draconis mitigati in pollonem redacti* ℥. *ij. m. in phialâ, & agita.*

Vel loco Draconis mitigati (in dictâ aquâ dissolvi potest *salis Saturni* ℥. j.) Hanc aquam recipe cum syringâ, ac permitte, ut syringę fistula, quę tenuissima esse debet, & syringa ex ebore, parùm ultra glandem intret, ac tunc siphonis pressurâ fac, ut aqua per urethram interiùs excurrat, digitis premendo balanum, ne syringa ulteriùs intret, & aqua immissa fluat. Hæc lavatio ter fiat in die, & ter qualibet vice per tres, vel quatuor dies; ubi quisque advertere debet, quòd ad hęc nostra applicanda remedia non requiritur, ut per aliquod spatium gonorrhœa fluat, sed ipso tunc, quo apparet, imò si suscepte gonorrhœæ, vel bubonis suspicio adsit, qui non adhuc se manifestavit, hujus medicaminis usu ritè præcaveri potest, nam exterminantur caussæ, quibus positis pullularet.

Conservatio balsami nutrimenti est altera indicatio, quę nos cogit invenire remedium, cujus energia nutrimentum, quod in partem contagio pollutam advenit, suam puritatem, & volatilitatem servat, nec per contactum cum corrupto ipsum quoque corrumpatur; hoc auxilium mirabiliùs, quàm credi potest præstat terebinthina per os assumpta ad quantitatatem unc. ß. quolibet manè jejuno stomacho per sex dies in formâ boli intra hostiam convoluta. Verùm nos feliciter utimur in gallicis gonorrhœis terebinthina Venetâ illotâ ad quantitatem ℥. i. ß. alternis diebus intra hostiam convoluta aquâ madefactam *cum Draconis mitigati gr. x. vel xx.* in formâ pilulari, cui medicamini nulla gonorrhœa quamtumvis virulenta resistit, movetque duos, vel

vel tres feceffus, & urinę quantitatem. Illicò urinę acredinem, & in erigendo dolorem aufert, materię fluentis colorem immutat, omnia fymptomata reddit benigna, & ad octo vices integrè curat fluxum, nec ęger alio indiget medicamento purgante. Spiritu terebinthinę in gonorrhœis percurandis nil eft potentius, fuâ namque balfamicâ vi renes, & omnia vafa à venenatâ Luis labe abftergit, & purificat.

Quercetanus contra gonorrhœam virulentam fuam commendat aquam, quam fe centies expertam effe gloriatur, cujus componendi talis eft modus:

℞. *Menth. ficc. dictamn. Cretenfis, radic. Ireos florent. ana* unc. j. *femin. agni cafti, rutæ, lactucæ ana* ℥. vi. *terebinthin. Venet.* unc. iv. *vini albi* unc. xx. *m. omnia, & deftilla in vaf. vitreo, in balneo vaporofo.* Dofis cochlearia duo per aliquot dies, manè jejuno ftomacho, corpore priùs purgato.

Sed nos non fatis commendare poffumus noftras pilulas in gonorrhœâ virulentâ, nunquam nos, & ęgrotum fefellerunt, hactenùs pro reconditis habuimus, at nunc charitas nos monet, ut communicemus abfque invidiâ ad proximi utilitatem, ut

℞. *Stibii diaphoretici* ʒ. *ij.* ß. *fucc. liquiritiæ infpiffat.* ʒ. *v. fuccini alb.* ʒ. *ii. gumm. guajac. nativi* ʒ. iv. *Mercurii dulc.* ʒ. *vj. Maftich. elect.* ʒ. *ij. terræ exanimatæ Vitrioli.* ℥. *ij.* ß. *m. & cum fuff. q. terebinthinæ Cypriæ efficiatur maffa, ex qua pilulæ parvæ efformentur*, quarum quatuor, aut quinque pro dofi unâ exhibeantur ad plures dies. Nulla gonorrhœa quantumvis virulenta, & antiqua his noftris pilulis refiftit, funt veluti fpecificæ pro hoc malo. Non inferioris conditionis funt fequentes noftræ pilulæ, licet compendiofiores, ut

℞. *Gummi guajaci nativi* ℥. *iij. Stibii diaphoretici* ʒ. *ij. cinnab. nativi, vel antimonii* ʒ. ß. *merc. dulc.* ʒ. *j.* ß. *m. cum balfamo Peruviano liquido, formentur pilulæ XII. & deaureatur.* Dofis pilulæ. ij.

Multùm conducit *fpiritus terebinthinæ miftus cum faccharo Saturni* in gonorrhœâ virulentâ, non abfumendo femen, ut vulgares perperam credunt, fed abforbendo acidum vitiofum in hac gonorrhœâ peccans; & eâdem ratione conducit *Camphora*, non quod caftret per nares, ut vulgò putatur, unde verfus:

Camphora per nares caftrat odore mares.

Sed tanquam fal volatile oleofum detergit, & corrigit acidum Venereum. Hâc eâdem ratione *infufum cantharidum in vino* expertum eft remedium contra gonorrhœam cujufdam Belgæ, quod hic pro fecreto apud quofdam pharmacopolas, & Medicos habetur in fpiritu vini infufum; & nos multos, qui tale infufum acceperunt à faucibus orci eripuimus. Verùm cantharidibus ineft vis falis volatilis quæ magna cauftici, fedulitate & cognitione temperari debet ab acido aceti, vel vini, ut abeat in falfum temperatum, non adeò corrofivum, aliàs efto potentiffimè urinam cieat, corrodit, veficat, & exulcerat non tantùm veficam, fed in tranfitu alias internas corporis partes, & ultimò veficam, & inde inducit mictum cruentum. Adhiberi tantum debent cantharides externè in veficatoriis, & tamen quoque mictum cruentant. Aliqui *fale petræ, vel prunella* utuntur quia abftergit, & refolvit omnia falia Venerea; & per urinæ ductus expurgat.

Extincto fyringæ, terebinthinæ, vel pilularum noftrarum ufu gonorrhææ gallicæ fluxu, tutò, citò, & jucundè, magna cautela adhibenda eft, ut fi fortafsè aliqua contagii aura intra corpus delitefcat, omninò exterminetur. Nonnulli aquâ folutivâ magiftrali utuntur à celebri Viro *Paulo Æmilio Ferrilio* inventâ; ejus enim ufus poft fymptomatum gonorrhœæ virulentæ remiffionem, illam omnino extinguit, & de totali venenі gallici extinctione aliquo modo ægros tutos reddere poteft ejus defcriptio talis eft.

℞. *Salf. parill. fciffæ, minutim incifæ, & benè lotæ, polyp. querc. contufi, tartari alb. pulverifati, uvarum Corinthiacar. ana unc. ii. fantal. rubr. contuf. unc. j. limaturæ ligni fancti, rafuræ eboris, corn. cerv. non calcinati ana unc. j. Ponantur hæc ultima tria in pipatellâ, & fimul cum aliis projiciantur in aquæ fontis ferventis lib.* xx. *ac deinde operto vafe detineantur in loco tepido per* 24. *horas, bulliant poftea ad Confumptionem tertiæ partis aquæ, & tunc adde fol. fen. or. unc. iij. cinnam. elect. contuf. unc. j. bull. parum, & auferatur vas ab igne, ac bene coopertum frigefcat. Aqua per inclinationem à materialibus pura feparetur abfque expreffione, & poft feparationem in eâ exprimatur fortiter pipatella & fervetur.* Dofis lib. j. ufque ad j. ß. pro patientis difpofitione. Exhibeatur frigida poft aniforum conditorum comeftionem, jejuno ftomacho per quinque, aut fex dies. Leniter folvit corpus fepties, vel octies in die. Lauto indiget prandio, & ex carne, cruda omnia interdicuntur.

Verùm, ut in futurum æger tutus effe, & abfque fufpicione vivere poffit de lue, fi fequentibus pilulis, quifque utatur, procul dubio fuccedet.

℞. *Pilul. de tribus* ℈. *ii. in gracilibus; robuftioribus verò* ʒ. *j.* ß. *merc. dulc.* ℈ *j. m. f. pilul. v. & deaurentur.* Et exhibeantur ante cœnam, eandem dofim ter exhibe trium dierum fpatio pofito inter unam, atque alteram, & perfectè curatus erit infirmus. Vel meliùs.

℞ *Extract. Catholic.* ʒ. *j. mannæ merc. gr. x. m. f. pilul. iij. & deaurentur.*

Cœterùm fi æger noftris utatur pilulis, nullo alio purgante indiget.

Præfcriptis remediis indubitanter recens gonorrhœa virulenta curatur, & contagii fufpicio, in pofterùm regerminatio omninò tollitur; verùm fi gonorrhœa fuerit antiquata, iifdem remediis tentari poteft, facilè tamen evenire poterit, ut impreffum profundius virus non ita extinguatur, ac fi recens effet; atque tunc ut fluxus curetur, qui faciliter in urethrâ carunculam inducere poteft, quæ illam occludere folet, ad efficaciora tranfeundum eft, nam quò antiquior gonnorrhœa, eò remediis fit rebellior. Itaque ubi in recenti lavatio per firyngam, & terebinthinæ ufus per fex dies fuêre præfcripti; in antiquâ per 12. dies præfcribi debent eodem modo, quòd fi jam pertinax perfiftat; jam hæc funt inutilia, tunc *ad turpeti mineralis, vel mercurii diaphoretici in noftrâ Pyrotechniâ* defcripti ufum recurrendum eft, vel *ad lacertæ viridis* præparationem, cujus remedii tanta eft in curandis gonorrhæis efficacia, ut recentem unà vice exhibitum curet: antiquam verò quatuor vicibus affumptum radicitùs abftergat. Hoc remedium verfatum in fpagyricis requirit artificem, nec indifferenter cuilibet pharmacopolæ eft pro eo fidendum, modus illud conficiendi hic eft.

℞. *Merc. vivi mundificati* ℥. *iij. f. ejus folutio in aquæ fort.* ℥. iv. *& fervetur, deinde.*

℞. *Veneris unc. ij. folve in aquæ fortis unc.* iv. ß.

Has folutiones conjunge in uno vafe atque poftquam funt commiftæ, aqua fortis deftilletur, urgendo fub fine ignem vehementius ut maxima fpirituum corrofivorum pars tollatur, quod in fundo reftat, tere, & cum fpiritu aceti in cineribus; vel in B. digere per xxiv. *horas, ultimò ebulliendo, ut potiffima Mercurii pars in aceto folvatur, nam acetum deftillatum tingetur colore lazureo, hoc coloratum acetum per inclinationem à præcipitato fepara in vas limpidum, & ferva, affunde iterum fuper præcipitati refiduum aliud acetum, ac eodem modo, quo & fpatio feparetur, & in vas limpidum ferva, & fic tertio*

tiò fiat, usquequò acetum non ampliùs tingatur, tunc remanebit in vase pulvis citrinus dulcis, quem serva, nam mirabile est diversis morbis remedium; tinctum verò acetum destillatum quod omne in vase asservasti, in cucurbitam vitream loricatam suæ fornaculæ adaptatam injice, & evaporationis ignem suppone illumque continua, usque dùm sicca materia remaneat viridis coloris, ac ea propter lacerta viridis dicitur. Hanc materiam à vase exime, & reduc in pulverem, qui non est eluendus. Est specificum pro gonorrhœâ virulentâ antiquatâ jamjam ad luis Venereæ præcipitium declinante, & licet gonorrhœa cessare visa sit, redit tamen ab hoc specifico exhibito. Ideòque doses convenientes tandem iterandæ, donec omnis fluxus saniosus sedatus, & sublatus fuerit. Movet nimirum simul hoc pharmacum gonorrhœam, & eandem tollit. Dosis à granis duobus, ad quatuor cum aliquâ massâ pilulari. Solet ut plurimùm lenem provocare vomitum, paucosque secessus. Vel sequens massa pilularis formari potest, ut

℞. *Lacertæ viridis* ℥. *ij. (forsan potiùs* ʒ. ij.) *terebinth. Cypriæ leviter coctæ* ℥. ij. *succ. liquiritiæ inspissati* ℥. *iij. extract. gentianæ* ℥. *j. m. omnia simul, & f. massa pilularis s. a Dosis* ℈. j. ad ij.

Nonnulli *infusum cantharidum* in vino simplici, sublimato tanquam expertum remedium pro gonorrhœâ curandâ præbent, quia cantharides acerrimo sale volatili abundant, quo mediante acidum sal vitiosum in gonorrhœâ absorbetur. Verùm non est tutum medicamen; est namque hoc sal causticum, & nisi optimè corrigatur, corrodit, & vesicam exulcerat, & inde mictum cruentum inducit. Et nos multos è faucibus orci eripuimus, qui tale infusum sumpserunt; Concedimus itaque cantharides vulgaribus pro excitandis vesicis. Nonnulli bardi ad stimulandam Venerem cantharidum pulverem sumpserunt, sed res male se habuit. *Salmuth.* de sene historiam narrat, qui juvenculam duxit, cui ut placeret, accepit medicamentum, cui adjunctæ fuêre cantharides, inde factum ut altero nuptiarum die fuerit mortuus, pene rigido permanente post mortem. Pro excitandâ Venere expertum remedium externum est cantharidum oleum per infusionem, quo penis & testes inungantur, sic enim Venerem stimulat, & penis erectionem promovet.

Post extinctum fluxum saniosum Venereum, per aliquod temporis spatium quædam lucida lacrymula ad urethræ expressionem usque ad glandem quandoque exprimi solet, quæ verum semen est; adhæret namque pollici, indici cum aliquali extensione, quod non contingit in fluxu sanioso, & hæc dicitur vera gonorrhœa. Contingit hæc vel à seminis ubertate: hi enim gonorrhœâ Venereâ correpti à coitu se abstinent, semen augent, unde ut plurimùm nocturnas patiuntur pollutiones cum magnâ seminis excretione; vel provenit à laxitate vesicularum seminalium non secus ac prostatarum glandulosarum, quæ à fluxu sanioso introducta fuit. A seminis copiâ illis curatur medicamentis, præter extenuantem diætam, quæ semen diminuunt, ut

℞. *Fol. rutæ siccæ, sem. agni casti, menthæ ana* ℥. *j. m. f. omnium pulvis*, de quo accipiat aliquid æger manè jejuno stomacho in ovo sorbili. Utilissima est aqua castitatis alibi à nobis descripta. Vel sequens medicamentum per aliquot dies *s.* sumptum, ut

℞. *Syr. ne Nymphææ unc.* j. *trochis. de vitice* ʒ. j. *aquæ Lactucæ unc. iij. m.*

Vel sequens propinetur emulsio ad plures auroras, ut

℞. *Sem. cannab. melonum ana* ℥. *ij. quatuor frig. maj. ana* ℥. j. *aquæ Lactucæ, portulacæ, flor. Nymph. ana unc iij. fiat emulsio, & edulcoretur cum sufficiente quantitate syr. papav. albi.*

Si vesicularum seminalium laxitate ortum ducat, ea conducunt medicamenta, quæ hæc vasa coarctant, & ad naturalem partium structuram disponunt, ita sunt *coralliorum tinctura*, vel horum *syrupus*, *vel magisterium.* Vel sequentes pilulæ ad finem usque continuentur, ut

℞. *Extract. rad. tormentil.* ℈. *ij. magist. coral.* ℥. ß. *sperniol. Croll.* ℈. j. *m. f. pilul.* ix. *pro tribus dosibus.*

Vel ℞. *Croc. Martis adstring.* ℈. ij. *trochis. de carabe.* ʒ. j. *ossis sepiæ præp.* ℈. j. *Sacch. Saturni gr.* xv. *m. cum syr. de Nymphæa, & formentur pilulæ magnitudinis ciceris.* Dosis pilulæ iij.

Solet quandoque gonorrhœa ita rebellis esse, ut omnibus adhibitis remediis reluctetur; hoc provenit, quia granum hordaceum est læsum, vel ulceratum & hæc est illa gonorrhœa, quę ad plures annos, & ultra perdurare solet, nisi nostra adhibeantur medicamina.

Cap. 3. *De Testium Tumore.*

Testes variis tumorum generibus infestari solent, inflammatione scilicet, scirro, erysipelate, œdemate &c. quæ sunt aliis communia partibus, de quibus hîc non agimus? quædam alia sunt particularia, & propriè ipsis competunt testibus, non enim fiunt in extimâ scroti parte sed in intimâ, & circa ipsos, hujusmodi autem sub herniæ nomine comprehenduntur, de quibus in Primo Tomo tractavimus, sed hîc de illo testium tumore, qui ex virulentâ gonorrhœâ ortum ducit, agimus, quæ *Hernia Veneris* dicitur.

Signa.

Hujus affectus signa sunt: Si actu gonorrhœa fluit, vel ejus intempestiva præcessit suppressio, & ingens rigor corpus invaserit, deinde febris, testes intumescunt, insignis, & dolorificus exoritur tumor, quandoque in uno, & quandoque in ambobus testibus, cum pondere, quasi testes deorsum trahente, rubore, & pulsatione, ut plurimùm ad renum loca se extendente.

Causæ.

Vulgares Medici testium tumorem per viam fluxionis fieri credunt, imò per confluxionem catarrhalem ex hepate, quia gonorrhœam esse penis catarrhum opinantur.

Fit testium tumor, si æger diætæ leges parùm servet, sed ex ejus arbitrio pendeat, variosque committat errores; vel potiùs si saniosus fluxus adstringentium ope repulsus fuerit; vehementioribus catharticis vel intempestivè adhibitis; vel à nimio aperientium, & diureticorum usu, vel ex phlebotomiâ in pede celebratâ. His mediantibus causis occasionalibus, saniosus gonorrhϾ fluxus, vel aliqua ejus portio inhibetur, stagnat, nec ampliùs quandoque fluit, & consuetam obstruit viam, tunc è prostatis per testium fibras, vel unà cum sanguine, vel succo nutriente, vel lymphâ ad testes propellitur, & diffunditur, ibique excitatâ effervescentiâ, vasa intumescunt, succi inter testium fibras stagnant, fermentescunt, & arrepto veneno Venereo, ita exagitantur, ut acidæ, & cuspidatæ eorum particulæ vehementiùs commotæ fibras vellicent, lancinent, contrahant, vel distendant, & hoc non modò tumor, & ingens dolor, sed febris, rubor & pulsatio nunc in uno, nunc in ambobus testibus exsurgit. Sæpè plures testium canaliculi à materiâ stagnante aperiuntur, & succi intùs contenti effluunt, & hypersarcosin producunt insanibilem.

Prognosis.

Testium tumor est malum non contemnendum, cùm testes ad speciei conservationem non solùm sint neces-

ſarii, illiſque valdè læſis, læditur & generatio, ſed etiam teſtantur humanitatem; unde tumor hic in principio non ægre curatur, ſi illicò convenientia adhibeantur medicamenta, & nullus nec à patiente, nec à medico committatur error: ut neglectus rarò ſuppuratur, vel perpetuò in ſcirrhum degenerat, ſi ſucci ſtagnantes ab initio non attenuentur, & reſolvantur, præter alia diræ luis ſymptomata, quæ huic malo ſupervenire ſolent.

Curatio.

Curant *Vulgares* teſtium tumorem præmiſſo clyſtere refrigerante, & emolliente, peccant teſtes, & anum plectunt; deinde venæ ſectionem revulſivam celebrant, quæ multùm nocet, ut fuſiùs demonſtravimus: quia non peccat ſanguis, & in morbis venenatis ſanguinis miſſio eſt ipſo veneno nocentior. Poſtmodùm victus refrigerantis, & humectantis inſtitutâ ratione, ad cataplaſmata refrigerantia deveniunt *ex malvarum foliis, radicibus althea, floribus chamomilla, & meliloti, ſeminibus lini, ac pſylij.* Vel

℞. *Succ. ſolan. lib.* ß. *flor. alth. exſiccat. roſ. rubr. ana* ℥. *j. aqua perſicar. maculat. plantag. ana* ℥. *iij. farina hordei lib.* ß. *olei roſ.* ℥. iv. *f. cataplaſma.*

Verùm in magno verſantur errore, quia licet copioſius refrigerent, tumorem non tollunt, nec reſolvunt; ſed in ſcirrhi duritiem vertunt. Nonnulli *fabatam* applicant, quam concinnant, fabas coquendo ad cataplaſmatis formam uſque cum oleo roſ. & eodem modo *ex ciceribus cataplaſma* conficiunt, quæ juvare credunt ob ſignaturam cum teſtibus. Dato, quod cicera ob ſignaturam juvent, fabæ quam ſignaturam habent; Interim non deſunt *ſyrupi refrigerantes*, & renum *ex unguento roſaceo, & Comitiſſa* inunctiones. Corpus ſemel, & bis *Caſſiâ* purgant; ſed malum pejorant, & tumorem augent, caſſia namque per urinæ vias purgat.

Teſtium tumorem ex virulentâ gonorrhœâ contractum nos curamus dolorem ſedando, fluxum ſanioſum avertendo, diffuſum diſſipando, & tumorem reſolvendo. Unde æger in lecto quieſcat, & ſtatim ad doloris ſedationem, teſtibus cataplaſma de micâ panis ſæpius applicetur quod fit *ex lacte, micâ panis albi, vitellis ovorum recentium, ac oleo roſaceo.* Magnæ efficaciæ eſt hoc cataplaſma in inflammatione, & ſedandis teſtium doloribus, non quia frigidum, ſed ob anodynam energiam, quam continet. Verùm ſi dolor ſit ita acerbus, ut totam ſe curationem trahat, tunc maximo juvamine applicetur cataplaſma *ex foliis hyoſcyami, papav alb. & umbilici Veneris confectum in aqua ſpermatis ranarum* & addi poſſunt *mucilagines ſeminis pſyllii cum eâdem aquâ extracta.* Vel inungi poſſunt *oleo ſem. papav. alb. per expreſſionem elicito:* Præſentiſſimum eſt etiam *Cataplaſma ex ruta, & ebuli foliis aceto coctum*, & applicatum. Vel fiat fomentum *ex decocto radicis china cum floribus ſambuci in vino generoſo*; hoc enim decocto ſi fomentetur ſcrotum, & teſtes, diſcutit, & inflammationem reſolvit cum gonorrhœâ conjunctam. Pro pauperibus tamen expertiſſimum eſt cataplaſma factum *ex farina fabarum coctâ cum poſcâ* ſcilicet *aquâ, & aceto*, & reverâ tale cataplaſma eſt expertiſſimum ad quamcumque teſtium inflammationem; Cujus rei aliquot experientias videre poteritis in Riverii obſervationibus, adeò ut hoc ipſum cataplaſma non tantùm in ſimplici teſtium inflammatione; ſed etiam quæ interdùm ſuppreſſis intempeſtivè gonorrhœis ſupervenit, commodè applicari poſſit.

Sanioſus avertitur fluxus, ſi noſtra adhibeantur medicamina pro gonorrhϾ curatione, & præcipuè ea, quæ balſamica comprehendunt. Virulentam à teſtibus reſolvunt materiam ſequentes pilulæ, ut

℞. *Gummi guajaci nativi* ʒ. j. ß. *ſtibii diaphoretici* ℈. *ij. balſami Peruv.* ʒ. *ij.* ß. *m. cum ſyr. card. ſancti, f. pilul.* xx. *& deaurentur.* Doſis pilul. ij.

Pro tumoris reſolutione, tranſactâ inflammatione, & dolore, unicè valet *oleum ſanctum rectificatum, & corroboratum cum oleo ligni ſancti, vel oleum ceræ cum oleo gummi ammoniaci vigoratum*, pluries injunctum, vel *balſamus ſulphuris à Rulando deſcriptus*, vel applicati poteſt *emplaſtrum ſticticum*: Sed in horum medicaminum applicatione, ut partem tangant, & actuentur, ac ne ſuo pondere teſtes deorſum trahantur, & dolorem adaugeant, neceſſarium eſt ſubligaculum.

Tumorem antiquatum tollunt purgationes noſtræ pilulares capite præcedente de gonorrhœâ deſcriptæ, quibus parùm proficientibus, quia ſcirrhi naturam ſapit, ad noſtra decocta infrà deſcribenda recurrendum eſt, vel ut tumor ſcirrhoſus curandus.

Cap. 4. *De Carunculâ Penis.*

SI gonorrhœa virulenta fuerit antiquata, vel ſextum præterierit menſem, faciliter evenire poteſt, ut virus profundiùs impreſſum in urethrâ ſordidum inducat ulcus, & inde eveniat caruncula penis rariſſime verò ex aliâ cauſâ prægreſsâ hoc oritur malum.

Signa.

Facilè cognoſcitur penis increſcens caruncula, ſeu excreſcentia carnea in urethrâ, ex prægreſsâ fœdâ gonorrhœâ, quæ modò ſtranguriam, modò diſuriam, jam iſchuriam infert; obſervatur namque urinam non eodem tenore ac anteà prodire, aut bifurcatam, ac obliquam, tandem ita ſubtiliatur, ut guttatim tantùm exiliat, aut omninò intercipiatur. Unde cathetere, vel parvâ candelâ cereâ immiſſâ in penis canalem mox ſe offert obſtaculum carnoſum, modò, anteriùs, modò idque ut plurimùm poſteriùs, circa penis radicem non longè à proſtatis glandulofis, ibi enim ut plurimùm hæc ipſa caruncula excreſcere ſolet.

In mulieribus cognoſcitur, cùm in uteri collo formatur, quia membri virilis introductionem impedit.

Cauſa.

Penis carunculæ cauſam credunt vulgares eſſe humores lentos, viſcidos, & pituitoſos ad urethræ ulcus defluentes, & cum aliquâ ſanguinis portione admiſtos, in carneam excreſcentiam abire. Verùm errant in hujus affectus aſſignanda cauſa, non enim humores viſcidi, & pituitoſi, vel ſanguis ipſe hujus excreſcentiæ cauſa eſſe poſſunt, ſed hujus mali origo pendet à fœtida gonorrhœâ, quando nempe acrimoniâ acido-ſalinâ corroſivâ liquaminis effluentis corrodit urethram, & nonnhil exulcerat. Unde ſequitur tandem, ut in loco cortoſo ex ulceris impuritate, & craſſitie unà cum alimento naturali affluente ſuccreſcat ſubſtantia quædam carnoſa cujuſdam verrucæ inſtar, ut in aliis ulceribus videre eſt, quemadmodum à turdi conſpurcatione arboribus viſcum innaſci dicitur. Hæc ſylveſtris caro vivit alienâ quadrâ, ſcilicet vitâ totius, non aliter ac viſcum frutex arboris vitâ.

Prognoſis.

Penis caruncula malum eſt periculoſum, & curatu ſatis difficile ac tardæ ſanationis; circa enim initia mollis, & laxa percipitur, quandoque parva, & non multæ obſervantur, temporis verò diuturnitate plures grandiores, duræ, & calloſæ, & tunc vix curationem admittunt: ſiquidem levioribus non cedunt medicamentis, fortioribus irritantur, & potiſſimum ſi medicamenta in formâ liquidâ adminiſtrentur, à quibus potiùs

tiùs ſanæ partes, quàm carunculæ eroduntur. Præterea curationis difficultatem auget affecti membri nobilitas, compoſitio, & connexio, quam cum præcipuis partibus habet, adeſt viarum anguſtia, & tractandi difficultas, ac proinde vix ſine majorum malorum metu curari poſſint, nam abſque exedentium medicaminum uſu vix ſuperantur, & quod malum adauget, medicamenta in parte affectâ commodè applicari nequeunt, nec commodus eſt locus ad amputandas has carunculas. Inſuper curandi difficultas oritur, quia pars eſt mobilis, & frequenter ab urinâ humectatur, & irritatur. Imò malum comitatur modò ſtranguria, modò dyſuria, & modò iſchuria. Eſt ſtranguria urinæ ſtillicidium & ſæpe ad mictionem ſtimulat, parùm tamen, & guttatim ſaltem redditur urina, idque qualibet vice cum mordicatione acerbâ, & uſtulatoriâ inter mingendum in meatu urinario percepta, inprimis autem circa mictionis finem, ubi mordaciſſimus ardor uſque ad glandis extremitatem ſentitur. Dyſuria eſt urinæ difficultas, quando urina cum laborioſo conatu, diuturniorique quam aliàs fieri ſolebat, occupatione. & quandoque cum hypogaſtrii dolore vix tandem omnis ea quantitas, quæ pro vice in veſicâ collecta eſt emittitur, interrupto, ſubindè mictionis filo, atque in guttationem converſo, imò integram ſubſiſtentiam minante, ut proinde patiens opus habeat ducto prius integris pulmonibus ſpiritu fortius conari atque unà nonnunquam manibus hypogaſtrium comprehenſare, quò omnis urina foras propelli queat, tanto labore, & dolore urinæ redditio fit, ut interdum etiam teneſmum concitet, alvum ad ſe exonerandam ſtimulet, & ſaltem ani ſphincter ſimul per conſenſum doleat, ac hæmorrhoides inflentur; unde miſeri ægri ejulare cogantur. Iſchuria eſt penitus urinæ ſuppreſſio, ita ut planè nihil, & ne guttula quidem emanare poſſit, & ad ſuperiora regurgitat. Et hinc difficillima emergit curatio, & luem Veneream comitem habet, quia hujus ſoboles eſt. Nec radicitus tollitur, & poſt remediorum applicationem licèt abſumpta videatur, tandem ad ſepulchrum uſque comitari ſolet.

Curatio.

Pro Carunculæ curatione præmiſſis internis purgantibus, tam mercurialibus lui dicatis, quàm appropriatis, ſed blandioribus, nam ſatius eſt bis, vel ter corpus purgare, quàm viribus proſtratis, agitatis, ac calefactis humoribus malum exacerbare: deinde idoneâ inſtitutâ victûs ratione, ad decocta confugimus ſudorifica. Si caruncula in magnitudinem, & duritiem excreverit, emollienda eſt fotu *ex radicibus liliorum alborum, althea, ſemine lini, fœnugræci, floribus camomillæ, & meliloti, quæ conciſa, & contuſa bulliant* intra crura, ac pannis undique circumtecta, ne quid exhalet, & fomentetur penis, poſt fotum applicetur cataplaſma ex prædictis materialibus contuſis, & trajectis. Vel fiat linimentum *ex unguento de althæâ, butyro, adipe humana, & oleo* ſimul miſtis. Emollitâ carunculâ ſequitur, ut extirpetur; hujuſmodi autem opus non exſpectandum eſt, neque ſperandum eſt à naturâ ſed ab arte. Si omnimoda urinæ ſuppreſſio ægrum fatiget, vel ſtillicidium, pro urinæ excretione ad cereæ candelæ uſum deveniendum eſt, eſto in ejus introductione intenſiſſimi excitentur dolores, ſed candelæ cuſpis illinenda eſt aliquo medicamento non valentiori, & acriori, ne ob dolorificam eroſionem aliquod exitiale ſuccreſcat malum, ſed talis energiæ eſſe debet, ut carunculas diſſipandi, & conſumendi vi potiatur citra mordicationem. Abſumetur caruncula ſequenti pulvere.

℞ *Draconis mitigati* ʒ. ij. ß. *ſtibii crudi* ℥. ß. *tutiæ præp.* ʒ. j. *m. f. pulv. ſubtiliſſ.*

Utimur hoc pulvere cum candelis cereis & cerâ virginea factis quatuor, vel quinque filis cerâ obductis, Ceræ verò præparatæ tenuiſſimis obvolvendæ ſunt faſciis ex lineo panno carbaſino, ne nempe fabrefactæ candelæ relinquant ceram, & ut commodiùs unguentum recipiant. Pulvis iſte priùs cum oleo amygdalarum diſtemperatus ſit, eoque ſuperior illinatur candela cerea, & in penis ductum immittatur, eò uſque ubi caruncula viget. Si æger mingere volet, demàtur candela & poſt mictionem nova indatur, idque fiat integro quatriduo. Vel meliùs fiant candelulæ ex cerâ albâ quatuor filis ex ſerico crudo cerâ obductis, ne intra urethram rumpantur, ut multoties obſervavimus. Pars, quæ urethram ingreditur, parum calefacta volutetur ſupra *ſimplicem draconis mitigati pulverem*, & modò quo ſupra adhibeatur; vel eodem modo utimur *Calomelano Turqueti* feliciori eventu. Non credibile eſt quantum hic pulvis valeat ad penis carunculam abſumendam, nam medicamentum pro carunculâ talis energiæ eſſe debet, ut ſanam non exulceret partem, & luxuriantem tantùm abſumat, ejuſmodi eſt Draconis mitigati, & Colomelani Turqueti pulvis.

Nonnulli in carunculæ abſumptione candelæ vice, chordâ ex inteſtinis contortâ, & oleo amygdalarum dulcium oblitâ utuntur, quæ nullatenus rumpi poteſt & multùm pro unguenti illitione valet; chordæ namque apici, & vacuitatibus adhæret. Multa ſunt unguenta pro hoc malo ab authoribus deſcripta, ſed ab acribus, & corroſivis abſtinere oportet, quia urethræ molliſſimæ, & tenerrimæ fibræ facilè læduntur, & diſcinduntur, periculum namque eſt, ex nimiâ corroſione, ne gangræna oboriatur, & eſſet malum priori pejus. Mitia itaque conducunt, & quæ ſenſim abſumendo procedunt, ita eſt ſequens, quod ſat extollere non poſſumus, ut

℞. *Oſſis ſepiæ, tutiæ præp. ana* ℥. jj. *cornu cervi uſti, aloës lotæ, ariſtoloch. rotund. ana* ℥. j. *al. uſti* ℥. ß. *f. pulv. ſubtiliſſ. poſteà.*

℞. *Ol. roſar.* ℥. ij. *Lithargyr. aur.* ℥. j. *f. decoct. quouſque acquirat emplaſtri conſiſtentiam, deinde ab igne depoſito, adde illum pulverem & ad ignem tractato, ac miſceto donec medicamentum evadat duriuſculum*; hoc remedium emplaſtri habet conſiſtentiam, & extremitati candelæ, vel chordæ, præſertim ſi illa tenuior facta ſit, ſatis commodè annecti poteſt.

Quod ſi caruncula admotis vulgaribus præſidiis non diſſipetur, & urinæ ſtillicidium omnimodam ita minetur interceptionem, ut patiens periclitari videatur, tunc ad ſpecillum plumbeum confugiendum eſt, præmiſſis emollientibus; ſic enim vehementes non concitantur dolores, & non ita facilè inflammationes ſequuntur.

Si omnimoda ſit urinæ ſuppreſſio, parvus chateter in meatum urinarium intrudatur uſque ad veſicæ fundum, ſic carunculæ atteruntur, & comminuuntur, & urina evacuatur; interim permittendum eſt, ut ſanguis copioſè educatur, ita enim, ne prava accidentia ſequantur, prohibetur. Opus crudele videtur, attamen longè crudelius eſt, cùm nihil urinæ excernitur, ſinere, ut ad alias partes recurrat, & patiens citiùs, & certiùs periclitetur.

Abſumptas eſſe carunculas per noſtra medicamenta deprehenditur ex urinâ, quæ liberè, promptè, & pleno meatu prodit, vel ex candelâ, quę liberè, & abſque ullo impedimento ad veſicam penetrat: tunc incumbendum eſt, ut per ſyringam medicamentis vulnerariis inducatur cicatrix, quibus tamdiù utimur, quouſque nulla humiditas educatur, nec quicquam ex urethrâ refudet.

Cap. 5. *De Bubone Venereo.*

NOn infrequenter ex Venereo concubitu cum ſcorto impuro Originem trahit Bubo Venereus, tuberculum in inguinibus à principio admodum parvum, & obſcu-

obſcurum, in quo maxima Veneris virulentia latet; appellatur Venereus ad illorum differentiam, qui Venerei non ſunt. Bubo ab inguine, tanquam utplurimùm exiſtente loco affecto ita dictus eſt. Bubo vulgò dividitur in benignum, vel ſimplicem, & malignum, & hic rurſus in peſtilentem, & Venereum. Simplex bubo eſt pueris, & adoleſcentibus familiaris; unde & vulgò augmenti corporis index habetur. Peſtilens peſti, ceu fructus, & effectus, ac peſtilitatis tempore graſſatur; Venereus lui Venereæ debetur. De ſimplici, & peſtilenti primo Tomo diximus, de Venereo autem impræſentiarum agimus.

Signa.

Ex prægreſſo concubitu cum muliere infectâ, vel ſaltim ſuſpectâ de Lue Venereâ, & maximè ſi nulla alia externa apparuerit cauſa, vel caries, vel ulcus, aut gonorrhœa præceſſerit non ritè curata, vel ſuppreſſa parvus tumor in inguine apparet, qui in dies augetur cum dolore, & rubore, circa veſperas rigor, capitis dolor, & cum totius corporis laſſitudine, febris moleſtare ſolet, quæ manè præter tuberculum omnia remitmittuntur, atque evaneſcunt.

Solent quandoque malè feriati Chirurgi decipi in rupturâ, & eam pro bubone accipere, ut nuper cuidam accidit. qui prægreſſo inſueto itinere, catarrho cum vehementi tuſſi, & in inguine parvo tumore correptus fuit in principio, procedente verò tempore magis increbuit, & dum ſtabat, protuberabat cum dolore punctorio, ac velut lancinativo, dum verò ſupinus decumbebat, retrocedebat. Accerſivit urinæ Medicum, duoſque Chirurgos, qui inſpectum tumorem bubonem Venereum eſſe aſſeverârunt ex malè curatæ gonorrhœæ ſuſpicione, in quam tunc quartus decimus agebatur annus, inciderat. Inito itaque conſilio, corpus mannâ deplent, deinde maturantibus per tres menſes incubuerunt quibus irritis, tumorem rebellem, ideoque maturantibus, vel reſolventibus reluctantem eſſe ſanxerunt. Secundum ineunt conſilium, & tumoris inciſionem decreverunt, quæ peracta nil præter ſanguinem fudit. Sunt Medici buccinatoribus non abſimiles, qui amiſſam buccinant rem, cujus ad unguem omnes delineant notas, licèt poſtmodum non agnoſcant, etiam ſi eam intueantur. Introſpicientes foveam verſus glandulam bubonariam, pro magno ſinu acceperunt, quem ſecuerunt, ſed peractâ ſectione extemplo excarnificatus languens ſævâ teneri febre, linguę ariditate laborare, anhelâ excruciari ſiti, in parte laniatâ dolores ſentire truces, varios vomere humores, urinas reddere confuſas, nulli ſuccumbere ſomno, & innumera pati ſymptomata, quæ præſentem intentabant mortem, cœpit. In tantâ ſymptomatum procella ſanguine conjuncti de vita decumbentis hæſitare cœperunt, tertioque conſilio accerſitum Chirurgum *Prudentem*, & peritum adjunxerunt, qui percepta relatione, aſſidentibus Medicis rupturam, non bubonem reſecuiſſe exprobavit, inciſionem repudiavit propoſitam, & ut errori conſuleret, Rulandi balſamum ſulphuris pro inciſæ partis ſanatione propoſuit. Patefactâ Chirurgorum craſsâ Minervâ, demiſſo ignaviæ indice, ad eorum exitiale ſcelus tegendum, duorum Chirurgorum opem implorarunt, qui quia canis caninam non eſt, jure jurando, imò perjurio aſſeverârunt non rupturam, ſed Venereum eſſe bubonem, & multùm collegis aſſentantes, tertiam lanienam profundè faciendam inſtituerunt, in hac tertia inciſione non tantùm pyramidales muſculos, verùm etiam qui pubem conſtituunt, ſecuerunt. Tum demum exitialia ſymptomata increbuêre, & fractis viribus languens, pauciſſimis diebus in mortis agone jactatus, non extenteratus obiit, ſed abiit.

Non infrequenter Chirurgi accipiunt quid pro quo, & pro eorum tuenda ignavia acerrimè digladiantur, ac ut inter ipſos auxilii imploratio colatur, facilè in tertium conjurant. Æger in manu Medici eſt velut ovis in faucibus lupi. Pecuniæ cauſâ, non ægrorum ſalutis gratia diſcurrunt; ideoque Medicornm avariſſimum genus eſt, & quod mirari ſubit, ſunt quidam Medici, qui pro ſeſquihorâ vitam non habent, ac in lecto perforato cubare deberent, & tamen ſe trahunt, vel trahuntur per urbem, ſchedulas ſalutis, qua carent, jactant in vulgus, nec urinam quidem gratis, aut merdam inſpiciunt, aut eductum ſanguinem aſſula volùtant, aut ægrum vel ſemel tantùm viſitant. Sunt veluti pediculi, qui alienis ſaginantur ærumnis; ut diteſcant nullis fraudibus, nulliſque parcunt mendaciis: omnes in iis ambulant, & in iis volutantur, quę pro fundamento agnoſcunt, & veritatem vocitant mendacium. Hinc hortamur ægrotos, ut à morbo potiùs occidi ſinant; quàm à Medico, ille enim mitiùs, hic verò inhumaniùs agit.

Cauſæ.

Vulgares Medici pro bubonis cauſa ad ineptas hepatis nęnias recurrunt, inquiunt enim bubonem non fieri, niſi hepar fiat certius, quia venenata qualitas per penis ductus, partiumque genitalium meatus primò ad proximas venas, deinde per majores ad hepar ſe inſinuat, cujus ſubſtantiam vehementer lædit, & conſpurcat, quò fit, ut ſanguinis loco vitioſi generentur humores, quos eſtò natura ad varias propellat partes, frequentiſſimè tamen ad inguina tanquam propria emunctoria deponit: Verùm ſi accidat, ut pravos humores ad extimas partes non propellat hepar, in venis retenti varia, & prava accidentia concitant, febres nempe putridas diuturnas, & pravi moris, quę ſępè in hecticas degenerare ſolent, vel innumeras puſtulas, veluti exanthemata, vel variolas, vel vlcera in univerſa cute, vel cœtera luis ſymptomata producunt. Quare Lue Venerea contaminatus hepati perennes gratias pro tanto beneficio referre debet, quia ſecus ſi labem ad partes intimas, & nobiliora demandaſſet viſcera, graviora excitaſſet ſymptomata: patet id, nam hepatis motus, quo humores vitioſi ad inguina demandantur, inhibeatur, aut perturbetur, & omni ſedulitate non adjuvetur, iraſcitur hepar, & bubonis materia recurrit, ac ſymptomatum emergunt procellæ. Sed has vulgarium inſulſitates fuſiùs reſpuimus *lib. 2. cap. 4. De Luis Venerea Sede.*

Genuina bubonis Venerei cauſa eſt acidum acre à pure ulcuſculorum in mulieris pudendis elevatum, & viri urethrę exceptum, quod vaſorum ſanguinis tunicas penetrans, illius maſſę immiſcetur; in complexu enim Venereo penis ductus, partiumque genitalium, omneſque pori dilatantur, & aperiuntur, unde malignus vapor, ſive halitus mediante circulatione unà cum ſanguine per anguſtiores venas circa glandularum tunicas ad inguen advehitur, illic remoram contrahit, coagulat, & apoſtema, qui bubo Venereus dicitur, parit. Bubo intra tunicas, glandulæ corpus veſtienres erumpit, non verò intra glanduloſam ſubſtantiam, aliàs eſſet bubo ſpurius, de quo ſequenti capite agemus. Excitantur quoque bubones ex repentina gonorrhœæ virulentæ feriatione, quoties ab efficaci aliquo remedio, ceſſatio illa cauſſata non fuerit, ſed ſpontanea evenit, vel ex aliqua, quæ virulentiam non ſuperavit Veneream, uti ſunt natatio, medicamentum purgans, ſanguinis miſſio, & ſimiles.

Prognoſis.

Bubonum prę ſagium quoad ſuppurationum eſt, quòd diſponuntur multoties circa quartum, multoties circa ſeptimum aut circa undecimum, decimum quartum,

tum, & vigesimum primum pro patientis robore, & materiæ, tum qualitate; quò citiùs extra emergunt, extuberant, & suppurantur, eò pro infirmo meliùs: secus qui pigrè elevantur, subsident, duritiem contrahunt, & artis auxilio indigent, ut suppurationem nanciscantur. Curationis vaticinium à Chirurgi diligentiâ, & peritiâ, quæ si rectè fuerit administrata, nil mali bubones portendunt, si malè, gangrænas, mortificationes, musculorum abdominis corrosiones, & tandem mortem bubones producere possunt. Vel si negligenter curentur, in fistulas abeunt. Vel post curationem, nisi interna adhibeantur præsidia, præter pustulas, ulcera, dolores, gummata &c. ex transmisso intùs veneno à bubonibus temporis cursu excitari possunt.

Curatio.

Vulgares Chirurgi, seu barbitonsores pro bubonis curatione nunquàm resolventia adhibent, sed potiùs curant, ut supuretur, quàm resolvatur, nam meliùs tum corpus, tum hepar in cujus emunctorio nascitur, ab excrementis vindicatur. Omni itaque industria primò student, ut contagiosus humor ad affectum trahatur locum, & suppuretur. Secundò, omninò à sanguinis missione ex brachiis abstinent, ne prava qualitas ad principes ducatur. Solùm igitur si bubo post apparitionem per multum tempus neque crescere, neque decrescere, neque ad suppurationem disponi videtur, & præcipuè si in corpore plethora adsit, ex pede ejusdem partis affectæ semel: pluries sanguinem mittunt, ut materia ad inguina trahatur: quasi sanguis stagnaret, & non in vertiginem ageretur, & ejus extractione corpus non refrigeraretur, & suppuratio non impediretur. Deinde statim ac bubo apparere incipit, *quatuor oleis*, scilicèt *utriusque lilii*, *amygdalarum dulcium*, & *chamomillæ* bubonem inungunt, superponendo lanam succidam, id est sordibus redundantem, nam hæc partim laxando, materiam faciliùs ad patiens inguen defluere faciunt, partim præparando ad suppurationem: verùm hæc olea potiùs subuculas conspurcant, quàm bubonem suppurant. Si hoc non sufficiat, commendant supra partem affectam cucurbitulam magnâ flammâ apponi, quod terriculamenti genus optimum censetur, quia Vulcanus adulteræ minatur Veneri. His vanidis, plenissimum præscribunt victum: *Sed impura corpora quo magis nutries, eò magis lædes.* Imponunt ægro, ut valido se exerceat motu, ludat pilâ, folle, palestrâ, arte digladiatoriâ &c. ad hoc ut ratione motûs, materia in hepate agitata ad partem affectam transmittatur: Verùm quis spondere poterit his validis motibus potiùs ad inguen virulentiam transmitti, quàm ad alias partes.

Quibus omnibus parùm proficientibus, apponere solent *emplastrum diachylonis magni cum gummatibus.* Si verò istis præsidiis postquam apparuerit tumor, neque crescit, neque decrescit, ad corporis purgationem deveniunt, nam sublatâ cacochymiâ, & minoratâ materiâ, id quod relinquitur, facilè à naturâ superatur, unde tribus syrupis humores præparant, ut

℞. *Syr. de succ. fumar. lupulor. cichor. ana* ℥ß. *aquæ lupulor.* ℥. *iij. m.*

Post quos purgans exhibent medicamentum, ut

℞. *Fol. sen. or.* ℥. *j. Polyp. querc.* ℥*ij. flor. cord. p. j. f. decoctum, & in suff. colat. diff. Syr. Sueff. rof. solut. ana* ℥. *iij, confect. hamech.* ʒ. *iij. m. f. p.*

Vel in formâ pilulari, ut

℞. *Pilul. de tribus Gal.* ʒ. ß. *cum cathartico rof. f. pilul.* vii. *& deaurentur.*

Vel in formâ boli, ut

℞. *Pulp. Caff. recent. extract. per setam* ℥. *j. confect. hamech.* ʒ. jv. *pul. fol. sen. or.* ʒ. j. *m. f. bolus.*

Et post tres horas exhibent *apozema ex syr. rof. solut. cum levi decoctione.* Sed est purgans de communi morborum omnium, quòd à circumferentia ad centrum trahit, non verò à centro ad circumferentiam, unde certior erit universalis Lues, quàm ad inguem depositio.

Si ab assumpto purgante extuberat, maturantia adhibent, inter quæ præsens principem locum tenere credunt, ut

℞. *Radic. utriusque lilii, althea ana* ℥. ij. *fol. malvæ, althææ. Violarum, Scabiosæ ana m. j. Bulliant, & contundantur, addendo axungiæ porcinæ putridæ, butyri recenter loti ana* ℥. iv. *adipis anatis, anseris, gallinæ ana* unc. j. *ol. uriusque lilii, amygdal. dulc. chamomill. ana* unc. ß. *fermenti* unc. ij. *Croci filax. & f. cataplasma.* Si hoc non sufficiat, uti solent emplastro diachylonis magni cum gummatibus, ut

℞. *Empl. diachyl. cum gummatibus* unc. j. *ammoniaci, bdellii, sagapeni ana* unc. ß. *m. f. empl.*

Postquam maturatus fuerit, ad apertionem deveniunt, ferro aperiunt in formâ crucis, incidendo apices, ne succedat fistula, totamque cavitatem turundis ex stuppâ, ovi albumine conquassato oblitis complent ad sanguinem sistendum per 24. horas. Apertum detinent saltim 40. vel 60. dierum spatio, & ultra, quia non solùm materia, quæ ad emunctorium fluxit, evacuatur, sed habent naturæ irritamentum, quo ipsa cogitur ad expellendam materiam, & sic tum hepar, tum totum corpus meliùs expurgatur. Ab initio digestivo, quod *ex ovi luteo, terebinthinâ & oleo rosaceo* conficiunt, bubonem regunt, exteriùs ad inhibendam inflammationem circumliniunt oleo rosaceo, mox unguentis mundificantibus, tum implentibus, tum cicatrisantibus utuntur. Aperto bubone, & jam digesto, iterùm corpus purgant medicamentis suprà positis, & eò magis si pus non laudabile excerni videatur; ad contagiosæ Luis extirpandam qualitatem, ut nullum ex ipsâ supersit in hepate seminium, decocta propinant.

Hæc sunt chirurgorum, & barbitonsorum pro bubonis curatione medicamina, quæ an contineant pro Lue extinguendâ antidota, dicant qui in eorum inciderunt ungulas. Luem prædicant magnum morbum, & magni morbi magnum medicamentum esse testantur; & pro ejus exterminio irritis, ridiculis, & hisce diris utuntur medicamentis. Statim ob ejulantium voces, planctus, & puerulos gemitus eorum, qui perperam ab ipsis curati, in doloribus, gummatibus, ossium exesionibus &c. contabescunt, infestam experti artem, resipiscant, & dediscentes, veram discant medicinam, quia, quam exercent, non est vera medicina, sed carnificina. Verùm querelarum in medicinâ caussa est, quod homines, qui nullius pretii, vel intellectûs existunt, animum medicinæ dant, quo fit ut hoc nostro tempore nulla gens contemptior existat, excepto Monacho; non propter artem, sed per personas, quæ ex omni nequitiarum genere ad medicinam; tanquam ad refugium, confluunt, unde in hac nostra civitate plures sunt medentes, quàm ægroti. Non omnibus datum est medicinæ ministerium nosse, nec omnibus sapientibus, sed tantum illis, quibus datum est intelligere, quia est peculiare Dei donum, non omnibus concessum. Hinc oritur, ut vulgares, qui medicinam faciunt, ægrotis duobus assibus, vix majori pretio medeantur, quare ob vilem ejusmodi mercedem, medicina meretrix esse & unicuique subjici compellitur, quia non potest aliter se alere. Eapropter non multùm vulgares culpamus, à quibus id provenit: nam rarò vili pretio bonæ emuntur merces, sed ineptos insimulamus ægrotos, non ideò duobus assibus medentes æstimamus, quia pro tantillâ pecuniâ medicinam faciunt, cùm vix aliud prestare possint, licèt sciunt, &

& tamen fideliter se agere putant, & interim hæc tantilla merces utinam illis tota persolveretur. Discant meliùs, & posteà medicinam exerceant.

Non possumus non criminari vulgarium chirurgorum imposturam, qua quęstum indies novum faciunt, sed dolo, & fraude, quod est eorum artis fundamentum: circumferunt ærea scrinia cum sepimentis disponendis colorum varietate unguentis, in pharmacopolio emendicatis, nec unguenta habent, quæ in bonum tendant finem: ceu pictores suos circumgestant asserculos variis coloribus exornatos. Non loquimur hìc de quorundam chirurgorum imposturâ, qui in phialis liquores triviales, sed auro cariores pro balsamo pretiosissimo circumferunt, ut ab ęgrotis extorqueant aurum. Delendus hic abusus est, & talia unguenta putida, quæ tanquam arcana gestant, per fenestras abjicienda sunt. Multùm se ipsos jactant, & extollunt, potissimum eorum est magisterium mentiri, imponere, optimum est unguentum, sed his minimè curare possunt, curant loculos, non ęgros, quos ars curat, non ipsi, quia iis non inest.

Bubonum curatio optimè instituitur, si chirurgus ante apertionem perfectam inducat maturationem, quæ medicaminum internam fermentationem promoventium ope inducitur, ea sunt, quæ blandis suis particulis volatilibus succos stagnantes acido acri conspurcatos incalescere, effervescere, æstuare, & exaltari faciunt; unde tubuli cum contentis succis, tunicæ, fibrillæ, aliæque partes corroduntur, discinduntur, dilacerantur, & in pus degenerant, & dum cutem versus viam sibi parat, bubonem, prominentem, mollem, digitisque cedentem efficit, ita est sequens cataplasma, ut

℞. *Stercoris columbin. pulverisati, Croci contusi. axungiæ gallinaceæ ad libitum m. & cum panis fermento reduc in cataplasma,* quod duodecimâ quaque horâ super bubonem renova. Vel medicamenta crassa, pinguia, mucilaginosa, & resinosa conducunt, quæ poros obstruunt, insensilem perspirationem impediunt; materiam intùs contentam mediante impeditâ perspiratione exagitant, fermentationem promovent, & in pus degenerare faciunt, ita est sequens emplastrum, ut

℞. *Empl. de mucilag. filii Zachariæ ana* ℥. ß. *m.* Sed præstat solùm emplastrum filii Zachariæ, quòd si bubo ignavè ad maturationem procedat, acui potest *oleo de lateribus* ad eam sollicitandam. Emplastrum supra tumorem aplica, & quolibet duodecim horarum spatio renova. Bubonem suppuratum aperi; sed minimè quidem ferro, ut vulgò fieri solet, sed sectico mercuriali, nam cùm aperit, & veneno resistit Venereo, quod ferro non evenit: secticum ad hoc opus peragendum ita paratur,

℞. *Merc. Meteorisati* ʒ. *j. farinæ hordei* ʒ. *iij. m. & cum sputo f. massa, miscendo cum spatulâ ligneâ, ex illâ massâ trochiscos in pineorum formâ compone, & exsiccari permitte.* Exsiccatos hujusmodi trochiscos ita adaptato: Expandatur *emplastrum de Gratiâ Dei, vel fodicationu*:: super alutam, & in medio emplastri ponatur trochiscus, quem adapta super bubonem, ita ut in declivi parte illum aperiat, post duodecim horas emplastrum exime, nam adapertum reperies bubonem, cujus materiam expressione evacuabis.

Verùm, quia ægri tam ferro exhorrent, præcipuè si chirurgus ex ignorantia incisionem, ut convenit, efficere nescit, quàm secticum; nos ob charitatem erga fratres, nobilissimo, & efficacissimo emplastro, quod *Benedictum* appellamus, Rempublicam medicam ditamus, cujus solâ superpositione, & renovatione non tantùm Venereus bubo maturescit, & aperitur, verùm strumas, ad quas utimur, cunctos tumores tum calidos, tum frigidos dictos, imò tophos podagricos maturescere facit, & ad cicatricem usque sanat, ejus compositionem ingenuè communicamus:

℞. *Ol. com. lib. iij. radic. arund.* ℥. *ij. lilior. Cœlest.* unc. iij. *althææ* unc. j. ß. *Dum oleum ebullire incepit, affunde radices* :: *undatas, & in talleolas subtiliter incisas, coque ad nigredinem usque quas aufer, & pedetentem injice. cerussæ* unc. iij. *tutiæ præp.* unc. ß. *ceræ citrinæ* unc. iij. *semper spatulâ agitando. Coque ad emplastri consistentiam, quousque nigrum evadat, tandem adde balsami nigri* ʒ. *ij. aufer ab igne, & serva.*

Non credibile est quantùm emplastrum hoc ad maturanda omnis generis apostemata rumpenda, & sananda valeat, ita major experientia verbis, ut æger sui ipsius sit chirurgus.

Adaperto foramine pulvillos immitte inunctos sequenti hoc nostro *Unguento Magistrali*, quod ita paramus:

℞. *Lithargyr. aur.* unc. viij. *Cerussæ* unc. iij. *tutiæ præp.* unc. ß. *plumbi usti* unc. j. *merc. sublimat. dulcis* unc. ß. *Stibii crudi tantundem, cinnabaris* unc. ij. *ceræ* unc. vj. *ol. rof.* ℔. *ij. f. Ung. s. a.*

Vel utere pulvillis unguento albo, & aureo inunctis, quod immissum contineat *magnum calcinatum Paracelsi*, vel *mercurium præcipitatum incarnatum præparatur*, scilicet supra quem bis, vel ter incensus fuerit vini spiritus, & infra paucissimos dies à bubone omnem absterget pravitatem, illumque exhibet mundum, prosequere ad carnis reductionem usque juxta artis præcepta, & tunc emplastrum Benedictum, vel fodicationum adhibe, nam perfectam inducet cicatricem, facta cicatrice, sunt infirmo exhibendæ pilulæ ex mannâ mercurii, quas suprà descripsimus.

Verùm quia plerique sunt, qui bubonum suppurationem exhorrent, cupiuntque eos vix apparentes internis medicamentis resolvere, tunc in tali casu hac nos utimur methodo.

Primò accuratè nos observavimus, an suppuratio inceperit, nam suppuratâ existente materiâ, impossibilis est per interna remedia resolutio. Secundò advertimus, an patiens sit robustæ naturæ, & ad vomendum facilis, nam si gracilis, & ad vomendum difficilis, tunc ter exhibemus pilulas ex mannâ mercurii suprà descriptas, & à sequenti medendi modo est removendus; cùm igitur suppuratio non incepit, patiens est robustus, & ad vomendum facilis, incipienti buboni sequens superponimus emplastrum, quod post 24. horas renovamus.

℞. *Empl. de Ranis cum triplici Mercurio; q. suff. extendatur super alutam.*

Deinde infirmus in lecto se contineat, & manè illi exhibemus *Turpeti mineralis dulcis gr. vj.* in ovi vitello, hoc vomitum provocabit: ter illud exhibemus alterno die, exactæ diætæ indulgeat æger, vinumque bibat, perque integrum medicaminis tempus, frigidum, humidumque fugiat aërem, sic paulatim bubo omninò resolvetur absque ullo futuri mali periculo.

Et reverà optimus videtur bubonem resolvendi modus, absque eo quod patiens experiatur ferrum, vel ignem, & quidem ex *Hippocratis & Galeni* sententiâ tutior, utilior, & compendiosior est suppuratione resolutio, sed non semper ex votò succedit, post prædicta medicamenta quandoque minoratâ materiâ, bubonem in suppurationem abiisse observavimus, quòd si resolvatur, brevi temporis intervallo omnia diræ Luis symptomata superveniunt, nisi ad productum tempus pro Lue Venereâ extirpanda efficacissima exhibeantur præsidia. Tutior, & utilior est suppuratione resolutio in tumoribus nullam pravam qualitatem habentibus, at bubones Venerei virus continent: tutior itaque & utilior est resolutione suppuratio, quia per apertam vomicam, tanquam per emissarium universum corpus virulentiâ expiatur. Resolutionis praxis tantùm exerceri potest tanquam remedium pro mulieribus nuptis, quæ furtim inscio viro compressæ bubonem contra-

contraxêre, ut nos non paucas ob ore gladii uxores vindicavimus.

Cap. 6. *De Bubone Spurio.*

ESt & aliud bubonis Venerei genus priori deterius, qui Bubo ſpurius, & illegitimus appellatur, ſuam cognoſcit geneſim ex male curatis in præputio cariebus, vel ulceribus; nam non ob ſanguinem à viru Venereo remoram contrahentem in venulis circa glandularum tunicas in inguinum emunctoriis, ſed per alicujus partis ſpermaticæ conſenſum ab ulcere contaminatæ glanduloſum aliquod corpus inguine ſit turgidum, illi venenum communicatur, & impertitur. Sic vulneratâ manu, aut digito, in brachio, & ſub axillis; vulnerato pede, tibia, vel crure, in inguine tumores fieri aſſolere, & malum communicari experimur: non aliter ac materia vitioſa, ſubtilis, & prava latenter per nervos ad cerebrum defertur, ut in epilepſiâ fieri videmus à partibus extremis aurâ venenatâ ſine inſigni dolore in partes per quas tranſit, aſcendente.

Signa.

Signa ſuadet ipſius tuberculi extumeſcentia, quâ eſt circumſcripta, incrementum ſenſim ſuſcipit, ſed non magnum, duritiem demum habet, quæ neque emollientibus cedit, neque ſuppurantibus ſuppuratur, neque reſolventibus reſolvitur, imò una glandula ſuſceptum virus alteri & alteri communicat, non aliter ac ſtrumis in collo ſuccedit, febris abeſt, dolore vacat, non rubeſcit, quia non ex ſanguine fit, carni eſt concolor. Interdùm ſub aurorâ ſudat æger, quia multa vaſa lymphatica vel originem ab inguinum glandulis habent, vel ad ipſas terminant, Sicut aliis locis glanduloſis evenit; virus glandulis communicatum impedit lymphæ elaborationem, & tranſitum, tunc regurgitat diffunditur, & per poros in formâ ſudoris eliminatur.

Cauſa.

Bubonis Venerei ſpurii cauſæ ſunt caries, vel ulcera in præputio, glande coronâ, vel fræno malè curata, vel à medicamentis nimis corrodentibus, & acerbum excitantibus dolorem, quàm par eſt, tunc acidi acris ſubtilis ſubſtantia à carie, vel ulcere elevatur, & per partem ſpermaticam ad glandulas in inguine furtim defertur, ibi hæret lympham vitiat, acidam reddit, coagulat, ejuſque motum impedit, & tuberculum fit, deinde per partes ſpermaticas virus Venereum ab unâ glandulâ ad alias inquinando procedit, & glandularum lympha vitiatur, & meſſis multiplicatur.

Prognoſis.

Bubones Spurii peſſimi ſunt, neque ex naturæ efficaciâ, neque artis auxiliis ſuppurationem unquam admittunt, brevi temporis ſpatio dolores, gummata, & cœtera diræ luis ſymptomata inducere ſolent; ſi quandoque in ſuppurationem abeant, ut plurimùm in putrida, maligna, cavernoſa, & valdè doloroſa ulcera degenerant.

Curatio.

Falluntur ut plurimùm in his curandis bubonibus inepti Chirurgi, nam ex ſuppurantium applicatione aliquid ſub cute molleſcit; & nil indè extrahunt præter nigricantem ſanguinem ex glandulâ manantem, adducuntque hoc modo infirmum in magnum diſcrimen, quippe glandula inciſa nunquam digeritur, ac propterea peſſima ſemper emergunt ſymptomata;

Si itaque hujuſmodi bubones occurrent, primò attendendum eſt, ut ſi adhuc perſiſtant caries, vel ulcera in præputio, glande &c. curentur; nam abſque carierum, vel ulcerum curatione, fruſtrà glandulæ reſolutio tentabitur. Curatis ulceribus, vel cariebus, glandulam emplaſtris tentabis, ut ſenſim contenti reſolutionem ad temperiem reducatur. Multi ſequens commendant emplaſtrum diaphoreticum ex *Mynſichtio* depromptum, correctum, & in artis formam redactum, ut

℞. *Gummi ammoniaci* ℥. ij. *elemi* ℥. j. ß. *Sagapeni* ℥. j. *Solvantur in ſufficienti quantitate aceti, ad pultis formam cui adde pedetentim, & quaſi guttatim. ceræ flavæ odoratæ lib. j. terebinthinæ claræ* ℥. iij. *colophoniæ* ℥. ix. *liquata invicem leni igne, in ſartagine, ſeparatim, & non nimis calidè, ſuperioribus gummatibus ſenſim, & alternatim, uti dictum ſub continuâ agitatione, infuſa, hinc alternatim etiam inſpergantur ſuceſſivè hi pulveres: utpotè, Pulv. gummi bdelii.* ʒ. iv. *ſuccini citrini* unc. iij. *olibani, maſtichis ana* unc. j. *ſandaracæ* ʒ. vj.

Poſt agitantur, donec omnia commiſta, atque dextrè unita ſint, per horam integram, in diplomate, vaſe ſcilicet duplici, calore leni fiatque emplaſtrum. Extendatur ſuper alutam, quod renova ſecundo quoque die, & ſenſim per diaphoreſim reſolvetur glandula, & ad ſuam reducetur temperiem: verùm non ſemper fælici cum ſucceſſu applicatur. Alii vulgò *emplaſtro de ranis cum triplicato mercurio* utuntur: ſed hoc tantæ efficaciæ, ut extollitur, non eſt. Efficaciſſimum nos experti ſumus *emplaſtrum noſtrum Benedictum*, quo omnes bubones non tantùm legitimi, verùm etiam ſpurii utplurimùm ad ſuppurationem, ut in ſtrumis quotidiè experimur; & quandoque ad reſolutionem reducuntur. Poſt glandulæ reſolutionem appropriatum remedium eſt aqua Anti-Venerea, vel decocta ſudorifica præcedente medicamento cathartico. Verùm accidit quandoque utplurimùm, ut his, aliiſque adhibitis, optimis præſidiis bubo ſpurius invictus, irreſolubilis, & inexpugnabilis reſiſtat, tunc non ita relinquendus eſt, ſed ad noſtram curationem confugiendum eſt. Solet quandoque in corpore juvenili athletico, naturalibus facultatibus, robore & vegetiori calore prædito reſolvi, ſed in occiduâ ætate cùm vires enervantur, lues, quæ furtim deliteſcit, vires reaſſumere ſolet, & tot diræ luis emergunt ſymptomata, quot milites ex equo Trojano, niſi opportuno tempore medicamentis admodùm prævalidis ſuccurratur. Unum ſalutare, & efficax remedium in bubone ſpurio experti ſumus, quod eſt apertio, & glandulæ vitiatæ conſumptio: hic bubo eandem cum bubone peſtilenti ſortem ſortitur, qui niſi aperiatur, & virulenta educatur materia, totum inficit corpus. Hæc apertio ferro non fieri debet, ut diximus, ſed cauſtico, ad quem finem ſequens in formâ liquidâ efficaciſſimum experti ſumus, ut

℞. *Lixivii. ſaponariorum lib. j. Salis ammoniaci* unc. j. *vitrioli Romani* ʒ. ij. ß. *Opii Thebaici* ʒß. *Coque ad duarum partium evaporationem, factâ colaturâ, inſignem habebis liquorem cauſticum ad quemcumque tumorem aperiendum.*

Vel ℞. *Lixivii ſaponis, vel matris lib. ij. Calcis vivæ lib. j. Affunde aquam ferventem, bis invicem miſceantur, cùm clareſcit, affunde ſartagini, adde Salis ammoniaci* unc. ß. *& in qua coque ad duarum partium evaporationem, & cola.* Si tam primùm, quàm ſecundum cauſticum tamdiù coquas, quouſque fiat lapis dicitur infernalis. Hoc, vel illo cauſtico in formâ liquida madefac plumaceolum ex filamentis, ad bubonis proportionem, ſuper quem impone cum plumaceolo ſuperſtrato, ſervatis partibus circulo, ne liquor cauſticus foràs effluat, & partes exedat ſanas. Inductâ eſcharâ, procuretur ejus caſus medicamentis laxantibus, *ut buyro, vel unguento de Althæâ*, deindè

non ferro glandula extirpetur, sed corrosivis dulcibus est totaliter absumenda, ita est *mercurius præcipitatus dulcificatus, magnum Calcinatum Paracelsi, Lapis infernalis ex Lunâ cupellatâ, in aquâ stygiâ solutâ & ad cuticulam evaporatâ, vel mercurius dulcis, vel arcanum corallinum.* Absumptâ glandulâ, vel glandulis, sarcoticis, & tandem epuloticis pars tractetur. In cursu curationis non desint *pilulæ ex cerussa antimonii, & gummi guajaco naturali* ante cœnulam, deinde virus Venereum, præmisso cathartico, à toto eliminetur decoctis juxta nostram descriptionem compositis, vel aquâ Anti-Venereâ.

Cap. 7. *De Pustulis.*

PUstulæ inter Venerea symptomata recensentur, quæ in luis primordio penis præputium sibi vendicant; attamen in lue confirmatâ præcipuè in capite, canali inter utramque natem, & cœteris corporis partibus erumpunt: harum pustularum cognatæ affectiones sunt phlyctenæ, epinyctides, scabies, exanthemata, variolæ, impetigines, consimilesque aliæ cutaneæ affectiones, quæ interdùm pauciores ad summam cutem à vitiata radice assurgunt; interdum frequentiores, & numerosiores, non rarò adeò copiosiores, ut universum corporis habitum obsideant; nonnunquam unicam tantùm occupant partem, caput nempe, & faciem, vel manus, aut crura, & pedes. Præterea quandoque sunt latiores, quandoque minores &c. Sed sæpissimè orbiculares, vel acuminatæ, vel depressæ, & mox unius, mox alterius rei figuram ostendunt. Insuper interdùm sunt duræ, & siccæ, nihil ichoris profundentes, imò squamosæ, interdùm sunt molles, & humiles, & cùm disrumpuntur, ichorem, vel saniem, vel virulentum pus admodùm fœtens eructant. Quò ad colorem visuntur lividæ, fuscæ, cineritiæ, vel rubrę, insuper dolorosæ, & pruriginosæ magis noctù, quàm interdiù.

Signa.

Ex his quę diximus, signa facilè patescunt, nam post commercium cum scorto Venereâ lue conspurcato, quędam bullulæ superficiales veluti milii grana, quæ pruriginosum inducunt sensum, in præputio oboriuntur; epidermidem, & cutem lacerant, & saniosum eructant fluorem. In lue confirmatâ prorumpunt pustulę, earumque cognatæ affectiones in capite, facie, manibus, circa loca naturalia, crura, pedes, & quandoque totum obsident corpus, modò latiores, modò minores, & ut plurimum rotundę, nunc fastigiatę, nunc depressę, interdùm molles, & humiles, & in disruptione ichorem, vel saniem, vel pus profundunt; interdum sunt durę, & siccę, interdum squamosę.

Verùm quia Venerea lues per se nullum morbi genus constituere videtur, & perpetuò falsum, aut apparenter veram alicujus morbi imaginem repręsentare, quin cuicumque morborum generi adeò insolubili nexu cohęret, ut veriùs ejus naturam ęmulari videatur, hinc vestiganda est inter pustulas Venereas, & simplices distinctio. Pustulas Venereas à simplicibus discriminant coitus pręgressus cum muliere lue conspurcatâ, aut caries, vel ulcus malè curatum, aut gonorrhœa suppressa, aut bubo resolutus, aut negligenter sanatus, aut capitis artuumque dolores evanescentes; nam nunquam ejusmodi pustulę absque internâ aliquâ horum affectuum concomitantium, aut evanescentium notâ prorumpunt. Pręterea pustulę Venereę medicamentis vulgaribus non cedunt, imò in pejus ruunt, quia causam foventem, & conservantem habent, quę nisi auferatur, nunquam sanescunt.

Causæ.

Pro immediatâ pustularum caussâ statuunt vulgares virulentos succos, de naturâ bilis effervescentis cum aliquâ salsę pituitæ portione permistos, quem jecur lue Venereâ conspurcatum generat affatim, & ad generationis loca, vel ad alias extimas propellit partes. Vulgares hepar veluti morborum omnium patronum venerantur, & reverâ apud ipsos non est mulum in toto corpore, quod non faciat hepar. Nos dicimus, quòd accidit multoties, ut effluvia uteri Lue Venereâ infecti urethram non intrant, ac sordes, & sanies in pręputii cuticulam impingunt; hę odore earum virulento liquorem nutritium sub cuticulâ gliscentem inficiunt, fitque degener; & bullulas quasdam albicantes excitat. Ex liquore nutritio virulento in cœteris corporis partibus nunc hîc, nunc illic nascuntur pustulę, earumque cognatę affectiones.

Prognosis.

Facilè istę pustulę in primordio Luis absterguntur, quia multùm sunt superficiales, si ante viginti quatuor horas congruo remedio curentur; nam aliàs in caries pustulę transeunt, quę superficie non contentę, semper ulteriùs terebrando fundum petunt, & in ulcera expansa etiam abire solent; nec contemnendę, sed quamprimùm curandę: observavimus namque quòd cum curatio contemnitur, diutiùs protrahitur, cutem excavant, & in ulcera serpentia, sinuosa, & corrosiva degenerant, & quandoque etiam ossa contaminant. Si in aliis corporis partibus efflorescant, Luem arguunt confirmatam, & extrinsecis tantùm non cedunt pręsidiis, sed in prava degenerant ulcera: illud tamen verum est, quòd semper fędę, & molestę sunt, pręsertim si faciem invadant; quę verò diuturnæ, callosę, dolorosę, & virulentes, pręterquam quod majoris mali sunt pręludia, difficulter admodùm superanrur, & vitam in discrimine ponunt, & non semel ægrotos ad tabem conducuut.

Curatio.

Vulgares Medici & Chirurgi ad præputii pustulas persanandas, *unguento de tutia, minio, & cerusa* utuntur, sed infelici eventu, licèt in dicta unguenta mineralia intrent, quæ vim pustulas Venereas curandi continent, quia tamen unctuositati sunt admista, impeditus est illis aditus ut in cuticulæ læsionem penetrent, ac ex dictorum unguentorum usu ut plurimùm pustulæ vel in caries, vel in ulcera abire solent. Deinde illa præbent medicamina, quæ hepar hac labe infectum vindicant.

Ad pustulas ex Lue confirmata exsiccandas, & delendas, primò hepar tanquàm sedem, & partem primariò affectam respiciunt, cui alexipharmacis, nempe *salsæ parillæ, radicis chinæ, & ligni guajaci decocto* per plures dies in loco sudorifico exhibito succurrunt, quòd ut magis juvare possit, corpus antecedenter purgatum esse oportet, & in decoctorum cursu, quarto, vel quinto quoque die purgans exhibent medicamentum: Intereà ea, quæ pustulas respiciunt medicamenta, admovent, quę exsiccantia, & non repellentia sint, non enim consentaneum est venenatos ichores ad pręcipuas partes repellere, ne majoris mali detur occasio, quare attemperantia probant, ut est *gu. jaci decoctum in aquâ plantaginis, pimpinellæ, & hordei paratum, aut ceratum lithargyri, aut unguentum de tutiâ cum unguento Isidis commistum.* Maximoperè extollunt *spumam guajaci, scabiosæ, & aristolochiæ rotundæ.* Quibus non juvantibus, *ad saponem nigrum, vel ad mercurii præcipitati pulverem unguento rosaceo admistum, vel ad oleum scorpionis, sevum hircinum, pinguedinem gallinaceam, vel ad oleum viperinum confugiunt.*

Opportu-

Opportunum ad curandas puſtulas auxilium eſt, ne in caries, vel ulcera abeant; medicamenta ſe inſinuandi vim habere debent vel in formâ pulveris, vel liquoris, hujuſmodi ſunt *lithargyrium aureum* vel nullo alio præſtantior erit *mercurius dulcis*, in pulverem redactus, & per ſetam trajectus. Indolens eſt ille, & hic pulvis, qui præputio aſperſus bis in die, infra duos dies puſtulas curat, ſi vino tepido leniter humectetur, & dictus pulvis adhibeatur, & præcedens abſtergatur, multùmque valet in his præcavendis; Mercurii namque pulvis omnem acredinem, & aciditatem in ſe imbibit, & omnia corroſiva obtundit, immutat, & cicurat, non aliter ac in mercurii dulcis opificio contingit, ubi partes acutæ, & corroſivæ mercurii ſublimati ſupra corpus mercurii obtunduntur, infringuntur, hebetantur, dulceſcunt. Vel

℞. *Aquæ roſ.* ℔. j. *merc. meteorizati gr. x. f. horum in aqua ſolutio*, qua ter vel quater die puſtulæ laventur, & curatæ erunt. Ejuſdem, & majoris efficaciæ erit *aqua Venerea*, *vel lapidis medicamentoſi*, ſi poſt ſingulas ablutiones, petia madida dicta aqua ſuperponatur; Poſt earum curationem mercurii dulcis, vel mannæ mercurii pilulas infirmo exhibe ter eodem modo, quo eas, dum de gonorrhœâ egimus, præſcripſimus.

In puſtulis ex confirmatâ Lue hæc medicamenta non ſufficiunt, ſunt namque germina, quæ à vitiata radice ſemper pullulabunt, niſi extirpetur: internis itaque averruncanda eſt, & primò corpus purgandum eſt illis medicamentis, quæ Lui appropriata præſidia in compoſitione admittunt, hujuſmodi eſt *Aqua ſolutiva magiſtralis à Paulo Æmilio Ferrillo* inventa, quæ ſalſam parillam, limaturam ligni Indici &c. recipit, ſumi debet jejuno ſtomacho per quinque vel ſex dies; vel quæ Luem exterminant; ita ſunt *pilulæ de tribus Gal. vel extracto catholico* in quas *mercurius dulcis*, *vel manna Mercurii* ingreditur. Deinde propinari poſſunt *decocta ex lignis*, *& radicibus* juxta noſtram deſcriptionem, & interim puſtulæ, & cognatę affectiones, niſi ſenſim reſolvantur, leviter inungantur *unguento pomato*, in quo *Mercurius vivus ita immiſtus ſit, ut nullum ejus granum appareat.* Vel ſi corpus ſit puſtulis, aliiſque cognatis affectionibus refertum, tunc pręmiſſis præmittendis. Suffumigari poteſt, & brevi temporis intervallo ceſſant. Vel exhiberi poteſt *aqua Anti-Venerea*, & abſque ullo adjuvante extrinſeco ſponte areſcunt, ut nobis experientia pluries indicavit.

Cap. 8. *De Cariebus.*

PUſtulis non, vel malè curatis, quædem ulcera parva, & rotunda producuntur ab humore virulento, & ſub epidermide pudendorum carnem exedente, & contaminante, quæ caries appellantur, quia quorundam vermiculorum ligna erodentium inſtar, in cutem altè ſe inſinuant, eamque erodunt, & eſtò peculiari nomine caries ad oſſa pertinere videantur, quia hujuſmodi vitium eſt oſſibus attributum, attamen etiam certo quodam analogiſmo ad carnes exeſas ſe extendit. Prorumpunt autem, & obſervantur hujuſmodi ulcuſcula non ſolùm in partibus pudendis, nempè in præputio, glande, coronâ, & mulierum ſinu, verùm etiam in labiis, mammillarum papillis, linguâ, & palato.

Signa.

Primùm in pudendis parvæ erumpunt puſtulę, quę milii figuram repræſentant, his minimè curatis, & diſruptis remanet uſcuſculum pruriginoſum, ichore madens, parvum, & rotundum, in medio exiguum habens foraminulum albicans, nunc unum, interdum plura, aliquando tota glandis corona eſt his referta, & hujuſmodi ulcuſculis copulantur, & ex duabus, vel tribus vel quatuor unum fit, & tenuem fundit ichorem. Decipiunt multoties caries, nam ſuperficie tenus nil ulcerati oſtendere ſolent, interim radicem in carne profundant, nunc magis, nunc minùs: id cognoſcitur ex tactu, nam percipitur durities, & dolor.

Cauſæ.

Medici hepatici credunt caries fieri, quia hepar infectum, pravum & tenue excrementum generat, ad pudenda tranſmittit, & ea exedit. Barda eſt hæc vulgarium ſententia, nam caries non curaretur, niſi curato hepate. Quoties puſtulæ non curantur, & in latum ſe non extendunt, in profundum progreditur earum venenum, quod calloſam quandam inducit radicem, deorſum ſemper petentem, eructatque ichorem, qui ubi reſidet, in pudendis ſimiles excitat caries.

Prognoſis.

Caries peſſima hujus morbi ſpecies eſt, nam ab ignaris curari neſcit, ac faciliter in horrenda ulcera exedentia, vel mortificantia abit, excitatque bubones utplurimùm ſpurios, qui ſunt legitimis multò pejores,

Curatio.

Carierum curatio fit cum totali radicis averruncatione, & ulceris remanentis conſolidatione. Grex barbitonſoria, ad quam omnes hodierni chirurgi reduci poſſunt ad carierum curationem utuntur ſolâ *ablutione ex aquâ roſaceâ, vel plantaginis, aut portulacæ, vel vino albo, in quo roſæ rubræ ſiccæ incompletæ ebullierint*, vel ut plerique faciunt, *urinâ* ſanant, vel *pulvere pyrio*, quæ medicamenta non tantùm ſunt ridicula, & inefficacia pro tanto curando malo, ſed ipſum pejorant, caries multiplicantur, & perpetuò deorſum exedunt, unde in peſſima, & maligna ſęviſſimè ſerpentia degenerant ulcera

Alii altioris doctrinę vulgares, unguentis utuntur, unuſquiſque pro ſuâ Minervâ, *minii, lithargyrii, ceruſſæ, tutiæ, apoſtolorum, Ægyptiaci*, ſimiliumque nec hactenus animadvertunt, quod unguenta radicis cariei profunditatem attingere non poſſunt, ac proindè ſunt inutilia.

Curationis cardo conſiſtit in cognoſcendo totalem radicis extirpationem, & de hac quiſque certior eſſe poteſt, cùm ex remediorum applicatione cariei fundus non appareat albicans, ſed rubicundus, ſanguinemque profundat, non ſaniem, & cùm nulla circum obſervetur durities, His poſitis ſignis, ulcus ſine ſcrupulo conſolidari poteſt, ſin minùs pro conſolidatione inſano indulgetur labori; curet quiſque priùs linteis partes ſanas à carierum ichoribus defendere, deinde ſequentibus pulveribus profunditatis cariei ratione uti poteſt, ut

℞. *Merc. præcipit* ℥. j. *vini ſublimati* ℥. ij. *Stent ſimul in vaſe*, *& vinum ſublimatum accendatur*, *ut totum cremetur*, *id cum novo vino ſublimato ter repetatur*, nam mercurius præcipitatus dulceſcit, extirpatque caries ſine ullo dolore, & inflammatione, quod magnum eſt arcanum, & nemini cognitum.

Vel ℞. *Merc. præcipit* unc. ij. *Sp. V. ardentis* unc. iv. *Ponantur ambo in retortâ*, *& ſpiritus vini à Mercurio præcipitato deſtilletur*, *& in vas recipiens accipiatur*, hunc ſpiritum ſerva, nam ejus contactu calloſitates, durities, excreſcentię carneæ, fungi, mora, criſtę, ac hujuſmodi ſymptomata à Lue Venereâ pullulantia brevi tempore exterminantur abſque dolore, & inflammatione. Felix ille, qui hęc remedia propriâ manu parat, eorumque efficaciam, & applicationis modum intelligit, nam miraculosè curabit,

Vel ℞. *Merc. vivi opt. purgati* ℥. j. *quem ſolve in aquæ fortis* unc. ij.

Solutio-

Solutioni ſuperfunde aquam communem, poſteà paulatim oleum tartari correctum guttatim adde, & Mercurius luti inſtar præcipitabitur, quem probè à corroſivis per aquam ſimplicem vindica. Hic præcipitatus vocatur *Luteus*, ab aliquibus verò *Magni calcinati Paracelſi* nomine inſignitur.

Eſt hìc ſedulò advertendum, quòd quotieſcumque hujuſmodi remedia applicantur, quæ corrodendi habent efficaciam, partes circumvicinæ ſanæ linteis, unguentis, emplaſtris, aliiſque ſimilibus muniri debent, ne corroſivorum actio eas tangat, & lædat.

Hîc advertendum, quòd tam puſtulis, quàm cariebus, & ulceribus, poſt veneni Venerei extirpationem cum mercurialibus, aliiſque ſuprà deſcriptis remediis, remanet, ut citò fiat earum conſolidatio, quæ multoties pigra eſſe ſolet; ſequenti *proprietatis balſamo* quiſque uti poterit poſt veneni eradicationem, nam 24. horarum ſpatio ulcus licèt magnum, conſolidatum erit:

℞. *Aloës, myrrhæ, & croci ana unc. j. ſ. omnium pulvis, & miſceantur, ponantur in vaſe vitreo, & affunde ſp. V. ardentis lib. j. ſtent ſimul per dies duos. deinde per inclinationem tantùm vini ſpiritum ſepara, & in vaſe optimè clauſo ſerva.* Aſpergatur ulcus ter, vel quater in die, & conſolidatum erit. Verùm hujus balſami aſperſio nimis doloroſa eſt, ac proindè ut avertatur dolor, & quandoque aliqua veneni ſuſpicio latere poteſt, ad ſuſpicionem tollendam conſolidari poteſt unguentis vulgaribus, ut *tutiæ*, *de plumbo &c.* aliquam ſuprà dictorum pulverum aſperginem admiſcendo, quæ curatio licèt pigrè incedat, tamen tutò fit. Poſt carierum curationem utatur infirmus pilulis mercurialibus ſuprà deſcriptis.

Accidit interdum, ut hujuſmodi caries ſub præputio lateant tumefacto, vel conſtricto, adeò ut cerni non poſſint, in hoc caſu per ſiphonem medicamenta in formâ liquida injicienda ſunt. Vulgares *aquâ hordei*, & *melle roſaceo* utuntur, qui etiam uſu urgente, quidpiam *unguenti Ægyptiaci*, & *decoctionis ligni guajaci* admiſcent; Verùm nos felici cum ſucceſſu per ſiphunculum injicimus *aquam noſtram Veneream*, *vel de lapide medicamentoſo*. Advertendum quoque eſt, quod quoties glans tegi poteſt; nunquam detecta relinquatur, ut quidam chirurgi, & tonſores faciunt, ne tandem cutis exſiccetur, & contrahatur, ſic nunquam poſtmodùm tegi poſſit; quod ſi ita vulgares nihil proficiant; & neceſſitas urgeat, ad inciſionem procedunt.

Sæpe in ipſo penis meatu caries ſuboriri ſolet quæ difficilem reddit curationem, tum quia latet, nec facilè pulveres, unguenta &c. admittit linimenta; tùm etiam quia promptè carunculas gignit. Cognoſcitur ex ſanie manante, & maximo dolore mictionis tempore, ac glandis apex rubet. Hanc cariem curabis *aquâ noſtrâ Venereâ*, vel meliùs *dracone mitigato cum aqua plantaginis per ſiphunculum.*

Cap. 9. *De Ulceribus in Præputio.*

NUllibi tam frequentiùs, quàm in præputio, & in glande ulcera elucefcunt, cùm puſtulæ ex impuro concubitu contractæ citò non abſtergantur, vel in caties & indè in ulcera corroſiva degenerant.

Signa.

Nunquam ulcera ex abrupto efflorefcunt, ſed perpetuò puſtulæ præcedant oportet, quarum ſanies non abſterſa ulcera in latum producit, quæ ſi opportuno non curentur tempore, fiunt ſordida, livida, profunda, doloroſa, calloſa, & cum labiorum tumore, quæ peſſima, & maligna ſunt.

Cauſa.

Hujuſmodi ulcera ex hepate Lue inquinato ortum habere maleferiati vulgares obſtinatè contendunt, in quo, tanquam in propriâ ſede maligni generantur humores, & à robore ejuſdem facultatis pulſi, ad penem tranſmittuntur, non aliter ac ſi penis eſſet hepatis emunctorium, ad quem ſua excrementa deponit. Verùm, oh! quàm horum ulcerum difficilis eſſet curatio, quia non niſi curato hepate, contingeret, quòd ſi lue eſſet affectum non tantùm difficile, verùm & impoſſibile, dijudicaremus, quòd oppoſitum obſervamus: curamus namque hæc ulcera, nullo habito hepatis reſpectu. Fiunt ulcera quotiès puſtularum non abſterſa ſanies ſubjectam carnem ſuâ acredine in latum ſerpendo procedit.

Prognoſis.

Penis ulcera contemnenda non ſunt, eſt namque exquiſitiſſimi ſenſûs pars, ſenſûs Veneris organum, ac proinde idonea medicamenta, quæ pro ejuſmodi ulceribus curandis ſunt valdè proficua, citra tumoris, & inflammationis metum nunquam adhibentur. Præterea medicamenta, quæ in hac parte adminiſtrantur, admodùm difficilè adhærent, & retinentur, ac utplurimùm labuntur. Tandem hujus partis ulcera citra contagium ſunt contumacia, & prava, ac cum contagio erunt contumaciora, & ſæviora. Ulcera hæc faciliter ſorditiem in ſuperficie contrahunt, ſub qua ſubjectam occultè carnem depaſcunt, ac tunc bubones ſpurios excitant, qui nunquàm ad ſuppurationem deveniunt, neque faciliter reſolvuntur. Suntque majoris mali infeliciſſima præludia. Si opportuno tempore non curentur, ſic ſæva, & exedentia evadunt, ut penem abſumant, vel ſaltem aliquam ejus partem minuant, quo fit, ut in coitu nectarea Veneris dulcedo vel minuatur, vel depravetur, vel prorſus deperdatur, ceu illis contingit, qui meritâ pœnâ pene viduantur. Sed quod pejus in prava, profunda, & canceroſa degenerant ulcera, minitanturque utplurimùm gangrænas, & mortificationes, quæ citra ferrum, & ignem ſuperari non poſſunt, & ex penis abſciſſione ferè ſemper vitæ periculum impendet.

Curatio.

Pro ulcerum præputii, & glandis curatione utuntur vulgares chirurgi *unguento de tutia, aut plumbo*, & demùm ſiccis filamentis pro cicatrice inducendâ. Quod ſi nihil profecerint, adhibent *vinum album auſterum, in quo incoquunt lignum Indicum, & roſas*, quo ulceratam balneant partem, & poſt balneationem lithargyrio inſpergunt. Si hæc non ſufficiant, & ulcus ſordidum fuerit, recurſum habent ad *mel roſaceum ſimplex, unguentum Ægyptiacum, apoſtolorum, ad alumen, calchantum uſtum*. Alii utuntur *unguento roſaceo cum pauco præcipitato*. Utitur *Fallop. Aquâ aluminoſâ magiſtrali*, id eſt aquâ mercuriali, quam deſcribit *Tract. de Morbo Gallico, de puſtulis cap. 39.* ut

℞. *Aquar. plantag. roſarum ana lib. j. alum. rocchæ, merc. ſublimat. ana ʒ. ij. Sublimatum, & alumen terantur, & miſceantur omnia in phialâ vitreâ, poſtmodum ad medietatis conſumptionem bulliant, deinde ſtent ſpatio quinque dierum, ut ſubſideant alumen, & ſublimatum, & extrahatur aqua limpidiſſima.* Verùm hæc vulgarium medicamenta vel ſunt ita nullius efficaciæ, ut nihil proficiant, vel ulcera ulceribus cumulant, vel bubonem ſpurium, vel ſtatim omnia Luis peſſima excitant ſymptomata.

Horum ulcerum curatio diſtinguitur, nam ulcus in ſuperficie valdè ſenſitivum eſt, doloroſum, & uno modo curatur, vel putredo in ſuperficie producta obtuſum

ſum cauſat ſenſum, vel nullum, ſuntque ferè indolentia, & tunc diverſam requirunt curationem.

Si dolorifica ſunt ulcera, hoc modo curantur: relictis unguentis de tutiâ, minio, ceruſſâ &c. ut ſuprà de puſtulis monuimus, ulcus tegatur *mercurio dulci* in pollinem redacto, ac ter in die recentem imponito, abluto præcedenti cum vino albo tepido, nam infra tres dies ulcus conſolidatum fuerit. Vel utere *aquâ lapidis medicamentoſi*, ſed præſtantiſſima eſt *noſtra aqua Venerea*, in qua madefac petias, & ſuper ulcus impone, invenies petiam exſiccatam, & ſaniem petiæ adhærentem, quam abjice, repete ter in die, ad ulceris uſque ſanationem.

Si verò dolore careant, ex eo quia calloſam quandam ſorditiem in ſuperficie contraxêre, tunc ſordes eſt efficacioribus abſtergenda; utere *Mercurio præcipitato dulci, vel præcipitato Luteo, alias Magno Calcinato Paracelſi.* Vel.

℞. Spiritus Vini ardentis unc. ß. Mercurii meteorizati gr. v. m.

Hac aquâ ulcus ſordidum ſenſim illine, & ipſo tunc ſordities abſtergetur. Vel

℞. Vitell. ovi ad duritiem cocti n. j. deinde in tigillo mellis opt. unc. j. Liqueſcat leniter, & miſce vitellum piſtilli beneficio cum melle diligenter, donec abeant in medicamentum ſpadaceum, admiſce optimè merc. præcipit. alb. ℈. ij. & utere. Si ulcera fuerint fœtida, maligna, vel canceroſa, nullamque ſanationem recipientia, ſpecillo leviter ea tange *aquâ perſicariæ ſpiritu Mercurii albo imprægnata.* His noſtris medicamentis cujuſcumque generis ulcera cedunt. Abſterſis, mundificatiſque ulceribus, quæ cognoſces, ſi ſenſitiva, ſi rubicunda, ſi æqualia, ac ſine duritie fuerint, *unguentum noſtrum magiſtrale* appone, & pilulas mercuriales infirmo exhibe.

Cap. 10. *De Veſiculâ Cryſtallinâ.*

INter dira Luis Venereæ ſymptomata recentiſſimum, & ſæviſſimum eſt Veſicula cryſtallina. Adnaſcitur hæc ad membri virilis glandem, quandoque ad coronam, vel præputium; & veſiculæ cryſtalli inſtar translucet, unde nominis ratio deſumpta eſt. Infrequentiſſimum eſt hoc Luis ſymptoma, à quo non multos eripuimus, ſed poſtquam Hiſpanorum claſſis ad hæc noſtra littora pro Meſſanæ expeditione appulit, Neapolitana ganea hoc ſæviſſimo germinavêre ſymptomate, ſed brevi tempore ſuo alexipharmaco extinctum fuit.

Eſt lethalis, ſi optimis adhibitis non cedat remediis, quia ab igne paritur, nec affectus coaleſcit locus, licèt quæcumque pro Venereis exulcerationibus medicamenta adhibeas valida.

Solus *tabaci ſpiritus* laudem hîc invenit, qui fit *ex tabaci foliis viridibus cum malvatico ſolâ infuſione, ſine deſtillatione.*

Ubi hæc veſicula priùs mortificata fuerit mercurio præcipitato, vel ſublimato, tangatur hoc ſpiritu quinquies ad ſummum, & tacta ſponte evaneſcit abſque aliorum medicaminum ope. Hoc fiat jacente patiente, alioquin ad levem ſpiritûs tabaci tactum ſideratus cadit, & convellitur. Poſt veſiculæ cryſtallinæ curationem, Venerea labes è corpore elicienda eſt pilulis mercurialibus, & decoctis ſudoriferis, aliàs ſicuti eſt ſæviſſimum Luis Venereæ ſymptomata, ita temporis curſu perniciosiſſimas calamitates eniti poteſt.

Cap. 11. *De Vlceribus, quæ per univerſam cutem erumpere ſolent.*

NOn ſolùm in obſcœnis ex contractâ Lue erumpunt ulcera, verùm ex malè curatis gonorrhæâ bubone puſtulâ, carie, & temporis progreſſu ex his partibus in totum corporis habitum veneni minera pro ſubjectorum ratione, id eſt ob ſalium varietatem in nutrimento latentium tranſplantantur, & multipliciter defœdatur cutis, ita ſunt puſtulæ, ſcabies, impetigines, ſerpigines, lichenes, ulcera, aliæque innumeræ defœdationes extrinſecùs apparentes, quæ quandoquè ità altè radices figunt, ut optimis averruncari nequeant remediis.

Signa.

Signa, quæ hæc ulcera ex Lue Venereâ procedere arguunt, ſunt his dolor, & pruritus circa veſperas, eorum diffuſio, & remediis reſiſtentia, quibus ſimplicia ulcera parere ſolent.

Cauſæ.

Clamitant vulgares ulcera, quæ per univerſam cutem erumpunt, hepar Venereâ labe pollutum propalare, tunc cùm ob debilem facultatem expultricem non propellit ad vaſa ſpermatica, vel ad penem, vel ad inguina, tanquam ad proprium emunctorium, ut à Lue ſe vindicet eductâ virulentiâ, hepar ſanguinis officina, Lue laborans depravatum gignit ſanguinem, illumque corrumpit, & hinc pravi procreantur ſucci, quos tanquam inutiles, & moleſtos ad corporis peripheriam natura deturbat, in qua tot erumpunt ulcera, quot ex equo Trajano non emerſerunt milites.

Suſcepto veneno Venereo quinque ſuprà notatis modis, ſi illud à nutrimento internis remediis omninò non exterminetur, licèt gonorrhϾ, bubones, puſtulæ, caries, & ulcera in obſcœnis curentur partibus; temporis tamen curſu, uti eſt unius, vel alterius anni pro patientis diſpoſitione in diverſos prorumpit effectus. Fiunt hæc ulcera â ſalibus acribus, & acido-ſalinis, quæ furtim ſerpendo unà cum nutrimento, vel ſero, ad glandulas cutaneas pro inſenſili tranſpiratione tranſmittuntur, ibi ſe exaltant, glandulas cutaneas, & ipſam cutem exedunt, corrodunt, exulcerant, & pro diversâ partis diſpoſitione diverſæ ulcerum differentiæ emergunt prurigino ſæ, quæ proximas inficiunt partes, ſegetes multiplicant, & per totum ſerpunt corpus, ſed præcipuè per ſcrotum, circa labia, faciem, collum, frontem, aures, capitis cutem, brachia, femora &c.

Prognoſis.

Horum ulcerum præſagium eſt, quòd ſi non curentur, in eſthiomena, canceroſa, & putrefacientia degenerant.

Curatio.

Vulgares primò medentur hepati, & deinde ulceribus; ac proinde ſtatim ac aliquis Venereis ulceribus defœdatus in eorum incidit ungulas, initio priùs plurium barbatorum conſilio, idoneum inſtituunt victum ex cibis exſiccantibus, & minimè calefacientibus, tres ſyrupos & medicamentum purgans de communi morborum omnium, ut *de fumariâ majori cum confect. hamech, & viperæ pulveribus*: pluries propinant; poſtmodùm quia hepar, & ſanguinis maſſa ſunt infecta, *decocta ex ligno guajaco, ſalsâ parillâ, & ſantalis* ad triginta, & plures dies, intercalaribus quinto quoque die ad hepatis fervorem temperandum, ejuſdemque intemperiem corrigendam exhibitis purgantibus ex *ſyrupo de fumaria compoſito.* Vel ſtufis, ſeu Laconico exulceratum tradunt, non timentes hepatis aduſtionem, quia illud *cerato ſantalino, vel unguento refrigerante Galeni* poſt earum egreſſum inungunt. Poſt plura decocta, vel ſtuſas ulcera Linteolo *decocto guajaci* madido

do ter, & quater in die humectant, ut exsiccent. Vel ad temperandum fervorem, qui in parte læsâ quàm maximè viget, Lotiones commendant ex *decocto fol. plantag. hordei, lupinorum, limaturæ ligni Indici, fol. myrthi, pimpinellæ, & aluminis saccharini.* Tandem *aquam aluminosam magistralem* cum plumaceolis adhibent. His, vel similibus detersis ulceribus, *unguento de minio, vel lithargyrio, vel tutiâ* curationem absolvunt.

Horum ulcerum curatio erit, si priùs remediis appropriatis Veneream labem è corpore extermines, deinde si ulcera purificaveris, & consolidaveris, multùm proderit in his curandis affectibus, si corpus humorum crassorum multitudine exonerabis, quod hoc modo obtinebis.

℞. *Aquæ solut. suprà de gonorrhœâ descriptæ lib.* j. propinetur infirmo manè, jejuno stomacho cum anisis conditis, & successivè eadem dosis per quatuor dies. Corpore exonerato, mercurialibus venenum infringes, exhibendo per vices pilulas de mannâ Mercurii suprà descriptas, vel pro expertissimo medicamine aquam nostram Anti-Veneream propinabis, cujus usu Luem exterminabis, & absque ullo extrinseco adjuvante exsiccantur ulcera.

His præmissis:

℞. *Merc. meteorizati* ℥. *ij.* ß. *aq. font. lib.* ij. *aqua in vitro incalescat, & in eam injice merc. & serva.* Hac aquâ semel in die ulcera irrora, nam infra quatuor dies curata erunt, prodest *aqua lapidis medicamentosi, & aqua nostra Venerea, vel aqua persicariæ spiritu, seu oleo merc. alb. impragnata.*

Solent meretrices, & pueri meretorii frequentissimè tentari ulceribus intra podicem, vel extra eum ex infando concubitu: Hęc ulcera, pręmissis universalibus, curabis per siphunculum, injiciendo primùm *vinum in myrrhâ, & aloë infusum, & colatum*, deinde *aquam nostram Veneream* adhibendo.

Cap. 12. *De Ulcere Narium.*

Etiam nasus in Lue Venereâ suam patitur cladem, non aliter ac si in Veneris palęstrâ adhiberetur, sed hic nullam cum membris generationi inservientibus habet sympathiam, & in coitu minimè usurpatur: attamen physiognomi potiùs vanâ conjecturâ, quàm ratione ducti ex nasi magnitudine, membri genitalis magnitudinem, & molem hariolari audent. Verùm enimverò conjectare possumus, quòd qui prægrandem nasi formam nacti sunt, genitalibus illecebris sunt obnoxii, unde legimus Heliogabalum Imperatorem omnis generis lasciviæ studiosum, nasutorum virorum congregasse manipulos, ut secum in turpi certamine arma aphrodisia pertractarent strenuè. Hoc id ipsum de fœminis clariùs percrebescat, quæcumque enim magno, & oblongo præditæ sunt naso, ad luxuriem sunt proclives: nasus itaque cum peccandi ansam præbeat, si deindè ipse meritas peccati pœnas subeat, admirationem afferre non debet.

Nasus multùm usum, commodumque nostro corpori affert, per eum enim omnes intrant odores, item aër ad respirationem maximè necessarius, clauso ore per eum ingreditur, & egreditur; item multumque facit ad faciei ornatum, & pulchritudinem. Hinc si maximus, vel parvus, vel simus, aut aquilinus, aut nimis longus, vel ulceratus, vel penitùs absumptus sit, maximam faciei deformitatam affert. Sic quoque per nasum, ceu canalem effluunt excrementa, qua de re Veteres eum putârunt esse cerebri emunctorium, & mucum pro cerebri excremento venditârunt, unde prisci vulgares ad humores, pituitam potissimum è cerebro evacuandum, errhina medicamenta naribus attracta; item eandem ex eodem cerebro eliciendam, sternutatoria excogitârunt. Non est mucus cerebri excrementum, sed dumtaxat partium narium internarum alimentum ante nutritionem degeneratum. Ab hoc excremento non patiuntur nares, sicut non patitur oculus à lacrymâ, intestina à fœcibus, vesica ab urinâ &c. quia propria sunt horum emunctoria. Patiuntur quandoque nares ab his excrementis, tunc cùm quid adventitium consociatur, ut est Lues Venerea, unde oritur ulcus. Hoc narium ulcus duplex est, vel incipiens, & simpliciter vocatur ulcus; vel inveteratum, & appellatur *ozœna.*

Signa.

Præcessit Lues quinque notatis modis contracta, quæ à nutrimento opportunis non fuit eliminata remediis, & estò appareat curata, temporis curriculo recens ulcus nullum, vel exiguum excitans dolorem invadit nares, quæ ichore madent; siccâ, & subnigricante obducitur crustulâ, quæ si violentiùs sæpiùs attingatur, vel vi depellatur, vel à fortiori narium emunctione unà exturbetur, sanguinem fundit, & mox densior regeneratur crusta. Si diutiùs hæreat, subter exedendo perpetuò procedit, & ulcus efficitur majus. Quòd si negligatur, in dies depravatur, donec tandem in ozœnam transeat, quæ est ulcus priori magis dolorificum sordidum, & putridum cum crustâ sordidiori, & humidiori, ex quo graveolentia emanat, adeò ut mucus, & sanies graveolentem, & tetrum reddat odorem; anhelitus etiam ægri non modò adstantibus, sed & ipsi ægro nauseam parit, unde ipsi, & aliis molestus, & abominalis est. Sic sæpe narium ulcera, quæ intùs latent, cognoscuntur solùm ex eo, quod fœtor è naribus provenit.

Causæ.

Ulcerum narium causam putant *Vulgares* esse humores, putridos, & Venereâ malignitate imbutos à partibus inferioribus, ab hepate nempe per ascensum capiti communicatos, & à capite per descensum catarrhosâ colluvie naribus impertitos, qui acrimoniâ suâ cutem erodunt, & nares exulcerant; in Ozœnâ verò eosdem humores simul putridos, & virulentos esse autumant. Verùm errant *Vulgares* in ulcerum narium assignandâ causâ; nam non ab hepate in cerebrum per ascensum scandunt, quia inferiores partes, per quas transeunt, primùm exulcerarent, deindè cerebrum, & narium tandem partes.

Fiunt narium ulcera ex gonorrhœâ, pustulâ, carie &c. malè curatâ in pudendis, à quibus particulæ acutæ acido-salinæ lentè, & dilutius serpendo unà cum nutrimento, ad narium epidermidem perveniunt, ibi maximè exaltantur, & patescunt cum narium excrementis, & quia Venereum virus est de salium corrosivorum genere, corrodit, & corrumpit nasi fibras, & ulcus fit, quod brevi temporis intervallo sordidum, crustosum, putridum, & graveolens evadit, & tandem nasi ossa cum aliis ejus partibus exedit, iisque destructis, intolerabilis exoritur fœtor.

Prognosis.

Narium ulcera circa sui exortum non ægrè curantur, debitis adhibitis remediis, præsertim si superficialia munda, & externa sint, verùm quia Luem Veneream comitem habent, semper pro suspectis habenda sunt, ideòque perpetuo in deteriorationem abeunt, & prava excitant symptomata. Ut plurimùm crusta nares obstruit, & respiratio læditur, ac ulcere ampliato, olfactûs sensus extinguitur, vel si in sarcoma, vel polypum degeneret. Multoties narium hæmorrhagia supervenit, narium venis exesis. Annua, crustosa, interna,

occulta

occulta profunda, putrida, & fistulosa difficillimam habent curationem; sensim enim serpunt, narium pinnas effodiunt, interstitiumque corrumpunt, vel tenella nasi ossa, præsertim cartilaginem exedunt, deformitatem inducunt, & vox vitiatur. Furtim palatum perforant, & fœtore contagiosæ putredinis ad cerebrum usque sensim serpunt, & primùm ossa, deinde carnem corrodunt, & tunc nulla salutis spes superest.

Curatio.

Vulgares in Venereis narium ulceribus curandis victûs rationem ad humorum acrimoniam temperandam, & eorum genesim inhibendam præscribunt, Corpus illis pharmacis, quæ hepar lue conspurcatum respiciunt, & si sanguis exuberet, phlebotomiâ utuntur. Caput fluxionis fontem exsiccant, roborantque, ne vitiosam materiam ulteriùs ulceris curationem impedientem transmittat, deinde ulcus exsiccant, & consolidant.

Ad topica deveniunt, & primò crustas emolliunt, & auferunt, pro quibus emolliendis unguentum commendant, quod conficitur *ex medula ossis bovis, cerâ novâ, oleo nenupharino, & rosaceo.* Vel utuntur *butyro recenti, anseris, vel gallinæ adipe, aquæ rosarum loco, oleo amygdalarum dulcium*, & similibus. Crustæ emollitæ spontaneum expectant casum, vel per ultroneam sternutationem. Crustâ remotâ ulcus *decocto ligni guajaci, vel ejus spuma* eluunt, deinde *unguento de tutia, vel albo Rhasis* illiniunt. Si hæc non sufficiant, ulcus bis, ter, quatervè, *unguento Ægyptiaco in aqua hordei dissoluto* abluunt.

Vel utuntur medicamento *ex melle rosaceo, farina hordei, terebinthina, & pulvere aluminis saccharini, additis aliquot granis mercurii præcipitati.*

Ulcere deterso, illud exsiccant, probantque *Rondeletii* suffumigium, ut

℞. *Ladani puri, hypocistidis, mastiches, myrrhæ ana* ʒ. *iij. styracis calamitæ, cortic. thuris, sang. draconis, auripigmenti rubri ana* ʒ. *ij. sandarachæ* ʒ. *jß. Excipiantur terebinthinâ & f. trochisci.* Verùm venenatum est suffumigium ob auripigmenti, & sandarachæ admistionem, quæ inter venena recensentur. Vel summopere commendant *aquam* ejusdem *Viridem*, ut

℞ *Æruginis æris* ʒ. j. *auripigmenti* ʒ. jß. *Fundantur subtilissimè, & coquantur in Vini unc. iv. ad consumptionem mediæ partis, cùm refrigerent, adde aquæ rosarum, & solani. ana unc.* jß.

Vel *ligni guajaci decocto* utuntur, *in quo dissolutum sit unguentum Ægyptiacum.* Sed tale unguentum ob viride æs, & acerrimum acetum vehementem habet acrimoniam ulceribus hostilem, præcipuè ubi adest ossis exesio, illud nigredine inficit. Optimæ notæ chirurgi hujus unguenti usum Veterinariis consignarunt.

Ulcus narium ex Lue Venereâ difficillimæ est sanationis, ac proindè medicamina, quæ ex Mercurii penu eruuntur, exposcit, unde præmissis pilulis de Mercurio alibi descriptis, conveniunt lignorum radicumque decocta, & post hæc, quæ particulas acido salinas in affectæ partis nutrimento exaltatas hebetant, corrigunt, & ad naturalem redigunt constitutionem, *ut gummi guajaci naturale, antimonium diaphoreticum, cerussa antimonii, vel Mercurius diaphoreticus* per vices in formâ pilulari, vel aliàs assumenda. Interim non omittenda sunt topica, inter quæ efficacissimum est *unguentum nostrum magistrale* cap. V. de Bubone descriptum. Non credibile est, quantùm unguentum hoc valeat in omnibus ulceribus, & etiam recentibus, præsertim Venereis, putridis, malignis, vetustis, & exedentibus. Mundificat, carnem bonam producit, consolidat, putrefieri ac corrumpi non permittit, nec carnem excrescere, & tandem sanat unâ hebdomadâ magis, quàm aliud integro mense. Sequens balsamus in narium ulcere est remedium rarò fallens, ut

℞. *Ocul. cancr. spermatis ceti ana.* ℈. ß. *Cinnab. nativi gr. vj. sacch. Saturni gr. v. camphoræ gr. iij. balsami Peruviani q. s. f. balsamus*, quo sæpiùs pars affecta illinatur. Vel sequens linimentum adhiberi potest, quod est magnarum virium, ut

℞. *Ung. basil.* ʒ. *j. ol. guajaci, balsam. Peruv. ol. sassafras gummi elem. ammoniaci dissoluti. ana* ℈ *j. præcipitati alb. gr. ij. m. f. linimentum.*

Si verò ulcus sub oculos non cadat, medicamenta in formâ liquidâ commendamus, inter quæ præstantissima est *Aq. Viridis Hartmanni* alibi à nobis descripta, quæ cum penicillo, vel gossypio, vel calefacta, tamen ulcus tange, vel irrora syringulâ, quæ mirificè non tantùm ulcus mundificat, sed insuper consolidat, Vel adhiberi potest sequens mistura, ut

℞. *Aquæ plantag. sampsuci ana.* ℥. ß. *mell. rosat.* ℥. *vj. spiritûs vini rectificati* ʒ. *iij. mercurii meteorizati gr. vii. m.* & guttatim naribus absorbeatur, vel linteolum hac misturâ madefactum, & contortum naribus inseratur, vel syringulâ intrudatur. Vel tandem fiat sequens suffumigium, quod egregias obtinet vires, ut

℞. *Thuris, gummi animæ ana* ʒ. *ij. cinnabaris* ʒ. j. *m. f. pulvis* pro suffumigio carbonibus injiciendus, & naribus excipiendus.

Cap. 13. *De Oris Ulceribus.*

SUnt quædam oris ulcera superficiaria, vulgò Aphthæ nominari solent, quæ præcipuè infantibus lac sugentibus accidunt, & lactucimen appellantur. Sunt exulcerationes in summâ cute, & in palatum, gingivas, linguæ latera, radicem, & quamlibet ejus partem serpunt. Quandoque profundiùs sese demittunt, & palatum, carnemque linguæ exedunt, & ulcera absolutè nominantur. Verùm de his non est noster sermo, cùm sint ulcera simplicia, non negamus tamen aphthas infantibus interdùm adeò esse perniciosas, ut penitùs eorum tenellam exedant carnem; sed præsens noster sermo est de ulceribus à Lue Venereâ ortum ducentibus, quæ per ora non tantùm superficie palatum, gingivas, linguæ latera, ejusque radicem serpunt, verùm etiam brevi temporis intervallo profundiùs sese insinuant, & harum partium carnes exedunt.

Signa.

Si oris ulcera vulgaribus reluctentur præsidiis, sub Gallorum vexillo militare censemus, hæc per se visui patent, primùm levia, & superficiaria, deinde profunda, & adesa, vel albo, vel cineritio, vel nigro imbuta colore.

Causæ.

Assignant *Vulgares* pro oris ulcerum causâ biliosos, aut pituitosos aut melancholicos humores Lue infectos, in ore collectos. Verùm isti, humores vel antequam ad os colligantur, sunt infecti, vel in ore infectionem contrahunt, si primum, pravitatem partibus, per quas transeunt, communicant; si secundum, quomodò in ore pravitatem nancifcantur assignare tenentur. Censent à capite in os mediatè per destillationem per descensum, ut Chymici loquuntur, sed de his fabellis ad tædium usque in nostrâ *Trutinâ lib. 1. cap. 8. de catarrho* egimus. Immediatè verò oris ulcera uni infecto tribuunt hepati, tanquam ignorantiæ asylo, & omnes morborum causas à plantâ pedis ad verticem capitis usque hepati refundunt.

Contrahunt Venerea ulcera infantes in ore cum lacte nutricum non aperto, sed furtivo quodam modo Lues se insinuat, inficitque. Miselli infantuli, qui dum Lac pro sustentandâ vitâ ab uberibus mendicant,

cum lacte nutrix, ceu sæva noverca mortis insidias struit alumno inficiendo pocula.

Contrahuntur etiam in ore ulcera ex osculis cum scorto in ore infecto, imò per solam conversationem halitu, vel compotatione. Quapropter plurimùm nocet inter bibendum (ut plurimorum mos est) totam combibonum turbam in uno, eodemque cyatho bibere, cùm quandoque inter combibones semper unus, & interdùm plures reperiri possint, qui in labiis, gingivis, linguâ &c. Venerea patiantur ulcera: & talis Labiorum, gingivarum, linguæ &c. sanguinolentia, corruptio, & sanies in compotatione à potu eluitur, à qua cessando, aliquid putridi circa cyathi margines remanet, & quid in ejus fundum refluit, quod postmodùm non infectos inficere potest.

Fiunt oris ulcera ex suscepto veneno Neapolitano, & non rectè à nutrimento extirpato, quod tempore serpendo, ad os tanquam ad aliquod corporis emunctorium devenit ibi, labiorum, gingivarum, palati, linguæ &c. fibras adoritur, eorumque proximum nutrimentum degenerare facit, exaltatur, & solvendo vim adipiscitur, & ulcera emergunt exedentia.

Prognosis.

Ulcera Venerea in pueris, si superficiaria sint, & recentia, facillimè curationem recipiunt, attamen profunda & diuturna perniciosissima censentur; tum ob carnis mollitiem, quam facillimè exedunt, & serpendo, palatum, totumque os occupant, & ad gurgulionem, & fauces descendunt, & validiora expostulant medicamenta, quę ob eandem carnis mollitiem, & ætatis imbecillitatem ferri nequeunt; tum quia infantuli nimiâ oris humiditate abundant, & facilè salivâ eluuntur; tum quia pártes valdè sensiles sunt, & facilè ab acribus medicamentis, quibus quandoque uti necesse est, irritantur; tum tandem quia metus est, nequid de medicamentis acrioribus in fauces delabatur, & majus vitæ discrimen oriatur. Unde necesse est ob has causas malum invalescere propter loci naturam calidam, & humidam, ac proinde infantulos consumere, & hinc fit, ut interdum ex ulceribus Venereis acerbo succumbant funeri.

Si adultorum ulcera debitis adhibitis medicamentis non profligantur, sed putrescunt, & à gingivis serpendo per palatum, totumque os occupant, & ad columellam, faucesque descendunt, pessima censentur, & fortissimis indigent medicamentis, quibus si non cedunt, lethalia sunt, prçsertim si exedentia, æger debilis, si livorem, nigredinem, & veluti crustam contraxerint, periculosa sunt, & irreparabilis mors præ foribus cubat.

Curatio.

Curant *Vulgares* gallica infantulorum ulcera, idoneam victûs rationem nutricibus prçscribendo, quæ refrigeret, & exsiccet; verùm refrigeratio ulceribus mordax, & quia ulcus exsiccatione indiget per se ipsos, nunquam sanaretur ob assiduam, superfluamque oris humiditatem. Deinde ad oris medicamenta recurrunt mitiora, ut sunt *aqua plantaginis, rosarum, violarum cum syr. de rosis siccis, granat. de moris* pro oris illinctu. Vel ad *decoctum ligni guajaci cum syr. de moris, portulaca, & myrtill.* Si fusca, vel livida pro illinctu utuntur.

℞. *Aqua plantag. unc.* ß. *mell: rof.* ʒ. ij. *diamori* ʒ. *iij. aluminis gr. vj. m.*

Venerea adultorum ulcera curant *Vulgares* iisdem remediis ac in infantulis, sed paulò fortioribus pro corporum naturâ, ut *decocto hordei, ligni cum iisdem syrupis, melle rosato &c.* quibus nihil proficientibus *Ægyptiaco* utuntur *unguento in aqua plantaginis cum pauco aceto, & melle dissoluto.* Verùm hæc medicamenta erodentia adjunctum habent periculum, ne in fauces illabantur, & sic majus malum, quàm oris ulcera producere possunt. Vel ea *spiritu vitrioli, vel aqua forti* leviter tangunt. Sed hęc medicamenta corrosiva sunt, carnem exedunt, & eorum acutie potiùs malum adaugent, quàm levant. Si hæc ulcera putridam habeant carnem, eam totam præscindendam, vel ex ea parte *præcipitati pulverem* admovendum *cum gossypio in aquâ plantag. priùs infuso* jubent; attamen frustrà præcipitatum adhibent ob assiduam oris humiditatem, cùm in parte diù persistere non possit, nec in ulcus agere.

Nos ita in infantulorum ore ulcera curamus, si contracta fuerint ex infectâ matre, vel nutrice, hæc pilulis purgetur mercurialibus, & in purgationis actu infantulo lac præbeat, ut unà purgetur. Cibus præscribatur melioris nutritionis, vitentur acida, & salsa, omissis aromatibus. Postmodùm sumat nutrix aquam nostram *Anti-Veneream*, & interim ulcera in ore *decocto hordei, & melle rosato simplici* illiniantur, vel *decocto Veronicæ, cui addatur aliquid spiritûs Vitrioli, vel sulphuris per campanam:* Verùm expertum est à nobis majoris energiæ sequens medicamentum, ut

℞. *Aquæ plantag. unc.* j. *mell. simpl. unc.* ß. *spiritûs vitrioli philosophici, ad gratissimam aciditatem, m.* & tangantur, sic non resistent. Vel *aquâ viridi dilutâ cum aquâ persicariæ* tangantur.

Adultorum ulcera Venerea, si recentia sint, facillimè cedunt medicamentis, quæ proposuimus pro infantium curatione, vel ea leniter tangendo *spiritu vitrioli; vel sulphuris cum melle rosaceo diluto*, ut gustus spiritûs acidior adhuc percipiatur; vel *mellis rosacei tincturâ, vel lapidis salutis aquâ* tangantur.

Si contumacia, rebellia, & inveteràta sint aliter tractari debent, curatio itaque instituatur, corpus pilulis deplendo mercurialibus, & postmodùm supra descriptis medicamentis fortioribus redditis tangantur, quòd si his reluctentur, quia putrida, & callosa, expertum erit remedium, ea pluries *aquâ saphireâ, vel melle rof. sale armoniaco immisto* tangere vel *spiritu salis armoniaci persicariæ aqua diluto ad sensilem aciditatem.* Cave, ne *aqua stygia* ea tangas, (ut aliquorum vulgarium mos est) quæ vires in metallis eluserit, vocaturque *aqua Mortua,* nam non per hoc veneni corrosivi indolem deposuit. Si serpentia sint, *lixivii ex Reguli fæcibus* attactu sistuntur. Verùm *aqua mercuriali* leniter contacta brevi sanescunt, & *gargarisma ex persicariæ decocto cum sublimato dulci* expertum est apud nos remedium. Interdum tam maligna evadunt, ut quodcumque optimum spernant medicamentum, prçsertim si profunda sint, tunc *aqua viridi* cum gossypio, vel penicillo madefaciendo, & cavitates tangendo, funditùs exulcerationem mundificat, & mirificè sanat, quòd si hęc parùm, vel nihil profecerit, ad oris suffumigium, tanquam ad sacram anchoram, confugere necesse est.

Cap. 14. *De Tonsillarum Ulceribus.*

Duæ carunculę exiguæ, & naturales in oris termino, utrinque circa linguæ radicem, paulò suprà laryngem, videlicet ad uvulę latera in omnibus hominibus positę sunt, quæ rotundæ sunt, duorum nucleorum amygdalinorum instar, ac proinde vulgò à figura amygdalæ, Latinè tonsillæ, & glandulę vocantur, Grçcè verò paristhmia ob similitudinem ab isthmo significante angustam terrę partem, seu telluris brachium inter duo maria jacens; necnon antiades, quia primò oculis se offerunt.

Conditę sunt à naturâ tonsillę spongiosę, ut salivali humiditate fauces, laryngem, linguam, & œsopha-

phagum humectent, ut cibum ficciorem, & duriorem madidum reddant ad faciliorem deglutitionem, item ad laryngis irrigationem, ut ejus cartilagines ad motum aptiores reddantur, quod imitantur ii, qui fistulas irrigant.

Sæpe hæ partes licèt exiguæ, magnum Medico, sed majus ægroto facessunt negotium; intumescunt enim sine inflammatione, ardore, colorem retinent naturalem, & dolore vacant: at interdum inflammatione, ardore, dolore, & siti infestantur cum deglutitionis, & respirationis difficultate. Qua inflammatione in abscessum degenerante, pus intra fauces effunditur, unde sæpe ulcus sordidum, & fœtidum relinquitur. Quandoque non suppurantur, & in scrofulas, scirrhososque degenerant tumores. Tandem citra inflammationem fit ulcus illas exedens, quod utplurimum Lui Venereæ familiare est, de quo præsens est noster sermo.

Signa.

Præcessit Lues malè curata, vel clandestinè cum lacte, osculis, compotatione &c. se insinuavit. Tonsillæ aliquantulùm majores tactu, & visu cognoscuntur, intùs verò ceu quoddam carnis frustulum faucibus adhærens mole suâ premit, obstarque ne facilis deglutitio fiat, Ardorem, & dolorem inferunt molestum, sitim, & siccitatem excitant, paulatim fiunt ulcera, partim alba, & maculis similia, partim colori cineritio, aut crustis non dissimilia, quæ ferro inuruntur.

Causæ.

Tonsillarum ulcera excitari clamitant *Galenici* ab humoribus biliosis in hepate Lue conspurcatis, qui in caput transferuntur, & inde in tonsillas, illasque erodunt, & exulcerant.

Fiunt tonsillarum ulcera pòst contractam Luem vel per lac, oscula, compotationem, vel concubitum tunc cùm particulæ acido-salinæ in latice hospitantes, à quo antea diluebantur, in laxam, & spongiosam tonsillarum substantiam vehuntur, nec per salivosum liquorem excluduntur, sed inibi exaltantur, & tantam corrosivam adipiscuntur indolem, ut unà cum epidermide non tantùm mollium tonsillarum continuitatem solvant, & corrodant, sed etiam sæpè in totum auferant.

Prognosis.

Ulcera tonsilarum, si mox ab initio medica adhibeatur manus, facilè curantur; at si negligantur, quæ munda sunt, & exigua, sordida, lata, & profunda evadunt quodam concreto humore albo, aut nigro. Exigua quandoque, & rara oriuntur ulcuscula, quibus supervenientia alia in unum ulcus latum coalescunt. Si ulcera depascendo serpant, gurgulionem, linguam, palatum, & gingivas exedunt, ac dentium præsepiola occupant, dentes labefactantur, nigrescunt, vacillant, & tandem decidunt, undè ægri inediâ, & fœtore consumpti moriuntur. Quod si ulcera per tracheam serpant, quia pulmo, & cor neque odoris fœditatem, neque ulcera, neque ichorem sustinent, obortâ tussi, spirandique difficultate, eodem die strangulant.

Curatio.

Tonsillarum ulcera venerandi barbati curant phlebomiâ, medicamento purgante, & aliis diversionibus. Deinde quia talia ulcera à salivâ perpetuò humidiora fiunt, adstringentibus, & exsiccantibus utuntur medicamentis; unde si ulcus sit superficiarium, cicatricem inducentia usurpant, collutiones nempè *ex vino, cui balaustia, malicorium, gallæ immaturæ, folia myrti, oleæ, & sumach. fuerint incocta, & parùm aluminis dissolutum.* Vel utuntur gargarismis, ut:

℞. *Aquæ mulsæ lib.* j. *diamori unc.* jß. *m.*

Vel ℞. *Aquæ plantag. lib.* j. ß. *syr. de moris unc. ij. mell. ros. unc. j. alum. sciss.* ℈. j. *aceti ros. parum m.*

Sed nescimus, an hæc magis exsiccare, quàm humectare valeant. Vel frequentiùs abluunt os *vino, in quo bolus Armenus sit dissolutus.* Si sordidum sit ulcus, pro gargarismate utuntur *decocto ligni sancti cum alumine, & melle.* Quandoque penicillo exulceratas tangunt tonsillas *spiritu vitrioli, vel sulphuris vel aqua aluminosa Fallop.* ut eas magis exulcerent.

Ulcera tonsillarum Venerea nos curamus primò pilulis mercurialibus totum deplendo bis, vel ter, interim gargarismo de peto, vel efficaciùs utimur sequenti.

℞. *Decoct. Satureiæ, persicariæ, plantag. lib.* j. *mell. ros. simpl. unc. ij. salis armoniaci* ʒ. ß. *m.*

Si sordida sint, ea mundificat, & consolidat *infusio lapidis salutis, & tinctura mellis rosati simplicis.* Vel sequens gargarismus, ut

℞. *Rad. tormentillæ, & salsæ parillæ an. unc.* ß. *Veronicæ, & fol. querc. ana m.* ß. *f. decoct. in aquâ rad. consolidæ ad remanentiam lib.* j. *in qua diss. merc. dulc. subtiliter pulverisati* ʒ. j.

Si depascentia, tangantur *lixivio ex reguli fæcibus*, verùm præ cæteris maximè valet *Aqua viridis Hartm.* calefacta, qua cum penicillo bis in die tangantur, & hac aquâ in oris, tonsillarum & collumellæ ulceribus nos familiariter utimur, & sic feciliter cedunt, quod si non eveniat, ad partis *suffumigium ex cinnabari, & thure*; tanquam ad sacram anchoram confuge, nec ægrotum ulcerum sanatione defraudabis, ut experientia millies nos edocuit; imò tantùm hoc suffumigio multos, quos tanquam incurabiles, & deploratos barbati post varios cruciatus deseruêre, pristinæ restituimus sanitati.

Cap. 15. *De Columellæ exulceratione*

DEscendit in os teres caruncula ex palati tunicâ reduplicatâ, penitus juxta narium meatus supra Laryngis rimam, inter tonsillas, quæ Uvula appellatur, est morbosa hujus carunculæ affectio, cùm ejus summum uvæ acino non absimile appareat. Proprium hujus carunculæ nomen est columella quia oblonga, & rotunda, columnæ ad instar, parvam columnam, seu columnellam efformat. Dicitur quoque gurgulio, à sono illo, qui in gargarisatu auditur. Ejus substantia est glandulosa, mollis, spongiosa, & rubro donata colore, communi oris tunicâ amicitur, figuram habet ut diximus, rotundam, teretem, superiùs crassiorem, & inferiùs in acutam obtusè desinit. Hæc caruncula suos patitur manes scilicet laxitatem, tumorem, inflammationem, & atrophiam, de quibus hîc nos non agimus, sed solùm de hujus carunculæ Venereâ exulceratione noster erit sermo.

Signa.

Hujus affectûs signa sub oculos veniunt, aperto ore, & depressâ linguâ, columellæ exulceratio cognoscitur: laxa: & flaccida apparet, albo mucore obducta: quandoque cineritio cum ardore, & sorditie graveolentem spirat anhelitum.

Causæ.

Columellæ exulcerationem fieri autumant *Vulgares* ab humore acri, & falsò Lue Venereâ infecto; à cerebro

cerebro in columellam fluente, Verùm hę vulgarium putatitiæ fluxiones sunt veluti Sisyphi supplicium, ut fabulantur poëtæ, qui saxum ingens in montis verticem provolvere cogitur, & cùm ad culmen benè extulerit, repentè deorsum relabitur.

Ulcera columellæ fiunt ex veneno Venereo contracto sive furtim; sive quinque suprà notatis modis, & non ritè eliminato internis remediis â nutrimento, non aliter ac de oris, & tonsillarum ulceribus diximus.

Prognosis.

Columellæ exulceratio festinam requirit opem, aliter in perniciosum, & operosum desinit ulcus, quo tota exeditur, & quibus columella adesa est, potus ex ore in nares regurgitat; insuper raro clarè, & articulatè loqui possunt, inservit enim ad vocis modulationem, unde vocis plectrum ab Anatomicis appellatur. Insuper; & quòd pejus phthisis imminet periculum, cùm particula jam deficiat, quę aëris frigiditatem moderatur, ne in pulmones irruat, eosque lædat.

Nos juvenem, & scortum, columella quorum tota adesa fuerat à Lue curavimus, qui nunc vocem claram, & sonoram, expeditamque conservant, quia vicinæ aliç partes ad vocem conferentes non læsæ fuerant. Item mulierem sanitati restituimus, cujus columella non totaliter adesa fuerat â Lue, sed veluti filo pendula remanserat à Luis curatione, & quia multùm illi faciebat negotium in sermone, cibo, & potu, nos, ut molestiam tolleremus, apprehensam volsellâ forfice resecuimus, & sanguinis fluxum terrâ exanimatâ vitrioli statim compescuimus, sed quia aliæ vicinę læsæ fuerant partes, vocem in raucam, clangosamque mutavit. Omnes incolumes vitam degunt, sed horum deploranda est salus, nam qui columellâ destituuntur, phthisici moriuntur.

Curatio.

Ad columellæ ulcera ex Lue *Vulgares* hoc utuntur linimento, quo ea tangunt, ut

℞. Ung. Ægyptiaci unc. ß. *alum. usti* ℥. ß. *mell. rof. unc.* j ß. *m.*

Sed parum feliciter in hoc linimento utuntur unguento Ægyptiaco propter viride çs, quod ejus compositionem ingreditur, potiùs enim corrodendo, quàm separando, suas absolvit operationes. Insuper Ægyptiacum partem affectam nigredine tingit, quod omninò vitandum est. Si verò contumacia fuerint, *aq. forti dilutâ, vel aquâ, in qua mercurius sublimatus decoctus fuerit*, utuntur. Verùm aqua fortis, licet diluta venenatam non respuit qualitatem, ideòque si per se metalla corrodit, diluta & in gradu remisso carnes absumere, & corrodere valebit, & eò magis columellam, quæ molli, & spongiosâ dotata est substantiâ. Mercurius sublimatus in aquâ decoctus non desinit dilutè continere vim corrosivam, venenatam, & causticam, ideòque non tantum columellam, & proximas partes eò magis venenate exulcerabit, verùm etiam si fortè in asperam arteriam, vel in œsophagum gutta aliqua delabatur, in magna noxa, & vitæ discrimine versatur ægrotus. Insuper sanguinem inflammat, unde sputationes cruentæ, aliaque gravissima oriuntur symptomata, & ipsa patientis destructio.

Ulcera ex Lue Venerea tam columellæ, quàm cujuscumque oris partis curamus universalis luis extirpatione, & hac ratione ulcera incipientia in istis locis unà cum lue sponte evanescunt; quòd si interim curare velis, *ad aquam lapidis salutis, Veneream mellis tincturam*, & tandem *ad aquam viridem*, quæ omnem putredinem; exulcerationemque tollit fœdam, & consolidationem inducit perfectam, vel *ad suffumigii topici* usum deveniendum est, & sic facilè eliminantur. Prædicta remedia his ulceribus adhibita, non præmissis universalis luis curationibus; nunquam Medicum, & ægrotum fallent, quæ remedia mille experimentis à nobis comprobata fuēre: verùm aliquo temporis spatio interjecto, vel recidivam patiuntur, vel graviora luis Venereæ symptomata excitantur. Unde post perfectam horum ulcerum sanationem, præmisso leni cathartico, propinari debet Aqua nostra *Anti-venerea*, quæ universalem luem, ejusque omnia symptomata ex toto corpore radicitus eliminat.

Verùm fusiùs de labiorum, dentium, gingivarum, faucium, palati, laryngis, œsophagi, tonsillarum, uvulæ, linguæ, & nasi morbis, nec non de ranula, balbutie, cœterisque vitiis, quatenus loquelam depravâre possunt in *nostrâ Grammaticâ speculativâ* egimus *capite de Barbarismo.*

Cap. 16. *De Alopeciâ*

Accidit quandoque in lue Venerea non solùm in capite capillorum, verùm etiam in mento, & superciliis capillorum defluvium: Malum hoc Alopecia vocatur, cui plures sunt species, nempe Ophiasis, Area, & Calvitium. *Area* est quando in aliqua capitis parte capilli areatim decidunt, & sub se comprehendit *Alopeciam*, id est omnimodam depilationem, sive ea fiat in capite, mento aliisque locis pilosis, & *Ophiasin*, in qua semper capilli à capite decidentes; certam quandam figuram depilatam constituunt, nimirum ab occipite ad aures, frontisque partem anteriorem in modum carinæ. Quando autem capillorum pars undique à capite decidit, & pars remanet rara, tunc simpliciter *capillorum defluvium* appellatur.

Signa.

Ex his quæ diximus, & dicemus, hoc malum facilè innotescit.

Causæ.

Vulgares alopeciam fieri dicunt ex capillorum radicis erosione ab infectis Venereâ labe succis, quos quidem tenues esse, & halituosam habere naturam credunt: Verùm nunquam tam benè locuti sunt vulgares, quàm nunc, sed nihil dicunt, cùm succorum, sive halituum non explicent naturam.

Fit alopecia, quando particulæ acido-salinæ non erumpunt in ulcera, sed glandulæ cutaneæ, quæ poris adstant cutaneis, quibus capilli tanquam ex fundo emanant, & in quibus radicibus suis infixi sunt, exeduntur, ita ut absumptis capillorum radicibus, atque adesis, capillos quoque decidere necesse sit.

Harum affectionum diversitas oritur à particulis exedentibus, non tamen undique æqualiter, sed aliis tenuioribus, unde rectam viam servare nequeunt & tenuiores à crassioribus impediuntur, in suo cursu remoram contrahunt, & capilli obliquè excidunt, & fit *ophiasis.* Vel oritur à majori quadam particularum copiâ quæ magis ad unam partem, quàm ad aliam confluit, capilli inibi omnes areatim excidunt, & fit area. Vel ad hanc, vel illam glandulam pilosam particulas salsæ & acres deferuntur, capillorum radices absumunt, & rari excidunt, & *capillorum defluvium* fit.

Ab Acribus, salsis, sulphureisque particulis capillorum radices corrodi, illosque decidere probant sequentia, quòd affectus hic contingere solet, quibus magna inest acrimonia: Post febres potissimùm malignas decidunt capilli, quia salinæ, & acres particulæ ad has glandulas transferuntur, & radices absumunt. Sic in phthisicis capilli decidunt, ob præcedentem

sangui-

ſanguinem acrem liquorem nutritium conſpurcantem, qui indè acrior factus capillorum radices erodit. Sic quoque talis radicum pilorum corroſio fit ex applicatione olei vitrioli, aquæ fortis, arſenici, calcis vivæ. Hujuſmodi eſt balneatorum unguentum, quod ad pudendorum loca depilanda inſervit, componiturque *ex auripigmento, calce aquam non expertâ, oleo communi* pro incorporatione. Sic etiam à veneno corroſivo aſſumpto capilli decidunt.

Prognoſis.

Alopecia ex lue Venereâ in principio facilè ſanari poteſt, at neglecta calvitiem inducit, quę multoties, in incurabilem, horridamqne degenerat morphæam, miſerabiliter deturpat, & ita ridiculos reddit ægrotos, ut ampliùs non cognoſcantur.

Verùm noſtris hiſce temporibus calvities, capillorumque defluvium, alopecia, & ophiaſis nullam inſignem turpidinem, aut deformitatem parit; hodiè namque ferè omnes caput, barbam, & moſtaces bis in hebdomadâ ſibi abradunt monachorum more, & adſcititiâ utuntur comâ, cujus uſum introductum fuiſſe credimus, ut has ægriditudines occultare poſſent. *Cajus Julius Cæſar Imperator* calvitium ita iniquo tulit animo, ut poſt plurima incaſſum attentata remedia à Senatu tandem perpetuam laureæ geſtationem impetravit: Qui ſi hoc noſtro ſæculo viveret in maximam felicitatis partem ſibi duceret capillitio tegumento ex alienis confecto calvitium occultare. Imò noſtris temporibus, & præſertim hac in noſtra civitate ad juventutem ſimulandam adſcititia coma multum confert, omnes namque ſenes hoc artificio, & bis in hebdomadâ mentum, & moſtaces abradendo, antiqui videntur juvenes.

Curatio.

Vulgares corpus ab infectis ſuccis purgant, & ſi qua ſanguinis excretio cohibita fuerit, infernas tundunt venas, deinde capillos, vel pilos deradunt, & ob alopeciam credimus capitis capillos abradendos, pro quibus artificioſâ quiſque utitur Cæſarie, & barbam decurtandi uſum Hiſpanico more introductum fuiſſe: Verùm id non omnes admittunt, & præſertim religioſi, quorum morbos occultos eſſe decet. Et quia capillorum defluvium non eſt laxantibus tractandum, nam hęc malum redderent deterius, adſtringentibus utuntur decoctis pro capitis ablutione: poſt ablutionem laudant *ſuccum ladani concretum, contuſum; & maceratum in oleo myrtillorum, & roſaceo omphacino* quo bis in die locum inungunt: Sed hæc etiam malum pejorant, ulcera, dolores, & gummata ex pravis retentis ſuccis oriuntur. Interim maſticatoria præſcribunt *ex radice pyrethri, angelicæ, maſtiche, caryophyllis &c.* ut copioſiſſimo excitato ſputo, pravi retrahantur ſucci à partibus capilloſis, vel piloſis.

Si hęc non juverint ad ligni, & ſalſæ decocta cum ſudoribus, & dejectoriis accedunt, quòd ſi non profecerint, ad particularia capitis, & faciei ſuffumigia confugiunt. Si autem malum obſtinatè particularibus reluctetur ſuffumigiis, ad totius corporis ſuffumigationem, deſcendunt, ut

℞. *Aloës, thuris, benjoini, camphoræ ana* ʒ. iij. *gall. moſc.* ʒ. j. *lign. aloës* ʒ. ij. *cinnabaris, auripigmenti, & marchaſitæ aureæ ana* ℥. j. *m. f. pulvis.*

Inſpergendus ſuper accenſos carbones ad totius corporis ſuffitum. Bardum ſuffumigium, quia ipſi bardi; putant enim vulgares odoratorum fumum aliquid antidoti pro lue continere, & corpus penetrare poſſe, quod falſiſſimum eſt. Credunt quoque auripigmentum eſſe pro lue præſidium, & tamen venenum eſt, niſi dicere velint, quod unum venenum expellit alterum, & non intendit, cùm ambo hæc ſint corroſiva. Ponamus hominem auripigmenti ſuffitum inſpirare, & certiſſimè veneno necabimus illum. Tandem opinantur marchaſitam, quæ eſt cautes metallica, ad ignem, in fumum converti, & lui conſulere. Iſti maleferiati ſectatores decipiuntur, & decipiunt, nec medicamina examini ſubjiciunt, ſed pecudum more eunt, quò itur. Luis Venereæ ſanatio tantùm in cinnabari conſiſtit, tanquam proprio alexipharmaco, alia adjuncta ſunt meræ inutilia.

Si ceciderint capilli, vel pili, diverſis lixiviis caput, vel faciem lavant, deinde aſpero linteolo illud fricant, donec cutis erubeſcat, & tandem, ut capilli, vel pili renaſcantur, pluries caput, vel faciem urinâ lavant.

Alopeciam curabis præmittendo dejectiones per aquam ſolutivam magiſtralem, ac deinde per mannam Mercurii, ut paulò ſuprà præſcripſimus: poſtmodum in hypocauſto infirmo ſudores conſule, quos præcedat ſequens vulnerarium per horæ quadrantem:

℞. *Limaturæ ligni ſancti* ʒ. ij. *limaturæ cornu cervi* ʒ. j. ß. *Croci* ℈. ß. *Zinziberis* ℈. j. *Santalor. rub. contus.* ʒ. j. *Ponantur hæc omnia in vas vitreum cum lib. j. aquæ fontis, illudque optimè occlude, ac in M. B. bulliant per tres horas. poſteà refrigeretur; & aqua à pulv ribus exprimatur.* Hujus aquæ uncias quatuor infirmo exhibe ante ingreſſum in hypocauſtum, poſt ſudorem capitis cutem ſequenti aquâ irrora:

℞. *Aquæ vitæ opt. lib. j. in eâ diſſ. merc. meteorizati* gr. iv. & poſtea cum eâ cutem irrora.

Tandem, ut citò renaſcantur capilli, caput inunge *oleo Bufonum* alibi deſcripto, vel *de ovorum vitellis, vel oleo mellis* quod ita paramus.

℞. *Favos reſiduos poſt mellis expreſſionem q. ſ. pone in tigillo ſupra ignem, & miſce cum arenâ ad ſufficientiam, forma globulos, & inde retortæ vitreæ adapta recipiens, perge deſtillando, & eructabit oleum flavum.*

Cave, ne urſi pinguedine caput unguas, nam cani renaſcentur capilli. Item ſi locus depilatus ſequenti famoſo inungatur liquamine, largiter regignuntur capilli, ut

℞. *Carnium limacum, apum, veſparum, ſanguiſugarum, ſalis fortiter adusti ana partes æquales. Inde omnia vitro in fundo multis foraminulis perforato inſtar cribri, ac ſubtus illud aliud colloca vitrum; quod ex ſuperiori liquorem ſtillantem recipiat, qui ſenſim intra multos dies è ſuperiori miſturâ reſolvetur*, quo locus depilatus priùs ad rubedinem frictus inungatur.

Nos experti ſumus remedium pro renaſcendis in areâ capillis, & tale eſt *limonum ſuccus, in quod ſolvitur nitrum*, pluries depilato loco affrictus. Si glandulæ piloſæ planè deficiant, vel pori, per quos capilli erumpere ſolent, vel planè coaliti, & obliterari ſunt, incurabilis eſt alopecia.

Cap. 17. *De Rhagadibus.*

INter alia luis Venereæ importuna Symptomata, quæ inquinatos torquere ſolent; annumerantur Rhagades, ſive fiſſuræ in volis manuum, & plantis pedum, quæ ſunt ulcuſcula oblonga diſcindentia in rimas, ſive rugas, ſuntque ſciſſuræ his non abſimiles, quæ ſæpius oris labrûm, & mammarum papillas occupant. Hæ rhagades ex lue Venereâ non ſolùm in volis manuum, & pedum plantis fiunt, verùm etiam in ano, & utero nunc humidæ, & ſanioſæ, nunc ſiccæ, & calloſæ. Nos hic tantùm loquimur de rhagadibus, quæ luis Venereæ ſeminio affligere ſolent, nam extra hanc luem etiam moleſtare poſſunt, & harum à priſcis Medicis facta mentio eſt, antequam Venerea lues incepiſſet.

Signa.

Ex his quæ diximus, ſigna manifeſta ſunt, nam ſunt ulcuſcula rimoſa, oblonga cum pruriginoſo dolore, tetro odore, ac virulento humore, ita ut nigrum quid, vel viride, vel citrinum fœtens effluat; aliquando tamen nihil ſcaturit, ſed ſiccæ, & calloſæ ſolummodò apparent ſciſſuræ.

Cauſæ.

Vulgares ineptè credunt hepar lue inquinatum humores phlegmaticos, ſalſos, & aduſtos generare, & his ad volas manuum, & pedum plantas tanquam ad emunctoria ſe exonerare quibus cutis in rimas dehiſcit. Ecquis bardus de plebe homo in triviis nutritus non fieret unâ horâ celeberrimus Medicus de ſolo hepate in unoquoque morbo diſſerens? Certè ſine labore, & ſtudio hepaticam aſſequetur medicinam, quam omnes profitentur vulgares, & ſine dubio inter *Galeniſtarum* proceres aſſidere, iſtis negotium faceſſere, & minimè garrulitate ſuperari ſolo hepatis commento. Docent vulgares volas manuum eſſe hepatis ſpeculum, quaſi chiromanticorum more, inſpiciendo manuum volas, divinare ſalubrem, vel inſalubrem hepatis conſtitutionem. Concederemus, ſi res ita ſe haberet, hoc in dextræ manus volâ, quæ vergit ad hepar, non verò in ſiniſtrâ, quæ tantùm è lienis conſpectu ſita eſt, & ſplenem non hepar reſpicit. Crederemus utique cum vulgaribus, ſi noſtrum judicium eſſet limitatum, rhagades non ſolùm in manibus, verùm etiam in pedibus, labiis, utero, & ano, ſi hepar eſſet veluti totius corporis monarcha, & ut tyrannus in cunctâ dominaretur non jure, & legibus æquis, verùm quadam animi inſolentiâ, & feritate.

Fiunt rhagades ex prægreſſâ lue Venereâ, cujus virus appropriatis remediis non fuit exturbatum à nutrimento, ſed temporis curſu particulæ acres, acidæ, & ſalſę furtim ſerpendo ad manuum palmas, & pedum plantas cum latice deveniunt, ibi exaltantur, alimentum inficiunt, & ulcera ſecundùm rectitudinem rugarum corrodentia producunt.

Prognoſis.

Rhagades pruriginoſæ ſunt, ideòque moleſtiſſimæ, quæ ſi negligantur, ad plures annos durare ſolent; vel facilè in ulcera exedentia degenerant.

Curatio.

Pro rhagadum curatione *Vulgares* priùs de communi propinant purgans, deinde ſalſæ decoctum ad plures exhibent dies, & tandem ad topica deveniunt medicamenta. Abluunt manus, & pedes *decocto guajaci, ejus corticis, ſcabioſæ, & pentaphylli*, ſi verò durities adſit, manè & veſperi pedes, & manus macerant in *decocto ejuſdem guajaci parato cum radicibus althææ, foliis malvarum, violarum, plantaginis, & hordei in jure pulli:* poſtmodum adſtringentia addunt, & tandem manuum palmas, & plantas pedum inungunt *butyro, adipe anſeris, vel gallinæ, vel pomatâ, unguento albo camphorato, de plumbo, ceruſſa*, vel tangunt rhagades *aquâ aluminosâ magiſtrali. Hercules Saxonia* refert ſe mulierem cognoviſſe, quæ octo annis continuis manuum rhagades paſſa fuerat, & inutiliter omnium, & Venetorum, & Patavinorum Medicorum operâ uſa fuerat, brevi, & facilè curatam fuiſſe ſucco herbæ, quam alii *arte-miſiam*, alii *tanacetum* vocant, in omnes fiſſuras diligenter pennâ illito, & omni manuum lotione omiſsâ. Verùm ex his vulgarium medicamentis nil frugi ſperari poteſt, & licèt per longiſſimum tempus adhibeantur, morbum protrahere, non verò curare poſſunt.

Curamus rhagades, particulas acres, acidas, & ſalſas lue Venereâ temeratas diluendo, educendo, vel demulcendo, pro quibus aſſequendis primò patiens bis, vel ter pilulis cum mannâ mercurii purgetur, deinde manè & veſperi aquâ mercuriali tangantur. Vel cutis rigiditas emollientibus compediatur *mucilaginibus ſeminum cydoniorum, pſylii*, quibus *mercurii dulcis parùm* addimus. Vel rhagades manè, & veſperi inunge hoc unguento, ut

℞. *Axungiæ porcinæ q. pl. m. cum oleo tart. p. d. facto, donec f. ung.*

Verùm ſolent quandoque ita rebelles, & obſtinatæ eſſe rhagades, ut cuique optimo topico reluctentur, tunc *ſuffumigentur* manus, & pedes *mercurii ſuffitu*, vel *inunctione fricentur mercuriali*, vel *mercurius ita miſceatur cum unguento pomato, donec nullum granum appareat*, & affectæ obliniantur partes; & interim ab omni manuum lotione abſtineat æger. Vel tandem aquam noſtram Anti-Veneream ſumat, & abſque topicis medicamentis ſponte ſanantur, ut pluries nos experientia docuit.

Cap. 18. *De Moris, Criſtis, Verrucis &c.*

Nullus ager tam ferax reperitur, quàm Gallicus; in ipſo enim ſemel tectum ſeminium Venereum ſuo fermento vegetat, germinat, creſcit, floreſcit, fructificat, ſuiſque ſucceſſivis generationum periodis uberem ferr meſſem: Verùm hi fructus ſunt corruptæ genetricis ſoboles, non ſecus ac à turdi conſpurcatione viſcum frutex in arboribus innaſci dicitur. Hujuſmodi ſunt quædam carneæ excreſcentiæ dictæ, mora, criſtæ, verrucę, ficus, condylomata, thymi &c. quæ in pene, mulieris ſinu, & podice ex lue Venereâ innaſcuntur.

Signa.

Prædictæ excreſcentiæ Venereę cognoſcuntur his ſignis nam

Mora ſunt excreſcentiæ ſimilitudinem quandam mororum arboreorum referentia, atque nomen ſortita. Oriuntur in pene, pudoris ſinu, & podice.

Criſtæ ſunt carunculę ani criſtaceę, pullorum gallinaceorum criſtam referentes, ex infando, ac naturam pervertente concubitûs abuſu naſcentes.

Verrucæ, aliàs dicuntur porri, ſunt quędam carneę excreſcentiæ, quæ exterius quaſdam obtinent radiculas ad porrorum ſimilitudinem, & id ob majorem ſiccitatem.

Ficus, ſeu Sycoſes ſunt quædam excreſcentiæ tam circa anum, ejuſque circulum, vel pudendum, quàm circa uterum, ubi hęmorroidales, & menſtruales terminantur venę, quæ baſim habent ſtrictam, ſupernam verò partem latam, ficubus, non abſimiles, à quibus nomen ſortitum eſt. Vocantur etiam mariſcæ.

Condylomata ſunt tumores in ſinu muliebri, vel in ani margine excitati, ſimiles digitorum pugno, aut maturis moris, aut ficui, aut grano uvæ nigræ.

Acrohordon eſt verruca penſilis, orbicularis anguſtę baſis, ita vocata, quod chordæ nexu ſuſpenſa videatur, una vel ſola vix naſcitur, ſed ferè ſemper pluralis magnitudine piſi, vel ad ſummum fabæ, rarò major, in ſummitate latior in inferiori circa corporis cutem eſt tenuior, ita ut quaſi pediculo ſuffulta appareat cuti eſt ferè concolor, perdura, & aſpera.

Thymus eſt protuberans quædam excreſcentia aſpera, ſubrubra, oblonga, thymi ſummitatis colorem referens, & augeſcens, ac in exciſione plurimùm ſanguinis profundens, ejus generatio eſt circa ſedem, & pudenda.

Myrmecia ſunt verrucæ humiliores, inferiùs latiores,

res, ſuperiùs tenuiores, & duriores, quę radices ſuas altiùs figunt, doloremque movent, colore nigricantes, nomen ſuum indè habent, quod ad contactum dolorem exhibeant, qualis ſit à morſu formicæ, magnitudine lupinum vix excedens.

Cauſæ.

Pro harum excreſcentiarum cauſis ſtatuunt *Vulgares* humores lentos, viſcidos, & pituitoſos, cum aliqua ſanguinis portione ab hepate lue infecto ad podicem, mulieris ſinum, & penem demandatos, in quibus locis in varias carneas excreſcentias abeunt. Verùm decipiuntur *Vulgares* in harum excreſcentiarum ſtatuendâ causâ, quia humores lenti, & pituitoſi cum ſanguinis portione non poſſunt eſſe cauſæ. Id quod perpetuò de hepate repetunt, non ſunt hæ partes hepatis emunctoria, ſed nœniæ, & aniles fabellæ.

Harum excreſcentiarum cauſa eſt ſuccus alimentitius Venereo contagio imbutus, nimirum viſcoſus, qui extra ſolidas fibras aglutinatur, & juxta partis texturam, & diſpoſitionem in luxuriantes degenerat carnes; datur enim quandoque in parte vel craſſa ulceris impuritas, vel ipſa unguentorum craſſamenta, & tales excitantur excreſcentiæ, ut in aliis ulceribus videre eſt, ceu à turdi conſpurcatione arboribus innaſci viſcus dicitur. Et hac de causâ ferè ſemper Venerea lues per podicem contracta in mora, criſtas &c. deſinit. Hæc ſylveſtris caro vivit alienâ quadrâ, ſcilicet vitâ totius non aliter ac viſcum frutex arboris vitâ.

Prognoſis.

Supra dictæ excreſcentiæ familiares, & frequentes ſunt in noſtrâ Italiâ; paucæ enim ſunt meretrices, & pathici, ob innumeras pædiconum catervas, in ano hujuſmodi non habentes excreſcentias, quas ſub hæmorrhoidam titulo occultant. Hæ excreſcentiæ nunquam ſolitariæ, ſed plerumque plures ſunt, quia ſpurcum fundunt ichorem, qui vicinas fœdat partes, & multiplices pullulare facit magno cum pruritu, ita ut ſæpiſſimè ſcalpere cogatur æger.

Si initio ob pudorem celantur ab ægrotis, ut plerumque fieri ſolet, multiplicatur Gallica meſſis, & niſi appropriatis averruncentur remediis, in canceroſam migrant naturam. Quandoque in ani orificio, & vulvę labiis exurgunt, quandoque ita profundæ in recto inteſtino, & uteri collo, ut attingi non poſſint, ac proindè curationi non ſubjiciuntur, niſi quantùm utriuſque ſpeculum ſinit, vel ſaltim difficillimæ curationis cenſentur. Quæ exiles habent pedunculos, facilè curationem admittunt: contrà verò, quę latiſſimis potiuntur radicibus, quibus adhęrent, ægrè curantur. Ubi exciduntur; nullaſque relinquunt radiculas, non renaſcuntur; ubi verò radicula remanet, neceſſariò regerminant.

Curatio.

Curant *Vulgares* carneas excreſcentias, quæ tenuem habent baſim eas ſerico vinciendo filo, ſenſimque ſtringendo, uſque quò ęger dolorem percipiat, donec ob nutrimenti privationem exſiccentur, & decidant. Verùm non omnes filo vinciri poſſunt, quia ut plurimùm lata eſt baſis vel calloſa. Præterea vinculi uſum repudiamus, licèt eas vulgares vincire poſſint, quia dolorificus eſt curandi modus, ſemper tumorem accerſit, & inflammationem, & ſi tali pacto curentur, promptiſſimè repullulare poſſunt.

Quandoque eas forcipe præſcindunt, quia his non eſt magnus dolor; in eis enim non viget exquiſitus ſenſus. Verùm ferrum pro pręciſione formidoloſum eſt ęgris, nec radiculas, quibus hæ carneę excreſcentiæ adhęrent, pręſcindit, unde inpromptu eſt harum regerminatio. Tandem ſemper inflammatio, vel tumor accedit, qui curationem impedit, & chirurgus pro uno curando morbo, alium, magni negotii inducit, pejorem forſan cum aliquo vitę diſcrimine junctum.

Nonnulli has excreſcencias ſi fuerint complicatæ, vel duplicatę, candenti exurunt ferro. Sed hoc medicamenti genus eſt periculo plenum, quod maximoperè exhorrent ęgri, & hę excreſcentiæ nimis ſenſitivę ſunt, licet ſylveſtres ſint carnes, vivunt tamen vitâ totius, & adhærent partibus nimio exquiſito ſenſu gaudentibus, ut ſunt penis, podex, & cunnus, quę iſtius medicamenti applicatione intumeſcere ſolent, & ęgri vitam in quæſtionem adducunt.

Multi ferri, & ignis edacitatem reformidantes, Vulcanum, & ferrum contra Veneris carnes repudiant, & pro actuali igne utuntur potentiali. Hujuſmodi eſt *arſenicum cryſtallinum*, *& auripigmentum.* Verùm hęc duo lethalia ſunt venena, quę contra veneficas adhibent ſoboles: ſunt hęc duo adeò vitę noſtro balſamo infenſa, ut non modò intùs aſſumpta, ſed etiam extrinſecùs adhibita, horrenda introducant ſymptomata, de quibus fuſiùs egimus in noſtra *Pyrotechniâ*, & *Trutinâ*, ubi de Venenis ſub prętextu icteritiæ ex veneno agimus.

Alii has excreſcentias *aquâ forti communi* extirpant. Verùm magnâ ſedulitate illinienda eſt, quia cauſtica, & multùm ſpirituoſa, ideoque ſe diffundit, pruritum excitat intolerabilem, carnes exedit, tumorem, inflammationemque producit; nec laudabile medicamen eſt apud optimę notę Chirurgos.

Omnes tandem noſtrę tempeſtatis gregarii Chirurgi, ſi latam hæ excreſcentię habeant baſim, *unguento* utuntur *Ægyptiaco*, *vel præcipitati pulvere unguento aureo admiſto*, *vel pulvere viridis æris*, *vel ſabinæ*, *aluminè uſto*, *aquâ aluminoſâ Fallop. &c.* Sed hęc vulgaria medicamenta nimis trivalia ſunt, nec efficaciam pro excreſcentiis abſumendis, nec aliquid alexipharmaci contra luem continent.

Mora, criſtas, verrucas, mariſcas, condylomata, & cœteras carnes ex impura Venere ortas, nos eradicamus non ſolùm externis adhibitis, prout etiam externi ſunt affectus, ſed etiam internis luis Venereæ remediis: præmiſsâ igitur corporis evacuatione pilulis mercurialibus pluries à nobis deſcriptis, ſequentibus topicis eas abſumimus:

℞. *Alum. rocc. uſti*, *viridis æris ana* ℥. j. *Bulliant in aquæ roſarum lib.* iij. *ad tertias*, *filtra* & excreſcentias ablue ter in die, & inſenſibiliter evaneſcunt. Magnæ energiæ has eradicendas erit *pulvis ex alumine uſto*, *& pulvere ſabinæ ana*, quem ſolâ ſuperpoſitione, felici eventu centies experti fuimus. *Vitriolum* pulvere tenus non ſolùm ulcera ſordida mundificat, verùm carnis excreſcentias abſumit.

Optimum remedium erit oleum viridis æris, quod ita paratur:

℞. *Viridis æris part.* I. *nitri ij. Pulveriſentur*, *optimè miſceantur*, *ponantur in tigillo*, *& carbone incendantur*, *donec deflagrârint*, *quod remanet*, *ſolvatur in cellâ p. d. vel in veſicâ ſuillâ diligenter clauſâ in aquâ demersâ.* Sed præſtat *oleum ſulphuris*, *vel vitrioli*, attamen in applicatione ſumma ſolertia adhibenda eſt, ne naturalis caro tangatur.

Maximoperè præſtat *ſpiritus Mercurii albus*, quo nos felici cum ſuceſſu utimur, bis, vel ter has tangendo carnes ſylveſtres, quas feliciſſimè perſanamus abſque ullo recidivæ timore, & ita paratur:

℞. *Merc. meteorizati tenuiter pulveriſati part j. argillæ rubræ part. iij. miſce*, *& efforma cum aquâ communi globulos in umbra exſiccandos*, *deſtilla deindè ex retortâ vitreâ per arenam igne ſuppreſſionis* (*gradatim tamen*) *horis duabus adhibito*, *prodit*, *elegans ſpiritus*,

quem serva. Siquid mercurii sublimetur, cum recenti argillâ misce, & procede, ut anteà.

Præstantissima erit ad hos curandos affectus *Aqua salis ammoniaci*, quæ ita paratur.

℞. *Tart. crud. pulverizati* ℥. ij. *Salis ammoniaci pulverizati* ℥. j. *misce, & in vase sublimatorio sal sublimabis, quod iterum cum eodem tartaro, hoc quater repete. Tunc sal sublimatum in humido loco repones; ibi enim resolvetur in aquam*, quæ sine dolore has excrescentias exterminat absque recidivâ.

Verùm efficacissimus omnium erit *spiritus salis ammoniaci* tali modo elicitus:

℞. *Salis ammoniaci q. v: misce cum argillâ humidâ, ac exinde fac globulos. Destilla s. a.* Sal ammoniacus est ita summè volatilis, ut nullo modo destillari possit, præditus est enim mercuriali naturâ, abundat sulphure, quod facilè sublimatur: attamen argilla per minima inter salis particulas interjecta sublimationem inhibet, & faciliùs ignis activitate cogitur in spiritum. Quod omittentes plures spagyrici, omnem laborem, & operam perdiderunt, nam sal ammoniacum cùm sit summè volatile, in salis volatiis formâ in retortæ cacumine, & collo sublimatum invenêre, non autem attenuatum in formâ spiritûs intra receptaculum receperunt. Mediante destillatione essentificatur, majoremque nanciscitur perfectionem, dum ad summam essentiæ puritatem devenit, & suâ subtilitate permeabilis evadit.

Siquis admiretur nos tantoperè salem ammoniacum in excrescentiarum absumptione decantasse, is sciat non tantum in ulceribus putridis, & gangrænâ, putridâ carne absumendâ summum esse remedium, verùm etiam sublimatum aptum esse ad metalla in fluidum mercurium reducenda. Nec fabricari potest aqua regia, quæ aurum solvit, absque sale ammoniaco; Imò enim valet, ad sublimanda multa metalla aliaque fixa corpora mineralia, eaque transmutanda. Unde *Paracelsus lib. 7. de transmutatione rerum naturalium*: inquit *Notandum hîc, quòd quodlibet metallum, quod in sublimationem per Sal ammoniacum perducitur, posteà in frigore, vel aëre solvatur in oleum, & contra in igne, coagulatur in lapidem.*

Salem ammoniacum emortuas absumere carnes non tantùm ratione didicimus, verùm etiam id experientia nos edocuit; accepimus namque bovis os carne vestitum, & ammoniaco Sale salavimus, post 48. horas carne absumptâ nudatum invenimus. Item Sal ammoniacum terræ optimè commiscuimus, & in dictâ terrâ sale gravidâ os carne refertum sepelivimus, & item carne exutum invenimus.

Hinc quisque discere potest, qua ratione terra quam sanctam appellant, in qua cadavera sepeliunt eorum carnes absumat, & nudata ossa relinquat: ista terra est illa, in qua martyrum millena pro Christianæ fidei confessione sanguinem suum, veluti aquam fuderunt, & quia referta sanguine, ideò sale armoniaco: sanguis enim præcipuè humanus armoniaco scatet sale, id luculenter patet ex salis armoniaci confectione, quæ talis est.

℞. *Sanguinis humani lib. j. sang. bovis, vel alterius animalis lib. ij. aquæ putei lib. vj. misce, & filtra, pone ad ignem, ut bulliant ad aquæ consumptionem, & sal ammoniacum manebit in fundo.*

Prætereà terram dictam sanctam sale armoniaco refertam esse propriâ didicimus mechanicâ, nam accepimus supra dictæ terræ lib. iij. aquæ putei lib x. miscuimus in tigillo figulino, supra ignem ebullivimus, & filtravimus. Relictæ terræ novam aquæ quantitatem bis, ter, & quater reaffundimus; & ut suprà peregimus, & omni sale prorsùs nudatam reliquimus, & ex terra sancta in terram, quam damnatam vocant chymici, redegimus: omnes aquarum decantationes, & filtrationes ad ignem posuimus ad totalem aquæ consumptionem, & magna salis armoniaci copia in fundo concrevit. In prædicta terrâ omni sale spoliatâ cadaveris digitum humavimus, nec unquam absumptam vidimus ejus carnem, ideoque terra sancta religiosè custoditur, tùm ob sanctorum martyrum sanguinem illic effusum, tùm pluviarum ratione, ne sale dilueretur, & aliò transferretur, & effœta in cadaverum excisione langueret.

Vocatur terra sancta, ex eo quia tot martyrum sanguine decorata fuit, non quia cadaverum carnes exedit; neque hoc, quod naturale est, pro miraculo sancta declaravit Ecclesia, ut rude vulgus sentit: nam quælibet terra humano sanguine fœta, ut in prælio, ubi multorum millium militum interfectio obtingit, si in eâ cadavera sepeliantur, carnes absumendi energiam habet. Sed ad luis Venereæ excrescentias noster redeat sermo.

Nonnulli has excrescentias leviter *spumâ venenatâ duorum draconum rectificatâ* illiniunt, & eas penitùs eradicant, nam est medicamentum causticum, & has sylvestres destruit carnes solâ iteratâ illinctione. Sed in hoc illiniendo liquore magna diligentia adhibenda est.

Si prædictæ sylvestres carnes non veniant in conspectum, sed profundè in colli uteri, vel intestini recti latebris recondantur, tunc matricis, vel ani speculo patefiant, & nostris suprà descriptis tangantur medicamentis; & prorsùs eradicantur, ut nunquam eodem loci repullulent; quibus perfectè absumptis, iterùm mercurialibus pilulis expurgetur corpus, ut Venerea lues exterminetur.

Cap. 19. *De Torturâ Noctis: Sive De Doloribus Venereis.*

INter omnia luis Venereæ symptomata, nullum est, quod magis laborantes torquet, quàm sævissimum illud dolorum genus, quod plerumque in capite, vel toto, vel dimidio, vel circa articulos, & maximè in internodiis tantoperè exquisitiùs excruciat; profectò huic nec crudelissimum quodlibet quæstionis genus, nec severum equulei judicium est comparandum. Sunt Venerei dolores arthritide, & nephritide crudeliores, sunt, ut uno absolvamus verbo, inferni dolores, quos nec ipsæ naturæ vires, nec preces, nec vota, nec quandoque Deorum numina, præter Mercurium, depellere, possunt.

Signa.

Dolores Venerei incipientes sunt vagi, & non stabiles, præsertim modò in capite, humeris, cubitis; & modò in artubus, quos imperiti medentes pro flatibus accipiunt, maximè noctù, & ad vesperas excruciare incipiunt; temporis tamen protractu per omnes artus, internodia, membranasque sævissimi excitantur, distendentes, lacerantes, & terebrantes noctù etiam magis, quàm interdiù. Unde doloribus, Venereis noctis torturæ nomen jure imponimus ex eo quia circa matutinas horas ii ferè non sentiuntur, at dum advesperascit, torquere incipiunt, & usque in mediam noctem, & ultra semper vehementiùs terebrant. Hinc nullum certius habemus signum dolores à fomite Venereum originem ducere, quàm hoc eorum circa vesperas incrementum sumere. Non uno, eodemque modo omnes excruciant, nam cùm permanentem sibi construunt sedem, alii atroci capitis dolore corripiuntur, vel solummodò hemicraniâ, alii in scapulis, pedibusque vehementer torquentur, vel ex coxendice conqueruntur &c.

Causæ.

Causa.

Credunt *Vulgares* Venereos dolores fieri ab humoribus melancholicis, & pituitosis adustis ab infecto hepate, ad internodia missis, ibique hos humores per paulatinam congestionem depositos, vel ob acredinem, sive ex propriâ naturâ, aut ex putridine, sive deleteriâ qualitate, continui solutionem efficere, vel intemperiem inducere & sic ingentes excitare cruciatus.

Rentur dolorum causam esse humores melancholicos & pituitosos, quia lues vetusta hos apprehendit & quia melancholia vespere, & pituita noctù exacerbatur, hæc est eorum ratio, cur Venerei dolores ad vesperam incrementum sumant, & noctù magis affligant.

Si fomes Venereus ab ultimo partium nutrimento in sanguinem transit, horribiliores repræsentat scenas, nam sanguinis nutrimento salsior est, ejusque sal quoties à fermento Venereo exaltatur, vel figitur, corrosivum evadit, & dolores excitat acerbissimos. Ferè semper dolores Venerei in cranio, & ossium superficiebus; non autem in eorum articulatione sentiuntur, fortaßè quia in periostiis venulæ, & arteriolæ capillares grumefactam ferè sanguinem à veneno Venereo deponunt, cujus sal non potest â calore per insensilem transpirationem resolvi, concoquitur, fixatur, ac proinde exaltatur, unde periostia admodùm sensibilia corrodit, pungit, vellicat, lacerat, & continentes distrahit, convellitque partes, hinc dolores crudeliores, & atrociores sentiuntur.

Prognosis.

Si Venerei dolores efficaci non curentur remedio, in gummata, vel in universalem totius corporis cachexiam abeunt, ex qua deplorabilis sequitur hydrops.

Curatio.

Medicorum vulgus triplici præsidio dolorum Venereorum curationem tentant, purgante scilicet, decocto, & sudore ab externo calore provocato. Purgans medicamen producta à veneno Venereo non purgat, nec minùs venenum ipsum, quia est de communi morborum omnium, nec dolentes adit partes. Decocta saltim ratione modi, quo illa præparant, sunt inutilia, & licèt quadragesimale instituant jejunium, nunquam ad inculpatam perveniunt salutem. Sudores palliatum afferunt juvamen, nam productum à veneno, non autem venenum ipsum educunt, unde infra mensis spatium dolorum recidivæ experiuntur.

Nonnulli vulgares suorum medicaminum insufficientiam aspicientes, pro dolorum curatione ad hoc elect. confugiunt, ut

℞. *Fol. sen. or.* ℥. j. *turbit opt.* ʒ. vij. *salsæ parillæ, chinæ elect. scobis ligni sancti ana* ℥. ß. *sassafras, hermodactyl. & cinnam. ana* ʒ. iv. *fiat omnium pulvis subtiliss. & cum saccharo diss. & ad syr. consistentiam cocti cum decocto radicis chinæ, & salsæ parillæ q. suff. f. elect. in formâ opiat.* Dosis uncia una manè per quinque horas superjejunando, & eodem modo vesperi per dies octo.

Alii sequens propinant decoctum, ut

℞. *Sals. parill. minutim incisæ, rad. chinæ in taleolas dissectæ ana* ℥. j. *turbit* ʒ. ij. ß. *rad. glycirhyz.* ℥. j. *agrimoniæ capill. Ven. ana m.* j. *coriand.* ʒ. vi.

Infunde in aqua font. amphor. vij. *stent in loco calido spatio* 24. *h. Deinde bulliant ad tertiæ partis consumptionem, & adde fol. sen. or.* ℥. ij. *bull. parùm, cooperi vas, & remove ab igne, cola, & ad usus serva.* Dosis ℥. vj. manè, & vesperi, corpore purgato prius, cibus sit assatus, & optima observetur diæta. Pro potu ordinario residuo magmati aqua communis reaffunditur.

Quidam hanc infusionem pro arcanô in doloribus Venereis præscribunt:

℞. *Fol. sen. lign. sancti limat. cortic. ejusdem, salsæ parillæ ana* ℥. iij. *sem. fœniculi, rhabarbari opti. ...* ʒ. *galang. ana* ℥. ß. *colocynth. card. sancti an.* ʒ. iiß. *antimonii* ℥. ß, *vini græci lib.* viij. *f. s. a. infusio.*

Dosis lib ß. pro vice. Attamen ab hac infusione eliminandum est antimonium, quia cum vino horrendos ciet vomitus, & sic æger in magno vitæ discrimine versaretur, evacuando per superiora, & inferiora. Verùm hæc inutilia sunt pro extirpandis doloribus; & corticem tantùm, non verò nucleum attingunt.

Sequens decoctum pluries experti fuimus dolores sedasse, cujus præparationem ingenuè communicamus:

℞. *Salsæ parillæ minutim incisæ* unc. iv. *hermodactyl. à cortice exteriori mundat. & contus.* ℥. ij. *anis. ad libitum.*

Infunde in aqua font. amphor. x. *stent per* 24. *horas in loco calido, deinde bulliant clauso vase ad horas tres, aperi vas, & infunde fol. sen. or.* unc. iv. *post simplicem ebullitionem cooperi vas, aufer ab igne, frigefacto vase cola*, & utatur æger pro potu ordinario, observatâ exsiccante diætâ.

Partibus à dolore obsessis applicant digerentia, & attenuantia, ac sacculum *furfuribus, milio, & sale* repletum imponunt, cùm hæc parùm profecerint ad fontem recurrunt *ex decocto ligni, & salsæ, additis foliis betonicæ, rorismarini, pulegii, flor. chamomillæ, meliloti &c.* Dolores leniunt *oleo liliorum alborum, rutaceo, vel guajacino:* Verùm olea poros obstruunt & dolores augent. In doloribus vehementissimis obstupefacientibus utuntur, tamen in venereis nunquam his utendum est, quia materia magis incrudatur, fixatur: & deinde pertinaciter torquet. Præterquam quod anodynorum usum nunquam aliquid adjumenti attulisse experti sumus, imò nec somnum conciliasse; ideòque anodyna in doloribus Venereis è remediorum censu eliminamus.

Si his vanidis medicamentis reluctentur dolores, & & vehementissimi sint, sanguinem fundunt, quia in magnis doloribus saluberrimum est sanguinem mittere, deinde in brachiis, & tibiis cauteria aperiunt. Tandem his nihil proficientibus, ad empirica confugiunt medicamenta, ad suffumigia scilicet, extremas inunctiones, quibus non juvantibus, doloribus affectum, deserunt tanquam insanabilem. Imò major est nostrorum vulgarium impostura, qui postquam aliquis doloribus Venereis tortus in eorum incidit ungulas, post quinque vel sex menses cum totali ęris, & salutis jacturâ eum destituunt. Nonnulli, quod pejus est, malum naturę viribus insanabile proclamant, quia pro suis viribus juxta artis pandectas omnia possibilia applicuerunt medicamenta: purgans propinarunt medicamentum, clysterum myriades injecerunt, sanguinem detraxerunt, sedis venis hirundines imposuerunt, syrupos magistrales, & salsę parillæ, ac ligni guajaci decocta per duos menses, & ultra accepit ęger, duo cauteria aperta fuêre, suffumigia, & extremas Mercurii præbuerunt inunctiones, & his magnis remediis sanus non evasit, aliquid divini submurmurantes inesse morbo, sacrificulis tradunt, & terga vertunt.

Si quis hac eâdem methodo uti velit, sequentia exhibeat remedia, prout præscribuntur parata, nam ex utilitate, quam sentient ægri, aliorum Medicorum ignorantiam cognoscet.

Venereis doloribus vexatum in cubile degere curabis, & à frigore, & humiditate sit exactè munitus, exactam deinde illi præscribe diætam, & sequenti medicamine ejus ventrem solves,

℞. *Syr. de spinâ ponticâ* ℥. iij. *elect. de suc. rosʒ.* iij. *Syrup. de succ. Viol.* ℥. j. *vini græci q. s. m.* & propinæ

netur immediatè ante prandium, si infirmi vires sint validę, iterùm repetatur, deinde decocta hoc modo paretur:

℞. *Limaturæ ligni sancti* ʒ. iij. *salsæ parillæ contus.* ʒ. ij. *betonicæ, sampsuci, limaturæ cornu cervi ana* ʒ. j. *cinamomi contusi* ʒ. ß. *aquæ card. bened. lib.* jß. *Ponantur omnia in vas vitreum amplum, quod optimè cum subere, & chartâ pergamenâ claudatur, ne exhalet, deinde bulliat in MB per quatuor horas, posteà refrigescat vas, aperiatur, & decoctum coletur à pulveribus leni expressione:* Hujus decocti recipe uncias quatuor quadrantis horæ spatio ante ingressum in hypocaustum, ægro propina, in quo se detinebit, usque dum sudores erumpere incipiunt, tunc lecto se componat, & profusos procuret sudores: hoc modo procedat per duodecim, aut quindecim dies, si venter exsiccatus appareat, quartâ, vel quintâ qualibet die prætermisso decocto, & sudore, hoc utatur dejectivo:

℞. *Mannæ Mercurii gr. x. pilul. de tribus* ℈. ij. *m. f. pilul.* iij. propinentur vesperi ante cœnam immediatè.

Vel si æger hypocaustum exhorreat, purgato priùs corpore, sequenti decocto immunem à doloribus reddes, ut

℞. *Salsæ parill. minutim incis.* unc. j. *ligu. visci querc.* unc. j. *limaturæ corn. cervi, eboris an* ʒ. ijß. *aquæ card. sancti.* ℔. ijß. *Ponantur in vase vitreo amplo, quod optimè claudatur, ne quid exhalet, collocetur in loco calido per 24. h. deinde bull. in cinerum, vel arenæ igne ad tres horas, amoto igne, & frigefacto vase, aperi & cola leni expressione.* Hujus decocti ℔. ß. infirmo exhibe manè quatuor horis ante prandium, totidemque vesperi, detineatur æger in lecto, & stragulis optimè tectus profusos exspectet sudores, hac methodo pocedat per xx. dies, & ante dictum tempus immunis erit à doloribus absque futuræ recidivæ timore. Si alvus non deponat onus, quinto quoque die, prætermisso decocto, sumat pilulas de tribus cum mercurio dulci, exsiccantem observet diætam, pro potu ordinario bibat aquæ communis residuo magmati reaffusionem cum ebullitione, quæ fiat etiam clauso vase.

Verùm ad dolores Venereos radicitùs extirpandos non datur in toto orbe potentiùs medicamen, quàm *Aqua nostra Anti-Venerea*, quæ reverà, longè superat omnia antidota Luem Veneream, & primum inter omnia alia medicamenta sibi vendicat locum; adeò omnibus palmam præripit, ut nulli in toto naturæ ambitu comparanda videatur. Hujus ope inutilia vulgarium decocta, & ab æstuaria aulâ Medicorum recesserunt, & quos ægrotos Mercurii suffumigia, & extremæ inunctiones deluserunt, hæc ad pristinam evocavit sanitatem. Adeò in hoc affectu infallibilem in dies experti sumus, ut multos, quos tanquam deploratos vulgarium grex post decocta, suffumigia, & inunctiones omni salutis spe orbatos deseruit, hujus aquæ beneficio ab orci faucibus revocaverimus, ejus compositio talis est:

℞. *Salsæ parill. minutim incis.* ℥. ij. *ligni visci querc.* unc. jß. *limaturæ corn. cervi, & rasuræ eboris ana* unc. jß. *antimonii crudi minutim incis. petræ pumicis ana* unc. iij. *Hæc duo ligentur in petiâ lineâ, & simul cum aliis infunde in aquæ fontis* ℔. viii. *Detineantur per 24. horas in infusione, demum bulliant lento igne ad medietatis consumptionem, in fine adde cinnam. acuti* ʒ. ii. *cola, & ad usum serva.*

In hujus aquæ confectione pumex admiscetur pro antimonii correctivo, aliàs enormes excitaret vomitus; ideoque ad sistendas superfluas vomitiones ab antimonio excitatas, tanquam incantamentum valet parùm pumicis in pollinem redactum, & in vino propinatum, ut fusiùs in nostrâ *Trutinâ Medicâ lib* 4. *cap.* 8. *de nausea, & vomitu* egimus.

Verùm, ut verum dicamus, pumicis admistio cum antimonio frustranea est, nam experientia nos cum aliis docuit antimonium decoqui posse absque tali correctivo, & non provocare vomitus, neque secessus. *Zwelferus*, uti etiam *Borellus* tale habent decoctum in Lue Venerea ex *Radicis salsæparill.* unc. vij. *& antimonii pulverisati s. nodulo inclusi* ʒ. ij. coquunt l. a. & sic propinant ægroto. Item *Willisius* in Lue Venereâ pro potu ordinario commendat sequens decoctum, ut

℞. *Rasuræ ligni salicis* ℔. ß. *radic. salsæparillæ* unc. viij. *santali alb. ligni lentisc. ana* unc. ij. *rasuræ eboris, corn. cervi ana* ʒ. *vj. antimonii crud. in petiâ ligati* unc. iv. *radic. liquiritiæ* unc. jß.

Infunde, & coque in aquæ fontan. lib. xvj. ad medietatem, colatura servetur ad usum.

Vulgares delusimus Medicos, eorumque repudiavimus decocta, tam in hoc secundo libro de lue, quàm in nostrâ *Pyrotechniâ*, quia aperto vase decocta parant. at nunc nos hanc aquam fieri aperto vase ad medietatis consumptionem præscribimus: verùm non extra limites prosilimus: ea enim ingredientia, quæ sal habent fixum, vel non adeò volatile, eorum decoctiones aperto vase fieri possunt, cujusmodi sunt hanc aquam ingredientia, quæ dura sunt, & compacta vegetabila, quæ longam sustinere possunt coctionem; quæ autem sale abundant, volatili, rara, humida, & aromatica sunt, quorum omnis vis, & facultas in superficie consistit, brevem; lentamque exiguunt coctionem, in vase clauso faciendam. Verùm nos semper in decoctionibus faciendis vas clausum ad majorem cautelam commendamus, & clauso vase nos hanc aquam paramus: quem modum nunc ampliùs reticere non possumus, qui clauso vase eam parabit, miracula efficiet, nam citò, tutò, & jucundè luem radicitùs extirpabit.

Quandoque hæc aqua admirandos, & à nobis decantatos non patrat effectus ob aliquorum malitiam, & parsimoniam pharmacopolarum, qui non tantùm salsęparillæ loco, similace asperâ, vulgò salsâ paesanâ utuntur, verùm etiam, quod pejus est, lucri cupidine allecti, & ut laboribus parcant, residuo magmati novam aquam reaffusam ebulliunt. Ad hanc igitur evitandam imposturam, ô quàm præstaret in ægrorum domibus parari.

Pro magnatibus, & divitibus delicatulis, & medicamenta respuentibus alium usitatum à nobis aquæ Anti-Venereæ conficiendæ modum ingenuè communicamus: materialia, quæ pro hujus aquæ confectione ingrediuntur, post viginti quatuor horar. in loco calido infusionem, destillentur per alembicum cum suo recipienti optimè lutato, sed non ad siccitatem, ne empyreuma concipiat. Hujus aquæ ea destillari potest quantitas, quę pro sanando ægroto sufficiat; conservatur enim ad plures, & plures menses incorrupta, imò aliò transferri potest pro suis curatione, nec nauseam parit, nec stomachum subvertit, nec ructus nidorosos parit, ut accidit, tunc cùm fit per viam decoctionis: mediante destillatione majorem nanciscitur perfectionem, & ad summam devenit puritatem, & suâ subtilitate permeabilis evadit, unde jucundè, citò, & tutò luem radicitùs eradicat, quia salia volatilia ingredientium non evanescunt in auras, ut in decoctione fit; sed intra recipiens recipiuntur, & salia fixa mediante destillatione attenuantur, & in recipiens transeunt.

Bibitur hujus aquę amphora una pro potu quotidiano, & non tantùm ejus usus est in doloribus Venereis, quos statim post decem dies sedat, verùm etiam bubones tàm legitimos, quàm spurios resolvit, gummata discutit, & plura pręstat, quæ ejus usus,

usus, & quotidiana experientia te docebit, si rectè operatus fueris. Cibus debet esse ex carne assatâ, cruda, acida, & salsa vitentur. Corpus debet esse purgatum, operaturque per diaphoresim, sudores, urinam, & leniter per secessum, verùm notandum est, quòd si diarrhœa superveniat, cessare debet aquæ usus, aliter enim ægrotus in vitæ discrimen conjicitur, ut multa testantur exempla. Ejus usus continuari debet per mensem chymicum, nam licèt intra decem dies dolores sedet, tamen aliud est dolores sedare, & aliud radicitùs sanare. Quolibet anni tempore sumi potest tam rigido, quàm fervido.

Optimus est hic modus, quo nostram præbemus aquam, attamen majori cum fructu energiam stupemus, dùm hujus infirmis *Galenicum* propinamus Cyatum quatuor horis ante prandium, eundemque vesperi, qui in lecto lodicibus operti sudores expectent, & pro potu ordinario secundam affusionem in residuo magmate cum ebullitione, & vase clauso præscribimus. Si ita operatus fueris intra decem dies admiraberis effectum, sicut nos quotidiè experimur. Evidens futuræ sanitatis signum erit, si doloribus vexatus ab aquæ assumptione, nocte somno indulserit.

*Verùm si hominis status, & necessitas, vel tempestatis rigor præscripta non tulerit medicamenta, ad nostram confugiendum est Pyrotechniam, quæ medicamina præparat ad exterminandos dolores Venereos efficaciora; primò itaque à levioribus, & paratu facilioribus incipiendum est. Vexato igitur à doloribus ægro, dùm gracilis non sit naturæ, hoc vinum exhibe.

℞. *Croci metall.* ʒß. *infundantur in vini* unc. ij. *per* 24. *horas, post quas illud à pulveribus separa*, & ægro propina, lenem ciet vomitum, & aliquot secessus, alternis quibusque diebus illud reitera quater, aut sexies, & dolores pedetentim cessabunt. Vel

℞. *Mercurii Vitæ gr. vj. infunde in vini* unc. ij. *per* 12. *horas, deinde vinum separa*, & propina. Eosdem producet effectus, ac crocus metallorum, sed aliquantulùm vehementiores, verùm citiùs à doloribus liberat. Hoc medicamen repete ter, vel quater alternis diebus: Vel eodem modo nostrum *Hippocras emeticum* in nostrâ *Trutinâ* descriptum, cap. *de Apoplexiâ*, propina. Vel

℞. *Turpeti mineralis dulcis gr. iv.*

Sensim augendo, & exhibeatur cum pilulis solutivis, vel confectionibus cordialibus, nam vomitum, & lenes secessus ciet, &. utplurimùm ptialisimum ter assumptum, & omnes exterminabit dolores. Non credibile est, quàm efficacissimum sit turpetum minerale in exterminandis doloribus, & gummatibus, nam nos plures, quos vulgares post decocta, suffumigia, & extremam hydrargyri inunctionem omni sanitatis spe destitutos deseruerunt, perfectè sanavimus.

Multoties adeò pertinaces sunt dolores Venerei, ut neque vulgaribus, neque pyrotechnicis cedant medicamentis; Sed post eorum applicationem crudeliùs cruciant. Tunc ad mercuriale suffumigium, vel inunctionem, veluti ad efficacissimum, & ultimum deveniendum est remedium; nec vos aliquorum Medicorum horror terreat, quem absque experientiâ à solo mercurii nomine contraxêre, nam præterquam quòd nos plusquàm mille ægrotos doloribus vexatos hoc medicamine curavimus, & nullus fuit ex iis, qui vel integram salutem, vel dolorum remissionem per annos integros ab hoc medicamento non receperint. *Fallopius*, *Quercetanus*, & *Epiphanius Ferdinandus hist.* 17. verum, genuinum, & infallibile alexipharmacum luis Venereæ in Mercurio tantùm esse affirmant, & multorum ab iis curatorum referunt historias, qui alia remedia inutilia experti erant, & de curatione jam desperaverant. Imò idem *Epiphanius* eodem loco fatetur, quòd nonaginta authores, qui de lue Venereâ scripserint quatuor tantùm invenit, qui hydrargyri usum in hac luè improbarint. Fatemur nos libenter horribiliora symptomata ab hujus remedii applicatione emergere: sed docto, & experto Medico symptomata illa metum nullum afferre debent, siqua evitanda sunt in hoc remedio, æger vitabit, & quæ facienda sunt, faciet. A symptomatum apparatu non solùm vitæ discrimen, dentium, capillorumque casus expectanda non sunt, sed perfecta infirmi salus cum totali contagii Venerei exterminio. In quibus optimè peragendis, Medici prudentia est necessaria, & quæ à medicamenti applicatione evenire solent, ægro, præsagire debet, ut iis deinde supervenientibus neque infirmus, neque astantes terreantur, sed procellæ cessationem securo expectent animo.

Antequam ad medicamenti praxim deveniamus, non erit à re alienum, quid sit Mercurius, ejusque proprietates examinare, quid de eo protulerint antiqui, & quid recentiores observarint, docere.

Hîc nos non loquimur de Mercurio, qui unus est ex tribus principiis, sed de vulgi mercurio, quod dicitur argentum vivum, quia lunæ instar est albus; vivum verò ratione mobilitatis; qua semper irrequietum agitatur, unde dicitur animal currens sine pedibus. Dicitur Mercurius à notâ Mercurii cœlestis velocitate, & inconstantiâ, de qua fabulati sunt poëtæ. Dicitur hydrargyrum, quia aqueum videtur argentum, & reverà aquæformis est mercurius, non verò aqua madefaciens omne, quod tangit.

Constat argentum vivum, ut singula, ex sulphure, sale & mercurio. Sulphuris copiam habet, mercurium perquamoptimè mistum cum sale, ita ur mercurius suo sale cohibeatur. Sulphur indè ita est anatizatum cum mercurio, & sale, ut non faveat nec mercurio, nec sali, sed ambo æqualiter amet. Unde ob sulphur perpetuò est fusile, & currit in superficie planâ absque adhærentiâ suæ substantiæ; ob ejus copiam perpetuò est in motu, & non adhæret, & quia mercurius perquamoptimè mistus est cum sale, ita ut mercurius suo salè cohibeatur, non madefit, nec madefacit.

Antiquiores *Græci* admodum tenuem de hydrargyro habuêre notitiam, ut colligitur ex *Dioscoride lib.* 5. *cap.* 70. *ex Oribasio lib.* 13. *ex Actuario lib.* 5. *cap.* 12. & *ex Avicennâ lib.* 2. *tract.* 2. *Gal. lib.* 9. *simpl. medicament.* temerè pronuntiavit: *Argentum vivum ex sponte nascentibus non esse, sed ex iis, quæ parantur; velut cerussa, ærugo, psoricum, lythargyros*: fateturque se nullum istius mineralis fecisse periculum, an interimat, si devoretur, vel ubi foris fuerit admotum.

Posterioribus verò sæculis in communem ferè usum adscitus est mercurius, & in contumacissimorum morborum curationem, unde non paucæ circa illius facultates exortæ sunt inter Medicos recentiores controversiæ, quidam naturæ esse calidæ pronunciârunt, alii vero frigidæ, alii temperatæ, quidam veluti toxicum, ac perniciosissimum venenum à communi hominum usu, atque commercio proscribendum docuerunt. Demùm quidam adeò extulerunt, ac pro tam admirabili remedio habuerunt, ut angelicum pronunciârint, cùm tam admirabilis, & stupendę naturæ sit, ut quascumque formas, veluti novus Proteus sibi induere videatur, & tamen propriam nunquam amittit; nam in altum in atomos elevatus, deorsùm præcipitatus, mortificatus, fixus, aut quomodocunque mutatus, naturam semper suam, & essentiam servat, ut ad pristinam suam facillimè redigatur formam. *Fallopius* inquit esse imaginem & speciem resurrectionis, miraculum soli Deo reservatum, & hoc exemplo apud incredulos confirmare possumus, ut verbo Dei ex nostro cinere resurgamus, cùm pulvis præcipitatus iterùm in argentum vivum reviviscat. Semper quippe suum

retinet

retinet corpus, nec ullam ſubit corruptionem, aut alterationem, eò quòd in ſui corporis conſiſtentiâ homogeneus ſit, nec partium alteritatem habet, quam homogeneitatem etiam auro ejus filio præſtat, ideòque inter utrumque magna illa familiaritas, & neceſſitudo; illudque præ cæteris avidè amplectitur, protinùs cum illo congreditur, amalgamatur, & amicabiliter unitur, tanquam verum, & homogeneum auri menſtruum, & ſicut faciliùs eſt aurum conſtruere, quàm deſtruere, ita faciliùs eſt naturæ mercurium conſtruere: quàm deſtruere.

Quantum ad qualitates *Avicennas* dicit eſſe frigidum, & humidum in ſecundo gradu, cui conſentit *Averroës*, ut refert *Pandectarius.* *Fernelius* de abditis rerum cauſſis frigidum, & humidum in quarto gradu dicit hydrargyrum, quod confirmat *Matthiolus.* Alii ſuſtinent calidum eſſe & ſiccum intenſiſſimè; pro primâ opinione militat *Fallopius de metallis, & foſſilibus cap.* 37. pro ſecundâ adducunt *Galenum* 4. *de ſimpl. cap.* 18. dicentem *Hydrargyrum eſſe cauſticum*, talia ſunt in quarto gradu calida, quanquam ſcilicet de ſimpl. 19. aſſerat: *Eſſe à totâ ſubſtantia contrarium humanæ naturæ*, & in fine ejusdem fateatur *ſe neſcire hujus mineralis uſum*, ut ſuprà. Aliqui eſſe calidum, & humidum in quarto gradu, *Amatus Luſitanus* dicit eſſe frigidum, & ſiccum. *Matthias Untzerus de anatome ſpagyricâ mercurii* ait eſſe temperatum, compoſitum ex partibus calidis, & frigidis, præparatum verò eſſe calidiſſimum. Idem ſentit *Saxonia de Lue Venerea* miſtum eſſe imperfectum, à quo per calcinationem frigidum evolat, & remanet calidiſſimum. Hos damnat *Sennertus cap.* 21. *de Lue Venerea* prohibetque eſſe calidum, & ſiccum, quorum rationes omnes adducere, & repudiare ſatis prolixum eſſet ſcribere, eò magis quia ad nauſeam uſque apud *Fallopium* & *Sennertum* diſcuſſæ inveniuntur.

Recitatas nugas, & allata fabulamenta hactenus de argento vivo protulêre, qui horrore quodam percuſſi, illud neque extremis digitis tetigere. Unde quid de hoc minerali docuerint, nunc videamus, qui à primis qualitatibus ejus virtutes non emendicârunt. Horum aliqui dixerunt argentum vivum eſſe venenum, aliqui verò id negârunt. *Matthias Untzerus* prolixè probat non eſſe venenum, adducendo *Avicennam lib.* 4. *fen.* 6. dicentem: *Argentum vivum potum non lædere, ſed egredi per alvum.* Idem *Haly Abbas lib.* 1. *Pract. cap.* 43. & *Rhaſis in* 9. *ad Manſorem* de potu argenti vivi ſtatuunt. *Braſſavolus* ſine ullâ noxâ intra corpus aſſumi aſſerit, cùm Veterenarii brutis vermibus ſcatentibus, quod ex anhelitu cognoſcunt, avellanæ nucis putamen dimidiatum argento vivo repletum; & faucibus injectum, quatuor vicibus diglutiendum tribuant, nullo graviori morbo ſuccedente, curant. Et pueris in extremo conſtitutis periculo, quibus cœtera nihil profuerant duorum granorum milii quantitate feliciſſimo cum eventu *Braſſavolus* exhibuiſſe teſtatur. Et nos abſque ullâ noxâ pluſquam centies moribundis pueris mercurium vivum exhibuimus pondere unius ſcrupuli, & ab imminente morte fuerunt liberati, necatis illicò vermibus. In Galliâ verò propinatur pueris pro quotidiano remedio aqua mercurii hoc modo parata:

♃. *Mercurii vivi* unc. j. *eam injice in aqua ferventis lib.* 3. *Bulliat per ſpatium dimidii quadrantis, deinde aqua à mercurio decantetur, & ſumatur pro quotidiano uſu.* Nam vermes non ſolùm illicò necat, ſed eorum generationem prohibet, corporis temperamentum ſervat, & contagia arcet. Id quod mirum eſt, eadem mercurii uncia quamtumvis aquæ quantitatem eâ imbuit virtute, ut paulo pòſt de hac veluti infinitâ mercurii virtute explicabimus.

Mulier cùm abortum tentaſſet diverſis remediis, ad eundem obtinendum libram integram argenti vivi, eam ingurgitaſſe refert *Matthiolus*, & apud me conſtat pro eodem fine mulierem mediam libram mercurii ingeſſiſſe, ſed ut abortum non obtinuit, ita illæſa à mercurii aſſumptione remanſit. Verum eſt, quòd obſtetrices laborioſè parientibus ſcrupulum unum mercurii exhibere ſolent pro partûs acceleratione, & non fruſtrà. Imò obſervatum eſt quoſdam ſitibundos noctu in tenebris vaſa argento vivo plena pro poculo arripuiſſe, & plenis faucibus argentum vivum magnâ quantitate exhauſiſſe, id tamen ſine damno per alvum rejeciſſe. Tentavere adulteræ mulieres multoties argenti vivi exhibitione Zelotypos necare maritos, ſed argentum vivum uxoribus humanius ſcelus non complevit, unde extat apud *Auſonium* epigramma:

Toxica Zelotypo dedit uxor mæcha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum,
Miſcuit argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc ſi quis, faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergò inter ſeſe dùm noxia pocula certant,
Ceſſit lethalis noxa ſalutiferæ.
Protinùs ut vacuos alvi petiere receſſus,
Lubrica dejectis qua via nota cibis.
Quàm pia cura Deum, prodeſt crudelior uxor,
Et cùm fata volunt, bina venena juvant.

Servi in mineris argentum vivum colligentes, ut dominos fraudent, argenti vivi aliqua pondera ebibunt, illudque deinde per ſeceſſum ejiciunt, & ſecretò venundant.

Ac tandem uſum mercurii externum innoxium experimur in diem in necandis pediculis, cimicibus, & pulicibus; nam ſi veſtis eo ſpargatur, mercurius vivus pediculos omnes inflato corpore interimit, ita ut per excuſſionem omnes decidant: at ſi verò dictæ ſordities in capite inter capillos fuerint, ut frequenter pueris accidit, tunc

♃. *Mercurii vivi quart.* j. *ponatur in mortario, & cum ſaliva reducatur in atomos adde tunc unguenti albi* unc. j. *& cum piſtillo agita, ut unguentum fiat nigrum.*

Hoc unguento caput in tribus, aut quatuor partibus inunge ſemel, aut bis, & omnes pediculi turgidi, & mortui decident; multum quoque levaminis affert hoc unguentum venis hæmorrhoidalibus turgentibus, ac dolentibus.

Non prætereundum eſt hîc unguentum illud, quod ex mercurio conficitur pro enecandis illis pediculis, qui loca piloſa ſecretiora incolunt, tenaciſſimèque cuti adhærent, vel adnati, citiſſimè tamen ab uno loco in alium per infectionem transferuntur, adeò ut ſi quis unicâ ſaltem nocte in eodem lecto cum aliquo dormierit, qui his ſcatet pediculis, mox uberrimos ſecum reportabit, tam firmiter cuti affixos, ac ſi agnati eſſent, atque hi pediculi vocantur *peſſolatæ*, vel *petalæ*, vulgò *piattole*:

♃. *Ung. roſ.* unc. j. *argenti vivi* ℨ. j. *miſce diligenter in mortario lapideo, quouſque argenti novi nullum appareat veſtigium.*

Citati omnes authores, & decantatæ experientiæ dilucidè concludunt argentum vivum purum, crudum, & nullâ præparatione ante datum, non ſolùm non eſſe venenum, ſed innocuè intra corpus aſſumi poſſe.

Contrà non deſunt, cùm argentum vivum non ſolùm non tetigerint, ſed neque viderint, qui illud lethiferum toxicum eſſe crediderunt, credulis profeſſoribus eorum ſcriptis eundem metum impreſſerint, hujus farinæ homines fuêre *Galenus*, *Aëtius*, *Conciliator*, *Cardanus*, *Fernelius*, & alii, qui ſine ullo fundamento argentum vivum ſtuporem, tremorem, convulſionem, paralyſim, Epilepſiam, apoplexiam, lypothymiam excitare,

citare, & interdùm mortem inferre insinuant, sed horum hominum de hoc minerali ignorantiam diffusè demonstrat *Quercetanus in Alexicacò ; & in consiliò de Lue Venereâ*, & ab aliis plurimis, præcipuè à *Sennerto & Zacuta* controversia decisa est.

His de argento vivo traditis, quæ quicquid de eo vulgaria ingenia protulêre, continent, aliud superest examen faciendum, an scilicet argentum vivum pro Luis Venereæ antidoto fuerit communiter receptum. Tale esse argentum vivum sustinet *Quercetanus* cit. suprà locis, *Epiphanius Ferdinandus Hist.* 17. jurejurando affirmat 150. gallicos curasse ætatis, sexûs, regionis, & temperamenti varios, & vario anni tempore; atque *Laurentium* memorat plusquam 1000. sine recidivâ curasse, & hanc mercurii alexipharmacam vim ab occultis qualitatibus pendere, & à proprietate specificâ disputat *Felix Platerus*. Qui argentum vivum Luis Venereæ antidotum esse negant, ii sunt, qui ex ignorantiâ illud venenum esse exstimant, cœterùm passim experientia docet, & hactenus docuit, eæ morbi Venerei species, quæ à vegetabilibus remediis, atque à provocatis sudoribus evinci non possunt, ab applicatione mercurii absque ullo periculo radicitùs curantur. Nunc nostras observationes, & de argento vivo fundamentalem doctrinam ingenuè communicabimus.

Sciendum itaque est primò, quòd argentum vivum est corpus metallicum, in cujus productione caussa est naturæ industria, ut sub lege omnium corporum mistorum illud non posuerit; quippe omnia corpora mista corruptioni, alterationi, divisioni, & transmutationi experiuntur obnoxia, tantùm argentum vivum hoc gaudet privilegio, ut incorruptibile, inalterabile, indivisibile, & immutabile non solùm ab ordinariis naturæ, & naturalium agentium viribus, & etiam vehementissimis liquoribus, aliisque mediis, quæ humana industria hactenus invenit, & imposterùm inveniet; ac propterea multùm à cognitione hujus mineralis absunt ii, qui illi primas tribuunt, qualitates vel in excessu, vel in remisso, nam qualitas à toto misto manat, suum corpus deserit, & in aliud imprimitur; argentum verò vivum, cùm corpus indivisibile, & inalterabile, nil sui alteri corpori conferre potest: nam siquid ex suâ substantiâ deperderet, illud non esset, quòd anteà erat, quod falsum est in hydrargyro innumeris experimentis.

Neque qui toxicum, & venenum argentum vivum esse credidêre, ob eandem rationem suæ indivisibilitatis aliquid rationi consentaneum retulêre, cùm id quod venenum est, aliquid à se, quod vitam adoriatur, & occidat, emittere necesse est, quod cùm in argento vivo impossibile sit, impossibile quoque est, ut venenosum esse possit: Verum tamen est, quòd cùm argentum vivum neque venenum, neque cibus dici possit, medicamentum illud nobis suadere debemus; unde neque exteriùs applicandum, neque interiùs exhibendum esse præter necessitatem, & morbi urgentiam: quæ curare solet, existimamus, more aliorum medicamentorum, nam præter necessitatem assumptum, si uti venenum non lædit vel ratione admirabilis suę penetrationis vel ratione excessûs ponderis (quod gravissimum præ omnibus metallis, excepto auro) lædere faciliter potest.

Secundò sciendum est, quòd argentum vivum constantiam, indivisibilitatem, & inalterabilitatem, uti illud semper idem, in suo corpore conservat, ita quicquid quod acutum salinum, vel sulphureum est, quoties in argentum vivum agere conatur, suprà illud emoritur, & in aliquid aliud à pristino omnino destinatum, transmutatur, argento vivo semper eodem perseverante, licèt illud aliquâ larvâ mutatum appareat. Hinc discite, quàm sit innocens, & omnis venenositatis expers, dùm simplex, purum, & nulli alii corpori commistum erat argentum vivum: cùm deinde liquoribus acutis, salsis, sulphureisque commiscetur, tantam venenositatem acquirere potest, ut infra quadrantis horæ spatium hominem perimere possit, ut de ejus sublimato experimur.

Ubi est advertendum, quòd non est argentum vivum, quod in venenum convertitur, sed sunt salia acuta liquorum acrium, quæ dum impenetrabile mercurii corpus strenuè adoriuntur, illudque corrodere præsumunt, quia debilia sunt ad tantam hujus corporis evincendam constantiam, ipsa super mercurii corpus transmutantur, exaltantur, & corrosivi veneni proprietates, acquirunt; itaque venena non ex mercurio, sed supra mercurii corpus producuntur, & coagulantur: nam mercurii corpus post calcinationem venenosam, si à salibus calcinationis separetur, idem remanet mercurius, qui ante calcinationem erat, quod evenire non posset, si aliqua mercurii pars in venenum abiisset, nam *de privatione ad habitum facilis non est regressus*. Dupliciter ergò argentum vivum adjuncta sibi in venenum transmutat, vel per sublimationem, vel per præcipitationem.

Primò per sublimationem sal vitrioli volatile in corrosivam, ac veluti igneam naturam mercurius convertit, nam vi ignis illud secum rapit, & suis partibus commistum illam acutiem sollicitat: fit autem argentum vivum sublimatum hoc modo.

℞. *Mercurii purgati, vitrioli rubificati, & salis præparati ana lib. j. salis nitri* ℥. iv. *Terantur, & misceantur simul in mortario lapideo cum modico aceti tamdiu, donec mercurius nullo pacto appareat vivus: Quæ omnia benè mista pone in cucurbita luto munitâ, cui superimpone alembicum rostratum: Da ignem per gradus s. a. per viij. vel x. horas, & excipe aquam fortem, quæ per alembici rostrum destillabit, & habebis mercurium sublimatum adinstar nivis album. Operam ut melius perficias, poteris iterùm sublimare, addendo pro qualibet librâ mercurii aliam libram salis præparati, & vitrioli uncias quatuor, ac tertiò cùm sale tantùm sublimabis.*

Verùm, ut argenti vivi invincibilem constantiam cognoscatis, quamvis illud in crystallum sublimatum cernitis, immutatum tamen sub illâ salinâ larvâ persistere hoc artificio animadvertetis.

℞. *Lixivij com. fortis lib.* iv. *mercurii sublimati lib.* ß. *Fiat hic pulvis, & in dictum lixivium tepidum projiciatur, nam infra unius horæ spatium sal volatile vitrioli aliaque salia relinquentur in suâ libertate, & tunc argentum vivum vasi fundum petet in pristinâ suâ formâ fluidâ, & sal volatile vitrioli &c. sali lixiviali associatur.* Ex qua mechanicâ vobis I. In aperto est constantia, & indivisibilitas, quam de argento vivo prædiximus. II. Quòd spiritus acuti, & salsi super argenti vivi corpus immutantur, & absque reactione in mercurium à mercurio patiuntur. III. Quòd argentum vivum non sit per se venenum, sed id quod suo corpori conjungitur, & exaltatur, novas proprietates acquirit, & in hoc aliquid transmutatur, quod corrosivum, corruptivum, ac putrefactivum erit.

Præcipitatur argentum vivum per liquores fortes ab igne antè exaltatos, hujusmodi sunt aqua fortis, oleum sulphuris, spiritus vitrioli reverberationis igne expressus, spiritus nitri, & similes qui arte pyrotechnicâ præparantur, quorum ad præcipitati præparationem talis erit processus.

℞. *Aquæ fort. vel alterius ex dictis spiritibus* ℥. ij. *mercurii crudi currentis* ℥. j. *Ponantur ambo in vase vitreo: ita ut mercurius totus solvatur in aquâ, factâ solutione, vasi lentus ignis supponatur, ut aquâ humiditas in vapores exhalet, & in vasis fundo flava coaguletur materia, tunc ignem aliquantulum auge, nam paulatim flava illa materia in rubicundissimum pulverem exsiccabitur, & tunc argentum vivum præcipitatum dicitur, quod vehementissimè corrodit, & cauterizat*; est tamen

tamen in agendo sublimato mercurio aliquantulùm pigriùs.

Evenit mercurii præcipitatio ex eo, quia sal exaltatum in liquoribus fortibus destillatis, dum argentum vivum adoritur, super illius corpus coagulatur, & humidum aqueum per quod diffusum erat, derelinquit: Sal illud mercurii partibus admistum, & omni humiditate privatum igneam penetrationem acquirit, & mediante mercurio corrosivi veneni indolem præ se fert, mercurius tamen sub ipso immutatus perseverat; etenim mercurius præcipitatus, si in aquâ communi fortiter maceratur, deponit sal à spiritibus fortibus mutuatum, quod in ipsamet aquâ sub formâ aluminis rocchæ invenitur: currens verò mercurius in vasis fundo colligitur eadem quantitate, qua antè præcipitatus fuit.

Præter dictos modos sublimandi, & præcipitandi mercurium, quibus mortificatur, nullo modo intra corpus assumi debet propter irreparabilem mortem, quam affert: Pyrotechnica praxis tertium invenit, cum quo mortificatur mercurius, velut id cum quo mortificatur ex eo quia salinam non habet indolem, igneas, ac venenatas proprietates super mercurium non acquirit: est illud sulphur commune, cui à naturâ datum est metallica corpora penetrare absque necessitate artificialis exaltationis per ignem, hoc modo.

♃. *Sulphuris vivi com. lib. j. Permitte, ut igne liquescat in vase terreo; tunc paulatim injice mercurii vivi lib. j. agitando cum spatulâ usque dùm mercurius cum sulphure optimè sit commistus, tunc massam illam reduc in pulverem, & in vas sublimatorium injice, hunc per sex horas urge per ignis gradus, & ascendet mercurius simul cum sulphure in cinnabarim, quæ in apothecis venalis est, vitri lateribus in sublimatione adhærescit, concrescitque in formâ strictâ.*

Mercurius hoc modo cum sulphure sublimatus nullius est saporis, nulliusque activitatis, & in quavis dosi intra corpus assumi potest, nam sicut inutilis est, & nullius actionis, ita innocuus per intestina deorsum descendit: mirabilis tamen est in formâ fumi cinnabaris usus, ut infrà dicemus. Ubi advertendum, quòd multi, qui hoc remedio empiricè utuntur, cùm illis non constet, quòd cinnabaris ex mercurio fiat, jurejurando promittunt se argento vivo in curatione non uti, sed quodam pulvere iis tantùm noto.

E mercurio in cinnabarim conversio fit etiam in pristinum mercurium reductio hoc modo.

♃. *Cinnabaris pulverisatæ lib. j. Calcis vivæ pulv. lib. iij. misce simul, ac projiciantur in retortam vitream, cui vas recipiens annectendum, ignem deinde suppone per gradus, nam paulatim mercurius vivus in vas recipiens decidet, relictâ in calce sulphuris larvâ.* Mercurius iste è cinnabare redivivus purissimus est, & ab omni labe, & impuritate immunis, eoque uti debemus in mercurialium præparationibus, ut apothecariorum imposturam aufugiamus.

Commiscetur etiam argentum vivum per ejus mortificationem rebus pinguibus & unctuosis, ac tunc corporibus perunctum ob analogiam, quam cùm vitâ animali habet, intrà trahitur, omnesque corporis partes penetrat, & ab omnibus contagiis liberum reddit. Mortificatio argenti vivi multipliciter fit, cùm aliud non denotet argenti vivi mortificatio secundùm communem sententiam, nisi ejus corporis in atomos reductionem, nam quoties in atomos fuerit redactum, feliciter cum pinguibus, & unctuosis fit ejus commistio. Tu ita sic mercurium mortifica:

♃. *Mercurii vivi ℥. ij. ponantur in mortario lapideo, illique saliva recens hominis injiciatur, cum pistillo agitetur, nam paulatim in atomos exilissimas dividitur.*

Vel ♃. *Argenti vivi ℥. ij. succi limonum ℥. j. ponantur simul in mortario lapideo, & cum pistillo agitentur. Sic etiam argentum vivum in atomos reducetur.*

Vel ♃. *Argenti vivi ℥. j. urinæ humanæ ℥. j. eodem modo in mortario agitentur, nam habebis argentum vivum in atomos divisum.*

Didicistis jam mercurii proprietates, & quomodo salia in eum, suas vires exercere conantur in corrosiva venena degenerant, mercurio suam immotam conservante substantiam: operæ pretium nunc erit aperire, an actione penitùs imperscrutabili mercurius luem curet Veneream, an penitùs investigantibus manifesta esse possit. Nostra quidem sententia est argentum vivum manifestissima actione Luem Veneream è corporibus, in quibus impressa est, exterminare, & id hoc modo investigandum aggredimur.

Ex allatis jam suprà argenri vivi præparationibus apertissimè acutos, salsos, & ignis vi exaltatos liquores supra mercurii corpus suas exercere vires, & impetuoso motu illud aggredi constat; quòd licèt acuti liquores mercurium per eorum actionem superasse videantur, tamen super mercurii corpus, quod semper perseverat idem, eorum mortuos, ac transmutatos esse ex reductione mercurii in suum corpus jam patefecimus. Certum quoque est ex superiùs adductis, quòd argentum vivum crudum, & in suâ formâ fluidâ viventibus corporibus venenum non est, imò quòd intra illud assumptum nonnullis medeatur morbis, abire tamen illud in venenum, dum super ipsum acuti liquores mutantur. His sic per allatas mechanicas, & per constantia experimenta determinatis, ad theoremata de luis Venereæ essentiâ accedimus; tradidimus enim morbi venerei essentiam sitam esse in degenerato nutrimento, quod per fixionem erodentem acorem contraxit, cujus effectus ipsi passim testimonium præstant: enim verò ulcera, caries, dolores acerbissimi, tonsillarum erosiones, partium spermaticarum, cartilaginum, ossiumque corruptiones, corrosivi liquoris sunt necessarii effectus, fateri unde absque dubio possumus luem veneream nutrimenti sal exaltare, illudque acidum, corrosivumque reddere.

Ponamus nunc argentum vivum lue venereâ contaminatum corpus ingredi, ac suâ, qua maximè pollet penetrandi energiâ, in omnes ejus partes se insinuare; certum est, quod exaltatum nutrimenti sal ulcus, dolorem, erosionem, corruptionemque actu in parte producens, adveniente argenti vivi corpore, in illud agere tentabit, & eâ actione se à partibus separabit, totumque super argenti vivi corpus pro lue, eique commistum unum fient, non secus ac aqua fortis, & mercurius post solutionem una res apparent. Hoc modo separato à partibus degenerato jam à lue venereâ nutrimento, & exaltato, mercuriique super corpus præcipitato, natura partium antè à materiâ luis oppressa libertatem pristinam acquirit, & ad expulsionem præcipitati mercurii insurgit, ac ut plurimum per fauces, laceratâ epidermide, per potentissimum ptyalismum illum expurgat, aliquando per urinam ejicit, aliquando per intestina, & aliquando per sudores, qua expurgatione completâ, tanquam à pugnâ lacessita quiescit natura, vires resumit, corpusque tam à lue, quàm à medicamine labefactatum recreat, & restaurat.

Superest tantùm recidivæ suspicio, quoties mercurius integram materiam à lue productam non omninò ad se traxit, & habuistis jam à posteriori deductas demonstrationes, quibus aptè cognoscitur argentum vivum unicum, verum, & singulare esse medicamentum venereæ luis curativum.

Superest quoque nunc docere mercurii legitimas præparationes, quibus tutò uti possitis artificio pyrotechnico, ejus omninò venenositate subalatâ, ac primò suprà asseruimus mercurium sublimatum potentissimum esse, corrosivumque venenum, sequenti artificio omnem ejus corrosivam activitatem auferetis, & in suave mutabitis medicamen, quod *Mercurius dulcis* vel *Draco mitigatus* communiter indigitatur.

♃. *Merc.*

℞. *Merc. sublim. & Merc. vivi currentis ana lib. ß. ponantur ambo in mortario lapideo, & eò simul pistillo misceantur, ut vivi mercurii nullum appareat vestigium, sed in massam nigricantem ambo redigantur. Tunc massam illam pone in aludele, & igne arenæ administrato per sex horas, sublimabitur mercurius, frigidum posteà vas frange, nam ad ejus latera mercurium dulcem sublimatum crystalli instar invenies remanentibus in fundo fæcibus, quas unà cum nigricante materiâ in collo vasis adhærente rejice. Si verò sexies sublimabis, efficies, Calomelanos Turqueti.* Mercurii dulcis dosis est à scrupulo j. usque ad ʒ. ß. pro personarum conditione, commisceri potest cum pilulis solutivis, conservis catharticis, theriacâ, confect. Hyacinth, & Alkerm. aliisque similibus pro Medici cupidine, & infirmi exigentia, cujus efficacia luem è corpore efficaciter expellit, priusquam dolores, gummata, aliæque species his graviores non apparuerint, nam in his aliquod affert levamen, minimè quidem integram sanationem.

Mercurius non æquè bonus existit, sed variat primò ratione matricis, seu loci naturalis; unde naturali loco censetur optimus, qui eruitur è mineris vicinis auro, vel argento, & hinc optimus censetur Hispanicus, & Hungaricus. Secundò, ratione inquinamentorum, qui nonnunquam per se in terrâ conspurcatus est; unde ut plurimùm scatet commistione arsenicali, antimoniali, saturninâ, cadmiosâ, quibus nonnunquam in terræ cuniculis venenosus redditur. Tertiò, nonnunquàm ab impostoribus adulteratus venditur; adeò enim exactè eum adulterare norunt plumbi beneficio, ut quoque simul per corium transire possit, adeòque difficile sit fucum cognoscere. Quapropter ne quis incautus decipiatur, non abs re erit hæc bonitatis signa observare. Primò; bonus censetur, qui per retortam propulsus nihil recrementi relinquit. Secundò, qui in cochleare argenteo evaporationi super prunis impositus maculam relinquit flavam, aut albicantem; qui nigram, aut fuscam purgari debet: Primò, expressione per corium, fæcibus qua crassis in corio remanentibus, mercurius transit, sed hic modus non est tutus, ut diximus. Secundò, lotione, lavetur autem vel per acetum simpliciter, aut cum sale mistus, vel per livivium calcis vivæ, & cinerum clavellatorum, vel etiam per lixivium saponariorum, sæpiùs nimirum cum his agitando, & viciſſim à sordibus eluendo. Purgatur quoque agitatione forti cum spiritu vini in vitro obturato, separatur enim nigredo ad latera. Tertiò, destillatione, destillatur nimirum in arena per retortam igne sat forti, idque per se sine additione, vel addito sale tartari, calce vivâ & similibus. Optimè verò purgatur amalgamando cum metallis perfectis, ac postmodum per retortam, à corpore admisto separando. Optimè purgatus censetur mercurius ille redivivus, qui ex sublimato, præcipitato, & cinnabare elicitur, ut diximus.

Præcipitatum verò argentum vivum, quod suprà corrosivum venenum esse descripsimus, hoc modo in *Turpetum minerale* parabitis, nam habebitis mirabile medicamentum:

℞. *Merc. præcipitati* ℥. ij. *ol. sulph. per campanam extracti* ℥. iv. *Ponantur ambo in retortâ vitreâ super calidos cineres per dies duos, tunc destilla, quod humidum est à reliquo in retortâ mercurio ter cohoba, ac ultimâ vice ignem vehementem urge: remanebit tunc in retorta turpetum minerale, quod in pulverem redactum ter, vel quater aquâ communi calidâ lavabis pulverem, ab omni humiditate exsicca, vini spiritum destillatum affunde, quem accende in totalem conflagrationem, id ter repete, habebis indè pulverem dulcem. Hujus* ℞. *gr. v. usque ad viij. pro personarum conditione misce cum pilulis solutivis, conservis, vel confectionibus cordialibus.* Lenes secessus, & vomitus concitare solet, aliquando ptyalismum, symptomata omnia Luis Venereæ mitigat, adeò ut infirmi appareant sani, attamen infra paucos menses recidivam patiuntur.

Cinnabaris deinde, quam sulphuris communis calcinatione ex argenro vivo fieri prædiximus, post sublimationem sui, sicut intrò assumpta innocua est, nullamque producit in corpore motionem, ita quoque inutilis experitur propinata ad quamcumque luis Venereæ speciem, usus itaque cinnabaris est omninò externus, & in formam fumi circa corpus, vel intra illud promotum. Cinnabrium enim in pulverem redactum prunis impositum ignem concipit; totumque in fumum densum, gravemque evolat, qui fumus nil aliud est, nisi mercurius per calcinationem, & sublimationem sulphuri permistus, & ab igne simul cum sulphure resolutus. Hujus fumi tanta est cum vitâ hominis sympathia, ut quoties ille circa corpus aliquod tam sanum, quàm infirmum elevatur, à tali corpore affatim intrò attrahitus in ossa non solùm usque, sed etiam in medullas. Hujus fumi mercurii tanta est energia, & efficacia, ut legitimè ab accurato Medico administratus, minimas quasque corporis partes, & profundissimas pervadat, & in quacumque hatum sit venereum contagium impressum, evellat & exterminet, tantumque aliquoties ex ejus usu recidivam patiuntur ii, qui remedio, ut convenit, usi non sunt, vel eam quantitatem intùs non admiserint, quæ omnes partes contaminatas à contagio venereo expellere, ac subigere valebit; sæpe enim accidit, ut qui sæviſſimis ex lue venereâ doloribus cruciantur, tertio, vel quarto suffumigio omninò à doloribus se liberatos agnoscant; ac proinde à remedii continuatione desistunt: Verùm quia idem non est dolores sedare, & eorum causam occasionalem subigere, & expellere, facilè evenit, ut hi recidivam patiantur; nam materia corpori residua temporis cursu iterum se exaltat sedatosque dolores iterum concitat.

Fumus iste mercurii catholicum, sive universale remedium dici potest ad omnes luis venereæ species persanandas, ritè, ac rectè administratus, nam ulcera, pustulas, dolores, durities, gummata, nodos, scabies, alopecias, tabem, hydropem, & quicquid hujusmodi lues venerea in contaminatis corporibus producere potest, efficaciſſimè curat.

Verùm quantùm efficax est mercurii fumus ad species omnes persanandas, tantùm infirmis fastidiosus, laboriosus, intolerabilis observatur ob symptomata, quæ ad finem expellendæ materiæ producere solet, unde accurato Medico convenit ea symptomata infirmo prædicere, ac ulteriùs quàm torquere possunt extollere, ne infirmus, & adstantes inscii horrendis illis affectibus supravenientibus terreantur, & veneni suspicionem animo volutent, & eò magis si alio advocato Medico remedii ignarò, in illa timoris apprehensione confirmentur, alioquin si accidentia illa Medicus pronunciat, infirmum, & adstantes à timore liberabit, & præstigiosæ artis gloriam acquiret, quippe licet horrenda accidentia huic remedio administrato supervenerint, si infirmus erit obediens, ac patiens, & Medicus accuratus, infallibilis, & absque salutis periculo intentus habetur à remedii in sanando efficaciâ, & omnes in admirationem trahet.

Operæ pretium nunc erit de his horrendis symptomatibus notitiam tradere, & causam docere, & cur talia eveniant, & pro clariori intelligentiâ, quæ in theoricis tradidimus, in memoriam vestram reducemus, scilicet quando contagii venerei producta in corporibus affe-

ctis ſunt de naturâ ſalis exaltatati, & corroſivi indolemque manent aquę fortis, & aliorum liquorum per ignem exaltatorum, hæc producta utcumque in corpore ſuam exerceant lædendi efficaciam, & in quo mercurii fumus accedat, non ſecus ac aqua fortis ſi mercurio ſupponatur, illa apprehendit, & unum ſimul fiunt, hoc modo mercurius per corpus apprehendit morbi Venerei producta à partibus, quas prius torquebant, ſeparant. Verùm quia natura intra ſoliditatem ſuarum partium, quod extraneum eſt, tolerare non poteſt, materiæ mercurio admiſtæ expulſionem ſollicitat, perque eas illam dirigat vias, quæ ſunt ad opus perficiendum congruentiores; hinc eſt, non uno, & invariabili modo ab aſſumpto mercurio fumo fit materiæ expurgatio, nam aliquando per ſudores, aliquando per urinas, & aliquando per inteſtina à naturà expellitur id, quod mercurio victum, & calcinatum eſt.

Cœteris paribus inſolentiſſimum eſt hoc remedii genus, quoties per os, & fauces, cùm calcinatam materiam expurgat; nam lingua, fauces, gingivę, palatum, labia, & interna generum pars priùs vehementer intumeſcunt, ita ut multoties linguam os non capiat, neque bibere, neque comedere poſſint infirmi, deinde exulcerantur, & ſanioſam, putidamque eructant ſalivam in maximâ copiâ, ſummo cum dolore, acri mordacitate; quæ omnia ſunt infirmo prædicenda. Medicus internâ in tanta ſymptomatum vehementiâ trepidare, aut timere non debet, ſed forti debet eſſe animo, & tunc pluſquam maximè certam jam infirmi ſalutem pronunciare, nam ſi ut convenit, negotium gubernet, intra decem dies expurgatâ materiâ, ceſſabit ea ſymptomatum procella, & infirmus ab omni morbo ſe liberatum agnoſcet.

Aliquando in fauces non aſcendit materia expurganda, ſed in meſenterium fluit, & primò diarrhœam, deinde dyſenteriam excitare ſolet cum levibus torminibus, quæ omni neque infirmum, neque Medicum terrere debent; nam nullo adhibito remedio, intra tres dies ſponte ceſſabnnt cum integra infirmi ſalute,

Multoties per urinam materia expurgabitur, & tunc nullum affert horribile ſymptomata, niſi urinę exorbitantem quantitatem craſſæ, & albæ, qui etiam aliquot poſt dies ſponte ceſſabit cum infirmi ſalute.

Tandem materia per cutis poros ſive aditum aperire ſolet, ac per ſudorem, quàm per inſenſiles halitus foràs erumpere, & hic modus cœteris tutior, ac jucundior eſt nullumque incutit metum.

His adnimadverſis, quæ adhibito mercurii fumo evenire ſolent, ſubjungendum eſt, quid Medico ſit agendum, ut cautè procedat, & à notatis ſupervenientibus ſymptomatibus infirmi ſalutem expectet, & non ejus mortem. Primò ergò ſimplicis aquæ potus tanquam venenum eſt infirmo interdicendus, nimium enim frigefacto vel humectato corpore, ſiſtitur materiæ exitus: potet ergò æger vinum generoſum, & in debitâ quantitate. Secundò, ambiens aër, in quo æger degit, ne frigidus ſit, Medicus curare debet, imò poſitivè calidum eſſe oportet, ut poros ſervet laxos. Tertiò, à cibis crudis eſt ęgro omnino cavendum, & proderit, ut nonnullus ſit cibus, qui per quam optimè nutriat. Quartò, ſanguinis evacuationes, purgantia, & quęcumque naturam valdè debilitant, vel ſpiritus reſolvunt, ſunt fugienda. Tandem veneris uſus eſt omninò tanquam exitiale venenum, fugiendus, quia ſpiritus diſſipat, & vires enervat; ęgri namque curationis tempore maximoperè veneris œſtro exagitantur, quia antidota, quæ luem curant, ſympathiam, ſeu conſenſum cum partibus naturalibus habent illaſque impetunt, titillant, vellicant, & inexplebilis oritur luxuria.

His omnibus exactè perpenſis, quæ accuratam remedii praxim includunt, ad cinnabrii deſcribendum adhibitionis formulas devenimus, & primò advertendum eſt, quod cinnabrium emi non debet in pulverem jam redactum, nam ſeplaſiarii lucri cupidine illi minium admiſcent quod in fumum non reſolvitur, & ſic curationis eventu Medicus defraudatur. Emite illud itaque integrum ſtrioſis fruſtulis conſtans ac vomeſcit ipſi deinde in pulverem redigite, vel propria manu parate.

Prima ergò formula adminiſtrandi mercurii fumum, inſciis quondam medicis, fuit pilulas quaſdam ex diverſis materialibus componere, non enim illis cognita erat radicalis remedii energia, & prout Agyrtę imponebant iis, ita varia, diverſa ſimul miſcebant materialia, potiùs ad ægrorum perniciem, quàm ſalutem: hujuſmodi miſtio hic Neapoli in ſucurabilium Noſocomio pro magno arcano hactenus habita fuit:

℞. Lithargyrii ℥. v. antimonii cinnabaris ana ℥. j. rhapontici ℥. vj. polyp. quer. ℥. iij. calami aromatici, cinnamomi, macis, nucis moſch. aluminis, virid. æris, aloës ana ʒ. iij. minii, ſandarach græcorum ana ℥. j. fiat omnium pulvis, & terebinthinâ excipiuntur, ut fabricentur pilulæ carbonibus imponendæ.

Mira ſanè authoris hujus recepti ſimplicitas, qui ſibi ſuaſit lithargyrium, & antimonium igni impoſita fumum eructare poſſe, cùm fixiſſima ſint, & à placido igne non patianrur; ſimpliciter fuit author, qui credidit reliquornm ſimplicium vegetabilium fumum poſſe corpus penetrare: tota itaque efficacia juvandi eſt in ſola cinnabare, quæ tot inutilibus commiſta rebus ferè inutilis ipſa quoque efficitur.

Altera fuit *Fallopii* formula, quę tantùm à ſcopo non aberat, licèt à ſuâ ſimplicitate recedat, illa talis eſt:

℞. Cinnabaris ℥. iij. ſandarach. græcor. ʒ. j. ß. *myrrhæ, thuris, ligni aloës, ammoniaci ana* ℥. j. *Tundantur hæc craſſo modo, & cum terebinthinâ formentur pilulæ, quæ imponantur ſuper carbones.* Hoc receptum, cùm cinnabarim pro baſi habeat, non adeò improbamus; verùm quia cœtera adjuncta ſunt inutilia, & pretioſa, ut lignum aloës, & cinnabaris correctione non indiget, nam præter ſuum fumum nil aliud in corpus penetrat, relictis tot additamentis, vos ſimplici cinnabare uti poteſtis, addito tantummodò thure, ut odoris ingratitudinem tollatis, & cinnabari larvam addatis, ne à vulgò remedium flocci pendatur:

℞. Cinnabaris pulveriſatæ, & thuris pulv. ana ℥. j. Hæc ambo optimè miſce & miſturam deinde divide in x. chartulas, ſi æger ſit perquam maximè debilis; in viij. ſi mediocres ſint vires; in vj. *ſi validus ſit æger, quas ſequenti adminiſtrabis.*

Infirmum prius vel ſyr. de ſpinâ ponticâ, vel pilulis de tribus cum mannâ mercurii à craſſis Humoribus liberа, deinde in cubiculo, in quod ventus non intret. vel quod facilè incaleſcat, illum pone cum ſuo lectulo, circa quod ſit dolium ex tenui ligno, uti eſt Neapolitanum utroque fundo carens, vel alio modo, dolio ſimile conſtructum, hypocauſtum adapta, intra hoc ſit conſtituta ſedicula cum fundo aperto, in qua æger commodè ſedere poſſit, tigillum deinde prunis imple, & intra dolium pone, panno laneo ſuperpoſito, ac in dolia tigillum permanere permitte, ut illud perquam maxime incaleſcat. Tunc æger nudus dolium intret, in ſediculâ ſedeat, & à tigillo carbones exime, remaneantque in eo tantùm tres, vel quatuor, infirmo da chartulam cum cinnabare; illique præcipe, ut cùm ſudare incipiat, chartulam prunis imponat, nam fumus ab eâ aſcendet, totum dolium replens, & ægri corpus circumdans; in eo maneat per horæ quadrantem, poſtquam linteo ſe involvat, & in lectulo optimè cooperto ſe componat per unius horę ſpatium, nam affluenter ſudabit, tunc ſudorem abſtergat, & cibum ſumat, à cubiculo per viginti dies non exeat. Tempus fumigandi opportunius erit ante cœnam, quàm ante prandium, veſpertinis enim horis producta à lue venereâ ſunt

sunt in motu, & remedio libentiùs obedient. Tertio quoque die si æger imbecillis, sit, à fumo se abstinere potest. Uncia una cinnabaris est ad cujuslibet infirmi curationem sufficiens, si verò fuerit cinnabaris antimonii ℥. ß. sufficiet, & tandem cinnabaris naturalis ʒ. ij. ß. sufficient.

Prӕtereà cùm mercurii inunctio adhuc frequens sit in usu, præcipuè apud Hispanos, & easdem requirit animadversiones, quas supra de mercurii adhibendo fumo tradidimus, operæ pretium erit inunctionum mercurii formulas tradere, in quibus notare, quòd nulla alia est differentia inter inunctionem, & fumum, nisi quod mercurius in fumo corpus intrat sub formâ fumi: in inunctione verò mercurius corpus intrat sub formâ ejusdem mercurii, undè unus, idemque est utriusque modi finis, & scopus; tutiùs tamen erit mercurium in formâ fumi, quàm inunctionis exhibere, ex eo quia inunctio nimio impetu, & quantitate in corpus irrret, symptomatumque vehementiam quàm maximè acceleret; fumus verò quia in Medici arbitrio est, illum in majori, vel minori quantitate administrare, & ab ejus continuatione cessare, si cùm nimium urgeat, tutiori eventu exhiberi potest. Verum tamen est, quod obstinatis gummatis, nodis, prout etiam pertinacibus doloribus fumo non cedentibus efficax inunctio proficere non parùm solet. Undè præparato ægro, prout de fumo adhibendo diximus, omnia observanda sunt, præter quòd antequam dolium æger ingrediatur, inungi debet, deinde dolium calefactum ingredi per horæ quadrantem, ut inunctio penetret. Tam varia sunt inunctionum formulæ ex conglomeratis inutilibus ingredienbus, ut tædiosum foret opus eas transcribere. Neapoli sequens est in usu.

℞. *Mercurii, adip. porc. recent. & non salatæ ana* ℥. iij. *ol. laurini* ℥. j. *ol. ligni guajaci destill.* ℥. j. ß. *styracis* ℥. j. *quæ dissolvi debet in terebinth.* ℥. j. ß. *& f. ung. s. a. Joannes Zwelferus in animadversionibus in Pharmacopœiam Augustanam* sequens receptum describit:

℞. *Mercurii vivi mundati axung. porc. veteris ana lib. j. lithargyr. argentei, cerussæ ana* ℥. ij. *myrrh. elect. thuris masculi, bdellii ammoniaci ana* ℥. j. *theriacæ Andromachi, Mithridatii Democratis ana* ℥. j. ß. *ung. Agrippæ, martiati ana* ℥. ij. *de althæâ* ℥. ij. ß. *ol. laurini* ℥. iv. *axung viperinæ veræ* ℥. ij. *resinæ pini* ℥. ij. ß. *Dissolvantur gummi in spiritu vini, & cum reliquis juncti, lege artis in unguentum redigantur.*

Verùm tot adjunctorum congeries propter lentorem, crassitiem, & unctuositatem, vel propter plumbi calces, nempe lythargyrii, & cerussæ commistionem, mercurii efficaciam infringit, poros occludit, cutem obstruit, & intimarum partium penetrationem retardat, nec malignitatem obtundit, quia stultè mercurius vinctus, nec debita quantitas admissa fuit, nec integris viribus, sed hebes, & torpidus membris hӕret unde graviora symptomata non excitat, & hӕc est ratio, cur ægri qui istis inunctionibus mercurialibus quasi perfectè curati visi sunt, brevi post recidivam passi fuerint. Mercuriales inunctiones quò simpliciores sunt, eò majorem successum, & celeriorem sortiuntur effectum: secùs verò in tantâ rerum ferè innumerarum farragine evenit ubi plura intermista sunt, quæ magis obesse, quàm prodesse possunt. Nostra inunctionum formula talis est.

℞. *Argenti vivi succ. limon. extincti* ℥. ij. *axung. porc. vin. generoso lotæ* ℥. iv. *ung. nuc. mosch.* ℥. j. *m. omnia simul f. ung.*

Cum quo tantùm plantas pedum, & manuum volas inungere sufficit, nam mercurius per universum corpus penetrabit, non secus ac fumus. Si aliqua in corporis parte pertinax perseveret, vel gumma, vel nodus, vel dolor, hoc unguento mercuriali læso tantùm loco adhibito integra obtinebitur curatio. Inunctio in robusto semel in die, in debili verò ægro alternatim celebrari debet. Unguenti mercurialis pro valido uncia una, pro debili uncia dimidia sufficiet. Partes dolentes fortiter cum panno fricentur per dimidiam horam, deinde inungantur, & postmodùm dolium intret, post cujus egressum involvatur linteo optimè calefacto, & in lecto calido stragulis tectus per horæ spatium sudorem exspectet, absterso sudore, ӕger in altero lecto placidè calido se componat. Quamdiù continuari debent inunctiones, non facilè est statuere propter individuorum varietatem, attamen continuari possunt, quousque gingivæ tumescant, quod ptialismi est principium, vel quando solvitur corpus, vel in ore ulcera fuerint curata, & quod meliùs quandò dolores, & gummata evanuerint.

Et habetis jam omnium medicamentorum mercurialium, quæ tam intrò, quàm extra in lue Venereâ adhiberi possunt, exactam præparationem, & genuinum administrandi modum cum omnibus accidentibus, quæ illis in administratione supervenire possunt; hæ verò præparationes licet multæ sint occultӕ, & rarissimis Medicis cognitæ, laudem tamen non merent apud veros spagyricos, nam non solùm ab his ut proficuæ non recipiuntur, sed ut quoquomodo noxiæ exploduntur, quippe apud illos sublimiores inveniuntur præparationes, quibus argentum vivum omninò figitur, curatque radicitùs quamlibet morbi Venerei speciem ore assumptum trium granorum pondere, nulla concitante sensibili evacuatione, hujusmodi est Mercurius diaphoreticus Paracelsi, & Helmontii, cujus præparationem tradidimus in nostrâ *Pyrotechniâ sophicâ, lib.* 4. 3. *art.* 4.

Cap. 20. *De Gummatibus.*

MAla symptomata sunt dolores Venerei, sed pessima gummata, & omnem antecellunt noctis torturam, nec læsi equuleo assimilanda, sunt ipso dolorosiora dolore; cum doloribus, vel post dolores accidere solent. Appellantur gummata, quia materiam continent crassam liquato gummi non absimilem.

Signa.

Tumores sunt circa articulos & internodia, qui sæpiùs oriri solent in fronte, capite, tibiis exteriore parte, & cæteris locis excarnibus. Cognoscuntur ex aliquo luis etiam diutissimè prægresso symptomate, & noctú tantùm cruciant. Interdùm sunt majores, interdùm minores, & nunc minùs duri, sæpiùs steatomatum, & altheromatum naturam habent, rarò meliceridum, attamen folliculo carent. Quandoque tophacei sunt, majori ex parte lapidosi, & porum osseum tangentibus præbent.

Causæ.

Vulgares pro gummatum causâ pituitam, & melancholiam tenacem, in pravam & vitiosam materiam redactam assignant, quam natura concoquere non potest, ratione viscerum malè affectorum, & præcipuè hepatis, illamque ad partes demandat imbecilles, in quibus gummata, & tophos progignit. Verùm hӕc vulgarium causæ nimis est trivialis, sicut eorum doctrina; nec materiam, nec modum, quo gummata fiunt, explicat ideòque suspiciosam existimamus.

Diximus dolores fieri per fermentum Venereum ab ultimo partium nutrimento ad sanguinem transmissum; sanguis enim nutrimento salsior est. Si istud sal à venulis, & arteriolis capillaribus ad periostia se colligat Venereo fermento imprægnatum, exaltatur, & corrosivum evadit, primò atrocissimos parit dolores; Si inter ossa, & periostia se diffundat, immobiliter-quæ

que perſeveret, dolores fixos, deinde doloroſiſſima excitata gummata, tandem nodos, & tophos.

Prognoſis.

Gummata quandoque ſunt ſimplices tumores, at ſi per aliquod temporis ſpatium cruciàrint, ſub perioſtio oſſa exedunt, corrumpunt, & mortificant.

Curatio.

Ad gummata diſcutienda *Vulgares* primò corpus de communi morborum omnium purgant catharticis, & deinde ad ſalſæ parillę decocta deveniunt, tanquam hepatis alterativa, quia efficaciſſimam cenſent ſalſam pluſquam lignum, ac ejus corticem. Verùm nos obſervavimus ſalſam nunquam eliminaſſe, non tantùm gummata, ſed nec etiam dolores (tùm ratione modi, quo decocta conficiunt: tùm quia imbecillia ſunt pro tam ſævo extirpando ſymptomate, quod majora, & efficaciora requirit medicamina.

Ad hunc etiam finem gummatibus *emplaſtrum de Ranis cum duplici, vel triplici mercurio* imponere ſolent, vel linimentum mercuriale. Verùm licèt quandoque hoc emplaſtrum, vel linimentum gummata colliquet, majores emergunt procellæ, (niſi totaliter lues extirpetur) nam liquatâ gummatum materiâ, & per totum diffuſâ, fit lues univerſalis. Id in tenuioris fortunæ fœminâ obſervare nobis evenit, hæc gummata in capitis vertice cum truci patiebatur dolore, noctesque ejulando peragebat inſomnes, unde doloris impatiens facta nos conſulit, ſed quia pauperie premebatur., quę eſt immedicabile malum, vix emplaſtro de Ranis cum duplicato mercurio à nobis deſcripto potiri potuit, cujus impoſitio intra octo dies dolorem, & gumma diſcuſſit, ſed brevi ſpatio gummatis materia in corporis habitum à capite defluxit, & univerſam cutem confertum variolarum Venerearum agmen conſpurcare cœpit, quarum numerum comprehendere impoſſibile erat, unde miſerabiliter ſuis ceſſit fatis. *Sennertus*, ut experimento probatum refert infraſcriptum emplaſtrum, ut

♃i *Empl. diachyl. cum gummat.* ℥. j. *ſimpl.* ℥. ß. *merc. ſalivâ extincti* ℥. j. *ol. guajacini q. ſuff. f. empl.*

Verùm hoc emplaſtrum non multùm differt ab emplaſtro de Ranis, ideòque iiſdem angit procellis.

Inungunt gummata *oleo ligni guajaci*, ſed incaſſum, nunquam enim hoc oleum gummata reſolviſſe, vel vidimus ſaltem ſedaſſe dolores, nec decantatis chymicorum encomiis ſatisfeciſſe, imò promiſſo ludit inani, unde à remediorum ſuppellectili meritò receſſit. Nonnulli *vini ſpiritu* gummata reſolvere tentant, ſed fruſtra cùm vini ſpiritus ſit debile medicamen ad gummata reſolvenda, & ſiquam moliretur reſolutionem, malum pejoraret, nam ſubtili parte reſolutâ nodi, & tophi reſolubiles perſiſterent

Si gummata reſolutione fuerint incapacia, licèt ſuppurationi reluctentur, ea ſuppurare ſatagunt variis oleis, *amygdal. lilior. chamomill.* diverſiſque *adipibus etiam rancidis, gallinæ, porci &c.* Vel utuntur Galeni emplaſtro, ut

♃. *Pernam porcinam ſalitam, ſed rancidam, bull. & f. jus in quo caſeum vetuſtiſſimum coque ad emplaſtri conſiſtentiam*, & ſupra gummata, nodos, & tophos applicant. Aliqui *emplaſtro de mucilaginibus, filij zacch.* utuntur. Collocant *Vulgares* gummata inter tumores frigidos, ſcilicet inter atheroma, ſteatoma & meliceridem, craſſam tenacemque materiam coctioni reluctantem cum folliculo habentes, & miramur, quòd ea vanidis oleis, pinguedinibus, & mucilaginibus ſuppurare tentant. Certè gummata illud juvamen conſequentur quod ex unguento hernia.

Solent gummata quandoque ex diutinâ ſuppurantium applicatione mollitiem ſub cute contrahere, at decepti vulgares chirurgi ea ferro aperiunt; ſi ſubjectum os deprehendunt adeſum, abradunt, vel adurunt, aliàs digerunt, mundificant, carne replent, & demùm conſolidant. Verùm ferri apertio doloroſâ, horribilis, & periculi plena eſt, præcipuè ſi fiat in articulis, nervis, & tendinibus.

In nodis, & tophis fortiora uſurpant emollientia, ut *radices bryoniæ, cucumeris agreſtis cum radice altheæ in aquâ ardenti &c.* Item *gummi ammoniacum in aceto ſolutum &c.* Vel imponunt *laminam plumbeam mercurio illitam.*

Gummatum curatio ita perficitur: Applicetur ſuprà partem affectam emplaſtrum de Ranis cum triplici mercurio, quod poſt 24. horas removeatur, & poſt quatuor dies ſumat patiens *Turpetum minerale dulce* ter, vel quater eo modo, quo de doloribus diximus. Vel corpus optimè *extracto catholico cum mannâ mercurii* purgetur, deinde ad ſuffumigiorum, vel inunctionem uſum deveniendum eſt, illis adhibitis cautelis, quas ſuprà recenſuimus; verùm quia in horum exhibitione horribilia emergunt ſymptomata, & ægri in magno vitæ diſcrimine verſari videntur, meritò ea repudiamus, cùm tutiora habeamus remedia: Ea propter nullum majus, & certius medicamen pro abſolutâ gummatum ſanatione, quàm noſtra *Aqua Anti-Venerea* reperitur, quæ citò, tutò, & jucundè his extremam imponit manum, ſi eam juxta noſtrum parandi, & exhibendi modum quiſque præbeat, & brevi tempore abſque topicis evaneſcunt cum totali luis exterminio. Quod ſi quandoque reſolutioni reluctentur, topica mercurii inunctio adhiberi poteſt.

Interdum gummatum ſuppurationem molimur, tunc citiſſimè noſtro *emplaſtro Benedicto*, quo nullum extat majus, ſuppuramus, & aperimus, deinde noſtro *Unguento Magiſtrali* ad cicatricem uſque utimur, antequam aquam Anti-veneream propinemus, vel *mercurium diaphoreticum* alibi à nobis deſcriptum præbeamus, quo luem funditùs extirpamus.

Si nodoſa, vel tophacea ſint gummata ab acido coagulante, tunc cauſtico mercuriali, cap. de Bubone deſcripto, aperimus, & poſt materiæ eductionem, ut ſuprà progredimur.

Cap. 21. *De Oſſium Corroſione.*

IN nullo ſymptomatum genere Venerea lues tam ſuam digito demonſtrat naturam, quàm in oſſium corroſione; & quaſi depoſitâ veſte uſque ad oſſa, ante omnium oculos ſe contemplandam præbet, bardoſque reprehendit *Vulgares* ſe non occultè, ſed manifeſtè agere; eſt enim ejus venenum corroſivum de ſalis exaltati naturâ, id clarè patet in cariebus, ulceribus, doloribus &c. qui non niſi à merâ producuntur corroſione. Si hoc ſal ulteriùs quàm maximè exaltetur, ac ſupremos exaltationis gradus, & activitatis nanciſcatur, in potentiſſimum corroſivum tranſit venenum, quod cane pejus oſſa corrodit.

Signa.

Si gummata exquiſitis adhibitis remediis non reſolvantur, certiſſimum ſignum eſt oſſa, quæ ipſis ſubjacent, eſſe corroſa. Qui diuturno capitis dolore ex Venerea lue affligitur, & nullis præſidiis curari poteſt, illæſa capitis cute, ſubjectum cranium habet adeſum. Si gummata adaperta fuerint, & ægrè ad cicatricem perducuntur, qua inductâ, paulo poſt cicatrice rupta: iterum aperiuntur, de oſſe carioſo nullus remanet ambigendi locus, quia ſanies ex carioſo oſſe emanans cicatricem corrodit, & ulcus patefacit. Hinc certiſſimè conjicere licet: Si quod ulcus ſæpiùs renovetur, ſemper de

de osse adeso suspicionem præbet. Sæpiùs palati ossa, & narium cariantur, si horum ulcera in longum protrahantur tempus, putrefactivâ excesione primùm ossa, quia densitate suâ magis resistunt, exedunt, & corrumpunt, postmodùm carnem, quia rara, & foraminata est. Cognoscitur hoc, quia sanies ex ulcere emanans copiosior est, quàm pro ulceris magnitudine, estque tenuis, fœtida, & livida; caro ulceri superposita mollis, & flaccida redditur à sanie. Si ossium caries se subtrahant oculis, specillo immisso in ulcus usque ad os explorantur, nam si os inæquale, asperum, & molle deprehendatur, cariosum esse sine controversiâ est. Si specillum minùs intrat, corrosio superficialis est, si verò altiùs descendit, profunda.

Causæ.

Credunt *Vulgares* ossa cariem contrahere, & corrumpi ab occultâ luis proprietate; cæterum est occulta in causâ & manifesta in effectu, & integrâ remanente causâ effectui medentur, vel illa præbent medicamenta, quæ ab occultâ proprietate curant: sed si est causa eam non cognoscunt, nisi ab effectu, & sic perpetuo occultum per occultius, & ignotum per ignotius assignant. Fiunt ossium corrosiones, cùm ulcera, intolerabilis capitis dolor, & gummata non tempestivè curantur, sed ossa, quæ ipsis subjacent, exaltati ad supremum activitatis gradum salis paulatim contagium suspiciunt, quod per eorum substantiam disseminatur, unde ossium corrosiones, putrefactiones, & mortificationes succedunt.

Prognosis.

Truculenta in lue Venereâ est ossium corrosio, sed adhuc truculentior, cùm corroduntur in illis locis, nbi chirurgicę operationes non facilè institui possunt, ut in articulis, magnorum ossium capitibus, circa musculorum capita, nervos, & tendines, imò truculentissima est eorum putrefactio, & corruptio. Ossium corrosio ulceris sanationem impedit, nec ulcus perfectè sanari potest, cui corrosum subjacet os. In ossium corrosione caro livida malum portendit; significat enim maximam eorum corruptionem. Si palati os adesum fuerit, sermo vitiatur, nam aër, qui in palato, tanquam in loco camerato, elidi deberet, simul per foramen ad nares penetrat, & per eas erumpit. Omnia liquidiora, quæ per os assumuntur, ex naribus prosiliunt. Malum ad nares serpit, & facilè cerebro communicatur. Erosis nasi ossibus exeduntur narium pinnæ, & cartilago, ac ad palatum, cerebrum usque serpit, Si capitis os corrosum fuerit, facillimè lues cerebro communicatur.

Curatio.

Ossium caries curant *Vulgares* carnem absumendo usque ad os subjectum *alumine usto, pulvere sabinæ, calchanto adusto, vel aquâ aluminosâ*, vel carnem ferro abscindunt, vel ferro ignito, vel caustico utuntur medicamento. Si foramen aliquod in carne adesit, ut plerùmque fieri solet, illam *turunda ex gentianæ radice, vel ex spongia concinnata* aperiunt, os cariosum detectum abradunt, *vel euphorbii, & peucedani pulveribus* ad lęvitatem reducunt, & tandem sarcoticis ulcus curant. Si os fuerit corruptum, naturam expectant, ut illud aufert, & separet, sed natura tardè, & vix 40. vel 60. & quandoque 80. dierum spatio ossa corrupta separat, & interim vitium in morâ pars contrahit; Si totum opus naturæ imperio committant, præterquam quod Venerea lues est extra naturæ jurisdictionem, conclamatum est de vitâ ægri. Ea propter ad ossis excisionem deveniunt, idque scalpro excisorio cum malleolo assequuntur, eodem ferè modo, quo statuarii statuas efformant, quousque lividum, & denigratum ablatum fuerit, postmodùm *myrrhæ, & radicis aristolochiæ pulveribus* os excisum aspergunt. Si os totum corruptum fuerit, auferunt illud, & primò alimento privant siccis medicamentis, uti sunt *folia hyosciami, radix peucedani, utriusque aristolochiæ, iris, opponax, squama æris, ærugo, &c.* vel ferro ignito; deinde os nutrimento destitutum facile auferunt imò cadit, non aliter ac folia autumno, cùm humido radicali privantur.

Si capitis os tectum fuerit, & cariosum, vel corruptum, cutem secant, detectum os abradunt, separando à sano corruptum; verùm si corruptio profundiùs se insinuavit, totum auferunt terebrâ, vel meliùs trepano, circum liniunt oleo rosaceo cutem ad inflammationem arcendam, & stuppam cum ovi albumine conquassato per 24. horas super imponunt, deinde *aqua aluminosa cum aqua rosacea temperata* os foraminatum madefaciunt *emplastrum de Betonica, vel de Gummi Elemi* applicant. Quandoque affectam partem abluunt adstringente *decocto ex rosis, betonica, ligno guajaco, parato in vino austero* adduntque *aluminis* parùm, & tandem *unguento de plumbo* cicatrizant.

Si palati, vel nasi os corruptum fuerit, bis in die *aqua aluminosa magistrali* gossypio excepta affectam maddefaciunt partem. Quandoque, ad saniei eductionem palatum *melle rosaceo* inungunt, tum *aqua aluminosa cum aqua rosacea, vel plantaginis* detergunt, & interim *decocto scabiosæ, plantaginis, agrimoniæ, rosarum,* ut os abluat ęger, imperant, vel *decocto ligni guajaci, & sarsæ parato in aqua plantaginis.* Intereà per totum curationis tempus decocta frequentant.

Juxta varias ossis corrosi indicationes vario modo ejus curationem instituimus; unde corpore depleto, si os sub oculos non cadit, quia carne operitur, ulcus inducatur, & specilli intrusione exploretur, quòd si asperum & minùs penetrans deprehendatur superficialis erit corrosio; tunc tota caro absumenda est *præcipitato dulci, nostra aqua salis ammoniaci, ejusve spiritu, vel spiritu mercurii albo*, donec corrosio secundùm totam suam latitudinem, longitudinem in conspectum veniat, & fiat ossis abrasio limâ ad lævorem; vel madefiat *balsamo caryophyllorum, in quo facta fuerit peucedani, euphorbii, & radicis aristolochiæ rotundæ infusio, vel boyonia trita* imponatur. Verùm si aliquantulùm profundiùs corrosum fuerit, totum corrosum ad sanum usque auferatur; lævitate superinductâ, deinde sarcoticis, & præcipuè *unguento nostro magistrali*, perioslio inducto, ad cicatricem perducatur.

Si caro appareat flaccida, spongiosa, pallida, aut livida, ossis corruptio profundior erit, tunc totum corruptum auferatur; neque enim quod mortuum est corrigi, emendari, & in naturæ gratiam redire potest, cùm à privatione ad habitum non detur regressus, & à naturâ gratiam non ampliùs recipere valet. Nec ossibus sphacelus accidit, sed tantùm corrosio, & putrefactio. cùm sphacelus solùmmodò in partibus carnosis mollibus accidat. Nullâ interpositâ morâ, citam ablationem procurare debemus, pręsertim in thoracis ossibus.

Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.

Nec naturam pro ossis separatione pręstolari possumus, quia actu affert perniciem, & nisi ablatio fiat irreparabilis sequetur mors. Ea propter ista procrastinatio periculosissima erit, nec unquam in Lue naturam crisim moliri observavimus. Caro itaque superjacens absumatur medicamentis suprà propositis, vel caustico, vel cauterio potentiali, vel dissecetur, quousque os corruptum denudetur, & ne nervi, tendines musculorum capita, aut arteriæ, & venæ majores lędantur, secundùm partis longitudinem fibrarumque ductum, neutiquam transversim instituatur;

cuatur; verùm non semper ita commodè operatio celebrari potest, quin aliqua harum partium læsio non oboriatur.

Medicamenta, quę os corruptum à sano separant, exsiccantia esse debent, ut excrementitias superfluitates in corrupto absumant, & ipsum sanum conservent, hujusmodi sunt *oleum sulphuris p. d.* hoc modo paratum:

℞. Sulph. citrini lib. j. ponatur ad ignem lentum, ut liquescat, cui adde tartari usti pulverisati lib. ß. misce diligenter, donec frigida evadant. Posteà pulverisentur, & super lapide in loco humido ponantur, donec in oleum p. d. transeant. Hoc oleo ossa corrosa, & corrupta inungantur. Multùm ad sequestranda ossa valet *Acetum radicatum.* Item hæc *tinctura Euphorbii.*

℞. Peucedani, euphorbii, radic. utriusque aristoloch. iridis; bryoniæ ana ℥. ß. myrrhæ, aloës ana ʒ. ij. spiritûs vini q. s. & extrahatur tinctura.

Si tanta sit ossis corruptio, ut his, vel aliis medicamentis tolli non possit, ubi os non ita altè corruptum est, scalpro, ubi profundiùs, terebrâ opus est, quę operatio tunc absoluta est, cùm scobs nigra desiit. Si totum vitiatum est, totum eximendum.

Si capitis os cariosum fuerit, secetur cutis, in qua operatione si magna sanguinis profusio succedat, *nostrâ Aquâ Arteriali, in Pyrotechniâ, vel Tomo. 1. De Tumoribus cap. 15. De Aneurismate descripta*, sistatur. Deindè os abradatur, vel *tinctura Euphorbii, vel oleo sulphuris, vitrioli, sive spiritus salis ammoniaci* alternis diebus cum filamentis madefiat os, donec ad liquorem reducatur, interim vulneris margines, partes sanæ muniantur, & *fodicationum emplastrum* superponatur, ac *unguento nostro Magistrali* cicatrice obducatur. Si corruptio profundiùs serpat, vel totaliter sit corruptum, trepano auferatur, & *tincturâ caryophyllorum* tegatur pars cum *fodicationum emplastri* superpositione, & *unguento magistrali* pedetentim ad cicatricem deveniat. Curatio diuturna est, eapropter ad longam, invictamque tolerantiam hortetur ęger, & intereà *Aquâ nostrâ Anti-Venereâ* utatur.

Palati ossi carioso, vel corrupto quàm citissimè est occurrendum, imò cùm Medicus palati pustulas & ulcera observet, statim ossis corruptioni consulere debet: purgato itaque corpore pilulis pluries suprà repetitis, leviter os tangatur *aquâ viridi, vel nostrâ salis armoniaci, tincturâ euphorbii, sive spiritu mercurii albo cum aquâ persiccariæ diluto*, penicillo bis in die. Os interim pluries in die gargarismate *ex decocto persicariæ, scabiosæ, & rosarum cum sale ammoniaco, & melle rosaceo simplici* colluatur, & corrupta ossicula frustulatim sequestrentur, ac patiens *aquâ nostrâ Anti-Venereâ* non defraudetur.

DE LUE VENEREA.

LIBER QUARTUS.

De Tabe ex Venereô fermentô productâ.

Fermenti Venerei jam patefecimus essentiam, quam in fixatione liquorum volatilium, resolubiliumvè per viventia corpora sese moventium consistere probavimus. Quippe qui eorum fixiones aliàs volatiles ad ipsa accedentes cognoscunt, & ad eorum naturam vitali calori resistentem se convertunt, facilè ejus quidditatem adipiscuntur. Docuimus præthereà affectuum differentias, quibus hujusmodi fermentum inquinatorum corpora torquet, pendere ex ipsorum corporum partibus, in quas fermentum istud diffunditur, & imprimitur: si in liquidis, versantibusque corporis humoribus fiat fermenti diffusio, prima producitur effectuum differentia; si verò solidis spermaticis mollibus imprimatur fermentum, secunda excitatur morborum differentia; tandem si solidis, duris ossibus scilicet, fiat fermenti adhęsio, tertia enascitur læsionum differentia. Has differentias exactè narravimus, signa quibus ipsæ se pandunt, aperuimus, prognoses, quibus earum eventus in bonum, sive in malum portenditur, adduximus, & medicamenta, quibus efficacissimè curari possunt, tradidimus; verùm quia tabes Venerea omnibus his tribus notatis differentiis, quibus corpora à contagio Venereo lędi possunt, supervenire potest, ne in eâ curandâ in dubio, perplexoque maneatis judicio, operæ pretium vos magnum esse facturos existimavimus, si Venereæ tabis singularem explicationem in hujus tractatûs complementum vobis suggereremus, unde sit.

Cap. I. *De Nominibus, quæ Synonima cum Tabe existimantur.*

Scriptores cùm *Veteres*, tùm *Recentiores*, qui litterarum eruditionem professi sunt, in nominum proprietatibus laborârunt, id quod per ea connotâre vellent, sine ullâ ambiguitate perciperetur; artium verò profitentium vulgus hujusmodi nominum eruditione jejunum faciliter in confusionem omnia trahit, ea rebus tribuendo nomina, quæ nunquam talia meruêre; hinc per abusum multa in medicâ facultate sunt in obscuro, perplexaque in recipiendis tyronum ingenia fiunt, ut in hoc affectu, quem tabem connotare existimârunt, ac per marcorem hecticam, marasmum, atrophiam, cachexiam, & phthisim designari solent; unde ab horum nomine unamquamque rem eandem significari credatur, cum ita non sit apud eruditos; priusquam igitur rei interpretationem aggrediamur, operæpretium erit dictorum nominum genuinam significationem tradere.

Tabes vox est Latina significans viventis corporis extenuationem ex curâ, vel animi mœrore procedentem, translata deinde quopue fuit ad ejus corporis affectiones, quæ in extremam exsiccationem illud adducunt, vel paulatim corrumpunt.

Marcor etiam Latinum est nomen, idem ferè significans, ac tabes; verùm quodammodò generalibus nomen est marcor, quàm tabes, nam ea, quæ sine corrumpente causâ sponte in exsiccationem properant, ut extrema senectus, & vegetatione, ultima periodus, magis marcorem pati dicimus, quam tabem, quæ tempestivam corruptionem designat.

Tabi, & marcori *Marasmus* respondet, cujus tres species ab antiquis proponuntur.

Prima marasmi species est, cùm alimentum ad corporis partes non accedit, & summa oritur macies & hęc marasmi species à Gręcis *Atrophia* dicitur.

Secunda marasmi species, cùm ob malam corporis habitûs dispositionem nutrimentum, quod ad illud fertur, corrumpitur, & hæc marasmi species ab ipsis Græcis *Cachexia* appellatur.

Tertia marasmi species est, cùm ex putrido ulcere præcisè in partibus intra thoracem contentis contracto nutrimentum contaminatur, & non apponitur, & hanc marasmi speciem *phthisim* dixêre *Græci*.

Hectica deinde Græca etiam vox est, & sonat habitus corporis mala dispositio, quæ unibitualis, sive habitûs corporis mala dispositio, quæ unicuique illius particulæ solidæ est uniformiter impressa, ita ut non sit particula ulla solida in corpore, quæ affectû cunctis aliis communi non laboret; hinc apud *Galenum* passim invenietis calorem hecticum, febrem hecticam, pulsum hecticum, & his similes loquendi modos, qui habitualem totius corporis passionem designant.

Hinc sciendum est, quod hectica dispositio præcedit in corporibus tabem, sive marcorem Latinorum,

ſive dicas maraſmum Græcorum, & per conſequens tres illas maraſmi ſpecies, atrophiam ſcilicet, cachexiam, & phthiſim. Impoſſibile enim eſt, ut totum corpus marceſcat, & contabeſcat, quin prius ſingulæ, & univerſæ ipſum corpus componentes particulæ malè afficiantur, & ſingulæ univerſæque paulatim in marcorem abeant: unde eſt, quòd periti *Medici* conatus exerceri non debet inveſtigando, quid ſit tabes, quid atrophia, quid cachexia, quid denique phthiſis, quę habitualem corporis diſpoſitionem, veluti cauſam conſequuntur: ſed omnes ingenii vires intendere debet Medicus, ut quantùm fieri poſſit, clarè, diſtinctèque cognoſcat primum illud, ex quo habitualis diſpoſitio ſuum nacta fuerit initium; unde ſit.

Cap. 2. *De Habituali viventium corporum Affectione in genere.*

CONſentiunt cum antiquis recentiores in eo, quod una natura vivens animal regit, conſervat, & movet; diverſa tamen illa nobis apparet ex functionum partium diverſitate; oculus enim videt, & non audit, auris audit, & non videt: verùm iſta functionum diverſitas minimè quidem à diverſis naturis intra animal latentibus pendet, ſed ab ipsâ organorum diverſitate, quippe oculus ab aure differt; auris à palato, & ſic de aliis; at natura cùm ſit principium motûs ejus, in quo ineſt, una ſemper eſt, & eadem, motuum verò, ſive functionum, actionumque diverſitas pendet ab organo mobili, quod pro ſuæ texturæ, & compoſitionis proprietate movetur. Igitur cùm una natura in ſingulis corporis particulis vigeat, ſintque in ipſo corpore aliqua membra, in quibus ob functionum nobilitatem, & præſtantiam, ipſam naturam veluti præſidere cognoſcamus, non erit à ratione alienum nobis ſuadere id, quod à magnis viris ſancitum fuit, naturam ſcilicet viventium influam, & inſitam eſſe, influam quidem in principalibus membris, inſitam verò in ſubſtantiis totius corporis particularum.

Nunc intelligere erit facilè, naturam influentem, & naturam inſitam, ſi concipiamus ignem in ſuo foco accenſum; & multa corpora circa ipſum poſita, quæ ab ipſis ignis præſentia ſint excalefacta, in hoc enim exemplo ignis in ſuo foco influus dicitur, quippe qui in vicina corpora ſuum diffundit calorem, iis illum imprimit, calor verò calefactorum corporum inſitus dicitur, ex eo quia ab igne in ſuo foco exiſtente fluit, ipſis corporibus participatus, ſubſiſtitque per perſeverantem præſentiam ipſiuſmet ignis. Conſtat etiam ex eodem exemplo explantari, & minui calorem inſitum in circumſtantibus corporibus pro majori, & minori influi ignis robore, & vehementiâ: extingui quoque prorſùs ſi ignis omninò extinguatur.

Simili ſanè modo natura viventium influa, & inſita dici poteſt, influa enim eſt in illis membris, quorum functionibus reliquis corporis particulis aliquid præparatur, & ſubminiſtratur. Inſita deinde eſt in cunctis particulis, quæ aliunde vivendi actum mendicant, & ab alieno pendent arbitrio.

Ex his cùm clarum ſit, quid intelligi venit pro naturâ influâ, & inſitâ; reſtat nunc videre, quænam corporis pars influæ naturæ privilegio gaudeat, & quęnam inſitâ fruatur,

Primò ventriculus influam habet naturam: etenim quod à cibis ſeparatur nutrimentum, à ventriculo in reliquum corporis diffunditur.

Secundò, eandem naturam continent inteſtina, tum pro munere, quod commune cum ventriculo habent, tum etiam excrementorum tranſmutationem ex ſuperioribus inteſtinis ad inferiora.

Tertiò, eadem naturâ potitur lien ob ſeroſitates, quas à ventriculo ſugit: & in venas tranſmittit.

Quartò, influens natura eſt in renibus, qui ſerum ab humano corpore ſugunt, & in veſicam deponunt.

Quintò influa quoque exiſtit in hepate, quòd ſanguinem colat, volatilem facit, & ad corpus vivificandum idoneum.

Sextò, influam naturam obtinent pulmones, quorum ope aër intra corpus recipitur ad diverſos fines neceſſarius.

Septimò, influam habet naturam cerebrum, cùm ſibi continuâ ſpinali medullâ, ab his enim tum ros albis, ſpermaticiſque partibus ſubminiſtratur: dum voluntarius infunditur motus.

Prærer notata membra principalia, quæ influentem naturam continent, reliquæ omnes corporis particulæ eandem naturam inſitam habent, & ab illis ſupradictis influxum aliquem recipiunt neceſſarium, ut exempli grariâ à ventriculo nutrimentum, à corde ſanguinem & calorem, à cerebro rorem, & cambium antiquorum.

Sunt ergò iſti principaliores influxus tres, primus eſt nutrimenti quod à ventriculo, & inteſtinis toti corpori ſuppeditatur. Secundus eſt ſanguinis, & caloris, qui in corde perficitur, & per univerſum corpus diſtribuitur. Tertius tandem eſt roris, & cambii, quod in ſolidas totius corporis partes diſpergitur à ſubſtantiâ medullari cerebri, & ſpinalis medullæ elaboratur.

Hac doctrinâ naturæ influentis, & inſitæ poſitâ, poſito quoque in ventriculo nutrimenti influxu, & in corde ſanguinis, & caloris, & tandem in cerebro roris, & cambii, ut affectionem habitualam intelligamus priùs nobis perpendendum eſt, quomodò ſe habeant iſti influxus in homine ſano, qui integrâ valetudine gaudet, nam facilè deinde erit cognoſcere, quomodo iidem ſe habeant in malè affecto; & infirmo corporis habitu.

Ventriculo, corde, & cerebro in eorum naturali conſtitutione manentibus, neceſſariò univerſi corporis habitus apparebit floridus, vegetus, & optimè nutritus, non ex aliâ cauſsâ, niſi ex eâ, quò à ventriculo particulis illius nutrimentum perfectè elaboratum diſtribuitur, à corde optimus ſanguis, & temperatus calor impertitur, & à ſubſtantiis medullaribus in ſolidas ipſius corporis particulas roridus liquor effunditur.

Habemus optimum corporis habitum, quoties ſingulæ, & univerſæ corpus componentes particulę optimum nutrimentum à ventriculo habent, optimum ſanguinem, & temperatum calorem à corde, & optimè paratum rorem à medullaribus ſubſtantiis. Ac cùm ſit extra omnium dubium, eorundem membrorum eſſe functiones læſas, quorum ſunt functiones ſanæ: ergo ſi optimus, vel ſanus corporis habitus à ſanis functionibus ventriculi, cordis, & cerebri producitur; malus, & infirmus ejuſdem corporis habitus à læſis, depravatiſque eorundem membrorum functionibus producitur, quod accuratè fuit à *Galeno* animadverſum *lib. de Marcore* ſequentibus verbis: *Itaque perſpicuum jam eſt, ſi marcor totius corporis affectus ſit, ipſe niſi etiam animalis principio patiens fieri poſſe: imò verò fieri non poteſt, ut alius in toto animali affectus ſit, aliud vero principium occuparit: ita ſit, ut marceſcentibus neceſſe ſit cordis corpus exſiccari, quamobrem ſi omnes cauſſas, à quibus exſiccari cor ſolet, invenerimus, etiam utrum, qui marceſcunt omnes inſanabiles, an cuncti quidam eorum poſſunt, intelligamus.*

Præſupponit ergò malus corporis habitus principalium membrorum læſionem vel omnium, vel quamplurium, vel ſaltem eorum unius; ſufficiens enim eſt unius principalis membri læſio, ut reliqua deinde lędantur: quippe principalia membra mutuo gaudent influxu, nec poteſt eorum unum malè ſe habere, quin reliqua, & ipſum univerſum corpus malè ſe non habet: intereſt tamen multùm ſcire Medicum, quod membrum primò

mò, per ſe læſionem contraxit, quod deinde per conſenſum, & per influxum, ſive per accidens; Idem enim multùm facit tum ad prognoſim, tum ad curationem ſupervenientis maraſmi, ut ſupra citato loco fortè innuit *Galenus*, remque clariùs explicat *eodem libro cap.* 7. in ſequentibus verbis: *Totum autem febris voco etiam animalis partem quæ primo ſuis ſolidis partibus immodice calefacta ſit, cor igitur primum calidius, quàm par ſit affectum, hecticam febrem affert: Deinde jecur non tamen per ſe, ut cor, ſed quod illud in conſenſum ſecum trahit, enim verò ipſe affectus cordis rationem cauſſæ obtinet; ſed qui ſunt, corporum cordi vicinorum, tamen ventriculus, & poſt hunc quoque alia concalefacere cor poſſunt: quare ſi vicinitatem attendas, oportet pulmonem maximè omnium aliorum ſimul concalefacto corde febrem hecticam, & ſiccam importare, ex qua marcor conſequitur.*

Ut itaque ex allatâ doctrinâ Habitualis Affectionis eſſentiam intelligatis, & eam definiendo, memoriæ mandetis, dicimus, quod *malus corporis habitus, eſt diſpoſitio ſingularum univerſum corpus componentium particularum à naturali ſtatu recedens, ob læſionem ſubſtantiæ alicujus membri principalis, quod ratione ſui muneris aliquid cunctis ipſis totius corporis particulis diſtribuit.* Explanabimus nunc hujus definitionis partes, ut clariùs habitualis affectionis eſſentiam percipiatis.

Diximus primò, quod ſit diſpoſitio ſingularum &c. ut ſciatis non ſatis eſſe aliquam corporis partem, ut manum, pedem, hiſque ſimilem ob topicam aliquam affectionem contabeſcere ad conſtituendum affectum habitualem, nam particularis cujuſdam membri corporis tabes, vel facilis curationis erit, vel vitæ extinctionem non affert, quod contrà ſe habet in affectu habituali totius corporis.

Diximus à naturali ſtatu recedens, ut intelligatis impoſſibile eſſe habitualem affectum produci, niſi diſpoſitio ſingularum corporis particularum à naturali ſtatu recedat; nam quouſque natura inſita membrorum malo influxui reſiſtet, eouſque bonus habitus perſeverabit, ac tunc in malum declinare incipiet, cùm inſita partium natura pravo, maloque influxui ſuccumbere inceperit.

Diximus ob læſionem ſubſtantiæ alicujus membri principalis, ut indè percipiatis habitualem affectionem produci non poſſe, niſi principale aliquod membrum, non per accidens, ſed eſſentialiter in propriâ ſubſtantiâ læſionem contraxerit; quippe ſi per accidens lædatur, ut in putridis evenit febribus, eouſque malus habitus duraverit, quouſque humor, ſive materia febris putridæ ſuâ præſentiâ, & motu turbatur, ac temperiem principalium membrorum non tenuerit, redeunte deinde priſtina temperie ob coctionem materiæ ejuſdem putridæ febris, redibit & ſimul bonus corporis habitus, ac quoties ſubſtantia membri principalis læditur, malus habitus talem læſionem conſequitur, nunquam ceſſabit, niſi cum reſtitutione integrâ leſæ illius membri ſubſtantiæ, dummodò à morte non præveniatur infirmus.

Diximus tandem, quòd ratione ſui muneris aliquod cunctis &c. ut certi inde fiatis læſionem ſubſtantiæ illius principalis membri habitualem affectum inducere, quod animal functionem exercet, ob quam aliquod cunctis totius corporis particulis præparatur, ut in bono habitu conſervetur; etenim licèt oculi ſint viventis animalis principaliſſimæ partes, ut etiam ſunt teſtes, quia tamen iſtæ partes functiones non exercent, quarum ope aliquod cunctis corporis particulis præparatur, ſi oculi extrahantur, ſi teſtes abjiciantur; vel quomodo libet iſtæ partes corrumpantur, non proinde habitualis affectio inducetur, quod non ſic evenit, ſi hepar, lien, inteſtina, ventriculus, cor, pulmo, & cerebrum in earum lædantur ſubſtantiis, vel à corporibus extrahantur: nam omnes corporis particulæ, quæ ab his aliquid recipiunt, vel depravatè recipiunt à naturali habitu recedere coguntur,

Eſt tamen hîc advertendum, quòd dari poteſt caſus, ut ille ſubſtantiæ, quę à principalioribus membris cunctis corporis particulis præparantur, abſque eo quòd læſæ eſſentialiter ſint, ipſorum membrorum principalium functiones à causâ aliquâ externâ polluantur, deturpentur, contaminentur, reddanturque ad bonum habitum producendum ineptæ, ut in Lue Venereâ infectis accidit; de quibus paulo infra, & in iis, qui ex vulnere, vel ulcere malè curato tabidi fiunt; parùm enim intereſt, ut id quod ad particulas corporis accedit, ab hac, vel illâ causâ deturpetur, cùm ad malum conſtituendum coporis habitum ſufficiat, ut id quod accidit, deturpatum ſit, unde pro rei complemento, adducta definitio poſſit in hanc formam redigi: *Affectus habitualis eſt diſpoſitio ſingularum univerſum corpus componentium particularum à naturali ſtatu recedens ob id, quod ad illas accidit ſive ab externâ contaminatum, ſive à læſâ ſubſtantiâ principalis alicujus membri illud producentis pollutum.*

Tandem vos in admirationem adducere non debet; nos febris hecticæ, & caloris hectici additionem in definitione habitualis affectionis præteriiſſe, cùm ex communi Medicorum ſententiâ ad conſtituendam eſſentiam hecticę affectionis calor febrilis neceſſario requiratur; enim verò in Tractatu de Febribus docebimus affectionem illam viventium corporum, quam febrem Medici appellitant, in caloris exceſſu nullo modo conſiſtere, ſed in motûs cordis depravatione, quam multoties exorbitans naturalis calor comitatur, multoties verò non. Hanc ſanè doctrinam in habituali affectione nunc ulteriùs confirmamus, cùm ſępiſſimè experti ſimus tabeſcentia corpora nullo penitùs exorbitante calore exuri, vel exſiccari, imò tactûs frigoris, vel potiùs teporis ſenſum replere, illorum verò marcidum habitum celeritati, frequentiæ & inæqualitati pulsûs conjunctum proximæ mortis dediſſe argumentum, placuit ergò potiùs illa loquendi formulâ uti, ſcilicet diſpoſitio à naturali ſtatu recedens, nam ſive habituali affectioni conjunctus ſit hecticus calor, ſive non, optimè per diſpoſitionem à naturali ſtatu recedentem intelligi utrumque poteſt, quod nobis ſuggetere non præteriit *Galenus libro de Marcore*, ubi de Maraſmo ultima ſenectute, vel fame laborantibus ſupervenientе loquitur.

Cap. 3. *De Habitualis Affectionis Differentiis.*

QUantùm noſtro ingenio aſſequi potuimus, pręcedente capite, patefecimus habitualis Affectionis Eſſentiam, & quomodò primò in corporibus producatur. Nunc, ut pleniùs rem quiſque concipiat, differentias, & ſpecies habitualis affectionis, quæ paucæ non ſunt, docere aggredimur, cum earum propriis, & pathognomonicis ſignis, quod multùm intererit tum ad præſagiendum habitualis affectionis finem, tum ad rectam ejus curationem inſtituendam. Placet ergò uti veteri illâ, & generali *Græcorum* maraſmi diſtinctione, quæ vult maraſmum, vel atrophiam, vel cachexiam, vel phthiſim dici debere ſecundùm trium modorum diverſitates, quibus produci ſolet, etenim licèt alias ſpecies proponemus, ad notatas tamen tres differentias, veluti ad generaliores reduci ipſæ poſſunt, eſt quodammodo congrua habitualis affectionis in tres ſpecies ſecundùm veteres Græcos diſtinctio; enim verò cùm vel ab eo, quod ad particulas corporis advenit jam contaminatum, vel ab eo, quod ab ipſis particulis malè affectis contaminatur, vel tandem ab eo, quod contaminatum advenit, & in ipſis ultrò corrumpitur, affectionem habitualem produci neceſſe ſit;

primo

primo modo atrophiam dici debere, secundo cachexiam, tertio phthisin, congruenter existimatum fuit.

Producitur atrophia vel cùm nullus assumitur cibus, vel cùm licèt assumitur, nullam penitùs in ventriculo patitur alterationem. Utroque modo singulæ corporis particulæ alimento prorsùs destitutæ in atrophiam, & mortem properant. Hujusmodi atrophiæ remedium non admittunt, verùm qui cibum non assumit, quia non vult, non quia non potest, si deindè voluerit, fame non peribit.

Secundo modo producitur atrophia, cùm læsa ventriculi, vel cordis substantia, adjacentiumque his visceribus principalium membrorum, liquores, qui ab ipsis generantur, & ad cunctas corporis particulas fluunt, ab iis non admittuntur, neque assimilantur ob pravam illam impressionem, quam à læsâ viscerum substantiâ receperunt; tunc enim non solùm inducitur habitualis affectio, ex eo quòd particulæ nutrimento privantur, sed universum corpus celerrimè contabescit, ob recursum repudiatorum liquorum versus naturales, spiritualesque partes, & hujusmodi atrophia aliquando curationem admittit, aliquando verò non; ut infrà patebit; quæ verò atrophia originem ducit à contaminatis corporis liquoribus contagio externæ causæ, curationem ut plurimum admittit, si prudens sit Medicus, & remediis utatur opportunis.

Secunda marasmi species dicitur cachexia, producturque cum conservantibus adhuc ventriculo, corde, adjacentibusque membris eorum temperiem, atque producentibus adhuc toti corpori liquores non pravos; quia tamen natura insita singularum particularum à sanâ dispositione recessit, advenientes illos liquores non solùm in earum habitu non apponit, sed eos corrumpit, universumque corporis habitum mucidum reddit ex languore, qui cachexia dicitur.

Recedit in natura insita particularum totius corporis à sanâ dispositione, si humiditas vitalis non quidem advenit, sed substantia earum, quæ à medullâ cerebri regitur, sanas proprietates amittit, quippe tunc functiones naturæ insitę læduntur, & non solùm id, quod particulis advenit, non assimilat sed etiam corrumpit, affectionemque habitualem cachexiæ producit.

Præsupponit cachexia substantiarum medullarium à naturali statu recedentem temperiem, unde evenit quòd ros, & cambium, quibus fibræ spermaticæ solidæ sustentantur, non ut convenit, elaborantur, & cùm illo rore vita solidarum partium vivat: ergo secundùm naturam se non habente singularum solidarum partium œconomiâ, dissolvitur, unde adveniens ad venas hepatis corruptas habitualis effectus, qui cachecticus dicitur, impossibilis ferè curationis est, ex eo quia non potest inveniri remedium, quod medullarem substantiam deperditæ temperiei restituat.

Fuère non pauci, qui differentiam inter atrophiam; & cachexiam in eo esse existimârunt; quòd atrophia constituatur à totali defectu illarum substantiarum, quas ad bonum producendum habitum particulæ corporis requirunt: Cachexia verò constituitur non quidem à defectu, sed ab accessu ipsarum substantiarum, quæ, quia contaminatæ sunt, ab ipsis particulis respuuntur, unde cachecticus evenit habitus.

Phthisis verò ferè semper cachexię succedit: fit enim cùm contaminati, vitiosique liquores à particulis solidis non admissi, in mesenterium, vel thoracem recurrunt, producuntque in visceribus naturalibus, vel spiritualibus aposthemata, abscessus, inflammationes, erysipelata, similesque affectus, quos necessariò exulceratio sequitur, eosque secuta cachexia in phthisim degeneravit, quæ incurabilis ab omnibus existimatur; cùm in ipsa non solùm requiratur medicamentum, quod à principali aliquo vitium contractum abstergat, sed ei naturalem temperiem restituat, quod munus vix naturæ permittitur, & arti omninò negatur.

Assignatas marasmi species propria signa comitantur, quæ eas distinguunt.

Atrophiæ signa sunt pallor, macies, labiorum retractio, narium acuminatio, unguium excessus supra carnem, rugæ cutis, ipsius exsiccatio, sitis sine linguæ siccitate, alvi excretio, vigilia, pulsus frequens, & exilis; extremorum refrigeratio, respiratio anxia & rara, sine tussi; his apparentibus signis atrophiâ infirmum laborare indicabis, à totali ciborum defectu, vel à prorsùs facultate ventriculi destitutâ dependente.

Verùm cachexiâ infirmum laborare conjicies, si cutis universæ colorem non simpliciter pallidum, sed fœdum animadvertes, si in eâ non simplicem siccitatem, sed squalorem observabis, furfuribus, aliisque spurcitiis horridum, pediculorumque multitudinem, hujus ungues sunt aduncæ, ut etiam nares, os lividum ostendet, & limosum, non multùm sitit, cibum stomachatur, sæpè diarrhęâ laborat, pulsus habet frequentes, inæquales, exiles cum acuto quodam, sed paulo calore, quovis corporis motu, licèt levi spiritûs anxietatem patitur, tussiculâ cruciatur sicca. His apparentibus signis cachexiâ laborare infirmum tibi suaseris, à vitiosis humoribus enascente, sive à læsione principali alicujus membri, sive à causâ externâ vitium contraxerit.

Notare hîc convenit, quòd cachexia, quæ neque ab externâ caussâ, neque à lęsione alicujus visceris, vel regionis naturalis, vel spiritualis originem ducit, necessariò à substantiâ medullari cerebri vitiatâ movetur, cujus signa sunt: Aridus totius corporis habitus, præceps, & inexspectata macies, pulsus parùm à naturali statu recedens, artuum contractio, & abbreviatio, aspectûs mutatio; acutus calor, falsa fames, excrementorum copia, & hujusmodi cachexia facillimè in phthisim degenerat.

Phthisis signa sunt extrema macies, cutis squalor, calor acutus, & exurens, infirmo non sensibilis, pulsus frequens, & durus, spirandi difficultas, tussis profunda, purulentæ materiæ excreatio cruori commista, vigilia, anxietas, ciborum desiderium, frequens diarrhœa, cui mors imminet.

Hoc est signum omnibus dictis tribus marasmi speciebus, malus habitus, qui in deteriorem semper abit, depravatio motuum pulsûs absque sensibili accensione, vel declinatione symptomatum, exacerbatio post prandium, & cœnam.

Pathognomonicum, & proprium signum est marasmi à luis Venereæ fermento procedentis, symptomatum exacerbatio circa vesperas usque ad mediam noctem, ex proprietate ejusdem fermenti Venerei, quod in illis horis suos excitat furores.

Præterea, cùm dictæ marasmi species; à læsione substantiæ cujuscumque principalis membri originem ducere possint, ut jam prædictum est, unumquodque ipsorum membrorum læsum propria, & pathognomonica signa in suo marasmo patefacit.

Unde primò à ventriculo producti marasmi signa sunt, durities, & tensio in situ orificii superioris ipsius ventriculi, tussis tenax cum excreatione tenacis pituitæ, per intervalla spirandi difficultas pulsus frequens, & inæqualis, extremorum tactus tepidus, & ad frigiditatem potiùs inclinans.

Intestinorum marasmi signa sunt, durities circa mesenterium assidua diarrhœa cum cruenta, & mucosâ excretione.

Lienis marasmi signa sunt, scorbuticæ affectiones, scilicet anhelitus fœtor, marcidus cruor è gingivis effluens, excretio cruentæ materiæ, ipsius lienis duri-

ties,

ties, ulcera fœtida in cruribus, urina pauca, rubra, & quæ ſtatim corrumpitur.

Maraſmi hepatici ſigna erunt, fœdus color totius cutis, ejuſdem hepatis tumor, & durities, meſenterii omnimoda exſiccatio, diarrhœa cruenta, & continua ſitis, calor acutus.

Renum maraſmi ſigna ſunt, anhelitus nidoroſus, corporis macies, urina purulenta, putrida, & peſſimè olens, calor acutus, ſitis, & à cibo febris incrementum.

Pulmonis maraſmi ſigna ſunt, tuſſis perennis, purulenta excreatio; ſpirandi difficultas, vocis raucedo, ſanguinis arterialis excretio, genarum rubor, calor acutus, pulſus frequens, tenuis & durus.

Cordis maraſmi ſigna ſunt calor exurens, pulſus frequentiſſimus, & parvus, labiorum rubor, anxietas, & circa coſtas ejuſdem cordis inæqualis pulſatio, quibus reliqua, quę de pulmone diximus, ſuccedunt, ac tandem mors.

Cerebri maraſmi ſigna ſunt, repentina totius corporis macies, cui nulla præceſſerit tuſſis, nulla ſpirandi difficultas, nullus vehemens calor, & nulla pulsûs depravatio: ſed hęc omnia illam ſubſequuntur uſque ad phthiſis productionem, & hęc ſunt ſigna maraſmum comitantia, quę certum præſtant argumentum membri principalis læſi maraſmum producentis primò, & per ſe; nam reliqua membra deinde per accidens concurrunt, unumquodque pro ſui muneris functione per accidens lęsâ.

Maraſmi verò, qui ab externâ cauſa ducunt originem, uti ſunt illi, qui ab ulcere malè curato, & à lue Venereâ producuntur, præter communia ſpecialia ſigna, & propria non habent, niſi ulcera cachoëtica, & fermenti Venerei indubitabilem diffuſionem, adeò ſunt in aperto, ut de iis dubitari non poſſit, & ratio eſt, quia in maraſmo tam ex ulcere, quàm ex Venereâ lue proveniente, membra principalia non per ſe, ſed per accidens ſunt læſa: nam liquores corporis à dictis cauſis externis contaminati, dum ad principalia membra accedunt, neceſſariò illa inficiunt, ac illorum unumquodque in ſui muneris functione depravatur; hinc confuſa oriuntur ſigna, & non minùs unius membri læſi; quàm aliorum præſtant argumenta: fieri tamen poteſt, ut cùm principalia membra roboris ęqualitate non gaudeant, eorum imbecillimum faciliùs recipit vitiatorum liquorum affluxum, & reliqua in illud jam debile factum ſe exonerant, quòd cùm illi tolerabile non ſit, ejus ſubſtantiæ læſionem faciliter contrahere poteſt, atque tunc licèt vitium ab externâ causâ productum; efficacibus remediis curetur, maraſmus tamen non ceſſat, nam à lęſione ſubſtantiæ membra poſteà ab externâ causâ contaminata foventur.

Cap. 4. *De Indicatione curativâ Tabis in genere.*

INdicatio curativa tabeſcentium corporum nullo modo à malo habitu contracto deſumenda eſt, ut verbi gratiâ à macie, ut pinguis habitus producatur, & à fœdo cutis colore, ut floridus fiat: ab exorbitante calore; ut ad temperiem reducatur, & à ſimilibus, quo modo Medicorum vulgus hodiè tabidorum curationem aggreditur, nam prædicta ſunt effectus, & ſymptomata potioris cauſſæ, à qua pullulant, tanquam à radice. Ridiculus ſanè eſt Medicus, qui tabeſcentem pinguem reddere conatur, niſi tabis cauſſam priùs evellat, imò tantùm abeſt, ut cibus optimi, & plurimi detrimenti in tabeſcentis corpore in bonum cedat, ut corruptioni, pluſquam alii obnoxius maximum afferat detrimentum. Erit ergò indicatio curativa omnium maraſmorum purificatio liquorum partes ſolidas corporis irrorantium cum correctione vitii eos contaminantis, ſive in ſubſtantiis membrorum principalium ſit impreſſum, ſive à cauſsâ externâ originem ducat; Verùm enim verò cùm liquores corporis purificationem admittere non poſſint, uſque dum contaminans illos vitium ſubſiſtit, & contrà correcto vitio, facilè ſit ipſi naturæ liquorum purificationem moliri, cardo curationis maraſmorum omnium in correctione vitii in ſubſtantiis membrorum principalium contracti, vel ab externâ cauſsâ exorti prorsùs innititur: quippe vitio correcto, liquores etiam corriguntur, utque paulatim in bonum habitum corpus adducunt abſque medicamenti, vel cibi ſpeciali exhibitione, ſed communis, & ordinarii.

Eſt adeptorum Medicorum ſententia dari non poſſe medicamentum, quod membra principalia eſſentialiter lęſa ad priſtinum reſtituere poſſit, niſi indolem habeat univerſalem, ſcilicet ut ſit tantæ ſubtilitatis, perfectionis, & temperiei, ut ipſi naturæ ob ſymbolum conjungi poſſit, & membris reddere, quod illis deficit, vel auferre id quod illis præter naturam eſt additum: cùmque ad tale medicamentum obtinendum ſumma induſtria, & artificium requiratur, ſpecifica quædam trademus medicamenta quæ inſtaurationem principalium viſcerum ſummoperè promovent, & maraſmo ab ipſis provenienti ſuccurrunt.

Igitur ſi in tabidum incideris, qui ſigna tabis ventriculi ſuprà notata præ ſe ferat, ſitque auxilii capax, vomitu primò illum levabis hoc modo:

℞. *Salis vitrioli* ℈. ij. *fiat pulvis:* qui in conſervâ florum boraginis incluſus exhibeatur, & immediatè pòſt juſculi gallinacei ℥. iij. ſuperbibendum præbe. Verùm hoc emeticum non eſt tutum ob indolem ſuffocantem.

Si validæ conſtant infirmi vires:

℞. *Merc. vitæ opt. præp. gr.* iv. *infundantur per noctem in Vini græci* ℥. ij. *mane vinum ſeparetur à pulveribus*, & infirmo exhibeatur. Præſtat tamen *Hippocras Emeticum noſtrum in Trutinâ* deſcriptum.

Poſt vomitum *vitriolô. Martis* uſque per 40. dies proſequatur curationem, ejus doſis erit gr. vj. quæ augeatur paulatim uſque ad gr. xv. manè jejuno ſtomacho. Verùm vitrioli Martis uſum repudiavimus in *noſtrâ Trutinâ*, præſtat *tinctura Martis* à nobis deſcripta *in Martis julepo*, vel *idem julepus:* & quolibet etiam die exhibe *elixiris proprietatis* ʒ. *ij. vel elixiris Helmontii ſtomachici* tantundem, duabus horis ante prandium, totidemque antecedat *ſyr. de corticibus citri.* Cibus ſit paucus, facilis coctionis, & qui corrumpi non poſſit. Si opus fuerit vomitus repetatur, à ſolutivis abhorre.

Verùm ſi ſigna tabis inteſtinorum tibi occurrant, à vomitivis, & ſolutivis abſtinebis, curationemque inſtitues cum ſero lactis caprini:

℞. *Seri lactis* ℔. *ij. ſyr. viol.* ℥. ij. *m.* & infirmo exhibe, quod ſi ſerum per alvum reddatur, per 20. dies ejus uſum proſequere, nam curationem integram complebit; niſi ſerum per alvum reddatur: poſt ſecundam vicem ab eo abſtine, & per 40. dies ſequentibus utere pilulis:

℞. *Myrrhæ opt.* ℥. j. *aloës* ℥. ij. *fiat pulvis utriuſque, & cum terebinthinâ Venetâ reduc. in maſſam*, pro quibus doſis à ℈. ij. ad iij. quolibet manè.

Si tabes à liene, ſive ſcorbuti ſigna ſe manifeſtaverint, deobſtruentibus, & diureticis curatio tentanda eſt;

℞. *Seri lactis caprini* ℔. j. ß. *ferveat in igne, & dum fervere incipit, injice ſenæ orient.* ℥. ß *cinnam. contuſi* ʒ. ij. *vas illicò cooperiatur, & auferatur ab igne, frigefactum ſerum coletur*, & infirmo exhibeatur per quatuor dies eâdem doſi. Hoc leviſſimo purgante corpus à craſſis humoribus liberetur, tunc.

℞. *Vitrioli Martis, ſalis abſinthii, tartari vitriolati ana* ʒ. j. *in pulverem redacta miſceantur: hujus mixturæ.*

℞.

℞. ℈. j. infirmo exhibe quolibet manè per 40. dies. Si lien durus, & turgidus apparuerit, tribus continuis diebus illum sequenti cataplasmate dissolve:

℞. *Farinæ hordei* ℥. iv. *verbenæ contusæ m. iij. misce cum albumine ovi, & fiat cataplasma*, quod turgido lieni ponatur, nam resudabit extra cutem cruenta lienis sanies. Verùm hoc cataplasma maximam continet imposturam. Corroborabis demum lienis substntiam hac inunctione.

℞. *Olei laterini q. s.* cum quo quolibet manè per 30. dies lienis locum inunge, & hęc est omnium affectionum lienis efficacissima curatio, ita ut obstinatas etiam vincat quartanas.

Scirrhosum etiam hepar suam affert tabem cum propriis signis, ut suprà, quam diarrhœa cruenta semper comitatur, hanc tabem hepatis tutò curabis sero caprino absque ullâ additione, nisi solius syrupi violarum.

℞. *Seri lactis* ℔. *iij. syr. viol.* ℥. *ij.* Exhibe per xv. dies quolibet mane, nec te exterreat cruentus fluxus â seri usu, fluxus caussam quippe abstergit cum partium integrâ mundificatione. Post seri usum liquore absynthii per mensem hepatis substantiam roborabis, quem ita parabis:

℞. *Absynthii fol. & summitates, quæ contundantur crasso modo, injiciantur in vas vitreum amplum absque ullâ additione, quod optimè obstruatur, ne exhalet, & bulliat in M. B. per 24. horas, perfrigeretur tunc vas, & aperiatur, liquoremque pretiosum absynthii à foliis separatum remove, leni foliorum expressione, & serva, cujus liquoris recipe* ʒ. *ij.* & infirmo exhibe *in vini albi generosi* ℥. *ij.* per mensis spatium. Intereâ hepatis regionem *unguento ex santalis* fovebis.

Corroboranda demum est hepatis substantia *rhabarbari essentiâ*, quam ita parabis:

℞. *Rhabarbari opt.* ℥. *j. fiat pulvis, cui in vase vitreo affunde Spiritus vini ardentis* ℔. ß. *sine, ut simul maneant per* 12. *dies, post quos spiritum vini intensè coloratum à rhabarbaro separa per inclinationem. Spiritum hunc tinctum retortæ vitreæ inde, & lenissimo colore fac, ut vini spiritus pro tertiâ parte distilletur. Quod remanet in retortâ, serva, est rhabarbari genuina tinctura, quæ balsamum est hepatis.* Dosis ejus est unius scrupuli quolibet die per mensem.

At si marasmum ex pulmone signa affirmaverint, & tussis assidua, & spirandi difficultas vigilem faciat, ægroto somnum pro quiete tussis cynoglossæ usu concilia,

℞. *Pilul. de cynogloss. gr.* xii. & infirmo exhibe post cœnam quarto quolibet die. Verùm si ex sanguinis ejectione periculum immineat, sequenti utere arcano, quod nunquam te deseret in sanguinis ex pulmone dejectione:

℞. *Ranas palustres integras, uti sunt, atque viventes in calidissimum furnum in vase positas immitte, ibique exsiccentur, usque dum in pulverem redigi possint, fiat earum pulvis, cujus infirmo exhibe* ʒ. j. *in Syr. de papavere:* cessabit illicò sanguinis ejectio, induciturque lacerato vasi cicatrix, ita ut novâ laceratione opus sit ad novi sanguinis ejectionem. Pulmonem deinde *elixire proprietatis* robora.

℞. *Elixiris proprietatis distill.* ℥. ß. *Syr. de papavere* ℥. jß. *m.* Hæc dosis per 24. horas ęgro sufficiat per vices admodùm lambitivi.

Petrus Poterius lib. 2. *Pharmacop. cap.* 9. *Anti-hecticum* mirabile describit ex alumine, quod nos multoties proficuum experti sumus, & multos ęgrotos ex faucibus orci eripuimus, præstat igitur in proximi utililitatem, & tyronum Gratiam illud describere, ut

℞. *Aluminis rupei q. v. solve in aqua pluviali, coque in alembico, donec spumam exhibeat, spuma cum cochleari ligneo separanda, rursus coque, & inter coctionem adde aceti destillati, tunc alumen deponit vitriolum suum in superficiem instar spumæ ceruleæ, quæ rejicienda, filtra solutum, & despumatum alumen infunde in vas ligneum, ut crystallisetur.* ℞. *purificati hujus aluminis lib.* jß. *destilla in alembico phlegma leni igne ad siccitatem, cavendo, ne spiritus ascendant, sed ut alumen saltem terra alba fiat, quam impregna proprio phlegmate, & cohoba. Inde sumatur caput mortuum tartari, ex quo omne sal com. tartari, fuit extractum, hoc in crucibulo reverbera aperto igne per mediam horam, ut fiat terra porosa absque omni salino sapore. Hanc terram tartaream philosophicam inde filtro chartaceo, rursus suprà terram aliam pone chartam bibulam, in quam aluminosam terram proprio phlegmate solutam filtra, sic acida terra aluminis attrahitur ab igneâ terrâ filtri, & saltem dulcis terra transit filtrum cum proprio phlegmate, quam rursus coagula per destillationem abstrahendo phlegma, repete solutionem hujus cum proprio phlegmate, & filtrationem per terram tartari rursùs elotam, & tertiâ vice reverberatam. Sic alumen deponit per præcipitationem à phlegmate omnem terram adstringentem;* & crystallisatur primum ens aluminis in frigore instar sacchari.

Aliud *Anti-hecticum* magnarum virium, & multis aliis morbis proficuum describit *Poterius*, quod nihil aliud est, quam *regulus antimonii, & Jovis compositus, cum triplo nitri perfectè fixatus.*

Porrò si tabes ex corde tibi signa apparuerint, potiùs mortis prædictionem, quàm salutem ex medicamentis proponere poteris, incipienti tabi ex orde *lac perlarum* mederi tantùm poterit, quod absque industriâ & artificio haberi non potest, aliquod tamen perlæ promittunt, si aceto stillatitio solvantur, oleo tartari pręcipitentur, à sale abluantur, & residuus earum pulvis per 60. dies infirmo exhibeatur quolibet mane pondere unius scrupuli. Multùm enim pręstat tabidis ex corde *cinis cancrorum fluvialium* loco, & tempore haustus pondere ʒ. ß. Demùm liquore ex cornu cervino tanquam magno remedio in ex corde utere, quem ita parabis:

℞. *Limaturæ corn. cervi* ℥. j *bull. in aquæ com.* ℔. jß. *ad duarum partium aquæ consumptionem, quod remanet aquæ à limaturâ separa & serva, cujus aquæ Recipe* ℥. j. *magist. perlarum supra descripti* ℈. j. *ægro propina per* 40. dies.

Hanc etiam curationem adhibere poteris tabi ex cerebro, quæ unquam fieri invenitur auxiliis capax: & hæc de curatione marasmorum, qui ex lęsione substantiæ principalium membrorum ducunt originem.

Verùm si ab externâ caussâ corporis liquores contagium susceperint, ac proptera tabidum produxerit habitum, prudenti Medico ut plurimùm salutis spem reliquunt; ac primò si ex ulcere ab externâ causâ producto tabes aliquem invasit, hoc modo illum curabis.

Solutiva sunt fugienda, ut etiam vomitum cientia, corpus si opus fuerit aloë, vel rhabarbaro tantùm leniendum, deinde tota spes in vulnerariis reponenda, inter quę hoc quod tradimus, efficacissimum experti sumus.

℞. *Limaturæ eboris, cornu cervi, ligni guajaci ana* ʒij. *ponantur in pipatellâ, deinde recipe betonicæ, sampsuci. santal. rubr. rosar. incomplet. ana* ʒ. jß. *aquæ fontis. lib.* j. ß. *Ponantur hæc omnia simul cum pipatellâ in vas vitreum altum, quod optimè obstrue, ne exhalet, & bulliant in M. B. per quatuor horas, sine deinde, ut omnia frigida fiant, ac à pulveribus, & pipatellâ decoctum exprime, cujus Recipe* ℥. *v. infirmo exhibe mane, & vesperi duabus horis ante cibum, quo vulnerario utere per* 40. *dies;* nam paulatim ęger bonum habitum adipiscetur cum ulceris curatione.

Subdemus hìc jura consumpta ex viperis, quæ tabidos ex quavis causâ summoperè instaurant, ac præci-

præcipuè ex quavis causâ summoperè instaurant ac præcipuè ex causâ externâ, vires enim ita sublevant, ut infirmo difficile non sit medicamentis validioribus uti, quæ alioquin tolerare non posset.

℞. *Viperas ij. à senectâ denudatas, abscissis capitibus, & caudis, minutissimè contere, ac in vitrum amplum injice, quibus adde vini generosi ℥. j. aquæ Card. bened. ℥. ß. santal. rub. cinnam contus. ana. ʒ. j. Vas optimè claude, & bulliat in MB. trium horarum spatio. Post refrigerationem vasis fiat juris expressio*, quod propinetur infirmo bis in die per 40 dies, nam magni hujus remedii effectus admiramini.

Nunc pro hujus Tractatûs complemento curationem marasmi à contagio luis Venereæ exorti quam proposuimus, instituemus, ac promittimus sequentium remediorum rectâ administratione semper tabis ex lue Venereâ curationem assequi posse, dummodò ab ipsius luis virulentiâ substantia alicujus membri principalis non sit læsa, vel vas aliquod conspicuum sanguinem continens corrosum, adapertumvè sit: his enim impressionibus à lue Venereâ factis, certa promitti non potest marasmi curatio, cùm licèt contagium Venereum ex integro eradicare valeamus, vasorum corrosionem, & substantiarum læsionem restituere, promittere non licet.

Tabem ex Venereo fermento productam vulgares tentare curant juribus consumptis, quæ *Ludovicus Septalius animadvers. lib. 7. num. 214.* proponit, ut

℞. *Sals. parill. minutim incis. ℥. vj. infundantur horis 24. in aquæ calidæ lib. xv. in loco calido vase clauso. Deinde bulli. lento igne ad consumptionem tertiæ partis. Hinc cochleari perforato extrahatur salsa parilla, & contundatur in mortario. Contusa eidem aquæ injiciatur, addendò carnis vitulinæ macræ lib. ij. sem. coriand. præp. ℥. j. & vase aperto iterùm lento igne bulliant, donec remaneant liq. V. & in fine aromatizentur. cinnam. elect. ℥. iij.*

Hinc fiat colatura cum forti expressione, quæ usui servetur in vase vitreo, vel vitreato. De qua æger manè horis quatuor ante cibum capiat ℥. vj. vesperi autem horis tribus ante cœnam ℥. iv. vel v. Quòd si æstas sit, aut si conjuncta febris hectica, addit hordei excorticati unc. iv. atque in usu medicamenti plurimis diebus perseverat, quandoque etiam ad centesimum usque diem.

Si tabes his juribus non cesserit, tanquam ad sacram anchoram recursum habent ad lactis asinini exhibitionem, inito tamen priùs consilio: Asina debet esse nigra, & omni manè pexa, eam in otio degere sinunt, nutriuntque herbis refrigerantibus admistâ ligni guajaci scobe, & salsâ parillâ minutim incisâ. Verùm hæc vulgarium præsidia pro tollendâ tabe Venereâ insufficientiâ sunt experta, nec ipsum tollere sunt idonea.

Itaque tabis Venereæ curationem ita instituimus: Corpus leniter purgandum hoc modo:

℞. *Pilul. de tribus* ℈. j. *merc. dulc. gr. x. m.* Exhibe ante cœnam. Deinde decoctum vulnerarium paulò suprà descriptum bis in die infirmo propina, cui adde *elixiris proprietatis destillat.* ʒ. *ij.* optimumque erit, si simul cum pulveribus vulnerariis *carnem duarum viperarum* commisceatis; nam vis vulneraria additione viperarum summoperè augetur. Hoc vulnerarium cum viperis per decem dies ægroto exhibe absque ullo alio medicamento, ut vires restaurentur, & natura sublevetur. Vel si tabidi vires fuerint fractæ, sequentibus juribus consumptis reparentur:

℞. *Salsæ parillæ minutim incisæ ʒ. ij. ß. rasuræ eboris, limaturæ corn. cervi, santal. rubr. ana. ʒ. j. Infundantur per 12. horas in loco calido in aqua communis unc. ix. Deinde injiciatur pullus deplumatus, exenteratus, & in frusta dissectus, cinnamomi acuti ʒ. j. salis communis ad gratum saporem q. s. Operi vas, ne quid exhalet, & bulliat leniter per tres horas, postmodùm refrigerato vase, fiat lenis expressio*, & pro Cœnâ ad plures dies ægro propina. Restauratis viribus, infirmum ad cinnabaris suffumigia disponetis eo modo, quo supra tradidimus, adhibitis omnibus circumstantiis, quas ibidem adnotavimus. Dosis cinnabaris ʒ. j. pondus non excedat, & non quolibet die sed alternis diebus suffumigationem adhibere ac pro ægri viribus. Si in remedii cursu diarrhœa cruenta, vel grumefactum sanguinem per os infirmus ejiciat sine vomitu, & tussi, non solùm aliquid mali timere non debetis, sed proximam curationem expectare, si æger præscriptam servabit regulam, infra duorum mensium spatium non solùm bonum acquiret habitum, sed præter modum pinguescet.

Verùm nec medicamentum secundum, aut quicquam simile viget aquæ nostræ Anti-Venereæ, nec ipse Mercurius sive in suffumigiorum, sive inunctionis formâ, tam exaltatus, quàm præcipitatus in rabidâ Venere persanandâ est comparandus; hæc enim tam mitis, tuta & jucunda est, ut nunquam aliquem læserit, omnesque sanarit, & id nos jurejurando affirmare possumus.

Denique *Arcanum Metallicum* patefaciemus, quod omnes luis Venerei species curat, ac præcipuè tabem restitutione læsionis substantiæ membrorum principalium, hoc tantùm remedio obtinere poteris, si illa sit remedii capax: fixum est hoc remedium, ac cum cibo assumitur, nullam causat sensilem evacuationem, & indolem habet universalem, ejus præparatio exercitatum requirit spagyricum, & talis est:

℞. *Merc. ter aqua forti semper recenti, & qualibet vice ad rubedinem præcipitati* unc. j. ß. *butyri antimonii* unc. j. *Ea simul urinali vitreo conjunge, & adde aquæ regis* unc. iv. *urinali supponatur coopercu- lum cum suo rostro, aquam regis lento igne à mercuriis destilla, quam iterùm deinde super ipsos mercurios repete quinquies; in fine destillationis augendo parùm ignis gradus, post quintam aquæ regiæ cohobationem remanebunt in fundo urinalis ambo mercurii fixi, qui fusionis ignem sustinebunt reduc materiam in pulverem, ac retortæ vitreæ injice, addendo.*

Spiritûs vini ardentis unc. iv. *quem lento igne à pulvere destillabis, deinde eandem quantitatem recentis spiritûs vini injice, & eodem modo destillabis, & hoc duodecies repetes; nam pulvis remanebit dulcis, ut mel, nullam acredinem præ se ferens, estque mercurius diaphoreticus, vi sulphuris antimonialis ad summam perfectionem evectus.* Dosis est granorum iij. usque ad vj. cum cibo prandii, vel cœnæ, nullam promovet sensibilem evacuationem, ac triginta dierum usu omnem curabilem tabem radicitus curat absque metu recidivæ. Si hoc arcanum aliis applicaveris morbis, usus te plura docebit.

Cap. 5. *De Præservatione à Lue Venereâ.*

ESset hîc pro coronide de Luis Venereæ præservatione agendum, quia multùm gloriosiùs esset hanc luem præcavere, quàm eandem curare; siquidem postquam homo hac fuerit conspurcatus, non nisi post multum tempus, improbo cum labore, & gravissimis incommodis ab hac dirâ eripitur lue, omni proinde nixu movendus esset hic lapis ponderosissimus: Verùm enim verò tutâ conscientiâ ista antidota doceri non posse credimus, quæ tot homines ad libidinem liberiùs accenderent, quos ab eâ forsan morbi metus avertere poterat. Eapropter multi monent authores (& reverà est efficacissimum præsidium) ut Veneris palæstra omninò vitetur, quia sic evitantur pericula: sanum sanè consilium;

quod

quod nemo, vel saltim unus observabit, cùm caro fragilis, & infirma ad carnem semper anhelet, quò circa esset tollere, non solvere, quod quæritur, ac proinde non defuêre scelesti authores, qui hæc describserunt antidota, quibus tanquam clypeo muniti ganeones confidunt se posse meretrices maximè infectas penetrare, omnesque ganeas libere peragrare. Hujus farinę authores fuêre *Hercules Saxonia*, *Aurelius*, *Minadoüs*, *Eustachius Rudius*, *Julius Palmarius*, & prę cœteris *Gabriel Fallopius*, qui *de luis Venereæ præservatione cap.* 89. tractat scribitque. *Ego nihil fecisse videor, nisi doceam vos, quomodo quis videns pulchram Sirenem, & coiens cum eâ, etiam infectâ à carie, & lue Gallicâ præservetur.* Paulò infrà proponens antidotum inquit: *Ego feci experimentum in centum, & mille hominibus, & Deum testor immortalem nullum eorum infectum fuisse.*

Pro luis pręservatione his utuntur medicamentis authores, imprimis mulier, cum qua Venus exercenda sit, num infecta, investigandum, quod cognoscitur ex superiùs propositis signis, quæ cùm dubia utplurimum sint, & coëuntes non sunt semper Medici, ideò ad alia confugiendum magis veridica, vel aliorum sectanda sententia; nam videndum, an madida, & humecta sint, vel tumida muliebria, an aliqua sordities in eâdem parte resideat, an dolor, & ardor in, & post coitum, vel lancinatio intra urethram persentiatur, tunc enim clara sunt luis vestigia, ac proinde pluries fortiter emungendus est priapus, ut seminis reliquię propellantur, & abstergendus erit subuculâ, mox emittenda est urina, qua pluries abluendus, vel vini efficacior erit ablutio, præcipue si in eo fuerint *incocta myrti folia*; *rosæ rubræ*, *alumen*, *absynthium*, *aristolochia*, *limatura guajaci ad ana.*

Fallepius tanquam præsentaneum suum extollit Antidotum, quod ità paratur.

℞. *Radices gentianæ, aristolochiæ longæ, rotundæ. dictamni albi ana* ʒ. ij. *pulverem santali albi, rubri, ligni aloës ana* ℈. ij. *pulv. corall. rubr. spodii ex ebore. Corn. Cervi ust. ana* ʒ. ß. *fol. scordii, sonchi, betonicæ, scabiosæ, tormentillæ ana m.* j. *rosarum m.* j. ß. *scobis guajaci* ℥. ij. *squamæ æris* ʒ. ij. ß. *præcipitati præp.* ʒ. j. ß. *vini malvatici opt. potentis* ℔. iß. *aquæ sonchi, scabiosæ* ℔. ij. *Assumitur vinum, & aqua, & in his infunditur scobs guajaci per* 24. *horas, deinde adduntur reliqua omnia, & bulliunt simul ad consumptionem medietatis, deinde colatur decoctum. & exprimuntur medicamenta ista diligentissimè, in hoc decocto perturbato maceratur per noctem pannus lineus purissimus, deinde siccatur in umbrâ, & hoc fit tribus vicibus, ter enim maceramus, ter etiam siccamus.* Posteà paramus frusta ad proportionem glandis, & semper habeantur in marsupiolo. Quoties ergò quis coiverit, abluat pudendum, vel panno detergat, posteà habeat linteolum ad mensuram propriæ glandis paratum, quo post coitum obvolvatur glans, & pręputium recurrat, horâ transactâ, novâ linteoli portione obvolvatur, primâ rejectâ, & sic repetatur quater, vel quinquies.

Si timetis, ne caries oriatur in medio canali, habeatis ejusdem linteoli portionem in modum turundæ, sive penicilli, & in glandis foramen injicite, eodem modo repetendo; ejus namque beneficio, si contracta fuerit virulenta materia, facilè extrahitur.

Verùm si pruritus in pudendo sentiatur, expertum medicamen est illud suffumigare suffitu ex cinnabari, & thure ana.

Opportunum quoque nonnulli censent glandem fovevere spongiâ madefactâ in guajaci decoctione in æqualibus partibus vini, & aceti factâ. Valere quoque credunt hanc decoctionem, ut

Ligni guajaci limati ℥. v. *infundantur in aquæ font.* ℔. ix. *per* 24. *horas, deinde bulliant lento igne ad consumptionem tertiæ partis, addendo radic. cucumeris agrestis, malvarum, althææ ana* ℥. j. *Radices contundantur, & fiat ebullitio ad medietatem*, qua colaturâ abluantur pudenda & foveantur linteis in eâdem madefactis.

Quo factò, si adhuc dubitet scortator de aliquo contagio, jubent assumendos syrupos ligni guajaci, pro quo:

℞. *Lign. sanct. limat.* ℥. x. *infundantur in aquæ font. lib.* xii. *per* 24. *horas in vase benè clauso super calidos cineres, deinde bulliant in Balneo vaporoso ad medietatis consumptionem, ex qua colaturâ cum sacch. f. syr.* Dosis unc. j. vel jß. manè sub aurorâ ad plures dies.

Ad majorem præcautionem ulteriùs laudant, ut ante coitum abluantur genitalia roborante & adstringenti aliquâ decoctione, cujus vis resistat Lui, siqua timeatur, ut

℞. *Cortic. myrobolan* ℥. j. *nucum cupress. num.* xv. *rof. rubr. p.* ij. *absynth. pontici m.* iij. *gallar. granat. myrtill. & semin. sumach. ana* unc. j. *Contundantur, & macerentur omnia in vino rubro, deinde destillentur per alembicum*, de quo liquore fiat ablutio ante coitum.

Iisdem præsidiis utuntur mulieres, quas in marium gratiam tantùm præservari convenit, nam ex alio capite nullâ essent pietate dignæ, cùm ab ipsis omne malum originem ducat; sollicitæ idcircò multùm esse debent, ut à coitu muliebria emundent, & receptum semen infectionis suspectum illicò expurgent lotionibus, & artificiis propositis, postmodùm panno lineo frequenter exsiccando. Verùm ante coitum mulieres non statim se comprimere faciant, scortatoribus inter oscula, & tactus blandiantur, & blanditias, arripiant penem, illumque emungant pluries propter gonorrhϾ metum (solent gonorrhϐ laborantes ante coitum priùs mingere, ne saniosus conspiciatur fluxus), recurrat præputium ut glans cum coronâ observetur, inspiciant interim inguina, ut cum securitate futiri possint, cœterùm castæ Penelopes, hanc diligentiam adhibere non possunt; ne ęstimationi sibi detrahant, nec scortatores ob hanc æstimationem earum pudenda observare audent, unde statim decumbunt, & pallam ad genus usque sublevant, ideòque facilè inficiunt, & inficiuntur. Mulieres verò meritoriæ, quia his observationibus incumbunt rarò hac dirâ corripiuntur Lue.

Verùm decipiuntur, & decipiunt vulgares, credentes hanc Luem in occultâ qualitate consistere, & in hepate sibi pręfigere thronum, postmodùmque in externis partibus linteolis, suffitu, lotionibusque illam præcavere. Sunt hæc medicamenta vanida, valida lenocinia, ac irritamenta malorum, licèt hæc Lues per minima corpuscula saniosa communicetur, quę si abstergantur, extrahantur, dissipentur, hanc avertere possunt, tamen nec fomitem in externis pudendorum partibus abstergere queunt; quia nullam vim anti-Veneream habent, nec internas à conceptâ Lue eripiunt partes, cùm contagium corpus per porositates permeet. Eapropter ablutiones, quę solùm externas attingunt partes, & alia medicamenta extraposita certam præcautionem, & incolumitatem minimè polliceri possunt ac proinde his non valdè fidendum. Pręterea non solùm per pudenda in coitu, verùm per os, papillas, podicem, omnesque partes perfectâ cute carentes hęc dira Lues cùm contrahi possit, arduum nimis erit illam pręcavere, cùm non omnibus occurrere possimus partibus, & ignoremus, quænam primò illam contraxerint.

Habemus nos nobile, & expertum antidotum ad Luis Venereæ pręcautionem, quo siquis, postquàm cum infectâ coierit, utatur, facilè à pustulis, cariebus, ulceribus, gonorrhϐ & bubone pręcavetur, illudque sparsim communicavimus; nolumus tamen locum, ubi extet, cuique digito demonstrare, sed emunctioribus seligendum relinquimus, ne hujusmodi remedium tantùmmodò in abusum trahatur, & citò scorta-

tationem repetant, ac nos libidinum fautores videamur. Unum tantummodò hìc tutissimum & infallibile docebimus antidotum, quo, qui usi sunt, nunquam hac correpti fuêre Lue, quod est à scortis abstinere, & perpetuò præ oculis habere, quòd justus Deus scortatores castigabit, qui etiam in hac vitâ isto fœdissimo morbo eos afficere solet.

Sed jam ad calcem pervenimus eorum, quæ nobis hoc præsenti Tractatû scribere atque posteritati tradere instituimus; Itaque manum de tabulâ moveamus, ipsa monet res. Certè scripsimus hæc non inviti, qualiacumque essent, namque cùm ferè omnes oras peretraverit dira Lues, misereque hominum genus afflictaverit, haud fuit difficile ad hęc edenda animum inducere, firmiterque nobis videri omnibus accepta fore, quę aliorum commodo insudavimus, atque votis expetere, & undequaque conquirere ea, undè aliqua salus speretur; Itaque pręter exspectationem non erunt, quę nobis ab initio hujus operis fuêre proposita.

GUALTHERI HARRIS, M. D. *Celeberrimi Medicorum Londinensium Collegii, Socii.*

DE

LUE VENEREA Ejusque *Origine*, *Naturâ & Curatione*, *DISSERTATIO.*

HIc morbus tam gravis & acerbus est; tàm latè serpit, & perniciem suam undique spargit; tantis cruciatibus miseros plerumque opprimit; & pristina sanitas tàm difficulter restituitur, ut ab annectendo quędam eò spectantia non potuerim prorsùs abstinere. Primordia hujus mali quæ pudendis solis labem inurunt, contemptui & ludicro habeant, si ita placet, ganeones & Belli nostri, & petulantibus facetiis, tanquam nugas & crepundia, ea excipiant; sed quandocunque aut prima illa inquinamenta aut succedentia, in sanguinem denuò transferentur, atque per totum corpus virus distribuetur, pœnas insipientiæ debitas illi abundè persolvent.

De Origine hujus morbi ambigitur, an ab omni ævo, post homines natos, extiterit; an superiori ferè sæculo in *Europam* ex *Indiâ* Occidentali fuerit advecta. Multa sunt testimonia, aut saltem suspiciones non contemnendæ, de antiquitate hujus Luis, quanquam tot ferè Regna non ita pridem contrà ejus Natales probrosos decertarunt, alterum in alterum illud opprobrium rejiciens, quot urbes olim *Homerum* sibi gloriosè vendicarunt. Certè nomen ejus legitimum usque ad nostra hæc sęcula in tenebris latuit. Nec forma & figura hujus Monstri à prioribus Medicis satis clarè & distinctè sunt descripta, neque ante novam suam denominationem nisi confusè admodùm cognita. Hoc autem proculdubio scimus, plurima olim apud nos Nosocomia leprosis recipiendis fuisse extructa; & multùm fallor, si unica & singularis domus apud nos etiamnùm maneat, Leprosis vulgò recipiendis peculiariter dicata. Porrò Venerei contagii eadem semper causa tyrannidem exercuit, nempè vaga & promiscua scortatio; nullisque sæculis defuerunt meretrices infames, quę corpore prostituto vilem quæstum facerent: *posita* verò *causâ ponitur* etiam *effectus*, quemadmodùm & *sublatâ* semper *tollitur*. Quibuscumque enim in regionibus, quibuscumque demùm locis prostibulæ istæ, ac corruptelæ juventutis vulgares prorsùs exulant; legumque asperitas scortationem omnem coercet, deest etiam unà cum impuris scortis Lues hæc Venerea. Ubicunque verò lupanaria palam permittuntur, remisso Magistratu aut dissimulante; vel ubicunque meretriculæ latebras aliquas fędas securè nanciscuntur; eadem Lues cum horridâ malorum turbâ, cumque omni suo miseriarum famulitio, longè latèque dominatur. Atque, ut mihi quidem videtur in utero impuro meretricum vulgarium, quæ plurimis viris, quantumlibet sanis, sese prostant & commiscent, certò & naturaliter progignitur Lues, perindè atque in nido ex ovis nascuntur volucres. Et quoniam *corruptio optimi* est *omnium* semper pessima, cur non ex seminis prolifici, & in tantos naturæ usus destinati, corruptione pravâ & incongruâ venenata illa Lues possit φυσικῶς propagari? Et nullus dubito, paucissimos uspiam esse scortatores, qui, quantumvis pęnas meritas aliquamdiu effugerint, non seriùs aut citiùs in laqueos illos inciderint, qui non turpi & funesto illo veneno fuerint tandem aliquando contaminati.

Sanè Lues hæc perniciosa est Supremi Judicis tremendum quoddam flagellum, instar ensis illius stricti capitis Damoclis inter epulandum impendentis, omnibus scortatoribus semper interminans, quod sapientes ab impuris amplexibus facilè deterrebit; quod insipientes severissimis flagris aliquando cædet. Quis enim mulierosus certus esse potest, meretriculam qualemcunque sibi uni, ut videtur stipendia facientem, non aliis pluribus fuisse priùs aut denuò obnoxiam venereo inquinamento, utcunque ista mendaciis suis, perjuriisque usitatis, pudorem aliquem comminiscatur?

Neapolitanus hic morbus vulgò nuncupatus est, & ab obsidione *Neapolitanâ* primùm ejus contagium originem traduxisse ut plurimùm creditur, anno scilicet post *Christum* millesimo, quadringentesimo nonagesimo tertio; cùm *Neapolim* castris suis circumdaret *Carolus* octavus, Gallorum Rex. Sed cùm rumorum popularium tanta sit incertitudo, ut sapientes vix quicquam pro certo pronuncient, quod non manifestis & sibi notis testimoniis confirmatur; cùm aliorum morborum primus exortus in tenebris æquè permaneat; cùm ita constitutum sit rebus humanis, ut in singulis sæculis quædam continuò pereant, oblivionique tradantur, alia quædam rursùm emergant & suscitentur; cùm virus Venereum in omnes ferè regiones totius orbis quantùm nobis innotescit, ab oriente ad occidentem, à septentrione ad meridiem, jam diu spargatur, & usquequaque diffundatur; cùm denique Medici aliquot gravissimi Luem istam infamem ante obsidionem illam Neapolitanam contagio suo virulento *Europam* jam dudùm invasisse constanter affirment, sanè difficile est aliquid certi & indubitati in re ita obscura stabilire & decernere; quanquam antiquam Luis prosapiam admodùm apertè indicare videatur antiqua, ac permanens causæ existentia, nempè scortatio illicita, vaga, & promiscua, primordiis fortè rerum humanarum, aut saltem effræni hominum libidini, ac corruptelæ meretriciæ coævâ.

Sed ut hanc rem paulò altiùs perscrutemur, *Hippocrates*, cujus autoritas apud omnes doctos plurimùm valet, libro tertio de Morbis Epidemicis plurima horrenda symptomata enumerat, quæ ad formam Venereorum quàm proximè accedunt: ut *pustulas magnas*, & *pustulas corpore universo erumpentes*, *maximèque caput impetentes*, *ulcera fœdissima circà pubem & pudenda*, *inflammationes Erysipelatodes malignas & depascentes*, *diarrhœas & cibi fastidia*, *tabes multas*, aut atrophias, *nunc sine febre nunc cum febre contingentes*; *carnium*, *nervorum*, & *ossium mutilationes ex decidentiâ magnas*, à carie præcedente, *prolapsus partium abscessibus corruptarum*, & *denudationes femoris integri*, *tibiæ*, *aut pedis totius*, *prolapsus brachii*, *aut cubiti totius*, & *omnium miserrimas carnium*

nium jacturas, cùm pubem, pudendaque malum affecerit; ichores ulcerum & abcessuum puri absimiles, & pure omni deteriores, capillorum defluvia fluxiones ad pudenda multas, dolores gravissimos cum vigiliis, ulcera oris serpentia, & tubercula tàm interna quàm externa circa inguina, aut bubones, *tubercula faucium*, *ulcerationes pudendorum*, & similia, quæ quidem breviter tradit, & more suo conciso. An verò hæc omnia à Peste verâ, an à Pestiferâ hâc Lue oriantur, in utramque partem ut differant par est doctis liberum relinquere.

Quicquid verò de turpibus Luis natalibus sit statuendum, certè dolendum est maximè, Curationem tantę Ægritudinis, omnes corporis partes, tàm internas quàm externas, à capite ad calcem, polluentis, è manibus Medicorum doctorum & peritorum ità profugisse, atque Chirurgis, nec non tonsoribus imperitis, ignarisque quibuslibet vulgò concedi. Quis enim tàm fatuus & insulsus, quis tàm illiteratus ardelio, qui non Medicaster in hoc morbo circumforaneus facilè evadat, sine instituto, sine sumptu, & sine arte; qui non curationem Luis, aut saltem GonorrhϾ Infallibilem perfrictâ fronte polliceatur? Quales autem hi sunt Medici? Sartores utplurimùm & fabri, similesque artifices, propinatores inertes & decoctores, qui in officinis suis fidem priùs labefactaverant. Quàm infælix igitur & misera est infectorum conditio, qui duplices sustinent pœnas, damnanturque tùm atrocissimi morbi cruciatibus, tùm rudis agyrtæ ignorantię periculosę! Quasi levissimi quilibet affectus peritiam Medicam jure efflagitarent, morbus verò maximè anceps, medullisque penitùs infixus, cuivis illiterato possit tutò demandari!

Ut autem summum discrimen Lue infectorum manifestiùs appareat, considerandum est, hunc morbum frequenter esse Protei-formem, & post primam ejus subjugationem, sæpè novas posteà inducere facies. Illud equidem facilè adducor ut credam, proptereà quòd tot tabidos, & atrophiâ confectos, pulmonibus ferè intactis, nec nisi secundariò læsis; viderim perire. Et nisi ex acuto aliquo morbo illos contigerit extingui, marcore & atrophiâ vix intellectâ tandem contabescere semper observavi. His lac Asininium, pectoralia, narcotica, & similia, primam venenatam causam nihil respicientia, ad supremum usque diem frustra exhibentur. Chirurgi salivatione absolutâ, & mercede laborum acceptâ, integram sanitatem audacter promittebant; atque denuo ægrotantes, longè diversis symptomatis quàm priùs affecti, neutiquam somniant de reliquiis fomitis venenati, aliquamdiu consopiti, & intùs delitescentis, sed sub novâ formâ revirescentis. Interim Medicus quantumlibet peritus, nihil causæ Venereæ facilè suspicabitur, atque ægrotus partim ex verecundiâ; partim præteritę curationis securus, de pristinis rebus oblivioni jam traditis nullam mentionem facit. Heu quanto igitur discrimine versantur hujusmodi ęgrotantes, cùm nec ipsi de causâ ægritudinis primariâ ne verbum mussitent, cùmque Medici contra morbum incognitum, Andabatarum more, cœcutientes militent! Certè Autores nonnulli, magis emunctę naris, veritatem horum suboluerunt, cùm ita prudenter illi consulerent, quoties aut dolor Ischiaticus, aut Rheumaticus, aut alius valdè pertinax, remediis propriis & usitatis nequaquam cederet, ut ad Diætam sudorificam, è Ligno sancto, Sarsaparillâ, & consimilibus, tanquam ad sacram Anchoram confugeremus.

Ex his Luis reliquiis spretis, & aliquamdiu abditis, non solummodò pendet valetudinaria, & misella parentum, ęquè ac aliorum scortatorum conditio; sed & hinc morbi aliquot puerorum tralatitii, & fermè immedicabiles, & quos nominare minimè convenit, nè nati insontes, viri tandem facti, contumeliam, męstitiam, atque animi perturbationem aliquam exindè immeritò patiantur. Quamlibet enim majus est reverâ dedecus à vitiorum suorum, quàm natalium, turpitudine & infamiâ, tamen novi viros eximios & fortes, clarâ & illustri stirpe, sed illegitimè prognatos, qui præter modum dolore opprimebantur, quoties de natalibus suis spuriis mentionem aliquam factam ex susurris clanculariis in communi hominum consortio illi suspicarentur. Atque in eâ re major est Turcarum justitia & sapientia, apud quos nemo parentum culpam in filios iniquè transfert, & nulla est ignominia natis ex partu illegitimo prodiisse.

Porrò statuendum est Luem Veneream esse morbum venenatum maximè deleterium. Et quanquam non ità repentè interficiat, ut ictus & morsus animalium venenatorum, tamen temporis aliquo spatio, modò longiore, modò breviore, vitam infectis certissimè adimit, nisi remediis propriis & salutaribus sanitati pristinę tempestivè restituantur. Paucis igitur agamus de veneni hujus, cœterorumque naturâ, & breviusculâ comparatione. Inter alias notas sunt signa venenorum, insignis faciei totiusque corporis pallor, & extremorum perfrigeratio, quæ in Venereis sunt maximè conspicua. In venenis assumptis, natura materiam venenatam omni vi expellere nititur in superficiem corporis & partes externas, undè maculæ variæ, papulæ, & exanthemata oriuntur: Similiter in Lue Venereâ prodeunt maculę, interdum parvæ, lentiginum instar, interdùm latiores; eęque modò rubræ, modò flavescentes; & primùm circà frontem ac tempora, deindè caput reliquum, tandemque per totum corpus diffusæ: nec solùmmodò maculæ, sed & pustulæ & tubercula in cute erumpunt. Venenis per os assumptis, calidis dico & erodentibus, magnum exoritur incendium in faucibus, & ventriculo, atque intestina doloribus aut torminibus exquisitis cruciantur; Lue infecti faucium inflammatione, & paulatim exulceratione, semper corripiuntur; ventriculus illorum sensim prosternitur; & quanquam artus dolorum sævitiam & atrocitatem utplurimum ferunt, tamen plus semel novi, aut intestina, aut hypochondria eisdem diris cruciatibus affecta, iisque tempore vespertino recrudescentibus, quos artus utplurimum & magis regulariter sustinent. Denique Venena propria sua & peculiaria medicamenta, sive Antidota, ut ritè expellantur, requirunt: Lues, nisi propriis & quasi specificis Antidotis pernicies ejus virulenta depellatur, vulgaria omnia pharmaca, & methodos omnes quantumlibet doctas, solet aspernari.

Sed natura hujus Veneni est alia atque alia, tum secundùm regiones magis ad Septentrionem aut Meridiem positas, tùm secundùm Temperamentorum varietates. Etenim in Hispaniâ & Lusitaniâ, de hoc morbo (sæpe tam mitis iste est illic) vulgò colloquuntur, quemadmodùm nostri solent de Liene & Scorbuto. Siquidem illorum Medici ad febricitantes matronas nobilissimas ac virtute prędiras accersiti, solenniter quærunt, an Lue Venereâ laborent, sicut nostri de Catameniis, quanquam & verecundè interrogant. Et in illis regionibus, ubi Veneni aliqua portio indesinenter perspirat, infecti multi sese totam vitam hoc morbo comite satis placidè traducere nonnunquam posse, sæpè confitentur. Apud nos verò longè aliter se res habet, & hæc Lues ferocem & immanem tyrannidem exercet. Nullus hic symptomatum & cruciatuum finis, nisi aspera aliqua, aut diuturna mitior medicatio interponatur, donec aut dolores contorquendo, aut ulcera depascendo, aut ichor venenatus ossa corrumpendo, miseriis finem imponant; & lacerum putridumque cadaver tandem abjiciatur, pabulum sanè ingratum, & vix vermibus acceptum.

Quinetiam juxta Temperamentorum diversitatem Vene-

Venenum hoc dissimiles vires apud nos obtinet. Temperies Melancholica, & Biliosa ejus exterminationem ægriùs sustinent, quàm Sanguinea, & Phlegmatica. Multò faciliùs restituuntur juvenas quàm ætate provecti. Idemque est dicendum, de Scabie, Herpete, & nonnullis aliis morbis varia temperamenta affligentibus. Et sicut Temperamentorum differentia efficit, ut Cathartica longè dispares effectus obtineant; hoc corpore mitissimis medicamentis facilè purgato, illo fortissimis ægre cedenti; utque idem dejectorium medicamentum eodem pondere diversis hominibus exhibitum, in uno celerem ac violentam, in alio tardam ac mitem, & in alio nullam omninò operationem concitaverit, ita & de Venenis dicendum est, quod illa citiùs aut seriùs interimere soleant, non modò ex propriâ & innatâ vi perniciosâ, sed secundùm fortiorem aut debiliorem repugnantiam naturæ ejus, qui venenum accepit. Nam opinio ista vulgatis ficta est & falsa, quæ *Indos*, ab iisque *Italos*, ita artem veneficam statuit calluisse; ut in statum diem, aut tempus prædeterminatum, sive fuerit septimana, sive mensis, sive annus, Veneficatos omnes certò conficere possint. Natura enim unius quàm alterius, quemadmodùm dictum est de catharticis, veneno magis se opponit, & lethale virus reprimit, aut frustratur.

Sunt qui Luem arbitrantur, fractis & attritis senio viribus tyrannidem suam fermè omnem jam deposuisse, & ad interitum suum cum senectâ demùm vergere. Eademque apud plures doctos sententia jamdiu obtinuit, quandoquidem blanditiis verborum tàm literati quàm aulici spe vana ductis nonnunquam se accommodant, & gratiam lenociniis solent sibi conciliare. Qui verò sic sentiunt, nosocomia hodierna paulisper adeant, aut Chirurgos probos ac exercitatos consulant; videant ulcera multiplicia, cancrosa, & depascentia, tophos & gummata, ossium caries, & carnium putrilagines; videant tabes, lipothymias, cachexias, denique totam Pandoræ pyxidem ibidem apertam; exaudiant etiam horrendas miserorum execrationes, gemitus acerbos, & ululatus permolestos; tandemque dicant, an Venus egregiâ illâ mansuetudine mancipia sua hodierna excipiat; dijudicentque pariter, utrùm Mars an Venus plures ex numero viventium tollat; uter denique istorum amasiorum exitium pejus & frequentius cultoribus suis inferat.

Quod ad Therapeiam attinet Luis. alii Salivatione curationem moliuntur; alii sine Hydrargyro, & nescio quibus ineptis Arcanis eandem audacter pollicentur; alii denique emeticis, & catharticis Mercurialibus, & Diætâ Sudorificâ intarcalatâ similibusque, venenum illud penitùs subigere annituntur.

Medici fermè omnes, totumque Chirurgorum sodalitium, unǫ consensu, Salivatione tanquam brevissimâ, & maximè efficaci methodo, Luis curationem aggrediuntur. Nec denegandum est cuiquam in Arte Medicâ mediocriter versato, Salivationem esse omnium Methodorum quas hactenus excogitavit peritia Medica, maximè expeditam, atque efficacem, ad virus illud Venereum valdè obtundendum, & malignitatem ejus perniciosam abundè frangendam, si minùs ea valeat non rarò ad venenum istud penitùs delendum. Certè in his regionibus Borealibus, frigoris prædominio obnoxiis, ubi labes Venerea tantâ immanitate sævit, Salivatio præ aliis adhuc notis inducias maximè veloces, perniciei dilationem, & symtomatum omnium vehementium cessationem obtinet celerrimam; nec non in quibusdam infectis, & potissimùm in junioribus, curationem perfectam aliquando complet, Sed si consideretur horrenda illa, terribilis, & nonnunquam intolerabilis medicatio, tantis cruciatibus & periculis extremis stipata, saltem exoptanda est, & omnium votis exposcenda, alia aliqua jucundior methodus, tutior illâ minusque molesta.

Potentissimum, & efficacissimum Salivandi genus est id, quod per inunctionem Mercurialem excitatur, & quod solùm tanquam *dignum nodo cuneum* Sidenhamius noster pręclarissimus laudat. Sed refert scire, attentèque contemplari, in quot vitæ discrimina Salivatio ista conjicit infectos; quot ex eâ solent vulgò interire; quàm horrendas capitis, fauciumque efficit intumescentias, suffocationem repentinam frequenter minitantes, & vix fræno manûs peritissimæ rectè gubernandas. Nôrunt quidem aliptæ quàm periculosas diarrhæas, dysenterias, lipothymias, in temperamentis maximè Mercurio repugnantibus, ista crebrò producit; sed aliam vix exercebunt artem, vix quærent aliptæ, nisi quam in tyrocinio à Magistris suis didicerunt. Tanta verò est in hoc Salivationis genere humorum fusio, tanta succorum omnium corporis sæpe exantlatio, ut nil mirum sit, si spiritus vitales unà dissipentur; & maximè si in hac terrâ, aliter fæliciffimâ, ubi Melancholia tantum obticet imperium, complures ex tàm rapidâ fluidorum profusione succumbant ac pereant. Quàm fugax scilicet voluptas acerbissimas sustinet sæpenumero pœnas! Quantâ curâ & industriâ Sirenum illarum veneficarum blanditiæ sunt ab omnibus fugiendę, quicunque aut sanum corporis temperamentum conservare volunt, aut vitam longævam jucundâ lenique senectute finiendam cupiunt.

Porrò si facultates Hydrargyri tantâ copiâ in corpus intromissi, ac sanguinis motu circulari omnes corporis partes pervadentis, velut in Salivatione vulgari contingit; si illius vires naturæ humanę tàm noxias, ac inimicas; si virus ejusdem nervis & cerebro peculiariter adversum, atteſtante id paralysi, & tremoribus frequentibus; si onus & tormina, quæ ventriculo & intestinis vulgò infert; si pallidissimum plumbeumpue colorem, quem vultui impertit; si denique quòd à veteribus omnibus medicis Hydrargyrum in catalogo Venenorum annumeretur, diligenter perpendamus: sanè Medico probo incumbit, quando duobus Venenis tàm Morbi quàm remedii unà convenientibus sit necessariò occurendum. de Antidoto aliquâ propriâ, salutari, & excellenti, sollicitum esse. Et si tela ad hunc morbum ritè expugnandum magis apta & idonea unquam reperiantur, è Medicorum pharetrâ magis magisque denuò instructâ, potiùs quàm ex aliorum quorumcunque sive armamentario, sive officinâ, nî plurimum fallor, certò extrahentur.

Et quicquid delirum vulgus, aliique nonnunquam saniore judicio pręditi, contrà sentiant, sanè nescio, an quisquam omnium morborum qui miseros mortales solent excruciare, judicium accerrimum, Medici periti & exercitati, potiùs quàm agyrtæ aut indocti alicujus artificis, requirat ac mereatur, quàm Lues ista immanis & venenata.

Quanquam verò Salivatio omnibus aliis Methodis ubique palmam præripuit, tamen notatu dignum est, quod *Julius Palmarius*, Medicus Parisiensis clarissimus, & eruditissimus copiosiùs disseruit, qui Magni illius *Fernelii* fuit discipulus, & qui librum de Morbis Contagiosis, tùm doctè tùm eleganter scripsit. Ille Salivatione, quantumlibet tunc populari, quantumlibet nunc vulgò usitatâ, *vix contesimum quemque* Lue correptum, perfectè sanari tradit; sed recidivo illos morbo, ex scintillis aliquamdiu consopitis recrudescente, nonnunquam citiùs, nonnunquam post plures annos affici, & languescere. Atque *alii*, inquit, *decies, alii duodecies* suo tempore *Salivationem frustrà sunt experti*, tantâ interim cum doloris acerbitate, malorumque miserrimorum acervo, ut forti viro multò satiùs sit semel mori, quàm vitam morte pejorem sic proferre.

Ego itaque hęc animo diu multùmque evolvens, nunquam complecti potui, quamobrem *Fernelii*, *Palma-*

Palmarii, aliorumque medicorum doctissimorum methodi tutiores ac jucundiores tàm paucos sectatores consequutæ sint, & praxi hodiernâ ita proscribantur, nisi ob has potissimùm rationes:

1. Medici illi præclarissimi odio adversus Hydrargyrum nimis acri flagrabant, propter noxas illas gravissimas quas sæpiùs infert corpori. Et *Fernelius*, primus omnium Medicorum curationem Luis sine quocunque Mercurialium usu interno, & fortè nimis temerè suscipiebat, & palam pollicebatur; Amuletis suis selectis ac saluberrimis, Diætæ sudorificæ, victui tenui & frugi, & catharsi intercalatæ solummodò confisus. Et certè propter ausum ac tentamen tantum, tamque salubre generi humano, si fortè minùs fælix fuisset successus, omni laude dignissimus est egregius ille Medicus, quanquam in pestifero hoc morbo usus illius medicamenti periculosi, quòd à Plinio vocatur *Venenum omnium rerum*; summè necessarius nobis hactenùs videtur. Nam *malum ovum malo corvo* apprimè convenit. *Palmarius* autem Hydrargyrosi vulgari infensus fuit, tùm ob perniciem ejus, tùm propter extremos cruciatus, doloresque asperrimos quos inuncti sustinere necessariò damnantur; tùm denique, quia proposita sua curatio per Guajacum & Amuletum, aut per Alexipharmaca sua Hydrargyro conjuncta tutior fuit, & longè salubrior inunctione vulgari, sputantium vires exhaurienti. Quocircà aliàs Luem extirpandi methodos, tutiores, ac magis salutares, necnon jucundiores, licèt nonnunquam paulò cunctabundas, fusè proponebat.

2. Chirurgi uno ore Salivationi prę aliis curandi modis favere videntur, aut quia præmiis donantur majoribns isto modo valetudini prospicientes, summâ cum assiduitate, infectumque sub imperio quodam despotico vitæ ac mortis clanculum in conclavi, remotis aliis plerumque arbitriis præterquam nutrice, tamdiu tenentes; aut quia durante tyrocinio nullam aliam æquè certam Lui medenti artem illi hactenus didicerunt; aut quia aliam discere vix unquam volunt.

3. Quoniam Chirurgi technis suis hanc Medicinæ partem: quantum in illis fuit, tanquam sibi jure propriam ubique arripuerunt; & Medici, sive ob molestias tàm fœdæ curationis; sive aliis negotiis impediti, illam provinciam quasi derelictam nimis neglèxerunt, ac vilipendêrunt.

4. Quia curationes temporaneę & Palliativæ in hoc morbo, ut in aliis nonnullis magis placent, ægrisque gratificantur, quàm Eradicativæ, quæ magis operosæ sunt, & exercitatione non parva egent. Quam ob rationem inducię multorum dolorum gravissimorum Narcoticis derepentè comparatæ, & ægrotantibus sæpè magis placent, & medicis nonnunquam præferuntur, quàm quęcunque alia, permanentibus interim aliquamdiu doloribus, salutaris medicatio. His adde Salivationem symptomata omnia Venerea ita ut plurimùm tollere, ut nulla recidivæ suspicio impręsentiarum restet, aut præmii procrastinandi ratio convalescentibus ampliùs appareat.

Quod ad impostores illos imperitos, turpissimos lucriones, ac nebulones vulgares attinet, qui sine Mercurio, sine regimine, sine quacunque molestiâ, & nescio quibus *Arcanis* insulsis, curationem brevissimam, nec non infallibilem, omnibus Lue infectis cum insigni impudentiâ publicè pollicentur, argumento sunt Bacillino quàm Medico digniores, & fascibus Magistratuum aut collistrigio, prout veteratores perfidi, sunt potiùs castigandi, quàm disceptationibus, aut ullis rationum momentis accipiendi.

Denique tertium Lui Venereæ medendi genus, quod posthabitâ Salivatione solenni per inunctionem institutâ, & spretis deceptorum insciorum in fallaciis, catharticorum aut emeticorum Mercurialium vi & efficacia: cum Diætâ è Lignis & Radicibus exiccantibus, ac regimine debito, conjunctorum nititur fusiorem orationis copiam planè requirit. Sed nè tot impostores & agyrtæ dolis insidiis suis hinc ansam aliquam avidè arripiant, vela dicendorum contraham, & pauca haud prorsus inutilia jam dictis adjiciam.

Et 1. Notandum est, Ligna exsiccantia, Gummi, corticem, & lignum Guajaci, lignum Sassafras, atque Radices Sarsaparillæ & Chinę, tantum ferè emolumenti naturæ humanæ conferre, & debilitatę suppetias salutares præbere; quantum damni & nocumenti Hydrargyrum corpori infligit. Sunt hæc salubria quædam hujus morbi venenari, licet imperfecta, pariter atque Mercurii ipsius Alexapharmaca, quandoquidem & citra Mercurii auxilium opera & oleum nostrum sine fructu perdi solent: Et quanquam illa ex se nunquam apud nos scopum attingunt, Hydrargiro prætermisso, venenumque Venereum nequeunt penitùs delere & extinguere, tamen robur nativum erigunt & fovent, palloremque huic morbo congenitum, in vividum ac sanum colorem certo certiùs immutant.

2. Notandum est Cathartica deleteria dicta huic morbo expugnando, qui vires corporis validissimas ipse infringit, & robur summum facilè comminuit, quandoque minùs convenire, quàm mitiora & blandiora medicamenta. Et quoties fortior & validior requiritur catharsis, illa longè tutiùs obtinenda est, in debilibus scilicet naturis. sennâ, rhabarbaro, agarico, jalappâ, epithymo, polypodio, mannâ, hermodactylis, aut eorum quibusdam, additis etiam ceu stimulis, sale mirabili, cathartico amaro, polychresto, prunellę, aut crystallis tartari; his inquam, sæpè securiùs & commodiùs alvus movetur; neque plura eorum identidem reperita ita corpori imbellium nócent, quemadmodùm scammonium, colocynthis, & helleborus, quæ aut ventriculum conturbant, aut intestina corradunt, gravibusque torsionibus excruciant, aut visceribus omnibus partibusque principibus, malignâ suâ qualitate sunt infensa.

3. Quanquam Mercurialia, & Hydrargyrosis, in omnibus temperamentis Lue inquinatis indiscriminatim vulgò usurpentur, tamen notandum est; corpora crassa, obesa, phlegmatica, & frigida, ab illis maxime omnium lædi, & constat injurias insignes quas Hydragyrosis talibus facit, vix unquam posteà deleri; adeò ut non minus discriminis à medicamento quàm ab ipso morbo illis contigirit. Atqui Sanguinea, Biliosa, & pręfervido calore redundantia corpora, incommodo minore Hydrargyri usum paulò copiosiorem sustinent, quàm aut priùs nuncupata, aut Melancholica Temperamenta. Etenim calida & sicca viscerum intemperies, contrariis quibus pollet facultatibus Hydrargyrum, corrigitur, emendatur, & nonnunquam insigniter juvatur, atque bilis ferocientis acrimonia plurimùm demulcetur.

4. Quotiescunque Lue jam pridem infecti, qui Ptyalismnm priùs subierunt, aut qui aliis modis ad tempus tantummodò sunt restituti, morbo recidivo è latibulis erumpente, aut novam formam sortito, turbas novas commovente; quoties, inquam, illi in atrophiam, neque à Pulmonibus tabidis, neque à Lumbricis pendentem, inciderint, quanquam Diarrhæâ admodùm violentâ exhauriantur, à Narcoticis quibuscunque abhorrendum est Medico, & restringentibus interdicendum. Nam Malignitate veneni Venerei intùs delitescentis sic imminutâ, & per sentinam corporis depositâ, propria Antivenerea optato eventu non diu frustrabuntur, & corpusculum strigosum deleteriâ Lue pænè confectum, præter expectationem rursùm pinguescet.

Cùm virus Venereum sit benè retusum ac fractum, omnisque symptomatum ferocia refrænata; at fomes venenatus haud penitùs extinctus sub cineribus delitescat,

cat, novos postea tumultus suscitaturus: quemadmodùm & in aliis nonnunquam casibus, ubi symptomata anomala, doloresque vagi infirmos detinent, Medicamenta nervina, arthritica, amara, & antiscorbutica *salubria*, aliquamdiu usurpata, catharticis blandis identidem intercalatis, reliquias Veneni istius infracti tutò profligabunt, integramque tandem sanitatem præ aliis restituere valebunt. Siquidem talia corruptelæ humorum deleteriæ contraria, sanitati tuendæ, amissæque recuperandæ, vitæ producendæ, staminibusque vitalibus tenuioribus confirmandis apprimè conducunt.

6. Infantes à nutricibus lactantibus infecti, quanquam maculis, pustulis, ulceribusque scatent, quanquam & nocturnis illis doloribus erunt excruciati, facillimè omnium restituuntur. Farina sarsaparillæ ferè insipida, saltem nullo gustu ingrato, aut fastidioso præ-dita, panatellis aut pulticulis suis, ut par est, *commista*, addito etiam, ventriculi gratiâ, Santali citrini polline, nullâ pariter nauseâ donati, catharticisque debitis intercalatis, tenerrimæ ætati, ut læte nonnunquam observavi, salutem perfectam reddidit. Quòd verò infantuli à contaminatâ nutrice infecti, tanquam à Peste quâdam, sint ante inceptam curationem quamprimùm amovendi, non opus est ut admoneamus.

Denique 7. infectis, cùm curatio modis mitioribus magisque benignis ac salutaribus quàm Salivatione illâ acerbâ & excrucianti instituatur, non est iis persistendum ad certum quendam ac determinatum dierum numerum, sed nunc breviùs, nunc diutiùs, pro ratione veneni, naturæque reluctantis, remediis immorandum, quousque sub regimine debito venenum penitùs subigatur, & symptomata omnia prorsùs evanescant.

Antequam finiam, nequeo tacitè prætermittere errorem popularem insulsum, at valdè perniciosum, qui longè latèque inauspicatò increbuit. Nimirùm didicit, aut fortè audivit ignarum vulgus, si quispiam infectus cum sanâ muliere mutuis amplexibus se comiscuerit, à labe omni Venereâ se confestim fore tutos & immunes. Quot innocuæ virgines inter alias ex hoc stupido errore perierunt! Sed cùm sanguinem pervaserit virus pestilens, & viscera afflatu illo impuro imbuantur, credat etiam plebecula insipiens pari ratione, se clavam *Herculi*, quod ajunt, fulmen *Jovi*, extorquere posse, & se montes excelsos, virtute cujusdam incantamenti, posse radicitùs avellere, & alioversùm transferre.

Ut verò finem faciam, nonnullis videri possum nimis acriter perstrinxisse morbum Venere clementi prognatum, Deâ scilicet illâ amabili, cui tàm principes summi, quàm vulgus infimum, vota sua nimis frequenter faciunt, & cujus illecebræ pectora ferè omnium æstu quodam impotenti facilè percellunt. Acriùs, inquam, hujus morbi sævitiam perstrinxisse videar, quàm plurimi medicastri, qui eundem in postremis habere solent, ac pro nihilo, ut aiunt, ducunt; ut scilicet artis cujusdam exquisitæ, quàm alicubi didicerunt, ostentationem gloriosè faciant; atqui ut reverà crumenas incautorum aliquando emungant, ut familiares suos opprimant, omniaque ad quæstum commodumque proprium iniquè referant. At verò longè præstat medico probo, liberalibusque disciplinis instituto, verum dicere, quàm quæstu quovis duci, communique utilitati quàm suæ consulere. Modici rerum status modò res sint benè partæ, nemini pœniteat. Nam pauca nonnunquam desiderium explent, permulta animum rarissimè satiunt. Paucitas rerum commodè benèque vivendo necessariarum facilè suppletur, virisque bonis rariùs deest. Sed in superfluis accumulandis nullus vulgò finis gravissimarum sollicitudinum, nullum molestiarum maximarum tædium rapinarum terminus; quasi dira illa execratio, aut fascinatio, avaros injustosque semper comitaretur, ut in opulentiâ inopes, in abundantiâ egeni vitam prorsùs inquietam producere damnarentur. Præcipiti cursu breviuscula labitur vita. Nec magna pompa impedimentorum necessaria est, ut amæna sit profectio, neque requiritur tanta viatici copia, ut breve iter conficiatur. Præclarè illis actum puto, quibus in benè agendo deponitur vita. Nec sapientibus *lugendam esse* corporis *mortem*, *quam animæ immortalitas consequitur*. Etenim *tum demùm nos verè victuros* constat, *cùm è vitâ hâc excesserimus*. Quid eò olim eximiè dixerit Philosophus, (pectore spe tumido, consolationis pleno, animoque futuris gaudiis admodùm aspirante) in senectam vergens, & *Senectutem* ornatissimè laudans? *Si in hoc*, inquit, *erro*, *quòd animas hominum immortales esse credam*, *lubenter erro: nec mihi hunc errorem*, *quo delector*, *dum vivo*, *extorqueri volo.*

Hactenus Clariss. Harris; cui subjungeremus aliquot lineas ex Clariss. Archibaldi Pitearnii Opusculorum Medicorum Editione tertia, anno scilicet 1714. *publicatâ exscriptas. Verùm cum hac minùs elimata, ac ex schedis Autoris, post ejusdem obitum indiligenter nimis excerpta visa sunt; ab iis abstinendum credidimus.*

LUPUS. *Vid.* CANCER.

LUPIA.

Vide ea quæ de hoc tumore sub titulô *Atheroma* dicuntur.

LUXATIO.

De eâ pluribus agunt Hippocrates & Galenus Operum Editionis Charterianæ Tom. 12. à pag. 287. ad pag. usque 400. Verùm quandoquidem hujus apud Authores seculi proximè præteriti variæ species non parùm accuratè describuntur, adjectâ expeditiori curâ, tam à Veteribus illis indicatâ, quàm etiam propriâ industriâ excogitatâ: commodum omnino duximus hisce solos jam legendos exhibere; imò etiam ex ipsis Hieronymum Fabricium ab Aquapendente, & Joh. Municks tantùmmodò seligere. Veniat itaque primò,

HIERONIMI FABRICII AB AQUAPENDENTE, DE LUXATIONIBUS, LIBER.

Cap. I. *De Definitione, Differentiis, Causis, & Signis Luxationum in genere.*

Luxatio, seu exarticulatio, Barbaris dislocatio dicitur; & prolapsus capitis articuli è proprio sinu, in sedem alienam. Dearticulatio enim ad motum destinata, constare è capite ossis, & sinu. In capite observandum, quod capita rotundissima omnes habent motus, ut in femore, humero; in sinu, quod ossa, quæ habent sinum profundiorem, ut os coxendicis, minus apta sunt luxationi; contrà, quæ habent sinum leniter cavum, ut scapula. Sed ne capita ossium facilè è sinibus excidant, adsunt etiam vincula, quorum alia sunt orbiculata, quæ in omnibus articulis, & caput, & sinum in orbe complectuntur, alia rotunda, quæ tantùm in iis sunt articulis, qui serviunt motibus robustis; ut in femore, & genu; hæc profundo sinu in caput ipsum inseruntur. Qui igitur articuli utrumque habent ligamenti genus; vel qui orbiculare tantùm habent, sed id arctius difficiliùs prolabuntur

labuntur. Eſt in articulis unctuoſus, & viſcidus quidam humor, ne oſſa perpetuo motu incaleſcant, & exſiccentur.

Summa luxationum genera tria ſunt; primum, cum oſſa dehiſcunt, quæ antea inter ſe juncta erant; quod tribus locis contingit; nimirum cum latum ſcapularum os ab humero recedit, aut radius à cubito, aut ſura à tibia, Celſo ita ſcribente, cap. 10. lib. 8. Rhaſi dicitur disjunctio, 15. Continentis. Alterum genus eſt, cum oſſa elonganrur, propter mollitiem, & laxitatem, diſtenſionem ligamentorum, ob quam fit, ut caput oſſis aliquantulum promoveatur à ſinu, nec tamen excidat, ſed facilè poſſit excidere, juxta Avicennam. 5. 4. tractat. 1. c. 1. Hanc luxationem ſæpe vidi in mendicantibus, in carpo, & cubito. Tertium genus, propriè luxatio dicitur, cùm caput à proprio ſinu excidit; cujus nullę ſunt differentię, niſi ſecundùm magis, & minus, Paul. c. 11. l. 6. Si ergò caput è toto, & perfectè excidit è ſuo ſinu dicitur ἐξάρθρωμα, Rhaſi, dislocatio; ſi ex parte, & imperfectè, dicitur παράρθρωμα, Rhaſi diſtorſio. Utramque luxationis ſpeciem patiuntur articuli cubiti, manus, tibiæ, pedis, & digitorum; ſolummodo perfectam patiuntur duo, femoris, & humeri, cujus cauſa eſt capitum rotunditas, & ſuperciliorum in ſinubus tenuitas, unde fit, ut capita, quaſi in puncto attingant ſupercilia, & vel è toto prolabantur; vel rurſus in ſinum ingrediantur. Dicit tamen Hippocrates, quod etiam humerus, & femur poſſint ſecundùm magis, & minus luxari; quod de perfecta luxatione intelligendum, dum magis, vel minus à loco ſuo naturali diſtant. Gal. Com. 1. Lib. 4. de Artic. Porrò vera hæc luxatio quatuor modis fieri poteſt, in partem ſuperiorem, vel inferiorem, dextram, vel ſiniſtram, Galen. c. 4. lib. de Conſtit. ar. addit, partem priorem, & poſteriorem; ſed os non poteſt excidere ante, vel retro; quia adeſt os immobile, quod reſiſtit; nam retro eſt os, cui innititur membrum, & quod reſiſtit oſſi comprimenti, dum movetur; ante, eſt os quieſcens, ſupra quod membrum movetur.

Primum genus luxationis fit tantum à cauſis internis, id eſt, ab humoribus remollientibus, & laxantibus ligamenta; reliqua duo genera, nimirum hiatus, & vera luxatio, fiunt tum à cauſa interna, ſcilicet, ab humoribus ad articulos fluentibus, qui cavitatem ſenſim implent, & caput oſſis à ſede deturbant ſua; tum ab externa, quę violentia quadam os loco movet, ut ſaltus, caſus ab alto, vehementiſſimus curſus. Et de his luxationibus, quæ fiunt à cauſa externa, nos tantùm agemus.

Luxationis autem ſigna varia ſunt. Primum, ſi pereunt motus articuli; nam quandiu motus non pereunt, licet luxationis ſit ſuſpicio, non tamen facta eſt luxatio; ſed hoc ſignum non ſufficit ſolum, addenda alia. Secundum ergò ſignum, eſt concavitas, apparens in loco investo, & contra eminentia in loco oppoſito; ſemper enim tumor eſt in ea parte, in qua os prorumpit, & ſinus, ea à qua receſſit; deprehenditur hoc ſignum viſu, & tactu, & magis in juncturis, aut ſua natura excarnibus, aut macie affectis. Tertium, membrum ferè brevius evadit: os enim prolapſum è ſede ſua, cùm non habeat reſiſtentiam, ſurſum trahitur à muſculis, id quod fit in perfecta luxatione. Quartum, membrum luxatum ſano diſſimile apparet figurâ, ſitu, longitudine.

Perfecta luxatio ab imperfecta diſtinguitur intenſione ſignorum prędictorum. Si enim omnes motus articuli pereunt, membrum brevius redditur, eminentia, cavitas magna, & membrum admodum ſano diſſimile, perfecta eſt luxatio. Contra, imperfecta Disjunctionis, in qua oſſa dehiſcunt, ſignum eſt certiſſimum, craſſities membri major facta, ſupra naturalem ſtatum, & qua capita oſſium conſiſtunt, extuberantia quędam major. Ea autem luxatio in qua membra fiunt longiora, ob remollitionem ligamentorum, cognoſcitur; primum, quia articulus veluti filo appenſus apparet, & huc illucque inordinatis motibus movetur, & vacillat, quia ligamenta ſunt luxata, & oſſa non amplius ſe contingunt. Secundò, dum comprimitur caput oſſis, membrum in ſuam menſuram naturalem redit; & ſi rurſus dimittatur, ad menſuram accidentalem revertitur. Poſtremo circa articulum undique cavitas generatur, in quam interdum etiam digitum immittere poſſumus.

Luxationis ablatæ, id eſt, membri bene repoſiti, ſigna ſunt contraria, quæ naturalem ſtatum indicant, ſi non amplius adſint ſigna, vel cauſæ luxationis. Prętarea Avicenna aliud adfert ſignum, nimirum ſtrepitum, & ſonum, qui ſentitur ab ægris, & aſtantibus, dum os in cavitatem redit. At hoc ſignum non eſt bonum, & exoptandum, cùm duas habeat malas cauſas. Vel enim fit ille ſtrepitus, dum caput oſſis alliditur ſuperciliis ſinus, unde ſupercilia tenuia, & cartilaginoſa rumpuntur, cavitatemque ſubeunt, prius quâm caput ingrediatur, & proinde vera repoſitio fieri nequit, quia caput ampliùs in cavitate ſua circumverti non poteſt, unde claudicant; vel fit ſtrepitus, quia caput oſſis contundit ſinum, unde ulcus poteſt excitari, & pars putreſcere, poſſunt cartilagines incruſtari, auferri à reliquo oſſe, & remanere os aſperum, unde motus ſequitur difficilis.

Cap. 2. *De Curanda Luxatione in genere.*

TRactatus de luxationibus verè chirurgicus eſt; quia in eo omnia à medici manu dependent, nihil à natura; quatuor enim ſunt ſcopi in luxatione, extenſio, repoſitio, deligatio, collocatio, Com. 52. 53. & 54. lib. 2. de fract. & Com. 21. l. 3. de iis, quæ fiunt in med. Extenſio eſt neceſſaria, quia muſculi trahunt os prolapſum, & membrum brevius reddunt, cùm non amplius habeat reſiſtentia. Deligatio etiam neceſſaria eſt, ne ob ligamenta laxata, & per muſculos extenſa facilè rurſus prolabatur.

Dicta autem quatuor ita ſunt adminiſtranda, ut & debita membri figuratio ſervetur, & pręcaveatur phlegmone; figurandum enim membrum ita eſt, ut dolore vacet; in extenſione quidem ſervandi ſunt muſculi ex una parte integri, ne ſcilicet caput muſculi ſit in parte interna; finis in externa; in deligatione, & depoſitione, figuram membri ſervare debemus, quę inter motus iſtius membri extremos eſt media. Phlegmone in luxantibus accidere ſolet ob dolorem, qui excitatur, & cùm fit luxatio, & dum facta eſt; cùm os in loco alieno muſculos, parteſque nervoſas comprimat, fit etiam dolor in extenſione, qua os reponitur. Præcavenda autem eſt phlegmone, quantùm ad partem recipientem, commoda figuratione; quantùm ad mittentem, id eſt, univerſum corpus, venæ ſectione, purgatione, diæta, de quibus alibi diximus.

His notatis primùm, extendendum eſt membrum, ſicut etiam in fracturis diximus. Secundò, reponendum placidè; ne fiat contuſio, vel attritio capitis, & ſinus inter ſe, vitanda capitis oſſis circumrotatio, ne frangatur ſupercilium. Tertiò membrum deligandum, ne rurſus prolabatur; deligatura igitur ita adminiſtranda, ut ſervet naturalem figurationem membri, & arceat inflammationem, exprimendo humores influxos, & detinendo influentes. Antequam autem fiat deligatio, oportet medicamenta apponere quæ phlegmonem prohibent, nimirum adſtringentia, quæ pręter hanc utilitatem, etiam laxata ligamenta contrahunt, & partem roborant; talia ſunt, ceratum Barbarum, diapalma, de minio, oxycroceum, ceratum ſimplex, ceratum roſaceum; unguentum roſaceum, vinum, poſca, vinum granato-

granatorum, ſuccus hypocyſtidis, decoctum corticum granatorum, balauſtiorum, cum ovi albumine. Componitur etiam medicamentum è bolo Armeno, ſang. drac. myrtillis, cortic. granat. pulverizatis, & miſtis, cum ovi albumine, ad mellis conſiſtentiam; exceptum hoc ſtupis pexis, circa articulum imponitur.

Quod ſi dolor adſit, hic indicat lenientia, & unctuoſa, id eſt laxitati vinculorum, & inflammationi contraria, unde ſic procedendum; ſi dolor ſit exiguus, parvi pendendus eſt, & admovenda adſtringentia, ſine unctuoſis, ut ſtupæ cum ovi albumine; ſi verò dolor ad ſe curationem trahat, pars prius inungenda eſt oleis dolorem lenientibus, quæ tamen vim habeant etiam adſtrictoriam, ut ſunt oleum roſatum, oleum myrtinum, maſtichinum, deinde medicamentum propoſitum imponendum, vel linteum cerato roſaceo illitum, cui ſuperponendæ ſtupæ jam dictę. In principio non ſunt uſurpanda cerata, quia propter duritiem comprimunt, & inflammationem movent, qua de cauſa Gal. ante deligationem apponit lintea aliquo ſucco tincta, ne comprimendo dolorem excitent.

His peractis, membrum deponendum in figura media, ne dolor excitetur, eritque poſitio mollis, æqualis, & ſurſum verſus.

Iam ergo oportet membrum deligatum, & quantùm fieri poteſt, immotum ſervare per tres, aut quatuor dies, tunc enim laxatis faſciis, & pruritu ob detentos vapores, excitato, ſolvendæ faſciæ; parſque pruriens aquâ calidâ perfundenda; ne tamen nimis calida aqua laxet ligamenta, quæ debebant potiùs aſtringi, propterea, pruritu non præſente abſtinendum à fomentis. In ſecunda autem deligatione, ſi dolor non adſit, poſſumus aliquod ceratum apponere, ut hyeme, ceratum Barbarum, æſtate, ceratum de minio, diapalma: hoc tempore etiam poſſumus plagulas, & ferulas è corio, aut denſa papyro apponere propter firmitatem capitis oſſis, & ita procedendum, donec membrum ſatis videatur robuſtum, quo tempore ſolvendum, & fovendum decocto abſinthii, roſarum, chamæmeli, muſci albi querni, quæ corroborant; poſteà, appoſito cerato per aliquot dies, abſque deligatione membrum eſt conſervandum, & pręcipiendum ægro, ut operationes conſuetas exerceat, ſed moderatè. Hęc de curatione univerſali omnium luxationum recentium.

Luxationes vetuſtæ eoſdem habent ſcopos, quos tamen præcedit, mollitio, & diſcuſſio materiæ, quæ influit in articulum. Quamobrem, Rad. allthææ unc. vi. rad. cucum. aſinini unc. iii. fol. malvæ M. ii. coctis in aqua, & contuſis adde farinę fœnugræci, & ſeminis lini ana unc. i. ſem. olei communis unc. vi. axungiæ porcinæ unc. iv. Decocti prædicti q. ſ. Miſce, & fiat emplaſtrum. Utimur etiam Empl. diachyl. & ſimplici, & cum gummi, in callo majori, & duriori, prius tamen oportet, partem fricare digitis, inunctis œſypo humida, quin imò, & craſſam œſypum admovemus. Membrum ſæpe immergimus in loturis lanarum calidis, mane, & veſperi, per horam unam vel alteram, proſunt etiam luta thermalia, præcipuè D. Bartholomęi. Hęc ſunt emollientia.

Poſt hæc digerentibus utendum, qualia ſunt in naturis mollioribus, ceratum de betonica, in durioribus, emplaſtrum ſacrum, ante adhibitionem emplaſtrorum, fiunt fomenta è decocto chamæmeli, hyſſopi, betonicę, ſtœchadis; item è vino albo generoſo. In humoribus multis, & valde induratis, ſi modo prius remolliti ſint, uſurpamus fomentum, ſeu ſuffumigium è lapide pyrite, aut molari, item fomentum è decocto rad. cucum. aſin. althææ, ivæ, colocynthidis; quæ tum calore, & ſiccitate materiam diſcutiunt, tum proprietate eandem extra articulos ad ſe trahunt. Infunduntur etiam membra in aquis thermarum Patavinarum, maximè Aponitanis, & Montis ægrotorum. Suffumigantur quoque in foveis eorundem balneorum, è quibus halitus evaporat calidus, vim digerendi inſignem habens, his factis omnia reliqua adminiſtrare oportet, quæ in recenti luxatione.

Cap. 3. *De particularibus Luxationibus, & primùm de Luxationibus maxillæ.*

Maxilla luxata, & maſticatio tollitur, & locutio depravatur; rarò tamen accidit ut ea luxetur; quia caput maxillæ, quod in cavitate continetur, undique oſſibus circumvallatum eſt; deinde maxilla plures, & validos obtinet muſculos, qui ipſam in proprio detinent loco; tum duo habet capita, quę non tam facile, ut unum, prolabuntur, ſuperque duos proceſſus acutos; quartò maxillam in unam tantùm partem, nimirum anteriorem, prolabitur, quintò, paucæ ſunt cauſæ luxationis maxillę.

Non enim luxatur maxilla, niſi proceſſus acutus ipſius elabatur infra os jugale, & non amplius ſurſum redire queat; deorſum autem labi proceſſus ille non poteſt, niſi in maxima oris apertione; & ſurſum redire nequit: niſi in oris diſtortione, ego tamen ſæpius vidi maxillam luxatam; cujus cauſa eſſe poteſt, frequens, & aſſiduus maxillæ motus, tum in mandendo, tum in loquendo, quo muſculi fatigantur, debilitantur, & ita occaſionem præbent, ut promptè maxilla luxetur.

Guilielmus de Saliceto, & alii Chirurgi, anatomes imperiti, ſcripſerunt maxillam luxari etiam ad partem poſteriorem, ſiniſtram, dextram, at hoc falſum eſt; nam poſt, impedit os; ad dextram; impedit caput maxillæ ſiniſtrum; ad ſiniſtram, impedit caput dextrum. Sequitur ergo, quod maxilla tantùm in priorem partem luxetur, Comm. 3. 4. 5. 6. lib. 2. de Artic. Celſ. cap. 12. lib. 8.

Luxatur autem vel utrumque ejus caput, vel unum tantùm. Si unum tantùm; 1. ea maxillæ pars prominet in partem anteriorem. 2. in partem luxatam mentum inclinatur. 3. ad partem contrariam parti luxatæ, os diſtorquetur, & maxilla diſtorta eminentior apparet. 4. ſub dentibus inciſoribus canini conſiſtunt. 5. in parte luxata proceſſus acutus eminentior apparet. 6. dentes non poſſunt committi. Si luxetur verò maxilla ex utroque latere, ſigna ſunt; 1. quod tota maxilla anteriorem partem prominet, neque diſtorta eſt, ſed recta. 2. os manet apertum. 3. proceſſus acutus ex utraque parte apparet prominentior. 4. dentes inferiores excedunt multò ſuperiores. 5. muſculi temporales interni admodum, & duri conſpiciuntur.

Hippocrates ſcribit, niſi confeſtim fiat repoſitio, oriri febres continuas, ſoporem, inflammationem, dolorem, convulſionem, bilioſorum ejectionem, & ferè decimo die mortem ſequi. Ego horum nihil vidi, licèt plures curaverim; credendum eſt tamen viſa hæc ab Hippocrate, præſertim cùm omnia hæc ratione contingant, propter affectos muſculos, & nervos primariò, & cerebrum per conſenſum.

In repoſitione maxillæ; faciendi ſunt motus contrarii iis, quos fecit maxilla, dum prolapſa eſt è proprio ſinu. Primùm maxilla elabitur in partem priorem; propellenda igitur in poſteriorem. Secundò in apertione oris deorſum trahitur; propellenda igitur ſurſum. Tertiò, muſculi ſurſum trahunt proceſſum acutum; deorſum ergo trahenda maxilla. Si ex una tantùm parte maxilla proruperit: propellenda etiam eſt ad latus oppoſitum. Incipiendum autem eſt à motibus poſtremis; & proinde, ſi utraque maxillæ pars exciderit, prima actio chirurgi eſt tractio, ſeu extenſio ipſius deorſum; ſecunda, retrò; tertia, ſurſum; ſi una pars exciderit, requiritur altera operatio, quę eſt repulſa ipſius maxillæ

xillę ad latera. Hæc ut præſtentur, oportet intra os immittere ambos digitos pollices; cum reliquis autem, apprehendi debet mentum exterius; tum maxilla trahenda deorſum, retro, & ſurſum, ſic facillimè, & citiſſimè reponitur. Oportet, ut miniſter aliquis caput teneat; vel hoc ad murum applicetur, ne cedat, cùm retro pellitur maxilla.

Facta repoſitione, ad capita maxillæ, id eſt ad tempora, imponenda ſunt, quæ inflammationem arcent; ut ceratum roſaceum, in valida diſtenſione, ubi majori opus eſt adſtringente, poſſumus admovere ſtupas, madefactas ovi albumine, additis, ſi opus eſt, pulveribus aſtringentibus. Oportet etiam inungere partes temporum, id eſt, totum muſculum temporalem, oleo roſ. lumbricato.

Deligatura fit hoc modo, faſcia imponitur ad mentum, ubi aliquantulum dehiſcet, ut hinc inde mentum apprehendat, deinde ex utraque parte ad aures, eadem faſcia reſcindenda, auriſque foras trahenda, poſt, liganda faſcia in vertice capitis, & ſic detinendus æger donec maxilla fuerit firmata; quod fit ſpatio unius diei. aut bidui, vel ad ſummum tridui, quo tempore, ſi periculum immineat, ægrum à cibis abſtinere optimum erit, nec dimittenda venę ſectio, & ea, de quibus in curatione luxationum univerſali diximus. Ego tamen, ut verum fatear, per unum ſaltem diem, medicamenta loco affecto adhibui, & tempore capiendi cibum, faſcias laxari juſſi.

Cap. 4. *De Luxatione Humeri.*

HUmerus eſt os magnum, rotundo capite donatum, quod inſeritur in ſinu ſcapulę inſculpto, leviter cavum. & obvolvitur caput hoc, ligamento tantùm orbiculari, eoque laxo ſatis Sinus circumcirca, habet quędam propugnacula, ad partem enim exteriorem ſcapula habet proceſſum quendam ſatis magnum, conflatum è ſpina ſcapulæ; in parte ſuperiori habet, partim quidem dictum proceſſum, partim claviculam, in parte interna habet proceſſum anchoroeidem, hinc apparet humeri caput facillimè luxari, Com. 3. lib. 2. de artic. eſt enim hic articulus uniformis, & ſimplex, non quemadmodum in genu, duplex; deinde humeri caput rotundum exiſtens, deſtituitur collo oblongo inſeritur in ſinum profunditate carentem, & hinc faciliùs elabitur, quàm femur quod collum habet longum, & in profundum acetabulum inſeritur; tertiò, ligamentum hic tantum eſt ſimplex nimirum orbiculare, non etiam rotundum, ut in femore eſtque laxiſſimum, quartò articulus humeri ſatis eſt excarnis, & propterea faciliùs prolabitur è propria ſede, quàm articulus carnoſus. Poteſt autem humerus nonniſi ſub alam, id eſt, deorſum prolabi, quia ibi nulla ſunt propugnacula, ut in aliis locis, & humerus etiam ſuopte pondere facilè deſcendit, attamen Galenus quinquies ſe vidiſſe ait prolapſum humeri in partem anteriorem.

Si ſub axillam prolapſus ſit humerus, figura ſano admodum diſſimilis apparet, deinde in ſummo humero cavitas inſolita apparet, ſub axilla verò rotunditas capitis, & durities perſentitur, tertiò ſi humerus in loco naturali conſiſtit, proceſſus ſcapulæ ſuperior rotundus apparet, prolapſo verò humero acutus videtur, quia caput, quod rotunditatem efficiebat, jam prolapſum eſt, quartò, cubitus à coſtis valde recedit; & ad eas non niſi maximo dolore admoveri poteſt; quintò ęgri non poſſunt manum ad caput porrigere, quia humeri articulus non poteſt amplius ſurſum moveri, aliique etiam motus humeri multiplices impediuntur; ſextò brachium luxatum fit longius altero, ſi humerum tantùm deorſum prolabitur, at brevius fit ſi caput, poſtquam deorſum prolapſum eſt à muſculis ſurſum trahitur; ſeptimò, pars ad extremam maxillam plicas efficit, in humero luxato longè inferiores, & anterius, & poſterius quàm in brachio ſano, quod ſignificat caput humeri inferius prolapſum eſſe.

Si humerus luxetur ad partem anteriorem, ſigna ſunt, quod in anteriori parte eminentia, in poſterioti, inſolitus ſinus conſpicitur; pręterea cubitus ad poſteriores partes vergit nec apparent ſigna luxati humeri ſub alam.

Hippocrates, ait humerum, & femur tantùm perfectam luxationem pati, cujus cauſam ſupra attulimus; quod verum eſt, ſi luxatio à cauſa externa oriatur, ſi verò cauſæ ſint internæ, id eſt, humores concreſcentes, & ſenſim incurati, hi dum caput paulatim recedere cogunt, poſſunt imperfectam excitare luxationem.

Modi, quibus humerus in alam luxatus reponitur; ferè decem ab Hippocr. enumerantur; lib. de art. qui ad tria genera commodè reduci poſſunt. Primus modus fit per circumrotationem, ſeu circumvolutionem, dum vel æger, vel medicus, manum omnibus modis adſtrictam, ponit ſub axillam, ut nodi medii caput humeri in cavitatem ſuam impellant, hic modus adminiſtratur tantùm in corpore puerili, & in iis corporibus, quibus laxa admodum ſunt ligamenta, & humida; at ſicut hoc modo facilè humerus reponitur, ita facilè rurſus excidit; hic modus ab Hippocrate dicitur, non ſecundùm naturam, quia non ita tutus eſt; nam dum circumrotamus caput brachii, per corpus ſcapulæ, facilè atteruntur membranoſa, & nervoſa corpora, item ſupercilia in ſinu, unde propter affluxum humorum medicum fruſtra eſt repoſitio.

Secundus modus fit viâ contrariâ prolapſui. Humeri caput ſi luxatur, primùm à ſinu recedit, & ſic in anteriorem partem movetur; deinde deorſum fertur; tertiò ad partem poſteriorem, id eſt, retrò à muſculis trahitur, differt hic modus à primo, quod in primo, per circumrotationem, fit motus per lineas curvas, in ſecundo per rectas. In reſtituendo ergo, etiam tres hi motus ſunt efficiendi, via prolapſui contraria. 1. à poſterioribus ad anteriora. 2. ab anterioribus ad ſuperiora. 3. retro. Primùm igitur Chirurgus apponet caput ad ſummum humerum patientis; deinde digitos ſub alam immittet; tertiò genu cubitum premet; hocque fieri debet ægro ſedente. Videamus jam, quomodo hæ operationes propoſitis indicationibus ſatisfaciant; primus motus, qui fieri debet in reſtitutione brachii, eſt ad partem anteriorem, & fit, digitis ſub ala poſitis; hunc motum roborat, & faciliorem reddit genu, quod cubitum ad coſtas premit, quia ab his nimis per prolapſum receſſerat, ſicuti enim dum caput in alam prolabitur, cubitus à coſtis removetur, ita viciſſim, dum ad coſtas impellitur cubitus, humerus in anteriora movetur; beneficio igitur digitorum, & genu, humerus à partibus poſterioribus movetur ad anteriores. Caput autem Chirurgi ſummo humero innititur; ne, dum digiti ipſum humerum trahunt ad partem anteriorem; reliquum etiam corpus ad eandem conſequatur, vel potius, quod ergo experientiâ didici, ne ipſa ſcapula, quæ mobilis eſt, conſequatur; articulus enim humeri luxatus, ſi non ſit recens luxatio, difficillimè reponitur, ob unicam hanc cauſam, quia dum fit extenſio ipſius humeri, non movetur humerus è ſuo loco præternaturali, ſed potius ſcapula movetur. Sic igitur Hippocrates primum motum efficit, id eſt, humerum ad partem anteriorem promovet reliquorum duorum motuum nullam facit mentionem; quoniam à muſculis efficiuntur; hi enim dum integri ſunt, & luxatio recens facta, humerum ſurſum trahunt, & in propriam ſedem reſtituunt;

modo

modò caput humeri non ſit impeditum, prout, dum conſiſtebat retro ſub ala, poteſt etiam hic modus alia ratione adminiſtrari; quia enim genu non adeò facilè humerum ad coſtas impellere poſſumus, pro genu miniſtrum ſubſtituemus qui manu cubitum apprehendat, & ipſum ad coſtas deducat. Eſt & tertia ratio, qua ſecundus hic modus abſolvitur; reducatur cubitus retro ad ſpinam dorſi, ſic enim humerus promovetur ad partes anteriores; deinde altera manu cubitus prehendatur, ut fiat motus ad partes ſuperiores; altera verò manu innixus fiat in ſummo humero, ne ſcilicet ſcapula moveatur, ut antea etiam diximus.

Tertius modus generalis, ſecundo addit extenſionem, quæ maxime neceſſaria eſt, ſi caput humeri in loco alieno jam ſit firmatum; accidit inſuper, quod muſculi ſemper ſurſum trahunt, unde oritur indicatio deorſum trahendi, per extenſionem. Abſolvitur hic modus vel ſine inſtrumentis; vel cum inſtrumentis.

Sinè inſtrumentis, duobus modis; primus eſt, ſi patiens jaceat, & Chirurgus in eadem planitie ſedeat, apprehendens ambabus manibus brachium luxatum, & calcem apponens ſub ala, dextrum quidem, ſi luxatus eſt humerus dexter, ſiniſtrum, ſi ſiniſter, antequam autem calcem apponat ſub ala, neceſſarium eſt apponenere pilam duram, qualis eſt palmaria illa, quę ab artificibus conficitur; hoc facto, miniſter alter debet oppoſitum apprehendere brachium, &deorſum trahere; alius vero habens faſciam, lorum, vel habenam, ſed firmam, ejus latitudinis, ut pilam comprehendat, ambo ejus capita ſurſum, verſus caput ægri trahere debet; deinde altero pede inniti ſummo humero luxato.

Conſiderandum autem, quomodo humerus his operationibus reponatur. Primus, qui trahit brachium, deorſum, & alter, qui ſurſum habenam trahit, efficiunt extenſionem, & motum deorſum. Motus ad anteriora fit, tum à pila, tum à calce, unde calx inſeri debet inter coſtas, & caput humeri, ſeu pilam, ut caput humeri prematur ad anteriora, pila autem ea ratione apponitur, ut quo pertingere non poteſt calx, propter cavitatem ipſius axillę, quę fit à tendinibus, & muſculis utrinque poſitis, pilæ tamen beneficio calx operari queat. Duo igitur motus fiunt à Chirurgo, primo deorſum, & ad anterioria, alter miniſter, qui ſurſum trahit habenam, efficit motum ſurſum, premens autem pede ſummum humerum, facit innixum, ne ſcapula conſequatur, tertius qui deorſum trahit humerum ſanum, id pręſtat, ne totum corpus ad extenſionem unà conſequatur.

Alter modus ſine inſtrumentis ſic fit; Homo; qui altioris ſit ſtaturæ, quàm patiens, alam ęgrotantis à terra ſublati, ponat ſupra ſuum humerum, ut ſic faciat extenſionem; deinde brachium luxatum adducat ad ſuum pectus, ut humerus ad anteriora moveatur; poſt, alius miniſter, ambabus ſuis manibus ad ęgri cervicem, & ſummum humerum retro poſitis, partem illam trahat, & premat ne ſcapula conſequatur, denique puer à tergo lateribus appendatur; ne pedibus terram tangat, ut prohibeat, quò minus totum corpus conſequatur. Hæc de modis qui fiunt ſine inſtrumentis.

Inſtrumenta, quibus fit repoſitio, vel tantùm ponuntur ſub ala, vel unà cum tabula adhibentur. Sub ala tantùm ponuntur Piſtillus, & Scala. Piſtillus, vel ejus inopiâ baculus involvatur linteo, ne propter lævitatem elabatur, deinde altero extremo ponatur ſub ala, altero terrę innitatur, ſedeat patiens ſi brevis ſit piſtillus, vel ſi longus, ſtet; poſtea miniſter brachium deorſum trahat & alter retro ſtans trahat, ſeu comprimat ſummum humerum, & cervicem. Denique teneatur firmiter humerus ſanus. Hic primum fit motus deoſum deinde ad anteriora, à piſtillo ad coſtas promoto, de reliquis motibus antea eſt dictum. Verùm piſtillus aliquo modo fallax eſt, fierique poteſt, ut in piſtilli uſu totum corpus circumvagetur; magis igitur laudatur ſcala, in qua gradus aliquis, in ſui medio habebit corpus quoddam rotundum, quod ſub ala ponetur, inter coſtas & caput; poſtea chirurgus brachium luxatum deorſum trahet; alius miniſter apprehenſa cervice, & ſummo humero, ſimiliter trahet ex alia parte; tertius apprehendet totum corpus, trahetque deorſum ex alia parte ſcalæ. Hic, modus anteferendus eſt priori, qui fit cum piſtillo, quia corpus firmius tenetur, ut circumvagari nequeat.

Si placeat inſtrumenta cum tabula adminiſtrare, ita agendum. Tabula paretur paulò brevior binis cubitis, id eſt tam longa, quàm eſt brachium ipſum, lata 4. aut 5, digitos, prout brachium ægrotantis, aut craſſius, aut minus craſſum; craſſitudine tabula ſit duorum digitorum, aut paulo tenuior. Extremitas hujus tabulę in anguſtum finire, & aliquanto tenuior eſſe debet cum extante capitulo rotundo; & leviter cavo, ut aliquam capitis humeri particulam recipere poſſit, hęc extremitas inſerenda eſt ſub alam humeri luxati, inter coſtas & caput humeri, reliqua vero tabula, per longitudinem brachii interna collocata, ligari debet, primùm quidem ſtatim ſub capite humeri luxati, deinde ſupra cubitum; poſt ad carpum: ſic ergò tabulâ brachio affixa, reponimus humerum, ope aliorum inſtrumentorum, qua trium ſunt generum. Primum inſtrumentum fit è duabus columnis, & trabe tranſverſa, alligata ipſis columnis, quę trabs non erit rotunda, ſed ejus figuræ; cujus eſt tabula, major tamen, quoniam totum corpus debet appendi huic trabi tranſverſę.

Ad hanc trabem collocetur humerus luxatus, ut trabs ſit inter coſtas, & tabulam brachio alligatam; tamque altè alligetur columnis, ut patiens vix ſummis pedum digitis terram attingat, ſic collocato ægro, chirurgus ex una parte brachium deorſum trahet ex altera miniſter cervicem, & ſummum humerum amplexus, ægrum ſimiliter deorſum trahet. Dum chirurgi brachium deorſum trahunt; tabula etiam, unà cum brachio, ad coſtas trahitur; ubi autem inferior tabulæ extremitas ad coſtas adducitur, ſuperior rotunda pars facit motum contrarium, ita movet caput luxatum ad partem anteriorem, à quo motu facilè poſtmodum muſculi trahunt, aut ipſe chirurgus impulſum faciens reponit hoc modo caput oſſis.

Alterum inſtrumentum eſt ſedile Theſſalicum; qualia ſedilia in noſtris etiam regionibus fiunt, quorum reclinatorium eſt planum; ſupra hoc reclinatorium collocatur brachium, cum alligata tabula, & os reponitur, eo modo, qui in trabe tranſverſa explicatus eſt, Tertium inſtrumentum, eſt janua biforis brachium igitur; cum tabula alligata collocabitur ad tranſverſam illam tabulam, quæ conſiſtit in janua bifori, eo modo, quem jam attigimus in trabe tranſverſa, & ſedili Theſſalico.

Hi ſunt omnes decem modi, quibus reponitur humerus in alam luxatus; pręter quos & ſcamno utebatur Hippocrates, ubi majori opus erat robore.

Si humerus in partem anteriorem luxatus reſtituendus, faciendus eſt motus contrarius; & licèt membrum brevius non ſit redditum, quia tamen caput explicamus, & ſolvimus, efficienda eſt aliqua extenſio, ſed modica.

In genere autem ſciendum, ſi recenter humerus ſit luxatus, ipſis etiam digitis facilè reponi poſſe; at cùm vetuſta eſt luxatio, difficillimè reponitur; quia humerus firmam ſibi fecit ſedem, ita ut callo etiam quodammodo obduruerit, præterea cavitas ipſa carne repletur, quæ os etiam repoſitum, nihilominus è proprio ſinu prolabi cogit.

Repoſito humero, eum deligare debemus, ante de-

ligatio-

ligationem autem imponenda quæ phlegmonem arcent, & simul laxata, distortaque ligamenta conjungunt; ut sunt ea quę supra proposuimus, bolus Arm. sang. drac. myrtilli, balaustia pulverizata, ovi albumine subacta ad mellis consistentiam, & cum stupa, aut linteis imposita. Debet autem in humeri articulo pila confici è linteis convolutis, aut è stupa, quæ medicamentis modò dictis infecta, sub ala ponenda; ne humerus, propter gravitatem, & ligamentorum laxitatem, rursus descendat; postea linteum latius, vino nigro austero expressum imponitur. Tertio loco fascià circumducitur, quæ pilam constringat, & brachium semper sursum trahat, vel saltem conservet, primum ergo media fascia pilam apprehendet, & circumvolvetur semel, aut bis circa articulum; post ambo capita circumvolventur ad cervicem alterius lateris, exactis tribus, vel quatuor diebus, solvenda fascia, & si timor inflammationis non præterierit, aut ligamenta nondum perfectè adstricta sint; renovandum simile medicamentum, donec timor inflammationis recesserit, & ligamenta roborata sint; tunc enim abjectâ & fasciâ, & medicamento proposito; apponitur aliquod ceratum, hyeme quidem, barbarum; æstate verò, diapalma.

Cap. 5. *De Cubiti Luxatione.*

CUbiti articulus difficillimè luxatur, & reponitur, secundùm Hipp. Lib. 2. de artic. Gal. lib. 1. de fract. primùm, quia est multiformis, & varius, non rotundus; secundò, ossa articulum componentia, vicissim se mutuò suscipiunt, unde hic articulus dicitur ginglymoeides, quod factus sit ad formam cardinum, tertiò ligamenta hujus articuli sunt arctissima, postremò ossa non sunt duo, ut in plerisque articulationibus, sed tria, cubitus, radius, humerus, quæ mutuo membranosis ligamentis sunt connexa.

Nisi autem citissimè reponatur luxatus cubitus, vehementissimus sequitur dolor, quia caput ipsius prægrande comprimit musculos circumjacentes, & nervos ad manum excurrentes; alta quin etiam, acutaque ipsius supercilia easdem partes pungunt; præterea radius dolorem auget, si enim consequatur, fiunt aliæ compressiones; si non consequatur, fiunt multę distensiones, nervosorum corporum distractorum, dolorem hunc sequi solent febris, bilis vomitus, torpor, &c.

Cubitus luxatur ad partem anteriorem, vel posteriorem; ad exteriorem, vel interiorem, & radius vel subsequitur vel subsistit.

Si radius subsequitur, tactu sentitur distractio radii à cubito. Si laxetur cubitus in partem anteriorem, signa hæc sunt, extremum cubitum flectere non possumus; brevior cubitus redditur, tumor insolitus apparet in parte anteriori, & cavitas insueta in posteriori, & motus cubiti impediuntur. Si luxatio facta sit ad partem posteriorem, signa sunt eadem, nisi quod tumor apparet in parre posteriori, sinus in anteriori. Si luxetur in partem exteriorem, eadem sunt signa, sed tumor in parte est exteriori, cavitas in interiori.. Si luxetur in partem anteriorem, contrà.

Celerrimè luxatus cubitus est reponendus; aliàs enim propter dolorem, magna oritur inflammatio, ob quam cubitus luxatus celeriter callo obdurescit, resoluta materia tenuiore; maximè, quia cubitus excarnis est, nervosus, frigidique temperamenti; induratus autem cubitus reponi nequit, nisi prius remolliatur supradictis remediis.

Si ergò cubitus luxatus sit in partem priorem, primùm extensio fieri debet in congrua figuratione, non in directum, sed in obliquum; ne in humeri caput attingat κορώνην, est id altum cubiti supercilium, & hoc per circumrotationem rumpatur; his factis, cubitus luxatus in partem priorem, reponitur quatuor modis. Primùm enim; si imperfecta sit luxatio, solo cubiti inflexu subitò reponitur, secundò, in perfecta luxatione, fieri debet extensio; deinde aliquod durum, rotundum corpus, è linteis convolutis, apponetur ad cubiti flexuram; tum inflectetur cubitus. Extensio fiet à duobus ministris, quorum unus sursum trahet humerum, alius cubitum deorsum, sed obliquè corpus autem illud rotundum, ad cubitum positum, comprimi debet, ut facta inflexione fiat repositio, tertiò, duo ministri similiter extendent; habena verò ponetur ad cubitum luxatum; & infrà tam longa ligabitur, ut pes chirurgi possit ei, tanquam stapedibus inniti. Facta igitur extensione, & habenâ deorsum tractâ à pede chirurgi; postea chirurgus manus apponet ad ipsum cubitum, & retrò comprimens, hunc inflectet; sic enim reponetur. quartò, manibus solis hoc etiam fieri solet; facta enim extensione; apprehendendo hinc humerum, & hinc cubitum, cubitus debet inflecti, & in propriam sedem impelli.

Si luxatio fiat ad partem posteriorem, obliquè facta extensione, facilè solis manibus luxatio recens reponitur; & quia extensio in hoc casu, difficilis esse solet, quoniam musculi extendentes cubitum exterius validissimi sunt, chirurgi manus inungendę erunt oleo; ut musculi magis fiant sequaces; & si robur manuum, in reponendo cubito, non sufficit, utemur etiam organis, ut scalâ, scamno Hippocratis, &c. Si cubitus prolabitur in interiorem, aut exteriorem partem, factâ extensione, fiat impulsus cubiti in partem contrariam.

Repositione facta, imponenda sunt medicamenta, quæ dolorem leniant, ligamenta laxa, & distorta contrahant, ac constringant, inflammationem arceant; quorum primum sit ex oleosis, reliqua adstringentibus, ubi videndum quid magis urgeat. Si dolor adest, cum pulveribus adstringentibus, & ovi albumine, miscendum est oleum myrtinum, aut rosaceum, vel utendum est cerato rosaceo, inducto linteo latiori; deinde apponi debent stupæ, oblinitæ medicamento è pulveribus adstringentibus, ovi albumine subactis, post congrua facienda deligatio, similis ei, quam suprà in fracturis proposuimus, semper mediam observando figuram.

Cap. 6. *De Radii luxatione.*

RAdius prolabi solet, potissimùm ad partem exteriorem. Signa sunt, quod in exteriore parte tumor apparet, cubitus, & radius invicem dehiscunt. Facta extensione, propellitur intro facilè.

Cap. 2. *De Luxatione Carpi, seu Manus, itemque Metacarpi, & Digitorum.*

CArpus in se totus consideratus, & cubito toti per diarthrosin connexus, potest excidere ad interiora, exteriora, anteriora, posteriora, potissimùm tamen ad anteriora; tunc signa sunt, tumor in partibus anterioribus, digiti non possunt flecti. Si luxatio fiat ad postetiora, digiti non possunt extendi; quia tendines, & nervi ab ossibus comprimuntur. Si luxatio fiat ad interiora, vel exteriora, tumor in ea parte, & sinus in opposita apparet.

Quod si ergo facta sit luxatio in partem anteriorem, aut posteriorem, manus ponatur in tabula, supina, si luxatio ad anteriora, prona, si ad posterio-ra

ra facta est; dein fiat extensio à duobus ministris, trahentibus hinc inde, tum brachium, tum digitos. Dum fit extensio, chirurgus articulum luxatum impellere debet ad partem contrariam, vel manu, vel, in robustis corporibus, calce pedis premendo. Celsus corpus aliquod durum, è linteis confectum, ad luxationem apponit, ea parte, qua premendum maximè est, ut sic robustior fiat intrusio, & minor dolor. Si luxatio fit in partem exteriorem, vel interiorem, facta extensione, chirurgus impellere debet in partem contrariam.

Luxatio ossium carpi, aut metacarpi, in illa, nulla facta extensione; in hac, modica facilè reponitur, manu collocata in tabula, & supposito corpore duro, sicque manu, calce aut ossibus in loca sua protrusis, vel anterius, vel posterius.

Digiti luxantur in partem anteriorem, posteriorem, ad latera. Signa sunt manifestissima quia articuli admodum sunt excarnes. Facta extensione super tabula à duobus ministris, facilè os in contrarium impellitur, facta repositione, imponenda medicamenta, membrum deligandum, & deponendum, &c.

Cap. 8. *De luxatione Femoris.*

FEmur habet caput rotundissimum, longę cervici adnatum, quod in sinum profundissimum inseritur. Alligatur autem femur cum suo sinu, ossis coxendicis duobus ligamentis, altero orbiculari, altero rotundo; hinc apparet solùm perfectam luxationem in femur cadere, non imperfectam, nisi sit causa externa, ut etiam supra de humero luxato diximus. Prorumpit femur ad partem anteriorem, posteriorem, exteriorem, interiorem; hoc tamen fit difficulter; primò propter musculos robustissimos, & propter copiosam musculorum carnem, quæ femur in proprio sinu conservat, secundò, propter profunditatem acetabuli; tertiò, propter duo ligamenta arcta, & brevia. Raro luxatur femur in partem priorem, & posteriorem; quia in his partibus supercilium acetabuli est altius; sæpe in exteriorem, quia hic minùs altum; sæpissimè in interiorem; quia hic minimè altum; præter verò supercilium, ego ligamentum addo rotundum, quod magis proximum est parti internæ, & proinde faciliùs permittit, ut femur luxetur in partem internam.

Si interius luxetur crus, longius altero apparret, capite f. femoris descendente, genu item in exteriorem partem prominet, sicut etiam tibia, & pes; semper enim, si alterum extremum in partem aliquam elabitur, alterum extremum in oppositam declinat; unde si caput femoris interiùs dimovetur, genu, pes, tibia in partem exteriorem inclinat; præterea crura non possunt inflecti ad inguina, quia musculi flectenres sunt constricti, & impediti, quò minus possint ipsum femur attollere, & inflectere. Alterum signum est, quod è regione, quę est inter anum, & testes, tumor manifestus apparet, in exteriore parte sinûs. Si femur exteriùs prolabatur, signa sunt contraria; nam crus est brevius altero; quoniam caput elatius est ipso sinu; inter scrotum, & anum, pars in sinum dehiscit, juxta verò clunes, in tumorem attollitur, genu, pes, tibia interiùs spectant; ęgri crus sursum trahere possunt, quia musculi flectentes non sunt impediti, calx terram non contingit, sed planta ima, quia crus brevius est redditum. Si in priorem partem elabatur femur, crus extentum flecti non potest, propter flectentes musculos impeditos, & compressos à capite femoris, urina his supprimitur, quoniam caput femoris premit vesicam; inguina intumescunt; eò quod caput femoris in eam partem promotum est; nates rugosæ, & excarnes apparent; quia femur totum, unà cum processibus, promotum est ad partem anteriorem. Si in partem posteriorem promoveatur femur contraria adsunt signa; crus extendi non potest quia musculi extendentes, qui sunt in posteriori parte, comprimuntur, unde ad propria principia trahi nequeunt, deinde crus affectum redditur brevius altero crure; quoniam sinus consistit in inferiori parte, caput in superiori; calx terram non contingit, inguina laxiora apparent, & per nates caput femoris eminet.

Femur luxatum, difficulter admodum reponitur; quia propter robustissimos musculos extensio fieri non potest; & augetur difficultas, si luxatio non sit recens, quę callo obduruerit, propter humores circa caput femoris affluentes, & propter repletionem ipsius sinus; repositum etiam femur facilè rursus excidit, propter musculos, jam imbecilles redditos, ut ponderosum femur in sua sede continere nequeant, propter ligamentum etiam teres laxatum, vel ruptum.

Reponi femur potest, vel sine extensione, vel cum extensione. Sine extensione, duobus modis; qui tum locum non habent, nisi recentissima sit luxatio, & modica, id est, parum distans à proprio sinu, ac nisi sit in corpore puerili. Primus modus est, ut circumrotetur caput femoris circa illud; quemadmodum etiam in luxato brachio diximus, nec ab hoc separetur, nisi in sinum perveniat: at hic modus non est tutus; quia metus est ne caput cum supercilio attritum, retundatur, aut frangatur. Alter modus est, ut subitò femur flectatur; nam & sic aliquando reponitur secundùm Paulum, cap. 98. lib. 6.

Meliùs autem reponitur femur cum extensione. Si ergo femur in partem interiorem sit prolapsum, licèt extensione non videatur opus, cùm longius crus sit redditum non brevius, ut in aliis luxationibus, in quibus musculi moventes caput ossis longè supra hoc habent originem, ideoque caput sursum trahunt, nihilominus modica fieri debet extensio, quanta nimirum sufficit ad caput fixum dimovendum, & extricandum. Manibus hæc fiet; si sit recens luxatio, si modica, & in corpore puerili; hoc autem instituetur modo; alter minister apprehendat corpus ægrotantis sub axillis, & firmiter teneat, alter supra genu ambabus manibus ipsum apprehendat, & extendat: interim, dum fit extensio, chirurgus femur ad interiora prolapsum impellat manibus ad exteriora, sic extricatum caput, beneficio hujus impulsionis, sursum trahentes musculi, facilè in suum sinum reponent; vel, si debiles sint musculi, facilè chirurgus hoc præstabit. Si corpus non sit puerile, sed robustum, majori egemus extensione; quæ fit habenis, funibus, habena igitur ponenda est in spatio illo, quod interjacet inter genitalia, & anum; ita autem aptanda est habena, ne comprehendat caput ossis; deinde alia habena alliganda est supra genu, aut etiam alia supra talum, & hæ habenæ duobus capitibus trahendæ, vel manibus tantùm, vel etiam scalâ, cujus uni gradui superior habena alliganda, & ęger in scala collocandus; altero verò habena deorsum trahenda: possumus etiam uti scamno Hippocratis; hæ tamen valentes extensiones potiùs locum habent in aliis femoris luxationibus, ubi in partem exteriorem, anteriorem, vel posteriorem luxatur; tum enim facta extensione, & capite in partem contrariam impulso, à Chirurgo facilè reponitur. Post repositionem, apponenda medicamenta, quę phlegmonem arcent, dolorem sedant, laxata ligamenta constringunt, & roborant, &c.

Cap. 9. *De Luxatione Genu.*

GEnu non adeò facilè excidit; quia duo habet ligamenta caput, & sinum duplicatum. Patitur autem imperfectam, & perfectam luxationem & labitur ad partem exteriorem, interiorem, & posteriorem: Solus Celsus addit anteriorem, ad quam tamen difficulter genu luxatur, propter patellam, quæ vallidissimis alligata tendinibus, mirificè genu firmat in partibus anterioribus ut ad has non prolabatur, nisi adsit causa violentissima.

Species autem hujus luxationis patent oculis, maximè; quia locus est excarnis, apparet enim tumor in loco insolito, sinus in loco contrario; figura depravatur; motus debilitantur; & pereunt.

Si luxatio sit imperfecta; nulla aut exigua requiritur extensio, sed solùm impulsio ad partem contrariam, si perfecta, extensio est necessaria; quę fiet manibus in recenti luxatione, & puerili ætate; minister trahat in superiori parte, alter sub genu, ad pedem; Chirurgus verò os impellat ad partem contrariam. In homine adulto, & magna luxatione opus est habenis; vel etiam machinamentis, præcipuè quę deorsum trahunt, & sufficientem efficiunt extensionem, &c.

Cap. 4. *De Luxatione Tali, seu Articuli pedis, & Digitorum.*

Articulus hic potest erumpere in partem interiorem, exteriorem, anteriorem, & posteriorem, si in partem interiorem, ima pars pedis in exteriorem partem convertitur: si in exteriorem contrà. Si in priorem, tunc latus ille, & robustissimus tendo in calcaneo durus evadit, & intentus; præterea pes minor fit; quia tibia, & articulus promovetur in partem priorem, & multam pedis partem occupat, unde pes fit minor, & brevior.

Si in posteriorem calx pene reconditur; quia articulus ad calcem elapsus est, prætęrea planta major fit, & pes videtur longior evadere, si hæc signa sunt manifesta; perfecta est luxatio; si obscuriora, imperfecta.

Curatio non est difficilis, si debita adhibeatur, extensio; manibus quidem in luxatione recenti, & corpore puerili; minister alter pedem manibus apprehendat, alter tibiam supra pedis articulum; & extendat; Chirurgus autem in partem contrariam impellat; si manibus non potest fieri proba extensio, utimur habenis, in pede, & tibiis supra talum, in parte tenuiori. Si valentissima, requiritur extensio, uti possumus scamno Hippocratis; aut eo modo, quem Paulus præscribit, lib. 6. cap. proprio.

Facta repositione, diutiùs est æger in lecto continendus, quàm in aliis luxationibus, nimirum per quadraginta dies; quia talus totum corpus gestat, ideòque nisi perfectè restituatur, id est, nisi ligamenta laxiora reddita, & musculi distenti pristinum acquirant robur; vel ægri in eandem luxationem recidunt, levi de causa; vel longo tempore pedem admodum debilem sentiunt. Oportet ergo uti pulveribus adstringentibus, ovi albumine subactis, & stupâ exceptis, circaque articulum impositis, si dolor adsit, etiam hunc lenientia requiruntur. Ossa pedii, & tarsi tam robustè alligata sunt, ut nunquam patiantur luxationem. Ossa verò digitorum pedis rarò luxantur; quoniam multis, & iis validissimis ligamentis suffulciuntur; multis etiam tendinibus, reponuntur autem, ut in manu supra Cap. 7. docuimus.

Hactenus Hieronymus Fabricius ab Aquapendente. Sequatur jam Joh. Municks.

DE LUXATIONIBUS,

Cap. I. *De Luxationibus in genere.*

I. Quemadmodum in *Fractura* ossium solvitur continuitas, sic in *Luxatione* eorundem separatur contiguitas. *Luxatio* namque, sive *Exarticulatio*, Barbaris *Dislocatio* dicta, nihil est aliud, nisi *Ossis è sua sede in alienam Prolapsus, quo motus arbitrarius impeditur.* Propriè tamen *Ea* locum habet iis in ossibus, in quibus reperitur structuræ ratio talis, quæ ad motum manifestum est comparata; uti sunt omnes articuli per diarthrosin conjuncti: videmus enim, quoties è sede sua excidunt ossa, motum articuli perire. In ossibus verò per synarthrosin conjunctis, in quibus nullus adest sensui manifestus motus, non quidem ille aboletur, sed propter tendinum ligamentorumvè compressionem oritur dolor, & actio partis impeditur, exemplo sint ossicula in carpo, & tarso.

II. Dupliciter autem luxari ossa contingit, secundùm magis & minus. Illa species perfecta est, osse extra suum locum planè collocato, quæ idcircò ἐξάρθρημα Gręcis vulgò *Luxatio* seu *Dislocatio* dicitur. Hęc verò imperfecta, quæ παράρθρημα Latinis *Subluxatio* nominatur.

Perfecta ergò Luxatio est, quum ligamenta ità relaxantur, vel dirumpuntur, ut os extrà cavitatem suam planè deturbatum, & in alieno, nec consueto loco situm sit. Imperfecta verò dicitur, quum os è proprio loco non prorsus dimotum est, sed partim extrà manet, partim intrà, sinus seu acetabuli margini insistens. Id quod accidit, aut quia violentia non valdè magna fuit, aut quia ligamenta firma solidaque reperta sunt, nec admodum relaxata, sed violentiæ quodammodo restiterunt. Pertinent huc *Distorsio*, *Perversio*, & *Relaxatio* seu *Elongatio*; viz. cùm laxatis & longioribus factis ligamentis, articulus quidem secundùm longitudinem à sua sede quodammodo recedit, non tamen è toto excidit.

III. Verùm præter duplicem hanc, perfectam & imperfectam luxationem, sunt & tria alia luxationis genera viz. in partem superiorem, vel inferiorem, & ad latus, quæ probè cognosci ac considerari debent, ut in proprium, naturalemque locum reduci ac restitui possint.

Adhæc aliæ Luxationes simplices sunt, alię compositę. Simplices dicuntur, quæ nullam aliam affectionem conjunctam habent. Compositę verò, quibus unus vel plures affectus sunt conjuncti; ut cùm ad luxationem vulnus, fractura, inflammatio, abscessus, vel aliud quid accesserit.

Denique & differunt Luxationes ratione causarum, quod nunc fiant à causis externis; casu, ictu, saltu, violenta membri distorsione: nonnunquam ab internis; humoribus puta affluentibus.

IV. Enimverò Luxationum Causa duplex est, externa & interna. Externa luxationum causa, est casus, ictus, saltus, extensio & motus partis violentus, aut quidvis aliud ejusmodi, quod vel ligamenta disrumpit, vel extendit & relaxat, adeoque violenter os sede suâ movet & expellit.

Interna causa, est humor ad articulum affluens, & ligamenta laxans, qui sensim adauctus, ossis caput tandem forâs trudit.

V. Dignoscitur autem Luxatio visu & tactu. Tumor enim in ea parte in quàm ossis caput excidit, appareat; cavitas verò in loco, è quo prolapsum est: idque eo faciliùs deprehenditur, si corpus non admodum crassum & pingue sit, aut locus excarnis. Deinde perfecta si sit luxatio, membrum brevius redditur: quia prolapsum è sede sua os, cùm resistentiam non habeat, sursum trahitur à musculis, nisi ingens ligamentorum laxitas in causa fuerit, quod ultrà modum elongetur. Sed cùm luxatum membrum semper sano dissimile sit, in situ, figura & longitudine; cum sano & integro id comparandum, ut brachium cum brachio, crus cum crure in eodem homine. Insuper cùm articulationes propter motum factæ sint, si ossis caput è naturali sede excidat, motus articuli læditur; hinc ubi luxationis suspicio est, motus tamen non læditur, luxationem nondum factam esse concludendum. Tandem quia è sede sua elapsum os partes sentientes, in quas prolapsum est, tendines puta, nervos, musculos comprimit, magnus

magnus inde excitatur dolor. Sin verò saltem sit Subluxatio, symptomata hæc remissiora sunt, aut quædam eorum absunt.

VI. Prognostica Luxationis Signa sunt, ex quibus vel periculosam & curatu difficilem, vel lethalem esse luxationem deprehendimus. Hæc ex articulorum figura, item ex luxationis magnitudine, & causis: nec non morbis luxationi conjunctis, ac symptomatibus ei supervenientibus; denique ex luxationis tempore atque ex corporis habitudine, desumuntur. Ossa itàque facilius vel difficilius luxantur & luxata facilius vel difficilius in pristinam ac naturalem sedem restituuntur, vel ob majorem aut minorem sinûs cavitatem, vel ob ligamentorum ac musculorum validitatem aut laxitatem. Quibus igitur membrum robustum, ac ligamenta valida sunt: articulus minus facilè excidit, & difficilius reponitur; ac repositus validius continetur. At quibus membrum imbecillius est: corpusque mollius, & ligamenta infirma, facilius elabitur, faciliusque restituitur; verùm restitutus minùs fideliter continetur. Hinc in corpore puerili & tenero ossa luxata facilius restituuntur; restituta tamen minùs facilè retinentur. Contrarium accidit in adultis & corporibus robustioribus. Similiter illi articuli, qui profundiori sinu reconduntur: pluribusque ligamentis fulciuntur, difficilius luxantur, & luxati difficiliùs in pristinum locum restituuntur. E contrario, qui planiori sinui articulantur, paucioribusque ligamentis fulciuntur, facilius luxantur, luxatique facilius in pristinum locum restituuntur. Insuper quò longiùs à suo sinu articulus excidit, eò difficilius restituitur; quò propiùs eò citius.

Luxationes, in quibus ossium margines, sive cavitatum supercilia abrumpuntur, pessimæ sunt, quoniam suo loco etsi restituuntur articuli; tamen non diu persistunt, sed levissima de causa iterum excidunt. Haud secus qui ob ligamentorum laxitatem elapsi sunt articuli, licet reponantur, tamen rursum facilè elabuntur.

Luxationes quibus dolor ingens, inflammatio, aut vulnus accidit, curatu sunt difficiles, nec periculo carent, & sine convulsionis, imò mortis periculo restitui non possunt. Monet quoque Hippocrates, quod, si febris articuli repositionem antevertat, nullum luxatum articulum in suam sedem compellere conveniat.

Vetustæ item luxationes: & quę jam callo obduruerunt, & in quibus lentus humor articuli cavitatem replevit, nunquam, vel saltem difficillimè sanantur. Omnis ergò luxatio statim reponenda est.

Cap. 4. *De Luxationum Curatione.*

I. Igitur in omni Luxatione Curanda, Communis est est Indicatio, scilicet *Luxati & suo loco moti Membri in propriam & naturalem sedem Reductio*; quam operationem ἀρθρεμβολον Græci vocant. Hanc si cum fructu exercere desiderat, is in primis omnium in corpore humano articulationum naturam novisse debet: Etenim per illam viam per quam exiliit, in suum locum reducendum est os, quod sede motum fuit. Huic autem reductioni inserviunt quatuor operationes; Extensio viz. Repositio, Deligatio ac membri repositi Collocatio. Enimverò luxatum membrum, haud secus ac fractum, tum ob tendinum contractionem, tum quoque ut ossis caput suæ sedi è directo opponatur, est extendendum.

II. Fiat verò *Extensio* statim post luxationem factam. Quod si propter Chirurgi absentiam statim fieri non possit, fiat die etiam secundo vel tertio, nisi ob accedentem inflammationem desistere cogamur; die autem quarto propter exacerbationem nihil tentandum: observatum enim, quod si tentetur extensio, restitutio feliciter non succedat, sed multa eam sequantur incommoda. Unde Fallopius *Lib. de Luxationibus cap.* 3. „ moneo vos, *inquit*, ut habeatis semper rationem temporis, ad summum non excedentis diem tertium, & si tertius dies esset pręteritus; expectandus est terminus inflammationis, & tempus, usque quo periculum non sit de inflammatione, estque, monente Hippocrate *Lib. de Articulis*, dies septimus. Et Tagaultius *Lib.* 5. *cap.* 4. hanc sententiam confirmat hisce verbis: „ si antequam ad luxationem voceris, pars „ luxata dolore infestetur, aut inflamatione occupetur, non „ priùs eam in suum locum reponere tentabis, quàm dolor „ finitus fuerit, & inflammatio conquieverit. Si enim mem„ brum dolore aut inflammatione affectum distendendo la„ cessiveris, periculum est, ne convulsio, aut aliud pravum „ symptoma suscitetur. In similia verba erumpit Ambrosius Parǽus, cum *Chirurg. lib.* 15. *cap.* 5. sic inquit „ om„ nis luxatio restituenda est antequam inflammatio vene„ rit: quòd si jam illa adsit, de tollenda sollicitum sta„ tim Medicum esse oportet, de cætero Ægrum quies„ cere; ne si irritetur malum, doloris exacerbatio, convul„ sionis, gangrænæ, & tandem mortis adferat consecutio„ nem; ut aliquandò à se observatum refert. Ergò ubi inflammatio, & alia prava symptomata sedata & correcta fuerint, tum demum aggredienda luxationis restitutio est, si præsertim corporis & membri affecti habitus eam admittere possit. Adstipulantur Joh. de Vigo *lib.* 6. *cap.* 1. Anton. Chalmæteus *Enchirid. lib.* 4. *cap.* 2. Scultetus *Armam. Chir. tab.* 28. & alii. „ Non sine causa gravissima Celsus *lib.* 8. *cap.* 11. & alii (inquit Fabritius Hildanus *Cent.* 2. *Obs.* 40.) monent, in Dislocationibus, quicquid suo loco motum „ est, ante inflammationem reponendum esse. Sin illa „ adfuerit, quiescere oportere, nec membrum lacessere, „ usque dum inflammatio finita sit. Qui secus faciunt „ non leviora symptomata, imò & mortem nonnunquam „ inferunt; uti variis exemplis ibidem affirmat. Itaque si primis tribus diebus fieri non possit extensio, expectandum usque ad septimum aut octavum diem. Sed antequam tunc fiat extensio, quia callus intereà generari incipit, præparandus est articulus ad indolentiam, & facilitatem restitutionis, calefaciendo, emolliendo, & laxando partes articuli; musculos nempe, tendines, & ligamenta: si namque partes hę emollitę sint, faciliùs & minore cum dolore extenduntur. Hæc autem articuli emollitio fit per *Fotum plurima Aqua Tepida*, vel *Decoctionis Malvæ, Althea, Violaria, Florum Camomilla, Meliloti, & similium.*

Cæterùm Extensio hæc fit, vel solis Manubus Chirurgi, aut ejus ministrorum; isque modus Palæstricus appellatur, quia in palęstris luctantium membra luxata simplicissimo hoc modo reponebantur; atque convenit in mollibus corporibus, & ubi luxatio levis ac recens est; vel laqueis & Fasciis, nec non beneficio Scalarum, Forium, Pistillorum, Instrumento Hippocratico ἄμβη dicto; qui modus Methodicus nominatur, & convenit pueris, fœminis, & masculis jam robustioribus, & luxationibus mediocribus, non admodum levibus: vel Organis seu Machinis perficitur majoribus, & Organicus dicitur, ac adhibetur cùm difficilima & inveterata sit luxatio. Hac de re consule Hippocratem *Lib. de Fracturis, & Articulis.* Oribasium *Lib. de Machinamentis*, Hildanum *Cent.* 5. *Obs.* 69. & 86. Scultetum *Armam. Chir. tab.* 21. *fig.* 1. & 3. *tab.* 22. *fig.* 1 & 4.

Quocunque autem modo luxati membri Extensio fiat necessum est eousque fieri, ut inter ossa liberum aliquod spatium relinquatur, ne in repositione ossis caput atteratur, & sinûs supercilia frangantur, unde symptomata gravia, & sępè incurabilia eveniunt. Insuper in Extensione membri commoda figuratio observanda; rectitudo viz. tum ratione ossium, tum ligamentorum, & musculorum. Servatâ namque harum partium rectitudine, minore cum dolore & difficultate succedit extensio.

III. Extensione sufficiente factâ, os, quod proprio sinu exciderit, vel restituendum per circumgyrationem, vel

vel placidè ab ea parte, qua fuerit prolapsum, in contrariam impellendum, & tandem minimo, quàm fieri potest dolore in proprium sinum *Reponendum*, ne fiat contusio, vel attritio capitis & sinus inter se. Hi verò motus non semper necessarii sunt; nam interdum, ubi extensio facta, si musculi priùs contracti tantùm remittantur, facilè suâ sponte articulus in locum naturalem redit.

Quòd si & luxatio imperfecta, & os ex sinu seu acetabulo prorsus excussum non sit, necesse non est membrum extendere; sed illud movendo & agitando leniter & aptè in sedem naturalem, rectà propellendo, vel placidè circumgyrando, manu dirigatur ac restituatur.

Articulum autem rectè repositum esse cognoscitur, primùm ex naturali membri figura, quando nulla cavitas nullusque circa articulum tumor apparet, quemadmodum ante restitutionem, sed in omnibus similis est sanæ parti, aut parum admodum abest propter influxos humores, quumque motum amissum reductum membrum recuperaverit, deindè ex doloris remissione, quæ signum est inseparabile: semper enim dolor sedatus indicat restitutum esse articulum, licèt reducto membro interdum & dolor remaneat, quod priùs valdè læsi sint musculi.

IV. Reposito verò in sedem articulo, membrum ita firmandum, ut articulus iterum ex sua sede egredi non possit, cùm ob ligamentorum ac tendinum laxitatem facilè prolabi soleat. Id autem perficitur eodem ferè modo, ac in fracturis: primò enim antequam deligatio instituatur, Medicamentum apponatur, quod influxum humorum & inflammationem prohibeat, & laxata ligamenta adstringere, partemque roborare queat; quale est *Oxycratum*, vel *Vinum Rubrum Adstringens*. Hinc convenienter membrum deligandum per fascias & Splenia, quarum beneficio in orbem munienda est articulatio, donec ligamenta debitum robur & adstrictionem acquisiverint. Ità tamen administranda *Deligatura*, ut articulus in sua sede conservetur, ac humorum affluxus prohibeatur. Sique opus sit, & membri figura ac ratio id patiatur, Etiam Ferulæ è densa charta, vel corio, vel alia conveniente materia imponendę.

V. His peractis *Collocetur* membrum molliter ac æqualiter, tali figurâ, quæ ipsi sano naturalis sit, non dolorosâ, nec lassitudini obnoxiâ. Et si pruritus, vel dolor, aliavè symptomata non urserint, deligatio haud solvatur ante diem quintum, sextum, aut septimum: tunc enim laxatis fasciis, & pruritu, ob detentos vapores excitato, solvendę fasciæ, parsque pruriens *Aquâ Tepidâ* perfundenda, ut apertis leviter poris detentæ fuligines transpirare queant, adeòque pruritus mitigetur. Quòd si pruritus non sit molestus, à fotu hoc abstinendum. Hinc factâ molli Frictione, articulus leniter & hanc ad illam partem movendus, ne concrescente in articulo humore, tendinibus ac ligamentis rigiditas tandem inducatur. Deindè impositis Spleniis *Oxycrato*, aut *Vino Rubro Adstringente* madidis, membrum ut prius deligetur; sed primâ paulò arctior sit secunda deligatio. Atque ita porrò procedendum, donec membrum satis videatur robustum; quo tempore solvendum, & Ægrotanti præcipiendum ut consuetas operationes moderatè exercere incipiat.

VI. Verùm accidit nonnunquam, ut Luxatio non sit sola, sed aliis insuper affectibus præter naturam; dolor puta, inflammatio, vulnus fractura, conjungantur. Sin ergò, antequam Chirurgus vocatur jam dolor & inflammatio partem affectam prehenderit, articuli luxati restitutio non tentanda, nisi dolor & inflammatio sedata fuerint. Si enim antequam hoc factum fuerit, ea tentetur, metuendum est, ne ex tendinum & ligamentorum distensione Convulsio, vel aliud periculosum symptoma oriatur. Quamobrem nec extensio, nec aliqua alia operatio locum habet; sed in medio, minimèque doloroso situ pars affecta deponatur, & Sectâ Venâ, alvoque Clystere laxatâ, ei apponatur *Vinum Rubrum adstringens*, vel Epithema ex *Aq. Fl. Sambuci, Aceto Rosaceo, Vino Rubro, &c.* v. gr.

℞. *Aq. Flor. Sambuci* ℥vij. *Aceti Rosacei* ℥iß. *Vini Rubri Adstringent.* ℥iij. *Camphoræ* ʒiß. *Sacchar. Saturn.* ℈iß. *M. pro Epithemate.* Vel circumjiciatur Fomentum ex emollientibus, dolorem sedantibus, & leviter resolventibus; ex *Malva, Althæa, Parietaria, Floribus Camomillæ, Sambuci, Rosar. Rubr. Summit. Anethi, & similibus in Aqua Communi & Vino Rubro Adstringente decoctis.* Sedatâ inflammatione, doloreque mitigato, extendatur, reponatur, deligetur, & collocetur membrum, ut in luxatione simplici.

VII. Sin inflammatio post repositionem succedat, quod non rarò contingit, tum ratione violentæ extensionis, tum doloris perpetui; instituendus est Victus Tenuis, Vena secanda, & Purgans Medicamentum exhibendum, moxque solvenda deligatio, etiam si sit primo vel secundo die, & præscriptum Epithema vel Fomentum imponendum, donec patiens levamen percipiat. Hinc membrum laxius deligetur paucioribus fasciis, idque singulis diebus faciendum, ad inflammationis usque declinationem: qua ablatâ, observetur curandi modus nunc expositus.

VIII. Si Vulnus luxationi accesserit, ita ut articulus vel detectus, vel extra cutem protrusus sit, affectus est admodum periculosus, ac sępè lethalis; cùm ex tendinum ac ligamentorum distensione seu dilaceratione dolor, inflammatio, convulsio, febres acutæ, gravissima adeoque symptomata excitantur; estque eò periculosior, quò membrum majus est, ligamentaque & tendines circa id robustiores, unde humeri ac femoris luxatio cum vulnere plerumque mortem adfert. Eò etiam majus periculum est, quò vulnus articulo propius. Ideòque Hippocrates ossium luxatorum cum vulnere repositionem, eorumque deligationem aversatur, solisque dolorem lenientibus, & inflammationem tollentibus initio uti jubet, nihilque ex his tutò reponi posse putat, pręter digitos, manus, & plantas, atque in his ipsis etiam diligenter omnia peragenda esse præcipit. Neque enim vel digitus in quo minimum periculi est, reponi debet, cùm inflammatio adest, sed vel antequam inflammatio accedit, vel cùm jam sedata est, Multò magis in aliis articulis id faciendum, de quibus omnibus *Lib. de Articulis* §.74.76.77.78. ita inquit: „At verò quibus tibiæ ossibus luxatis, ac ulcere inducto, articuli circa pedem penitùs eminenet, sive extra, tales reponere non oportet, sed permittere ut quicunque velit Medicus reponat. Illud enim clarè scire oportet, quòd homo morietur, si repositi permanserint. Sed & vita paucorum dierum his continget. Pauci enim ex ipsis septimum diem transgrediuntur. Convulsio enim est, quæ ipsos occidit. Sed & cancerari contingit tibiam & pedem. Hęc ita futura esse certò scire oportet. Si verò repositi non fuerint, & ne tentati quidem ab initio, plerique ipsorum superstites evadunt. Eadem ratio est, si cubiti ossa circa manus articulum ulcere facto emineant, sive ad internam manus partem, sive ad externam. Clarè enim nosse id oportet, quod is morietur intrà paucos dies tali morte, qualis antea dicta est, cui reposita ossa permanserint. Quibus autem reposita non fuerint, neque repositio tentata sit, hi multò plures superstites manent. Quibus verò tibiæ os, facto ulcere, circa genu eminuerit foràs, sive ad externam partem, sive ad internam; his, si quis reponat, adhuc promptior mors adest quàm aliis, etiamsi etiam illis prompta aderat. Si verò omissâ repositione medearis, spes quidem salutis hoc solo modo existit. Verùm periculosiora hæc ossa sunt, quantò superiora ac robustiora, & à fortioribus elapsa. Eadem ratio est, & de articulis circà gibbum cubiti, & de cubito ac brachio;

chio: quæcunque enim ex his luxata ulcere facto eminuerint, ea omnia si reposita fuerint mortem inducunt: non reposita spem salutis: claudicationem verò superstitibus. Lethaliores autem sunt superiores articuli, si reponantur. Sed & si non reponantur, periculosiores iidem sunt. At verò quibus articuli digitorum aut pedis, aut manus luxati facto ulcere eminuerint, osse non fracto, sed circà ipsam connexionem avulso, his si repositi permanserint, adest quidem periculum convulsionis, si non benè curati fuerint: attamen operæ pretium est ut repositio fiat, cum prędictione, quod multâ custodiâ ac curâ opus habet. Minimè primi articuli periculosi sunt: superiores autem periculosiores. Reponere verò oportet eadem die aut postridie: tertio aut quarto minimè. Quarto enim die maximè recrudescere solent. Quibus autem non statim repositi fuerint, in his dictos dies transgredi oportet. Quicquid enim intra decem dies repositum fuerit, omne id continetur. Si verò reposito osse Convulsio accedat, articulum statim ejicere oportet, & calidâ quàm sępissimè humectare, & totum corpus, & præsertim circà articulos, calidè & leniter ac molliter tractare. Verùm inclinatum magis quàm extentum totum corpus esse oportet. Exspectandum tamen est, articulos circà digitos, qui reponuntur, abscessuros esse. Quare si non, propter vulgi imperitiam, Medico verenda esset accusatio, nullum penitus reponere oportebat.

Quod autem Hippocrates in solis digitis faciendum consulit, id nos in reliquis quoque articulis facere conabimur, *inquit* Tagaultius *lib.* 5. *cap.* 4. ac statim quidem inter initia, dum pars adhuc inflammatione vacat, prolapsum cum vulnere articulum mediocri extensione (validam enim extra periculum perferre non potest) reponere tentabimus. Quod si juxta animi institutum evenerit, inflammationem solummodo arcere conabimur. Si verò inflammatio, aut convulsio, reposito osse accesserit, rursus id (si modò fieri sine vi possit) suo loco protinus expellendum est. At si hoc quoque periculum metuamus, (non inflammatus articulus sine vi fortasse cedet, & suâ sede iterum propelletur) satius fuerit per initia in majoribus articulis repositionem differre. Ubi verò inflammatio conquieverit, (quod septem aut novem dierum spatio contingit; tunc præfari oportet, quale periculum ex repositione sit secuturum (& si non reponatur, hominem ea parte claudum ac mutilum omnino per reliquum vitæ tempus futurum: dein conabimur sine violentiâ os in suam sedem compellere. Porro ulceris curationem eandem, quæ proposita est in fracturis cum ulcere, administrabimus. Omne autem membrum, quod cum vulnere loco motum, neque repositum est, sic jacere convenit, ut maximè cubantem juvet; tantùm ne moveatur, nevè dependeat. Hęc Tagaultius: cui ut & Hippocrati subscribunt C. Celsus *lib.* 8. *cap.* 24. Galenus *in Hippocr. de Articulis, Vido Vidio Interprete.* Ambr. Paręus *Chirurg. lib.* 15. *cap.* 5. Fallopius *tract de Luxation. cap.* 9. 10. 11. Cæsar Magatus *de Vulneribus lib.* 2. *cap.* 71. Scultetus *Armam. Chir. tab.* 28. & alii plures.

Ubi ergò articulus major reponi nequit, habitâ prius universalium & victûs ratione, membrum sine omni extensione & deligatione in media figura, vel de collo suspendatur, vel leniter collocetur, ut immobile maneat, & dolorem non sentiat. Impedienda interim inflammatio, & convulsio imminens, medicamento dolorem mitigante, leviterque repellente.

Sin verò (majoris pręsertim articuli) luxatio facta sit cum vulnere, tendinibus dilaceratis, ac omnino disruptis ligamentis, atque adeò osse detecto ac extrà cutem protruso, eoque tandem sphacelato, nulla curationis spes est, nisi quod supra luxatum articulum in parte sana membrum exstirpetur. Talem casum nobis videre contingit Anno 1678. in Rustico, cui tibiæ os, ubi talo conjungitur, cum vulnere erat dislocatum atquè disruptis articuli ligamentis detectum & extrà cutem protrusum ac brevi post canceratum. Quem cùm tractarem cum Chirurgo N. van Engelen, suasi mox totius cruris prope genu amputationem, cui consilio cùm Chirurgus obtemperare nollet, putans certò certiùs se hunc affectum curaturum, morbus indies auctus fuit, gravissimaque accesserunt symptomata; ut tandem, cùm præ foribus mors videretur, vocatis insuper Petro VVassenaar Medicinę Doctore, & Petro Curtio Chirurgo fuerit conclusum de cruris prope genu extirpatione; qua sequenti die peractâ Patiens, qui duos pręter propter menses miserrimè decubuerat brevi restitutus est, & ligneo crure instructus etiam nunc inter vivos versatur.

IX. Sed & nonnunquam accidit, ut Luxationi Fractura conjungatur. Quo in casu membrum vulgari modo extendendum, & luxatus articulus in suum locum reponendus, ossa verò fracta conformanda & componenda sunt. Et primò quidem luxatus articulus, si fieri possit, reponendus, deinde fractura curanda, & utrisque conveniens deligatio adhibenda. Quod si ante fracturæ curationem, articulus sine periculo restitui non possit, primò fractura coaptanda; deinde ubi callus generandus est, danda opera, ut etiam articulus luxatus restituatur.

X. Sin verò luxatio vel ob Chirurgi absentiam, vel ob patientis negligentiam, vel ob præsentem inflammationem, aliamvè ob causam statim non restituatur, Callosa circà articulum contrahitur Durities. Estque callosa hęc substantia vel dura ac lapidea, vel non ita dura. Idcirco articulus fovendus, vel *Aquâ Simplici Calidâ*, vel Fotu Emolliente, ac leviter admodum Resolvente, ex *Althæa*, *Malva*, *Violaria*, *Floribus Camomillæ*, *Meliloti*, *Radice Cucumeris Asinini*, *Seminibus Lini*, *Fœnigræci* & *similibus in Aqua Communi decoctis.* Post fotum articulus inungendus Linimento ex *Unguento Althea*, *Oleo Liliorum Alborum*; *Amygdalarum Dulcium*, aliisxe emollientibus.

Tandem ubi quicquid callosum fuerit, emollitum & discussum est, ad partis extensionem, & articuli repositionem deveniendum, atque reliqua facienda & administranda, ut in luxatione simplici. Quòd si, articulo restituto, callus oboritur, Patiens juxtà usum emollientium & leviter discutientium, articulum, quantum possibile, moveat; quo motu callus digeratur.

Cap. 3. *De Luxationibus in specie.*

CÆterùm inter præcipuorum articulorum dislocationes, primo loco occurrit *Maxillæ inferioris Luxatio*, qua & masticatio tollitur, & locutio depravatur. Raro tamen accidit, ut ea luxetur, ob arctissimam ejus cum ossibus temporum per validum ligamentum articulationem, & validissimum musculorum eam sursum trahentium robur.

Hæc autem Luxatio vix aliam in partem fieri posse, quâm anteriorem, ejus cum temporum ossibus articulatio abundè docet. Enimverò in partem posteriorem luxari, non potest, quia temporum ossis processus obstant, idque impediunt; nec facilè dextrorsum, quia sinistrum maxillæ capitulum plurimum impedit: neque etiam sinistrorsum, quia impedimento est capitulum maxillæ in latere dextro. Ergo in partem anteriorem maxilla tantùm luxari solet. Accidit autem ista Luxatio, si processus anterior & acutus infrà os Jugale elabitur, ut eo ita humilior fiat, ut sursum in suum locum amplius redire non possit. Aliàs enim

etsi

etsi processus hic osse zygomatico humilius demittatur, non tamen statim fit luxatio, sed ore aperto suum in locum revertitur. Fit verò ista Luxatio, vel in uno duntaxat latere, cùm solùm pars ejus dextra vel sinistra elabitur, vel in utroque latere simul, cùm tota Inferior Maxilla è sede sua excidit.

II. Causa hujusce Luxationis frequentissima, si non unica, est nimia oris apertio & diductio, quæ plerumque fit oscitando, ita ut processus acutus; qui *Corone* Græcis dicitur, osse jugali humilior fiat, simulque in latus convertatur. Nihilominus tamen ligamentorum laxitas, nec non musculorum debilitas, causæ esse possunt adjuvantes, quod maxilla dislocetur.

III. Maxillam autem è sua sede excidisse cognoscitur, quòd in anteriorem partem promineat, ejusque processus acuti exstent juxtà articulos maxillę luxatos. Si namque processus acutus ex osse jugali excidat, necesse est, ut ibi emineat, quod in homine non ità obeso & visu & tactu facilè cognoscitur. Os manet apertum, unde loquela impeditur, & saliva Ægro invito effluit.

Si ex una tantùm parte Maxilla luxata fuerit, ipsa cum mento in contrariam partem, qua luxata non est, inclinatur, os distorquetur, unde dentes nec committi possunt, nec paribus suis respondent, sed sub incisoriis, canini consistunt: Insuper in parte luxata protuberantia notatur, ac musculus temporalis rigidus admodum apparet.

Si verò in utroque latere sit luxata, tota cum mento, & quidem rectà, in partem anteriorem sive ad pectus prominet, os apertum relinquitur. Dentes inferiores longiùs quidem, quàm superiores excedunt, è regione tamen sibi invicem, incisorii incisoriis, canini caninis respondent: juxtà malas in utroque latere eminentia apparet, quam processus acutus efformat, musculique temporales, quorum tendines hic processus excipit, intenti, rigidique conspiciuntur.

IV. Periculo interim non vacat Maxilla, sive ex altera tantùm parte, sive ex utraque luxata. Facilior tamen restitutio est, si in uno duntaxat latere luxetur: sin verò in utroque simul luxatio fit, difficilior, periculosa, ac interdum lethalis est; præsertim si quàm celerimè non reponatur, cùm musculi omnes, quibus maxilla continetur & movetur, intendantur admodum, hinc & dolores, inflammationes; febres continuæ, gravissimaque alia superveniant symptomata.

V. Maxillæ luxatæ repositionem eleganter docet Hipppcrates *Libr. de Articulis* §. 26. quem secutus est C. Celsus *lib.* 8. *cap.* 12. Nimirum videndum imprimis, an ex altera tantùm parte fuerit prolapsa Maxilla, an ex utraque. Si in utroque latere luxata sit, in humili sede Æger collocetur, ejusque caput vel ad parietem, interjecto pulvinari duriusculo, urgeatur, vel à ministro, à tergo Ægri collocato, ut immobile maneat, teneatur; hinc Chirurgus utriusque manus pollicem linteo obvolutum dentibus molaribus imponat, reliquis verò digitis maxillam ad mentum extrinsecus apprehendat, sicque eam primò deorsum trahat, mox in partem posteriorem adigat, tandem sursum pellat, sicque eam restituat.

Sin in uno tantum latere fuerit Luxata, reponitur Maxilla in partem oppositam protrudendo, quod non ità difficulter fieri solet. Imò vel colaphus gravior eam non semel restituit.

Repositione facta, conveniens Deligatio facienda, quæ fiat Fasciam imponendo ad mentum, ubi aliquantulum dehiscat, ut hinc inde mentum apprehendat: deindè ex utraque parte ad aures eadem fascia rescindenda, auresque foras trahendæ; hinc liganda fascia in capitis vertice, eaque non solvenda donec maxilla fuerit confirmata, quod bidui, tridui aut ad summum quatridui spacio fieri solet. Interim à sermone multo, oris diductione, & oscitatione, durorumque ciborum masticatione Patiens abstineat, & liquidis contentus sit.

VI. Interdum & *Clavicula* sede suâ dimovetur, id quod Galenus *in Comment. ad Hippocratis Librum de Articulis* suo exemplo probat, ubi prolixè recenset, quomodo sibi in Palęstra hic articulus ità luxatus fuerit, ut inter acromium & jugulum trium digitorum intervallum intercederet, & quid circa se actum sit.

Luxatur autem Clavicula, quin potius subluxatur, vel in commissura ejus cum sterno, vel ubi scapulę acromio jungitur, ex casu, aut violento quovis extrinseco ictu, seu percussione, laxatis, extensisque conjunctionis ligamentis, hinc & è sede suâ paululum claviculâ avulsâ. Raro tamen id accidit, propter firmam cum utroque osse connexionem.

Quum ergò Clavicula subluxatur, manifeste elevata conspicitur. Ac quando summus humerus à proprio loco fuerit dimotus, acutior apparet, & exstare videtur os, quod recedit, sinusque unde excidit, persentitur, adeò ut imperitis luxati brachii suspicionem præbeat: ita Ambr. Paræus *lib.* 15. *cap.* 11. testatur, se multos Chirurgos novisse, qui decepti luxationem juguli pro summi humeri luxatione habuerint.

Subluxata Clavicula facilè admodum reponitur, & in sedem naturalem revertitur, sed vix unquam in ea servatur, undè necessariò sive plus minus à superiore parte prominet, sæpèque contingit, Ægrum manum neque ad caput, neque ad os movere posse. At circà sternum si subluxatio facta sit, & promineat clavicula, nullum inde relinquitur detrimentum.

Ut autem restituatur subluxatum hoc os, brachium extendendum, & clavicula in suum locum repellenda est. Quod fit, si Æger supinus jaceat, pulvinari duriusculo scapulis supposito, ut scapula thoraxque ad exteriora protuberet, & attollendo, deprimendo, aut protrahendo brachium antrorsum, retrorsumque, prout dislocatio exegerit, manusque volâ comprimendo, os hoc in suam sedem compellatur. Dein splenia multiplicia imponenda, ac pars arctiùs vincienda, si forsan restituta Clavicula in sede naturali servari, ac confirmari queat.

VII. *Dorsi Spina* è multis componitur *Vertebris*, quæ peculiari articulatione, mediantibus quatuor obliquis processibus, nec non ipso vertebrarum corpore, inter se cohęrent & connectuntur, ut ad inflectendum, in anteriora præsertim, apta sit; & ne sedibus suis in isto motu excidant Vertebræ, multis variisque ligamentis insuper firmantur. Quandoque tamen causarum pręternaturalium violentiâ è sua sede quodammodo exturbantur & subluxantur; raro autem perfectè dislocantur. Enimverò perfecta Vertebrarnm Luxatio fieri nequit, nisi diffractis apophysibus; nec non penitus divulsis cartilaginibus ipsi vertebrarum corpori adnatis, quibus in parte anteriore eę inter se connectuntur.

Fit autem Vertebratum Spinæ Subluxatio vel in partem anteriorem vel in posteriorem, vel in latera; ex casu viz. percussione, nimia inflexione, ac similibus causis violentis.

Cæterùm quòd Vertebræ suo loco motæ sint, visu & tactu explorari potest. An etiam versus interiora, vel exteriora, vel ad latera subluxatæ sint, visu dignoscitur.

Atqui curatu admodum difficilis est hic affectus; pręsertim si malum recens non sit. Si autem plures Vertebræ ordine sese consequentes simul subluxentur, minùs periculosum est, quàm si una saltem luxetur: una namque vertebra si loco moveatur, cùm in acutum angulum desinat, spinalem medullam comprimit, eamque valdè lædit: at si plures simul loco suo quodammodo excidant atque angulum obtusum efficiant, minùs spinalem medullam comprimunt.

Perfecta verò quandò contigit Vertebrarum Cervicis aut Dorsi Luxatio, lethalis est. Etenim spinalis medulla, nervique ab ea oriundi ita comprimuntur, ut

ſpiritus animales in partes inferiores influere nequeant, hinc & reſpiratio tollatur, & cæterę partium inferiorum actiones mox ſileant.

Vertebrarum autem Cervicis Subluxatio quandoque fit verſus poſteriora, quandoque verſus anteriora. Verſus poſteriora ſi fiat, ſpinalis medulla comprimitur, mentum ad pectus flectitur, unde & loquendi & ſpirandi potentia tollitur, homoque non raro jugulatur. In anteriora ſi fiat Cervicis vertebrarum Subluxatio, collum diſtorquetur, caput moveri nequit, facies livet, locus affectus dolet, & ſpirandi ac loquendi difficultas adeſt. Malum tamen minùs periculoſum eſt, quàm integra luxatio. Statim autem iis occurrendum: quod fit, ſi Æger in humili ſede ſedeat, Chirurgi vero miniſter ſcapulas deprimat, at ipſe Chirurgus caput utrinque ad aures apprehenſum elevet, & variè moveat, donec vertebra ſuo loco reſtituatur; quod ubi factum, caput ſine dolore iterum movere valet Æger.

Ubi Dorſi Vertebræ extrorſum Subluxatę ſunt, Æger ventri incumbat ſuper Scamnum Hippocratis, (vide Scultetum *Armam. Chir. tab.* 25. *fig.* 2.) hinc miniſtri duo vinculis duobus, quorum unum ad axillas, alterum ad oſſa innominata, firmatum ſit, fortiter partes Ægri extendant, quò is in totum quoad ſpinam elongetur, Chirurgus autem ipſe protuberantes Vertebras manu intropellat.

Ad interiora verò facta Spinę Dorſi Subluxatio pro incurabili ab Hippocrate *lib. de Articulis*, Paulo Ægineta *lib. 6 cap.* 117. Avicenna *lib.* 4. *fen.* 5. *tract.* 1. *cap.* 21. & aliis meritò habetur. Fabritius Hildanus tamen *Cent.* 5. *Obſ.* 69. aliquid tentandum cenſet; primò quidem extenſione, & Spinæ nunc in dextrum, nunc in ſiniſtrum latus concuſſione, nec non linteo ſub ventre poſito, ejuſdem in altum elevatione, per inſtrumenta ab Oribaſio & Paræo depicta. Deindè dorſi inciſione uſque ad vertebram ſubluxatam, & vertebrę, quæ poſt inciſionem aptis tenaculis apprehendenda eſt, in altum elevatione, ſed modus hic tutus vix videtur, modò non ſit planè impoſſibilis.

VIII. Inſuper & *Coccygis Os* luxatur extrorſum & introrſum, Extrorſum quandoque Luxatur fœminis in partu difficili, quibus tamen facilè, faſciâ circà nates validè conſtrictâ, reſtituitur. Introrſum quoque Luxationem patitur, quę ut reſtituatur, digitis tam in anum immiſſis quàm extus applicatis eouſque moveatur, donec debito ſitu locatum ſit, uti latius videre eſt apud Jobum Meekeranum *Obſerv. Chirurg. cap.* 56.

IX. *Coſtæ* etiam nonnunquam Luxantur à caſu aut percuſſione, nunc ſuprà, nunc infrà, nunc intrò. Si ſuprà, vel infrà, vel in latus fiat Coſtæ Luxatio, inæqualitatis viſu & tactu deprehenditur, & hinc cavitas, illinc extuberantia apparet. Si intrò luxata ſit, ſaltem cavitas obſervatur.

Sequuntur autem varia Luxatas Coſtas ſymptomata; difficultas ſpirandi, thoracem movendi, & corpus erigendi, dolor pleuritidem referens, inflammatio, febris: hinc ut quamprimum ſuę ſedi Coſta reſtituatur, danda opera. Et ſi Luxatio ſit in partem ſuperiorem; Æger rectus ſuſpenſis ex januę vel feneſtræ parte ſuperiore brachiis ſtatuatur, & coſtæ capitulum extrà vertebram eminens comprimatur, donec in locum ſuum redeat. Sin verò in partem inferiorem Luxata ſit Coſta, Æger pronus incurvetur, manubus ſuprà genua innixus, interim Chirurgus coſtam luxatam manu in locum naturalem comprimat. At intrò facta ſi ſit Luxatio, incurabilis & ferè lethalis eſt, cùm manuum opera nihil præſtare poſſit. Volunt tamen, ut Emplaſtrum aliquod validè adhærens apponatur, quod ſæpius violentiâ ſummâ avellatur, ſi forſan hoc modo reſtitutio ſequatur.

X. *Humeri Os* capite ſuo rotundo, cartilagine undique obducto, ſinui cervicis ſcapulę perfectiſſimâ omnibus motibus obeundis abſolvendiſque accommodatiſſima, articulatione committitur. Cumque ſinus hic non altè ſatis pro excipiendo humeri capite exſculptus ſit, ne frequentibus luxationibus articulus hic foret obnoxius, provida natura duobus ligamentis validis, lato viz. & rotundo, duobuſque ſcapulæ proceſſibus, acromio cum eoque conjuncto claviculę capite; & coracoide dicto proceſſu, nec non muſculis, deltoide pręſertim ac bicipite, cavit, & inſuper pręter cartilaginem, quo ſinum hunc incruſtavit, aliam in ambitu adjunxit, quę ſinui quidem haud adnaſcitur, ligamentis tamen adſtricta craſſior incipit, ſenſimque verſus centrum extenuatur. Nihilominus verò cauſa violenta ſi accidat, articulus hic excidit non ſolùm, ſed & reliquis frequentius & facilius.

Excidit articulus hic ferè ſemper in unicum tantùm locum; deorſum ſcilicet in alam, ſeu ſub axillam. Adeò autem raro in alium locum luxatur, ut ſcripſerit Hippocrates, articulum hunc, qui cum lato ſcapularum oſſe conjungitur, ſe noviſſe uno tantùm modo excidere, nempe in alam; in locum verò ſuperiorem, aut exteriorem, vel interiorem nunquam, aut ſaltem rariſſimè. Enimverò prolapſus humeri in partem ſuperiorem manifeſtè impeditur à ſcapulæ proceſſu, acromio dicto ubi cum clavicula jungitur; at in locum exteriorem articuli hujus egreſſus prohibetur ab eodem ſcapulę proceſſu, muſculoque bicipiti; in interiorem verò, ſeu anteriorem ne oſſis humeri caput prolabatur, ſcapulæ proceſſus caracoides avertit: ut adeò cum Hippocrate affirmare liceat; in partem inferiorem plerumque humerum luxari, cùm nullum ibi adſit propugnaculum, quod hanc prohibere poſſet diſlocationem.

XI. An verò Humerus ſaltem luxationem perfectam, an etiam ſubluxationem patiatur, quæritur? Reſp. articulum hunc ſubluxationem nonnunquam pati; imò frequentius ſubluxatur humerus, quàm alius quivis articulus, quia caput ejus rotundum deſtituitur collo oblongo, inſeritur in ſinum exilem, profunditate carentem, minimeque majori huic capiti reſpondentem, & hinc faciliùs deſcendit, parumque elabitur tantum, ac in margine cervicis ſcapulę ſubſiſtit. Atque talis humeri ſubluxatio haud ita difficulter reſtituitur; viz. levi factâ extenſione; per ſimplicem circumgyrationem.

XII, Cauſa humeri luxationis violenta plerumque eſt; caſus nempe, percuſſio, brachii vehemens extenſio, aut diſtorſio, &c. Humerum verò ſub alam prolapſum eſſe, facilè cognoſcitur, & monſtrat id certiſſimum, proprium, & inſeparabile ſignum: nimirum quid rotundum ac durum ſub axilla ſenſibiliter tactui obvium. Quibus tamen & alia accedunt: luxatus namque humerus ſi cum ſano comparetur, diſſimilis admodum apparet, quoniam cavitas inſolita eſt in humeri ſummo, videturque is extare, & acutior, nec rotundus, ſicut ſanus conſpicitur; cùm humeri caput, quod rotunditatem faciebat, jam ſit prolapſum, & in inferiore loco recipiatur. Inſuper prolapſum brachium ſano longius eſt, manumque ori admovere Æger nequit.

Gracilibus porrò ac macilentis faciliùs Humerus luxatur, & luxatus facilius reponitur; at difficilius in ſua ſede detinetur. Carnoſis autem ſicuti rarius quidem luxatur, ſic difficilius in propriam ſedem reſtituitur; at reſtitutus minore cum moleſtia ſervatur. Recens quoque Humeri Luxatio facilius reponitur, antiqua difficilius, & repoſita iterum excidit, quoniam ſcapulæ cervicis ſinus calloſâ repletur ſubſtantiâ quę, ſi os reponatur, iterum è proprio ſinu prolabi cogit.

XIII. Igi-

XIII. Igitur ut prolapsus Humeri articulus in suam sedem restituatur, prius aliqua humeri extensio facienda, ut versus principia sua retracti musculi elongentur, adeoque luxatus humerus suo loco sic reponatur. Sunt autem varii reponendi modi, ut videre est apud Hippocratem *Lib. de Art.* §. 2. 3. 4. Ambr. Paræum *Chirurg. lib.* 15. *cap.* 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. & alios. Horum tamen quosdam, quique minorem requirunt apparatum, ac tutissimi sunt recensebimus.

Primus modus fit cùm minister articulum humeri validè detineat, Chirurgus brachium deorsum trahat, hinc idem in sinum suum elevando reponat Scultetus *Armament. Chirurg. tab.* 23. *fig.* 3.

Secundus modus fit per Calcem: hac ratione. Æger humi resupinandus est, ac inter alæ cavitatem, scilicet inter caput humeri & costas pila mediæ magnitudinis adaptanda. Chirurgus interim Ægro ex adverso sedens calcem super pilam alæ subjectam applicet, & ambabus manubus humerum deorsum (cùm caput ejus musculorum vi sursum tractum sit) trahat; calce verò eundem sursum compellat, sicque in propriam sedem adigat.

Tertius modus fit per Scalam, (de qua Scultetus *Armam. Chir. tab.* 21. *fig.* 3.) estque tutus etiam: & satis commodus. Erigatur nimirum Scala firma, super cujus gradum altiorem rotundum quoddam corpus quod Patientis alę adaptari, humerique caput propellere possit, deligetur: ad ima scalæ subsellium locetur, cui pedibus insistat Æger, posteà ala super corpus illud rotundum ponatur, brachium luxatum à Chirurgo deorsum trahatur, humerusque inde commoveatur. Interim sanum brachium à ministro ex opposita parte etiam validissimè deorsum trahatur, mox scabellum pedibus Ægrotantis subtrahatur, ut è scala pendeat, hacque ratione humerus restituatur.

Quartus modus à pręcedente non multum differt, & pistillo perficitur. Viz. molli aliquâ fasciâ involvatur Pistillum, atque latus inter & humeri caput dimittatur. Sit autem ejus longitudinis, ut homo stans propemodum ex eo pendeat. Quod brevius fuerit homo sedeat sic, ut vix humerum super pistillum injicere possit: deinde brachium juxtà pistillum extendatur; alter verò corpus in alteram partem adigat, manubus ad collum plicatis.

Commodior autem videtur quintus modus, qui fit per Humeri suppositionem; scilicet validus quidam & altioris staturæ vir Ægrotantis alam ponat super acuminatam humeri sui partem, Humerumque Luxatum versus pectus suum validè trahat, humerum suum elevando, ut ab eo Æger quasi pendeat. Intera minister alius scapulam deorsum comprimat, brachiumque variè moveat, usque dum omnia ritè restituta.

Sextus modus omnium commodissimus fit per Glossocomum, seu Ambi, ab Hippocrate descriptum, & à Paręo emendatum; de quo videantur illi: ut & Scultetus *Armam. Chir. tab.* 21. *fig.* 7.

XIV. Humero in propriam sedem restituto, mepiocris magnitudinis pila ex molli lana, & tenuibus linteis facta alæ subjiciatur, ne humerus propter gravitatem, ligamentorumque laxitatem rursus descendat. Dein Splenia *Vino Rubro Adstringente* aut *Oxycrato* madida luxato, at nunc restituto humero imponantur, tum ad arcendam inflammationem, tum ad relaxata ligamenta roboranda. Tandem Fascia longa, duobus capitibus prędita, ita circumjiciatur, ut pilam constringat, humerique articulum comprehendat; quæ deindè ad alteram alam, ab eaque ad scapulas, rursusque ad ejusdem humeri caput tendat, tum ad oppositi lateris cervicem vergat, sæpiusque eodem modo circumagatur, adeò ut pilam non solùm constringat: sed & brachium sursum trahat, vel saltem conservet. Cubitus similiter ad pectus adducatur, & fasciâ in orbem circà corpus porrectâ deligetur, sicque vinctus humerus commodè contineatur. Elapsis verò tribus, quatuor, vel quinque diebus, si vincula laxiora sint facta; vel inflammtioni suspicio adsit; solventur fasciæ, & pars affecta ut prius deligetur, donec articuli ligamenta robusta satis evaserint.

XV. *Cubiti Articulatio* ex duobus Brachii ossibus, *Radio* & *Ulna*, ac inferiore capite ossis humeri, fit per Gynglymum, *hoc est*, eam articulationis speciem, qua ossa se mutuo excipiunt, & vicissim excipiuntur ab aliis. Sinus enim habet humerus parte inferiore duos, quorum anterior sive minor processum cubiti anteriorem, cùm brachium inflectimus, suscipit; posteriorem verò, sive majorem, quem cubitum vocamus, cùm brachium extendimus, posterior sinus admittit. Pro radio excipiendo humerus etiam capitulum peculiare exterius dictum, obtinet. Insuper articulum hunc validissima membranosa ligamenta firmant, roborantque. Ex quibus omnibus colligere licet, eum difficillimè luxari, cùm multiformis & varia sit horum ossium conjunctio. Nihilominus tamen quaquaversum Cubitus Luxari potest, antrorsum, retrorsum, extrorsum, & introrsum: quandoque cum radio, aliquando sine eo; nonnunquam radius è cubito absque ulla ejus luxatione recedit.

Cubiti luxatio alia completa perfecta est, (inquit „ Paræus *lib.* 15, *cap.* 31.) alia imperfecta, Hęc ut „ facilè & levi quadam ex occasione incidit, sic facilè „ restituitur. Perfecta contrà, ut difficulter fit, sic non „ ita facilem habet repositionem; pręsertim nisi inflam- „ mationem pręveneris: suborta enim inflammatio re- „ positionem vel difficillimam, vel omninò impossibi- „ lem reddit, maximè quæ extrosum incidit.

Cæterùm ut aliarum partium luxatio à causis violentis fit, ita & hęc. Et Cubiti quidem in anteriorem partem Luxatio, ut plumurim ex violenta & subita brachii extensione contingit: in posteriorem ex violenta brachii inflexione; & ad externam vel internam, ex brachii perversione fieri solet.

In quam verò partem Cubitus luxatus sit, visu, tactuque facilè deprehenditur. Si enim in partem anteriorem prolapsus fuerit, brachium abbreviatur, nec curvari potest, in parte anteriore tumor insolitus, in posteriore cavitas insueta conspicitur. At in partem posteriorem si fuerit luxatus, brevius itidem brachium efficitur, tumor in posteriore, cavitas autem in anteriore parte apparet. Sin in interiorem aut exteriorem partem Luxatio fiat, eadem signa adsunt, protuberantia eo loco datur in quem procidit os, sinus verò eo, quo excidit; brachium quoque curvatur, & extendi nequit, sicut in luxatione ad anteriora, & posteriora.

Cubitus porrò uti ob multiformem ac variam cum humero articulationem, ligamentorumque robur, non facilè elabitur, ita prolapsus difficulter restituitur. Luxatus autem cubitus nisi citissimè reponatur, non solùm varia & periculosa symptomata; dolorem nimirum intensissimum, inflammationem, febrem, convulsionem; sed nonnunquam ipsam etiam mortem adfert. Omnium tamen luxationumque, in Cubito fiunt, maximè periculosa & dolorifica est, quæ in posteriorem fit partem.

Si ergò Cubitus in partem anteriorem sit Luxatus, ut reponatur, primum Extensio fieri debet in congrua figuratione, non in directum, sed in obliquum, ita ut Cubitus ad rectum angulum cum humero collocetur, ne altum Cubiti supercilium humeri capitulum lædat. Extensionem efficiant ministri duo, quorum unus summum humerum sursum, alter cubitum deorsum; vel solis Manubus vel, necessitate id exigente, Vinculis trahat. Deindè corpus aliquod rotundum è linteis convolutis apponatur ad cubiti flexuram, hinc comprimatur, tum cubitus inflectatur, isque citissimè ad posteriora à Chirurgo impellatur, ac reponatur. Scultetus *Arm. Chirurg. tab.* 24. *fig.* 1.

Imperfecta autem si sit Cubiti in partem anteriorem

Luxatio; seu Subluxatio, moderatâ factâ extensione, solo brachii inflexu facillimè restituitur.

At verò Luxatus in partem priorem Cubitus, si dicto modo restitui non possit, alius adest: viz. duo ministri brachium similiter extendant, ad cubitum autem luxatum Habena ponatur, & infrâ tam longa ligetur, ut pes Chirurgi possit ei tanquam stapedi inniti: factâ extensione, habenâ deorsum tractâ pede chirurgi, retrò comprimens Chirurgus cubitum inflectat, sicque articulum reponat.

Posteriorem tamen in partem Luxatus si fuerit Cubitus, obliquâ à ministris factâ extensione, Chirurgus luxatum os in contrariam partem urgeat, ac compellat; sique recens Luxatio fuerit, facilè reponitur. Affirmat autem Hippocrates *lib. de Fracturis* §. 44. hanc Cubiti Luxationem solâ ejusdem subitâ ac diutinâ extensione se nonnunquam curasse.

In partem exteriorem vel interiorem prolapsus Cubitus facillimè reponitur, si factâ extensione, ab ea parte, in quam prolapsus est, in contrariam impellatur. Scult. *Armam. Chirurg. tab.* 23. *fig.* 2.

Factâ luxati cubiti repositione, congrua fiat Deligatio, mediam semper observando figuram, sicut in humeri vel cubiti fractura diximus.

XVI. *Carpus Cubito* & *Radio* per Diartrorsin connexus, excidere potest ad anteriora, posteriora, interiora & exteriora; potissimum tamen in anteriora prolabitur. At *Metacarpi Ossa* omnia introrsum quidem & extrorsum luxantur; ad latera verò duorum mediorum ossium prolapsum impediunt duo ossa extrema, indicem & minimum digitum respicientia: quę duo tamen in latus ab ossium vicinia liberum excidere possunt. *Digitorum Ossa* similiter in quatuor partes dislocari possunt; anterius puta, posterius, ac utrinque ad latera: sed ut plurimum ad anteriora, vel posteriora luxantur.

Atque ut aliarum luxationum, ita & Carpi, Metacarpi, ac Digitorum Luxationis Causa est motus violentus, ictus, casus, perversio, contorsio.

Cognoscuntur autem haud difficulter partium manus Luxationes. Sive enim Carpi, sive Metacarpi, sive Digitorum ossa in partem anteriorem luxata fuerint, tumor eò loci in anteriore parte apparet, digitique flecti nequeunt. Sin in posteriorem exciderint, tumor in parte posteriore conspicitur, digitique, ob tendinum & nervorum ad ipsos tendentium compressionem, extendi non possunt.

Luxatio harum partium periculosa non est, cùm facilè restitui in sedem naturalem possint dislocata ossicula.

Quod si ergò facta sit Carpi in partem anteriorem aut posteriorem, manus ponatur super Tabulam, (vide Scultetum *Armam. Chirurg. tab* 24. *fig.* 2.) & quidem supina, si ad anteriora prona, si ad posteriora facta sit Luxatio: dein fiat extensio à duobus ministris, trahentibus hinc inde tum brachium, tum digitos. Dum fit extensio, Chirurgus articulum luxatum in partem contrariam impellat.

Luxatio ossium Carpi, aut Metacarpi, in illa nullâ factâ extensione, in hac modicâ facilè reponitur, manu super tabulam collocatâ, & supposito corpore duro, sicque ossibus in sua loca protrusis; vel anterius vel posterius.

Haud secus Digiti Luxati, à duobus ministris factâ super tabula extensione, facilè in contrarium impelluntur. Factâ luxatorum horum ossium repositione, membrum convenienter deligandum, & deponendum.

XVII. *Femoris Os*, omnium in corpore humano maximum & longissimum, capite suo globoso, valida cervice subnixo, & cartilagine obducto, coxendicis acetabulo, amplo satis & profundo, committitur, in eoque duobus validis ligamentis detinetur; uno lato, crasso, & membranoso, quod articulum totum circumdat, altero tereti quod ab ipsa acetabuli cavitate productum, in susceptum femoris caput inseritur, idque acetabulo firmissimè connectit, sicque articulatio hæc per Enarthrosin Diarthroseos perficitur: ut adeò Femur facilius & expeditius flecti, extendi, in latera moveri, & circumverti, nec facilè prolabi possit.

Excidit autem aliquando hic articulus in quatuor partes; nimirum in anteriorem, & posteriorem, sed rarius, cùm acetabuli supercilium hac in parte altius sit; frequentius verò in partem exteriorem, & interiorem: cùm eò loci humilius sit supercilium. Quoad Femoris imperfectam Luxationem, seu Subluxationem: nunquam, aut saltem raro admodum eam dari puto; quoniam acetabulum, quo globosum femoris caput reconditur, alta satis in ambitu habet supercilia, ut omnino fieri non posse videatur, ut caput hoc partim in acetabulo contineatur, partim promineat, & exciderit: insuper de articulationis motu & circumactione, nec non musculorum robore in locum suum facilè id raperetur. Attamen à causa interna Subluxatio hujus articuli forsan contingere potest: tum enim ligamenta ac vincula emollita admodum & relaxata, ossis caput acetabuli margini insistens retrahere nequeunt.

XVIII. Causę perfectæ Femoris Luxationis sunt eędem, quæ luxationis humeri; externæ puta, & violentæ, casus, ictus, aliavè violenta & indecens femoris extensio ac distorsio. Insuper humores ad articulum hunc affluentes, eundem è sede sua sensim protrudere possunt, sicque imperfectam causare luxationem.

De femoris ossis capite aliquid notatu dignum annotavit Rolfincius, *Exercit. Anatom. lib.* 2. *cap.* 49. viz. caput hoc valdè laxa conjunctione ossi femoris adhærere, ita ut coctione in aqua citò emolliatur, & facilè manubus ab osse dirimatur, pręcipuè in animalibus junioribus; atque hinc fieri, ut in infantibus & pueris junioribus nonnunquam ab osse recedat & divellatur, idque sæpè parva de causa, ut à levi casu, vel cùm nutrices nimis maturè pedibus insistere & inniti jubent infantes, atque tunc illud communiter habere pro luxatione, ex eoque diagnoseos errore felicem curationem impediri. Testatur quoque Cl. Diemerbr. *Anat. lib.* 9. *cap.* 19. se recessum hujus epiphysis in uno aut altero vidisse, qui à Medicis & Chirurgis pro luxatione habebatur, licet caput ossis femoris extra acetabulum nusquam elapsum sentiri posset: interim tamen os femoris versus posteriora reflectebatur, ejusque superior pars sine capite nonnihil sursum versus ascendere, sentiebatur, sicque crus illud altero brevius evadebat.

XIX. Dignoscitur autem Femoris Luxatio his Signis. In *Luxatione ad interiora*, crus longius est, si cùm altero conferatur, & difficulter mobile; genu exterius protuberat, ac globosum femoris caput manu in inguine notatur. Facilè quidem reponitur, sed & facilè iterum excidit, unde pars emaciatur, & Æger fulcro uti cogitur. *Exterius ubi facta Luxatio*, crus altero brevius est, quoniam femoris caput in locum altiorem excidit: inter anum & scrotum pars in sinum dehiscit, at juxta clunes in tumorem attollitur: genu pes, tibia intrò spectant, pedem equidem satis commodè flectere potest Æger, ac terræ imponere haud ita; calx namque terram non attingit, sed ima planta, quia crus abbreviatum est. Licèt autem non reponatur, dolor tamen per se tandem cessat, Ægerque temporis successu sine sustentaculo incedere valet. *Anteriorem in partem si Femur fuerit Luxatum*, tumor in inguine est, cùm femoris caput ad pubem incumbat, nates contrà propter musculos cum femore ad pubem contractos, rugosæ sunt, ac depressæ; urina, propter vesicę cervicem quodammodo compressam aliquandò supprimitur; crus nec curvari, nec ad inguina adduci potest, cùm in ipso flexu sit femoris caput, idem tamen nec elongatur, nec abbreviatur ad calcem pręsertim

ſertim: digiti pedis namque non facilè extendi, nec ad terram converti poſſunt, unde in inceſſu Æger calci inniti cogitur. Etiamſi nec hîc repoſitio quædam fiat, rectus tamen incedere tandem poteſt Æger: contingit verò nonnunquam, pedem ſufficienter à terra removeri non poſſe. *In Luxatione ad poſteria*, pedem nec extendere, nec flectere valet Æger, unde calx terram non attingit; crus abbreviatur valdè, in inguine ſinus eſt, at compreſſis natibus protuberantia obſervatur notabilis; ex globoſo viz. femoris capite in nates prolapſo, quod viſu tactuque ibidem deprehenditur. Hîc quoque etiamſi repoſitio nulla fiat, dolor ſenſim ceſſat, pediſque motus redit; pes autem licèt rectus, nec diſtortus ſit, nihilominus tamen brevior permanet, & multùm abeſt, ut terram calx contingat, unde immedicabilis remanet claudicatio.

In genere verò magnum Femoris periculum eſt, ne vel difficulter reponatur, vel repoſitum rurſus excidat. Difficulter Femur Luxatum reponitur, quia propter validiſſimos muſculos, qui in hac parte ſunt, extenſio ſufficiens fieri nequit; & tantò difficiliùs reponitur, quantò Luxatio vetuſtior eſt: Repoſitum autem facilè rurſus excidit, tum propter muſculos & ligamenta relaxata, & imbecillia reddita, tum quia ſuo pondere deorſum tendit: inſuper ob ligamentorum abruptionem in proprio ſinû perſiſtere aliquandò non poteſt, & ideò iterum delabitur. Si igitur Luxato Femore lacera & diſrupta ſint articulationis ligamenta haud ita difficulter articulus reponitur, ſed repoſitus in ſede naturali ſervari nequit, ſemperque denuò prolabitur: at relaxata ſolummodò ſi ſint ligamenta difficiliùs reſtituitur luxatum femur, verùm repoſitum in proprio loco nonnunquam detinetur.

Antiqua Femoris Luxatio, quę jam callum contraxit, & in qua ſinus oppletus eſt, incurabilis judicatur ejuſque repoſitio minimè tentanda, cùm fruſtra affligatur Æger. Docet quoque Fabritius Hildanus *Cent. 6. Obſ.* 100. inveteratam hanc Luxationem reduci non poſſe, ſed poſt tentatam reductionem ſemper malum pejus factum fuiſſe.

XX. Igitur dislocatum Femur ut ſedi naturali reſtituatur, Æger ſubjecto pulvinari in ſcamno aut menſa ita collocandus, ut pars in quam prolapſum eſt femoris caput, ſit ſuperior, ea verò, à qua receſſit, inferior, *hoc eſt*, pronus quidem, ſi exrrorſum aut retrorſum Luxatio facta ſit; ſupinus, ſi introrſum; & in latus, ſi antrorſum, poſtea conveniens facienda extenſio, vel Manubus, vel Habenis, vel Machinamento, (quale eſt Trochlea trajectis funibus, depicta apud Hildanum *Cent.* 5. *Obſ.* 86. & Scultetum *tab.* 22. *fig.* 1. Tandem verò Femur, ſemper viâ prolapſui contrariâ, in ſuum acetabulum impellendum.

Itaque *ad anteriora ſi Femur Luxatum ſit*, Æger imponatur ſcamno aut menſæ, hinc inter utrumque pedem ſupponatur baculus fortis linteo benè obvolutus, mox valida fiat pedis extenſio, uſquedum commodè manu reponi poſſit. *Exteriùs* autem *ſi facta ſit dislocatio*, ſimiliter ſcamno aut menſæ Æger imponatur, extenſioneque conveniente factâ Repoſitio fiat. *Anteriùs* verò *cùm exciderit Femoris caput*, incumbat Æger lateri ſano, hinc pes extendatur, ſicque vel manu, vel genu in ſuum ſinum compellatur. At *verſus poſteriora ſi ſit Luxatio*, Æger imponatur ventri, hinc pes validè extendatur, mox Femur manu prehenſum circa genu extrorſum à pede ſano dimoveatur, ſicque caput ipſius in ſinum compellatur. Sed proprio in loco reſtitutum ut maneat, quietus Patiens decumbat, uſque dum ligamenta priſtinum robur acquiſiverint.

At verò pręter nunc expoſitos reponendi modos, & is occurrit, quem Hippocrates deſcribit; quo femoris articulus, ſive in interiorem, ſive in exteriorem partem eruperit, reſtituitur. Nimirum Scala deſcribitur, cui homo inſidet, integro & ſano crure leniter extento, & quam commodè poterit alligato: cruri vitiato Calathus, in quem conjecti lapides fuerint, vel vas fictile appenditur aquâ plenum, ſicque factâ extenſione, luxati articuli repoſitio fiat. Scultetus *Armam. Chir. tab.* 23. *fig.* 4.

XXI. *Genu* & perfectam, & imperfectam patitur Luxationem, labiturque frequenter in partem interiorem, & exteriorem; rarò in poſteriorem; at vix unquam in anteriorem, & non niſi à cauſa admodum violenta, cùm Patella oppoſita id prohibeat.

Accidit autem hæc Luxatio à percuſſione, caſu, ſaltu, curſu vehementiore, immodica tibiæ extenſione; vel contractione & diſtorſione.

In quem verò locum Genu Luxatum ſit, facilè in excarni hac parte cognoſcitur; ſiquidem in latere, in quod articulus prorupit, protuberantia, cavitas in latere, è quo diſceſſit, viſu tactuque deprehenditur. Inſuper figura depravatur, crus eſt extentum, nec flecti poteſt; unde motus neceſſariò depravatur, vel omninò perit.

Genu porrò, ſi cum cubito conferatur, ob ejus juncturæ modum, ſæpius luxatur & faciliùs reponitur. Oſſium namque, quibus uterque articulus continetur, ſtructura arctior, & conjunctio profundior eſt in cubito, laxior in genu; atque adeo Luxatio Genu minus periculoſa eſt.

Genu ſi Subluxatum ſit, nulla, aut exigua ſaltem requiritur extenſio, ſed ſola in contrariam partem impulſio articulum reponit. At perfecta ſi Dislocatio ſit, extenſio eſt neceſſaria; quæ fiat Manubus in recenti luxatione, & puerili ætate: miniſter unus trahat ſupra genu, alter ſub genu; Chirurgus verò ad partem contrariam, è qua excidit, manu os impellat. In Luxatione non ità recenti, & corporibus robuſtioribus, opus eſt Habenis, vel etiam machinamentis, quibus ſufficiens fieri poteſt extenſio.

Os ubi repoſitum eſt, quod ex cruris libera extenſione, & cum altero ſano comparatione cognoſcitur, Splenia imponantur *Oxicrato* vel *Vino Rubro Adſtringente* madida, hinc conveniens inſtituenda Deligatio, Ægerque ab inceſſu abſtineat, donec novę luxationis nullus amplius ſit metus.

XXII. *Patella*, cùm à lateribus nullum habeat obſtaculum dislocationem ejus impediens, in partem ſuperiorem, inferiorem, exteriorem, & interiorem nonnunquam Luxatur; in poſteriorem verò nunquam, cum tibię & femoris oſſa, quæ ipſa tegit, obſtent. Accidit autem hæc Luxatio à percuſſione, caſu, ſaltu, ac indecente tibiæ diſtenſione. Eaque viſu & tactu facilè dignoſcitur, cùm rectè flecti ac moveri crus nequeat. Et quoniam laxior eſt hęc articulatio, haud difficulter ſedi ſuæ Patella reſtituitur.

Verùm ut in ſuam ſedem reponatur, Patiens firmiter in planitie erectus ſtet: Chirurgus interim Manubus Patellam à parte, in quam prolapſa eſt, in eam è qua excidir, compellat. Ubi reſtituta eſt, Splenium cavum, patellæ formæ accommodum, & *Oxycrato* vel *Vino Rubro Adſtringente* madidum, parte eâ, ad quam prolapſa erat, collocetur; at poplitis cavitas variis compreſſis expleatur: omnia denique arctè faſciis conſtringantur, ne genu inflecti poſſit; ſi namque flectatur genu, periculum eſt Patella ne rurſus loco ſuo excidat. Ubi verò novi prolapſus periculum nullus eſt, Æger ſenſim genu rurſus flectere aſſueſcat.

XXIII. *Pedis* nomine intelligimus ſeptem *Tarſi* oſſa, ſuis nominibus donata, quinque *Metatarſi*, quatuordecim *Digitorum*; quæ omnia variis modis invicem coarticulata, ligamentiſque membranoſis connexa ſunt. De horum omnium luxationibus jam dicendum eſſet. Sed quia Tarſi, & Digitorum oſſa eodem ferè modo in Pede, quo Carpi, Metacarpi, & Digitorum oſſa in Manu, inter ſe uniuntur, iiſdem quoque Luxationibus ſubjecta ſunt, quę eaſdem cauſas habent, iiſdem ſignis dignoſcuntur, ac eodem modo reponuntur;

operæ pretium non est, quædam de his superaddere. At verò de Tali, & Calcanei Luxatione, cum ossibus hisce nulla in manu respondeant, quædam addere lubet.

XXIV. *Talus* igitur, seu *Astragalus* in omnes quatuor partes prolabi potest, nimirum in partem interiorem, exteriorem, anteriorem, posteriorem; frequentiùs tamen in exteriorem. Et quidem perfectè luxatur & subluxatur.

Calx autem, sive *Calcaneus*, Talo subjectus, frequenter quidem anteriùs & posteriùs, raró ad latera erumpit.

Fit verò horum ossium Luxatio à violento casu, ictu, aut aliâ inconveniente pedis distorsione. In specie autem Calx luxatur, & ab Astragalo divellitur, si quis ex alto desiliens graviter in calcem labatur & impingat, vel inter saltandum calci vehementer insistat.

Talus porrò si in partem interiorem prolapsus sit, ima pedis pars in exteriorem, convertitur; si in exteriorem, contraria signa adsunt. At in anteriorem partem si erumpat, latus ille ac robustus tendo, qui calcaneo inseritur durus tensusque evadit, pes minor ac brevior apparet, ob articulum in priorem partem promotum; si in posteriorem, calx ferè reconditur, quia articulus ad calcem elapsus est, planta major, pesque longior evadere videtur: Et hęc Signa si manifesta sint, perfectam Luxationem, sin obscura Subluxationem denotant. In specie verò Calcis Luxatio ex dolore, figurâ partis depravatâ; & actione læsa facilè cognoscitur.

Cęternm Talus uti facilè Luxatur, sic facilè reponitur; sed ob multitudinem ossium juncturas componentium difficulter confirmatur; atque ideò post Tali repositionem diutiùs in lecto perseverandum, ne is Talus, qui totum corpus sustinet, nondum confirmatis tendinibus ac ligamentis, ferendo oneri cedat; rursusque prolabatur. Veruntamen Calcis Luxatio periculosior est; siquidem venæ & arteriæ majores, quas excipit, nec non magnus ille tendo, qui ei annectitur, facilè læduntur, unde inflammatio, convulsio, delirium, febris, & gravissima alia symptomata non raró excitantur.

Ut ergò Luxatus Talus in proprium locum reponatur, primùm debita facienda extensio; Manubus quidem ministrorum in Luxatione recenti & corpore puerili, quorum alter pedem, alter tibiam apprehendat & extendat. Sin manubus proba extensio fieri nequeat, uti in corporibus robustioribus, & luxatione haud ita recenti, fiat Habenis, vel aliis Machinamentis deorsum trahentibus. Scultetus *Armam. Chirurg. tab.* 25. *fig.* 1. Posteà Chirurgus articulum in partem contrariam, è qua excidit, compellat, convenientemque Deligationem instituat; quæ tamen minùs pro ratione adstringenda est, ne posterior Calcis tendo nimis constringatur.

Calcaneus etiam, levi extensione factâ, in naturalem sedem haud difficulter reponitur; repositus verò convenienter vinciendus, Ægerque tamdiu in quiete detinendus, donec restitutus hic articulus probè confirmatus fuerit; id quod ante quadragesimum diem (uti de reposito Luxato Talo quoque affirmare licet) vix contingit.

Atque hæc de Luxationibus breviter dicta sunto.

Hactenus de Luxationibus curandis in genere & in specie, ex Aquapendente & Munnicks: Veninaniam, Consultationes & Observationes in eòdem Argumento ex Variis.

Consultationes.

Pro Perillustri, & Nobilissimo Barone Germano luxatione sinistri femoris laborante.

QUod Perillustris, & Nobilissimus Baro patiatur luxationem femoris sinistri, multis potest comprobari rationibus, & primò motus lęsione in ea parte, nam flexio & ob id incessus lęditur, ut claudicare cogatur, nam femur minùs movetur, quàm antea, & prę́sertim ab ea parte, à qua recessit Articulus, cùm non nihil moveatur, in quam venit.

Secundò femur sinistrum est dissimile dextro secundùm figuram, situm, & longitudinem, ergo necessariò luxatum est; quidem dissimile secundúm figuram, quoniam cavitas insolita in eodem observatur secundùm eam partem à qua os recessit, & eminentia, seu tumor in ea in quam excidit; secundùm situm deinde, quoniam femur sinistrum ad genu spectat partem internam, sicuti crus, & pes; secundùm longitudinem tandem, quia crus sinistrum est brevius, nam trahitur à musculis, cùm nil resistat.

Cùm igitur nobilissimus Baro laboret luxatione femoris sinistri, & Luxatio duplex existat, perfecta, & imperfecta: imperfecta primò, si quæ sunt juncta separentur, & disjunctio Rhasi dicitur, cùm nimirum ossa dehiscunt, priùs juncta, Celso libro Quinto, ut supra à tibia, vel secundò quia ossa elongantur propter remollitionem ligamentorum, ita ut os non excidat à proprio sinu, sed aliquantulum promoveatur, ut facile fit postmodum ipsum excidere, ut carpo, & cubito accidit. Distortumque à Rhasi nuncupatur. Perfecta verò si caput ossis excidat ex toto à proprio sinu, quę differt secundùm magis, & minus ex Quarto de Articulis primo, & fit in femore ac humero; nunc ex intensione symptomatum facilè est intelligere perillustrem virum vera, perfecta, & intensa luxatione laborare, prætereà quia non adest tumor, ut quando dehiscunt; nec articulus est pensilis, nec vacillat, ut in elongatione in pręsenti imperfecta luxatio non habet locum, sed perfecta solùm, sub qua ex toto excidit: Cœterùm cùm in varias partes femur excidat, nunc in externam partem excidit, primùm quia crus affectum brevius est, quoniam caput femoris elatius est sinu, secundò in perineo cavitas, extrà tumor apparet. Tertiò genu, pes, tibia interiùs spectant. Quartò crus sursum trahitur, & non potest flecti, quoniam musculi posteriores flexui repugnant, enim figurati dolent, & non distenduntur, calx terram non contingit, sed planta ima, hinc claudicatio, quæ omnia tertio de Articulis habentur; ergo femur luxatum est in exteriorem partem; quæ luxatio sicuti frequens est, ita quæ in internam frequentissime occurrit, uti quæ in priorem, vel posteriorem propter supercilia sinus elatiora rarissime accidunt.

Utcumque tamen omnibus luxatio habet causam tum efficientem, tum conservantem. Efficiens duplex, impellens & incontinens, prior hîc habet locum, nam cùm nobilissimus Baro infans esset ex fasciis in terram cecidit, & ex hoc casu, tamquam causa violenta femur extra proprium sinum impulsum fuit Causa incontinens, seu incontinentia & ipsa facit ad luxationem, non continetur autem femur in proprio sinu ob vitium, vel acetabuli, vel ligamentorum. Vitium autem acetabuli potest esse nativum, & acquisitum; nativum, quando supinum est, ut secundùm superficiem promineat, & sursum spectet, ut habetur libro de causis morborum nono; estque vitium in figura. Acquisitum quando supercilia sunt confracta. At vitium ligamentorum est tum disruptio, tum relaxatio à nimia humiditate, ex Galeno loco citato, & sexto Aphor. 59. cum Hippoc. Hîc autem incontinentia ex parte ligamentorum relaxatorum ob nimiam humiditatem locum habet, quę incontinentia in luxatione femoris eò magis potest, quia caput femoris naturaliter in cavo deorsum spectante inseritur, proindeque levi etiam de causa continentiam lędente fit hæc luxatio.

Causa verò conservans luxationis est causa detinens os extra propriam sedem, quę multiplex esse potest, pręcipua tamen est callus obductus, qui etiam hîc, ut

&

& morbi diuturnitas, & impossibilis repositio declarant, adsit oportet, quem callum ex materia à capite defluente, imò verò & ex alimento ipsarummet partium ortum habuisse, non est quod aliquis dubitet.

Nam quantùm ad caput attinet, est magnum, humidum, ergo destillationibus obnoxium, hanc autem destillationem fluere per modum transmissionis ad articulationem illam, non tantùm suâ naturâ; sed etiam occasione casûs jam dicti nullus unquam negabit.

Quare in hoc morbo propulsando respicit Medicus, vel ad curationem, vel ad præservationem; si ad curationem scopi sunt calli remollitio, & resolutio, collocatio, extensio, repositio; atque detentio, secundo, & tertio de fracturis, præservatorii fluxionis à capite in aliam partem conversio, materiæ fluxę evacuatio, cerebri siccatio, & partis recipientis confirmatio, habitâ tamen prius de toto providentiâ.

Verùm scopi curativi sunt impossibiles, nam vitium est veluti nativum, cecidit enim ex fasciis, dum à nutrice contrectaretur; accedit callus qui materiis medicis non cedit, adesse autem callum ex eo liquet (ut etiam suprà tetigi) quoniam luxatio est antiqua, quę callo obdurescere solet, tum ob humores ad caput femoris fluentes, tum ob sinûs repletionem: Immo etiam si recens esset hæc luxatio, femur adhuc repositum facilè excideret, non tantùm ob eam rationem, quòd sinus capitis femoris deorsum spectat, sed etiam quia musculi alioquin imbecilles, propterea femoris pondus illud non retinerent, & eo magis, si ligamenta sint læsa, ex Celso libro nono, capite decimo, sed non tantùm ob hasce rationes, scopos curativos impossibiles existimo, verùm etiam quia quamplura remedia citra fructum adhibita hucusque fuere. quamquam malum hoc non possit sanari, sub hoc tamen minùs ægri patiuntur, quoniam sub luxatione femoris in partem externam meliùs corpus regitur, atque fertur, tertio de Articulis.

Cæterùm scopi pręservatorii non sunt impossibiles, nam patiens est decem & octo annorum, in mutatione ideo ætatis humidioris ad	 sicciorem, multùm est fidendum; pręterea est obtemperans, ut nil sit ulla ratione omissurus, quod illi conducere possit, aliquid tamen difficultatis occurrit ob fluxionem, ac partis recipientis imbecillitatem, à quibus tum motus abolitus, tum deformitas affecti cruris, uti gracilitas, impendet.

Atqui cùm ex se nobilissimus Baro absque aliquo remedio pręservari possit, (quantùm ego existimo) non esset, quòd ego materias medicas in hunc finem proponerem, nisi ab ipso cogerer.

Quocirca ad materias chirurgicas primùm accedens, omitto curatorias, tanquam interim inutiles, nam cùm repositio inter illas sit præcipua, fiat palestricè, seu manibus, Methodicè cum vulgaribus, atque machinis, quęlibetque harum sit impossibilis, ideo jure omittendæ; Nihilominus ad tentandum aliqualem extensionem mihi summopere probatur calceus pro pede sinistro, in cujus fundo intra soleam sit lamina plumbea primùm subtilis, ac levis, deinde tractu temporis crassior & ponderosior.

Quamobrem quantùm attinet ad materias præservatorias, ratione sanguinis subdominantis singulo Vere venam secare conduceret, cauterium autem in crure sano, vel brachio ejusdem lateris esset oportunum; sed an ustio ejusdem in loco affecto conveniat meritò aliquis inquireret? Cui responderem quod sicuti Galenus ex Hippocrate sexto Aphor. ultimo, hanc laudabat inustionem, non solùm ut mucus absumeretur, verùm etiam & cutis corrugata, atque firmata facilè os femoris in suo sinu detineret; sic ne propter cutis laxitatem res interim in deterius laberetur, eadem Ustio videtur opportuna, cutanea saltem.

Medicamenta pręservatoria, si quæ ex usu essent, ad propria capita reduci commodè possent, quando hęc respiciant vel materiam, vel locum affectum; si materiam fluxuram, fluentem, & fluxam; quę fluxuram, sunt quæ respiciunt totum, & caput. Meritò igitur totius lenientia, præparantia & purgantia pituitam summopere conveniunt in genere verò purgantium pilulę arthriticæ sępius etiam repetitę sunt pręstantissimæ, quo & medicamenta insensibiliter evacuantia, decocta nempe guajaci, & salsę, decoctum florum Hyperici, atque terebinthina cum pulvere florum hyperici, & ivæ referri debent.

At medicamenta, quę materiam fluentem respiciunt sunt intercipientia, hinc horâ somni saccharum rosatum antiquum cum bolo Armena, ac theriaca recens erunt accommodata.

Meritò verò capitis lotio siccans, in activis temperata, & urgente necessitate embroca hujus censûs mihi probatur.

Materia tandem fluxa discutienda erit cerato Phœnicinio & Diachilone gummato, vel Oxycroceo, in quem usum etiam, quod ex Ladano, gummi Elemi, galbano & serapino paratur; est opportunum, pariter & oleum de spica odorata cum oleo Mastichino, oleum ladani, stillicidium cum oleo Hyperici, fotus cum sacculo ex spelta, & floribus Hyperici; Insessus ex aqua sulphurea, & nitrosa, luta etiam ejusdem mineræ probantur.

Postremò occurrunt medicamenta, quę locum affectum (seu proportionem ejusdem dixeris) respiciunt, inter quæ oleum antiquissimum salitum, aqua ardens, in qua ebullierint lumbrici terrestres, oleumque ex ossibus humanis destillatum arrident.

Victus talis instituatur, ut aeris inclementiæ fugiantur, omnis repletio, atque cruditas devitentur, cibique facilis coctionis, & nullius excrementi (si fieri potest) assumantur; Panisque tempore frigidiori fiat ex farina cum decocto salsę, & chinę excepta, Cęnaque semper sit parcior prandio, Victusque omnis (ut unico verbo omnia complectar) sit extenuans: Vinumque perillustri patienti sit in usu subrubrum, medicatum cum guajaco, & floribus Anthos. Deusque his omnibus faveat. *Julius Cæsar Claudinus in Consultationibus Medicis.*

Luxatio Cubiti.

Morbum, quo Illustrissimus Patiens divexatur, cubiti dexteri manifestissimam luxationem judicamus; etenim ob ossium vitiosam articulationem, naturalis impeditur motus, illis extra cavum humeri valdè prominentibus; cujus causam non internam, sed externam & manifestam cognoscit; quoniam in terram prolapsu ossa suo situ deturbata sunt; hinc nec extendi flectique, nec rotari legitimè possunt. Itaque, sicut facilè cognoscitur, & sensui obvius affectus est; ita ossium repositionem ligamentorum durities impedire videtur, tum quia cavitates ossium, ob temporis diuturnitatem, muco replentur, qui durior evadens, ossa etiam validissima distensione ad easdem compulsa non admitteret. Attamen Pat. Nob. juvenis est remediisque commodiorem extensionem, flexionemve meritò sperare licet. Antequam tamen parti succurratur, corpus expiandum est, juxta Galeni monitum; eaque postea emollienda, & pauca eidem materia impacta resolvenda; ac denique roborandum.

Unde, inter Chirurgica præsidia, sanguinis missio commendatur, ex vena communi sinistri brachii: ante tamen lenienda alvus, syrup. rosf. mannâ, & decoct. cord. Alterantia erunt decoct. in jure, ex cichor. borrag. end. soncho, pentaph. & seminibus citri; à quibus exhibeatur prædictum medicamentum, additis rhabarb. agaric. cum correctivis, infusione.

Parti verò affectæ mensis spatio, duabus vicibus, qualibet die; applicandi ventres vervecini per horam, quibus amotis, ex usu erunt omenta eorundem oleo amygd. liliorum alb. chamæmel. lumbric. pinguedine humana novissima imbuta. Et demum luta D. Barthol. per xv. saltem dies. Hoc interim parabitur instrumentum ferreum, quod sensim extensionem promoveat. Tandem, facta pro virili extensione, corroborandæ parti, luta primò Aponiana, deinde D. Petri negligenda non sunt.

Quibus accommoda victûs ratio succedat, Viris Excell. notissima. Et hæc proponenda duximus pro affectu Nob. Patientis. Faxit Deus, ut ex voto succedant. *Raym. Joh. Fortis Consult. & Resp. Medic. T. 1. Cent.* iv.

Spinæ ad Anteriora Contorsio.

Colli dolor, non sine aliquo ejusdem tumore, spinæque non quidem luxatio, sed ad anteriora contorsio, seu à sua rectitudine recessus, non aliunde ortum duxerunt quàm à materia catarrhali illuc defluxa, per modum non solùm transmissionis, à capite nimirum calida & humida intemperie prædito; verùm & per modum attractionis spinali medullâ in partu imbecilliori redditâ, & post partum ex difficili & incomposito situ diuturniori in ludis; crassa namque cartilago intra vertebras, & ligamenta humiditate imbuta spinam laxarunt: & quia ad anteriora, Pancreas, qui ventriculo substernitur, hunc elevavit; unde tumor quidam molestiæ non expers.

Quòd si affectio in dies augescet, necessariò brachi:, quæ ab illis vertebris motum suscipiunt, multò magis læsa, observabimus & ventriculi munus non levem offensam percipere posset, non sine spirandi difficultate.

Quare ad hæc mala arcenda, & progressum eorundem inhibendum, spina in situm pristinum restituenda, ligamenta roboranda; quod ut consequamur, materia antecedens tum exsiccanda tum divertenda; cerebri intemperies corrigenda, totò priùs expurgato. Id autem consequi non ita facilè; recessus enim iste ad anteriora, sicut rarior, ita difficilior.

Instituatur itaque totius expurgatio, quæ constabit sanguinis missione, vel ex illæso brachio vel ex saphena, si imminuti menses. Cauterium quoque eidem brachio peorpportunum erit. Lamina ferrea, fasciâ alligata, quæ à primis vertebris ad os sacrum perveniat, procuranda rectitudo, apposito cavitati aliquo cerato oxelæo, cittrino, & hujusmodi. Ex usu quinetiam inde pulvinar noctu durum, ventriculo appositum; die verò laminam ferream aut ligneam, ut moris est, ventriculum comprimentem gestandum censeo, potissimum jejuno ventriculo. Topicis tandem purgantibus perficietur expurgatio, ut pil. cochiis, aureis, aggregat. pulv. hermodact. hiera tuta Alex. & errhinis. Post hæc laudatur à nobis decoctum, ab Excell. Viro descriptum, cum sudore, cui adjici poterit bolus ex pulv. viper. cujus usu poterit insistere etiam absoluto sudore; parato etiam vino medicato in totam hyemem.

Diæta sit quidem semper attenuans, sed in curatione solùm; mediocriter verò tenuis extra eandem juxta scopos propositos. *Idem ibidem,*

Subluxatio vertebrarum dorsalium.

Juvenis robustus & vegetus evigilans aliquando mane conqueritur de difficili respiratione cum dolore tensivo hypochondriorum, quasi cingulo omnia ibi coërcerentur; Surgens, corpus non æquè bene flectere potest; quin palus quasi dorso infixus videatur. Negligit hæc per aliquot dies, sed contumaciter omnia perdurant; alvus constipatur, abdomen murmurat; hypochondria magis inflari videntur. Tandem phlogoses superveniunt. Interdum extremorum refrigeratio cum sudore frigido circa frontem & tempora; anxietates præcordiorum insignes & lypothymiæ subinde iminent; pulsus celer, durus, vehementiâ & magnitudine moderatus. In malo ita confirmato vocat medicum pro curâ.

Affectus in se levis, qui tamen neglectus; gravissima quæque inferr symptomata. *Causa proxima*, mutatio situs, seu subluxatio vertebrarum inferiorum thoracis. *Remota* conatus ponderis gestandi.

Symptomata superveniunt sequentia. Spasmi circa hypochondria, ab irritatis ob dislocationem nervis. Difficilis adest respiratio; corpus flectere nequit; phlogosis vaga, ob succorum diversorum in primis viis effervescentiam. Refrigeratio extremorum, Lipothymia; Sudores syncoptici, propter motum spirituum impeditum. Pulsus durus adest: quia spasmo corripiuntur membranæ. Circa locum luxationis facilè aliquid colligitur sanguinis, quod successivè corrumpitur unde sudoriferis discutiendus.

Si malum duret diu Tetanos, vel Opisthotonos, aut etiam propter Lypothimiam repetentem mors supervenire potest.

Curatio peragitur repositione & firmatione, de quâ vide Sennertum; Si verò in malo graviori, inflammatio repositionem impediat, ea priùs tollenda, cancrinis, sanguine hirci, acidis, sanguinem stagnantem resolventibus, ut spir. sal. amon. sperm. ceti cum pauxillo croci in cerevisia calida.

♃. Lap. cancr. præp. ℥i. antimon. diaphor. ℈i. M. pro duab. dosib. Capiat primam dosin in duobus cochlearibus aceti, expectando sudorem.

Factâ repositione, in quâ partes extendendæ; firmandæ eædem vinô tepidô, vel solô, vel cum floribus hyperici decocto, vel petroleum spinæ dorsi, præcordiis & hypochondriis calidè inungat; vel fiat emplastrum ex tacamahaca, quod malaxetur cum balsamo Peruviano. Pro reliquis symptomatibus & anxietatibus detur spir. carminativus de tribus.

Frequens malum est infantibus, qui phlogoses inde patiuntur. Si volunt cognoscere, an vertebræ sint luxatæ, emplastrum supradictum ventri admovent, deinde pedem lumbo applicant, quo situ, si manu dextra pedem assumere possunt, signum est nullam adesse luxationem. *Michael Ettmullerus in Collegio Consultatorio.*

Observationes.

De Luxatione Spinæ.

Inter luxationes omnium periculosissima est illa, quæ in spina dorsi occurrit: testantur id Hippocrates lib.

lib. de articulis: Avicenna, & alii, præcipuè autem vertebrę colli; docente Avicenna, mortem subitaneam adferunt. Nervi enim respirationi inservientes, addit Avicenna coarctantur, respirationemque auferunt. Dislocatio præterea versus partem interiorem, etsi hominem in momento necare non possit, pręcipue ea, quæ completa non est, lethalem tamen esse scribunt post Hippocratem Avicenna, & alii. Medulla enim spinalis cùm pars sit cerebri, eandemque cum ipso habeat naturam, gravissima sequuntur symptomata, si suo loco amotæ vertebrę. Comprimuntur præterea nervi ex spina prodeuntes, si introrsum facta fuerit dislocatio, & symptomata adaugent. Est autem spinę aut completa sive perfecta, videlicet cùm vertebra omnino suo loco amota est. At illa præcipuè si versus partem interiorem fuerit, mortem infert. Aut imperfecta, quando nimirum vertebra aliquantum suo loco amota est. At hæc non semper lethalis est, quemadmodum ex sequentibus exemplis videre licet.

Exemplum. I.

Pistori cuidam Burgdorffiensi, prope Bernam, cùm rota plaustri onusti vertebras duas impressisset, domum semimortuus & ab umbilico ad pedes paralysi plane resolutus portatur. Barbitonsor advocatur, qui nulla habita ratione speciei luxationis, miserum pronum in ventrem collocat, & eâ, quâ potuit, vi, manibus primò, deinde quoque genu spinam, quæ depressa, & proinde relevanda erat, magis magisque deprimit. Vides, qualis ignorantia, aut potiùs inhumana temeritas? Arbitror tamen ipsum tyrrannidem suam circa vertebras luxatas non exercuisse. Procul enim dubio vertebræ ulterius impulsæ fuissent; & in ipsa operatione animam egisset æger, sed vertebras, quæ supra & infra luxationem erant, ipsum deprimere voluisse, ut tandem æqualis fieret spina. Sed quid factum est? Dolores, qui in ipso ictu rotæ exorti fuerant, in operatione mirum in modum adaucti sunt. Hinc febris, inflammatio, intumefactio, tandemque abscessus quoque supervenit. Qui cùm ruptus fuisset, pus quinetiam copiosè, & in longum tempus effluxisset, dolores, febris, aliaque Symptomata paulatim remiserunt: Paralysis tamen in eodem statu permansit. Anno 1616. post annum ab accepto morbo, & ego quoque accersitus fui, sed nihil pręscripsi, cùm morbum inveteratum, & insanabilem esse viderem. Ab umbilico enim inferiores partes omnes sine sensu & motu erant: Sphyncteres tamen (qui ab initio quoque resoluti fuerunt) excipio. Excrementa enim & urinam retinebat. Fistula, quæ ex abscessu remanserat, ad ipsam spinam dorsi, & forsan ulterius penetrabat; in cujus fundo caries ossium stylo exploratorio deprehendi potuit. Reliqua membra secundùm naturam sese habebant, & integra erant, comedebat cum appetitu, sed lectum egredi non potuit. In hisce miseriis per annos aliquot vixit, qualis verò tandem fuerit exitus, mihi non constat.

Exemplum. II.

Anno 1621. 10. Januarii, venit ad me ex villa quadam prope Bernam, rusticus quidam, Joh. Bucher nomine, cui ante menses quindecim, ex arbore cadenti in terram, secunda vertebra lumborum ita introrsum repulsa fuerat, ut manifesta luxatio conspiceretur, multoque magis manibus palparetur. Post casum protinùs supervenit dolor acerbissimus, qui in longum tempus continuavit, neque etiam nunc ab eo liber est ęger, pręcipuè quando corpus inclinat, aut erigit. Illicò præterea post casum, cibum indigestum evomuit, nihilque cibi aut potûs per dies aliquot retinere potuit. Febris quoque ardentissima, sitis inexhausta, vigilię, inquietudines, ariditas linguę, tandemque delirium supervenerunt. Statim quoque post casum inferiores partes corporis ab umbilico paralysi correptę fuerant, quapropter neque excrementa, neque urinam retinere potuerat; nunc tamen ea retinet, sed cum difficultate excernit. Ab initio symptomata adeò erant vehementia, ut de recuperanda valetudine nihil spei ampliùs superesset.

Variorum autem barbitonsorum usus fuerat ope; quorum ne unus quidem, uti æger ipse mihi retulit, luxationem spinæ cognoverat. Hinc factum est, ut nihil ex arte ipsi pręscriptum aut adhibitum fuerit. Quia tamen juvenis (nondum enim trigesimum annum ætatis attigit) & optimo corporis habitu præditus est, solô naturæ beneficio, res eò devenit, ut dolores; febris; multaque alia symptomata remiserint. Urinam quoque & alvi excrementa, ut dixi, retinet; sensum quoque crurum recuperavit, coxasque & genua movet, quamvis difficulter, pedes verò etiam nunc adeò resoluti sunt, ut vix suffulcris se sustinere, aut passum unum vel alterum deambulare possit. Hęc omnia propter nervos ad crura descendentes, & à luxata vertebra compressos, accidunt. Cæterùm quia omnia ita occalluerant, ut luxata vertebra in sedem naturalem reponi non posset, morbum insanabilem esse, ipsi significavi. Suasi tamen, ut proxima æstate, præparato & decenter expurgato corpore, thermas Badenses Helveticas inviseret. Crura quinetiam & os sacrum, aquis destillatis & appropriatis, veluti aquâ Betonicę, Salviæ, Primulæ Veris, Juniperi, & similibus, inungeret: si forsan in hac florenti ętate nervis nonnihil roboris addi possit. Planè stupendam & ope Diaboli factam luxationem spinæ dorsi, vidi Dusseldorpii, Anno 1583. Juvenis quidam, viginti circiter annorum ætatis, cùm propter conceptam quandam phantasiam, noctu decumbens in lecto, se strangulare vellet, & in hunc finem ex poplitati suo funem parasset; eumque columnę spondę alligasset, colloque injecisset, sequenti die mortuus in lecto repertus fuit; etiamsi collum nullo modo à laqueo stringeretur. Mirantibus hæc omnibus, qui turmatim accurrebant; venit carnifex, qui cùm cadaver exuisset. Metaphrenum à diabolo adeò depressum repertum fuit, ut os pectoris ferè attingeret. *Guilielmus Fabritius Hildanus Observ. Chirurgic. Cent.* V.

Luxatio Spinæ introrsum facta, quomodo reponenda?

Quamvis luxationem spinæ introrsum factam in locum reponi non posse, passim apud rationales Medicos & Chirurgos trita atque celebrata sit opinio. Quomodo enim quis, inquit Hippocrates; ab anteriore parte per ventrem coactionem facere possit? attamen crudele & inhumanum esset, si Chirurgus ingeniosus & expertus ęgrum derelinqueret absque ullo pręsidio; pręcipuè cùm sciamus, affectum huncce hominem aut enecare, aut per totam vitam suam miserum & claudum reddere, quemadmodum ex pręcedentibus exemplis videre licet. Mortalem autem esse affectum, pręter Hippocratem libro de articulis, etiam Avicenna testatur his verbis: Si dislocatio, inquit, est ad partem interiorem, non est possibile ut curetur, & est de eis, quę interficiunt velociter. Hujus sententię quoque sunt alii quàm plurimi Viri docti. Cùm itaque, iterum inquio, inhumanum esset, ęgrum, qui aliàs moriturus est, ubi nullum aliud præsidium super-est,

eſt, quam repoſitio vertebrę, ſine auxilio derelinquere, omnia, quæ ex ratione fieri poſſint, tentanda ſunt, hunc in modum.

Curatio autem hæc, ut id prius moneam, partim ex Hippocratis, Oribaſii, & Æginetæ mente, partim quoque ex propria inventione inſtituenda eſt. Collocatur æger pronus ſuper ſcamnum aut organum Hippocr. ab Oribaſio lib. de machinamentis, cap. 35. delineatum; deinde laquei duo lati & ſpiſſi (ne extendendo cutem vulnerent) ex tela fabricati, corpori injiciendi ſunt, unus ſupra luxatum, alter infra. Qui ſupra Luxationem, ſub axillis injectus eſt laqueus ſcamno, qui infrà luxationem verò, axi annectendus eſt, lineâ tamen rectâ, ut circumducto axe; æqualiter fiat extenſio ſpinæ.

Sed quia Organi Hippocratis uſus jamdudum obſolevit; ideò Paræus inter modernos Chirurgos facilè Princeps; alium modum excogitavit, injectis videlicet laqueis, uti dixi, viros duos fortes conſtituit; quorum unus ſuperiorem laqueum apprehendit trahitque. Præſtat tamen, meo quidem judicio, ſuperiorem laqueum columnæ alicui immobile âlligare; inferiori verò organum trochleatum Paræi annectere. Illud enim quàm aptum ſit, ubi pars aliqua corporis extenſione opus habet ſæpiſſimè in fracturis oſſium & luxationibus expertus ſum. Cæterum etſi Hippocrates Dislocationem ſpinę introrſum factam, mortalem eſſe pronunciaverit, uti antea quoque dixi, docet tamen, tentandum eſſe, an concuſſio per ſcalam facta; ægro opem aliquam ſalutiferam adferre poſſit? Quapropter cùm ęger aut organo; ſive Gloſſocomo Hippocratis, aut inſtrumento trochleato Paræi alligatus fuerit; ſpina à Miniſtris extendatur, quantum neceſſe eſſe videbitur, ęqualiter tamen Chirurgus interim ambabus manibus ſpinam nunc in dextrum, nunc in ſiniſtrum latus concutiat, aut etiam linteo ſub ventre poſito, in altum elevet. Sed videat, ne deorſum deprimat dorſum, uti fecit ineptus ille reſtaurator in Burgdorffienſi Piſtore, de quo in prępcedenti Obſervatione dictum fuit.

Porrò ſi extenſio & concuſſio ſpinæ ſtatim ab initio, dum adhuc recens eſt luxatio, adminiſtrata fuerit, ſpes aliqua ſupereſt, Luxationem, intellige imperfectam, reponi poſſe. Sin id fieri nequiverit, arbitror potiùs tentandum eſſe ſequens remedium extremum, quàm penitùs derelinquere ęgrum, qui aliòquin pręter magnitudinem morbi, aut immaniſſima tormenta & dolores, moriturus, aut vitam duram miſeramque victurus eſt, uti ex ſuperioribus exemplis videre licet. Fiat itaque inciſio novaculâ, uſque ad ipſam appendicem vertebræ deſcendentem, mox per idem vulnus iterum immiſsâ novaculâ duę aliæ fiant inciſiones, una ad dextrum altera ad ſiniſtrum latus appendicis: deinde tenaculis ad negotium hocce aptis, apprehenſa appendice trahatur in altum, & reponatur vertebra in ſedem naturalem. Interim autem dum hæc fiunt ſpina ut extenſa ſit, neceſſe eſt; faciliùs enim in ſitum naturalem reſiliet vertebra. Vulnus aut exiguum, aut magnum, ſecundùm dislocationis magnitudinem infigendum eſt.

Si enim unica vertebra impreſſa fuerit, parvum ſufficiet vulnus: ſin duæ aut plures, magnum ut ſit, neceſſe eſt, quò ambę vertebræ luxatę apprehendi poſſint. Si hæmorrhagia obſtiterit, ita ut ſtatim poſt inciſionem factam operatio fieri non poſſit, ſtupis arctè contortis, & albumine ovi madefactis, nec non pulvere noſtro, ad ſanguinem ſiſtendum aſperſis, ſiſtendus eſt. Ubi hoc obſervandum, totum vulnus, præſertim ex utraque parte appendicis, ſtupis iſtis quàm diligentiſſimè adimplendum eſſe. Id verò ut commodè fiat, ex ſtupis contortis fiant pulvilli multi; quorum unus poſt alterum vulneri intrudatur, donec impletum fuerit. Applicetur poſtea Emplaſtrum aliquod tenaciter adhęrens, & faſciâ ligetur. Poſt horas aliquot cùm ſanguis ſubſtiterit, clementer, ne ſanguis iterum prorumpat, eximendæ ſunt ſtupæ. Poſtea adhibenda tenacula, quemadmodum dictum eſt. Tenacula autem fortis & denudata ſit, quemadmodum utimur in extractione calculi. Si duæ luxatæ fuerint vertebræ, ambæ, & quidem duabus tenaculis apprehendendæ ſunt.

Duo itaque ſint Chirurgi, qui æqualiter, unoque cum conſenſu in altum trahant. Videat præterea Chirurgus, ne inciſiones ad latera appendicis nimis profundè fiant, propter nervos, qui ad latera vertebrarum ex ſpinali medulla prodeunt. Neceſſe præterea eſt, ut operatio hæc fiat ab initio morbi, dum vires adhuc conſtant, & antequam pars affecta inflammatione & intumefactione ſit obſeſſa. Nec quicquam intereſt, an ęger, ut aliquando fit, ſine loquela & intellectu fuerit.

Quandoquidem in depreſſione cranii graviſſima illa ſymptomata, loquelę videlicet & intellectus amiſſio, quoque adſunt, nihilominus tamen diligens & expertus Chirurgus operationem non procraſtinat. Scit enim impreſſionem cranii cauſam eſſe mali, repoſito cranio in ſitum naturalem, remiſſura eſſe Symptomata.

Quòd ſi ab initio Chirurgus vocatus non fuerit, ſed ſecunda, tertia, aut quarta demum die, ante operationem fovendus eſt locus decocto Betonicæ, Primulæ Veris, Salviæ, Camomillæ, Meliloti, Roſarum, & granorum Juniperi, quibus emollientia nonnulla, veluti malvam, altheam, addere poterit, deinde repoſitionem tentare. Poſt operationem dorſum oleo Roſaceo & lumbricorum inungendum: vulnus quinetiam more aliorum contuſorum vulnerum tractandum eſt.

Objiciet forſan aliquis, Operationem hancce incertam ac periculoſam, & proinde minimè tentandam eſſe.

Reſpondeo, idem & de aliis graviſſimis operationibus dici poſſe; interim tantum nihil eorum, quę cum ratione fieri poſſunt, omittit fidelis & ingenioſus Chirurgus, quin potiùs ex mente Hippocratis, extremum remedium extremo applicat morbo. *Satius* enim eſt, ait Celſus, anceps experiri remedium quàm nullum.

Depreſſio cranii, quæ maximam affinitatem cum luxatis vertebris habet, per ſe, niſi valdè exigua fuerit, lethalis eſt, ubi operatio periculoſa juxta & incerta eſt. Cutis enim decuſſatim ad cranium uſque & quęcunque ſubſunt vaſa venarum & arteriarum, inciduntur, Pericranium, membrana exquiſitiſſimo ſenſu prædita, maximo dolore à pericranio abrumpitur: Cranium deinde ad cerebrum uſque perforatur terebello, hamulis & elevatoriis elevatur in altum: At hęc omnia ſuntne periculoſa? maximè. Quid dicam de extractione fœtus mortui, de partu cæſareo, extractione calculi & ſimilibus operationibus, quę quidem periculo plenę, nihilominus tamen indies cum fructu adminiſtrantur: ut ego multoties in praxi meâ expertus ſum. Quapropter cum Celſo lib. 7. cap. 33. aſſero, nihil intereſſe, tutumne ſit remedium, necne; quod unicum: & proinde etiam in deſperatis affectibus ſemper ea, quæ ſecundùm rationem fieri poſſunt, tentanda eſſe. Cęterum non video operationem hancce tantoperè eſſe periculoſam. In medio enim dorſi non dantur magna vaſa vena-

rum

rum aut arteriarum. Nervi prętereà in appendicibus exiles sunt; quapropter sępissimè permagna vulnera circa spinam dorsi feliciter sanata fuisse observavi: pręcipuè in juvene quodam viro, cui in tumultu, cultro vulnus circa quartam vèrtebram lumborum infixum fuit, ubi acies cultri fracta inter appendices spinę remansit.

Huic ego post annos duos ab accepto vulnere, fragmentum cultri extraxi, fistulamque feliciter curavi. Erat autem angustissima, quapropter dilatanda fuit tum causticis, tum etiam instrumentis incisoriis. Omnia tamen sine inflammatione, aut aliquo alio graviori sympomate facta fuerunt.

Jubet prætereà Magnus Paræus, in fractis vertebris, si fragmenta ossium magna symptomata excitaverint, cutim aperire, ossaque confracta extrahere. In fracturis costarum introrsum factis, ubi fragmenta costæ pleuram pungunt, maximosque dolores, aliaque symptomata excitant, idem Paræus suadet, ut cutis incidatur usque ad costam, eaque hamulis apprehendatur, & in situm naturalem reponatur. Hoc si in vertebris costisque fractis fit, cur non idem in spina luxata fieret? *Idem ibidem*

Mors à luxato pede.

Quantumvis populus rarò Chirurgis committat curam luxatorum ossium; artis tamen non exiguæ est operam illam salutariter corpori impendere: Ecquid enim quæso mirum! Siquidem is cui omne præsidium ab audaciâ, vel non satis exactè noverit positum figuramque cujuscumque commissurę, lęserit facilè tumultuario suô opere, tendines, nervos, venas ac arterias, nullibi quàm circa articulos frequentiores. Quibus tamen imprò vidè dilaceratis, necesse erit ac tutum insequi dolores, inflammationes ac ulcera, quę non modò carnem, ligamenta, & ossa, verùm & ipsam depascuntur vitam.

Vir temerarius, magnus tamen in oculis vulgi, repositurus Adriano Omnimundo luxatum tali os, adeò non attigit scopum illum; ut potiùs, fœdum in modum contorserit ipsius articulum, excitatis convulsionibus, febre, deliriô, imò ulceribus tam frequentibus ac sensus adeò exquisiti, ut præ intolerabili dolorum cruciatu, coactus fuerit ante diem vigesimum, diem suum obire. Quem terminum etiam calcis ossi, ob summum cum universô corpore consensum, designavit olim locuples Auctor Hippocrates lib. de artic. 12. Histor. 48. lib. 5. epidem.

Acri idcircò, si ullibi, in hôc saltem tali articulo, circumspectione opus erit. Neque fortassis minore diligentiâ, in manibus, ac pedibus, in quorum mæandris, ac diverticulis facilè videas plures à retentô acri pure oboriri abscessus quàm, vel natura humana ferendo, vel Chirurgorum industria fuerit curando. *Nicol. Tulpius Observationum Medicarum lib. 4.*

Dislocatio humeri.

Vir 32. annorum è curru prolapsus, passus est dislocationem in humerô sinistrô, sicut caput ossis in inferiorem partem prolapsum causa foret ibidem alicujus eminentiæ, dum è contra in parte superiore deprehendebatur cavitas insolita. Æger conquerebatur de dolore satis validô, nec manum per partem anteriorem ad frontem, nec per posteriorem ad collum movere valebat. Os scilicet à sede suâ prolapsum, periostium partesque comprimebat vicinas, unde dolor, qui incrementum capessebat ex eô, quòd in tubulis partium compressis & distortis, humores stagnarent, acescerent, ac vellicarent fibrillas.

Motus brachii consuetus peragi non poterat, quia caput ossis è cavitate propria propulsum, non gaudebat, ut ante, locô cavô glabrôque qualis ad motum ipsius obeundem requirebatur; huc etiam faciebat, quod spiritus animales, per tubulos ab humoribus stagnantibus obstructos & ab osse dislocato compressos, musculos intrare, eosque inflare nequirent; huc tandem accedit, quod motus fieri non posset, quin caput ossis magis adhuc premeret partes conterminas, unde dolor de novo exoriebatur, qui ad motum rite peragendum non parvum quoque afferebat obstaculum.

Ad ægrum vocatus os dislocatum mox reposui, statimque motus redibat, & dolor quidem aderat adhuc aliquis, quia humores acidi stagnantes fibrillas adhuc aliquatenus irritabant, sed tamen valdè diminutus erat; quia caput ossis jam in propria cavitate contentum non amplius comprimebat partes sensibiles.

Osse reposito humores stagnantes per acidum temperantia dissolvere, ac circulationem humorum restituere studui, quare partem affectam lavi spiritu vini, in quo gummi ammoniacum dissolutum erat, & imposui emplastrum compositum ex diapalma, bolo, spiritu vini ac oleo camomillæ, tandemque, sub ala posito linteo in pilæ formam convoluto, adhibui idoneam ligaturam, sicque æger brevi temporis spatio sanatus est.

Petrus Pigręus, Gallicus auctor, ac Chirurgus laude dignus osse reposito commendat adstringentia, sed (pace tanti viri dictum sit) in hoc egregiè fallitur; nam adstringentia augent obstructiones quæ potiùs essent minuendæ.

Paulus Barbette vult, ut influxus humorum hoc in casu prohibeatur, sed male, quoniam ille, utpote naturalis, prohiberi non debet. Vidit ille vir absque dubio partes vicinas in dislocatione non rarò elevari in tumorem, observavit præterea per crebram experientiam; rhus, mastichen, bolum, similiaque hunc tumorem fugare, & bene; sed ubi judicavit tumorem hunc produci à solito copiosiori influxu, & ubi secundùm hoc prejudicium putavit medicamenta sua ideo juvare, quòd influxum istum prohiberent, tunc, inquam, erravit, nam obstructiones in causa sunt, ut humores coacerventur & in tumorem eleventur, ac acescant, dictaque medicamenta prosunt ex eo, quod obstructiones tollant ac acidum temperent.

Jam locutus sum de dislocatione humeri subitò contingente, restat adhuc alia tardè invadens, ac tardiùs adhuc sanabilis, cùm scilicet à vi aliquâ externâ ligamenta humeri contunduntur, sic ut tubuli distorqueantur, unde humores per ligamenta circulantes, ibidem subsistunt, ac progressu temporis se insinuant in poros fibrillarum, ex quibus ligamenta constant, eosque poros extendunt non secundùm latitudinem sed secundùm longitudinem ligamentorum, quia ligamenta, dum motus peragitur, in longum sępius extenduntur, atque ita ligamenta, quæ caput ossis aliàs in cavitate sua continebant, jam prolongantur adeò, ut os ex propria sede prolabatur.

Hęc dislocatio facilè restituitur, sed os repositum difficillime retineri potest.

Medicamenta externa, quæ, osse in locum suum redacto, hìc prosunt, sunt talia, quę multo sale volatili constant, quod sal volatile particulas in poris ligamentorum hęrentes potest attenuare, ac ex poris ita propellere, & circulationem humorum restituere. Curatio autem facilior & brevior reddetur, si externis medicamentis opem feramus per internum decoctum constans ex ligno guajaco, radice sarsæ parillæ, chinę, aliisque medicamentis multo sale volatili gaudentibus. *Joh. Muys in Praxi Chirurgicâ rationali.*

De Dislocatione tali cum vulnere.

Quadragenarius ex alto delapſus eſt in terram, atque ita paſſus eſt dislocatiooem in talo interiori ſiniſtri cruris conjunctam cum vulnere vaſto, extra quod os tibiæ tres digitos transverſos longum prominebat, aderatque dolor atrociſſimus.

Caſus hic valdè periculoſus eſt, nam ſi non ſine ſummo vitæ periculo gangræna aliquando invadat indicem digitum dislocatione cum vulnere correptum, ſicut id ipſum non ita pridem contigiſſe memini, quàm horrenda ſymptomata timenda non ſunt, ſi in magno tali articulo reperiatur ingenti cum vulnere dislocatio?

Sed quàm periculoſus, tam rarus eſt etiam hic affectus, ſic ut Paræus, Pigręus, Aquapendens, Barbette, aliique eundem in libris ſuis vix attingant, quamvis Scultetus in armamentario ſuo chirurgico de illo loquatur; ſed an verbis ipſius adhibenda fides? an ejuſdem conſilium ſequemur? videbimus illud poſtea, ponderemus priùs verba ſequentia ab eodem prolata: Si articulus luxetur, ita ut ſit vel detectus, vel extra pellem parum protruſus, affectus eſt lethalis, majoris periculi, ſi reſtituatur, quàm ſi non reſtituatur. Si enim non reſtituatur, ſuperveniet inflammatio, convulſio & interdum mors; deinde aderit turpitudo ipſius membri, ac tertiò ulcus inſanabile; quod ſi fortè cicatrice aliqua obducatur, ob mollitiem facilè etiam ſolvitur; ſi verò reponatur, maximum adducit convulſionis, gangrænę & mortis periculum; ſed nonnulli ejuſmodi pericula timent ſolummodo in articulis magnis, carpo videlicet, cubito, humero, talo & femore, qui ob tendinum robur, ligamentorum & vaſorum magnitudinem reſtitutionem prohibent; deinde adſit; ſi oſſe reſtituto ſuperveniat convulſio, ſtatim articulus iterum luxandus.

Animus mihi eſt haud aliter ad hæc Sculteti verba reſpondere, quàm exactè ac fideliter referendo medelam, quam ægroto noſtro adhibuimus, quandoquidem hinc ſatis liquidò elucеſcet; quàm bene vel quàm male ſcripſerit citatus auctor.

Primò igitur tibiam è ſede ſua propulſam abluimus ſpiritu vini tepido ad ſanguinem coagulatum ac ſordes adhęreſcentes abſtergendas, deinde, ſufficienti facta extenſione; os dislocatum in locum ſuum repulimus, vulneri applicuimus bonum digeſtivum, ſuperpoſito idoneo emplaſtro, lavamento acidum temperante ac communi ligatura, atque crus hoc modo obligatum pulvinari molliori imponebatur, ſicque ęger deportatus eſt in lectum, ſupra quem funis ſuſpendebatur, cujus ope patiens corpus erigere poſſet, ſicut dixi in obſervatione prægreſſa, ac ad pedes ægroti lecto impoſuimus aſſulam quandam, ſcilicet ne ſtragula ſuo pendere cruri vulnerato aliquod afferrent incommodum.

Ob copiam puris è vulnere profluentis crus affectum bis de die religare debuimus; ſed interea temporis dolor vehementiſſimus ſuam exercebat tyrannidem in ægro noſtro, qui febricitabat; delirabat, noctesque ferme totas traducebat inſomnes, aut ſi patiens interdum brevi ſomno recrearetur, paulò poſt eundem ſubitò è ſomno excitabat terror ille, de quo dixi in obſervatione præcedente, unde talus ſæpius iterum aliquatenus diſtorquebatur.

Ad tollendum dolorem, febrim, vigilias ac delirium æger per vices aſſumſit aliquid ſequentis mixturę;

℞. Aq. betonic. ℥jv. meliſſæ ℥j. Syr. card. bened. ʒiii. Antimon. diaphor. ʒi. Salis prunell. antimoniat. ʒß. Corall. alb. Oculor. cancr. ana ℈i. Laud. opiat. G. iv. F. Mixtura.

Talus autem, quoties poſt ſomnum reperiebatur diſtortus, debebat reponi.

Atque ita trium ſeptimanarum ſpatio vix elapſo febris ac delirium ceſſabant, deinde etiam, ſed tardius, terror modò nominatus, ac tandem quoque dolor ac vigiliæ.

Sed incidit hîc mihi aliquid in memoriam, quod propemodum oblitus eram, nimirum quod duo abſceſſus in affecto crure exorti ſint, unus circa vulnus, alter in externa cruris parte, ſed uterque hic abſceſſus poſt apertionem ſanabatur.

Progreſſu temporis permulta fragmenta ab oſſe tibiæ ſeparata ſunt, quæ tunc ex vulnere blande ſuſtulimus, ac carni fungoſæ, quæ in vulnere conſpiciebatur, ſingulis fere diebus ſemel pulverem aluminis impoſuimus, atque ita tandem in conſpectum venit cicatrix, quæ de die in diem majus capeſſebat incrementum, ſic ut circa ſextum menſem totum fere vulnus contexerit, quare æger ſcipionum ope iterum incedere cœpit, ſed motu hoc vulnus iterum evadebat magis amplum; ſic ut nondum omni ex parte coaluerit, quod nemini mirum videri debet, nam novi adhuc duos, qui per aliquot annos ulcus poſt dislocationem tali cum vulnere habuerunt.

Sed quid ſi poſt tali dislocati repoſitionem ægrum corripuiſſet convulſio; an tunc debuiſſemus ſequi conſilium Sculteti, & luxare iterum articulum repoſitum? non puto, quandoquidem cauſam non video; quæ nos ad hoc agendum impelleret.

Multorum phœnomenorum hîc loci non reddo rationem, & quidem conſultò, ne cramben bis coctam lectoribus apponam; nam puto nullam ullius phænomeni rationem hîc eſſe omiſſam, quam non in hac, aut illa pręcedentium obſervationum offendes; *Idem Ibidem.*

Luxatio oſſis caudæ.

Articulationis ope quę juncta, luxatione facilè ſejungi poſſunt, una tamen aliâ majoris periculi.

Mulier quædam Anabaptiſtarum ſectæ addicta alvi-excrementa deponere ſtudens, operculo locum ſecretum indebite rectum ignorans, ex improviſo os coccygis lædebat, adeò ut nec ſedere valeret; ſed ab aliis in lectum deportari debuerit.

Altero die dolor ſummus; qui jam à primo tempore adfuerat, ſimiliter ac febris gravis, convulſionesque me advocari fecerunt, nec non Medicum ordinarium.

Conſiderandis conſideratis, omnium ſymptomatum originem oſſis caudæ luxationem infortunio quodam contractum pronunciavimus, nullo verò modo ea tolli vel imminui poſſe niſi digito in anum immiſſo os idem ſuo loco reſtitueretur. At illa ut operationem hanc admitteret, nullis verbis, pudore ſuffuſa, induci potuit, quæ exigebat Topica nullius fructus declarabamus, quamdiu repoſitio debita haud peracta.

Quod nihil omninò hîc efficere nos poſſe obſervaremus, relicta ægrotante miſere decumbente, diſceſſimus.

Nox moleſta valdè, ob ſymptomatum, convulſionis imprimis, incrementum, quod commodum, imò unicum in hoc caſu medium heri declaraveramus manualem nempe oſſis luxati repoſitionem, mane ſummo admitteret, urgebat,

Secutus adeoque modum à Paræo lib. 16. cap. 14. aliiſque pręſcriptum, digitum ſiniſtrę manus Oleo Roſarum inunctum in inteſtinum rectum immiſi, mox manu dextra variis modis locum affectum tractavi, uſque dum cum ſtrepitu in locum ſuum oſſicula recederent; quod brevi effectum, ſymptomatibus omnibus in totum ſublatis. Exterius Ceratum Vigonis imponebatur ad curationis ſolutionem. *Job. à Meekren in Obſervationibus Medico-Chirurgicis.*

De

De Ossis Coccygis Luxatione.

Vir quidam Nobilis, non procul abhinc, mense Januario hujus anni 1671. supinus prolabens; podicem sub finem Ossis Coccygis lapidi acuto tam vehementer affigit, ut inde hocce Os luxaretur. Hoc facto patiens planè immobilis redditus, non ipsus se levare poterat, sed à domesticis in lectum deportandus erat. Manè insequente septendecim post lapsum horas ego vocatus adsum; invenio ægrum febricitantem acute, crura pedesque immobilem, & non procul à convellendo existentem. Imprimis tamen querebatur de dolore intollerabili circa anum, ob quem nec respirare commodè; nec tussire, nec etiam alvi & vesicę excrementa deponere poterat. De fractura ossium mihi primum suspicio; sed accuratius omnia examinans, sana cuncta invenio. Podicem tandem inspiciens omnia sugillata esse video. Recogitabam hîc gravissima symptomata, quę ab Ossis Coccygis luxatione prodiisse notarunt Amatus Lusitanus Cent. 2. Obser. 5. Joh. van Meekren cap. 56. Observ. Chirurg. & Henr. Smetius Miscellan. Med. p. 564. hinc an & hîc aliqua adsit luxatio digito in anum immisso inquiro. Sed hoc tentanti extremitas Ossis Coccygis (quæ interius recesserat obsistens me de luxatione certum faciebat. Diutius nolebam ægrum suis conflictare malis, hinc propinata prius drachma dimidia Salis Viperarum fixi, in aqua Chærefolii Romani, patientem loco pronum corpore & natibus elevatis, pedibus verò deorsum pendentibus, post juxta methodum, quam Paulus Ægineta lib. 6. cap. 98. breviter quidem, sed doctissimè describit, indicem sinistrę manus pinguedine aliqua insalita inunctum podici immitto, eumque sensim sensimque incurvo, denique pollicem exterius admoveo, hoc modo trahendo & premendo tantùm pręstiti, ut ossa creparent, inque situm naturalem redirent, unde dolorum cœterorumque Symptomatum insigne levamen. Ne tamen os iterum excideret, podicem sæpius vino rubro, in quo folia quercus, cupulæ glandium, flores rosarum rubrarum & balaustiorum cocta erant, calide fovendum suadeo. Post febri Julapio cordiali refrigerante obviam ibatur, locus verò affectus Cerato Vigonis muniebatur.

Hîc ob argumenti similitudinem sequens addere placet: Matronę cuidam primarię post partum difficilem hocce Ossiculum adeò retrò cesserat, ut fœces semper involuntarie prodirent. Hæc cùm per decennium hancce molestiam pertulisset, me per obstetricem consulit. Suadeo, ut obstetrix admoto exterius digito, an Ossiculum hoc repelli posset tentaret. Tentat sed sine effectu neque enim Ossis crepatum exaudire poteit. Sed haccce regione oleo lumbricorum & liliorum alborum sæpius inuncta, & hoc modo mollificata, facile negotium processit, nec quicquam restabat agendum, quàm ut locus iste emplastro contra rupturam Felicis VVurtzii muniretur. Recordor hîc, quod Rhodius Cent. 3. Obs. 80. referat, Adrianum Spigelium Nobili Matronæ Os Coccygis à partu luxatum solâ fasciâ restituisse. *D. Alardi Hermanni Cummeni.*

De mira utriusque Ossis Femoris luxatione.

Mirabile humanę miseriæ & miserabile luxationis femoris Exemplum nuper XV. Decemb. Anno 1676. vidi in puero quodam rustico 14. circiter annorum, hîc Beruthi jam decumbente, cui ex præcedentibus vehementissimis coxendicum doloribus, quos ob nimiam partium externarum hyberno hocce tempore refrigerationem fortè contraxerat, utrumque os femoris capitibus suis coxarum finibus excidit & luxatum est; dextrum nempe extrorsum, sinistrum verò introrsum: unde factum, ut non solùm propter caloris nativi alimentique, ob venarum & arteriarum distorsionem, defectum, abolitamque membrorum nutritionem utrinque crus & femur contabuerint; sed dextrum quoque crus, eò quòd femoris caput in locum altiorem exciderit, brevius redditum, ut calx terram attingere nequeat; sinistrum contra, si cum altero conferatur, longius sit; ambo v. ob ἀτροφίαν robore destituta, omnem plane motum atque usum ad standum & incedendum amiserint, ut humi desidere natibusque repere deinceps cogatur, sicut Jeibolfus ille, cujus meminit Illustris Reinesius lib. 2. variar. lect. c. 18. *Joh. Matthiæ Nesteri.*

Luxatio Femoris.

Nepos xvii. agens ętatis annum, & mihi, & sibi xxix. Martii currentis anni 1673. bene valere visus, publicam aditurus scholam, præter opinionem difficilius incedere coactus est ob molestiæ aliquem sensum per plateas totum sinistrum crus invadentem, sensim auctum cum humorum circa vesperam dolente decubitu ad sinistrum coxendicis acetabulum, à quo ad ejusdem lateris genu 31. Martii transiit tumor & dolor. i. Aprilis nil amplius de sinistro femore vel genu conquestus, dextrum genu vehementius dolere incœpit cum febri acuta, siti, urina confusa & vigiliis. Aptil. 6. Carpum sinistrum doluit, cum non levibus suppurationis indiciis, quæ post quartum se prodidit, febre nihilominus ad meridiem indies exacerbata usque ad 16. dicti mensis diem: quo omnia remissionem spondere videbantur, natura interim alium locum sponte eligente, dextrum scilicet Coxendicis acetabulum, quod tanto impetu obruebat, ut non solùm ingentem totius femoris tumorem induxerit, sed & inscio ac non advertente ægroto ejusdem dextri femoris caput, sensim laxato rotundo ligamento, post dies aliquot ex acetabulo & sede sua expulerit. Tentarunt quidam, ut rectè meministi, Chirurgi, Philippus Harquard & Dan. Aspackius, radice Consolidæ majoris &c. & aliis ex arte factis deligationibus emotum articulum ad pristinam sedem reducere; tandem & manuali aggressione; utrumque tamen infelici successu. Caput enim femoris in acetabulum me pręsente repositum, emplastris ac fasciis aptè impositis iterum è sede sua versus anteriora relapsum est, nec ullo ingenio in acetabulum postea reduci potuit. Ex suppurato carpo quędam erosorum ossium fragmenta subinde egressa sunt, jam verò cicatrix ulceri inducta est. Decimo quarto à decubitu die de dextri oculi debilitate visuque fere ablato conquestus est, qui tamen integer ex voto rediit post aliquot dies. Interea quæ è re visa sunt exhibui, evacuantia, alterantia, nervos & articulos roborantia, quibus tantùm profecit, ut ad initium Augusti fere sine doloribus esset, eo autem inchoato, primùm diaria febris, quæ post dies aliquot rediit, at sub alio typo, cum horrore, calore acri & fixo, siti, vigiliis, novo dextri femoris & genu, ac valde dolente tumore, & insigni virium prostratione. 7. August. totum femur erysipelatosum fuit cum magnis dorsi doloribus per cruentas & valde obscuras urinas intra triduum solutis. 11. Aug. in interna femoris parte ad superiora musculi Gracilis, materia, quę ex toto confluxerat, in acumen surgens exitium moliri visa est, quam levi scalpelli ictu adjuvimus, prorumpente copioso & cruento ichore; quia verò omnia totius femoris integumenta communia à nimia dicti ichoris copia distenta erant, etiam in externa femoris parte post dies aliquot incisio tentata est, exeunte magis cocto pure. Chinæ interea decoctum diu usurpatum, ac fonticulus cruri inustus. Et quamvis poplitem necdum flectere potest, quæ hujus morbi consueta est calamitas,

ad robur parti conciliandum quotidianas jam ſuadeo deambulationes; omnia enim, ut nos Libro de Art. docet Hippocrates, quæ in corpore ad uſum facta ſunt, ſi quis moderate ipſis utatur & in laboribus exerceat, quibus ſingula ſunt adſueta, ſic quidem ſana ſunt & augeſcunt & probe conſeneſcunt; ſi verò quis non utatur; ſed quieſcat, morboſiora fiunt, & non augeſcunt, & cito conſeneſcunt; inter hęc autem non minime perpetiuntur hoc & articuli & nervi, ſi quis non utatur ipſis. Et ne gibbum contrahat, ſed erectiorem obtineat totius corporis figuram, longioribus ſub alas ſcipionibus incedens innititur; ita tamen ut planta pedis terram attingere poſſit. *D. Thom. Bartholini.*

De Tumore Genu, ex lapſu, pro Luxatione male curato.

Chirurgus Bensheimenſis, Adamus Daigel, Darmſtadii me conveniens, impensè rogat, quo ipſi ſim conſilio in filio Johan. Glingelbach, ejuſdem loci vindemiatoris. Puer hic undecim annorum, graviter in terram delapſus, ita ut confeſtim tumor inſignis eſſet obortus, conſternati inde parentes, chirurgi opem implorant; metuens autem iſte luxationem, quam tamen ob tumoris magnitudinem haud cognoſcebat, genu egregie ac fortiter extendit, nervoſaſque partes ita lęſit, contorſit ac irritavit, ut mox ab iſta extenſione dolor exortus ſit magnus, unde humorum è toto corpore in partes lęſas affluxus, qui nec cohibitus, ſed de die in diem adauctus, dolores ſimul adauxit, hinc materia acris & corroſiva facta, nullis autem chirurgorum (quorum jam erant duo) pręſidiis vel ablata, vel emendata. Hinc cuniculos egit, totumque non ſolum genu, ſed integrum ad calcem pedem, occupavit perforavitque. Advocatus autem tunc primum ego ſtatim animadverti, non carnoſam tantùm ſubſtantiam, ſed ipſam tibiam materiâ iſtâ infectam corruptamve eſſe. Quare hoc dedi & parentibus & chirurgis conſilium: Quod videlicet cutis à genu ad calcem ſit incidenda, quo materia peccans tibiæque infeſta evacuetur, bonumque à malo ſeparetur. Hoc meum conſilium cùm utriſque horridum ac crudele viſum ſit, neglectum eſt, egoque ſic ſum dimiſſus. Præterlapſo autem trium hebdomadarum ſpatio, redux parens de intolerabilibus filii doloribus conqueritur, lacrymiſque conſilium repoſcit, quod cùm aliud conducibilius non viderem, dictum dico. Annuens itaque parens, totum mihi negotium demandavit. In menſa itaque depoſito puero, à chirurgis parenteque detento, operationem ſum aggreſſus à genu ad extremum pedem feci inciſionem, cutim detinui elevatorio. Animadvertens autem tibiàm ferè totam corroſam, forcipe diffregi ſuperne ac inferne, officula etiam confracta curioſe removi, vulnuſque integrum lavamento ſequenti elui.

♃. Aloes ℨj. myrrhę. rub. ℥ii. maſtich. oliban. ana. ℥iß. herb. equiſet. pyrol. ana M. j. conciſ. contuſ. coq. in vino albo. Poſtmodum adhibui emplaſtrum ſupra laudatum eoque ſolo abſque omni balſamo, aut emplaſtro alio, curationem abſolvi. Quamvis autem per anni ſpatium puer robur ſufficiens ad eundum non habuiſſet, tempore tamen & unius anni morâ, inſignis adeò à natura generatus eſt callus, ut jam vix deſideretur emendatio alicujus vitii ſui ingreſſûs, vivatque jam ex omni parte ſanus. Tibiam exemptam mecum inter curioſitates alias paucas reſervo, deſiderantique conſpiciendam præbeo. *D. Joh. Frid. Allmacheri.*

Luxationis Oſſis Coxygis, facilis, quantumvis Empirica Chirurgica Curatio.

Clariſs. Guſtavi Caſimiri Gahrliep. Miſcell. Curios. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

QUantos lapſus in os Coccygis dolores cieat in juventute non ſemel expertus, adhuc dum memor, horreo; vox faucibus ſæpenumero hæſit, aut hęſitavit potiùs rauca, ſuſpirioſa, anhela. Periculo tamen tenera in ętate ille ut plurimùm vacat; rarò enim ab ejuſmodi infantum lapſu aliquid funeſti, tum quòd impetus ob pondus corporis exiguum non adeò ſit gravis, tum quòd cartilagines & oſſicula tenera adhuc oneri faciliùs abſque dearticulatione cedant; at in grandibus & grandævis impetus alliſionis ob corporis molem multò vehementior, ac cartilagines jam ſolidiores cedere ſponte neſcię, è ſede ſua vi dejectæ neceſſariò exarthroſin patiuntur, eamque, utique ſequens docet caſus, periculo haud vacantem.

Socer primi mei matrimonii, Septuagenarius circiter, viduus, dum è Baſileâ Mercurio Gedani dicata, quæ ab Artum Regis Daniæ, utpote à quo extructa fertur nomine *Artus* aut vulgò *Junkerr-off.* dicitur, ſcalis lapideis, à nivibus ac hyberno gelu admodum lubricis, in forum ſubjacens negotiorum causâ deſcendit, utroque pede antrorſum proruente, retrorſum cadit, ac poſteriora duro impingit graduum ſaxo, ſicque os Coccygis non ſine immani dolore luxat. Domum proinde maximâ cum moleſtiâ tendit, filiæ autem, quæ ipſi unica erat, tum temporis adhuc virgini, nil ejus quod factum aperit, ſicque dolores tacitus ſenſim decoquens, quatriduum tranſigit, alvô interea onus debitum neutiquam deponente, unde male habere incipit, ac moleſtias, quas obſtructa parere ſolet, de die in diem majores patitur, donec vehementia tandem ſymptomatum casûs ipſi confeſſionem extorquet. Filia conſilii inops, hinc inde conſtipati ventris remedia quærit; ſed verâ causâ latente de luxatione enim oſſis Coccygis, nec Medico, nec Chirurgo, nec cuiquam alii quicquam ſubolebat, fruſtra. Donec quinto tandem die, quo peſſimè jam habere cœperat, ac abdominis turgeſcentis dolores, flatus, borborygmi, ructus, nauſea, inappetentia, cephalęa, febricula, ſiniſtrum portenderent eventum, ex Ambubajarum Collegio Thekoitæ cuidam ſagaci fors indicit, dum in poſteriora lapſum audit & recordatur, num etiam os coccygis introrſum forſitan luxatum, fœcibus ex inteſtino recto tranſitum præſtruens, hujus tragœdiæ charagus ſit. Suadet itaque, ut veſtibus exutus æger, ſolo induſio tectus, pronus ſcamno ligneo incubet, ac duæ robuſtæ mulieres ab utroque latere ſtantes alternatim coxendices unà cum clunibus, utraque manu utrinque applicatâ decuſſatim, ſurſum, deorſum, rurſum, prorſum trudendo agitent. Arripitur conſilium dubium pro nullo, & dictum factum exſecutioni non ſine effectu optato datur. Os coccygis, quod interiora verſus adactum erat, unâ alterâve motitatione in nativum reducitur ſitum, alvus oppreſſilata remoto obice, cum impetu ſummo laxatur, ac omnes inde natæ ægritudines momento quaſi ſolvuntur.

Iis omnibus quæ de Luxationibus huc uſque tradidimus non inutile credimus ſubjungere quod ſcribit. Marcus Aurelius Severinus de Gibbis, Valgis, Varis, atque aliis ab internâ vi luxatis. Sic autem alter ille Machaon.

Libri de Gibbis, Valgis, Varis, &c. Pars I.

Cap. I. *De Gibberis proprio subjecto, multiplicibus modis, appellationibus, definitione.*

NAtura, quæ homini cœlestis suæ originis indagatori sublimes vultus, & ad sydera dera sublatos cum respondente in rectum, sed flexili corpore præstituerat; architectata est spinam, id est, verticulatis ossibus & cardinis modo instructis in longum actam compaginem, quæ sic corpus sustentat, ut catena navem. Hujus autem ipsius omnes nodos atque tessellas, qui tum cervici, tum dorso lumbisque discreti sunt, extrinsecus ligamentorum aponeurosi firma è pericranio derivata & à prima cervicis vertebra ad infera usque producta confestiit atque contegit: cui succum quendam pinguem lentumque vertibulorum morui conservando commodaturum perpetuò subdidit. Cui naturali linimento postea temporis commista inerte viscida pituita, quæ confertim è superioribus demissa irruit. Nedum quidem ductus nervorum, per osseas illas coagmentationes exiliunt, sed etiam ipsarum vincula, quę modo dixi, distendit ita, ut sæpe de sua sede revellat; ac nunc uno quidem situ, nunc alio contorqueat: quarum eversionum modos tres fecere, tum primus Hippoc. in lib. de artic. com. 3. particula 1. 2. 7. 22. 68. tum Galen. ibidem, ac libro 4. de locis affectis c. 3.

Una situs perversio est extrorsum, cùm vertebræ rececedentes ab æqualitate laterum in medium ipsorum abscedentes, & se coaptantes in unum quasi turbinant conum. Hæc κύφωσις, & κύρτωσις homines verò his affecti ὕβοὶ, καὶ κυφοὶ Græcè dicuntur: affectionem verò gibber, corpus verò luxum & gibberosum dicere consueverunt latini. Alter modus est introrsum, qui fit cùm à naturali rectitudine in hunc situm rapta spondylia simam & velut infossam dorsi partem relinquunt; lordosis hæc à primoribus Magistris; divarticatio verò & repanditas à nostris est nominata. Tertius est ad spinę latera conflexus, tum dextrum tum sinistrum, quem græcia scoliosis, obstipitatis verò nomine latium extulit. Est autem sic dicta, quod scolion, id est, lumbricum terrę reptantem refert spirarum similitudine. Refert enim Hieronymus Cardanus in commentario de causis, signis & locis morborum parte 3. §. 56. id quod etiam obtigit mihi, visam sibi puellam flexa ita spina, ut S. literam referret. Quam rem equidem adjeci libentius, ut vetam hanc distortionis ideam cognoscat quisque; enim vero simplicem ad latus spinæ flexuram creditam à medicorum vulgo video Scoliosin: quanquam multifariam flexuosam pręcipuam inter omnes fortasse fecerunt antiqui.

Adverti gibber extrorsum frequentissime fieri, non infrequentem etiam ad latera, verùm ad anteriora per multum insolens est, autore Hieronymo Fabricio: eam ob causam scilicet, quod anterius inter binas vertebras interjecta cartilago multa non potest non facere, quin impulsus omnis spinæ retrudatur, id quod in aliis situs inversionibus non accidit. Illud enim animadverto necessarium; quod cavo partis unius respondeat oportet connexum alterius adversę, id est, cum gibberus sit thorax posticus; cavus erit anticus: & contrà, si dorsi sit cavitas; pectoris tuber erit. Sic quoque cùm cavitas in altero latere facta fuerit, continuò in adverso respondebit tuber, quanquam non ita luculentum hoc, ut in prioribus, nisi magna lateris facta fuerit divaricatio.

His sic expositis, quæ sit natura gibbosis apparet: est autem Hieronymo Mercuriali definitore, morbus tum in situ, tum in figura, non solùm rectitudinem corporis depravans, verùm & flexionem ad posteriora saltem nòn parum impediens. Præter hęc est imperfecta situs emotio, sub qua juncturę, madefactis laxatisque vinculis diducuntur & hiant tantummodo servata rectitudine. Galenus primus hanc invexit σεῖσιν appellatam: quæ luxatio & obductio quędam est spatio latiore relicto vertibulorum, cui vitio pueri privatim ob nervorum mollitudinem sunt obnoxii.

His appellationibus Antonius Musa Brasavolus privatum hunc gibborum aphorismum interpretatus, addidit & aliam quampiam late patentem sic, ut cunctis præter spinam membris fecerit communem. Usus autem est & autoritate vulgi, qui flexam & tortuosam quamcunque rem ac figuram, gibbam appellare consuevit, quem ego nominis usum eô libentiùs memoravi, quo constet etiam mihi licuisse, ut ad valgos & varos & ad ejusmodi luxatus omnes consentaneum fecerim, & affinem. Ad hunc ad antica simul & postica gibbos posuit idem compositam scilicet rationem.

Cap. 2. *Exactiora & definitiora Gibbosis discernicula.*

HI generalis quidem sunt gibberum spinæ modi: cęterùm sunt & alii speciales: quorum hi quidem secundùm partes corporis sunt. Aliud enim est gibber cervicis, aut thoracis; hoc sub septo transverso, hoc infra septum: quoddam in lumbis, quoddam infra ipsos: quod unam tantùm vertebram emovit, quodve plures & paucas, quodve plurimas. Si perquisiveris ætates, gibbosin incurrunt aut impuberes aut adulti grandioresque; sed spectatis causis alii gibbi ex ictu, alii ex casu, alii ex tuberculo: quę tubercula calidiora, frigidiora, mitia coctiora; dura crudiora; vel in cervice constiterunt, vel in thorace, vel in lumbis atque etiam inferius: singulorum enim sua sunt effecta, atque secundùm hæc, aliud Gibber primæ, vel ut aliis placet, secundę vertebræ cervicis mentum apprimit ad pectus, aliud majorem spiritus difficultatem, aliud minorem parit: de qua nos re in parte prognostica. Addidit his Hieronymus Cardanus in lib. de causis, signis & locis morborum loco ante memorato, Gibbosin ex materia sensim influente, quam sane causam non exposuerat Galen. observatam alioquin à nobis in filio Ill. Baronis *Pascuarole.*

Adhæc evadunt alii lentè gibbi, consuetudine, scilicet decumbendi atque flectendi, alii semel simulque ex irruente affatim humoris copia validaque vi tuberculi. Alia spinæ emotio ex ambabus partibus: alia ex alterutra. Nonnulla cum nervi sentientis atque moventis læsione, nonnulla sine nervi læsione: de qua re Cardanus antè dicto loco: Aliqua subitò jugulans & funesta; quæ speciem unam anginę facit: alia non funesta; quædam solvitur; quędam non solvitur: cùm autem solvitur, interdum judicatur metastasi, id est, per transpositum acuti morbi, puta phrenitidis: qualem evenisse coco cuidam autor est Hippocrates in libr. 5. epidemiorum particula 22. Interdum est per symphatiam, ut si pus demittatur ad ilia, inguina, coxas, & hìc suppuratio nova suscitetur. Postremo gibber omne, vel omnino pręter naturam evenit, qualia sunt antè dicta, vel aliquo pacto secundùm naturam est; qualia sunt senibus, proceri pręsertim corporis.

Cap, 3. *De Causis.*

SIngulæ distractiones illæ dorsi communes quidem sępe, sed privatas etiam agnoscunt causas: communes quidem extern[illegible] sunt, id est, quodcunque grave durumque

rumque corpus quassat, allidit, percutit: quarum causarum Hippocr. in dicta parte libri de articulis explicate meminit: itemque Galenus in commentario, plurimùm autem hę causæ vertebras ad interiora compellunt: qualis unus est casus de sinuata in vesicam spina à Galeno narratus l. 6. de locis affect. cap. 4.

Hę quidem manifestæ, sed multò digniores relatu sunt cæcę causę, de quibus quidem mox audies, si simul approbes referri modos, quibus hi, qui jam perstabant, in sua sede nodi, depravantur. Hi Galeno teste in 3. de loc. affect. causæ sunt & spasmi communes; quæ sunt siccitas & plenitudo. Siccitatis & squalloris primus meminit Galenus in l. 2. de caus. pulsuum c. 11. cui addidit & frigus immodicum, à quo seu gelu convulsiva intentio est. Sed & inęqualis intemperies, eodem autore, distorquere potens est censenda. Siccitas in ardente potissimum febre visitur, cujus febris vi arefacta vincula vertebrarum, has in anteriora pertrahunt, ut & cervicis interdum; illud affirmate Hippocr. in l. 4. aph. 3. 4. quod est; si à febre detento collum pervertatur & cibum devorare vix ipse possit, sine ullo tumore lethale: porro mens est Hippocr. colli vertebrarum æstu febris distractatum comminisci: sic contractione & ariditate abstrahuntur fibræ ligamentorum, & quæ has sequuntur ossea verticilla. Ex adverso plenitudo ac distentia multa sæpius etiam distortiones parit: itaque inflammationes & scirrhi; abscessus crudorum & quorundam generatio tuberculorum, breviter omnes præter naturam tumores vicinas partes ad se retrahere valent: res hercle veteribus medicis difficillimæ investigatu: quæ verba sunt Galeni libr. de causis puls. & libr. de locis affect. citato.

Jam autem ubi monstravi causas internas externasque separatim in luxandas spinę vertebras influentes. tu nunc intellige & utrasque posse sibimet ad invicem consentire. Nempe vis procatarctica forinsecus impulsu facto vertebram adurget in anteriora; Interior verò, quę plenitudo est, distendendo; siccitas contranhendo eò versum etiam adducit. At verò cùm emprostochyphosin, id est, ad anterriorem gibbosin externa causa valeat, an ad opistocyphosin, id est ad exteriorem gibbosin, quidquam operetur? Hoc quidem summatim inspiciente haud quaquam videbitur posse fieri: quando vis exterior tanta non est quę citra corruptionem animantis, vertebras & vincula foras abstrahere queat, gibber in spina relinquens. Sed enim pręter id, quod docet Hippocrates in 3. de artic. sententia 19. etiam verò cognoscetur, idem ut eveniat, facilè nimirum homine de sublimi loco in scapulas coxasque lapso, vertebræ perplures in posteriora non difficulter exerentur, non in angustum, inquam, adducta, sed in ambitum sinuatę, præsertim verò, si conferat ad hęc accommodata interna causa: rationem ejus rei docente Galen. initio 3. de art. quem Holler. in scholio sequitur, hanc.

Vertebrarum quidem ossa per se, neque pervertuntur à tuberculis neque trahuntur, sed primum vitium fit in iis corporibus, quibus vertebrę alligantur. Igitur, ubi ad vertebras tuberculum oritur, ac tum in tumorem assurgit atque augetur: ab interiori, sive priori parte (utroque enim vocabulo licet uti) necesse est, ut tuberculum sequantur ligamenta, atque hæc rursus vertebrę. Itaque si in una parte duntaxat tuberculum oriatur, ubi hæc in interiorem trahatur, in priorem partem spina convertetur. Sed si in duabus, ubi aliqua interjecta sit inviolata, gibba evadet: utroque enim tuberculo adjuncta vertebram trahente, quæ in medio sunt, à posteriori parte gibbę fient, quod evidenter intueri, licet omnibus evenire, quæ curvari modice possunt: cujusmodi sunt virides rami, & ex scriptoriis calamis plerique, quos si quis dexterę digitis ab una parte; sinistrę ab altera, prehendens ad se traxerit: medium in contrariam partem attractum gibbumque conspiciet. Atqui neque alia de causa spina ad latus convertitur, quàm ob crudum tuberculum, quod ab ejusdem latere sit. Hæc autem tria vitia in spina incidunt, cùm vertebræ loco moventur.

Pręter internas jam expositas causas, est & virium imbecillitas, cujus unius vitio vincula lacertique dorsi minime valentes onus corporis sustinere faciunt, ut nutans spina curvetur, quę fortasse causa est una, qua senes omnes gibbosi existant: fit autem imbecillitate, ut succi, pręvaleant tum copiâ, tum viribus cùm eò locorum impinguntur, unde mox & luxatus adornetur. Est & ex causis externis consuetudo corporis quoquo versum inflectendi, atque inflexum continendi; quemadmodum enim virgultis & viridibus lignis pondere pressis assidueque contortis: ita & dorso nostri corporis accidit sub opificiis diversarum artium & sub institutis vitę diversis. Ita, qui venales arculas quotidie de cervicibus appensas per totam urbem bajulant, his plurimum est spina gibbosa, id quod & in morbo accidit, testante Hippocrate, citato libro de articulis quosdam etiam in id vitium compellit unà cum morbo habitus ille, quo jacere consueverunt. Sed & primus per fascias obligatus ineptus cerea puellorum ossa distorquet, ut vulgatum etiam inter fœminas nosti.

His jam expositis expendendę subeunt tres hominum opiniones: quarum una est Hieronymi Mercurialis, atque aliorum quorundam censentientium, exoriri posse dorsi gibbosin à tuberculo, quod sustinente agrè pulmone, sic agitatio multa pectoris, respiratio, depravatio & inde vertebrarum emotio suscitetur, quem gibberis exortum, dum explicandum suscipit Hieronymus, haud tamen explicat verè: nam quòd concutiatur spina motu thoracis insolentiore, ac magnum inde laborem experiatur; id profectò non facit, ut gibbus pariatur: pręsertim quando confessum est, agitationem illam thoracis ab incommodo respiratûs undelibet æquali, non magis uni, quàm alteri parti situve vim ac noxam inferre debere. Adęc autem dum Mercurialis, exemplo proposito, Agesis filię lib. 6. epidemiorum sect. 4. descripto; non exponit, cur ea puella ex certo pulmonis tuberculo reddita gibba non fuerat; interea peccat magis; jam enim cur positâ necessariâ causâ, id est, pósito pulmonum tuberculo, atque agitatu depravato thoracis, non consequatur gibber? Atqui, quod post isthęc à Mercuriali necessaria posita sit causa, monstratur; quòd omnem excitandi gibberis rationem apud Hippocratem, ex pręcipuo pulmonis tuberculo deduxerit: neque enim ab Hieronymo verum constituitur aut suadetur Hippocratis enunciatum, pręterquam hac unâ tuberculi pulmonis viâ. Quòd autem Hippocr. tribuerit iste vir ex constante tuberculo pulmonis non perpetuò gibber futurum, vel gratis hoc quidem asseritur, vel unde colligi potuerit, afferri debet. At equidem secuturam gibbosin à tuberculo semper verum contendo, si res solùm intelligatur ad sententiam Galeni, qui Comm. 3. de articul. procreationem gibbi necessariam retulit ad una vertebrarum tubercula, non autem ad tuberculum pulmonis, quod falso credidit Mercurialis. Interim si nulla hęc nostra ratio proposita de hominis hallucinatu, sed hallucinatio ipsa sit: haudquaquam profectò defenditur dogmaticus enarrator, qui gibbosin omnem, pulmonis non verrebrarum (harum enim nullibi meminit) tuberculo retulerit. Rem sanè quę neque Galeno, neque ulli magnę autoritatis viro, vel per somnium quidem in mentem venerit. Sic enim respondeat velim qui phthisici & asthmatici non gibbi omnes? Itaque tussis & asthma Hippoc. sunt symptomata, & affectus consequuti ex dirupto jam abscessu circa spinam; atque

atque adeo, quod magnus Magister doceat & constituat ex gibbo, vel hujus effectrice causa excitari asthma: oppositum asseri videtur Mercurialis placito, quo adstruitur ex asthmate; vel hanc admolito tuberculo produci gibbum; contraria nimirum & adversante sententia: tantum abest, ut Hippocratis doctrina servetur.

Quod si Mercurialis occurrat memorans nobis (fundamentum scilicet opinionis, à quo suasus est) Hippocratem omnino posuisse pueros ex asthmate ac tussi redditos gibbos. Atque tussis & asthma (dicat Mercurialis) non inducitur probabiliter in hypothesi nostra, præter quàm à tuberculo pulmonis: ergò causa gibberis effectrix tuberculum est pulmonis. Cui quidem instantiæ sic satisfaciendum videtur: Mittatur enim primùm ex tuberculo pulmonis tussim & asthma fieri, quòd fieri quidem ex illius dirupta vomica potest: sed non propterea fit; ut Hippocrates dictum voluerit gibber ex tuberculo pulmonis creari: verùm sic, ut voluerit gibbum quidem longiùs profectum ex tuberculo vertebrarum; ex quo tussis & asthma proximè derivent. Itaque tuberculum vertebrarum causa est Hippocrati præcedens & proxima gibbi: mox verò diruptum tuberculum spinæ succedens tum asthma, tum tussis excipiunt.

Adhæsit & huic opinioni postmodum Hercules Saxonia, qui Panthei medicinalis lib. 2. c. 4. qua curanda dyspnæa monstratur, in hoc aliquando prudentior Mercuriali; quòd causam gibbi repletionem fecit ligamentorum Spinæ vertebris adnexorum: quę fuerat quidem Galeni doctrina lib. 3. de articulis primò proposita: verùm ex adverso tantundem Mercuriali visus est Hercules ineptior; quòd sibi nobisque suaserit distensionem induci tuberculo pulmonis inerti, maximè si crudum, ac parte postica consistens, ac neque non si diruptum & parte postica positum conceperit: nam quæ vel pulmoni, vel hujus tuberculo corporibus vacuitate locorum & aeris interjecti dissitis vis sit, ut vertebras spinæ convellat? at neque resultans à tuberculo pus tam aut penetrabile aut tam erga solidissima ligamenta prævalens est, ut hæc vincere queat. Præterquam quòd fluere naturali suo nutu comparata purulenta substantia, nequaquam media spinę rectitudine consistere; sed ad infima repere debebit: quapropter aut his privare partibus gibbosin, aut aliud etiam quodcunque malum potiùs; quàm gibbum excitabit; quod si tamen Patavino Professori detur, ut ex adversa pulmoni parte spinæ consistat, & non diffluat sanies: tum & deterius argumentationis incommodum subibit Hercules, quod perpetuo circa dorsum erit, unde vertebrarum cervicis aut lumborum aut ossis sacri perversio fiat.

Ad has duorum interpretum opiniones accedit etiam examinanda tertia Hieronymi Fortunati philosophiæ, ac medicinę magistri peritissimi, qui censuit gibber primùm rheumate quidem initiatum, mox sub asthmate ac tuberculo magno pulmonis necessitate quadam avertendæ difficultatis, atque laboris inspirando, ac respirando flexu dorsi completum: quòd multò liberiùs agitur pulmo, laxiusque succedit respiratio dorso jam conflexo, quàm tenso septo transverso, atque externis musculis: qua de causa cogitur homo sic instigante natura testudinem thoracis quoquo pacto licèt, atque etiam ampliante curvitate dilatare, qua inflexus assuetudine in dies facta, sic demum absolvitur gibbosis. Quæ nostratis viri videtur quidem ingeniosa excogitatio: veruntamen nihil ad rhombum atque ad sensum Hippoc. qui causas planè necessarias non contingentes gibbi posuit: fieret autem per hanc opinionem, ut gibbi & commoda semper respiratione fruerentur, & in quacunque spirandi difficultate perpetuum esset in dorsum incurvatio levamen, & illud quidem paratu facile.

Quarta opinio est hominum perperam etiam, ut videtur, interpretantium aphorismum Hippoc. dum tussim vehementem adstruunt, quæ vertebras è suo loco pellat. Res equidem, quæ à divino præceptore nusquam asserta est; ut asthma scilicet ac tussis sint causa gibbi: verùm, ut gibber sit cum asthmate ac tussi conjunctum; hoc sanè dictum à sene nostro fuit: quam rem quidem acutè discrevit Thadæus in enarratione aphorismi: ut appareat jam ex his omnibus summè verax opinio Galeni, qui causam gibberum haud tuberculum quidem pulmonis, sed spinæ contiguum alterum indicavit.

Hactenus hæ physicæ sunt enarratæ gibborum causę: cæterùm apud Astronomos, & apud Julium Firmicum in 8. gibbi fiunt, si in septima parte Arietis habuerint horoscopum. Quo claro cœlestium contemplatore major Ptolemæus in tertio de astrorum judiciis cap. 12. quod est de vitiis & morbis corporis, scripta reliquit hęc; Si lumina ad maleficos centris hęrentes adscenderint; aut ex opposito ab ipsis impedita fuerint maximèque Luna in nodis sive fluxuris constituta, aut in signis obnoxiis, nimirum Ariete, Tauro, Cancro, Scorpio, Canricorno, vitia corporis eveniunt; gibbi scilicet aut claudicationes; & laxationes. Siquidem cum ipsis luminaribus fuerint maleficę ab ineunte ętate & horę partus. Et Haly Rhodoam ait: ego prædixi gibbositatem, quę duravit duodecim mensibus in nativitate, in qua Luna erat conjuncta cum Marte & capite Draconis in duodecima domo, qui erant in quadrato aspectu Solis cum Jove, qui in tertia erant; & temporis quantitas tot mensium, quotus est numerus annorum resolutionis Jovis: quia Jupiter sub Solis radiis positus erat. Ego verò observavi frequenter Caudam maximè cum Luna & persępe cum aliis Planetis in angulis constitutam, obliquos quoquo modo efficere. Hęc isti de occursibus astrorum vim imprimentibus ad gibbosin generatim. Jovianus verò Pontanus lib. 10. de rebus cœlestibus cap. de claudicationibus, singularum distortionum cervicis, colli, pectoris, genuum, crurum & juncturarum corporis effectrices, syderum mansiones discrevit; quas Astronomorum eadem de re nostra opiniones pleniores doctrinæ causâ non abs re fuerit, præsertim gnaris ejus facultatis hominibus nos recitasse.

Cap. 4. *Symptomata & signa.*

HActenus jam de causis rectitudinem corporis præter naturam evertentibus. Succedunt ad hęc suborta symptomata, quę cùm triplicia nostris medicis sint, singula percurremus. Primis igitur functionibus animalibus incommodant spinę subversiones, sive quidem sensus, sive liberi motus officinas evolvas, & utrisque quidem noxa est, ubi compressum expetta est medulla, quippe quia per obliteratos jam ejus ductus spiritibus ad nervos inde profectos transitus non est, uti prius: & siquidem ex toto vertebrarum dimotio facta sit, abolitus ex toto sensus aut motus est: si verò non ex integro perversę fuerint ipsæ, sic pro subsultûs ratione sentitur ejusmodi detrimentum, Rursus eò pluribus partibus sensus motusque interceptus est, quo superiorum spondylium fuerit eluxatio & contrà eò paucioribus locis sentiendi, atque movendi nascetur incommodum, qui inferior spinę fuerit abductio: Sed liceat huc nobis & quæ Hieronymus Cardanus Hippocrati vir studii pleniore aliquanto pagina docuit, recitare. Proponit tria Galenus, primùm, noxa, quę, accidit spinę vel est per se, vel non per se, sed consequentià quâdam; noxam per se vocat abscessum, seu inflammationem, seu intemperiem: in hac si contingat fieri resolutionem, seu ex una perte, seu ex ambabus, necesse est, omnia membra, quæ sunt infra

infra illam partem ſpinę, quę reſoluta eſt, reſolvi, ſeu ex una parte tantùm, ſeu ex ambabus: Si verò noxa ſit ex conſequentia tantùm, velut in gibboſitate, in qua ſpina dorſi non patitur, aut parum, ſed nervus, qui facta luxatione obliqua, ſed ad unam partem opprimitur ab ea parte, in quam ſpina deflectitur, quoniam vertebræ magis conſtringuntur, ex oppoſita autem nervi nimis diſtenduntur: ideo in hoc caſu cùm ſpina dorſi, ſeu medulla non ſit affecta prorſus, ſed nervi tantùm ex ea orientes, & ob id reſolutio non ſit, niſi in membris, quæ recipiunt nervos è regione partis medullæ læſæ, ſicut in exemplo priore, in quo ob luxationem vertebrarum colli, tantùm manus reſolvebantur & non inferiora membra: hoc etiam fit minùs, inquit, ſi luxatio fiat ſenſim, aut ſi fiat intus vel extrà: in lumborum vertebris minùs quàm thoracis, & thoracis, quàm colli: quia in cervice vertebræ inter ſe connexę ęqualiter conferunt foramini, unde nervus prodit, ſed in thorace magis confert foramen inferioris vertebræ, & longè minùs in lumbis: qui ergò noxam patiuntur per ſe in medulla ſpinali, his omnes partes inferiùs reſolvuntur, & quantò noxa fuerit major, & adventus repentinus: qui verò noxam patiuntur in nervo tantùm; ut in gibboſitate, & obliquum, id eſt, in latus, hi patiuntur reſolutionem ſolùm in parte, quæ eſt è regione, ubi nervi læſi ſunt, ſi vel læſio magna ſit, vel repentina, vel in angina, in qua vertebræ luxantur ad latus: ſi verò luxatio vertebrarum fiat ſenſim vel etiam repente, ſed intus, aut extrà non in latus, his nulla contingit reſolutio, ob hoc ergò qui fiunt gibbi per caſum, aut jactum, ſi fiant obſtipi, reſolvuntur: ſin autem incurvi, aut repandi, non reſolvuntur: quia tametſi repente fiat, non eſt obliqua luxatio, qui verò ſenſim fiunt gibbi, & ſi obliqua ſit luxatio, non reſolvuntur; quia non repente facta eſt: qui verò ſenſim facti ſunt incurvi, aut repandi, nullam patiuntur reſolutionem; tum quia ſenſim vertebrę luxatę ſunt, & interim ſpinalis medulla, quę mollis eſt, potuit extendi, & ita nihil paſſa eſt; tum quia luxatio recta eſt, in qua nervi neque comprimuntur neque juſto plus extenduntur. Ex quo concluditur, quòd in luxatione recta, gravi & repentina poterit contingere etiam reſolutio: quia licèt in angina non fieret, contingit hoc, quoniam ex tribus conditionibus, quę faciunt ad reſolutionem, ſcilicet quòd ſit repentina, magna, obliqua, non adeſſet niſi prima, ſi verò adſit & ſecunda, ut in vehementibus ictibus aut caſibus, tunc reſolventur membra inferiora, aut ſaltem, quæ ſunt è regione. Vertebrę autem luxantur quatuor modis, aut caſu, aut ictu, aut crudis tuberibus, aut materia ſenſim influente: quamvis hęc non, ut in propoſito, Galen. omiſerit, cujus hoc eſt præſtantiſſimum ſanè inventum. Hæc ille.

Sed deſcendentibus nobis ad ſedes ſpiritales: ſuccidítur vel minuitur reſpiratio non intercepta ſolùm actione muſculorum dilatatrice, conſtrictrice: verùm etiam, quòd clauditur guttur ſic, autore Gal. lib. 4. aph. 54. & lib. 4. de locis affect. cap. 5. ut minùs aeris recipiatur, atque emittatur: adeoque fit reſpiratio frequens & parva, ſpirituſque cum ſono veluti ſtertendo fertur, ut adnotavit idem Galenus lib. 3. de articul. com. 13. Præcluditur verò in totum trachæa ob vertebras cervicis in priorem partem abſtractas: pariter (ut jam ad functiones naturalium organorum deveniamus) neque deglutiendi cibi potuſque manet actio ſub antè dictâ colli contorſione. Itemque gracileſcunt particulæ, quæ luxatis vertebris aſſident: & ſi augendi ſit ætas; tamen non augeſcunt. Sic bonos in contrarium immutatos vides affectus. Sæpe etiam excernenda, quę fuerant, ſupprimuntur: dejectiones, inquam, & mictus ſub lumborum vertebrarum intruſione, quæ maximè fiunt à caſu, lege de his Hippocr. & interpretem Galenum lib. 3. de artic. comment. 6.

Poſthæc autem ubi petas exponi ſigna; quæ morborum internas aliquot cauſas declarent: referam equidem, quę collegi: ſi cauſa fuerit ſiccitas, hęc naſci potuit à febre, prçſertim acutâ, atque ab inanatione, quæ utraque prçceſſerit. Indicio quoque fuerit, quod factę ad locum illitiones olei citò reſiccatæ fuerint. At verò ſi laxatio vitium induxerit, partis forma ſignificabit, ac tactus: itemque quod affricata unguenta diu conſiſtant, & non exſuccentur: quas ſuaſiones confirmabit & liberior ſucculentiorque, qui fuerat uſitatus antè, victus. Ad hunc ferè modum Avicenna. Si verò tuberculi ſuſpicio ſit; id crudi ſucci corpore fuſi monſtrabunt. Quibus non ſe prodentibus (ait Hercules Saxonia lib. 2. pract. meth. curandorum morborum) initio rei fuerit augeſcens paulatim ſpirandi difficultas; itemque tuſſicula cum ſputo, ſed ſine febre ac reſoniru: ſub quibus interim ex totò integer ipſe ſibi videtur homo: ſic adnotante Galeno lib. 4. de loc. affect. antè citato. Quoniam autem ambiguum eſt plerumque; ſit ne crudum, & imputre tuberculum ſic, ut in ſteatoma (fortaſſe rectiùs atheroma) deſiturum ſit, an verò calidioris ſit miſcellę, quod in ſuppurationem tranſmigraturum appareat: hunc utrumque tumoris ſtatum, aut apparatum ipſe diſcreveris ad hunc modum: frigidum quidem poterit conjici temperaturâ corporis item frigidâ, ętate debili, vel inclinante; vitę inſtituto ac victus, qui frigidos craſſoſque ſuccos proferre & congerere poſſit. Contrà verò tuberculi calidioris & ſuppurabilis ſuaſionem facient craſis hominis item calida atque etiam humida, plenitudo ſanguinis, & quæ ad hęc accedunt alia. De febris autem indicio ſi quæſieris; illud anceps, & contingentis plerumque ſortis affirmo. Sed de inflammatione te dubitantem multitudo ſanguinis certum faciet. Docuerit eam rem curatio, contraria quidem, quę proſit; ſimilis, quæ obſit. Sed ejuſdem ad ſupuratum abſceſſumque tendentis notę ſunt autore Rhaze libr. 1. diviſionum ad Manſorem cap. 105. quod prægreſſus dorſi dolor cum febre aucta; pulſus arteriarum magni caloris immodicus, & aliorum omnium longus adhęſus & perduratio. Deinde verò febre ſedata, per aliquod tempus permanet dolor ac dorſi gravitas. Sed hæc enim incipit extare gibbus, quem ex flatu profectum indicabit dolor ſuperveniens ſinę febre.

Hæc ferè Rhazes: qui & ab halituoſa materia cieri gibboſin explicatè prodidit. An idem autem Avicenna ſenſerit, incertum eſt propterea, quòd lemmate quidem capitis notati de gibboſi pariter ac ventoſitate inſcripſit; poſt hæc verò, aut de flatulento affectu nihil exequutus eſt, aut dubia de hac re traditio facta eſt, qualem aut codex aut multiplex ejus verſio parit. Poſt hęc cauſas intrinſecus gibberis effecta molitas docebunt te ſpinę præſegmina, quatenus à ſua ſede paulatim receſſiſſe videbuntur, deinde ex læſis actionibus, quæ ſunt videlicet aboliti ſenſus, aut motus: imminuta reſpiratio ac deglutio; lotii fæcumque ſuppreſſio. Sed nihil ad firmandum certiùs eſt indicium, quàm corporis affectus evidens, qui ſe offerat qua gibboſus, qua ſinuatus. Prçterea differentias, quę ad qualitatem ſpectant, majora etiam, aut minora receſſus momenta undique referent; ſed ſitum ſuperiorum ſpondylium, lęſorum deglutitio, reſpiratio; inferiorum verò noxæ mictûs aut dejectionum detrimenta: ſenſus item motuſque amiſſio demonſtrabunt. Denique numerum vertebrarum complurium, in ambitum exultans ipſarum compoſitio, unius verò & paucarum, minor rotunditas & in angulum abſceſſus indicabunt.

Reliqua ſigna diſcretiva per Jacobum Hollerium ex Hippocrate tranſlata ſunt ejuſmodi. Primę quidem cervicis perverſio mentum deprimit ad pectus, ſummam loquendi ac deglutiendi difficultatem excitat, ac extremum fatum acceſſit. At verò in gibberibus reliquarum colli ſcandularum cervix contorquetur, reſpiranti pariter & loquenti ſpiritu tenuius anguſtiusque

que eliso exhibilatum, dormienti verò stertorem facit. Sed in gibbere dorsi, ac thoracis, spiritus difficulter & cum sono fertur; costarum in latum incrementa sunt nulla; thorax anterior in quendam veluti conum acuminatur, sterno in acutum coacto. Sed in lordosi extremus dispneæ modus, paralysis, torpor, stupor coxis; prçter libitum voluntatis mictus, ac defæcatus: posthæc in scoliosi solutio, nervorum frequentior ad partem luxatam, ad latus verò adversum distensio. Postremo quibus ad lumbos spina repanda est; his accedunt renum, & vesicæ vitia, abscessus ad ilia atque inguina; coxendicis gracilitas; tarda & parca pubertas, ac barbę emissio, infæcundioresque sunt magis quàm quibus obtigit gibber partibus diaphragmate superioribus tenus.

Cap. 5. *Judicia & Prognostica.*

PAtent his affectibus corpora quæ sunt fluxa, mollia, gracilia, angusti pectoris, pueri parentibus orti cachecticis, & qui vitiatis fuerant sub generatione visceribus, affinis enim hic affectus arthritidi & podagrę, congenitos inter morbos censeri potest: quanquam neque perpetuum, ut à gibbis gibbi nascantur: sed hoc perpetuum, ut hæreditarius hic affectus sanabilis non sit. Hęc naturalis certorum hominum est propensio, ut obnoxii sint hisce malis, antequam ineantur: cęterùm postquam inita sunt eadem; dijudicandus est eventus salubris, aut funestus, & si salubris, num solvi possit aut secus. Lethalis quidem est gibbosis auctore Ambrosio Paræo, cùm una tantùm vertebra sola excidit; nimirum ictu luxata, medullam, quæ spinæ subest, ita secum abripię, ut in angulum pene acutum eandem veluti turbinet; adeoque arctius compressa rumpatur, aut comminuatur oportet: quòd mortiferum non esse non potest: id quòd sub angulo luxationis aucto non accidit quidem; Hippoc. docente sententia 51. sect. 3. l. de articulis; quòd orbiculata vertebrarum è suo statu abductio angulari altera minus est periculosa, quàm ob caussam multò levior apparet ejusmodi plurium vertebrarum exsolutio.

Est & lethalis divaricatio vertebræ primę, aut secundæ cervicis: sub quo casu, teste Galeno in comm. 35. lib. 4. aph. extentis ad partes inflammatas & ligamentis & nervis, trahi vertebras vel introrsum vel ad latus, est necessarium: si in altera nervi propagine fieri tentionem evenerit, ad latus quidem; sin verò ambabus introrsum. Hanc à Galeno simpliciter propositam vertebrarum colli, primarum luxationem infantibus plurimùm evenire nostra tempestate nos & fœminę nutriculæ non semel observavimus: de qua re Joannes Huccherus in l. de therapia puerorum, & ante hunc Galen. l. 6. de loc. affect. & omnium primus Hippoc. l. 3. de morb. num. 11. qui speciem hanc quartam anginæ fecit. Sed de provectioribus ætate gibber, lordosin potissime vertebrarum thoracis expertis pueris edidit Hippocrat. illud oraculi, quod l. 6. aphorism. 46. scriptum legitur; Quibus ex asthmate ac tussi gibbi fiunt, ante pubertatem moriuntur; cujus rei cùm Galenus tum alii enarratores ferme omnes rationem illam censuere, quæ est digesta scilicet à nobis ad hunc modum,

Quicunque dum augentur, vertebrarum in regione thoracis luxationem à tuberculo creatam experiuntur: isti corde & pulmone compressis à thorace non ad proportionem aucto, cum vehementi asthmate vel tussi moriuntur.

Qui gibbi fiunt ex asthmate vel tussi ante pubertatem; illi dum augentur, vertebrarum thoracis luxationem à tuberculo creatam experiuntur, quorum scil. materia prius asthma vel tussim fecerat.

Ergo, qui gibbi fiunt ex asthmate vel tussi, ante pubertatem cum vehementi asthmate vel tussi moriuntur.

Disceptatio super Hippocratis aphorismo.

HÆc à primo Galeno fluxit vulgata jam apud omnes Hipocratici testimonii demonstratio, quam utriusque viri sententiam operæ pretium sane fuerit hìc expendi, ut, recta ne sit utraque statui, possit. Quod autem ad prius istorum caput spectat; plurima fuit interpretum dubitatio de veteris istius oraculi veritate, seu rectius perpetuitate, quando nonnulli puberes hypothesi jam aphorismi constante visi sunt vixisse; ut est apud Ugonem Senensem, Hyeronymum Cardanum, Franciscum Vallesium, ac plerosque alios aphorismi explanatores.. E quibus unus Antonius Musa Brasavola testatus est, pueros ex asthmate ac tussi diù superstites, gibbi secundùm antica & postica fuerunt: nam pectoris cavitas ex vi materiæ ac fortasse motûs magis dilatata est, quàm conveniret adeo, ut in anteriore ac posteriore parte elevationes faceret, ac veluti tumores, in longitudine verò abbreviaretur.

Quam rem quidem, ut suaderet Brasavola nobis, non fuit difficile; postquam videndus se obtulit Decius, seu vulgari literarum metastasi Diecus Gallus Sartor secus Palatium, cui famosissimi gibberes, tum pectore, tum dorso exiterunt, amplissimum utrinque rhombum facientes. Sub qua loci vacuitate, tum pulmo, tum cor agitari quantumcunque liberè nemo non cognosceret, homine non incommode respirante. Quid ni verò tam latè diducto atque amplo pectoris excursu contra præfocatus interminata gibbis impuberibus pericula; supra adolescentiam atque ad vigesimum secundum usque annum vixerit, ac vivat ejusmodi homo? Sed & D. Hieronymum Gasvaldum Neapolitanum juvenem Illustrem, ac Fulvium viridianum Calabrum Medicum Neapolitanum celeberrimum trigesimo in anno natum, ac Joannem cognomento Blancum vetustioris Gymnasii Neapolitani janitorem quinquagenerio majorem, M. Ant. Chiayensem paulò minorem atque alios tot quidem numero multos, ut horum omnium nobis adnotando plures, quàm venando restent utrinque gibbi longævitatis sortem experti, quin etiam alii comperti longe plurimi, quibus cum alterutro gibbere seniles anni contigerunt.

Ex hoc quidem verè, sed ex heroico dignus ordine atque inter summos gloriosissimosque Principes nominandus singulariter esto D. Carolus Emmanuel secundus Subalpinorum Dux Serenissimus, cujus quidem ætate nostra Jasoni, aut Alexandro Macedoni paris mentionem super hac re fecisse nobis ornamentum inde libro quęrentibus licuerit, deprecamur; quando & hac etiam occasione Principis inclyti nomine suos de re physiognomica libros cohonestaverit Scipio Clarimontius Sapientium nostrę tempestatis Italicorum nulli secundus.

His ergo tum rationibus, tum experimentis, & Hippoc. absolutione; propositio & Galenica adjecta ratio nuper à me recitata minus firma minusque rata apparet, quàm, ut omnem hominum assensum promereatur, ac fidem à bonis ęstimatoribus extorqueat. Unde factum est scilic. ut varias interpretando rationes commenti fuerint multi. Primùm enim Hollerio enarratori alioquin Hippoc. apprime nobili visum est; haud de quacunque promiscue gibbosi loquutum Hippocratem: verùm de ea, quę cervicem exercet angustiæ majoris necessitate, qua posita interpretatione pro comperto credidit hic vir, in aphorismo pleraque solvenda problemata & ambiguitates. Verùm enim vero primum haud probabile videtur, Hippocratem singulari hac gib-

bosi suum enunciatum ac rem totam conclusisse. Deinde rectiùs hanc quartam anginę speciem fecerit quispiam, quàm gibbum verè. Sed & anginę speciem illam posuit ipsemet Hippoc. lib. 2. de morbis. Ad hæc ejusmodi affectio non parum acuta est, minimùm autem de hac ipsa commentus apparet Hippocr. qui longiores atque annuos extulisse terminos videtur per id quod est [ante pubertatem moriuntur.] hanc enim ad vigesimum quintum usque annum extendi Galeno visum est in aphorism. lib 5.. qui habet; τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται τοῦ τέοσι τὰ πολλὰ ξυμμεταθίσκοι; quibuscunque morbi comitiales ante pubertatem fiunt, transmutationem habent. Et rectè quidem Galenus comprehensam Hippoc. 25. annis pubertatem putavit; quandoquidem & lib. 3. de articulis eandem ἥβης voculam, id est, pubi seu pubertatis cum alia γενήϊȣ barbæ ὁμονυμίζοι & quasi confundit, dicit enim ἥβη δὲ καὶ γενήϊȣ βραχύτερα καὶ ἀτελέστερα, id est, pubes verò & barba tardior, & imperfectior. Iam igitur si barba his ętatis provectæ annis completur; & ἥβης seu pubertatis anni, iidem & communes, qui barbæ erunt.

Additur & his indicium, & argumentum maximum, quippe si credimus Galeno, cui tota ratio præmaturè defungendorum vita gibberorum, fuit incrementum summum viscerum spiritalium, quæ à thoracis angustia concludi commodè non possint: profectò ad hoc augmentum totidem requiruntur anni, quoti requisiti sunt ab Hippoc. non pauciores; fortassis autem & trigesimus annus est ad quotum accessus corporaturæ nostrę contendunt; dicente Philosopho in lib. 20. sect. problem. 7. quod ad hoc usque tempus proficiunt, & crassescunt corpora: & in l. de generat. animal. c. 20. prodidit, humanæ staturæ dimidium anno decimo quinto; quinimo si & hanc opinionem sequi placeat, judicio Halyab. 4. theoricę c. 2. & Haly Rhodoam in Microtechne tract. 3. comm. 63. ad trigesimum quintum usque annum augescere potest homo.

Sic alti & cumulati sunt apud Hippocratem anni pubertatis. Quanquam Ptolemęus in 4. lib. Apotelesm. cap. ultimo spectatis Lunæ & Mercurii super homines transcurrente vitâ dominiis: illius quidem ad quadriennium, hujus in decennium: statuit pubertatem hominis anno quartodecimo esse. Quo loco inter cęteros enarratores Haly Rhodoam tradidit conceptis verbis. In hac ętate animam, scilic. generativam, dare materiam, & incipere tempus, quo plantentur in ea principia operationum & propriarum virtutum; post hæc enim assistit homini Venus octo annis. Ad hanc potissimè sententiam accesserunt & Jurisconsulti, quam explicavit Imperator Justinianus, lib. 1. instit. civil. tit. quibus modis tutela finitur, §. 1. cujus pubertatis plenitudo atque maturitas adoptionis facultatem anno decimo octavo constituta est, eod. lib. tit. de adopt. §. 4. Sed de hac omni re cumulatissimè ac perquam exquisitè tibi disputat inter omnes Paulus Zacchia medicorum, & jurisperitorum Hermes Italicus in tomo primo quęst. medico-legal. titulo primo, quæst. 6. & aliis ejusdem tituli locis, quin etiam ex medicis Avicenn. in lib. 1. fen. 1. doct. 4. c. 3. & Gentilis à Fulgineo in commentario statuerunt, & hoc tempore pubertatem, quo primum sperma producere & emittere possit homo.

Hæc de tempore pubertatis professores isti omnes: à quibus ipsis si rectè placitum unius cujusque dispexeris: non discrepat Hippocr. si principium duntaxat ejus ętatis spectetur: verùm intellexit divinus homo pubertatem ad suum terminum extensam, quod apertè cognoscitur, quia memorato loco de articulis meminit barbę; quæ citra vigesimum non erumpit, ac vigesimo quinto completur, itemque meminit fœcunditatis, quę provectiore ętate perficitur; porrò & si à decimo quarto & paulò superiùs semen ejaculetur homo; tamen si filios non generet, infœcunditas non coarguitur, neque evincitur prętęrquam ad plenos istos & maturos, qui floridi vocantur anni; ad quos etiamnum extenderunt & aliquot Jurisconsulti, ut apud eruditissimum Zacchiam, ibidem locorum notâ numerali 67. & quæst. 5. n. 4.

Sed de pubertatis finibus jam satis: ad recensendas alias aphorismi interpretationes redeamus. Pręter Hollerii recognitam jam à nobis opinionem, fuit & Thadæi Florentini, atque aliquot aliorum, qui ad dorsi Lordosin exquisitam, & malum omne gibberorum, & rectas cunctas aphorismi resolutiones, problematumque explanationes retulerunt: contra quam tamen enarrationem est, tum multiplex nostrum experimentum, tum Hugonis Senensis in commentario super hoc eodem aph. Neque verò lordosis vis est tanta: ad quam unam referre possis; aut noxarum expositarum, aut mortis inventam anticipantis necessitatem. Præter hos omnes alii fuerunt, è quibus unum Hieronymum Mercurialem nomino, qui non perpetuam, & καθόλου propositam ab Hippocrate sententiam hanc censuit, verùm aut gratis aut sine solido fundamento dictum hoc à Mercuriali credes, donec aut firmior tibi demonstratio producta fuerit, aut mox adversatura nostra enarratio nulla sit, ego enim aliter circa proposita philosophandum aliumque in aphorismo sensum inveniendum autumo. Confido autem germanum occurisse intellectum; quem mox audies si priùs hypotheses aliquæ prestituantur.

Primum insuetum & alienum arbitror ab Hippocr. atque absolutissimis quibusque autoribus, caussis effectricibus primis immediatisque relictis, poni secundas, & mediatas accidentariosas, itemque corporalis effecti poni causas spiritales, quando suppetant genere correspondentes, id est, corporales ac solida. Atqui causa gibberis prima, immediata, corporalis, & solida constituta jam ante fuerant ab eodem autore spinæ tuberculum: quam rem & Galenus in hujus aphorismi commentario premonuit. Præter quam hujus viri confirmationem, est & altera plenissima Thadæi Florentini expositoris inter omnes juniores primi & gravissimi. Est, inquam, essentialis gibbi causa spinæ tuberculum, sed ex hoc ipso dirupto tussis, & asthma resultoria sunt symptomata, & secundùm eruditorum hominum sententiam secunde causę, nequaquam autem apud verè doctos fuerint primæ, propter incommoda nonnulla, quæ Mercurialis opinionem confutans suprà retuli.

Itaque quid aliqui sapienti viro veniat in mentem, aut probetur; tussim & asthma, ventosas utrasque res creditas ab Hippocr. causas gibberis effectrices? quid insuper hę causæ adversus ossa, luxationes potiùs, quàm adversus membranas & molliores cedentesque partes alias diversa symptomata & rupturas machinentur? quam quidem absurditatem, ut declinarent prudentissimi duo viri, Thadeus, inquam, & ab hoc fortasse mutuatus Hollerius, constituerunt [ex] particulam poni pro [cum] quam rem tamen à nullo Græcorum aut Latinorum rectè ac probatè loquentium autorum factum hucusque legimus. Quas ob res tandem, aut scripturę modus aliquis, & lectio accommodata est invenienda, aut nova interpretandi ratio, quæ satisfaciat, est comminiscenda; id utrumque nos una methodo complectemur, quæ est? Si pro ἐξ statui possit ἔξω, quę interim particula decreto Hippoc. etiam ad amussim quadret, ac facilis immutatu se obtulerit; id quidem & non difficilè feret quisquam, & liberè nobis etiam assentietur. Atqui sic equidem hęc ad unguem se habere, ut modò dictum est, ostendimus.

Et quod ad vocis immutationem spectat, hercules admittitur, aut rectiùs admitti necessum est, vocalis in dictione posterioris, altera vocali sequentis alterius dictionis proximè se offerente, fieri elisionem oportere (quod etiam à nostratibus Italis fieri consuevit.

Jam

Jam vero vides; post primam aphorismi particulam, quę ἔξω me autore fuerat; mox ἀσθματος sequutam nomen; quapropter pro ἔξω ἀσθματος facile ἐξ, ἀσθματος afferri potuit: atque adeo ἐξ ἀσθματος, quod in præsenti legitur; insinuatum fuerit. Sic quidem apparet facilis voculæ cujuspiam in alteram factus transitus, aut veriùs nullo facto transitu, vocalis unius facta expunctio. Cujus sic compositæ dictionis accipe nunc sensum & germanam veritatem.

Ἔξω quidem græcis, latine extra pro prętet sæpè valet, ut ex Thucydide ac Dioscoride notant lexica: nos autem & vernaculâ id linguâ consuevimus; quę vocabuli usurpatio non infrequens fuit & apud optimos auctores latinos, quorum omnis dignitas & præstantia ex una gręcorum imitatione fluxit; neque autem hac de re Ciceronis unus est locus, nam secundo de legibus ait; extra collegium Sacerdotum ne quisquam sacra, quę publicè essent; constitura nosset, & clarius epistola 3. lib. 4. extra ducem paucosque prętetea; & alibi etiam, cujus est nemo in tanto populo extra contaminatam illam Publii Claudii manum, qui &c. quam eandem loquendi elegantiam ab Horatio Tursellino è Societate Jesu scriptore disertissimo, libro de particulis notatam, observavit etiam apud eloquentię Romanæ parentem & Marius Nizolius in Thesauro Ciceroniano productis duobus præterea locis, quorum alter est lib. de inventione, hoc separatum quiddam est extra illud; alter multò illustrior libro de oratore: nullus est numerus extra poeticos.

Jam igitur eo constituto, quod Hippocratis aphorismus legendus est sic, qui extra, vel pręter asthma, & tussim gibbi sunt, hi ante pubertatem intereunt, hujus orationis sensus is mihi quidem videtur, atque omnibus videri debet, necessario quodam nexu comprehendendas has tres simul omnes gibberis, asthmatis, tussis affectiones; ut ante pubertatem, annum vigesimum quintum necessitas moriendi sit; quippe postquam unum aliquid istorum non explevit morbum, quod expleturum alioquin abunde videbatur: reliquum namque opigenesi facta pessimum & exitiale malum oportebit; ut jam nos in lib. de abscessu critico ex Coacis pręnotionibus Ludovico Dureto enarratore monstravimus: Difficultas autem spirandi simplex haud necessaria absolutè causa videtur, ut vitæ vim inferre queat, multo quoque minus tussis compulisse quenquam ad interitum visa est; quod indicavit summus Hippocr. aphorismo, qui habet, strangulatos aut suffocatos ad se posse redire, quibus circa os spuma non extiterit. In his enim quàm plurimam fuisse spirandi angustiam, quis est, qui non agnoscat? Ac neque sola gibbosis tantam habet vim, ut fatum accersat; necessum enim, ut pulmones, aut spiritus organa laborent sic, ut ex horum affluxibus malis tussicula parta plurimum molestet.

Quæ omnia cùm non sunt, videmus quotidie multos, qui gibberis bellè ferunt incommoda ptopterea, quòd nullam, aut tussis, aut spirandi difficultatem experiuntur. Quinimo visi sunt inter nostrates homines gibbi, qui in arte canendi consummati vocem quàm maxime deprimunt, aut intendunt, quorum unus est presbyter sexagenarius, cui gibber amplum utrinque prominet: alter est, cui cyrtosis est magna dorsi, Franciscanus Ordinis III. Quę tanta vocis intentio, cui planum non sit, spiritus vi constet? An ne igitur exitiosum extremè quicquam istorum esse possit? Sic jam apertum est gibbis plerunque non esse spiritûs angustiam; neque si aliqua sit ejusmodi, dispnæam perniciosam alioqui futuram. Verùm enim verò gibbere pectoris angustiam faciente; post angustiam verò difficultatem respirationis, ac multò maximè post diruptos abscessus tussim ac asthma consequens: sic plenissima & necessaria causa est, ut mors homini lente subrepat, vanescente scilicet calido cordis; qui diù persistere in ea pressura veluti piscis in arido solo non potest; quando nimirum alimentum primum aeris viventi desit. Hæc universalis nostra lex esto: deinde requiritur specialis; ut hi homines imbecilli, graciles, ac prope squalidi sint, quo calore ac siccitate constante fit, ut major sit usus respirandi qui maximus in angustia pectoris maxima: vides quantam ex difficultate spirandi præ se ferat noxam. Sed vegetiores moderateque carnosi & si gibber experti; nil detrimenti, ac neque spiritus difficultatem perpetiuntur. Sic Hipp. l. 3. de art. ait; Multi quidem gibbi facilè, at non scimus, quàm benè valentes, jam usque ad senectutem id mali sustinuerunt, pręsertim quibus corpus carnis plenum ac pingue effectum est: pauci autem ex iis ad sexagesimum annum pervenerunt; plerique enim citius moriuntur.

Requiritur & tertiò causę vis præpotentis ac vehementis, hęc autem est defluxio crudi gravisque succi multâ copiâ de capite confertim ad inferiora ruentis; cujus pars ad spinam delata & circa vincula vertebrarum coacta gibbum, ea qua dixi ratione contrahat, pars ad pulmonis & anhelitus vias brevius derivata & spiritus anxietudinem, & tussiculam excitet, sive quidem hìc relicto phymate submolli subcrudoque, quod sudorulentum suum veluti madorem in asperam arteriam insinuet; sive spiritalibus tantùm irrigatis viis, & nullo phymate relicto. Ex quibus omnibus noxis, quæ primùm se prodit, est pulmonis: quę causa fuit scilicet, ut ex spirabili viscere languorem prę se ferente suscitatos spinæ conflexus opinati fuerint nonnulli. Conflectitur autem & sinuatur ad eos; quos dixi modos, plenis simul semelque, sed diu comparatis incrementis, ad mensium porro, atque aliquando ad annorum curricula maturitatem gibbi retulit Cardanus in aphorismi commentario.

Accedit ad has gibbi causas & alia, quæ veluti principium est omnium; improba videlicet capitis conformatio, expers naturalis utriusque projecturæ, maximè verò posterioris, cum Thersitica propè forma, tum capitis, tum faciei: præcipuè verò naribus hiulcis atque anhelis, & oris ampliore rictu, cum rariore aliquando ac latiore dente; collo verò nullo vel intra thoracem reducto: hęc capitis universi conformatio plurimum incommoda est, vel quod ad ipsam pertinet, quæ cursum exhibet, ac non coercet humoribus superfluis; vel quatenus includens primam intemperiem & imbecillitatem facultatis formatricis, causa est mali potissima; qua necessariæ ac verendę fluxiones pectoris œconomiam infestent.

Sępe etiam cum formatricis vitio, quod intra matricis claustra constitit, conjungitur extra uterum imbecillitas nervorum, quæ maximè cedit, & oportunam se exhibet inflexui. Sic & mala partium conformatio & gibbi perversio apparet, quo multas quidem afferre narrationes possem: sed superat omnes ea, quam mox audies: nimirum Antonio Santoro Neapolitano puero quidem pusioni, sed 14. jam annos emenso visos à me gibberes omnes mire complexos ad cervices, inquam & lumbos & coccygis repanditatem, ad dorsum & pectus cyrtoses à supremo dorso ad lumbos usque scoliosin, præter quas omnes gibboses est ne alia, quæ superfit? Sed & manuspedesque non modicè difformes, atque distorti spectabantur adolescenti malè feriato, qui perpetuo quidem Scipione se firmans cum à me rogatus, ut nullo fulcro nixus incederet; id summo cum labore & præcipite quasi gradu fecit. Quod autem summè dignum notatu visum est; nulla puero respirandi difficultas aut tum fuit, aut ante hac: de qua quidem re certos nos idem fecit propterea, quòd pulmo huic purior visus est. Non de his autem, sed de aliis secundùm pulmonem affectis dixit certe Cardanus, quod gibbosi crebriter spirent.

Ad hæc in gibbosis potissimum illud requirimus, ut circa vias spiritus incubuerit amploque non tenui schemate sit ille pannus, qui gibber excitarit: enim verò non spectans ad ductus spiritales exile phyma, haud sanè valentem ad interrumpendum vitę cursum vim habere poterit. Itaque superiores spinę partes tentet, atque ad interiora potiùs, quàm ad exteriora vergat gibbus tacitam homini tabem illaturus. Illud tamen cum lordosi perniciosa necessarium advertit plurimæ vir fidei Nicolaus Florentinus in serm. 7. sum. 2. tract. 3. c. 40. ut nulla sit contra pectoris projectura, seu cyrtosis. Sic enim præter magnam spiritus angustiam parva pectoris est intercapedo, ac modica commoditas, per quam pulmo quoad sit satis, extendi se permovendo possit. Sed tamen contra Nicolai hanc hypothesin est Cardanus; qui simul cum costis contorqueri dorsi spinam, atque hanc vicissim cum costis notavit propterea, quòd costæ vertebris aquę ac sterno medię colligatę sunt cum utrisque quo fit, ut quam emotionem incurrerit posticus thorax; eandem & anticus subeat oportet: & contra, quæ quidem Cardani ratio, ut plerunque vera sit: at non perpetua; namque constare potest alterutrius partis integritas subversa altera: quam nos rem Neapoli non semel vidimus & admoniti per nos amici multi.

Habes jam nostram de lento gibberum exitio novam opinionem.

Post hæc omnia, quod ad materiam formamque gibberis & ad causas pręmaturi interitus effectrices pertinent: cęterùm superest expendenda ratio modusque, quo corruptio lente se insinuat in vitę fontem. Hieronymus certè Cardanum animadvertit in Galenum, qui sub gibbosis affectu tabem parante vacuitatem thoracis semper fecerit minorem, quàm pectoris interaneis incrementa dorsique amplitudo judicio Cardani sępe etiam sub flexa quàm sub recta vertebrarum compagine major est. Jam verò, quod offensarum accusavit, illud est eversa figura, qua fit, ut una quidem parte pectus comprimatur, altera verò laxius fit: sub hęc autem multam agitandi sui commoditatem exuatur pulmo, consequitur, nimirum & si lateribus excursus patet: tamen immutato dimensu longitudinis, allidens ad angusta non parùm laboraverit spirabile viscus, uti vides. Hæc quidem ille gibberis detrimenta fecit: alium nos opinamur ab importunitate gibberum aëriis organis labefactatum. de qua re omni hæc mihi succurrunt in præsenti.

Scire licet thoracem à sapientissima natura sic conditum secundùm longum ac latum, ut longitudo superet, non superetur; nempe longior est excursus à capite trachææ ad infimos angulos septi transversi, quàm à dextro latere ad sinistrum: itaque ad ovalem figuram thoracis universi ventrem refert Hieronymus Fabricius in lib. de respir. part. 2. cap. 6. Et jure quidem optimo fuit eâ formâ donatus thorax; quippe naturalis quidam follis est attrahendo remittendoque aeri comparatus. Atqui follis oblongus est, igitur & thorax oblongus rite fuerit, quin imò ne follis formam solùm, sed ejus etiam construendi rationem & causas consequutum est diaphragma; nam quod aërem colligit & expirat unum ejusmodi vas; qua facit hęc, angustiorem ductum; cęterum qua congerit aerem capaciorem locum obtinere debuit; ex quibus omnibus apparet, quod major thoraci sit loci commoditas in tractu longo, quàm in lato, eoque etiam amplius; quia secundùm latum plura & solidiora sunt corpora; cor, inquam, mediastinum, aspera arteria & hujus diffusi rami: quę partes totam latitudinem complent; non sic autem completur longitudinis dimensus, qui parte multa vacuus est; quo consilio naturæ quęres, & quo partium usu? sed respondeo propterea, quia septum transversum se extendendo liberiorem ad superiora locum exigit, atque etiam ad inferiora pulmo.

Aliud nunc velim revoces in memoriam anatome comprobatum diaphragma parte quidem posteriore depressius esse; parte verò anteriore sublime sic, ut sterni fines attingat, pone nunc dorsi gibbum & pectoris; pone cervicis sic, ut caput inclinet ac pręgravet; quod rectè notavit Cardanus, breviabitur protinus intercapedo longa, & pertrahetur ad superiora septum transversum sic, ut adhæreat pulmoni. Cùm igitur in expirando se contrahet diaphragma, locum non inveniet, ac fibras pulmonum adurgebit. Sed neque pulmo tantùm ad inferiora spatii nanciscetur, quantò sibi opus est, atque ab opifice pręscriptum fuit.

Hæ secundùm loci angustiam gibbi sunt noxæ: audi nunc alias ex distortione nascentes, atque ad alia pectoris organa spectantes incommoditates. Hę sunt partim aspera arteria, partim pericardium, & quod intro fovetur, augustissimum cor: de hoc egò prius dicemus. Nosti membranæ cor asservanti conglutinatum & appensum inferne diaphragma; eo scilicet naturæ consilio, notante Hieronymo Fabricio, ut dilatetur is sacculus, majoraque sint cordi perpetuò micanti, pręsertim cuspide tenus, spatia: id autem evenit facilè, siquidem hic suspendiculi tractus in diaphragmate latissimus est; ne si foret angustior in longum tantummodo distenderetur eadem tunica: quod cordis prolatationi non parùm officeret. Flecte nunc mentem ad pervulsas dorsi vertebras, emotaque ossa sive antica sive postica, sub utroque enim gibbere necessum erit, ut distracto primùm diaphragmate, mox distrahatur, & suspensaculum antrorsum sive retrorsum, quo aliorsum, quàm recta contorto, suam extendendi amplitudinem cor amittat, & ad latus amiculi suis in motibus allidat, oportet.

Prçter hæc œconomiæ pectoris, & alia perturbatio est, oriens ex trachęę conformatione vitiata; hac enim per gibbum cervicis aut supremarum vertebrarum contorta, pulmo qui subest ab ea perperam & laxe suspensus fallat etiam in suo munere necesse est; quantum enim in recta suspensione per naturam electa perennis undequaque motus ritè rectèque adimpletur; tantundem etiam in contortis pulmonum arteriis corruptus idem & perversus erit adeo; ut lentior ac laxior esse debeat, porroque si rem acriter ęstimaveris, fluctuare propemodum in vacuo thoracis sine suspensore pulmo videbitur; quemadmodum rete jactum in mare sine rectrice manu.

Sed ipsa fistula spiritalis an tacenda sit? quę ob cervicis gibbosin recurvata nullam non spiritûs offensam inducere apparebit; si naturalem suam prius spectaveris conformationem, quę Galeno autore 5. de administr. anatomica est; Trachęam, quia ad inspirationem respirationemque nunc contrahi, nunc dilatari, ac nunc longiorem nunc breviorem vicissitudine perpetua reddi oportuerat, musculis mesobronchiis, id est, ad cartilaginum intercapedines decussatis, itemque membranis ad soliditatem eorundem bronchiorum natura parens exornavit: ut toto dum inspiramus thorace dilatato, deinde consequutione ad id, quod movetur, pulmonem ad omnes partes dilatante, id quod in arteriis est membranosum in latitudinem; quod verò cartilagines repiet, in longitudinem extenderetur. Videris igitur num contortis bronchiis, id est, altera quidem parte cohærentibus, altera laxatis possit suus hic feliciter perfici motus? Porro dubium alicui non est, quòd qua coarctata & compressa bronchia sunt, nullam extensionem patientur: qua verò perpetuam laxitatem conservant, locum dilatationi non dabunt.

Hi quidem sunt omnes modi per quos aëriæ pectoris officinæ non mediocriter officere gibbi corporis superioris possint. Verùm enim verò neque singuli tantę potestatis essent;

essent; commodiusque cum homine gibbero ageretur, nisi & ex altera turpis eluvies spirantes particulas, & horum conceptacula perenniter infestaret; hæc enim una & pręcipua causa est, quæ summam fati necessitatem acceleret & denique absolvat, atque illud est etiam, unde Hippocrat. nobis tam absolute pronunciavit; qui ex asthmate ac tussi, id est, ex causis asthmatis, & tussis gibbi fiunt, &c.

Jam igitur considera mihi; sub gibboso quomodolibet pectore & fluxionibus capite superfusis gravato, septo non libere se agente, atque hoc & pulmone locum invicem invidente, præterea spumoso viscere per distortum suspensorem vage laxato; affabrefactæ trachææ corruptis usibus, corde sua connivente caspula male compresso: spiritalibus denique ac pulsificis organis perperam in suo munere se concitantibus, num spiritus & pulsus & vitę munia feliciter sint processura? quin verò neque sufficientis aëris commeatus, neque æstus in corde refrigeratio, neque fuliginum expulsio perfici poterunt, parce igitur & coinquinate oblato in dies alimento consistat vitalis vigor & caloris vividi vis non emarcescat? Igitur hę causæ sunt & hęc ratio, ut animal (quæ Galeni vox fuit) corrumpatur, lentis tamen & in dies factis ad interitum accessionibus, non subitam & repentinam, quod multis visum est, strangulationem animante perpesso, nisi fortasse ex alia vehementissima causa, quam tute per te intelligere potes: Quibus jam de Galeni Magistrique Hippoc. exactis enarrationibus ad cætera quæ supersunt transitus esto.

Collatio extrinsecus illatæ & ductu morbi natæ gibbosis.

QUę cùm jam apparuerit interiùs partæ gibbosis cacoëthia: quæstio subinde se offert, utra funestior hęc sit, an externo principio producta. Difficilis quidem enodatu controversia, quam nemo, quem legerim, ex professo attigit aut resolvit, quod nos aliquando cùm facimus contractam in brevissima disputationem disponimus ad hunc modum. Speculanti quidem protinus apparent graviora gibberis obscure producti momenta: nam quis est, qui plus uni, quàm compluribus & gravioribus omnibus demolitricibus causis non deferat? quandoquidem nec Hercules contra duos, atque istę pręterea causæ functiones vitales & recte, & proxime lacessunt: Ad hanc opinionem accesserunt certi super hoc judicio non falsi, Franciscus Vallesiùs in comment. citati sæpe de gibberis aphorismi, atque Ambrosius Paræus lib. 11. chirurg. oper. cap. 17. Veruntamen expensam exactè rem non fugit difficultas, atque aliter, quàm isti discessu nullo censuerunt, suadent nonnulla, quæ mox subjicio; propositurus primùm, quod ictus spinæ dorsi non minora ducunt pericula, quàm percussum caput, quocirca Hippoc. lib Coacar. prænot. 3. quasi uno eodemque loco habuerit vulnera capitis & spinę dorsi; simul utraque complexus enunciavit; moriuntur ex vulneribus, si quis sauciatus fuerit cerebrum, aut spinæ medullam. Cui viro proximus Cornelius dixit & lib. 5. cap. 26. servari non potest, cui basis cerebri, cui spinæ medulla percussa est. Porro rachitis præcipuæ dignitatis est pars, unde nervorum excursus & propagatio est, cerebro & substantia & accidentariis plerisque formis proxima, quapropter & facultatis Igemonicæ impulsivæque noxâ sub spina vehementer percussa perpetuò resultat: enim verò per hanc princeps in consensum trahitur cerebrum, est autem spinæ luxatio per vim illata plurimùm ad interiora, quæ sine medullæ violatu non est, quo fit, ut plane incurabilis & neutiquam attrectanda sit judicio tum Hippoc. tum Celsi Paulique, tum posteriorum omnium, has ob causas pernitiosissima si quæ alia videtur externa spinæ medullæ intrusio, quam nervis graviter apprehensis, tum inflammatio, tum convulsio, tum implacabilis doloris acerbitas consequuntur.

Sed quid jam tandem de utriusque mali profundiore noxa judicandum est? ego problematis resolutionem hanc statuo principio tametsi proponantur in universum pares utriusque modi, id est, ut absoluta sit tum hæc, tum illa, tamen disparium generum nullam æquabilem verè comparationem esse confessum est. Quod si quacunque paragoge contentus sis, tum eam distinstinctionem pono; lędunt utraque functiones vitales; sed altera quidem inopiâ spiritûs & inquinamento, sicut ostensum est: altera spiritus præsentis & minime desientis dissipatu doloris & vigiliarum & phlegmones vi facto. Cæterùm in altera visitur insignis acuties, in altera lentus marcor & exolutio, in altera calamitas est longinqua & annis necessaria, in altera dierum termino incerta, secundùm Hipp. sententiam, quæ habet; Acutorum morborum non sunt certæ prænuntiationes salutis aut mortis. Ego autem cùm utraque perniciosa sit, sed diversa ratione perdens: æquiparaverim duplici expugnationi urbium efficaci: quarum altera per strictos gladios & incendia cunctos & populos & urbem truculentè vastet: altera longa obsidione ac fame resistentes oppidanos è medio tollat. Cui nostrę resolutioni apud typographos lectæ mirùm in modum plausit Franciscus Romanus collega noster, qui libellum elegantissimum de militari medicinæ conditione jam pridem instituit.

Jam autem post traditam gibbosis ab humida plenitudine curationem, succedit altera siccæ medicatio; quę judicio Rhazæ & Avicennæ non alia quàm convulsionis à siccitate profectæ remedia poscit; si tantum ulla curatio est ejusdem ab inanitate productę, Hippocrate & Galeno auctoribus in aphorism. cujus difficultates miror equidem, quòd non meminerit Rhazes, nisi quod immodica siccitas non est, unde orìatur profecto, licèt porrò, summum liniendi, ac madefaciendi modum requisivit huic gibbosi rectè medendę. Remediorum autem genera, quæ pręscripsit, sunt ejusmodi; prima sanguinis detractio ex hepatica, secundus clysmus ex oleo, in quo ferbuerunt radices althęę & seminis lini, tertia portio atramenti cassiæ, dissolutę ol. amygdal. dulc. Ita quidem in l. 3. divis. cap. 105. sed in 9. ad Mansorem cap. 91. si hoc vitio correptus fuerit puer: tepentis aquę balnea, conjuncta febre ex herbis infrigerantibus decoctum cum cassia fistulari potui propinandum, atque emplastra ad dolentem usque locum vi sua refrigerandi perreptantia parti affectæ superaccommodanda sunt, inquit. Hæc ad ineuntem gibbum est Rhazę curatio, nostràque quam audisti tuitio; cęterum gibbosi jam perfectæ, si qua curandi ratio est; hanc per chirurgica adjumenta conficiendam docuit optimè super omnes Ambrosius Paręus in operis chirurgici lib. 22. cap. 8. quam apud eum autorem legito.

Alia quædam Hippocratis de gibbis judicia enarrata.

HI mali sunt & extremi gibberum eventus: alios verò è salubri neutrove genere nos docuit Hippoc. in citato sępius comm. 3. part. 3. 4. 5. quarum omnium sententia hæc est; quod plerumque solvi nequeunt, potissimùm ubi spina supra septi transversi conjunctionem fiat, infra verò quidam solvuntur, cùm varices in cruribus fiunt: illę autem magis gibber spinæ solvunt, qui in vena poplitis oriuntur, fiunt etiam in venis inguinum. Solutum quoque jam sępe vitium est à torminibus diuturnis. Hæc Hippocrates, quorum illa mea quidem opinione methodus interpretanda potest esse.

Fit spontanea gibbosis ab humorum defluxu, qui si diû consistit in vertebris sic, ut inde non recedat: facit sua permansione atque adhæsu firmo, ut gibber absolvatur & consummetur, quod si natura procurante de vertebris, ad quas appulsus fuerat humor, aliò abscedit, vertebras liberet â tuberculo, quod gibbosin pariturum erat, oportet. Jam verò duplex hic humoris abscessus est, tum per decubitum, tum per affluxum, & per decubitum quidem alter modus est extra venas: sic in inguine per sympathiam conflatum, ex materia tuberculum & abscessum facit, ut solvatur gibbus, qui lumborum vertebris erat firmando. Alterum genus est intra venas per metastasin, sic excipientibus humorem vasculis ample distentis (varices dicunt) nec non hæmorrhoidis absolvuntur etiam à gibbere lumbi.

Cæterùm prestabiliore longe sorte per intestina transmissis succis & suppuratâ atque extenuatâ per hanc viam materiâ alioqui crassâ: similiter & nullum lumborum est gibber, quam assertionem firmam puta, si de nuperâ & inchoata, non de veteri & consummata, nec morbum consequuta; quę Hipp. alioquin insanabilis est gibbosis; explicetur. Porro fit hæc humorum transmissio per primos & inferiores venę magnæ ductus à quibusdeinceps in subjectos alios minores ramosdescendit, donec aut effluat, aut loco cuiquam incumbat, aut verò transitus hic humorum & venarum, quę vitiatos succos recipere possunt, commoditas thoraci non est; illud etiam advertente Galeno in hac commentarii particula, quandoquidem de venis irrigantibus utrasque partes ait.

Utrinque octò costis una alimentum subministrat: sed superioribus, duę alię tenues, scilicet ab utroque latere una; quæ omnes per thoracem distribuuntur, dissipantur; idcirco si succus aliquis ad ipsas ex tuberculis transferatur, excerni non potest, prӕterquam quòd ægrè etiam admittitur. Succi enim, qui cruda & dura tubercula faciunt, glutinosi sunt & crassi, quare non facilè per tenues venas feruntur, sed vena, quæ ad lumbos est, latissima est & sanguinem ad venas omnes transmittit. Ergò, cùm hęc crassos & glutinosos succos receperit, si affectę partes viribus adeo valeant, ut quod superat, expellant, & ad venas hìc sitas transmittit, quo fit, ut latescant, & in varices assurgant, ubi succi crassiores fuerint, id accidit in inguine protinus, sin mediocriter crassi, in poplite. Etenim, quibus citra causam hanc varices in cruribus oriuntur, videre licet venas proportione succorum crassitudinis latescentes, ubi crassissimi sint, latissimas; ejusmodi venæ sunt in inguine, ubi minus crassi, minus latas, quales in poplite. Interdum enim, quum majores venas obstruunt, hunc affectum excitant, interdum ad inferiores concurrunt, quæ angustiores sunt; in universum autem in varicibus crassus sanguis continetur, nam id virium plerunque à succo melancholico, interdum etiam ab aliis crudis crassisque concitatur.

Sed pergimus ad alia subinde divini præceptoris enunciata. Quibus verò adhuc pueris spina gibba fit, antequam corpus perfectè increscat: his corpus ad spinam non augetur, sed crura & brachia duntaxat perficiuntur, quæ sunt ad spinam non complentur, quas res omnes Galenus ad perversos nutricularum venarum tubulos & ad membri δυσκινησίαν, id est, movendi difficultatem & ad consequentem inde naturæ languorem retulit. Sic autem ait; & quæ jam perfectè increverunt, emarcescunt, nedum quæ adhuc increscunt suo juxta spinam augmento prohibentur; cæterùm autem partes, quę vitiatis ulteriores sunt; ut brachia cruraque detrimento non participantia, crescunt feliciter & vigescunt. Hęc & ejusmodi tibi sunto loca præsagiorum de gibbis, ex Hippocrate.

Sunt alia præsagiendi capita & rationes ex modo tuberculorum; hæc enim si dura & cruda, quamvis Antonio Musæ Brasavolę difficultatem pariant respirandi majorem, Jacobo tamen Hollerio minus inferunt periculi, plusque vitæ promittunt habentibus; at; quæ suppurant alia, deteriora; si viro Stempano credimus: Sed dę hac re paulo posterius agetur, quod periculi tamen haud fuerit à tuberculo ad vertebras lumborum extante: prӕterquam enim tanta partis dignitas non est: ad hęc id loci nactum tuberculum adinvenire sibi poterit expurgandi transmittendique vias, quas jam ostendimus. Quę de vertebrę primę luxatu secundùm Hippoc. sententia fuit Hollerii, necessariam hanc suam interpretationem professi, ut probabilissima sit autoris propositio: non ita verò visum est Ugoni Senensi atque aliis, qui gibber omni superius potissimum ad interiora cum tuberculo & illo quidem magno, necessariam causam fecerunt; ut gibbosum ex asthmate vel tussi redditum impubetem prӕmatura mors tollat.

Quę de superioribus gibberis lata cùm fuerint judicia: post hæc aliqua de inferioribus attexemus, videtur autem etiam Hippocr. traditione probabile quod lumborum repanditas incommodi multùm allatura sit inferioribus partibus & ischio, quo subit referre id, quod Matthęo Coppulę Neapolit. nobili viro contigit hoc & proxime superiori anno volventis sęculi trigesimo advenerat plenissimę corporaturę atque delicatioris vitę juveni dolor ad alterutrum ischium; qui brevi liberum motum ademerat: postque sanguinis detractionem ex ischiadis vena sub talum, convulsionis non leves motus eidem lateri fuerunt, relati quidem ab aliquibus vellicato per phlebotomum nervo, sed me quidem judice sunt hi cum innexo simul dolore, depravato lateris motu & manifesta macie revocandi potius ad altiorem causam, nimitum quam attigi nuper, etenim à mali primordio facta est repanditas in lumbis inferioribus à me primo comperta, quam injuriâ nullam, sed naturalem affectionem, cum ęgroto dixerant alii medici; veruntamen hic tanti fuit, ut spontaneam etiam luxationem ossis femoris induxerit, quam etiam à me primùm adversam admolitis omnibus ad reductionem, tum per atrembolum, tum per chirurgicam manum, equidem dubito an curaturi sint medentes, antequam à repando lumborum vitio vindicetur homo, quæ quidem retulisse volui libentius, ut prudentes oculatique sint posthac homines nostri, si me tantùm audierint, in pervidendis harum affectionum causis.

Altera quoque nobilis observatio per me facta est in Camilla cognomento Spargiata virgine puella Parthenophilacii spiritus sancti, cui ex ingenti lumbarium spondyllum intrusione, primùm interceptus cruribus vigor, ac plurima parte sensus ac motus est; pro quibus affectibus curandis vinaceorum remedium & medicamenta omnia sine fructu sentiit, quę res quidem non evenit ex introcessu & repanditate ossis sacri: ex quo vitio nullum vel sarcosis, vel imbecillitaris detrimentum fuit Petro Fasciano Siculo Panormitæ Juveni operario typographo in officina, quæ mea hæc commentaria prælo submisit.

Hactenus de convexa & cava gibbosi multa, de tertia, quæ ad latera & in spiras est, flexura nunc pauca: hanc plurimum incurrunt hi, qui de sublimi loco ceciderunt in pedes, cujusmodi homines equidem novi duos; qui utique perpetuam urinæ laxitatem ac mutilationem inferiorum artuum sunt experti, horum alter Scipio Pulsonus Neapolitanus, qui de celsa specula extremum nescio quod periculum fugiens, se dederat præcipitem; mox dimidio corpore resolutus ac toto languens in nosocomium nostrum est delatus, qui post aliquot susceptis inter lumbos & coccygen crustis, Ægyptiorum more per nos excitatis triduo liberatus est sic; ut eo temporis lapsu ex valetudinarii nostri lectis volens ipse decesserit, qui super assere per duos bajulos

julos delatus fuerat exanimis prope modum; rem miraculi loco habitam in valetudinario, quam viderunt admodum Rev. Pater Flaminius Resolinus pientissimus unus vir ex his, qui sacro voto assistunt infirmis, Adamus Marchius nosodochii Medicus callentissimus, Dominicus Mosca, Franciscus Romanus Doctores utrique peritissimi. Incurrit & scoliosin licet ante descripta leviorem, cum pari tamen mictus laxitate juvenis Lucanus; quem ad nos curandum detulit Bernardinus Christianus elegans ἐκγραφῆς admodum Rev. Patris Magistri Dominici Gravinæ rerum Theologicarum Scriptoris optimi pariter & fœcundissimi: de quo consultore Theologo jure se jactare potest æquissimus cathedralis Ecclesiæ senatus; de professore verò schola nostra Neapolitana.

Cap. 6. *De præservatione, & curatione partium interiorum.*

HUjus autem affectus tesi curatio per omnes vulgo quæsita est, tamen præservatio longis intervallis tum dignitate, tum usu prior apparet: nimirum quod gibbi, qui ex interna causa proficiscuntur, hi sunt insanabiles plurima parte; nisi confestim initio summa providentia subtilique solertia revocati, quam inhibendi mali pervisionem à plerisque omnibus in silentio prætetitam, utinam nos, qui sumus aggressi nuperi obscurique autores; sic ut exigimur; sic ut cupimus, interdum exequi valeamus, rem sane non parvę neque futilis operæ; verùm utcunque res evenerit, contentus auditor esse nostrâ diligentiâ debebit, quæ si non magnam, certe mediocri non minorem afferet frugem; confido. Illud autem, quod forte meditatus in hac re sum, est hujusmodi.

Proponitur curatio gibbosis recentis, porro vetus & confirmata sanabilis non est, autore Rhaze nuper indicato loco; siquidem igitur primum ipsum gibberis initium prævidere potis sis: hac re sanè vix aliquid optabilius obtigerit. quippe statim occurrere remediis opportunis licebit sic, ut etiam anteverti possit humorum vitiosorum confluxus, verùm enim verò, quia neque continuo medicus accersitur ad ineuntem affectum curandum, nedum ad præservandum: neque sic semper est facile morbum, qui se insinuat intrinsecus, oculatè pervidere (utinam autem jam initium ac latens quodcunque malum deprehenderetur à cunctis professoribus hoc nostro sæculo, quo minus, quàm par est, Hippocratis doctrina colitur) sub hæc evidentia symptomatibus rudimenta gibbosi accessus sic intercipere, atque absolvere tentaveris.

Discretis enim causis, num ob plenitudinem, num ob inanitatem contractum vitium sit; his non aliter quàm humido siccove spasmo, judice Avicenna, contraniti debebis, plenitudini quidem prima sanguinis detractione (basilicam elidit Rhazes) simul & victu quàm maxime vires permiserint, tenui, ad hæc avertentibus omnibus remediis, quæ sunt frictiones, vincula, cucurbitulæ, vomitus, clysmi; singula quidem ad situm supremum vel infimum, dextrum aut sinistrum affectæ partis opponenda. Deinde etiam expurgato levatoque à suspiciosis omnibus succis ac superfluitatibus corpore; deinceps ad sudorum artificiales manatus convertendum ejus, qui medetur, est consilium, quem equidem scopum, & quod remedium arbitror præcipuum & primarium ad morbi causas aut eximendas, aut minuendas; pręsertim si sudationes istæ proliciantur ad æstuaria quępiam peculiari naturæ munere comparata, qualia nos ad nostras oras, & ad Neapolitanos terrarum tractus habemus Ænariæ, Puteolis, & in Crypta Aniana, quibus singulis uti si concessum non sit, aut anni tempore, aut loco, aut hominis facultate, aut aliâ quacunque causâ non patiente: tum his succedunt assę sudationes in laconico arte paratæ: quas adjuverint sumpta per singulos dies decocta sparti parilis indici lignive guajacini, ad eum modum apparanda & conficienda, quem in Pædarthrocace nuper aperii, in quo libro descripta multiplicia ex viperis medicamenta, huic etiam morbo depellendo non parum accommodata comperies, quippe quę naturæ calorique nostro auxiliaria atque amica labem quancunque corporis emundare atque exhaurire sunt comparata. Quod si subjectæ vel crasi corporis, vel habitui; vel ætati; vel regioni, vel anni tempori constitutionique calidis & incumbenti febri minus congruere videantur alioqui calidiusculæ materiæ: viperas in caprimulgos & boas, quas vocavit Plinius, permutare fas est; accedunt hi proxime ad illarum naturam ac temperatiores sunt primis qualitatibus tenus. Utatur autem & homo, qui tractatur, iisdem penè potionibus, ac victûs ratione, quę pędarthrocacę prohibendę proposuimus, nam neque dissident admodum utriusque fomitis exsiccandi ratio: præsertim ubi gibbi, qui curatur, hęreditaria sit suspicio.

Hę quidem ad plenitudinem corporis privatim adversæ sunt medentis provisiones: per quas tamen omnes si prævalentibus ullis causis, tuberculi procreationem pręripi non licuerit, aut eo tempore vocatus ad curandum fueris; quo productum jam tumorem inveneris: pręceptum est Jacobi Hollerii, ut neutiquam id maturare tentemus, nimirum propterea, quod suppuratus non est sine periculo; neve ex suffuso in thoracem pure & ad superiora pertracto, aut etiam ex suppurato primùm eodem in cervice, mox in trachæam transmisso suffocati phthisici defungantur; quam ob causam monet nos iste vir suadetque, ut prohibeamus potiùs coerceamusque tubercula sic, ut dura reddantur.

Opinionis Hollerii censura.

Quæ quidem Hollerii adversio, si rite recteque perpendatur, me judice congerit difficultatem. Principio autem, quæ dubitandi dederint ansam, hæc fuere. Primum, quòd cùm plures sint tuberculorum optabiles fines postquam illa constitere; difflatio, maturatio, seu concoctio, suppuratio: selectam indurationem, ac recrudescentiam prętulerit aliis omnibus. Sint autem; quęso te, ex medentis voto crudi durique tumores? quos omnes malos, contrà verò molles omnes bonos sanxit alicubi divinus autor. Adhæc improbetur humoris collecti suppuratio? cujus idem medicinæ parens epid. 6. maximas duas commoditates exposuit: & quòd morbo levet, & quòd ejusdem reversionem fieri non permittat. Præterquam quòd irritus & inanis sit oportet conatus omnis revocandæ supurationis internæ; quam humoris natura, locus abditus & conclusus; ętas florens; habitus carnosus, præpotentis & interni caloris vivida vis, actio motusque corporis & longinquitas demum temporis promoveant; deinde quæ sint pauci suppuratus incommoda? quæve saniei sub thoracis vacuitate modicè diffusæ sit noxa? porrò si pus petat superiora; expulsum subire poterit potius, quàm pariat præfocatum, vel non magis hoc, quàm illud poterit indipisci. Hæc quidem ad maxime dubitandum de hac professoris clari doctrina nos impulere.

Cæterùm sunt & quæ tuberculi obdurationem dissuadeant, sunt & quæ suppurationem apprime commendent. Quoad posteriorem rerum ordinem attinet, est primum suppurationis emolumentum, quod ipsa succedente tuberculum continuo minuitur, nam hæc causa est f. ut suppuratus multò minus doleat, quàm crudus abscessus, id quod didicimus vel ipsius Hipp. oraculo; qui secundo aphorism. 47. scriptum reliqait; Dum pus conficitur dolores ac febres fiunt magis,

quàm jam confecto, cujus rei rationem apud enarratorem Galenum legito. Deinde nos in angina pestilenti, quæ XII. adhuc annos miseros mortales, pueros potissimùm exilialiter corripere non destitit, duritudinem primam paristhmiorum, glandularum, ac totius ad summam tumoris perpetuò vituperamus; suppuratum summa cum fiducia certaque liberandi spe excipimus. Tertiò præter divinum hoc anginæ genus, & alias, quæ citra cœli malignitatem accidunt, nedum non maturas & suppuratas exhorremus: sed neque suppurationem qualemcunque statim adversam ultro dirumpere dubitamus, id quod facimus digito, cereo funaliculo, ligno, cornu, & sexcentis aliis adminiculis: de quibus nos in chirurgia inermi speciatim tradidimus; autoribus ad hanc rem summis & veneratissimis viris Græcis, Arabibus, Latinis, Barbarolatinis, antiquis, nuperis, & omnibus medicinæ doctoribus Clinicis pariter atque Chirurgis: sunt autem & de inexpectatis hisce salutis eventibus ob properatum tuberculi diruptum obtentis, historiæ quamplurimæ relatæ per Antonium Benivenium, Amatum Lusitanum, Petrum Forestum, Marcellum Donatum, Joannem Schenkium absolutissimum omnium compilatorem atque alios. Nos autem plerosque anginosos jam jam isto tortabulo strangulandos & orco destinatos una hac ratione redemimus, quibus operis nunc Franciscus Antonius Pintus; nunc Franc. Antonius Ametranus; aliàs Joannes Jacobus Selanus; aliàs Franciscus Moscha; interdum Hieronymus Abiosus; interdum Vitus Jacobus Ferraiolus Medici Neapolitani præstantes omnes, quos honoris caussâ nomino, interfuêre.

Succedunt his damna cruditatis offerentes argumentationes nonnullæ: quarum prima esto. Qui conservat causam distentionis, idem conservat & ipsam distentionem: atqui noster Hollerius conservat distentionis causam, quæ infarctus & plenitudo est: igitur & distentionem, pessimum sane malum conservat: præterquam & gibbosin ipsam quoque. Secundò auget omnis admirationis modum, quod induranda tubercula vult medicamentis, quę autem ista nisi refrigerantia? contraria quippe concoquentibus & calorem obtundentia, ac spiritus viis atque ossibus spinæ nocentia, quam rem disertè docuit Hippoc. aphorism. lib. 5. qualia quoque medicamenta & ad gibbosin universam vitanda cane pejus & angue nos monuit Rhazes in 9. ad Mansorem c. 91. atque Avicenna loco citato nil dubitare visus est, ut apostemodi gibbo proponeret curationem, quę difficilè maturabili, contumaci ac duro tuberculo communis est, & (quod multò majoris est momenti) neque tuberculorum loca discriminatus est hic auctor, adeo verum est scilicet, & commodam maturationem istorum & in iisdem obdurandis Hollerii nullam aut frigidam cautionem esse. Quod si vis incommodum omnino suppuratum, contra nos deteriorem contendimus longum tumoris obduratum, qui perpetuò gravet, ac tensione comprimat, motiones lacertorum cohibeat, distensionem denique moveat: ex qua una & quę non mala consequi possint? Jam igitur unde & quonam solido fundamento propositio in mentem venit Hollerio?

Sed equidem pro Hippocratico professore proferam extremam aliquam defensionem, quæ est; Sibi non oblatam speciem tuberculi biliosi, quæ digeratur, non pituitosi, quæ concoquatur, non sanguinei, quæ suppuretur; sed melancholici ac fęculenti, cujus portio tenuis per accomodata medicamenta digeratur, sic ultima relicta crassa durus tumor conservetur & immunis à suppuratu pręservetur. Verùm enim verô neque hoc effugium ullum est, nam quis succi melancholici circa caput; & unde proventus pueris? aut quę hujus ipsius humoris ab inferioribus ad superiora transitio? neque enim simplex culpabitur melancholia, siquidem res gravis non potest ascendere, citiùs autem, ut Homerus ait, Dii terram ad cœlos trahent, vel si commistam afferat tenuibus, ut necessum est, succis, horum hercle, qui evehant, erit portio major; ergo difflabilior & digestior: sed omnino sit melancholicus simplex humor: tam parcus & iners credis ipse, demonstratam spinę distortionem committere valebit? nil sane minus, ergo vides ad extremum nullam Hollerii super humore melancholico gibbosis effectore hypothesin, adeoque excogitatam ineptè de diu conservando crudo spinæ tuberculo suasionem.

De curatione per externa medicamenta, & per chirurgiam.

Pręter hanc internam curationem, est & externa duplex per topica nimirum medicamenta & per chirurgiam; & medicamenta quidem ejus generis optima puto, quæ fuerint exugentia, vitiumque valida vi raptum dissolventia, qualia nos quidem ad evertenda pędarthrocacę semina monstavimus valentia. Jam verò si timor sit per initia collectionis, extenuatis etiam exquisitè materiis calidiora medicamina adhibenti: non est profecto, quod hęc admistis probe facientibus corrigere & commoderari non possis, sed & emplastra cum eisdem oleis ibi recitatis, atque ex tacamahaca, & ligni guajacini resinis seu gummis concinnata licebit ad roborandum & dissolvendum imponere, emplastris etiam admiscet Avicenna pyretrum, euphorbium, castoreum, rutam, cupressum; ex quibus eisdem & olea paranda pręcipit.

Superest curatio per chirurgiam, quam in Pyrotechnia nostra ad idem vitii traditam huc transferri concedetur: quę sic habet; Albucasis chirurgicorum Arabicorum facilè princeps sectione 1. chirurgię cap. 4. & Avicenna lib. 3. fen. 22. tract. 2. cap. 14. gibber omne medicamentis inexcussum docuerunt, rectè denique curari ferramentis candentibus ad id accomodatis, ex quibus circulare unum erit, quo postremam dorsi vertebram circumplectente, ad eandem urendam uteris. Alterum instrumentum erit puncti-forme; quo ignito duas aut tres lineas describes, circum vertibula crustulis inductis. Tradidit & de cauterii in hanc rem usu Joannes Serapion tract. 5. pract. cap. 26. verùm administrationis, & loci urendi quidpiam non explicat: quemadmodum etiam non explicavit Guilielmus à Saliceto lib. 5. chirurgiæ cap. 3. ad cauterium spinam gibberis proponens. E nuperrimis verò Durantes Scacchius lib. 1. Subsidii medicinalis circulari magno cauterio gibberes tractari voluit, ab Albucasi formam instrumenti, sicut opinor, mutuatus. Meminit & hujus per ignem curationis Alexander Benedictus lib. 29. rei medicę cap. 6. Sed quantùm recenti proficua tantùm inveterato gibberi inutilem, spasmo verò ab affectione sicca producto detrimentosam usturam admonuit Nicolaus Florentinus serm. 7. sum. 2. tract. 3. cap. 40. Hęc ad proxime curandum gibbum efficacissima chirurgia esto; quam si quando ferramentis administrare vel vereatur medens, vel exhorreat ęgrotans: tum succedit altera cunctis optatior, ac non minùs efficax inurendi forma, per fomitem à me vocata in eodem opere Pyrotechnię medicę ex Prospero Alpino descripta, quam Neapoli primùm vidit & approbavit optimarum & veterum medicinę rerum exactissimus ęstimator Antonius Sanctorellus, exercitatam à me ad epiphoras finiendas honestissimę fœminę Marię Garzię assiduę perillustris uxoris Clarissimi Regii Consiliarii D. Gregorii de Angulo.

Pręter hunc ignis usum proprium, est aversorius alter, aut interceptorius per ulcus utile, quem vulgo fonticulum nuncupamus, quorum is, qui intercipit

in gibbosi supra septum, ad inion excitabitur: alter vero prior qui ad avertendam causam mali capitur ad gibber infra septum ad femorum vel crurium vulgata loca collocandus est. Preter quas sedes, si remedii certa commoditas ametur, sique solidis experimentis persuadeatur tum is, qui tractat, tum is, qui tractatur, non dubitabit utique ad alterutrum inguen inuri crustulam, vel chirurgicas transui setas; dixi autem accommodatissimum hunc locum, excellenti quadam hujus cum lumbis sympathia spectata; quandoquidem ad has partes consuevisse fieri gibbosis lumbariæ transpositum suprà meminimus autore Hippocrate in partic. libri de artic. sępe memorata. Neque verò sic insolens videri debet hęc ustio nostro tempore plurimùm ab insuetis medendi usibus abhorrente, enim verò, pręterquam quòd necessum est ad contumacissimos quosque morbos nova pleraque comminisci, ad hæc memini quidem, nuper à me tam nominatum ac semper honoris causâ nominandum Sanctorellum, in causa lepræ Sacerdoti lectissimo Societatis Jesu in conventu celebrium medicorum id proposuisse, ac prope evicisse, sed quę de gibbis adnotanda ac disquirenda fuerant, habeant hunc finem.

De valgis, varis, compernibus, ac membris aliis obtortis.

Libri Pars Altera.

Cap. I. *Continuatio ad superiora.*

SED provecto jam sermone de puerorum abscessibus, qui fuerant Pędarthrocace, variique gibberes; illud quidem cùm corruptione vitium, hoc sine corruptione, consentaneum rationi visum est, ut subinde traderetur & de valgis, varis, compernibus, & hoc universo genere: porrò istiusmodi luxamenta & crescentis ætatis homines & ossium juncturas tentant, & causas etiam plerunque communes agnoscunt, quòd experimentum inter multa singulare, faciendum exhibuit ferme nobis hæc observantibus, illustris viri Prosperi Pisani Pascuarolę reguli filius natu maximus; qui postquam valgus fuerat, ad hæc repandus secundùm dorsi vertebras & pectore gibbus extitit, ob defluxum nimirum capitis, quem uno ad unguem consensu cùm Dominico Coccia collega eruditissimo conjectati sumus, argumento planè liquido, quòd malam à primordio conformationem capitis nactus fuerat sexennis puer, quare tot membrorum divaricatus, ab uno cerebri vitio atque ab humoris pituitosi laxamentis, quorum una intemperies origio est, profectos perquàm probabile apparet. Quòd si forma gignendi quęritur, neque inflammatoria systrophe, aut aliqua noduli modo coacta collectio juncturarum abstrahendis vinculis perpetuò desideratur, quin hoc & pueris & hominibus ętate jam grandibus evenire compluribus exemplis alio loco monstrabimus. Jam verò si cętera desint, est gibbosis, & obtortorum affinitas tanta ut invicem ἀδελφῶσι. Taceo, quòd admirabilis excessus dignissimam adversione ac tractatione rem facit; sic enim plerunque insolens, atrox & inopinus puerorum hic casus est, ut ad corruptrices strigas, atque adeò ad divinas causas referant ineruditi. Quas ob res omnes annuis jam, ut de valgis, varisque & hujus generis vitiis aliqua pars sermonis interferatur.

Cap. 2. *Notio seu nominis explicatio cum aliquot rei discerniculis.*

VAlgi quidem Græce βλαισοὶ prominentes extrinsecus habent suras & in diversum actas, quales cancris & lacertis sunt pedes, quorum videlicet, pars intra conditur, pars extra procedit. Ægyptios ejusmodi tradidit Aristoteles. Plautus autem in milite varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut brochum nominavit: itemque valgum suavium, id est, intortum: cujus generis dicti sunt & vaiti, sic enim est apud Varronem lib. 2. rei rusticę de canibus scribentem; cruribus rectis ac potius varis, quàm vatiis, hinc vatiorum & vaticiniorum cognomenta fluxerunt his, qui primi in familia pedibus vatiis extitere, quo Seneca in quadam epistola; Servilius, ait, vatia latere sciebat non vivere. Sed vari, Græcis ῥαιβοὶ, vocantur hi, qui crura vel pedes introrsum habent obtortos: cujusmodi spadones ac testibus capti ac fœminæ pleræque visuntur. Flexuram quidem, non flexuræ modum explicavit Horatius, l. Serm. 1. qui ait; Hunc varum distortis cruribus &c. atque inde factum est, ut varum pro obtorto sæpe veteres dictitarint: itaque varum brachium dictum à Martiali fuit in 7. vara nec injecto certamine brachia tendis, & varę manus pro incurvis ab Ovidio 9. Metamorph. sunt usurpatę: qui dixit, varas in statione manus. Hæc ex Grammaticis brevi recoluisse nos oportuit.

Cap. 3. *Causæ.*

SED pręstat causas inquirere, quibus ante descriptæ distortiones oboriantur, libet autem aliquanto superius rem repetere, ut plenius etiam nostra sententia percipi queat. Prima equidem & summa causa debilitas est, quæ concedit defluxibus. Imbecillitas autem oritur ex qualitatibus expertibus materię, vel cum eadem ipsa conjunctis. Ex primo genere fuerint aëris ambientis qualitates ad calorem, aut frigus; ariditatem aut madorem; sive simplicibus sive compositis excessibus immutantes, ad quas affectiones spectant & ventorum, pluviarum aut nivium occursus, aquarum, id est, lacuum, fluviorum, marium tranatus & enavigatus, venationes piscium, natationes in his & ablutiones, immersiones, quæ faciunt scil. ut articulorum, musculorum ac tendinum temperatio transmutetur pro varia qualitate, quæ dictis aquis tum propria sua natura, tum ad attingentem hominem collata ejusmodi, vel aliter se habuerit; cui similis aut major vis inest & medicamentis, quacunque tandem ratione fuerint, ad easdem partes superdata. Interea hę nominandę sunt vehementes & assiduę istorum artuum exercitationes, nec non diuturnę vacationes & cessationes à motu; etenim, ut hę refrigerant & effœminant: sic illæ laxant & excalefaciunt. Ad hęc & quæ sive esculenta, sive potulenta offeruntur; quęque ab his toto corpore digestis atque diductis retinentur & emittuntur; & si qua sunt alia hujusmodi.

Post hęc dicendum esset & de his, quę qualitatum quarumlibet excessum cum interventu materiæ insinuant. verùm hæc ad ipsos humores ac succos, qui inibi colliguntur referri satius erit: substantias quippe notas, quę partim crassitudine, partim etiam lentore, partim copiâ, & pororum angustatione paulatim contrahant fibras, vel ab universo corpore, vel à certis quibusdam partibus huc attractæ, vel transmissę. A toto quidem corpore transmitti consueverunt humores in febribus lentis & diuturnis; de qua re tum Hippocrates, tum Galenus 3. prognost. com. 23. & 4. aphor. 14. atque etiam

in laſſitudinibus, quam in iiſdem febribus homines incurrerint; eodem Hippocrate Galenoque adverſoribus in 4. aph. 31. Itemque per inexplicabiles commeſſatus, ebrietates, luxus rerum & libidinis nullos modos, quod neque poëtam latuit, qui ait:

Et venus enervat vires & copia Bacchi:
Et tentat greſſus, debilitatque pedes.

Prçterea ſunt & certa corporis definitæque partes, quæ ſupervacaneis ſeipſas ſuccis exonerantes, hos in articulos & attigua loca demittunt; ſunt autem nunc caput deſtillationibus aſſidue pluvium; ad quam maxime, niſi fallor, opinionem acceſſit Fernelius: nunc uterus, cujus excretio ſuppreſſa ſit: quocirca M. Hippocrates ejuſmodi affectus mulieres immunes ſtatuit in l. 6. aph. 19. veluti ſi affirmaret etiam eodem tempore cohibitas iſtas emiſſiones ad articulos continuò refluere debere: quod re ipſa equidem eveniſſe multis fœminis comperi; ſimiliter & his, qui hçmorrhoidum detrimenta ſentiere.

Atque hactenus recipere judicati ſunt articuli, ad quos nimirum ſuas ſuperfluitates tranſmiſerint aliæ particulç. Cæterùm & ipſç etiam ex aliis eliciunt, ſeu caloris intemperamento propter violentum immodicumque laborem & uſum balnei, ſive ob ingentem dolorem, quo ſentientes circum articulos particulç fuerint tentatç. Sic imbecillis defluxus validique attractus generales ad diſtorſionem cauſæ ſunt jam expoſitæ. His omnibus accedunt articulorum, qui ſunt quibusdam proprii languores: id eſt, his qui ex parentibus arthritidem, aut podagram expertis ſunt nati: quo loco & materiæ vitium & formatricis debilitas ſunt recenſendç. Nunc, ut humores diſtinguas, ſcire licet, unum non & ſimplicem, ſed varium & multiplicem ſuccum eſſe, qui dictas ad partes allabi poſſit: reſpondens ſcilicet craſi, conſtitutioni viſcerum morboſæ, vel naturæ, ſexui, ætati, regioni, anni tempori, victui, conſuetudini, vitç inſtituto atque aliis prçterea ſint. Ex cauſis autem omnino malis atque morboſis, ſunt cçcç vel apertæ corporis continui ſolutiones, ex inconſpicuis quidem apoſpaſma, diſtentio, cæca contuſio, caſus ab excelſo loco, luxatio: ex conſpicuis verò contritiones, ulcera, fracturæ, tophus, tuberculum, abſceſſus, ancyle, &c.

Cap. 4. *Signa cauſarum.*

HOrum ſic enarratorum affectuum, ſuarumque differentiarum, evidentiarum alioquin & nulli non perſpectarum indicia non eſt, quod quiſpiam enucleari ſibi nunc requirat, verùm enim verò cauſarum notç ſunt explicatu neceſſariæ; ſed antecedentium inquam & internarum, ut his eiſdem producendi morbi vi potitis occurri ſingulis medendo poſſit. Sic repetitis ordinatim capitibus fontibuſque cauſarum, quos ſuprà recenſueram: ad diſtinguendas eas cauſſas, quç tum per ſe, tum per conſenſum morbum invexere, devenio.

Igitur aëris & regionis & aquarum culpas prodens eorum excedens mador & illuvies, pluviç nimietas, irriguus & ſenſus ſitus, qui diu perduret & difficilè diſcutiatur: item opacitas & vapidus nebuloſuſque proventus, quarum plerarumque rerum cùm nonnihil participet cœlum Neapolitanum, horum hominum maximè puerorum plurimos expromit: alias verò tales terras non vidi, judicare quidem temere non poſſum, ſed dictat ratio non exortes hujus vitii futuras. Præter quas cauſas & alias, quç ad externam horum comprehenſionem pertinent; & reſpondens rerum evidentia & eorum, qui tractantur relatio comprobabit, expedita enim & facilis harum rerum deprehenſio eſt; ſi non inertem indagatorem offenderit; quapropter his ſuperſedeo. Sed defluxus ſympathiâ partium factos, declarant potiſſimùm conſtitutiones earundem ſedium mittentium: juvantque etiam intactis articulis remedia, quç mittentium curationi accommodantur. Interea verò non latent ſymptomata, quç proprias affectarum partium affectiones conſequuntur. Seu primarum qualitatum ſeu ſimplices, ſed compoſitas exuperantias deprehenderis, tum ex cauſſis, quæ anteceſſerint, ab ægrotante referendis; tum ex uſu remediorum contrariæ facultatis, tum ex ſimilium noxa, tum etiam ex affectionibus ſpectantibus ad ſenſum tactûs.

Atque hæc quidem ſunt indicia qualitatum ſine materia. Conjunctarum verò cum materia ſunt communia his, quç ſingulos humores prçſentes produnt. Id eſt, ex cauſis antecedentibus, partium imbecillitate, ſupçrfluitatum craſſitie, canalium anguſtia: deinde etiam ex principiis hos attrahentibus dolore, calore, medicamento, frictione, balneo, motu & exercitatione importuna, itemque à principiis tranſmittentibus, quç ſunt plethora, cacochymia, febres diuturnç, ac putres, rheumata, ſuppreſſæ vacuationes, articulorum languores atque alia hujuſmodi: denique & quç fluxionem & collectionem in articulis adjuvarunt, aut averterunt omnia: ſed & affectus tactiles articulorum eadem oſtendere poſſunt. Poſt quæ omnia ſolutç unitatis, quæ vitium induxerit, apertus proſpectus atque evidens notitia eſt. Supereſt diſtinguenda laxitas aut contractio; id eſt, cum cauſa quidem hujus ariditas, illius humiditas. Laxitatem vinculorum oſtendunt cauſç laxantes ac ſimiles adjuvantes, contrariç conſtringentes, ad hæc effecta, id eſt, motus infirmior & propenſior, ad luxationem. Contractio monſtratur brevitate, tenſione, duritie; ſed numerum auctum cauſæ produnt, concreti glutinoſique ſucci redundantiam efficientes, itemque juvantia, nocentia & effecta ſuis ex affectibus prodeuntia, quç jam noſti.

Cap. 5. *De naturali oſſium conſtitutione.*

ANtequam ad oſtenſionem noſtram aliquam inſtitutç rei pergamus; operç pretium facturi videmur, ſi prçſtituatur enarratio naturâ conſtantium articulationum, quam ad hunc modum accipe: Principiò revocanda eſt in memoriam oſſis cujuslibet membri longi partitio, quam in pædarthrocacæ cap. 4. docuimus, deinde ſcire licet, coaptata jam mutuo rectoque occurſu duorum oſſium capitula, prçter membranam communem perioſtium circumveſtiri muſculorum chordis, id eſt, latis nerveis excurſibus, qui prægreſſi juncturam cum inferioris membri muſculorum tendinibus occurrentibus permiſcentur & coaleſcunt, ut per has attrahere vel inflectere membrum ſubjectum poſſint. Aliud nunc inſuper intelligendum eſt, expoſitum à Galeno libr. 2. de motu muſcul. ad unum quodque membrum pro libitu voluntatis agitandum tum flexores eſſe lacertos, tum extenſores, qui contrarii ſunt plane ſitu diſpoſiti ſic, ut ſibi invicem cedere aut adverſari poſſint, nam cedunt, inquit Galenus extenſores exteriore parte, ut flexores internæ flexionis operam præſtare poſſint: qui cedunt rurſus extenſoribus, ut hi ſuo extenſionis munere potiri queant, quç quidem ordinatio motioque naturalis eſt, rectè veniens à libero moventis arbitratu, nam eſt ſcilicet cùm præter prçſcriptum hoc voluntatis cedunt vel extenſores muſculi, vel flexores, prout nimirum paralyſi molliti alteri & antagoniſtæ fuerint, quemadmodum ſcilicet ſub oris diſtorſione canina trahi ſe ſinit dextera genç pars languens, cùm ſiniſtra eſt potior & contra: atque hoc quidem in paralyſi fit, præter quem modum à reſolutis nervis proficiſcentem, eſt & alter à diſtentione ſeu ſpaſmo, cum diſtenti inflammatione aut plenitudine, aut ariditate alteri lacerti,

certi, seu quidem extensores, seu flexores, adversos alteros vi sua distrahunt ac sua sede revellunt. Hæc status articulorum naturalis esto descriptio.

Cap. 6. *De morbi genere: & quòd non capitulati ossis hæc sit affectio.*

HActenus jam tot multis de rudi rei natura præmonstratis; quæ veluti fundamenta & parietes ædificii nostri fuere; reliquum est, ut essentiam rei totius & sententię nostræ summam, quasi supremum tecti fastigium imponamus. Incipiemus autem à generis inquisitione, ut mox differentiam, aut quod hujus loco fuerit, ad definitionem adjiciamus. Apud antiquos, qui sunt omnes, Græcos, Latinos, Barbarolatinos, Mauros, Arabas, Pœnos; qui vel omnem medecinæ pręceptionem, vel nobilem hujus quamcumque partem tradiderunt: incertum est, cui malę conformationis generi vel species βλαίσωσιν, ac ῥαίβωσιν hanc, quam discutimus, retulerint; apud quos nimirum ea de re ne verbum quidem. At neque juniorum aliquis idem hoc argumentum attigit: quasi verò nullius esset usûs res; quæ plurimùm alioquin & cognitu videtur utilis curando necessaria. Inexplicatum igitur apud veteres ac juniores etiam auctores negotium, tantùm ætate nostra tractandarum quotidie consultationum usu comperi vulgatam opinionem facientium hoc vitium situs. Qui enim exarthrema luxationis speciem, qui pararthrema, subluxationem arbitrantur; figura quidem accessoria & succedenti affectione statuta. Ad summam autem apud hos homines nullum, luxationum communiter dictarum, atque harum privatè sumptarum discrimen est; pręterquam quod illę quidem ab externa magis causa, hę verò ab interna profectæ visuntur. Sententia quidem & opinatio, quæ si rationis & anatomes exacta lance perpendatur, inscita prorsus & indocta videbitur; multis, ut monstrabo, nominibus.

Primùm quòd luxatio, situsque ossis ab acetabulo, abscessus atque perversio liquido monstratur certissimis omnium sensuum critiriis, qui visus est, ac tactus: nempe qua vacuitas pręter naturę conditionem agnoscitur, qua insuetus offarctus & plenitudo circa articulum: quæ ipsa per Jovem in ejusmodi distortionibus non extant, neque diu observata comprobantur. Deinde ab exordio ad usque plenam confirmationem, his ejusdem ut absit dolor, qui & perpetuus & peracerbus esse solet, donec os in sua naturali sede repositum sit, hunc autem neque pueri, neque viri valgi varique senserunt aut agnoverunt unquam. Postremò referat, quæso, quicunque nobis adversari velit, sub qua luxatione crurium viderit unquam incessus visum ad longos annos, ut in valgis varisque conservatum? Taceo, quod incipit distorsio, non à summo ipso articulo; circa quem motus fit, sed à circumposito ossis processû, quomodo enim homo utroque latere distortus? genubus unis niti vel uno temporis momento valeret? porrò sunt articuli rectè se habentes, veluti firmi cardines, quibus membra & corrotantur & consistunt. Hactenus, quod non sit putatitium exarthrematis, seu subluxationis vitium hoc, de quo quærimus, jam patet.

Cap. 7. *De sede affectûs propria.*

SUperest nunc, quando non sunt ipsi articuli, qui luxationem sustineant; partem aliam proferamus. Dixi, principio ternas esse longis artuum ossibus particulas, truncum, processum, capitulum. Aio divaricatum hunc fieri circa processus & appendices; nimirum quod hę principio coalitæ non fuerint; sed dissolutæ præter legem naturæ persistant, quibus partibus nitens homo primum ad incessum, sic nixus pondere ad alterutrum latus interius aut exterius conflectitur crus; qua major debilitas est, aut qua primum occasione inflexum fuerit idem, qua laxitate & inflexûs assuetudine, dum producta jam ætate coalescunt partes, sic obfirmatę persistunt, ac distortis pedibus, ceterum ingreditur homo. Itaque si cæpta via non aberramus, facilè cognosci datur, id vitii, quod in quęstionem venit, tametsi depravata subsit figura: tamen, quia contingens, id est haud quidem in figura, sed in connexu vitium erit, quippe qui cùm esse debeat non sit, est autem nexus & de conformationis genere, si Vido pervidentissimo scripto credimus id testanti; lib. 1. anatomes cap. 1. Quod nostrum placitum confirmatur & hac ratione. Apparuit ejus vitii maxima causa laxitas, quam ab uno & perpetuo partibus item laxis incumbente madore proficisci nemo non novit: atqui partium hæc laxitas ac mador non alios insequitur, quàm pueros & hujus ætatis affines: quos unos eosdemque, communiter tentat affectionis hęc, de quâ scribimus, proprietas non obscuro scilicet ac probabili satis argumento, quod laxitas hæc memoratis ossis coagmentati partibus accidit; porrò mador, qui toto quidem corpore fusus est, sed cerebro pręcellenter; ubi pręsertim hoc imbecillum & languens offenderit, cùm ad articulos & ad juncturas ossium affluxerit, vi diducat oportet; atque adeo tibiarum, quas nuper exposuimus, appendices. Sic inquam pueri, & qui conterminę sunt ętatis hanc peculiariter affectionem incurrunt; quod observatum à me primum est in filiis Conzalis viri à secretis Ducis Albæ Neapolitanorum Proregis. Mox verò in Quadrimo filio Lucii Caraccioli viri patritii Neapolitani: quam rem quidem à me primùm audiens Dominicus Antonius ab Alexio exacti judicii Medicus Collega meus, certam planè atque indubitabilem affirmavit; atque in aliis, quorum quidem omnium tędiosa & longa esset historia. Verùm enim verò & ætate grandioribus id morbi genus accidere scito. Sed ramen eo discrimine, quòd viro valgitas pręterquam uno latere non attingit: quę si ramen utrinque accidat, hæc & admodum insolens quidem, & non simplex laxitas est, sed ex systrophe & abscessu, & ut simpliciter dicam corruptorum humorum in has ossium partes incursu: quæ præscriptę puerorum ętati non eveniunt. Divulsam quoque apophysin ossis tibię ita, ut angulum introrsum genu faceret, licuit mihi vidisse in quodam homine, qui curabatur in nostro Nosocomio Anno 1625. quam quidem revulsionem sponte profectam idem homo referebat. Constat autem & ab arthritide distrahi convellique articulos, ut in coxendice posterius, & ab ossis carie persępe vidimus figuram corruptam membrorum & partis privatę: hic quidem omnino morbosus mador est; sincerior alter & puerorum proprius. Adeo nunc apparet, quòd valgi varique pueri sint: hoc non paralysis aut spasmi vitio fieri, sed enarratâ jam causâ, & exposito laxationis modo.

Cap.8. *Definitio.*

ITa jam intelligitur facilè, quo pacto distrahentibus ex altera parte humoribus, ex altera fiat articulatorum membrorum conflexus, quodque fiat hic non in extremo ossis membri capite, sed in appendice jam apparuit: cęterum invento generi addita parte affecta pro differentia, vides jam affectionis essentiam non obscuram esse. Ex quibus utriusque difinitionem elicere possis aliquam, quę sit hujusmodi; valgitas & varitudo vacuitas est nexûs in appendice ossis, distractis hinc aut inde lateribus laxitate atque madore simplici, non morboso abscessu. Quòd si nomina substantiæ displicent nuper à me conficta, dixeris, valgi varique sunt, quorum appendicibus circa tibiarum ossa nexus abolitum passis, distortiones istarum ad interiora, vel ad exteriora sunt factę.

Cap 9. *De Judiciis, & re prognostica.*

AFfectus hic, puerorum valgorum interdum ope naturæ solvitur, interdum non item; sed auxilium quoque artis implorat: solvitur inquam, ubi vigor accedens ætatis, morbo, qui præoccupaverat, fit superior quo isto loco subit adnotari sæpe multis crura dirigi perfecte, ut in filio vitrearum specularum opificis compactoris, de quo posterius: aliquando eadem insigniter contorta manent in omnem ætatem, quibus scilicet nec natura, nec ars auxilio fuit, aut remanent quidem illa rectiora, sed alimenti defectu lignearum assularum modo, quæ in cados dedolantur, tenuata vidimus in Francisco de Pompeiis puero, qui mutilis fuerat incedendi usibus primordio; præter quos & alios novimus, quibus sic ad exteriora diducti sunt pedes, ut inter hoc cadens spatium latitudinem humerorum longe excederet. Ad hos occurrerunt & alii licet rariores, qui altero quidem valgo crure, altero varo longè difficillimo incessu ducunt ilia. Sed suas eventuum causas exponamus, quæ sunt hæ.

Constituto primùm, ab eo, quem diximus, immodico madore & primùm fieri divaricatum & deinde conservari, cùm distinguendus est humoris modus crassioris, tenuioris, crudioris, æquabilioris, viscidioris, arentioris. Tertiò calidi nativi vividioris & uberioris etiam radicalis vocati humoris conditiones sunt notandæ; enim verò horum omnium ratione, fit ut solvi distortio vel perpetuari magis minusque fieri divaricatus, & diutius aut brevius protrahi debeat; nam si vigor hominis calorque fuerit acrior, humor mitior minorque & æqualior, sic promptiorem, minorem, citiusque solutum iri valgitatem ac varitudinem credens: si verò sit exilior calor, & habitus universi minus vegetæ vires, humor sit incommodior, & qui minus pareat naturæ imperiis & felici coalitui, serior, iniquior, & ut brevi finiam, improspera erit habitus sinistri correctio. Ad hunc modum apparet sanè, quod naturæ vis & humoris habitudo momenti plurimum habet ad solvendas ac dirigendas hujus generis distortiones: quamquam non inficior & opem medicam nonnihil conferre posse, quatenus eâdem operâ citius, atque etiam aliquando rectius absolvatur, quæ ipsa, ut quibus medicamentis ordinanda sit, mox audies brevi.

Interim naturæ sponte curatos equidem referre possem hos. Unus antè memoratus puer de Pompeiis, qui valgus utrisque cruribus & secundùm infimas spinæ vertebras languens ac dolens ab ineunte propemodum ætate subalaribus fulcris innixus, hæc undecimo jam anno vacua & inutilia, repente se sentiens integrum abjecit, puer prætenuis & strigosus atque etiam propter catarrhos edentulus, qui quinque jam annis arthrocacen in lævo brachio perpessus, ut Joannes Dominicus Malliochus Medicus Neapoli percelebris testari potest, id quod ad Pædarthrocaces & valgorum communitates advertendas dictum esto. Alter Josephi Jordani vitrearum specularum constannatoris filius, quem omnino motionibus corporis inertem ex improviso restituendum non fallenti judicio prædixeram. Item alii non pauci quos eadem sorte potitos observavi junior apud præceptorem Julium Jasolinum.

Cap. 10. *Curandi ratio.*

AD restituendum quidem naturalem suum valgis & varis habitum prompta videtur ἡ τάξις, id est, directio, quam nostri omnes apparatu rerum ad articulum ordinato moliuntur, nimirum, quia versatur animo luxationis idea, & extra vas ossis excapitulatio, si dici liceat, quod vas quodque acetabulum ex illapsis diu succis, & ex alimenti superfluitate congestis concrementum aliquod accepisse necessum sit, ob eam rem instituunt continuò medicamenta, quæ depletura sint sinum; ad quam rem assequendam necessaria facientes attenuantia & laxantia, hæc principio volunt administranda. Sic fomenta parant ex pingui jure ventris & intestinorum vervecis aut vaccæ, in quo discoctæ fuerint utraque malva, acanthus atque alia generis malactici. Quam medendi rationem plane contrariam ac prorsus inversam arbitror, quippe adstringens, ac firmans medela congruit; accommodatis ad hanc rem epithematis atque emplastris. Ex fluidorum autem genere sunt aquæ naturâ nitratæ, aluminosæ ac metallicæ omnes, quales Puteolis sunt & Ænariæ. Item arenationes ab Andrea Baccio Elpidiano in opere de Thermis, atque à Julio Jasolino Calabro Hipponiata præceptore olim nostro in opere de Balneis & remediis Pithecusanis expositæ. Ex arte verò paratis sunt vinacea ex uva, quæ dat austerum protropum, aut ex labrusca, in quæ vinacea & vinum aliquorum tortivum infusum sit. Præter hæc sunt emplastra, quibus glutinandi ferruminandique vis est. Horum præcipuum est à gummi Tacamahaca Indum, & emplastrum à Gulielmo Varignana Comitissæ inscriptum, itemque ex pelle arietina ab Arnaldo Villanovano descriptum, ex quibus omnibus unum confeceris igne commistis. Interim ferulis assulisve cum spleniis contra recessum ossium appressis, & cum scita deligatione niti licebit, calceo, qua parte resistendum est, cum lamina subtensa ferrea ligneas alteras assulas recipiente ac sustinente infernè.

Iam autem, quia vacua pagina concedit, ut conferre lector amice possis, quantum adeo noster hic de valgis & varis illustrandis labor, cæteris aliorum explicationibus præstet, subjungam id, quod unus & primus Ambrosius Paræus, vir alioquin elegantissimus proposuit, ea sunt videlicet: Vari latinis dicuntur, quibus pedes cruraque intro inflexa & obtorta sunt. Conformationis id vitium, vel jam inde ab utero est, culpà matris, quæ vel eodem illo intrò conversorum crurum vitio tenetur, vel per graviditatis omne fere tempus desedit cruribus decussatis, aut post editum in lucem fœtum contingit, quod ejus crura vitiosè fasciis obvoluta in cunis fuerint, vel compressa, & depravato situ inter gestandum aut ambulandi conatum à nutrice collocata, sunt enim infantum ossa valde mollia & fere cerea. Quibus contra extrorsum pedes cruraque spectant & intorquentur, valgi nominantur. Hujus depravatæ conformationis eædem, quæ superioris causæ esse possunt, utroque vitio non pedes tantùm, sed & genua sæpe obliquantur. Quod qui vitare & emendare volet, ossa in locum suum sedemque nativam & debitam restituet, sic ut varis ossa foras adeo propellat quasi, valgos, valgis contrà introrsum quasi varos reddere vellet, nec compulisse satis est, compulsa præterea continere illi decet, aliàs haud firmiter stabilita relabentur. Continebuntur fasciis & plagulis appositis, his partibus in quas vitiosè ossa sese inferunt & inclinant. Parantur in eam rem ocreæ ex corio elixo, capitati nummi crassitie, anteriore parte secundùm ossis tibiæ rectitudinem & sub planta pedis fissæ ut undique diductæ pedi crurique aptentur faciliùs: parti affectæ imponetur sequens remedium.

℞. Thuris, mastiches, aloes, boli armeni, an. ℨj. aluminis rochæ, resinæ pinus siccæ subtilissimè pulverisatorum, an. ℨ. iij. farinæ volatil. unc. 1. + alburninum ovorum

℞. Thuris, mastiches, aloes, boli armeni, an. ʒ. 1. aluminis rochæ, resinæ pinus siccę; subtilissimè pulverisatorum, an. ʒ. iij. farinæ volatil. unc. 1. ÷ albuminum ovorum quantùm sufficit, fiat medicamentum. Addere licet terebinthinam, ne citius & vehementius, quàm par est, exiccetur. Cæterùm cavendum, ne pueros, qui valgi, vel vari nuper fuerunt, ad incedendum antè cogas; quàm firmati fuerint articuli, aliàs composita & restituta ossa, incedendi labore præcoci rursùm excident. Quin etiam cùm justum erit ad incedendi conatum tempus, obducentur ipsis calcei altiusculi soccorum instar, supra pedium nexi, vel fibulâ constricti, ut ossa suis sedibus firmiùs contineant. Cæterùm calcei solea sit ibi altior, quo pes vitiosè videtur inclinare.

Hactenus Celeberr. Marcus Aurelius Severinus.

Instrumenta varia in Luxationibus reducendis adhibenda; videri possunt Tabulis sub titulô *Instrumenta Chirurgica*, allatis.

LYMPHATICORUM VULNERA.

Vid. sub titulô
VULNUS.

Finis Libri Decimi.

BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ
LIBER UNDECIMUS.
De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Literâ M. incipientibus.

MACULÆ

Vid. CUTIS VITIA.

MADAROSIS

Vid. PALPEBRARUM AFFECTUS.

MALUM MORTUUM.

Species est scabiei contumacissima, comitem habens pruritum, crustas nigras, lividas & plumbeas cum partis affectæ deformitate, ab humore atrabilario & acri originem ducens. De ejus cura vide in Cutis vitiis.

MAMMARUM MORBI.

Mammę sunt corpora è glandulis vesicularibus, tubulis ex ipsis assurgentibus, vasisque varię indolis, arteriis scilicet, venis, lymphaticis, ac nervis in easdem abundantissimè implantatis, compaginata. Quorum omnium qui accuratam expetierit descriptionem, adeat Anatomicos: interque eos, si ita lubet, Dissertationem de Mammis Bibliothecæ nostræ Parte secundâ; insertam. Hîc tantùm paucis de morbis partes hasce afficientibus. Sunt autem illi mammarum magnitudo aucta, vel diminuta, flacciditas, tumores, inflammationes, erysipelas, quibus adde foveam: ulcera & fissuras, symptomataque à lacte orta. Magnitudo aucta fit glandulis succo ex inferioribus partibus, præ obstructione à quacunque demum causâ factâ, refluo turgidioribus; vel adipe copiosiori circum ipsa aggesta propter alimentum scilicet pinguius in iis quasi devium, &c. Ejus historiam adducemus raram in sequentibus è transactionibus Anglicis. Magnitudo diminuta pendet vel à defectu pinguedinis, glandularumque vesicularium mammas præcipuè constituentium constipatione ac corrugatione, vel ab alimenti defectu, eò scilicet per arterias, ac forsan nervos parciùs advecti. Flacciditas vel naturalis est à laxiori compage glandularum, vasorumque, ac fibrarum ipsas colligantium, originem trahens; vel adventitia, scilicet à mammarum frequentiori ac longiori suctione enata. Tumores sunt diversi generis, flatulenti, œdematosi, scrophulosi, scirrhosi, cancrosi, ac ipse denique mammarum cancer ulceratus. Inflammatio & Erysipelas nihil habent peculiare in hisce partibus, ut nec ulcera. Fissuræ papillas in primis infestant, oriunturque vel à sero acriori unà cum lacte extillante, ac papillas lacerante; vel à sugentis salivâ nimis salsuginosâ, vel ab ipsa suctione vehementiori, quâ vis aliqua in papillarum fibris efficitur. Fovea rarus est affectus quem Riverius Cent. 3. Observ. 57. describit. In eô fit consumptio quædam mammæ, cute manente integrâ; unde non immeritò hic morbus ad cancri occulti naturam accedere dicitur, cujus scilicet vi arsenicali, ac verè causticâ quicquid glandularum, pinguedinis, ac fibrarum musculosarum cuti subjacet, ad costas usque absumptum quandoque observatum est. De symptomatibus à lacte ortis, vide suprà cap. de Lacte ac Lactatione.

In magnitudine aucta commodè adhibentia discutientia, assumptis interim medicamentis expurgantibus, ac aliquatenus desiccantibus, cibisque paululum adstringentibus. Inter discutientia laudatur aqua stillatitia ex conis pini viridibus, decoctum alchymillæ, imò oleum cicutę, &c.

Si minor magnitudo fuerit naturalis, nec ab aliquo affectu consumente dependeat, aut si sanguis minùs commodè ad mammas decurrat; blandis utendum contrectationibus, frictionibus, cucurbitulis, fotu vini albi, imò & lactis, cui incocta fuerint aromatica cum emollientibus; de sinapismis nihil addo, quia mihi non ita tutum videntur medicamentum, qualicunque demum cum cautione adhibeantur. Sin verò gracilitas hęc ab affectibus febrilibus carnes & pinguedinem in toto absumentibus originem trahat, non aliter illi occurendum venit quàm remediis de quibus abundè in atrophiâ, febre hecticâ, phthisi, &c. eoque propterea lectorem remittimus.

Flacciditas curari potest in junioribus; at in vetulis, iisque que sępius pepererunt, ac infantes suos lactârunt neutiquam. Applicanda sunt decocta, fomenta, unguenta & emplastra adstringendi, siccandi, fibrasque mammarum, tonumque vesicularum mammariarum firmandi vi prædita, quorum omnium materia exquiri poterit in radicibus tormentillę, bistortæ. pentaphyli, plantaginis; caryophyllatæ, foliis centinodię, bursę pastoris, anserinę, equiseti, millefolii, levistici, cupressi, myrti, quercus, salicis: flor. rosar. rubr. balaust. baccis myrti, nucib. cupressi, glandibus quercus, malicorio, alumine, aquâ aluminosâ, bolô Armenâ, terra Lemniâ. Quidam laudant remedium pro quo.

℞. Putamin. ovorum perdicum & ceræ q. s. ut fiat ceratum, mammis inungendum.

Vel, ℞. Radic. lilior. albor. ex iisque cum oleo & cerâ paretur ex arte ceratum.

Vel, ℞. Muscum pruneoli sylvestris, incoque in aceto forti & expressum mammis imponito.

Vel, ℞. Olei rosat. ℥vj. Succi vincę pervincę ℥iij. Succorum menthæ & salviæ minor. an. ℥iß. Coquantur simul igne lento ad succorum consumptionem; colentur & exprimantur. In oleô expressô liquefiant cerę flavę ℥iij. Semirefrigeratis adde mastiches subtiliter pulveratę ℥ß. Imbuatur illis tela mammis imponenda. Hoc remedium non minoris est efficaciæ in mammarum flacciditate; quàm in lacte ab iis arcendo post partum; qui ultimus usus pręcipuè laudatur à Dominô Charras in suâ Pharmacopæâ.

Tumores imò *Cancer* mammarum, capitibus de tumoribus, ac cancrô satis superque explicantur, additis remediis aptis.

Fissuris papillarum prodest mucilago gummi tragacanthę ex aquâ rosarum & plantaginis extracta; item albumen ovorum aquę rosarum immixtum & frustulô aluminis agitatum. Non inefficax etiam est balsamum saturni, sebum hircinum cum melle, aqua calcis cum albumine ovi ad linimenti consistentiam agitata, pulvis amyli, lactis lunæ, mel rosaceum, vel etiam syr. rosar. rubr. Si verò fissuræ sint profundiores, ac in ulcus abierent laudatur remedium, pro quo.

℞. Cancros vivos, contusos, coagulum vitulinum, & cremorem lactis, coquantur simul, iisque expressis fiat linimentum.

De *Foveâ* vide in sequentibus Observationem ex Riveriô.

De *Inflammatione* & *Erysipelate* vide propria capita.

Curationes quorundam è mammarum affectibus ex Harthmannô.

Inflammationem mammillarum pręcipuè sedant Epithemati externa.

Sic Epithema ex thure & myrrha coctis cum acet. & vino, tepidè applicatum (si dolor vehementior, addantur Laudani opiati gr. ij. iij. iv.) inflammationes incipientes tollit.

Sic Vernix præparata & emplastri locô applicata inflammationes tollit & abscessus prohibet: Cicuta simpliciter tusa inflammationes à lactis redundantiâ sedat, abscessum prohibet.

Internè in ejusmodi inflammationibus subitò auxilium ferunt specula illa pennarum Pavonis (*die oberste Spiegelfeder allein*, ubi signatura mammarum) quarum 3. vel 4. diligenter cultrô in minimas partes scissa & aquâ menthæ exhibita seu absorpta statim prosunt.

Abscessibus adhibeantur 1. discutientia. 2. maturantia. Ulcera faciliùs non curantur, nisi ab oleo nucis juglandis expressô & leniter (sartagine inspissato) postea cum turundis applicato.

Præstantissimus est Balsamus Sulph. Rulandi, qui ità fit.

℞. Sulph. vel florum Sulph. ℥ij. Ol. papaveris expressi ℔j. Vini boni ℥iij. Macerentur per 8. dies & noctes levi igne aliquoties movendo, posteà bulliant igne carbonum lentissimo usque dum Vinum consumptum fuerit semper movendo. Tandem cola seu trajice per laciniàm & serva. Vide curat. 29. cent. 1. Rulandi. Item Emplastrum diasulph.

℞. Olei sulph. ℥iij. Ceræ ℥ß. Colophoniæ ʒiij. Myrrhæ ad pondus omnium, cerâ, Colophoniâ, oleoque liquefactis, inspergatur Myrrha subtilissimè trita paulatim, igneque lento coquantur, spatulâ semper agitando donec permixta fuerint benè, posteà nimirum post horæ partem ab igne deponantur, paulatim frigescant.

De Extirpatione Mammæ è Clariss. Anthon. Nuck. *Experimentis Chirurgicis.*

Glandulosa mammarum fœminei sexûs substantia non raro malum, *Cancer* dictum, incurrit; qui nihil aliud est, quàm tumor durus dolorificus, livido aut plumbeo colore pręditus.

Dum enim lac in mammis contentum intestinum particularum suarum patitur motum atque fermentationem (Belg. eleganter *een broejing* vocatam) particulę subtiliores fugam capessunt, crassioribus in mammarum tubulis remanentibus, obstructionesque causantibus. Cùm verò crassior hic & viscidior succus lacteus in tubulis suis hærens continuò ab advectô recens lacte premitur, vasa sua dilatando, & in majorem molem extendendo, tumorem oculis conspiciendum præbet.

Quòd si adhuc illa pressio instet, particulæque stagnantes morâ suâ acriores reddantur, & à materia subtili usque & usque inter se agitentur, tubulorum tandem, quibus incarcerati tenebantur, parietes rumpunt, frangunt, & discerpunt, sicque non raro tumorem in ulcus transmutant.

Interdum quoque tumor iste cancrosus occultus est, subinde manifestus, sępe mobilis, aliquando pectorali musculo firmiter annexus: Plerumque simplex, nonnunquam triplex vel quadruplex: Quandoque cum glandulis axillaribus, eodem malo affectis, commercium habet.

Inter medicamenta externè admota hactenus nulla vidi, quæ Cancrum curarunt, sive illa ex *Solano*, *Ranis*, *Succo Cancrorum*, *Plumbo* similibusque fuerint parata: Nec magnarum etiam virium est, *Emplastrum Ireatum* dictum. Ad cancrum ulceratum tamen medicamenta occurrunt, quæ malum refrænare, & ulteriorem progressum ad multos sępe annos inhibere valent.

An

An *Limaces* magnæ & rubicundæ ulcerato cancro admotæ, cancri venenum assumere valeant, (quemadmodum nonnulli volunt) vix aliquam fidem meretur.

Quamvis autem medicamenta cancrum penitus debellare nequeant, non tamen ad Operationem sive mammę extirpationem nimis temerè progrediendum esse existimamus. Chirurgia enim, quæ admiranda hîc interdum præstat, sæpius admodum periculosa est.

Quibus inquit Hippoc. *sunt occulti cancri, eos præstat non curare; curati namque citius intereunt, quàm non curati.* Quam sæpe enim sublato tumore recrudescens malum cum majori & tumore & dolore iterum propullulat, Labia ulceris callosa, inæqualia, plumbea, & inversa apparent? Idque pro varia humoris peccantis natura.

Ubi tamen Operatio necessaria judicatur, sequenti modo procedat Chirurgus: Trajiciantur per mammillæ tumorem, crucis in modum, duæ Acûs filis sive ligulis instructę: Tum filorum extremitates compositę retrahantur, ut mamma eò magis à pectorali musculô recedat; Mox alterâ manû *cultrô falcatô* cutis circumferentia ad mammę basin discindatur, & à vicinis partibus separetur: quod ab exercitato Chirurgo unâ aut alterâ incisurâ absolvitur.

Alii *Bidente* majori utuntur, cum Manubrio robustiori, cujus dentes mammillæ infigunt, atque trajiciunt, trajectas attollunt, ut cultro, eo quo jam dictum est modo, extirpatio fiat.

Factâ jam extirpatione, admovenda erunt medicamenta sanguinem sistentia? vel (uti quibusdam in more positum est) Actuali Cauterio vasa sanguinem fundentia leniter adurenda, parsque usta plumaceolis cum pulvere astringenti tegenda, quibus Emplastrum superimponendum, & tandem compressa una atque altera, cum *Fascia Scapulari* agmen claudat.

Sunt, quibus hæc methodus displicet, & à parte antica tumorem in crucis formam incidendum suadent, mox glandosum corpus induratum separant à remanente cute. Hôc enim modô partis hujus nimiam deformitatem præcaveri, aëremque circumambientem minus nocere posse volunt.

Nos verò modum hunc improbamus, quòd multum temporis ad Operationem illam absolvendam requiratur, dum interea patiens præ nimiô dolore Operationem ferre non posset. Aëris verò incommoda facilè averti possunt, & deformitatem hôc in casû parum curaret patiens.

Si tota Mammilla tumore non est obsessa, inutile foret integram extirpare, sed partem solummodò affectam auferre suffecerit: quô factô, medicamenta styptica &c. admoveantur.

Ubi tumor cancrosus ita se extendit, ut partes quoque vicinę, potissimum glandulę axillares malè afficiantur, nunquam Extirpatio erit instituenda.

Observationes.

Fovea in mammâ.

Rarus est iste casus. Nobilis matrona annum agens 51. temperamentô biliosô & melancholicô prędita, ante decennium subito terrore correpta est, ex repentinâ infantis sui morte à nutrice incauta interfecti. Hinc mensium fluxus omninò suppressus est, nec unquam ampliùs ab eo tempore apparuit. Post duos annos exortus est in parte superiori mammæ sinistræ tumor subdurus & oblongus, digiti crassitiem æquans. Paulò pòst apparuit in parte inferiori ejusdem mammæ, tumor alius exiguus & rotundus, qui intra paucos dies foveam effecit in eadem parte exiguam, & sine dolore; quæ fovea sensim incrementum sumsit, ut intra biennium dimidiam ferè mammæ totius partem ad interiora retraxerit, in fundo illius cutis costis adhęrescere videtur: In ambitu verò illius fundi quædam percipitur durities, quæ compressa digitis doloris sensum inducit. Aliquando ægra in totâ illâ parte dolorem pungitivum percipit, sed exiguum & rarò evenientem. Præterea calore intensô afficitur in regione hepatis & dextrâ thoracis parte.

Habitô consiliô, sancitum fuit hunc affectum ad cancri occulti naturam accedere. Cùm enim maxima sit humoris melancholici & atrabilarii naturę varietas; fit ut ab illis humoribus variæ formæ ejusdem speciei morbi contingant. Vulgò humor melancholicus adustus cancrum efficiens, crassus est, & tumorem durum producit, qui tandem putredinem & acrimoniam acquirens, partem exulcerat, ulcus insanabile producit. In hôc autem casu humor ille tenuis est; ideò tumorem perexiguum efficit; sed prætereà humor ille malignam quandam ac dissolventem qualitatem habet, quâ partis substantiam colliquat & absumit; quemadmodum videmus quædam salia erodendi & exulcerandi vi prędita, qualia sunt ea ex quibus cauteria potentialia componuntur; quędam verò dissolvendi durissima corpora, ex quibus sunt aquæ fortes, lapides & metalla dissolventes; imò acetum lapides dissolvit, cutem tamen non erodit. Sic in microcosmô generantur salia similibus facultatibus prædita, quę humoribus permixta admirandos effectus producunt. Ita in hoc casu humor qui à naturâ in mamma, seu partem mollem & spongiosam expellitur, substantiam illius sensim dissolvit & absumit; ita ut fovea illa majus in dies recipiat incrementum. Judicatus fuit iste affectus incurabilis, eique tantùm curam palliativam esse adhibendam, metuendumque ne tandem pars ulceretur, introducta majori acrimonia. Remedia pręscripta fuerunt alterantia, serum lactis, aquę minerales, cauteria, opiata specifica, & similia. Topica verò lenientia humoris ferociam & humectantia, ut linimentum ex oleô rosac. succô plantagin. & solani cum mercuriô crudô, unguentum de ranis viridibus à Chalmetheo discriptum capite de cancrô: Linimentum è butyrô & oleô violaceô cum sale saturni, fotus ex aquâ rosar. cum sale Saturni. *Lazarus Riverius Observationum Cent.* 3.

Pro Mammarum Inflammatione.

Puerpera cùm lactare infantem inciperet, sensit immensum cruciatum in mamilla dextra, cum rubore & duro tumore renitente, in ambitu papillæ; aderatque febris: mox cognoscere potui inflammationem esse: jussi primùm inungere hoc unguento.

℞. Mucilag. sem. psyllii ℥ß. Bol. Armen. ʒij. Olei rosac. aceti rosac. an ʒij. M. F. unguentum: die sequenti cataplasma applicui ex farina hordei, lacte & ol. rosac. post duos dies addidi huic cataplasmati ol chamęm. lil. farinæ semin. lini. & fœnugręc. portionem; quia suppurabatur: sequenti die dolor augebatur & febris: pure genito, applicui hoc cataplasma.

℞. Farinæ hord. fabar. an. p. j. sem. lini, fœnugræc an. pß. fl. chamęm. p. j. rad. lil. & ireos, an ℥ß. Coq. & contund. addendo ol. chamæm. ℥ij. Croci ℈j. P. cataplasma: sequenti die reiteretur addendo, ficuum num. 10. farinę orizæ ℥j caulium malvar. coctarum & contus. unà cum lardo ℥vj. apparebat abcessus acutus, pure ex contractu refugiente, jussi fermentum cum pulpa cæparum coctarum applicare, sequenti die sponte ruptus est abcessus, puris magna copia profluente ad dies binos: imposui turundam cum Terebinthina & melle, tandem pauco immisto balsamo integrè curata est. *Felix Platerus observ. lib.* 1. *pag.* 521.

Puerpera alia mammæ inflammatione laborans, intra paucos dies sanata est his duobus remediis primis die-

bus facta fuit embrocatio ex duabus partibus olei rosati completi, & unà omphacini: sequentibus diebus admotum est bis in die unguentum de althea. *Lazarus Riverius. observ.* 41. *cent.* 1.

Juvenis mulier circa nonum graviditatis mensem correpta est tumore mammæ sinistræ cum tensione, rubore & pulsatione. Vocatus Chirurgus cataplasma de mica panis statim admovet, unde tumor admodum increvit, vocatus ego cataplasma præscribo ex farina fabarum cocta in oxycrato, sæpè immutandum, quia intra paucas horas exsiccatur: intra duodecim horas inflammatio ablata est, tumorque admodum imminutus, & intra paucos dies omnino evanuit. *Lazarus Riverius, observ.* 74. *cent.* 4.

Pro Mammarum duritie & tumore.

Sequenti linimento quo ego cum maximo fructu in tumoribus mamillarum utor, locus affectus inungi poterit.

℞. Gummi ammoniac. ℥j. Ol. amygd. lil. alb. ping. gallin. an ℥ij. Succ. cicutæ ℥iv. acet. scillit. ℥ij. M. maneantque in infusione horas viginti quatuor, in loco calido, postea coq. s. a. colatura cum forti expressione servetur ad usum, in præparatione autem hujus linimenti, danda est opera ut lentissimo igne coquatur, neque humiditas succi & aceti omnino inter coquendum absumatur, nullius enim valoris esset medicamentum, singularem habet efficaciam in tumoribus ex viscida materia ortis, in quacunque parte corporis fuerint, linimento isto calidè inuncta mamma sequens poterit applicari emplastrum.

℞. Empl. de mucilag. & de melilot. an. ℥ij. Gummi ammoniac. in aceto scillit. dissolut. ℥iß. M. F. s. a. Emplastrum; addendo parum ceræ si opus est. *Fabrit. Hildanus. observ.* 25. *cent.* 3.

Virginis cujusdam mamma tumuit, indurata fuit, doluitque vehementer: illam hoc modo curavi, mane & vesperi inunxi mammam affectam balsamo sulph. nostro. Postea applicavi empl. diasulphuris nostrum; quibus indies tumor, durities & dolor diminutus fuit, ac paucis interpositis diebus ad suppurationem pervenit, apertaque est in multis locis, & brevi ad optimam sanitatem reducta est, nam hæc duo remedia valent ad mammarum omnia vitia, etiam ulcera cancrosa. *Martinus Rulandus. curat.* 2. *cent.* 8.

Cataplasma ex caulis virentibus foliis & aristol. rot. oleo communi veteri incoctis super mammam scirrhoso tumore affectam die noctuque gestabit, ita ut singulis octo vel sex horis permutetur: si tumor in carcinoma videatur degenerare, utendum erit oleo rosac. completo cum portiuncula lithargyri in mortario plumbleo diu agitati. *Joh. Zecchius. consult.* 14.

Mulier Nobilis puerpera laborans tumore mammæ sinistræ præduro ex concretione lactis, irritis omnibus remediis ex arte per mensem integrum usurpatis, curata est sumendo ʒj. pulv. millepedum præpar. in jusculo per triduum, hujus autem pulveris eximias dotes sæpe vidimus & audivimus ab expertis in hujusmodi tumoribus ex lacte concreto, nec non etiam in cancro mammarum ac reliquarum partium, ut contigit cuidam viro, qui patiebatur ulcera multa profunda in multis corporis partibus, præcipuè verò in tibiis, à quibus brevi tempore curatus est sumendo ʒj. prædicti pulveris per septem vel octo dies, alternos, præmissis tamen præmittendis. *Simeon Jacoz observat.* 29. *cent.* 4. *observ. Riverii.*

Fœmina Trimammia.

Trimammiam fœminam, infantem heic apud nos lactantem, vidi: quæ tres habet Papillas, totidemque sororientes Mammillas, duas scilicet in sinistra pectoris parte; quarum quæ inferior est, quasi supposititia, æque lactifera est & prominula ac superior. Unde etiam, vel hoc ipso, palmam mulierculæ, ab Excell. T. visæ (cujus meminit Cel. Bartholinus Epist. Medic. Cent. 4. ipsam Excell. Tuæ adducens Epistolam p. 452.) dubiam facit; cùm ipsius tertia Mamma virili tantùm similis esset: hujus verò, muliebrem per omnia æquiparans, non differat à ceteris, nisi quod aliquantulum minor sit. *Ex epistolâ M. Georgii Hannæi Orthin.* 1. *Jul.* 1675. *ad D. Olaum Borrichium.*

Tres Mammæ.

Mulier quædam nudius tertius mihi oblata fuit, cui tertia Mamma in dorso conspicua eminebat, sed sine papilla. Nihil verò incommodi exinde sensit, nisi quod de tussicula & raucedine conquereretur. An exinde dependeat, affirmare non ausim; ita verò illi persuasum.

P. Borellus Cent. 1. *Observ.* 49. pariter in Rachele Rey, muliere Castrensi tres observavit Mammas, nempè duas in locis solitis, & tertiam sub sinistra, sed ceteris minorem, lac quidem effundentem, sed non æque ac reliquas. Quod de Mammarum aucto numero, id de papillis quoque observatum, meminit Borell. l. a. in Gabriela Gleise, fœmina Castrensi, binas papillas in una Mamma Naturam effecisse, non multùm inter se distantes; idem videre contigit. *Jacob. Hollerio*, apud *Schenck. lib.* 2. *rar. Observat. tit. de mammill. Observ.* 8. *f.* 304. Et pronuper Anno 1667. Exc. Kerckringio Amstelodami oblata fuit mulier, quæ ex dextra mammilla lac duplici fudit papilla, quo per annos quatuor infantem aluit, altera fuit in loco à Natura destinato, altera versus axillam ad latitudinem transversorum quinque digitorum descendens, quæ lac fudit copiosiùs propter situm inferiorem. *Vide Eund. in Observ. Anat.* 21. *p.* 49. *D. Thom. Bartholini.*

Annotatio ad Observationem de tribus Mammis.

An Mammæ in Animalibus debeant numero fœtûs respondere? Hanc quæst. enodasse libello de semine genitali, qui interiit, Scalig. profitetur; falsum tamen pronunciat axioma esse, in suis Comment. Sus sæpè 16. habet fœtus, nec tamen tot mammis scatet; mulier interdum ternas parit proles, imò septem, ut in familia Porcellorum Patavii factum, duabus tamen mammis gaudet. Attamen vivit Romæ fœmina honesta & juvenis, quæ cum marito suo plures filios filiasque, sed singulos omnes procreavit, quæ tamen à Natura quatuor dotata est Mammis, quæ omnes Lac habent. *Joh. Faber. Bamberg. Not. in Recch. f.* 475. De alia Muliere 4. Mammis instructa *Benedict. Cabrolius Observat. Anat.* 7. *D. Ph. Jac. Sachs à Levvenheimb.*

Mammæ in dorso.

Bartholomæus Salevvski, nobilis Polonus, vir fide dignus, in Insula Macarsar; (veteribus Celebes) mulierem vidit, quæ mammas suas in dorso habens; eas sub axillis protractas infanti dabat, & firmiter asserebat integro consanguinearum suarum numero hanc monstrositatem esse propriam. *D. Joh. Otionis Helbigii.*

Mam-

Mammarum muliebrium repentina & ingens Inflatio, Ex Actis Anglicis mensis Octob. Anni 1669.

Domine mi, ut perillustris Domini in Barbariam Legati mandatis morem gererem, Tuę dominationi Phænomenon & facti materiam exhibeo, quæ pro sua raritate atque miraculo minori mei, à Tua Dominatione ob meam præsumptionem reprehensione, & minori, propter ab aliis avocationem, offensione lectionis favorem obtinere potest. Res evidens & certa est, potest præterea à multis hominum millibus certificari, sed imprimis ab excellentissimo dicto Domino Legato, qui ocularis ejus testis fuit, & mihi in mandatis dedit, ut Tuæ Dominationi perfectam miraculi narrationem exhiberem, quod ita se habet.

Elizabetha Trevers 23. vel 24. annorum nata, vultu eleganti, crinibus nigris, valida constitutione, statura parva, honesti nominis, sed infimæ & pauperis prope hanc urbem cognationis, Veneris die, Julii 3. 1669. proba fruebatur sanitate, & sana lectum petiit, quo somnum & quietem, ęquè bene ac unquam antea habuit; Cùm verò manè surrectura erat, & experrecta sese movere in suô lectô contendens, id facere non potuit, cùm suas mammas adeò inflatas invenerit, ut tota terrore attonita remanserit, tum assidere allaborantem ejus mammarum pondus ad lectum depressit, quô semper exinde jacuit, absque tamen omni dolore vel infirmitate in mammis aut aliis partibus.

Cùm ejus rumor increbuisset, multi Medici & Chirurgi illuc venerunt, quorum aliqui suas mammas amputandas consuluerunt, cui omnino adversus eram, emollientem & temperatè calidum fotum consulens; ipsi verò semel exhibui bolum, cum ******, quo recepto, 10. motiones deorsum habuit, & inflatio nonnihil minuta est, sed puella per duos vel tres dies postea debilitata fuit, ut nihil hujusmodi deinceps tentare ausus sim, sed quia mensium suppressionem per 6. retrò menses passa erat, diuretica nonnulla & sanguinis menstrui prolectamenta illi pręscripsi; phlebotomiam etiam moliens. Mulieris mammarum tubuli admodum duri & inflati sunt, & quidem integræ mammæ nihil videntur esse, nisi hujusmodi tubuli; nihil verò inest venti vel aquæ quoad divinare possumus; mamma sinistra; 5. librarum ponderis ferme est, sed dextra nonnihil minor, cutis verò tergi, colli & ventris ad mammas retracta, ut distentioni sufficiat videtur.

☞ Huc usque, Domine mi certissimam rei notificationem habes.

Quid verò mirandos hujusmodi integrarum mammarum tumores tam subitò, una nocte, efficere possit, nos maxime suspensos habet; nihil sufficiens, hâc in re nobis in Plateri, Roderici à Castrô, Fontani, Foresti vel aliûs modernorum, qui de morbis mulierum tractavit, scriptis, quod mihi innotuerit, æquale reperitur huic, quod offerri potest ex datis sanguinis circulatione, lymphaticis ductibus vasisque chyliferis thoracicis, & probabiliter aliquibus capillaribus vasis, illuc in eorum progressu ad subclaviales per musculos intercostales tendentibus pro mea prolixitate supliciter rogo &c. *Plymoutii* Julii 10. 1669.

Responsum à Guilh. Durstonio D. M. De magnarum mammarum mulieris, cujus mentio in præcedenti observatione, morte, unà cum eô, quod in ejus corpore observatum fuit.

Gratias, Domine mi, pro Tuis litteris, quę mihi non redditę sunt propter meam absentiam usque ad hunc diem, Tibi reddo. Elisabetha Trevers Jovis die mortua est, Octobris 21. sequenti die Chirurgum appellavi, & aliquos alios, ut pręsentes essent apertioni & sublevationi illius mammarum, quamvis unam tantum amputaremus, videlicet majorem, quæ sinistrà erat, & cùm illam ponderavimus, reperimus esse 64. librarum ponderis. Quando eam aperuimus, (id autem fecimus plurimis in locis) neque aquam neque humores cancrosos, nec aliud quodvis vitiosum, pręter prodigiosam magnitudinem cernere potuimus; Tubuli verò & parenchyma admodùm candida & solida erant, nec alia, quàm in saluberrimis mulierum mammis vel aliorum animalium uberibus conspeximus. Appetentiam & quietem multis antehac septimanis amiserat, valdeque de ingenti suarum mammarum distentione querebatur, atque ejus corpus valde emaciatum erat; Unam mensuram hîc inclusam Tibi committo, quæ ambarum ejus mammarum latitudinis, dum in mensam mortua reposita est, erat, dico à remotissimo unius extremo ad aliud, quam invenies trium pedum, duorum digitorum & semissis, atque aliam mensuram circumferentiam ostendentem ejus mammarum secundùm longitudinem, videlicet 4. pedum & ferè 4. digitorum, item aliam quæ latitudinis circumferentiam exhibet, videlicet trium pedum 4. digitorum & semissis.

Rectam mammam non amputavimus, sed eam 40. librarum ponderis fuisse existimamus; ante aliquas septimanas salivationem ejus incepi, quæ suas mammas aliquibus digitis in circumferentia minuit; Cùm verò non morigera ad fluxum continuandum reperta sit, pergere non ausus, sed desistere coactus sum, admodum verò aliquandiu postea restaurata est; Cùm vero hanc methodum fastidiret, causticum applicui, cujus eschara cecidit, sed nihil prorsus è mammis exiit, tum cultrô incisoriô usus sum; & incisionem 2. digitos & semi profundam, cùm causticum putarem non satis profunde pertigisse, confeci, sed non majori emolumento fuit quàm prius.

De Abscessu in Mamma Lactantis cujusdam, cum folliculo.

Fœmina quædam quatuor liberorum mater, ex lactis corruptione insignem dolorem ac tumorem mammę suæ dextrę perpessa, nescio cujus suasu, Medicastri cujusdam satis imperiti curę se submittit; is Emplastrum quoddam ex allio quod aiunt & caseo putrido paratum, superimponit, rupto abscessu, neque turundam immittit, neque abstergentia decocta aut alia mundificantia adhibet, solo suo Emplastro (sanum certè fœtore suo offendens,) contentus: consolidato tandem spontè vulnere, integrè ægra sanatam se putat, nisi quod duritiem adhuc avellanæ magnitudine superstitem, sine tamen dolore, persentisceret: ingravidata paulo post, tumor hic excrescere videbatur nonnihil, nullo tamen urgente dolore, rem parvi pendebat, & filiolam rebus sic stantibus feliciter in lucem editam, uberibus suis optimè & copiosè alebat, indies ingravescente ac indurescente malo: accedit dolor, qui nimium intensus, eam ad salutaria & affectui huic magis resistentia remedia inquirenda, impellit, meum itaque auxillium implorat, abla-

ablactata filiola, Emplastrum quoddam vi anodyna & emolliente singulari præditum, superimpono, quo vix per aliquot dies gestato abscessus sponte ruptus puris insignem quantitatem cum folliculo lacteo unciam semis pondere adæquantem, exclusit, & tantæ quidem tenacitatis, ut quovis modo agitatus, nullam rupturam pateretur, exactè aliàs vesiculam felleam repræsentans, nisi, quod lacte putrido repletus, lacteo quoque colore imbutus fuerit: qua materia excreta, mundificato & consolidato methodicè ulcere, cura feliciter finita fuit, nulla ut antè duritie, nullo tumore superstite. *D. Joh. Pauli Wurffbain.*

Glandulæ ex Mammâ excretæ Clariss. Christophori Danielis Mezgeri. Ephemer. Germanic. Centur. 1. & 2.

Anni jam effluxerunt tredecim & plures, cùm fœmina quędam ictû pugni violentiori inopinatô in mammâ dextrâ percussa, sensit exin dolorem quendam pungitivum eô ipsô locô, tribus vel quatuor digitis à papillâ, fere per trimestre, sine tamen tumore aut rubore. Iste autem dolor postea remisit, nec ipsa quicquam ampliùs perpessa est. Autumnô verò præteritô recruduit dolor à tot jam retrò annis mutus, accedente tumore quôpiam ad magnitudinem nucis juglandis mediocris sensim accrescente; apparentibus simul ulcusculis binis minutissimis ichorem subinde paululum flavescentem stillantibus. Petiit super hæc consilium meum. Ego glandulam unam alteramve mammæ scirrhosam judicavi, quippe venas circumcirca lividas aut turgidas nullas (cancri signum dantes) observare potueram. Fotum proin ordinavi ex aquâ scordii, pini, fumarię, calcis vivæ, cum myrrhâ & cineribus cancrorum fluviatilium calidè applicandum. Os unius ulcusculi sensim post hęc dilatabatur, & massa albicans, solida, compacta, glandula nempe scirrhosa visui sese offerebat, quæ tandem post quatuordecim circiter dies ultrò procidebat, remanente in eô locô mammę foveâ coloris carnei, floridi, naturalis, & tumore multùm disparente. Sed & alterum quoque ulcusculum, eôdem modô aliquô post tempore dilatabatur, & similem massam glandulosam tandem evomebat. Tumor & dolor continuatô hôc fotû remiserunt, & cutis integrè sine ullis aliis adhibitis consolidata fuit. Ante trimestre circiter dolor quidam pristinum locum subinde pungebat; sed repetitô iterum fotû mox cedebat, & ęgra nunc nihil ampliùs sentit.

De Iuveni Tubicini, Extirpatâ Mammillâ, Operâ Clariss. Godefredi Bidloo.

ANno 1604. *Sylvamducis* vocatus in consilium, cum Medicis, clariss. quondam *Lobelio & Bassetesio*, Medico *Ultrajecti ad Rhenum* sagaciter feliciterque praxin exercente, opitulaturis nobilissimę cuidam matronæ, convulsionibus gravissimisque, aliis symptomatibus correptæ, meo quoque examini sese, hac opportunitate, subjecit Juvenis *Jacobus* de *Celon*, ętate annorum *XXII.* natione Gelrus, corpore validus, nobilissimo D. de *Linden* de *Park* turmæ, in cohorte comitis de *Albemarle* (vocant de *Carabyniers*) magistro, tubicen, magnâ laborans dextræ mammillæ intumescentiâ, enarrans, se ante quatuor, ab eo tempore, annos, venatum egressum, fervore nimio in prædam agitatum, sclopetum, ultra solitam mensuram, pulvere nitrato, oneravisse ac explovisse in objectum animal, ejusque ex retromotu violentaque concussione in mammillam mox, cum livore (echymosi) & dolore; intumescentiam observasse; sed verò adhibito spiritu vini illas hasce omnes evanuisse apparitiones unâ relictâ, verùm vix fabæ magnitudinis, induratâ glandulâ, eamque, post aliquot menses, incepisse augeri; ita ut intra sesqui annum pugni magnitudinem superaret, sensimque tandemque lactitantis mammę formam præ se ferret: quoniam autem, nunquam dolore infestaretur, & officio suo non planè sese experiretur imparem, & insuper quidam Chirurgi & circulatores asseverarent, hunc periculo vacuum tumorem, utpotè solummodò flatulentum temporisque tractu evanesciturum, id onus clanculum gestitavisse, usque dum & tubæ inflationem equitationisque succussationisque actum sustinere non valeret.

Quibus, interea temporis, usus fuerit remediis, quandoquidem ex iis solaminis receperit nihil, vergente continuò in pejus malo, non referam exactè: quid enim juvat inutilia; quinimò nociva retulisse? Quod si verò cuidam videatur utile, etiam ut ex aliorum erroribus erudiatur, noverit is, huic illi mammillæ fuisse imposita cataplasmata maturantia, Empl. varia ex Summis & similia, quæ omnia indole morbi cognita; vix & ne vix quidem ab viro Medico-Chirurgo, hujus generis morbis, absque peccato, applicari posse videntur: schirrhum etenim verum, ne vel quisquam, extra miraculum, resolvit, aut ad maturitatem perduxit: nam etsi in variis multiplicibusque schirrhosis tumoribus, quod in & circa glandulam glandulasve infestatas, induratas, usu privatas, liquidum resolvatur, extat; induratur ipse tamen schirrhus, ipsæ glandulę infestatę, induratę usuque privatę substantia atque sic istius glandosi corporis dispositio non resolvitur, aut in pus convertitur.

Quod tamen viris quibusdam honorandis quoque Chirurgis imponit phœnomenon est; resolutionis quorundam tumorum initium felix atque intus exhibitis medicamentis sanguinis massam & actum emendantibus evaporationis compacti & peccantis liquidi, veritatem rei & effectum verum eludens spes.

Ast verò quod solidum fuit ab initio nostri fieri inque soliditatem ulteriorem est factum, id in liquidum resolvi potest (actû pręternaturali exceptô) nunquam: contractis quippe, contritis maceratisque, quocunque modo supposuerit quisquam, solidis, habebunt, obtinebunt æternum suæ fabricæ; vel, ut me, etsi barbarè; sed tamen intelligibiliùs exprimam, sui esse essentiam, sive manebunt, indole solida.

Omni in antecessum hausta, tum ex ęgro, tum ex iis, qui ei ab medicatione, aut consuetudine fuissent, informatione, ipse hujus mali examini me applicui, detexique mox, Primò; in mammilla schirrhum, 2dò; axillam, imò utramque, nullâ glaudularum duritie, aut intumescentiâ infestatam; hoc autem symptoma, vel potiùs hic, si mammę schirrhosæ, comes sit morbus, rarò illius fit absque recidiva, extirpatio, quacunque instituatur methodô.

Sed permitte (*Lector Chirurgophile*) te ad hunc terminum sistam! verum etsi sit mammę schirrhosæ abscissionem & vel minimâ quoque axillæ glandulâ induratâ, non absque recidivę periculo fieri; dantur tamen casus atque necessitates eum urgentes in modum; ut tentavisse eam videatur æquum justumque, danturque in quibus, axillâ nullo morbo infestatâ schirroque, secundùm artem & probè extirpato tamen successu caret operatio: Sic ego *Hagæ Comitum Anno* 1695. simili versabar in dubio molestoque negotio; quod tamen non aggrediebar solus & sine multorum artis Chirurgices peritorum pręvio et iterato consilio ac persuasione multa; ne autem nobilissima ars nomenque meum detrimenti quid exinde pateretur (solent enim cum ineptis, invidi et

scioli ubi eventus actis respondere non videtur, in acta actoremque debacchari vehementer) quod sequitur, idiomate belgico exaratum et jam nunc in latinum translatum, mihi est oblatum scriptum, quod velim præsertim legant nostræ artis tyrones discantque hoc modo in dubio negotio cautè mercari turbidoque in mari piscari prudenter; ne decepti et icti serò sapiant.

Nos infra scripti med. doctores & Chirurgi examinato & sedulò perlustrato tumore ab nobis omnibus & singulis, in mamma Virginis *Jemblein* extante; judicamus & statuimus, eum non posse, in statu quo est, detineri; multò minus curari, sine extirpatione totius scirrhosæ mammæ; & quamvis omnes & singuli ipsa in extirpationis actu difficultatis multùm vereamur; tamen Deo ejusque gratiæ, confidentes, rogavimus & persuadere animumque addere sumus moliti Prof. *Bidloo*, egregium hoc in nomine Dei, auspicaretur facinus, quodque consentiente nobilliss. & ampliss. Magistratu *Hagæ. Comitum, est aggressus.*

D. Liebergen. N. Wouvv. Joh. Fred. Helvetius.

Jalon. M. v. Reverhorst.

Chr. Fred. Schuman, *Med. Doct.* C. Drelincurtius.

A. Stukery.

Fred. van Kempe.

Datum Hagæ-Comitis,
A. 1695. 24. *Maji.*

Abstuli porrò, præsentibus prædictis Viris, solo Cl. dempto *Drelincurtio*, teneræ staturæ virgini huic schirrhosam hanc sarcinam, quæ, 4tâ horâ, post extirpationem, quatuordecim librarum comperiebatur; vixit aliquot annos postea doloris expers & vegetè; sed non sine ulceris, nunc quasi consolidati; nunc verò excoriati & aperti pseudoque carne luxuriantis, redincremento, fœtore, multâque molestia. Priusquam autem typis exponerem hanc observationem, quæ sequuntur Clariss. Viro *M. V. Reverhorst, Hagæ Comitum*, hoc tempore Anat: & Chirurg: Doct: publico, dedi, videbitque Lector, ex ejus responsoriis, ulteriorem præfatæ historiæ explanationem.

Viro Nobilissimo.

M. v. REVERHORST,

Med. & Anatom. Doct. publico.

S.

G. BIDLOO.

Imprimitur exercitationum Anatomico-Chirurgicarum mearum decas secunda, in qua, cùm, in transitu, verba faciam de virgine *Jemblein*, rogo me certum facias, utrum illo de casu, cui interfuisti à principio ad finem, aliquid scripto mandaveris? quod si sic, illud mihi tradas conferendum, cum illo, quod egomet, in ejus memoriam, exaravi: devinctum me habueris & paratum, ad similia officia, huic si meæ petitioni satisfeceris quantocyus. Vale.

Dabam Lugduni in Batavis,
27. *Junii A.* 1707.

Viro Celeberrimo

D. G. BIDLOO

Anatomicorum hujus ævi facilè Principi.

S. P. D.

M. v. REVERHORST.

Admodum doleò me petitioni vestræ circa Casum Virginis *Mariæ Magdeleinæ* de *Jembleim*, non satisfacere; utpotè qui olim pauca tantùm de casu illo notavi; quumque jam duodecim anni sint elapsi; quantâ curâ quæsiverim, non potui tamen invenire illa, quæ tum temporis notaveram. Illa autem, quæ memoria fert libenter referam: nimirum quod Dominatio Vestrâ, quum primùm Operatio institueretur; abstulerit cultrò tumidam Mammam pendentem libras quatuordecim mercatorias, quum ablata esset, quamvis Operatio dexterrimè fuisset instituta, nullâ substantiâ peregrinâ remanente, tamen indies iterùm accrevit, præcipuè Mensibus instantibus; & quamvis hæc Substantia de novo continuò succrescens, secundùm artem idoneis Medicamentis, & reprimeretur; & auferretur; & plusquam semel omnis curata videretur; semper tamen Vernali tempore tumoribus bullosis iterùm pullulabat; quibus ruptis de novo, & viribus quasi collectis augebatur indies. Illa vero firmo animo hoc malum per quinquennium tulit, quo tempore plusquam quadraginta libræ illius substantiæ luxuriantis ablatæ fuere, donec malum sensim magis magisque augens & sanguineæ atque Lymphaticæ Massæ labem suam adspergens viresque terens, & jam non tantùm ipsas Axillares Glandulas occupans, sed & versus ipsum Dorsum latiùs repens, tandem hujus nostræ patientis vitam cum morte mutavit, finemque doloribus imposuit. Miratu dignum est hancce Virginem toto illo tempore non tantùm exercitia sua assueta & domestica satis alacrem peregisse, sed etiam quàm vehementer Medicamentis vellicaretur, ferrove tentaretur, post deligationem institutam, semper æque hilarem fuisse; & quum exiret, vel rebus sacris, vel aliis consortiis interesset, neminem potuisse animadvertere hoc ipsius Malum; nec poterat illa aliam hujus mali causam & originem excogitare, quàm inopinatum nuntium mortis Mariæ P. M. Magnæ Britanniæ Reginæ, cujus favore, præ cæteris, fidei de causâ ex Gallia profugis fruebatur, mensium suppressionem intulit, & hinc, ut mihi sæpius retulit, illæ lachrymæ.

Hagæ-Comitum
28. *Junii* 1707.

Simile quid, aliam in partem, me & aliis Medico-Chirurgis agentibus & ancipiti ejus molimini annuentibus, tentavit olim *Amstelædami*, quo non præstantior alter Chirurgus *P. Adrian Verduyn*: experientes enim fœminæ cuidam sublingualium glandularum fungosam luxuriem, nullis medica-

mentis; imò & ne inustione quidem deprimendam, minari mortem (implebatur quippe ei totum & undique os; ita ut respirare, summa sine difficultate, vel alimenti quicquam deglutire non posset) ęquum justumque judicavimus, pręsenti & prementi vitæ occurrere discrimini: resecta ergo ei, de die in diem (cultro ad excrescentię & oris figuram fabricato) pars fuit superficialis atque hoc toties, quoties videbatur necessum hocque modo misera, non curanda integrè; diu sustinuit vitam; vel si mavis, diro satisfecir vitæ amori.

Omnibus, in ęgro nostro, ad requisitam curationis normam, conspirantibus circumstantiis felicemque eventum prænuntiantibus, puta ætate, animi vigore cęteroque corporis habitu, cum regione ac anni tempestate persuasionis parum opus erat, ut ęger sese mammillę subjiceret extirpationi; verebundus tamen rogans; imò & efflagitans, audiremus quendam istius civitatis pharmacopœum, asseverantem se hunc scirrhum, cute solummodò fissa, exemturum curaturumque brevissimo temporis spatio. Huic ejus petitioni satisfactum est mox; sed testor Medicinæ præsidem verum; unicum! ut ineptè & insulsè iste ille nimium audax garrierit, de hoc morbo ejusque curatione, alipta: nam etsi ei ad oculum, ad digitum, ab nobis demonstraretur, papillam mammillęque glandulas intricatissimè ex vasorum multigenorum in-et emissione in-et de cute, nexu planè insolubili coivisse, perfrictę frontis Homo nihilominus jurejurando multaque verba canora eructando, prętendebat; promittebatque hanc molem ab cute solubilem & ex ea posse eximi; verùm nobis annuente nostrę sententię, etiam experientiss. Chirurgo *Mullero*, futile hoc ejus adspernantibus assertum, petiit ab me æger, liceret ipsi me sequi *Lugdunum in Bat:* meâque uti, cum consilio, manu & medicatione, cui voto, illud urgentibus prędictis viris medicis, familiâ illustriss: *Keppelianâ* inque mora periculo, adstipulatus, opus cum bono Deo! XIII. mensis Maji, peregi.

Quibus, hoc in casu similibusque semper, instrumentis, ligaturis, fasciis, medicamentis [aliis enim, quàm alii utuntur, utor) brevi, qua methodo, mammas extirpandas excipio, novisse, videtur interesse reipublicæ Chirurgicæ; mea ut postea premant sequanturque, ab ipsis juxta rationem & eorum experientiam probata, vel evitent, eadem conditione, improbata vestigia, artis nostræ cultores.

Ægri, vel ægræ, in sedili altiore locatorum axillę ad mammillam, videlicet, affectam, injicio majusculam pilam; deinde, in terga contortis brachiis; ut manus manum apprehendat, vel vinciri utraque possit, prominente hoc modo pectore, arripio manu meâ unà, tumorem eique adhibeo alterâ, ligaturam tenuem, vocant fœminæ nostræ *een Plecht-of Harrznoer* eamque multa circulatione paulatim strictiùs & tandem firmiter contrahendo, efficio, protuberet exsurgatque integer & rotus; mox eum, parte ab una, transfigo usque dum ad manubrium pervenerit excipioque proximè ad, vel permusculum pectoralem, furcâ, sive bidente, (*vide tab.* 18. *litt. A.*) quod si verò durissimus, parvus cutique fuerit annexus insolubiliter, stylô (*vide tab.* 18. *litt. B.*) delineatis, ultroque *eâdem tabulâ, lit. C.* designatô, parte incipiens à superiore deprimensque in actus initio & elevans posteà bidentis manubrium, abscindo omne illud, quod peccare videtur: permitto porrò sanguinis una, aut altera effluat uncia vulnerique injicio, cum multo carpto, in subtilissimum pulverem redâctum, gypsum, cui, in majorum arteriarum truncatione, hepatis vitulini tosti itidemque in pulverem impalpabilem versi; ad gypsi libram semis, uncias duas admisceo; sed verò in mammarum extirpatione, nemo oportet sit sollicitus de hæmorrhagia sistenda, utpote in quibus exiles solummodò abscinduntur arteriae; venas autem quod attinet, etiam varicum modo turgentes, quis est qui periculum vereatur?

Ligaturę deinceps *Thoraci*, vel *Cataphracta*, pulvillis ad claviculas diaphragmatisque circumferentiam, dispositis, confirmo prędictum apparatum, quem, sequente die, solvo & semper liquore requisitô purulentoque conspersum detego, adhibens latam postea fasciam vinculis ornatam: ulcus quod jam tum prostat recens, in principio digestivis & Balsamicis Medicamentis ejusque margines labiaque *emplastro diapomph:* illaque multo carpto, exorno; verùm etsi desiccari hoc debeat ulcus, id tamen, festinanter fiat, convenit minimè: crustâ quippe obducitur & arescit, cum ęgrotantis damno, facillimè; quam curationis accelerationem im modicam, ex *mellis rosacei* adhibitione, post sextum ab extirpatione, diem, non sine multa molestia, correxi vitavique postea sedulò.


Sic soleo (*Lector Chirurge*) eas eosque tractitare, de quibus nobis sermo est; quòd si, dum de memet-ipso loquor, verba, quę satis modesta ac minimè jactabunda videri possent, invenire valerem, enarrarem, jam nunc, multifariam, hoc de morbo, meam experientiam; sed eam commemorandam trado atque relinquo Medicis & Chirurgis, quorum multi hoc tempore vivunt, qui unius anni, videlicet, 1679. spatio, me vigesies bis hunc actum celebrantem viderunt & non reprehenderunt dicam? an laudaverunt: adjicerem etiamnum his-ce, vel iis, suprà inseruissem, rationes. ob quas multorum Clarissimorum Virorum Medico-chirurgorum instrumentis apparatuque non utar eorumque agendi methodum non probem, rejecerim; sed eos, quos propter celebraram amicitiam studiique Chirurgici amorem resque sæpius egregiè aliàs præstitas, veneror, reprehendere (salvâ semper republicâ Anatomico-chirurgicâ) cùm minus mihi in votis, quàm meliora docere, sit; statuo, exemplo meo monstrante viam, eam ingressuros omnes artis nostrę fautores, quos prejudicium, nec invidia occæcavit cum oculis, mentem; sed redeo, de qua parumper sum egressus, in viam.

Tubicinis nostri prędicto modo, ablatam mammillam, eodem die, perlustravi anatomicè; verùm in ea nihil, quod schirrhum non saperet, reperimus, accepto, quod hîc & alibi, glandulæ quædam levi rubedine extus conspersę vasisque tumentes sanguiferis, conspicerentur: ex Chirurgis quispiam notabat, liquorem flavescentem inspissatumque ex quibusdam dissectis manare glandulis; ast cum frequens illud hoc in morbo sit, aliquid hac de re specificè monendum, non reor.

Quia autem tota integraque mammilla parsque quædam musculi pectoralis erat abscissa, jucundo oppidò extabat spectaculo, observare, per musculos intercostales, pulmonis reciprocum motum: noverit interim, Chirurgiæ studiosus, minoris esse momenti, quàm quidem prędicatur ac reputatur schirrhi, ad musculum pectoralem, adhæsionem, modò, per eum & costas quoque non infestaverit, cum ulcere; quinimò & cum etiam casum non esse desperatum: igne quippe, abrasione & medicamentorum applicatione, hoc posse curari malum, plus semel sum expertus; mox, post extirpationem sanguinisque fluxum restrictum, loco affecto inspergens *ung. fusc. Felicis VVurstii*, quod, ut egregium, ad corruptorum ossium desiccationem & ab integra ejus parte, separationem, commendare ausim sedulò.

Musculum pectoralem ejusque quod spectat læsionem quarumdamque ejus tum tendinearum, tum motricium fibrarum ablationem, nemo erit anatomicorum, qui non statuat ex ingenti horum fasciculorum musculosorum serie, quasdam relictis in integrum multis, magna sine ægrotantis molestia & incommodo, posse resecari; imò verò

ego



Morff. f.

ego nunquam dubitavi, dummodò de adhæſione prædicti, dubitarem; hujuſce muſculi partem, unà, cum mammilla, auferre.

Ægro noſtro, quatuor, ab extirpatione dierum ſpatio, optimè ſeſe habente febriculâque ſymptomaticâ ſolummodò correpto, ſupervenit.

10mò; cum nauſea, febris violenta; ulcere attamen exiſtente minimè arido, circa illud, mutatum eſt, reſpectu medicamentorum, nihil; verùm præſcriptus & exhibitus, qui ſequitur pulvis antifebrilis.

℞. Antimon: diaphor: ℈jß. *Sal: card: ben:* ℈j. *Tart: vitriol:* ℈ß.

19nò; Sperato deſtitutus ſucceſſu; ſudoris, nempè, emiſerat nihil; inveniebam ægrum irrequietum, vigiliis agitatum, ſitibundum omnemque faſtidientem victum, deque dolore plus abdominis, quàm ulceris, queritantem, cùm porrò ex emulſione ſolaminis recepiſſet parùm atque is ille, qui, cum eo, noctem tranſegerat planè inſomnem, referret eum, cui belli ſtrepitus clamorque virorum clangorque tubarum, ideę infixi extabant intimiùs, ea nocte ſæpius inter deliria & vociferationes, nunc ore, nunc manu ciere viros in certamen, eſſe viſum, injici ei enema curavi; verùm & illud vix quidquam boni præſtans; etſi alvus ſolveretur, ſequentibus verò diebus.

20mò, & 21mò: maneret adſtricta, continuante febre;

22dò; Mane, ex *infuſ. fol. ſenn.* &c. purgans hauriendum exhibui, cujus beneficio, ter laxatâ alvo, circa veſperam cecidit in optimæ notę ſudorem, cum anxietatis præcordiorum levamine ſummo; ita ut is ille qui viribus fractus, confeſtim quaſi ad multos feſtinare circa meridiem.

23tiò; Sedili impoſitus, confeſtim & totus videretur ſanitati reſtitutus; expetens, videlicet, cibum eoque veſceretur avidè & ne omini huic fauſto, aliquid deeſſe poſſet videri, circa veſperam alvum deponeret iterum.

24tò; Ulcus, pure madens laudabili hominemque doloris expertem, nulla febre agitatum; quinimò jocabundum viſitavi: enarrati autem ſymptomatis cauſa cùm me lateret, eam poſtea, ex ęgri hoſpite, carnium ſuinarum venditore & lanione, intellexi: ęgrum, nempè lardi recentis concoctique vim devoraviſſe clanculùm. Severa itaque multato reprehenſione ęgro, curavi ne illud incontinentię perpetrare, imprudens valeret impoſterum; monendum autem circa vivendi rationem, ſive diætam, hoc in morbo, parvo atque malactico vivat ęger victu bibatque dulcem cereviſiam, aut aliud genus lenientis decocti largiter.

Ab hoc temporis termino tota curatio proſperè ceſſit fuitque abſoluta; ita ut æger, intra quatuor ſeptimas, domo exierit atque brevi poſtmodùm integerrimè reſtitutus deſideratę ſanitati, *Sylvam ducis* abierit hocque tempore 1707. cohorti *Albemarleanæ* Tubicem inſerviat.

Prima cancri mammillarum origo.

Quàm feliciter carcinoma geminum cordatiſſimæ fęminarum Chiſiæ ſuperiori hyeme ſublatum ſit, alterum ſectione, pharmacis alterum, luculento tuo, Vir celebratiſſime, D. D. Thoma Bartholine, calamo expediundum delego, quod D. Simoni Pauli, Moinichenio, Foſſio, Medicis experientiſſimis, mihique adeo junctus rei feliciter gerendæ conſilia ſociaveris; unum ego tantùm attingam, quod in accuratiore radicis ſecti jam carcinomatis contemplatione mihi obſervatum. Ad vivum graſſatus erat ferro chirurgus dexter Hacquardus, partemque muſculi pectoralis malo viciniſſimam, ne ex reliquiis metuenda eſſet recidiva, una abſtulerat. Hic quà extima muſculi ſuperficies proximè tangit glanduloſam illam mammarum ſubſtantiam, nodus in conſpectum venit, avellanam magnitudine æquans, ſanguine duriori, coloris ſaturi, & ad nigrum inclinantis diſtentus, unde obſcuri quidam meatus in reliquum mammę corpus hinc inde proſerpentes magnam ejus partem infecerant, & in ſubſtantiam albam, duram, firmam, & quaſi cartilagineam, pinguiuſculam tamen converterant, ſinubus hinc inde variis quàquaverſum diſcurrentibus, & ſero, ſed pauco refertis; nullo adeo minutarum glandularum (ex quibus ſana conſtat) veſtigio, ita corruptus humor omnem partis affectæ habitum confuderat, & ex infinitis glandalis unum quoddam calloſum magna effecerat. Similia ferè infecta ſub idem tempus mammilla Funcciæ obſervata, niſi quod in hac malum provectiùs, & mæandri ſero fœtidiſſimo diſtenti patentiores. Sed quod ad primam mali ſpectat originem, utraque εὔσαρκ@ & bene habita, utraque quinquageſimum ætatis annum nuper egreſſa, utraque, quo tempore menſtrua ſolenni naturæ conſuetudine deſinunt, venę ſectionem neglexerat. Hinc ſanguis in corpore abundantior, cùm ſuetum per infernas vias procurſum non inveniret, levi triſtitia, levi iracundia excitatus ad vicina cordis erupit, inque confinio pectoralis muſculi, cedente facilè molli glandularum mamillarium ſubſtantia, ſeſe liberiùs extra arteriam effudit; jamque motu & carens paulatim cæpit aceſcere.

Ut capiunt vitium, ni moveantur, aquæ,

quotidie corruptior redditus, noviſſimè in proximas ſubjectæ mammæ glandulas fœdum halitum derivare; unde ſerpſit pedetentim in vicina malum, & invaluit. Ut proinde non malè ſibi conſulant & id ætatis plethoricæ, & paulo juniores, ſi miſſione ſanguinis, & pacatis animi pertubationibus ferocem adeo hoſtem declinent. Vidit & hic imminuendum quoquo modo ſanguinem divinus Hippoc. unde l. 2. de Morb. Mulier. μελλόντων δ᾽, inquit, καρκίνων ἔσεσθαι ἢν λυθῇ τὰ ἐπιμήνια ὑγιὴς γένεται. Quanquam autem frequenter inteſtinis his cauſis primordia ſua debeat infamis cancer, naſcitur tamen etiam non raro ab externis, ſed ubique, non niſi ſanguine priùs extra vaſa ſua violenter protruſo, & ubi hęret, aceſcente. Vidi Pariſiis, quę ex alliſa de improviſo poſti feneſtræ mamilla, & imperitiùs tractata, malum contraheret. Ea erat generoſi animi fœmina Moiſettia vixdum quadragenaria, quam ex cauſa tam levi, & initio ferè ſpreta corripuit ſenſim infauſta lues, & depaſta penitus ad ſternum mamilla ſiniſtra; per canalem patulum in dextram ſe effuderat, illaque jam ſemilacera ad axillam uſque dextram perrepſerat; fœda aſpectu, livida labris, ichore putida, jamque quadriennium integrum duraverat, inter hæc mala periti ſſimi cujuſque opem fruſtra implorans, cùm accerſitus in urbem, clarus jam ante cancri domitor, Petrus Alliot, vir rerum Medicarum & Chimicarum ſcientiſſimus, manum ulceri admovit, & nobiliſſimam fæminam extrema jam omnia metuentem feliciter aſſeruit. Enim verò inſperſit quotidie fœdo ulceri albicantem quendam pulviſculum, unde poſt horulæ ſpatium (viſa mihi loquor) levis coorta febricula; quę tamen mox ceſſavit, & quietem ægrę indulſit. Ita continua pulveris hujus inſperſione ſeſquimenſe effecit, ut vulneris labra ex livido in rubicundulum terminarentur colorem, & ichor ſeroſus paulatim in coctum laudabiliter pus verteretur. Quo facto vulgaribus ſarcoticis miniſtrante chirurgo plagam conſolidavit. An tamen durabilis hęc cura fuerit, quod ſperabo ex Pariſinis Medicis nondum licuit reſcire. Interea cùm præparationem illius pulveris celaverit Alliottus lucro intenſior, non deſtitit tamen ingeminare, malum illud carcinomatis ex acido

acido peculiariter corrupto pronasci, ideoque lixivio peculiariter temperato sanari; de quo ut disertius sese expediret, sententiam suam scripto sed minuto vulgavit: quod ut paucorum manibus tritum non gravabor hic annectere.

Nuntius. Profligati sine ferro & igne Carcinomatis, missus, ducibus itineris Hippocrate & Galeno, ad Chirurgiæ studiosos. A Petro Alliot, Barroducæo, Ducis à Lotharingia Consil. & Med. ordinario Parisiis 1665.

An φαινόμενα carcinomata ἀγωνιστικῶς curari possunt arcano alkali ἡγεμονικῷ remedio?

I. Spiritus in nobis seu influus, seu insitus, salsus est, de alkalium prosapia; balsamus item; quia partem, cujus est spiritus, costodit, ac præservat: hujus autem vel alteratio plus minus intensa, vel seu dissipatio, seu exstinctio seu suffocatio, tandem viam pandit putredini, cujus individuus & inseparibilis comes est acor, spiritui illi balsamico prorsus hostilis: ut verò nullum ulcus seu purulentum fit, seu saniosum & ichorosum, datur absque putredine, sic planè nullum ulcus absque acore, qui quidem pro diverso ulcere multiplex est; alius leprosi narcoticus, alius gangrænosi necroticus, alius scabiei pruriginosus, alius carcinomatis διαβρωτικός, alius luis Veneræ, anthracis, erysipelatis, lichenis, herpetis, morbillorum, atque id genus, instarque fermenti partem affectam, ejusque alimentum multifariam labefactat ac corrumpit.

II. At enim verò sal, alkali, seu lixiviosum (aut quocunque tandem alio nomine sal omnis acoris expers appellare licet) seu naturale sit, quale est in animalibus fel, seu artificiale, quale est sal tartari & ejus liquor per deliquium; seu volatile, quale est in lapillis astacorum; seu fixum, qualia sunt omnia salia elixiviata, seu saporis salsi, qualis est spiritus incoërcibilis nitri magnarum in Medicina virium, seu amari, quale est in antiscorbuticis, aro, serpentaria, hoc inquam, salis genus cuilibet acido est verè ἐναντίον alterumque ab altero contemperatur, fitque neutrum ex utroque, teste passim experientiâ, non juvat propterea quodlibet ulcus ab alkali qualicumque curare, imprimis carcinoma, cujus acidum & volatile fermentum instar aquæ chrysulcæ corrosivum, ut spernit mitiora quæque alkalia, ita tantum abest, ut à valioribus, si liquabilia sint, (qualia sunt pyrotica) mitescat, contrà propter subitam fermentationem, & partis vicinæ colliquationem; plurimum ab iis exacerbetur febris aliaque superveniant symptomata: igitur sic præparentur, necesse est, & ut fixa sint, & in aqua insolubilia, quod certe remedii genus est ἀπόθετον, nec dum hactenus à quoquam descriptum, bene autem, atque exacte paratum si parti ulceratum, bene autem, atque exacte paratum si parti ulcerosæ dolore cancroso obsessæ imponatur, sensim, ac sine doloris ἀξιολόγου sensu, tutò, citòque acorem καρκινώδη necat, (quod ferro & igne non obtinebis) idque quod carcinomate deturpatum fuit, desiccat in escharam intacta parte sana, & fermenti acidi experte, ipsa verò eschara vel à natura, vel ab arte separata, ulcus antè ichorosum fit purulentum, quod tum mundificatum cicatrice claudendum.

III. Etsi verò Medici omnes post Hipp. & Gal. omnium carcinomatum, tam qua φαινόμενα in corporis habitu tangi possunt, & μετὰ τῶν ῥιζῶν ἐκτεμεῖν ἢ καῦσαι δυνατόν ἐστιν, quam quæ μὴ φαινόμενα ἐν βάθει ἢ σώματι delitescunt, quæque propriè κρυπτὰ dicuntur Hipp. cum vel sine ulcere facta per ἐπιγένεσιν vel tantùm vitio partis oborta, continentem causam statuant μελαίνης ἀκριβῶς χολῆς humorem nempe seu ex bile flava adusta, seu ex succo melancholico retorrido genitum, in eo tamen agnoscant τὸ ὀξῶδες acidum, non qualecumque, sed τὸ δριμὺ acre, τὸ διαβρωτικὸν corrosivum, ἢ τὸ ζυμῶδες mordax instar aceti acerrimi, quodque ζυμοῖ τὴν γῆν, terram fermentat, possitque ejusmodi acidum ut aliud quodcunque longè potentius à contrario alkali contemperari, & sub jugum trahi, non tamen indifferenter omni carcinomati sal alkali etiam exactissime, & ut suprà insinuatum est, paratum opponi debere censendum est, sed illi tantùm, in cujus radice, ut ita dicam omnes & singulas penetrare potest, ne minima illius fermenti maligni particula superstite, malum tandem de integro repullulet, ut liceat concludere.

Ergo φαινόμενα carcinomata ἀγωνιστικῶς curari possunt arcano alkali ἡγεμονικῷ remedio.

Hæc experientissimus Alliot. Idem à me interrogatus de prima mali hujus radice, statuit eam ex arteriis exudare, & paulatim in corpus degenerare maligne fermentescens. Adjecit se aliquando radicem post sectionem chirurgicam, invenisse, nervi crassioris frustillo similem, sed altera extremitate concavam ad instar cupulæ glandis. Et credibile sanè est alia atque alia facie subinde apparere, secundùm coctionis diversitatem. *D. Olai Borrichii.*

MANUUM OPERA.

quatenus ad Chirurgiam pertinent.

Vid. sub titulô

CHIRURGUS.

MARISCÆ vulgò CRISTÆ

QUod ad Cristas pertinet, quæ, ubi magnæ sunt, Chirurgiâ curantur, forfice statim præciduntur, tum verò uruntur, sunt qui etiam filô sericô alligant & ita subinde adstringunt, donec mortuæ cadant. Sunt etiam, qui ferrô candente urunt, & absumunt. Sunt tandem qui ferrô incidente, simulque candente tollant, ut sanguinis profusionem vitent. Qui verò Chirurgiam respuunt, cauterio medicamento coguntur eas auferre. *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente.*

MAXILLARUM MOB. I.

DE iis nihil habemus quô speciale caput conficiamus. Nam præter ea quæ ubi de Dentibus; de Fracturis, de Luxationibus, ac de Ossibus afferuntur; quibus plura maxillas spectantia comprehenduntur, vix aliquid superest quô illæ affici dici possint. Habemus revera Parodontidem, partis hujus essentialem morbum: verùm de eâ sub propriô nomine suô locô agemus.

MEATUS URINARII OBSTRUCTIO

Vid. sub titulô

CARUNCULA,

MELICERIS.

Vid. sub titulô

ATHEROMA.

MENINGS DURA.

Vid.

DURA MATER.

MENTAGRA.

Vid.

IMPETIGO, de cujus est familiâ.

MESENTERII MORBI.

MEsenterii corpus membranaceum, glandulosis partibus majoribus ac minoribus chylô ac lymphæ transcolan-

colandis, vaſiſque variis iiſdem ut & aliis ſuccis convehendis, inſervientibus conſitum; inflammationibus indeque enaſcentibus abſceſſibus, imò obſtructionibus non paucis ac congeſtionibus multigenis, obnoxium reperitur. Ex quibus morbis jam alibi aliquot explicamus, alios inpræſentiarum per *Curationes*, *Conſultationes*, & *Obſervationes* pertractaturi ſumus.

Curationes.

Obſtructiones & Tumores Meſenterii.

Perperam verò plerique agunt, qui à contrectatione Abdominis de obſtructione Meſenterii temerè judicium ferre audent, præſertim autem decepti à muſculis utrinque per ventrem in longum extenſis: equidem tactu nequit certè decerni tumefactum, vel obſtructum eſſe Meſenterium, quod profundè admodum ſub muſculis, peritoneo, omento, inteſtiniſque reconditur. Vix autem tactu percipi poteſt lien, aut hepar, cùm inſigniter intumuerint.

Meſenterii, ejuſque vaſorum; & glandularum obſtructiones, ac tumores, attenuantibus, diſſolventibus, atque humores indè deducentibus Medentes tollere adnituntur. Purgantia raro proficere adnotat Hartmannus, conſentitque Mercatus, & Schenkius; quin & iſti multò graviùs à catharticis ægrotos affici atteſtantur. Medelam propterea petit idem Hartmannus à reſolventibus, & emollientibus; reſolventia autem mitiora probat ex tartaro vitriolato, vino, in quo chalybs infuſus ſit, pulvere cachectico, & acidulis tùm naturalibus, tùm artificialibus; emollientia verò extrinſecus adhibenda, atque in primis emplaſtrum de cicuta. At comparente per alvum pure, enematibus inſiſtit, quibus alvus ab inquinamentis mitiſſimè repurgetur.

Sennertus etiam à potentioribus purgantibus abſtinet, & ſolùm utendum monet lenioribus, quæ venarum orificia detergant, & humores blandè educant, quales ſunt pilulæ Tartareæ, & Aloëticæ.

Verùm non raro, tutò, feliciterque curantur obſtructiones ſola victûs ratione convenienter inſtituta, cavendo acida, glutinoſa, cruda, potationes immoderatas aquarum præſertim gelidarum, otium. Juvat motus horis matutinis, vel longè admodum à paſtu: aromata cum cibis: vinum abſynthites, vel ex chalybe per ignem pulverato medicatum: ſal abſynthii: pulvis ſtomachicus, & cachecticus Quercetani, admoto intereà cerato ex ammoniaco, tacamahaca compoſitò, aliove.

Neque verò ſemper expedit indiſcriminatim uſu chalybis; ejuſque ſalis, vaſa viſcerum obſtructa reſerare; ſi potiſſimùm ad glandulas pertineat, vel ad partes multùm à ventriculo diſſitas; tùm quia longiorem moram in ventriculo ſal chalybis patitur; diſſolutumque ſtatim in alvum dejicitur ab acido præcipitatus; tùm quia glandulæ id maximè expetunt, ut aromatis roborentur, undè impactos ſuccos attenuent, diluantque, haudquaquam verò vehementer proritatæ exſolventur, flacceſcant. Quare juvabit potiùs aromata exhibere, vel eſſentiæ mart. ejuſdemque vitrioli dextro uſu ejuſmodi obſtructiones curare.

In hanc rem maximè à nonnullis commendatur terebinthina Cypria ad ℥. ß. quater lota aquâ abſinthii, & rutæ, deindè adjiciunt pulverem cinnamomi & nucis myriſticæ ad pondus unius drachmæ. Effertur aliis hoc electuarium, quod habet: chalybis limati, & ſuper lapidem porphyritem tenuiter cum aceto contriti, mox ad ſolem aut ignem ſiccati, & ſepties pari modo pulverati ſelibram. cinnamomi, & nucis odoratæ ſingul. ℥. iii. rhabarbari electi ℥. ii. ſpecier. aromat. roſ. ʒvj. Hæc melle optimo, & ſaccharo albiſſimo excepta rediguntur ad lentum ignem in form. Elect. & ſingulo manè ad pondus ſemiunciæ exhib. præſcripta convenienti corporis exercitatione.

Quæ denique cachexiæ, & Aſciti curandæ, aliiſque ægritudinibus ab obſtructione pendentibus uſui eſſe poſſunt, alibi trademus.

Obſtructionem Meſenterii, ejuſque vaſorum, & glandularum non raro Inflammatio ſequitur aliuſve Tumor, & Abſceſſus, potiſſimùm cùm ſanguinis curſus impeditur, retardaturque, ut præſertim in illius glandulis reſtagnet. Cùmque in his exiguus ſenſus habeatur, eò quandoque tumor devenit, ut in ingentem molem attollatur, ac diutiſſimè perſiſtat pondus, & dolorem inteſtinis inferens, quandoque etiam lumbis, quouſque tandem membranas adjunctas pertingens, vel etiam proceſſus nervorum, & Peritonæi comprimens, dolorem inducat intolerabilem.

Nedum autem in uno ſolùm loco contingit Meſenterium inflammari, ac tumere, ſed in cunctis ferè illius glandulis, ubi nimirum facilè humores impingunt, & adhæreſcunt: quamobrem totum tuberculis refertum aliquando Anatomici detexerunt, imò & ſcirrho, gangrænaque affectum, pure repletum, atque lymphâ plurimâ perfuſum. Hinc dolores profundiùs ventrem excruciant, inquietudines, nauſeæ, vomitus, alvi durities, chyli dejectiones, febres, tabes, aliaque graviſſima ſymptomata, etiam cerebro infenſa, plerumque obſervantur, quæ falsò inteſtinis, Jecori, Lieni, Renibus, aliiſque à nonnullis adſcribuntur.

Pari modo Pancreas affici multoties compertum: nam & obſtrui, & inflammari, & obdureſcere, & abſceſſus pati obſervatum eſt.

Horum viſcerum affectiones propriis ſignis internoſcere difficillimum. Suſpicari autem aliquando licebit de inflammatione, aut abſceſſu in Meſenterio, & Pancreate, poſtquam ad maturitatem pervenerint, & purulentæ egeſtiones comparere cœperint, neque jecore, neque liene in tumorem elato. Affecti autem Pancreatis longe difficilior conjectura erit, etiam ſi à poſitu ſubter ventriculum, quis non ſe fallere arbitretur, cùm à diaphragmate id ipſum prodire poſſit, itemque à muſculis lumborum, & ſpinæ adjacentibus.

Sicut autem iſta cognitu perardua ſunt, ita & curatu difficillima: nam etiamſi maturuerint, non tamen facilè aut per alvum, aut per vias urinæ ibidem congeſta repurgantur, quamobrem retentum pus vel corruptionem afferret, vel ſi aliò deferatur, novum, & quidem graviorem morbum pariet, colicam affectionem, paralyſim, Iſchiadem, Dyſenteriam. Quin poſtquam Abſceſſus fuerit emundatus, etiam inductum ulcus vitæ periculum minatur, cùm nequeat convenienter abſtergi, & conſolidari, licet opportuna remedia adhibeantur. Veruntamen Naturæ Opera in hoc plurimum valet illamque proinde Medicus promovere debet, exhibendo primùm, quæ inflammationem, ſi fortaſsè prænoſcatur, impediant, & ſanguinem remorari non ſinant, qualia ſunt pluries memorata diaphoretica: mox quæ maturitati illam ſubjiciant, & dirumpant, ſi jam facta ſit. Præcellunt ſanguis hirci, ſperma Ceti, mumia, coagulum leporis, aut hædi, extractum hyperici, & baccarum juniperi, omnis generis Bezoardica, ſtibium diaphoreticam, ſal volatile C. C. viperatum, & ſuccini, ſpiritus ſalis ammoniaci dulcis redditus, elixir proprietatis, tinctura mart. & Antim. Potiones vulnerariæ optimæ quoque ſunt, præcipuè dirupto jam apoſtemate. Terebinthina pariter fructuoſa eſt, ut & balſamum Peruvianum, Tolutanum, & ligni guajaci. Quod ſi neceſſe ſit inchoatum Naturæ motum per vias urinæ promovere, conducent diuretica, aquæ thermales, oculi cancr. ſal cardui benedicti, & centaurii minoris, verum ſalis balſamum colore aureum, ſapore dulce, & contactu linguæ volatile; pulvis, & eſſentia macis, extractum glycyr-

glycyrrhizę, trochisci Gordonii, Si demùm remaneat ulcus, suffitus ex cinnabari cum balsamis miram opem afferre consueverunt, atque horum usu quosdam brevi saluti restitutos vidi: etenim ab inducto sensim ptialismo è ductibus salivariis educitur humor ille, qui in Pancreate, & Mesenterio restagnat, ob communionem glandularum inter sese, & præcipuè illarum, quæ in Mesenterio sunt, cum colli glandulis. Neque verendum de interno Argenti vivi usu, modò ritè præparatus sit, & diaphoreticus evaserit. *Lucas Tozzi. Medicin. Practic. Parte ii.*

Abscessus Mesenterii.

Signa sunt, si tumor cum inflammatione præcesserit, doloris in præsens mitigatio, materiæ purulentæ excretio: & febris hectica.

Indicationes sunt ulceris detersio, & consolidatio; doloris mitigatio, & febris hecticæ extinctio.

Conveniunt hîc clysteres lenientes & detergentes. *viz.*

♃. Tapf. barbat. plantag. totius an. m. i. scabios. veronic. mar. an. m. ß. hordei integr. furfur. macr. rosar. rub. flor. hyperici, trifol. odor. an. p. ß. coque in aq. font. q. s. Colaturę ℔. i. adde syr. rosar. sicc. ℥ß. mell. caprifol. ℥ß. terebinth. Venet. ovi vitello solut. ʒii. vin. Canarin. aut de malaga ℥iii. Ms. f. Clyster & repetatur quoties opus fuerit.

Huic addi possunt rad. aristoloch. caryophyllatę, bacc. junip. &c. N. B. Clysteres primò debent esse detergentes, postea consolidantes & astringentes.

♃. Aq. decoctionis pomorum (Reginę dictorum) & hord. (addit. santal. alb. & rub. an. ʒiß.) ℔iß. syr. rub. Idęi. ℥iii. corall. ℥i. sp. vitrioli q. s. ad gratam aciditatem. Ms. f. Julapium pro iiii. dos. bis in die sumendis longè à pastibus.

♃. Diacod. ʒiii. syr. rub. Idæi, corall. an. ʒiß. Ms. & sumatur hor. somni in haustu alæ maciatæ.

♃. Terebinth. Venet. aq. pariet. lot. ʒi. ocul. cancr. præp. ℈i. pulv. virg. aureæ gr. x. rhei. gr. v. gumm. Arab. gr. vi. MS. & cum pulv. glycyrrhiz. gr. iv. f. Bolus mane sumendus, superbibendo haustum jusculi calentis seq.

♃. Rad. alth ʒiii. petroselin. fœnic. cichor. taraxac. an. ℥ß. rasur. corn. cerv. dentis equi marin. an. ʒiiß. cappar. à sale mundat. uvar. Corinth. an. cochl. 1. jujubar. passul. exacinat. an. ʒii. includantur ventre junioris galli, qui consutus elixetur cum frusto carnis vitulin. addendo sub finem decoctionis fol. endiv. hepatic. agrimon. borag. adianth. polytric. ling. cervin. an. m. ß. flor. calend. p. ii. F. colatura ad ℥xxx. pro tribus jusculis mane sumendis cum Pulvere sequenti.

♃. Crem. tart. ℈ii. lap. prunel. ℈i. crystal. syderei gr. iv. sacch. crystall. ad pondus omnium. Ms. pro una dosi in singulis jusculis dissolvendo.

♃. Rasur. lign. sanct. inter. nigr. ℥i. abiet. rec. resinos. ℥ii. rasur. lign. junip. ʒx. santal. citrin. ʒiii. rad. filic. fœmin. caryophyllat. rub. tinctor. an. ℥iß. fol. scabios. agrimon. hyperic. totius, virg. aur. sicc. an. ʒvi. flor. sambuc. betonic. an. p. ii sem. alkekeng. mil. sol. an. ℥ß. nuc. muschar. ʒii. Incidantur minutim., & divid. in plures partes ponderis ℥ii. f. totidem sacculi ex linteo raro oblongi, qui indantur singulis lagenis lapideis duarum quartarum capacibus, cerevisiâ Semilupulatâ repletis: obturentur, optimè reponantur in cella pro potu ordinario, cum quo incipiat post duos dies.

Ingredientia possunt coqui in cerevisiæ semilupulatæ gallon. vi. ad duorum consumptionem; postea addendo gallon. iv. ejusdem cerevis. infunde per noctem, mane cola per setaceum & doliolo inde, addendo fermenti alę rec. ℔i. & sinatur fermentati antequam lagenis indatut. Singulis lagenis addi possunt ℥ii. mellis sequentis.

♃. Plantag. totius m. ii. bugul. bellid. scabios. agrimon. an. m. i. summit. caprifol. m. ß. Coq. in aq. hord. q. s. colaturæ clarificat. adde mell. opt. ℔iii. coq. & despuma, clarificando donec iterum ad mellis consistentiam reducatur.

Horâ somni Bolus sequens exhiberi potest.

♃. Cons. ros. rub. cum. sp. vitrioli acidulat. ʒß. confect. Alkerm. ℈ß. magist. perlar. lap. bezoar. orient. an. gr. vi. Ms. f. Bolus. Si dolores urgeant, addatur aliquid laudani.

Purgetur aliquoties Potione sequenti.

♃. Rasur. lign. sanct. nig. ʒi. veronic. mar. scabios. an. p. 1. flor. cord. p. ii. trag. commun. ℈iv. crem. tart. ʒi. fol. sen. mund. vin. alb. irrorat. ʒiii. Coq. & seorsim infund. rhabarb. ʒiß. in aq. card. bened. succ. limon. acidulat. addit. santal. citrin. ʒß. reducantur ad dosin debitam, addendo syr. nostr. cathol. ℥i. Ms. f. Potio manè sumenda.

♃. Tereb. Cypr. & Venet. vin. alb. coctura indurat. an. ℥i. ocul. cancr. præp. ℥ß. gumm. guajac. junip. an. ʒiii. oliban. myrrh. mastich. an. ℥ß. croc. ʒi. camph. gr. xxx. pulv. glycyrrhiz. ʒii. balsam. Peruv. nig. q. s. f. Massa pilularis, & ex ʒi. pil. vi. Sumat. iv. mane & vesperi superbibendo ℥iv. Apozematis sequentis.

♃. Rasur. lign. sanct. nig. ℥ii. cancror. fluviat. clibano exsiccat. & pulv. ℥iii. fol. scabios. m. i. agrimon. beton. veron. utriusque, virg. aur. pyrol. bet. rub. persicar. maculat. caprifol. an. m. ß. ros. rub. p. iß. flor. sambuc. p. iii. passul. integr. ℥iii. Coq. in aq. font. q. s. depurando donec liquoris limpidi restant ℥xlii. inter depurandum addendo mell. alb. despumat. ℥iii. Ms. f. Apozema pro vi. dos. bis in die sumendis.

Si dolores ventris urgeant, f. Fotus sequens.

♃. Rad. alth. cort. med. fraxin. ulm. an. ℥iv. rad. aristol. utriusque bryon. irid. nostrat. an. ℥ii. polypod. ℥iii. lign. Rhod. ℥iiß. fol. chamęd. chamęm. totius, scabios. totius, sambuc. hyperic. centaur. min. eupator. Mes. & Avicen. an. m. ii. flor. sambuc. keyr. melilot. an. p. iv. sem. anis. fœnic. an. ℥i. lin. fœnugręc. an. ℥iß. Coq. in aq. font. partibus tribus & unâ vin. alb. generos. sub finem addendo acet. scillit. ℔ß. f. Fotus ventris regioni adhibendus cum spongiis eodem intinctis.

Post Fotum usurpetur Linimentum sequens.

♃. Rad. bryon. utriusque alth. an. ℥vi. fol. sambuc. chamæm. agerat. eupator. Avicen. chamæd. hyperic. absynth. rut. an. m. i. scabios. tot. m. iv. flor. genist. centaur. min. an. p. iv. sem. lin. ℥i. viticis, ling. avis an. ℥ß. axung. suill. rec. ℔ii. vino alb. generos. ℔ii. acet. vin. alb. ℔ß. bulliant. ad liquorum consumptionem & herbarum putrilaginem. Exprime, & ex parte puriore f. Linimentum.

Statim post fotum detur jusculum suprà descriptum, dilato ad tres horas prandio.

Parti dolenti applicari item potest Emplastrum de Cicuta cum Ammoniaco. *Theod. de Mayerne. Prax. Medicæ. lib. 3.*

In Obstructiones Mesenterii. ♃. Pulp. prun. ℥ß. extract. senn. ℈i. tartar. chalybeat. gr. xv. olei myrrh. gtt. v. M. f. Bolus.

Vel ♃. Pulp. tamarindor. & prunor. an. ℥ß. extr. rhabarb. ℈i. sal. essent. tartar. gr. x. ol. still. anisi gtt. iii. M. F. bolus.

In India. ♃. Pulp. cass. & prunor. an. ℥ß. extr. senn. & rhabarb. an. ℈i, sal. cinnam. vitriol. gr. x. ol. seu sal. volat. oleos. radic. cinnam. sylvestr. gr. iii. M. F. Bolus.

Elixyria. ♃. Elix. propr. ʒi. tinct. tart. essent. absinth. an. ʒß. M. dos. ℈i. mane & vesperi.

Vel. ♃. Elix. propriet. ʒi. sp. tart. sulphut. essent. centaur. min. an. ʒß. M. dos. à gtt. xv. ad xx.

Seu. ♃. Elix. Helmont. sp. tart. an. ʒß. M. Dos. gtt. xv.

Pulve-

Pulveres ♃. Sal. essent. tart. ℈i. tart. chalyb. ʒß. M. pro unâ dosi.

In India. ♃. Sal. cinnam. vitriol. sal. volat. oleos. cinnam. sylvestr. ℈. p. ol. still. myrrh. gtt. v. M. f. pulvis pro tribus dosib.

Condita ♃. Conserv. fumar. ℥ii. extr. card. bened. centaur. min. & absinth. an ʒi. sal. essent. tart. chalyb. an. ʒß. elix. balsam. ℈ii. ol. still. myrrh. ℈i. M. f. conditum. Dos. à ʒi. ad ʒii. mane.

In India ♃. Conserv. absynth. pontic. & rosar. an. ℥i. sal. volat. oleos. cinnam sylvestr. ℈i. ol. still. myrrh. ʒß. M. f. conditum Dos. a. ʒi. ad ʒii. *Hermann. Nicolaus brimm. Compendii Medico-Chimici lib.* 3.

Consultationes.

Pro Reverenda Monialii Ferrariensi scyrrho Meserei correpta.

Corpora quę secundùm propriam, & naturalem temperiem ad frigidum, ac humidum inclinant, & quę diu à morbis, & his ipsis gravissimis conflictata fuere, tandem, naturâ à vi morborum illorum veluti victâ ac superatâ, magis, ac magis morbida fiunt, morbosque frigidos incurrunt; Quod Reverendę Vestali, de cujus adversa valetudine litterę mihi datæ sunt, contigisse observo; cùm enim in litteris illis exactè demonstratum sit temperamentum illud cum habitu mediocri, & colore albido eam nactam, atque postea diversis malis immaniter vexatam fuisse, non est mirum si hoc tempore in tumorem frigidum scyrrhosum secundùm partem abdominis inferiorem inciderit; cujus ut exactè instituatur curatio, vel saltem pręservatio, videndum quęnam sedes affecta, cujus census scyrrhus, & quænam generatio, ac modus generationis illius sit.

Quod ad sedem affectam attinet, certè apud me insignis difficultas ob varietatem partium, quæ in inferiori abdomine existunt, primùm enim cutis membrana carnosa, ac musculi. Secundò pars inferior omenti, intestina & mesereum. Tertiò vesica, uterus, vasa horum deferentia in illò adsunt, quænam harum, & an plures afficiantur decernere veluti (ob ægrę absentiam) divinando oportet, quia igitur non audio, tumorem in superficie observari, facilè adducor ut credam in partibus illis extimis primo loco enarratis neque tumorem existere, quod etiam & tumoris mobilitas confirmat; pręterea, quoniam tumor, de quo tractatur, insignis admodum, & durus vehementer proponitur, cujus naturę tumor in corpore rariori & tenuiori, ut est omentum nullo modo excitari potest, ideo omentum ipsum secludo, & eo magis quoniam si in parte hac esset tumor, pręter id quod egregia Monialis detractione viscerum ad inferiora conquereretur; jugiter sensum insignis ponderis ad pubis regionem haberet, intestinisque primùm, deinde vesicâ compressis, actio mingendi aliquo modo vitiaretur; Verùm nec in intestinis esse malum hoc ex eo convincitur quod actio intestinorum naturalis minimè læsa deprehenditur, ob quod argumentum nec vesicam lęsam esse satis perspectum esse confido; ergo aut uterus, aut mesereum afficitur, atqui uterum non esse sedem mali prędicti, non tantùm eo confirmatur quod mensales purgationes de more, & secundùm naturam procedant, verùm etiam per id, quod uterus inter intestinum rectum, & vesicam sub osse pubis repositus; ubi tumet, tactui tumorem suum, nisi magnitudine excedat, minimè patefacit, & sua mole, tametsi grandis non sit, perennè desiderium, modò mingendi, prout in collum vesicæ incumbit, modò egerendi, qua intestinum rectum comprimit, immo sensum insignis ponderis in fundum abdominis parit, quæ cùm non proponentur, idcirco uterus videtur secludendus; Nec facit illud negotium quòd nobilis vestalis singulo mense menstruetur, quoniam sit in extima uteri tunica non autem interna, quoniam si vasa sanguinem superfluum ad uterum deferentia atque tunicam externam & internam attingunt pervaduntque, ergo æquè benè angustia vasorum à tumore inducta, cùm in hac, tum in illa tunica sanguinis illius fluorem supprimere potest, propterea puto ego, tumorem prędictum attinere ad meseream, nec enumeratio partium sufficiens sola me in hanc sententiam trahit, sed etiam quia tumor in profundo existens exterius valde prominet, ut quasi ab osse pubis, cui hæret, sustentetur, & ob id sensum gravitatis non inferat, accedit quòd vestales, ut quæ magis quàm aliæ mulieres in otio degentes, hoc genus mali frequentissimè incurrere solent, tumoresque mobiles absque fœcum excretione vitiata (sicuti hìc non vitiatur) in nulla alia parte quàm in mesereo sua natura, cùm ob propriam substantiam, tum ob glandulas quibus est refertum ad suscipiendum maximè prono fieri solent. Tandem refertur quod tumor hic modò augetur, modò imminuitur, quod cùm accidat ob flatum, qui elevantur dissipationem, hęcque commodiùs in mesereo, veluti rariori, & laxiori, quàm in uteri tunicis densioribus, & compactioribus fieri possit; ob hanc aliam rationem mesereum, & non uterum affici arbitror.

Scyrrhus autem est de genere illegitimorum, quando sensus omninò non sit expers, suam verò habuit generationem ex materia crassa à prædominio viscida, ac pituitosa, deinde etiam melancholica, quod non solùm ex colore subalbido totius, qui sepè humori tantùm sub cuti existenti attestatur, sed etiam ex habitu & temperie totius ad frigidum inclinante venarumque amplitudine, & nigrore conjicio, pituitamque in ventriculo valde, ut audio apparente melancholiam in hepate calidiori, ut status ille venarum, ac ętas ferè quadragenaria (nam octavum supra trigesimum annum suę ætatis agit) humoris melancholici valde ferax apertè demonstrat, generari pro certo habeo.

Modus verò generationis fuit quòd humores illi duo transmissi à propriis suę generationis locis ad mesereum maximè ad suscipiendum paratum, in illoque commixti, ac in ejus propria substantia, ac glandulis recepti tumorem, & hunc ipsum durum excitarunt, durum quidem, non per siccationem, nulla enim causa tale quid agens præcessit, ergo & per repletionem à copia humorum factam, & per concretionem a frigiditate, non tantùm recipientis, sed etiam recepti inductam; & hęc de tumore sint satis dicta.

Proponitur & alter affectus illi annexus, nimirum febricula quędam, quam & ipse putridam esse, & ex loco tumoris vaporem exustum veluti fumum in cor à materia ibidem putredinem aliquam ob obstructionem nata elevatum, illam aliquoties excitare, ad modum Symptomatis opinor, quando nec ob ipsam semper decumbere cogatur, ac circuitibus quibusdam egregiam patientem affligere observetur.

Utcumque autem id certissimum est, totum Medici studium eò dirigi oportere ut ventriculus calefiat, jecur refrigeretur, priùs obstructionibus per attenuantia, detergentiaque reseratis, ac materiâ impactâ per emollientia, discutientiaque evacuatâ, ita tamen ut toti ante hæc omnia provideatur.

Ad quos scopos an pervenire liceat nec ne, difficile cognitu non erit ei, qui naturam & constitutionem scyrrhorum noverit; primùm enim scyrrhi, qui partes extimas obsident vix aliquando curantur, ergo tantò minùs, qui in visceribus nascuntur; nam cùm vitia hæc partem veluti emortuam reddant, quia nimirum calor, ac spiritus vitalis ob densationem partis, ac vasorum angustiam non suscipiuntur, quis non videt medicamenta parti illi applicita nil posse agere, ut eam vi

vificent? quod cùm maximè scyrrhis exquisitis, minùs illegitimis accidat, propterea illi omninò incurabiles à Galeno constituuntur, hi verò aliquando vix curantur, vel potiùs imminuuntur, ut homo diu vivere possit, & eò magis, si sint instabiles, aliquando augeantur, aliquando decrescant, qualis est scyrrhus, qui tractatur, tantòque magis spes præservationis subest, quod in ejus constitutione pituita prędominatur, nec valdè dissimilis est parti laboranti, qua ratione homines minùs sub morbis periclitari scripsit Hippoc. illud tamen non est negandum, ab hisce malis & hydropem, ac cancerosum ulcus suborta putredine imminere. ut propterea maxima diligentia in contrectando scyrrho hoc sit adhibenda.

Quare de materiis Chirurgicis ita censeo, ut sicuti ab omni sanguinis missione abstinendum, ita ad fonticulos femoribus secundùm partem domesticam infixos deveniendum, nam quantùm ad sanguinis missionem attinet, quoniam scopi mittendi sanguinem, ferè nulli occurrunt, ideò illa non videtur opportuna, nec etiam à venis ani, quoniam hęc menses ab utero derivare, atque ipsos quoquo pacto impedire solet, quare si aliquid est quod posset Medico aliquam sanguinis missionem vel ex brachio longè à tempore mensium, vel ex talo suadere; hoc maximè esset jecoris aliquis fervor, meritò cujus eventativam aliquam sanguinis evacuationem fieri posse nemo negabit; quoad fonticulos certò scio continuò illos à parte laborante materiam noxiam derivare, ac totum ferè ab omni cacochimia expiare; frictiones quoque cùm siccas tum humidas cum oleo decoctionis radicum cucumeris agrestis longo tempore scyrrhosæ parti adhibitas approbo.

Medicamenta primùm totius occurrunt, quocirca pro alvo lenienda mel rosatum solutivum cum syrupo de polypodio magistrali, pro humoribus pręparandis decoctum betonicæ, fœniculi, lupulorum, buglossi, melissæ, & cichoraceorum cum oxymel. simplici, pro eisdem humoribus deturbandis infusum agarici, & senæ cum melle rosato solutivo, vel Catapotia de tribus cum Rhabarbaro, adjecto pulvere epithimi seligantur, Atque pro evacuatione insensibili pręter antidotum utramque magnam aliquoties devoratam, decocta guajaci, salsæ & Chinæ cum aliquot emollientibus, uti Althea & liquiritia huc referantur, decocta eò magis proderunt, si ante syrupum matutinum bolus ex amoniaco ac sale theriacali cùm lacryma therebinti Cyprii exceptis, devoretur.

Post hęc de medicamentis privatis agendum, ego pro obstructionibus auferendis laudo, vel oxymel ex decocto radicum aperientium, liquiritię, Althecę, ligni sassafras, Chinæ, cuscutæ, agrimonii, capil. vener. betonicę, cichorii, sonchi, boraginis, lupulorum, asari, artemisię, passularum, coriandrorum pręparatorum in aqua pluries chalybeata parato, vel jus galli duorum annorum circiter, aut colombi turriti in quotum ventre simplicia nunc commemorata sint incocta, immò verò jura hæc vices quoque decoctorum paulo suprà propositorum, si illis eadem medicamenta nunc dicta immisceantur supplere poterunt: atque illi bolo ex ammoniaco, & sale theriacali chalybem preparatum addere licebit.

Pro evacuatione materię tumoris impactę topica usurpanda, ideò pręter ceratum Diachilon gummatum cum portione cerati sacri, tria potissimùm medicamenta probo. Primum est ceratum factum ex cremore radicum cucumeris agrestis, ammoniaco, pulvere Sabinæ, ac utriusque hellebori, & succo, pulvereque Tabacci; Alterum est, stillicidium factum cum oleo decoctionis tum radicum Althecę, malvarum, peucedani, & cucumeris agrestis, tum foliorum Dictamni Cretici, thymi, & calamintæ, tandemque ligni guajaci, facta ebullitione in duplici vase cum modico vini odorati ad consumptionem ejusdem vini, à quo stillicidio statim admovendum Cataplasma factum ex duabus partibus emplastri de baccis lauri, una emplastri de meliloto, & media fermenti acerrimi cum caricis aliquot, exceptis omnibus aceto scyllino; Postremum est suffumigium tactum ex decocto in aceto & vino anethi, camomeli, fœnugræci, semin. lini, meliloti, abrotani, malvarum, Althea, origani, calamintæ, Dictamni Cretici, asari, Sabinę, artemisię, hysopi, Tabacci, betonicę, radicum filicis, utriusque hellebori, & colocyntidis, eà tamen ratione, ut dum adhibetur suffumigium, lapis pyrites, vel molaris ignitus pluries in decocto prædicto extinguatur, quod medicamentum adhibeatur autem, si vestalis nobilis prona super tabulam ita perforatam ut scyrrhus extra foramen extuberet, situetur, ac tabulæ circomponantur panni, ut totus fumus scyrrhum petat.

Tandem pro tollendis intemperantiis viscerum, atque primùm ventriculi, nil habeo quod proponam, quando sciam, pharmaca interna jam proposita ad id conducere, solùm id dicam, quod postulante usu non erit inutile exterius medicamentum aliquod stomaticum calfaciens sub forma vel stillicidii, vel cerati adhibere, pro stillicidio autem Tettucianam aquam infusionis folius mentæ, & pro cerato quod ex gummi tachamacha cum succo absinthii concreto, & extracto ipsius mastiche inter alia seligo & probo. Pro jecoris intemperie succus cicoraceorum & hepaticæ assumptus, atque hypochondrio dextro admotus maximè arridet.

De victu nil ferè dico, quoniam abundè, & exactè litterę mihi datę meliùs quàm à me nunc proponi pessit, ipsum continent, id tamen non subticebo; & pulverem coctilem ex agallocho, croco modico, pane biscocto, & saccharo paratum, cibariisque inspersum; & vinum tenue, album cùm auratum, vel chalybeatum, tum cum China, radicibusque buglossi medicatum magnopere probari. Deus Optimus Maximus hęc omnia salutaria nobili vestali reddat. *Julius Cæsar Claudinus, in Consultationibus Medicis.*

Observationes.

De Mesenterii abscessu.

Juvenis quidam alvi torminibus vexabatur: inque dies magis magisque dolor vim capiebat: tantumque aberat ut hujusmodi doloris abditæ causæ comprehendi possent, ut numquam ullis præsidiis tolli, aut saltem levari hoc malum potuerit: omnia enim viscera sana videbantur, jecur, lien, & intestina omnia nullam doloris notam ostendebant: sed ille nihilominus, magis magisque indies, quàm ut tollerari posset, urgente dolore ipso, tandem è vita discessit: quare mortui corpore inciso, ut scilicet tanti mali causas dignosceremus, & sanis omnibus, ut putabamus, inventis visceribus, jubeo intestina amoveri: quæ dum gladio discindit minister, in abscessum magnum incurrit; quo præciso, materia multa nigrior fœtensque profluxit, encausto sutorio similis: ex quo manifestam ejus mortis causam deprehendimus, atra enim bilis eò confluens hujusmodi abscessum paulatim effecerat. *Antonius Benevenius, cap. 33. lib. De abditis morborum & sanationum causis.*

Vir quidam febre valida correptus cum vomitu, decimo quarto die transacto in alvi cruentam excretionem devenit, ita ut sanguinem nigerrimum corruptum pessimè olentem ad quindecim librarum pondus excerneret, unde animi deliquio correptus omnes eum proximè moriturum existimavimus: nihilominus cibis per intervalla optimis refectus vires resumpsit, ita, ut

etsi

etsi febre continua, licèt non ita intensa & uniformi, continuo vexaretur, nihilominus suæ salutis spem nobis præberet; sed tamen cùm quotidie fæces conspersas sanguinolentâ saniosâque materiâ excerneret, indiesque magis, ac magis emaciaretur, infinitis propemodum præsidiis adhibitis (nam septem Medici illius curæ incumbebamus) sexagesimo tertio die (proh dolor) occubuit, cùm tamen postremis diebus ingens urinæ profluvium supervenisset, ita ut quinque libras urinæ & amplius quotidie per plures dies extramitteret. Cadaver dissectum fuit, ut tanti mali causa innotesceret, atque in mesenterio, in parte superiori, ulcus sordidum ad spithamæ longitudinem adinventum; unde ea in parte collectum abscessum conjecimus, illoque disrupto putridum sanguinem ea in copia profluxisse non dubitavimus: sed quod mirum est, numquam antea per totum ægritudinis tractum, præterquam extremo die, quo illi venter intumuit, de illius partis dolore conquestus est. *Marcellus Donatus lib. 4. Histor. munic. mirab. cap. 7.*

Novimus nos quandam, cui inflammatio in mesenterio nata fuit, & initio malè habuit, sed posteaquàm inflammatio suppurata & in abscessum conversa, meliùs habens, sana sibi visa est: interim singulis diebus per anum bis terve purulenta, admodum fœtida, sincera, nullisque excrementis permixta redduntur, & quidem nunc quartus agitur annus à quo sic se habet. *Rembertus Dodonæus. annot. ad cap. 35. libri Benevenii. De abditis morborum causis.*

MICTIO ac eam attinentes MORBI.

Vid.

URINAM SPECTANTES MORBI.

MOLA.

De *Mola* sic paucis Clarissim. juxtà ac Nobiliss. Dom. Fredericus Ruyschius in observationum suarum Anatomico-Chirurgicarum Centuria. Mola dicitur caro deformis ossibus destituta, & ex imperfectâ aut malâ conceptione generata. Quod, si verum sit, mirari subit ejusmodi molas à virginibus (aut saltem de quibus nulla alia suspicio erat) fuisse exclusas. Vetulas Viris non utentes aliquando in lucem exposuisse tales molas, observavi. Sæpissime in abortu, fætu enixô, remanet per aliquot septimanas, imò menses, placentula, quæ à compressione uteri, non solùm uteri figuram adipiscitur, verùm etiam sæpius ita induratur, ut carnis substantiam duritie longè superet, & pro molâ habeatur. Jam à viginti annis Nobilissimi & Amplissimi D. Consules & Scabini, ad ulteriora infortunia (de quibus multæ audiebantur querelæ) vitanda, circa obstetricationem, injunxerunt Collegio Medico, & mihi, ut omnes, quotquot essent Amstelodami, Obstetrices examinaremus; quarum numerus haud erat exiguus; hasce ferè omnes interrogavi, quid circa molas observassent? Nulla verò earum, nobis vel aliquid potuit revelare, unanimiter dicentes, sese quidem corpuscula carnosa & dura offendisse, quæ è mulierum corpore erant exclusa, ast verò nunquam viventia, sicut nonnulli credidere. Aliquando utero expelluntur Sarcomata, quæ pro molis habentur; Sarcomata inquam, quia præter carnem nihil in iis deprehendi. Ejusmodi excrescentias uterinas per pedunculum utero adhærentes observavi in ipso utero, dum mulieres in partûs laboribus essent. Illud verò neutiquam mittendum, quandoquidem in ipso etiam stomachô & vesicâ urinariâ ejusmodi corpuscula excrescere observavi. Itaque verosimile admodum est, molas ita decantatas nihil aliud esse quàm ejusmodi carnosas uteri excrescentias, aut placentulas retentas, & ab uterô, uti suprà innui, compressas; neutiquam verò è malâ conceptione ortas.

Hactenus Celeberrimus Auctor, cujus mentem non parum confirmant, tum Excrescentiæ Carneæ ab utero inverso rusticæ quinquagenariæ superioris cujusdam Turgoviæ pagi incolæ, ac non sine ejusdem Ægræ obitu à Nobilissima Matrona Sangallensi, avulsæ, fusèque à Clariss. D. Joh. Jacobo Hardero, è Celeberrimi D. Theodori Zwingeri doctâ enarratione, ad Clar. D. Georgium Wolffgangum Wedelium, in Miscellaneorum Curiosorum Decuriæ Secundæ Anno 2. descriptæ. Tum & aliæ multæ moles carneæ ex uteris virginalibus excidentes, quales passim apud Autores reperire est. Sic etiam nos in virginibus & in viduis probatissimæ castitatis, hæc sarcomata genita, ac quandoque exclusa, quandoque verò mortis causas, fuisse non semel vidimus. De aliis innumeris molis, iisque osseis, membranaceis, vesicularibus, volatilibus, necnon de molis inter excidendum trepidantibus ac variorum animalium figuram ruditer exprimentibus, non pauca apud rerum mirabilium scriptores, hicque etiam quædam selectiora in sequentibus, ut omnibus sic satisfieri nostro opere possit, habebuntur. Præmittemus tantùm *Observationibus* rarioribus *Curationes* ac *Consultationes* aliquas,

Curationes.

Observandum est maximè antequam ad indicationes procedatur, an mola sit conjuncta cùm fætu perfectô; an verò sit sine eô. Si est cum fætu perfectô, nihil temerè agendum est, sed hujus naturalis exclusio expectanda, quoniam tunc simul ut plurimum ejicitur mola, aut si præter spem retineatur, tunc demùm vel manu Chirurgicâ, vel ope Pharmaceuticâ extrahenda, aut expellenda erit.

Quòd si sine ullâ fœtus suspicione adsit, id quod in primis fit, si scilicet ultra decem menses, aut ultra annum integrum in uterô persistat, tunc opera danda ut quantocyus ejiciatur.

In quem scopum omnia fortiora menses moventia, & partum difficilem accelerantia, ac denique omnia fœtum mortuum ejicentia, in usum vocanda.

His præmittenda subinde balnea, fomenta, inunctiones, injectiones clysmaticæ, & similes ex emollientibus paratæ; quæ vias laxent, uterum ejusque fibras, ac ambientes membranas tractabiliores & distentioni aptiores reddant.

Præparatis sic viis, conveniunt fortiora purgantia; quæ, uti notum est, simul potenter uterum stimulant qualia sunt, pilul. fœtidæ; pilul. de hierâ cum colocynthide, aut ejus extract. species diaturbith. cum Rhabarb. decoct. Senn. pulegii, Sabin. in serô lactis, ad aliquot dies haustum, quô ipsô Rulandus aliquot molas ejecit; Item extract. hellebor. extract. è trochisc. alhandal., & similia drasticotera internè usurpanda: His interdum per vomitoria feruntur suppetiæ: cùm vomitoria potentia sint ad excludenda in uterô contenta; sive sint antimonalia, quæ sane optima; sive sint vitriolata, sal vitrioli vomitivum, &c. quæ minùs commoda. His subinde addenda quæ pellunt fœtum, menses & similia; in primis ex sabinâ, bryoniâ, gentianâ, asarô, anethô & similibus; ex baccis itidem juniperi, ex semine nigellæ, ciceribus & aliis; quibus commodè cinnamomum; ac ejusdem aqua spirituosa, seu tinctura, aliaque ex cinnamomô ac canellâ remedia adduntur. Nam hæc potentia sunt ad promovendam ex uterô excretionem. Oleum destill. Sabinæ cum ol. still. caryophyllor. in eleosaccharum reducta, ac diutius continuata stimulum potentem inferunt. Vel fiat pulvis ex borrace, myrrhâ, castoreô & sale volatili succini, de quo

quo pulvere ʒß. in aquâ cinnamom. quotidie semel aut bis repetitis vicibus assumatur. Præ reliquis experimentum est pulvis secundinæ blandô igne exsiccatæ ad ʒj. in aquâ cinnamomi propinatus; & hoc est experimentum Hartmanni, commendatum insigniter Lindano, & adhuc usitatum Sylvio; Singularis est hæc secundina ad præternaturalia ex uterô pellenda. Aut fiant pilulæ ex trochiscor. de myrrhâ ʒj. Euphorbii, gr. iij. cum Syrup. de arthemisiâ, quæ pro y. dosibus, tres dies successivè hauriantur: nam & hæ potenter expellunt.

Hisce internis simul addantur externa: quorum operatio non mediocriter juvatur, si mulier simul motu, aut saltu similive exercitiô corpus agitet. Externè ergo præter clysteres emollientes in principio præmittendos, clysteres acres & fortiter stimulantes injiciendi, imprimis ex pulegio, matricariâ, sabinâ, pulpâ colocynth. in nodulô ligatâ, ac similibus. Item fiant injectiones uterinæ ex decoctô arthemisiæ & sabin. an. ʒix. in quibus addantur myrrh. & sagapeni an. ℈ii. ad ʒi cum castorei ℈i. quę mista per metronchytam, ut vocant, injiciantur in vaginam uteri. Condantur item pessi acuti ex galbani ℥ii. cum hellebor. alb. ʒii. qui violenter stimulant. fiat item suffitus ex scoriis reguli antimonialis martial. item ex decoctô sabinæ & colocinth. cum cinnam. galangâ & macere, suffitus ex anethô & cuminô ad desperatam molam commendatur à Corberô.

Super pubem & uteri regionem, præmissis inunctionibus ex emollientibus, fiant litus cum oleo diacolocynth. vel cheirinô & anethinô, additis paucis guttis olei destillati succini. Emplastrum denique ex fimô boviliô pectini impositum, ceu proficuum remedium commendatur à Forestô lib. 28. Observ. 61. His ipsis opera danda ut stimulatâ naturâ ejiciatur mola.

Quòd si non fiat, ad manualem chirurgi operam confugiendum erit, speculum uterinum applicandum vaginæ uteri, & orificium internum dilatandum, ac vel manu, vel instrumentis mola extrahenda. Enchirises pro tali operatione videatis in Hildani Cent. 2. Observ. 52. item in ejusdem epistolis.

Extractâ molâ, quacunque ratione subsequens hæmorrhagia, more consuetô in nimiis uteri hæmorrhagiis, erit compescenda. *Michael Ettmullerus in Collegio Practicô.*

Molarum extractio quomodo fiat.

Extractio molæ manu si necessario perficienda veniat, propter sui adhæsionem aliasvè causas, ea sic peragitur. Muliere eodem in situ collocata, qui pro fœtus mortui extractione quàm maximè conveniens est, Chirurgus manum in uterum insinuabit postquàm ejus orificium, per introductos paulatim, unumque post alium, digitos, & oleo, vel adipibus probè inunctos, satis fuerit dilatatum, molamque foras extrahet; quòd si tam magna fuerit, ut integra commodè exire nequeat, (quòd tamen rarum est, quandoquidem illa est corpus molle viis se faciliùs accommodans quàm ipse fętus) adhibebitur hamus, aut cultellus, pro ea vel extrahenda, vel in duas pluresve particulas, prout id necessitas exegerit, dispescenda. Si Chirurgus eam utero adhęrere agnoscat, separationem apice digitorum quàm blandè fieri poterit instituet, eos per illud latus quô minùs uterô adhæret sensim insinuando, eademque ratione pergendo, donec tota sit separata, advertendo interim, ne aliquid substantię ipsius uteri vel lædatur, vel laceretur. Atque hæc pauca circa operationem in molâ remediis non cedente, dicta, jam sufficiant.

Consultationes.

De Molâ & Fluore uterinô.

Nobilis mulier querebatur de Molâ, & uterinô profluviô, ut nulla esset conceptus spes. Hæc sunt præscripta.

Molæ & uterini profluvii tam frequentis causa videtur nimia sanguinis humidioris copia, quâ semen & ejus vis prolifica obruitur. Indiciô sunt menstrua copiosiora, & à molæ excretione, tanquam puerperia, per mensem integrum, eôque ampliùs fluentia. Itaque corpùs siccabitur victus ratione, medicamentis, & iis quæ provocant urinas & sudores, corporis exercitatione, fame, pauciore victû, & jusculorum abstinentiâ. Particulatim verò siccandus uterus, tum fotu, tum ceratis, quæ eam vim habent: nec menses interim movendi. vere & autumnô utetur decoctô radic. chinę. Aliquando è basilicâ sanguis parciùs adimetur. Si verò humidiore temperamento videbitur, semenque habere humidius, eadem ratione victûs utetur. Parcior sit venus, quâ tamen commodè utetur tribus aut quatuor diebus à mensium eruptione. *Gulielm. Ballonius Consiliorum Medicinalium lib. 1.*

De Molâ, Gravitate lumborum, Maculis, Inappetentia, Nausea, & vomitu. Pro Nobili Matronâ.

Quanquam difficillimum censeam de affectu Nobilis patientis certi quicquam statuere, quæ ad nonum usque mensem non obscura legitimę prægnationis præbens indicia, vigesimum tamen attigit, justum ejus tempus prætergressa: vitiosi tamen conceptus, & molæ suspicionem injicit, non sine magna sanguinis pituitosi, & melancholici copia, in utero coacervati: cùm molas, plures etiam annos gestari prodiderint Savonarala, Ludovicus Duretus in Coacas, & Ambrosius Paręus in Chirurgia magna. Quam causam censeo gravis illius doloris ad lumbos, ex uteri pondere ejus ligamenta divellente: necnon macularum lividarum efflorescentium, à sanguine melancholico, seu ichorosa materia in cutem effusis: tum & gravitatis à cibo: nauseę, & vomitus heterogeneæ materiæ, ex consensu ventriculi cibum non perfectè elaborantis. Nobilis autem Matronæ floridus color, indicio est, omnem vitiosorum humorum colluviem, cùm in utero concludi, tum ad ventriculum confluere, frequenti vomitu expurgandam.

Quæ cùm ita se habeant; potissimùm verò si quid certius constiterit de uteri osculo connivente, obstetricis testimonio, omni studio incumbendum, ut aliena hęc materia, quęcunque fuerit, ab utero exturbetur; attenuantibus, emollientibus, aperientibus, laxantibus, & uteri expultricem irritantibus.

Universalis itaque purgatio instituenda, non solùm dejectoriis, sed & vomitoriis, cùm vomitus non rarò vomitum sanet. Clysteres quinetiam carminativi, & acres frequenter præscribendi; non sine sanguinis eductione ex utraque saphena per vices; necnon cucurbitulę sine scarificatione cum multa flamma internis coxis sæpe affigendæ. A quibus interna menses moventia, & quidem validiora sunt usurpanda; trochisci scil. de myrrha, de capparibus, & de rhabarbaro; nec non triphera magna, Theriaca antiqua, & hujusmodi; cum decoctione artemisię, pulegii, capill. Vener. & sabinę; ex quibus herbis vinô albo generoso incoctis paratus fotus ex usu erit; ut & pessaria ex matricaria, pulegio, & sabina;

ſabina; atque ſuffitus ex aromatibus; ac tandem balneum ex matricaria, artemiſia, pulegio, ſabina, flòrib. chamęmeli & hujuſmodi, cum iñunctione ex oleo laurino, rutaceo, liliorum alborum cum aromatibus; moſcho, & ambra.

Exercendum corpus, atque omni ſtudio laxandus, & reſerandus uterus, ac materia excrementitia in eo redundans evacuanda. Quibus ſperare juvat fore ut priſtinę valetudini reſtituatur. *Bened. Silvaticus Conſil. & Reſponſ. Medic. Cent.* 4.

De Mola; Vteri inflatione; & Febre. Pro Spectabili Muliere.

Ex enaratis conjectare facile eſt juvenem hanc, fœcundam alioquin, quatuor abhinç menſibus concepiſſe, intumeſcentibus mammis, ſine ulla prorſus noxa toto quadrimeſtri ſuppreſſionis menſium decurſu: quem tamen conceptum molam potiùs, quàm legitimum fuiſſe cenſeo, cùm quarto menſe ſæviſſimus infimi ventris doloribus excruciata à variorum præſidiorum externo uſu corpus quoddam pilæ inſtar ejecerit cum copioſi ſanguinis profluvio: quę cauſa fuit, ut labefactato uteri calido innato, & vitioſis humoribus ad eum influentibus, in flatulentum tumorem elevatus ſit, cum rugitu quodam, & vago motu, ad coxas, & dorſum per ejus ligamenta diffuſo; non ſine aliqua humorum in eo concluſorum putredine, quę vapores in cor expirans gravem illam febrem induxit, cum virium languore; non raro quidem eventu; cùm febres ex utero continentes putridæ ſæpius ortum ducant, ob magna vaſa arterioſi, & venoſi generis, quibus perfunditur.

Affectus quidem graviſſimus, & difficillimæ curationis, cujus cauſa quid hactenus pręſtitum fuerit, cùm nobis non conſtet; quid deinceps facto opus ſit, brevibus attingam.

In quam rem, flatus diſcutiendi; evacuanda minera; præmiſſa humorum vitioſorum attenuatione, inciſione, ac purgatione; cùm univerſali, tum particulari ipſius uteri, non prętermiſſis refrigerantibus, & humectantibus, ratione febris; atque alimentis accommodatis vires foventibus. Quę pręſtabunt remedia Chirurgica, Pharmaceutica, & Diætetica.

In Chirurgicis primæ debentur ſanguinis miſſioni ex ſaphena, vel ex vena poplitis, durante menſium ſuppreſſione, vel eorundem ſtillicidio, de quo in morbi hiſtoria: quam non prohibet uteri inflatio: Quanquam enim calidum ejus innatum labe non vacet; calor tamen præter naturam ratione obſtructionum & putredinis acrior ſit; cujus causâ ęſtuat quàm maximè, ut proptereaGal. exemplo Lib. Cur. per Sang. miſſ. qui venam ſecuit mulieri hydrope laboranti, ex ſuppreſſis menſibus, hęc tundi poſſit in uteri inflatione, citra ullum periculum.

Inſeſſus quinetiam in lixivio, alterato flor. Chamęmel. anetho, pulegio, origano, matricaria, ſabina, mentha & abſinthio, ex uſu erunt, præmiſſa verò humorum præparatione, & purgatione hactenus fortè inſtituta; tria remediorum genera opportuna cenſeo. Primò quidem Tripheram ſine opio; cum ſpeciebus diarrhodon Abbatis; hauſta ſuper his decoctione ſem. citri contuſorum, cichorii, meliſſæ, capil. Ven. cum quatuor, vel quinque guttulis ſpiritûs vitrioli. Aliud eſt decoctum ex radice chinæ, cum modico ſaſſafras, in jure pulli alterati pulegio, borrag. & cichorio; præmiſſa drachma ſem. caſtorei, & trochiſc. de myrrha. Tandem uteri fotus ex vino albo montano iiſdem herbis alterato; vel clyſtetes uterini carminativi; applicato Emplaſtro regioni uteri, ex baccis lauri, ſeminibus cumini, & fœniculi contuſis; cum farina fabarum, & oleo liliorum alborum cum aromatibus quę flatus, & eorum mineram diſcutiant, juxta cum recta victus ratione. *Idem ibidem.*

De Mola. Pro Illuſtriſſima Marchioniſsâ.

Graviſſima equidem, & perobſcura eſt effluxio, quę octo abhinc annis Illuſtriſſimam Marchionem affligere cœpit; juvenem alioquin boni habitus, & integra valetudine: cui ut occurramus, duo potiſſimum nobis ſunt inquirenda. Primo quidem, numquid affectio hæc ſit legitimus abortus, formati fœtùs; vel molæ potiùs: tum quę ſit hujus cauſa. Quòd autem effluxionis potiùs, quàm arbortus nomine cenſenda ſit, ex eo patet quod ſex, aut ſeptem diebus à menſtruę purgationis periodo ſe prodat, cùm tamen fœtus pluribùs formetur; ex Ariſt. ſententia, 7. de Generatione Animalium; atque ex morbi hiſtoria conſtet, excretam fuiſſe per vices carnem membranoſam, albicantem, & globoſam; quę nec divelleretur in aqua, aut ægrè in filamenta diſſolveretur, & dirimeretur, certo molæ indicio, omnis membrorum formæ prorſus expertis: cùm tamen legitimus conceptus potiùs videri poſſit, quàm mola; quod hujus cauſa efficiens ſit viri ſemen corruptum, aut invalidum; cujus nullum in Illuſtriſſ. Marchione habemus indicium. Accedit, quòd molam comitatur fames pręter naturam, pica ſcil. quę nulla fuit: adde, quod mola diutius geſtatur, etiam ultra nonum menſem; cùm hęc effluxio contigerit primis ſtatim conceptionis diebus, ſexta nempe vel ſeptima; niſi quod aliquando in decimum octavum diem protrahi obſervatum eſt. Quòd ſi informis fuit ſine ullo membrorum rudimento, adſcribendum id fuerit brevi temporis ſpatio, quo conceptum ſemen retinetur; quod proinde ejus concretioni ſufficiat, non verò partium conformationi: ut propterea Pſaltria illa ab Hipp. Lib. de Natura Pueri memorata, quę ſe concepiſſe ex eo conjectans, quòd à congreſſu ſemen non effluxiſſet; eo ſollicitato ſaltu, & citato motu ſex poſt diebus genituram excuſſit; ab ipſo Hipp. obſervatam, & expreſſam. Ut ſi quis ovo crudo externam teſtam undique auferat; in quo interna membrana contentus humor pelluceat; ad hunc ferè modum ſe habebat liquor ille; & prętereà ruber erat, & rotundus. Conſpiciebantur autem fibrę albę, & tenues in mem brana, cum ſanie craſſa, & rubra contentæ, & ipſa membrana externa parte cruore ſugillatorum inſtar ſuffuſa erat; in cujus medio tenue quiddam extabat, quod mihi umbilicus eſſe videbatur &c. Ex quibus conſtat, in verò conceptu non ſtatim à principio conſpici aliquam membrorum conformationem. Neque molam hanc eſſe evincit, quod ex ſemine virili corrupto producatur; cùm in Illuſtr. Marchione aliqua forſan labe affici poſſit; niſi cum recentioribus ſtatuamus, concreſcere poſſe quandoque carneam hanc molem in mulieribus ſine viri conſuetudine; ac proinde abſque ulla illius ſeminis noxa: quod Medicorum plerique cenſent. Minus faceſſit negotii; quòd appetitus non fuerit depravatus; cùm à ſuccis corruptis in corpore redundantibus ortum ducat; prout aliquando in legitima prægnatione; qui in Nobiliſſ. Matrona non exuberant. Quòd autem mola longo temporis ſpatio quandoque geſtetur, fit ex firmiori ejus nexu cum utero; qui laxior cùm fuerit facili negotio ab irritata expultrice exturbatur: quę mihi perſuadent, abortum hunc eſſe potiùs molæ, quàm legitimi fœtus; ſi potiſſimùm non abſimilis fuerit illi, qui contingit circa decimum octavum conceptionis diem: quo ſanè temporis ſpatio aliquod partium rudimentum conſequi potuiſſet. Accedit, quod in effluxione illa Pſaltrię conſpectę fuerunt fibrę quædam albæ, & craſſæ, cruore craſſo, & rubro perfuſæ; atque & in hujus medio umbilici veſtigia, quæ in hac non fuerunt conſpicua; licet eam præclariſſimi Medici ſæpius ſpatulâ, aut volſellâ accuratiùs rimati ſint: quod tamen penes judicium fuerit Virorum doctiſſimorum, qui Madri-

ti, &Florentię eam sæpius magnâ diligentiâ inspexerunt.

Nec minùs in obscuro latet causa hujus affectionis Illustriss. Matronam continuè affligentis à primo legitimo, & maturo partu, novennio abhinc; cùm in muliebre profluvium referri possit, à primo illo puerperio in hanc usque diem ferè continuum, quod suppressum à menstruorum periodo, usu Aquarum Picuncellæ, & facta detersione materiæ excrementitiæ, recurrit, & adhucnum durat: necnon in sanguinem uberiùs manantem, post abortum quàm alioquin ex naturę lege, quolibet mense: quarum tamen neutram censeo esse causam immediatam: non quidem primam, quod fluor ille parcior semper sit, & in totum ferè subsistat: nec alteram; quia non raro accidit, ut sanguis majori copia, facta conceptione effluat; quàm antea; cùm tunc uberiùs ad uterum influat, formando, & alendo fœtui; ut propterea, juxta cum Viris Pręclariss. non aliam agnoscam, quàm imbecillitatem retentricis uteri; cùm nulla se prodat acrimonia, quę expultricem irritare possit; atque ab omni prorsus motu abstinuerit Illustriss. Matrona utero gerens, abortus metu. Imbecillitatis verò autor est intemperies frigida, & humida ejusdem uteri, laxatis illius ligamentis à continuo muliebri profluvio, modò copiosiori, modò parciori; cùm languidioris ejus caloris indicium præbeat luculentum primus Illustriss. Matronæ puellæ partus, quę frequentibus, & gravissimis epilepticis insultibus convulsa, sex post mensibus extincta est. Retentricis autem uteri imbecillitatem fovere potuerit intempestivus veneris usus, fluentibus adhuc lochiis; quam forsitan auxerunt, cùm frequentes fluxiones, tum continuus ferè proventus serosę humiditatis in ipso utero, & venoso genere, necnon in ventriculo, à quibus in caput exhalantibus, vertigo quædam & capitis gravitas induci potest; prout ab iisdem in utero conclusis, madet semper ejus substantia, languescitque calor nativus; atque infarcta vasorum oscula, quę cotyledones Hyppocr. lenta, & mucosa pituita, fætum præ pondere continere non possunt, Hipp. testimonio 5. Aph. 45. Quorum causâ Nobilissima Matrona vel non concipit; ex Hipp. 5. Aph. 62. prout contigit triennii spatio, à primo legitimo partu; vel conceptus saltem excidit statim, qui tamen legitimus non est; accedente forsan Illustriss. Marchionis imbecilliori semine.

Ex quibus luce clarius patet, difficillimum fore, ut Illustriss. Matrona perfectum, & legitimum fœtum ad partûs justum tempus perducat; cujus tamen aliquam spem facit florida ejus ætas, Illustriss. Marchionis consistens adhuc; cujus firma corporis constitutio.

Age igitur, ac pręmissa universali purgatione accommodatis præparantibus, & purgantibus redundantem pituitam, & serositatem melancholicam, misso in primis sanguine medio tempore ex vena jecoraria, adhibeantur moderatè calefacientia, & validiora exsiccantia, non sine aliqua subadstrictione, roborando utero.

Materias remediorum præparantium, & purgantium consultò pęetereo, ut notissimas Viris præclarissimis, affectionis hujus curationi præfectis: nisi quod hiera picra Galeni, majoris detersionis causâ; & cremor tartari non omninò sint prætermittenda; atque in purgantibus, missis validioribus, inhęrendum sit agarico, sennæ, & rhabarbaro. Ab hac verò totius accurata purgatione, mihi quàm maximè commendatur repetitus decocti usus ex ligno Indico, & radice chinæ, cum lentisco, & modico sassaffras, parati in jure columbæ turriolæ, additis betonicâ, stœchade, calamenthâ, & cichorio, missis aliis refrigerantibus, cum levi sudore: cujus ope, ut & purgantium, diureticorum, & frictionum, sanavit Gal. uxorem Boëti fluore muliebri, gravissimo, & antiquo laborantem. Quod si Illustriss. Matronę pręstò essent Aquę Thermales sulfureæ; Lucenses scil. & potissimùm nostræ Aponitanę, curatio harum usu absolvi posset, potu, balneo, & insessu; immissa pro more in uteri vaginam cannula illa foraminibus pervia; cujus calorem nativum fovebunt Lutæ magni balnei D. Petri, aut D. Helenæ ipsius regioni applicita, cum capsula, supposito linteo raro, semel per diem, horæ spatio, & diutiùs. Quę quidem præsidia naturalia quibuslibet aliis arte paratis præcellunt; non prætermissis conservis, fomentis, injectionibus, & aliis uteri intemperiem contemperantibus, & adstringentibus, non tamen frigidioribus, & impensiùs adstringentibus, ne serosas & pituiosas materias in penitiores ejus partes impingant, immixtis semper à proprietate juvantibus.

Quibus respondeat recta victus ratio: quam ut notissimam brevitatis studio prætermitto. Atque hæc potiora censuimus, quibus voti compotes fiant Illustriss. Conjuges, & optata lætentur prole. Quod faciliùs continget, si Illustriss. Marchio levem quandam purgationem admiserit; corroboraro calore ejus innato. Succedente verò conceptione, non præter rem censerem aliquam sanguinis missionem ex partibus superioribus, antehàc administratam; ea lege ut liberalior sit per vices, & repetita quolibet octavo, vel decimo die primò quidem ex jecoraria dextra, tum ex sinistra. *Idem ibidem.*

De Mola Pro Nobili Matrona.

Cùm matrona Nobilis, temperamenti calidi, & humidi, floridi coloris, habitior paulò, sæpius antehac conceperit sine ulla noxa, & lacte in mammis; editâ quinetiam in lucem sæpius utriusque sexus prole; abortum aliquoties perpessa, decem abhinc annis concipere desiit, menstruis, licet ex naturæ præscripto semper fluentibus; discussa medicamentorum ope levi quadam duritie octo abhinc mensibus in dextro hypochondrio suborta. Decimus quintus verò agitur mensis, cùm menstrua illi subsliterunt per duos menses; atque tertio non sine gravi suspicione prægnationis; cùm potissimùm majori in dies incremento intumuerit; atque idem motus in ipso manifestus fuerit, quem antehac dum fœtaret, percepit; mensibus citra ullam offensionem subsistentibus. Quanquam verò ex signis quæ se produnt, ipsam non concepisse conjectari posset, quod decem abhinc annis non conceperit, atque menses hac ætate non fluxerint, quia alioquin ex naturæ lege plerumque sisti solent, in habitioribus potissimùm, citra ullum incommodum; contrarium tamen præfata illa accidentia suadent; & potissimùm quod mensium suppressio repentina nullum invexerit symptoma; illis parciùs fluentibus tertio mense; ac postmodum prorsus subsistentibus citra aliquam noxam: quorum causa statuendum omnino censeo, juxta cum Viro Præclarissimo, Nobil. Matronam concepisse; cùm earum in primis suppetant exempla, quæ per decem, & plures annos infœcundæ postmodum conceperunt. Numquid verò fœtus, vel mola gestetur, non abs re hæsit Vir Pręclariss. nondum exactò decimo mense prægnationis; cùm rariùs partus undecimum attingant, quanquam molam potiùs quàm legitimum fœtum statuendum, censeam, aut aliud quid pręter naturam, cùm sola hæc tremuli cujusdam motus autor sit; vitalis scil. atque diutius utero gestari possit, incolumi alioquin muliere & coloris floridi: in qua pondus, stante muliere, in inguina procumbit: & quæ devolvitur in quodcunque latus decubuerit mulier; doloris cujusdam lumborum causa, ex concitato corporis motu; cùm grandior est, ratione ligamentorum ipsius uteri. Cùm autem hujus causa sit sanguis menstruus crudior, à semine minùs elaboratus, facili negotio hac ętate, & temperamento hùc succrescere potuit.

Quę nonnisi aliquo temporis spatio, & magno labore exturbari poterit; cùm potissimùm uterus facilè

ferat

ferat ejus consortium, citra ullum parientis incommodum, cujus causâ per annos quandoque gestari consuevit.

Non tamen supersedendum censeo medicis præsidiis, quæ ipsam excutiant; quà irritatâ uteri expultrice; quà laxata ejusdem retentrice; cùm periculum alioquin immineat, ne vel putrescens in utero, febrem, & mortem tandem invehat; vel in ampliorem molem excrescat non sine graviorum symptomatum metu.

Universum itaque corpus accuratè expurgandum; præscriptis attenuantibus, & incidentibus validioribus; putà oxymel. scyll. syr. de hyssopo, & de artemisia, capill. Vener. quę excipiant validiora purgantia, pil. scil. de hiera cum agarico, & aggregativę; & demum hieræ magnæ; non omissis quandoque vomitoriis validioribus; quandoque verò clysteribus acribus, ex colocynthide, centaurio, beta, & mercuriali, cum el. de bened. laxativa, mell. ros. sol. & oleo amygd. atque sternutamento sæpius repetito. À quibus, ad validiora interna & externa progrediendum censeo. In internis erunt, decoctum paratum ex ciceribus rubris, cinnamomo, ammomo, aristolochia, sabina, iride, & nepeta, cum melle, tum bolus ex opoponace, sagapeno, & castoreo, addito semine dauci, & seseleos, cum aqua melissophylli, vel drach. 1. myrrhæ, cum mulsa; & alia hujusmodi. Externa, suffitus aromatum, muliebria ducens; pessarium item paratum ex Therebinthinâ, styrace, myrrha, sabina pulverizata & melle despumato, vel aristolochia, abrotanum, sabina, & semen rutę pulverizatum, & inclusum in sericea sindone rariori, pessarii formâ; quod oleo liliorum alborum imbuendum, & in vagina uteri detinendum; fiantque frequentes uteri inunctiones, oleo irino, chamęmelino, & liliaceo; necnon insessus in Aqua communi; cui incoctę fuerint eędem herbæ, vel hujusmodi aperientes, & laxantes; injectiones item uterinę ex iisdem oleis.

Quibus accedat vehementior corporis motus curru, per loca confragosa, & aspera rapidissime citato; quo disruptis molę ligamentis faciliùs excutiatur, *Idem ibidem.*

De Pluribus Molis; linguæ Paralysi, & Cachexia Pro Illustriss. Comite.

Portento sanè simile est, quod à Viro Præclatiss. oculata fide nobis narratum, Illustriss. scil. Comitem, quadragenariam plures quàm centum quinquaginta molas unico partu edidisse, variæ quidem figurę, lacertarum, cochlearum, & cancrorum fluviatilium, non sine profuso sanguinis fluxu. A quibus, linguę paralysi correpta est, & totius corporis stupore; cum cachexia & muliebri profluvio, quibus adhuc num afficitur, linguę, & totius corporis motu incolumi; quorum causâ nostram implorat opem, quo pristinam valetudinem consequatur.

Supponendum itaque, harum Molarum efficientem causam non solùm fuisse invalidum virile semen: in quod potissimùm refertur ab Hipp. Arist. Gal. & aliis Medicinę Scriptoribus; sed & sanguinem crudiorem, in quadragenaria, temperamenti humidioris redundantem: quem in Virginibus quinetiam, cum muliebri semine, solam censent molarum causam plerique Medicinæ Scriptores: quanquam eas vitâ carere sine maris semine, communi doctissimorum Virorum sententia receptum sit; nisi ab incubis ortum ducant, quod aliquando contigisse prodidit Marcellus Donatus, lib. 5. de Historia Medica Mirabili, sub finem Cap. 25. ubi molas vitæ expertes memorat; à solo muliebri semine conceptas monstrosas; & vitales, ex congressu genitas. Statuendum propterea, in Matrona Nobilissima magnum pituitæ, & serositatis proventum succrevisse, ob labefactatum calidum innatum cerebri, jecoris, & ventriculi habitûs cachectici, & muliebris profluvii causam; cùm cachexia sit intumescentia, modò totius corporis; modò faciei tantùm, & oculorum, aliquando verò manuum, ac pedum, cum pallore: cujus aliam non agnoscit causam Galenus, quam sanguinem crudum, & pituitosum in imbecillo jecore genitum: quæ proinde vel est via ad hydropem, vel ipsius principium. Neque muliebris profluvii alia fuerit causa, quàm idem sanguis crudior, & serosus, ad uterum influens; accedente imbecillitate caloris innati ejusdem, hujus materię feraci; cujus ratione tum muliebre nuncupandum, ex ejus decubitu à toto venoso genere; tum uterinum, ex eadem in ipso utero genita. Paralysis autem linguæ; & totius corporis stupor, ortum facilè ducere potuit à mœrore concepto ex partubus adeò monstrosis; juxtà Divini Hippocr. effatum, sect. 7. Aphorism. Quadrag. Quibus derepente lingua fit incontinens; aut pars aliqua corporis attonita stupet, est signum melancholicum; ac proinde statim cedens; quanquam admitti quineriam possit levis obstructio nervosæ substantiæ; quę vesicantium, aliorumque validiorum revellentium ope facilè cessit.

Uterque verò priorum affectuum gravissimus est; cùm hydropem minetur; atque curationis difficilis; cùm languidioris calidi innati viscerum principum soboles sit, in Matrona potissimùm consistentis ętatis.

His itaque curandis, inhærendum evacuantibus, divertentibus, & roborantibus internis, & externis, ex fonte Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico depromptis.

In Chirurgicis, primas obtinent frequentes asperæ frictiones totius corporis, qua prorsus ratione ipsis usus fuit Gal. in cura uxoris Boëti muliebri profluvio laborantis, Libro de Pręcognitione ad Posthumum; cùm sanguinis missioni nullus sit locus, ob ejusdem profluvium jam memoratum.

Pharmaceutica erunt Attenuantia, Purgantia, Diuretica, Sudorifica, & Roborantia, præmissis lenientibus, manna scil. electa, & mechoacan, & exhibitis syrupis ex oxymel. scyl. syr. de hyssopo, de prassio, de mentha, & de absinthio; cum pauco diluto. Purgandi humores pilulis de hiera cum agar. vel de hiera diacolocynthidos; non neglectis levioribus, & validioribus hydragogis; & potissimùm elaterio, ad gr. duo, immixto pilulis alœphanginis; cùm eadem sit curatio cachexię, quę ascitis, à qua differt tantùm secundùm magis & minus. Quod si Illustr. Matrona vomitum facilem habuerit, non abs re censerem illum sollicitare quandoque radice asari, floribus genistæ; vel hujusmodi: quippe qui ab utero revellat. A quibus decoctum aliquod pręscribendum ex ligno sassafras, lentisco, & medulla ligni Indici, cum radicibus fœniculi, asparagi, & rusci; necnon seminibus cumini, anisi & dauci, mentha, absinthio, & matricaria; paratum cum gallo juniore saliro, præmisso bolo ex trochiscis Cypheos, de eupathorio, & terebinthina Cypria. In quibus & dialacca, diacurcuma, lithospermum erunt ex usu; illi instillatis quinque, aut sex guttulis spir. vitrioli, vel spir. salis. Cujus usus erit tres, vel quatuor hebdomadas, sollicitato sudore semel per diem, doliolis aquâ hydroticâ fervidâ repletis; vel etiam pane furfuraceo à furno recenti: atque octavo quolibet die exhibito purgante medicamento, cum victu tenui, & attenuante; in quo condiatur panis seminibus fœniculi, coriandri præparari, & ameos, & quibusdam aromatibus. Vinum verò sit modicè generosum, tenuis substantię, & montanum; quod interim medicatum parari poterit ex iisdem, quę decoctum constituunt; quod tota hyeme pro potu erit. Tandem visceribus principibus corroborandis, magnis antidotis locus erit: Theriacæ scil. & Mitridaticæ confectioni, pręscripto victu

attenuante, exsiccante, & boni nutrimenti, aromatibus condito: cujus cura penes Viros Præclariss. fuerit. *Idem ibidem.*

Ad prohibendum Abortum, ac Molæ generationem, & de aliis Affectibus. Pro illustriss. Maria Marsi, Lucensi. Ad Virum Doctissimum Franciscum Mariam Floreminum, Medicum Lucensem.

Apollineæ Artis Oraculum consulentibus fœcundæ prolis causâ à Præclar. Viri sententia doctrina & usu Artis præstantis, qui omnia accidentia accuratissimè observavit, recedendum non censeo, atque enarrata conceptionis vitia in morbosam Nobil. Matronæ constitutionem potiùs quàm Nobilis ejus conjugis affectiones referenda, cùm femella abortu exclusa impurioris sanguinis indicium præbeat, maturiores verò partus, ab imbecilliori retentrice, ob exuberantem humiditatem ortum ducant, prout exomphalos ille gravis in illorum duobus atque tertio immaturiori subortus, eandem causam; juxta cum serosę materiæ affluxu agnoscit. De mola verò gravior occurrit difficultas, numquid scil. virilis seminis, vel sanguinis menstrui vitio producta sit, cùm divinus Hippocrates juxta cum Peripateticorum Principe, virilis seminis labem ejus causam statuat, dum prodidit, molam fieri, cùm multi menses exiguum, & morbosum semen excipiunt, qui copiosi menses non sunt præter naturam, quale semen est vitiosum: ut propterea hujus causa princeps in seminis noxam sit referenda, in qua potissimùm vis formatrix viget, quæ in conceptione informis molæ languet omninò, ac proinde in Illustr. Viri morbosam dispositionem, quam tamen in Nobili Matrona potiùs admiserim, triplicem potissimùm ob causam: primò quidem, quod meâ sententiâ mater in fœtûs formatione efficientis quoquè rationem obtineat, atque ejus semen mixtum cum virili vi formatrice præditum sit, hoc indicio, quòd filiorum aliqui matri potiùs sint similes, quàm patri, ac proinde in Nobili Matrona non possit esse perfectè adeò elaboratum, & spiritu vivifico fœcundum. Secunda causa est, quòd licet concedamus non concurrere cum virili semine, admitti saltem debeat, uterum hoc receptum fovere, & conservare, qui proinde nisi optima præditus fuerit temperie, quæ in Nob. Matrona desideratur, vitiosis humoribus redundantibus, facilè virile semen corrumpere possit, qua prorsus ratione locus conservat locatum secundùm naturam constitutus; quod vicissim corrumpit, cùm est inqi inatus. Tertiò, quia si quandoque producitur mola à redundante sanguine menstruo; potiori ratione corrumpi poterit semen ab eodem crasso, pituitoso, & vitioso; cujus magnus est proventus in Nobili Patiente humidioris temperamenti, & coloris pallidi, cum palpebrarum intumescentia; cujus ventriculus crudiorum humorum ferax est; atque menstruæ purgationes decolores, & parcę; quæ antehac pallescebant: quibus accedunt dolores capitis, & comatosa affectio, apoplexię affinis, quibus laboravit antehac; necnon editæ molæ membranosę, quæ pauca carne constant; crudiorum humorum, & pituitosorum indicia, quæ vim seminis facilè obruere possunt.

Quæ cùm ita se habeant atque fœtus numquam labe omnino vacuaverint, immaturè proinde editi, aut statim ab ortu extincti, nonnisi multo labore causæ morbificæ jam confirmatæ removeri poterunt: aliqua tamen spe concepta, fore ut Medicis præsidiis adeò infringantur, ut fœtus etiam perfectos, ac vitales paritura sit.

Quod ut consequamur, totum corpus est accuratissimè expurgandum; caput peculiariter evacuandum; ventriculus à cruditatibus emundandus; ac tandem totum corpus, caput, ventriculus, & uterus omni studio exsiccanda, & moderatè calefacienda; misso interea venereo congressu, ut & tempore purgationis, Vere scil. ne interpellat curationem.

Tunc autem toti accuratiùs expurgando, sanguinis nonnihil ex jecoraria mittendum fuerit, longiùs à menstruę purgationis periodo; atque urgente admodum catarrho fonticulus sinistro brachio erit inurendus, quo alioquin supersedendum erit.

In Pharmaceuticis, leniatur alvus electuario lenitivo, cum speciebus hieræ picræ Galeni; necnon familiari usu pil. mastichinarum, & ex Aloë succo rosarum lota. Primi syr. sine diluto exhibeantur, oxymel. scil. simplex, syrup. de hyssopo, & de corticibus citri; cum modica emulsione seminum citri, per quinque dies circiter à quibus purgentur mox humores electuario lenitivo, diaphœnico, & modico agarico trochiscato; cum speciebus hieræ. Repetenda verò pręparatio syr. compositis, de prassio, de betonica, & oxymelite compositis; atque absolvenda purgatio pilulis de hiera cum agarico, & aggregativis. Ab his Aqua Tettuccina alternato usu aliquot dies cum melle ros. sol. & cremore tartari, expurgando validius, & detergendo ventriculo maximè commendatur. Caput interim peculiariter expurgandum per nares, & os; paratis turundis ex radice cyclaminis, in nares immittendis; & masticatoriis, ex mastiche, staphyde agria, pyrethro, & zingibere, cum cera, & saccharo. A quorum usu pregrediendum ad alterantia interna, & externa. In internorum censu duo mihi maximè commendantur, decoctum scil. ex ligno indico, visco quercino, & lentisco, eadem omnium dosi, cum modico sassafras, & herbis cephalicis, stomachicis, & uterinis, paratum cum columba turricola; præmisso bolo ex triphera, succo absinthii concreto, & speciebus diarrhodon Abb. cum syr. de artemesia; cujus usus erit viginti, & plures dies, cum blando hypocausti sudore. Aliud erit, usus Aquarum Thermalium sulphurearum, vel in patria; vel nostrarum Aponuarum; quarum præsens vis est in fœcunditate reparanda; per quindecim dies circiter, ad libras sex; primò addita quotidie libra, ad duodecim, usque; imminuta postea dosi ad minimam; præmisso semper syr. de artemisia; de capillo Veneris, cum drach. 1. semin. fœniculi pulverizati; ea lege, ut permeent. Tandem hydragogo evacuandæ aquæ; pręscriptis deinde conservis stomacho, & utero dicatis. Externa erunt fomenta ventriculi, & totius ventris inferioris, ex vino generoso; cui incocta fuerint absinthium, calamintha, scordium & dictamnus Creticus; addito aceto, & sale, bis per diem; facta postmodùm ejus inunctione oleo mastichino, rutaceo, costino, & lentiscino; non neglectis frequentibus picationibus totius ventris inferioris. Utero verò suffitus aromatum, Capiti, pulveres capitales exsiccantes ex usu erunt: omnium tamen maximè Aquę Thermales sulphureæ, & nitrosę, cum stillicidii formâ capiti, ventriculo, & toti abdomini affusæ, tum insessu, utero adhibitæ, cannula foraminibus pervia in ejus cervicem immissa, non omissis à proprietate juvantibus, cum victus ratione, quę his respondeat, exsiccante scilicet. Quæ potissima habui in salutem Illustriss. Patientis. *Idem ibidem.*

De iisdem Affectibus. Pro eadem illustrissima Matrona.

Quæ brevibus enarrata sunt à Viro Clar. literis ad nos datis, meam firmant sententiam, quòd humiditas exuperans in capite, ventriculo, utero, quinimo in toto corpore Nob. Matronæ cum nativi caloris languore, non solùm abortuum, molæ, umbilici prominentiæ, & aliorum vitiosorum partuum sit autor; sed etiam cachexię, fluoris muliebris, ischiadis, & universalis arthritidis,

dis, qua diutius atrocissimè torquetur. Numquid verò quid divinum, & occultum lateat, penes judicium Viri Excellent. fuerit; qui nascentes affectus accuratiùs observare poterit.

Quicquid tamen fuerit, accommodata remedia, validiùs exsiccantia, moderatè calefacientia, & à proprietate omninò exigi censeo; intermisso in primis venereo congressu, ne concepto fœtu perfectæ curationi instituendæ remoram objiciat: in qua corpus universum expurgandum accuratissimè, non simplici tantùm, sed dupli ci, & triplici adhibita præparatione, & humorum purgatione, viribus semper consulendo.

In hac verò purgatione sanguis iterum educendus cùm ex jecoraria, longiùs à mensium periodo, tum ex saphena, statim ab ipsis; atque præter fonticulum brachii sinistri, alter dextro interno femori inurendus erit, nisi aliis remediis administrandis cesserit affectus.

Ab accurata verò totius, & capitis purgatione, nullum remedium accommodatius censeo decocto ex ligno Indico, & salsa parilla, parato cum columba turricola, ratione ventriculi; simplicissimo alioquin, quo validiùs occultos, & refractarios morbos superare possit: cujus usus erit per quadraginta minimùm dies cum victu tenui, pro virium modo, & exsiccante; misso vini usu; cujus loco erit mulsa diluta, parata ex superstite decocti materia; à quo semel, aut bis per diem sudor eliciendus, pro tolerantia Nob. Patientis, subacto pane biscocto aquâ medicatâ ex eodem superstite ligno; atque octavo quolibet die exhibito purgante medicamento, cum sublimato dulci, ad grana 12. per vices, citatâ in primis alvo vacuis diebus, modò clystere epiceraftico, modò electuario de prunis sol. modò infusione sennę, in eodem decocto. A quibus, ventriculo, & utero consulendum erit, stillicidio, insessu, fomentis & inunctionibus, Viro doctissimo quàm notissimis, cui sapienti sat pauca. *Idem ibidem.*

De Abortibus frequentibus, & Mola, aliisque gravibus symptomatibus. Pro Nobili Matrona Lucensi

Syndrome malorum à decennio ferè Nobiliss. Matronam infestantium post nuptias, adeò disertè, & accuratè enarrata fuit à Viro Præclarissimo, & Artis peritissimo, ut eandem repetere supervacuum sit, ac proinde juxtà cum ipso statuendum censeam, uterum esse partem per se, primò, & essentialiter affectam, quę tamen affectionis suę causam aliunde derivet, necnon jecur ipsum: cæteras verò partes per consensum, ex quorum viscerum morbosa affectione, omnia postmodùm emanant symptomata. Quæ causa forsan fuerit, cur affectus præsentes sint adeò refractarii, qui invalescunt potiùs Autumno, & Hieme; quàm Vere, & Æstate; quanquàm & præsenti anno etiam ęstate Nobil. Matrona graviùs illis fuerit conflictata. Uteri autem affectio primo semestri conjugii se prodidit immaturo trium mensium partu, sive fuerit formatus fœtus sive mola, quam primo triennio bis exclusit, necnon tumore, & dolore non rarò recurrente in sinistra parte infimi ventris, qua sinistrum uteri cornu, vel etiam testis retrahitur. Accedit, quòd menstruæ purgationes primis annis liberè erumpentes, parciùs postmodum fluxerunt, penitus quandoque suppressæ; necnon, quòd meliùs habere visa est ab usu linimenti ex colophonia, & petroleo ventri inferiori, & pubi appliciti: quanquam & progressu temporis non fuerit juvamento; quibus adde difficilem respirationem, privationem sensûs & motûs; totius corporis convulsivos motus, & dolores capitis lancinantes, deliria, aliaque hujusmodi symptomata, hysterica plurimùm; quibus cedentibus convalescere videntur patientes. Uteri autem affectionem duplicem agnoscimus, ipsius scil. intemperiem calidiorem; cum copioso sanguine; qui molæ plerumque est causa efficiens, juxtà cum corrupto semine, dum à calore attractus in carneam molem informem concrescit, languente facultate seminis formatrice; cujus redundantis indicia præbent præteritæ hæmorrhagię diuturnę, & frequentes. Intemperiem verò memoratam comitantur obstructiones, pituitosi sanguinis soboles; qui ibi conclusus, & in vapores conversus, tumorem illum cum dolore excitat, in ilio sinistro conspicuum. Nec solùm essentialiter laborat uterus, sed & hepar sanguinis officina; quæ causa fuit cachexię à principio morbi, diarrhϾ diuturnæ; sudoris profusissimi ex balnei usu, & urinę potùm copia longè superantia. Quanquam verò jecoris intemperies frigida censeri possit, ex labefactato calido ipsius innato, calida tamen affici potiùs crediderim, quæ purioris sanguinis loco ichorosum gignat; cujus meminit Hippocr. 2. in 6. Epidem. & Gal. in Comm. quod scil. non solùm sit tenuis, & aquosus, sed virulentę insuper, & malignæ cujusdam qualitatis particeps, sanguinis potissimùm melancholici soboles; qualis in Nobilissima Matrona redundat hoc indicio, quòd supra sexum literarum studio sit addicta, tum quòd ulcus subortum sit, cum dolore, maculis livescentibus, & subatris totò corpore efflorescentibus; necnon quòd medica præsidia noxę potiùs sint. Quibus accedunt vigilię, & variis phantasmatibus interruptus somnus; de quo tamen certius judicium feret pręsens Vir Excell. cui nota est intemperies Nobiliss. Matronę, & vitę ejus ratio antequam nuberet; de quibus nihil mihi constat. Hic autem sanguis melancholicus, & ichorosus inculcatus & impactus in uteri venis, cum bilioso potissimùm mixtus, fieri non potest quin aliis partibus auram veluti quandam veneni participem, putridam, & tetram afflet, convulsivi motus, pręfocationis uterinæ, delirii, & omnium malorum autorem, quibus accedunt variæ febres, pro variis humoribus crudis in ventriculo coacervatis, necnon biliosis, & atrabilaribus à fervido jecore transmissis. Quibus ita habentibus, facilè patet ratio durationis harum affectionum, cùm humor melancholicus in atram bilem facessens, vel ad eam vergens sit omnium contumacissimus, si accedat in primis hæreditaria dispositio, quam nunc vigere accipimus, ingravescit verò potiùs Autumno, & hieme, duplicem ob causam, primò quidem ob æstatis præteritæ æstum, melancholię feracem, cujus causâ quartanę, & alii morbi ex melancholia Autumno frequentiùs invadunt, tum ob prohibitam eo tempore horum humorum difflationem, per insensibilem transpirationem, occlusis cutis poris.

Ex quibus horum affectuum patet eventus, qui difficillimæ erunt curationis, si potissimùm divinum quid ipsis accedat, non sine spe tamen futurę sanationis eorum, juxta Hippocratis effatum: Morbi connutriti in senecta desinunt, quorum scil. causa est calida, quæ decursu temporis languescit.

His itaque curandis inhęrendum alimentis refrigerantibus, & humectantibus; in quibus lactis usus mihi maximè commendatur, nisi rensa fuerint hypochondria. Peregrinationes quinetiam ex usu erunt, necnon injectiones quædam uterinę temperatę, missis aliis validioribus præsidiis; pręter sanguinis missionem, modò ex saphena, modò ex venis sedalibus, ablegatis omnibus calidioribus exsiccantibus, cùm noxę illi fuerint. *Idem ibidem.*

Mola Aquosa, & Mensium imminutio, cum aliis Symptomatibus.

Articulorum dolor genuum præcipuè, per intervalla succedens, stomachi molestia pene continua, tristis, & fere assidua capitis sensatio, frequens pituitæ vomitus, tum noctu, tum interdiu perturbans, viscerum insignis obstructio, ventris inflatio, cum laterum gravitate, incerti & inordinati Menstruorum eventus, potissimę sunt affectiones, à quibus Nobil. Patiens diutius affligitur, & à quibus expediri desiderans, jam sexdecim abhinc mensibus Purgationem Patavii primùm iniisse commemorat; qua nondum absolutâ, neque adhuc obstructionibus integre eversis, quia Conjugis discessus urgebat, sine usu Balnei per aliquot dies discedere voluit, ac, postmodum acquiescens consilio, ut cùm in Patriam rediisset opportunis repetitis auxiliis, ad potum aquæ B. V. deveniret, eam per tres tantum dies cœpit assumere; sed quia ob fervescentis Solis æstum longiùs advecta putruerat, ita ut ori nauseam, & stomacho molestiam induceret; ideo ad Nocerianas aquas lubentiùs confugit; sed ab his etiam, aliquibus transactis diebus abstinuit; tum quia ad nundinas extra Urbem profecta, domum rediens, è curru dejecta est, toto concussa corpore, capite præsertim & facie: tunc interim hujus usum omittere satiùs creditum est, tum quia per tres fere menses, Menstruis deficientibus paulatim venter intumescebat cum insigni duritie, circa Uteri regionem præcipuè: frequenter & fere quotidie, antequam è lecto consurgeret, vel statim ac surrexisset, vel in prima cibi, aut potûs assumptione, aquę plurimum evomebat. Si scalas ascenderet: respirandi difficultate & gravitate anhelitûs premebatur; assiduus renum & laterum dolor vexabat, insignis appetitûs dejectio, mammarum tumor ęqualis; optimus atque jucundus faciei, & universi corporis color, gravidationis indicia credebantur, & me cautum reddebant, ne id fortasse contingeret in remediorum progressu, quod de Studiosi & Docti Medici Uxore narrat Zacutus, ibi adducto gravissimorum Auctorum contextu. Hoc tempore tubercula tam in brachiis, quàm in cruribus eruperunt, quæ sponte postmodum evanescendo, maculas & impressa in cute vestigia relinquebant, nec ullo remediorum usu ad pus unquam deduci potuerunt, ut in aliquibus tentatum est: laxa etenim effecta solummodo, per incisionem paucis effusis sanguinis guttulis sanabantur. Prędictorum igitur symptomatum causa, invalescens quotidie prægnationis suspicio, à validiori Curatione animum diu revocavit, qua certo & multiplici affectui prospicere potuissem. Sed has inter anxietates Menstruorum exitus qui circa finem tertii mensis apparuit, ampliùs dubitandi ansam eripuit; & sic imposterum aliquando alternis Lunationibus, tum magis, tum minùs, aliquando nihil per aliquot menses effluxit, donec post varia & assidua habita ruri exercitia, post frequentes agitationes quibus aut in rheda, aut in cisio, tota æstate vagata est, tandem Septembris initio, cum per mensem integrum Menstrua destitissent, imminente Purgationis tempore, aliquot tantùm sanguinis guttas effudit: sed noctu, dum crederet ab Utero sanguinem ultra modum erupuisse, manè maximam purę aquę copiam ex ipso effusam esse comperit (non minùs, ac Mulieri à Fernelio memoratę contigerit) quæ per plures etiam dies paulatim atque guttatim destillare non desiit, donec in pręsentiarum atri ac nigerrimi sanguinis quantitas per tres dies feliciter exiit. Sed recensitis adhuc perdurantibus affectionibus & earum symtomatibus, prout compendiario huc usque propofui, atque recensui, cùm maxima illi sit, non tam salutis proprię, quàm suscipiendæ Prolis aviditas, ac universi corporis, maximè præsens Uteri status tam arduè repugnet, Patientis desiderio & repetitis instantiis obsequens, ad Sapientiss. tuam Doctrinam, veluti ad Apollinis Aram.

Venimus huc lapsis quæsitum Oracula rebus.

Dum Viri Excellentiss. exactissima relatio de statu Illustriss. atque Excellentiss. Marchion. ad meas manus pervenit, in mentem venit me eandem hîc Patavii vidisse, valetudinariam vitam ducentem, ejusque abdomen tetigisse, obstructiones in mesenterio potissimùm, sed & in cæteris visceribus continens, cum Mensium imminutione & symptomatibus hypochondriacis. Pro quibus debellandis aut saltem magna ex parte imminuendis, fuit inita Purgatio; quę tamen ob Conjugis statum insalubrem atque morbosum, periculi plenum, ritè & rectè expleti non potuit: ideoque mirum non est, si felicem & optatum finem consecuti non fuimus; sed potiùs ipsius status in deteriorem lapsus, dum neque isthic pro corrigenda hepatis, sanguinis, & renum calida intemperie medicis intentionibus satisfactum est, & ita pravi sanguinis apparatus in toto venoso genere congestus fuit, qui ideo faciei & totius corporis colorem non deturpavit, quoniam valida Natura portionem improbiorem aliqua ex parte ad brachia & crura, sicuti multò magis ad Uterum ipsum deposuit, quo obstructo, omninò Menses suppressi sunt, imò corpus ejusdem repletum, veram conceptionem simulavit, quam falsam tandem detexit repentina post Menses aquę copiosæ profusio, quæ potiùs aquosam molam, quàm Uteri hydropem nobis significasse credo: cùm mali habitus nullum indicium extiterit, & tumidus tamen fuerit à tua diligenti manu Uterus deprehensus, & mammæ tumidę sine lacte observatæ. Egressa autem confertim magna ex parte, indeque guttatim paulatine ipsa aqua à colliquante calore ex cruditatibus antea genita sanguis Uteri vasa obstruens, niger & crassus apparuit, qui medendi normam nobis insinuat; quandoquidem omnia mala enarrata, omniaque symptomata à vitiato sanguine procedere concludo, huncque à viscerum intemperie, acquisita potiùs, quàm naturali existente, & ab obstructionibus adaucta; quam facilè introducere potuerunt animi pathemata, & fovere aëris istius Mantuani lacustris qualitas. Idcirco de specie propaganda non est quod cogitemus, individuo, visceribus & Utero male affectis.

Quare omnia agenda, ut voti compotes fiamus, neve Matrona Excell. ad deteriorem statum ducatur. Et quamvis reclamare videatur anni tempus non adeo Purgationibus opportunum, nihilominus quoniam bipartita debet esse Curatio, ideò pars una hoc Autumnali tempore perficienda, altera in Ver venturum erit differenda.

In pręsens itaque, expeditis primis viis, obstructionibus reserandis incumbendum, deinde massa sanguinea purificanda, ut tandem Uteri vasa aperiri possint. Cæteris autem intentionibus Verno venturo tempore erit satisfaciendum.

Et si de Chirurgicis remediis loquamur, utique necessaria erit ex venis superioribus repetita sanguinis missio, si prima vice crassus & niger fuerit inventus, tempus tamen eligendo à menstruis purgationibus ęque distans; ex pede verò in pręsens aut prorsus omittenda, aut saltem, quantùm fieri potest, differenda, & nonnisi fortasse hystericis urgentibus præfocationibus eligenda: impura namque existente massa sanguinea, valde suspecta est habenda, ne sanguinis crassioris major quantitas trahatur ad Uterum, & ita adauctis obstructionibus, Menses omninò supprimantur.

Pro primis viis expiandis, potio clarif. ex manna, & syr. ros. solut. pręberi & repeti poterit, interposita quinque aut sex dierum humorum pręparatione julapio acet. ad ℥. iii. corticibus citri, & frustulo cinnam. alterato.

Inde ad primas mesenterii obstructiones deturbandas deveniendum, à valde calefacientibus & exiccan-

exiccantibus abstinendo; ideo succi depur. & per arenam trajecti ex usu esse poterunt cich. borag. & endiv. in decoct. Cichorac. additâ malvâ. in quo dissolvantur gr. xii. salis tart. fixi. Transactâ hebdomadâ, præbeatur minorativum Purgans ex flore cass. cum pil. de tribus, cui post horam superbibat aut serum, aut aquam Nocerianam, & tribus horis ab epota aqua prandeat. Inde ad ulteriores obstructiones reserandas succis pariter depur. ex cich. agrim. atque fumaria erit utendum, additis granis tartari vitrioli. in decoct. Cichorac. foliis additis cuscutę & scolopendrii; in quorum usu 12. aut 15. diebus insistendum, & in horum intermedio atque fine, Purgans erit exhibendum, quod pręter florem cassiæ, electuarium de succo ros. & pilul. de tribus contineat, semper superpræbendo aut serum, aut aquam, ut suprà. Et si Viro Excell. arrideat usus syrupiFerneliani in nostris Consultationibus descripti, dum ab Excell. Patiente facilè feratur, optimus erit: facultatem enim in se continebit, non solùm obstructiones aperiendi, verùm etiam massam sanguineam depurandi.

Tandem Uteri vasis obstructis occurrendum erit, & quoniam pars illa longè à ventriculo distat, ita ut non adeo facilè Aperientia illuc pervenire possint, ideo validiora sunt usurpanda, inter quæ validissimum est nostrum circulatum Aperiens, ex sale Martis, sale urinæ pueri, & sale tartari, non sine magno labore & industria Venetiis ad signum Sacræ Margaritæ à D. Hieronymo Rizzeto Pharmacopola Spagirico pręparatum. Exhibetur autem quindecim aut viginti diebus ad ℥ß. in cyatho aq. stillat. capill. Ven. & artemisiæ, cui addi possunt quoque grana salis pariter artemisiæ.

Hęc sunt quę hoc anni tempore etiam frigido administrari possunt, cùm humores hujusmodi, sicuti quoque partes affectę, per centrum expurgari expostulent; dum interim ventriculo quoque robur aliquod addi poterit, at cautè, ne jecur magis magisque accendatur, exhibendo statim à prandio duo grana mastiches integra, vel salem absinthii, aut confectionem ex ol. legitimo cinnam. & sacchato paratam. De cęteris verò suo tempore scribendum; sicut victûs rationem silentio obvolvendam, Viro Doctiss. atque Eruditissimo præscribendam relinquo, & reliqua omnia suo prudentissimo judicio, non solùm executioni mandanda, verùm & alteranda, & mutanda, si ita videbitur, libenter committo. *Raymund. Joh. Fortis Consultat. & Responsion. Medicin. Tom. 2. Cent. 4.*

Molæ cum Melancholica & hypochondriaca affectione.

Illustrissima & Nobilissima Comes trigesimum secundum annum agens, temperamenti à naturę primordiis totius & jecoris ad calidum & humidum vergentis, olim habitûs carnosi & rosei coloris, nunc verò potiùs gracilis, floridum tamen colorem servans, aromatibus, gingibere præsertim & caryophyllis in pubertate multo tempore abusa; anno ętatis suę decimo septimo ventriculi & hypochondriorum doloribus frequenter corripi cœpit, qui ab assumpta granatorum tinctura, necnon pulvisculo quodam purgante cedere solebant, subsequentibus tamen animi passionibus, quæ à causa quoque externa, à diuturnis nimirum Parentum morbosis affectionibus, magisque tandem ab obitu eorundem, fomentum, imò incrementum susceperunt; unde gracilior quoque evadere cœpit. Anno ętatis suę vigesimo sexto Viro Nobiliss. juveni, jecoris & renum calidiori intemperie prædito, sed alioquin sano, nupsit, & quarto mense molam; decimô quartô verò post mense, filium peperit vitalem: sed post septem menses rursus Molam edidit; anno verò transacto, filium rursus vitalem concepit ac peperit, in cujus Puerperio de flatuositatibus copiosis cum animi deliquiis, stomachi fastidio, evaporationibus in partes superiores conqueri cœpit; quibus cremore tartari, levioribus Purgantibus & acidulis aquis provisum fuit, exiguo tamen cum levamine. Quarto mense à partu filii, rursus Molam cęteris minorem peperit: quatuordecim verò diebus à Molæ partu, lac asininum tres continuos menses in usum duxit, & nihilominus circa Solstitium hyemale flatuosus affectus valde recruduit, cum capitis imbecillitate, cordis palpitatione, insigni animi apprehensione, sine tamen deliquiis, adeo ut tres continuò menses decumbere cum fletu & mœrore coacta fuerit: quo tempore frequenter evomebat acida & amara, alvique excrementa flava & nigra observabantur. Interim à Clysteribus nonnihil levabatur; vino chalybeato, ptisana hordeacea, interdum cum cremore tartari, quandoque tamarindis de more utebatur. Tandem 1671. meliùs habere sibi visa est, & filium rursus peperit, qui secundo suæ ętatis mense obiit: Puerperium tamen habuit valde molestum, tum ob secundinam pluribus horis detentam, tum ob dolorem capitis subsecutum. Mox ad usum decoctionis herbarum & spumam chalybis sese contulit, interjecto tamarindorum usu, quibus ferè pristinæ sanitati restituta visa fuit. Hoc anno filiam peperit sanam atque superstitem, & à partu octo septimanas per Uterum commodè expurgata fuit. Omnes tamen jam dicti partus crinones passi fuerunt. Dum verò iter longum versus Italiam facere cœpit, rursus flatuosus affectus invaluit, causam referente Matrona Nob. in vini potum non consuetum, dum levi cerevisia in sua regione pro potibus utebatur, & cùm duo menses sine menstrua purgatione pręterierint, Patavii tandem levi occasione fœtum non completum abortivit, convenienti subsecuta lochiorum expurgatione. Cùm autem me pro salute consuluerint Nobilissimi Conjuges, hypochondria manibus diligenter exploravi, & contumacissimas atque durissimas obstructiones inveni, non quidem in visceribus principalibus, jecore nimirum atque liene, sed ferè totum mesenterium occupantes, & profundiores sub ventriculo in pancreate stabulantes, percepi.

Quod Matrona hęc Illustriss. hypochondriaco & melancholico affectu, post diuturnum aromatum usum, & longam, infirmis Parentibus, ac molestam assistentiam, molestissimam verò affectionem ob ipsorum secutum obitum, correpta fuerit, mirandum non est: sed admiratione potiùs dignum videtur, quod quindecim annorum spatio, quibus hac affectione divexatur, duros tumores præter obstructiones in visceribus non contraxerit, & quod Melancholia ad totum venosum genus sese non insinuaverit, sicque Nobil. Mulier ad majorem gracilitatem cum coloris defloratione non devenerit: cujus resistentiæ causam in ejusdem temperamentum ab ortu naturę calidum & humidum, hilaremque naturam magna ex parte referri posse puto: quam tamen bonam temperiem à diuturno Aromatum usu, & à motibus animi in calidiorem permutatam fuisse non est dubitandum, sicut modò à potu vini hęc caliditas pręter naturam foveri & adaugeri observatur; & quoniam coctiones tum in ventriculo, tum in jecore non ab exuberanti, sed à moderato & suavi calore naturali, perficiuntur, hinc factum fuit ut cruditates in prima coctione olim generari cœperint, quę in mesaraicis atque glandulis insinuatæ ac firmatę ab adaucto calore jecoris exiccatæ, in tetram tandem, immobilem atque melancholicam naturam conversę fuerunt; à quibus clausuris calore adhuc magis adaucto, sanguis quoque exustionem quandam suscepit; unde flatuosa non solùm affectio, sed melancholica quoque subsecuta fuit, flatuosa primò, quoniam natura, sive calor naturalis, Naturę instrumentum, nunquam cessat in materiam illam præter naturam

exicca-

exiccatam agere; unde flatuosę exhalationes, crassæ nimirum, continuò elevantur, quæ utpotè difficulter solubiles, dolores ab initio hypochondriorum, pogressu verò septum comprimentes, spirandi difficultates, & quodammodo suffocationes: cor verò & caput petentes palpitationes, timores atque mœrores frequenter excitant, dum ab eodem sanguine exusto fuliginosi vapores iidem exhalationibus commiscentur, & ita melancholica quoque redditur affectio: cujus utriusque affectionis existentia clarè nimis patet; molesti namque flatus hypochondriacum affectum designant: ut propterea flatuosus ab ipso Galeno fuerit nuncupatus? sicut timores atque mœrores in pręsens, citra causam manifestam, melancholici affectus pręsentiam demonstrant. Cur autem melancholicus humor non ultrà processerit, nec totum venosum genus progressu temporis inquinaverit, duas alias considero causas; altera est, quod cùm ab adaucto calore alimenta in ventriculo, non modò imminutè concocta, unde Bradypepsia, verùm etiam corrupta jam fuerint, unde Dyspepsia, & olim ventriculi dolores, frequenti tamen vomitu acido atque amaro ejiciebantur, eodemque tempore liquida per alvum deponebantur, & ita à jecore & venis divertebantur. Altera verò & potissima causa est, quod impurus sanguis copiosius ad Uterum ferebatur, sicque non solùm ulteriùs semper menstrua prodierint, verùm & ab ejusdem copia, & pravitate, virili semine suffocato, Molę conceptæ fuerint, quas, sanguine quodammodo depurato, conceptus vitales subsequebantur, & Musculorum, dum virile semen à copia & mala qualitate sanguinis menstrui non obrutum, proprias vires conservare & exerere potuit. Verùm quoniam non usque adeò purus unquam fuit sanguis ipse menstruus, neque muliebre semen, hinc fœtus omnes cridonibus infecti & affecti fuerunt, impuri & excrementosi sanguinis ad circumferentiam & ignobiliores corporis partes à Natura detrusi argumentum evidentissimum.

Non me latet hujusmodi affectus incurabiles communiter à Medicis existimari, & pręsertim hunc Matronam Illustr. divexantem, primò quia longe distat ab ejusdem propria temperie necnon ab ætate, unde efficacior atque potentior arguitur causa; & sicut non adeo facilè introducitur, ita introductus difficulter eximitur; secundò quia jam inveteratus Medentis manum respuit, ut dicebat Galenus, & Trallianus cum eo. Nihilominus quoniam Nob. Patiens propria & majora nondum remedia experta fuit, & præscriptione herbarum & aliorum remediorum refrigerantium à Medico suo domestico aptissime instituta, non leve juvamen susceperat, tum etiam quod se obedientem fore pollicetur, cui fides quoque pręstari potest, ob perseverantiam in anteacta victûs & remediorum ratione: ideò quamvis non adeò facile, nec unico tractu integra salus sperati possit, repetitis tamen congruis opportuno tempore Purgationibus, integrę sanitati restitui posse non diffido: dum interim à medicis præsidiis, & in pręsens, & Vere proximo administrandis, futuræ salutis firmam spem concipere poterit.

In hunc igitur finem medicę intentiones erunt: primas vias mundare. Secundò siccas obstructiones, Humectantibus, Emollientibus & aperientibus reserare. Tertiò Humores, easdem facientes, ad evacuationem pręparatos, Benignis evacuare. Quartò Massam sanguineam quoquo pacto depurare. Quintò Jecoris & hypochondriorum exuberantem calorem contemperare; & tandem flatus emergentes caute discutere. Quę omnia præstanda sunt remediis ex Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico fonte depromendis.

Et ex Chirurgico unica desumenda sanguinis missio ex Jecoraria dextra, tempore intermedio æque distanti à præterita & futura menstruâ purgatione; hæc autem præsente Medico molienda erit, ut Galeni monitu sanguis è vena exiens diligenter observetur, qui si niger, uberiùs educatur, imò si niger forsasse atque crassius (quod ego non credo) exire perseveraverit, ultrà vn. uncias, supprimatur, & potius ex altero brachio, duobus aut tribus interjectis diebus, parca eductio repetatur; quod si ruber & tenuis in prima missione observatus fuerit, parciùs, & unica vice erit emittendus. De missione sanguinis è venis inferioribus cogitandum non est, nisi forsan Menstrua imminutè prodirent. Frequentes tamen pedum lotiones ad vapores septum comprimentes, caputque petentes, retrahendo, prodesse poterunt, jejuno tamen ventriculo, tum mane, tum vesperi administrandæ. Reliqua ex hoc fonte haurienda mox in progressu proponam.

Ex Pharmacia pręcipua erunt desumenda præsidia. Et pro prima explenda intentione, Leniens erit flos cassię cum tart. vel syrupus ros. sol. cum tartaro, quibus jus hordei bibendum superpræbeatur. Inde quinque aut sex diebus subsequentibus Pręparans erit hujusmodi.

℞. Jul. acet. ℥. ii. aq. flor. citr. ℥. i. ß. aq. cinnam. ℨ. ß. m. pro syr. matutino, & sic pro aliis quinque; & si ægre toleretur ab Illustriss. Pat. substituatur cremor tart. ad ℥.ß. addita quoque sacchari semiuncia, & omnia dissolvantur in jure tenui, frustulo cinnam. vel cortice citri alterato. Transactis sex jam dictis diebus, repetatur Leniens ex flore cass. elect. lenit. & cremore tart. paratum: vel syr. ros. sol. repetatur, addita portione mannæ, cremore tart. clarif. quibus pariter superbibat jus, vel aquam hordeaceam; hæcque prima expurgatio respicit humores crudos atque pituitosos in primis viis existentes, quibus Melancholici abundare solent: & ideo jubent Hippocrates, & Galenus cum eo, in affectibus melancholicis pituitam ab initio expurgari.

Ita ad secundam intentionem iter paratum erit, in qua diutius insistendum, cùm esse debeat principalis, magisque cæteris omnibus necessarius Medici scopus, quoniam inimicissimam habemus in casu nostro siccitatem, inimicam caliditatem, cùm siccitas à calore humidum consumente augeatur, & calor cum siccitate (quæ lima caloris appellatur) vehementiùs agat: tota verò Curatio hujus affectus consistat in exsiccatæ materię extirpatione, jecoris atque hypochondriorum exuberantis caloris remissione; ideo Nob. Patiens ad usum succorum depuratorum ducenda erit ita.

℞ Succi depur. & per arenam trajecti, endiv. borag. pomorum dulc. an ℥j. Decoctionis in jure pullæ paratę, folior. cichorii, malv. viol. ℥v. Salis prunellę gr. x. m. pro syr. & sic pro aliis septem: quibus assumptis, sumat postea.

℞. Floris cassiæ recenter extractæ, elect. lenit. vel diasebesten an. ℨv. M. F. Boli, aut massa quatuor horis ante prandium sumenda; sed post horam superbibat seri caprini, aut asinini ℔ij. tribus verò horis ab assumpto sero prandeat. Mox repetat eosdem succos, eodem modo & tempore, & hebdomadâ transactâ, rursus assumat idem medicamentum descriptum cum sero; deinde sequentibus diebus assumat succos ita.

℞. Succi depurati & per arenam trajecti, cichor. borag. aut endiv. agrim. an. ℥jß. Salis tartari volatilizati gr. x. decoctionis cichor. borag. endiv. malv. melissæ, viol. ℥iv. M. pro syr. & sic pro aliis. Sequenti verò die assumat.

℞. Flor. cass. recenter extractę ℨij. Rhab. optimi ℈j. M. F. Boli summo mane assumendi: transactâ horâ ab assumptis bolis, superbibat seri caprini, aut asinini depurat. ℔j. & tribus horis ab assumpto sero prandeat. Tertia die reassumat succos depur. ut suprà, & quarto cassiam cum rhab. & sero: sicque alternatim perseveret ad 20. usque dies: ita namque massa quoque sanguinea quodammodo depurabitur; succis autem, necnon bolis cum rhab. quotidie superdormire poterit, si somno indigeat. His

His peractis, secunda intentione non adhuc discedendum erit ut ad reliquas explendas pervenire possimus; & idcirco tribus diebus summo mane assumere debet Nobiliss. Patiens serum Caprinum, aut asininum depuratum ad ℔ v. præmisso parum antè vehiculo dejectorio syrup. ros. solutivi, quod serum superbibat jam dicto vehiculo commodè, nec affatim, sed spatio horæ dimidiæ, vel paulo plus, & duabus vel tribus horis ab epoto sero prandeat. Qua secuta ablutione & hypochondriorum, refrigeratione, ad usum lactis asinini sese conferat, quotidie summo mane cum saccharo, ut moris est: cui tamen non superdormiat, ne caput nimium repleatur: pergat autem 15. continuis diebus, & interim toto tempore hujus præscriptæ Curationis, venter quotidie illiniatur unguento malvino cum medulla crurum vituli, ol. amygdalino reformato. Transactis autem 15. lactis diebus, ad Acidulas assumendas sese conferat Nobiliss. Matrona, primis tribus diebus præmisso vehiculo dejectorio mannæ clarificatæ, sequentibus verò diebus cum vehiculo diuretico, quod esse poterit spiritus tart. ter rectificatus ad ℈i. vel ad semidrachmam in primis cyathis. Dum autem sumit Acidulas, ventriculus aliquo pacto erit corroborandus; in quem finem statim è prandio deglutiat salis absinthii ℈j. in exiguo vino, sive ceresivia dissoluti. Terminato verò Acidularum usu, rursus ad usum lactis asinini sese conferat; in quod ad 40. dies saltem persistat, cùm enim tophos etiam emolliendo dissolvere possit, exsiccatas quoque obstructiones superare valebit. Eodem verò hoc tempore, horis vespertinis, duabus scil. ante cœnam, in Balneum descendat aquæ dulcis, foliis malv. viol. & salicis alteratæ, quod sit vix tepidum, nullo modo calidum; & in eodem maneat integrâ horâ. Mox à Balneo inungatur totum corpus oleo amygdalino recenti, venter verò Linimento consueto; in hujus autem usu perseveret saltem 20. diebus.

Absoluto lactis usu, aliquod ex jam dictis Lenientibus, propinato quoque sero, semel erit præbendum, sicut etiam decimo quoque die, tempore lactis aliqua levis evacuatio procuranda erit; imò si Clysteres non abhorreat, ex lacte, butyro & sacchraro parati, ventrem laxare, & refrigerare, atque humectare poterunt; sicque absoluta Purgatione quies Illustr. Matronæ erit permittenda.

Postremæ tamen intentioni ut satisfaciamus, aliqua flatus discutientia non sunt omittenda, cautè tamen in usum ducenda, exigua nimirum quantitate, & à cibo potiùs, quàm jejuno ventriculo assumenda: horum autem descriptiones jam habentur in præteritis meis Commissionibus; rotulæ nimirum ex oleo legitimo cinnamomi; aqua totius citri, cum elyxir vitæ; aqua cinnamomi cum theriachali; quibus addo.

℞. Olei de Cortic. citri ℈j. Sacchari albi dissol. cum aq. flor. citri ℥ij. M. & ad ignem fiant rotulæ S. A.

Item ℞. Pulveris sassafras ʒß. Sacch. albi dissol. cum aq. cinnam. ℥ij. M. & ad ignem S. A. fiant rotulæ.

Jam dictis omnibus tandem congrua victûs ratio erit addenda, quæ jam in meis præscriptis exactè fuit instituta, sed exactiùs adhuc institui poterit à Viro Excellent. Adstanti, qui propitiâ fortunâ Illustr. Patientis, affectum hujusmodi non adeo apud omnes cognitu facilem, ejusque causas optimè cognovit ac penetravit. *Idem. ibidem.*

Observationes.

Pro Mola.

℞. Ass. fœtid. ʒß. Sem. rutæ, cass. lign. ras. lapid. dactyl. boracis, an. ℈iß. Croci ʒß. Myrrh. theriac. diatessar. an. ʒj. M. detur ʒj. cum aqua sabinæ vel vino rhenensi, cum hac confectione, quam de assa fœtida vocat *Joh. Trengius*, mulierem curavit à mola quam per annum gestaverat, & aliam etiam mulierem eodem medicamento liberavit à fœtu mortuo, exhibendo manè & vesperi ante cibum ad ʒj. donec ab omnibus fætûs partibus fuerit repurgata: aliquando cum succo verbenæ & prassii mixto cum vino rhenensi, modò etiam cum vino decoctionis verbenæ & prassii, & semper (inquit) gratiâ Dei benè successit. *Petrus Forestus. Schol. observat. 63. lib. 28. De mulierum morbis.*

Ad molam excutiendam, qua laborabat mulier quædam, symptomata alia satis exitialia eam insequi solita tollenda, machinor ejusmodi.

℞. Sabinæ, pulegii, fol. senæ, an. M. ß, Coq. lento igne in seri lactis q. s. manè & vesperi ex hac infusione unâ vice ℥ viii. ebibit calidè.

Postridiè præter meam spem mola est expulsa & à multis gravissimis accidentibus liberata fœmina. *Martinus Rulandus. Cur. 78. Cent. 6.*

℞. Myrrhæ castor. an. ℈j. Sabinæ, boracis, an. ℈i. Fellis bovin. ʒß. Ol. succini, gr. 4. Croci gr. v. cum succo sabinæ F. pilulæ 14. pro duabus dosibus. *Joh. Petrus Lotichius observat. 16. cap. 1. lib 5.*

De Mola in vidua.

Molam carneam aliquot annis (plus minus quindecim) in utero olim gestavit honesta quædam vidua: existimabat uterum prolapsum, quod in ostio uteri propendere aliquid sentiret; profluebant statis temporibus menses, & subinde copiosiores quàm par erat: tandem quodam tempore, supervenientibus nonnullis partûs doloribus, rudem excrevit & informem carneam molem, pedem ferè longam, latam semipedem; tres quatuorve digitos altam; sunt verò & aliæ à recentioribus dictæ molæ, per quas venter distenditur non minùs quàm gravidis: unà collectis in utero flatibus; altera aquosis humoribus uterum implentibus: hanc molæ speciem vidimus nos in vidua quadam, quæ defuncto marito, cùm se gravidam relictam existimaret, nonis mensibus adimpletis, supervenientibus partûs doloribus, non nisi aquosos humores enixa est, à quibus liberata lacte ubera repleta haud aliter, quàm si fœtum peperisset. *Rembertus Dodanæus. lib. observat. medicinal. cap. 49.*

De Mola aquosa, carnea & ventosa.

Nobilis urbis nostræ mulier indubiæ honestatis, matrona quinquaginta sex annos nata carnoso ac sanguineo corporis habitu donata; cùm jam per aliquot annos menstruæ purgationes defecissent; molas tandem plures carnosas edidit, fluentibus velut in naturali partu mensibus copiosè & maximis cum cruciatibus, interposito nonnunquam duorum, aliquando trium vel unius mensis spatio; diligenterque percontata, se nullum seminis profluvium in somnis, nec ullam oblectationem perpessam constanter affirmavit: fluebant interim menses albi, erant carneæ molæ nonnullæ ad pugni crassitudinem, aliæ minores, durissimæ nonnullæ, aliæ minùs duræ.

Jacobus de partibus historiam refert de mola aquosa, per hæc verba: novi quandam generosam dominam, quæ se prægnantem esse credidit, & ita Medici visitantes eam existimabant: dum venit pariendi tempus, providerat de bona obstetrice, & compatribus & commatribus: multa aqua prodiit à matrice ipsius; & sic illa & Medici fuerunt illusi, & illico venter penitus detumuit. Molam ventosam se vidisse Ulisbonæ in quadam Hebræa testatur Valescus de Taranta in suo Philonio cap. de mola: huic enim cùm se prægnantem esse existimaret, præparata sunt omnia, quæ par-

parturienti necessaria esse consueverunt, dúmque obstetrices vulvam & uterum pertractarent, tanta ventositas sine alio humore exivit à matrice, ut mirum videri possit. *Marcellus Donatus. cap. 25. lib. 4. Hist. Med. mirab.*

De Mola comitante fœtum usque ad ipsius perfectionem, deque ejusdem Molæ extractione.

Isabella Macé, filia Antonii Macé olim apud Genevenses Pharmacopœi vigilantissimi, nunc M. Eliæ Brunier, civis Lausannensis uxor, matrona ut ex piis & honestissimis parentibus oriunda, sic quoque honesta ac pia, corpore robusta ac plethorica. Anno circiter ætatis 34. cùm quintò utero gestaret, ad sextum usque mensem continuò, aut minimùm alternis diebus menstruis satis copiosis, absque incommodo tamen & virium prolapsu, laborabat. Elapso sexto mense, mox ex toto menstrua denuò absque incommodo suppressa fuerant. 22. Mart. qui finis fuit noni mensis prægnationis, parturientium doloribus correpta, puellam robustam & omnibus membris perfectam feliciter peperit, & secundinam mox ejecit. Post partum, quia duritiem ac pondus in ventre sine molestia magna persentiret, alterum utero se gestare fœtum sibi planè persuadebat: quod verò obstetrix dissuadebat, nec manum ampliùs adhibere volebat. Die 23. & 24. satis bene se habuit. Sed die 25. correpta est febre, vigiliis, & maximis doloribus circa imum ventrem & regionem ossis sacri, symptomatis singulis momentis ingravescentibus. Altero die Joachimo Rohaud, apud Lausannenses Pharmacopœo vigilantissimo, & decumbentis sororio, Enema injicere, ac postridie corpus leni aliquo medicamento purgare visum est. Verùm injecto clystere, & exonerato ventre, cùm ægra denuo de re aliqua ponderosa circa pudenda conquereretur, me advocandum suasit. Itaque sequenti die, nempe 27. ad ęgram ingressus, ipsam febricitantem cum doloribus tum capitis, tum ventris & renum, nauseâ item, ructibus putridis, vigiliis & inquietudinibus, aliisque symptomatis offendi. Ex quibus facilè mihi conjicere licuit, aut molam, aut simile quid in utero remansisse. Primò itaque sequens exhibui enema.

℞. Radicum altheæ & aristolochię longę an. ℥j. Folior. altheę, malvę, Parietariæ, artemisiæ, melissæ, pulegii, Flor. chamomil. meliloti. an. M. s. Sem. fœnigræci, lini an. ℥j. Anisi & fœniculi an. ʒj. f. Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis. In ℔. j. colaturę dissolve Benedictę laxativæ, Hieræ ex colocynthide an. ʒii. Vitellum ovi unius, salis p. j. Ol. rutacei & Chamomil. an. ℥ij. Misce F. ita Enema.

Postea pudendis & imo ventri sequentem sacculum applicui.

℞. Radicum aristoloch. longę ℥ij. Herbar. artemisiæ, Melissæ, Matricariæ, Sabinæ, Rutæ, Pulegii, Flor. Chamomil. Meliloti. an M. s. Sem. fœnigræci, lini, fœniculi, anisi, seseleos an ℥ s.

Incidantur incidenda, reliqua contundantur, indantur sacculo triangulari, filo intertexto, ejus magnitudinis, ut imum ventris ad umbilicum ferè usque cooperiat, apex verò ad pudenda, & perinæum descendat.

Sacculum aquâ incoctum, calidè applicui. Ventrem & genitalia per horas duas fovi, interim quoque aliquoties coxas, genitalia, ventrem, atque os sacrum, calidè sequenti unguento inunxi.

℞. Ol. liliorum alb. Amygdal. dulc. de vitellis ovorum, lumbricor. an. ℥s. Pingued. anseris & Caponis an. ʒj. Postea.

℞. Farinæ fœnigræci & cydoniorum an. ʒj. Croci subtiliss. pulveris. ℈ij. Aquæ artemisię ℥i. Misce & post unicam ebullitionem addantur olea & pinguedines præscriptæ, fiatque unguentum.

Rejecto clystere, mox illam in dorsum collocavi, tantumque corpus deorsum retrahere curavi, ut pedes in infima parte spondæ commodè inniti possent & circa genua parùm inflecterentur. Singulis item columnis inferioribus spondę suum manutergium alligavi. His omnibus præparatis, dextram ab annulis liberam, superiori linimento inunctam, paulatim clementerque in uterum immisi, idque ut eo commodiùs fieret, jussi ut manutergia manibus apprehenderet, pedibusque ad inferiorem spondę partem firmiter insisteret, & simul parturientium dolores, & conatus, quantùm posset, provocaret. Sic enim naturæ beneficio, genitalia aliquo modo dilatantur & aperiuntur. Manu immissâ utero, Mola vel massa illa carnea quę magnitudinem capitis infantis ferè adæquabat, statim obviam venit. Rotunda autem erat, sed paulatim decrescens, tandem in spongiosam quandam substantiam desinebat, quæ utero ad dextrum latus, non aliter ac secundina solet in fœtu, tenaciter adhęrebat. Manu itaque altiùs in uterum immissâ, digitis clementer paulatimque fungosam hanc substantiam ab utero separavi, atque unicâ vice totam hanc molam semiputridam & fœtidâm, sine violentia & dolore, prę̨sente marito & Joachimo Rohaud, nec non multis matronis piis & honestis, extraxi. Appendebat præterea molę huic alia quędam carnis portio. Verùm quia mola hæc semiputrida, putredinis suæ notam utero jam inusserat, jussi, ut per dies aliquot decoctum sequens bis aut ter in die syphone utero injiceretur.

℞. Hordei integri M. s. Scordii utriusque, rosar. rubr. Absinth. vulgar. an M. s. Coquantur in aqua usque ad crepaturam hordei. In ℔ ij. Colaturę dissolve mellis rosati ℥iij. Pulv. Myrrhę Aloës an. ʒi. Misceantur, iterumque per linteum colentur, & colatura tepidè utero injiciatur. Postea spongia hoc decocto imbuta, fortiterque expressa, pudendis calidè apponatur. Illa enim non solùm corroborat partem affectam verùm etiam cum decocto utero injecto putridos humores paulatim attrahit, & absorbet. Ideoque, ejúsmodi spongias duas, ut unâ applicatâ altera interim mundetur & exsiccetur, habeas necesse est. Reliquis item symptomatibus, tum optima victûs ratione, tum medicamentis, prout necessitas imperavit, prospeximus. Ita ut intra septimanas tres, divino favore in integrum restituta sit Matrona illa, & etiamnum una cum puello, quem enixa fuerat, bona valetudine fruatur. *Guliel. Fabr. Hildanus Observ. Chirurgicarum Cent. 2.*

De Molâ aquosâ.

Anno 1604. honesta quędam Matrona Bernensis, ad quinti mensis finem gravida, & parturientium doloribus correpta, ultra decem libras aquę, tenacissimâ membranâ inclusę, non sine conatu & dolore maximo, unâ cum membrana enixa est. Ego, cùm adstantes matronę medicamentum, ad fœtum expellendum propinare vellent, vocatus, in sedili parturientium matronam hanc animo, ut ita dicam, perculso atque deturbato inveni. Putabat enim, nisi fœtus expelleretur, de vita ipsius actum fore. At ego contra suadedam, ut sese in lectum conferret, quo amissæ vires reficerentur, recolligerenturque: quapropter optimam victûs rationem, & medicamenta aliquot cordialia præscripsi, sic brevi in integrum restituta fuit, & fœtum ad maturitatem usque gestavit.

Alterum exemplum molæ aquosę, observavi in honestissima & pia matrona, sanguine mihi juncta: illa cùm per menses aliquot se gravidam existimaret, interim tamen valetudine parum rectâ frueretur, factum est, ut, dum noctu cum marito rem haberet, impetu quodam copiosa erupta ex utero sit aqua, utcunque viscida. Venter mox subsidit, convaluitque Dei beneficio & ad hunc usque diem bona valetudine fruitur, & liberos aliquot progenuit. *Idem Ibidem.*

Mulier septimo mense molam enixa, nono mense filium peperit, diu incolumem.

Nunquam fœtum, cui conjuncta est mola, ad maturitatem perfectionemque pervenire posse, Medicis in confesso est. Attrahit enim mola partem sanguinis & nutrimenti, inde languescente fœtu, fit abortus. Ego tamen honestissimam, ac piam matronam cognovi Dusseldorpię, quę cùm gravida esset, septimoque mense parturientium doloribus oppressa, enixa est molam, quæ magnitudinem capitis adęquabat. Nono verò mense filium peperit, quem ad decimum septimum annum ętatis sanum & incolumem superstitem cognovi, qui tandem Wesaliæ peste obiit.

Anno 1599. Coloniæ vocatus ad honestissimam matronam, Rutgeri Groppers filiam, cui per triduum parturientium doloribus laboranti, fœtum perfectum & maturum extraxi. Paucis post fœtus extractionem elapsis diebus, mola sese offerebat, eamque frustratim, & semiputridam exemi.

Nobilem item & honestissimam matronam Freiburgi Aventicor. cognovi, ante annos 4. in puerperio dolore coxendico graviter laborantem, curandam habui. Ea mihi referebat, se in omnibus suis puerperiis (habebat autem tunc temporis quatuor liberos robustissimos) duabus aut tribus circiter à fœlici partu horis, molam enixam fuisse. Est illa matrona satis robusta, plethorica, & maximè carnosa. *Idem ibidem.*

De Mola Virginum.

Virgo quædam Generosissima, ex antiquissima Nobilium prosapia (nomen non addo) molâ laboravit, eademque morbo tandem exstincta est, de cujus Virginali integritate dubitare non permittit pietas, morumque probitas ac virtus, quibus eâ dum viveret addicta fuit.

Varia alia sunt observata, quę id confirmant. Allatam historiam habeo ex relatione cujusdam fide dignissimi Viri & quidem Pastoris, olim hujus Virginis Confessionarii, cui ergo Virginis mores optimè fuere cogniti, ac nulla unquam suspicio defloratæ virginitatis fuit. Neque solùm observata illud probant, verùm etiam sana ratio idem evincit.

1. Unde in utero humano formantur glires, pisciculi, teste *Bartholino*, Ranę, serpentes, animalcula rubetis similia, alata animalia, &c. Vide Ann. 1. Ephem. Curios. Observ. 1. p. 12. 13. Addo: novi juvenculam Buxtehudanam fœminam, quę cum partu simul peperit monstrum capite Leonino præditum, sed demortuum. Unde horum animalium & monstrorum semen in utero provenit? quod si natura tantam metamorphosin efficere valeat, ut ex semine humano longè diversis formis prędita animalia producat; quid obstabit quod non etiam in virginum utero creare possit.

2. Ad molarum productionem (ut jam invitus retineam hypothesim erroneam de Generatione materiali; quam aliàs nego) non requiritur semen utriusque parentis, cùm non vivat in utero vitam animalem & sensitivam sed merè vegetativam, & singulari attractiva, facultate prædita est, ita quoque illęsa Virginitate in utero produci valet ex congesta materia putrida sanguinis menstrui, quæ à calore uterino excoquitur, ac quotidie plus sanguinis allicit, donec tandem in magnam molam molemque excrescat, hinc in ejusmodi ęgris partes superiores marcescunt, & gracilescunt, quoniam ob insignem vim attractivam Molę superiores partes suo alimento privantur. Ante biennium ægram habui in vico quodam Horneburg dicto, quæ molâ laborabat, ubi mola erat instar racemi uvarum colore albi, quę fœmina tota consumpta, ac tandem quoque hoc morbo exstincta est.

3. Quod mola fiat ut plurimum ex sanguine materno, probat historia, quam Curiosi Collegę nostri affertur ex *Alex. Benedicto l. 45.* de Morb. cur. c. 29. ubi intra molæ ambitum masculinus fœtus inventus fuit, &c. nisi superfętationem accusare velis, sed quid superfætatio in hac re, ubi solus sanguis maternus sufficit: dum etenim punctum cristallineum saliens, primum mobile microcosmicum, summumque volatile figeretur ab intromissâ aura seminis masculini, tanta quoque copia loco alimenti affluxit maternus sanguis ad nutriendum hoc fixum punctum, ut quidem in lineamenta masculini fœtus mantica fuerit extensa, verùm quoniam nimia copia fuit sanguinis materni, hinc circumvallatus, ac exstinctus est.

4. Stante thesi Harveana & Deusingiana, denique & nunc Ralliana, quod semen masculinum in uterum non intret, sed saltem aura aspergat, quin tum opus accusare virginitatem deflorationis, ubi mola invenitur, aura etenim masculini seminis molam non producit, quoniam non est corporalis sed spirituosa, sufficit ergo ad molam sanguis menstruus cum aliis humoribus affluentibus.

5. Neque ad generationem fœtus humani semper requiri semen masculinum probat historia quam citat *Excell. Rallius l. de gen. anim. p. 90. 91. ex Martino Leopardo Vissensi*, qui ita loquitur, Virum quendam sibi facie & moribus notum, consuevisse interdum œstro libidinis percitum, geniali desiderio fervere, cui tamen cùm indulgebat, ea mulcebatur ac perfundebatur Veneris dulcedine, ut impotens Voluptatis, sensibus ferè omnibus destitutus, humi concideret, &, quod erat magis admiratione dignum, seminis nihil effundebat; Hunc ipsum tamen virginem non solùm subagitasse, sed & impregnasse refert; Huic *Martino Leopardo* subscribit *Sinibaldus*, & subscribo ego, generationem enim esse immaterialem credo; sed ut ad molam redeam, Nostram de ea sententiam probat. |Observ. *D. Pauli Sorbait.* Ann. 3. *Ephem. cur. observ.* 213. quo Lectorem remitto, Quo in puncto etiam nobiscum facit *P. Joh. Faber.* Curat. insign. 79. p. 731. *D. Joh. Ludovici Hannemanni.*

Mola Virginum.

Verùm est quod scribis cent. 3. Epist. 28. Nunquàm majora miracula & ostenta videntur quàm in humano partu, est enim uterus, ais, rerum mirabilium officinâ quædam. Hoc tuum assertum illic probas, probantque recentiorum scriptorum Volumina, tum Academia nostra Curiosa. Ad hęc pertinent quædam mirabiles historię, quas affert Clar. Rallius in eruditissimo suo Tractatu de Generatione animalium juxta mentem Harvei, & Deusingii, conscripto. Nuperrimis meis literis quædam attuli de quæsito, An Virgo illęsa virginitate mola laborare queat? Id asserui rationibus, & ni fallor, etiam aliqua historia. Pergo nunc in eadem materia, quamvis eleganter de quæstione hac pro & contra disputet Melchior Sebizius in Exercit. Medicis & praxi sua. Et meum assertum, quod est, Virgo illæsa virginitate molâ laborare potest probo, & nunc verò aliqua historia; quam mecum in eruditiss. literis communicavit pręcellentissimus Lachmund, apud Hildesienses Practicus consultissimus. Et ego ipsemet, inquit laudatus Vir, ante paucos annos vidi virginem quandam monialem, & quidem Abbatissam Evangelicæ religionis, quę ventrem tumidum non aliter ac fœmina partui vicina, per aliquot annos gestabat. Quis quęso vellet de hac virgine religiosa, quæ voto castitatis Ecclesię obstricta erat, suspicionem malam habere. Huic nostrę assertioni quoque lucem fœneratur observ. 17. ann. 2. Ephem. Curios. p. 32. 33. Hactenus Celeberrimus Vir, quo cum & ego facio, ita amplius dubium esse non potest, quin Virgo salva integritate virginali molâ laborare possit. *Ex eodem.*

Molæ septem in Virginis utero repertæ.

In Virgine nuper Episcopicellensi, matrice inclusas septem diversæ magnitudinis Molas videre datum, quę omnes ad manum adhuc mihi sunt, & fortè typis ab admirandi ingenii viro Joh. Conrado Peyero mandantur, si id nondum pręstitum *D. Syl. Samuel. Anthornii.*

Mola quinquennis prolapsum Uteri mentiens.

Plurimas easque raras circa molarum generationem & earum exclusionem passim apud autores fide dignos inveniri historias testem habemus sat locupletem Schenckium in suis observ. qui molas in utero per ipsos septendecim annos commorasse annotavit, id quod etiam Zvvingerus theatr. vit. hum. pag. 331. & 337. confirmat. Haud absimilem, aliis tamen circumstantiis & & accidentibus, curioso lectori hîc sistam historiam: Uxor quædam in suburbio Uratis laviensi 34. annorum & decem liberorum totidemque ferè abortuum, necnon plurium molarum fœcunda parens, ante annos circiter duodecim fœtus aliquot exclusit vitales; ob impurum autem & ichorosum, quo & parens ipsa & hinc enatæ soboles scatebant, sanguinem, plerique excoriata totius corporis cuticula, nondum absoluto puerperio, diem suum obierunt, ut ex novem duas saltem conservare potuerit soboles, postmodum negotio concipiendi & pariendi natura defatigata aliquandiu vacare coacta est, quæ nullis tamen remediis, nisi anilibus suffulta, tandem ad incitas redacta nil nisi molas concipere, & singulis mensibus per sesqui annum, etiam absente longo tempore marito, numero unam, duas, plures imò plurimas acerbissimis parturiendi doloribus nimioque sanguinis profluvio excernere molita est. Tandem cordatiorum persuasu virum ob raram experientiam Clarissimum, Dn. D. Johannem Agricolam, Reipub. hujus Proto-physicum p. m. consuluit, qui singulari sua prudentia & generosis medicamentis è lerna hac morborum eam eripuit pristinęque & inculpatæ sanitati restituit, ut mensibus ordinatè fluentibus postmodùm denuo conciperet, ex difficili autem subsequenti decimo partu, prolapsu uteri satis periculoso non corrigibili & molestissimo se laborare credidit, obstetrix confirmavit, ut absque ligamentis huic malo aptis nec stare, multò minùs incedere valeret per quinque integros annos. Elapso autem quinquennio, tam ob errorem diætæ, quàm sulphur ex accensis carbonibus narcoticum, quibus hyberno tempore in foro publico intensum frigus arcere cogebatur, (quęstum namque in vendendis pomis habuit longo tempore) natura in deterius ruit, novisque mensium obstructionibus, passionibus hystericis & lipothymiis affligitur, nunc meam opem implorare gestit hæc misera. Ipsam invisens semi-animem reperio, morbum causamque indago, ex relatione adstantium hujus individui naturam, morbos & accidentia præterita prolixè & graphicè depicta video, & originem hujus mali ex impuro utero itidem provenire judico, interim ob urgentia symptomata cordialia hystericis nupta propino, his symptomata paulatim cedunt, ut ægra ipsa mecum colloqui valeat, cui ob adstrictam alvum clysterem applicandum suadebam, quem tamen cane pejus & angue fugiebat, coactus ergo tandem externè saltem fomentationes ex emollientibus & carminativis, pręprimis herba mercuriali toti abdomini ad pubem usque applicari, internè verò essentiam castorei & spiritum secundinę (ob præsentis molæ suspicionem) in syrupo de artemisia propinari jussi, quibus pręstitis elapso bihorio acerbissimi iterum dolores & conatus parturientium, absque tamen lipothymia oborti, brevique post molam, capitis infantis ad instar peperit, tantæ tenacitatis, ut vix securi dividi potuerit, absque tamen putredinis & hinc orti cadaverosi odoris molestia, & quod magis miremur, sine omni sanguinis vestigio. Hoc facto prolapsus uteri quinquennis evanuit, & molæ molem non in utero, sed extra eum in vagina uterina, circa exterius pudendi orificium tandiu latitasse eventus docuit, uteri situ inculpato invento: Continuatis postmodam per mensem medicamentis sanguinem & uterum purificantibus, per Dei gratiam illi s sanitatem restitui, ut hoc ipso tempore, dum hęc scribo, benè se habens iterum gravida, sine omni tamen periculosorum symptomatum futurorum suspicione incedere valeat, undecimumque partum, Deo volente, animosè expectet. *D. Joh. Jænisch.*

Gemina Mola in prægnante.

Nobilis fœmina in districtu Grunbergonsi, ante quadriennium, impletis imprægnationis mensibus, partu exclusit puellam satis vegetam, & adhuc superstitem. Tribus horis interpositis successit mola carnosa, durissima, satis crassa, cum copiosissimo sanguinis fluxu, etiam tali, quem vix medicamentis efficacissimis poteramus inhibere. Fluxu altero die subsistente, iterum conatus excernendi aut pariendi adest, & excludit puerpera adhuc aliam molam, minorem quidem primá, attamen etiam carneam & durissimam. In prima apparuerant lusu naturæ aliqua rudimenta capitis, oris & oculorum, sed reliquum informis caro. Non impunè tamen ferebat nobilis hæcce tantos naturæ conatus, succedebat enim febris ardens, quæ in prima, ut dicitur, herba suffocata, desinebat in tertianam intermittentem per tres septimanas prolongatam, Deo benedicente, nostro que consilio tandem extirpatam. Illud erat notabile in hoc subjecto, quod laborarat pica virgo quatuordecim annorum, & pro cibo adsumserat calcem in parietibus avidissimè per sex menses, usque dum fuerat maritata. Ingentis molis esse curare molas possem proprio firmare exemplo, sed quia integrum σὺν θεῷ constitui exarare tractatum de mola, sufficiat hîc aliquid delibasse. D. *Samuelis Ledelii.*

Mola portentosa.

Mulier quædam L. annorum ultra tres annos, grandi suo incommodo molam in utero gestabat. Potissimùm verò maxima respirandi difficultate laborabat, ob compressum diaphragma, liberæ respirationis organum: venter pręduras erat, & sensim à pondere dolor imprimis hypochondria affligebat; si verò antrorsum propensa ventrem scamno imponens suffulciret, majus quàm ex cubatione aut alio situ levamen sentiebat. Hanc molam fœtidam, ingentem, enormis cucurbitæ instar, XX. librarum pondere, (vera recenseo) quę nullis antea remediis, plurimis licet adhibitis, expelli poterat, beneficio spiritus salis ammon. salsi Zvvelfferi (in append. Animadv. pag. 53. descripti) præmisso prius laxativo, non sine magna illius & adstantium admiratione, Dei gratiâ, feliciter exturbavi, muliere integra sanitate fruente adhuc superstite. *D. Alphonsi Cohnii.*

Molæ volatiles.

In vico Pictorum Hafniæ natum non ita pridem monstrum, capite canino, latrans senis digitis in manibus pedibusque instructum. Nulli indicium ejus factum est, mortuum enim & insciis vicinis sepultum. Hoc silentio puerperarum sæpius occultantur Molæ illæ Volatiles, avem quadrupedem referentes, cujus sceleton in Musæo suo servat Vir Illustris *Georgius Rosæcranzius*,

Pręses

Pręſes Regius Soranus, hîc publicè omnium oculis expoſitum.

Familiaris eſt illa mola in Belgio, ubi vulgò *Suygers* vocatur, quaſi ſanguiſuga, fœtui infeſta ſugillando. Similis illi quam *Levinius Lemnius* deſcribit lib. 1. de Occult. Nat. Mirac. cap. 8. In urbe noſtra nonnullæ ſunt matronæ, quę molam talem ediderint, ſedulò caventes ne facilè innoteſcat. Poſt fœtum in partu prodit, & cubiculi angulos pervolitando inquietat mulieres, quę omni ſtudio perſequuntur, ut eneeatam comburant, credentes niſi comprehenſa comburatur, laborare aviculam in eo, ut iterum uteri latebras intret, quas ſi reperierit, moti puerperam. Obſervatum quoque aliquando fœtus pedem ab hac commorſum fuiſſe in utero. Monſtrum eſſe non dubito, & numero monſtrorum quoque accenſet *Licetus* lib. 11. de Monſtr. cap. 3. ſed id mirum videtur, quomodò ſemina Parentum in eam materiam in utero tranſmutari poſſint, unde aviculę & inſecta naſcantur. Scripſi de hoc monſtro ad *Phil. Jac. Sachs.* Naturæ Curioſorum in Cæſareo Germaniæ Collegio quondam Phoſphorum, ejuſque ſententiam exquiſivi, quam in Miſcellaneis Curioſis Anni ſecundi propoſuit. Utinam tantum Virum fata nobis pręmatura morte non invidiſſent. *D. Thomæ Bartholini*

Placentæ informes, quas vulgus Suygers, *& vocat & eſſe putat.*

Quia anicularum commentis, quę de beſtiis, quæ infantes conſumunt, aut ab iis conſumuntur fabuloſè narrant, nec credo, nec te credere vellem, quiſquis hęc legis, niſi oculatus ipſe teſtis beſtias illas videris, noſtrate linguâ *Suygers* appellatas, quas unà cum fœtu, aut ſine fœtu in lucem edi; ſæpe audire, nondum videre contigit: ideo binas haſce placentas deformes æri incidendas curavi; quarum alteram & vixiſſe & cucurriſſe narrant, credo, ut tantò plus gratiæ inirent, & magis à rei novitate commendarent id quòd adferebant mulierculæ. In altera & caput, & pedes, adeoque & oculos, & os & naſum oſtendebant, nihil horum videnti. Tu, ſi in his accuratè ſatis ad prototypa ſua delineatis, quicquam videre potes, quod figmentis illis, ut ego quidem hactenus exiſtimo, patrocinetur, quæſo, dubitantem docè. Et quo te excitem magis, ut eam ineas à me gratiam, gratis dicam quid de toto hoc negotio ſentiam.

Fit ſępe, ut dum formari cœpit in utero fœtus, nec firmis adhuc retinaculis placentæ alligatur, iis agitatione, ſaltu, caſu, aut alio matris infortunio, aut etiam infirmitate ſolutis, neſciæ, & nihil tale ſuſpicanti, fœtus tenellum rudimentum excidat matri, remanente in utero placentæ materiâ, quę dum ibi hęrens non putrefit, ſed augeſcit, variarum in utero contractionum ſępe eſt cauſa, quę dum ſubitis variantur vibrationibus tam vehementer, ut etiam extrinſecus motus earum percipiatur, animalis per uterum ſubito motu diſcurſantis, tam ipſi, quæ ſymptomata pariter, quàm aſpicientibus & tangentibus dat ſuſpicionem, cùm autem poſtea hęc placenta ſine fœtu, quæ vera eſt mola, prodit in lucem, quod ſępe fit cum ipſis parturitionis laboribus, imò ipſo tempore, quo prodiiſſet infans, obſtetrices, & reliquæ mulierculę putant animal illud, quod antea vivum ſenſiſſe ſe exiſtimant, fœtum, cujus nullum apparet veſtigium, conſumſiſſe. Sin autem prodeat fœtus poſt ſimiles agitationes; contra animal illud, quod non comparet, abſumptum eſſe ab infante pronunciant, & ejus veſtigia præoccupatæ præjudicio in placenta quęrunt, & invenire ſeſe imaginantur quandam beſtiæ configurationem. Tu ſi meliùs quid habes, Lector, adfer: ego hîc Thomas ſum, niſi videro, non credo. *Theodorus Kerckringius in Spicilegiô Anatomicô.*

Maſſa informis per dolores inſtar parturientis à vidua caſtiſsima in lucem edita?

Siqua ventre nonnihil intumeſcat virguncula, continuò in partem deteriorem cadit ſuſpicio, ſiqua vidua tantillùm diſtendatur, vix pudori ſuo poteſt conſulere apud homines. Habeo tamen, quo haſce defendam, hiſtoriolam; illæ ſibi, quantùm quidem hinc licet, capiant patrocinium. Vidua quædam nomen ſuum & famam, honeſtè vivendi egregiè tuita hactenus, poſthumum ediderat: poſt partum diu adversâ valetudine uſa, tandem viſa tumidiore pondus aliquod circumferre ventre; hinc converſi in eam oculi, & auditę voces: hem, hęc illa eſt ægritudo, hic morbus viduæ: & verò tumor adeo increvit, ut etiam prudentibus & amicis ejus admirantibus, neſcio quid vel pudoris incuteret, vel doloris adferret; quę augebantur omnia, cùm ingruentibus quaſi parturientis doloribus obſtetrix accerſitur: illa ſibi optimè conſcia, puerum proditurum negat, eſſe tamen quod ſe non ſecus ac puer, qui in lucem moliretur iter (pepererat enim, ut dixi) premeret: tandem poſt varia uteri luctamina prodit maſſa quædam informis, ſive illa fuerit reliquum ex ſecundinis quippiam, cui alię immunditię adhæſerant, ſive nova quędam in utero congregatio. Illa certè ejectò onere optimè valuit, & quod nihil ſequeretur eorum, quę partum, aut abortum ſolent comitari famam apud ſuos integram retinuit. Poſſet in moralibus ſæpe, in Politicis aliquando uſui venire hęc obſervatio, Medicis certè & obſtetricibus non erit prorſus inutilis, ideò non putavi prætereundam. *Idem ibidem.*

Infans Molæ incluſus.

Quod ſuperiùs ſcripſi; Obſervatione 38. jam ſcriptum & ſculptum erat de monſtris illis, ſanguiſugas aliqui Romano, nos noſtro ſermone *ſuygers* vocamus: cùm anno MDCLXIX. die 11. Februarii obſtetrix quędam mihi attulit molam, ſeu placentam: & ecce inquit, mi Domine, inſpice, quod tibi adfero, & nega dari animalia, quæ *Suygers* vocamus: avide accepi, curioſè aſpexi, ut illa dicebat, animal, ut ego exiſtimabam, informem placentam. Habebat tamen quo quàm promptè mihi nummos, tam facilè unicuique opinionem elicere potuiſſet, quâ crederet eſſe, pro quo, illa venditabat, animal. Corporis forma cyprinum piſcem referebat, niſi quod in longiorem anguſtioremque, quàm ille, ac tandem bifurcatam, ut ille, caudam deſineret. Caput ei erat ſimillimum, & os perforatum, ſtilum ad uſque mediam molis, aut molę partem admittebat: oculos etiam aut videbam; aut putabam me videre in capite. Diffindo ergo medium molę ventrem: & ecce tibi in eo infantem perfectè efformatum, tantillum, quantus eſſe ſolet unius menſis fœtus; affirmabat tamen adhuc præſens obſtetrix ſupra quatuor menſes gravidam fuiſſe matrem, quamvis ergo multis modis hîc peccans humani corporis conformatrix facultas, perducere non potuerat corpuſculum hoc ad juſtam fœtus quadrimeſtris magnitudinem, aliquid tamen in membrorum perfectione molita erat, quod proderet gravidationis diuturnitatem.

Condonet ergo mihi Lector curioſus, ſi adhuc in eadem, quam ſuperiùs citato capite affirmavi, maneam ſententia: nec adhuc de animalibus ſimili-

similibus generandis negantem deferam opinionem. Video hîc quidem figuram pisci similem; caudam bifurcatam intueor: capitis formam, & in ea eo perfectum, oculorum quandam similitudinem contemplor: sed animal illud esse, fuisse, aut unquam futurum fuisse, nondum mihi persuadeo. Quid enim? apertâ molâ nihil intestinorum, nihil viscerum in ea, sed infantem tantùm reperio; non monstrosum quidem, nisi quod tanta post quatuor menses corporis exilitas, & placentæ, quæ sæpe variat, hæc forma admodum extraordinaria mihi monstrosa videbantur. Exspectabo ergo adhuc certiora hac super re argumenta, antequàm in illam de sanguifugis descendam sententiam: quod non pertinaciæ, sed non nimis in incerta pronę credulitatis, tibi sit, Lector, argumentum. In divinis sit chara fides: in cęteris quod opinor, opinor: quod scio, scio; fides autem in humanis, nunquam affirmantis in me superat authoritatem, quæ hactenus non nisi femellarum est varie garrientium. *Idem ibidem.*

Ex platenculis post fœtus exclusionem in uterô remansis pseudo-mola

Quot & quanta incommoda puerperis obveniant, ubi præeuntem fętum maturum secundinę non sequuntur difficile dictu. Nonnullæ in uteri fluorem immodicum & irregularem, per intervalla repetentem, non sine cruciatibus, eâ de causâ incidunt. Aliis in magnam molem distenditur abdomen, cum respirandi difficultate, pedum ędemate, ventriculi anorexiâ, præcordiorum anxietatibus, animi deliquiis & faciei pallore. Non rarò quoque mors illarum miseriis imponit finem. Ita ut malum illud magni quidem momenti & periculosum sit, non verò lethale per se, sicut voluere nonnullę minùs peritę obstetrices. Non rarò per decimestre, & quod excedit spatium, in utero remanet placenta, fœtu jam in lucem editô. Mirum dictu quantam mutationem & metamorphosim, ut ita loquar, placentæ præter naturam subeant. Eas aliquando in hydatides, aut vesiculas è pedunculis dependentes, & humore aquosô refertas degenerare, posthac demonstrabimus, nunc oculis vestris sistimus retentas placentulas, perperam ab aliis pro molis habitas; pro molis dico, 1. propter duritiem, crassitiem, formam, & carnositatem, quibus descriptioni molę sunt conformes: ut mirandum non sit, easdem pro molis habitas esse ab iis, quibus occasio haud data fuit, quotidie nobiscum ejusmodi retentas placentulas cultro anatomico subjicere. A quo tempore enim in hac vastâ civitate lectiones in usum obstetricum habui, quicquid rari ac insoliti in earum incidit manus, in redhostionem tum mihi semper adferunt. Rediens in viam unde digressus sum, dico placentulas fœtuum, duorum, trium, quatuorve mensium, si diutius, quàm par sit, remaneant in uterô, non tantùm periculi, ac quidem mutationis afferre. Si verò placenta fœtûs maturi, aut septimestris, vel octimestris, remaneat, plus subest periculi, & sępissimè tota placenta in hydatides degenerat, quarum numerus aliquando tantus est, ut gravidæ videantur mulieres, propter abdominis extensionem. Memini me bis scullam magnam, ejusmodi hydatidibus refertam vidisse ex iis, quę per aliquot post partum menses retinuerant placentas in uterô. Dixi superiùs placentulas, duorum, trium, quatuorve mensium abortus, ita indurari, talemque adispici formam, ut pro molis habeantur ab imperitis, modò diutiùs quàm par sit, aut per dies aliquot, in uterô hæreant: humoribus enim cum fœtu expulsis, contrahitur placenta ab uterô in hanc vel illam formam, & sic talpæ, ranæ, aut similis rei speciem aliquando induit? unde fœminæ nimis credulæ, nugatoriisque fabellis addictæ molas viventes, imò volantes, in lucem prodiisse narrant, imò in partu prę̨sentes socias suas alias monent, ut sibi caveant ab ejusmodi molis, ne scilicet molæ istę ipsas adoriantur, & sub vestimentis se se insinuent. Hisce rejectis anilibus nugis, observatu dignum esse censeo, tales placentulas, si per septimanam, aut diutius retineantur in uterô, fœtu in lucem editô, ita ab uterô comprimi, út non solùm carne musculosâ solidiores evadant, verùm etiam formâ & magnitudine uteri naturalis exteriorem faciem adæquent.

Mulier ab undecim septimanis (ut ipsa mihi referebat) gravida facta ab animi pathemate abortiit: remanente per aliquot hebdomadas placentulâ; quę, ab uteri compressione, cùm ad pristinam ferè magnitudinem & formam rediret uterus, ita induruit, & deformis facta est, ante excretionem, ut nisi ritè examinassem ejus substantiam, molam credidissem.

Alia quædam in quintum mensem gravida, peperit fœtum immaturum, & post eum quoque secundinam integram benè constitutam. Hisce in lucem editis, secura est carnea molès, formâ & magnitudine uterum naturalem referens. Hac incisâ, & ritè examinatâ, placentulam quoque esse deformem, & justô duriorem, deprehendi. A quô tempore gesserit hanc secundam placentulam dictu difficile. An gemellis gravida fuerit, & unô, in nihilùm redactô, aut insciâ gravidâ exclusô, ejus placentula remanserit; an verò antè hanc ultimam imprægnationem gravida jam fuerit, & embrione exclusô, placentulam retinuerit (quod pluries contigit) & de novo uterum gesserit, haud licuit investigando determinare. *Clariss. Frederic. Ruyschius in Observ. Anatomico-Chirurgicarum Centuriâ.*

Massa Cruoris coagulati quandoque Molam mentiens.

Non solùm placentulæ post embrionis exclusionem, in utero per aliquod tempus remanentes, molam mentiuntur: verùm etiam sanguis in uterô coagulatus, quem mihi obstetrices sępiùs pro molis, aliæ pro placentulis obtulêre. Hunc cruorem coagulatum, ab uteri compressione admodum durum, & in se coactum aliquoties offendi, cui sæpissimè membranis analogum quid appensum invenitur, sicut post venæ sectionem in pede institutam aquæ innatare videmus. Cùm hîc & similia mihi occurrunt, ad hęc duo respicio. Primò an funiculi umbilicalis abrupti vestigium supersit. Secundò an vasis sanguiferis gaudeant ejusmodi massæ, (sine quibus non possunt vocari placentulæ retentæ) & insuper notandum in placentulis remansis, quantumvis vasa sanguifera adsint, ut plurimùm eadem sanguine cassa reperiri, ita ut magis fibras, quàm vasa sanguinea referant. *Idem bidem.*

Mola Vesicularis.

Annô 1681. lectissima quædam Matrona Genevensis annos præter propter 30. nata, & puerperiô pluries jam feliciter defuncta, se iterum concepisse, atque in quartô graviditatis mense versari putabat, (quanquam per totum illud tempus aliquid sanguinis ab ipsius uterô perpetuò deflueret) donec die 15. Martii, post dolores instantis præmaturi partus prę̨nuncios aliquandiu perpessos, imò & frequens animi deliquium, largumque satis cruoris fluxum, non fœtum abortivum, ut & ipsa, & adstantes expectabant, sed ingentem vesicularum, & veluti ampullarum acervum enixa est. Quandiu duravit dies, tamdiu vesiculæ excretæ, adeò ut pelvis stannea profundior vix eas omnes capere posset. Vesiculæ illę rotundæ, aut saltem ovalis figuræ erant, sibique mutuo, quasi totidem ranarum ova, cohærebant.

Magni-

Magnitudo plurimùm diversa erat; minimę vix milii semen æquabant, maximę ad nucis juglandis, aut ovi gallinacei crassitiem accedebant, intermedię verò, uvas, pisa, & munitiora semina rotunda referebant. Pellucidæ admodum erant, & dirupta liquorem limpidum emittebant. Sequenti die ejusmodi excretio omninò cessavit; at non item hęmorrhagia, quæ per aliquot adhuc menses molesta fuit. Benè tamen postmodùm habuit hæc matrona, atque anno 1683. mense Novembr. filiam peperit. Has vesiculas (quanquàm coctione, instar albuminis ovi indurarentur) cum ovis prolificis nihil ideo commune habere nemo non videt; unde obiter concludere licet viviparorum ova etsi elixatione indurentur, ab hydatidibus unô hoc signô distingui non posse quin eas materię cuipiam salinę lentæ & viscidæ, post longiorem in uterô moram motum adeptę, sive à flatu, aut spiritu intus conceptô exagitatæ & in varias ampullas facessentis, ortum suum acceptum referre debere existimamus, atque ideò illis molæ vesicularis; seu hydatidis nomen indi posse credimus. *Hæc ex Bibliothecâ nostrâ Anatomicâ*; quibus jam subjungimus non tantùm placentulas relictas his hydatidibus originem præberi debere, sed etiam à serô viscidô intra uteri membranas coacervatô, dumque illinc transudat pelliculas sibi confingente; unde ampullæ ad instar ovorum subventaneorum, varię magnitudinis & figurę enascantur subinde efformari. Opinamur itaque eandem sępissimè esse harum hydatidum materiam quæ hydropem uteri efficere valet. Molas alias quod spectat, non semel vidimus eas ovulis prægnantes imò iisdem ovulis fœtus rudimenta conclusa conspeximus. unde non immeritò concludi potest eas aliquando à deviâ in conceptionem suffocatus limaturâ, ut si ita loqui licet, embrionis rudimentis per placentam undiquaque ea circumcingentem, inque enormem sæpius magnitudinem excrescentem, oriri. De Molis carneis nihil addimus, quia frequentiores sunt, interim non sine admiratione nobis aliquando intueri contigit plusquàm triginta per longos ac atroces plurium septimanarum dolores, excussas quorum minima ovum anserinum excedebat.

Mola ex membrana grumum sanguinis continente constans ab utero ejecta. Mola tota solida. Mola parenchyma Lienis interiùs referens.

Molam ex sanguine temporibus superioribus vidi, compactam seu concretam ex grumis, inclusam membranâ, qua dissecta, & grumum dividi sine ulla resistentia: Sanguis si quidem condensatus quasi infarctus fuit membranę, ut in apexabine videmus: Adhęrebat hæc mola alii, non carneæ sed membranę per totum, ambæ pendebant plures libras: Aderat & tertia mola plane carnea, referens substantiam renis magna satis, cum quibus gemelli sexu diversi prodierunt non vivaces. *Hæchstetterus decade* VIII. *casu.* VIII.

Mulier quater jam pepererat & post suppressa menstrua quintum jam fœtum putabat in utero habere: Cùm verò in novo mense ad pariendum se accingit, pro expectato fœtu globulum seu sphæram excernit albam, mucore respersam, caput humanum magnitudine superantem.

Cultro sphęra dissecta solida tota intus apparuit, cepę instar membranulis crassis & albis fabrefacta, quibus sectis nullus ichor, humor serosave substantia emanavit: Hæc mulier cùm frigidi esset temperamenti attenuante victu est pręservata. Zacutus Praxis admir. lib. 2. Observ. 155. Vide Obs. 153. ibid. de mola carnea vivente mirabili.

Molam observavi bulbum omnino referentem in parte exteriori, Dissecta verò per medium, carnem quandam spongiosam, sicut parenchyma Lienis habebat, exteriùs verò membrana forti & carnosa cincta erat. *Dom. Panarolus Pentec.* 4. *Observat.* 46.

Uterus ulceratus carnem putridam continens.

Puella xiij. annorum ex scala in subterraneam cellam delapsa, nihil mali experta fuit præter dolorem colli, mox post sedatum; emersit tamen in dorso dolor post aliquot hebdomadas, quem tandem in hypogastrio dolor insequutus: Adhibita in consilium obstetrix, inspectò corpore puellę, Gravidam pronunciat. Morbo interim correpta, nihil proficientibus remediis, auctaque in dies ęgritudine incognita, octava hebdomada ad meliorem vitam transiit.

Moestissimorum parentum rogatu cadaver apertum, ut mortis tumorisque causa innotesceret. Statim dissectò abdomine uterus prodiit, ovi gallinacei magnitudine, ulceribus plenus, sed sine pure aut fœtore: In ipsa autem uteri cavitate nihil inventum pręter frustulum carnis spongiosę, & putridę, libras quatuor cum media pendens, Hepar, Lien, reliquaque viscera nullum vitium visa contraxisse. *Bartholinus cent.* 1. *Observat.* 97.

Molæ duæ extra matricem.

Quædam civis Viennensis habuit molam extra matricem: Erat illa albissima & mundissima, circa vasa seminaria: Vivebat cum viro annos 16. quam Medicus (ut mulier petebat ante mortem) dissecuit, quo aliis mulieribus simili morbo laborantibus consuleretur, Invenit autem duas molas extra matricem, Unam in quantitate frusti carnis supra matricem & ipsi fortissime adhęrentem; alteram in latere sinistro circa vasa seminaria, in quantitate capitis: Nupsit bona puella seni, & quum venerea esset, caste & honeste vixit, quum interim vir senex debitum præstare non posset: caveant igitur puellæ venereę à senibus & nubant similibus. *Johannes Marquardus Practicæ. Theor. & Empiricæ cap.* 5. *de mola.*

Mola membranacea bullis referta.

Compertum est Gravidationem aliquando degenerasse in membraneam substantiam globosamque, totam aquosis bullis rotundis, tumidis, pellucidis & innumeris plenam, aliquando cum sanie fœtida & diluta: quam sanè figuram jam comperimus in uxore Bibliopolæ cujusdam. *Mercatus de mulier. affectibus lib.* 3. *cap.* 8.

Mola pulmentaria.

Vidi molam ab humore phlegmatico, grosso ad similitudinem pultis factæ per superfluam milii decoctionem in aqua, quę tantùm excrevit; ut post mortem patientis facta anatomia esset majoris quantitatis & ponderis quàm residuum corporis ipsius *Jo. Arculanus comm: ad cap. de mola, lib.* 9. *ad Almansorem.*

Molæ duæ in uterô conceptæ.

Mulier ferè quinquagenaria, quę numquam viro nupserat, excongressu cum adolescentulo concipit in utero, unde sequuta est inappententia, macies & pallor totius corporis, quorundam eduliorum desiderium cum aliis graviditatis signis; post xl. à conceptione diem percepit palpitationem quandam versus hypochondrium dextrum, ab eoque tempore meliùs se habuit & appetitus restitutus est: Venter in dies augebatur, mammæ intumescebant 4. mense: in mamma sinistra, rufum, postea album, in dextra lac apparuit; quarto mense

mense fluxus menstruorum apparuit copiosus, triduo perseverans, inde ventris tumor imminutus est, postea tamen sensim denuo augebatur, menstruę purgationes singulis mensibus prodibant, quemadmodum ante graviditatem: motus in ventre sentiebatur illi consimilis quem fœtus in utero conclusus solet exercere: Nono mense dolores parturientium passa est, ita ut vocata obstetrice omnes adstantes partum expectarent: Illi tamen dolores post xxiv. horas quieverunt & nihil exclusum est: Ab eo tempore menstruorum fluxus adhuc ordinatus fuit usque ad xiii. mensem, in quo iterum parturientium dolores passa est sine effectu: postea verò nunquam menstrua prodierunt, ventris tumor permansit cum motu interpolato instar fœtus inclusi: Jamque sunt Ix. menses à principio graviditatis, neque tumor ventris est insignis, vixque enim æmulatur semestrem graviditatem. Duo tumores sensibiliter distincti, ut quoddam interstitium apparent medium: Illi tumores ad hypochondria vergunt decumbente muliere, ac eadem erectâ veram graviditatem referebant, medi in ventrem occupantes, compressi recedebant & iterum accedebant, sæpe motu proprio instar fœtûs in utero inclusi: Mammarum tumor jam dudum evanuit, & illæ admodum molles & flaccidę evaserunt, à quibus exprimuntur lactis viridis guttulę perexiguæ: toto graviditatis tempore, mœrore & jejuniis se confecit, domi inclusa remanens, quòd graviditas illa sine conjuge contracta fuisset: denique anno 1636. mortua est.

Aperto cadavere Molæ duæ distinctæ inventæ fuerunt, Guiganii degebat vocabatur Claudia Demarez. *Observatio D. Pollet. D. M. Matisconenensis.*

Monstrosa Mola in qua crines reperti.

Vidua quædam honesta, quinquaginta circiter annorum ætatis, Catharina nomine, Molâ laborans, in Aula Serenissimi Principis ac Domini, Domini Georgii Friderici Marchionis Badensis & Hochbergensis, &c. ante annum naturę debitum persolvit. Hujus matronę, ex jussu Principis: aperto cadavere, hepar & lien sine noxa, pulmo verò semiputridus repertus fuit. Separatus & exemptus uterus, ad libras octoginta & septem Mercatorum ponderavit: Et partim ichore quodam flavo, partim quoque materiâ adiposâ & oleaginosâ infarctus erat. Sed, quod admiratione non vacat, in medio ipsius uteri crines, (aut veluti lana flavescens, & adiposâ illâ materia involuta, reperti fuerunt. Quia verò jussu Sereniss. Principis aliquantùm hujus lanæ communicatum mihi fuit, portiunculam quoque ad te mittere volui, ut illam inter rariora tua reserves. De hac matrona clarissimus ac doctissimus Vir, Dom. D. Ludovicus Schmid, Serenissimi Principis, ac Domini, Domini Georgii Friderici Marchionis Badensis & Hochbergensis Archiater longè celeberrimus, & amicus meus singularis, inter alia hæc annotavit mihique communicavit.

Venter, inquit, huic fœminæ intumuit ut in prægnante, urina coloris ac substantiæ mediocritatem servavit: functiones naturales, vitales & animales ferè sine noxa: alvus tamen segnior ferè semper, quippe molis pondere compressa. Pedes ac tibiæ longè post in tumorem sublatę durum, renitentem; qui pressus nullas foveas œdematosas recipiebat, nec scarificatus, aqua exudabat. Carminantia, incidentia purgantia, balnea nihil proderant: Usa fuit victu mali succi, refrigerante, præsertim brassicâ muriaticâ (*Saurkraut*) acetariis, tantâ copiâ, ut de pluribus mensibus quæ horum superarent, colligeret, ebibito insuper, quod his affusum erat, aceto. Venter prædurus erat; sensim pondere dolor, inprimis hypochondria affligebat. Si verò antrorsum propensa, ventrem.q scamno imponens suffulciret, majorem quàm ex cubatione aut alio situ levationem sentiebat. Plus quadriennio duravit affectus iste. Hactenus Domin. D. Schmid.

Præteritis diebus, cùm pirę circa matronam cancro exulcerato & gravissimo, in mamma sinistra laborantem occupatus essem, unà cum Domino Johanne Hulderico Streitter, Doctore Medico excellentissimo, matronam quandam Molâ laborantem aliquoties invisi, cujus venter in monstrosam ferè magnitudinem extensus est. Circumferentia, ducto filo per medium, continet pedes Geometricos quinque cum dimidio: sedendo prętererea ad genu usque propendet. Tumor ille ventri, quatuor ab hinc annis incepit: paulatimque auctus est. Ab initio morbi utero se concepisse, cùm ipsamet ægra, tum obstetrices putarunt, Motus enim ac si fœtus adfuisset, persensit, & ubera lactè abundare cœperunt, aliaque signa conceptionis aderant. Post menses tamen aliquot lac ex mammis evanuit: motus quinetiam utero paulatim & in dies imminutus, tumor verò adauctus est. Jam etsi venter pręmagnus ac durus sit, facultates tamen naturales, vitales & animales integras habet. Sed de hoc casu absque ullo dubio, posthac fusiùs ad te scribet, Dn. D. Streitter, tanquam ordinarius ipsius Medicus.

Ante annos viginti, Genevæ similem vidi molam in matrona quadam honesta, quę per annos sedecim morbo isto laboraverat: qualis autem fuerit finis, & quidnam in ipsa repertum sit observare non potui; Ante obitum enim ipsius Genevâ discessi. Illud tamen scio, ipsam multis variisque medicamentis, ex consilio Medicorum pręscriptis, absque fructu usam fuisse *Gulielm. Fabric. Hildanus Observationum Chirurgicar. Cent.* 3.

De ingenti Molâ, & uterô peritonæô adnatô.

Matrona quædam duorum ferè annorum spatio gravissimè utero laboraverat. Ab initio gravidam se esse putabat: omnia enim signa prægnationis aderant. Elapsis tamen mensibus aliquot falsæ hujus prægnationis, pejùs se habere cœpit; mammæ flaccescebant, venter verò de die in diem accrescebat, appetitus item prostratus erat, dolores quoque totius ventris continui, in primis verò lateris dextri, atque è regione renis sinistri tam vehementes, tamque maximi aderant, ut sępissime maritum suum & adstantes imploraverit, quò Medicum, aut Chirurgum accerserent, qui apertô abdomine, horrendas illas & crudelissimas bestias expelleret; planè enim persuasum habebat, se gerere bestias. Tandem cùm in hac miseriâ ultrà duos annos langueret, auctâ febriculâ, nauseâ & vigiliis, nullis item usa remediis, è vita discessit.

Adapertô abdomine, plurimùm aquę, carnis loturę similis, effluxit. Uterus in magnitudinem ingentem extensus, peritonæo à lineâ albâ usque ad costas breves & renem dextrum, adeo tenaciter adhęrescebat, ut vix avelli posset. Ren sinister planè putrefactus conspiciebatur. Hepar undique abscessibus putridis scatebat.

Uterô dissectô aquę fœtidissimæ puri permixtę ultra libras sex effluxerat. Mola quoque in conspectum sese dabat, magnitudinem capitis longè excedens, inæqualis, nonnullis quoque in locis dura, atque hinc inde putrida, ac fœtida. Utero tenaciter adhærescebat, præsertim parte quę dorsum respicit, imò absque dilaceratione uteri avelli atque separari non

non potuit. Ambo quoque ovaria adeo excreverant, ut magnitudinem pugni excederent, erantque inæqualia, dura, & ad instar ferè uvę.

Aqua, seu lympha, quæ in ventrem effluxerat, ex hepatis abscessibus, sine dubio, emanavit, cui nonnihil sanguinis admixtum fuit.

Dolores in dextrô latere, hepatis inflammationes & tandem abscessus fuere: in sinistro verò à putrescente rene sinistro oborti.

Mola est ovum jam jam utero receptum, atque à virili instrumentô, aut aliàs iterum lęsum sed tamen non ita, quin aliquo modo alimentum accipi possit; hinc indigesta moles, & caro quasi fungosa. Sæpissime figuram cordis refert, quia uteri cavitas trilatera est.

Obstructiones in ovariis, eorum substantiam extenderunt, hinc liquet dolores totum abdomem occupasse. Mirum ejusmodi corpus, tamdiu fuisse superstes. *Stephanus Blancardus in Anatomiâ Practicâ rationali ex Gulielmi Fabricii Hildani Observationibus Chirurgicis.*

Mola ex parte ossea, uteri parietibus conclusa.

Anno 1685. Maii mensis 26. Matrona Genevensis annos 42. natâ quartô à conceptione mense, febri continua cum vomitu frequentissimô & violentissimô, prehendebatur. Post quatuor, aut quinque dies, vomitus (qui ipsa febre perniciosius symptoma videbatur) cessavit: at febris contrà mirum in modum excanduit, usque adeò ut, non multis elapsis diebus, ęgram è mediô, cum deliriô & convulsionibus, sustulerit. Cadaveris abdomen pręrumidum erat: côque resectô, flatus tantùm cum aquæ exiguâ quantitate, eruperunt. Uterus verò pluribus in locis niger omninò erat, & inflammationis, seu gangranæ, notas non paucas extrinsecus præ se ferebat. Fœtum fœmineum octo uncias longum intus reperimus: nec eô contenti dum uteri parietes, inflammationis causas penitiùs exploraturi, curiosè lustramus; ecce corpus quodpiam intra membranas uteri contentum, digitisque resistens, persentitur, quod incisione factâ facilè abstulimus. Magnitudine ad juglandem crassiorem accedebat; substantia partim carnea, partim fibrosa, & durissima erat, atque in sui centrô, officula, aut analogum quid, continebat. Sedes è quâ avulsum fuit foramini quô tuba dextra in uterum aperitur, ferè respondebat, tantùmque propemodum spacii occupabat, quantùm tuba inter uteri tunicas serpens, occupare solet.

Molam hanc duritie sua utero molestam fuisse ejusque partes nerveas irritasse, tunicasque, unà cum substantiâ vasatâ & cellulosâ ab invicem divellendo, sanguinem & spiritus illuc, æquò majori copiâ advocasse, ac proinde inflammationem accersivisse, probabiliter asseri potest. Utrum autem hęc eadem mola ab ovô è testiculô, seu ovariô dextrô, per tubam ejusdem lateris delapsô, & ingressu in uterum, propter meatûs obstructionem, aut angustiam, frustratô, derivari? An verò alii cuipiam materiæ (ut in molis communibus forsan usu venit) concretæ adscribi debeat, determinare non audemus: Priorem tamen sententiam probabilitate non carere, situs corporis illius schirrosi, arguere videtur. Si teste Graeffiô, ova mediis in molis vulgaribus reperiantur; quidni idem & in hâc contingere potuit? Quidni, quęso, è geminis ovis fęcundatis, & ab ovariô utrinque, ad gemellorum productionem, separatis, alterum in uteri cavum feliciter pervenire potuerit; alterum verò (crassius forsan, meatum in extremitate suâ impervium, aut saltem angustissimum, penetrare non valens, ibi hęserit, & aliquale incrementum, pro ratione loci, capesserit, donec tandem mole suâ importunum, honestissimę matronæ & fœtui mortem intulerit? Nihil sanè obstat quô minùs rem eô modô se habuisse credamus. *Hac ex Bibliotheca nostra Anatomica Parte* 1.

Mola verè rara.

Clariss. Georgii Abrahami Mercklini Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 3.

Honesta & pudica fœmina, aliquot quidem liberòrum mater, nec dum tamen trigesimum annum supergressa, insolentissimâ corripitur affectione, quâ conqueritur, ex utero suò prodire nescio quam carneam partim; partim membranaceam portionem; mediocrem spithamam longitudine, latitudine verò tres quatuorve digitos transversos ęquantem; convocantur, ut in dubiis hujusmodi casibus plerumque fit, omnes penè cognatæ mulierculę, quarum alię molam, aliæ procidentiam uteri, aliæ aliud quid p. n. incusabant; & cùm hæ ita in partes distractæ, nec quoad cognitionem, nec quoad morbi curationem convenirent, ego quasi arbiter accersor; ubi, dum audio, menses rectissimè se habere, adeoque uterum vacare, dum certior fio, nullum umquam pręcessisse violentiorem motum aut nisum fortiorem, quo aliàs uterus procidere solet, dum vires nil quicquam marcescere comperior, dumque plures alias circumstantias diligenter expendo (inspectio pertinaciter renuebatur) & factâ collibratione æquales penè eas deprehendo, ipse quidem aliquantùm incertus hęsitavi, quid statuerem, tandem tamen eorum argumentorum gravitate motus, quę ad molam propendebant, hanc quoque mali causam quàm aliam hîc loci arguere malui, legisse recordatus etiam in virginibus, viduis, viro non usis & menstruum fluxum rectè passis aliquando contigisse molam; nec fefellit opinio: vix enim per octiduum uterus metuendę putredini resistentibus injectionibus colluebatur simul ac exteriùs fovebatur, agendis cæteris sollicitè actis, cùm ipsissima indigesta molæ moles derepente prosiliviisset, quo fœmina extemplo convaluit.

Mola ex Vidua L X I. annorum.

Clariss. Joh. Pauli Wurffbainii. Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 7. *&* 8.

Vidua quędam nec formosa, nec amabilis, pia tamen & casta, quę per X X I V. annos in sterili vixit conjugio, marito antè sexennium beatè defunctô, L X I. ætatis suæ anno, postquàm à larga jam annorum serie fluore laboraverat albo, die 1. Martii anni hujus M D C C I I. meum expetit consilium, narratque se per integras sex septimanas nauseâ perpetuâ, vomitibus sępius iteratis, capitisque doloribus vix ampliùs ferendis laborasse, & jam â biduo, magnum sentire è regione inguinis sinistri pondus, cum torminibus abdominis; præscripsi carminativa, stomachicis & antihystericis maritata internè, simulque Epithemata ex emollientibus flatusque discutientibus applicari jussi externè; felici cùm successu cessante mox vomitu ventrisque torminibus: d. 5. Martii, qui dies erat Domini, cùm ægram ante concionem matutinam inviserem, jam statim se prolem edidisse refert, ancillâ Molam simul mihi commonstrante, pondere Unciæ unius cum Drachma unica, Lieni aliquo modo non absimilem, sed breviorem; Miror, cultrumque peto & difficulter satis secundùm longitudinem disseco, videoque substantiam esse fibris benè multis carneis contextam, quam sine ullo sanguinis profluvio Vidua exclusit, post aliquot dies fluore albo consueto iterum se manifestante, obque totius corporis maciem, hecticam præsagiente. Similem ferè Vidua hęc ante biennium exclusit Molam, sed glandulosam, magisque albicantem.

SCHOLION.

Molas sine congressu virili in Virginibus Viduisque concipi non posse, communis ferè Medicorum est opinio, reclamantibus tamen aliis, quos inter nominare hac vice sufficiat Doctissimum Kerkringium Spicileg. Anatom. Observ. 81. Expertiss. Hochstetterum Observ. p. m. 293. Clarissimum Ruyschium. Observ. Anat. Chirurgic. 58. inque perlustratione Molarum præ reliquis Exercitatissimum Lamzvverd. Histor. Natural. Molarum Uteri Capite II. p. m. 16. ubi, prout etiam Cap. I. p. 19. rectissime dicit totam hanc controversiam constare ex mera ὀνομαχίᾳ; Molásque non malè distinguit in Molas generationis & nutritionis, illasque in Virginibus, Viduisque nunquam, has verò omnino fieri posse, asserit, si enim variæ excrescentiæ carneæ, steatomaticæ, scirrhosæ in variis corporis partibus, si talis mola carnea in ventriculo Juvenis, teste Dominico Panarollo Pentecoste V. Observ. XI. p. 147. si in abdomine extra uterum annotante beato Frommanno Ephem. Dec. I. Ann. II. Observ. XVII. enasci possunt; cur non etiam in Utero Virginum, Viduarum & Juvencularum, qualem in puella decenni per biennium jam valetudinaria repertam, leges in Observat. à Doctiss. Blasio Erudito orbi communicatis, absque coitu eris fameque laudabilis læsione? Concedit quidem Ettmullerus Colleg. Pract. p. m. 1083. Editionis ab Optimo Collega nostro Excell. Dn. D. Westphalo editæ, fœminas declinante mensium fluxu, aut etiam alio tempore, excludere solere ex genitalibus massam apparenter carnosam, attamen nihil aliud hanc esse quàm sanguinis majores grumos firmiùs coagulatos, molasque falsò dictas; nostra verò Mola à vidua sexagenaria exclusa, omnino carnosa fuit, quod tamen difficilis ejus dissectio & renitentia, quam ipsa substantia carneo-fibrosa sufficientissimè probavit; hinc Molis optimo à me jure numerata, è quarum numero è contra eas excludo massas carneas uterinas, quæ qualecunque animalis alicujus figuram, sive ex toto sive ex parte imperfectam repræsentant, rectiùs intra monstra numerandas, de quibus tamen, quod sine mare concipi non possint, omnino concedo.

Molæ Singulares.

Clariss. Joh. Helfrici Jüngken. Ephemer. German. Centur. I. & 2.

Observavi præterita hyeme aliquid, quod ad molarum historiam spectat, sanè curiosi. Etenim illustris quædam maritata, incirca 45. annorum, post partum ante tredecim annos manu Chirurgi extractum sensim se malè habere cœpit, fluxu nimirum sanguinis continuò stillante per aliquot annos. Quod incommodum tunc temporis sensim per Martem suasu D. Doct. Brunneri, Archiatri nunc Palatini, in tantùm fuit sublatum ut ad quatuordecim dies rediret, donec successu temporis tandem in ordinem reducebatur. Interim annis aliquot ita transactis, nimio & impetuoso mensium fluxu tentatur, secedentibus concretionibus sanguineis, molarum instar, tenui tunicâ inclusis, formâ ut plurimùm oblongâ lienis instar, & minimi digiti crassitiem haud superantibus. Uterus sentitur, quasi scirrhosus, & ad tactum duritiem lapidis adæquans, quæ durities tandem cedit & redit. Atque hoc malo per intervalla plurimis annis fuit molestata. Præteritâ verò hyeme eodem fuit fatigata & tantùm non enecta, per tres menses, intra quod tempus, concretionum talium ingens numerus fuit rejectus, maximis cum anxietatibus & doloribus, omnibus suam propriam formam, lieni ordinariam referentibus. An molam nominarem anceps sum, quòd cum viro commercium haut habuerit intra longum illud tempus. Ipse cùm vocarer, miras illas molæ-formes concretiones intra unum diem & noctem decem numeravi. Liquidum, quod simul prodit, simile apparet loturæ carnis; cessant tamen illæ concretiones singulis quatuordecim diebus, sed sanguis loturæ carnis similis fluere continuat, usque dum quatuordecim dies redeunt, ubi rursus concretiones tales rejici incipiunt. Sed nunc à quinque septimanis postquam singulare aliquod sal, ex Martis & Antimonii scoris, propria manu elaboratum & casu à me inventum, propino, singulis matutinis, ac acidulas, saltim ad sitim levandam bibit, præter omnem spem se meliùs habere incipit, emanente sanguinis fluxu, & concretionibus illis molæ-formibus; imò in tantum vires recuperavit, ut haud desierit Nundinas hasce adire, aliquot licèt milliaribus Francofurto absit. Quænam hîc uteri constitutio & textura sit, latet, sanguinem tamen singulari modo contextum, nec ritè cohærentem, simul causam fovere credo, effectu Martis inductus, qui tantum effectum, sanguinis texturam restituendo præstat.

Mola Gemellos comprehendens.

Clariss. Adami Brendelii. Ephemeri. Germanor. Centur. 3. 4.

Mulier quædam post partum alterum, de tensivo abdominis dolore, murmure & insultibus hystericis, appetitu dejecto, & lassitudine artuum per tempus aliquod conqueritur, facies pallida & livido infecta colore, squalet, Catamenia inordinatè manant, subinde penitus exarescunt, ut tandem in suspicionem graviditatis propter abdominis increscentis molem, veniat. Domum per duos, & quod excurrit, menses ex insperato terrore perculsa, exquisitissimos dolores hystericos, & profusissimam mensium fluxionem, cùm grumis sanguineis experitur, inter quos caro deformis, ossibus destituta, & vasis dives, cum largâ hæmorrhagiâ prodiit, in cujus medio duo gemelli conclusi latebant, si figuram molæ spectes, ad similitudinem parvi cyprini accedebat, de qua mulierculæ multa non sine risu confabulabantur. Hinc & plures alias, tam embryonibus vacuas, quàm iisdem instructas, cum fœtibus abortivis variorum mensium in balsamicis liquoribus asservo, & nuper admodum mola mihi oblata est, in qua ovulum pellucidum conclusum est; jucundissimo sanè spectaculo, propter tenerrimum embryonem, à gracillimo funiculo umbiliculi dependentem.

MORPHÆA.

Vid.

CUTIS VITIA.

MORPIONES.

MOrpiones facillimè fugantur per applicatum mercurium quoquo modo demùm præparatum; Nec est quod de iis multis agamus. Unicam itaque tantùm observationem ex Nobilissimi ac Clariss. Nicolai Tulpii Observ. Medic. lib. 3. adducemus. Quæ hæc est.

Juveni Brabantino, plurimum vagi, & oberrantis pruritus, in pube ubi fieret; vidimus tandem illic rectè delituisse, aliquos pediculos, figurâ rotundos, sed in dorso nigrâ maculâ notatos; ad hæc pedibus suis cuti tam firmiter accretos, ut nequiverint inde avelli sine

ne ſcalpello. Quæ tamen ſordida, ac immunda colluvies, ne ſemel ſublata, iterum facilè recurreret, imperata fuerunt inſequentia remedia, quibus etiam radicitùs evulſum fuit moleſtiſſimum hocce malum.

℞. Succi folior. aſari ℥iiß. oxymell. ſimplic. ℥ß. aq. hordei ℥ ii. M. f. vomitorium. Quô ubi elicuiſſemus pituitam in ventriculo ſtabulantem: movimus deinde alvum; & impoſuimus feliciter loco affecto, fomenta ac linimenta, ſubtus notata.

℞. Ariſtol. rotund. ℥i. veratr. alb. ℥ß. abſinth. marrub. abrotan. an. m. j. ſem. lupinor. & ſtaphyſagr. an ℥ß. nitri ℥ii. coquantur ex lixivio dilutô, & admixtis colaturæ ℔ij. aceti ſcillitici ℥ iv. fiat fotus. Quô convenienter deterſo, illinebatur pubis regio hocce unguento.

℞. ſtaphyſagr. ℥ß. radic. veratr. alb. & alumin. an. ʒj. argenti vivi ſublimati ℈i. (*non videmus quid hîc per argentum vivum ſublimatum intelligat Auctor; nam ſi de ſublimatô corroſivo hîc agatur nimia eſt doſis; ſi de ſublimatô dulci, multò parcior. Itaque præſtabit admiſcere mercurii ſublimati dulcis* ʒiij. *vel præcipitati albi probè loti* ʒiß.) axungiæ porcinæ q. ſ. M. f. litus.

MORSUS HUMANUS.

DE Morſu humano vide capite, de Rabidi Morſu.

MUCRONATÆ CARTILAGINIS PROLAPSUS.

QUod vulgò Cartilaginis Mucronatæ, ſeu Xyphoidis prolapſus dicitur, eſt potiùs ejuſdem depreſſio ac reflectio. Ex eô cognoſcitur morbus; quòd propter inde enatam orificii ſuperioris ventriculi anguſtiam, cibus durior, nec ſatis dentibus confractus difficulter ad ventriculum tranſeat; dolor etiam hinc oritur, & aliquando vomitus; imò appetitus imminuitur, reſpiratio difficilis evadit in aſcenſu, & morbo durante icterus ipſaque atrophia inducitur.

Ut vitium hoc emendes, ſolùm-modò cucurbitula ventoſa amplioris orificii, exterius cuti, cui cartilago ſubjacet, applicanda, ſicque illa relinquenda uſquedum inſpiratio impeditur; ſubitò tunc removeatur, & cartilago ſæpiùs prima vice locum naturalem iterum occupabit. Quòd ſi non contigerit, repetat Chirurgus operationem ſemel, aut bis.

Poſtea præmiſſa illitione olei roſarum & myrtillor. emplaſtrum hoc apponatur, per aliquot dies in affecto loco detinendum.

℞. Radic. biſtort. nucum cupreſſ. an. ʒi. maſtich. thuris an ʒß. balauſtior. ℈i. ol. nuc. moſch. expr. ℈i. picis naval. & terebinth. an. q. ſ. M. f. emplaſtrum. *Paulus Barbette in Chirurgiâ.*

MYOCEPHALUS, MYDRIASIS & MYOPIA.

Vid.
OCULORUM VITIA.

Finis Libri Undecimi.

BIBLIO-

JOH. JAC. MANGETI BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ

LIBER DUODECIMUS.

De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Literâ N. incipientibus.

NÆVI MATERNI.



DE his jam aliquid in Cutis vitiis, hîc rursus in eodem argumento Dissertatiunculam, & Observationem unicam adferemus.

De Nævorum varietate, & cicere in facie M. T. Ciceronis.

Nævorum historiam pauciores exposuere, inter quos singulari eruditione Lud. Septalius eminet, ut nuperi Scriptoris cujusdam delicatulam reprehensionem incurrere non debuisset. Horum curatio licèt ex se non sit necessaria, à plerisque tamen magis, quàm vel gravissimi morbi, expeti solet. Novimus cui in genâ muris pilosi effigies faciem fœdat, qui, cùm lautissimâ fortunâ semper usus sit, hanc turpitudinem jam olim magno redemisset. Ex sequiori sexu plures nobis notę, quibus aut in pectore, aut collo, aut brachiis, Cerasorum, pisorum, fragorum, ribesiorum, foliorum, avellanarum, & vulnerum quoque hiantium effigies multùm displicentiæ animo ingerunt. Nos istis nunc in aliud tempus sepositis, exemplum ex veterum monumentis adducemus, quod nobis semper consideratione dignum visum: Quis enim M. T. Ciceronem, nisi qui Latinas literas, nescit? Huic nomen Cicer, in facie dedit, matris imaginatione, sub sinistro oculo conspicuum, quod quia in statuis nummisque antiquis plerisque non cernitur, quid causæ sit, hîc indagare lubet. Nec enim inde genuinis non accensendos concludi potest, quod nuper adeo Vir doctus putabat. Cùm enim Illustrissimi Lambecii librum de Bibliotheca Augustissima Cæsarea vidisset, quo me insigni benevolentia donaverat, nummumque argenteum ex Cimeliarcheo Ambrosiano Archiducali in Vindobonense translatum, cujus geminum exemplar uno latere Ciceronis effigiem, altero Minervę suę refert. lib. II. p. 726. æneâ icone expressum, diu contemplatus esset, de antiquitate illius modestè dubitavit, quod ipsa facies tenuior, rugosior, & sine Ciceculo illo videretur: Cui tamen temporum varietatem, qua uni homini non semper eadem vultûs plenitudo esse solet, & situm corporis, quo dextra pars tantùm exhibetur, sinistra, quâ nævus erat, latente, reposuimus, conjectura etiam nostra addita, quâ honori illius datum credimus, ne spectaretur quemadmodùm de Apelle Plinius XXXV. Hist. Nat. VIII. refert. Antigoni Regis imaginem pingente, altero lumine Orbam primùm excogitata ratione vitia condendi, Obliquam enim fecit, ut, quod corpori deerat, Picturę potiùs deesse videretur, tantumque eam partem ostendit, quam totam poterat ostendere. Sic enim in isto quoque nummo obliqua facies eam tantùm partem exhibet, quæ nævo libera exiberi poterat. Plurimi certè nummi antiqui cęteroquin integras quoque facies repręsentant. Quod si omninò genuina Ciceronis Statua marmorea dicenda fuerit, quam Theodorus Gallæus in libro suo Antverpiæ à Plantinis excuso in lucem protulit, Romæ in hortis Cœlimontanis apud Cyriacum Matthæum exstantem, cur tamen nullum Ciceris istius vestigium habeat, nemo facilè docuerit; nisi hîc quoque Statuarii ingenium suspectemus, quod tamen nullum esse poterat; quia directam faciem integramque ostendit. Vero satè simile videtur Romanos, qui tantùm aruspicinę, auguriis, cæterisque Etruscis disciplinis, & Mathematicorum thematibus ac præsagiis tribuebant, etiam Physiognomonicen nęvorum scientiam majoris, quàm par erat, æstimasse, adeò ut illis non tantùm turpitudinis specie molesti fuerint, sed etiam quòd sortis futura loquerentur. Quod licet facilè historiis probari queat, vicissim tamen obstare quis putarit, quòd alii nummi & statuæ reperiantur, in quibus verrucæ extuberantia manifestissima conspicitur. Talem nos Thoracidem marmoream perantiquam Venetiis apud Illustrissimum Rosinum vidimus, qui nobis, Viri summi Joh. Veslingii commendatione, Thesauros suos rerum Naturalium & Antiquitatis verè rarissimos, incredibili humanitate ipse monstravit. Huic autem faciei lineamenta, quę diu & attentè consideravimus, pręter calvitium, Galleanę seu Matthęanæ simillima, sed sub sinistro oculo transversi ferè pollicis latitudine Verruca cicercularis majuscula erat, versus exteriorem canthum, qua ferè Os superioris maxillæ ad temporum processum jugalem tendens, Zygoma constituit in vivis. Nihil ferè nobis ex veterum Physiognomonicis genuini superest, sed tamen ex Cardano aliisque recentioribus constat, nævos ejusmodi verrucarios lęva faciei parte infaustos plerisque pronunciatos, vitęque violentos exitus portendere creditos, non tam fortuito casu, quàm rerum gestarum imprudentia superinductos. Quod licèt vanissimum sciamus,

mus, Romanis tamen quoque Vett. ad superstitionem promptissimis, receptum ex ipso Cicerone patet, qui Pison. morum fœditatem objiciens: Non pilosę, aiebat genę deceperunt me, nec vultus totus. Quid si vicissim Piso aut qui pro illo dixerat, Ciceroni Calvitium, & sinistrum hoc Cicer objecerit? Infelix sanè fuit, quamvis rebus in Cilicia prosperè gestis. Consul enim in patriam redux, non aliud quàm Triumphum meritis suis proximum animo pręcipiens, civili bello involutus; dum non potentiorem, sed justiorem causam sequi maluisset, cum illo etiam vitam, reciso à cervice capite amisit. Quod si è contrario hæc parum curata Tullio ostendi queat, non aliam deinceps causam reddituri sumus, quàm quod in Stoicorum Scholis educatus fatorum suorum fiduciam habuerit. *D. G. Hier. Velschii.*

De Nævis Maternis.

Amicum habeo, Clarissimum Virum in cujus fronte vitrum elatius vino rubello semiplenum, quoties incalescit, visitur, Matris id vitio adscribitur, visum fortè ejusmodi poculum avidissimè desiderantis. Alium novi in Francia Orientali, cujus in cubito perfectus mus cum pedibus & cauda exprimitur, pluribus pilis nigricantibus brevissimus horridus. Condiscipulum memini me quondam Mombelgardi habuisse, cui tuberculum fragiforme in humero enatum erat, Junio Mense semper tumidius ac aliàs. Accepta vitia ferunt illi terrori Matris, huic desiderio.

An curari possint aut debeant? non parum illustris quæstio est inter Chirurgos. Prostant exempla infelicis tentaminis. Amicus cui in sinistra maxilla tres maculę lentiformes lenticoloresque, nihil elatę, sed cuti ęquales à Matris phantasia sunt, pilis durioribus horridę, variis tentaminibus eradicare deformitatem instituit, sed à levissimis quibuscunque innocentes maculas ita exasperavit, ut surgere in tumorem, & immani dolore torquere genam cœperint, nec dubium, quin gravius quid fuisset passurus, ni tandem medicaminis impatientes maculas fecisset missas. Infelix tentamen mori eradicandi in puella 17. hebdomadum memini me legisse apud Ammannum in Paręnisi. Plura possent adduci; Præsertim in capite vel facie nævum, si tangatur, plus offendere tradunt, quàm prægrandes in corpore maculas aut verrucas. Consului hac in re excellentissimum Chirurgum Dn. Joh. Petr. Willium Civem Francofurtensem primarium, Patruum meum, qui à prudente & perito Chirurgo tale quid rarò reformidandum suâ experientiâ didicit, & hisce mihi respondit: Sectione talia tolli optimum, quæ facilis est, si tumor filo circa radicem possit constringi, apponique parti talia quæ humores affluentes commode intercipiant aut repellant: Cavendum ne arteria aut vas aliud majus, maximè verò nervus lędatur: Nam si sine vitę periculo nasum, aurem, oculum evelli natura permittit; cur in spuriis iis ejusmodi non eadem facilitate utetur. Cùm Ann. 1649. in *Richsleben*, qui locus Helmstadio quatuor milliariis distat degerem, affertur mihi infans ludimagistri loci, cujus avus pastor erat, supra cujus infantis utrumque oculum perque totam frontem infinitæ extuberantiæ molles rubrę, cœrulę, albę, fuscæ, variis denique variegatæ coloribus, non secus ac si Galli Africani collum & caput fronti accrevisset extendebantur, procedente super utrumque oculum crista rostrata Galli Africani longissima, similis excrescentia, sed aliquanto depressior genas deformaverat. Causa tantæ deformitatis erat similis facies aurigę, quem fortè gravida viderat Mater. Infantem viderat etiam Excellentissimus Dn. D. Herm. Conringius, amicus meus colendus, cujus uxori infantis mater olim à famulitiis fuerat, & pro incurabili casum is habuerat. Ego verò curam tentavi, & remotis hisce quisquiliis omnibus ea brevi felicitate infantem restitui incolumem, ut pręter alios summopere illustris Conringius successus non sperati felicitatem fuerit admiratus. Nec hęc hirundo mihi sola quę ver faciet, plura si voles recensebo exempla. Vale. Francof. 1674. 1. Jul. Hęc ille venerandus senex, quę in Sermonem Latinum transferre & publico communicare volui. *Joh. Val. Willii.*

Connata frontis excrescentia feliciter ablata.

Clariss. Christophori Horchii. Miscell. Curios. Decur., iij. Ann. 3.

Die decimò septimo Julii Anni 1689. Matrona quędam honestissima Bernensis Helvetica, ex Nobilissimò & antiquo Wartenwilleriano Stemmate orta, nocte præteritâ, formosum aliàs enixa est pusionem, cum tumore inter ambos oculos ad nasi radicem connato, livido, mobili, ac molli, radice plana, magnitudinemque juglandis non superante, æquante tamen.

Hic recens natus infans statim curæ Domini Alberti Baurenconingii, Manuductoris in Chirurgiâ tunc mei optimi, sincerrimi (cujus obitum multùm lugeo) committebatur; qui etiam horâ quartâ pomeridianâ curam in hunc modum aggressus est.

Tumori cum cute, digitis quantùm poterat, allevato, filum injiciebatur sericùm, contortum & ceratum quod, dum subtili instrumento injectum filum deprimendo & applicando ita, ut etiam cutis sanę pars illò arriperetur, sensim quàm validissimè nodo simplici, nasi versus apicem, posteaque adhuc retrò superiora versus circumductum nodo strictissimo duplici constringebatur, filamenti extremitates reponebantur, & linteis exiguis contortis digestivo imbutis deligabatur.

Die insequenti excrescentia hęc livido-flavescens & mortificata, frigida se præbebat digitis, suppurationi prospiciebatur solo digestivo, interim bene se gerebat Infans.

Tertio ab operationis die sinistrum hujus tumoris latus, prope radicem lympha aliqua flava crudescebat, ast visibili apertura nulla, reliqua tumoris substantia dum esset dura & livida, absque tamen suppurationis odore, ad excipiendam lympham apponebantur lateri illi plumaceolæ siccæ, continuabatur digestivo ad accelerandam suppurationem temperato.

Die quarto tumor nigricans indurabatur multùm, ità ut tophum simularet, diminuebatur tamen magnitudine sua, nullumque adhuc suppurationis spirabat odorem.

Die quinto plumaceolæ rubro colore tinctę à filo serico, vasculum aliquod apertum mentiebantur, suppuratio jam ex odore advertebatur paucissima.

Dies sextus & septimus novi nihil ferebant.

Octavo tamen die, cutis radicis filo inferior excoriata & suppurans conspiciebatur.

Die nono, quoniam nimis exulcerabatur & recedebat à filo circumjacens cutis; Excrescentia hæc cultello inferiùs filo resecabatur, totaque hæc vulneris facies grossum Imperialem æquabat magnitudine, in cujus centro protuberantia quędam callosa & alba radicis instar se offerebat oculis; sanguinis fusio aderat nulla nec dolor, deligabatur solito; vespertinâ autem horâ, in religatione ob metum recidivæ, callosa hæc protuberantia ferro candente quintâ vice, suspensâ tamen manu, attingebatur absque gemitu pusionis, deligabatur emplastris contractivis & glutinantibus in formam crucis, ut artis est.

Decimo, ad separandam escharam applicabatur unguentum ex succo apii (quod numquam satis laudandum

... ad promovendam separationem in partibus membranosis.

Undecimo die, Glutinantia omittebantur, & radix ista callosa ad calami crassitiem prę reliqua vulneris carne prominebat.

Duodecimo, ulceris nunc facies exquisitissimi erat sensûs, rubescere incipiebat, & materiam tenacem fundebat multam.

Decimo tertio, Radix præfata nondum satis exesa, infernali lapide suspensa manu, tangebatur, ex cujus tactu totum per diem ploraverat infans.

Decimo quarto, Radicis separabat se eschara, parva tamen adhuc supererat protuberantia albicans, quapropter causticum imponebatur linteolum.

Die decimo quinto, liquore deligabatur nostro vulnerario, qui constat ex aquæ calcis vivę cum mercurialis ęqua commixtione, ast nimis exsiccabat hic liquor, quapropter ad Emplastrum nostrum galbanicum, tanquam ad certam & rarissimè fallentem vulnerum consolidandorum anchoram refugimus, sicque optimo cum successu continuavimus ad diem vigesimum primum, cùm materia adesset nimia & caro parumper luxuriaret, ast semel reiterato alterato liquore pręlato, caro solida se prębebat & optima, continuabatur ergo cum emplastro illo ad omnem usque consolidationem, sicque hic infans, deformitate ablata, vigesimo octavo die sanatus, demittebatur, remanente rubore aliquo, qui tamen ex tactu cosmetici breve evanuit.

SCHOLION.

Arcta quę sit & harmoniaca humorum & spirituum circulatio matris cum fœtu, ingeniossimi Naturæ scrutatores satis clarè enuclearunt, hîc tantùm referam: Matrona gravida cùm esset, in octavo mense, ex improviso & cum terrore aliquo obviasse hominem quendam vidit, strumâ colli pensili maximâ oneratum, ex cujus improviso adspectu atque imaginatione spiritus matris confusè permoti concurrerunt in illam partem nasi à matre fricatam, quia caro matris satis valida erat, ad recusandam talem disruptionem seu impressionem fibrarum, nihil illi nocebat, dum verò mater hæc videt & sentit, idem & fœtus in ergastrio sentit & videt, & quia hujus carnis fibrillæ nimis teneræ erant, & resistere cursui spirituum adeò violento & confuso nequibant, distorquebantur ac disrumpebantur, figurâque visâ impraegnabantur. Suppurationis suprà præfatę, retardationem deduci posse credo. 1. Ex defectû caloris externi, quoniam nullis prospiciebatur fomentationibus, quas magnifacere soleo ad accelerandam suppurationem. 2. Ob lymphę transudatę profusionem, unde partes particulis suis motricibus orbatæ, terrestriores, difficillimè moventur & suppurantur, quę etiam causa duritiei inductæ esse potest. Et 3. quoniam cutis constricta & suppuranda fuerat sana, quæ arripiebatur filo ob metum remanentiæ alicujus lividitatis tumoris. Quod autem nihil immoraverimus ablationi excrescentiæ, in causa fuit timor, ne incrementum capessisset majusque spatium occupasset, & pręstat hujus farinæ tumores quamprimùm post partum removere.

NARIUM, HÆMORRHAGIA.

Vid.

HÆMORRHAGIA.

NARIUM MORBI.

NArium carnes spongiosæ, glandulis pluribus intersperſæ, sedes sunt fætoris, ulcerum, indeque factæ ozænæ, & polyporum. Cancros non addimus, quia de his fusè alibi. Nec etiam opus est hîc de Polypo vel Ozænâ verba faciamus, siquidem ea propriis explicantur capitibus. Impræsentiarum itaque tantùm generalia quędam de Narium Morbis, per *Curationes. Consultationes, & Observationes.*

Curationes.

Ozæna.

In ozænis & reliquis fœtidis ulceribus, præmissis universalibus mundificantia primùm necessaria, posteà consolidantia.

Mundificantia sunt aquæ abstergentes, qualis est aqua aluminis ex arena sine spiritibus cucurbitâ terreâ simpliciter per alembicum destillata, & aq. plantaginis, in qua aliquid de Mercurio dulci dissolutum fuerit, & similia.

Deinde præstans est aqua viridis ex Auripigmento confecta, quam ex aliis Platerus habet in curatione doloris, quę.

℞. Æruginis ęris ʒj. auripigmenti ʒiß. terantur subtilissimè, & coque in Vini albi ℥iv. ad consumptionem partis mediæ, ubi refrixerint, adde Aquę rosarum & solani an. ℥ii.

Aq. Viridis Hartmanni.

Præstantior est alia aqua viridis mihi usitata, quæ non tantùm in ozænis sed in omnibus ulceribus fœtidis narium, palati, uvulę, gingivarum, linguæ mirificè valet. Estque talis.

℞. Mellis rosati, ℥ii. Sulph. vivi, aluminis crudi, ęruginis ęris, an. ℥i. albi gręci, Comarum sabinæ, an. ʒii. sambuci, ʒi. fol. hyperici, rorismarini, rutæ, plantaginis, salvię, pulegii, an. Mß.

Hæc coque in vini & aquę ℔ii. ad consumptionem digiti transversi unius (in aphthis puerorum temperetur aquâ tabaci, solani ana, secus nimirum acrior est.) Nota: ęrugo æris non simul coquatur, sed in fine addatur & relinquatur donec refrixerit, posteà coletur & servetur usui. Cujus cochlear calefiat supra candelam, posteà cum penicillo eâdem aquâ intincto tangatur locus exulceratus.

In fœtidis ulceribus palati, faucium, uvulæ, immittatur aqua hęc cum stupis: mirabiliter non tantùm mundificat, sed insuper etiam consolidat, in primis ulcera palati & faucium ex lue Venerea orta.

Mirabilis quoque est scorbuto oris (interdum applicetur cum gossypio vel stupis, ne noctu deglutiatur propter æruginem.) Pro gargarismate multùm valet decoctum Veronicæ & mellis in aqua simplici vel decocto saturejæ in Vino.

Consolidantia sunt præter illam aquam Viridem posteriorem, quę maximè ad consolidationem facit, præsertim in ozęnis.

1. Pręstantissimum est quod reperitur apud Rondeletium titulo de ozęnis, quod.

℞. Ladani puri, hypocistidis, mastichis, mirrhę an. ʒii. styrac. rubri, Calaminthæ, Corticum thuris, Sandarachę, auripigm. rub. an. ʒii. (Rondeletius habet ʒiii. sed improbo) excipiantur omnia terebinthinâ & F. trochisci, quibus fumigetur in cubiculo serò & manè. Optimum etiam est ex iis parare candelas, cum cera rubra (propter cinnabrium, quod in cera rubra) & fumum, qui ex candelis succensis in loco angustiori colligitur, excipere.

2. Est decoctum Myrrhę & Olibani an. ʒiß. in Vino & acet. an. ℔ii. & in petiis aliquoties (de syndone) calide applicatum.

Fry-

Eryſipelas Narium.

Eryſipelata narium communi more inſtar Eryſipelatum cæterorum reſtinguuntur.

Specificum eſt menſtruum virginis in acet. deſtillato roſaceo diſſolutum, & in petiis rubris calidè applicatum, præſertim ſi ſudores moveantur.

Carcinoma Narium.

Carcinomata narium curantur, ut alia carcinomata (carcinomata exulcerata tantùm non intelligantur) reliqua quę ſine dolore, ne tangantur, mirificè tamen hîc valet aqua Arſenici, quæ fit hoc modo.

℞. Arſenici albi, ſalis nitri puri an. q. ſ. figantur invicem tigillo igne rotę, ita ut in fine omnia fuerint liquata (NB. evitetur fumus ſtudiosè, ideoque hæc operatio ſub dio fiat) ubi omnia refrixerint, arſenicum erit candidiſſimum. Hæc autem operatio ſecundâ & tertiâ vice cùm ana Salis nitri inſtituatur. Ex hoc arſenico per deliquium in loco humido F. oleum. Hujus tantùm in aquâ plantag. vel perſicorum diſſolvatur, ut mixtura ipſa ad guſtum linguæ tolerari poſſit.

Polypus.

In Polypo prę̨ter cętera vulgaria præſentiſſimam medicationem (præmiſſis prę̨mittendis) præſtant turundæ radicis gentianę cum unguento ſequenti illitæ.

℞. Pinguedinis anſeris q. pl. foliorum malvæ, radicis altheę q. ſ. coque invicem, poſtea exprimantur per laciniam & F. Unguentum.

Vel ℞. Butyri recentis, pinguedinis capi, ol. olivarum, q. omnium placet, adde cerę exiguum, F. Unguentum.

In alterutro horum unguentor. miſce Mercur. prę̨cip. aut arcanum Corallinum, vel etiam Mercur. vitæ v. gr. in unguenti ℥ß. Mercur. ℈ß. vel etiam plus uſque ad ℈j. Hoc unguento parato inungantur turundæ ex radice gentianæ factę & indantur naribus, ſi adhuc quandam cavitatem habuerint: ſi minùs tantùm polypus propendens inungatur aliquoties, idque fiat tantiſper donec totus abſumtus fuerit.

Fœtor Narium.

Fœtor narium aſſiduus difficulter curatur: Fit ex abſceſſu vel putredine in ipſo olfactu ſenſorio vel oſſe ethmoide.

Odoratus Abolitus.

In odoratu abolito ſpecificum eſt Extractum Majoranę ſingulis diebus jejuno ventriculo & veſperi præmiſſis univerſalibus, ſumptum, doſ. ℈ß. vel etiam ℈j. Item Balſamus majoranę affabrè factus, & cum Extracto mixtus, aut per ſe ad gr. vi. vel viii. ſępiùs in vino ſumptus, vel etiam oleum, moderatè ad gr. ii. iii. iv. aliquando ſumptum, penitùs morbum tollit.

Valent etiam ſternutamenta, cùm præſertim vitium eſt in obſtructione officuli Ethmoidis.

Coryza.

De Coryza vide ſuprà in Catarrho.

Hîc etiam valet Gummi animę vel oleum ejuſdem in ſuffitu ſuper carbones. Item Tabacum aliquot guttis ol. aniſi conſperſum more communi ſumptum.

Hæmorrhagia narium.

Hæmorrhagias narium excitat millefolii ſuccus recens expreſſus (pulvis minùs efficax) item flammulæ (ſed minori efficaciâ conſtrictis leniter faſciâ) venis jugularibus. Vide P. Bayerum capite de Polypo.

Eandem ſi ſiſtere libet, proximum eſt, accipe 1. fumum de pilis leporis ſub ventre naſcentibus vel caudæ extremitates, *die Weiſſen-Haar*, Xenia Paracelſi.

2. Hæmorrhagiam narium ſiſtit pulvis bufonis exſiccati in nares inſufflatus, vel laciniis inditus aut bufo integer ſub axillis geſtatus.

3. Flor. Bellidis minoris in manu patientis aliquandiu detenti, ſanguinem ſiſtunt. Alioquin iidem flores ſanguinem coagulatum & putreſcentem extra venas mira proprietate diſſolvunt & conſumunt, ſi in cibo uſurpentur (etiam in partibus diſtantiſſimis, verbi gratiâ, ſub unguibus.)

4. Stipites Melanthii admoti, vel geſtati etiam idem faciunt ſiſtendo ſanguinem.

5. Laudanum opiatum vel intrò ſumptum, vel etiam cum pilulis naribus intruſum.

6. Lamina argentea (verbi gratiâ Thalerus) inter cilia applicetur (fortiſſimè faſciâ,) extemplo juvat.

7. Hæmorrhagiam ſiſtit extractum croci Martis ſequens, ſi ejus gutt. iv. cum aquâ plantag. exhibentur.

℞. Limat. Martis ℥j. affundantur paulatim & ſucceſſivè ℥iv. ad viii. Aq. fort. digerantur per noctem in cineribus vel arena: hinc per alembicum extrahatur. Aqu. fort. ad ſiccitatem. Pulveri reſtitanti affundatur ſpir. V. ad 2. digitorum eminentiam, digeratur totum, donec rubeſcat. Hinc à fę̨cibus decantatur, & in B. vel cineribus uſque ad oleitatem deſtillatur.

Lepus in Martio captus exſiccatus, pulveriſatus in naſum vel vulnus immittatur.

Hæmorrhagia Critica.

Hę̨morrhagia narium critica; niſi copiâ vires proſternat, non impedienda: morboſę verò mox in principio ſuccurrendum. Quare ad ea, quæ ſanguinem avertunt ad alias corporis partes, accedendum, & ſi indicantia permittant, vena ſecetur brachii externa, nec magna ſanguinis quantitas unâ detrahatur vice, ſed reiteratis vicibus, horâ unâ intermiſsâ ſemper pro virium robore.

Cucurbitę magnę hypochondriis & inter ſcapulas applicentur. Omnia acria & calida vitet, vinum granatorum cum aqua Chalybeata dilutum bibat, ſuccum ribium inſpiſſatum: conditum eorundem per intervalla aſſumat: Syrupis utatur refrigerantibus, ut de Corallis Quercetani, dilutis cum aqua cichorii, Endivię, portulacæ, nymphææ additâ ʒj. aut alterâ Sal: prunellę. Aquam item è Typhis cervorum aſſumat; terram ſigillatam; bolum armenum cum ſpeciebus diatrion ſantalon in forma, aut in aq. cardiacæ cum confectione de hyacintho, aut in forma boli cum conſerva:

Epithema item applicetur exteriùs hepati ex aqua Endiviæ, cichorii, roſarum, nymphęæ cum flor. roſ. rubrarum, ſantalo, camphorâ, additis ſemine portulacæ, oxalidis, cichorii, cum pauco acet. ſtatim hinc ſequente manè purgetur infuſione Rhabarbari cum ſyrupo roſarum ſolutivo aut de cichorio cum Rhabarbaro.

Fronti quoque & temporibus adhibeantur medicamenta adſtringentia & refrigerantia: in primis fiat cataplaſma ex bolo armeno aut ſanguine draconis cum albumine ovi ſubactis, immittatur turunda è gr. 10. aut, 6. cum panno raſo: aut fiant pilulę duę ex laudano occludendo illis narem utramque. Aut ſtercus aſininum aut ſuillum acet: roſaceo diſſolutum immittatur in nares, quod vel ſolo odoratu ſępiùs ſiſtere compertum, ſi cum aquâ roſarum & camphora mixtum ſacculis includitur ad odorandum.

Ad collum, ubi venæ jugulares ascendunt, applicantur lintea in aqua sperniolæ, in qua parum camphoræ & sacchari saturni solutum sit intincta.

Eadem aqua utiliter ad Epithemata hepatis & testium, qui involvi possunt linteis imbutis acet. rosaceo, in quo sperniolæ compositum dissolutum, adhibeatur. Imò dicta aquâ lavare faciem & nares commodum, quia coagulat sanguinem: ità in hæmorrhagiis quibusvis vulnerum applicari cum linteis commodissimè potest. *Johan. Hartmannus in Praxi Chymiatr.*

Fœtor Narium.

Si ab ulcere, polypo aut sarcomate promanat, non priùs quàm eadem curatur; si verò à corruptis humoribus in naribus contentis, exoritur, ac recens fuerit, facilè curatur. Si inveteratus, incurabilis est, maximè si à malâ narium conformatione, nempe simitate & depressione nimia contingat.

Curatio perficitur causarum ablatione & symptomatis lenitione. Ac primùm evacuationes universales instituendę, quæ totum corpus & ipsum cerebrum ab excrementis pituitosis liberent, per apozemata, pilulas &c. quibus, si magna humorum copia redundare videatur, diæta sudorifica addi poterit, mox errhina abstergentia, & materiam conjunctam educentia, erunt administranda; ac primùm manè & vesperi è vola manûs vinum album attrahatur in quo centaurium minus & calamenthum fuerit incoctum, deinde betæ succus cum aquâ majoranę extractus locô prædicti attrahatur.

Vel ♃. Radic. cyperi & calam. aromat. an. ℥ß. Rosar. rubr. p. j. Myrrh. ʒij. Coquantur cum vinô albô pro errhinô. Ad potentiùs pituitam ex altô eliciendam.

♃. Rhad. ireos Florentin. Ellebor. alb. piper. long. an ʒß. Sem. anis. & major. siccę pulver. an. ℈j. Euphorb. gr. I. Olei nard. cheir. & violacei an. q. s. f. unguentum molle, ex quô intinctâ digiti minimi extremitate fricentur nares internæ, vel turundâ, aut aliô linamentô lentis magnitudine in nares immittatur. Denique ad fœtidum odorem tollendum, suave olentia naribus sæpe immittenda sunt, ut Gallia moschata in vino odoro dissoluta, aqua angelica, &c. *Lazarus Riverius in Praxi Medicâ.*

In narium profundô, circa ossa spongiosa, & in antris cavis maxillę superioris ossium, pituita, mucus, diutius retenta, nauseosum, vel, si putrescant, fœtidum odorem reddentia, Narium fœtorem dictum inducunt. Quod cùm ob muci illius tenacitatem & immistionem cum pravis aliis humoribus, tum etiam ob angustias harum cavitatum, ubi hæ sordes colligi, atque donec emungantur vel effluant, retineri solent, evenire potest, ab ortu sic constitutas, vel coarctatas, ac tunc ferè nasus naturâ, vel vi aliquâ externâ depressus apparet. Ab ulceribus in abdito narium, vel nasi amplitudine aliquâ hærentibus, hoc idem accidit.

Ab humoribus intra calvariam circa organa olphactûs, vel etiam in ipsis cerebri ventriculis putrescentibus, idem fieri scribunt, sed veritati haud consonum hoc videtur, tantam putredinem in cerebrô gigni, quin longè graviora accidentia,& mors interdum ipsa sequatur.

Exhalatio illa fœtida si ab ulcere exurgat, eo curato cessat. Si à morbo narium organicô, ob illarum angustiam, virium est ferè inemendabile, nisi præcaveatur ne excrementa cerebri majori copiâ, vel planè nulla eò defluant. Quòd si alioquin causa sordium, quę ob copiam vel pravitatem facilè corrumpuntur, vel putrescunt: fœtor hic quando hęc redundant, aut retinentur, exurgat, tunc curatio sic aggredienda.

Purgamus corpus decenter, & pro ratione humorum redundantium medicamenta exhibemus, capitique ea accommodamus.

Naribus attrahuntur errhina, vel eæ illinuntur unguentîs, quę abstergendo & irritando sordes promovent, odoreque suavi has sedes imbuunt. Succus iridis attractus, vel illitus naribus, valdè efficax est boni odoris. Vel sic.

♃. Succi iridis ℥iß. Succi major. ℥j. Vini odorati vel malvatici ʒß. M. Succus betæ ad majorem stimulationem addi potest. Vel, cùm magna adest putredo, adde huic errhino succi centaurii min. & absinth. an. ℥j. Aceti rosac. vel scill. ℥ß. Myrrh. ʒj. M. Succus folior. lauri vel myrthi, aliique odori addi possunt. Inspissantur hæc quandoque ut meliùs hæreant & illini possint.

♃. Prædictę alicujus compositionis ℥iß. Adde ladani, storac. calamit. an. ℥ß. Mellis, vel infusionis gummi tragacanth. factæ in aquâ aliquâ odoratâ q. s. ut fiat linimentum.

Ad odorem suavem conciliandum, odoratis, quæ vel attrahenda naribus, vel etiam infundenda, utimur; ut vinô generoso vel malvatico in quô folia ocymi, majoran. calamint. lauri, flor. lavendulę, cinnamomum, caryophylli, infusa macerataque sint. Vel aqua still. flor. aurantii, rosar. citri, limon. usurpanda. Vel aliæ suavis odoris compositæ variis modis ex odoratis plantis, seminibus & aromat. Quibus tam simplicibus quàm compositis, si moschus vel ambra addantur, majorem habituræ sunt gratiam.

Inunctiones similiter odoratę, fiunt ex moschô, ambrà, dissolutis in oleô de been vel aliis, quæ tamen horum odorem non planè infringant, ut ferè fit, si hęc aliis compositionibus, ut multi docent, addantur. Zibettum per se inungi potest: olea still. cinnam. caryophyll. majoran. aliave odorata cerâ albâ excepta, si naribus indantur, odorem vehementem & diu perseverantem expirant. *Felix Platerus in Medicâ Praxi.*

Errhina & ptarmica motum fieri promovent, sicubi stagnet, vel evacuari desideret. Motum promovent, tum mediatè ex capite, una enim & perpetua est communio vasorum salivalium & lymphaticorum, tum immediatè ex naribus ipsarumque glandulis; ubi spissescit quandoque serum; torpidius fit ac putrilaginosum. Qandoque enim in ossis ethmoidis confiniis residens humor; obstructis poris, nec aëre sufficienter ventilatur, & odorem ingratum concipit; sive jam in ulcus facessat, seu minùs, quę causa est fœtoris narium ordinaria. Ubicunque ergo per has vias motus fieri promovendus est, illa ex usu sunt; evacuant humores prę-sentes, abundantes ac retentos, liquando & liquatam deplendo lympham. *Georg. Wolffgang. Wedelius in Aman. Medic.*

Consultationes.

Ad Narium fœtorem.

Cùm sit fætor narium antiquus, videndum num sit ob conformationem, aut gentilitium; à vitio olfaciundi facultatis, ossium, aut viæ, aut generationis ipsius materiæ.

Malum aliquando est in olfaciendi sensu ipso, aliquando in ossibus. Quęrendum an sit symptoma fætor narium, an morbus, & quis morbus, quod symptomata, cujus morbi. An sit actionis lęsio, an exiens mutatum, an utrumque. An sit ulcus. Nam in ea virgine de quâ consulebatur, solebat velut quoddam crustosum ex imâ nare deradi, quod ἑλκῶδες τὶ significare videtur.

Sciendum præterea an vitio humoris qui talis generatur, id fiat; an bonus & εὐώδες humor sit excrementitius, sed dum attingit ossa ethmoidea, aut alias partes ulceratas, ibi corrumpitur, & δυσωδίαν acquirit. Sic diathesis tantùm mala esset. Et non tam vacuandum quàm alterandum.

Est enim ubi diligentiùs purgandum, est ubi non, præsertim cùm agitur de fętore oris. Imò licèt totum corpus evacuaremus, ne hilum fortè proficeremus. Indelebilis enim est diathesis.

Dubi-

Dubitari potest an humectantia conferant, an sicca & calida. Si enim tetra est sanies, si ulcerosum quid, potiùs est siccandum & detergendum. Et quod in meth. medend. aut potiùs in lib. de loc. affect. Galenus facit, qui pulmonicis, præsertim ubi putredo est in pulmonibus, sicca & calida dat; (contrà quàm Medicorum vulgus facit, præscribens multa jusculа) id Herclè faciendum est. Contrà quæ humectant juvare videntur. Nam quæ è cerebrô huic Virgini fluunt, viridia sunt & tetri visus, quæ declarant æstum quendam in cerebrô aut corruptionem. Quibus enim corpus biliosum & æstuans: si tale caput est, iis ferè mucus viridis excernitur.

Sic ratione caloris valebit litus ex mucore psyllii extractô in aquâ plantagin. additâ pomatâ lotâ in aquâ odoriferâ, aut aquâ rosaceâ. Valebunt pilulæ etiam cum aromaticis; Gargarismi cum odoriferis; Balnea ad contemperandum & squalorem tollendum; Cauterium occipiti addendum; Abstinendum à majoribus & calidioribus; Ptyalismus provocandus iis quæ sunt moderata; Tabellarum sit frequentissimus usus; Cucurbitulæ. Si ulcus, curandum ut ulcus. Caputpurgia valent.

Folior. major. betæ, betonic. an. m. ß. tundantur affund. aq. beton. & vin. alb. an ℥ii. fiat expressio. Adde aliquid ireos. Vel infunde in hydromelite. Adde tantillum piperis, quia vis coctione evanescit. *Gulielmus Ballonius Consilior. Medicor. lib. 2.*

Annotatio Jacobi Thev·tii) Noduli non sunt omittendi. Fernel. probat expurgationem cerebri per gargar. Si liquor haustus in nares ore resupinô relabatur in fauces. Fiat decoctio in hydromelite maceretur iris, salvia, cyclamin. rad. vel in hydromelite dissolvitur mel anthosatum.

De rubore Narium.

D. Robinella sentit ex intervallis appulsum fuliginis aut vaporis calidi, ut est prædita visceribus calidis, extrema naris incalescit, intumescit; sed ut mulieri non potest eripi cura cultus corporis, ita nihil negligit quod ad id mali evitandum pertinere possit; imò etiam ad Empiricos confugit. Illi calidis rem irritarunt, & infecta plane res est. Nos eâ ratione ei consultum voluimus. Quia malum à visceribus; iis danda opera est, phlebothomia; purgatio valet cum cassia, catholic. sena; lotio pedum, epithemata; cucurbitulæ, enemata refrigerantia. Caveat topica frigidiora; eaque quæ moram in parte affecta trahant. Unguentum citrinum, cera virginea in aqua rosarum & nenu·pharis lota; vinum fragorum; cremor hordei; decoctum hordei, quô mangones ad mangonium puerorum & nitorem, utebantur Hippocratis tempore. Emplastr. molle ex gumm. tragac. arabic. amylo, palica cerussa & cera virg. locô ceruss. lythargyr. valebit.

℞. Folior. salic. m. ii. albumin. xii. ovorum, succi limonior. ℥ii. destillent cum lacte, oleum ex seminib. frigidis aqu. lilior. cum trochisc. alb. Rhas. vel emulsiones aqua rosar. cum paucô mucoris seminis altheæ & gumm. tragac. frustum carnis vitulini. mane applicatum. Valet pasta regia Fernelii & hordeum mundatum in jusculis *Idem Consilior. lib. 3.*

De Narium angustia pro Religiosissimo Concionatore.

Quantò cum labore legi præsentem Consultationem; tantum cognitu difficilis affectus proditur in ipsâ curâ, qui curandus proponitur, cùm ipsius essentiam ad instar materiæ primæ per negationem descriptam viderim. Neque ex enarratis constat qua prædita sint qualitate, & qua copia, quæ per nares, cùm antehac, tum in præsentia excernuntur, quæque sit excrementorum natura, & numquid meliùs habeat æstate, an hyeme: sed hoc solummodò religiosissimum Patrem & disertissimum Oratorem, quinquagenarium: & quod excurrit, calidi & humidi temperamenti, cùm totius, tum etiam quoad partes principes, ex parte natum, olfactu privatum, duobus abhinc annis, post varios labores exantlatos itineribus, studiis, concionibus, jejuniis, vigiliis, accedente incomposita vivendi norma, conqueri cœpisse de angustia quadam narium, ad instar nodi eas comprimentis, quæ ad quodcunque studium, aut scribendi munus se applicet, diutius illi incumbere non permittit, non sine sensu titillationis; cui & accessit ardoris sensus. Quibus etiam, adventante vere prætcrito, gravedo successit, licet variis medicis præsidiis universalibus, & particularibus antea usus fuerit.

Ex Quibus sanè compertissimum fit, partem affectam esse nares hæreditaria quadam imbecillitate, forsitan angustia naturali laborantes: cùm præsertim non tantùm lectissima Matrona, religiosissimi patientis mater sed & avunculus labem in naribus passus fuerit, cujus causâ velut ex naso loquebatur. Qualisnam autem sit narium affectio non constat, cùm nil observetur, neque extrinsecus, neque in earum meatibus. Crediderim tamen angustiam illam esse majorem crassitiem, quàm conveniat, cum exsiccatione internæ narium membranæ, naturâ crassæ, quæ perpetuò nares patulas conservat, & sua lubricitate mucosæ illuviei effluxum faciliorem reddit; quoties enim cunque prædicta membrana crassior, & durior redditur, non potest non coarctare nares ad instar nodi; crassioremque redditam esse membranam prædictam, ob confluxum materiæ, cùm pituitosæ, tum melancholicæ crassæ eò confluentis, & impactæ. Quod si talis materia salsedinem aliquam contraxit, quod in cerebro calido non difficulter contingere potest, titillationem, & ardorem excitare apta est, prout majori copia fluens, gravedinem, & forsan difficilem respirationem reddere potest. Quæ omnia intensionem, & remissionem facilè suscipiunt, cùm ex lectura, tum ex scribendi labore, propter confluxum novæ materiæ, & ejus quæ confluxit resolutionem.

Affectus sanè curatu difficilis, cùm jam sit confirmatus, hæreditariam dispositionem ducens à parentibus, totque & tam variis remediis hactenus adhibitis non cedens. Quinimò metus est, ne per ætatem in deterius labatur, cum ipsiusmet olfactus abolitione. Non tamen supersedendum Medicis præsidiis.

Hæc eò collimare debent, ut divertatur fluxio, fluxaque materia attenuetur; emolliatur; digeratur; & sensibiliter evacuetur, ac tandem contemperetur caliditas, & siccitas partis affectæ. Hæc præstabuntur remediis Chirurgicis, & Pharmaceuticis.

Chirurgica itaque quod attinet, præmittendam censeo aliquam sanguinis eductionem ex venis sedalibus, non tantùm hoc tempore, verùm etiam, & alternis mensibus, pro majori revulsione; mox & sanguinem mittere suaderem ex venis narium phlebotomo, vel admotis hirudinibus, cavendo ne superiora petant; & præter inustos fonticulos, inurerem & alium occipiti, pro derivatione à capite, & revulsione à parte anteriore; duasque leves inustiones retrò aures, vel ulcuscula pararem, cum lacte tithymali, aliquandiu patentia servanda; non omissis infernarum partium lotionibus frequenter administratis lixivio dulci moderatè calido.

Pharmaceutica autem remedia sint, quæ alvum continuè ducant, non tamen generosa, & præmissâ blandâ totius curâ. Laudarem quoad interiora remedia, potum aquæ Villensis, vel magis Ficencellæ in agro Senensi. Porretanam enim in agro Bononiensi, & Maseriànam in Valletelinensi erumpentem, dal Masero dictam, tanquam calidiores suspectas haberem.

A quibus saccharum rosatum cum jusculo ex cichorio aliquot hebdomadas summopore proderit, prout & antehac factum fuit ex prescripto præclarissimorum Medicorum Bononiensium. Omnia namque cum ratione facienti, non est ad alia transeundum, stante eo, quod à principio visum fuit. Extrinsecus pariter probantur embrochę capiti jam propositæ, ex dulci lixivio cum cephalicis temperatis: vel stillicidium ex aquis Thermalibus supra propositis, pręmissa aliqua peculiari capitis expiatione gargarismis potiùs, & masticatoriis, quàm nasalibus, ne materia ducatur ad partem affectam. Non tamen propterea omittenda censeo errhina, spectantia materiam fluxam, cujus ratione pergendum erit aliquot dies in usu lactis vaccini, vel caprini, vel alterius animalis, ducti intra nates, & frequenter iisdem appositi cum linteolis; inungendę quinetiam sunt intus, & extra oleo amygdalino, prout & antehac præparata fuere nasalia ex hordeo, malva, & althea, additis deinde sensim, & sensim levioribus digerentibus, ut puta succo anagallidis, & betæ; vel attractio fiat aquarum Thermalium exsiccantium. Ac tandem deveniendum erit ad errhina validiora, ad pulverem nempe liliorum convallium: attractum sternutandi causâ ducaturitem lac cum agarico, vel pulvis tabaci, ita tamen, ut ab horum usu, & post purgationem, denuò prescribantur refrigerantia & humectantia. Ac interim supersedendum est illis omnibus quæ quovis modô caput replere, & materiam ad nares allicere valent. Et hęc in casu hoc perdifficili attingenda duxi, in confirmationem eorum quę summâ cum ratione præscripta fuerunt à Præclarissimis & Doctissimis Medicis Bononiensibus: Faxit Deus Omnipotens ut ad vota succedant. *Benedict. Silvaticus Consilior. & Respons. Medic. Cent. 2.*

De ulcere cancroso in Naso. Pro Nobili Tridentino.

Pustula illa sicca, & squamosa, quæ quatuor ab hinc annis apparuit in sinistra externa parte nasi illustris Viri, atque anni alterius cum medio vix medii unguis magnitudinem excedebat, ab eo tempore sensim & sensim ita excrevit, ut & in ulcus amplum, saniosum, crustosum, pruriginosum, degeneraverit, cum labiis crassiobus; quod propterea disepulotum, fluxioni opportunum, cacoëthes seu intemperatum nunc dicendum est.

Hoc verò fluxionem recipit, cùm à capite suggerente pituitam salsam, ob quam gravedinem, & raucedinem patitur, tum à toto venenoso genere, sanguine vitioso, redundante, ob incompositam victûs rationem. Atque hæc intemperies est calida, cum aliqua siccitate; ut ex rubedine narium id probare est, & ex temperamento totius cálido, & sicco.

Ideoque non solùm ulcus hoc est difficillimum curatu, ob malignam naturam, & continuam fluxionem; verùm etiam quia periculum imminet, ne subsequatur ossis corruptio, quod in præsentia illæsum esse scribitur. Habemus enim ex Hipp. Sexto aph. 4. quod, si ulcera annua, aut etiam diuturniora fiant, os abscedere necesse est, & cicatrices cavas fieri. Eoque magis id pertimescendum est, cùm patiens hic vitiosis alimentis usus fuerit, à quibus necessariò nova fluxio succi vitiosi jugiter in partem affectam decumbit; quod patet ex ulceris ipsius dilatatione, & labiis ipsius crassioribus redditis. Propterea non immeritò de agendis consulitur.

Pro debellatione igitur præsentis affectûs valde difficilis, quinque sunt agenda. Primò divertenda est fluxio per evacuationem totius, & capitis, diversionem materiæ fluentis, & exsiccationem capitis: secundò corrigenda est intemperies calida partis affectæ refrigerantibus: tertiò detergendum est ulcus, sublatis labiis, & crustosa materia: quartò sarcoticis caro restituenda. Tandem exsiccantibus cicatrix erit inducenda. Quæ prestabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Chirurgica quod spectat, conveniunt universalia, ac deinde particularia. Ideo vena communis sinistri brachii tundenda, indeque sanguis moderata quantitate erit ducendus, repetita mox ejusdem evacuatione ex venis sedalibus; ac tertiò ex vena retrò aurem partis sinistræ. Fonticulus quoque mihi videtur apprimè necessarius in eodem sinistro brachio, ad derivationem fluxionis. Alia Chirurgica parti affectę dicata proponentur inferiùs.

Pharmaceutica quod attinet, alvo lenitâ syrup. ros. sol. & mannâ, pręparandi erunt humores syr. acetoso simplici, de pomis cum decoctione betonicæ, cichorii, borraginis & hyssopi. Purgabuntur agarico, & rhab. cum syr. ros. sol. & de polypodiò composito. Repetatur præparatio cum syr. compositis, & purgetur pilulis aggregativis, de hiera cum agar. vel hujusmodi. Purgatio denuò fiat simili purgante, si vires ferant, in quo casu quàm maximè necessarium censeo blandum aliquod decoctum, paratum ex radice chinę, santalis & visco quercino, sumendum 30. dies ad minimum, cum sudore blando semel in die excitato, doliolis aqua fervente repletis, habita ratione nativæ corporis gracilitatis, & quibuslibet octo diebus dejectorio exhibito: in quem usum pilul. de hermodactylis, vel pulvis hermodactylatus dictus, erit accommodatissimus, pręscripto victu attenuante, non tamen valdè exsiccante, ob habitum gracilem à naturæ primordiis, uti dictum est. Dum hęc intrinsecus præscribuntur, externis quinetiam remediis tentanda, erit ulceris sanatio; ac primò removenda erit fluxio, per intercipientia, circompositis partibus applicata, venis scilicet jugularibus & temporum, circa quas partes poterit fieri linimentum ex bolo armena, sanguine draconis, alumine pulverizato, & aceto: mox crustosa materia emollitâ est auferenda, si labia sint callosa, & dura, sunt abscindenda extrema forfice, sin minùs, exsiccantibus validioribus detergenda, puta pulveribus ex ostreis ustis, aristolochiâ, radice panacis, chalcitide usta: linimento quinetiam applicito, confecto ex gallis immaturis, abrotano usto, cum quarta parte calcis vivæ semel extinctę, quæ excipiantur melle, formâ linimenti. Nec abs re erit detergere aliquando ulcus melle rosf. quod si fuerit valde sordidum, poterit aliquando addi portiuncula unguenti Ægyptiaci, vel etiam tangi oleo de chalcantho, moderatè tamen, si aderit intemperies calida, cujus ratione aliquando abluetur aquâ plantaginis, rosarum, & myrtillorum, applicabiturque unguentum de succis refrigerantibus. Quod si venæ illæ circa partem excurrentes turgerent, duę hirudines illis apponendæ erunt. His peractis, pro tollenda intemperie, fluxione & putrilagine materię sarcoticis postea consuetis, & exsiccantibus, seu cicatrizantibus utendum erit. In quem usum & conferet unguentum de betonica, de Matrisylva: à quibus unguentum de tuthia ejusdemque tuthiæ præparatæ pulvis, unà cum ostreis ustis, ex usu erunt.

Et hæc administranda censemus, cum congrua victûs ratione à Viris pręclarissimis præscribendâ; hoc addito, cum Hippocr. quod, quæ medicamenta non sanant, ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, sanat ignis. Spero tamen fore, ut levioribus propositis Illustris Patiens liberetur ab hoc affectu. Quod ipsi à præpotente Deo obnixè precor. *Idem ibidem.*

De

De Tuberculo in Naso. Pro Perillustri Patiente.

Tuberculum, quod in præsentia patitur in summo naso perillustris patiens, & cui alia minora circumcirca accreverunt autumno præterito, ex pituita crassa originem duxisse verisimile est; quę forsitan à capite, calida & humida intemperie donato eò confluxit, à qua &. præteritum tumorem in genu productum fuisse statuerunt Viri præclarissimi: cùm præsertim uterque sit durus, indolens, & concolor, atque Vir Perillustris sępius podagrâ correptus fuerit, cujus frequens causa est materia pituitosa. Ad horum tamen tumorum generationem non parum contulisse aliquam copiam humoris melancholici cùm naturalis, tum & aliquatenus exusti, postquam geniti sunt in Autumno, post æstus præteritos, in ætate adhuc consistente, & temperamento calido, & humido, hac ętate ad siccum vergente. Unde conjectare facilè possumus tubercula ista scirrhosi, seu glandulosi tumoris naturam redolentia, non parum ad cancrum vergere: primò ob eorum aliquam asperitatem, & inæqualitatem: secundò ex crusta supergenita: tertiò ex spongiosa carne, quæ subjacet: & quartò ex facili ipsorum mutatione in affectum inflammatorium, malignum, & ex prava materia, à compluribus Medicis pręsidiis loco affecto, variis temporibus applicitis: unde summa cum ratione cautè procedendum esse in eorundem curatione statuerunt Viri sapientissimi. Quorum opinioni ego quoque subscribendum censeo, curationem ipsam periculi plenam ducens, ob imminens periculum ulceris cancrosi, vel in eadem parte affecta, vel si curationem admittat, in aliqua alia, ad quam hujusmodi materia facilè decumbere poterit.

Non ob id tamen quibuslibet Medicis præsidiis supersedendum est: atque primò ac præcipuè divertenda est fluxio, per diligentem totius expiationem, per revulsionem, & derivationem. Secundò exsiccandum est caput, absque insigni calefactione: ac deinde blandis localibus emollienda est, & digerenda materia, quæ confluit. Quę pręstabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Quantùm ad Chirurgica, probatur sufficiens sanguinis detractio, cùm ex jecoraria dextri brachii, tum ex hemorrhoidibus, ex quibus forsitan hactenus sanguis eductus fuit. Venæ autem frontis reseratio tunc erit necessaria, quando caput esset valde calidum per essentialem intemperiem, non autem per transmissos vapores à subjectis partibus: quod observabitur à Viris doctissimis. Placet quinetiam fonticulus inustus dextro femori, & inurendus sinistro brachio, potiùs quàm occipiti: ne materia à subjectis partibus trahatur in caput. Alias manuales operationes circa partem affectam quoquo pacto suspectas habeo, cùm propter imminens periculum, tum quia licet Chirurgicis sanaretur affectus, immineret nihilominus periculum, ne excresceret novus tumor in aliqua alia parte.

Inter Pharmaceutica laudantur, hinc quidem evacuantia totum per alvum, sępe repetita, & aliquando per vomitum, & evacuantia caput; per os potiùs, quàm per nares; hinc verò præparantia, & alterantia interna: in quem usum placet, summopere decoctum ex santalis, salsâ, lentisco jam præscriptum. Nec pręter rem adderetur viscus quercinus, ratione capitis, cum tamarisco, propter humorem melancholicum, additis emollientibus, vel etiam præmisso bolo ex Terebinthina Veneta, vel spiritu Terebinthinæ. Quoad topica, mihi sufficeret linimentum aliquod blandum molliens: & moderatè digerens, nullatenus mordicans, vel corrodens, quod parari posset ex pulvere tuthiæ, & lithargyri, ammoniaco, cinere cancrorum fluviatilium & oleo ros. completo in mortario plumbeo, cum pistillo plumbeo, quo suscipiat facultatem digerentem, & roborantem à plumbo ipso; validioribus missis, ut suspectis.

Addatur congrua victûs ratio, quæ sit tenuis, atnuans, boni succi, & nulla ex parte excrementitia, aromaticis, glutinosis, & vinis generosis missis, factis. *Idem ibidem.*

Observationes.

Vir quidam cùm nasi rubedine instar Cancri aliquot annis vexaretur, ac frustra Chirurgorum ope usus esset, ad nos tandem venit oratum, ut si quo modo possem, huic turpitudini opem ferrem. Huic consului ut sectâ venâ, & corpore repurgato ab atra bile, à cibis atram bilem gignentibus abstineret, & hoc linimentum præscripsi.

℞. Succi solani ℥iv. Pul. diapomphol. ʒj. Ceruss. ablut. cum aq. rosac. & iterum siccat. ℈iß. Ducantur pauco oleo, rosac. adjecto, & cerâ albâ liquatâ in mortar. plumbeo cum pistillo plumbeo, donec ad spissitudinem linimenti concrescant, quo optimè postea se habuit: & miraculi instar curatus est. *Petrus Forestus observ. 6. in schol. lib. 13. De Nasi affectibus.*

Obstructio utriusque naris, altera quidem integra, à polypo spurio, carne scilicet callosa ulceri ex contusione externa accrescente; alia verò imperfecta, feliciter sanata.

Curavi Nobilem Germanum in ædibus Præclarissimi Joannis Rhodii, laborantem obstructione integra alterius meatuum nasi, adeo ut altero quinetiam medio obstructo ægrè duceret spiritum. Hęc autem obstructio causam habuit contusionem insignem nasi, dum puer esset, prout in hujusmodi casibus observavi, læsis scilicet externis partibus, lædi quinetiam plurimùm internas: ut quibus propterea ulcus progressu temporis suboritur, ex quo caro succrescit, quę longo annorum spatio indurescit, & aliquando polypus spurius evadit, educendus postea, modo ab Aquapendenre proposito, quandoque in osseam fere duritiem occalescit; prout contigit nobili huic Germano, illa parte potissimùm quæ omnino obstructa erat. Facta itaque totius corporis purgatione, deveni ad Chirurgicam operationem, præsentibus multis Germanis studiosis, & ipsum callum durissimum, ac partem obstructam, per cannulam, ferramento acuto ignito spatio viginti dierum perforavi, ut commodiùs respiraret, idque multis diebus, cùm patiens non posset ferre continuam inustionem, peracta operatione, apposui globulum ex filamentis aridis, inductis post inustionem, butyro, illito quotidie naso oleo, vel unguento rosato, arcendę inflammationi: quamvis operatio valde molesta esset, quod cùm caro illa callosa admodum superficietenus, & dura esset, hac attrita, ab inustionibus nobilis patiens sęvos pateretur dolores. Facta itaque perforatione, ut dictum est, & dolore sublato medicamentis anodynis, imposui turundam imbutam unguento ex tuthia, quo sensim induxi cicatricem, quę ut firmior evaderet, inspersi turundæ pulveres ex bolo armena orientali, & cornu cervi usto, portiunculâ thuris: quibus adeo cicatrix occaluit, ut nunquam pars ampliùs coaluerit, patente naturali meatu. Sanata verò obstructione alterius meatus nasi, deveni ad aliam partem, non omninò obstructam, per quam nonnihil spiritûs ducebat ęger; ut propterea eodem tempore utrumque meatum curare abstinuerim, quo commodiùs respiraret. Hanc verò partem citiùs sanavi, utpote admodum callosam, duabus scilicet, vel tribus inustionibus, per cannulam ampliato meatu ad figuram naturalem, omnibus alioquin peractis ut in prima cu-

ratione, quibus quinquaginta dierum spatio æger omnino fuit liberatus. *Petrus de Marchettis in observation. Medico-Chirurgicar. Sylloge.*

De naso læso ob frigus hibernum.

Puella sedecim annorum dum hiems sçviebat, ac frigus intensum aderat, conquerebatur de tumore, rubore nec non dolore in apice nasi, atque hoc malo revertente hieme jam sçpius afflicta fuerat ægrotula.

Scilicet ob frigus aëris nasum tam internè quam externè afficientis sanguis in vasis valde exiguis ac humores in tubulis aliquatenus substiterunt, ac progressu temporis acorem quendam contraxerunt, unde tumor, rubor ac dolor facilè deducitur.

Sed unde contigit, ut malum hoc jam aliquoties instante bruma redierit? non alia de causa, quàm quia vascula ac tubuli prima vice ita distorti sunt à sanguine ac humoribus stagnantibus & acescentibus, ut postea numquam tam bene ad statum pristinum redire potuerint, quin adveniente hieme sanguis ac humores in circulatione sua aliquod offenderent illic obstaculum.

Affectus hîc Belgicè nominatus *de koud* periculo caret, sed interim tamen haud parum invisus est puellis suam qualemcumque formam pro summo bono habentibus, ideoque vitam quàm formam àmittere nòn rarò malentibus.

Paucis diebus linteo sòlo spermate ceti inuncto hoc malum in totum abegi. Non disputabo jam temporis, quidnam sit illud, quod spermatis ceti nomine innotescit; an revera sit semen magni piscis, an sit substantia quædam, quç sub forma olei crassi reperiatur in cellulis quibusdam ovi anserini magnitudinem habentibus ac sitis in capite balœnç, an tandem sit compositio quædam artificialis ex lixivio calcis ac cerebro cujusdam piscis siccato confecta; hac, inquam, de re hic loci non disputabo; sufficit mihi in citato medicamento contineri multùm salis volatilis oleosi, quod acidum in sanguine ac humoribus stagnantibus correxit.

Hoc malum non tantùm apicem nasi, sed & calcaneum, ac pedum manuumque digiros invadere solet; supervacuum foret hujus rei rationem reddere velle, quandoquidem manifestum est, aërem frigidum magis afficere extremitates corporis quàm alias partes, ac vascula exigua citius obstrui, quàm capaciora.

Ad malum hoc præcavendum cucurbitulas cum scarificatione adhibere solent, sed perperam, quoniam hoc pacto obstructiones non tolluntur, sed multiplicantur, & vascula distorta ad pristinum suum statum non revertuntur, sed magis distorquentur. Præstaret vapor ex accenso spiritû vini progrediens aut fotus ex vino ac herbis copiâ salis volatilis gaudentibus confectus.

Ad malum hoc, ubi apicem nasi infestare solet, prçcavendum quidam applicant sanguisugas; sed malè, nam affectum hunc inde non parum exacerbatum esse memini, cujus rei rationem adderem, nisi illa satis constaret ex paragrapho prçcedente.

Affectus, de quo dixi, pedetentim prorepere consuevit, sed occurrit aliquando aliud malum subitò ab intenso frigore proveniens, diciturque gangrçna ex frigore, quç incipiens curari solet immersione in aquam frigidam, verùm enim verò num hçc medela rationalis est? maximè & rationi consentanea est & experientiç, pomum congelatum in aquam frigidam conjice, exiguo temporis intervallo illud, salvâ pristinâ saporis gratiâ, ac consistentiâ, observabis intus regelari, totâ glaciei crustâ putamini externo adhærescente; quod si autem idem pomum congelatum admoveas igni, flaccescet illico, ac saporis suavitatem amittet.

Complures nimirum particulæ in pomi congelati poris ac tubulis contentæ, quæ prius fluidç fuerunt, jam propter gelu induerunt formam glaciei, hoc est, multæ particulç, quæ antea à materia subtili satis forti, motibus à se invicem diversis continuò agitabantur, jam juxta se invicem quiescunt, quia cinctç sunt materia subtili, quæ debilior est, quàm ut illas in motu solito possit conservare. Ubi pomum hoc congelatum jam aquç frigidç immersum est, materia subtilis fortior ex aquâ provolat in pomum & sic pomum regelatur, materia autem subtilis debilior ex pomo progreditur in aquam, pomi putamen externum proxime tangens, quod inde crustâ glaciei obducitur.

Ubi verò pomum congelatum igni admovetur, materia subtilissima mundi, valde fortis ac multis crassis ligni aut cespitum particulis comitata per poros pomi congelati magno impetu ingredi conatur, nec potest, quia pori frigore valde constricti sunt, ideoque eosdem vi disrumpit, atque ita consistentia ac sapor hujus pomi mutatur ac vergit in deterius.

Hinc jam satis liquet, quod rationalis sit hæc gangrçnç ex frigore curatio, licèt interim una circumstantia varianda quibusdam fortè videatur. Pomum nempe congelatum in aquam frigidam conjicitur, & quidem optimè, quia liquor in pomo bene constituto repertus quoad tactum frigidus est; sed sanguis ac humores nostri bene constituti non frigidi sunt quoad tactum, sed calidi aliquatenus, ideoque membrum levi gangræna ex frigore laborans potiùs in aquam tepidam (Belgicè *Boet-laeuvv*) quàm frigidam deberet immitti. *Joh. Muys in Praxi Chirurgicâ Rationali.*

NASI MORBI.

De iis partim mox in Narium morbis; partim alibi in Cutis vitiis. De Naso verò deperditô restaurandô vide Capite de Carne ablatâ restituendâ.

NATA vel NATTA.

Vid. sub titulô
ATHEROMA.

NERVORUM VARIÆ LÆSIONES.

De iis Vid. sub titulô
VULNUS.

Hîc tantùm Observationem Singularem adducemus, de Nervis. Olfactoriis & Osse cribroso læsis Clariss. Godefridi Bidloo Exercitation. Anatomico-Chirurgarum Decade secunda petitam. Quæ hæc est;

Jan de Haan Nordvico-Batav. ætat. 47. annor. munere restiarius, corpore robustior, in pago hocce, Anno 1704. 4. Octobr. aquam hausturus ex publico puteo cujus tollenoni, in incolarum commodum, uncus est additus, cui appendi urceus potest: dum manu unâ eum ab unco solvit, alterâ verò pondus tollenonis sustinere impotens est, petit unci apex, multo ex usu obtusus, ejus nasi & narium partem dextram, elevat ab terra, in duorum pedum altitudinem, tenetque per aliquod tempus hoc modo suspensum hominem, vociferantem, quem ab unco; sed verò non sine difficultate, liberant vicini & experienti Chirurgo *Joanni Kalis, Alcmariâ-Batav.* mox inspiciendum tradunt, qui quatuor: uno de vulnere majore faciei, observat cutaneas

tanaas levesque, ut videbantur, quaſdam interioris naſi lacerationes & de hiſce omnibus mediocrem hæmorrhagiam.

Trium, vel quatuor dierum intervallo, notabile cùm quidquam nihil, præter liquidi cujuſdam, de narium dextra ſtillicidium; appareret vulneraque deſiccarentur, ad normam, levioris momenti habita eſt eorum curatio; verùm ab illo die, adaucto hocce profluvio indies, indieſque novis ruentibus in vulneratum ſymptomatibus; agente interea pro munere ſuo diligenter chirurgo, periculoſum eſſe hoc vulnus ei & ægro conſtitit nimium certò.

Poſt plurimorum, tum medicorum, tum Chirurgorum; quinimò & agyrtarum (utinam! iſti medicaſtrorum cœtui aquâ & igni nunc, ut olim *Romæ* interdiceretur: ex uſu etenim generis humani id foret) ſed fruſtra experta conſilia & molimina me 13. Novemb. convenit ægri uxor duxitque, cum Chirurgo *M. Alderkerk*, ejus filio & quibusdam ſtudioſis, qui forte fortunâ domi meę erant, ad ſuum maritum tremulum, vacillantem, viſu hebeſcentem, vertigine correptum, animo languentem, & liquidi multùm de naribus dimittentem; inſpectis hoc die naribus, vulnerum veſtigiis, omnique non ſemel obſervata rerum apparitione, experiebar, ſequenti luce;

14. Spatio viginti quinque horarum, circiter viginti, puriſſimi laticis uncias, de narium dextra, deſtillitaviſſe, ægrumque convulſionibus agitatum; imbecillem, titubantem, enervem, omnibus articulis quandoque rigidum quandoque ſolutum, & voce vix aliquid diſtinctè proferentem; ſedulò itaque & denuò, ægro luci expoſito, inquiſivi in liquidi hujus fontem, detexique intus omnia ulcere, ſed leviſſimo confecta, oſque cribroſum exaſperatum ſtatuique, conſideratis inſuper prędictis ſymptomatibus, odoratus organum læſum, nervorumque ejus involucra diſrupta cerebrumque affectum: quocirca; etſi aliud genus medicationis mox meditabar, narium dextram fortiter; ſiniſtram verò molliter, *turundis albumine ovorum & ſtipticis pulveribus S. A. ornatis*, farſi implevique.

15. Toto hoc temporis interſtitio; tametſi de naribus effluxiſſet nihil, manſerunt nihilominus, nunc memorata ſymptomata, apparatum hoc die non ſolvi; verùm ægro, languenti, frigore externo tremuloque motu febreque correpto, ſudoriferum præſcripſi, quod homini tremebundo potiùs gulæ fuit infuſum, quàm ab ipſo hauſtum:

℞. *Antim. diaph*: ℈j. *Sal. abſynth*: ℈ß. *Confect. Alkerm.* ʒß. *Syr. pœon.* ʒij. *Sal. volat. gut.* vij. *& Vini rhenan. q. ſ. pro hauſtu. M.*

multo, hac nocte, excuſſo ſudore, mane.

16. Mitigatis aliquantulum ſymptomatibus, relictoque in naribus apparatu, ſequenti linimento, poſt adhibitam *aq. Anhaltin.*

℞. *Balſam. peruvian.* ʒiij. *Ol. terræ* ʒiij. *caſtor. Ruth. a.* ʒß. *Laurin.* ℥jß. *Ung. nervin.* ℥ii. *M.*

fricuit Chirurgus bis totam vertebrarum ſyntaxin, ad ignem collocato ægro, verticique ex multo linteamine pulvillum, fervente *ſpiritu vini* imbutum adaptavi; eodem modo & non ſine fruge.

17. Tractato ægro apparatuque novo naribus intruſo.

18. Nuchę ejus decuplum ex linteo pulvillum, *balſam. Peruv. & ol. Therebinth.* conſperſum, injecimus eique cauterium actuale, non tamen urens, applicuimus; ut ſcilicet, medicamenti virtus, unà cum externo calore penitiùs adiret medullam (ut vocant) ſpinalem nervoſque ex ea oriundos: ter repetito hoc actu, inveni ægrum.

19. Quaſi expergefactum, nauſeabundum quidem ſed tamen minùs ſpaſmodicé convulſum, utentem diſtinctiore loquela & viribus magis conſtantem; alvum interea adſtrictam patientem, ad quam ſolvendam purgans commune aliquod pręſcripſi, poſt cujus operationem, omnibus, ut ſuprà, crebrò & præſertim frictione tractus vertebrarum & nuchæ, per biduum.

20. & 21. Præſtitis, decreſcentibusque ſymptomatibus inque hoc momentum temporis liquidi de naribus ſtillitante nihil, ſurrexit, propriis utens viribus, deſcenditque, adjutus, de lecto æger.

22. Victu potuque refectus.

23. Renunciatum mihi, ab chirurgo repetente prędictam medendi methodum, eſt, circa meridiem: ter namque aliquando ægrum, unius diei ſpatio viſitabat, ac ſi quid inopinatum fortè accideret, ego, cum ipſo, paratus non eſſem, qui neceſſitati & rei peragendæ proſpicerem, de narium dextra, circiter 18. guttas liquidi turbiduli, manaviſſe: ſed verò illicò ejus ceſſaviſſe profluvium; denuò itaque naribus, ut ſuprà, obturatis omnibuſque continuatis mediis, de die in diem; meliùs & meliùs petrexit negotium, incedente ægro; priùs per cubiculum & deinceps per totam domum & comedente ſatis benè.

24. Liquido prędicto, de novo & quidem guttatim defluente, ſtatim turundas de naribus extraxi eaſque pure, parte una, laudabili, alterâ minùs tenaci & malè olente conſperſas; ſed pauciſſima quantitate madefactas inveni; ita ut nullus dubitarem, quin ipſa nervorum cerebrique involucra, vulnere quo cæteræ partes, eſſent læſa: Medelam adhibiturus huic ulceri ſub veſperam, *Balſam. Sulph. Therebynt. & calefact.* turundæ adminiculo eâ, quâ fieri potuit & debuit, vi, in ſummas nares oſque cribroſum intruſi, capitique; de cujus dolore gravativô ęger, præſertim parte anticâ, querebatur, impoſui *ſeq. cucuph.*

℞. *Herb. Beton. ſalv. majoran. a. m.* ß. *Flor. Lavend. m.* j *Origan. P. I. F. S. A. Cucuph. cui inſperge Aq. vit. Mathiol.* ℥ii.

hiſce ad normam, non neglecta medicatione antea deſcripta, per triduum,

27. 28. & 29. Uſurpatis adhibitiſque; liquidi prędicti fluxus tamen non eſt impeditus: ægro porrò pręſcriptum, *ex Reſin. Jalapp. Mechoacan. &c.* purgans; cùm autem vererer medicamentum extus adhibitum; ad ipſam fortè plagam non pervenire, aliud genus aliamque ejus formulam commendavi, videlicet, quod ſiphonis ope in ipſas nares & ulteriùs injici poſſet & erat;

℞. *Vin. Gall. Auſt.* (*vulgò*) *vin. grave*, ℥viij. *Rad. tormentil.* ʒii. *Flor. balauſtior.* ℥ß. *Alum. crud. vitriol. Cyprin. a.* ʒß. *Macerent. per* 24. *horas, adhibito lentiſſimo igne. Philtr. & conſerv. in uſum.*

poſtquam hoc medicamen magna cum vi naribus eſſet intruſum, illæ turundis, eo liquore imbutis, arctiſſimè ſunt impletæ & obturatæ: Hoc pede pergentes & ſæpè ſæpius nucham ęgro calefacientes vertebrarumque tractum fricando inungentes, diminui naſi fluxum, augeri homini vires cœperunt; ſed continuò de conatu in vomitum queritanti, exhibitum *confortans eſt vinum medicatum.* Ab ultimo hujus menſis, uſque in 5. Decemb. rebus è voto ſuccedentibus, mutatum, vel tentatum noviter eſt nihil. Obſervabamus interim ſemper, ægrum noſtrum & animo & corpore deficere, vel refici, eâ proportione, quâ liquidum memoratum amitteret, vel conſervaret: primò quippe accidente ſymptomate, mox rigeſcere ipſi membra, vacillare poſtea; ſecundò; exhilarari ipſum membraque ſuis fungi, ſine tremore, muneribus & officiis, viſa ſunt.

De naribus plane apertis nulloque medicamento ornatis, cùm, per aliquot dies, liquidi manarat nihil, addit æger, cui virium jam; non verò opum (etſi ego ne obolum quidem ab eo petierim) ſatis erat *Nordvicum*, quo loco imbecillis quidem interque ambulandum titubans; tamen vixit, magno ſine incommodo; uſque

usque dum, ut ex relatione ipsius uxoris Chirurgique *van-Loon*, altero pagi & celebri Chirurgo: accepi, initio mensis Martii, dirissima talique vellicaretur convulsione, ut cum lecto contremiscerent exinde ipsi parietes, eodemque mense cecidisse in fossam domui ejus proximam, amisisse de tempore in rempus vires & postquàm cecedisset in fossam, vix vitæ suæ extitisse conscium, tandemque omni amisso motu (sic dicto voluntario) amisisse 25. Maji Anno 1705. ullo sine tremore, vel spasmodico partium motu, vitam.

Ad hujus historiæ supplementum pertinere videtur, quę sequuntur.

Ægrum dormivisse & comedisse, ut plurimum bene sed aliquando altissimo somno, per 7. aut 8. horas obrutum, postea, helluonis & sitibundi hominis adinstar, omnia quæ ei in victum, aut potum propinabantur, devoravisse.

Circa finem vitæ pueri, vel mente carentis hominis instar, traxisse vitam, artubus nunc laxatis, nunc rigescentibus in totum, ita ut truncus videretur.

Alvum satis commodè exoneravisse, ad ultimum vitę terminum.

NODUS.

Vid.

GANGLIUM.

NOLI ME TANGERE.

Vid.

CANCER.

NYMPHA.

De methodô quâ à Paulô resecatur, *Vid. in Hermaphroditorum Chirurgiâ*, ex Hieronymô Fabriciô ab Aquapendente.

Finis Libri Duodecimi.

JOH. JAC. MANGETI BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ LIBER DECIMUS TERTIUS.

De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Literâ O. incipientibus.

OBSTIPITAS.

Pro Colli incurvati, seu Obstipi Capitis restitutione; Hæc habet Clariss. Anton. Nuck in Experimentis Chirurgicis.

Inter musculos caput flectentes, speciatim aliquando afficitur musculus *Mastoides*, qui relaxatus, aut convulsione aut paralysi laborans, ab antagonista extenditur, & contractione sua caput versus alterum latus tantopere contrahit, ut collô incurvatô incedere necesse habeat patiens. Principiis itaque obstandum, & medicamenta non tantùm musculo contrahenti (qui propriè non laborat) sed & relaxato applicanda. Præprimis conducunt Emollientia, & fibras nimiùm tensas relaxantia: E. G. *Ol. Violar. Lumbricor. de Later. Vulpin. Axung. Human.* Vel.

℞. *Ol. Amyg. d. Lumbric. aa.* ℥j. *Axung. human.* ℥iij. *Ung. Alth.* ℥ß. *Theriac.* ʒj. *Sal. Card. Bened.* ʒß. *Caph. gr.* xij. *M. F. Linimentum.* Vel

℞. *Ol. Chamomill. Rut. aa.* ʒvj. *Nardin. Aneth. aa.* ℥ß. *Spir. Vin.* ℥iii. *M. F. Linimentum*

Hisce vel similibus pars non tantùm contracta, sed & relaxata bis quotidie illinatur, dein ter, quaterve singulis diebus, ex instrumento *Torques* dicto, quadrantis horę spatio suspendatur patiens; quibus tandiu continuandum, donec ejus caput pristino iterum statui fuerit restitutum.

Verùm aliquando hoc malum tam altas egit radices, ut propter summam musculi contractionem & duritiem, hac methodo restitui planè non possit; Hinc manus Chirurgica summopere necessaria, quæ elevato patientis mento & collo, tendinosam musculi Mastoidęi partem (qua cum clavicula conjuncta persentitur) arripiat, eamque, si possibile, unica incisione cultello falcato præscindat; & si plures partes tendinosæ hujus musculi impedimento fuerint, easdem itidem dissecet.

Hæmorrhagia si superveniat, ea sistenda, vulnusque deinceps hians plumaceolis *Balsamo de Capayv.* &

& *Hyper. aa. q. ſ.* irroratis, adimplendum, curandumque ut ampla generetur cicatrix, quod facilè ſperandum, ſi inter curandum caput ligulâ aliquâ verſus oppoſitum latus inclinatum ſervetur.

Notandum, hoc in caſu longè aliter procedendum eſſe, ac cum aliis vulneribus, quorum labia adducenda, hîc verò eadem, quantùm poſſibile, deducenda veniunt.

Aliis hæc Operatio, ut crudelior diſplicet, & Cauterium Potentiale tendinoſæ dicti muſculi parti applicare malunt, quod ſeparatâ jam eſcharâ, muſculi unionem cum claviculâ diſnecteret; Verùm moleſtiſſimam talem, & ob ſummos dolores convulſioneſque, periculoſiſſimam fuiſſe curationem, experientia docuit.

Quidnam autem de ejuſmodi cauteriis ſit judicandum, & quibus in locis conveniant, ubi *de Abſceſſuum Apertione* notabimus.

Conſilium pro Obſtipitate.

Nobilis vir annos natus 45. in bello civili perfuga multa tulit, & in tot tantiſque diſcriminibus cœpit laborare deſtillatione à capite poſticô, præſertim in humeros & cervicem. Hinc colli ac cervicis contorſio quędam, & cùm tempore occurſum non fuiſſet remediis ad id inſtitutis, ita malum increvit ut facies in poſteriora detorqueretur, & nonniſi magno conatu in anteriora reflecteretur. At ſive bibere, ſive edere, ſive loqui vellet, funiculô in eam rem comparatô retrahebatur caput aliorſum inclinans. Lutetianis Medicis numquam quidquam tale videre contigerat. Ac laborandum fuit in ſpecie morbi inquirendâ, & remediis accomodatis. Videbatur nonnullis unius partis eſſe reſolutio, quæ alteri convulſionem attuliſſet: quod non erat credibile, nam in eodem ſtatu pars perpetuò permanſiſſet: At reducta facies ut locum ſuum, niſi magno conatu & cum dolore ſiſteretur, convulſivo quodam modo ſtatim revellebatur in poſtica magnâ omnium qui aderant admiratione. Convulſio erat revera; & omnes muſculi erant affecti, & viſcosô frigidoque humore imbuti, qui diſcuſſus uſu rerum calidarum affectum ſuſtulit. Itaque hæc remedia deſcripta ſunt, quibus aliquâ ex parte allevatus eſt.

℞. Pilular. cocciar. & aurear. an. ʒß. Turbith. & agar. trochiſcati an. ℈ß. F. pilulę.

℞. Gumm. elem. ℥j. Olei ebuli. Keirini, & lumbricor. an. ℥ß. Pro litu ad cervicem & occiput cum lanâ ſuccidâ.

℞. Emplaſtr. de betonicâ ℥iij. Opopan. gumm. elem. ſtyracis an. ℥j. Picis navalis, picis pinguis an. ℥i. Pulver. major. & ireos an. ʒiiß. Ceræ & olei rutæ q. ſ. F. Emplaſtrum pro capite.

℞. Nitri pulveris ℥ß. Sulphur. vivi ʒiij. F. pulvis quo ſinapizetur emplaſtrum prædictum.

℞. Caſtorei ʒij. Sem. nigell. Rom. ʒiij. Lign. Aloës ʒii. Pulver. major. ℥ß. F. pulvis pro ſuffitu cum roſis rubris.

℞. Conſervar. anthos, bugloſſ. boragin. fol. betonic. an. ʒiij. Mithridat. ʒiß. Marg. elect. ℈i. Rad. pæonię, & ſemin. ejuſdem an. ʒi. Cum ſyr. de ſtæchade & conſerv. citrii. F. Opiata ad uſum ante cibum, & ſerò ante ſomnum. Uſus eſt decocto guajaci & chinę; abſtinuit vino: Repetita ſunt remedia frequenter. Uſus eſt laconico. *Guilielm. Ballonius Conſil. Medicinalium lib.* 1.

Curatio Obſtipi capitis.

Prout varia ſunt muſculorum paria, quę ſimul agendo, caput vel in hanc, vel in illam ordinatè deflectunt partem. Pro eo utique occurrit non unum deformitatis genus, ubi illi ipſi muſculi, non conjunctim, ſed ſeparatim moti caput diſtorquent in alterutrum humerum: ob induratum corrugatumque illius lateris muſculum. Cujus obliqui ſitus cauſſa potiſſimum conſiſtit in muſculis maſtoideis ac ſcalenis, quorum illi latiore, hi verò tereti tendine accreſcunt claviculæ oſſi, prope commiſſuram illius cum jugulo, ac oſſe ſternô. Quorum profectò muſculorum rigidam, ac calloſam duritiem, niſi fomentis, aut inſtrumentis ferreis ad naturalem poſitum, figuramque reduxeris, unicum remedium eſt confugere ad ſcalpellum. Quô tamen etiam nonniſi acri circumſpectione utendum.

Filio Conſulis Mittelburgenſis, annorum duodecim, ab ineunte ętate, obſtipô capite, inclinabat cervix in humerum ſiniſtrum: ob adſtrictum curvatumque alterum muſculorum ſecundi illius paris quod cervicem antrorſum flectit. Qua deformi immobilis, ac transverſi capitis figurâ, nullis auxiliis deinde ad ſtatum naturalem reductâ; conſultum viſum fuit Gulielmo Strateno, Principis Arauſionenſis Medicô, ac Franciſco Vicquio, qui mecum adoleſcentulo medecinam fecere, ut tranſverſim præſcinderetur tenaciſſimum illud vinculum, quod caput tantopere in humerum contorqueret. Quam operam Amſtelredami deinde dexterrimè navavit, qui etiam aliis in ſimili affectu opem feliciter tulerat, Iſacius Minnius, ob opera Chirurgica multis ſummè commendatus.

Factum autem fuit curationis initium à cruſtâ, per lixivium coctum, cuti inuſta. Deinde verò directum ſcalpellum, ſupra claviculæ os, ab aure verſus jugulum: At tardiùs certè ob cruſtę lentitudinem, ac timidiùs propter venarum arteriarumque jugularium viciniam, quàm natura tendinis, ac nervorum requireret. Quibus idcirco magis punctim, quàm cæſim læſis, ſequebatur protinus vehemens cervicis, faciei, ac brachiorum convulſio; quæ tamen brevi iterum evanuit, adacto penitiùs ſcalpellô, & pręcisô animoſiùs integrô, qui in vitio erat, muſculô. Cujus amputatio actutum reſtituit capiti integrum erectioris figuræ uſum, ac libertatem ſeſe quocunque locorum movendi; quâ tamen ne abuteretur, circumpoſitę fuere capiti variæ faſciæ, quibus deinde, ob vulnus brevi conſolidatum, amotis, permanſit tamen aliquandiu inveterata illa capitis inclinatio in latus affectum: adeò difficile eſt longam corrigere conſuetudinem.

Quiſquis verò deinceps ancipiti huic, ac periculoſæ ſubjeceris aleæ, ne deſperes iterum fieri poſſe, quę ſemel facta ſunt. Sed ſcito tria pręcipuè vitanda, & primùm quidem, ne cruſtam cuti inuras, utpote quę adeò non profuit dolori, ut potiùs multùm nocuerit; tum viſui, tum incidenti ſcalpello. Deinde ne improvidè ſecando, magis jugules quàm cures ægrum. Danda ad hęc opera, ne identidem, ac interpolatis vicibus, ſed ſimul ac ſemel, attamen cautè, integrum muſculum pręcidas: in quô potiſſimùm hujus curationis momentum. Quæ certè animadverſio, ut Chirurgo ex famâ, ſic ægro non parum ex uſu erit. *Nicolaus Tulpius Obſervat. Medicar. lib.* 4.

De Capitis Obſtipi curatione.

Muſculi Cervicis, Capitis etiam motui inſervientes, anterius poſteriusque collocati, in quatuor claſſes commodè diſtribuuntur.

Horum operâ Caput movetur antrorſum, retrorſum, & ad utrumque latus; circa primi, ſecundive generis muſculos, eorumque actionem quàm conſentiunt anatomici, ita circa actionem eorum qui ſunt poſterioris ordinis diſſentiunt, ex eo quod firmitatem ipſis nullam, ſedemque certam tribuere nequeant.

Adrianus Spigelius lib. 4. Fabr. corp. human. cap. 7. Muſculorum cervicem moventium ad latera confuſionem admittit, neutiquam eos hactenus diverſos loco aſſerens.

Vopiſ-

Vopiſcus Fortunatus Plempius tract. de Muſculis cap. 11. hæc proponit: cervici muſculus licet conceſſus, motui ejus ad latera propriè dicatus; ſufficienter tamen ſatis, atque perfectè exercetur idem ab extenſore & flexore ſimul agentibus.

Obſervamus nihilominus, ad latera claviculæ, muſculo caput flectenti, Mastoidæo, qui pectori atque claviculæ, hinc carnoſus valdè, proceſſui capitis maſtoidęo, nectitur, adhærere fimbriam, latam, tenuem. Vide *Barthol. anat. lib. 4. cap. 5.*

Julius Caſſerius Placentinus muſculum hunc maſtoidæum inter muſculos caput & collum moventes primi paris muſculos habet, cumque ex claviculâ adſcendentem circa medium duas in partes dividit.

Fimbriam hanc membranoſam ex muſculo maſtoidæo, deſcendentem litera A. ſignatam, non rarò induratam adeò, exſiccatam, corrugatamque reprehendimus, ut tendini exarefacto ſimilis videretur. Varia in hoc caſu uſurpata medicamenta emollientia, formâ fotûs, cataplaſmatis, emplaſtri, linimenti, varia itidem inſtrumenta Chirurgica, retrorſum caput extendentia, at nihil ſucceſſus attuliſſe viſa. Præſtantius hîc excogitari medium nullum poterit, quàm tendinoſam hanc expanſionem, uſu non medicamentorum corroſivorum, ſed forficis acutioris, celeri manu à clavicula, cujus medio lateribuſque firmiter cohæret, ſeparare.

Obſtipi hujuſmodi capitis ad curationem vocatus aliquando, mediis omnis generis plurimis fruſtra adhibitis, indurati tendinis diſſectio quàmprimùm fieret author fui, quam curationis methodum etiam propoſueram ægrotanti puero 14. annorum, parentibuſque. *D. Florianus.*

Operatio hæc Chirurgica convenienter quo inſtitueretur, æger impoſitus fuit ſedili commodo, faſciarumque aptatum ope debitè eidem alligatus, miniſtro hinc cuidam, caput ægri quietum detineret, injunctum; Mox locus ſecandus tendinis, prominentis, gracilis, indurati, tenſi, claviculæ connati à Chirurgo *D. Floriano* [illegible]atus, ſimiliter ac ille qui arteriç eſt carotidis externç, [illegible]iùs ſatis conſpicuæ, circa auriculam in muſculum temporalem excurrentis, circumſpectione ſummâ, ne [illegible] hęmorrhagiam incurabilem inferat, fugiendus. Tandem forficis acutioris ope, tendinis dicti diſſectio abs eodem *Floriano* dexteritate ſingulari, uno ſolo impetu, peracta.

Diſſectione inſtituta, ſanguinis fluxio nulla obſervata, ad cujus tamen ſuppreſſionem in promptu nobis erant medicamenta, licèt etiam cutis ipſa vulnerata; imò operatione hac peractâ Caput illicò, cum ſonitu, erigebatur.

Huc facit inſignis ea obſervatio, quam *l.* 4. *c.* 58. proponit magnus Tulpius *Jobus à Meekren in obſervationibus Medico-Chirurgicis.*

OCULORUM VITIA.

OPhthalmographiam integram, hîc texere non eſt animus, ſiquidem hoc penſum abundè ab Anatomicis confectum videmus, & prçcipuè à Celeberrimis ac Clariſſimis Viris Vopiſco Fortunato Plempio; & Guilielmo Briggs, qui tractatus ſanè abſolutos hoc in argumento conſcripſere; ille quidem amplum, hic verò brevem at non minùs accuratum, quem Bibliothecæ Noſtræ Anatomicæ Parte 3. inſertum, legere licet. Suffecerit itaque ſi impræſentiarum quç Praxim Medico-Chirurgicam magis ſpectant exſcribentes, primum adducamus mox prænotatum Famigeratiſſimum Plempium, ac aliorum variorum Curationes, Conſultationes, & Obſervationes de oculorum morbis, ipſi ſuccenturiemus. Sic autem ille Ophthalmographiæ libro 5.

De Affectibus Ocularibus, eorumque Curationibus.

Uti ingenioſç ſubtileſque in quavis ſcientia contemplationes ad operationem non deſtinatæ à cordatis viris inutiles haberi ſolent: ita verò in Medica diſciplina conquiſitæ ſubtilitates ad praxin non ordinatæ, vel maximè reputantur ſupervacuç. Quoniam quçcunque Medicina ratione perluſtrat, ad corporum viventium utilitatem referre atque accommodare debet. Quapropter etiam univerſam Artis nomine contineri eminentiſſimis auctoribus viſum eſt. Nobis tamen ſpeculatiuncularum illarum agitationes nimis quàm impendio ſemper placuerunt, præſertim quæ rei cujuſpiam originem cauſamve conſectarentur: ut enim ad animalium uſum nihil faciant, neſcio tamen, quâ ineffabili contemplantis animum voluptate perfundant. Addè, quòd mentis aciem non mediocriter exacuant: ut acriùs poſſit ſubtiliùſque ſpeculari, quç ad praxin condubicilia judicantur. Ita ſanè pleraſque quæſtiunculas huic opuſculo interſperſimus, quæ nullam prçſtant in artis noſtrç exercitatione utilitatem: quòd verò etiam nullam divinæ noſtræ menti ingerant oblectationem, nemo niſi miſoſophus auſus fuerit confiteri.

Verùm enim verò ne partes Medicinæ, quam profitemur, deſerere videamur; quas in præcedentibus libris ſparſim fudimus cogitationes, in hoc eaſdem ad artis opera utiliter reducere conabimur, plenam affectuum ocularium deſcriptionem & curationem dantes.

Mirari verò hîc ſubit, imò etiam dolere hominum cæcitatem, tam nobilis partis curam ſtolidis quibuſdam aniculis & imperitis agyrtis committentium, Ophthalmicos ſe vocitantibus; cùm, ſi quod corporis noſtri membrum multis morbis pateat, ſi cui ad curationem multâ opus ſit cautione ac prudentiâ, oculus ſine dubitatione ſit. At iſthęc etiam querela doctiſſimorum virorum olim fuit, eſt, & erit. Mundus enim vult decipi, ut inquiebat ille. Agamus nos, quod agimus.

De inflatione palpebrarum.

Inflatio ſeu intumeſcentia palpebrarum, Græcis *Emphyſema*, eſt tumor palpebrarum laxus & mollis œdemati ſimilis.

Cauſa. Cauſa eſt aquoſus & ſeroſus humor. Unde inflatio obſervatur in febribus diuturnis, in cachexia, hydrope, lethargo, caro; & in iis, qui arthritide frigidiſque defluxionibus vexantur.

Signa. Malum per ſe patet: eſt enim palpebra tumida ſine coloris mutatione, laxaque & mollis.

Curatio. Palpebrarum inflatio ſæpè ſponte evaneſcit, vel adhibitis calentibus linteis diſſipatur. Si perſeveret, fotus adhibendi, vel inunctiones. Itaque.

℞. Roſar. rub. pug. 1. Flor. anthos pug. s. Chamęmel. hyſſop. melilot. abſinth. puleg. origan. an. man. s. Coq. in æq. parte vini & aquç. De colatura fiat fotus cum ſpongia. Poſtea imponatur emplaſtrum de Vigo ſine Mercurio, vel de baccis lauri.

De trachomate, denſitate, aſperitate, & calloſitate palpebrarum.

Trachoma eſt internæ palpebrarum ſuperficiei aſperitas cum rubedine ac prurìtu; nonnunquam & cum puſtulis ſeu tuberculis ſemina ficus vel milii referentibus.

Affectus hujus tres ſpecies ſeu potiùs gradus numerantur. Primus eſt, cùm palpebræ, ſi invertantur, quaſi denſiores & inçquales apparent, diciturque denſitas

ſitas palpebrarum: in qua palpebrę intus rubent, inęquales & aſperæ ſunt, ac pruriunt. Alter gradus eſt, cùm jam aucta eſt affectio, & non ſolùm denſitas atque inęqualitas in palpebra interna apparet, ſed manifeſta jam aſperitas & rubor, adeò ut emineant quaſi granula ficûs: unde Gręcis dicitur *Sycoſis*, quaſi dicas palpebram ficoſam. Tertius gradus eſt, quando jam inveteravit malum, & pars interior palpebræ exulcerata eſt, ac ſciſſuram & calloſitatem contraxit, Gręcis dicitur, *Tyloſis*; nobis calloſitas palpebræ.

Cauſæ. Humor mordax & ſalſus eſt trachomatis cauſa: qui paucis, ſi aſperitatem tantùm quandam & pruritum excitare ſolet, cùm moleſtia in interna palpebræ parte, præſertim cùm movetur. Hinc eam perfricant homines; unde copioſior adfluit materia, ac tum poſtea alii trachomatis gradus ſequuntur.

Signa Affectus hi viſu cognoſcuntur: nam ſi palpebra invertatur, rubra apparet & aſpera; & quaſi ſemen ficûs vel milii grana extare videntur.

Curatio. Primò totum corpus & caput convenienter eſt evacuandum: cucurbitulæ & veſicatoria cervici apponenda.

Deinde ♃. Hordei integ. man. i. Rad. Altheæ unc. i. Sem. fœni Gręci unc. s. Coq. in aq. com. ad lib. ij. Colatura detur uſui. Pannum lineum duplicem eo decocto madefactum ſupra oculos aliquoties pone.

De pruritu & ſcabie palpebrarum.

Pruritus & ſcabies palpebrarum alia eſt cum humiditate, & dicitur *Pſorophthalmia*: in qua palpebræ ſunt rubræ, exſtillant lacrymę ſalſę ac nitroſæ, anguli oculorum ſunt exulcerati & rubri cum magno pruritu. Alia eſt cum ſiccitate, & vocatur *Xerophthalmia*; in qua palpebræ nec ſunt inflatę, nec plorant, ſed ſolùm graves ſunt & rubrę & noctu coglutinantur per craſſam pituitam.

Cauſa. Oritur pruritus & ſcabies ab humore ſalſo & nitroſo, qui plerumque à capite ad palpebras deſcendit. Poteſt tamen etiam hoc malum fieri à collyriis nimis acribus & nimis diu adhibitis.

Signa. Patet ſatis per ſe malum; nam non ſolum pars interna palpebrę afficitur; ut in trachomate, ſed afficitur tota, præſertim tamen verſus oculorum angulos: nam ibi cum pruritu rubet, aſpera & ſcabioſa & exulcerata eſt.

Curatio. Ad ſimplicem pruritum, poſtquam fomentatus eſt aquâ tepidâ, applica tale collyrium.

♃. Aq. roſac. plantag. an. unc. ij. in quibus bull. lento igne Aloës hepat. ſemidrachma, Vitr. alb. ſcrup. ij. Sacchar. cand. drachma una.

Pro curatione Pſorophthalmię oportet venam ſecare, purgare, cucurbitulas & frictiones ſcapulis adhibere: vitare cibos omnes ſalſos: fomentare oculum ex lenticulæ, Malvæ, Roſarum & rad. Oxylapathi decocto: deinde applicare collyrium Philoxeni, quod recipit Cadmię drach. i. Chalciid. crud. ſemidrach. Aloës ſcrup. i. Ærugin. ſcrup. ß. Piperis gran. v. Flor. roſar. ſeſquidrach. Terantur & incorporentur unguento pomato.

Ad Xerophthalmiam valet quoque jam deſcriptum Philoxeni collyrium. Celſus laudat panem imbutum vino & applicatum. Quia verò ægri hîc valde conqueruntur ſe mane non poſſe aperire palpebras: ad id malum tollendum, oportet illas veſperi, quando vadunt cubitum, ungere unguento de tutia. Sed & unguentum roſatum Meſue eſt hîc bonum, adjecto pauxillo tutiæ præparatæ; apponitur cum petiis lineis. Eo ſe Foreſtus palpebras inferiores rubras & exulceratas, in quodam curaſſe ait unicâ nocte.

De Hordeolo, Grandine, & Lithiaſi palpebrarum.

Hordeolum eſt tuberculum in ſumma palpebra ſuccreſcens prope cilia, oblongiuſculum, quod ſuppuraſcens ſimile eſt grano hordei: unde & nomen ei.

Grando, eſt tuberculum rotundum, tranſlucidum, atque huc & illuc mobile.

Lithiaſis ſimilis ferè eſt affectus, videlicet in palpebra generantur nodi & excreſcentię, & aſpera quędam corpora lapidis inſtar dura & oculos prementia.

Cauſæ. Hordeoli cauſa eſt humor pituitoſus & craſſus, cum mixtura tamen ſanguinis.

Grandinis materia durior eſt, & quaſi lapideſcens. Qualis quoque in lithiaſi eſt.

Signa Patent ex deſcriptionibus datis.

Curatio Hordeolum illinatur calente adipe gallinę: vel imponatur ei Galbanum modico nitro ſubactum; vel Sagapenum aceto diſſolutum: vel foveatur decocto Hordei, flor. Chamęmel. Sem. lini. fœni Græci, rad. Althææ. Facto fotu imponatur tale cataplaſma.

♃. Paſſul. unc. i. fol. Malvę Violar. an. man. ß. Poma num 3. Coq. in aq. q. ſ. uſque ad mollitudinem: deinde exprimantur: piſtentur, & cribrentur; tum adde vitellos duorum ovorum, butyri, farinæ hordei ana unc. ß. Croci parum. F. cataplaſ. hoc maturat & rumpit tuberculum, factâ apertione convenientiſſimè pro mundatione & integra ſanatione adhibetur diachylum ſine gummi. Omnes autem affirmant, muſcas abjectis capitibus affrictas præſtantiſſimum eſſe remedium.

Ad grandinem & lithiaſin.

♃. Ammoniac. Opopanac. Galban. an. drach. i. Temperentur in aceto fortiſſimo per diem & noctem, malaxentur, & F. emplaſt. hoc mollit & reſolvit.

Si hoc modo non curentur, ſequendum Galeni pręceptum *com. 2. in lib. 6. Hippocr. de morb. pop.* ut tubercula illa priùs vel ſepiæ teſtis, vel pumice, vel unguibus exaſperentur, tum verò detractoriis medicamentis oblinantur: ſic namque ulcerata tubercula in profundum vires medicaminum accipiunt.

De Ectropio, Lagophthalmo, & Corybantiaſmo.

Ectropion eſt affectus inferioris palpebræ, quæ invertitur & deorſum trahitur; ut internæ palpebræ pars cum deformitate videatur, & inſtar rubrę carnis appareat: neque cum ſuperiore committitur, ſed pendet atque hiat.

Lagophthalmus eſt affectus ſuperioris palpebræ, quę ita ſurſum adducta eſt, ut oculum totum tegere non poſſit, ſed per ſomnum etiam aliquantùm apertus maneat.

Carybantiaſmus idem ferè affectus eſt ac lagophthalmus. Plinius *cap.* i. *cap.* 37. mihi auctor eſt: Oculis patentibus, *inquit*, dormiunt lepores, multique hominum; quod corybant ιᾶν Græci dicunt. Ego nuſquam apud quemquam Græcorum vocem ea in ſignificatione uſurpatam recordor: uſurpari tamen poſſe non diſſuadet etymologia ab Hermolao excogitata qui Corybantes ſacerdotes dictos ait à pupillis oculorum, & genis, quas Grçci κόρας vocant: quippe qui cùm Jovis cuſtodes eſſent, non modò excubare, ſed etiam apertis oculis dormire cogerentur. Obiter hîc ſimul ſpecta doctorum in Pliniana lectione hallucinationes. Adr. Turnebus legit: quos coribantia regrediunt, id eſt, corybantum ſacra ſanitati reſtituunt: qui enim ſic dormiunt, inquit, ſani eſſe non putantur: malè ſanos autem curabant Corybantum ſacris, quibus tum animo tum corpore ęgros initiabant. Contrà Joſephus Scaliger cùm morbum Corybantibus immitti, non ab iis ſanari contendit; itaque legendum: quos corybantiare credunt. Uterque cerebrum ſuum, non codicem ſecutus eſt. Legendum ſimpliciter, quemadmodum dictum eſt, ut rectè Dalechampius & literatiſſimus vir Salmaſius.

Cauſæ. Cauſa ectropii primò poteſt eſſe incrementum carnis, vel tumor in parte interna palpebrę, ob quę invertitur palpebra. Secundò poteſt eſſe vulnus vel ulcus in palpebra inferiore malè curatum, ita ut,

dum agglutinaretur, deorsum nimis fit retracta palpebra. Tertiò potest esse paralysis, vel convulsio inferioris palpebræ, ob quam attolli nequit.

Lagophthalmi etiam variæ possunt esse causæ. Nam vel potest in utero palpebra ita fuisse conformata: vel à consuetudine istum positum accepisse, cùm infantes in cunis sursum vel retrò continenter spectant: vel à convulsione; vel à vulnere, ulcere, & cicatrice potuit imminuta aut sursum retracta fuisse.

Signa. Signa patent ex descriptionibus jam datis.

Julius Scaliger *com. in Aristot. hist. de animal. lib. cap.* 10. ægrotam matronam vidisse se scribit apertissimis oculis semel somnum capere. Nos aliquot vidimus, qui ex dimidio apertis, ex dimidio clausis dormirent. Hoc Hippocrates in Prænot. magnum malum portendere in morbis notat. Cui non penitus fide. Vidimus enim quibus sic dormire naturale esset: novimus, quibus consuetum: scimus, quibus morbosum, non tamen ullo pacto periculosum. Naturale quidem, quibus in utero superior palpebra ob materiæ defectum & conformationis vitium brevior formata esset: consuetum verò iis, qui ab incunabilis sursum vel retro continenter spectare assueti essent: morbosum denique, quibus palpebra ab ulcere vel vulnere sursum esset retracta. Unde colligis, ubi quando Hippocraticum præsagium consentiat veritati.

Curatio. Ectropion à convulsione vel paralysi, ortum, curandum ut convulsio vel paralysis.

Si ortum duxerit à nimio incremento carnis in interna palpebræ parte, caro ea est absumenda. Unde præmissâ debitâ totius evacuatione, alumen rochæ vino incoquendum, & palpebra eo decocto lavanda. Tum hic pulvis luxurianti carni inspergendus.

℞. Vitriol. alb. alumin. an. drach. I. Lapid. Hæmatit. scrup. 2. Tutiæ semidrach. F. pulv. subtil.

Vel ℞. Lap. Hæmatit. probè levigat. semiscrup. Vitriol. alb. usti gr. 15. Myrrhæ, Croci an. gr. 5. Sacch. cand. scrupul. 1. Misce F. pulv. cujus particula misceatur cum aquis sequentibus, & pluma adhibeatur ipsi carni superfluæ bis die, cavendo pupillam oculumque.

℞. Aq. fœnicul. plantag. Raphani an. semunciam Misce.

Si his aut similibus non absumatur caro, est operatione Chirurgicâ auferenda. Quemadmodum etiam operatio ista necessaria est, dum ectropion factum est ob vulnus, vel ulcus malè curatum.

Absumptâ carne superfluâ, sæpè remanet turpis quidam rubor palpebræ, qui hisce linimentis pulchrè corrigitur.

℞. Axungiæ porcin. colat. sesquiunc. Tutiæ præpar. semunc. Caphuræ novies aq. rosac. lotæ scrup. 1. Misce, somni tempore inungatur. Vel Butyr. recent. novies aq. comm. loti, postea novies loti succo plantag. deinde ter aq. rosac. ℥ij. & semis: tutiæ præpar. & lotæ semel. aq. rosac. Aloës lotæ aq. plantag. sief. albi cum opio ana sesquidrach. caphur. lot. scrup. 1. Mis. F. linim. Vesperi inungatur & mane calidâ aquâ abluatur.

Lagophthalmus infantium consuetudine malâ inductus contrariâ consuetudine corrigendus: pannis scilicet nigris cunas circa caput obvolvendo, & ad pedes luculam aliquam statuendo, quam continenter infantes adspiciant.

Si à contractione vel cicatrice provenerit, emollientia usurpanda.

℞. Rad. Althææ sem. fœni Græci, flor. Chamæmel. an. drach. 2. Croci semidrach. F. sacculus, qui aquâ conveniente calefactus oculo imponatur. Tum illinatur hoc unguento.

℞. Pingued. gallin. medull. cervi ana semunc. Ol. chamæmel. Ol. lilior. alb. ungu. dialthæ ana drach. 2. Misce.

Si hisce non cedat, Chirurgiâ est opus. In qua exercitatissimus Paræus monet *lib.* 16. *cap.* 6. diligenter cavendum esse, ne in administratione sectionis cartilaginea palpebræ ora lædatur: hac enim dissectâ frustra, *inquit*, palpebram tentamus elevare. At hercle quid cartilagineæ oræ cum palpebræ elevatione? Seca ipsam audenter, & perseca pluries, si rectum palpebræ musculum transversim non dividis, nihil officis palpebræ elevationi. Scitiùs & experientiùs antecessor ejus Guido, vita, quantùm potes, ciliarem limbum, *scribit*, hic enim læsus difficulter sanescit. Hoc verissimû est ob cartilagineam ejus naturam.

De nimia palpebræ superioris laxitate.

Nonnullis palpebra superior procidit, quia ipsius summa cutis ampliùs relaxatur, quàm tegendo oculo necesse sit. Unde duplex molestia oritur; una quòd oculus facilè detegi non possit: altera, quòd si relaxatæ palpebræ pili ad oculum tendant: ipsumque pungant.

Causæ. Relaxationis illius causa est affluxio humoris aquosi non acris aut mordicantis: quòd ex eo apparet, quia sic affectis unus alterve pilorum ordo sub ordine naturali succrescit ob loci humiditatem, quemadmodum terra humida pluribus herbis luxuriat. Jam si is humor acris esset, pruritum doloremve induceret, & naturalium pilorum radices arroderet, tantùm abest, ut novis præter naturam subortentibus materiam suppeditare posset.

Ejusdem affectus causa est peculiaris illius loci paralysis, quæ senibus frequens est.

Spiegelius Præceptor meus ex levi vulnere ramusculi tertiæ nervorum cerebri conjugationis, qui per foramen ossis frontis supra orbitam exsculptum elapsus in cutem & musculos frontis desinit, observavit prolapsam palpebram, eò quòd supercilii seu frontis musculus propterea paralysin incurreret.

Signa. Affectus per se patet.

Curatio. Præmissis generalibus, & secundariis; ut cucurbitulis frequentibus etiam cum scarificatione, apophlegmatismis, cauterio in cervice ad diversion m humoris: fiat fotus ex Majorana, flor. Chamæmel. & Meliloti, Cumino, additis Balaustiis & Malicorio.

Quibus si non tollatur malum, Chirurgiâ est opus.

De palpebrarum inter se, & cùm aliis oculi partibus cohærentia.

Fit in multis, ut per somnum copia pituitosæ & viscidæ materiæ ad palpebras affluens earum extremitates ita conglutinet; ut vix manè aperiri possint.

Sed est altera majoris momenti cohærentia, quâ palpebræ vel inter se, vel cum albâ, aut cornea, aut utraque oculi tunicâ planè coalescunt: qui affectus dicitur *Ancyloblepharon* propriè Græcis.

Causæ. Nocturnæ cohæsionis causa est humor pituitosus & viscosus.

Alterius autem coalitus causa est ulcus in interiore parte palpebræ, vel oculi exteriore tunica malè curatum; sic ut sanescendo, quòd diductum esse debuit, conglutinetur.

Signa. Manifestus est affectus.

Curatio. In cohærentia nocturna ex pituita corpus expurgandum est, & per cucurbitulas, vesicatoria, aliosque modos humor ab oculis avocandus: deinde æger cubitum iturus palpebras aquâ rosaceâ, cui rosæ & balaustia incocta sint, abluat, & petias eâ imbutas imponat.

Alter coalitus non nisi per Chirurgiam tolli potest: per quam tamen Celsus neminem vidit perfectè sanatum: nam post separatione oculus rursus ferè coalescit cum palpebra.

De Phtheiriasi palpebrarum.

Phtheiriasis seu pediculatio est affectus is, sub quo pediculi palpebras infestant. Uti enim in aliis partibus, sic quoque hic pediculi nasci & molesti esse solent.

Causæ. Materia pediculorum est humor excrementitius calidus & humidus, putrescens non excellenti putridine, præsente calore moderato.

Signa. Ipsæ bestiolæ per se visui sunt manifestæ, pruritusque magnus adest.

Curatio. Hoc unguentum ad palpebrarum pediculos apprimè est commodum.

℞. Ung.

℞. Ung. rosac. Mes. semunc. sulfur. vivi, staphisagriæ, an. gr. 15. Hydrargyr. salivâ extinct. semidrach. F. unguent. quo palpebræ illinantur, Possunt priùs ablui decocto staphidis agriæ, betæ, absinthii.

De affectibus pilorum ciliarium.

Cilio seu tarso palpebrarum pili innascuntur recti, eandemque semper servantes magnitudinem, & nigri vel subnigri.

Horum affectus sunt inversio ad oculos & incurvatio; abundantia nimia, defectus, & color alienus.

Causa. Pilorum incurvatio versus oculos oritur vel à palpebra superiore nimis laxata; vel quòd ipsimet pili vitiosè & tortuosè crescant ob malè constitutos cilii poros.

Abundant sive luxuriant pili aliquando duplici ordine, aliquando multiplici & veluti quadam acie. Causa est humor copiosus, sed minimè mordax ad cilia fluens.

Defectus & defluvium ciliarium pilorum fit ex vitiosis & acribus humoribus ad cilia allapsis, & pilorum radices erodentibus.

Color alienus est albor, qui visui incommodat; fitque vel ob defectum humidi nutrientis ex diuturna ægritudine: vel ob præsentiam materiæ phlegmaticæ in radice pilorum situm quasi contrahentis, uti in canitie; vel ob cutem vitiligine albâ laborantem.

Signa. Affectus hi omnes per se noti sunt. Nec contemnendi, quia plurimùm incommodant.

Curatio. Prolapsus seu laxitas palpebræ superioris quomodo curetur, jam antè expositum est.

Ubi pili superflui oculos pungunt, sive pauci sint, sive multi, sunt evellendi instrumento illo Chirurgicò quod *Volsella* vocatur; sed ita, ut toti evellantur: nam si in medio abrumpantur, magis pungunt, quàm dum sunt integri. Postea loco, è quo pili evulsi sunt, adhibenda ea, quæ pilos renasci prohibent, ut rubigo ferri salivâ jejuni hominis subacta.

Vel ℞. Rhad. Mandragor. drach. 6. sem. Persicariæ semunc. Caphuræ semiscrup. Aceti cochl. 1. Misce in mortario, & succus exprimatur, quo pori è quibus pili evulsi sunt, illinantur. Corrodentia, quæ aliqui hîc ad extirpandos pilos usurpant; non probo, quia periculum inferunt oculis.

In pilorum ciliarium luxurie damnat experientissimus Montanus in consil. eam Chirurgiam, quæ à Practicis solet proponi. Sanè infeliciter eam quibusdam cessisse animadverterat. Consulit verò, ut evellantur potiùs accommodissimè à perito quopiam vulsore: tum post evulsionem frequentissimè illinatur locus lacte canis; id enim celebratissimum esse remedium apud antiquos, ne pili succrescant. Atque hoc idem remedium omnes passim repetunt & prædicant recentiores; adduntque alterum à veteribus proditum & commendatum, ranarum viridium sanguinem. Cæterùm à Galeno discere poterant, in utroque mendaces esse veteres: quippe qui facto periculo falsum utrumque se comperisse monet lib. 10. de simpl. med. fac. Candidè Joan. Arculanus comment. in 9. Rhas. ad Alm. scribit in hæc verba: Dicant omnes quidquid velint, ego adhuc non inveni medicinam in hac re conferentem.

In pilorum defluvio præmissis universalibus, illinantur cilia hoc unguento.

℞. Ol. lini semunc. Sevi hircini, pingued. ursi ana drachm. ij. Stercor. murium, dactyl. combust. an. semidrach. Mis. Vel. torretur stercus muris, & pulvis commiscetur melli. Aut uruntur avellanæ, ac cinis pinguedine ursi vel capræ subigitur pro linimento. Ante illitionem rectè adhibetur fotus ex decocto adianthi & polytrichi.

De Vulneribus palpebrarum; & administranda in eis sectione.

Asseverat Fallopius, attestante experientiâ, ista vulnera esse citæ facilisque sanationis. Cui tamen veritati veracissimus Hippocrates, uti videtur, adversans sect. 6. Aphor. 19. ait, perfectam genæ tenuem particulam neque augeri neque coalescere. Aristoteles lib. 2. de part. animal. cap. 13. hoc ipsum ex Hippocrate & alia aliquammulta, sine honorifica tamen ejusdem mentione, describens enuntiat expressius: Palpebram; inquiens, aut præputium vulnere diducta coalescere non posse: sunt enim cutes sine carne. Ergonè duæ hæ scientiarum aquilæ adeo cæcutiverint, ut non perceperint, quod cuilibet occurrit quotidie? Quamquam id de Aristotele fortassis acutissimo contemplatore; de Hippocrate certè in artis operibus exercitatissimo ut credam non à me impetro. Itaque ut veritati consonet proposita ejus assertio, hoc debet sensu intelligi: palpebras nempe aliasque illic memoratas partes perfectas non coalescere per succretionem carnis vel substantiæ homogeneæ; coalescere tamen atque uniri per aliquid heterogeneum. Breviter, non per primam, sed per secundam intentionem consolidari, ut loquuntur recentiores.

Ex transversis palpebrarum vulneribus prædicunt unanimiter omnes Chirurgiam profitentes casum earundem, atque abolitionem elevationis. Ubi novisse convenit, ea transversa palpebrarum ab eis vocari vulnera quæ à superciliis deorsum versus oculum descendunt: recta vulnera ea, quæ ab uno angulo ad alterum vergunt. Asserunt igitur, si vulnus à superciliis deorsum descendens palpebram discindat, necessariò sequi abolitionem elevationis ipsius palpebræ. Me aliter erudit anatome. Nam circularis musculus utramque palpebram ambiens, clausionem palpebrarum ut propriam actionem exercet; unde sequitur ex transversa fibrarum ejus sectione abolitio clausionis palpebrarum. Proinde vulnus à superciliis deorsum inflictum officit clausioni, non reclusioni oculorum: ob tale namque vulnus recludentis sive elevantis musculi intus latentis fibræ non persinduntur.

Præterea vulnus rectum, id est, ab uno angulo oculi ad alterum procedens periculo caret, inquiunt illi, nullumque portendit incommodum: quia vulneris ductus rectitudinem fibrarum musculi palpebralis sequitur. Sa nè verum inquiunt, si vulnus superiorem musculum circularem tantùm lædat: sin autem profundiùs penetret, ut etiam dissecet inferiorem seu internum rectum musculum, tum non leve adfert incommodum; prolapsum, inquam, palpebræ, eo quòd elevatoris musculi fibræ transversim discindantur.

Quamadmodum porrò in prædictionibus edicendis, ita & in administranda propositarum partium sectione pro quibusdam curandis affectibus scriptores pariter omnes erraverunt. Id quod mihi quidem non tam mirum videtur de veteribus, quibus scio palpebrarum musculos incognitos fuisse, quàm de novitiis hisce posteris; qui absolutam horum musculorum dedere descriptionem. Evenit nimirum ipsis, uti & aliàs nobis, pecorum ritu sequimur antecedentium gregem. Cæterùm chirurgiam sive sectionem palpebrarum exercent auctores in earum prolapsu ac laxitate; in contractura earundem, ut lagophtalmo; in tuberculis itidem, ut verrucis, moris, grandine, aliisque id genus. Quibus in affectibus semper atque indiscriminatim jubent sectionem fieri secundùm ductum rugarum palpebræ. Me judice discrimen hîc necessariò est constituendum. Si enim prædicta tubercula cutem vel externam circularem musculum obsident, sequemur in sectione ductum rugarum palpebræ: is namque est fibrarum circulatis musculi processus. Huic similem chirurgiam institues in lagophtalmo, cujus causa fuerit cicatrix. Ubi diligenter

attendendum, ne profundiùs instrumentum secans adigamus, adeò ut lędamus sublatentem rectum musculum, quo læso petit palpebræ elevatio. Contrà si tubercula interiorem palpebrarum superficiem occupent, cùm illic sedem habeat longus rectusque musculus descendens à superciliis deorsùm, conformem huic sectionem administrari necesse est: diligenter iterùm attendendo, ne cultellum altiùs deprimamus, ac persecemus musculum circularem, cujus ex traversa sectione aboletur clausio oculorum. Quod spectat ad palpebram inferiorem, hæc unico dumtaxat donatur musculo, eodem nempe illo circulari, qui in superiore palpebra visitur. Itaque in ea solùm habet lunata sectio locum, sic ut cornua non ad maxillam, sed ad oculum convertantur: nam is est fibrarum ejus musculi progressus.

Palpebrarum vulnera curantur ut alia. Verùm tamen palpebrę vulneratæ vel omninò non, vel cautè admodum inungendæ sunt oleo rosaceo, ne oleum defluat in oculum, & ipsum inflammet; olea enim valde inimica sunt oculis, sed linteum potiùs in vino nigro austero expressum est superponendum.

De rebus oculo illapsis eximendis.

Aëtius Tetrab. 2. sermon. 3. cap. 17. si culex, vel alia bestiola aut recula in oculum illapsa fuerit, altero oculo clauso, &, qui affectus est, aperto, suâ sponte elapsuram scribit. Ejus causam investigans Alexander Aphrodisæus sect. 4. probl. 58. inquit, Videndi spiritum à clauso oculo retentum in patentem tendere, ipsumque implere ac tumefacere: atque ita extrudi ejicique, quod in ipsum deciderat, utpote imbecillum. Adde quod ipse erumpens confertim spiritus per oculi spiramenta illam extrudat bestiolam. Omnia hæc falsa. Non enim erumpit per oculi spiramenta visivus spiritus. Neque altero clauso alter oculus à spiritu affluente tumescit. Nec denique illapsę res, altero oculo clauso, elabi comperitur.

Extrahunt autem illas res sine periculo & parvo negotio oculi cancrorum fluvitialium, sive lapilli, qui in capitibus cancrorum inveniuntur, hoc modo. Sinistrâ manu elevanda est palpebra: dextrâ circumspectè & blandè unus ex lapillis imponendus; mox oculus strophiolo obvelandus.

De Ophthalmia.

Ophthalmia est adnatæ seu albę oculi tunicæ inflammatio. Sub hac continentur Taraxis, Xerophthalmia, & Chemosis.

Taraxis, id est conturbatio, est levis inflammatio oculi cum exiguo dolore & rubore.

Xerophthalmia est inflammatio sicca sine lacrymis, aut materia effatu digna effluente.

Chemosis est magna inflammatio non adnatam solùm tunicam, sed & corneam ac palpebras obsidens. Hæc pueros magis quàm adultos apprehendit.

Multi etiam literati ophthalmiam Latinè vertunt lippitudinem. Malè. Nam lippire non est ophthalmiâ teneri, sed habere oculos λίπω id est, humore pingui fluentes seu lacrymosos. Horatius se lippum vocat, quòd hebetiùs videret, & oculis esset mollibus; non autem, quòd continenter ophthalmiâ laboraret, uti credo.

Meliùs nobis distinxerunt utrumque nomen ii, quos ut barbaros isti insectantur politiores: ophthalmiam esse oculi inflammationem ac ruborem; lippitudinem verò conglutinationem interpretantes. Et illatinus Paręus omnium scitissimè distinxit lib. 16. cap. 11. inquiens, lippitudinem esse albas quasdam sordes ab oculis profluentes, quę sępè palpebras sibi invicem agglutinant. Ubi & dicit, lippitudinem ab infantia sæpè contrahi, & totam hominis vitam infestare; quod ophthalmię seu inflammationi non competit.

Galenus lib. 3. de comp. med. sec. loc. c. 2. ophthalmiam definit inflammationem tunicę os capitis & calvariam ambientis. Quæ definitio etsi alia videatur, quàm quę adducta est, tamen nihil ab ea differt; nam tunica adnata eadem est ac pericranium substantiâ, etsi non officio: quippe illa procedit à tunica palpebras succingente reflexa ad cilia versus oculi bulbum, quem denique contegit: atqui palpebrarum superior succingentem suam membranam à pericranio sortitur. Nihilominus accuratè rem persequendo non tota adnata pericranio ortum suum debet; quia à superioris palpebrę membrana succingente non tantùm nascitur adnata, sed etiam à membrana succingente palpebram inferiorem; hæc autem non à pericranio, sed à periostio maxillæ superioris originem habet. Quod fortassis Galenus lib. 10. de off. part. cap. 2. considerans, adnatam procedere dixit à periostio: id quod verum est, sive principium ejus spectemus à palpebra superiore, sive ab inferiore. Hinc ratio colligitur, cur inflammatis oculis tantus adsit sensus tristis. Membranę enim pericranium & periostium acuti sunt sensus. Indeque, est quòd Hippocrates & Galenus ophthalmiam sępè vocarint dolorem oculorum. Et Hippocrati quidem familiare est, in partibus valde sentientibus per dolorem intelligere inflammationem; uti in prognost. per dolorem auris quoque.

Causæ. Ophthalmia pro causa antecedente & continente eam habet, quam cęteræ inflammationes, sanguinem scilicet vel purum, vel quolibet alio humore permistum. Malè ergo aliqui flatum pro causa continente etiam adducunt: potest enim is quidem ob tensionem dolorem inferre, & sic causa esse antecedens, sed non inflammationem actu seu solus efficere.

Taraxin plerique ex Paulo Ægineta à causa manifesta tantùm oriri tradunt, ut à Sole, fumo, pulvere, vento. Sed ratio & experientia convincit, ab interna quoque causa non rarò excitari, præcipuè vitio ventriculi: & post immoderatiorem vini potationem.

Galenus lib. 4. de diff. puls. cap. 1. item lib. 1. de diff. feb. c. 2. ophthalmiam dicit contagiosam esse. Quod & sine Galeno quilibet experientiâ discere potest. Ejus tamen causam dicere non adeò facile est, ophthalmia enim inflamatio est, at inflammatio contagione non accipitur. Causa autem ab ipsamet parte affecta petenda est, ab oculis scilicet, qui cùm humidi, molles & facilè patibiles sint, promptè à vaporibus ex adstante inflammato oculo effluentibus afficiuntur. At cur ergo non perpetuâ ophthalmiâ laborant ocularii Medici & medicastri, qui in dies tot curant, & tractant, & inspectant ophthalmicos? Eadem quęstio peti possit de iis, qui peste infectos curant, quomodo tot annis ab isto morbo immunes agant? Videntur autem curantium corpora per longam consuetudinem reddi quasi similia corporibus ægris, atque, ita ab hisce nihil pati. Deinde abest imaginatio ac timor de contrahendo malo, qui timor reddit corpora contagioni valde obnoxia ac opportuna. Sed cur oculi inspectantes quamlibet aliam magnam inflammationem corporis non inflammantur quoque, cùm etiam tum vapores ex parte inflammata exhalantes recipiant? Resp. Debet ad contagium intercedere quędam partium analogia. Sic enim dysenteria contrahitur, si quis insideat loco illi, in quo dysentericus excrementa deposuit, quę excrementa etsi manu tractaret, non inficeretur: sic phthisis non contrahitur, nisi à pulmone sano vapores putridi excipiantur, &c.

Signa. Non eget signis ophthalmia, quippe quam rubescens oculi album; & venę in eo conspicuæ manifestant. Si rubor sit modicus, est taraxis. Si ambę palpebræ ex vehementi inflammatione inversæ sint, ut

vix

vix oculi ab ipsis contegantur, & album oculi nigro sublimius evaserit, chemosis est.

Hippocrates lib. 7. de morb. inquit, Omnibus suppurationibus & affectionibus circa oculum dolores ad noctem. Ejus probabilem rationem dicit Mercurialis in annotat. ad illum lib. dolores inquiens noctu fieri acerbiores, tum quia minore facta corporis difflatione intus causæ dolorificæ magis cohibentur; tum quia sensus eo tempore, cùm non sint aliò distracti, toti ad dolentem locum convertuntur, sicque insignior fit doloris perceptio. Verùm eæ communes causę sunt omnibus doloribus. Propria autem videtur esse, quòd cerebri passiones omnes, quæ ex succorum in eo redundantia pendent, augeatur noctu ob somnum & ob ipsam noctem, quę causa est analoga somni, gravans scilicet, caput & succos intrò pellens; jam autem oculi laborant cum cerebro; ergo cùm cerebrum nocte lædatur, necesse est lædi etiam oculos.

Notandum prognosticum Hippocratis lib. 1. coac. præn. sect. 2. scribentis: Opthalmià correpto si dolor capitis accedit, idemque diutiùs comitatur, cæcitatis periculum denuntiat.

Monet Galenus lib. 3. meth. opthalmiam cum cura esse tractandam; cùm ex curationis errore multos ęgrè confuseque vidisse observarit; alios rupta cornea visum amisisse. Contrà, si recte tractentur, evenit aliquando, ut post ophthalmiam acutiùs videant. Quod & Aristotelem non latuit: quęrit enim ejus rationem sect. 31. probl. 9. atque hanc assignat, quia oculi post ophthalmiam purificati sunt: fit enim sępe ut exterior densitas pupillæ aciem impediat, quæ lacryma emissa laxatur ac resolvitur.

Curatio. Ophthalmia, si quoquo modo magna fuerit, requirit venę sectionem. Vena autem secetur aut cephalica, aut basilica, aut media; prout vel capitis vel universi corporis vel utriusque ratio urget. Post has tamen duas postremas sectas, si vires sinunt, ad cephalicam venire conveniet. Si menses sint suppressi, vel hæmorrhoides, venas inferiores eligere oportet.

Dubitatur autem, si unus tantùm oculus laborat, in utro latere venam tundere deceat. Rhases & cum eo aliquot Medici venam eligunt brachii, quod oppositum est oculo laboranti. Sed sanior est doctrina Galeni, qui inquit, eam demùm sanguinis missionem vel vacuationem utilem commodamque esse, quę secundùm rectitudinem procedit; ex contraria autem parte sæpè nocere, quòd vires debilitet sine morbi sublevatione, Itaque sive ex brachiis sive cruribus mittendus sit sanguis semper mittatur ex eo latere, in quo laborans est oculus. Si uterque oculus laborat; potest utrimque mitti. Conducit verò uberem satis copiam educere, si vires ferant. Permittente morbo poterit ante sectionem venæ alvus clystere elui, vel levi medicamento leniri.

Sanguine misso purgans exhibendum: si enim alio quoquam affectu, certè in hoc purgatio convenit. Notus est aphorismus 17. lib. 6. qui sic habet. Ophthalmià laborantem alvi profluvio corripi, bonum. Unde constat, validum medicamentum posse propinari: contra quàm sentiant recentiores quidam, qui dicunt Hippocratem lib. de loc. in hom. prohibere forte purgans, ne humores corporis à pharmaco agitati confluant ad oculos. Contrarium enim illic docet Hippocrates. Verba ejus sunt: *Si fluxio in oculos processerit, & statim fuerint inflammati, nihil omninò illine, sed fortissimo per inferna purgato, aut alio quopiam alvum subducente medicamento attenuato, vitando ne vomitum facias.* Et Spiegelius Patavii dicebat nobis, hîc alternis diebus purgandum esse, imò dysenteriam posse excitari.

Purgante exhibito, cucurbitulæ occipiti & scapulis affigendę cum scarificatione, quæ potenter ab oculis revellunt: & faciunt vesicatoria ibidem apposita, quę proinde post cucurbitulas admoveri possunt.

His ritè factis, ad topica deveniendum, circa quorum usum utiles quasdam animadversiones tradidit Ludovicus Septalius; quarum interpolat Sennertus quasdam, quasdam corrigit, quasdam adjungit. Quoniam verò in nobilissimæ partis curatione nunquam nimis oculati esse possumus; assuam & ego alias cautiunculas, Uno oculo ophthalmiâ laborante, ambo oculi fasciâ obvelandi sunt, ut & sanum firmemus motumque illius cohibeamus. Ratio ejus ab Alexandro Aphrodisæo data est, jam vulgò innotuit. Capitis situs numquam sit depressus, vel prorsum inclinatus, sed rectus & elatior. Locus, in quo decumbitur, non sit calidus. Sed pręsertim lumen fugiatur: quare cùm æger oculus inspiciendus est, ut ipsi medeamur, accipiatur candela cum obumbraculo, vel lumen sit chartâ circumvolutum aut in laterna; vel saltem manus interponatur.

Porrò leves sed calidas oculorum conturbationes satis reprimit fotus ex sola posca; sicut frigidas aëre ambiente frigido ortas fomentum per spongiam ex vino albo diluto. Video practicantes passim interdicere acetum & acetosa in oculorum medicatione. Posca tamen, quam proposui, ad calidas oculorum perturbationes est Galeni remedium lib. de remed. fac. parab. cap. 10. Et fortassis intelligendi sunt isti probi auctores de aceto impermisto.

Ad ophthalmiam vulgaria remedia sunt lac & ovi albumen. Quæ duo perpendens & comparans Rhases 2. contin. dixit lac in curatione ophthalmiæ esse convenientius. Contra Abuali albumen esse magis conveniens scripsit. De qua controversia ita statuendum ex Nicolo Florentino: alterum altero diverso respectu posse esse conveniens magis. Et quidem (quod innuit Abuali) quando opus est aliquali abstersione, nec multa adest venularum obstructio: tum lac est melius; quia scilicet in lacte est vis quædam abstersoria, neque obstruit idem. At album. nullâ est abstergendi facultate effatu dignâ pręditum, cæterùm obstruit magis, magisque est frigidum. Itaque dum non magna adest venularum conjunctivę oppletio, sed materia magis suâ acrimoniâ & mordacitate molesta est, tum ovi albumen accommodatius est.

Hæc aqua in oculum instillata sedat dolorem, fluxum compescit, & aliquo modo digerit.

℞. Medull. panis alb. unc. IV. infund. per noct. in aq. rosacea qua utere. Æquivalens huic est aqua rosacea cum albo ovi tandiu conquassata, donec spumescat: deinde tenuem stupam in eo tinge, atque oculo applica. Si magis digerere vis, adde vinum. Vel cape decoctum foliorum malvæ in aq. rosacea factum, eoque oculos fove.

Prestans quoque est, quod Montano erat familiare; scilicet Rosas, Myrtos cum fœno Gręco, Chamæmelo Sem. lini in aq. plantag. coquere & in eo decocto pannos lineos tenuissimos ac mollissimos multiplices ad oculi magnitudinem & formam complicatos diu macerare, ac deinde oculis admovere, æstate frigidos, hyeme calidos; observando diligenter, ut, priusquam arescant, removeantur, novique applicentur. Et de fœno Græco quidem Galenus dicit, ejus decoctum esse memedicamen maximè omnium, quæ oculis applicantur, sine noxa digerens. Parari id melius ex herba ipsa benè lota, quàm ex semine, ut monet Septalius, & ante ipsum Petrus Salius. Sed tamen ex semine etiam non videtur inconveniens deficiente herbâ, si ex præscripto Galeni primum decoctum abjiciatur, quia tum non aderit acredo & calor.

Præsente & infestante dolore, noctu palpebræ ac totus oculus, maximè ad angulos & extremitates, leniter ungantur hoc unguento, quod pro secreto aliqui habent.

℞. Butyri maial. diligenter eloti drach. ij. huic admisce lapid. calaminaris tenuissimè triti, quantum capere poterit butyrum: tum mane abluatur oculus aq. rosacea cui incocta est malva. Item hoc unguentum laudo.

℞. Unguent. alabastr. semunc. lactis muliebris unc. ij.

ij. Misce, imbuantur eo petię lineę, & oculo apponantur: valet in dolore à qualibet causa. Uti etiam hęc aqua. Cape ovum, coque ad duritiem; exime postea vitellum; & saccharo cavitatem imple: tum colliga ovum, & è filo in cavea suspende; aqua quæ destillabit, usui est. Hoc etiam utor.

℞. Tutiæ præpar. semidrachm. aq. rosac. unc. ij. alb. ovi conquass. semunc. Misc. Denique propono medicamentum Saxoniæ, quod Dyabutyrum appellat, & præstantissimum est. Fit hoc modo:

℞. Butyri loti aq. rosac. semunc. Tutiæ præparat. semidrachm. Caphurę gr. v. Misce. Sed usurpandum est tantùm in statu vel augmento inflammationis.

Ad opiata, ut in aliis omnibus casibus, ita hîc rarò veniendum est: si dolor tamen valde urgeat, sunt usurpanda. Præ cæteris valet album ovi agitatum cum decocto papaveris albi. Quod si minùs efficax sit, adde aliquot grana opii. Vel capiatur sief., id-est collyrium album Rhasis cum opio, & dissolvatur in aq. rosac. vel. plantag. Instillamus autem hæc oculis, aut pannum lineum mollem: vel tenuem stupam iis imbutam oculo applicamus, cavendo, ne exsiccetur, aut calefiat. Nam si exsiccaretur, adhæreret, & deinde abstraheretur cum dolore, à quo augeretur affectus: si calefieret à corpore, attraheret humores. Denique remotis dictis opiatis medicamentis, debent oculi lavari decocto melilot. chamæmel. fœni Gręci, ut inductum ab ipso vitium corrigatur.

Etiam atque etiam notandum est, quod monet Montanus in Consil. nempe, in curatione ophthalmiæ adverti debere diligentissimè, an cùm ipsa tuberculum, ulcus, aut pustula sit conjuncta: quibus nisi propriâ curatione succurratur, aut cæcitas, aut alia incommoda subsequantur. Ego, inquit, miserum quendam ophthalmicum novi cui in ea parte corneæ, quæ pupillę opponitur, pustula inerat valde exigua, ut vix sensu perciperetur. Huic imprudens occurrens Medicus, tamquam solam ophthalmiam curaturus, pomum ferventi cinere coctum saccharoque conditum temerè applicavit: eaque nocte cùm dolor omninò sedatus esset, probeque obdormisset, mane lętus Medicum accersivit de sanitate gratulaturus, nec minori lætitia gestivit delirus Medicus. Soluto autem oculo, ablatoque cataplasmate, subsecutus est humor aqueus, ut miserabili eventu æger altero oculo cæcus redderetur: illo enim cataplasmate disruptâ pustulâ profundiore, quàm sensui apparuerat, ulcus subortum est.

Licèt à Galeno & plerisque aliis auctoribus in proposito affectu passim frigida repellentia & adstrictoria præscribantur, cautè tamen ea usurpare oportet. Nam oculi tunica durę & densæ substantię est, à qua postquam aliquid est receptum, difficillimè repellitur: sed & illis remediis ungues & nubeculæ in multis sunt effectæ non sine metu cęcitatis. Tum ergò tantùm ea adhibebis, cùm fluxio nondum venas tunicę egressa est, sed ibidem adhuc manens facilè repulsu & compressione retrocedere potest; id quod est mox à doloris principio. Quod si fluxione revertente dolores denuò exacerbentur, & id, quod fluxit, in poris tunicę adhuc impactum manserit: tunc adstringentia admovebis vel actu calida, vel discutientibus mixta: nisi dolor vehementissimus urgeat; hic enim jubet frigida actu applicanda esse. Porrò hoc de adstringentibus oculo ipsi admovendis intellige; fronti autem temporibus securè valida adstrictoria adhibere potes ad intercipiendos humores ad oculum fluentes. Quod cum fructu evidenti facies, si per externas capitis partes ad oculum deriventur: quo in casu hoc cataplasma valde conducit.

℞. Bol. armen. mastich. sanguin. dracon. farin. hordei ana sesquiunc. rosar. rub. iv. album. duorum ovorum, ol. rosac. sesquiunc. aceti parum F. catapl. Circa hęc adstringentia fronti & temporibus applicata id cavendum, ne simul illa adhibeas, simul ab oculis repellas; item securiùs fidentiusque ea adhibentur in hominibus macrę atque extenuatæ frontis; in hisce enim talibus valentiùs vim suam exserunt: in pingui autem & carnosa fronte non adeò valent, & possunt esse causa expressionis materiæ contentæ circa frontem versus oculum.

In diuturnis & pertinacibus ophthalmiis nihil præstantius quàm setaceum vel cauterium cervici inurere inter primam & secundam vertebram; id enim efficaciter ab oculis revellit, uti de cucurbitulis & vesicatoriis antè dictum est. Eadem ratione prodest inferiores aurium lobos perforare, & annulos infigere; quod & vulgares jam passim faciunt, ac benè.

Qui ophthalmiis obnoxii sunt, ut se præservent, curent in vere folia cytoniorum integra colligenda: eaque diligenter asserventur, ne situ vel pulvere inquinentur. Horum foliorum licebit subinde manipulum accipere, & in purissima aqua coquere; eâ sępè oculi laventur, mirum quàm ipsos præservant, ruborem discutiunt, influentem humorem arcent. Eodem facit pharmacum, quod Galenus composuit, ejusque tempore omnes in usu habebant; quo si quis utatur, ophthalmiâ numquam apprehenditur: describitur diserta oratione lib. 4. de comp. med. sec. loc. c. p.

Boni Practici Galenum secuti in ophthalmiis nigra vel viridia oculis sive appendi sive opponi jubent. Celebrem tamen novi ophthalmicam, quæ non talia, sed alba appendebat, vel potiùs adligabat, Ratio ejus erat, quia ophthalmia cùm inflammatio ut vel erysipilas, tutiùs lintea alba munda applicantur, quàm nigra vel viridia, vel alius coloris: nam quia colores ii quibus tinguuntur, recipiunt vitriolum vel erodens aliud, possunt ea colorata lintea exulcerationem efficere. Benè At neque hoc medici boni improbabunt: commendant autem. ipsi viridia vel nigra, solùm ut obtutus in illa defigatur, & inde recreetur qui ab albo lęditur. Sanè enim si albus color ab oculo undiquaque sano non innoxie diu sentiatur, quid de ægro sperandum est? Cæterum & à rubro colore ophthalmicorum adspectus removeri debet; constat enim à diuturno ejus intuitu oculos rubore suffundi.

Eadem ophthalmica non probat etiam appensionem veli ad oculum inflammatione laborantem: ob continuam enim agitationem nocet potiùs oculo quàm prosit. Adligabat autem linteum album mundum oculo ægro: atque ita & oculum firmabat, & à diuturno lumine arcebat. Quod ut male factum nullus poterit cordatus Medicus condemnare.

Expendendus & explicandus hoc loco est aphorismus Hippocratis 13. sect. 6. qui ita habet: Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venę sectio, aut pharmacum solvit. Sed enim plerisque doloribus oculorum est meri potio adversissima: fit tamen quibusdam etiam utilis. Atque singula eorum, quę hîc Hippocrates recenset; eodem modo habent; nunc scilicet sunt commoda, nunc incommoda. Et proinde non ait ad omnes dolores hęc omnia valere; sed ad aliquos hoc, ad nonnullos istud, ad alios aliud proficere. Ut videatur verum, quod conjectat Galenus, scilicet Hippocratem curationem illam variam proposuisse memoriæ gratiâ, ut postea discuteret: doctrina enim coacervans varia genera remediorum in uno morbo inutilis est, si non explicentur indicationes à dispositione varia affectûs; quas nos jam explicemus. Dolorem ergo efficit vel nuda intemperies, vel humor. Si intemperies nuda, rectè adhibetur fomentum; calidum: si frigida, frigidum, si calida ea sit intemperies. Si humor causa est, aut is fluit adhuc in corpore, aut fluere desiit, toto corpore evacuato. Si fluit adhuc, vena secanda, aut propinandum pharmacum. Si desiit fluere; & mundum corpus est, aut id, quod inhęret particulæ, est crassum, & tum

juvat

juvat potio meri: aut tenue & acre, & prodest balneum. Itaque etsi nullus oculorum dolor sit, qui aliquo ex iis modis non tractari queat, tamen hęc omnia ad nullum adhiberi possunt. Inter omnia autem potu vini omnium cautissime & circumspectissime utendum est.

Jam operosiora aliquot, sed elegantia & pręstantia proponam medicamenta. Aqua ophthalmica.

♃. Succ. eufragiæ, chelidon. ana selibr. lactis caprini libram. Misce, addendo zingib. macis crassiusculè contus. an. unciam, aloes semunc. vitrioli alb. ℥. iii. Macerentur per quatuor aut quinque dies: dein distill. per baln. vaporosum. Aquæ distillatæ adde Tutiæ frustula non pulverisata, quæ prius in cochleari ferreo novo ignita, & novies extincta fuerint, & tandem cum prędicta aqua continuò residere sinantur. Hujus guttula una oculo inflammato admovetur. Nec respiciendum ad calida illa ingredientia: nam etsi initio dolor ingravescat, ferveatque per tempus aliquod, miros tamen postea prodit effectus, humores oculis adhærentes, pungentes, & salsas lacrymas moventes dissolvendo.

Alia. ♃. Urinæ pueri lib. I. vitrioli, tutiæ an. ℥. iij. Macerentur per dies aliquot: dein per cineres ad siccitatem distill. Hujus guttulę aliquot inflammato oculo infunduntur.

Alia. ♃. Vini malvat. libram, aquæ stillatitię album. ovorum coctione induratorum libram, aquæ sanguinis humani unciam, aq. rosar. alb. & rubr. an. ℥. iij. aquæ chelidon. rutæ, eufrag. fœniculi, valerian. fumarię, pulegii an. ℥. ij. mellis virgin. sesquicochl. alum. rochæ sacch. cand. vitriol. alb. ana semunc. caphurę drachma ſ. salis eufras. fœnicul. Saturni ana drachmam. salis margaritarum, corall. an. scrupul. ij. caryophyllor. zingib. mastich. an. drachmam, tutię præpar. (id est, in aq. rosar. & vino. Cretico sexies extinctæ ac tenuissimè tritę) sesquiunc. aloes semunc. Terenda terantur ac misceantur: stent in vitro clauso, aut caloris digestione per mensem; vel, quod melius, sub dio Soli & rori exponantur per 40. dies, quotidie movendo aliquoties: sic demum insolata promenda usui. Nota aloen in mortario cum aquis dictis miscendam esse, postea reliquis addendam. Usus hic est. Iaceat in lecto æger supinus, & cum pluma gallinę nigræ gutta aquæ in apertos oculos injiciatur, claudat referetque oculos infirmus, idque bis terve in die fiat. Si nebulę fuerint supra vel infra corneam, conficito pulverem è saccharo cando, alumine combusto, & sepiæ osse calcinato, sed tenuissimè tritum, ut tactum effugiat. Cùm cubitum pergit æger, ex canaliculo pennæ parum de hoc pulvere insuffletur, moxque aquæ pręscriptę gutta instilletur? oculos dein claudat ac dormiat.

Alia. ♃. Fœniculi, rutę, eufras. verben. tormentill. betonic. rosar. rost. porcin. gallitrich. hippiæ, pimpinell. chelidon. fol. pæon. fol. vitis, apii, agrimon. caprifol. an. manipulum. Primâ die trita ponantur in vino albo; secunda die in urina puellę virginis; tertiâ in lacte mulieris; quartâ in melle optimo: dein ponantur in distillatorio, & quod inde emanat servetur ad lavandos oculos. Mira est illa ipsa aqua in visûs debilitate.

Trochisci oculares. ♃. Cerussæ lotæ unciam, cornu cervi sine igne calcinat. sarcocoll. nutrit. tutiæ prep. an. semunc. gum. Arabic. tragacanth. alb. amyli an drachm. ij. matris perlar. præp. nil. alb. oliban. an. drachm. opii spagyrice præp. caphuræ an. semidrach. Misc. & cum album. ovi F. trochisci cum collyriis variis cum aquis appropriatis parandis. Valent ad ophthalmias subacres, fluxum tenuem, pustulas, rupturas, scabritiem, pruriginem, dolores, vulnera.

Unguentum. ♃. Butyri majalis non saliti & aquâ eufrasiæ loti ℥. IV. sanguin. dracon. veri subtil. pulver. semunc. sacch. cand. alb. tutiæ præp. an. drachm. ij. margarit. præp. sarcocoll. an. semidrach. caphur. semiscrup. opii. spagyricè prep. gr. IV. F. ung. Si hujus unguenti tantillum, præmissis prius universalibus, ad angulos & palpebrarum oras adhibeatur, omnes humorum fluxiones, calorem temperando, dolorem sedando, ruborem auferendo, acrimoniam mitigando, lacrymas sistendo & exsiccando, arcet, oculosque mirè roborat.

Nubecula ab inflammatione relicta sic methodicè curabitur. Primò purgetur.

♃. Mass. pil. aurear. luc. major. an. semidrachm. trochis. alhand. gr. VI. cum syr. de beton. F. pil. VII. Dein secetur vena, & cucurbitulę scapulis applicentur. Tum sequens collyrium anodynum oculis instilletur, & pulvilli eodem collyrio imbuti applicentur.

♃. Mucilagin. sem. cyton. & fœnu Græc. extract. in aq. rosar. & plantag. ℥. ij. lact. mulieb. ℥. iij. tutiæ præp. semidrach. croci macerati in aq. rosar. & express. semiscrup. misce. F. collyr. liquidum. Hoc singulis aut alternis diebus denuò conficiendum, & sæpè in die adhibendum. Postea apozema præparans propinandum: quo absumto potio purgans danda. Post hæc setaceum cervici admovendum. Tandem ad minuendam nubeculam sequens collyrium applicandum.

♃. Mucilag. sem. cytonior. extract. cum aq. rosac. unciam aq. fœniculi eufrasię an. ℥. ij. mell. rosat. semunc. tutiæ prep. cornu cervi usti an. semidrachm. caphur. gr. IV. Misc. Eo utendum per mensem; & singulis mensibus resumendæ præscriptæ pilulę: singuloque mane imponendæ oculo extracti chelidon. gutta una vel duæ.

De vulnere oculi.

Natura affectûs, causæ &. signa nota sunt. Duo autem habeo remedia præclarissima horum vulnerum. Unum est aqua de cancris & chelidonia herba, quæ fit hocce modo: R. Cancros fluviatil. vivos mense Junio, Sole & Lunâ in cancro existentibus, num. XXXI. & pro pondere horum adde tantùm herbæ chelidon. totius. Contunde hæc simul mixta: iisdemque porrò adde sem. fœnicul. contus. unc. fabar. marinar. prepar. caphur. ana semunc. caryophyllor. aloes epat. tutiæ præp. an. drachm. ij. Misce, & divide in tres partes æquales. Primam partem, in B. M. distilla: deinde partem alteram immitte cucurbitæ, & distillatam à parte prima aquam affunde, rursumque abstrahe, ut prius: tum tertiam quoque partem infer, & aquas antea distillatas omnes iterum superinfunde, adeoque tertiâ vice distilla. Qui vult, ex fœcibus calcinatis salem potest extrahere, & majoris efficaciæ ergo admiscere. Est mirum & stupendum ophthalmicum, oculos ad desperationem læsos restituens, & omnia vulnera 24. horar. spatio conglutinans. Guttę aliquot oculis instillantur, vel illinuntur plumâ gallinæ nigræ ter quaterve quotidie.

Sed omnem admirationem superat in vulneribus oculi curandis liquor, qui in vesicis ulmi invenitur mense Majo. Ejus guttæ aliquot oculo vulnerato affusę, & cum linteo applicatæ medio die oculum sanitati restituunt.

De ulcere oculi.

Ulcus oculi est soluta unitas cum magnitudine imminuta oculi procedens à causa mordaci.

Ejus variæ sunt differentiæ, pro varia habitudine &

& figura: quibus ſingulis Græci propria nomina indiderunt, nimis penè curioſè; quia neque ipſi forſan inſtitutores ea retinere poſſint, niſi perpetuò recolant: Botryn, Celoma, Argemon, Epicauma, Encauma.

Pars affecta eſt tunica adnata, & cornea, & angulus oculi.

Cauſæ. Cauſa ulceris oculi eſt quidquid mordax eſt & erodens: quale inter cauſas externas eſt calx viva in oculos injecta, vel aliud erodens medicamentum. Inter autem internas humor quilibet acris. Frequens verò horum ulcerum cauſa eſt lachryma multa & calida effluens: item ophthalmia prægreſſa, maximè ſi per medicamenta nimiùm repellentia & adſtringentia humor mordicans fuerit coërcitus, & prohibitus diſcuti. Quod idem locum habet in variolis oculos obſidentibus: itaque quando illę oculos occupant, fugienda ſunt adſtrictoria & emplaſtica.

Signa. A viſu cognoſcitur ulcus oculi. Sed autem aliter apparet ulcus corneæ, & aliter tunicę adnatæ ulcus. In cornea habet ſe ad inſtar puncti vel maculæ albicantis; in adnata rubicat. Ratio eſt, quia ſanies alba eſt, ideoque reddit ulcus in cornea album. Præterea dum vi ulceris cornea privatur pelluciditate, album prę ſe fert colorem: nam pellucidum coloris expers dum terminatur, album conſpicitur.

At dices: Cur ſimiliter in adnata ulcus non apparet album ratione ſaniei albæ? Reſp. Eſt hęc tunica multis venulis referta, ex quibus in ulcere aliquid ſanguinis efflait, & tingit ſaniem albam rubro colore; quod non accidit in cornea.

Hinc elicitur, Alexandrum Aphrodiſæum ſect. 4. probl. 117. falſum præſupponere, dum quærit, cur ulcera in oculi pupilla appareant alba; extra autem pupillam in nigro oculi, id eſt in cornea adhuc conſiſtentia non item. Nam utrobique apparent alba.

Porrò quæ è regione pupillæ ſtant ulcera, viſionem lædunt: videntur enim ægri iis laborantes per fumum aut nubem videre, id eſt obſcurè. Ratio eſt, quia ſanies ulceris opaca eſt, impeditque directum ſpecierum ingreſſum in oculum, ſed oblique intrare debent; quod efficit viſionem obſcuram. Hoc idem ſequitur, etſi ulcera ad ſanitatem perducta ſint, à cicatrice relicta, quæ opaca eſt.

Ulcera in oculo futura præſagiunt phlyctænæ ſeu puſtulæ ac veſiculæ in oculo apparentes: illis enim non rectè curatis, ſed diſruptis, ſuccedunt ulcuſcula. Similiter ex diuturna gravi ophthalmia ulcera prędicere licet.

Ulcus adnatę etſi difficulter ſanabile, non adeò eſt periculoſum, niſi valde magnum ſit: cornerę autem eſt, quia periculum eſt effluxus humoris aquei ex oculo, ac proinde cæcitatis, Et quamquam Galenus lib. 1. de ſympt. cauſ. cap. 2. ob ſolutam corneæ unitatem egreſſum aqueum in puero iterum regeneratum fuiſſe narrat; id tantùm dicit de vulnere corneæ, non de ulcere: ob quod ſi elabatur humor aqueus, eſt irrecuperabilis viſus ob deperditam corneæ portionem ex ulcere. Et ſanè in adultis ex interna cauſa procedens cornerę ulcus pene inſanabile habetur.

Curatio. Pro curatione illud in primis conſiderarè oportet, num ſolùm ſit ulcus & expers alius omnis affectionis, quæ vim indicandi habeat inſignem. Solet autem ſæpius ulcera comitari aut dolor ingens, aut inflammatio, aut utrumque. Quæ ſi adſint, his primùm incumbendum erit, ut tollentur. Quod faciendum venæ ſectione, purgatione, aliiſque revulſionibus & interceptionibus, tum etiam medicamentis topicis ſuprà comprehenſis.

His ita peractis, ad ulceris deterſionem & exſiccationem eſt veniendum. Cui negotio inter ſimplicia valde eſt accommoda pompholyx trita & exquiſitè lota: qua ſola ſæpè oculorum ulcera feliciter ſunt percurata. Utendum autem eâ in hunc modum: accipe pannum lineum rarum & mollem, in quo drachmam vel circiter pompholygos, ſeu, ut recentiores vocant, tutiæ lotæ & benè purgatę liga; atque ita demerge in aq. roſac. vel euphraſię, vel in lac, prout magis expedire videbitur. Deinde ex raro & tenui panniculo expreſſam aquam in oculum inſtilla. Eodem modo & lapide corallio optimè in cote trito ac loto interdum ulcera ſanantur. Imò & aloen hac eadem ratione in oculos injectam, curaſſe ulcera oculorum compertum eſt; quæ tamen ſi ſucco roſarum elota eſt, utilior evadit.

Si cum ſorditie ſit ulcus, illa primùm detergenda. Ad quod præſtandum remedium vulgare èſt, ſed bonum, ſaccarum candum puriſſimum permiſtum cum julepo vel ſyrupo roſaceo: cujus una vel altera gutta in oculum datur: moderatè abſterget ac ſine mordacitate. Idem facit mulſa diluta cum fœni Græci decocto mucaginoſo.

Ad cicatricem ulceribus obducendam, ſi præſcriptis medicamentis obduci non potuit.

℞. Plumbi uſti loti, tutiæ lotæ, æris uſti, gummi tragacanth. ana ſemidrach. opii gr. iij. cum aqua pluvia F. collyr. Ejus capies ſemidrachmam, & cum ovi albumine inſtillabis in oculum.

Vel ℞. Antimonii, plumbi uſti ana drachmam, Aloës, ſarcocollę an. ſemidrachmam, cum lacte, F. collyr. Uſus tempore diluitur cum lacte, vel alio liquore conveniente.

Ad ulcus cancroſum, id eſt, nigrum & dyſepuloticum mirificè facit lac aſininum oculis immiſſum.

De ungue oculi & panniculo.

Unguis ſeu Pterygium, ut Græci nominant, id eſt parva ala, eſt nervoſa & duriuſcula membranula plerumque ex angulo ſeſe obtendens, & ſæpè pupillam contegens. Hæc membranula plerumque eſt albicans, non tamen ſemper, ſed aliquando rubicunda, interdum citrina, nonnunquam ſubnigra. Oritur frequentiſſimè ab angulo juxta naſum qui major vocatur; rariùs à minore, rariſſimè ab alterutra palpebra. Neque ſemper arctè adhæret tunicæ adnatæ, ſed aliquando ei tantùm ſupertenditur adeò laxè, ut inter ipſam & adnatam ſpecillum inferre liceat: quod Caſſius Medicus adnotavit, atque etiam Paræus.

Ad hunc affectum redigitur Sebel, id eſt, panniculus Arabibus nuncupatus, qui eſt excreſcentia quædam ſuper adnatam non ita dura nec membranoſa, ut unguis, ſed mollior, & veluti quædam venularum textura ſanguine turgentium.

Cauſæ. Cauſa unguis eſt humor lentus è capite deſtillans; qui ſupra adnatam conſiſtens ob viſcoſitatem facilè concreſcit in tunicam. Proficiſcitur autem id excrementum non tam ex cerebro, quàm ex parte externa, cumulatum ſupra cranium, unde adnata oculi tunica ducit originem. Et quia per majorem angulum major excrementorum copia ſolet tranſmitti, ideo in eo frequentiùs oritur: ex altero minore vix poteſt ſufficiens materia ſuppeditari; multòque minùs ex ſuperiore inferioreque palpebra. Sæpiſſimè autem unguis ſequitur alios oculorum affectus, ut ophthalmias diuturnas, ſcabras, & melancholicas, epiphoras, puſtulas, ac ſimiles.

Sebel ſeu panniculus Arabum oritur à ſanguine venulis adnatæ impacto, eaſdemque turgefaciente.

Signa. Ut quiſpiam oculatus affectum hunc cognoſcat, ſignis non eget, quia viſu percipitur.

Prognoſtica eventum curationis ſpectantia optimè nobis propoſuit Aëtius: Facilia, inquit, curatu ſunt pterygia albicantia & anguſtum fundum habentia, his verò contraria ægrè curantur. Nam ſubrubra, poſt curationem chirurgicam, cariem ac dolores dimi-

dimidię capitis parti inducunt; attamen post symptomatum sublationem oculus liberatur. At pterygia in quibus etiam principia sunt suffusionis, curare non oportet; his enim sublatis citiùs suffusio conflatur. Sed neque crassa pterygia curanda sunt, & eversa & eminentia, atque indurata, & quæ tempora per consensum afficiunt; sunt quippe maligna & cancrosa. Quę verò usque ad pupillam pertingunt, & propterea visum impediunt, si tollantur, liberant quidem oculum à fluxionibus, citatrix tamen, quę ex chirurgia juxta pupillam succedit, nihilominus visum impedit. Cæterùm ex pterygiis ea manu curare oportet, quæ aucta ad nigrum se extendunt: quæ verò parva, & in albo sunt, ea conandum ut pharmaciâ comprimamus. Hæc est doctrina Aëtii, quam omnes amplectuntur, uti & nos quoque. Hæcque ipsa ferè ad sebel Arabum accommodari possunt. De quo hoc itidem notant auctores, quòd sit contagiosus, id est, ab adspiciente contrahatur, quemadmodum ophthalmia, id quod non competit ungui seu pterygio.

Curatio. Curatio ipsius affectûs per topica incipienda non est, nisi universalia præmissa sint. Itaque & purgationes frequentes, & venæ sectio præmittenda, vesicatoria occipiti ac post aures admovenda, caput evacuandum &c. Nisi enim hæc fiant, quia pharmaca ad pterygium omnia acria sunt, magni dolores & inflammationes inveherentur. Iis ergò ritè factis, ad localia procedimus; quæ cùm mordacia, uti dixi, esse oporteat, ideo ipsis mitigatoria commiscemus: vel si impermistis utimur, mox ab hisce mitigatoria adhibemus. Opus autem est imprimis unguem quadamtenus emollire, ut meliùs cedat pharmacis erodentibus: qui enim id negligunt, plerumque non attingunt scopum. Emollitio hæc fit vapore decoctionis malvæ, fol. althęę, sem. fœni Græci, atque ipso decocto semper ante acrium administrationem oculos fovere convenit.

Jam quod ad ista acria medicamenta attinet, non quælibet sumenda, sed quæ longo usu à patribus nostris tutò fuerunt adhibita: eorum quædam mitiora sunt, quædam valentiora, & ab illis incipiendum. Quod sequitur tutissimum est, & ratione atque experientiâ confirmatum.

♃. Chalcanth. Romani drachmam, viridis æris semidrach. in tenuissimum pulverem redigantur: tum sume unum ovum; coque ad duritiem, emundatum à cortice scindito per medium, extrahitoque vitellum, cujus loco pone pulveres jam dictos: deinde ligato divisum ovum, ac triduo macerato in aquę mellis stillatitiæ ℥. ij. & semis, vini alb. maturi sesquiuncia; ovum postea in liquore exprimito. Liquorem expressum quater singulis diebus instillato ad guttas v. aut vi. in omnes pterygii partes: nam oportet omnes tangere. Atque isto pharmaco quemdam scio à pterygio fuisse sanatum.

Valentius est, quod sequitur, ab ocularis Medicis summoperè commendatum.

♃. Æris usti, chalcanthi, viridis æris usti, salis ammoniaci ana semidrach. Pulverisentur omnia per se, ac postea misce. Sinuntur per hebdomadem sic permista; tum usurpantur hoc modo: adspergendum de hoc pulvere supra unguem oculi parum pro vice, & semel solùm eo die, quo usurpatur; usurpatur autem alternis diebus: totus mox oculus duabus transactis horis lacte muliebri fovendus. Alter utendi modus est, ut sumatur pulveris istius drachma, liqueturque in aquâ mellis stillatitia; ex qua guttas vi. aut vii. pro vice angulo immitte, vasculum benè agitando; & potest hoc singulis diebus semel adhiberi. Si dolor ingruat, hîc mitigabitur, uti antè, fotu lactis, vel aquâ rosacea, cui incoxit malva. Ut verò ritè pulvis oculo imponatur, cape stilum, in cujus extremo parum bombacis hęreat, quem salivâ modicè imbue, tum pulveri intinge, atque ita eumdem oculo affecto admove, elevatâ palpebrâ. Potest eodem stilo & bombace uti ad aquas etiam instillandas, bombacem non imbuendo salivâ.

Aqua in pterygio, maculis & oculorum offuscatione mirabilis.

♃. Hepatis hircini sani & recentis libras ij. calam. aromat. mellis an. semunc. succi rutæ ℥iv. aq. fœnicul. chelidon. verben. eufras. an. ℥iv. piper. long. unc. mosch. caryophyll. an. drachm. ij. croci scrup. flor. rorismarin. aliquantum tritor. sesquimanip. sarcocol. aloes hepat. an. drachm. iij. fellis piscis raję, leporis, perdicis an. unciam. Terantur omnia, tritisque adde sacch. ℥ij. mell. rosat. drachm. vi. Projiciantur in alembicum vitreum, & distill. in B. M. liquor frequenter oculis instilletur.

Ad ungues mirifica etiam est hęc aqua.

♃. Aquæ rosar. eufras. fœnicul. an. ℥ij. Mercurii sublimati & tenuiss. pulv. semiscrup. Misce, & de ea singulis diebus mane guttas duas in oculum immitte.

Præstans quoque est hoc collyrium Joannis de Vigo.

♃. Aq. plantag. rosac. an. ℥ij. vini albi sesquiunc. Bulliant simul leviter unica ebullitione; mox adde floris æris optimè triti drachm. tutię sesquidrachm. sacch. cand. drachm. ij. myrobal. citrin. scrup. Trita omnia misce, & sinantur per duos dies: deinde liquor coletur, & clarificetur, atque eo tangatur pterygium.

Quidam empeiricus non alio utebatur, quàm hoc.

♃. Salis gemmæ drachm. aq. rosac. fœniculi an. unciam. Misce.

Domina de Hoochstraten olim multis hac aquâ visum exacuit, & ungues ab oculo removit.

♃. Exta lupi piscis, & unà cum felle, jecore ac reliquis visceribus in minutas partes concide; adjecto manipulo fol. fœniculi, vel seminis ejusdem contusi: tum in alembico distilla, atque usui reserva.

Julius Palmarius in artis operibus valde exercitus & felix, unguem pulvere bufonis intra paucos dies radicitùs exstirpabat. Bufonem vivum vase terreo probè obturato conclusum urebat in furno: ustum in tenuissimum pulverem redigebat, quem per calamum in oculum flatu oris immitti horâ somni jubebat; & mox collyrium ex ovi albo agitato cum aq. rosac. toti oculo imponi, ad prohibendam inflammationem. Alii loco bufonis ranam palustrem sumunt.

Si his medicamentis malum non cedat, ad operationem manualem proceditur; quam exercere nostri non est instituti, sed operariis propriis relinquitur. Describit autem operationem Aëtius satis accuratè; sed disertissimè omnium Celsus lib. 7. cap. 7.

In tenellula ætate remedia præscripta usurpari non possunt, ob acredinem suam: jubetur hîc ergò mater vel nutrix jejuna lambere linguâ suâ oculum affectum; sic enim sæpè & unguis & aliæ oculorum maculæ detersæ sunt. Efficaciùs lambent, si fœniculi semen antè manderint.

De Epiphora.

Epiphora est immoderata tenuis humoris fluxio ad modum lacrimarum in oculos præter naturam facta.

Is humor, qui fluit, modò frigidus & aqueus est, nullum dolorem, nullum ardorem, ruboremve inferens: modò acer est aut salsus, ideoque & dolorem & ardorem, & ruborem imò nonnumquam palpebrarum exulcerationem inducens.

Arculanus hunc affectum refert ad morbum in via, quòd visum impediat; prohibendo debitam delationem specierum visibilium per corneam. Sed rectiùs dicitur esse symptoma in excretis: est enim fluxio, quod & nomen ipsum indicat Epiphora, id est, incursio, illatio: unde & Medici rheuma-

matiſmum uteri ac ventris appellant epiphoram eorumdem: ſine tamen adjuncto apud omnes ſignificat immoderatam & præternaturalem illacrymationem.

Lacryma concreta ſeu cocta oculi colore Gramia dicitur Latinis; Lema Græcis. In Feſti Pompeii monumentis invenias, Gramias oculorum eſſe vitia, alii Glamas vocant. Hinc Glamon, qui lemâ vitiatos oculos habet, & Glamyros apud Sophoclem: Gramioſi item apud Nonium oculi.

Cauſæ. Hujus affectûs cauſæ poſſunt eſſe quadruplices: ſcilicet, vitium partis ſuſcipientis, oculi nempe: vitium partis mandantis, puta capitis & cerebri: præſentia materiæ: viarum latitudo.

Vitium oculi in tribus iterum conſiſtit, vel quòd caruncula lacrymalis nimium laxa ſit; vel quod deſit, propter imperitiam chirurgi unguem auferentis malè, eam diminuentis, vel quòd ipſe oculus aliqua intemperie exſuperante afficiatur.

In parte mandante poſtrema hæc cauſa etiam locum habet: ratione enim intemperiei cerebrum vel non retinet debitè & concoquit ſua excrementa, vel non convenienter expellit.

Præſentia deinde materię eſt cauſa epiphorę vel ratione copię, vel ratione acrimoniæ expultricem capitis & oculorum ſtimulantis.

Latitudo denique viarum juvat ad hunc fluxum, ſicuti ad cæteros.

Porrò viæ, per quas hęc materia lacrymarum ad oculos ruit, poſſunt dici duæ, imò tres. Nam & per venas externas frontales ac temporales hęc quandoque fluit materia: quandoque per venas internas oculo inſertas & per foramina cavo oculi antro inſculpta: tertiò denique per foramina oſſium naſi ad oculos terminata derivatur; ſicuti & contrà collyria immiſſa oculis deferuntur per eadem foramina narium in os, unde interdum ſentitur in ore ſapor collyrii in oculum injecti. Id quod confirmatur quoque per hoc, quòd, multis mucis defluentibus per nares, oculi plerumque collacrymentur.

Itaque minimè adſentiendum Fernelio, qui lacrymarum fluxus originem è ſincipite & ſummo vertice tantùm duci vult, in quo humorem extra calvam & ſubter cutem congeri cenſet, qui per pericranium in adhęrentem membranam deſtillet, ac demùm foras per oculos excidat. Hoc ipſum de arthritide, deque alia quavis deſtillatione ſtatuit. Sed propter illud cacodoxum paſſim malè audit apud Medicos: & meritò. Quare enim partes internæ non habeant vim illam expultricem, quâ humores in externa membra mandent, abſque ut ad capitis cutem ii mittantur. Sed de hac Fernelii ſententia uberiùs, cùm de arthritide agemus.

Signa. Symptoma ſenſu deprehenditur. Sed ab ægrotante audire oportet & cauſas, quæ anteceſſerunt, & qualitatem materiæ, quæ ex oculis ejus deſtillat, ex quibus cauſæ internæ conjiciuntur.

Utile eſt cognoſcere, an materia antecedens extra calvam, an intra hæreat, quod ita ſcitur: qui hæret extra calvam humor, tactu percipi poteſt, cutis eſt œdematoſa; capilli pectine in ſirum contrarium tracti dolent. Ubi defluxus à parte interna eſt, ea abſunt; caput intus grave & ſomnolentum eſt. Si hæc indicia miſta adſunt, tum ex utraque parte humor venit.

Lacrymarum profluvium non protendit mortem, niſi ob ſummam omnium facultatum imbecillitatem ex cadaveroſæ faciei oculis lacrymæ pręter voluntatem effundantur. At de illo profluvio hîc non agitur. Faciliùs verò vel difficiliùs, vel etiam nullo prorſus pacto affectus hic ſanatur pro differentia cauſæ, à qua proximè proficiſcitur. Siquidem is, qui externas occaſiones ſequitur, illis ipſis ſublatis promptè amovetur: at qui ob carunculæ exciſæ vel corruptæ defectum oritur, inſanabilis eſt. Non eſt autem impoſſibile eum ſanare, qui vel retentricis, vel coctricis cerebri aut oculorum imbecillitatem, aut etiam materiæ copiam, & canalium laxitatem conſequitur.

Abuali ſcribit, & repetunt plerique ſcriptores lacrymarum fluxionem connatam non ſuſcipere curationem. Obſervarunt tamen viri exercitati frequenter infantes pueroſque ab incunabulis oculos molles & lacrymantes habentes in adulta ætate fuiſſe perſanatos à moleſta ea affectione. Neque enim diſſuadet ratio; nam beneficio ætatis ſuperfluæ deficcatæ fuerunt humiditares, præſertim ſi bona acceſſerit victûs ratio. Ut ergò Abuali defendatur, dicendum eſt, illam nativam fluxionem ab ipſo intelligi, quæ jam adultam uſque ætatem perſeveravit; talem in hac ætate fruſtrà molieris percurare.

Curatio. Quod ad totius corporis capitiſque evacuationem attinet, eadem hîc curatio locum habet atque in catarrho: nam hic affectus nihil eſt aliud, quàm catarrhus ad oculos.

Ad revellendam materiam affluentem nullum hîc potentius remedium, quàm colli ſetaceum. Vult autem Fabricius Hildanus cent. 1. ſuar. Obſer. id figendum eſſe inter ſecundam & tertiam, vel etiam inter tertiam & quartam colli vertebram. Ego Aquapendentis, & Italorum morem potiùs ſequendum duco, figentium inter ſecundam & primam vertebram: quod enim demiſſiùs poſitum eſt, cum dolore geſtatur ob continuum appulſum attactumque collaris & thoracis. Cur verò Duretus comm. in Holler. cap. de opthal. transfigi cervicis cutim in longum potiùs quàm in tranſverſum jubeat, equidem ignoro. Itaque à conſueto modo non cenſeo recedendum.

Circa topicorum admotionem quędam hîc ſingularia notanda. Et in primis, etſi, quando oculi fluxionibus tentantur, cenſuerit Galenus comm. in aphor. 31. ſect. 6. & quoque lib. 13. meth. cap. ult. adſtringentia non eſſe uſurpanda; in epiphora tamen aliter faciendum docet maximè in initio: cùm enim affluxus humorum ſit ad partes oculi externas, roborandę hæ ſunt moderatè adſtringentibus ac deficcantibus, ne materiam affluentem recipiant. Quæ tamen medicamenta omnino omittuntur, ſi humor ad interiores quoque oculi tunicas, prolabatur: durior enim iis remediis reddita exterior tunica atque humor factus craſſior, pertinaciorem efficerent affectum, & ſæpè viſum læderent. Quo caſu fronti potiùs adſtringentia illa applicentur. Maſticatoriis & apophlegmatiſmis hîc utendum eſt potiùs, quàm errhinis: quæ tamen ipſa progrediente morbo & frigida affluente materia, modò valida non ſint, in uſum vocari poſſunt, ut fiat averſio materię ab oculorum angulis ad naſum. A ſternutatoriis cujuſcunque generis abſtinendum: impetuosè enim mota materia meatus magis aperit, & eadem à naſo ad oculi angulos facilè excutitur.

Adfero nunc aliqua, quæ præmiſſis, ut decet, univerſalibus obſervata ſunt profuiſſe.

In epiphora calida acri probatur pannus lineus tenuis madefactus albo ovi vel aquâ roſaceâ. Si morſus & impetus urgeat; decoque melilotum & capita papaveris in aqua roſacea atque etiam malvam, cæteraque, quæ in ophthalmia ſunt propoſita.

Platerus hoc commendat.

℞ Cortic. granat. ſemunciam, coq. in aq. fœnic. eufraſ. an. q. ſ. in colatura diſſolve lap. hæmatit. probe triti drachm. iſ. myrrhæ ſarcocoll. nutrit. prępar. ſcrup. ij. vitriol. alb. caphurę an. ſemiſcrup. mucilag. ſem. fœni Græci, ſem. pſyllii extract. cum aq. fœniculi an. ſemunc. miſce F. collyrium.

Gulielmus Varignana dicit ſe expertum hanc aquam, ac mirabilem ejus effectum inveniſſe, ut pote quæ paucis immiſſionibus more collyrii lacrimas ſtrinxit, rubo-

res abstulit, pruritum sedavit. Cape herbam, quæ dicitur Pes columbinus, estque geranium alterum Bauhini: contundatur ejus semi manipulus; adjiciatur ipsi tutiæ pulverisf. semunc. salis comm. albi triti drachm ij. vini boni clari media phiala: conquassentur simul, ac usui serventur.

Hæc quoque aquâ multis profuit.

℞. Tutiæ præpar. sarcocoll. an. scrup. vitriol. roman. sumach. an. semiscrupul. ligentur in nodulo, qui aquę infrascriptę imponatur.

℞. Aq. eufras. rosar. fœniculi an. unciam; calefiant supra ignem, & ex nodulo expresso aqua instilletur in canthum majorem, ac palpebræ pruriginosę eâdem aquâ abluantur.

Hoc quoque singulare experimentum est ad epiphoram & pruritum.

℞ Aeruginis æris gr. XII. caphuræ drachm. tutiæ pręp. semunc. butyri recentis non saliti drachm. VI. Misce, F. unguent. indatur pisi magnitudine in oculi canthum majorem, leviterque ungantur palpebrę.

Sed hoc, quod sequitur, omnia alia vincit:

℞. Vitrioli albi ter usti, & ter extincti aq. rosac. semidrachm. gummi Arabic. tragacanth. ustorum & extinctor. an. drachm. tutiæ præpar. scrupul. cerussæ scrupul. ij. mucilag. sem. cyton. extract. cum aq. rosar. q. s. Fiat liniment: quo linietur oculus circa utrumque, angulum, & ambæ palpebræ etiam: deinde clauditur oculus, & applicatur molle linteolum, tum abluitur aliquando hoc decocto.

℞. Gallar. cortic. thuris, mastiches, nucum cupressi, boli. armen. an. drachm. ij. bull. in aq. fluviali. Vitriolum in pręscripto collyrio minuitur in delicatis, pueris, mulieribus, oculos splendidos exquisitioris sensûs habentibus: augetur in viris, rusticis, nautis, militibus, durioribus, solidis, ac dolores meliùs ferentibus. Opii granum cum croci momento additur in majoribus doloribus.

Isthoc simplex aliquibus auxilio fuit: cape bombacem; insperge & immisce pulverem tabaci, atque auribus inde.

De Ægilope & Anchilope.

Ægilops est inflammatio inter majorem oculi angulum & nares.

Si Paulo Æginetæ credimus, inflammatio priusquam in ulcus erumpat, Anchilops dicitur: post eruptionem, si in fistulam dehiscat, vocatur Aegilops. Nihilominus ab aliis auctoribus & ante & post eruptionem Aegilops nuncupatur, imò & à Galeno ipso, ut colligere licet ex lib. ejus 5. de comp. med. sec. loc. cap. 2.

Quod ad vocis, Aegilops, vim attinet, oculum caprinum significat, quam nominationem sortitus est hic affectus, quod in eo pars tumeat & rubeat inter nares & majorem angulum, perinde uti in capris; vel quòd, ut alii dicunt, ea affectio capris frequens sit, & ferè propria.

Aliqui Fistulam lacrymalem vocant, & Fistulam oculi, ut Celsus. Sed proprie ęgilops non est fistula, neque semper necesse est, ut in fistulam transeat, veluti multorum experientiâ patet. Verumtamen adeò est difficilis curationis, ut sæpè in fistulam mutetur.

Christophorus à Vega & Petrus Bayrus ægilopa vocari dicunt inflammationem, antequam rumpatur. Mirum est eos non vidisse Paulum, qui planè contrarium docet. Vel forsan seducti sunt auctoritate Galeni, qui lib. de remed. fac. par. ad Solon. c. 12. scribit id ipsum, ægilopa, hunc affectum vocari, antequam scindatur. At is liber Galeno adscriptus tantùm habetur, non legitimus ejus partus.

Quidam ægilopa non inflammationem definiunt, sed tuberculum, prout Galenus quoque definivit lib. 5. de comp. medicament. sec. loc. Verùm dicendum tuberculum illud semper esse inflammationem, saltem spuriam ex omnium consensu, præterquam Aetii forsan; qui dicit quandoque fieri ex lento humore mellis aut pultis simili tumorem eo loco, quo oritur ægilops; sed vocat anchilopem. Ita videmus inter primates Medicos Græcos etiam non convenire de significatione vocum Aegilops & anchilops.

Causæ. Causa ægilopis est affluxus sanguinis ad angulum oculi majorem. Breviter, easdem habet causas, similemque generationis modum, atque aliæ inflammationes.

Causa fistulę seu sinûs est, quòd ægilops non sat citò aperiatur, aut quòd post apertionem pus non liberè effluat, sed diutiùs cohibeatur; quo fit, ut in subjectas partes semper agens, easdem erodat atque exedat excavetque.

Porrò ex fistulis aliæ foràs apertę sunt, illę maximè, quibus à verâ phlegmone origo exstitit: aliæ intrò, quę scilicet à sanguinis pituitoso affluxu, aut ob congestionem ejusdem primò intumuerunt; adeò ut foris nullum visatur foramen, sed tantùm tumor pisi magnitudine. Hic tumor compressus liquore manat seroso & sanioso, rufo, aliàs albo & viscoso, idque vel per oculi angulum, vel per interiores nares. Quibusdam talis sanies continenter profluit; aliis singulis tantùm horis exprimitur; aliquibus menstruo tantùm circuitu.

Anchilopis Aetianæ causa est humor melleus aut pultaceus. Est enim anchilops Aetii nihil aliud quàm meliceris vel atheroma circa angulum oculi majorem.

Signa. Affectus hic facilè ex tumore in loco prædicto & rubore cognosci potest. Cùm dolor ac tumor diutiùs perdurant, & dolor augetur, suppurationis futurę indicium est. Quando ulteriùs supremâ parte mollescit, tum in pus vertitur. Pure genito dolor remittitur; & tumor mollis jam; neque ita tensus aut rubicundus apparet.

Difficilis porrò curationis est tumor hic: quod evenit multis de causis; partim ratione particulæ affectæ; partim ratione oculi proximi; & denique quia non facilè remedia applicantur. Ratione quidem particulæ affectę quia hęc adeò tenuis & exsanguis est, ut ęgrè influentes humores possit digerere. Deinde vitiosi humores ante & post suppurationem proximè ferè subjecto ossi inhęrent, quod ipsum tenue quoque est, facilèque proindè afficitur: ut necessariò consequatur fistula.

Absumta in angulo caruncula lacrymalis fistulam mentitur, adeò ut multi decipiantur. Nam ex foramine, quod conspiciunt, perpetim fluunt lacrymæ & pituita: Verùm non est fistula, quia locus iste non est præter naturam foraminulentus, sed per naturam: eique foramini incumbit dicta caruncula ad cohibendas istas humiditates.

Curatio. Anchilops Aetiana nullis medicamentis cedit, sed chirurgiâ tractari desiderat. Perinde igitur ut in meliceride & atheromate, superficies secanda est ut, folliculis continens materiam adimatur: tum deinde uti simplex vulnus curetur.

Ægilops seu inflammatio uti ophthalmia primò curari amat; nam & sępe ei ophthalmia conjuncta est. Adhibe ergò in primis generalia, venæ sectionem, purgationem, cucurbitulas, & alias revulsiones ibi dictas. Tum repellentia applica, deinde digerentia. Quòd si inflammatio ad suppurationem tendat

tendat, ea juvari debet cataplasmate ex farina tritici, lacte, ovi vitello & modico croco. Non est autem exspectandum, donec disruptio per se fiat, sed ante completam maturationem scalpello vel cauterio aperiendus locus est, ne ex longa mora internæ partes hę teneræ corrumpantur. Quapropter ratione loci latum quoque foramen fieri debet, ut exitus puri detur. Aperto tuberculo imponatur peniculus melle rosaceo imbutus, vel Aegyptiaco unguento, si sordet ulcus.

Est herba quædam veteribus dicta Aegilops, estque eadem atque avena; hujus farina cum plantagine aut parietaria aut portulaca in modum cataplasmatis apposita est specificum ad ægilopem.

Aliud: quo non solòm incipientes, sed & disruptas ægilopas, etiam præsente mala intemperie, brevi tempore curatas vidit Petrus Bayrus, foramine etiam ad os perveniente.

℞. Mell. puri, aloes hepat. an. unc. myrrhæ drachm. VI. croci scrup. aquæ lib. I. coq. lento igne ad consumt. mediet. In hac decoctura calente infundatur parva spongia nova, quæ expressa & in subtili lino benè mundo involuta ligetur desuper, & videbis mirabilem effectum, uti dicit se sæpius expertum esse prędictus Auctor.

Chalmeteus insignis Chirurgus hoc velut pręstantissimum commendat.

℞. Aq. vitę vel vini optim. mell. rosat. colat. an ℥. myrrhę drachm. ij. Misce. F. linim. quo manè & vesperi locus liniatur.

Speciem quamdam contradictionis apud Galenum reperio circa ęgilopis curationem. Nam lib. 5. de comp. med. sec. loc. cap. 2. contra Archigenem dicit ęgilopa non manuarię operę, sed medicamentis secundum genus subjici. Tamen Introd. cap. 18. ægilopas ad os usque excidi scribit, & ferramentis candentibus aduri; quosdam autem loco ferramentorum candentium terebrâ os forare usque ad nares. Dicendum pro Galeno, ægilopas alios esse abscessus simplices, alios in fistulam abiisse cum ossis vitio. Hi ferro solo curantur, illi pharmacis. Certè quę in fistulam transiit ęgilops, & per sesquiannum confirmata est cum ossis vitio, nunquam aliter removetur nisi per cauteria commodissimè applicata ab aliquo exercitato chirurgo; frustrà enim alia topica usurpantur. Itaque ad ustionem veniendum. Hanc autem docent inter veteres Paulus & Aëtius, inter recentiores Paręus & Aquapendens. Pręferendum namque hîc cum Medicorum probatioribus cauterium actuale potentiali vocato. Cęterùm cur illud ex auro potiùs fieri pręcipiunt, quàm ex alia materia? Nam & commodè parari posse videtur; imò ex ferro fortassis commodiùs: etenim inest ferro confessa adstringendi potestas, hoc in casu non parum expetenda. Deinde aurum si fortiter igniatur, liquescit; sin autem mediocriter, nihil facit. Ioannes tamen Montanus summus Medicus aurum vel æs eligit in Consil. quia ex ferro fit major adustio & profundior cicatrix, quàm teneræ particulæ hîc objectæ ferant.

Sed quia plerique ustionem horrent, docebo medicamentum, quo quispiam utens non quidem ex toto sanabitur, sed ita præservabitur, ut sanus adstantibus videatur. Primò ergo sanies in fistula contenta digito exprimatur tota; deinde in angulum tres vel quatuor guttę infrà scripti medicaminis instillentur, infirmus post instillationem jaceat supinus duas aut tres horas: continuetur id per hebdomadem, exsiccabitur fistula, ut sana videatur, & multis mensibus sic manebit. Medicamentum est hoc.

℞. Aloës, thuris, sarcocoll. sang. dracon. balaust. antimon. alum. an. scrup. virid. ęris gr. V. Terantur omnia & cribrentur, & cum aq. fœniculi F. collyr. ex quo, cùm necessum est, dissolvatur aliquid in aq. rutæ; & usurpetur, uti dictum est.

De Rhyade & Encanthide.

Rhyas est carunculæ anguli majoris imminutio vel absumtio.

Encanthis est illius carunculæ immodica excrescentia & eminentia. Eminet autem atque excrescit hęc quandoque ad tantam magnitudinem, ut vel pugnum puerilem adæquet, sicuti observavit Henr. Smetius; vel pilam, prouti Forestus vidit.

Causæ. Externę causæ rhyadis sæpè sunt imprudentes Medici & chirurgi, qui pterygia, asperitates, ficos & callos palpebrarum pharmacis acribus colliquare studentes, simul & carunculam colliquant: item qui in encanthidis curatione chirurgica plus æquo de caruncula rescindunt. Causæ internæ sunt humores acres & erodentes, qui ad eam partem confluunt: unde sępè epiphoram & ægilopem hîc affectus sequitur.

Causa encanthidis est sanguinis affluentis copia, & restitutio ulcerati anguli oculi immodica. Notat Auctor Introd. cap. 15. nautis & piscatoribus hoc vitium peculiare esse, quod & Aëtius dicit: additque in canibus quoque sæpè contingere. Unde sicuti à capris dicitur ægilops, ita hic affectus dici possit Cynops a canibus.

Signa. Uterque affectus ita facilè cognoscitur, ut signis non egeat.

Encanthidis autem benignitas cognoscitur, si dolore vacat, si tenera & laxa est caro: Malignitas, si dura est, inęqualis, & dolores punctorii adsunt.

In rhyade perpetuò lacrymæ effluunt, ob defectum carunculę, quæ meatum à naso ad oculos ducentem tegit, adeoque impedit, ne extrementa assiduò & affatim ab eo ad hos deriventur.

Quod ad prognosin attinet: encanthis benigna curari potest; maligna non item, meliusque est in hac non tentare curationem.

In rhyade, si planè absumta est caruncula, etsi quidam præscribant curationes, frustrà tamen operantur; quia caruncula illa pars est spermatica, ideoque regenerari nequit. Sin autem ex parte tantùm absumta sit, potest sanari malum. Ubi multùm tamen interest, an ab incisione, an ab erosione sit imminuta. Faciliùs ab erosione imminuta redintegratur, quia id, quod erodit, plerumque tantùm partem carnosam erodit, quę non difficulter regignitur: id autem, quod incidit, tam partem carnosam quàm seminalem aufert; seminalis autem restitui non potest, sed tantùm carnosa. Esse autem hanc carunculam partem spermaticam, saltem pro parte, testis mihi est Galenus lib. 10. de off. part. cap. 11. ubi eam vocat carunculam nervosam.

Curatio. Rhyas, quæ est carunculæ imminutio, curatur modicè adstringentibus ex Galeno lib. 14. meth. med. cap. 16. toto tamen corpore antè ritè purgato. Moderatè adstringens est vinum, cui rosæ incoxerunt, addito modico croco: quod serviet ad generandam carnem. Ut postea caro genita cicatrice obducatur, utendum vino adstringente, cum gallis, aloe, & exiguo alumine. Unde notetur differentia inter generantia carnem in ulceribus aliis, & generantia carnem hanc angularem. Nam in ulcere alio adhibentur siccantia & detergentia citra adstrictionem, ne crassum excrementum cohibeatur: at in aggeneratione hujus carunculæ, cùm nervosa sit, opus est magis siccantibus. Itaque & hoc convenit.

℞. Tutię præpar. aloës, thuris an. drachmam: infund. in succi granator. ℥IV. colaturam in angulum instilla. Et hæc sæpius ac diu facienda, quibus equidem vix adhuc curatur hic affectus; quod ipsum quoque signum est, glandulam hanc non meram carnem esse, sed partem spermaticam, uti dictum est.

En-

Encanthis optimè incisione curatur, quia acria & erodentia medicamenta ferè fluxiones in oculos excitant. Cavendum autem, ne nimio plus rescindatur. Facta incisione albumen ovi conquassatum & aquâ rosaceâ commistum oculo commodè adhibetur. Si grandiuscula sit encanthis, ita ut filo prehendi possit, convenit eam ligare & stringere, sicuti verrucas solemus: sic enim paulatim destituta alimento sponte cadit. Si delicatulus aliquis, aut muliercula istas chirurgias refugiat, exedenda est superflua caro alumine usto, vel oleo vitrioli, sed aquâ rosaceâ vel lacte correcto seu attemperato. Interim dum isthęc usurpantur, defensivo aliquo oculus muniendus, ne fluxio incidat. Inter ista carnem consumentia unguentum Ægytiacum quoque est. Mite est vinum vel aqua, in qua ebullierit alumen. Antequam hæc admoveantur, semper prę-mitti debent generalia, scilicet purgatio, venę sectio, cucurbitulæ &c.

De Pustulis corneæ.

Pustula seu vesicula, Gręcè Phlictęna, est exiguum corneæ tuberculum procedens à materia ichorosa.

Ea modò in superficie fit, modò in profundo. Constat enim tunica cornea multis membranis densissimis ac fortissimis. Aliquando ergò sub prima membrana pustulam fieri contingit, aliquando sub secunda aut tertia consistit.

Causæ. Causa pustularum est materia ichorosa seu serosa in cornea consistens, eamque distendens, quæ plerumque acris est, & corrodens; qualis est, quæ ophthalmiam committit, quam etiam frequentissimè vel comitari solent pustulæ, vel subsequi.

Signa. An in cornea pustulæ sint & quo loco corneæ, cognoscitur visu. Sed arte opus est, ut cognoscatur, an in superficie corneæ consistant, an in profundo. Noscitur autem id sic: si materia sit inter membranam seu corticem cornęę primum & secundum, pustula apparet nigra: si inter tertium & quartum; alba videtur. Cujus apparentiæ ratio alia redditur ab Avisena, alia ab Aëtio. Avisenæ ratio hæc est: dum pustula est super ficialis, non prohibet visionem tunicæ uveę; dum est profunda, prohibet. Quando non prohibet, sed uvea videtur, hæc cùm nigra sit, est in causa, quòd pustula nigricans appareat. At pustula profunda prohibens intuitum uveę, cùm sistatur in ipsa pustula intuitus albicans apparet, quòd ipsa alba sit, producta scilicet à materia alba serosa. Hæc Avisenę ratio ingeniosa est, & plerumque vera; sed explicanda & limitanda magis, ut semper sit vera. Pustula ergo superficialis semper apparet nigra, quando stat antè pupillam, vel etiam quando ante marginem uveæ, dum ille ejus margo niger est, adeoque dum oculus est niger, à colore enim marginis uveæ oculi denominantur hoc vel illo colore præditi. Tum, inquam, apparet pustula nigra, quia species nigricantis pupillæ vel uveæ ad oculos nostros venit per pustulam diaphanam. Dico diaphanam; quia si pustula oriatur ab alia materia, quàm serosa & limpida, ut puta ichore sanguinis rubriusculo, vel bilis flaviusculo, tum hæc non sequentur, sed pustula visionem terminabit, apparebitque ejus coloris cujus est humor, qui est causa continens pustulę. Ulteriùs modo, pustula profunda apparet alba, quia per hanc non tralucet pupillę vel uveę nigrities, sed ipsa sistit visionem, adeoque apparet ejus coloris, cujus est humor: hìc autem cùm ordinariè sit serosus & aqueus humor, id est, albicans, etiam pustula talis coloris videbitur. Quod si à permisto sanguine rubicundior sit humor, vel à bile flavior talem quoque colorem pustula prę se feret.

Sed petere possit hìc quispiam, Cur, quæ in superficie est pustula, diaphana sit; quę autem in profundo, sit opaca, seu visionem terminet. Joannes Arculanus vir barbarioris sęculi doctissimus, cap. de ulcer. ocul. eventi ejus dat hanc rationem: quia pustula in superficie illuminatur à lumine ambientis propter propinquitatem, unde visio adspicientis potest penetrare ipsam: pustulam autem profundam non item, eo quòd hæc non sufficienter illuminetur. Verùm hęc ratio non penitus exhaurit difficultatem. Nam illuminatio vel præsentia luminis non facit res esse magis vel minùs perspicuas, sed facit res visibiles magis atque illustriùs videri. Sic adscito & admoto forti lumine ad oculum pustulâ profundâ laborantem, meliùs videbitur & opacior apparebit illa pustula; quę tamen tum magis illuminatur, quàm à debili lumine ambientis ordinariè illuminetur, pustula superficialis, quæ tamen diaphana est. Itaque ad petitionem respondetur simpliciter; rem imperfectè perspicuam eò magis terminare visionem, quò plura corpora imperfectè quoque perspicua ei superponuntur; atqui pustulę profundæ plures corneæ cortices superponuntur, pustulæ superficiali tantùm unus incumbit: inde hæc diaphana apparet, illa est opaca.

Contingit interdum, ob tunicę corneę erosionem uvea procidat, & superficialis pustulę speciem exhibeat: cujus procidentiæ cùm alia sit quàm pustulę curatio, hinc alteram ab altera accuratè distinguere necesse est. Distinguit autem Aëtius & alii ab eo per colorem diversum. Sed hoc est incertum, quia pustula cujuscumque coloris esse potest. Certius signum sumitur è mutatione pupillæ, quę prolapsâ uveâ vel parva fit vel variatur secundùm figuram suam rotundam; in pustula non variatur pupilla.

Porrò superficiaria pustula non admodum difficilis est curationis: difficilis est profunda; periculum enim est, ne reliquum corneę in profundo tenue existens rumpatur, & uvea procidat, effluantque oculi humores. Et etiamsi non effluant oculi humores, dummodo pustulæ intus rumpantur, malum est immedicabile.

Curatio. In pustulis quia dolor adest & sępè inflammatio, convenit sanguinis eductio, aliæque diversiones. Si seriùs est, quàm ut sanguis mitti possit, alvus tamen ducenda est. Si id quoque aliqua res inhibet, utique victûs ratio servanda est. Topica hìc eadem conveniunt; quæ in ophthalmia præscripta sunt, si comitetur inflammatio. Si hæc absit, aut cessarit, tentanda est pustularum resolutio per decoctum fœni Græci. Plerique cataplasmata hìc laudant, sed quia suppuratoria sunt; non probo: vitanda enim omni modo suppuratio est, ne eâ disruptâ humores oculi sequantur. Quòd si pustulæ discutientibus resolvi non possint, acu aureâ subtili pertunduntur: quod tutò fit; si superficiariæ sint. A pertusione ablue hoc collyrio.

♃. Tutię prępar. semidrachm. Aloës scrup. Sacch. cand. drachm. croci gr. 4. F. pul. subtilis, qui linteo illigatus madefiat aq. rosac. verben. fœnic. ana ęq. part. Ter vel quater quotidie hęc aqua oculo instilletur.

De Albugine.

Albugo est macula alba in cornea: quę si tenuis est & superficiaria, dicitur *Nebula*; si crassa & profundior, propriè vocatur *Albugo* Grecè *Leucoma.*

Riolanus Pater Leucoma dicit esse vitiliginem, id est, speciem leprę in oculo, contra omnium Medicorum veterum & recentiorum auctoritatem, qui omnes maculam tantùm albam in cornea taliter appellant; & plerique cicatricem solùm ab ulcere vel vulnere corneæ relictam. Non tamen velim negare, posse talem à lepra tribui albitudinem corneæ: id dumtaxat aio non solam eam dici à veteribus leucoma. Deceptus est similitudine vocum *Leuce* & *Leucoma*: Leuce illud est, quod dicit, non Leucoma.

Causæ

Causæ. Causam albuginis statuit Fernelius vel tenuem humorem corneæ inhærescentem, & tunc nebula oritur: vel crassum & album humorem in cornea, aut etiam supra hanc concretum & densatum additque sæpè hoc fieri ex ophthalmia & epiphora: interdum ex proprio lento humore, qui ob pupillam effunditur ex iis spatiis, quæ sunt inter membranam adhærentem & corneam. Quâ descriptione videtur nobis potiùs proponere generationem pterygii, quàm albuginis, quia illud supra corneam sedet, hæc in ipsamet cornea est. Verùm ut ut est, non à solo illo humore crasso lentoque exsurgit albugo, sed etiam ex cicatrice in cornea relicta, prout omnes auctores sentiunt; ita ut Fernelius saltem sit diminutus in reddenda albuginis causa. Imò aliam quandam etiam nonnulli albuginis causam ponunt, defectum scilicet virtutis assimilativæ, qualis est in lepra & morphea. At hoc rarissimè contingit: nam & in confirmata lepra oculi solent esse ab albugine liberi.

Capivaccius putat solam eam esse veram albuginem quæ à cicatrice fit. Sed hoc non est necesse dicere; neque enim ulla hoc autoritas vel ratio suadet.

Persuasissimum vulgo est, ob Tobiæ senioris infortunium, stercus hirundinis oculis incidens albuginem cæcitatemque inducere. An autem hoc ob proprietatem occultam; an manifestam qualitatem agat, disputatur apud doctos. Vide, si vacat, quid super hac re speculetur Vallesius *lib. de sac. Philos. cap.* 42.

Signa. Affectus hic intuenti patet, ut signis non sit opus. Facilè etiam cognoscitur, an à cicatrice, an verò ex humorum impactione proveniat.

Quod ad prognosticum attinet, albugo in senibus insanabilis statuitur; in adultis sanabilis quidem, sed difficulter; faciliùs in pueris. Cicatrix multò difficiliùs tollitur, quàm humor; imò non tollitur cicatrix, sed summum quod fit est, quod nonnihil deteratur. Callosas verò, diuturnas & crassas cicatrices curare non oportet: necesse est enim hîc collyriis valde acribus uti: unde à vehementi horum mordacitate aliæ oculi partes ulcerarentur: si verò etiam suffusio aut glaucedo adfuerit, vanum est cicatrices extergere.

Curatio. Quamvis detergentibus & discutientibus, quæ vim satis insignem desiccandi habent, tollendæ sint oculorum albugines; quia tamen, dum nimis exsiccantur, magis indurantur, & ad digestionem ac detersionem difficiliores evadunt; ideò ut medicamenta meliùs possint officium suum præstare, operæ pretium faciunt, qui mollire priùs earum substantiam nituntur balneis, fomentisve, aut vapore aquæ dulcis calidæ, vel decocti malvæ; althææ, fœni Græci: deinde admovent collyria detergentia humida vel sicca, ut magis visum fuerit conveniens. Antequam verò hæc adhibeantur; oportet priùs corpus universum & caput evacuare.

Simplex ac facile medicamentum ad albugines est, si mater vel nutrix vel mulier alia fœniculum mandat, & mox in oculum inspiret. Valentius erit, si linguâ postquàm manderit fœniculum, delingat diutiùs albuginem. Sed & cinamomum nostrum idem efficit: efficacius est piper vel ruta: imò si vel modicum salis vel nitri commasticetur, efficax erit remedium.

Inter composita hoc probatur, & est facile.

℞. Sarcocollam, Spumam maris seu alcyonium & saccharum candidum æquali pondere, simul terantur omnia exquisitissimè.

Vel ℞. Tutiæ præpar. facch. cand. ana semidrachm. ossis sepiæ scrup. F. pul. Eis possumus ita in pulvere uti, vel etiam sumere tantillum mellis, aut succi rosar. vel fœniculi, & conficere in modum collyrii: ubi autem erit opus teretur & diluetur, atque in liquorem redactum instillabitur in oculum. Poterit autem dilui decocto fœni Græci, vel aquâ rosaceâ, vel fœniculi, vel rutæ. Fortius tamen erit medicamentum, si arido utamur. Aliorum acrium remediorum non est ita tutus usus, sicut horum, quæ facilia sunt; quamvis hæc longiore tempore egeant, ut opus suum perficiant. Verùm longè præstat ait Galenus *lib.* 4. *de comp. med. sec. loc.* seriùs & & tutiùs curare, quàm majori periculo cum spe citioris curationis ægrotantem exponere. Interdum certè ea, quæ acriora sunt, adeò particulam irritant, ut concitatâ fluxione inflammationem inducant: interdùm verò nimis detergendo ulcerant membranas. Itaque mitia, quantùm licet, eligantur saltem in principio: inter quæ est saccharum quoque candum, quo solo sæpè puerorum albugines curatæ sunt: in pollinem tenuissimum teritur & cribratur, atque aliquo specillo albugini, inspergitur, ægrotante supino jacente apertis oculis, priùs tamen instillato lacte muliebri in oculum, atque itidem paulo post, ubi vellicare pulvis videbitur, ut dolor leniatur. Valentius est medicamentum, si capiatur fel lucii piscis; atque ei parum sacchari candi admisceatur, diluaturque aquâ fœniculi, vel mulsâ.

Mercurialis solebat sumere radicem chelidoniæ, & aquâ vitæ diligenter abluere, deinde pistare, & per colum transmittere, eumque liquorem guttatim instillare oculô affecto: expertusque est recentes maculas inde deteri. Alii os sepiæ valde laudant æquali pondere cum saccharo cando commistum, & pulverisatum, atque flatu ingestum: aut linimenti formâ cum melle adhibitum parti interiori palpebræ. Quidam utuntur in hoc aquis operosè distillatis, sed non opus est, nam non necesse hîc altè medicamenta penetrare, non enim hæret profundè malum, sed in superficie; ut satis sint medicamenta abstergentia simpliciter. Hæc tamen aqua à me & aliis probata est, esse valde efficax:

℞. Fœniculi manip. ij. rutæ, chelidon. ana manip. I. mell. optimi unc. iij. sacchari candi, rhodomell. ana unc. I. tutiæ Alexandrinæ. sarcocoll. nut. ana drach. ij. vini alb. opt. cochlear. ij. Misc. & destilletur inde aqua pauco igne.

De Hypopyo

Hypopyon est collectio puris sub cornea: quæ si determinata fuerit circulo iridis, à similitudine Onyx, id est unguis, vocatur.

Vocant autem Medici tam veteres quàm recentiores aliam etiam Hypωpion, quam Latini Sugillationem dicunt; id est sanguinis effusionem sub cute vel in membranis oculi factam ab ictu vel alio modo. Sed in hac & illa significatione alio & alio modo scribi debet. In priore scribitur per ο & υ Hypopyon: in posteriore per ω & ι Hypωpion. Prior dictio derivatur ab ὑπὸ & πύον, quasi dicas, pus subtus vel sublatens; posterior ab ὑπὸ & ὤψ, id est sub oculo. Et quamvis hypωpion in posteriore significatione sumtum ex vi vocis tantùm denotet sanguinis effusionem sub oculo factam, adsumitur tamen etiam ad significandam eandem effusionem factam in ipso oculo, id est in adnata ejus tunica vel cornea quoque: & nominatur alter Græcis Hyposphagma & Ecchymosis. Si in cornea è directo pupillæ sanguis effusus sit, omnia ægris videntur rubra; unde ab ea visione vocantur Hæmalopes; id est sanguinea videntes. Id enim habet cornea, ut, quo colore ipsa infecta fuerit, eodem objecta videantur.

Quod ad differentias hypopyi spectat, vel pus inter membranas corneæ illapsum, & in circulo iridis figuratum similem ungui resecto imaginem præ se fert: vel amplius est collectum, & dimidium nigri occupat: aut per totam corneam tunicam pellucet, & tunc oculum suppuratum esse dicimus.

Causæ

Causa. Affectionis hujus causa est pus in cornea; & in ea variam id potest habere suæ collectionis causam. Nam interdum à vehementia inflammationis habet ortum; multo enim confluente sanguine venulę aliquę aperiuntur, aut disrumpuntur & sanguinem effundunt intrò, qui ibi postea suppuratur: interdum aliquo ibidem genito ulcere.

Sed & à causa externa fit sanguinis effusio; quę si contundens sit, effunditur per diapedesin sanguis; si rumpens, per diæresin. Itaque sæpè hypopyon seu suppurationem præcedit hyposphagma seu sugillatio. Nam primò sanguis è tenuibus venis effusus maculam rubram facit, quæ deinde livescit & nigricat, atque hactenus est sugillatio: tandem tamen in pus vertitur, tumque appellatur hypopyon. Idem quippe accidit oculo ac cuti ex ictu: sanguis sub cutem effunditur, qui deinde livet; postremò, nisi resolvatur, putret & in pus vertitur: tumque pyosis, id est suppuratio dicitur, cujus species est hypopyon.

Signa. Sugillatio sensui patet, adeoque signis non eget; uti nec suppuratio. Utrum ex causa interna, an externa ortum traxerit, id ex relatu cognoscitur ęgri: & per has causas distinguitur hypopyon à suffusione, quam alioquin ità interdum ęmulatur, ut Medicis imponat.

Sugillationi porrò statim occurrendum, antequam sanguis grumescat; grumi enim difficulter exhauriuntur; & difficiliùs; si jam nigricent; uti quoque si in pus versi sint. Non magnâ operâ discutitur sanguis, qui non adhuc in grumos abiit.

Curatio. Venæ sectio & purgatio locum habent in sugillatione, antequam humor suppuret; uti & aliæ revulsiones ac derivationes in ophthalmia indicatę. Itaque eę primò præmittantur, antequam ad topica veniatur.

Facto pure venæ sectio non habet locum, nisi dolor urgeat. Purgatio tamen ritè instituitur, priusquam localia discutientia admoveantur.

Porrò topica in principio sugillationis talia esse debent, ut non modò discutiendi vi prædita sint, sed insuper modicâ adstrictoriâ, quia vasorum tuniculæ, ex quibus sanguis exsilit, disruptæ vel saltem apertæ sunt. Quare si simplex discutiens pharmacum à principio adhibeatur, non solùm, quod effusum est, discutiet, sed & per fissuras aliquid attrahet è vasis. Postquam verò in suam naturam redierint venulæ, ad merâ discussoria medicamenta rectè transitur. Quę primùm sint leviora: quæ enim vehementer discutiunt ac resiccant, statim quidem multam tenuioris evacuationem faciunt, sed quod reliquum est, incrassant: ut ęgrè postea dissolvi possit. In principio ergò probatur fomentum ex decocto foliorum rosarum in vino. Deinde ex decocto fœni Græci in vino, vel in mulsa. Usitatum aliis & bonum medicamentum est instillatus calidus columbę sanguis; quod ita fit: pulli columbini teneræ plumæ evelluntur ab alis, quæ adhuc sanguine plenæ exprimuntur in oculos, deinde superponitur lana imbutâ decocto meliloti ex vino. Celsus multò efficaciorem ad id dicit esse sanguinem hirundinis *lib. 6. cap. 6. sub fin.* Ubi addit aliquid consideratione dignum, scilicet, fabulam esse, quod visus hirundinum amissus per parentes aut herbam chelidoniam restituatur, sed quod per se sanescat; quemadmodum & columbę & palumbi, at celerrimè hirundinis: ideoque hujus sanguinem præfert.

Experientiâ constat verum esse, quod affirmat Archigenes apud Galenum; quod, si hyssopi coma nodulo inclusa bulliat in aqua, & tepidè nodulus oculo cruento applicetur tam manifeste fugat sanguinem, ut linteum ipsum sanguinolentum videatur. Attamen hoc remedium in principio sugillationis non adhibeatur; verùm postea, nigrescente jam sanguine: unde & in pure collecto id valet. Quo casu si nihil effecerit, utere hoc, quod pyulcum est seu pus exsugens, & ad Ægineram Paulum refertur auctorem.

℞. Aloës, croci, myrrhæ ana scrupul. I. vini scrupul. iij. mellis optim. scrupul. VI. Crocus primùm teratur in vino, deinde adde Aloën & Myrrham, tandem mel adjiciatur: confectio in vase vitreo servetur, & oculo bis aut ter quotidie instilletur. Isti par est, si trochisci viperini in hydromelle dissoluti oculo immittantur. Sed videndum, ne hoc nimium siccet, & quod dissolvere non potest, illud induret. Succus raphani, itidem iridis impositus præclarè facit.

Si istis pus non discutiatur, ad Chirurgiam veniunt Medici, oculum ad itidem perforantes acu cavâ, & ita pus educentes. Verùm nescio, quomodo pus illud, quod crassius est educere possint, non subsequente vel etiam priùs effluente humore aqueo, qui tenuissimus est, adeoque ad fluendum aptissimus. Galenus tamen, Paræus, aliique auctores dicunt se tali modo pus eduxisse. Sed non addunt, an homines illi, quibus eductum erat pus, rectè postea viderint. Certè humor aqueus simul effluxerit, & adultæ ætatis si fuerint, cæcitas necessario subsecuta est: illa namque ætate non regeneratur aqueus humor, eoque elapso corrugatur cornea, & oculus fit minor.

De ruptura corneæ, & uveæ prolapsu.

Rupturâ corneæ est ejus sectio vel excisio; è qua primùm aqueus humor emanat, oculumque multò minorem relinquit; deinde uvea tunica procidit.

Cujus uveę procidentiæ quatuor ab auctoribus statuuntur species, à formis, quas repræsentant desumtę. Prima quia exigua est instar capitis muscæ, *Myocephalos* dicitur. Altera amplior acinum uvæ referens *Staphyloma*. Tertia, quando ita increvit, ut extra palpebras emineat, *Malum* seu *Pomum*. Quarta denique, ubi obductâ cicatrice occalluit, nominatur *Clavus*; quia clavi caput refert.

Causa. Causa rupturæ corneæ est res vulnerans corneam, vel ulcerans.

Aëtius inquit fieri aliquando staphyloma humoribus sub aliquam cornea tunicę striam collectis, à quibus coactam corneam elevari contingit & incurvari: similiter quoque à pustula inter strias cornea tunicæ satis profundè consistente. Sed nos cum Paulo Ægineta istos affectus non numeramus inter staphylomata, verùm de iis inter pustulas corneæ tractavimus; adeoque staphyloma non nisi à ruptura corneæ effici dicimus. Sunt tamen recentiores, qui hac in parte Aëtio adsentiuntur: scilicet Christophorus à Vega, & Ambrosius Parєus. Imò & Celsus idem sensit *lib. 7. cap. 7.*

Signa. Sequendo sententiam Aëtii, Celsi, & recentiorum illorum, staphyloma aliquando niger est tumor, aliquando albus. Nam si cornea ulcerata est atque arrosa, sic ut per ulcus proferat se & procidat uvea tunica, nigricabit staphyloma acini maturi instar: nigricat enim uvea tunica, inquiunt, externâ suâ parte. At si laxata tantùm, & non ruptâ corneâ fuerit, subalbido colore cernetur staphyloma acini nondum maturi instar. Hæc ita secundùm dictorum auctorum placita dicuntur. Nos autem, uti antè præfati sumus, tantùm à ruptura corneæ verum staphyloma oriri volumus: à qua etsi oriatur, non tamen adhuc concedimus tale staphyloma semper nigricare; quia non verum est, quod supponunt, in omnibus uveam tunicam quatenus procidere potest, externâ suâ parte nigricare. Nigricat tantùm iis quibus nigri dicuntur esse oculi

oculi; glauca est, quibus oculi sunt glauci, &c. Itaque varii coloris potest esse uvea prolapsa. Quia verò apud Græcam nationem ordinariè oculi sunt nigri, atque adeò uvea nigra, rectè ejus procidentiam staphyloma nuncupatunt à similitudine acini maturi nigri. Apud nos alium colorem referre potest: utpote quorum uveæ non semper externa parte nigræ sunt, sed vel glaucæ, vel fulvæ, &c. Id quod neque Aëtium latuit: nam quod ex uvea tunica procidit, non semper dicit nigrum apparere, sed quandoque cæruleum.

In circuitu ejus partis; quæ procidit, circa fundum labia corrosæ tunicæ alba apparent: & si adhuc magis pars prolapsa duraverit, labia ruptionis tunicæ corneæ calloſiora facta adhuc magis alba apparent.

Divulsa autem est omninò in uveę tunicæ prolapsu pupilla ipsa; ut omninò non appareat, aut & situ & figura immutata.

Quod ad prognosticum attinet: si cornea rumpatur, visus deperditur, quia humor aqueus necessariò effluit, ideoque cornea corrugatur. Vidit tamen Galenus, aliique postea recentiores visum dehinc restitutum esse, eo quòd aqueus humor regeneraretur: id quod non nisi in ętate puerili sperandum est. Quòd si pręter aqueum humorem tunica uvea procidat insperabilis visus est; ultra quem deperditum accedit adhuc deformitas, quę solummodò est curabilis. Unde miror, quod scribit Riolanus; se vidisse adolescentem, cui uvea prociderat supra magnitudinem avellanæ, qui tamen eo ipso oculo videbat. Nisi eo casu aqueus non effluxerit, & pupilla tantùm figuram mutaverit.

Curatio. In principio rupturę corneæ omni modo cavendum, ne humores oculi effluant: nam tum oculus planè concideret, & magna inde deformitas orietur. Itaque mox adstringentia adhibenda, ut fotus ex decocto plarangınis, myrti, bursæ pastoris, balaustior. fol. rosar. Hoc deinde collyrium bonum est.

℞. Antimon. cerussæ, cadmiæ ustor. & lotor. an. scrup. ij. spicæ nardi, Aloës, tutiæ pręp. sarcocoll. an. gr. 6. cum muccagine tragacanth. vel gummi Arabic. F. collyr. cujus aliqua portio solvatur in decocto bursæ pastoris: usu postulante. Hęc aqua etiam ut præstans laudatur:

℞. Bol. armen. sanguin. dracon. tragacanth. ana semunciam, pul. capitum hirundinum ustor. unciam. infunde in aq. rosac. & succ. granator. clarificat. ana unc. 4. Bulliant lento igne in Bal. Mar. deinde colentur; & linteum colaturâ imbutum applicetur: id repellit, ac suo loco restituit uveam: eâdemque operâ ulcus persanat. Debet autem interim æger jacere supinus. Huc faciunt tum aqua ophthalmica de cancris & chelidonia, tum liquor, qui in veficis ulmi invenitur mense Majo, de quibus diximus *cap. de vulner. ocul.*

Si malum sit magnum & inveteratum, medicamentis locus non est, sed ad Chirurgiam confugiendum, quam pete ab Aquapendente in *Operat. Chirurg. cap.* 17.

De dilatatione, & constrictione pupillæ.

Pupillæ dilatatio. Græcè *Mydriasis & Platicoria* dicta, est foraminis tunicę uveæ nimia ampliatio.

Constrictio, Græcis *Myosis & Phthisis* pupillæ vocata, est angustia pręter naturam foraminis uveæ.

Est uterque affectus in vitiata conformatione, scilicet in via, seu meatu depravato, ut patet, & visionem lædit. Sed de modo & ratione qua lędit, non convenit inter Auctores.

Fernelius *cap. de ocul. morb.* dilatationem visioni obesse dicit, ut quæ visivum spiritum universè diffundi atque dissipari sinit: à constrictione autem nativa, quoniam spiritum cogit ac densat, acutissimam visionem reddi ait; at à morbosa, quoniam causam prcter naturam habet, deteriorem fieri. Hoc idem cæteri omnes recentiores sentiunt & scribunt, eo fundamento innixi, quòd visio per radiorum ex oculis emissionem fiat; illud autem cùm falsissimum sit, ut pluribus convici, & jam passim omnes emunctioris naris viri agnoscunt, non poterit ea ratio statui, quâ dilatatio & constrictio pupillę visionem lædunt.

Olfecit & hoc Sennertus in Praxi sua, ideoque quàm majores sui propiùs scopum ferit, sed tamen non attingit.

Alii in dilatatione pupillę res minores, in constrictione majores apparere aiunt: atque in hujus reddenda causa mirè & miserè tumultuantur inter se, in quibus tamen turbis cæteris verosimilius judicavit Joan. Arculanus, *Com. in 9. Rhas. ad Almans.* Sed omninò falsum quoque est, accidentia illa dictas sequi pupillę constitutiones. Nec verò Galenus usquam eorum meminit. Paulus Ægineta primus, quantùm sciam, id invulgavit; ex quo auctore hauserit, nescio; non enim addit. Si ex propria contemplatione dixit, deceptus est; non enim respondet vel experientia vel ratio. Aëtius idem docet, non etiam addens auctorem, ex quo habet.

Itaque quomodo ex istis pupillę constitutionibus oculus afficiatur, fusè & explicarè dixi *lib.* 4. *probl.* 59. cujus hæc est summa: scilicet, quòd per foramen uveæ præter modum exile repręsententur in retiformi tunica res visibiles distinctè, sed minutissimè, quæ ut percipiantur, multo opus est externo lumine. Accedit, quòd, quæ nonnihil à lateribus sita sunt, minimè comprehendantur, quia eorum imagines foramen pręterlabantur. Per foramen autem uvęę latum clarè & in majuscula forma exhibentur res, sed in lucidiore aëre dilutè atque imperfectè ob subingressum nimii luminis rerum visibilium picturam obliterantis. Adfert porrò hoc commoditatis pupillæ amplitudo, quòd eâ præditi capite immoto videant illa, quæ à lateribus stant, quęque non nisi capite eo converso ab aliis percipi queunt.

Ex hisce patet, probabile esse, quod ingeniosissimus Platerus *lib.* 1. *pract. cap.* 7 scribit, pupillæ scilicet arctationem causam nyctalopiæ seu nocturnæ cęcitudinis esse: cùm enim, modico existente externo lumine, soleat pupilla ampliari ut luminis oculum ingressi debilitas, copiâ ejus suppleatur, fit, ut quibus pupilla angustior obrigit, nec potens dilatari, sub noctem aut tenebris nonnihil ingruentibus minùs cernant, quia debile & modicum lumen visum movere nequit. Consectarium hujus est, ob pupillæ magnam hiationem in obscuriore & tenebricosiore aëre rectiùs, quàm in nimium lucente videri: modò illa hiatio non fiat ob incipientem obstructionem nervorum opticorum, vel aliam internam causam visum obscurantem: tum enim contrà fit, ut scilicet dilatatâ pupillâ meliùs interdiu videatur, potiùs vesperi, uti aliquoties observavi.

Causa. Quod causas propositorum affectuum attinet, sentio cum doctissimo Platero vix posse illas pupillę habitudines ab adscititia humectatione vel siccatione, vel percussione provenire; uti neque ab humorum vel spirituum copiosiore influxu; id quod passim cantillatur à Medicis. Et quidem quæ potest major uveę accidere humectatio in mediis humoribus natitanti? Influxus autem humorum non potest uveam tendere, nisi priùs corneam tendat ac turgefaciat maximè, & ita consequenter uveam corneæ validè adnexam. Excrescat autem aqueus humor ad tantam, quantam velis, copiam, si corneam non distendat, non distendet uveam, sed semper laxè hæc ei innatabit: quippe non coërcet uvea aqueum, sed cornea. Itaque inscrescens aqueus nullam vim uveæ facit, cùm per ejus foramen liber

liber pateat tranſitus, ſed corneam impetit, cujus obice continetur. Si cryſtallinus humor adeò mole augeretur, ut antrorſum vergens foramini uveæ ſe inſereret, ille ſine dubio pupillam dilataret, neque ſineret pupillam conſtringi. Ratio eſt, quia humor ille duriuſculus eſt & conſiſtens, quippe propriâ tunicâ obductus; atque ita ſuâ duritie poſſet diſtendere uveam: quod non poteſt de aqueo dici, utpote qui ſit fluidus liquor. In cryſtallino haberet locum ſimilitudo Valeſci dicentis, humorem dilatare pupillam, ſicut genu ampliat foramen caligæ diſruptæ, quando complicatur.

Deinde à ſiccitate oriri dilatationem vel conſtrictionem pupillæ, longè minùs ſimile verò. Siccеſcente enim oculi globo non ſolùm ſiccеſcet quoque & corrugabitur cornea; unde cęcitas: atque is affectus eſt oculi atrophia, non pupillæ conſtrictio.

Denique à percuſſionibus potiùs dilaceratur pupilla, quàm dilatatur. Hoc tamen verùm eſt, ob dilacerationem illam ducere rimam, ac ſic quodammodò magis patere; qûàm ſi ſub dilatatione velis comprehendere, non ampliùs litigo. Item poſſunt ob percuſſionem conturbari & impuri fieri humores, ad quos dein ſequitur pupillę ampliatio, uti poſt dicetur.

Porrò opinor, ut plurimum ab ortu homines eas nanciſci pupillarum figuras, nec facile ab externa cauſa, vel interna dein adipiſci. Quodque priores Medicos ad contrarium adſerendum impulerit, hoc eſſe puto; quia videlicet dum ad conſultationem habendam de oculorum affectionibus & diminuta viſione conveniunt, oculos ęgri vel in loco non admodum lucido inſpiciunt, atque ita eum pupillę dilatatione laborare concludunt: vel in loco admodum claro intuentur, ac tum pupillæ conſtrictionem putant adeſſe, nam in obſcuro loco ſemper dilatatur pupilla, in claro anguſtatur, eæ tamen dilatationes & conſtrictiones morbi nequaquam dici debent.

Exiſtimo nihilominus aliquando poſt ortum acquiri poſſe morboſam pupillæ dilatationem, hoc caſu: ſi quis diutino tempore incluſus obſcuro carcere delituerit; ibi enim cùm adſint perpetuæ tenebræ, pupilla perpetuo quam ampliſſimè patet, in quo ſitu ob diuturnam moram induratur: denique, ut poſtea in lumine contrahi nequeat: reſtitutionique inepta permaneat. Quæ ipſiſſima cauſa eſt, cur ex diuturno carcere ſub dium lucidum prodeuntes tam ægre ferant lumen; amplas nempe patulaſque ipſorum pupillas nimis ferit.

Scripſit Aëtius, & Medici ab eo alii, illos, qui naturâ nigros oculos habent, ferè magnis eſſe pupillis, ideoque in pupillę dilatationem præ reliquis faciliùs incidere. Cur autem magnis ſint tales pupillis, non dixerunt; & certò ſcio ipſos neſciiſſe. Eſt autem cauſa hæc: lata fit vel ſtricta pupilla ad recipiendum vel excludendum majus lumen pro rectè obeunda viſione. Jam verò nigri oculi cum ratione ejus ſui coloris etiam obumbrentur, egent in aëre non admodum illuſtri copioſiore lumine, quàm glauci, quibus non ſit tanta umbra: ut ergo copioſius lumen capeſſant, pupillam pateſcere neceſſe eſt.

Iſthęc itidem cauſa eſt cur impuros & turbidos habentes oculorum humores, pupillas quoque latiuſculas habeant. Per humores namque iſtos craſſiores ſubintrans lumen infringitur ac debileſcit: unde copioſo opus eſt, ut aliqualis fiat viſio; copioſum verò ſubire nequit niſi per diductiorem pupillam. Si igitur quiſpiam in altero oculo humores habeat minùs atque in altero limpidos ac puros, illius ulterius latiorem pupillam, quàm hujus advertere licebit. Et ab hac cauſa puto frequentiſſimè dilatationem pupillæ oriri; ab humoribus, inquam, turbidis, & aliquali obſtructione nervi optici: quibus pręſentibus cùm advertant Medici pupillæ ampliationem; huic potiſſimùm viſionis defectum adſcribunt, cùm minimè huic, ſed illis ſit attribuendus. Sic dum à validis oculi ictibus dicunt auctores pupillam fuiſſe dilatatam ſine uveæ ruptione, id omninò exiſtimandum eſt factum fuiſſe propter conturbationem humorum, & opacationem eorundem, quam conſequitur, ut dictùm eſt, pupillæ diductio. Itaque non ineptè Auctor finitionum Medicarum mydriaſin dicit eſſe alterationem viſorię facultatis turbatis humoribus. Quamquam id Mercurialis explodat. In eandem ſententiam ſcribit Avenzoar dilatationem pupillæ, ſi negligatur, tranſire in ſuffuſionem, quia turbidi facti humores facilè magis incraſſantur; unde ſuffuſio.

Ex præmiſſis patere poteſt, quàm falsè imò abſurdè quidam practici ſcribant dilatationem pupillę aliquando fieri à multa illuminatione & irradiatione oculi, & inſpectione in ſphæram Solis. Omnium enim experientiâ conſtat, multam oculi illuminationem non dilatare pupillam, ſed quàm maximè conſtringere: unde potiùs inde pupillæ conſtrictionem oriri dicere debuiſſent.

Neque minùs abſurdum eſt, quod dicunt, à ſiccitate fieri & dilatationem & conſtrictionem. Dilatationem quidem, quando exſiccantur & contrahuntur partes uveæ poſteriores verſus nervum opticum: conſtrictionem autem, ſi exſiccetur humidum uveæ circa partes pupillę, non exſiccatis partibus poſterioribus. Nam hęc eſt vana ſpeculatio ſine fundamento in re. Non poteſt enim fieri ampliatio foraminis ob contractionem partium poſteriorum uveę; quippe partes illæ poſteriores & laterales firmiter adhęrent corneę, ut non poſſint in ſe contrahi, niſi & tota cornea contrahatur, & cum cornea quoque adnata, ac ſi totus oculus contrahetur, adeoque erit oculi atrophia, non phthiſis pupillę. Similiter quis credat, anteriorem partem uveę exſiccari poſſe in humore aqueo natantem: non exſiccatis partibus poſterioribus?

Ita quoque merum figmentum eſt, quod auctores ex Galeno adferunt *lib.* 1. *de ſympt. cauſ. cap.* 2. de humectatione & exſiccatione tunicæ uveæ,ut eſt pars ſimilaris,& ut pars organica. Quemadmodum enim antè dictū eſt,non dilatabitur magis pupilla, etſi ut pars organica humectetur, id eſt,etſi ejus meatus humore aqueo repleatur.

Signa. Quia falſum de pupillę dilatatione & conſtrictione latum judicium plerumque ex eo oritur, quod non in debito loco ægrorum oculi inſpectentur, ſciendum breviter eſt, ubi eſt judicandum, an nimia ſit pupillę conſtrictio, locum inſpectionis eſſe deligendum obſcurum: hic enim cum debeat ſe pupilla expandere, ſi non ſe expandat, pupillæ tabes eſt, ſuppoſitis aliis in oculo integris, & meatu nervi optici libero exiſtente. Contra ubi explorandum, utrum pręternaturalis adſit pupillę dilatatio, locum eſſe adeundum lucidum & clarum, in quo ſi non ſe contrahatur pupilla, contractioni inepta eſt: ſuppoſitis iterum iiſdem, ut eſt antè.

Hieronymus Mercurialis *lib.* 1. *pract. cap.* 36. docens, quę dilatatio pupillæ ſit morboſa; quæ naturalis, ſic ſcribit: Unius oculi pupilla claudatur; quo facto, ſi alterius pupilla dilatatur adhuc magis, eſt à natura. Si verò, altero clauſo oculo: alterius pupilla non dilatatur, affectio eſt morboſa: quia latitudinis naturę terminos pręterire licet, ſed à morbo factam latitudinem non licet. Idem deſcribit Sennertus ex ipſo. At ratiocinantur perperam. Poteſt morbus non extremum ſuum terminum attingere; unde ultra eum ire licèt, ſed non citra illum: ſicuti diſtentio veſicę ab urinæ copia non illa tantum dicitur morboſa, quæ major fieri non poteſt, ſed illa, quæ impedit naturalem veſicę contractionem. Itaque morboſe ſeu pręter naturam dilatatata pupilla non ea eſt, quæ amplius non valet diſtendi, ſed ea, quæ contrahi amplius non poteſt.

... ioni Auctores dant pro signo constrictionis pupillæ à siccitate ortæ, quòd oculus parvus sit & diminutus. Qui malè constrictionem pupillæ confundunt cum oculi atrophia; in hac enim tantùm id fit. Quapropter ex ipsorum confessione etiam non potest adesse in oculo tanta siccitas, quę uveam contrahat, quin ea contrahat totum oculum, prout antè dixi.

Circa hos Affectus videas miseras doctissimorum Medicorum in consiliis editis hallucinationes. Montanus consil. *91.* & *92.* observans in duobus ægris pupillas in obscuro aëre dilatari, in claro constringi; inquit hæc signa esse visûs imbecillitatis, refertque causam ad crassitiem spirituum. Nugæ. Omnibus id ex æquo contingit, etiam iis, in quibus summam spiritûs tenuitatem habere ab ipso judicarentur. Fallopius & Bellocatus mirantur in consultatione quadam cur in ægro suo pupilla manè videatur constrictior, vesperi latior: & & nescio, quas ulcerosas causas allegant, ulcera in faucibus sanata. Imperitè. Est semper ita; manè orto Sole ob aërem illuminatum unicuique pupilla constrictior est; vesperi eodem occiduo & absente, ob minùs illustrem aërem latescit eadem cuilibet.

Super difficultate curationis horum affectuum obscurus est Galeni textus *lib.* 1. *de sympt. caus. cap.* 2. scribentis: si tendatur uvea ratione inflammationis; scirrhi vel abscessus, peritus Medicus non magno negotio malum potest superare. Nam difficile admissu est, scirrhum uveę facilè posse curari. Capovaccius ad eumdem scopulum impingens ita se putat evasisse, dicendo: uveæ tumorem bifariam accipi; primò ut tumorem: unde si sit scirrhus nequaquam facilè curatur imò curari nequit. Secundò, prout tumor ille idem causa est amplitudinis foraminis: & secundùm hanc rationem, inquit, non est difficile malum hoc superare, cùm sat sit tumorem minuere, quo imminuto tensio etiam minuitur. Quæ evasio ingeniosa est, & valde Galenum excusat alioqui falsitatis suspectum.

Laceratio uveę à percussione incurabilis est. Si contingat, ut vi percussionis non laceretur, sed tumor tantùm excitetur in ea, à quo foramen dilatetur, vel ut humores oculi ab ictu turbentur, id vitium est curabile.

Curatio. Conscribunt Practici curationes mydriasis & phthisis pupillæ: & multi in observationibus suis per exempla edita omnes earum penè species sanatas affirmant, tam à siccitate quàm humiditate effectas. Quales cùm ex nostra sententia fieri non possint, verosimile nobis fit, dictos affectus ipsis minimè obtigisse curandos. Et quandoquidem existimemus tales pupillę constitutiones plerumque ab ortu advenire, consequenter eas plerumque insanabiles esse statuimus.

Si post ortum accidant, ut si post moram diuturnam in tenebroso carcere facta sit pupilla latior, paulatim lumini assuescendum est, gradatim locum luminosiorem ingrediendo.

Sin id acciderit ob humores oculi turbatos & impuros factos, si quidem hoc citra ictum & percussionem provenerit, attenuandi & discutiendi illi humores erunt: quod commodè fiet iis remediis, quę suffusioni apta erunt, sequenti capite explicanda. Si verò ob percussionem vel vim externam sit, fluxio ab oculo avertenda est per venę sectionem, cucurbitulas, frictiones, vesicatoria, deinde repellentia oculo applicanda: & ad summam facienda penè eadem, quæ in ophthalmia sunt pręscripta.

De Suffusione.

Suffusio, Gręcè Hypochysis dicta & Hypochyma est, humoris præter naturam inter corneam & retiformem tunicam è regióne pupillæ concretio.

Hactenus omnes Medici in definitione dixerunt, inter corneam tunicam & humorem crystallinum, existimantes cum Galeno, in hoc humore visionem effici.

Qua sententiâ clarè falsitatis convictâ, jam non dubitandum est, quin in crystallino quoque & post crystallinum in vitreo humore possit consistere materia suffusa: tam enim transmittunt species crystallinus & vitreus humor, quàm aqueus. Itaque si earum transmissio à crassa atque opaca in vitreo stagnante materia prohibeatur, suffusione oculus indici debet laborare tàm æquo jure, quàm si in aqueo humore natet materia.

Cæterùm fatendum est, rariùs suffusam materiam in vitreo, rarissimè in crystallano hęrere: ac ferè semper in aqueo observari humore. Ratio est, quia illi humores propriam habent à suis tunicis circumscriptionem; hic fluidus est, & alienis terminis continetur, adeoque facilè extranea recrementa suscipere aptus.

Illi, qui opinantur visionem in concursu nervorum opticorum fieri, censent itidem posse suffusos humores & imagines post crystallinum stabulari. Verùm hæc opinio minimè sequenda est: tam enim est absurda, uti demonstravimus, quàm illa vulgatissima Medicorum, in crystallino humore visionem absolvi, statuentium.

Disceptant speculatores, qualis morbus nominanda sit suffusio. Alii enim ipsam perpetuò obstructionem seu morbum in via esse contendunt; alii ex Galeno *lib. de differ. morb. cap.* 8. morbum in numero. Neutri me judice penitùs damnandi sunt. Oritur namque suffusio à crassiusculo extraneo humore pupillam obturante: oritur & ab ipsis humoribus nimio plus incrassatis; & utraque morbus in via vocari potest. Quòd si humor ille extraneus progressu temporis ita concreverit, ut jam membranæ speciem induat, morbus in numero dici equidem potest; nam videtur sanè quasi particula addita. Imò etsi membranæ speciem non induat, equidem volunt morbum in numero esse; in numero inquam, partis redundantis toto genere pręter naturam, ut lumbrici in intestinis, & lapis in vesica sunt apud Galenum loco citato. Porrò autem circumspectè ii loquuntur, qui suffusionem nominant semper obstructionem seu morbum in via; quomodocumque enim & undecumque orta sit, eo nomine potest comprehendi, & sub hac potissimum ratione actioni animalis incommodat. Quando verò oritur ab humoribus naturalibus incrassatis, potest dici morbus in numero.

Suffusionis differentia est duplex: alia est legitima & per essentiam, alia spuria & per consensum à vaporibus sursum illatis orta. Nos legitimam definivimus, ut pote verè & propriè ita tantùm appellandam: nam spuria suffusio non tam suffusio dicitur, aut dici debet, quàm affectus in accidentibus suffusioni similis, à Galeno vocatur *lib.* 3. *de locis male aff. cap.* 7. In hac varia corpuscula ante oculos versari videntur, interdum instar muscarum, vel capillorum, vel globulorum, & aliorum id genus.

Causæ. Causam suffusionis rectè statuunt Practici omnes humoris alieni influxum, vel ipsum humorem innatum crassefactum. Solus Platerus *lib.* 1. *Pract. cap.*7. nullo duce aliorsum deflectit à via regia, contendens ab aqueo humore tenacitatem aliquam adipiscente causam suffusionis proficisci: fieri verò ab humoris influxu nec ratione ullâ probari, nec demonstratione ostendi posse. Sed deerrat vir hic & fertur avius. Quod ut quilibet percipiat, imò perspiciat, libet argumen-

gumenta ejus expendere, quæ veluti defertionis fuæ rationes adducit.

Inquit igitur primò: Si ab aquæ vel humoris in oculi globum affluxu fieret fuffufio, non hæc exigua tantùm & vix lentis inftar ampla nafceretur materia, fed oculi globus totus diftentus, & velut hydropicus tumeret. Refp. Quamvis fuffufionem cataractæ nomine donarint incultiore fæculo Medici, non tamen adeò fuere rudes iidem, ut in eo affectu copiofum humorem ubertim quafi per amplas cataractas opinarentur in oculos irrumpere: fatis vifum ipfis fuit, fi irrumperet. Irrumpit verò non copiofus humor, fed pauciffimus, quia exiguufculi & penè invifibiles funt ductus: ac proinde oculi globum diftendi ac tumere non eft neceffe.

Secundò ait: Nullum fpatium inane in oculo invenitur, quod aquam hanc poffit admittere; cùm totus undique propriis humoribus ab ortu in eo natis adeò repletus & diftentus fit, ut ne guttulæ quidem alienæ locus fuperfit, aut cornea ullâ ratione ampliùs diftendi dilatarive queat. Veretur hîc fortaffis penetrationem dimenfionum, quam à natura fieri negant Philofophi. At non eft periculum: eft enim aut fit locus externo illabenti humori addenfato nonnihil aqueo, & fubterfugientibus aliquibus fpiritibus humori forfan aqueo commixtis. Quippè à mero aqueo non diftendi corneam, fignificant mortuorum animalium oculi fubfidentes & corrugati ob elapfos fpiritus vel abfentes faltem. Itaque fpiritus hi leviores cedunt locum extraneæ irruenti materiæ graviori & corpulentiori.

Tertiò petit, per quam viam hæc aqua in oculum defluat? Non enim, *fcribit*, per venas & arterias; cùm hæc oculi interiora minimè fubeant. Non per opticum nervum; indignum enim eft partem tam nobilem excrementis hifce deferendis aptam ftatuere, per quam præter æthereum illum fpiritum animalem tranfire nihil poteft. Confugere verò ad corporis tranfpirabilitatem, ignorantiæ afylum eft petere. Nos nihilominus omnes illos modos viafque commodas exiftimamus. Quod enim ad venas atque arterias fpectat, opinamur contra Platerum oculi interiora omninò ab illis fubiri. Nervis verò opticis etfi utatur natura ad devehendum animalem fpiritum, abuti tamen eifdem aliquando poteft ad deferendas fuperfluitates: id quod in aliis multis partibus fieri confuevit, ut dum pravi ventris humores per ventriculum exonerantur; dum thoracis pus per finus cordis; quibus tamen tranfmittendis neutiquam hæ nobiles partes funt deftinatæ. Non igitur mirum etiam vel indignum videri debet, nervos opticos benignę cujufpiam ichorofæ materiæ effe præter naturam portitores. Sed & alienam talem materiam optico contineri fatendum irrefragabiliter eft in ejufdem optici obftructione, à qua gutta ferena oritur. Denique quando ad ignorantiæ afylum, corporis nempe perfpirabilitatem, nos confugere exprobrat, calumniatur magno Hippocrati, qui dixit, corporis confluxum effe unum, confpirationem unam, & confentientia omnia: detrahit Galeno, qui id ipfum confirmavit: adverfatur experientiæ, quæ atteftatur. Sanè fi quarumcumque fluxionum in arte nobis obvenientum manifeftas vias invenire adlaboret, Platerus magnum fibi impofuit opus, magnum laborem fruftrà; poteft enim multorum exemplorum congerie inutilis ejus fatagentia demonftrari. Ad extremum porrò fuffufionem non femper ob humorem aqueum craffefactum gigni, fed etiam ob alieni humoris influxum, hoc arguere queat, quòd incraffatio aquei non nifi fenfim & pedetentim longiore tempore abfolvatur; at craffam & confummatam fuffufionem uno die congeri interdum vidit Fernelius.

Mercatus *cap. de fuffuf.* putat eam quoque fieri, quòd fpiritus denfiores & frigidiores facti condenfentur, idque in valde fenibus contingere ait. Sed profectò inanis & falfa illa fpeculatio eft, me judice. Quomodo enim in vivente corpore à frigore interno (quod, ni fallor, intelligit) adeò fpiritus condenfari queant, corpora tenuiffima & aëria, ut opaci fiant, id quod in aëre externo non evenit à frigore intenfiffimo?

Alexander Maffaria examinans locum Galeni *lib.* 1. *de fympt. cauf. cap.* 8. ubi habet, fuffufionem fieri ab humore tenui & aqueo, fi admodum craffus fiat; exiftimat hunc humorem tenuem & aqueum per fe non poffe tantam craffitiem & denfitatem acquirere, ut vifioni impedimento effe poffit, fed alios humores præter naturam ad illud confluere, commifcerique eidem, qui deinde craffefcunt, denfantur, & fuffufionem efficiunt. Quam fuam opinationem cùm nullâ communiat ratione, non meretur adfenfum. Et verò cur humor aqueus naturalis non tam poffit in fe craffefcere, quàm tunica cornea quandoque, cęteræque & partes & corporis humores?

Cùm fuffufio eft in uno aliquo oculo, fæpè videmus alterum fanum tandem affici quoque. Ejus rationem dicit Montanus in confil. hanc effe: quia fpiritus decurrens à cerebro per nervos opticos per communem terminum dividitur: poftea & unaquæque pars fpiritus tranfit ad proprios nervos. Ubi autem ad partem obftructam pervenit, redit, & tranfit poftea ad alium locum: quod videmus apertè, cùm alterum oculum claudimus, dilatatur pupilla alterius; & ita per malum contagium tandem inficit fpiritus alterius oculi. Qua in ratiocinatione duplicem errorem errat. Primum, dilatari pupillam ob influxum fpirituum in oculum; quod fuprà refutavimus. Alterum, fpiritus ad partem aliquam affectam influentes & retrogreffos communicare alteri parti illius partis affectionem; quod in Medicina mihi eft inauditum. Caufa ergò propofiti eventi eft, quòd à cerebro frequentiffimè materia fuffufionis fuppeditetur, à quo illa tam in unum quàm in alterum oculum nata eft ferri.

Caufę fuffufionis illegitimæ feu imaginum oculis obverfantium funt vapores à cerebro vel partibus inferioribus ad oculos delati, ac maximè à ventriculo. Similes imagines ante oculos oberrant quoque in phreneticis & melancholicis: in quibus Mercurialis dicit non verè eas apparere, fed effe tantùm corruptam eorum imaginationem. Sed certè tam hifce verè aliquando apparent, quàm in fuffufione; utrobique enim eadem caufa. Attamen magna eft inter illos ægros differentia. Nam phrenetici & melancholici, quæ in oculis percipiunt fimulachra, ea pertinaciter credunt foris verè exiftere, ob læfam, quam habent, rationem. Qui verò tantùm fuffufi funt, ratione duce cognofcunt, quod vident, non foris effe, fed oculorum culpâ id evenire. Quamquam in principio hi etiam res illas foris effe putent; quia nempe affueti funt, dum rectè valent, omnia in adverfo aëre confpicere.

Signa. Suffufio perfecta feu confirmata non difficulter nofcitur: intra enim pupillam quędam colorata macula apparet, vel alba, vel citrina, vel livida, pro diverfi-

tate humoris concreti, Antequam verò perfecta sit suffusio, & nondum concretus humor, tum pupilla non lucens apparet, nec vivido splendore perfusa, sed est similis vitro halitu adflato, vel aëri nebuloso. Quò antequam progressus sit affectus, in principio nempe suffusionis, solent varia simulachra ante oculos volitare, pilis, araneis, filis floccisque similia. Quæ tamen cùm etiam in suffusione spuria seu per consensum videri soleant, diligenter hęc est à legitima seu essentiali discriminanda. *Primò*, itaque in vera ac legitima suffusione alter tantùm oculus iis imaginibus deludi solet, aut si uterque fortè tentetur, non tentatur similiter: quod fit in spuria. *Secundò*, in legitima istæ apparitiones continenter sine ullis intervallis visuntur: in spuria secus est. Nam ablato vel inclinante eo affectu, per quem symptoma hoc efficiebatur, cessatio mali est. *Tertiò* si imagines illæ aliquot annos hominem vexatint sine insigni visus detrimento, spuria est affectio & per consensum: nam ubi causa in oculo essentialiter latet, non potest sex mensibus ex practicorum observationibus duralle, quin concrescere in humorem vapor incipiat. Hoc tamen in me & multis aliis falsum comperio, qui multis annis spectra ista in oculis patimur ab impuritatibus humori aqueo innatantibus sine subsequente suffusione, vel corpusculorum eorum concretione.

Suffusioni ortæ ab incrassatione & impuritate humoris aquei signum est, quòd inspicienti oculum ęgrum appareat non limpidus oculus & clarus, sed conturbatus atque obscurus & instar impuræ aquæ.

Dicit Mercurialis, & alii quidam, imagines in principio perfectæ suffusionis videri solitas aliquando non aliam habere causam, seu non ob aliud videri, quàm ob acumen visus. Signum autem, quod ab ea causa pendeant, dicit esse, quòd appositis rebus obscuris ante oculos non videant. Quod nullo modo accipiendum est: nisi enim vapores vel humores alieni in oculis verè existant ista simulachra efformantes, certè visus quantumvis acutus ea percipere non poterit. Sed & obtusè videntes ea plerumque percipiunt, atque de illis conqueruntur. Quod autem addit, appositis rebus obscuris ante oculos non videri imagines, id omnibus commune est, quibus nondum concretus est humor suffusus. Nam semper tenuia corpuscula in oculis volitantia non in obscuro, sed clariore aëre solùm observantur. Ratio est, quia cùm exiles ac tenues sint res, non possunt visum movere, nisi valde illustrentur. Et cùm illę res per se obscuræ sint, si simul alia corpora obscura adspiciantur, non fit discrimen ab oculo, neque illæ præ aliis elucent. Si tamen valde excellens lumen adspiciatur, ut Solis vel majoris facis, non etiam apparent; quia majus id lumen visum totum percellit, & quasi istas imagunculas dissipat, vel lumine ita imbuit ut non ampliùs obscuræ sint, atque ita non discernantur.

Quod ad locum attinet, in quo materia suffusionis consistit, si in humore aqueo hæreat, facilè visibilis est, & ad frictum oculi plerumque movetur; item in principio, antequam confirmata fuit, varia ante oculos obversata sunt: quę omnia non observantur, si in crystallino vel vitreo consistat: & verò difficillimè cognoscitur, in horum alterutro hærens, neque potest ferè à nervi obstructione distingui.

Celebre & decantatissimum est apud Medicos præsagium ex Galeno desumtum *lib. 2. de sympt. caus. cap. 2.* in suffusione quibus altero oculo conniventibus alterius pupillam dilatari contingit, si punctio admittatur, recipiendi visus spem esse, quibus non dilatatur, spem omnem adimi: nam nervi optici affecti id indicium esse aiunt, per quem spiritus ad pupillam penetrare non potest, etsi suffusus humor transpositus sit, vel exemtus. Quod signum partim falsum docet, partim & ipsum in se falsum est. Falsum docet, quia præsupponit ab influente spiritu visorio dilatationem contingere pupillæ, cùm à remissiore luce dilatetur. Falsum in se est, quia non omnes sunt desperati, quantum est ex parte potentię videndi, quibus non ampliatur pupilla, sic suadente ratione; *Primò*, si suffusus humor lentus crassusque inter corneam uveamque consistat, majus spatium, quàm ipsius uveę foramen sit, occupans: tum namque lux externa non potest ferire interiorem oculum; unde nec dilatatio nec constrictio pupillę fit. *Secundò*, si materia suffusionis viscida limbo foraminis uveę tenaciter agglutinetur; tum enim prohibebit motum ipsius uveę. *Tertiò*, si suffusione laborans laboret quoque constrictione pupillæ; etenim hoc casu inepta est pupilla diduci. *Quartò*, falsum est illud signum, quia potest pupilla dilatari & constringi, obstructo nervo optico, ut post videbimus *cap. de affect. nerv. optic.* Ac sic non omnibus visus recipiendi spes est, quibus pupilla dilatatur.

Suffusio sicuti in principio discuti potest, ita, dum fuerit perfecta, tantùm deponitur acu. Cùm autem suffusionum plures sint species, Rudius docet quatuor curabiles esse, scilicet albam instar calcis; albam ad cæruleum clarum tendentem; albam ad cæruleum opacum vergentem; & citrinam. Verùm prima species, quia interdum propter percussionem evenit, ideo quamvis curetur, fieri tamen potest, ut deinde propter percussionem, quam æger sustinuit, non bene deinde videat. Secunda autem specie rectè deposita ęgri meliùs, quàm in cæteris videbunt: solet enim ex ventriculo, & propter pravorum ciborum usum procreari. Tertia species ubi fuerit deposita, & visio recuperata, non diu permanebit in eo statu, nisi adhibitis diligenter remediis ægros præservemus: solet enim ex multo capitis dolore, aut nimio frigore, aut propter angustiam, fletum, vigilias, & id genus alia immodica provenire. Quarta denique species, quæ ex multo potu, & cibo superfluo generatur, & interdum propter magnum laborem, & ex humore melancholico, rite deposita permanet, constante visu. Hæc Rudius ait probari experientiâ, quam suspicor ipsum numquam habuisse: nam veterum auctoritate atque experientiæ repugnant, præterquam quòd multa absurda dicat.

Audiamus igitur potiùs Celsum, quia ita rem hanc digerit. Suffusionis, inquit, plures sunt species, quædam sanabiles, quædam quæ curationem non admittunt. Nam si exigua suffusio est, si immobilis, colorem verò habet marinæ aquæ, vel ferri nitentis, & à latere sensum aliquem fulgoris relinquit, spes superest. Si magna est, si nigra pars oculi amissâ naturali figura in aliam vertitur, si suffusioni color cæruleus est, aut auro similis, si laborat, & hac atque illac movetur, vix unquam succurritur. Ferè verò pejor est, quo ex graviore morbo, majoribusque capitis doloribus, vel ictu vehementiore orta est. Neque idonea curationi, si senilis ætas est: at ne puerilis quidem, sed inter hæc media ætas.

Mercurialis scribit Celsum hîc sibi contradicere, dum inquit suffusiones coloris cærulei esse insanabiles, aquæ autem marinæ similes curari posse: quia, dicit Mercurialis, color cæruleus & aquę marinæ idem est. Quod

contra

contra oculorum est sensum ? cæruleus enim cæli est color, aqua marina viret. Voluit verò vir is Celsum cum Paulo conciliare, qui ponit suffusionem coloris cærulei inter sanabiles. At non multùm in eo laborandum puto. Scripsit enim quisque, prout vel ipsemet observavit, vel ab aliis accepit: jam autem quædam unus aliquis observasse potuit, quod alteri non licuit. Itaque hic nihil usquequaque vel semper verum esse reor, cùm res hæc non tam rationi quàm experientiæ innitatur: inde plerique auctores hîc sibi invicem repugnant.

Curatio. In principio dum imagines conspiciuntur, vel aliquo modo incipit visus obtenebrari, ac pupilla offuscari, curari quidem potest hæc affectio, tum universi corporis evacuatione, tum localibus remediis, quæ possint materias jam in oculo existentes digerere & dissipare. At verò cùm concrescere & indurari incepit, tum, ut *lib.* 4. *de comp. med. sec. loc. cap.* 4. testatur Galenus, quamvis multa remedia & varia medicamenta in auctorum libris descripta reperiantur, quæ multa polliceri videntur: tamen cùm deinde ad opus & experientiam devenimus, aut nihil aut omninò parum eorum, quæ ipsi polliciti sunt, præstari experimur. Quare si in his aliqua curationis est spes, ea in hoc in primis ponenda est, ut statim inter prima initia occurramus, antequam concrescat humor. Occurritur autem evacuationibus frequentibus tam totius corporis, quàm capitis. Tum adhibenda, quæ oculos roborare possunt. Inter quæ fœniculum omnes tam intra quàm extra commendant. Præterea herba, quam eufrasiam vocant, tam in cibo quàm medicamentis magnopere laudatur: item ruta, verbena, betonica, chelidonia, quarum usus in decoctis, infusionibus, syrupis esse potest. Electuarium præstans describit Saxonia, quo se multos à phantasmatibus & incipientibus suffusionibus curasse & præservasse ait.

℞. Siler. montan. eufras. fœnic. anisi, hyssop. puleg. chelidon. rutæ exsicc. & pulveris. ana drachm. ij. beton. levistic. ana semunc. cardamom. zingib. piper. cinamom. cumini ana semidrachm. mellis q. s. Fiat. elect. Dosis est à drachma una ad duas summo mane, & vesperi in ingressu lecti.

Quod ad capitis evacuationem attinet, id hîc non ita tutò per nares purgatur, sed magis gargarismata probantur, & quæ commansa pituitam detrahunt. Sed & maximè hîc procurandum est, ut revellatur, & aliò convertatur fluxio materierum ad oculos confluentium. Quod fit per cucurbitulas sæpius cervici & scapulis appositas: item per vesicatoria ibidem applicata ac sæpius repetita. Nam etsi recisâ cuticulâ loco excoriato brassica cum copioso butyro imponatur, tamen invitis his medicamentis sæpè fit consolidatio; unde rursus repetito vesicatorio locus est excoriandus. Quòd si minùs placeat, setaceum cervici infigendum, quod valde potens est remedium revulsorium. Inter derivatoria potens est vesicatorium applicatum ponè aures sub infimam auriculam: eâ enim parte in multis excurrit ramus quidam venæ jugularis in nervos opticos.

Si turbatus videatur oculus, ut jam aliquid sit in eo receptum, collyriis etiam erit agendum quæ digerant & discutiant, & simul roborent oculum, qualia sunt in primis confecta ex succo fœniculi, addito felle capræ vel galli. vel lucii piscis, atque melle optimo & myrrhâ. Ante quorum usum expedit, ut fiat fotus ex aqua dulci calida, vel decocto fœni Græci. Internum remedium discutiens probatissimum est decoctum salsæ parillæ hoc modo confectum.

℞. Aq. chelidon. eufras. fœniculi ana lib. III. salsæ parillæ unc. VI. Macerentur per hor. XII: deinde bulliant ad consumtionem medietatis: in fine ebullitionis adde sem. fœniculi, sem. rutæ ana semunciam. Colatura detur usui. Dosis mane & vesperi unciæ octo: curaturque ut secundùm morem æger sudet: atque interim utatur solo pane cum fœniculo, & carnibus avium assatis. Experiemini post purgationes, inquit Mercurialis, si hoc decocto utamini per 20. vel 25. dies, quòd suffusiones dissipabuntur; & si non dissipentur, non alia est spes, nisi in depositione; præsertim si topica efficacia simul cum illo decocto adhibeantur. Qualia sunt, quæ jam propono.

Ovum recens sub cineribus coquitur ad duritiem: medium dividitur, & exemto vitello pulvere vitrioli albi, aut viridis æris admixto saccharo impletur: ambabus partibus arctissimè colligatis maceratur in aqua rosacea aut eufrasiæ per dies quatuor: expressione factâ fit collyrium, cujus præstantiam experientia confirmat.

Aliud collyrium, quod Spigelius nobis aiebat inter omnia esse potentissimum:

℞. Aq. satureiæ, eufrasiæ, fœniculi ana unc. ij. fellis leporini vel caprini unciam, æris usti loti in aq. com. sesquidrachm. gummi tragacanth. myrrhæ ana drachm. Misc. F. collyrium quod potest dilui cum aqua chelidoniæ, cui guttulæ aliquot aquæ vitæ sunt admixtæ. Debet autem medicamentum id coqui in vase operto; ac deinde ab igne semotum in phiala bene clausa in fumo suspendi ad usum. Convenit verò fieri instrumentum vitreum aut argenteum excavatum ovale in modum cymbæ adaptatum oculo; & super ipsum sæpius id illâ aquâ plenum detinebitur: sic enim aqua non diffluet, adeoque potentius in oculum aget, quia diutiùs ei inhærebit.

Hanc etiam aquam subscriptam cuidam visum restituisse aiunt, qui eum obfuscatum habuerat plures menses.

℞. Croci metallor. drachm. aq. chelidon. unc. v. Misce. Hujus tepidæ tres vel quatuor guttæ homine resupino intra oculos funduntur ter vel quater in die: sine morsu valentissimè abstergit, estque secretum. Fit autem crocus metallorum ita:

℞. Antimon. crudi, salis nitri purgati ana part. æq. redigantur in pulverem, & misc. in testa figulina; & applicetur ignis: accenditur flamma in sale nitro, quæ comburit antimonium; atque hoc dicitur crocus metallorum. Id igitur ita combustum teritur in pulverem, ac lavatur aquâ communi sæpius, atque exsiccatur ad usum.

In aliis ex fœce olei & agrestæ succo unguentum factum sine morsu & periculo hunc affectum sanavit, teste Gesnero *lib.* 3. *Epist.*

Doctissimo Montano in suffusione incipiente hoc collyrium erat familiare.

℞. Fœni Græci sesquiunc. rad. althææ unc. ij. mundentur diligenter & coquantur in aq. com. Factâ diligenti expressione.

℞. Aloës optim. pulveris. scrup. IV. bulliant omnia simul ad spissitudinem mellis liquidi: quod reservetur in vase vitreo bene obturato. Usurpatum si dolorem excitet, signum est non bene factum esse collyrium.

Aqua præstantissima ad deponendas ungulas, suffusiones, & clarificandum visum mirabilis:

℞. Aq. rosac. fœniculi, chelidon. eufras. apii ana unc. ij. Mercurii sublimati ac tenuissimè pulverisati semiscrup. cùm ille solutus fuerit, aquam filtra & serva. Quotidie mane jejuno ventriculo gutta una vel altera in oculum affectum immittitur.

Pulvis oculis hebetibus conducens, maculas tollens, nubeculas detergens, aquam eò defluentem absumens, visum acuens, claritatem faciens, sanitatem oculorum conservans:

R. Sacch. cand. alb. tutiæ præp. ana. dracm. ij. Margarat. præpar. sarcocoll, ana semidrachmam, fabar. marin. præpar. scrup. Misce, F. pul. subtil. Hujus portio ex canaliculo pennæ mane & vesperi in oculos insuffletur, vel collyriis misceatur.

Col-

Collyrium fubalbidum miræ virtutis contra amblyopiam, amaurofin, fuffufionem, auctore Mynficht:

℞. Aquæ ophthalmicæ de cancris femunciam, aquæ eufraf. fœniculi ana drachm. ij. trochif. & pulver. ophthalmici Mynficht. ana fcrup. Mifce, F. collyr. Guttatim in oculos inftillatur, nullum infert dolorem.

Hoc unguentum fpatio 30. dierum fuffufionem in puero difcuffit.

℞. Ung. rofac. pinguedin. porcin. in capfula æris rubri viginti dies retentæ ana unciam, fellis paffer. accipitris ana drachm. Mifce, F. Ung. Oculus extra & intus cum pluma mane & vefpere blandè ungitur.

Decoctum ad nubeculam omnem & fuffufionem confirmatam difcutiendam:

℞: Vini malvatici lib. 3. gran. tritic. fem. fœniculi ana femimanipul. cinamom. elect. confract. drach. ij. Cariophyllorum contuf. fcrup. 4. fol. rutæ, cimarum lauri ana femipugill. Infunde per diem naturalem: deinde coq. lentiffimo igne ad confumt. quintæ partis: Colaturæ adde tutiæ præparat. drachm. ij. Servetur in æneo vafe ad ufum: cùm autem uti vis, decoctum agita & tu ba.

Interim dum hæc ufitantur, ægri utantur attenuante victu. Et valde convenit, ut femper à cibo cochlear hujus trageæ feu pulveris fumant:

℞. Sem. fœniculi, anifi, carvi, ameos ana fefquidrachm. filer. montan. fcrup. ij. eufraf. drachm. ij. Macis, cinamom. caryophyll. nuc. mofch. ana drachm. facch. optim. ad pond. omnium. F. pul.

Fernelius pro curatione fuffufionis ita corpus totum & caput purgabat. Primò victum ficcantem & attenuantem imperabat, quo neque humidioribus vel forbitionibus, neque liquidis, fed affis dumtaxat & ficcis æger vefcatur, hifque fatis tenuiter, & quantum fat videbitur ad virium confervationem. Vino interdicebat dies viginti aut triginta: & loco potûs præbebat ligni fancti decoctum nullius alterius rei permiftione apparatum; confulens, ut altero validiore & acriore decocto horâ quintâ matutinâ, & quartâ pomeridianâ & toto corpore, maximeque ex capite fudor eliceretur. Tertiò aut quartò die hujus victus, cùm jam humores exagitati apparebant, purgationem adhibebat per pilulas lucis majores, & pilulas fine quibus, aut per alias, quas laborantis naturæ putabat accommodatiores. Eas octavo aut decimo quoque die repetebat, neque illo die fudores promovebat. Diebus interjectis alvum fortè duriorem emolliebat clyftere. Quotidie mane, potiffimùm fub finem fudoris, deraso capiti imponebat facculos ex milio, fale, fem. anifi, fœniculi & baccis lauri torrefactis; quos ægrum in lecto decumbentem calidiffimos perferre volebat horam circiter dimidiam, ut eorum operâ lentus humor foras proliceretur, & cerebrum roboraretur. Ad quod præftandum efficaciores dicebat effe facculos, quàm vel emplaftra, vel finapifmos quantumvis calidos. Sublato facculo caput muniendum eft ftupis ficcis, quæ fuffientur ftyrace, benjoin, caryophyllis, & horum fimilibus paulò ante utrumque paftum. Eodemque tempore pituita è capite detrahenda eft apophlegmatifmis, quales funt ex maftiche ac pyrethro manfis, vel gargarifmate ex accommodato decocto, in cujus libra una diffoluta fit drachma pyrethri pulverifati. Hic certè modus Fernelii præclarus eft, cum quo fi prædicta infignia collyria adhibeantur, & non curetur affectus, infanabilis eft judicandus.

Si denfa & concreta eft fuffufio, medicamentis non eft agendum, fed operâ Chirurgicâ, quæ operariis illis peculiaribus eft relinquenda. Defcribit autem operationem iftam eleganter & peritè Cornelius Celfus, atque inter recentiores Paræus. Videndum verò, ne curationi ifti manus admoveatur, fi tuffi æger laboret: fi enim acu introducta fupervenerit, perforationis periculum impendet; &, fi tunicula depreffa fuerit, ex concuffione vehementi dimota recurrit: item propter tuffim moto capite poffet acus alicubi impingere, & ita acies in perpetuum eripi, ut ait Celfus. Sternutamenta etiam tum temporis valde vitanda: quòd fi operatione perfectâ fternutamentum imminere æger perfenferit, fummis duobus digitis utroque majore oculi angulo dextrè compreffo id impediet; atque ita periculum recurfus materiæ fuffufæ, vel inflammationis in oculo evadet.

Confulunt Practici quidam non indocti nec pauci, fi tranfacto jam affectus hujus principio, curatione per medicamenta non fuccedente, ad Chirurgiam accedere fit conftitutum, nondumque ad eam craffitudinem redacta fit fuffufio, ut acu deprimi valeat, tum ut citiùs ad manuum actionem veniatur, confulunt, inquam incraffandam effe quàm primùm fuffufionem craffo victu ac medicamentis. Quod tamen confilium non placet doctiffimo Vallefio: & meritò. Enimverò non omnis fuffufio, cùm concrevit, acu curari poteft, fed ea tantùm quæ eft fine nervorum opticorum obftructione, & cæterorum oculatium humorum craffitie præternaturali. Ufus verò eorum tum alimentorum tum pharmacorum, quæ craffitudinem inducunt, timendum eft, ne, dum humorem fuffufum incraffat, viàs quoque fpirituum obturet, & humores oculi naturales reddat turbidiores. Nam non tantùm in humorem fuffufum vires fuas exercerent illa remedia, fed promifcuè etiam in humores naturales ac cæteras corporis partes.

In fuffufione per confenfum ventriculi Galenus mirificè laudat hieram, jactatque fe eâ folâ multos in Afia per literas Romam miffas curaffe. Singulis hebdomadibus femel aut bis datur ejus drachma una: fed pilulæ maftichinæ idem ferè præftant. Quotidie convenit fumere fefquiunciam oxymellis fcillitici vel mellis rofacei cum decocto fœniculi. Ad fummam, ea funt facienda, quæ cruditatem ftomachi tollunt, atque ipfum roborant; unde & illis cœna debet effe parcior. Vomitum etfi quidam probent in eo cafu, meliùs tamen omittitur, quia humores & vapores furfum protrudit; ita ut ex folo vomitu quidam in fuffufiones inciderint. In hac fpecie fuffufionis confert à cibo myrobalanos conditos fumere, vel confervam rofaceam, vel diacytonium, aliaque os ventriculi occludentia.

De Glaucomate.

Glaucoma eft humoris oculi in glaucum colorem mutatio. Dico, humoris oculi, in genere, & non cryftallini tantùm, ut alii definiunt; quia quicumque ex tribus humoribus glauco colore inficietur, ea fymptomata orientur, quæ ipfi à cryftallino glaucitate imbuto proficifci volunt.

Glaucus autem color eft, qui admiftum virori habet alborem quemdam. Aliter dicitur Cæfius: vifiturque in felium & noctuarum oculis: à quibus noctuis color glaucus nomen fumfit; noctua enim Græce dicitur γλαυξ.

Fernelius de fuo addit, glaucoma etiam effe cryftallini humoris in fufcum colorem mutationem; contra aliorum auctoritatem, & fine ratione.

Veteres Græci glaucoma pro fpecie fuffufionis habuerunt: non abfurdè: nam idem facit ac fuffufio: &, fi humoris aquei incraffatio atque addenfatio ad fuffufionem referatur, cur non ejufdem in alienum colorem mutatio? Quod forfan confiderans Galenus *comm. in aphorif. fect.* 3. dixit glaucomata fpeciem quamdam & ideam fuffufionum habere.

Caufæ. Mercurialis *lib.* 1. *Pract. cap.* 29. glaucoma ex fententia Galeni dicit oriri ob multitudinem humoris cryftallini. Cùm autem videret Galenum *lib.* 10. *de ufu part. cap.* 6. fcribere, ex ficcitate & nimia condenfatione humoris cryftallini oriri glaucofin, idem tradi ab Aetio: inquit ipfe, aliud effe glaucoma, aliud glaucofin;

&

& hanc quidem à ſiccitate oriri poſſe, illud minimè. Sed hoc contra Græcorum omnium auctoritatem, qui glaucoma & glaucoſin non diſtinguunt.

Galenus *cap.* 27. *Art. medic.* glaucum oculum fieri dicit, vel propter magnitudinem, vel propter ſplendorem humoris cryſtallini, vel propter ſitum prominentem, aut propter tenuis & aquei humoris, qui in pupilla exiſtit, paucitatem & puritatem. Atque omnibus quidem in unum convenientibus fit glauciſſimus oculus: quòd ſi aliqua adſint, aliqua verò non, tùnc major aut minor glaucedo contrahitur. Hęc de glaucedine ſcribit, quæ non eſt morboſus, ſed naturalis affectus. Unde tamen poſſet quis ita colligere: cùm illa ſecundùm naturam ſe habentia ſint cauſæ naturalis glaucedinis, ſi modum naturæ excedant, futuras eſſe cauſas glaucedinis præter naturam ſeu glaucomatis; adeoque compertas haberi jam cauſas glaucedinis morboſę. Sed verò, qui id ſibi perſuadet toto aberrat cælo. Nam neque illæ ſunt cauſæ glaucedinis naturalis; neque qui cauſas glaucedinis naturalis tenet, continuò & glaucomatis cauſas noſcit. Et primùm cauſæ glaucedinis naturalis illę à Galeno adductæ non ſunt, quia ſi ab humoribus ſic glaucedo oriretur, glaucus potiſſimùm videretur oculus in ipſo ſpatio pupillæ; atque hoc non eſt ita: ſed denominatur ac videtur glaucus oculus in eo tantùm ſpatio, quod occupat externa & apparens uveæ ſuperficies: unde à colore hujus ſuperficiei petenda eſt cauſa colorationis oculi; & quando illa eſt glauca, oculus dicitur glaucus, uti pluribus evidentibus rationibus probavimus *lib.* 1. *cap.* 12.

Itaque jam conſtat quoque, cur cauſæ glaucedinis naturalis modum excedentes non ſint cauſę glaucomatis. Nam glaucedo naturalis in tunica uvea tantùm reſidet, in ejuſque convexâ ſolùm ſuperficie apparet, pupillâ nigrâ & limpidâ exiſtente: at in glaucomate ipſamet pupilla glauco colore infecta eſt; hoc enim neceſſarium eſt, ut viſio lędatur: nam in uveę parte extima hęrens color non lędit viſionem.

Quæ igitur, inquies, glaucomatis ſtatuenda cauſa? Omnes eam ex Galeno *lib.* 10. *de uſu part. cap.* 6. dicunt exſiccationem & condenſationem cryſtallini eſſe. Ego verò res diaphanas, qualis eſt cryſtallinus, per exſiccationem & condenſationem albas quidem fieri ſcio, velùti aquam ex condenſato vapore; glaciem ex condenſata aqua, nivem ex condenſata nebula: ſed verò glaucas inde fieri necdum ſcio, niſi illius coloris principia & cauſas ante condenſationem in ſe habuerint. Et porrò quod per meram exſiccationem cryſtallinus non evadat glaucus; oculi excocti docere poſſunt, è quibus ſi eximas cryſtallinum, ſiccum eum, imò durum invenies, at non glaucum, ſed merè album. Prętereà ſi à ſiccitate glaucoma oritur, & ob eam in ſenectute multis accidit, cur in hecticis non ſemper fit? Cur non in oculi atrophia ſeu imminutione?

Quapropter exiſtimo, glaucoma oriri vel ab humore viridi humoribus oculi commiſto, eorumque alborem ſeu pelluciditatem nonnihil opacante; vel ex certa lucidi & opaci proportione; quę nobis ignota eſt. Ad qualitates autem aliquas primas, harumque varias commixtiones nullo modo vel hunc vel alium quemvis colorem poſſe referri cenſeo, quia quilibet color cum qualibet ea qualitate nequit conſiſtere; ideoque glaucoma ſæpè oriri nullatenus exſiccato vel condenſato humore.

Signa. Glaucoma oculis cognoſcitur: nam pupilla colorem repræſentat glaucum, id eſt ex virore & albore miſtum. Si tamen humor vitreus glaucedine ſolus infectus eſſet, id extrinſecùs noſci per viſum adſtantis non poſſet.

Practici paſſim dicunt, ægros in glaucomate videre quaſi per nebulas & fumum. Quod quidem verum eſt; at id glaucomati non eſt proprium, verùm etiam convenit ſuffuſioni. Sed neque omni glaucomati convenit; tantùm quippe incipienti eſt peculiare. Confirmatum glaucoma planè tollit viſum.

Porrò quando tale eſt glaucoma, ut alborem vincat viror, nec penitùs humori adempta ſit pelluciditas, tum obſcura fit viſio, & externa omnia videntur quaſi viridia, periṅde ac ſi per craſſum glaucum ſeu ſubviride videret: atque iſta viſio dicitur Græcè *Parorasis*, id eſt hallucinatio, qualis etiam fit, dum cornea alieno colore imbuta eſt. At verò non fit, niſi in principio glaucomatis, procedente enim affectu tollitur pelluciditas humoris, & ſimul viſus.

Mercurialis ſigna glaucomatis vel jam facti vel incipientis eſſe ſcribit, ſi circa pupillam inſignis ac profundus appareat albor, cum quo eveniat, ut vel lux non videatur, vel omnia tanquam per fumum conſpiciantur. Verùm iſta ſigna non tam ſunt glaucomatis, quàm hypochymatis ſeu ſuffuſionis. Niſi cum veteribus glaucoma & ſuffuſionem idem morbi genus ſtatuat.

Plerique inſanabile glaucoma eſſe ſcribunt. Quod tamen non uſquequaque certum eſſe cenſendum eſt. Nam ſi ab alieno humore offuſo glaucoma oriatur, curari poterit æque ac ſuffuſio. Scitur autem id, ſi fluxio pręceſſerit, ac ſubitò factum ſit glaucoma.

Scriptores multi glaucoma fieri dicunt ab effuſo humore aqueo, atque ita à ſiccitate; quod etiam aliquando curari aiunt in pueris, regenerato humore aqueo. Sed reverà illud non eſt glaucoma: nam elapſo humore aqueo cornea corrugatur & in ſe concidit; corrugata autem cornea albicat nonnihil, quaſique tendit ad glaucedinem: ſic ut iſta glaucedo in cornea tunica ſit, non in humoribus, in quibus tamen propriè dictum glaucoma conſiſtere traditur.

Curatio. Omne glaucoma inſanabile eſt ex Auctorum ſententia: nulla ergò curatio hîc adhibenda.

Excipiebamus illud glaucomatis genus, quod ab affluxu humoris fit: quòd in principio curari poſſe putamus illis remediis iiſdem, quæ capite ſuperiore adverſùs ſuffuſionem valere dicta ſunt, tam generalia quàm particularia, quæ nihil opus jam repetere.

De Nyctalopiaſi.

Nyctalopiaſis, Nyctalopia ſeu Nyctalops quid ſit, non convenit inter Auctores. Aëtius enim, Actuarius & Paulus affectum eſſe dicunt, in quo interdiu quis videt, ſed noctu aut veſperi nihil. Unde & Nocturna cęcitudo à recentioribus appellatur.

Contrà Hippocrates *lib.* 2. *Prorrhet.* affectum hunc dicit eſſe, in quo noctu meliùs çernitur, interdiu verò deteriùs. Quam nyctalopis notionem etiam agnovit Aëtius; addens id vitium admodum rarum eſſe. Et ſanè ipſamet ratio nominis etymologica indicat illud eſſe, quod dicit Hippocrates: nyctalops quippe idem eſt ac nocturnus oculus.

Alii ut ſuam ſignificationem tueantur dicunt derivari vocem Nyctalops ἀπὸ τῆς νυκτὸς ἀλαὸς, id eſt noctu cæcus: λάειν enim videre eſt. Sed ſi inde deducatur, debuiſſet dici Nyctalaos, non Nyctalops.

Altera adhuc abſurdior meo judicio datur origo huic vocabulo Nyctalops ab ἀλώπηξ, quod vulpem ſonat. Nam per hanc derivationem confirmatur, quod Nyctalops ſignificet id, quod Hippocrates ſcripſit: vulpem quippe diurno tempore videre non poſſe docent; noctu verò cernere; quod ipſum Hippocrati eſt eſſe nyctalopem.

Nos de utraque nyctalopia agemus hîc, id eſt tam de Hippocratica ſeu de diurna cęcitudine, quàm aliorum ſeu cæcitudine nocturna. Et inter animalia quidem pleraque, tum interdiu tum noctu vident: quędam noctu tantùm, non interdiu, ut veſpertiliones. Sed nullum eſt, quod ſciam, cui à natura tributum ſit interdiu videre, non noctu, quod nyctalopibus accidit in ea ſignificatione acceptis.

Aliqui

Aliqui nyctalopiam seu nocturnam cæcitudinem Latinè posse dici putant vespertinam aciem, seducti quodam loco Plinii *lib.* 8. *cap.*50. ubi scribit, jecur caprinum vespertinam aciem restituere his, quos nyctalopas vocant. Sed id valde insulsè inde hauriunt, nam planè contrarium ibi dicitur: vult restitui vespertinam aciem nyctalopibus tamquam contrariam nyctalopiæ, adeoque hæc eo nomine appellari non potest. Diurna igitur cæcitudo meliùs vespertina acies nominetur: quod & à quibusdam fieri auctor est Hollerius cap. de debil. vis.

Causa. Propositorum affectuum, id est tum nocturnæ tum diurnæ cęcitudinis causam esse omnes referunt constitutionem spiritus visorii: qui si copiosus sit, sed humidus & crassus, & obscurus, tunc nocturnæ cæcitatis est causa, quia multo lumine eget ad sui illustrationem: si igneus sit & subtilis, diurnæ cæcitatis est causa, quia diurno lumine dissipatur, nocturno colligitur, inquiunt. Hi quia supponunt visionem fieri per emissionem spirituum illorum ex oculis, non merentur assensum: nam sententiæ illius falsitas demonstrari potest.

Ergò aliæ sunt reddendę causę dictarum affectionum. Illæ autem, etsi varię esse possunt, generaliter binario numero comprehendi queunt; dicendo, quòd causa immediata & adęquata nocturnæ cęcitudinis sit requisitio multi luminis ad visionem, cum hoc, quòd possit oculus ipsum multum lumen tolerare. Contrà quòd causa immediata & adæquata diurnæ cęcitudinis sit requisitio pauci luminis ad visionem, cum hoc, quòd oculus non possit multum lumen tolerare.

At jam ultra inquirendum specialiùs est, quid illud sit, cur oculus aliquis multum lumen requirat ad videndum, & cur alius requirat lumen paucum. In primis crassities & impuritas tunicę corneæ cęterorumque oculi humorum est causa, cur non nisi de die & in magno lumine videatur. Nam sicuti per densum & obscurum aërem videri non quit, nisi valde illuminetur: neque item per crassa vitra res foris positæ, nisi valde illustratę: ita facultas visiva objecta sua percipere non potest per tunicam corneam & humores crassos, qui medium sunt, quod species transeunt, nisi illa objecta & oculus intensè irradientur. Si contrà se habeant humores & cornea tunica, id est, nimis tenuis hęc sit, illique nimis rari & limpidi, causę sunt cęcitatis diurnę. Quod si ad priorem causam accedat pupillæ nonnaturalis coarctatio, jam efficacior fiet nocturnæ cęcitatis causa. Sicuti ad diurnam cęcitatem valde juvat, si pupilla nimium hiet, veluti perspicue explicatum est c. de dilat. & constrict. pup. Unde causa procatarctica nocturnę cæcitatis potest esse nimius adspectus Solis & rerum albarum, uti accidit iter agentibus per loca nivosa: nam hæ causæ pupillę constrictionem efficiunt nimiam. Ita è converso longa mora in tenebroso carcere potest esse causa cæcitatis diurnę, quia nimium dilatatur inde pupilla.

Quod ad oculi externam constitutionem attinet: eminentes & glauci oculi magis ad diurnam hebetudinem proni sunt; reconditi & nigri contra ad nocturnam. Ratio patet, quia illos qualecumque lumen satis afficit, hos non. Præterea qui defluxionibus & inflammationibus oculorum laborant, diurnam lucem non ferunt, adeoque & illi diurna cæcitudine laborare dici possunt.

Porrò animadverti volo, ex pupillæ strictura magis proprie nocturnam cæcitatem oriri, quàm ex tunicarum humorumque crassitie & opacitate; quia in nyctalopia seu cęcitudine nocturna vespere ęgri non vident, sic tamen, ut de die sat rectè cernant: at qui crassas tunicas humoresque sortiti sunt, ne quidem de die res probè intuentur.

Animadvertendum insuper, eos, quibus oculi suffusi sunt, in magno lumine rectà oculos eorum feriente videre non posse. Cujus tamen contrarium ex dictis elici posse videtur: nam cùm incrassatos habeant oculorum humores, magnum lumen benè videntur ferre posse. Sed ratio est, quia humore medium pupillę obsidente species rerum è directò stantium non possunt rectà oculum intrare & retiformi adlabi: unde non vivida fit, sed maligna pictura, quę non movet efficaciter visum; adeoque lumen quoque cum ipsis in oculos admissum diluit illam picturam, atque ad se visum totum rapit.

Signa. Nyctalops ex narratione ægri facilè cognoscitur: conqueritur enim ęger ipse vel de die se tantùm videre, & non vesperi, vel contrà vesperi tantùm atque in obscuro aëre, non de die.

Signa quoque causarum visu comprehendi possunt. Nam tunicarum crassities humorumque impuritas extrinsecùs quodammodò adverti potest; oculus non clarus & limpidus, sed obscurus & turbidus apparet. Quòd si pupillæ constitutio causa sit, hęc facillimè etiam visu persentitur.

Notandum Celsi dictum *lib.* 6. *cap.* 6. inquientis, nocturnam cæcitudinem seu imbecillitatem oculorum, ut ipse vocat, in fęminam benè respondentibus menstruis non cadere. Idem Hippocrates scripsit *lib.* 2. *Prorrhet.* Mercurialis rationem reddere conatus ita disserit: Ubi fluunt menses mulieribus, spiritus ipsis depurantur, ubi verò non fluunt menses, visorii spiritus ita crassescunt & obscurantur, ut necessariò vis visoria infirma sit. Sed perperam hæc dicta sunt, & planè contra mentem Hippocratis. Nam per illam suam rationem, quamquam absurdam, probat, istas mulieres, quibus fluunt menses, non esse obnoxias nocturnę cæcitudini. Hippocrates autem vult, eas non esse obnoxias cæcitudini diurnæ; hæc enim vocatur Hippocrati nyctalops, uti antè est monitum. Unde & Celsus non rectè Hippocratis sententiam nocturnæ cæcitati accommodat. Recitemus ipsamet Hippocratis verba: Qui nocte vident, quos nyctalopas vocamus, hi morbo corripiuntur juvenes, aut pueri, aut etiam adolescentes: & liberantur sua sponte, aliqui in 40. diebus, aliqui septimo mense; quibusdam verò & per totum annum permansit. Quapropter de tempore conjectare oportet, ita ut & ad morbi robur, & ad ægri ætatem respicias. Abscessus autem his prosunt insuper apparentes, & ad infernas partes fluentes; verùm non valde accedunt propter juventutem. At mulieres non corripiuntur hoc morbo, neque virgines, quibus menses comparent. Quibus autem lacrymarum fluxiones diuturnæ fuerint, & hi nyctalopes fiunt: eas interrogare oportet, an caput doluerint, antea quàm hæc revelarunt. Ratio ergò, quòd mulieres & virgines, quibus menses comparent, fiant nyctalopes, hæc videtur esse: quia quibus non comparent, hæ inflammationibus, doloribus & defluxionibus oculorum obnoxiæ sunt, ob raptum menstruæ materiæ sursum: at tales oculi diurnam lucem non ferentes de die cæci quasi sunt.

Curatio. Nyctalopia à pupillę constitutione præter naturam orta curatur, pupillâ reductâ ad naturalem suum positum: de quo cùm egerimus capite speciali, quod est de dilatatione & constrictione pupillę, non est, quod hìc iterum repetamus.

Superest, ut hìc alteram tantùm nocturnę cęcitudinis causam respiciamus, crassitiem scilicet tunicarum oculi & humorum: ad quam etiam pleraque valent, quę adversùs albuginem & suffusionem prodesse memorata sunt. Nam in principio, si ferant vires, secanda est vena cephalica: prębendum purgans, affigendę collo cucurbitulę, & quandoque setaceum.

Quod ad localia attinet, omnes veteres hìc probant jecur caprinum, eo quod dicantur caprę non minùs noctu

noctu cernere, quàm interdiu. Dant autem jecur assum, & cum sale comedendum: saniε, quæ inde effluit, dum assatur, oculos illinunt, maximè inserto ei hinc inde dissecto pulvere piperis longi, aut vaporem elixi jecoris oculis excipi jubent. Quod tamen remedium, si ex qualitatibus manifestis æstimemus, non valde hîc juvabit, imò nocebit: nam jecur caprinum fœculentum ac crassum sanguinem generat, ideoque humores oculi magis incrassabit; nisi conditum fuerit aromatibus, & ita comedatur. Nihilominus tribuendum aliquid veterum auctoritatibus; propptereaque dicendum, non tam manifestis qualitatibus aget hic jecur caprinum, quàm occultâ proprietate. Ita & eufrasia speciali proprietate oculos juvat quomodocumque sumta. In proposito autem casu vinum ejus probarim potiùs, quàm conservam, vel conditum, vel pulverem; magis enim id penetrat & incidit. Parari potest hoc modo:

℞. Rad. elenii unc. iv. eufras. manip. iv. sem. fœnicul. siler. montan. ana unc. ij. suspendantur in hydromelite recens cocto vel cerevisia, donec deferbuerit. De hoc capiat æger singulis diebus mane vel in prandio haustum.

Vel ita facito, ℞. Herb. eufras. manip. ij. sem. fœniculi semunc. cinamom. drachm. iij. concisa ligentur in nodulo, qui suspendatur in vini Rhenani poculis ij. Ante quorum sumtionem si eufrasiæ conserva edatur, utile valde erit. Collyrium specialiter quoque hîc conferens est hoc.

℞. Succi fœniculi cocti & depurati drachm. ij. mellis, fellis caprini ana drachmam. Misc.

De Myopiasi.

Myopiasis seu Myopia est visûs debilitas, quâ qui laborant non nisi admota oculis cernunt. Dicuntur illi Græcis Myopes, quasi μύοντες ὦπας, id est conniventes seu claudentes oculos; solent enim isti palpebris constrictis videre. Latinè vocantur Lusciosi, & Luscitosi, & Nusciriosi: vitium ipsum Luscitio à quibusdam. Quamquam alii lusciosos interpretentur esse nyctalopas: imò & myopes eosdem esse velint ac nyctalopes; hoc tantùm discrimine, quòd myopes ex Aëtio & Paulo tales sint à principio sui ortus, nyctalopes postea facti tales sint à morbo. Sunt & qui myopiam opponant nyctalopiæ.

Sed nos hisce notionum ambiguitatibus dimissis, myopes solùm vocamus illos, qui proxima quidem vident, remota verò non vident, sive id ab ortu primo habeant, sive postea à morbo. Aliqui practici vocant ipsos luscos, malè. Nam lusci sunt, qui altero oculo carent.

Myopiæ contrarium vitium est senilis visus: siquidem senes admota non videntes, longè reducta vident. De qua affectione hîc etiam agemus, quia contrariorum eadem est disciplina.

Causa. Libro quarto problem. 39. Philosophorum & Medicorum, tum veterum tum recentiorum magis celebrium de causis hujus affectionis sententias produximus & profligavimus, propriamque in medium attulimus, cujus hoc est breviarium.

Myopiæ causa est remotior situs retiformis tunicæ ab humore crystallino: quam ob rem fit, ut conus specierum ab objectis visibilibus remotis emissarum non attingat dictam illam tunicam, sed citra eamdem formetur iste conus seu concursus specierum. Unde necessariò qui ita constituti sunt, vident objecta remota confusè: nam distincta visio fit tantùm ibi, ubi radii specierum visibilium coëunt. Contrà senilis visus causa est nimia admotio seu propinquitas retiformis tunicæ ad crystallinum: cujus ratione fit, ut species à propinquis objectis productæ ultra tunicam retiformem coëant, adeoque nec distinctè videri possint: à remotis autem objectis emissæ, citoque coëuntes in ipsamet tunica faciant conum. Talis autem situs tunicæ retiformis & crystallini plerumque obtingit à natura: aliquando tamen & postea acquiritur; ut qui vitam sedentariam agunt intra parietes, vel subtilibus aliquibus opificiis incumbentes victum quæritant: hi cùm ferme continenter oculos rebus illis affixos habeant, assuefaciunt & firmant tunicam in eo situ, ut postea ad remota videnda oculus penè sit ineptus. Contrà est in illis, qui in venationibus, aucupiis, navigationibus, itineribus perpetui sunt: hi enim ad remota tantùm visu percipienda oculum assuefaciunt & aptant.

Altera myopiæ causa est crassities & turbiditas humorum ocularium, ob quam fit, ut species à longinquis rebus profluentes illic quasi immoriantur, neque possint retiformem tunicam attingere, ut ibidem pictura exhibeatur.

Cur porrò myopes, ut acutiùs videant, palpebras contrahere soleant & nictare: item cur minusculas literas consuerint scribere, eodem libro explicavimus, prius *problem.* 41. posterius *problem.* 42.

Signa. Myopiam suam æger quisque declarare potest. An verò is affectus à tunicæ tantùm retinæ situ oriatur, an ab humorum crassitie, signis opus est. Si ergò oculi planè appareant limpidi, puri & fulgentes, indicium est, quòd à retiformis tunicæ situ vitium veniat; ad quod si accedat, quòd perspicillis juventur concavis, jam certi reddimur, ob illam causam evenire malum. Contrà si à crassitudine & turbiditate humorum proficiscatur, ea visu extrinsecùs nosci potest: neque tales conspicillis juvantur, & ad propinqua etiam caligant; cùm alii ab altera dicta causa myopes propinqua distinctissimè & clarissimè videant.

Quod spectat ad prognosticum: quæ à situ retiformis oritur myopia, curari medicamentis non potest: ætate autem per se sensim corrigitur. Myopes enim, quò magis senescunt, eò longinquius vident, & ad extremum ferè senium sine perspiciliis. Ratio est, quia cùm myopia fiat ob remotionem retiformis tunicæ à crystallino, interposito videlicet nimis crasso corpore humoris vitrei, quando ob senium totum corpus siccescit, & consequenter etiam oculi humores, contrahitur in se humor vitreus, & minus spatium occupat, atque ita retiformis propiùs à crystallino abest.

Myopia verò à crassitie humorum medicamentis aliquando curari potest.

Curatio. Etsi myopiam ob situm retiformis tunicæ dixerimus esse insanabilem medicamentis, externis tamen adminiculis quibusdam emendari potest, perspiciliis nempè concavis, quibus fit, ut myopes remota objecta distinctè contueantur. Hoc autem quare ita fiat, perspicuè explicavimus *problem.* 40. Ad emendandum quoque visum myopum prodest sæpè vehi curru facie aversâ ab equis, sic tamen, ut per partem currûs posteriorem prospectare possint. Cujus rationem dedimus *problem.* 43.

In conturbatione autem & crassitie humorum eadem auxilia hîc prosunt, quæ in suffusione sunt indicata. Solent Medici præscribere myopibus densantia atq. constringentia, ut aquam rosaceam cum tutia; succum granatorum densatum, vel mistum pauxillo acaciæ, & illis oculos illinere: intus verò pro cibo præbere carnes crassioris succi, pro potu vinum rubrum. Quæ ita consulunt, ut spiritus visivi incrassentur, à quorum tenuitate putant oriri myopiasin. Sed valde falluntur: non enim à spiritibus vitiatis evenit illud malum, neque isti in visione ex oculo avolant, verùm evenit ex illis causis, quas diximus. Quòd si ergò causa posterior subsit, id est crassities & turbiditas humorum, quid damni prædicta constringentia & densantia medicamenta allatura sint, quilibet facilè videt.

De affectionibus spirituum visioni officientibus.

Nusquam Medici sunt disertiores, nusquam magis sibi consentientes; quàm in recensendis affectibus spirituum, qui visioni incommodant. Adducunt eorum impuritatem, obtrudunt crassitiem, tenuitatem, paucitatem atque inopiam, & si Diis placet, multitudinem quoque eorum ac copiam. Ad illos referunt myopiam, nyctalopiam: illis adscribunt senilem visum, aliasque in visu tum depravationes tum hallucinationes. Quæ omnia quàm absona sint & absurda, jam sæpiùs monuimus: & hîc quoque nonnihil videamus.

Spiritum lucidum, tenuem, paucum propinqua tantùm agnoscere dicunt, non remota. Qui verò remota tantùm cernunt, eos lucido; crasso, & multo abundare statuunt. Qui deinde lucido, crasso & pauco præditi sunt, eos nec propinqua nec remota videre. Denique obscuros spiritus visioni valde incommodos statuunt, eoque magis, quò crassiores fuerint. Hi videlicet supponunt, spiritum visivum ex oculis ad objecta projici, ut visio fiat; quam opinionem ubique damnavimus, ob multas ineptias, quibus has adtexe. Si spiritus emissio ad visionem exercendam sit necessaria, cùm ille corpus sit, adeoque in instanti moveri nequeat, sequetur, visionem in instanti non posse fieri: imò requiretur tempus valde magnum, quando nempe spiritus transire debet ad objectum longè distans, v. g. ad stellas. Cùm enim corpus sit, non potest per plenum transire nisi cum resistentia: jam verò visio fit in instanti. Accedit, quòd hic spiritus in tanta distantia & tam frequentibus adspectibus deberet omninò consumi, etsi esset copiosissimus. Præterea cùm transeat sæpè per loca valde intemperata, calida valde & ignea, per frigida item & glacialia, deberet sæpè corrumpi, atque ita visio impediri. Denique ex statu venti necesse esset visionem turbari, utpote spiritum perinde atque aërem auferentis.

Sed objiciunt: Sunt quidam qui ad objecta utcumque remota aliqualiter vident, continuando tamen nonnihil visionem, obscuratur hæc ipsis, & deniquè planè aboletur. Quòd si claudant paulisper oculos, iterum redit ipsis visus. Quod signum est, hosce paucis spiritibus donatos esse, qui ob continuatam nonnihil visionem dissipantur, ob clausionem autem oculorum iterum regenerantur. Ergò spiritus ex oculis videntibus emittuntur. Respond. ejus eventi causam minimè esse, quòd spiritus ex oculis evanescant, si enim tantilli solùm sint, ut modicâ tali visione evolent, quomodo ad astra extendi ipsi possint, quæ tamen tales satis rectè & diu vident? Causa ergo est, quòd vel nervi optici semi obstructione laborent, ratione cujus spiritus non abunde satis influunt in oculum, ut visio possit continuari: vel quod vapores humoresve impuri in oculo inter objectum & retiformem tunicam se interponant, qui tum potissimùm moventur, quando videt oculus, quia tum laborat ac movetur; clausus autem oculus quiescit, adeoque & illi subsident ac quiescunt. Hæc contra emissionem generaliter. Quæ si admittenda non est, reliquæ etiam eorum rationes myopiæ, nyctalopiæ & senilis visus corruunt.

Sed dato etiam spiritus ad visionem eliciendam ex oculis ad objecta volare; equidem adhuc dictæ rationes nihili sunt. Dicunt enim myopes spiritus subtiles & paucos habere; senes, qui eminus tantùm vident, habere crassos & copiosos, qui propterea ad visionem inepti sunt nisi longo spatio attenuentur. Ubi quæro ab hujus sententiæ patronis, cur, quando jam ob longinquorum intuitum spiritus illi attenuati sunt, non possint tales homines propinqua rectè videre converso mox ad hæc obtutu? Verùm & in assignando modo istius spirituum attenuationis errant: nam à multo lumine accedente à remotis objectis attenuari ipsos volunt. Atqui jam ponamus fieri visionem in medio obscuro, sic ut objectum dumtaxat in claritate consistat, ibi tunc spiritus crassus non attenuabitur, à lumine, quod non est, sed magis incrassabitur à medio obscuro & frigido, veluti si in hyeme & nocte obscurissima stellas intueantur senes. Adde quòd secundùm hanc sententiam melancholici omnes senilem visum sint habituri, vel etiam cæcutient planè, utpote quorum spiritus ex omnium confessione obscuri sint & crassi: multi tamen eorum sanè objecta tam propinqua quàm remota distinctè vident.

Nihilo melius in myopibus spirituum inopiam ponunt ad objecta remota non pervenire valentium. Quis enim credat in juvenibus & vegetis, quales sæpè myopes sunt, spiritus deficere? Et cur ergò tabidi morbisque consumti non sunt myopes? Sed quòd à spirituum paucitate non oriatur myopia, hoc mihi convincere videtur, quòd myopes juvenes, quò magis senescunt, magisque decrepiti fiunt, eò fiat melior eorum visus, id est, ad longinquiora protendatur, cùm tamen in ea ætate magis magisque spiritus diminuantur.

Audiamus modo, quid de nimia spirituum multitudine statuant, à quà minus damnum in visu subsequi volunt, quàm ab inopia; idque non sine argumentis in speciem validis. Nam membra sunt animæ instrumenta non minùs quàm spiritus: at membra tam aucta quàm diminuta lædunt actiones: ergò & spiritus. Præterea valde calida res est spiritus: hic igitur moderatus temperiem membri servabit, excedens autem calorem intendet. Denique jugis ille spirituum influxus, spiritum condensat non secus quàm aërem impulsio: coactus autem in se minùs deducit rerum imagines ad sensorium commune. Mercatus *lib.* 1. *de morb. curat. cap.* 20. sic illa solvit. Abundantiam spirituum duobus modis fieri; uno ex efficacia causæ generantis, altero ex defectu causæ distribuentis. Quo supposito ait, abundantiam spirituum ex efficacia & ubertate causæ generantis nullo modo posse visionem vel aliam spirituum actionem lædere. Abundantiam verò, quæ fit ob subitum aut intempestivum retrocessum, vel ob improsperam distributionem, posse lædere, uti fit in corde, oborto timore. Sed cùm in oculis, inquit, istud contingere non possit, nisi ex diutino somno, ex diuturna mora in opaco loco, fit, ut abundantia non lædat; aut id debiliter, & per breve admodum tempus. Ita dubius est hic vir, & nonnihil videtur accedere isti sententiæ, quæ statuit, ex abundantia spirituum visionem lædi posse, cui tamen neutiquam est adsentiendum. Nam ex diutino somno vel mora diuturna in loco obscuro nequaquam visio læditur ob spirituum abundantiam, sed quod tum pupilla valde dilatata, in loco claro statuatur non possit ferre copiosum lumen oculum ingrediens: vel, ut alii explicant, quod desueverit in tenebris distribui spiritus ad oculos; adeoque his accidat, quòd membris propter diuturnum otium marcescentibus.

Ad argumenta ergò respondetur: in primis membra aucta vel suis propriis actionibus officere, quia ob nimiam molem anima non possit ipsa regere, vel impedimento esse aliorum muneribus; quorum neuter modus in spiritum convenit, utpote qui numquam in tantam molem excrescere queat. *Ad alterum.* Auctus spiritus naturali suâ temperie præditus nullum intensiorem calorem communicabit: nam propterea calor magis in eo intensus non erit, sed tantùm extensus. *Ad tertium.* Spiritus non cogitur densari aut conculcari veluti aër propter sequentem inundationem: neque enim intercedit impetus vel impellens vel comprimens, à quo densetur. Si dicas, facultatem cerebri distributivam seu expulsivam perpetuò spiritus emittere ad organa: Respond. eam facultatem non plus emittere, quàm quantum ad actiones est satis.

Quid

Quid ergo? inquietis. An nullus spirituum ad visionem usus? Sanè non is, quem Medici sibi fingunt. Est tamen, & quidem magnus, nempè accipere impressionem specierum visibilium in retina factam; eamque impressionem offerre animę. Ita enim naturâ comparatum est, ut sine ope spirituum nihil efficiat anima, quandiu in corpore hoc est ergastula.

Itaque duplex tantùm agnosco spirituum vitium visionem lædens, defectum, & motum eorum circularem inordinatum. Ob defectum, prout is major est, debilitatur vel aufertur visio. Ob motum circularem omnia in gyrum verti videntur: ob inordinatas autem eorum intra oculum agitationes atque impetus, aliquibus noctu potissimùm luculæ quædam ac scintillulæ videntur; cuilibet percussis vel compressis oculis.

Sennertus addit spirituum impuritatem & crassitiem ob vapores crassos & turbidos eis commistos, unde fiat, ut muscæ, flocci, filamenta, similiaque ob oculos versari videantur, visioque fiat quasi per nebulam. At in hisce casibus illi vapores potiùs humoribus oculi admiscentur, quàm spiritibus. Ut enim dicti vapores lędant visionem eo modo, quo propositum est, debent commisceri medio visionis, quod humores oculi sunt, non item spiritus; utpote qui per retiformem tunicam sparsi impressionem specierum inibi factam recipiunt.

Causa. Causa defectûs spirituum est vel opticorum nervorum angustia, ratione cujus spiritus in oculum non influunt: vel, eâ angustiâ absente, aliqua cerebri aut cordis affectio in causa est, quòd spiritus ad oculos non mittantur, ut in syncope, leipothymia, cerebri compressione, obstructione &c. Ab aliis causis spiritum dissipantibus, ut nimio exercitio, inediâ, febribus ardentibus & hecticis, quas alii solent adferre non talis fit defectus, qui visioni noceat, nisi fortè ita excedant, ut omnem spiritum exhauriant. Sanè in extenuatis penè ad extremum, & vix membra movere potentibus visum utcumque constare observamus.

Quæ causa porrò sit alterius spirituum vitii, scilicet motus inordinati & circularis, explicatur tractatu de vertigine.

Signa. Mercurialis in sua Practica signum se invenisse gloriatur, quo cognoscitur, an læsa visio fiat ob vitia spirituum; an ob vitia humorum. Dicitque, quæ vitio spirituum fit læsio, hanc corrigi posse perspicillis; alteram minimè. At longè errat vir ille. Nam nullo modo spiritus immutantur à perspicillis, sed solùm species oculum ingredientes, eo quod vitrum permeantes magis aut minùs à perpendiculari linea, vel ad ipsam refringantur; atque ita vel propiùs conum faciant vel remotius.

Defectus spirituum an ob retrocessum eorumdem, an ob nervi optici angustiam sit, facilè distinguitur: retrocedentibus enim ad penitius cerebrum aut cor, non tantùm visus læditur, sed etiam cæteri omnes sensus: ob nervi optici angustiam solùm visus patitur, neque adest gravis aliqua cerebri vel cordis affectio, prout in altero casu.

Læsio visionis ex inordinato spirituum motu cognoscitur ex vertigine necessariò comitante. Ita ut nesciam, cur tanto molimine Sennertus *cap. de spir. optic. vit.* probet vertiginem à læsa hoc modo visione distingui. Uti enim clarum est, vertiginem à visione læsâ differre; illa quippe imaginatio læsa est; hæc sensio externa: ita certum quoque est, circularem istam visionem non posse contingere, nisi aprehendente ipsam imaginatione, atque ita est vertigo comitans. Sed, inquit, soli oculi possunt affici; cerebro ejusque spiritibus nihil patientibus. Resp. non posse: species enim illi circularis motus necessariò cerebri spiritibus communicatur.

Quod ad prognosin pertinet, Riolanus magnam dicit esse difficultatem in sananda visûs hebetudine; quia tot concurrant causæ immateriales (spiritus intelligit) in quas materialia Medicorum remedia nullum aut exiguum habent imperium. Quasi verò spiritus nostri materiæ sint expertes! Sunt sanè illi corpora ęquè atque ossa, etsi non tam densa: adeoque materialibus seu corporeis remediis subsunt, imò magis citiusque quàm alia corpora ab iis alterantur, propter raritatem substantię.

Curatio. Memorata spirituum vitia curantur, curatis iis affectibus, quos sequuntur. Retrocessio enim eorum ob syncopen vel leipothymiam, & impeditio influxûs ob compressionem vel percussionem cerebri, aut nervorum opticorum angustiam, hisce sublatis tollitur: de quibus suo loco tractatur, uti de motione eorum inordinata sedanda *cap. de vertig.* dicitur.

Electuaria, conservæ, aquæ, pulveres, aliaque remedia, quę innumera & magnis pollicitationibus Medici præscribunt, eò omnia tendunt, ut spiritus copiosi & lucidi generentur, putantes eos ex oculis ad objecta visibilia debere evolare.

De Affectibus tunicæ retinæ.

Hujus tunicæ affectiones nullus hactenus tractavit Medicus, quia verum ejus usum calluit nullus. Nos quia illum perspectum compertumque habere persuasi sumus, aliquas ejus affectiones adumbrare conabimur. Est autem verus ejus usus, objectorum visibilium species coloresque cum splendore per foramen uveæ in oculum immissos suscipere, & in se picturæ instar delineatos repręsentare.

Prima ergò hujus tunicæ affectio; & quæ frequentissimè accidit; ad situm mutatum pertinet, nimia videlicet ejus vicinia vel remotio ab humore crystallino. Ratione viciniæ fit, ut longinqua solùm videantur; quod senibus proprium est. Ratione remotionis fit, ut solùm percipiantur propiùs constituta; quod multis juvenibus usu venit. Assertionis hujus demonstrationes hîc non adjungo; satis enim argumentosè illas construxi in problematis, & compendio dixi *cap. de myopia.*

Altera retinæ affectio est raritas ejus nimia vel densitas. Si plus æquo rara est, luminis rerumque illustrium radiationes vix possunt perferri ab oculis sine aversione vel lacrymatione. Si densa sit nimium, lumen quodvis, imò ipsum solare impunè fixis oculis potest excipi. Sic Aëtius habet ex Demosthene, *lib. 2. sermon.* 3. caput de oculorum debilitate; estque 44. ubi inquit, oculos debiles esse, qui neque album splendidum, neque igneum videre sustinent; sed ex quavis occasione visum continent & lacrymantur, præsertim inter legendum. Hujus affectionis causam non reddit Aëtius: putamus autem nos esse tunicæ prædictæ nimiam raritatem, aliis omnibus salvis in oculo. Quod addo, quia oculo inflammato, vel carunculâ angulari imminutâ, idem affectus orietur sine tunicę retiformis rarefactione.

Causæ. Causas remotionis & viciniæ retiformis à crystallino diximus *cap. de myopia.*

Causa raritatis nimiæ vel densitatis, si hæc ab ortu sint, est substantia seminalis rara vel densa. Si post ortum advenerint, causæ sunt alimenta rarefacientia vel densantia istiusmodi. In summa, quæcumque alias corporis nostri partes rarefacere vel condensare nata sunt, dictas quoque affectiones retiformi tunicæ possunt inferre.

Signa. Signa nimiæ remotionis & viciniæ retiformis ex ipsa visionis natura hauriuntur. Nam quibus remota nimium est, illi myopes sunt, id est, cominus tantùm vident. Quibus est vicina nimis, hi pręsbytæ sunt seu senilem visum habentes id est, eminus tantùm videntes; non quę oculis sunt admota. Accedit, quòd ob ejusmodi mutatum retiformis situm læsam habentes visionem perspicillis juvari possint: qui verò ratione spirituum, vel humorum, vel nervorum visoriorum laborant, non possunt juvari.

Quod ad prognosticum attinet; hi retinæ situs arte & medicamentis restitui nequeunt: ortum enim habent plerumque vel à natura, vel longâ consuetudine, quę jam in naturam abiit. Nimia tamen remotio ętate corrigitur, ut dictum est *cap. de myopia.*

Raritatis nimiæ & densitatis signa similiter ex visionis affectione sumuntur. Nam omnibus in utroque oculo salvis atque integris apparentibus, si lumen & luminosa ægrè ferantur, rara nimis est tunica retiformis. Si facilè quodlibet lumen quantumvis intensum accipiatur visu, densa valde est tunica eadem. Illud in multis hominibus advertas; hoc in aquilis.

Causa autem quòd retiformis raritatem tam molesta visio consequatur, est hęc: quia enim impressio specierum in retiformem facta non solùm est quantitativa superficialis, sed etiam qualitativa penetrans; cum in raram substantiam major fiat penetratio, majorem quoque inde sequi affectionem, est necessarium. Jam autem lux capitales inimicitias cum eo, quod impetit, sibique non est simile, gerit: ergo quò penitiùs illud impetit, eò ipsi est hostilius; & consequenter quò lux se profundiùs quoque in retiformem insinuat, eò fertur à visu molestiùs. Quapropter ubi densa est retiformis, prohibens lumen ab ulteriore introcessu, persentitur lux etiam satis intensa innoxiè. Quali retiformi præditas credimus aquilas, quæ Solem fixo obtutu dicuntur inspectare.

Porrò raritas & densitas dictæ tunicę ferè comitantur similes totius cerebri constitutiones: ita ut; quibus cerebri substantia rara est, hęc quoque tunica sit rara; quibus densa, itidem hęc sit densa: nam revera hęc tunica est ipsa medullaris nervi optici substantia à cerebro propagata. Itaque quod signum erit raræ vel densę cerebri totius substantiæ, poterit etiam hujus tunicę talem indicare habitudinem: atque ingenii bonitas raram significat seu subtilem cerebri substantiam; contrà intellectûs tarditas indicat substantiam crassam seu densam, ex Galeno *cap. 12. art. med.*

Curatio. Situs tunicæ retiformis etsi arte corrigi non possit, visio tamen inde orta artificio emendari potest, scilicet perspicillis. Nam qui vicinam nimis habent, convexis juvantur; qui nimium remotam, concavis.

Controversantur autem, an expediens sit juvenibus myopibus in tam immatura ætate uti perspicillis cavis? Ego, si visus ipsis aliquatenus constet, ut quoquo modo carere iis possint, non admodum consuluerim: etenim perspicilla ista assiduè usitata morbosum retinę situm confirmant.

In retiformis quoque raritate & densitate curanda quid à medicamentis expectandum sit facilè intelligi potest. Sunt enim illę constitutiones à natura, adeoque sublatu difficillimę, imò impossibiles.

Aëtius tamen debilitatem oculorum, quam suprà descripsimus, curat deambulationibus, cursibus, exercitiis supernarum partium, cum frictione & spiritûs detensione, capitisque rasurâ, ac levi oculorum frictione post exercitia, & frigidæ in caput perfusione. Præscribit & aquæ potum, victusque rationem mediam; item lectionem cum clamore, similiter & scriptionem. Si verò pharmacis opus fuerit, adstringentibus & perfrigerantibus ac meatus obstruentibus hoc in casu utendum dicit.

De Affectibus nervorum opticorum.

Frequentior & pręcipuus nervorum opticorum affectus est eorum *Obstructio*: lęsioque visionis inde consequens dicitur Græcis *Amblyopia*, id est, obscuritas, obfuscatio seu hebetudo visûs: & *Amaurosis*, id est, visûs abolitio seu cęcitas, barbaris dicta *Gutta serena*, quod est absolutum visûs impedimentum, nullo in oculis vitio apparente.

Alter eorum nervorum affectus est *Resolutio* seu *Paralysis*, ad quam visûs quoque sequitur ablatio.

Tertius est *Angustia.* Quartus *Disruptio* eorundem. Quintus *Convulsio.* Quamquam aliqui hanc non officere visioni inquiunt, sed roborare: eò quia per convulsionem dirigatur opticus, & pupillę constituantur planissimæ, ac sic recto canali celeriùs descendat spiritus, acutiorque procedat visio, sicut in priapismo accessus. Attamen dicendum, convulsione lædi visum, quia causa convellens anguitet nervos, adeoque spirituum via impediatur.

Alii addunt Dissolutionem conjunctionis nervorum opticorum: ubi uniri volunt species & absolvi visum. Atque ab hac dissolutione dicunt oriri depravatam visionem, utpote quâ omnia apparent duplicia. Verùm certâ constat tum Vesalii tum aliorum observatione anatomicâ, conjunctionem illam nervorum nihil facere ad simplicem unius rei visionem. Nam in quibusdam inventi sunt naturaliter disjuncti, qui rectè nihilominus videbant. Absolutè ergò dissolutio conjunctionis nervorum opticorum visioni nihil obest. Si tamen post ortum à causa violenta fiat, plurimùm oberit, quia accidere non potest sine eorum disruptione, sub qua tum comprehendetur ille affectus.

Causæ. Obstructionis opticorum causa est vel crassus humor quilibet in meatûs eorum illapsus, vel saltem vapor crassus.

Hæc eadem est causa paralysis; quam tamen & efficere possit pituitosus humor, substantiam eorum irrigans, ac nimium humectans.

Angustia fit à tabe, vel ab humore aut tumore extrinsecus illis accubante & comprimente. Tumor ille potest esse inflammatorius, vel non inflammatorius. Ita doctissimus Platerus observavit, cæcitatem aliquando provenisse à tumore globoso instar strumę in cerebro nervos opticos premente.

Disruptio à causa externa violenta fit: ut vulnere, ictu, casu, &c. à quibus tamen ipsis sæpè etiam tantùm fit vel obstructio vel angustia.

Convulsio denique causas illas habet, quas convulsio quælibet alia. Ab aliquibus animadversum, post graves & frequentes convulsiones cæcitatem relictam fuisse: quia scilicet in magnis per convulsionum paroxismos partium omnium atque adeo etiam oculorum contortionibus; in quibus sępè oculi quoque convulsi admodumque exserti & inflexi apparent, attracto, sic nimirum & exserto nervo optico illis adnato, illoque simul contorto & læso, oculos visione privari contingit.

Signa. Signa obstructionis nervorum opticorum seu guttæ serenę dant Medici omnes omninò hæc: quòd visus abolitus sit, nulla apparente in oculis noxâ; idque repente: quòd item, altero oculo occluso, alterius pupilla non dilatetur, obstructâ videlicet spirituum pupillam dilatantium viâ. Examinemus hęc paulò accuratiùs, an vera sint, neque ita simpliciter temereque omnibus accredamus.

Philippus Montalto *lib. 3. Optic. cap. 7. art. 3.* scribit, nobilem quemdam ex illustri familia Pereria apud Lusitanos ad os sinistræ maxillæ profundo vulnere lęsum, videndi munere in dextro oculo plenè orbatum fuisse; tamen sinistro oculo clauso dextri dilatabatur pupilla. Quæ res, inquit doctorum virorum ingenia non parum exercuit. Nam obstructio nervi optici cęcitatem illius oculi invehere credebatur, dilatatio tamen pupillæ indicio erat optici liberum patere meatum. Quapropter ipse istam visionis abolitionem referendam credidit ad intemperiem, quę ex feriente telo, pervadente aëre humoreque decumbente contracta in posterum manserit; sitque continuâ alteratione fortè ad glacialem seu crystallinum usque pervagata. At hoc nihil est. Nulla enim à nuda crystallini intemperie opacitatem non inducente visui noxa fit.

vocet, angustiam: alteram, quę attinet ad horum nervorum substantiam; alteram quæ ad meatum. Unde dicit, si angustia sit in nervi substantia (quod sese aliquando observasse addit) poterit oculi affecti pupilla dilatari, altero occluso. Verùm si angustia meatum nervi obsideat, non poterit dilatari pupilla. Ratio est, quia spiritum animalem, qui dilatationis est causa, per foramen transire necesse est; quod foramen cùm præclusum sit, interdicitur spiritui meatus. Angustatâ autem & densatâ tantùm cerebri substantiâ, cùm hoc foramen liberum sit, liberè quoque transit spiritus: non tamen fit sensio; quia facultas sentiens, inquit, non transit cum spiritu per meatum nervi, sed per propriam ejus substantiam. At nescio quâ vel auctoritate vel ratione meationem illam facultatis & spiritus animalis adstruat. Nam facultas non meat propriè de parte ad partem; sed spiritus solùm meat, qui est instrumentum facultatis: & quia Medici sæpè causam principalem cum instrumentali confundunt, ideo dicunt communiter facultatem transire, cùm spiritus tantùm transeat. Verùm etsi demus facultatem etiam à partibus emitti per modum luminis à Sole, non tamen satisfacit dubio, quippe falso innititur fundamento, pupillam scilicet ab influxu spiritus dilatari.

Mihi aliquando puella quinquennis Amstelredami curanda oblata est, quæ ex febre chronica guttam serenam incurrerat, sub qua ne luculentissimum quidem Solem agnoscebat. Observavi autem in ea non solùm variare pupillam alteram, occluso oculo altero; sed etiam ambas modò se contrahere, modò ampliare, prout vel ad lucem, vel ad obscurum locum oculi converterentur: non tamen adeò contrahebantur, quàm solent aliàs in sanis & salvis oculis lucem adspicientibus. Itaque hinc colligi potest, quàm falsum sit illud Medicorum indicium, quod tamen velut certum habent, obstructo nervo optico non dilatari pupillam.

At dicat aliquis: etiam in nostrâ sententia, quæ à lumine remissiore diduci statuit pupillam, ab intensiore contrahi; si obstructus sit nervus opticus, & spiritus animalis in oculum non influat, non poterit quoque fieri dilatatio aut constrictio pupillæ. Ut enim propter diversum illud lumen variet se pupilla in situ, necesse est aliquam inesse partibus oculi internis ejus luminis sensionem: sensio autem à spiritibus per opticos affluentibus: his obstructis nullus fit affluxus; igitur & sensio nulla, igitur & variatio pupillę nulla. Respond. motum illum uveæ tunicæ non fieri ope spirituum animalium, utpote qui animalis non sit seu voluntarius, sed merè naturalis, similis illi, quo uterus fœtida fugit, & benè olentia persequitur. Similiter sensionem luminis majoris ut nocentis, vel minoris ut non nocentis, esse naturalem merè, non animalem. Jam autem sensiones & motiones naturales fieri possunt, etsi nullus fiat influxus spirituum animalium; nam in hystericis obnubilato cerebro jacentibus sine animali motu ac sensu observamus uterum ab odoratis appositis benè affici, adeoque se demittere; fœtida verò aversari. Item in membris paralyticis fieri actiones & motus naturales. Ad quorum instar internæ oculi partes naturalem luminis aversionem motu uveę offendunt, etsi nullus per nervum opticum animalis spiritus illabatur.

Aëtius & ex eo Donatus Altimarus, deinde aliquot etiam Practici adferentes signa causarum offuscationis oculorum, inquiunt: Si hæc affectio consequatur ad nervorum visivorum resolutionem, tarde movetur oculus, aut omnino non movebitur. Quod dictum est inscitum: nervi enim visivi sive optici ad visum, non ad motum sunt deputati: peculiares nervi oculos movent, quorum resolutio non inducit visui offuscationem.

Falsum item & hoc, quod Montanus consil. 94. scribit, ex contortione nervorum opticorum oblique videri. Non fit in opticis visio, sed in oculis. Imò si rectè perspicis, optici sunt contorti, ut ipse intelligit, seu obliqui: non enim ab ortu suo rectà pertendunt ad oculos, sed ductu obliquo. Cur igitur visus non unicuique obliquus? Quomodocumque ergò constituti sint optici, modò spirituum via non impediatur, visio est integra.

Porrò vitia omnia opticorum nervorum prædicta sunt difficilis curationis: quædam impossibilis, ut disruptio, & antiquata obstructio; tabes; compressio à tumore frigido. Obstructio autem recens aliquando curata est: quemadmodum etiam à crassis vaporibus facta subinde subitò per applicatas cucurbitulas, vel acris clysteris injectionem sanata est.

Curatio. Nervi optici obstructionem, quæ præ aliis frequens est affectio, sic curabat doctissimus Fernelius. In primis inhibebat, ne quid præterea eo recens influeret, idque bonâ victûs ratione, quę corpus moderatè alat, nec tamen humectet, neque excrementis impleat. Bis aut semel saltem in mense purgabat per pilulas sine quibus, & lucis majores: atque etiam interjectis diebus, si quando adstrictior alvus esset, aut ventriculus crudior appareret, per catapotia ex aloe. Caput quotidie manè siccabat fomentis ex sale, milio, & seminibus discutientibus torrefactis. Frictiones quoque in posteriora, & in occipitium inferiora versus deductas commendabat. Pituitam sæpè ex capite proliciebat apophlegmatismis. Errhinorum non æque tutum dicebat usum; sternutamentorum adversissimum. His & similibus rationibus excrementa per naturales meatus deducebat. Jam ad ipsummet humorem ex opticis evellendum, sæpe, maximè verò postridie purgationis, & aliquot deinceps diebus affigendæ erant cucurbitulæ leves occipitio utrimque ad cervicis originem. Imperabat decubitum supinum, in quo si & caput aliquando succutiatur, conferre aiebat, ut, qui tenaciùs impactus est humor, sede suâ dimoveatur. Occipitii & cervicis appellatos setones non probabat; quandoquidem nullo illos usui vel commodo sed gravi sæpè periculo infixos animadvertisse se diceret. Efficacissimam autem ac tutissimam revulsionem laudabat, quæ fit à nervo optico in idcavum, quod est in radice auris & in connexione maxillæ pone infimam auriculam; per id enim ramus è vena jugulari intro subiens in opticos nervos utrimque excurrit; eosque comitatur ad oculos usque. In id ergò emplastrum unguis magnitudine apponebat, quod constabat vel ex æquis portionibus saponis nigri & salis communis triti; vel ex sem. sinapi & canthavid. ana semidrachma, fermenti acris uncia. Quòd si metueretur, ne non satis sequax esset humor revellendus, præparabat eundem fotu remolliente & attenuante, ut ex decocto althææ, verbenæ, eufrasiæ, rutæ, sem. fœniculi ac fœni Græci. Hujus decocti vapore ex spongiâ molli sub vesperam oculos fovebat, interim dum emplastra infimæ auriculæ inhærent. Collyria verò in oculos frustrà immitti inquiebat, quod eorum vis nequeat in affectam sedem penetrare. Utiliter nihilominus sæpè mandi jubebat semen fœniculi; aut etiam pulverem præbebat in fine pastus, ex coriandro, aniso, fœniculo, eufrasia, glycyrrhisa & cinamomo: istorum enim vapor & halitus ex ore & stomacho ad oculi anteriora fertur. Ultra hæc si guajaci decoctum potaretur, omninò profuturum prædicabat.

In ea insigni ac methodica curatione illud mirandum, quo pactò setones in occipitio damnet tanquam inutiles, imò graviter periculosos. Si cucurbitulas ibidem commendet, & evellendo ex opticis humori utiles statuat, quantò magis ad ipsum utiles sunt setones, qui potentiores sunt cucurbitulis? De periculo verò quod addit, nescio cur illud à setonibus ibi timeri debeant:

Quod ad ſternutamentorum uſum atinet: Capivaccius celebris & felix ſuo tempore Patavii Medicus, in initio obſtructiones horum nervorum confeſtim ſternutamentum vehemens excitari conſulebat, ut materia commoveretur anguſtans, nec figeretur; quia actum eſt, inquiebat, ubi figitur. Idem ſentit Euſtachius Rudius. Quæ agendi ratio etſi non omnino ſit à methodo averſa, fortunę tamen etiam innititur, adeoque periculo ſubjecta eſt. Tam enim poteſt per ſternutamentum iſtud materia magis figi in nervis, quàm è nervis elidi; poteſt quoque alia, quæ prçſto eſt in cerebro ad eoſdem nervos detrudi. Qua ex cauſa multi ex pluribus ſternutamentis, præſertim de induſtria ſibi concitatis, in cæcitatem derepente lapſi ſunt. Malim igitur ego cum Fernelio apophlegmatiſmis ſine periculo materiam derivare per palatum, à quo non longe abeſt opticorum origo, veluti oſtendit nobis diſſectio.

In principio guttæ ſerenę ita in praxi hortabatur progrediendum eſſe laudatus jam Capivaccius. Eâdem horâ, quâ accedimus, immittendus acris clyſter: deinde, ſi ſanguis eſt copioſus, aperienda cephalica. Eâdem die poſt ſeptem horas exhibeantur pilulæ fœtidæ vel cochię ad drachmas duas: deinde caput vacuetur, & ſecetur vena frontis, poſtea venæ angulorum: applicetur cucurbita occipitio, & ilicò etiam uſurpetur ſetaceum: ſimul fiat vacuatio per os & nares validis medicamentis. Deinde cum Paulo & Aëtio caput perfundendum aqua ſalsa actu calidâ: licet etiam adſcendere ad [illegible]. Oculus foveatur ſpongiâ ex aqua marina. Præterea ſtatim exhibeatur decoctum guajaci, & ægri potiſſimùm ſudent ſecundùm caput. Hæc medicandi ratio efficax eſt, bona, ac ſequenda, præterquam in adminiſtrandis fortibus vacuantibus per nares, ob cauſam ante dictam. Hæc igitur uſurpetur in ſubita ac recente obſtructione: altera Ferneliana prædicta in obſtructione aliquatenus inveterata.

Referunt Practici quidam, & narrant obſervatores, ob frontis vulnera cæcitate aliquos aliquando liberatos. In quibus ſane cçcitatis cauſam veriſimile eſt fuiſſe compreſſionem nervorum opticorum à conterminis vaſis, venis, inquam, atque arteriis ſanguine tumidis, quas dicta vulnera nonnihil evacuarunt, unde compreſſione ablatâ reddita eſt viſio. Quæ eventa ſequens Spiegelius non ſine fructu in gutta ſerena mediam frontis venam pertundere ſolebat, ſanguinemque tam diu evacuabat, donec ſuâ ſponte erumpere deſineret.

Nunc producam remedia aliquot ſelecta ad propoſitum affectum. Primum eſt vinum eufraſiatum, quod in viſus obſcuritate à nervi optici obſtructione nata valde confert, ſi in principio menſæ, vel mane ſtomacho jejuno bibatur. Paratur eufraſia ſicca infuſa; additâ radice & ſemine fœniculi, ac modico cinamomo.

Vel. ♃. Rad. enul. campan. in taleolas ſectæ & exſiccatæ unc. ij. eufraſ. manip. 1. ſem. fœnic. ſem. ſiler. montan. ana unciam. Contund. craſſiuſcule, & omnia in unum vel plures nodulos immiſſa ſuſpendantur in vino, & macerentur per menſem. Dantur duæ unciæ mane.

Aqua aciem oculorum acuens, cçcitatemque in ſenibus incipientem prohibens.

♃. Rad. Valerianę, enulæ campanę, fœniculi ana unciam. Herb. chelidon. eufraſ. ana manip. ij. betonic. puleg. ana manip. 1. ſem. fœniculi, ſem. ſiler. montan. ana drachm. 4. baccar. juniper. ſemunciam, flor. caprifol. roſar. alb. ana pugill. ij. ſtœchad. ſalvię, anthos, ſambuc. calendul. ſchænanth. ana pugill. 1. Zingib. piper. long. cubebar. cardamom. ana ſeſquidrachm. Pulveriſanda pulveriſentur, contundenda contundantur; & infuſa in hydromel. vel malvat. vini Canarici lib. 3. ponantur ad ignem lentum vel Solem per quatuor aut ſex dies: dein exprimantur fortiter prælo. Expreſſioni adde aquę peculi roſar. eufraſ. ana. lib. ij. aquę fœniculi, chelidon. ana. ſeſquilib. Miſce. Datur uncia mane jejuno ſtomacho, & una atque altera gutta in oculum datur.

Alia. ♃. Baccar. juniper. unc. ij. Caſſię lign. unciam, ſem. ſiler. montan. fœniculi ana ſemunc. ſem rutæ drachm. 3. ſpecier. diamoſch. dulc. unc. moſchat. lign. Aloës ana drachm. ij. fol. eufraſ. verbenæ, rutę, ſummit. roriſmar. ſalvię, puleg. anthos, fœniculi ana ſeſquidrachm. flor. chelidon. betonic. lavend. roſar. rubr. anthos ana drachmam: macerentur in vini malvatic. lib. 4. per octiduum: poſtea in Bal. M. diſtillentur. Datur mane & veſperi ab ſemuncia ad unciam & ſeſquiunciam.

Etſi in hoc affectu externa oculis admota nihil aut parum poſſint, ut antè dictum eſt, unum tamen propono, quod Foreſtus valde extollit, aliique quidam conſentiunt; deſumtum ex piſce quodam, qui Belgis dicitur *Ælpuyt*, Italis *Donnola*, Lugdunenſibus *Lota*, Gebennenſibus *Motella*, Latinis *Muſtella*; eſtque piſcis mollis, valde limoſus, ſubnigriuſculus, aliquantulum latior anguillâ. Hujus jecur, quod valde album eſt ac pingue, tegulę alligatur cyatho ſubjecto vel vitro in Sole, ut ab eo pinguedo olei inſtar deſtillet. Vel jecur tegulæ filo alligatur, vitroque capaci imponitur; & ſupra hoc aliud vitrum magis capax inſtar galeę ſeu capitelli ſuperponitur, ac Soli exponitur. Exit autem liquor albus & clariſſimus, ad modum olei puri deſtillantis; qui uſui reſervetur. Hoc liquore ſi cilia tantùm inungantur, lacrymæ ab oculis exibunt; & is, qui viſum obſcurum tenebricoſumque habet, inquit Foreſtus, miraculi inſtar ilicò lucidum & luminoſum recuperabit: dicitque in multis ſe expertum. Oportet autem minimè hunc liquorem in oculum ſtillare, verùm ſatis eſt, ſi cilia & palpebrę eo inungantur.

Coronidis loco quærere hîc libet, expediatne ablutionem oculorum quotidianam fieri calida an frigida. Sunt enim diverſæ & contrariæ de hac re ſummorum Medicorum auctoritates. Hippocrates *lib. de humid. uſu* calidam ſcribit oculis convenire. Apud Plinium reperi veteres exiſtimaſſe ſalubre, ſingulo mane oculos gelidâ lavare. Et Aëtius in propoſito affectu quotidie proluendam dicit faciem aquâ frigidâ, præſertim pluviali. Meſue etiam oculos frigidâ lavari jubet. Inter recentiores doctiſſimus Manardus quoque oculos cuidam frigidâ potiùs inſperſâ, quàm per manus admotâ ſingulo quoque die abluere conſulit. Galenus *lib. 4. de ſimpl. med. fac. cap. 2.* oculis frigidum mordax eſſe docet. Et Fabritius Hildanus inter neotericos *cent. 1. obſervat. 27.* ex lotione aquæ frigidæ nobili cuidam debilitatum & obſcuratum viſum exiſtimat. Ego in hoc litigio etſi videam potiores non numero, ſed pondere eſſe eorum partes, qui frigidæ lotionem reprobant, non tamen cenſeo ita hiſce accedendum, ut planè nihil concedatur aliis, ſed ſapienti moderatione utriuſque aliquid impertiendum. Et quidem oculos ulceribus vel ſuppurationibus aut ſimili affectu laborantes calidam poſtulare: in quo ſenſu videtur eo loci intellexiſſe Hippocrates. Inflammatis tamen iiſdem in principio inflammationis poſſe, imò debere applicari frigidam; in declinatione calidam. Qui oculi tunicarum vel humorum craſſitie afficiuntur, calidam etiam expetere; frigida enim denſat & incraſſat magis. Alioqui frigidam autumo oculis ſalubriorem, etſi quoque alia de cauſa viſus cuipiam eſſet obtuſior: robur enim conciliat oculis frigida calorem cohibendo intus. Quod autem Galenus loco citato frigidum oculis mordax pronuntiavit, de ſummè frigido eum intellexiſſe eſt exiſtimandum; quod ſanè & nos oculis adhiberi planè renuimus. Vel ita ſtatuendum, ſi frigidum nudis oculorum tunicis confertim occurrat, mordax quidem eſſe, uti experimur eſſe in hyeme gelidum aquilonem. At enim dū de oculorum lotione diſſerimus, non tam volumus oculorum tunicis frigidam infundi, quàm adſpergi atque affundi palpebris, quibus frigidum eſſe mordax prodidit nullus.

De Strabismo.

Strabismus est mutatio debiti & naturalis situs oculi intra cavum sum recessum, proveniens à musculorum ocularium convulsione, vel diutina contortione.

Capivaccius strabismum inquit esse visionem inæqualem oculorum dependentem à motu præter naturam musculorum motivum. At enimverò formale ipsius strabismi non est inæqualis visio, sed hęc consequitur potiùs ipsius formale strabismus enim affectio musculorum est, non visiois.

Malè etiam Mercurialis *lib.* 1. *Pract. cap.* 29. & quicumque recentiores id ex eo descripserunt, strabismum inter crystallini humoris affectus recenset. Sanè enim apud Paulum Æginetam *lib.* 3. *cap.* 22. apud Galenum *lib.* 2. *de symptom. caus. c.* 2. apud Auctorem quoque Finitionum Medicarum strabismus est musculorum affectio bulbum oculi moventium.

Johannes Gorræus in Definitionibus suis Medicis scribit Auctorem *Finit. Med.* enumerare strabismum inter oculi exulcerationes. Tu adi locum, & videbis Gorræum perfunctoriè eum transcurrisse.

Dixi, esse mutationem situs oculi intra cavum suum recessum, seu antrum osseum; ut excludatur prolapsus oculi, qui etiam est mutatio situs à resolutione. Unde quoque non addendo illam particulam, posset definiri strabismus, mutatio præter naturam situs oculi dextrorsum, vel sinistrorsum, vel sursum, vel deorsum.

Causæ. Fernelius & alii aliqui scriptores strabismum à convulsione solùm musculorum oculi evenire dicunt. Sed si, ut ipse inquit, strabismus sit alterius oculi obliqua contortio, ita ut amborum nequeat unus adspectus esse; id certè à paralysi etiam provenire potest. Nam resoluto aliquo ex musculis oculum moventibus, antagonista ejus seu oppositus sanus in se contrahitur & sic idem facit ac si convulsus esset; perinde uti videtur in convulsione canina seu tortura oris sieri orta à paralysi.

Causa convulsionis si hæc legitima est, musculos oculi afficit: si illegitima, cerebrum vel nervum secundæ conjugationes afficere potest.

Causa paralysis potest similiter vel afficere musculos, vel nervum secundæ conjugationis, vel eam cerebri partem, unde ille prodit.

Tertiam strabismi causam posuimus diutinam consuetudinem oculos contorquendi: in eo enim tunc situ firmantur oculi, uti infantibus in cunis accidit, dum oculos ad candelam obliquè vertunt.

Sed hic peti possit: Quomodò infantes ex tali adspectu incurrere possint strabismum, sit affectio, in qua alter oculus non habet similem situm atque alter: at illo obliquo adspectu candelæ, uterque oculus obliquè ad candelam vertitur; & sic uterque est obliquus, adeoque amborum unus adspectus. Respond. obliquam visionem, utpote laboriosam, non facilè ab infantibus obiri; sed fieri plerumque, ut unus oculus ab illa contentione remittat; alter, qui lumini propinquior est: in actione persistat: unde dispar situs.

Quartam aliqui addunt strabismi causam, situm humoris crystallini vitiosum; cùm is videlicet pupillæ non rectà opponitur, sed ad latus alterutrum, vel deorsum aut sursum inclinat: ita enim si res rectà adspicienda est, oculus, inquiunt, ad latera contorqueri debet. At hęc causa strabismum non infert. Nam etsi crystallinus directè pupillę non apponatur, videri tamen directè res potest, quamvis non distinctissimè. Imò etsi videri non posset non tamen adhuc oriretur strabismus inde: siquidem non incurrunt strabismum illi quibus à suffusione vel alia causa medium pupillæ obtectum est: quia si è directo res integra aliqua videnda est, paululum ad latus convertunt oculos, sed ęquabiliter; strabismus autem est, quando non ęqualiter eodem collineant. Vel si quispiam in uno tantùm oculo situm crystallini mutatum ponat; & sic unius solùm fieri oculi ad latus conversionem, altero directè ad rem obverso, adeoque inęquabilem situm habere: tum tamen adhuc situs crystallini remota solùm erit strabismi causa; proxima erit diutina illa & consueta oculi ad latus contortio, quam in definitione expressimus. Verùm nunquam aut rarissimè talem vitiosum crystallini situm manente visu fieri posse puto.

Uti quoque fieri non posse reor, quod Sennertus in Instit. ait, atque inter causas strabismi quoque refert, scilicet ut pupilla non in ipsa anteriore oculi parte medium locum obtineat, sed ad alterum latus magis inclinet. Ita pupilla per se inclinare non potest, nisi totus oculus inclinet; vel nisi monstrosa talis facta sit conformatio.

Quidam ita sunt strabones: ut quandò volunt, sic oculum contineant, ut non appareat strabismus: qui idcirco existimandus est fieri à levi tantùm aliqua convulsione vel laxitate musculi, quę adhibito conatu in naturalem statum reduci potest. Ubi observandum, id tantùm posse fieri in quiete; seu dum oculus immotus continetur; quando autem movetur, non posse: vel quàm difficillimè. Ratio est, quia minore robore & conatu opus est ad oculum continendum, quàm ad movendum.

Capivaccius animadverti vult; causam strabismi afficere debere musculos motivos. Sunt autem, inquit, ex Galeno hi musculi sex tantùm: septimus enim non movet oculum, sed firmat nervo optico circumdatus. Hic ergò si convellatur, intrò cedat oculus, & continebitur firmiter: si resolvatur, oculus procidet. Verùm frustra indicat illud curantibus homines, in quibus non reperitur septimus ille musculus oculum firmans, ac nervum opticum complectens.

Notanda diligenter ac memorię infigenda maxima sympathia inter oculorum & temporum musculos, ob participationem rami ejusdem nervi. Unde frequenter fit, ut hi ob consensum illorum afficiantur; & contrà, nullo proprio morbo detenti.

Signa. Strabismus visu cognoscitur. An autem à convulsione: an à paralysi oriatur; id è propriis capitibus de convulsione & paralysi inscriptis petendum est. Et infantes quidem sæpè post epilepticos insultus strabismum retinent, qui tum putandus est à convulsione pendere.

Difficilis porrò est curatu strabismus: si tamen recens sit, in infantibus curari potest; etsi sit etiam nativus, ut inquit Abuali.

Curatio. In infantibus tentanda hoc modo curatio, ponenda est candela accensa in parte opposita strabismo, vel res aliqua rubra, aut valde conspicua, ut infans eam partem adspiciat; quô natura discat à prava visione abscedere.

Si in adultis hoc malum contigerit, & sit recens adhuc, id est curationis modus, qui in convulsione canina præcipitur.

De oculi totius prolapsu.

Oculi prolapsus seu procidentia & exsertio. Græcè *Ecpiesmus*, id est expressio; & proptosis est situs prę ter naturam oculi extra cavum suum recessum. Ita verò oculi aliquando prolabuntur, ut in genas propendeant, turpi admodum spectaculo. Et quibusdam ita propendentibus oculis visus adhuc perstat; plerisque tamen læditur.

Causæ. Causæ procidentię oculi possunt esse varię. In primis illa omnia: quæ violentiâ quadam oculum extra antrum suum exprimere nata sunt, ut vehemens inflatio, ac fortis spiritus suppressio. *Secundò*, resolutio muscu-

musculorum & nervorum oculum moventium. *Tertiò*, tumor aliquis magnus in interna oculi parte consistens. Ex prima causa sępè fœminis accidit hoc malum, qui in partus doloribus ampliùs distenduntur: item tubicinibus, & strangulatis, violentè vomentibus ac fœces excernentibus. Hæc Platerus quidem negat, sed convincunt eum experientiæ. Secunda causa fit ob humores copiosos ad oculorum musculos fluentes; atque hoc habet ortum à casu ab alto interdum, maximè in iis, qui partes circa oculos molles & laxas habent. Sępè ingens & diuturnus capitis dolor huic causæ originem præbet.

Scriptores novitii plerique oculi prolapsum ex resolutione ejus musculi, qui opticum nervum circumdat, oriri docent. At hæc causa in equis & mulis locum habet; in homine non item, utpote qui musculum illum non habet.

Quæstione dignum est, quo pacto laxatis musculis extra sinum suum oculus non rupto nervo optico possit procidere? accidit enim quandoque, ut ad genas usque dependeat, sicuti est suprà dictum. Hîc dicendum, nervos quoslibet, adeoque etiam opticos, plurimùm extendi secundùm longitudinem posse. Dum ergò humiditatis hi plurimum suscipiunt in inflammationibus oculorum, vel aliàs aliter, facilè fit, ut laxentur: ipsique musculi valdè inturgescentes, cùm amplius in cavo recessu contineri nequeant, foras exseruntur, laxatis nempe eâdem operâ membranis ac ligamentis, quibus recessui connectuntur. Neque hoc hîc mirum videri debet; observamus quippe & alias partes valde interdum laxari sine ruptione, ut intestinum rectum & uterum foras procidentes.

Signa. Procidentia oculi extrinsecùs patet manifestè. Noscitur quoque ex relatu ęgri, quæ fuerit causa ex iis manifestis, quas suprà retulimus. Sed & humorum affluxus non difficulter à Medico agnoscitur: adest enim repletio capitis, ac dolor ejusdem gravativus.

Oculi totius resolutio cognoscitur ex abolito motu & sensu: nam si quis acrius pharmacum sublinat, non percipit morsum: tumque periit visus. Si soli musculi sint resoluti, visus constat.

Totius oculi resolutiones ægerrimè curabiles sunt, maximè in ætate provectis. Procidentiæ à cæteris causis ferè possunt curari; nisi quę à tumore scirrhoso interno venit, qualem scribit se observasse Trincavella.

Curatio. Platerus *tomo 3. Prax. lib. 1. cap. 2.* curationem prolapsûs oculorum non aggreditur: quia, inquit, mors plerumque sequitur; vel etsi ægri manerent vivi, hęc dissolutio ex parte factâ reparari minimè potest, neque oculus, ut in pristino statu permaneat, firmari. Adstringentia enim in hoc casu applicanda potiùs oculum corrugando cæcitatem inducent, quàm, ut in sua sede diutiùs remaneat, efficient. Ita ipse. Quæ valde sunt inexercitatè dicta. Nam constat Clarissimorum virorum luculentis exemplis, atque historiis proditis, oculi procidentiam plerumque persanari; & quidem etiam non magnâ operâ. Quin ipsemet Platerus *lib. 3. observ.* curasse se testatur, nullâ visûs læsione remanente, aut alio aliquo vitio. Infans, ait, ad me deferebatur, cui oculus ex sede sua prominebat, & veluti extra eam penitus exsertus, apparebat ovi gallinæ majoris magnitudine, horrendum præbens adspectum. Præscripsit sequens cataplasma oculo tepidū applicandum:

℞. Farin. fabar. scutell. 1. sem. fœniculi semunciam, flor. Chamæmel. pugill. 1. pulverisentur: adde lac, mel, & parum butyri recentis; calefiant, & misce pro cataplasmate; quod spatio unius mensis affectum sanavit.

In adultis si ob affluxum humorum oculus procidat, venæ sectio quàm primùm instituenda, cucurbitulę cervici affigendæ, purgans exhibendum, & astringentia exteriùs imponenda, v. g. fotus cum spongia ex decocto rosarum, plantaginis, Cortic. granatorum, balaustiorum: ex cujus decocti residuo post etiam fieri cataplasma, ac deinde applicari.

Si succedat inflammationi ecpiesmus, oportet primò sedare dolorem hoc collyrio:

℞. Spicæ nardi drachmam, fo rosar. recent. pugillum, malicorii drachm. ij. Coq. in aq. pluviali ad uncias 4. in colat. dissol. opii scrup. 1. Croci semiscrup. F. Collyr. in quo tingantur linteæ oculo applicanda. Poterit etiam imponi tale cataplasma:

℞. Fol. papaver. hyoscyami ana manip. 1. fol. oxalid. plantag. ana sesquimanip. rsar. rub. manip. 1. Coq. in aq. com. & pistentur, ac tramittantur, addendo myrrhæ drachm. ij. vitellum ovi F cataplas.

Expressiones oculorum in fœminis ex partûs doloribus sæpè contingentes, purgationes per locos muliebres solvunt; quare eas procurare oportet: interea oculi ligamine intrò pellantur.

Hoc ipsum moliendum si per ictum, vomitum, strangulationem venit affectus: videlicet reponendus est obligatione vel manu oculis leviter comprimendo: & reposito nonnihil oculo applicandum est linteum imbutum aq. rosac. plantagin. & albo ovi tepidum; ac sæpè id renovandum.

In resolutione oculi, si ęger sit benè habitus, vena cubiti secetur: alvus per clysterem eluatur: deinde corpus purgatorio medicamento evacuetur: cucurbitula occipitio affigatur: pituita per os ducatur: reliquaque fiant, quę in paralysi commendantur, præcipuè in tortura oris vocata.

De Hippo.

Hippos, ut habet Auctor *Defin. Med.* est affectio insita & naturalis oculorum, per quam nunquam illi conquiescunt, sed tremulè semper moventur, semper instabiles. Hanc affectionem Galenus *com. 1. progn.* comparat stridori dentium naturali & congenito. Meminit etiam ejus *com. 2. prorrhet.*

Pars affecta non sunt palpebræ, ut censent recentiores Medici, sed ipsi oculi, vel potiùs musculi oculares; quibus trementibus necesse est tremere oculos. Auctor *Finit. Med.* dicit esse affectionem musculi basin oculi comprehendentis. Quod in brutis verum esse possit, non in homine, ut jam scitur.

Idem Auctor scribit Hippocratem id nomen indidisse. Ubi loci nescio. Fortassis in libris à nobis desideratis. Hippocrati tamen taliter instabiles oculi ex morbo in *prognost.* ὀφθαλμοὶ ἐνειλούμενοι ut Galenus explicat in *comment.*

Adnotat in Praxi sua Riolanus pater hippon in pupilla non aliter excitari, quàm in bulbo oculi. Semelque se vidisse addit intra oculum palpitationem, quę nullis remediis percurari potuit. Verisimile mihi fit in uvea tremulum eum motum fuisse. Quid enim aliud in oculo sensibiliter contremiscat?

Velim hîc obiter notari Plinii vel oscitantiam vel imperitiam in intelligendo Philarcho; qui cùm in Ponto proderet Thibiorum genus, multosque alios ejusdem naturę, quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam, in altero hippon. Hoc Plinius *lib. 7. cap. 2.* interpretatur equi effigiem. Malè: cum Philarchus intellexerit ingenitam illam oculi affectionem, quâ instabilis & tremulus assiduò motu concutitur.

Doctissimus Casp. Hofmannus in quadam suâ ad me epistola inquit ὕπνον oculorum esse somnium: atque esse ὕπνον ἀπὸ τοῦ ὕπτω unde etiam pharmacum ὑπωπιάζον. Audenter nimis veteres contemnens. Quid igitur Galeno; quid Auctore finitionum Med. quid Plinio faciemus? quos somniasse dicere abs ratione, merum somniū est. ὕπτω autem, si quis id scire aveat, idem est ac premo: ὕπτος pressura. At quid hæc cum saltu oculi atque irrequieto motu?

Salta-

Saltatoria hæc affectio quia insita ac naturalis, curationem non recipit.

Hactenus Clarissimus Plempius de Affectionibus Oculorum omnibus: sequuntur jam Curationes aliæ particulares è variis petitæ Autoribus.

De oculorum Affectibus hæc reperiuntur, apud Clariss. Anton. Nuckis in suis Experimentis Chirurgicis; ac primò,

De Strabismo.

Oculorum musculis paralysi seu convulsione laborantibus, vel nimium relaxatis, vel consuetudine contortis, antagonistę magis contrahuntur vel extenduntur, oculusque versus unum aut alterum latus deflectit. Si enim musculus oculum adducens affectus, tum nasum seu canthum majorem, si abducens canthum minorem respicit.

Primùm nati infantes præ reliquis hoc malo afficiuntur, quòd illotum musculi admodum tenelli à leviori causa affici possint; Imò in cunis jacentes solâ lucis pertinaci aspectione (potissimùm visio obliquè si fiat versus candelam ardentem vel lucidas fenestras) Strabismum incurrere experientiâ constat. Non rarò ab inopinatò terrore, fulgure, frequentiùs autem à convulsionibus Epilepticis infantibus supervenientibus, hoc malum ortum duxisse, compertum est.

Summè itaque necessarium erit, matres ita componant cunas, ut candelam ardentem, aliàmve lucem obliquè aspicere infantes non possint; Si verò oculus quodammodo jam distortus sit, contrarium priori situm componere convenit, ut oculus affectus sensim motui naturali iterum assuescat.

Ubi distorsio versus nares observatur, nonnulli floccos chremesino colore tinctos angulo externo apponunt, ut hos continuò respicientes oculi pristino statui restituantur.

His verò incassum tentatis, *larva* duobus foraminibus oculorum regioni oppositis prædita, faciei superimponenda, ut ita infans per dicta foramina lucem intueri necesse habens, oculos in linea recta objecta aspicere iterum erudiat. Cujus larvæ delineationem. Vid. apud *Schultetum.* (seu potiùs in hoc ipsô opere sub titulô Instrumenta Chirurgica)

Si verò Oculi distorsio ab humore acriori alterum ex musculis vellicante & contrahente ortum duxerit, cataplasma ex lacte cum pane biscoctô & croci tantillô paratum, calidè oculo applicandum, quod acrimoniam temperando sæpiùs levamen attulit.

Si ex paralysi malum oriatur, Antiparalytica conducunt. Sic Fotus quos salv. Aneth. Beton. Hyperic. Rut. &c. ingrediuntur magnæ sæpius sunt efficaciæ.

Hæc autem speciatim locum habent in primùm natis, infantibus & pueris: In adultis enim partium tubulis durioribus, fibrillisque ersia, rigidis & inflexilibus gaudentibus, inemendabile ferè malum Strabismus esse solet.

De Oculi Symphysi.

Superiores palpebræ cum inferioribus nonnunquam ita connascuntur, ut eas aperire planè nequeat patiens. Quo in casu ope lanceolæ portio earum prudenter separanda, reliquumque forfice (cujus altera extremitas cuspide obtusâ aut quodammodo rotundâ prædita est) incidendum. Factâ incisione *Collyrium* ex cicatrisantibus & leniter astringentibus adhibendum: Externè videlicet *ex Album. ovi. Alum. & Aq. Rosar.* Intra palpebras autem *Collyr. ex Aq. Plant. cum Tut. ptaparat.* Coalescente verò palpebræ interiori superficie cum ipso oculi bulbo, videndum, an illa cohæsio latè se extendat. Quod si tanta non sit, Emplastro glutino so palpebra aperta tenenda, & *forfice tenuiori* vel *lanceolâ* subtiliori prudenter separanda erit.

Post separationem Collyrium præscriptum convenit cicatrixque introducenda; quod tamen non semper succedit, sed nova nonnunquam subsequitur adhæsio; Tum verò præstat *laminam* ex pergamena cum *Tinctura astringenti* vel *Vino Tint* coctâ, ad convexam oculi superficiem efformatam, parti separatæ interponere. Singulis verò diebus hæc interposita lamina renovanda, novaque in prioris locum substituenda, donec tandem ad cicatricem vulnus perducatur, admoto externè leniter astringenti collyrio.

De Oculi Cicatrice albicante.

Cornea Oculi tunica pellucida, non rarò deformis redditur maculâ quâdam albicante, ingratum ipsi colorem inducenti. Hæc Iridem sæpius tegit sine notabili tamen incommodo. Aliquando ipsam pupillam adeò obnubilat, ut radiis ab objectis versus oculum tendentibus ingressus denegetur, patiensque magnum ita patiatur visûs impedimentum.

Malum si altas nondum egerit radices, conveniunt Collyria de acredine parumper participantia, v. g.

℞. *Aq. Fœnic. Euphrag. aa.* ℥iv. *Tut. præpar.* ʒj. *Vitriol. alb.* ℈ij.

M. & leni ignis calore coquantur parum, Calaturæ guttâ unâ aut alterâ bis terve de die oculus irroretur. Si verò adfuerit inflammatio; Colaturæ possunt addi *Caph. gr.* xv.

Cæterùm egregius est pulvis aliquis scaber, quò non rarò maculæ hujus superficies abraditur atque consumitur, e. g.

℞. *Bol. Armen.* (*vel potiùs Tut. ppar.*) ʒj. *Pulv. Oss. Sepiæ.* ʒß. *Sach. Cant. alb.* ℈j.

M. F. Pulv. subtilissimus ter de die oculò insflandus.

De Oculo Artificiali.

Variolæ, Morbilli, Inflammationes, Vulnera, Ulcera &c. aliquando adeo malè afficiunt oculum, ut vel visum destruant, vel oculum exedant atque consumant, vel turpi cicatrice deformem reddant.

Quoniam verò irreparabile hoc malum est, artis Chirurgiæ Cultores Artificialem Oculum sibi fabricari curarunt, qui nihil aliud est, præter Hæmisphærium aliquod ex vitro confectum, atque ita coloratum, ut cum oculi facie externa planè conveniat.

Ex lamina quoque argentea aureàve excavatâ & vitreâ crustâ (quam Nostrates *amilieersel* vocant) obductâ, oculi colorem superficiemque ęmulante, componitur, atque infra palpebras oculi affecti capsula illa artificialis, ac si oculus sanus esset, movetur.

Longè tamen præferimus Hæmisphæria illa ex vitro confecta; quod splendorem suum rectiùs servent, quàm hæ capsulæ vitro obductæ, facilè colorem suum ab humore, oculum irrotante, mutantes.

Hoc autem ut feliciùs peragatur; ante applicationem Oculi Artificialis, applicetur priùs lamina quędam plumbea, eodem modo excavata, quam per biduum aut triduum gestat patiens, ut ita malè constitutus oculus ejusmodi capsulę vel vitreę, vel aureæ deinceps applicandæ; sensim assuescat.

De Hordeolo & Grandine.

In palpebrâ superiori concrescit aliquando tuberculum rotundum & pellucidum, mobile simul, atque digiti pres-

pressuræ cedens Græcis χαλάζιον vocatur; Latinis Grando.

Aliud ejusdem ferè naturæ tuberculum in palpebrarum margine piloso occurrit, *Hordeolum*, ob hordei grani similitudinem, nuncupatum.

Sæpe in Abscessum abeunt, & sponte rumpuntur. Quod si non contingat, acûs beneficio capitulum albicans aperiendum, & materiâ intus collectâ expressâ, Emplastrum Cicatricans imponendum.

Ubi ex pedunculo pendulum conspicitur tuber, ligatura ipsi erit injicienda, quæ quotidie arctiùs constricta tuberculum tandem separare valet.

Durius quandoque occurrens tuberculum, pulticulâ sequenti ad maturationem perducendum.

℞. *Medull. pan. alb.* ℥iß. *Croc.* ℈ß. *Vitell. Ovi N.* j. *Lact. Vaccin. q. s.* M. F. Cataplasma, quod duobus linteaminibus Cambricensibus impositum applicetur.

Factâ suppuratione procedendum ut supra.

Si acrior fuerit materia, ab eaque palpebræ superficies cartilaginea corrosa appareat, abrasa prius superficie læsâ, imponatur *Alb. Ov.* cum *Mell. Rosac.* permixtum.

Trajectionem fili, in modum setacei, utpote nimis molestam & eventûs dubii, quicquid alii contradicant, non approbamus.

Si in interna palpebræ parte, oculum tangente, Hydatides exiguæ, aliave tubercula conspiciantur, illa maturè aperienda, iisque *Alb. Ov. conquassat.* cum *Aq. Rosar.* applicandum, cavendumque, ne palpebra cum oculi tunica concrescat.

De Hypopyo sive Oculo purulento.

Afficitur aliquando Oculus quamvis rariùs, affectu quodam, quem Græci ὑπόπυον, Latini *Saniem in Oculo* vocant. Est autem nihil aliud, quàm collectio materiæ purulentæ mobilis, in ipso oculi bulbo conspicuæ, quæ subinde pupillam occupando, lucis radios excludit visumque destruit.

Causam agnoscit vel Externam, vel Internam.

Externè oriri potest à Casu, Ictu, Contusione, Vociferatione; Vehementioribusque quibusvis exercitiis, quibus vasculum aliquod sanguineum, tunicæ Uveæ læsum, sanguinem sub forma sanguinis effundit, qui brevi temporis intervallo materiæ purulentæ faciem assumens, huic malo viam sternit.

Cui quoque obstetricari possunt Ductus nostri Aquosi solitò patentiores redditi, varias unà cum aqueo humore particulas crassiores, à reliquo sanguine divortium facientes transmittendo, quæ in oculi bulbo coëuntes, materiam purulentam repræsentare videntur.

Internè verò non semel Hypopyum portendit, gravis Dolor capitis diu perdurans, continuoque excrucians, à corrosivo & acri sanguine ortum trahens, qui dicta vascula lædendo, materiamque ejusdem indolis in oculi bulbum exspuendo, fores ipsi pandit.

Inter medicamenta externa commendamus sequens, vel huic simile Collyrium:

℞. *Aq. Rosar. Fœnic. aa.* ℥ij. *Tut. præpar.* ʒß. *Antimon. Diaph.* ℈j. *Tinctur. Croc.* ʒj. *Aq. Regin. Hungar.* ʒß. M. F. Collyrium ter quaterve de die calidè adhibendum.

Eo namque aliquando, materiâ purulentâ incisâ & attenuatâ, pristinus oculis vigor iterum conciliatur.

Materiâ verò in oculi bulbo hærente nimis crassâ, nullisque medicamentis tam externis quàm internis auscultante, sunt qui patientis caput tamdiu motitare solent, donec ipsa materia loco mota, in varias abeat particulas, externis deinceps medicamentis discutiendas.

Verùm enim verò Methodum illam patienti nimis molestam planè improbamus, cùm tam arctè inter se cohærentes particulæ hoc modo à vinculis suis liberari nequeant.

Præstat itaque instrumento, huic usui convenienti, tunicam Corneam secundùm fibrarum ductum extra Iridem, simul & semel pertundere, ut materiæ ibidem collectæ pateat exitus. Si verò non sufficienter prodeat, oculi bulbus parumper comprimendus, mox fibris sese jam contrahentibus sequens Collyrium admovendum.

℞. *Aq. Plantag. Rosar. aa.* ʒvj. *Sief albi* ʒj. *Sem. Cydon.* ℈ij. *M. F. Collyrium.* Quo solo post factam incisionem curatio nonnunquam absolvitur.

Quod si vulnusculum inflictum difficiliùs consolidetur, *Aqua Plantag. cum Album. Ov. conquass.* & tantillo. *Croci* applicandum.

Si verò cicatrix oculi superficiem deformem reddat.

℞. *Aq. Plantag.* ℥ij. *Tut. præpar.* ℈ij. *Lap. Calam.* ℈j. *Sach. Cant. alb.* ʒiß.

M. F. Collyrium bis terve quotidie adhibendum.

De Oculo Purulento. Item de ejusdem oculi Procidentiâ hæc habet Clariss. Godefridus Bidloo in exercitationibus Anatomico-Chirurgicis.

De Oculo Purulento.

Ut de *Oculo Purulento* (*Hypopyo*) cujus variæ statuuntur species & denominationes, respicientes propriam, vel comparativam vocum ὑπὸ & πυον significationem, distinctè meam aperiam mentem, subjiciam primò hunc affectum distinctum ab sic dictis suis speciebus; examini sedulo, nec cum aliis & inferiùs describendis ejusdem tituli morbis, ut plurimùm solet, confundatur.

Oculus Purulentus est liquoris oculi lymphatyci, ab causa interiore, infra membranas bulbum constituentes in pus mutati, collectio; apparens per corneam, nunc cum magna, nunc cum parva hujus; imò & vicinarum membranarum in totum, vel ex parte, protuberantia; quæ, si pedetentim sensimque ceperit incrementum, intensi non est; si verò citò emerserit, intensissimi doloris: cui accedunt in primo casu, visûs obfuscatio, in secundo, visûs abolitio, externarum oculi partium inflammatio & intumescentia, quarum comites febres totaque earum molestissima & fida turba. Hic morbus curatur numquam sine visûs abolitione, ut me cum ratione docuit, mea ab multo tempore praxis & singularis hujus morbi observatio: pus etenim vulneribus partibus oculi vicinis inflictis aliisque morbis agitatis, in oculi bulbum posse effundi, verum est; non autem verum est, inde oculum (ad titulum) *Purulentum* confici; sed an & quousque, respectu visûs, hæc symptomata sint curabilia? docebitur inferiùs.

Completo huic morbo, qui dissipantibus; aut maturantibus in-vel externè adhibendis, resistere mederique conantur; accizare & olerum additamenta apponere mihi videntur; dissipari, aut fugari cùm pus nequeat ipsaque maturatio partibus interioribus tenerrimis devastationem ipsique morbo morbum superaddat novum, priore nociviorem; in Chirurgiam itaque medendi sit refugium?

Etsi verò ab multis pertundendi corneam, hoc aliisque in casibus habeas methodum, sine tamen (*lect. Chirurgo-phile*) uti eam, secundùm me, te doceam & tu videsis, eamne correxerim eique utilitatis aliquid adjecerim? vel non.

Ægro

Ægro firmum occupanti sedile, luci exposito. fasciâ pulvilloque oculo ab morbo non infestato, obvelato, affecti verò bulbo, Chirurgi digitis, vel speculo confirmato decentisque ægri manibus, pertundatur tumor parte circuli iridis inferiore fiatque, per adnatam scleroticamque ad-& per corneæ limbum apertura: Instrumentum, quo, sit scalpellus (de alia quadam scalpelli figura mox) in formam rostri pafferis acuminatus: de internarum quippe partium conservatione, hoc in casu, inutilis est sollicitudo, utpote jam nunc deperditarum dispositione & usu. Motu; sed leniore, quàm est possibile, omne pus & peccans latex eliciendus est, quod sanè in aperiendis omnibus tumoribus idem non obtinet. Moneo vulnus per limbum corneæ tantùm esse infligendum & non ulteriùs estque mihi hujus asserti suasorium hoc argumentum, primò; hiare hoc modo vulnus satis, secundò; pellucentiorem electro corneam, hac methodo, ab fœda liberari cicatrice & quasdam pristinæ diaphaneitatis postea conservare reliquias: nam lens crystallina & ipse liquor vitreus hoc in morbo quidem vera destituuntur dispositione & sic vero usu; sed tamen sępius non liquescunt bulbumque oculi tenent distentum; quòd si verò in liquorem solvantur, unà cum pure per vulnus eliminari possunt. Medicamenta afflictę parti adhibenda aliaque hoc thema spectantia, prostant in sequenti observatione.

Multos jam ab hinc ante annos, duxit me Vir quondam Consularis J. SIX. artium nobiliorum antistes, Amstelędami in fossam (vulgo) *de Gelderfche haap*, ad œnopolam; cujus decem annorum filius ex hypopyone laborabat insigni. Ex parentum relatu accipiens, infensissimos post totius exterioris oculi dolores inflammationesque, cecidisse puerum in bulbi intumescentiam deque die in diem augmentum capientem protuberantiam, cùm visus primò obfuscatione & postea abolitione, fuisse ei sectam venam, alvum solutam atque cataplasmata varia in oculum adhibita: intelligebam deinde ab Chirurgo, me monitore, advocato, ea fuisse de maturantium genere, ut pote *ex radicibus liliorum* quas cum multis, calidas credebat, *unguento Basilic. far. lin. fruct. fic.* &c. composita; apta, nempè, nata, qui in oculo latitabat, tumorem ad maturitatem promovere. Æger qui decimo die ante cataplasmatis hujus aplicationem, acûs apicem ab ejus capite discernebat, jam corneam albescentem intus, pupillę vestigium nullum atque visus ne specimen quidem obtinebat, eminente, de ossea orbita, toto oculi bulbo & prolapsum minante horrenter: vociferante, instar furiosi, ægro, parentibus renunciavi visûs conservandi, recuperandive nullam spem superesse, versari imò ęgrum in vitæ discrimine, ni illico pertunderetur oculus. Operationi obstabat Chirurgus, urgens & instans apud pręsentes; esse tempori committendam aperturam, quasi tenera pars corporis, oculus, non admitteret ferrum; cui ego, egisse eum maturationem promovendo pessimè scarabeumque vocavi aquilę obstetricantem. Consentientibus, secundo die; parentibus pertusionem, præmonui eos, esse mihi tantùm in animo, puero vitam & ejus oculo conservare formam; non verò visionis munus, ut pote desperatum; claudi quippe palpebris jam nullo modo ab aliquot diebus poterat; dictum, factum, methodo quâ, monui supra: de vulnere parti inflicto ruebant mox pus, lema, limpida materia, membranularum strię ac sanguinis aliquid. Toti injeci oculo, quod sequitur, medicamen;

℞. *Medullæ pomorum putresc.* ℥ij. *Croci Brit.* ℈j. *Laud. opiat. gr.* v. *Aq. hordei & mic. panis albi q.s. pro Cataplasmate, Inter linteamina tepidè oculo adhibendo.*

Uno hoc die ter oculum inspexi, nequaquam neglecto Cataplasmate prædicto; ter oculo leviter compresso & pure ab eo expulso omni, insperfi lactis (sic dicti) virginei tepidum cum linteis & pulvillis laticem cujus formula hæc est;

℞. *Aceti acidiss. lib.* 1. *Concoquat. cum* ℥iv. *Litharg. aur. Colat. adde Rad. Rub. Tinct.* ʒij. *Sacchar. Saturni* ʒj. *Caphuræ gr.* v. *Ebulliant leniter per horæ quadrantem, filtrent. Colatura conservetur in usum.*

Vesperascente, dolore sedato, altissima ęgro beato quiete & iterata sæpius ea nocte medicamenti adhibitione, experiebar, in ipsius diei diluculo, rerum faciem felicissimè mutatam: continuo itaque medicationem usque ad insequentem vesperam, quâ eum, qui clamoribus contristaverat totam familiam, subrisu & blandiment is eam exhilarate totam, gaudebam. Doloris expertem ęgrum oculumque ejus de horâ in horam in orbitam recedentem, cùm viderent parentes, nescio, quæ non fausta, de visûs recuperatione ominabantur, omni verò expulso pure ulcerosoque consolidato vulnere, prognosin meam probavit eventus: amisso namque omni visu, oculo abfuit deformitas: nisi quod per corneam subluridam interioris suppellectilis (puta) iridis quędam & ligamenti ciliaris, non verò ipsius visus, vel minimę quidem apparerent reliquiæ. Observatum ultimò volo, hac in curatione genis excoriationem, vulneri excrescentiam ejusque labiis indurationem nullam, cicatricem insuper planè lævigatam; Chirurgo verò famæ fuisse & mansisse fœdum stigma inscitię & gravem imprudentiæ cicatricem.

Purulentus itaque *Oculus*, ut suprà descriptus; etsi curetur nunquam sine visûs abolitione, pertundendus tamen est tempestivè, in totius hominis & partium internarum qualemcumque conservationem: febre enim aliàs & vigiliis emaciantur ęgri protuberante oculi bulbo & in prolapsum tendente; festinanda, inquam, pertusio & ultima mox experiri ratum; ut omni amisso usu, ad minimùm faciei decor conservetur vitenturque, quæ semper aliàs sequuntur, ulcera, stillicidia lacrimarum & liquorum, bulbi flaccescentia, vicinarum partium excoriatio, ex quibus omnibus dolorosa & tabifica vita tandemque mors: ut in publicano, pertusionem non permittente, cum Clariss: Chirurgo *Al: Cypriano* expertus sum *Amstelædami.*

Hoc de *Oculo Purulento*, cujus sub specie veniunt *primò; tumores purulenti purisque collectiones inter corneæ tunicæ lamellas: secundò; puris purulentæque materiæ collectiones ab læsis partibus vicinis*, puta inflammatis, vulneratis, ulceratis, &c. multo tumentibus, pure, *in oculi bulbum, temporis tractu, effusæ.*

Horum morborum hujusque puris in oculi bulbo collectionis diversa cum sit causa, locus, sive pars primò affecta, curatio & finis ab præfato morbo, autumo hosce morbos esse habendos pro morbis alterius & sui generis, atque hoc respectu pus in oculi bulbo collectum non esse nisi symptoma: oportet enim ut verbis utamur intelligibilibus & res proximè designantibus; si quoque partium affectus, cum sibi vicinis partibus commercium habentes in eas ruunt & lædunt; postea verò ab primarum propriis affectibus, nomine non distinguantur, unus sine alio distinctè describi, aut percipi non poterit & ipse Delius natator ne per conjecturam quidem morbi alicujus typum, historiam, aut rei assequetur statum: ut hæc omnia explicatius edoceam, agam primò; *de tumore inter corneæ tunicæ lamellas oriundo.*

Hujus tumoris purulenti, vel saniosi descriptio traditur, ut alios taceam, confusè ab *J. V. Meerkeren*: in principio enim *Purulentum oculum*, ut *Solingius piosin* & postea, ut ille idem *Hypopyonem*, describit; sed præstat meliora docere, quàm perperam docta recitare & carpere.

Qui inter lamellas membranæ corneæ oritur (de arteriarum, venarum nervorumque propriis tumoribus

bus nihil commemoro) duplicis eſt generis; videlicet, ab effuſo ſanguine, vel extravaſata & ſtagnante lympha; primus nunquam, altera ſemper in pus degenerat; inde primus tumor ex ſubrubro liveſcente; ſecundus albeſcente de die in diem magis colore, dignoſcitur, utroque agnoſcente cauſam in vel externam: puta dictorum liquidorum, ab ſtatu naturali, mutationem, vel vaſorum lacerationem, rupturam &c. uterque extus propullulans; quinimò etſi maximus, modò hujus generis tumor ſit, magno ſine viſûs detrimento, curatur; ſi curatio ad normam inſtituatur: hi, ut opinor, ſunt illi oculi purulenti, quos cum *Paræo* & aliis, ſe, ſalva viſione, curaviſſe neotericorum referunt quidam. Quod ſi tumores hi interiùs rumpantur contentamq;materiam in oculi bulbum evomant, viſum primò ſupprimunt, deinde veſtigia ſuæ læſionis poſt ſe relinquunt majora, aut minora, pro materiæ copia, ſanguine, nempè, aut pure eorumque tempore, ab quo fuerunt retenta in bulbo, pro ſymptomatibus &c.

Hoc in affectu conveniunt mox ab initio venæſectiones, cucurbitularum impoſitiones earumque pertuſiones, medicamenta diſſipantia, alvi laxationes &c. et ſi exteriùs emineat tumor liveſcatque ex albo, pro quibuſdam ſolummodò horis, maturantia; ſi verò extus, intra biduum ſuapte diſtentione & vi non erumpat collectum liquidum, pus, ſanieſve, moneo te, Chirurgophile, properes; ne ſeriùs abſolvas, ad tumoris per ſcalpellum apertionem; ne interiora perdantur, aut uveæ membranæ poſtea ſequatur procidentia; cornea extus quaſi illæſa; ſed heus! audi, cujus oporteat ſit figuræ ſcalpellus quaque methodo tumori intrudendus; arcum, vel hominis linguam exprimat, ſitque anterior pars ſolummodò acuta; latera verò obtuſa: ita enim ulteriùs, quàm velis, non ruet; ne autem una, verùm iterata inciſione, per & in eundem ſulcum, tumorem perfores obſerveſque; ſi poſſibile ſit, quæ jam in *Oculo Purulento*, de eligendo loco pertuſionis & eliciendo pure commendavi.

Imprudentis porrò mihi videtur, completiſſimam, ut ajunt, moliri & exſpectare tumoris maturitatem: neque id ſolùm hoc in tumorum; ſed verò & in multorum aliorum genere vitandum, ſuſtineo: optimo etenim cum ſucceſſu tumores pertuſi, præſertim urgente dolore, antequam undans me apertionem monere videretur contentus in tumore latex; ipſo imò in tumore œdematoſo id peragere vereor minimè; firmiſſimis hoc adſtruerem dogma argumentis experientiaque multiplici, brevitati ſi non ſtuderem, ſuperſedeo inſuper iis hoc in ſcripto; ut ventilationi relinquatur naſcaturque opportunitas.

Quæ ex hoc tumore (curabili, nempè, ſine ullo, ſaltèm magno viſûs detrimento) elicitur puris quantitas, adeo exigua eſt; ut guttas ſex, octo, ponduſve dimidii ſcrupuli vix ſuperet: quod ſi majore adfuerit copia, majori afficietur viſio noxa. Hujus exemplum ſi deſideres (lect. beniv.) en habe:

Juveni robuſtiſſimo ætatis XXII. ann. dolore correpto infenſiſſimo ex protuberante in punctum & albeſcente ſub cornea diſtentaque adnata (re in anteceſſum agitata & perpenſa cum Clariſſ. quondam Amſtelædamenſibus Medicis, *Matth. Slado & Sam. Apoſtolio*) pertuſi obliquè ab naſi regione, corneæ extimam partem: vulnere inflicto, mirabamur effluentis materiæ paucitatem: puris enim puri, puti arduum erat, vel unam guttulam exhibere, ei quoniam admixtus erat humor viſcidus ſubruber ad guttas 5. aut 6. quem ſperavimus, obtinuimus tamen effectum, ſubſidente, videlicet, mox protuberantia, cedentibus medicamentis topicis anodyniſque cum dolore, febre, vigiliiſque. *albumen ovor. cum alum. crud. conquaſſ. ſolut. opii* & *mucag. per expreſſ. coctor. flor. melilot. in aq. fænic.* in initio, nobis uſui veniebant probè.

Vulnuſculum per aliquot ſeptimanas; madebat, ſtillitante ex eo, nunc aqueo plus minuſve rubro, nunc verò glutinoſo liquore, donec *fotu ex vino rubr. gall. auſt.* & *Rad. rub. Tinct.* iſte fluxus ſiſteretur, tandemque ei cicatrix induceretur ſequenti medicamento;

℞. *ſacc. ſatur.* ʒß. *ſief. alb.* ℈j. *liq. Tartar.* ℥ß. *m.* evaderetque æger curatus perfectè.

Tumorem hunc materiæ agitatione & motu potiùs ejus inteſtino, quàm copiâ, dolorem hunc gravem excitaviſſe, pro explorato habuimus omnes: paucis quippe diebus ortum & complementum acceperat.

Etſi porrò, ſecundùm quoſdam, *Hydrophtalmia*, *Hypoſphagma* eorumque ſymptomata; quinimò *Tunicæ Corneæ liveſcentia turbidula*, ſpecies *Oculi purulenti* dicantur, ab eorum tamen deſcriptione me abſtinebo, egredi, ne quos mihi propoſui terminos, videar. Cùm autem *Sugillatio* (meritò verumtamen echymoſi adnumeranda) unà cum adjacentibus ipſam ſæpèſæpiùs infeſtet corneam, ejus curandi brevem methodum huic annectere diſſertationi utile erit, facietque ad propoſitum meum aliquid; utpote in cujus feſtinatione, quemadmodum in *Oculo Purulento*, omnis ſitus eſt curationis ſucceſſus.

Sugillationi, livedini ab exteriore percuſſione oculo ſuborienti, præſcribenda adhibendaque actutum ſunt remedia: hoc enim ni fiat; coagulante, nempè, ſanguine & liquoribus extravaſatis, compreſſis, contuſis, collapſis, frigeſcentibuſque vaſis vix poſtea reſolvendis, reſtaurandis, fœda uſque in ultimum quandoque vitæ terminum, nigredine partes conſperguntur exteriores ipſaque viſûs acies, non ſine totius viſûs periculo, obtunditur: quid in hoc morbo præſtandum Medico Chirurgo collige (Lect: Beniv:) ex ſequenti narratione.

In prædio *Loënſi* ab regio oſtiario, menſarum præfecto, pugno percuſſus illicò intumeſcebat, oculus, laborans brevi ex *Sugillatione* ingenti: poſtero die (ita enim ſolet inter aulicos) lautiſſimo proſtans æger cachinnantibus argumento: præ cæteris enim hic morbus cum infortunio homines ridiculos facit & contumeliis exponit, deferebatur ab ipſis Chirurgis, qui potiùs hoc malum riderent, quàm ei medicarentur: coactus porrò fœdiſſimum coram Rege abſcondere vultum & aliis ſe ulterius obtrudere averſans, ibat ad me, qui, quod ſequitur, ei præparabam medicamentum;

℞. *Rad. ir. flor. recent.* ʒiij. *cepar. contuſ.* ℈j. *f. in lint. nod.* 4. *injiciendi & macerandi in ſpir. vin. & ad partem affect. ſæpeſæpius adhibendi calidè.* eſt & aliud epith. cujus virtutem non ſemel expertus ſum hoc in morbo.

℞ *ſterc. columb. contriti in pulv.* ʒij. *croc. Britt.* ℈j. *ſal. volat. gutt.* VI. *F. ut ſuprà, noduli.*

Qui poſt aures *cantharides*, aut aliud veſicantium genus nuchæ injecerit, vitium omiſſionis facilè fugerit.

Primo hocce remedio intra biduum oculo totique faciei (ipſæ etenim genæ cum palpebris ad nigredinem liveſcebant) colorem reſtitui naturalem, eum quidem in modum; ut vel petulantiſſimus pediſſequòrum, quod rideret, non inveniret.

Cruſtâ tegi occultarique *ceruſſâ*, *cretâ*, *bolo & albumine ovi* poſſe *Sugillationem*, lippis totamque faciem colore hoc modo mutari ab naturali, comicorum principi jam olim notiſſimum novimus. *Salis volatilis*, *cum ſpiritu vini mixti penicilloque ſugillationi tenuiter inſperſi*, ſtupendum planè effectum atque ſucceſſum expertus nuperrimè eſt juvenis fuſtibus peſſimè exceptus & ante aliquot annos, amici alicujus mei ex equo lapſus, ſtabularius.

Quod

Quod si mox ab principio sugillationi non occurratur, ipsius curatio quandoque est difficillima; ut meo periculo didici in homine Baccho pleno, cui genæ, buccæ, verbo, tota ferè facies inflata nigrescebat: dormiverat enim ea nocte, quâ ceciderat, aut alio forsitan infortunio malè esset exceptus, in platea; tertio die ad eum vocatus, videbam hominem febre correptum trementemque spasmodica agitatione, toto corpore; venam itaque secandam judicavi; postea levi adhibito sudorifero sequens toti faciei injeci fomentum.

℞. *Herb. bismalv. m.* ij. *flor. melilot.* m. j. *sem. fœnic.* ℥ß. *incid. concoq. in lacte dulci, exprim. applic. cum panno molliore, cavendo, ne post crebram applicationem, partes frigescant.*

Repetito sæpius hocce medicamento & depulsa ex parte nigredine; corrugatis verò hîc & alibi, cum palpebris genis, inspersi eis, quod in fine hujus dissertationis extat *ex liquore tartari* &c. medicamentum: hisce etsi de tempore in tempus faciei reveniret color ex luteo albus; naturalis tamen in integrum restitutus est nunquam; relictis cuti ex sugillatione multis maculis istoque colore, quo Javani tinguntur: in curanda sugillatione itaque actutum ad omnia simul accurrendum; excipio autem applicationes viventium dissectarum columbarum & similium animalium, in nucham, quas ullo sine commodo, adstipulatione & commendatione potiùs quorundam scriptorum, quàm secundùm rationem & experientiam, fieri sustineo. De dolorem sedantium familiâ *lac muliebre, opium in aq. fœnic. dissol. mucilag. seminum cydon psyllii, portulac.* rejicienda sunt minimè: suffitu & vapore herbarum fragrantium & sale refertarum volatili, dissipari concretos cum sanguine humores dissolviq; in faciei superficie in sudores & liquamina, hausto interea *Thea*, vel ejusdem virtutis potione, compertissimum est, internè adhibenda remedia de leniter sudorem promoventium & malacticorum oportet sint classe; constipata si ægro alvus, hoc modo purganda: plura ad hanc normam præscribi etsi possint; te autem (lect. beniv.) multorum remediorum farragine non obrutum; sed verò, selectis quibusdam, instructum volui, externè olea unguentaque pinguiaque, de cœtu remediorum, hoc in affectu, rejicienda, dictum est dudum.

Faciei ultimò decori, qui post curatam sugillationem studeat (& studeat oportet) inspiciat discatque ex Clar. *Wekkeri Antidotar. general. titul. de unguent. faciem ornantib.* varias in hunc scopum collineantes præscriptiones.

De Oculi Prolapsu.

Sub hoc Titulo; etsi variæ describantur oculorum protuberantiæ, ego *Ecpiesmum, Proptosin, procidentiam oculique resolutionem excedentiamque*, differre inter sese, cum aliis didici dudum: eò enim venit quorundam incuria; ut *Stamphylomatis* species; imò & *Chemosin*, hoc ad genus & hunc ad morbi titulum referant.

Oculi *Proptosis*; *Procidentia*; de qua mihi impræsentiarum sermo erit, illa est, quâ totus oculi Bulbus cum annexis musculis, adipe & glandulis (quibus & sui sunt morbi speciales; deque quibus suo loco) extra osseam orbitam palpebrasque protuberat, propendit, eminet; quod fit cum, vel sine partium oculum constituentium visibili læsione & morbo, magnitudine excepta & distentione nimia, quæ, hoc sensu; morbus est. Secundò; cum, vel sine totius, notanda visûs amissione: leve etenim quamvis in initio sit visui damnum; quædam tamen semper & post inveteratum, nec curatum morbum major tandemque maxima visioni manet jactura. Est partibus singulis sua magnitudo, dispositio, quâ omnes sibi constant & inter sese proportione requisita ad usum, conveniunt, respondent; unde justâ major omnis earum extuberantia, morbus renuntianda; rarenter autem; si unquam, eousque, ut supra innui, oculus protuberat; quin & simul visum amittat.

Vidi, ante sex annos, *Londini*, virum robustum, cui ambo oculi, horrendum in modum protuberabant: quod ad ipsam partium dispositionem, illam genuinam observavi, præterquam quod ipsis pupilla majuscula, cæsius color & insolita esset cum duritie magnitudo; visu tamen utrumque destitutum omni expertus sum; inquirens in causam, accepi, inter luctandum ab adversario suo, irâ, gymnasticas, vel luctationis anglicanæ, leges excedente, pollices fuisse oculorum orbitis intrusos hominemque mox, nullo inflicto vulnere, dolore correptum summo, non medicis, non chirurgis; sed visu restitisse orbum oculosque magis magisque distendi atque protuberare, quandoque cum, quandoque sine dolore.

Totius oculi *Ecpiesmus*, vel *Protuberantia* curabilis, illa est, quam potiùs musculorum relaxationem dixerim: sive enim id vociferatione, partu difficili, respiratione impedita, vomitione aliave de causa fiat; sufficit manente visu, collegisse, ex partium dispositione, musculos tantùm esse resolutos, distentos præter modum: ipse quippe oculus debitam servat magnitudinem palpebræque ad bulbi latera, vel inferius hemisphærium. Pristinum ut in locum hi prominentes reducantur oculi, imprimunt quidam suturæ coronali, aut temporum arteriis, cauterium; sed quo jure non capio, cùm operatio hæc cum oculorum musculis, hoc in casu & respectu: de paralysi enim alia est ratio deque ea speciatim, commune habeat nihil. Tutius manus, tutius pulvilli, carptum, ligaturæ deprimentes, in auxilium, vocantur; quod si propter dolores inflammationesque medicamine opus videatur; audi quo ego usus sum feliciter.

Accersitus *Amstelædami*, in viam (vulgò *de Kerkstraat*) ad pauperculam (cujus nominis non recordor) difficillimo ex partu laborantem, exploratione & examine celebrato omni & prudenter, fœtum offendo mortuum matremque corpore obesiorem; ut me embryulciæ accingo, en! ventris tormina conatusque in partus summos; erumpunt unà cum fœtu insignis umbilico hernia (exomphalos) & oculis protuberantia prima lævi manuum mearum compressioni; secunda verò cedens minimè, umbilico latam ex mantili ligaturam pulvillosque, sive compressulas; Oculis verò cum multiplici linteolo mox *succum sedi major. plantagin. ad* ℥ a ij. *sacch. saturn.* ʒß; postea *ex cortice querno, rosis rubris & vino rubro gallico, decoctionem tepidè injicio.* Ægra hæc restituta in integrum ita fuit: ut sequenti anno, absque horum omnium symptomatum vestigio; fœtum peperit masculinum, vegetum.

Oculus totus quantus, visu amisso toto, immersum excrescens orbitamque excedens, cancer sive, sive ficus, suppuratio, putredo, aut sphacelus, cariesve ossis, in causâ sint, medicamentis curatu est difficillimus; multis *in Vitriolum & præcipitatum album probè lotum*, aliis *in mercurialia fortiterque adstringentia*, refugium est; Ego autem medicamentis, *Lapide* præsertim *infernali*; etsi moderatè usitato, mederi huic malo non potui: sepositis quippe partibus incrustatis & in escharam deductis demortuisque, expullulantem denuò fungosam excrescentiam dolui semper; quapropter iteratis horum aliorumque medicamentorum applicationibus palliativam duntaxat curationem molitus sum. Corrodentium nihilò minus remediorum postea optimum expertus sum, *Butyrum antimonii mitigatum cum Tinct. croc. vel opii. Penicillo excresc.* … *S. artem inspersum.*

Oculo ab humorum effluxu, extra orbitam distento tandemque crepante, cum cornea, uvea dimissoque cum pure, vel ichore, quidquid liquidi in ejus cavitate continetur, medela est in desiccantibus, *Vitriolum cypr. fæces vin. rubr. vet. cort. lig. quer. flor. rosar. balaust. hisce conjunge Rad. tormentil. Terr. sigil. cretam.*

Partim conservatum partimque excisum, ex hoc morbo infestatum oculum, memoriæ tradidere quidam: quod cùm ab me factum, vel ab aliis tentatum nunquam viderim, velim rei & veritatis fides penes hosce scriptores sit;

Etsi quibusdam visum fuerit protuberanti, præfato modo, oculo, filum injicere, constringere atque ita putrescentem oculum de orbita avellere, aut ante putredinem forcipe & forfice apprehendere & abscindere, vel acu eum trajicere atque ita forfice extirpare; ego tamen sæpius & benè manu cultroque rem peractam ab aliis, legi vidique, ut & ab me ipso & quidem primò ab

Marcello vander Maas, Chirurgo quondam *Amstelædami* celebri, qui viro nauclero, ætat. 38 ann. oculum sinistrum deformiter protuberantem, adeò ut digitis apprehendi removeriq palpebræ non possent commodè & fœtorem emittentem horrendum, excidit: ortum traxerat morbus hic ab tumore oculi interno, sanie impleto multa, protuberantem quem, prope encanthum majorem, scalpello post multas, sine fructu adhibitas medicationes, perforaverat quidam Chirurgus; sed puris nihil, saniei & ichoris verò fœtentis multo erumpente latice, suam agnoverat homo errorem memoratumque confugerat ad Virum, qui etiam plurimis usus mediis, præsertim *pastillis ex calce viva, sapone veneto & mercurio sublimato*, irruente de die in diem & depascente partes internas externasque deformante, livore, fœtore & sphacelo, tandem omnia incassum adhiberi, persuasum sibi habere cogitur; cultello itaque manum applicat remque sequenti methodo, ad finem perducit optandum: altiusculo collocato in sedile, brachiisque ægro in terga devinctis, oculorumque obvoluto dextro, auxiliantium Chirurgorum unus; ut potest, cum frontis velamentis palpebram sursum detinet elevatam firmiter ipse chirurgus apprehenso detractoque toto de orbita tubere, excisionem, parte inferiore ab encantho majore ad minorem, incipit: deinde eadem methodo, parte superiore, cultro aliquantulum incurvato, apicis, nempè, respectu & manubrii, non verò semilunari, absolvit: verùm non unâ alteràque; sed multiplici incisione, usus tandem forfice non semel. Exciso oculo, totum osseæ orbitæ cavum, carpto, *albumine ovorum pulvereque consperso* implet *styptico*, obligans & alterum oculum. Nullam notandam hæmorrhagiam exulcerationes, putredinesve in nervi optici, vel aliarum partium velaminibus, nullas observavimus, ut & ne in tenerrima, quidem ossa irrupisse cariem; quod autem significatu dignum, toto curationis intervallo, tanto nunquam fuisse agitatum dolore ægrum, quanto nuper unâ sæpius horulâ, conquestumque fuisse de eo, neque febre correptum graviore unquam. Adhibitis porrò vulneribus hujus commatis adhibendis observatoque vitæ regimine peractisque, prò tempore peragendis, curatus extitit homo. Accino ego euge! benè! feliciter!

Ratio quare nervi optici motoriique læsio hæc, graviora non pepererit symptomata, hæc mihi videtur. 1. ipsi hi nervi, in causa morbi non fuerunt: nervorum quippe truncos benè constitutos vidi. 2. majores nervi, puta femoris, axillares, &c. obtruncantur, amputantur, læduntur, sine graviorum symptomatum syrmate: eorum enim truncatio proximè, sive ad exitum de ossibus capitis, vel vertebris, sive ab ipsis longiùs remota fiat, pro nervi magnitudine & aditu ad alias quoque partes, perpendenda extat; cùm nervus ubique locorum dispositione idem sit: periculum itaque non ab loco; sed nervi abscindendi, magnitudine & aditu ad alias quoque partes deducendum colligo stillantemque (post truncata membra) de ejus involucro, laticem partis restitantis & conservandæ, cum chylo, de arteriis accedente, medicamento esse balsamico.

Vivit, quondam præfectus militum pedestrium, nobilis vir, natione Gallus, cui, ab sola concussione capitis, ex magni tormenti explosione, uterque oculus visu orbus, extra orbitam, boum oculorum instar, brevi postea protuberavit; Setaceis verò, venæ sectionibus multisque in usum vocatis medicationum formulis frustra diuque jam nunc, dolore percitus nullo, omni valedixit remedio, heroïco ferens animo nobilioris sensus jacturam.

Ostendit mihi *Hagæ-Comitis*, 4. Septembris 1699. *L. Commenik*, *Med. Doct. celeber.* & *A. Stuckery, famigeratiss. Chirurg.* spectatu horrendum oculi prolapsum, potiùs cum oculo excrescentem fungum, vel fœdam excrescentiam, dextram totius faciei inferioris defœdantem partem, ut adspectu; ita & fœtore vix tolerandam; negaverunt autem nobis parentes oculi excisionem, multis fatigati & incassum adhibitis remediis, eorumque sumptibus, cumque insuper, duodecim annorum puer tabidus, macilentus, dolore, vigiliis, febre lenta &c. confectus extaret, nemo nostrum hoc negotium valdè ursit moriebaturque miserrimè, sequenti annô, omnibus nominibus miser renuntiandus æger.

Feliciorem nacti sunt sortem Nobiliss. Vir *J. De Wilde*, Colleg. archithalassico, quod *Amstelædami* est, olim ab actis & *Brouwerius* mercator, adhucdum in vivis, quibus secundùm artem excisus in totum oculus, ne vel aliquod quidem ulcus, fistulam, aut cariem post se reliquit.

Hisce aliisque exemplis ipsaque ratione duce, confirmatus, hanc operationem, cum *Joanne Rauwenhof*, præpotentium D. D. Belgii fœderat. Chirurgo castrensi primario Ann. 1690. 24. Julii, in *Guilielmo à Winkels*, milite in cohorte Nobiliss. ducis de *Heu elom Bruxellis* institui: sinister oculus in prælio prope *Fleurus*, hastâ perfossus la eratusque primò ab aliis *Carolorogii*, postea *Nivigellæ* & *Bruxellis* tandem ab nobis fuit tractatus & excisus, & probè curatus, orbitæque osseæ excavatæ impositus è vitro artificialis oculus: Nam etsi inspector, vel moderator castrensium nosocomiorum, ipsemet manum præbere ægris vulneratisque, ex mandatô Præpotentium D. D Ordin. Fœder. Belgii, non teneret: hôc tamen similibusque in magni momenti casibus, rogatus eam miseris negavi nunquam.

Totum quandoque oculum fieri convertique in callum, legi apud alios; verùm vidi nunquam: quinimò vereor, ne ipsius tunicæ adnatæ excrescentis duritiès, iis imposuerit: Eam enim excrescere immensùm, & non raró, & ex ungue, calli ad instar indurari, dictum jam nunc est suprà.

Curationes Joh. Harthmanni in affectibus oculorum.

Strabismus.

Strabismus recens (inveteratus enim non curatur) in pueris (universalia pro humore peccante præmittuntur) corrigitur, si larva faciei applicatur foraminibus ad locum oculorum perforata, ut per ea radios visivos emittat patiens, et propter situm ipsorum radii

radii visivi ad genuinum oculorum situm reducendi conformentur: opus tamen est accurata diligentia, in hoc rectè perficiendo.

Paralysis oculi.

Paralysis oculi rarò occurrit sine resolutione aliarum partium: si tamen sola, vix curatur: & si cum reliquis partibus, ut in Hemiplexia, cura eadem instituitur, quæ in paralysi communi.

Visus imbecillitas & caligo.

Ad visûs imbecillitatem & caliginem, spiritusque visivos confortandos, cerebrum humoresque ipsius rectificandos, præmissis universalibus mirificè prodest Euphrasia dextre parata. Vulgò utuntur eâdem in infuso vini, in quotidiano victu cibis admixtâ. Item in conservis, aliisque formulis. Præstat ipsius essentia Chymice extracta ad gr. 2. 3. 4. 5. Item Sal ejusdem crebris solutionibus & coagulationibus, præsertim, si cineres ab initio cum Sulphure ana calcinati fuerint sine igne, (h. e. ne fluat in tigillo) ad summam puritatem deductum, & in usu sali mensario admixtum. Sic Euphrasiæ arcanum præstantissimum est in visû recuperando à gr. 2. ad 5. hinc verè *Augentrost*, dicitur.

Aqua quoque est efficax, quæ fit h. m.

♃. Fol. Euphrasiæ, Rutæ, Verbenæ, fœniculi an. M. j. Summit. rorismarini, salviæ. flor. ros. an. p. j. Bacc. juniperi ℥j. Cassiæ ligneæ ʒß. Ligni Aloës ʒß. Sem. fœniculi ʒij. Sileris montani ʒj. Rutæ ʒß. Infunde c. vini Malvat. ℔vi. macerentur per quindenam. postea destillentur. Hujus cochl. ß. vel j. manè jejunô ventriculô sumptum visum eleganter confortat.

Externa est: aqua Ocularis cum Vitriolo albo confecta, h. m.

♃. Lapidis scissilis, *Schiferstein*, in frusta contusi ℔ß. Aquæ fontanæ claræ vel pluviæ, quæ præstat, ℔iv. Vitrioli albi ℥j. ad summum, vel ʒvi.

Coque ebulliendo in olla, & inter coquendum spumam diligenter remove ad casum 2. digitorum transversorum, posteà per filtrum mitte, & vase benè clausô serva. Usus quotidianus est immittendo in oculum manè & vespeti guttas aliquot.

Ad externos usus it. in glaucomate mirificè commendatur aqua destillata ex fellibus piscium præsertim Lucii piscis. Vid. infrà ungues, nebulæ & pterygia oculorum.

Divulsio & ruptio pupillæ.

In divulsione & ruptione pupillæ, item corneæ omnium optima est aqua, quæ fit ex albumine ovorum. Item ex Cancris & Chelidonia, de quibus in notis ad Basilicam Crollii.

Carcinoma oculorum.

In carcinomate oculorum nihil melius est pulvere illo cuticularum ovi, à quibus pulli excluduntur, simpliciter insperso. Cætera fiant, ut in Cancro.

Epiphora.

In Epiphora vel Ophthalmia præstat Periapton ex radice malvæ simpl. (præmissô caputpurgio & aversionibus debitis.) Radix colligitur, quando Sol præcisè est in scorpio, effodiendo illam subtus cum exortu solis, ita ut radix primùm denudetur ad latus fodiendo, posteà planta tota subtus eruatur. Applicetur radix illa ad nucham alligando vel appendendo.

Ophthalmia.

In Ophthalmia mihi usitatum est applicare ad nucham, cæteris paribus, farinam Erucæ *Senffmehl* in sacculo interpassato & cum vino coctô repetitis vicibus eundem calidè è regione oculi patientis apponendo. Mirabiliter nimirum ab oculo versus nucham trahit, quod si vesicæ ab hac applicatione fuerint excitatæ, illæ aliquandiu servantur aut rumpuntur, superimposito foliô brassicæ vel hederæ, posteà cum mucilagine seminis cydoniorum in aqua plantaginis extracta, curantur. Oculus verò fovetur vel cum lacte muliebri, vel cum Sieff albo, seu opio in aqua rosarum dissoluto. Soleo subinde externè oculo applicare sacculum cum floribus Chamomillæ repletum.

In Ophthalmia & plerisque oculorum affectibus secreta est aqua ex floribus cæruleis de cichorio, quæ fit hoc modo. Collige flores Cichorii, quando sol leonis principium obtinet, recentes in vitrum inde, & illud replendo, etiam fortiter, quantùm fieri potest, comprimendo, postea orificium diligenter claude (subere vel vesicula quintupla) & circùm circà applica farinam subactam, ex qua panis pinsitur, ità ut 3. vel 4. digitos æquet. Tandem in clibano pinse instar alterius panis, sed tantùm massa illa est super asserculum in clibano ponenda, (ne rumpatur vitrum) & pro coctione fortiori relinque, donec panis eximatur, prospice tamen, ut hæc massa benè cocta sit. Exime & exprime & invenies flores in aquam rubentem & pinguiusculam conversos. Hanc destilla per alembicum ex B. (aqua hæc, nisi destillata, non servatur) & hac in affectibus oculorum, tantùm palpebras externè singulis diebus bis illine (ituro cubitum & manè) albugines, nubeculæ, ungues, suffusiones, caligo, imò ipsa cæcitas mirificè tolluntur.

Dolor oculorum.

In doloribus oculorum folia Nicotianæ applicentur, opiata hîc vitanda externè, internè tantùm dari possunt.

Hordeolum.

In hordeolo, hordeum jejuno ventriculo sæpiùs masticatum applicetur.

Procidentia oculi.

In procidentia oculi (ut & ani) ♃. Scarabæos in stercore equino natos, mortifica in vitro clauso, ad Solem benè exsiccentur, & F. pulvis tenuissimus, qui servetur usui: post mollificatas partes aspergatur tenuiter & fiat dextra repositio. Vide infràj de procidentia ani.

Lachrymæ.

In lachrymis. ♃. Cort. granatorum ʒiij. vel ℥ß. Lapid. hæmatitis ʒj. vel ʒiß. Cortices coque in aq. rosarum, colentur sæpiùs, postea in colatura lapidem pulverisatum terendo dissolve. Hæc compositio applicetur oculis in petiis: quidam etiam applicant sacculum ex flor. Chamomillæ. Vide Platerum in praxi.

Pustulæ & maculæ oculorum.

Ad Phlyctenas, pustulas & maculas oculorum, fel anse-

anserinum, gallinarum & piscium ana part. æq. vitro inde, adde mellis modicum. F. linimentum, quô oculi inungantur.

Fistula oculi.

Ad Oculi fistulam. ♃. Sulph. vivi, acet. fortissimi, aluminis, salis an. ℥j. Rad. lapathi acuti rec. ℥ß. F. Unguentum.

Inflammatio oculorum.

Ad oculorum inflammationem, dolorem, Epiphoram,

♃. Aquæ rosarum, Euphrasiæ, verbenæ ana ℥ß. Tutiæ præparatæ ʒj. Matris perlarum subtilissimè pulverisatæ ʒij. M. & usûs tempore præcipuè misce probè instillando parum in oculum, nec non pecias ex mistura illa madentes extrinsecùs applicando.

Principio sive à causa calida, sive à crassis & flatulentis spiritibus nata sit Ophthalmia, præmissâ evacuatione per clysterem seu lenitivum purgans, venæ sectio aut cucurbitulæ scapulis applicandæ.

Hinc statim ad corporis evacuationem die sequente properandum, & ad pillulas coccias & Lucis accedendum.

Interim statim collyrium in oculos mittendum, solum scilicet lac muliebre recens mulctum cum aqua plantaginis & pauco croco; Hoc nimirum humores ab oculo repellit, antequam verò applicatur, prodest lavare oculos decoctô fœnugræci, aut applicare pomum coctum cum pauco fœniculo sub cineribus in forma cataplasmatis. Repetatur lotio & cataplasmatis applicatio, dictique collyrii immissio sæpiùs. Hinc ad alia collyria & Ophthalmica properandum.

Quòd si affectus hic per intervalla revertatur, purgetur patiens cum sublim. cum sol. aliquoties.

Hinc Vena secetur & adhibeantur sequentia Ophthalmica.

Occipitio quoque setaceum seu cauterium applicetur, aut fiat fontanellum in brachio. Nam hoc maximè ex capite & oculis revellit & ab ophthalmia præservat.

Si verò Hypochyma adsit incipiens (facta nimirum suffusio & confirmata, sôlius ocularii Chirurgi ope curari potest) nisi adsit plethora, vena secanda non est: ne refrigeretur cerebrum & posteà materiem largiùs cumulet, & in oculum transfundat; sed potiùs materia concoquenda est & educenda, visus & caput confortandum & ne vapores è ventriculo ad caput ascendant, cavendum. Unde pulveres post cibum præscribendi ex confectione, semine fœniculi, summitatibus Euphrasiæ, vel rabellis cum ol. fœniculi & aqua Euphrasiæ, aut Extracto ejus. Et si necessitas urgeat, vesicatorium occipitio aut cauterium apponatur, quod ad minimum ad sex menses teneatur apertum.

Ad hæc collyriis sequentibus utendum, quæ antequam oculis indantur, non inutile erit, fovere oculos sacculo sequente aquâ calidâ immerso.

♃. Fœnugræci aq. frigida loti ℥iß. sem. lini ℥ß. malvæ, althææ an. ʒii. terantur & pannis lineis raris includantur insuanturque.

Ad Collyria autem oculis immittenda mirè prosunt aqua mellis, Euphrasiæ, rorellæ, Chelidoniæ, fœniculi, valerianæ, succi dictarum herbarum per se depurati, qui vel soli adhibeantur, vel inter se permisceantur adjunctâ pauculâ aquâ rosarum lacte muliebri, decocto fœnugræci, cum collyrio albo, croco & tutia præparata.

Si erosio vel vulnus subsequatur & adsit; stupendum hocce ophthalmicum, oculos ad desperationem usque læsos restituit virtuosissimè eorumque vulnera spacio 24. horarum glutinat. Collige succum florum & foliorum Chelidoniæ, ejusque bonam quantitatem in M. B. digere, ut sponte suâ depuretur, donec in ea omnes impuritates ad fundum dejectæ fuerint; deinde.

℞. Mense Junio sole & lunâ existentibus in cancro, cancros fluviatiles Num. xx. sectisque extremis seu durioribus pedibus & caudarum crustis, contundantur in mortario, ut succus indè exprimi possit, quem cum Chelidoniæ succo depurato conjunctum destilla ex B. M. reserva usui. Eodem tempore collectionis alium cancrum vivum integrum & nullâ sui parte mancum in ollam inditum exsicca in clibano usque dum teri possit, exsiccatum reduc in pulverem tenuissimum & subtilissimum, per incerniculum optimum trajiciendo. Hujus pulveris exiguam quantitatem ex canaliculo pennæ præcisæ in vulnus oculi instilla, atque ita relinque per horas 24. succedente tempore eandem tantùm aquam sine pulvere prædicto sæpiùs immitte, lavando & eluendo omnem purulentiam, quæ tamen vel nulla, vel admodum exigua apparebit, & optatus certè finis subsequetur.

Rubor Oculorum.

Ad ardorem & ruborem oculorum cum dolore.

♃ Butyri recentis novies in aqua rosarum loti ℥ß. tutiæ præparatæ ʒj. Camphoræ ʒß. M. & reserva in vitreo vase & parum oculo indatur.

Ad inflammationem, & rubedinem oculorum ut & pustulas faciei rubras dissolvat saccharum Saturni aquâ Euphrasiæ & rosarum ana, addito pauculo tutiæ præparatæ.

Ad caliginem, rubedinem, lachrymas & omnia ferè vitia oculorum valet aqua Crollii Ophthalmica & sequens:

♃. Vini albi non adulterati, aq. rosarum án. ʒij. sacchari candi albi, vitrioli purificati an. ℈iv. M. posteà ex hac aqua super cotem tere tamdiu Zinziberis digitum unum, donec in aquam absumptus fuerit, cola per Chartam emporeticam per vitrum, tandem in S. V. Cochl. ij. solve camphoræ tritæ ʒi. M. cum priori & eam probè servatam ad quævis oculorum vitia usurpa, immittendo sæpe gutt. j. atque alteram.

Hyposphagma.

Hyposphagma oculi tollunt summitates hyssopi aquâ simplici coctæ, & in nodulo oculis tepide applicatæ. It. Radix sigilli Salomonis conquassata, oculo partibusque vicinis in forma cataplasmatis apposita. Vulgò sanguinem è plumis columbarum pullorum expressum calidè oculo indunt.

Ad rubores tollendos utile ovum ad duritiem coctum per medium dissectum oculo per noctem calidè apponere.

In omnibus ferè oculorum morbis medicamentum est, Aqua ophtahlmica cœrulea.

♃. Calcis vivæ benè ustæ & in frustis integris, quæ aëris vel aquæ injuriam non passa sit lib. iv. pone in vase amplo stanneo & superfunde aquam pluvialem aut fluvialem usque ad eminentiam dimidii pedis, sine lentè resolvi & agita subinde spatulâ ligneâ usque dum aqua benè imprægnata sit sale calcis, quam filtrâ & serva usui. Hoc tertia vice repete cum aquâ recenti & singulas filtrationes seorsim serva. Nunc recipe aq. primæ part. i. secundæ part. ii. tertiæ part. iii. misce invicem & in lib. i. hujus aquæ dissolve drachm. unam salis armoniaci, infunde dissolutionem, hanc vasi cupreo aut æneo & retine in eo duodecim aut quin-

quindecim horas, vel usque dum instar Sapphiri orientalis tingatur; Post filtra exactè & usui serva in ampulla vitrea.

De hac le Febvre in tractatu de Chymia. Hæc aqua non habet sibi æqualem, ad omnes affectus oculorum, absque respectu à qua causa oriantur. Nam sal calcis vivæ cum sale volatili urinæ, quod virtutem salis armoniaci constituit, permixtus, vitriolum subtile ex cupro & ære extrahit, quod inseparabiliter reperitur in aqua & communicat virtutem refrigerantem, mundificativam & deficcativam; Dicam insuper, quòd hæc tria salia ita invicem conjuncta extinguere, & depellere possunt omnem malignitatem salium acrium corrosivorum, & mordicantium, quæ sanguinis serositati permixta sunt, & quæ sunt vera causa efficiens non solùm doloris, inflammationis, & ulcerum oculorum: sed etiam plurium, omnis pruritus, omnis eruptionis & ulcerum, quæ oriuntur & in externis humani corporis partibus formantur. Ideòque hæc aqua utilis non solùm contra affectus oculorum, sed quoque contra pruriginem, scabiem & ulcera.

Ista autem emendatior est sequens. d. m.

℞. Aq. flor. Cyan. Chelidon. Euphras. rosar. proprio sale acuatas an. ℔ii.

Superfunde calci vivæ injuriam aëris non passæ, cujus sale quoque impraegnatas filtra, adde.

Phlegmatis urinæ ex destillatione Mercurii microcosmi collect. ℔iv. Salis ex fæcibus ejus extracti, vel salis armoniaci ℥iß.

Stent in vase cupreo aut aurichalcino, donec perfectè colorentur, post per aliquot menses soli expone, filtra & usui serva. Hæc aqua, quæ in oculorum morbis est stupenda, cum aquis destillatis simpl. permulceri poterit, ad usum pro medici arbitrio. *Hactenus Joh. Hartmannus in Praxi Chymiatrica.*

Curationes in Oculorum affectibus ex Clariss. Luca Tozzi.

Dolores oculorum, inquit Hippocrates, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum epotum solvit, pro varietate scilicet humoris dolorem, aut phlegmonodem tumorem inferentis. At plerique nulla adhibita distinctione causarum, semper & omninò sanguinem detrahunt, ac refrigerantibus liquoribus affectos oculos abluunt: mox etiam purgans medicamentum propinant, cucurbitulas scapulis, capiti, & temporibus emplastra, oculis verò cataplasmata, aliaque topica admovent.

Verùm refrigerantia nunquam affectis oculis profuere: his enim stagnantes humores adeò impinguntur, ut tamdem insolubiles fiant. Notabile est quod refert Riverius. Rusticus quidam diuturna ophthalmia laborans, cum ex præscripto Medici refrigerante victu, & aquæ potu ad longum tempus nihil profecisset, tandem ab alio Rustico persuasus refrigerantem illum victum deseruit, & mero indulsit, ac subindè se meliùs habere sensit, & intra paucos dies, continuato eodem potu ab ophthalmia prorsùs liber evasit. Idemque aliis duobus contigisse subdit idem Auctor. Neque solùm vitiosos oculos refrigerantia lædunt, sed & sanos. Meminit de quodam Nobili viro Fabr. Hildanus, quod ab assidua lotione faciei, & oculorum cùm aqua frigidissima visus paulatim elanguerit.

Conferunt itaque intrinsecùs quæ sanguinem stagnantem dissolvere, atque à suis recrementis purgare valent: Externè verò efficax mihi semper, & salutaris observata est. Hæc aqua, quæ ita fit: In aq. rosf. alb. lib. ß. euphrasiæ fæniculi, chelidoniæ & rutæ sing. ℥iii. vini alb. opt. & veter. lib. 4. infund. antim. crudi in pulverem redacti ℥iv. fel. avium aut Gallinarum iii. tutiæ præp. ℥i. viridis æris pulv. ℈ii. aloës opt. ʒ. ii. ß. caryophyll. pulv. ʒ. i. camphor. & croci singul ℈ß. Omnia in phiala obturata exponentur ad sol. per dies 30. tempore æstivo, quotidie vas agitando, donec aqua ad flavum tingatur.

Ea postmodùm utor manè, & sero jejuno stomacho instillando in oculorum angulos unam, aut alteram guttam: brevi enim impactos humores attenuat & abstergit, visum acuit, maculas delet, suffusionem arcet, & oculos mirabiliter confortat. Addi etiam illi potest, si lubet, aliquantulum sacchari candidi, quod una simul cum cæteris dissolvatur.

Plures aliæ aquæ ophthalmicæ, & collyria commendantur à Medicis, ut ab Hartmanno aqua florum cichorii, sicut etiam ejusdem collyrium. A Crollio, & à Quercetano alia; & alia pariter à Riverio, qui præterea lib. 2. cap. 8. ad maculas oculorum conficit aquam mellis: & in aqua rosarum diluit sal ammoniacum. A Riolano describitur aliud collyrium. Et à Mynsicht aqua ophthalmica aurea, viridis, subnigra, & de cancris, quas omnes præstantissimas esse dicit. Commendantur quoque sanguis recens columbarum cum aqua rosarum: albumen ovi cum alumine agitatum: vinum album, in quo tutia præp. soluta sit: decoctum radicis symphyti, & sigilli Salomonis in aqua vel vino: ipsiusque vini spiritus; si videlicet his oculi lippientes pluries abluantur. In Actis Hafniensibus ann. 1673. describitur unguentum ophthalmicum valde efficax compositum ex unguento nihili, & de tutia, margar. coral. rubr. ocul. cancri, camph. foliis aur. & lun. & saccharo saturni, idque Auctor expertum fatetur. Optimum quoque est quod conficitur ex una parte sacchari saturni dupla verò camphoræ.

Suffusio Græcè Ὑπόχυμα, & Ὑπόχυσις, vulgò ex Barbaris Cataracta, affectus ille est, in quo pupilla pilla à concreto ibidem humore obstruitur, & visio impeditur. Arabum plerique inter crystalloidem, & uveam tunicam, humorem concrescere arbitrati sunt. Galenus inter crystallum, & tunicam corneam. Celsus inter hanc, & aqueum humorem; cui Avicennas cohærere videtur. Experientia verò pluries innotuit ejusmodi humorem densari inter Adnatam tunicam, & corneam, quia à peritis Chirurgis acu argentea extrahi solet. Nihilominùs testatur Rolfincius suffusionem non rarò fieri à crassitie humoris crystallini.

Incipientem suffusionem designant apparentes ante oculos muscæ volitantes, culices, pulices, pili, ac veluti aranearum telæ; quin & aliquando res videntur cancellatæ, præsertim matutino tempore. Mox pupillæ color mutatus, & visio omninò deficiens confirmatam suffusionem arguunt.

Observat Galenus l. de sympt. caus. cap. 2. faciliùs curari suffusos, quibus altero oculo conniventibus, alteriùs pupilla dilatatur; secus verò quibus potiùs constringitur, sicut pariter cùm omni lumine orbata cernitur, atque ad fuscum, nigrumque colorem versa est.

Quoniam suffusio oriri putatur à crasso, tenacique humore, illam tollere conantur Medici per medicamenta, quæ eundem humorem evacuare valent, qualia dicuntur phlegmagoga; deindè cephalicis calefacientibus incumbunt, itemque decoctis ex salsa, sassafras, china, cum stœchade, betonica, euphragia, chelidonia. His non proficientibus deveniunt ad collyria detergentia, nempè ad aquam socialem dictam aut mel rosatum, aquam mellis, rutæ, fœniculi, verbenæ, euphragiæ, chelidoniæ cum felle perdicis, accipitris, hirci, lucii piscis, aut lupi: pariterque ad cauteria occipitio, & brachiis adhibita. Tandem cùm confirmata videtur suffusio, concretum humorem

rem instar membranæ acu removendam expertis Chirurgis committunt. Cujus extractionis modum tradit Celsus lib. 7. cap 7. Ægineta lib. 6. cap. 21. Fabr. ab Aquapendente de Oper. t. Chirurg. Scultetus, Barbette, & Gerardus Blasius, præ cæteris aliis. Addit Hartmannus, si erosio, vel vulnus subsequatur, stupendum ophthalmicum: quo oculos, inquit, ad desperationem usque læsos restitui, eorumque vulnera spatio 24. horarum glutinarit. Colligendum vult succum florum, & foliorum chelidoniæ ad eam quantitatem quæ abundantior haberi potest: in B. M. digerendum subdit, ut sponte sua depuretur, impuritatibus nempè in fundo subsidentibus; deindè (mense Junio lustrantibus sol. & lunâ signum cancri) cancros fluviatiles 20. relictis durioribus extremis, & caudarum crustis, contundendos præcipit in mortario, ut succus inde exprimi possit, quem simul cum chelidoniæ succo depurato destillandum ex B. M. & usui servandum inquit. Per idem tempus alium Cancrum vivum integrum, & nullâ sui parte mancum in ollam inditum, exiccat in clybano, usque dùm teri possit; exiccatum reducit in pulverem tenuissimum, atque per secerniculum trajicit. Hujus autem pulveris exiguam quantitatem ex canaliculo pennæ in vulnus oculi immittit, ibique relinquendum per horas 24. succedente verò tempore aquam sæpiùs infundendam, lavando, & abstergendo omnem purulentiam, & optatum certè finem subequuturum asseverat.

At quamvis fidem omnem adhibeamus ophthalmico huic medicamento, tot, tantisque aliis medicamentorum sive tormentorum generibus pro curanda suffusione propositis, minimè possumus assentiri: pluries enim experti sumus his non levari, sed magis labefactari suffusione correptos. Satiùs propterea erit congruentibus catharticis per vices uti, potissimùm resinâ jalapæ, extracto agarici, diagridio ex fumo sulphuris parato, pilulis de succino Cratonis, pilulis Lucis, dosi tamen moderatiori; postmodum oculos affectos fovere spiritu vini iteratis ablutionibus, vel aquâ nostrâ ophthalmicâ superiùs descriptâ, aliave simili Ex Th. Bartholino in Actis Hafniensibus, suffusioni valde utilis dicitur Axungia vipetina, si ea oculi liniantur. Commendatur etiam collyrium Riolani. Gentianam incisam, & cum aceto stillatitio coctam oculis instillatam suffusioni remedio esse testatur Lipf. Refert Boyle succo millepedum curatas suffusiones ex consilio cujusdam Empirici, qui gradatim à tribus pro vice ad novem in singulos dies procedebat atque iterùm ad tres, & rursùm ad novem, & sic vicissim. De alia item Muliere meminit ab imminente suffusione præservata, quæ primùm quinque post 10. tum 15. dein 20. ac gradatim augendo numerum quotidie per quinque usque ad quinquaginta millepedes contundebat in vino albo, vel tenui cerevisia, ac liquorem expressum jejuno ventriculo bibebat. Cæterùm concretum in modum membranæ humorem, in confirmata suffusione, extrahere cùm ad Chirurgos pertineat, ipsi consulantur.

In Pterygio, seu ungue oculi, eadem remedia abstergentia conveniunt, præter Chirurgorum operationes. Sed omittendum non est, incipientem interdum deletam fuisse iterato halitu mansi allii jejuno stomacho quod remedii genus Rusticis est familiare.

Accidit nonnunquam musculis oculorum resolutio, vel convulsio; indeque oritur strabismus, quo oculi à sua sede remoti nequeunt directè prospicere, sed coguntur obliquo situ objecta intueri. Aliquando etiam à nativitate strabones fieri contingit vitio musculorum, aut crystallini humoris, cùm ejus situs non recta pupillam spectat: Qua visus deformitate integram familiam ex parentibus strabonibus oriundam affectam novi. Interdum quoque puellos in cunis jacentes hoc vitium arripit, si nimirum lucernæ lumen oblique intueantur; quin & metu repentino perculsos infantes strabismo affectos vidi, cùm scilicet oculos inæquali, & violento motu ex incusso timore commoverent. Quòd si non æquabiliter oculi contorqueantur, aut unus rectum situm, tortuosum alter nanciscatur, unus sursùm, alter deorsùm res geminæ apparebunt; undè Lucretius.

At si fortè oculo manus uni subdita subter
Pressit, cum quodam sensu fit uti videantur
Omnia, quæ tuimur fieri tum bina tuendo.

Ut etiam cùm mente distracti, ac veluti ecstasi abrepti, aliò intendentes, lucernæ lumen, immotis oculis, spectamus, geminum illud intuemur, alterum in proprio situ, alterum aliquanto intervallo dissitum.

Cùm itaque ad Paralysim, aut convulsionem referri possit hic morbus, iisdem utemur remediis, quibus prædictos affectus curari superiùs tradidimus. Hæreditario strabismo correptos inemendabiles esse experientia docuit, sicut etiam ex diuturno tempore laborantes, pariterque vitio humorum, præsertim crystalloides à suo situ immutati. In puellis faciliùs sanatur, si ex obliquo rerum intuitu inductus sit, eâ tamen industriâ, ut continuato motu oculus affectus in suum naturalem situm sensim disponatur. Solent in hanc rem nutrices apponere auri alterutri, à regione affecti oculi, florem, vel aliud quidpiam, ut infans strabismo correptus in eam partem oculos dimoveat, atque ita inductum vitium tempore procedente, corrigitur: quod sanè facile est in tenera illa ætate. Memoriâ Patrum nostrorum proditum est quendam strabonem factum, ob subitum timorem à ruina cujusdam ædificii, cujus causâ oculos repentè, vehementerque sursùm attollerat, ab ejusmodi vitio evasisse, pupilla in suum situm demissa, à pari violento motu oculorum deorsùm cùm se ruiturum crederet; unde nil mirum quod scribit Sennertus, accidisse Medico Leuschenero, cui ob oculorum sursum citam vehementemque eversionem, omnia deinceps inversa apparuerint, & homines obversis pedibus ambulantes visi sint.

Hebescit visus, & quandoque etiam extinguitur; unde Hebetudo, Caligo & Cæcitas exoriuntur. Hebetudo, quidem in juvenibus, caligo in senibus, cùm scilicet utrique in visu deficiunt; Cæcitas verò cùm omninò Visio aboletur. Hebetudo insuper citra manifestam oculi affectionem Græcè ἀμβλυωπία, & ἀμαύρωσις dicitur etsi aliquando ἀμαύρωσις accipiatur pro abolita visione, sine apparente oculorum vitio, quæ Gutta serena solet appellari.

Ad visûs hebetudinem, seu imbecillitatem reducitur μυωπία & Νυκτάλωπία. In prima, nisi exilia corpora oculis admoveantur, iisque conniventibus, videri non possunt. In secunda verò patientes occidente sole, aut tenebroso aëre, obscurè admodum, & noctu nihil prorsùs vident; at interdiù, & aëre sereno, ac lucido perfectè omnia discernunt: quamquàm Hippocrati Νυκτάλωπες dicuntur potiùs qui noctu clariùs quàm per diem cernunt.

Myopia referebatur antiquitùs ad paucitatem, tenuitatemque spirituum animalium per opticos nervos ad oculos confluentium. Nyctalopia verò ad eorundem crassitiem. At ex Opticis causas rationabiliter deducit Platerus & ad crystallini humoris situm varium has videndi varietates refert. Si namque crystallinus humor ad anteriora & versùs pupillam magis vergat, objecta remotiora meliùs cernuntur; at si profundiùs immergatur, objecta nonnisi proximiora discerni poterunt. Unde Myopiam fieri docet ex situ crystallini humoris profundiori, Cùm autem remotiora corpora meliùs videntur, crystallinum ad pupillam accedere ait. Verùm ejusmodi accessum ad anteriora non

appro-

approbat Sennertus, qui potiùs in ſenibus humores à ſiccitate coarctari putat, indeque fieri ut remota rectiùs, quàm propinqua ab illis aſpiciantur.

At præter ſitum, etiam figura, & moles indecens, videndi vitium afferre poteſt, ſi nimirum plana, ſi globoſior, & extuberantior juſto fiat; itemque ſi diminutior, vel auctior, nec non ſi ſolito denſiòr, vel laxior ſit. Hinc experimur quoſdam in viſu juvari conſpiciliis concavis, ut Myopes; alios convexis, ut ſenes, & Nyctalopes, neque omnes pari perſpicillorum convexitate. Contingunt etiam aliquandò defectus in viſione ab humore aqueo, qui interdum extenuatur, & abſumitur, quandoque craſſeſcit, aut diſtrahitur, atque aliter multifariam vitiatur. Videndi quoque vitia provenire poſſunt ab humore vitreo; ſed certè rariùs. Quare veriſimile admodum eſt, quod quemadmodum naturâ humores iſti exigunt convenientem magnitudinem, debitum ſitum, decentem figuram, & proportionatam diaphaneitatem, ut acutè videamus; ita cùm in uno, vel altero deficiunt, viſio læditur, & quidem modis ferè innumerabilibus, pro varia eorundem depravatione.

Innatam lucem oculis ineſſe, jam alibi ex Platone meminimus. Provenit autem lux iſta in oculis ex humoribus, pari certè modo, ac obſervamus ex ſpondylis, oſtreis conchyliis, cæteriſque teſtaceis noctu, & in tenebris lucem non exiguam emitti: Quamobrem, ſi magna, vehemens, & fulgida illa ſit, ut ex pupillæ amplitudine ad extimam ſuperficiem effundatur, atque cum externo lumine, quod etiam noctu per aëra aliquatenus diffuſum invenitur, radiorum pluralitate conjungatur, objecta adhuc in tenebris, non tamen omninò opacis, videri poſſunt, ut pleriſque accidiſſe perhibetur. Atque hinc noctuæ, feles, bubones, aliaque animalia ampliorem pupillam nacta, per noctem vident: quoniam in ampliori pupilla plures, & confertiores externi luminis radii recipiuntur, atque cum interno lumine uniuntur, colliguntur ad formandam viſionem. Eſt tamen neceſſe, ut ſimul cum amplificatione, pupilla parumper etiam extuberet, ut ex convexa figura radii lucis meliùs, & arctiùs uniantur, & in cryſtallo lenticulari excipiantur. Quamobrem è profundo ſomno experrecti, ac ſubito timore perculſi, quia pupillam repentè dilatamus, ſimulque oculum impensè expandimus, & extuberamus, propterea fulgorem quendam ante oculos conſpicere ſolemus.

Imbecillitatem visùs, imò & cæcitatem aliquando procedere ab obſtructione nervorum opticorum, probabile quoque eſt: at non ex eo, quod impediti ſpiritus animales influere nequeant in retinam, & criſtallinum, ut communiter ferè putatur; ſed potiùs quia fibræ nervorum opticorum, quæ à lumine percelli deberent ad promovendam in cerebro ſenſionem, ineptæ ſunt redditæ ad ejuſmodi traductionem afficiendam; quare delapſus humor in nervos opticos, impedit, ne à cerebro ſenſionum omnium judice & exploratore, objectæ rei viſio percipiatur. Qua ratione, oculo lucido adparente, viſio nulla fit, ut in eo affectu, quem Medici Guttam ſerenam nuncupare conſueverunt. Sæpiùs etiam deprehenſum eſt Anatome, viſum defeciſſe à cerebri læſione varia, ut ex pluribus deducit Bonetus.

Quocumque autem modo Viſûs imbecillitas contingat, difficillimæ ſemper erit curationis, præſertim verò ſi à Nativitate ſit, vel ob ætatem ſenilem inducta. Qui enim humorum vitia emendari unquam poterunt, aut quænam remediorum vis, & efficacia in tot, tantoſque oculorum anfractus inviolabiliter pervenire? Perperam proinde plerique medentium pluribus, iteratiſque medicamentorum generibus ejuſcemodi viſûs defectibus, & luſcioſis, ac hebetibus oculis inſultant, quibus ægros potiùs torquent, & in pejorem ſtatum adducunt, quàm vel minimum allevent. Satiùs, & rationabiliùs alii ſolis ſpecillis adnituntur languenti viſui opitulari, atque extrinſecis dumtaxat remediis oculorum aciem roborare, & exacuere: inter quæ præſtat potiſſimùm aqua noſtra ophthalmica, ſi mane, & veſpere in oculos ad guttam unam, vel alteram inſtilletur. Prohibeantur interim ea, quæ caput, & cerebrum infirmare poſſunt, ne congeſta ibidem excrementa in nervos opticos, vel in membranas oculorum deponantur, quæ ſi fortaſsè ibidem cumulata credantur, blandè per convenientia medicamenta repurgentur, uti ſunt pilulæ aloëticæ, extractum agarici, reſina jalapæ, extractum catholicum; Confert deindè ad plures dies ceruſa antim. deſcriptionis Angeli Salæ ad gr. 15. in ſingulas vices manè per quatuor horas ante pandium in aqua lavendulæ, euphragiæ, florum tiliæ, fœniculi, betonicæ, aliuſve; vel etiam cum modico vini albi. Vinum in quo euphragia infuſa manſerit efficax quoque dicitur, & efficacius adhuc ſi ex quo tempore muſtum fervet, infuſio illius fiat; quo deinceps in potum aſſumpto per annum integrum, plerique fatentur etiam decrepitos viſûs aciem recuperaſſe. Ad hebetudinem quoque viſûs commendat Montagnana pulverem quendam, quo decrepitis ad cæcitatem ferè perductis videndi perſpicuitatem reſtitutam vidit. Conficit autem illum ex ʒj. macis, & euphragiæ ℥iv. de quo cochlearis dimidiam partem ante cibum exhibet. Heurnius verò ſolutum liquorem ex hepate muſtelæ recenter exempto, & vino abluto, atque in vitro ſuſpenſo, ſoliſque radiis expoſito, palpebris, & ciliis adhibendum ſuadet; eo enim viſum mirificè reſtitui ſcribit; licèt Hartmannus ſolùm eo utatur in albugine, & nebula oculorum. Idem de alio piſce, Alpuit, vocato teſtatur Borellus: idemque etiam de lampetra: & Foreſtus de alio piſciculo Aelpuych, patrio idiomate dicto. Præſtantiſſimam aquam deſcribit Cardilucius in Hartmannum, qua multos talem, ac tantam viſûs aciem comparaſſe fatetur, ut non ampliùs perſpicillis ocularиis eguerint. Aliam quoque cæruleam notat Hieremias Marcius, quam Bonifacio arcanam fuiſſe ait. Verùm hæc, & alia licet aliquandò profuiſſe credam, plerumque tamen irrita fieri experientiâ teſtatur, ſcilicet ubi vitium intimiores oculi partes occupat, & mutatione ætatum viſûs imbecillitas accidit.

Ad cryſtallini humoris vitium pertinet Glaucoma, & Glaucoſis; ſiquidem is in glaucum colorem mutatur, ex eo quod craſſeſcat, & plurimùm denſetur; unde fit, ut viſio infringatur ob perturbatam luminis refractionem.

Poſtremò epiphora, ſeu Illachrymatio involuntaria fieri dicitur à nimio confluxu ſeroſi humoris in oculos, & præſertim in illorum glandulas; undè lachrymæ proſiliunt.

Illacrymationem ſiſtere feruntur quæcumque adſtringendi, & roborandi vim creduntur habere, ut acacia, hypociſtis, balauſtia, myrtorum baccæ, roſæ puniceæ, plantago, nuces cupreſſi, cortices punicorum, gallæ immaturæ, maſtiche, thus, aloë, ſanguis Draconis, bolus armenia, lapis hæmatites, gummi Tacamahaca, & Animæ, balſamum Peruvianum, myrobalani: ex quibus aquæ & decoctiones parari ſolent pro fomentis, & ablutionibus oculorum.

Ad epiphoras, & pruritus eorumdem ſingulare experimentum inquit eſſe Platerus hoc unguentum, ſi eo liniantur palpebræ, atque ad piſi magnitudinem in majorem oculi canthum indatur. Componitur autem ex ærug. æris gr. xii. camphoræ ʒi. tutiæ præparatæ ℥. ß. butyri recentis cum aqua roſ. liquefacti, & parùm elixi ʒ. vi.

Quod ſi cerebrum compatiatur, & lympha ſuperabundet

bundet, optima censentur, quæ sudorem movent; sicur pariter opiata, si mordacitatem lachrymæ præ se ferant, & erosionem, ardoremque afferant, potissimum commista cum liquoribus cephalicis,& ocularis.

At si Ægylops timeatur, vel fistula lachrymalis dicta immineat, convenient detergentia, ac tandem consolidantia. Amarus Lusitanus ad Ægilopes ceratum hoc describit, multisque laudibus effert. Habet autem pulv. test. conch. ʒii. myrrh. aloës lotæ, & thur. singul. ʒß. sarcocoll. sang. drac. & ceruss. singul. ʒiii. opoponac. aceto sol. & lapid. hæmat. singul. ʒiß. Croci ℈ii. ceræ, & resinæ singul. ℥iii. m. simul. ad ignem f. a. & f. Cerat. angulo oculi applicand.

At Petrus Bayrus sumit mell. puri, & aloës hepat. singul. ℥. ii. myrrh. ℥. i. croci ʒß. aq. lib. ii mox coq. lento igne ad consumpt. mediet. & in decoct. calenti infundi parvam spongiam novam, eamque expressam, & in subtili tela inclusam, ac superligatam sæpiùs adhiberi. Commendat pariter herbam ægilopem, quam eandem esse ait cum avena: ejus namque farinam cum floribus labruscæ, id est vitis agrestis, sanare docet. At Plempius cum plantagine, parietaria, aut portulaca permiscet, & specificum ad Ægilopem dicit. Præscribit etiam hic Auctor linimentum ex aqua ardente; vel vino optimo, & melle ros. col. singul. ad ℥i. & myrrham ad ʒii. addit.

Ad Fistulam denique sanandam, adhibet ulceri Fabr. Hildanus pulverem euphorbii, quo nil præstantius inveniri ait: posteà utitur emplastro ex gummi Elemi, aut balsamo Tolutano ad consolidandum. *Hactenus Clariss. Lucas Tozzi Medicinæ Practicæ parte.* 1.

Clariss. Theod. de Mayerne,

De Ophtalmia.

Ophthalmia cùm sit oculi (præcipuè tunicæ ejus Adnatæ) inflammatio, à sanguinis phlegmatisque biliosi fluxione orta; quæcumque eundem revellunt, derivant, repellunt, ejusdem calorem & acrimoniam temperant, oculum denique ipsum, ejusdem canthos palpebrasque leniter refrigerant ac refocillant, ad morbi hujus curationem faciunt.

Revulsionis & derivationis causâ mi tatur sanguis è brachio larga manu si æger sit plethoricus & inflammatio magnum dolorem comitem habeat: parciori autem, si symptomata sint mitiora.

Injiciatur ante omnia clyster emolliens & refrigerans circa vesperam, ac mane seq. sum. potionem seq. & ad diem proximum differatur phlebotomia, nisi symptomata, viz. dolor, pruritus, rubedo, tumor. &c. urgeant.

Clyster sit talis. ℞. Decoct. comm. em ll. & refrig pro clyst. ℔i. elect. catholic. ℥iß. mellis violac. sacchar. rubr an. ℥ii. msc. f. clyster.

℞. Rad. chichor. polypod. an. ℥ß. glycyrrhiz. ʒii. passul par. iii. flor. buglos p. i sem. anis. ʒi. fol senn. mundat. ℥ß. cremor. tart. ʒiß. f. decoctio in aq com. & colatura, cui addatur infusionis ʒii. rhabarb. seorsim factæ in aq endiv. q. s. cum ℈ii. santal. citrin. Reducantur omnia ad dosin, in qua dissol. syr rosar. composit. cum agaric. ℥j. aq cinam. parum: msc f. potio, detur postridie clyst. mane hor. 3. ante jusculum cùm custodia.

Alvus servetur laxa clysterem sæpiùs injiciendo, ac potionem hanc subinde reperendo.

℞. Flor. vetonic. rubr. p. iv. ros. rubr. p. ij. flor. bugloss. borrag. & violar an. p. iiß. flor. papav. Rhœad. p. i aq font ℔iiiß. vini albi Rhenani ℔ß. cum spiritu vitrioli extrahatur tinctura. In colatur. dissolv. syr. de pom. redolent. ℥iv. syr. nenuph. & ceras. an. ℥ij. msc. f. julap. exhibend. bis in die longè à pastibus per 5. aut 6. dies.

Vel ℞. Syr. violac. ℥iv syr. de pomis redolentibus ℔ß. syr. de trifol. acetos. ℥vi. julap. Alexandrin. ℥iii. misceantur & serventur in ampulla vitrea. Usus tempore, istius syrupi ℥j. agitetur cum ℥vi. aquæ hordei, vel etiam fontanæ aut cisternæ limpidissimæ, & bibatur mane jejuno ventriculo, & post meridiem urgente siti, loco alterius potûs.

Æstus quoque sanguinis optimè attemperitur balneo aquæ dulcis & lact. tepidul. additis emollient. & refrigerant. cum rosis & floribus nenupharis.

Oculo externè adhibeantur sequentia.

℞. Aq rosar. plantag. an ℥ii. phlegmatis aluminis ℥iv. trochisc. alb. Rhasis ʒi tutiæ præp. ℈ii. vitrioli alb. ℈ß. msc. f. collyrium, cujus gutta una vel altera indatur oculis ad majorem oculi canthum.

Vel ℞. Aloës ʒß. dissolv. in aq. rosar. ℥ß. adde sacchar. albiss. ʒi pinsatur cum duobus ovorum albuminibus, additis gr ii camphoræ, f. expressio cum dissolutione aloës nascenda.

Vel ℞. Aq. stillatit. rosf. alb. rut. chelidon. fœnicul. an. ℥iii. vin. alb. Hispan. ℔i. rutiæ præp. aloes hepatic. an. ʒiii. camphor. ʒi. pulverizentur pulverizand. & infundantur loco tepido in arena per 20. dies: deinde servato ad usum.

℞. Viridis æris gr. vii. aloës ʒi. myrrh. ʒß. mastich. ʒß. vin. alb. q. s. f infectio.

℞. Herb. virid. betonic. fœnicul. euphras. chelidon major. verbenæ, trifol. maculat. maculâ fuscâ an. m. iii. rad pœon. rec. contus. ℔ii. omphacii ex uvis acerb vel si desit, ex pomis sylvestribus ℔iii. phlegmat. vini post spiritûs extractionem restibilis ℔ii. vini Hispanici ℔i. Misceantur s. a. & in alembico stanneo nitido f. distillatio, superposito capitello vitreo, idque in B. vaporoso, ad siccitatem. Aqua servetur pro toto anno vase vitreo forti ad usum.

℞. Istius aquæ ℔iv. croci metall. optimè præp. smalti aut vitri nitentis in subtilissim. pulverem reducti ʒvi. Misceantur & stent continuò in infusione pro lotione oculorum.

Egomet palpebrarum pruritu summo, inflammatione, tumore, lippitudine laborans clausis oculis palpebras dolentes leviter excoriatas ablui cum spongia molli hoc liquore tepidulo imbuta quavis horâ diei, maximo cum levamine & omnium symptomatum diminutione. Excitat dolorem pungentem primo appulsu hic liquor, sed fugax est & momentaneum istud incommodum.

℞. Ovum recens, coque in cineribus ad duritiem, aperiatur, extrahatur vitellus, cujus vice cavitas repleatur pulvere ex vitrioli alb & sacchar. cand. ana. parr. æqual. claudatur optimè. ponatur in ℔i. aq. rosarum, atque in ea infunde per dies duos naturales, f. colatura servanda ad usum.

Unguento hoc de tutiâ nihil præstantius ad ruborem & inflammat. palpebrarum.

℞. Butyri recent. insulsi ℥i. sebi castrati ʒii ceræ ʒß. msc. ablue: adde tutiæ præp. ℥iß. msc. optimè, serva in aqua. *Hactenus Theodor. de Mayerne Prax. Medic. lib.* 1.

Clariss. Joh. Nicolaus Pechlinus.

De Oculi Crystallô difformi.

In humorum numero vulgò & Oculi Crystallinus habetur, sed καταχρηστικῶς Nam etsi velamento suo plusquàm araneo orbatus lentè diffluat inque humorem solvatur, non tamen magis hoc probat liquidum esse, quàm vel Glandulam pinealem aut Urticam marinam, quòd & ipsa aëri exposita formam suam amittant

tant & deliquio in humorem ſolvantur. Jam verò cùm humor iſte, ſi humor eſt linea ſuâ circumſcribatur, & terminum nactus ſit lenticularem, convexo rotundum, & ſolidorum hoc ſit proprium, ſuis ipſorum terminis contineri, nòn alienis; utique de corpore hoc figurato, tanquam de ſolido, loquendum erit, imprimis, cùm actio ejus omnis à figura & ſolido, velut vitrea lente deduci debeat. Certè à figurâ eſt, ſeaque ſubtiliter rotundata, quòd actio ejus integra ſit & viſus conſtet, quando enim vel complanatur nimium aut in acumen exit, vel in aliam formam reſingitur, jam laborare viſum neceſſe eſt. Nempe, ita comparatus ejus figura eſſe debet, ut ex tam vaſto Horizonte prodeuntes radii tantùm nòn infiniti in indiviſibile punctum colligi, inque exiguas imagines, εἴδωλα vocant, contrahi poſſint, quod fieri non poteſt, ubi in aliam aliamque figuram detorquetur centrique cum circumferentia analogiam amittit. Vitium eſt ætatis, aut morbi, quando Cryſtallus ille & exſiccatur & deformatur. Ut autem figuræ exſiccatio non officiat, plerunque tamen cum ea conjuncta eſt quædam ἀμετρία, & rotunditas in anguſtius ſpatium contracta facilè etiam in angulos projicitur. Vidi ex cæcis erutas Lentes cryſtallinas, ſi tamen Lentes dicendæ ſunt fœdata angulis corpora, quæ in illâ opacitate, hæc enim plerunque conjungitur, figuram indeptæ erant planè irregularem, tuberoſam, triquetram, trifidam, hiante hinc inde præ nimia ſiccitate fiſſurâ. Sed & alterum ab infarctu aut obſtructione Lentis opticæ vitium eſt, quando tartareum quid aut gypſeum intra fibras ejus lamellaſve immittitur; namque hinc etiam fatalis cæcitas oritur. Tumet tunc Lens illa ſeque ipsâ major Pupillam opplet, & quod intertexta fibris gypſea materia craſſa eſt & opaca, totum quoque corpus & ipſa opacat, prohibita radiorum tranſmiſſione, atque hoc Veterum eſt Glaucoma, & ſic explananda Galeni definitio, quando eam definit ἡ μὲν γλαύκωσις ξηρότης μέν ἐστι καὶ πῆξις ἄμετρος τοῦ κρυσταλλοειδοῦς ὑγροῦ. Quod non tantùm in decrepita ætate à nimia exſiccatione, orbatis humido ſuo fibris, ſed etiam ab obſtructione morbifica, tranſpoſita in eam partem fæce quadam gypſea, oriri certum eſt. In Variolis certe viſus orbitas non aliunde, quàm ab ejuſmodi fæculentia craſſa & opacante repeti poteſt. Eſt lapillorum, ovalium aut lentiformium aliquod genus, quod, ubi ſiccum eſt, niveum habet candorem, ubi madeſcit, radios tranſmittere & luceſcere incipit; huic ſimile quid cum ſera ætate Lenti opticæ evenire credibile eſt. De angulis aliàs & vitiata Lentis rotunditate jam tum quoque extat Cl. Drelincurtii, accuratiſſimi Anatomici, Obſervatio. Vidi, inquit, in Glaucomate Veterum Cryſtallinum vel tripertitum aut quadripertitum præ nimia ariditate findi vel hiſcere.

Idem de Oculi procidentia.

Miſeram Oculi procidentiam in Puero bienni notavi. Conflictatus inde erat jam à die natali cum Rheumatiſmis. Ophthalmia & Amauroſi, Nato ſtatim oculus dexter inflammari & ſanie ſtillare cœpit, quæ etſi remediis quibuſdam mitigari videbantur, infantis tamen ferocia medicamenta non admittentis, aëriſque in illa pauperie occurſus malum, magis magiſque exaſperabant. Accidit tandem, ut confluentibus in orbitam catharrhis oculus ſenſim protuberaret cumque muſculis omnibus atque indumentis extra eam propelleretur, propendentibus jam & viſui expoſitis rubicundis muſculorum ventribus. Miſerabilis ſanè & luctuoſa erat Pueri facies, quam jam ſic annum traxerat Chirurgo in curam traditus. Fecerat hic officium alvumque ſæpius ducendo humorum minuerat affluxum; ſed identidem recurrens tumor novum medicationis genus poſcebat, & jam ſuffitu, jam Balſamicis, jam aliis certabatur, quæ intolerabilem ardorem, & hinc natos ejulatus, ex parte leniteut; at neque ſic dolorum requies & nullum aliud quàm à mucilagine delinimentum, illa namque, quamdiu hærebat, ardorem opportunè temperabat. Nihil autem magis reformidabat, quàm plagæ reſolutionem ad motum aëriſque novi impulſum recrudeſcente dénuo dolore. Poſtquam hoc remedio aliquot ſeptimanæ tranſactæ eſſent, & linamentis oculus molliter adſtrictus, certo die factum eſt, ut detractas faſcias, quas ipſas exſiccata mucilago oculo accuratiùs conglutinaverat, ruptura Corneæ tunicæ, hanc ſtatim magna vis humorum & ſaniei ſequeretur, oculi autem moles, ut erat carne pinguedineque obſita, in orbitam repelleretur: quod eo commodius fieri poterat, quia globi illa magnitudo, quæ pridem pugnum æquaverat, nunc remiſſa atque in anguſtius ſpatium puris jactura contracta manus officium non abnuebat. Reſtituto Oculi globo minus jam erat à carie periculum, ſed abſque viſus detrimento res confici non potuit; quippe humor, qui oculo exſtillaverat, exploratus, omnem vitrei aqueique orbitatem facilè oſtendit. Hærebant adhuc in Vitreo humore fibræ aliquæ ciliares, quæ Lentem cryſtalliformem ligamenti inſtar coërcere & librare ſolent, ſed ipſa adhuc Lens fibris tenacioribus impedita cum Uveâ tunica coaluerat, uno in illo humorum detrimento ſuperſtes. Vulnus poſt Ichoris & Saniei debitam purgationem intra quatuordecim dies conſolidatum, oculuſque intra orbitam complanato globo reſedit. In mediis tamen tunicis ſiccum candidumque corpus conſpiciendum ſe dabat, quod Lentem illam vitiatam hodieque refert, at ſine luce cæcum atque induratum. Hac occaſione non poſſum, quin memorem peregrinum cæcitatis genus in duobus pridem natis à me viſum. Nimirum utrumque oculum ſpiſſa quædam Tunica ex muco, ſive in Matris alvo, ſeu primo aëris adflatu concepto velabat, viſumque omnem prohibebat. Uni Naturæ viribus ſolo ſaccato adjutæ viſus rediit; alteri quid acciderit, in illo locorum temporiſque intervallo neſcio. Nota mihi aliàs quoque oculi Procidentia à Carie oſſium naſi viciñæque orbitæ, ſed in Lue Venerea.

Idem de Vermiculis Oculorum.

Nulla admodum corporis pars oſtendi poteſt, in qua non viva ſæpe & animata putredo reperiatur. Interna viſcera ad unum omnia vermis quandoque occupat, ſed externa vario, magno & parvo animalium genere infeſtantur, humores & ipſi, ſiquidem armatis oculis credendum, non uno genere animalculorum perfunduntur, quid quod & aquæ quamvis pellucidæ innumeros ineſſe vermiculos, certum microſcopii genus, niſi laboret oculorum fides, oſtendat. De morbis autem nonnullis, Scabie, Gangrænâ, Carbunculo, quod ex animatâ volatilique humorum putredine oriantur, dubitare experimenta vetant. Imprimis autem & alia ſymptomata, ſpecie levicula, puſtulas vultûs ruginoſas, exanthemata cruenta non raro vermiculorum in quorundam agmine inundari, ſuique ſenſum pruriginis ſpecie volubili & formicino corporis motu præbere, & jam pueri credunt. De oculis tamen necdum ſcio, an obſervatum ſit inflammationem eorum minutulis deberi inſenſibilibuſque vermiculis. Committeba-

tebatur curæ meæ Puella octo annorum, quæ à quinque inde annis morbo laboraverat oculorum; cilia semper rubebant & prurigine molestissimâ manuum quærebant temperamentum, sed neque tutum ab illis auxilium, quando magis magisque effervescere serum inque oculos descendere ad manûs frictionem gestiebat. Quare omni ope allaboratum, ut prurigo hæc tolleretur prohibito humoris serosi influxu, sed in cassum, quando nec à calidis nec frigidis levari se sentiebat. Neque enim vel Vitrioli deliquatus ovi albo liquor, aut Saturni Sal, neque etiam, quæ aliàs vermiculos quibusvis è partibus evocant, Saccari canti pollen aut Mella, quorum unum illud Fucorum ad miraculum usque ab aniculis celebratur, quidquam profuere. Mater autem pertæsa eorum, quæ hactenus à Medicis exhibita erant, Vetulæ cujusdam consilium sequi statuit. Suadet ergo Ovum ut coquant ad duritiem, inde albumen ejus findant medium, & exemto vitello cavum albuminis, ut adhuc calet, oculi applicent convexo. Nec mora, quin statim prurigo deficeret nidoreque ovi & fumo evocata animalcula minutarum lendium instar albumen ovi occuparent. At cùm tenella essent illa corpuscula, nudisque oculis vix distinguenda, ad nitidiorem lucem umbræ eorum, ad Microscopium verò figuræ ipsæ & lineamenta, quamvis confusiùs, apparuere. Sanè, cum flammanti candelæ admoverentur, crepitum edidere, quem ego à rupturâ corpusculi salino-nitrosi deducere non verebar.

Hactenus benè multa de Oculorum variis morbis, eorumque curationibus adduximus: Jam antequam ad Consultationes & Observationes è pluribus in eôdem argumentô petitas deveniamus; commodum fuerit ex Apendice Centur. V. & VI. Ephemeridum Academiæ Cæsareo-Leopoldino-Carolinæ huc traducere,

Quadraginta circiter Operationes Chirurgicas quas oculis laborantibus administrat docetque in collegio, vulgò dicto de l'Ave Maria *juxta Ecclesiam Parochialem St. Stepani de Monte, adjunctam Abbatiæ St. Genovefæ in Universitate Parisiensi, Dn. de Woolhouse, Prosapia nobilis Anglo Londinensis, Jacobi Secundi Anglorum quondam Regis Ophthalmiater, jam à XXVII. Ann. degens Lut. Parisiorum.*

CAPUT I.

Ungulæ excisio & sublatio, sive oculi quadam pellicula externè laborantis (quam Græci Pterygion nominarunt) detectio, seu extricatio. Galli (Taye) nominant hunc morbum, qui (Tela) latinè dicitur, unde (Toile) nomen Synonymum in linguam Galliæ vernaculam derivatur: Anglicè etiam nomen (Web) quæ vox quoque latinè tela sonat, aliquandò pro hôc morbô usurpatur: aliquandò & sumitur (æque ac voces istæ gallicanæ) pro Caligine oculi, sive exteriùs in corneâ hærente, sive interiùs in humore aqueo sita, & communiter suffusio dicta, seu cataracta innascens, quæ subapparet in modum telæ araneæ. Ungula verò est excrescentia quædam albicans & membranosa, quæ sensim fit post plurimos annos, ex anostomosi seu diapedesi fibrarum adnatæ (lymphâ acriori corrosarum) quæ semper in declive ad puncta lachrymalia provecta, ibi impeditur à fibrillis productio & sese earum succo miscens nutritio, tandem abit in nervosam quandam membranulam, consimilis cum adnatâ coloris: super Corneam verò demùm repangitur hoc corpus extraneum, plerumque in cantho majori (ex carunculâ lachrymali prognatum) rariùs in angulo minori, aliquoties autem subter hanc, aut illam palpebram, habens formam & colorem unguis humani, (vel sicut volunt alii) ungulam bestiæ bifidem referens formâ, duritie ac colore. Græci appellarunt πτερυγότομον, instrumentum huic operationi dicatum. Hinc Scire lubet, quod ungula & unguis duo sunt multùm inter se diversi morbi ocularii. Unguis enim (sive onyx ὄνυξ) est apud Ophthalmicos, interna ipsius tunicæ corneæ suppuratio & abscessus ex parte, quem tum remediis diaphoreticis, tum incisuris quibusdam subtilissimis, (corneæ lamellis plus minùs inflictis secundùm puris profunditatem) persanat hic noster Woolhousius.

Unguis autem neglectus omninò, vel perperam tractatus, conflat tandem albuginem, Græcis dictam *hypopion*, *helcos*, ὑπόπυον, ἕλκος, vel λεύκωμα; & Celso ulcus supercrescens; aliis ulcus subnascens, aliis cicatrix supereminens (*maille* Gallicè) Galenus in Definit. dicit, quod Leucoma est cicatrix crassior & profundior, ab ulceratione: & Paulus Ægineta scribit altiores cicatrices nominari Leucomata. Cæterum albugo est pus concretum inter tunicæ corneæ pelliculas, super iridem, quod tandem in margaritæ resplendentis convexitatem prominet, ac quibusdam Authoribus *Paralampsis* παραλάμψις appellatur. Sed differt Leucoma ab οὐλὴ, vel cicatrice, quod hæc solùm oculi nigro seu pupillæ, illa circulo variegato, vel circumferentiæ iridis oculi accidit. Differt etiam ab αἰγὶς sive αἰγίας aut αἰχλὶη Hippocratis, eo quòd αἰγὶς sit concretio albicans, & superficiaria materiæ viscidæ & excrementi granosi, super corneam inhærentis, externæ, atque ideò satis curabilis: aliis cicatrix subalbicans, aliis calx, seu albula, aliis cataracta externa appellatur; Calvus guttam albam nominat: quin imò Leucoma Tobiæ Senioris malum ocularium fuit, atque nullis est remediis curabile. Quòd si volunt Theologi quidem, Tobiæ curam (à St. Raphaële Archangelo factam) non fuisse miraculosam, oportebit adhuc distinguere Leucoma in internum (incurabile) atque in externum, remediis propriis penitus cedens, quod idem erit ac αἰγὶς, *aigias* aut αἰχλὶη Hippocratis: nihil autem obstat, quo minus ista albugo aut albula Senioris Tobiæ sit verè externa; nam proveniebat ab avicularum stercore calido in oculos apertos illapso, & corneæ poros rectos obstruente, inurente, & corrodente, pro quibus accidentibus fella animalium, utpote specificæ virtutis, ab Authoribus passim laudantur. Verùm enim verò si Dn. Antonio *Maitre-Jean* admodum sum contrarius in his definiendis malis, saltem non est novitatis pruriginosæ gratia: errat enim tota viâ Dn. Antonius *Maitre-Jean* de his morbis, sicut videre est pag. 417. libri sui: Sed tempus jam est, ut redeamus ad *ungulam*.

Distinguitur porrò *ungula* à panniculô seu pannô, qui est aliud genus operimenti, carneum, rubrum, inflammatorium, vasculosum, (*Sebel* communiter dictum nomine Arabico) venis, arteriisque plurimis intertextum & refertum, semper à carunculâ lachrymali subortum, & paulatim serpens per totam bulbi faciem anteriorem, dolores satis molestos inferens, corneam ipsam non solùm instruit ac obducit vasis suis capillaribus, sed etiam intimiùs penetrat, & perrepit, adeò ut hæc quoque oculi tunica transparens, ex pellucidâ plùs minùs rubescat, & opacetur. In hôc affectû Medicus noster ocularius venasque & arterias, adventitias & factitias, planè dissecat, & sic sanguinem copiosè ex oculo mittit, plurimis simul in locis, usque dum flaccesserint, subsiderint, & evanuerint vascula hæc præternaturalia. Pannus verò plerúmque hôc modô dispergitur, destruitur, pessundatur, nisi fortè varicibus quibusdam insignitus, symptomata exhibet malignitatis, & carcinomatis (ut aliquoties accidit) naturam, atque tunc ocularius noster malum penitus inurit, (vid. cap. 25.) specillo non admodum candenti, sicut edocuit Cous senex libello suo (περὶ ὄψιος

ὄψιος) de visû, seu oculô. Notatû verò dignum est; quod Dn. Antonius (*Maitre-Jean* hujus phlebophthalmotomiæ nescius, (licèt in Ephemeridibus gallicis anno 1696. memoratæ) ei substituit siccum collyrium, in quo cum aliis commiscetur pulvis crystalli, cujus angulis acuminatis excoriari, comminui & absumi possint corpora hæc extranea, vid. Tractatum Gallicum de Oculi morbis (*par Monsieur Anthoine Maitre-Jean*) pag. 424. Pace verò Dn. *Maitre-Jean*, crediderim has tenues cuspides crystallinas ipsam corneam posse peredere, aut saltem illam, (æque ac conjunctivam) adeò posse perturbare, irritare, & compungere, ut corneæ pelluciditas ab eo offundi, & vel destrui etiam possit, atque conjunctiva maximè inflammari, præsertim cùm & ipse Woolhousius observaverit sacchari candidi pulvillum (licèt impalpabilem) cæterosque id genus pulveres inspersiles usitatissimos & minùs nocuos, pupillæ tandem induxisse caligines, nubeculas, albugines, cicatriculas, cæterosque corneæ rebelles affectus. Idem Authot Anthonius *Maitre-Jean* eodem capite pag. 429. declarat se duas solùm panni seu *Sebel* operationes perfecisse, cùm jam librum suum in lucem ederet, se verò in his operationibus fluxionem sanguinis in oculo, pulvere quodam astringenti inhibuisse. Si autem Dominus Anthon. *Maitre-Jean* hanc sæpiùs exercuisset operationem, non ampliùs sanguinem cohibuisset in hac chirurgiâ, eum verò cessare ultrò permisisset, plurima enim visui infert incommoda sanguis hic cohibitus, & capillaribus vasculis retropulsus, & repressus, aliquandò in formationem novi panniculi, sicut Woolhousius aliquandò observavit, atque ideò in omnibus his casibus, sanguinem ex oculo detrahi jubet Hippocrates, usque dum non ampliùs splendidus exit, sed sanies cruentat & aquosa. *Vid. Hippocratis libellum de visu.*

Est etiam operæ pretium hìc notare, quod nullus usquam Hippocratis Glossarius nec Commentarius vim naturalem sensumque genuinum adhuc perceperit & exposuerit hujusce paragraphi, ubi admirabilis hæc operatio (Europæis jam dudùm perdita, & Asiaticis hodiè usitata) describitur, Van der Linden meus locum sic latinè explicat.

Quum verò palpebras oculi raseris, lanâ milesiâ, crispâ, purâ, circum fusum obvolutâ, radito, ipsam oculi coronam vitando, ut ne ad cartilaginem usque peruras. Signum autem sufficienter rasuræ est &c.

Cæteri etiam omnes interpretes pro ἄτρακτον, fusum exponunt, quod nunc dierum obsoletum, insulsum, & absurdum omninò est; tempore autem quo florebat adhuc Hippocrates, nihil clariùs, & emendatiùs dictum fuit, illo enim tempore attractylis (cardui species aculeati) pro fuso agresti erat, atque ideò jubet Hippocrates illo uti ad specificam oculi scarificationem: cùm autem fusus hodiè alius quidem longè est, quàm fuit illis diebus, loco fusi oporteret carduum atractylem dicere, instrumentum verè idoneum ad incidendum & scarificandum. Lanæ verò istius Milesiæ usus non erat solùm, ut obstaret, quominus cardui spicula justo profundiùs oculum subintrent; sed ut ne digitos Chirurgi intimiùs pungant.

Nunc ad Panniculum revertamur, dicamusque si quæ supersint adhuc hujus operculi reliquiæ fibrosæ, eodem quasi tunc demum procedendum esse modo ac in Ungula; panniqne hujusce tum instituì debere dissectionem particularem & detractionem anatomicam, caruneulam lachrymalem cautiùs vitando, ne comminuta hæc, punctum lachrymale superius arescat, tandem, & omninò claudatur, & obstruatur: caruncula enim hæc est sicut agger, ad elevandam, evehendam, & promovendam his binis ósculis lympham lachrymalem; atque ideò Veteres in deperditione substantiæ hujus carunculæ, quam in homine lachrymalem glandulam falsò putaverunt, morbum oculi Rhyada nominatum, posuerunt, causam pro effectu sumentes: quòd si foramina hæc lachrymalia non sufficiant ad omnem absorbendam lympham, quæ filtratur præter naturam à glandulâ verâ lachrymali, (innominatâ olim dictâ & in palpebrâ superiori locatâ) tunc regurgitat, redundat, & super genas plus minùs fluit, ac refunditur lachrymalis lympha, & epiphora morbus dicitur, qui fit propter relaxationem vasorum hydroblephaticorum glandulæ innominatæ; sumunt verò hoc malum ignari pro fistulâ lachrymali, in Diagnosi graviter errantes, sicut posthac in articulo de fistulâ lachrymosâ videbitur.

Oportet etiam panniculum hunc rubrum, sanguineumque dignoscere à morbo, quem Galenus *Petiam*, Avicenna *Alchadi*, alii *maculam rubram*, aliquot Veteres *crustulam sanguinis*, & Græci νεφέλην αἱματώσην appellant: est verò hic affectus aliqualis vivida suffusio aut tinctura sanguinis in superficie porosâ conjunctivæ inhærens, absque dolore, aliisve symptomatibus malis, subitò etiam oritur, & citò absque ullis dissipatur remediis, vanum timorem incutiens inscii ś curamque inutilem exigens ob informe spectaculum incogniti mali, quod efficitur ab alicujus vasis capillaris in adnatâ disruptione.

Discriminantur denuò hi morbi ab *Hyposphagmate* sive *hæmalopiâ* & *sugillatione* oculi (ecchymomatis specie) quæ provenit à contusione & rupturâ interiori quorundam vasorum sanguineorum, vi & dolore illata. Græci aliquot malum nominarunt *hypochysin, haimatodem*; Dioscorides ὑποδρομὴν αἱματῶν, Avicennas *Tarfathi*, *tarfe* seu *tarfen* appellat; Galenus (libr. 4. topic.) nominat hunc affectum ὑποπίυς ὀφθαλμὺς oculos suffusos sanguine; & Paulus Ægineta ὑποπόιυς sanguine suffusos, quæ duo vocabula aliud longe significant quàm ὑπωπύυς id est purulentos, aut oculos hypopyo laborantes vel suppuratos.

Hæ porrò ægritudines distinguuntur ab omnibus ophthalmiæ speciebus, sive ophthalmia simplex sit, sive composita, seu continua, seu periodica, seu critica, seu symptomatica, seu scrophulosa, seu venerea &c. Ophthalmiæ autem sedes primaria est in conjunctivâ seu albô oculi, cum rubore intensò, dolore molestô, fluentibus lachrymis, pertinaci vasculorum sanguineorum quaquaversum repletione, temporum pulsatione, capitis dolore, visûs impotentiâ &c.

Denique oportet hæc mala ophthalmica dignoscere ab encanthide, quæ est ipsius carunculæ lachrymalis incrementum & intumescentia phlegmonosa (morbo Rhyadi perquàm contraria) oculum operiens & opprimens magnâ ex parte in modum membranæ istius nictitatricis, seu palpebræ bestiarum internæ, in cantho nasali sitæ. Scarificat verò, & attenuat, abradítque ipsam carunculam ita auctam; productamque Woolhousius; xistri sui subtilis acunculis, posteaque collyriô astringenti, detersivô & desiccativô pristinam fibris tensionem restituit: in plerisque etiam aliis oculi gravibus affectibus scalprô hôc suò delicatulô mirificè bulbum ocularium interpolat, interstinctum frequentibus interpunctionibus & incisuris minutissimis; sanguinemque corruptum stagnantemque inde detrahit noster Ophthalmiater Anglicanus: quæ operatio à phlebophthalmotomia Woolhousii multùm diversa visum magnoperè recreat, & multorum malorum causam præripit præciditque.

Cap. 2.

Exfoliatio, clarificatio, erogatio, & redintegratio tunicæ corneæ grano morbillorum seu exanthematum laborantis

rum, vel hypoulo & ulcere subnascente, & albugine recenter apparentibus, sicut & velis, nubeculis, omnibusque maculis, & crustis albis, cæterisque corneæ obstructionibus, opacitatibus, & ulcusculis atque cicatriculis cujuscunque generis; saltem in juvenibus accrescentibus tam masculis, quàm femellis, qui non jam jam in oculum caustici aliquid & nimis astringentis remedii admiserint, quod reddit malum prorsus immedicabile.

Cap. 3.

Repressio & restrictio, repositio vel repulsio tunicæ uveæ prolapsæ in omnibus staphylomatis speciebus; atque reductio herniæ ocularie recentis (cum visûs restauratione) in infantibus, aliisque omnibus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerunt: ista verò hernia ocularia, malum est adhuc penè incognitum, & consistit in corneæ relaxatione quâdam & protuberantiâ, contràque naturam protensione, & in tunicæ uveæ mollificatione & strangulatione (ad instar glandis quercinæ in proprio calice,) ipsique corneæ adhæsione, absque verò ullâ corneæ rupturâ, aut perforatione, uti communiter solet accidere in omnibus staphylomatis speciebus, seu malum appareat in formâ capitis muscæ, seu in formâ acini, seu in formâ summitatis clavi, seu mori, certò autem elapso tempore, nulla huic morbo solutæ continuitatis, curatio, præterquam palliativa reperitur. Item

Inhibitio, Emendatio, Reformatio, refectio, resumptio difformitatis ocularie, quam nominare licebit oculum gibbum seu corneam (& aliquoties scleroticam ipsam) incurvatam, relaxatam, disruptam, & prominentem, vel (secundùm Veteres) *melon* id est *malum*. quandò cornea vel sclerotica (cum adnatâ) protruditur, attenuatur, & abscedens, enormisque facta, se extra palpebras foris exerit, in oculum sanum fluxionem attrahens & spectaculum exhibens informe & horrendum videntibus: in hâc curâ palliativâ substituit plerunque Woolhousius oculum artificialem, cum motu, decore &c. oculi naturalis, quod si nolit ægrotus oculô uti suppositiô, facit Woolhousius, ut oculi perditi globus restet integer, plenusque cum omnibus suis motibus, formâ & venustate quasi naturali.

Cap. 4.

Fistulæ lachrymalis (cæcæ nascentisque) administratio, expurgatio, depuratio, & persanatio absque ferrô aut igne actuali aut potentiali: sive sit methodô novissimè in ephemeridibus publicatâ, videlicet per foramina bina palpebralia saccum palpebralem ductumque nasalem explorando, mundificando & discludendo, relinendoque, ac collyriorum propriorum injectione; sive ope emplastri cujusdam magnetici specificæque virtutis. Item fistulæ lachrymalis cum ossis carie manumissio, seu per cauterium actuale sanatio. Discussio, depressio seu suppressio, & dissolutio Anchylopis, seu tumoris duri & callosi in majori oculi canthô, qui justissimè potest appellari lachrymalis sacculi hernia: sæpissimè verò hunc majoris anguli affectum pro fistulâ lachrymali formatâ falsò præsumere solent chyrurgi in hac re parùm versati: sunt enim, qui sacculum lachrymalem ita relaxatum, induratumque per annos, plus minùs viginti, absque ullô aliô partis detrimentô sustulerunt, quoniam ductus nasi non obstructus, nedum ulceratus aut corrosus evasit, sicut in similibus plerumque oculorum fistulis accidit, quod etiam facilè percipitur in comprimendô deorsùm tumore, qui (si anchylops sit) saniem suam serosam in nasum atque sic in os ipsum velociùs demittit; in Ægylope verò tam nascente quàm formatô, materia ista serosa semper per foramina lachrymalia utriusque palpebræ extrudirur & regurgitat, quandò digitis comprimitur malum sursùm deorsùm: hoc autem innotuit semper ocularis Medicis, atque Chyrurgis, (si Dominico Anello placet) qui nuper librum justo grandiorem, & ex litteris plurimis doctorum compilatum de fistula lachrymali edidit Taurini) adinvenit autem Woolhousius instrumentum compressivum, multò facilius & utilius in hôc malô quàm illud Aquapendentis Crinale, (cujus meminit Scultetus) ad retinendam & reprimendam hanc herniæ speciem.

Cap. 5.

Decisio, coactio, contractio, seu retractio, vel extenuatio encanthidis (vid. sup. cap. 1. art. 6.) quandò caruncula lachrymalis inflammatur, dilatatur, relaxatur & extumescit in hypersarcosim quandam visui admodum infestam, uncinulo quodam bifido levandam & scalpello falcato communiter dissecandam.

Cap. 6.

Incisio sive apertum tumoris albidi seu folliculi majoris vel apostematis in oculi membranis, qui species est materiæ purulentæ effusæ & collectæ intra conjunctivam & scleroticam. Sunt qui appellant hunc morbum suffusio tunicæ adnatæ, seu conjunctivæ tuberculum: alii hydrophthalmiam adnatæ nominant: morbus verò hic parum frequens est, & fit plerumque ictû quôdam violentò super oculum, vel plagâ capitis, aut vomitû, partû difficili &c.

Cap. 7.

Extractio corporum extraneorum cujuscumque generis & quomodocunque oculis infixorum; excogitavit ad hunc usum Wollhousius plurima instrumenta subtilissima, sicut volsellas, forcipes, specilla, & specula ocularia, cannulas, stylos, acus syringas &c. diversarum formarum & variarum magnitudinum.

Cap. 8.

Κενεμβάτεσις Græcorum, id est vacui ingressus aut introitus, seu depositio, dejectio, eversio, & submersio seu disturbatio catharactæ, seu suffusionis, per omnes suas species: insuper Dn. de Woolhouse hypochyma vel catharactam & Glaucoma oculo eximit & omninò detrahit, cum uveæ vel iridis foramen pertransiens, & intra corneam pupillamque jacens, visui est impedimento, ægrotoque multam molestiam, & oculario multùm facessit negotium.

Comminutio, dispersio, concisio, in plurima segmenta & particulas divisio. Item

Resupinatio, evolutio, subversio, exturbatio, decussio, dissipatio, aut præcipitatio cataractæ adhærentis elasticæ, vacillantis, fluitantis, & renascentis &c.

Collocatio, occultatio seu abactio glaucomatis; videlicet quando humor crystallinus ex centrô suô, vel ex sinû vitrei humoris excutitur, & depellitur per modum curæ palliativæ, ad abscondendam solùm difformitatem ordinariam, quæ ab alteratione & opacitate, seu glaucedine fulgidâ crystallini arefacti & indurati, provenit.

Cap. 10.

Cap. 9.

Effuſio, emiſſio, & reparatio humoris aquoſi turbidi ac morbidi; ſeu renovatio & elucidatio viſûs, vel liquidatio humoris aquei per illius exitum, effluxumque, quandocunque humor hic vitioſus, & corruptus, evadit.

Cap. 10.

Parakenthefis: ſive punctio & pertuſio oculi ad evacuandam & exhauriendam, abſumendamque hydrophthalmiam, ſeu hydropiſin ocularіam, in quâ membranę hujus organi proprię magnoperè diſtenduntur, & viſio tandem funditus deſtruitur. Dn. Woolhouſius ſimilem etiam operationem exercet in hydropiſi blepharicâ, in quâ ſeroſitates effuſę intra cuticulam & conjunctivam ſub palpebrâ cuticulam ſublevant, & attollunt in modum folliculi inflati: morbus autem hic alius eſt, quàm hydatis veterum, vel pinguedinis ſuperiori palpebrę ſubſtratæ incrementum, quod glandulam innominatam comprimens, & laceſſens, fluxionem, pueris potiſſimùm, in oculos graviſſimam inducit, cùm autem Veteres glandulam hanc lachrymalem ignorent, pro aquâ intercute præſumebant hunc hydatis affectum, qui nihil aliud eſt, quàm lachrymalis glandulæ imtemperies unctuosa, pinguiſque, quæ ſpecifica curatur operatione quâdam, palpebræ ſcil. inciſione, & hujuſmodi ſteatomatis ablatione &c. Item perforatio phlyctęnarum, puſtularum, ſeu veſicularum, & tuberculorum,in oculi corneâ vel conjunctivâ eminentium & erumpentium ad eliciendum acre ſerum, quod oculos ulcerat & deſtruit.

Cap. 11.

Fiſſura, ſeu inciſura corneæ, quę eſt cornee fibrarum inter ſe diſcretio,& exploratio ad evaporationem & ſubductionem puris, ex ungue impacti intra lamellas & pelliculas membranæ iſtius tranſparentis, cujus ab hâc ſtagnante materiâ; pori recti obſtruuntur, opacitas & cæcitudo inducitur &c.

Cap. 12.

Eductio, expreſſio ſeu ſubtractio hypopyi, vel abſceſſûs & apoſthematis iridis (quem oculum ſuppuratum communiter nominant) cum viſûs integrâ redditione & inſtauratione in priorem ſtatum quotidie ut videmus in morbillis, variolis, ſcrophulis, hypoſphagmatis doloroſis,ophthalmiis inveteratis & varicoſis, cęcos penitùs factos ab hôc morbô,ubi iſta operatio chirurgica admodum ſalutifera fuiſſet.

Cap. 13.

Exophthalmię ſeu oculi ſuſpenſi & prolapſi revocatio ſeu reductio in ſuam orbitam: oportet verò ut hęc bulbi ocularii procidentia ſimul ac ſupervenerit, remediis propriis adjuvetur, globuſque ut remittatur & repellatur in receptaculum & domocilium ſuum naturale: cæteroquin malum pertinax, rebelle, & periculoſum devenit &c.

Cap. 14.

Extirpatio, peruſtio, conſumptio, ſeu colliquatio oculi cancroſi, qui vulgò dicitur fungus oculi carcinomatoſus &c.

Cap. 15.

Expulſio puris orbitæ ſeu expoſitio abſceſsûs, ſeu apoſtematis in orbitâ latentis, ſeu globi denudatio, & explicatio vel inverſio quando muſculi ocularii ulcerantur, pinguedo funditur, perioſteum plus minus corroditur, & ipſa oſſicula, quæ orbitam componunt, ſummô jacent in periculô; incidit itaque hoc in casû Woolhouſius conjunctivam, malum explorat, mundificat, detergit, conſolidat, percurat.

Cap. 16.

Reſtauratio & reſtitutio viſûs deperditi in guttâ ſerenâ ſive nervi optici obſtructione & paralyſi, aut oculi defectione & exſolutione, vel in certis Amauroſeos ſpeciebus ſimplicibus & recentibus: hîc verò (pro re natâ & ſymptomatum diverſitate) varias exercet operationes ſpecificas Ocularius noſter Anglicus: nunc enim ſetaceum in occipite facit perpendiculariter, nova quidem methodo, & ſuę ipſius inventionis, nunc in eodem locô veſicatorium continuum applicat, nunc trepanô feliciſſimè utitur, nunc aures perforat, nunc arteriotomiam vult fieri, nunc aquis thermalibus caput, ſinciput, ſpinam dorſi &c. jubet imbrocari: nunc ex naſô, nunc ex linguâ, nunc ex jugulari ſanguinem mittit, aut arterias vertebrales, ſecundùm Hippocratis præceptum, uſque ad os actualiter cauteriſat, nunc ipſum cauterium in ſuturam coronalem inurit, nunc ptyaliſmum excitat; nunc vomitorium exhibet, nunc ſudorificam ptiſanam &c.

Cap. 17.

Blepharoxyſis, ſive ſuffricatio, lęvigatio, interpunctio & depuratio palpebralis (quam Hippocrates in libello de viſû tantoperè laudat) in omni ulcerationis ſpecie glandularum lacrhymalium & ciliarium, in trachomate, ectropiô cæteriſque palpebrarum & tarſorum affectibus inveteratis, & rebellibus, qui communiter nulli remedio topico cedunt.

Cap. 18.

Reſolutio; ſeu diſſectio, enodatio, & exemptio tuberculorum, glandularumque cujuſcunque generis in palpebris naſcentium, ſicut atheromatis, meliceridis, ſteatomatis, chalazii, hordeoli, achrocordonis, vel verrucæ ſeſſilis aut penſilis & prominentis &c.

Cap. 19.

Anaraphe, ſive ſutura blepharica, (quam certi Authores nominant abbreviationem, collectionem & ſuſpenſionem palpebræ ſuperioris:) operatio hęc feliciter inſtituitur in phalangoſi, *ptoſi*, πτώσει ſeu χάλασει ſuperioris palpebræ relaxatæ, prolapſæ, promiſſæ, & contra naturam valdè protenſæ, ſive pręcluſæ & paralyticæ, viſumque omninò cooperientis; ſicut etiam quando hęc ipſa palpebra ſtipata eſt, & inhorreſcit pilis ciliaribus intus & extra erectis undique, & ipſum oculi bulbum impetentibus, laceſſentibus, & pupillæ claritatem nitoremque jugi cum dolore deſtruentibus. Cauteriſat etiam leviſſimè palpebram, exteriùs in his malis Woolhouſius (his qui nolunt ſuturam pati blepharicam) ad coarctandam, ſuccidendam & ſublevandam celſiùs palpebram ſubmiſſam dejectamque; ad pupillam diſcooperiendam, & ad cilia allidentia exterminanda & retrahenda ex oculo ſic affecto.

Evulſio & eradicatio ſive exuſtio ciliorum ſupradictorum

ctorum, multiplicatorum, inversorum, retortorum, præposterorum, & contra oculum (ordine naturali perverso) reflexorum, & implicitorum.

Cap. 20.

Explantatio, ablatio, abrasio & absterſio pladarotis sive parvularum carnis excrescentiarum mollium cruore ſanieque profluentium (piſorum ad inſtar magnitudine) ſubter palpebras proſtantium: aliqui nominant hunc morbum verrucam ſanguinolentam, alii morum Celſi.

Cap. 21.

Ciliorum commiſſorum diſjunctio, palpebrarum cohærentium & coeuntium divulſio, ſolutio, apertio, ſive geminum conjunctarum diſunio: vel anchyloblephari & binarum ſimul palpebrarum tam inter ſe quàm cum adnatâ & corneâ, oculique pupillâ conglutinatarum ſeparatio, diviſio, reſignatio, aut diſcluſio: fit autem hic morbus, tum ex ulceribus & abſceſſibus in morbillis, variolis &c. tum ex accidentibus aliis improviſis æque ac ab uſu indiſcretô topicorum impropriorum.

Cap. 22.

Redactio, aſſumptio, repreſſio glandulæ innominatæ inflammatę, tumefactæ, diſlocatę, prolapſæ &c.

Cap. 23.

Rectificatio, ſeu correctio & fortificatio oculorum in infantibus ſtrabonibus: ſive confirmatio muſculorum diſtortorum antagoniſtarum in transverſa tuentibus tenellæ ætatis pueris.

Cap. 24.

Cicatriſatio, incarnatio, conſolidatio fiſtulę in corneâ. Woolhouſius adinvenit methodum tollendi calloſitatem in hâc delicatulâ & parum cognitâ fiſtulâ: atque reproducendi & regenerandi deperditionem & defectum corneæ fiſtuloſæ, ſeu ad reparandam ſpecificè corneam pertuſam pereſamque.

Cap. 25.

Eductio ſanguinis in oculi bulbô peragenda, cùm vaſa ejus capillaria maximè dilatantur, ac varicoſa evadunt. Cauteriſatio item & pręcluſio utitidum ſive inuſtio venarum & arteriarum tumidarum, lividarum & varicoſarum ægros minitantium de carcinomate cæteriſque deſperatis oculi morbis: hæc operatio Hippocratis, non fuit Pariſiis in uſû ex Borelli tempore: qui ejus chirurgiam & ſucceſſum in plurimis oculi rebellibus morbis laudat quàm maximè.

Cap. 26.

Setaceum ophthalmicum trans oculi globum, (Inventum Chinenſe) pro curatione amblyopię, hydrophthalmię, cataractę, & glaucomatis naſcentium, atque in aliis pleriſque bulbi ocularii morbis periculoſis.

Abſolutâ jam compendiariâ enarratione variarum Operationum, verè curioſarum, quas in oculorum morbis exercet Nobiliſſimus de Woolhouſe; qualem illam ex Ephemeridibus præmemoratis exſcripſimus: ſequantur in iiſdem morbis.

Conſultationes.

Ad Oculorum ſuffuſionem, pro uxore D. de Riou die 29. Martii 1551.

Utriuſque oculi hebetudo, & impendens cæcias, tum quæ ex ophthalmiâ oculô relicta eſt, tum quæ poſtea in ſiniſtrum invaſit, primam efficientem cauſam in cerebrô demonſtrant. In hoc quippe abundantior pituita excrementitia progigni cumularique ſolet, idque ex frigida humidaque Dominę laborantis intemperie & ex immoderatâ vivendi ratione. Ea quippe, ut pręcipua eſt arthritidis cauſa, quoties per poſteriora defertur, ſic per anteriora & per opticos nervos irrepens in oculos, hęc videndi ſymptomata peperit. Neque enim ſola pupillæ dilatatio citra hanc cauſam cæcitatem inferre poteſt.

Hoc autem loco hæſitamus, ubinam potiſſimùm hic humor impediens, & qui continens & proxima eſt mali cauſa conſiſtat? An in nervo opticô, anne ſub pupillæ partibus intimis ſuffuſionis ſpecie, aut extrinſecus ſupra corneam pupillæ effundatur albuginis ſpecie? Hæc enim ſingula diligenter ęſtimanda ſunt & internoſcenda, ſine quibus curatio, ſi qua ſperanda eſt, perfici non poſſit. Itaque optamus diligenter moneri per te de iis omnibus. Si nihil ob pupillam in oculô eſſe deprehenditur, cauſa eſt in optico nervo, atque is obſtructus forſan eſt: neque enim eſt ſuſpicio læſæ facultatis videndi, aut partis cerebri in qua conſiſtit. Si quid obſcurum ob pupillam animadvertitur, diſcernendum denuo, id ne in profundo ſub tunicis conditum ſit, anne totis circa tunicam corneam idem adhęreſcat. Illud ſuffuſio, hoc albugo eſt.

Tantiſper autem, dùm horum certiùs monebimur, curatio ineunda eſt generalis, & quæ hiſce omnibus affectibus æque communis eſt, primùm victus ſiccans & attenuans imperandus eſt, quo neque humidioribus vel ſorbitionibus, neque liquidis, ſed aſſis duntaxat & ſiccis veſcatur, hiſque ſatis tenuiter, & quantùm ſatis eſſe videbitur ad virium pręſervationem. A vino abſtineat dies viginti aut triginta, potus ſit ligni ſancti decoctum, quod nullius alterius rei permiſtione ſit apparatum. Si alterô validiore & acriore decocto horâ quintâ matutinâ & quartâ pomeridianâ tentes ex totô corpore, maximeque è capite ſudorem elicere, non leve momentum ad curationem fuerit.

Tertiô aut quartô die hujus victus, cùm jam humores exagitati apparebunt, purgatio adhibenda per pillulas lucis majores, & pillulas ſine quibus, aut alias quas laboranti naturę expertus eris accommodatiores. Hę octavo aut decimo quoque die repetendæ ſunt, nec eo die ſudores movendi. Diebus interjectis alvus ſi forte durior exiſtet, emolliatur clyſtere.

Quotidie mane, potiſſimum ſub finem ſudoris, deraſo capiti, vel tenſo imponendi ſunt ſacculi ex milio, ſemine aniſi, fœniculi & baccis lauri torrefactis, quos in lectô decumbens calidiſſimos pererat horam circiter, diu ipſam ut eorum opera lentus capitis humor foras proliciatur, & cerebrum totius mali fons, magis quàm partes cæterę roboretur: hi hoc enim efficaciores ſunt ſacculi, quàm vel emplaſtra, vel ſinapiſmi, quamtumvis calidi. Sublato ſaccùlô, caput muniendum eſt ſtuppis ſiccis; quæ ſuffientur ſtyrace, benjoin, caryophyllis & horum ſimilibus, paulo ante utrumque paſtum.

Eodemque tempore pituita è capite detrahenda eſt apophlegmatiſmis, quales ſunt ex maſtiche & pyrethro manſis, vel gargariſmo ex accommodato decocto in cujus libra una diſſoluta ſit ℥i. pyrethri pulveriſati.

His

His constanter utendum interim, dum affectus oculi certiùs innotescet, sit ne albugo, suffusio, aut optici nervi obstructio: nam imbecillitas ex spiritus penuria, aut virium dissolutione esse nequit. Quibus perspectis, idoneis remediis, dum licebit, opem feremus. *Joh. Fernelius in Consiliis Medicinalibus sub finem operum additis.*

Pro Illustrissimo Barone Germano imaginibus oculorum detento.

Duæ sunt rationes, quæ ut in tractando casu Illustrissimi Baronis Maxima diligentia utar suadent. Una est, quod oculi, de quorum adversa valetudine mihi interim est agendum, nacti sunt prærogativam ex Galeno, ut ausus fuerit affirmare, caput, & proinde cerebrum, membrum præcipuum, factum fuisse ob oculos; Altera est, quod oculus tam variam, atque multiplicem habet compaginem, & constructionem, ut etiam varios, & hos ipsos cognitu difficiles morbos sustineat. Verùm tametsi maxima diligentia mihi adhibenda sit, nihilominus insigni utar brevitate, atque tria tantùm enodabo. Primum erit, quis nam verè sit affectus præter naturam, qui in viro nobilissimo operam Medici exigit; Alterum, an affectus ille sit sanabilis. Tertium & postremum, si sanabilis vel saltem præservabilis, quibus remediorum materiis.

A primo itaque exorsus, dico, quod affectus de quo conqueritur duplex est, alter quidem naturalis & à primo semine contractus: alter verò ab hinc septem menses acquisitus, ille quidem est diminuta actio videndi, qua exactissimè vicina videt, idque magis secundùm oculum dextrum quàm sinistrum, mediis tamen ocularibus, remota verò non æque bene, qui affectus interim tanquam nativus & minimè curabilis est relinquendus. Illud autem certissimum est, quod quia exactè videt, spiritus sunt clari; quia verò à longe probè non videt, idem spiritus pauci, ac nimis tenues sint oportet. Affectus autem, qui ascititius, & operam medicam exigit, refertur ad imagines quasdam, & simulachra, seu Idola, quę à tempore superiùs statuto, narrat, se videre & magis secundùm oculum dextrum, quàm sinistrum, magisque in claro, quàm in obscuro. Imagines autem hæ referuntur ad lineam nigricantem, cui globusculi quidam videntur appensi, minoresque quidem in extremitatibus lineę, grandiores in medio, & hi grandiores in medio sunt Diaphani, sic etenim in scheda data refertur, & querelæ in ipsa ab illustrissimo patiente propositæ, omnes in lineam prędictam cum globusculis propositis referuntur.

Sed jam sedes affecta atque constitutio hujus mali sunt expendenda. Quantum attinet ad sedem affectam, illud certissimum est; Idola illa esse inter chrystallinum humorem, & corneam; atque aut inter albugineum humorem, & Rhagoidem, vel inter Rhagoidem, & corneam. Hîc sine dubio vitium est, inter albugineam & Rhagoidem, aliàs si inter corneam, & Rhagoidem, pupilla evidentiùs obtenebrata observaretur, oculisque non obversarentur spectra aliqua, refertur tamen in chyrographo, oculum, optimè constitutum apparere & pupillam secundùm naturam esse affectam; Item & oculis observari phantasmata jam dicta. Quantùm verò attinet ad constitutionem hujus vitii, dico, quòd necessarium est illud pendere à vapore, vel ab humore, seu minera. Non quidem à minera, quoniam malum gravius esset, ergo à vapore, qui cùm possit esse vel crassissimus, tenuissimus, & mediæ naturæ, vel melancholicus, pituitosus, biliosus, & sanguineus, primum dico esse vaporem mediæ naturæ, quoniam ubi est crassissimus spectra sunt animalia, nimirum culices, muscæ, ubi est tenuissimus, idola illa pilos, & filamenta tenuia redolent, quæ cum absint in nostro casu, nam phantasmata sunt linea, capillum quidem referens, necnon globusculi lineæ appensi, ideo imagines illæ mediæ sunt naturæ. Præterea, idem vapor est à prędominio melancholicus, deinde pituitosus, nam pro majori parte est niger, & prout Diaphaneitatem aliquam globusculi illi redolent, significatur, vaporem redolere etiam naturam pituitosam. Cœterùm, cùm vapor hic referat imaginem jam propositam; & in oculo nullum manifestum malum cernatur, necessarium est fateri mineram hujus vaporis extra oculum esse, ergo aut in capite, aut in partibus subjectis, aut in toto. Non in totô, quia corpus satis bene constitutum proponitur, puto igitur à capite prodire vaporem pituitosum, quia sicuti ob calorem nativum imbecillum, destillationem, quæ ad gingivas molesta deponitur parit, ita ex eadem materia destillationis ob eundem calorem, vaporem producit ad oculos à primo semine imbecillos, & ob id ad suscipiendum aptos transmissus, apparentias illas efficit. Cæterùm, quoniam ex masticatoriis adhibitis, ex cauteriis tum in Nuca, tum in utroque brachio inustis; nullum juvamen persentit; necessarium est; malum hoc aliunde fomentum habere, in cujus confirmationem, & id facit, quod cùm apparentiæ illæ pro majori parte sint nigricantes necessarium est, ut sit soboles humoris melancholici; qui cùm non generetur in capite, nisi ob fervorem derelictum ab aliqua dispositione ignea; uti à phrenitide, vel à timore & mœstitia immoderatis; quæ absunt in nostro casu, ergò oportet, ut humor hic malancholicus generetur vel in hepate fervido, vel in meseraicis obstructis ac calore æstuantibus; à quo fumi in caput & proinde in oculos delati Idola illa nigricantia efforment. In cujus rei confirmationem faciunt mores illius Illustrissimi Baronis, qui melancholiam redolent, quicumque enim in constituendis machinis torno; & in inspiciendis volatilibus occasione venationis occupantur; proculdubiò mores melancholicos sapiunt etsi aliquis contra hoc obstaret, quod magis afficitur oculus dexter, quàm sinister, & quod idola sunt permanentia; ut propter hoc non sit necessarium à partibus subjectis oculis labem communicari, hic ipse sciat hæc accidere; quia oculus dexter forsan èst imbecillior sinistrò; Præterea propter rectitudinem magis ab hepate recipit. Quantum verò ad continuationem affectus, dico quòd præter id quòd jugiter à capite suppeditatur materia, non est inconveniens, quòd etiam à partibus infernis communicetur materia, ut aliquando etiam fiat, morbum aliquem per consensum esse continuum, quia causa morbifica continuè agit. Quibus in hunc modum sese habentibus; apparet imagines propositas non vitio imaginationis, uti in deliriis, sed vitio oculorum suam habere generationem, & hęc de primo capite dicta sufficiant.

Erat aliud, quod ad partem prognosticatricem attinet nimirum an malum prędictum sit remediabile, de quô ita statuo, nimirum vix malum hoc curari posse, nam præter id quòd incidit in oculos à natura imbecillos fabrefactos; tanquam forsitan valde progressum, materiis Medicis valde reluctatur, video enim cauteria in brachiis & in Nuca citra aliquod juvamentum usurpata fuisse. An verò immineat suffusio necne, dico, quod tametsi Avicennas affirmaverit, post sextum mensem ab istis apparentiis non iminere suffusionem, nihilominus ego experientiâ edoctus affirmare possum, & ante, & post illud tempus ab imaginibus illis subsecutam fuisse suffusionem, & quod pòst illud tempus id fiat, clarissimè habetis à Galeno quarto de locis Affect. capite secundo, ut proptereà valde suspicer, ne malum hoc in cataractam degeneret, & eo magis, quia Idola hæc non pendent à materia tenuissima, quæ in oculis minimè concrescat, sed ut dicebam à mate-

materia partim crassa, & tenui, & nisi oculi nobilissimi patientis, ut qui in scheda Leonini, & fulvi proponuntur, essent ita calidi & ęstuantes; fulvus enim color, est ipsius ignis color, & Leoninus oculus valde calidus esse solet; ego puto, quòd jam suffusio apparuisset, ut hisce nominibus ego arbitrer, cataractam imminere.

Erat tertium, quod proposueram de materiis Medicis, quę indicationum inventionem supponunt, primùm igitur totum, deinde caput ab excrementis jam dictis etiam expiandum, post hæc capitis, jecoris & hypochondriorum alterationi incumbendum, à quibus omnibus, quicquid in oculis pręter naturam continetur, est discutiendum & evacuandum. Sed jam ad materias medicas deveniendum, in serie quarum auspicatus à chirurgia sectionem venæ negligò, tanquam, eam quę imminuta visione ab omnibus, potissimùm verò à Principe Avicenna, suspecta habetur. Accedit, quòd in pręsenti non adsint scopi illam indicantes, non negarem tamen cum fructu sanguinem ex venis podicis, per hyrudines extrahi posse, ea tamen ratione, ut sanguis crassus & fęculentus exeat; hac enim ratione venis hypochondriorum expiatis à sanguine fæculento, occasio effumationis in oculos subtrahetur. De cauteriis verò ita statuendum mihi videtur, ut quod in Nuca est, ac in brachio sinistro conservetur, quod in brachio dextro claudatur, & novum in femore dextro secundùm partem domesticam excitetur; Immò verò quòd in nuca ipsa gestatur, non excrementa evacuet, prout optaretur, probarem ut eo clauso in syncipite aliud inureretur, & per aliquot dies apertum servaretur, nam præter alia commoda illud unum præstare posset ut vapores ascendentes per ipsum evacuarentur, immò verò Medici antiqui in similibus casibus à cauteriis ad utramque eminentiam capitis inustis non abhorrebant, quemadmodum nec ipse abhorreò ab aurium perforatione, & assiduis frictionibus, deligationibus, lavationibus, ventosationibusque partium extremarum, ac pectinationibus mane in posticam capitis partem factis.

Pharmaca, gratiâ primùm totius, deinde hypochondriorum, tertiò capitis, postremò oculorum sunt usurpanda: gratiâ totius, lenientia primo loco ex hiera picra Galeni, superbibito per modum apozematis syrupo de polypodio magistr. vel ex casia & speciebus ejusdem hieræ parata. Secundò pręparantia ex decocto cicoraceorum, boraginis, melissę, betonicæ, eufragię, & fœniculorum cum suis syrupis confecta. Postremò verò purgantia ex pilulis cochiis helleboratis, vel cum aureis, & sine quibus, vel ex hieris magnis helleboro refertis efformata probantur. Huc quoque referenda sunt quę & insensibiliter evacuant, ergo chinæ decoctum, immò verò & ipsius salsę, modicique guajaci in jure viperino paratum, sandalis, vel cicoraceis castigatum, plantisque præcipuè ocularíis medicatum, ad plures dies bibitum erit maximi usus, & si viperæ non poterunt haberi, quemadmodum in Germania non ita facilè habentur, paretur decoctum in aqua communi; deinde ante syrupum matutinum bolus ex trochiscis viperinis vel sale theriacali, cum conserva boraginis, & betonicę efformatus devoretur. Mox studendum est obstructionum reserationi per medicamenta aliqua chalibeata, post quæ danda est opera, ut caput evacuetur Catopotiis jam propositis, potissimùm verò pilulis lucis, & assaiaret Avicennæ aliquoties devoratis. Item & masticatoriis iam etiam adhibitis ex pulpa carthami, pulvere euphragię, mastiche, & caricis, ac cerâ paratis, nisi tamen destillatio ad gingivas hęc prohibuerit, quibus non vererer pulverem Majoranæ, quę ex Rhase solùm odorata, imagines depellere solet admiscere. De sternutatoriis, etsi sciam ex Hippocr. in libell. de locis in homine probari, in imaginibus oculorum nihilominus cavendum à fortioribus; quare penna gallinacea imbuta succo majoranæ, in quo manna sit liquata in nares immissa conducet, quæ narium medicamenta, etsi aliquibus in affectibus oculorum videantur suspecta, nihilominus quia humorem quem attrahunt, etiam foris educunt, possunt tutò usurpari, quod video, etiam factum fuisse à Gal. 3. loc. A quibus omnibus pro jecoris, ac hypochondriorum alteratione, non modò serum caprinum depuratum, cum succo cicoraceorum, & thermę frigidæ minerę, bibita, ut decet, sed etiam balneum aquæ dulcis tepidæ toti corpori adhibitum, sunt maximi usus. Sicuti & ad capitis alterationem, conservæ capitales, & euphragiæ, immò verò & theriaca serena medię ætatis cum saccharo rosaceo castigata lotioque capitis ex lixivio cum bacchara, verbena, myrto, & rosis medicatò, nec non embroca quæ siccet, & in activis sit temperata cùm artificialis, tum naturalis quam magis probo, opportuna videntur, & eo magis, si unà cum lotione adhibeatur usus Saponis Damasceni cum cariophyl. santal. ligno aloes, medicati, in pilas redacti, & exiccati. Tandem insistendum medicamentis ocularibus, tum internis, tum externis, in serie priorum, tum confectionem humani vocatam, tum vinum euphragiâ vel verbenâ medicatum, immò verò sal chymicum ex enfragia, & verbena, ac majorana paratum, etiam atque etiam probo, quo refero pulverem cibis inspergendum ex flore nucis muscatæ, euphragiâ, & saccharo fino paratum, morselli quoque ex carne viperina, pulvere euphrag. & fœnic. cum saccharo dissoluto in aquis ocularibus facti mihi valdè arrident. In coordinatione autem externorum ego ab acribus omninò abstinerem, quo circa liquorem stillatitium ex vermibus in carne viperina natis & Chelidonia recenti, vel aqua majoranæ, in qua aloës, & tutia ignita sint extincta, vel destillatum ex conserva euphragiæ, vel vinum medicatum cum seminibus rutę, & majoranæ instillarem in oculos, atque his admoverem, sicuti & insufflationem in oculos Illustrissimi patientis fieri ab homine sano jejuno, qui fœniculorum semina masticaverit, curarem.

Quæ omnia ut prodesse possint, patiens nobilissimus omnem aëtis inclementiam, quantum fieri potest, aufugere debet; amplius bonis cibis vescatur, & in fine mensæ comedat cydoniatum, coriandros saccharo semitectos, saccharum rosaceum antiquum, poma, & pyra austera, sub cineribus cocta, & vapores à capite arceantur, quo nomine edulia omnia, quæ in caput vaporibus facilè feruntur, sunt detestanda. Bibat vinum album, si tenue, pauciferum, quod magis proderit, tempore vindemiarum, cum china, santalis, radicibus buglossi, & euphragiâ alteretur. Alvum sibi lubricam usu panis ex tota farina cum sale, fœniculis, & passulis parati, & in prima mensa comesti, vel aloë succotrina, succo rosarum nutrita, aliquoties ante cœnam devorata, servet. Dormiat capite humili, & cruribus retractis, ne ita facilè in caput ferantur vapores, & ut coctio meliùs procedat, fugiet somnum meridianum, & statim à cibo factum: corpus exerceat ambulationibus, equitationibus, gestationibus in curru, & venationibus, sed modestè, & tempestivè, & omnem visus defatigationem in aspiciendis ipsis avibus volantibus omnino devitet, & ab operibus per tornum factis ad longum tempus protractis, & statim à cibo factis, caveat. Postremoque mœrores, tristitias, curas, solicitudines aufugiat. Deus autem optimus maximus, qui verè omnes nostros languores sanat, hæc omnia felicitet, & secundet. *Julius Cæsar Claudinus in Consultationibus Medicinalibus.*

De

De Nyctalopiâ, seu nocturnâ cæcitate pro admodum Rev. Patre Carthusiano.

Quanquam admodum Rever. Pater, post lapsum ex equô de variis affectionibus conquestus sit; contusione scilicet femoris: genu & pedis doloribus articularibus universalibus, ac de hypochondriorum rugitu, & murmure, cum ventris segnitie, siti, & febriculâ; præcipuus tamen affectus, de quo conqueritur, cujusque curationem expetit quàm maximè, ad visionem spectat; quandoquidem elapsis annis, dum à sacris recederet Aris, repente ipsi omnia obcura & caliginosa visa sunt. Cæterùm ex variis tum Chirurgicis, tum Pharmaceuticis remediis, iisque cùm universalibus, tum ophthalmicis alterantibus; & resolventibus; visum recuperavit, ita ut in iisdem persistens remediis, eademque victus ratione usus perfectam sanitatem se adepturum speraret. Verùm cùm cælum mutasset in villa amænissima; & dum mane è lecto surgere vellet, iterum lux offuscata & tenebræ subortæ, hac tamen differentia, quòd quando lux solis serena effulgescit, omnia perspicuè videt, quà postmodum obducta, perit visus: omnia namque caliginosa, atrisque nubibus offuscata sibi obversantur; oculi pupilla naturalem statum servante adeoque de agendis consulit.

Quare supposito oculum esse partem affectam, affectionemque ipsis esse visionem imminutam, cùm videat interdiu, non verò noctu; statuendum est affectum præsentem eum esse quem Græci Nyctalopa, latini nocturnam cæcitatem vocant; qua detentos, Plinius Lusciosos vocat; ita tamen, ut sicuti præteritis annis erat Nyctalops non morbosa, accedens & recedens, ita nunc morbosa sit, eaque valde molesta.

Causa autem hujus affectus est crassities spiritus animalis per nervos opticos ad crystallinum transmissi, nec non & crassities aliqua humoris albuginei: cùm enim visio non fiat per solam specierum receptionem, ut censuit Arist: qui propterea statuit visionem esse passionem, sed etiam per radiorum extra missionem, ut est ferè communis Medicorum sententia; propterea vitium hoc non solùm est in spiritibus irradiantibus, sed etiam in humoribus species recipientibus, omnis enim actio fit ab agente valido in passum dispositum: Spiritus autem affectus est crassities; ob quam egent externo lumine ut fiat visio, sicuti quando sunt tenuiores, à radiis solaribus disgregantur; atque ideo hi meliùs vident noctu quàm interdiu. Quod si spiritus pauciociores fuerint, sed tenues, tunc patientes proximiora perfectè discernunt; distantia non vident; si verò copiosiores, sed crassi, tunc distantia magis discernunt, ob eorum imminutionem ab aëre luminoso factam: concurrit tamen dispositio ex parte passi nempe chrystallini recipientis. Quare in casu præsenti crassities ipsorum provenit ab excedente cerebri humiditate, quæ est causa etiam arthritidis; eaque cùm naturali, tum per ætatem adaucta, coadjuvante continua evaporatione à subjectis partibus, non solùm ratione victus ex herbis, leguminibus, testudinibus, & lacticiniis, quibus ferè continuò vescuntur Patres isti, sed etiam ratione hypochondriacæ, cui est obnoxius.

His sic statutis, quàm maximè petimescendum est; ne brevi temporis spatio aucta majori spirituum crassitie, nervorumque opticorum obstructione ab humoribus à capite fluentibus, superveniat integra cæcitas; Gutta serena vocata.

Pro curatione præsentis affectus dicendum est cum Platone, quod oculi curari non possunt sine capitis evacuatione neque caput, sine totius providentia. Ideo totius corporis & tandem oculorum instituenda est curatio. De totius autem providentia nihil dicam, cùm sit sæpius à viris Excel. ex methodo præscripta ideoque repetenda, insistendo revellentibus ad inferiora, crurum lavacris, frictionibus, & fonticulis, dummodo non persistat intumescentia crurum: clystereisque carminativi sint familiares, supersedendo sanguinis eductione antehac missi; hac lege, ne adsit aliqua ejus proclivitas ad venas sedales, in quo casu sanguis in moderata copia ex iis educendus erit.

Caput tamen peculiariter, & diligenter est expurgandum, primò masticatoriis paratis ex mastiche, staphide agria, cubebis, & pyrethro contusis, & cum cera, & resina, modicoque sacchara in globulos redactis, quorum alter singulis matutinis horis atteratur dentibus horam unam; expuendo quidquid ad os defluxerit. Per nares quoque fiet expurgatio, attracto succo fœniculi, modico pyrethri, & staphidis agriæ pulverizatorum, & permixtorum cum succis prædictis. Lac quoque cum castorio, & elaterio dissoluto prodesse poterit. Nec displicet attractio pulveris tabaci aliquoties repetita; non tamen valde familiaris; quoniam agitat humores plusquam conveniat. Sternutamenta quoque aliquando excitata proderunt. Ac interim topicis utendum est, non omisso decocto ex visco quercino, salsa parilla & ligno indico deraso, pro catarrhi exsiccatione. Inter topica, commendatur aqua euphragiæ, cum spiritu salis. Oculorum ablutio facta vino generoso; in quo dissolvantur fella quadrupedum, sicuti & sief de fellibus; dissolutum in aqua sileris montani, & chelid: vel in dec. fœnugræci.

Omnium tamen maximè juvabit victus tenuis, & attenuans, omnino contrarius victui consueto: potusque sit vinum oligophorum, & alvus continuò lubrica servetur. Sic enim spero fore; ut saltem præservetur à gravioribus affectibus Adm. R. Patiens. *Benedictus Silvaticus Cons. & Resp. Medic. cent. 2.*

De Myopia. Pro Juvene Istriano.

Affectus, de quo præcipuè conqueritur studiosus juvenis, est imperfecta distantium objectorum visio, Græce Myopia, Latine Lusciositas dicta; quam quinque ab hinc annis observare cœpit, quæ in dies convalescit; cuique jungitur paucis abhinc diebus expuitio cruenta matutinis horis molesta, dum surgit è lecto.

Provenit autem lusciositas hæc ab imminutione spiritus visorii, cùm ob impuritatem sanguinis crassi & melancholici, quo totum corpus abundare patet ex eo quod jecur habet præcalidum, & cor excedenti aliqua caliditate donatum, unde provenit fervor quidam quem observat ferè continuò in vola manuum, & plantis pedum, tum ob excedentem humiditatem cerebri, tum & à nimia spirituum dissolutione consequente vigilias immodicas, & intempestiva studia; ut propterea inde quoque sequatur sputum cruentum, à capite scil. destillante sanguine calido ad os nocturnis horis, dum tempore somni repletur cerebrum magis, quàm conveniat; & facta venarum apertione, seu anastomosi, sanguis effluit sine screatu valido, sine tussi, aut vomitu. Unde manifestissimè patet ipsum à capite profundi.

Quæ cùm ita sint, patet affectus prædictos nonnisi cum difficultate removeri posse, ac pro ipsorum curatione necessarium esse caput exsiccare, jecur, & cor refrigerare, ac sanguinem ipsum puriorem reddere; cordialibus, & cephalicis horum duorum viscerum innatum calidum roborantibus, præmissa totius corporis expiatione. Hæc præstabuntur Chirurgia, Pharmacia, & recta Victus ratione.

Inter Chirurgica præsidia toti prospicientia, laudatur sanguinis missio ex jecoraria dextri brachii, & venis sedalibus, parca tamen, ne major fiat spirituum dissi-

diſſipatio. Cucurbitula affigatur occipiti cum multa flamma bis aut ter in progreſſu curationis: ac deinde paretur ſetaceum in occipite, ſaltem aliquot menſes conſervandum: quo poſtea obducto, parabitur duplex fonticulus, in dextro ſcilicet brachio & ſiniſtra coxa; cùm cerebrum ſuſcipiat ab infernis partibus potiùs per ſiniſtram, quàm per dextram regionem. Nec omittantur frictiones, & lotiones infernarum partium.

Inter Pharmaceutica, probantur primò totum corpus expurgantia, lenientia, præparantia, & purgantia, pituitę potiſſimum accommodata, & melancholiæ, quibus abundare totum corpus cuilibet competiſſimum eſſe poteſt. Purgetur deinde peculiariter caput, primò maſticatoriis paratis ex zingibere, maſtiche, cubebis, & ſtaphide agria: deinde etiam errhinis, & iis cùm levioribus, tum & validioribus: quibus peractis, ad topica deveniendum eſt interna & externa. Propterea valebit intrinſecus decoctum paratum ex radice chinę, & ſalſa inciſa, cum portiuncula ligni Indici, & ſantalis, additis betonica, chelidonia, euphragia, verbena, cichorio, ſoncho, fumaria, & meliſſa; cujus uſus erit decem, & plures dies, cum ſudore ſemel in die matutinis horis, ita ut caput ſudet. Quod ſi à ſudore magis incaleſcat quàm conveniat, tunc ab ipſo propinetur juſculum paratum ex cichoraceis, cum ſucco cichorii optimè depurato. Imò æſtuoſo anni tempore, uſui erunt intrinſecus aquæ refrigerantes & exſiccantes: quales eſſe ſolent Acidulæ in Germania, & apud nos aquæ Beatæ Virginis, vel Villenſes. Exhibeantur tamen aliquando magnatum Antidotarum aliquę temperatę magis, ad recreandos ſpiritus; quales erunt confectio de hyacintho, & diamargaritum frigidum. Extrinſecus verò caput exſiccetur dulci lixivio alterato roſis, ſalice, plantagine, betonica, ſalvia, agarico, & roremarino, ita tamen, ut lotiones fiant capite ſupino, aqua non admodum ex alto labente, ſaltem primis diebus, ne liquata materia fluat majori impetu ad partem affectam. Deveniendum poſtea ad collyria. Ideo laudatur aqua fœniculi cum aceto, & vino albo, modicè generoſo. Crocus cum vino mediocri; Sief de fellibus, cum aqua euphragiæ. Aqua marina alterata origano, & portiuncula myrrhę. Frequenter abluantur oculi vino malvatico & aceto; illis applicentur remedia tepida, & ſi fieri poterit, utatur cucurbita vitrea, ex illis, quibus applicata collyria diutius detinentur ſuper oculum. Hiſque non conferentibus, ad mineralia accedendum eſt, qualia uſurpantur etiam in ſuffuſionibus.

His omnibus proportione reſpondeat victus ratio, ita ut habeat in uſu familiari fœniculum, ex quo panis paretur, & vinum condiatur euphragia, verbena, & fœniculo. Alvum frequenter lubricam conſervando pilulis Lucis, & aggregativis. Hæc è re judicavi pro curatione affectionum propoſitarum. Faxit Deus ut cedant in emolumentum Nobilis, & ſtudioſi juvenis. *Idem ibidem.*

De Suffuſione, & Dolore. Pro Nobili Matrona.

Quemadmodum oculi naturaliter conſtituti duplici facultate ſenſitiva donati ſunt, tactiva ſcilicet, quam habent communem cum aliis ſenſoriis, & viſiva ipſorum propria; ita ſiniſter oculus Nob. matronæ utramque functionem depravatam habet, tactivam, ratione doloris, & viſivam ratione incipientis ſuffuſionis cùm veluti per nebulam videat. Quorum ſymptomatum cauſa diligentiſſimè propoſita fuit à Viro Excel. Nam ſi de dolore ſermo fiat, hîc non aliunde provenit, quàm ab inflammatione tunicæ conjunctivę Ophthalmia dicta, quæ morbum conſtituit in intemperie calida cum materia: non tamen in mala compoſitione in patiente noſtra, cùm tumor non devenerit ad tantam magnitudinem, ut inde motus oculi recipiat ſenſibile impedimentum: longè minus in ſoluta continuitate: quanquam enim dolor aliquam continui ſolutionem indicet, quia non poteſt excitari à qualitate tangibili, niſi adeò confertim agat, ut partis continuitatem ſolvat; tamen continuitas non eſt adeò ſoluta, ut inde conſtituatur morbus, quoniam ab ea non læduntur operationes ſenſibiliter: ut nos docet Galen. in L. de morborum Different 12. Quod ſi in 3. de Temper. 5. duplicem affectum in phlegmone conſtituit, alium ſcilicet in quantitate, & alium in qualitate, non propterea inferendum eſt, phlegmonem ſemper eſſe morbum in aucta magnitudine, ſed tunc tantùm, quando inde læduntur operationes: ut teſtatum reliquit in L. de Diff. morb. cit. Terminus enim diſtinguens ſanitatem à morbo, eſt ſenſibilis operationum læſio, ex Lib. Artis meden. cap. 8. Quare ophthalmia hæc erit intemperies calida cum materia, quæ quidem eſt maſſa ſanguinea, conſtans ex multo ſanguine, non ſine copia bilis, quam in nobili matrona prædominari, prodit promptitudo ad iram, & ad omnes actiones; cum ſubdominio tamen melancholiæ, cùm animi paſſionum tenax maximè ſit, cum aliqua pituitæ copia, qua ſexus iſte ferè ſemper abundare ſolet. Maſſa itaque hæc ſanguinis, multa copia genita à fervido jecore & totius temperamento calido & humido, neque expurgata per uterum, pro muliebri conſuetudine, & habitus plethorici modo, caput facilè petit naturâ præcalidum, calidiuſque redditum ex diuturna mora in thalamo calido, accedente forſitan aliqua naturali ejus imbecillitate, ob quam præteritis menſibus, vel annis, levem apoplexiam paſſa fuit, à quo deinde confluxit ad oculum ſiniſtrum, tanquam ad partem imbecilliorem, ob continuas & diuturnas lacrymas plures menſes manantes poſt dilectiſſimæ filiæ interitum: concurrente quinetiam oculi caliditate, indicata ab ipſius magnitudine, mobilitate, & venarum amplitudine; unde poſtmodum ſucceſſit Lippitudo ſeu Ophthalmia. Cui jungitur incipiens Suffuſio, dependens à morbo in via, facto à vaporibus craſſis, mediis inter cryſtallinum, & corneam, ab eadem forſitan maſſa ſanguinea elevatis, & utcunque incraſſatis, qui prohibent liberam facultatis irradiationem, & viſibilium ſpecierum receptionem. Augetur autem dolor, & affectus horis nocturnis: quia tum calor innatus ad interiora recurrit, & in humores agens ipſos in vapores reſolvit, quorum difflationem nocturna aëris frigiditas prohibet. Hæc de eſſentia, & cauſis prędictorum affectuum.

A quibus certè non ſine aliqua difficultate liberabitur patiens, cum ſint 40. dierum circiter, foveanturque ab imbecillitate partium & augeantur à continua fluxione ad partem affectam ex utero, & toto corpore; immò niſi rectè curetur ſuffuſio, periculum imminet, ne denſentur magis vapores, & in membranoſam ſubſtantiam converſi, morbum ſcil. in numero, perfectam ſuffuſionem inferant: propterea ſumma cum diligentia curanda eſt nobilis hæc matrona, prout video factum eſſe ab Excellentiſſ. Viro.

Quapropter totum corpus diligenter eſt expurgandum, materia fluens à parte affecta revellenda, & per partes mandantes, aut vicinas evacuanda; fluxaque ad oculum ſenſibiliter, & inſenſibiliter, evacuanda, non neglecta aliqua capitis evacuatione; quanquam ipſum afficiatur potiùs per conſenſum ab infernis partibus: nec poſthabitis jecur, & totum corpus refrigerantibus, ad prohibendam regenerationem ſanguinis hujus calidioris. Quæ præſtabunt Chirurgia, Pharmacia, & Diæta.

Chirurgiam quod attinet, ſicuti laudo ſummopere ſanguinis evacuationem ex cephalica ſiniſtri brachii jam adminiſtratam, ita mihi ſummopere probatur apertio venæ ejuſdem pedis, ad majorem revulſionem à parte affecta, & etiam ab utero, tanquam à parte mandante: atque poſt aliquot dies, probatur apertio venarum ſedalium, ut fiat major ab utero derivatio ad locum proximum, & à capite revulſio; educendo ſanguinem ad lib. 1. ſ. circiter ex his duobus locis. Fiantque frequentes frictiones, lotioneſque partibus infernis, cum

aqua alterata baccara, puleg. sabina, matricaria, malva, & similibus. Applicentur cucurbitulæ cum multa flamma coxis in parte domestica, & si opus fuerit, posterioribus partibus, cum scarificatione. Nec omittatur fonticulus in coxa; quanquam audiam ipsam alium in coxa dextra gestare. In hoc enim corporis statu, nisi continuæ diversiones fiant ad infernas partes, periculum imminet gravioris apoplexiæ, qua de causa supersederem in præsenti vesicantibus, & cauteriis applicitis supernis partibus, contentus aliqua evacuatione sanguinis, vel ex venis post aures, vel ex vena anguli majoris oculi affecti, hac lege, ut hanc operationem præcedat diligentissima totius evacuatio, & revulsiones jam propositæ. Dum verò fit hæc operatio, ligaturę pedibus, & manibus erunt ex usu, ut & cucurbitulæ sine scarificatione coxis: vel pedes in aqua calente detinebuntur ad prohibendam humorum attractionem. Et hæc quantum ad Chirurgica præsidia.

Leniatur alvus antè prædictas operationes mell. ros. & syr. ros. sol. cum decoctione pulpę tamar. vel elect. lenit. cum pulpa tamar. & portiuncula hieræ. Præparentur humores primò iis medicamentis, quę toti corpori consulant, & nullatenus partem affectam respiciant. Quod præstabunt syr. de cichorio, acet. sim. cum decoct. cichorii, pentaphylli, capill. ven. borraginis, & sem. citri. Purgentur blando purgante ex agarico, rhab. & myrobalanis Indis, infusis in vino albo, cum spica, addito syr. ros. sol. & de polyp. composito; post ea præparentur localibus valentioribus, utpote syr. de beton. composito, oxymel. composito, syr. de duabus radicibus, una cum decoct. chelidoniæ, betonicæ, cichorii, capill. veneris, & borrag. & deinde purgentur pil. ab Exc. Viro pręscriptis, vel alio simili medicamento boli formâ, potiùs quàm potionis propinato, quò magis ex alto trahat; ac deinde 12. aut 15. dies bibat serum caprinum destillatum, cum capill. ven. & absinthio Pontico; & ipsum modò diureticum, cum syr. de duabus radicibus, modò dejectorium, cum manna; quo tempore blando masticatorio caput purgabitur, ut chartâ, vel mastiche. Atque localibus externis digeratur materia in oculo contenta, pulvere scilicet ossis sepiarum, & saccharo cand. subtiliter pulverizatis, & insufflatis: aliquando aqua rosarum, fœniculi, & chelidonię, cum minima aceti portione & sief albo sine opio; ac tandem etiam tutia, in lacte nutrita, & vino albo montano, in quo ebullierint verbena, fœniculum, chelidonia, euphragia, & rosæ cum portiuncula aceti. Ad validiora non progrederer, & repellentia omitterem, ne materiam suffusionis causam nimis incrassent, & densent.

Victus sit tenuis, attenuans, non tamen calefaciens, neque caput replens; ideo selinum, hiposelinum, & similia mittantur, & à cibo comedat parum diacydonii, vel cydonii cocti. Abstineat à vino si fieri potest: cujus loco aqua coriandrorum sit in usu, vel vinum admodum lymphatum. Alvum continuò sollicitet pilul. ex Aloë lota cum succo ros. sumptis alternis noctibus statim ante cęnam, ad scrup. 1. juvant enim, bilem educendo, & venas uteri, vel hęmorrhoidum reserando, & à capite divertendo. Caveat ab igne quantum fieri potest; exercitium sit potius infernarum partium. Aërem frigidum, fumum, & similia vitet, & in reliquis se gerat juxta pręcepta Viri Excellentiss. Sic enim pristinam sanitatem recuperabit; quam D. O. M. ut ipsi concedat, veneror. *Idem ibidem.*

De Ophthalmia.

Ophthalmia, qua quinque abhinc annis frequenter corripitur Nob. hic Juvenis, pluribus repetitis purgationibus præservativis minimè cedens, proprie sanguinea à nobis existimatur, licet non sine aliqua, sed exigua pituitæ permistione, etenim copiosum sanguinem producit ejusdem hepar, quo totum venosum genus redundat. Verùm quoniam rarò fiunt fluxiones ad quamlibet corporis partem, nisi aliquis intercurrat biliosus ichor, vehiculum, ideo & hoc casu eundem non abesse credendum, cùm justò calidius hepar, & naturali fervidior sit ipse sanguis, qui propterea facilè sursum petens, caputque replens ad venas tunicæ adnatę influit, & per ipsius substantiam diffunditur, unde inflammatio, lippitudinem, sive ophthalmiam constituens suboritur. Hanc autem contumaciorem reddiderunt non solùm alexipharmaca adversus Celticam luem administrata, aucto jecoris & sanguinis fervore, verùm etiam aquæ Thermales, quæ caput petentes & opplentes imbecillius reddiderunt.

Quare, ut ab hoc affectu vindicari atque præservari possit; in præsens ratione curationis, primis expiatis viis caput erit expurgandum, & materia sanguinea conjuncta attenuanda, & resolvenda. Pro præservatione verò sanguis erit minuendus. Secundò omni industria à capite divertendus. Tertiò serosus humor evacuandus. Quartò & ultimò jecur & sanguis ipse contemperandus. Quibus intentionibus satisfieri posse minimè dubitamus, observato tamen præscripto ordine.

Et primò, pro curatione, expediantur primæ viæ Pot. ex manna clarif. aut cass. cum magist. mechoac. Mox, quoniam jam nuper totum corpus fuit expurgatum, pilulę capitales hujusmodi exhiberi poterunt.

℞. Pil. aur. ℈ij. cochiar. aggreg. lucis an. ℈j. m. ref. pil. cum succo chelid. aut euphragiæ q. s. & aur. & tribus vicibus, quarto quoque die præbeantur, à quibus bibat aquam Nocerianam, contemperando earundem calori, diebus verò intermediis exhibeatur jus herbis capitalibus ophthalmicis alteratum.

Interim oculo ophthalmica attenuantia & resolventia adhibenda, postmodum detergentia.

Sic paretur fom. ℞. Sem. fænugrec. ℥j. fœnic. ℥ß. flor. Chamæm. melil. euphrag. an. m. i. Vini albi, aq. euphrag. an. ℔. i. s. m. bull. ad consumpt. quartæ, & spongiâ foveatur per horam oculus, qui bis saltem per diem postea abluatur aquâ euphr. cum saccharo cand. in pollinem redacto.

Dum hæc fiunt omnino abstineat æger à lectione & scriptura, à vino item, & parcè comedat.

Ut autem præservetur, jam propositæ intentiones erunt hoc ordine explendæ. Quolibet mense hæc assumat Nob. Juvenis.

℞. Elect. lenit. ℥vi. Magist. mechoac. ℈j. m. & sumat tribus horis ante prandium: sequens verò dies vacuus sit, sed tertio aperiatur saphena, educto sanguine ad ℥vi. Interim adhibeantur frictiones, incipiendo à nucha per scapulas & dorsum mane antequam è lecto surgat, sicut & pedum lotiones frequentes, vesperi ante cœnam. Et nisi valdè abhorreat, Cauterium coxæ dexterę inuratur; quotidie verò primâ mensâ, bibat jus plantagine alteratum, in quotum usu pergat atque persistat quolibet mense, ut dictum est, quotidie per integrum annum, hoc solo discrimine, quod tempore hyemali frigidissimo, & æstivo calidissimo, saphenę sectioni substituatur reseratio venarum sedalium hirudinibus admotis.

Et his addatur congrua victus ratio, adeò ut fugiat accessum ad ignem, & moram diuturnam sub radiis solaribus. Abstineat item à potu vini meracioris, à cibis omnibus vaporosis, calidis, salsis; de more prandium & cœnam claudat conserva rosar. misso exercitio statim à cibo. In somno situs sit semper supinus & abstineat à lectione, & à scribendi munere, quantum fieri potest. Quæ si accuratè observentur, pręservationem penè certam Nob. Pat. spondemus. *Raymund. Joh: Fortis Consult. & Resp. Medic. Tom. 1. Cent. 1.*

De Ophthalmia cum Maculis.

[illegible]erum Illuſtriſſimum ophthalmiâ ſep[illegible] hinc menſibus conflictari, ex hiſtoria tranſmiſſa accepimus. Et licet ejus gradus, num ſcil. Taraxis, an Lippitudo vera, ſeu potius Chemoſis ſit atque fuerit; non conſtet, lippitudinem tamen eſſe & fuiſſe ſupponimus; non enim Taraxis tandiù perduraſſet; prout Chemoſis ad inverſionem uſque palpebrarum progreſſa eſſet, de qua nulla ſit mentio. Scitu tamen neceſſarium foret num legitima an ſpuria fuerit, ut cauſę antecedenti potiſſimum, nec non conjunctę adęquata præſidia adhibere poſſemus; digna ſiquidem Gal. obſervatio in ophthalmię curatione, qui juvenem ſola bilioſorum humorum purgatione ſanavit; prout & Oeconomum ſola ſanguinis miſſione; & duos alios, cum Hipp. meraci potu, & balneo: ſi enim à ſanguine cacochymo bilioſa facta fuerit inflammatio, prodeſt purgatio; ſi ab ejuſdem copia, ſanguinis miſſio; atque ſi ab eodem pituitoſo; in oculorum adnata & venulis impacto, meri potus & balneum, attenuando, diſſolvendo prodeſt & affectum ſanat. Verùm quoniam ophthalmia diuturna fuit, licet totum corpus bilioſa intemperie ſit prępeditum, à bilioſo tamen ſanguine non proveniſſe credendum; neque à puro ſanguine, tum ob totius & jecoris fervidam intemperiem, tum quia neglecta ad Chemoſin deveniſſet, nec tandiù perduraſſet. Quare, ut conjectura colligimus ex humida capitis intemperie, affectus diuturnitate, nec non ex maculis, ſive nebulis in oculo ſuperſtitibus, ſpuriam fuiſſe inflammationem & ophthalmiam cenſemus, ex ſanguine ſcil. pituitoſo à capite humido, & facilè à toto capiti ſubminiſtrato, (cùm pueri, ob ingluviem ciborum, cruditatibus ſcateant) ac per venulas ad adnatam tunicam tranſmiſſo; quo venis repletis, eademque tunica diſtenta & tumefacta, neceſſariò ſolutio continui fuit inducta, dolorum cum inflammatione cauſa. Et quoniam pituitoſa portio non adeò facilè ut ſanguinea reſolvi potuit, & quidem difficiliùs neglecta; hinc eadem denſata, in nubeculas converſa & obfirmata fuit; quarum tamen ſedes nos adhucnum latet, utpote quæ poſſit eſſe circa eandem tunicam conjunctivam, quod optandum magis foret; nonnunquam enim vi inflammationis atque doloris, per venulas internas ad aqueum humorem & membranulas alimentum devehentes, fit excrementitii ſanguinis attractio, cujus pars craſſior in illo ſpatio inter corneam & cryſtallinum denſata, ſimiles nubeculas, imò quandoque deterioris conditionis producit; quæ ſi parieti internæ tunicæ adhæreant infra cryſtallini ſitum, ut eſſe poſſunt prę ſentes, multò leviùs malum, prout gravius longè foret ſi aqueo humori innatantes cryſtallino obverſarentur; ſuffuſionem quippe temporis proceſſu inducerent.

Affectus equidem ſanationis difficilis, tum ratione ſui; tum potiſſimùm Patientis. Ratione quidem ſui; quoniam inveteratus & confirmatus eſt, atque repleto capite & humida intemperie prædito ſit; necnon quia licet lædatur oculus dexter, ſiniſter tamen nihilo validior eſt; & tandem quia ex levi cauſa recrudeſcit inflammatio. Reſpectu verò Patientis; quoniam renuit ipſe medicamenta, & præterea, quia multa & valida ejuſdem tenella ætas ægrè tolerare poterit. Nihilominus, quæ adminiſtrari poſſunt omni arte & induſtria uſurpanda; cum Hippocr. In diuturnis lippitudinibus cum dolore cæcitatem minetur; memores, quòd uno affecto oculo, facilè temporis ſpatio alter quoque trahitur in conſenſum.

Quare, licet anni tempus purgationibus obluctetur, non eſt tamen differenda curatio; ſicut enim prę ſervationi opportunum tempus, vernum ſcilicet, præfertur; ita curationi quodlibet tempus accommodatum eſſe neceſſe eſt; m[illegible] enim [illegible]æſentes quolibet tempore curandi.

Primò itaque fluxus prohibendus. Secundò materia jam fluxa attenuanda & evacuanda. Tertiò cauſa fovens fluxum removenda. Quartò oculi roborandi. Et tandem dolores demulcendi.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, aliqua ſanguinis miſſio convenire videtur; ait enim Hipp. Anginam & lippitudinem ſolvit venęſectio. Prętereà in omnibus lippitudinibus, Avic. etiam miſſionem ſanguinis conferre aſſerit. Convenire verò poterit in hoc puero, per cucurbitulas dorſo appoſitas, pluribus eodem tempore ſiccis, infernis partibus admotis. Convenientiſſimę quoque erunt frictiones, & quidem quotidianę, matutinis horis, antequam ſurgat, à nucha uſque ad extrema corporis; ſicuti veſperi ante cœnam, quotidianæ etiam lotiones pedum aqua calente. Cauterium brachio dextero inurendum, & in pertinaci hujuſmodi malo, præmiſſis omnibus neceſſariis totius, & capitis evacuationibus. Nuchæ quoque; ſi non ſetaceum, ſaltem cauterium luculento juvamento inuri ſolet. Quod enim medicamentum non ſanat, ſanat ferrum, & ignis.

A Fonte pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, totum Evacuantia, caput Purgantia, materiam impactam Diſcutientia ophthalmica, oculum Roborantia, & dolores Sedantia.

Leniens ſit caſſia cum tattaro; vel pot. ex manna clarif. Primum præparans ſit julap. acet. ad ℥ij. vel iij. cum ʒii. crem. tárt. per quinque, vel 6. dies, Primum purgans verò caſſ. cum pil. de tribus; vel potio ex manna clarif. infuſioni conſuetæ addendo agar. & rhab. à quibus bibat aquam hordei.

Pręparantia ſecundo loco ſint decoct. cich. borrag. end. viol. beton. euphragię; cui addatur julap. acet. & ſyrup. de betôn. in cujus uſu perſiſtat ſeptem, vel octo diebus. Inde ad purgans medicamentum deveniendum, quale eſſe poterit caſſia, cum pilul. aggreg. vel potio ſuperiùs propoſita, à qua pariter hauriat aquam Nocerianam, aut hordeaceam.

Ita utcunque toto expurgato, caput quoque evacuandum pil. coch. aur. & aggreg. tertio aut quarto quoque die exhibendis, tribus aut quatuor vicibus, ab iis epoto pariter aliquo refrigerante, diebus autem intermediis, præbeatur decoctio borrag. cich. end. euphragiæ, chelidoniæ, & fœniculi.

Purgato toto & capite, & revulſionibus omnibus prædictis adhibitis, ad oculi curam erit deveniendum, hac prę miſſa cautione, ut ophthalmia priùs & inflammatio, doloreſque ſedentur, antequam macularum & craſſioris ſanguinis impacti reſolutio tentetur.

Ad inflammationem itaque atque dolores, Gal. tria potiſſima proponit remedia, lac ſcil. albumen ovi, & fœnugræci decoctum; in caſu tamen noſtro, uti poſſumus ſpuma ex albumine ovi quaſſato, cum aqua roſac. agitato, linteo puro, atque ſubtiliſſimo, oculo admota; inflammatione verò atque dolore remiſſis, foveatur oculus ſpongiâ decoctione fœnugræci imbutâ: ſicut enim primum remedium repellendi & leniendi; ita ſecundum leniendi ac reſolvendi facultatem obtinet.

Pro attenuatione verò, atque reſolutione materię craſſioris, talis paretur aqua.

℞. Succi praſſii, fœniculi, euphragię, chelidoniæ an. ℥iij. Fell. perdicis, n. 4. Mellis optimi ℥ij. M. & B. M. deſtill. aqua verò ſervetur pro lotione oculi, tepida adhibenda. Et ſi aliquis ex jam dictis ſuccis præſto non fuerit, ſuppleatur aucta aliorum doſi.

Ad nubeculas verò obliterandas, egregium ophthalmicum ſolet eſſe Crocus metallorum ad ʒj. in aquæ euphragiæ, aut chelidonię ℥iij. diſſolutus.

Tandè caput & oculi roborentur conſervis, ſub ingreſſum lecti aſſumendis, modo ex roſis, modo ex euphragia, modo ex betonica, in earundem uſu quotidie perſiſtendo.

Victus ratio non poſtremum locum obtinet in hoc caſu; & ideo primò cavere debet aërem nebuloſum atque ventoſum, acceſſum ad ignem, moram ſub radiis ſolaribus; imò & aërem luminoſum, adeò ut domi in obſcuro potiùs quàm lucido cubiculo degat. Se-

Secundò abstineat à vaporosis cibis, atque odoratis alimentis, sicut & ab iis quæ succum crassum atque glutinosum gignunt, quæ ab Excellent. adstanti recenseri poterunt, verbo, hic Puer ut febricitans curandus fuerit, ovis sorbilibus, pullis junioribus, carne tenella vitulina, aviculis sylvestribus; sed carnes, ut ait Hipp. exhibeantur ferè semiputridę, quas nos solemus appellare Frole. Vinum omnino interdicendum; unde Arist. dicebat, quod qui aquam bibunt, acutiùs vident. Martialis verò, *Vinum Phryx bibit, oculi venenum*; Bibat autem aquam santalinam, aut stillatitiam borrag. ut quæ reliquis minùs frigida habeatur & in hac victus ratione sine vino, ad menses persistat.

Tertiò noctu dormiat capite elato, & supinus, aut saltem nunquam in latus dextrum.

Quartò motus & exercitium ante cibum adhibeatur, capite semper erecto.

Quintò Alvus lubrica servetur, & aliqua pil. mastich. cum granis magist. mechoac. bis, aut ter per mensem solicitetur.

Tandem alacri animo sit Puer, qui & à studiis, & à scribendi officio, & legendi est omnino avocandus. Quibus faxit Deus, ut optatam salutem consequatur. *Idem ibidem.*

De Ophthalmia, & imminuta Visione.

Non adeò probam sanguificationem fieri in Illustriss. Patiente, nobis significavit sæva scabies quæ olim eundem afflixit, medicis auxiliis tandem expugnata; sicuti in pręsenti idem nobis confirmat Ophthalmia non legitima, sed spuria, pertinax atque rebellis, unius anni & ultra quæ nil aliud est quàm inflammatio adnatæ tunicæ, proveniens à fluxione impuri sanguinis, cujus ratione alii quoque humores, per venas internas, in albugineum humorem sese insinuarunt, à quibus imminuta quodammodo redditur quoque visio. Humores autem jam dicti, utrumque affectum producentes, primò & præcipuè à toto, secundariò verò à capite transmissi fuerunt, & transmittuntur ob jecoris calidam intemperiem, capitis verò humidam, à quibus prædicti pravi humores sanguinem inficientes, & spuriam, ideoque contumacē ophthalmiā inducentes, originē ducunt.

Affectus quidem sanabilis, sed non adeò facilè; nam, sicut difficilis est materiæ ad oculos influxus, per venas nimirum exiles; ita humoris jam transmissi resolutio tarda, & fluentis diversio laboriosa futura est; quod hucusque expertus fuit Illustr. Patiens; quia spuria, utpote à crassiori sanguine proveniens, difficilioris resolutionis est. Diuturnitas autem potest visioni quoque non parum officere, nec tandem etiam sine suffusionis metu. Quare cauta atque diligenti curatione opus est; etenim oculum curare ante caput non licet; neque caput ante totum, ut habemus ex Galeno à Platone.

Quare primò primæ viæ expiandæ. Secundò totum venosum genus defœcandum & expurgandum. Tertiò à capite & oculis revellendum. Quartò caput purgandum. Ultimò oculis ipsis erunt auxilia adhibenda. Quibus omnibus, ita jubente Illu. Viro, ordine executivo erit satisfaciendum.

Sicque omnium primò assumat potionem, quatuor horis ante cibum, hujusmodi.

℞. Syrup. rof. sol. ℥iv. Man. elect. ℥ij. Aq. flor. citri parum m. f. p. Deinde per quinque dies, summo mane Julap. acet ℥iij. quibus transactis bibat hanc potionem.

℞. Syr. rof. sol. ℥v. Diacatholici ℥ſ. seri capr. q. s. m. f. p. à qua præbeatur seri Capr. depur. ℔ſ. & duabus horis ab eo, prandeat. Inde ad secundam præparationem deveniendum, succis herbarum depuratis, Cich. Borrag. Beton. ad ℥j. ana, in decoctione cichor. borraginis, acetosæ, endiviæ, agrim. per septem dies, summo mane assumendis. Altera verò die horum succorum, horâ unâ ante prandium, sanguis educatur ex venâ communi brachii dextri ad ℥vij. Mox in usu succorum persistat. Exactis autem his septem diebus, sumat sequentem potionem.

℞. Syr. rof. solut. ℥v. Elect. Diaphæn. de succo rof. an. ʒiſ. Seri depur. q. s. m. f. p. cui tribus post horis, superbibat seri Capr. depur. ℔ij. & duabus horis ab eo prandeat. Sequentibus duobus diebus, sumat succi depur. cichor. beton. euphragiæ an. ℥j. In decoct. cich. borraginis, acetosæ, betonicæ, Euphragię, chelidoniæ. Tertio verò die, in Aurora, sumat pilulas has, quinque saltem horis ante prandium.

℞. Pilul. Aggreg. Cochiar. prępar. an. ʒj. Lucis, ℈j. M. reform. pilul. & aur. à quibus duabus post horis, hauriat Aquæ Nocerianæ ℔ij. mox tribus horis ab eadem aqua prandeat. Deinde duobus sequentibus diebus repetat succos jam dictos, rursusque pilulas easdem, ut suprà; & mox succos, ita ut quarto quoque die, ter pilulæ repetantur. Interim masticatoriis quoque caput expurgandum, ut.

℞. Mastich. elect. ℥ſ. Pulveris gingib. Fœniculi an. ℥j. Ceræ q. s. m. ad ignem fiant glob. ad masticand. Quibus peractis, decoctum in jure quotidie assumendum per mensem, non obstante æstivo calore; exsiccandi namque, at non calefaciendi vim obtinebit; verùm altera die hujus decocti, horâ unâ ante prandium, educatur sanguis à venis sedalibus, hirudinibus applicitis, ad ℥vij. Decoctum autem tale erit.

℞. Santal. alb. rasp. ℥ij. Lentisci è Chio unc. 1. radic. rosar. nostr. ℥ſ. Aquæ stillar. cichor. ℔ij. Aq. beton. euphrag. an. ℔j. m. f. inf. per horas 24. deinde bulliant, ad consumpt. dimidii, & colatura servetur pro tribus vicibus, summo mane assumenda; verùm qualibet hebdomada assumat pilulas jam dictas, scilicet.

℞. Pilul. Aggreg. Cochiar. præp. an. ʒſ. Lucis, Aurear. an. ℈j. m. ref. pilulę, & aur. superhaustâ aquâ Nocerae, ut suprà, quo tempore utatur Conservâ rosar. tum à prandio, tum à cœna. Et tandem oculi, jejuno ventriculo, pluries abluendi aquâ Euphragiæ, Fæniculi, Chelidoniæ destillatis, simul mistis & tepefactis.

Quibus omnibus addenda congrua victus ratio. Sic vitentur radii solares, item alimenta calidiora, caput petentia, ut aromata omnia, condimenta Allii, Cæparum, & Aceti, Apium, vina generosa. Dormiat ut plurimùm supinus, numquam pronus. Exercitia fiunt ante cibum. Summo mane, antequam surgat, frictiones sibi fieri jubeat, à nucha incipiendo, & ad crura descendendo; sicuti vespèri ante cœnam, frequentes pedum lotiones, ex aqua calente convenientissimę erunt. Absoluta verò præscripta expurgatione, semel per mensem assumat has pilulas.

℞. Pilul. Mastic. Aurear. Aggreg. an. ℈j. M. ref. pil. & aur. qua die hordeum comedat, atque alacriter vivat. Quæ omnia Patienti Illustrissimo à Deo salutaria precor. *Idem ibidem.*

Ophthalmiæ Præservatio.

Puer Nob. 28. natus menses, hilaris, temperamenti calidi & humidi quoad totum, cerebrique calidioris & humidioris, sub mensis Februarii initium correptus est defluxione ad utrumque oculum, cum lacrymis copiosis, oculorum rubore, dolore, ardore, turgescentibus palpebris, & frequenti coalitu, ex materię sordidę, visciditate; qui affectus adeò in dies invaluit, ut visionis pręsens periculum immineret. Curatus autem leviter quidem est eo tempore, quantùm licuit per æstatem & hyemem, non sine aliquo levamine; videt siquidem modo exactè, & oculi pellucidi sunt, superstite tamen adhuc in extremis ciliis, unde pili erumpunt, glutinosa fluxione, noctu in somno invalescente, & eadem cilia adeo conglutinante, ut nonnisi laboriosè mane-

mane diducantur; prurit insuper totum corpus.

Præteritam Ophthalmiam, ad Chemosin usque perductam, in Nob. Puero, à sanguine bilioso & pituitoso simul mistis, per venam jugularem externam; aut per carotidas arterias ad caput sublato, atque à venis in adnatę substantiam effuso, & inflammationem in eadem excitante, provenisse credendum; qui forsan sanguis, si caput adversus ambientis frigiditatem fuisset munitum, in psoram, achores, & favos antehac erupisset, absque oculorum offensa. A toto autem caput, & ab hoc oculos, materiam morbificam suscepisse non dubitandum; cùm universalis pruritus vitiatum sanguinem totius nobis abundè indicet.

Hęc affectio jam à prudenti manu medica curata & sanata fuit. Verùm quoniam de recidivis jure dubitatur; ideo aliqua ad pręservationem agenda, humores à capite revellendo; causam foventem removendo; & oculos roborando. Quod nos consequi posse speramus, non tamen certò; cùm tenella infantis ætas propria prorsus auxilia non admittat; & Endemius sit affectus. Nihilominus quàm maximè confidendum adhibitis præsidiis, & potissimum inusto jam cauterio, pręservationi potiùs quàm curationi dicato; sicut quàm efficacissimum derivans materię antecedentis & decurrentis remedium, foret alterum inter primam & secundam vertebram inustum. Setaceum verò suspectum habemus, ob capitis à toto magnum consensum, quod proinde ob dolores continuos, copiosos in caput attrahere posset humores. Auriculis aliquod leve pondus ex auro est appendendum; prout frequentes pedum lotiones magni fecit Hipp. in oculorum affectibus, potissimùm inflammatoriis; quinimò & Paulus atque Oribasius. Bis autem per mensem aliquod medicamentum serositates evacuans erit exhibendum: Lippientem enim alvi profluvio corripi bonum. Poterit verò esse ex usu potio ex manna clarif. ad ℥iij. Vel, quod melius, extractum mechoacan. ad gr. x. exhibendum, dulciariæ spirę immistum, ad faciliorem exhibitionem. Atque interim humorum fervor, atque acrimonia perpetuò erit contemperanda, repetita quotidiè sorbitione jusculi, solâ acetosâ alterati. Nec nos turbet multiplex atque diversus modus, quo & Hippocr. & Gal. usi fuerunt in ophthalmiis curandis; modò scilicet sola purgatione, modò sola sanguinis missione, modò solo balneo, modò meraci potu & somno, nam causæ quoque variæ sunt; aliquando enim fit ophthalmia ab humoribus heterogeneis in toto redundantibus, & ab eo ad caput transmissis, quo casu medicamentis purgantibus utendum, quibus gloriatur Gal. se oculorum inflammationem, unico die, purgatione sanasse; quandoque verò fit à solo sanguine, & tunc sanguinis missio quàm maximè convenit; atque ita Oeconomus Romani divitis, Medico Erasistratæo antea commissus repetita sanguinis missione fuit à Gal. sanatus; item à solis acribus humoribus, & sic juvenis ille non plethoricus, solo Balneo aquæ dulcis fuit sanatus; prout interdum ophthalmia contumax, ex crasso sanguine in venis adnatæ hærente, & easdem tumefaciente excitata, vini meracis potu & Balneo sanatur, ut accidit alteri juveni. Nos itaque purgantium usui insistemus.

Ad oculorum verò corroborationem, familiarem habeant Domestici eorundem lotionem, vel aqua rosacea, in quâ thus accensum pluries fuerit extinctum; vel aqua simplici, aut pluviali, in qua lamina ęris ignita pluries fuerit injecta; aquâ autem euphragię & fœniculi utendum in sola declinatione, ad humores impactos attenuandos atque discutiendos, & ad curationem potiùs quàm pręservationem.

Quibus omnibus addatur conveniens victus ratio, Viro Excellentissimo Adstanti, sicut cętera omnia, notissima. Interim Gal. observatio non negligenda, quod caput calidum ab externis; frigidum verò faciliùs ab externis causis lædi soleat; & illud Martialis memoria tenendum. *Phryx vinum bibit, Ocl. venenum. Idem ibidem.*

De Suffusione.

Sacra profanis ne misceamus, non canamus, sed dicamus cùm Gal. Vis ut ostendam tibi in microcosmo Solem? ostendam oculum, organum lucidissimum, & Soli quàm simillimum; sed quid Sole pręstantius? unde Tantâ fabricę excellentia oculus pręter alia omnia sensuum instrumenta, pręditus fuit. Cerebrum autem locatum fuisse in capite propter oculos; reliqua verò sensoria omnia propter cerebrum, idem protulit. At quoniam hęc hujusmodi hominibus, aut ignota, aut non satis considerata esse solent; ideo luce orbati, veluti talpę promiscuè, imò alacrius vivunt, & laboris sibi infensi vacui, securi pinguescunt. Unde parvi fecisse patientem hunc oculorum suorum morbosum primum statum pro certo habendum. Quare non mirum, si à prima ophthalmiæ accessione neglecta, caloris & doloris causa per venas aquosa, imò mucosa materia ad spatium non exiguum, inter corneam & crystallinum, attracta fuerit, ibique magis densata, objectorum visibilium intromissionem intercipiens, in oculorum altero abolitam, in altero verò valdè imminutam reddiderit visionem, & hypochymata, seu suffusiones tandem produxerit; facilè namque id contingit in capite calida & humida intemperie laborante, à toto quoque genere venoso non levem fomitem atque consensum suscipiente.

Harum verò suffusionum altera, ut consummata, & in tertio gradu, omninò insanabilis; altera verò in secundo vix curationem admittit; incipiens namque sola discuti potest; quanquam & in hac quoque promissiones medicamentorum magnæ sint; effectus autem nullus, aut valdè exiguus, potissimum hoc anni tempore frigido in hoc homine rudi, non Viro, & omnium minimè, si annexam haberet ophthalmiam, prout judico, quę ut causa sine qua non prius removenda foret.

Quare vix vera atque legitima curatio tentanda; in cujus gratiam prognosticum proponitur; quam si moliri animus esset, materia fluens & fluxa attendenda, fluens evacuanda, revellenda, ejusque generatio inhibenda; fluxa calefacientibus moderatis resolvenda; oculique tandem intemperies corrigenda foret.

Et si de sanguine mittendo loquamur, ratione suffusionis, nec Gal. nec Avicen. usquam hoc præsidium admittunt, à Rhasi quinetiam prohibitum, ut quod possit materiam magis refrigerare, atque incrassare; nisi in corpore plethorico, & cùm suffusioni Ophthalmia adjuncta est. Venę hemorrhoidales tamen in casu præsenti, aperiri poterunt. Pedum item lotiones, & frictiones asperæ dorsi; Cucurbitula in occipite magna, sicca, & repetita ex usu erunt. Sicut & setaceum, purgato toto & capite forsan proderit; aliter enim in corpore Cacochymo, plus attrahit à toto ad caput quàm evacuet, & sæpè celeriùs occæcantur.

Purgatio ineunda, & repetenda, tùm totius, tum capitis, à te prudenter præscripta; & inde ad decoctum ex Guajaco, visco quercè. & santalo deveniendum, additis decoct. euphragiâ & chelidoniâ. Interim topica attenuantia & resolventia oculo admovenda; inter quę pręstantissima duo Gal. sunt; alterum ex succo fœniculi, marrubii, melle, & fellibus compositum, destillatis omnibus B. M. ut fiat aqua adhibendum; alterum est efficacissima Aqua Quercet.

℞. Croci metall. ʒj. Aq. euph. aut chelidon. ℥iv. m. pro collyrio.

Vinum oligophorum pro potu, ex jam dictis parari poterit; quanquam acutiùs videant, qui aquam bibunt, ex Arist. Degat in cubiculo clauso, sed sine igne, & qualibet hebdomada pil. aliquam sumat; atque in reliquis, prudentissimis tuis mandatis obtemperet.

Faxit

Faxit Deus ne oleum & operam perdamus. *Idem ibidem.*

De Suffusione Incipiente.

Illustrissimus Vir, post ictum vehementem capiti prope oculum inflictum, & hinc enatum tumorem, brevi tamen sanatum, Rus adhuc convalescens se contulit, ubi prӕter aërem humidiorem & impuriorem illius loci, sӕpius etiam nocturno sese exposuit, sicque naturalem humidam capitis & oculorum intemperiem non parum adauxit. Quamobrem prӕteritis diebus ex improviso sensit humorem quemdam in dexterum oculum delabi, qui objectorum distinctionem non solùm eripuit, sed visionem ipsam offuscavit, valdeque confusam & nebulosam reddidit; ideoque medicum auxilium exposcit.

Momentanea fere Visionis depravatio ex sensibili destillatione & condensatione materiӕ inter tunicam uveam & corneam, non alio quàm Suffusionis nomine cum Celso & Galeno nuncupanda est; quӕ tamen in fieri in hoc casu est: etenim si absoluta foret, aut velum seu tela, aut macula, aut guttula quӕdam ante oculum appareret, vel nulla omnino esset visio: prout quando est in fieri, fumus solùm, vel vapor, vel nebula tantummodo cernitur.

Hӕc autem fit ab humore pituitoso inter uveam & corneam condensato ex Celso; seu inter corneam & crystallinum ex Galeno. Humor verò iste abunde generatus ab humido capitis temperamento, naturali quidem, sed ab erroribus etiam in rebus nonnaturalibus adaucto; non potuit in oculum naturâ imbecillem, postea à vehementi ictu debiliorem factum, nec in Curatione, ut par erat, corroboratum, partim non delabi: qui tamen humor neque hoc Suffusionis principium induxisset, nisi condensationem à frigiditate oculi adeptus esset.

Ut malo huic consulamus, satisfaciendum est intentionibus à Gal. propositis, dicente, quod Oculum curare ante caput non licet, neque caput ante totum corpus. Quare totum priùs expurgandum, inde caput, tertiò materia in oculo attenuanda & resolvenda, antequam Suffusio ulteriùs progrediatur: Hypochyma enim in principio digeri potest, ubi verò diu constiterit, ampliùs digeri non potest.

Et quamvis habeat Gal. quod promissiones medicamentorum in Suffusis magnӕ sunt, effectus verò aut nullus, aut valde exiguus, nihilominus hoc locum habere supponimus in Suffusione tantùm perfecta & absoluta, quӕ, ut inquit Paulus, immoderate coaluit; quod dignoscitur, quia tunc ex digiti impressione nulla fusio oboritur. Sperandum itaque, & licet non sine dubio, agendum tamen ut saltem sanus oculus prӕservetur, qui facilè ob mutuum nervorum oculorum consensum. & ipse quoque affici posset.

In Chirurgico itaque fonte, factâ primarum viarum expiatione, sanguis ad ℥. vi. ex Cephalica dextera educendus ad evacuationem & derivationem. Et quoniam caput copiosis humiditatibus abundat; ideo Cauterium utroque brachio inurendum pro Curatione lӕsi oculi, & pro sani prӕservatione. Et si morbus interim potius augesceret, setaceum in occipite per aliquot menses conveniet. Frictiones quoque in dorso & cucurbitulӕ siccӕ valde conferent.

Ex Pharmacia, exhibito medicamento ex lenit. & speciebus hierӕ, desumenda. Prӕparantia ex syr. de cich. de beton. & oxymel. simplici; in decoct. cich. borrag. beton. fœniculi, euphrag. & stœchados; à qua Prӕparatione purgentur humores elect. lenit. & diacatholicone. Inde efficaciora Prӕparantia usurpanda, syr. scil. comp. in eadem decoctione; quibus succedat Purgatio pilulis de trib. cum rhabarb. sine quibus, mastic. aur. & lucis.

Toto expurgato, capiti quoque incumbendum masticatoriis & mastiche, rad. Acori, pyrethro, zinzib. & cerâ paratis. Gargarismi quoque convenient ex decoct. origani, pulegii, calamenthi, hyssopi, beton. addito oxymel. simplici. Interim alvus lubrica servanda pilulis lucis, masticinis & de hiera cùm agar. ad ʒj.

Tandem ut corroboretur caput, parandum erit electuarium ex Conservis appropriatis, nempe rosarum, è floribus beton. è flor. roris marini, nisi potiùs Theriaca quandoque utatur, quӕ magis fortasse proderit.

Si verò hisce remediis morbus non cedat, necessariò deveniendum erit ad Decoctum guajaci, salsӕ, visci querc. sassafras & santalorum, cum herbis appropriatis, per viginti aut triginta dies sudorem in lecto procurando: cui tamen prӕmitti poterit bolus ex succo cich. pulv. euphrag. fœniculi, sileris mont. & chelidon. paratus. Post Decoctum verò uti poterit Confectione aliqua, ex pulv. fœniculi, chelidoniӕ, sileris mont. chamӕdryos, sassafras, & sacch. q. s. Extrinsecus idoneum erit leve lixivium herbis exiccantibus paratum, quo abluatur caput, & inde pulveribus exiccantibus aspergatur, additis macis, caryophyll. laudano, & similibus, & à stillicidio abstinerem, ne fusi humores ad affectam partem copiosiùs irruerent.

Purgato & corroborato capite, lӕsi oculi ratio habenda; & quidem inter plurima Collyria eligerem decoctionem Anagallidis, euphrag. fœniculi, chelidoniӕ, in aqua fœniculi & euphragiӕ, in qua dissolvatur fel Perdicis aut lucii, à proprietate oculis valde amicum.

Si his adhibitis remediis perseveraret adhuc morbus, Chirurgo relinquendus erit, dummodo tamen Suffusio talis sit, ut possit tutò deponi: hӕc enim operatio non immerito subtilissima vocatur à Celso.

His addatur conveniens vivendi modus; adeo ut vitet aërem humidum & impurum. Alimenta sint potiùs assa, quàm elixa, & fœniculo ac petroselino condita. In fine mensӕ aliquod adstringens semper assumat. Somnus sit mediocris, & nocturnus tantùm. Exercitium moderatum & ante cibum. Alvus lubrica servetur pilulis lucis & masticinis. Et alacriter vivat. *Idem T. 2. Cent. 1.*

De Suffusione Incipiente.

Excellentissimus Comes quinquagesimum quintum annum agens, temperamenti totius calidi & humidi, hepatis calidioris, & humidioris Cerebri, alearum ludo noctu & aquarum potibus maxime delectatus; prӕterito Autumno catarrhalibus fluxionibus quibus semper obnoxius fuit, maximè divexatus est. Quare Medicinӕ opem tentare coactus, prӕter alia Extractum chinӕ, additis tamen salsâ, lentisco & santalis, per plures dies assumpsit, cujus ope bene habere visus est, usque ad Quadragesimӕ initium, quo tempore Visus dexteri oculi obtenebratus est, & valde impeditus in apprehendendis clare & distincte objectis visibilibus; quinimo veluti nubecula quӕdam ante oculos apparet, quӕ non solùm peractӕ expurgationi cessit, sed potiùs aucta est. Quare consilium tuum eniex efflagitat.

Visûs imminutio circa objecta distantia, Myopia dici posset, si sine ullo intercedente impedimento, & non adeo illico facta fuisset. At quoniam extemporè incepit & quotidie magis increvit cum quadam apparente fumositate, quӕ specierum sensibilium distantium impedit ingressum, sicut impeditur quoque obviantium spirituum ad debita loca transmissio, ideo Hypochymate seu Suffusione oculum dexterum Excellentissimi Comitis affectum esse pro certo habendum, cujus quoniam tres dantur gradus, & primus est, dum nulla in pupilla, Medico intuente, mutatio, & à Patiente solus fumus observatur, ideo in primo gradu constitui potest,

potest. Cùm verò conditio hujus affectus sit, quod spatio mensium augeatur & increscat, ideo si ad secundum gradum accedat, nonnisi per telam raram, seu cribrum objecta Patienti videre concessum est, sicuti tandem ubi tertium gradum attigerit, prorsus aufertur visio, & Amblyopia evadit.

Fumus autem iste apparens vere vaporosa materia non est, sed aquosa, à vasis oculi, humoribus, & potissimùm aqueo alimentum deferentibus, in intercapedinem inter corneam & crystallinum existentem extrusa, quæ tractu temporis à frigiditate, tum potissimum ipsius oculi, tum ambientis, & propria paulatim crassescit, sicque visionem minuit, quæ tamen tanto tempore imminuta conservatur, quando conservatur perspicuitas atque diaphaneitas in ipsa materia etiam citra ullum alium alterius materię accessum: unde jure merito Paulus & Oribasius Suffusionem appellabat, humoris. Præterfusionem inte. Corneam & Crystallinum, & Aëtius humorum prę erfusorum Congelationem; quare decipi solent, qui Suffusiones à continuato materię influxu augeri credunt: ita enim exiguo tempore intumesceret & extuberaret oculus, aliique affectus à Suffusione diversi exoritentur.

Nec defuit serosæ materiæ antecedentis copia in Excellentissimo Viro, cùm, hujus excedentię alia manifesta signa non desint, tum quia caput ejus essentialiter calida & valde humida intemperie jam diu laborat, tum quia in aquę potu semper deliquit, & tandem quoniam à jecoris caliditate colliquante atque fundente, serositates in eodem multiplicari aliàs consideravimus, quas per venosum genus ad cor, deinde per arteriosum ad caput delatas, & ab oculis, tum in alearum ludo accensis candelis circumstantibus, tum etiam facilè in legendo aut scribendo sese exercentibus nimium attractas, & nutritioni ineptas, vasa ipsa in jam dictum spatium evomuerunt & suffusionem constituerunt, quæ quandò ab extrinseco intuente discernitur, tunc non amplius incipientem, sed progressam esse censendum.

Summa verò prudentia statim ab Excellentissimo Adstanti fuit tentata Curatio, quę inservire quoque potuit illæsi oculi præservationi, cùm facilis nimis unius cum altero sit communicatio, & rara unius, & non alterius læsio. Nec deserenda provincia, cùm Excellentissimi Comitis corpus totum & caput humiditatibus scateat, quas educere, corpusque totum, & præsertim caput exiccare nostra semper intentio fuit. Et quamvis promissiones medicamentorum in Suffusis plures sint, effectus verò ut plurimum aut nullus, aut valde exiguus; attamen Hypochyma incipiens digeri posse promisit Gal. idem. Non est igitur cunctandum, sed in Curatione progrediendum, tum ut attenuato humore ulteriùs non procedat affectus, imo diminuatur, tum ut oculus sanus alięque corporis partes ab imminentibus malis præserventur.

Et ideo Medicis intentionibus jam ab Eruditissimis Viris suppositis satisfaciendum; primò materiam fluentem evacuando, revellendo, ejusque generationem prohibendo, fluxam verò resolvendo, & oculos moderate calefaciendo.

Pro quibus assequendis, sanguinis missio locum habere non videtur, & ideo & à Gal & ab Avic. omissa fuit, sicut & Rhasis quamcunque sanguinis missionem prohibet, quam & nos in hoc Viro Excellentissimo omittendam esse censemus, sicut nullo modo omittendum Cauterium in lævo brachio inurendum, nec frictiones à nucha incipientes usque ad infernas partes, neque pedum lotiones. Interim totum corpus, quoad fieri potest, ab humiditatibus vindicandum. Inde caput quoque & pilulis Elleboratis, & Errhinis expurgandum: oculum enim ante caput curare non licet, neque caput ante totum, ut dicebat quoque Plato in Carmide. Quod tamen solis purgantibus medicamentis nos assequi posse minime speramus, sed Diaphoreticis & sudorem provocantibus intus, & extra opus esse pro certo habemus, alioquin & oculos, & alias facile partes à redundantibus humiditatibus lædi dubio procul videbimus, ut superiùs innuimus. Idcircò præmissa exacta jam dicta totius & capitis expurgatione, Decoctum sudorificum erit instituendum; nec de liquatione & fluxione ad oculos quicquam timendum, dum liquatæ humiditates ad extimas corporis & capitis partes alliciuntur, & per sudorem expelluntur, sicque ab oculis divertuntur, & interim materia jam fluxa attenuatur, subtilisatur & resolvitur, aut ad resolutionem paratur: sicuti valde suspectus apud nos semper fuit Decocti liquantis usus citra sudorem: fusi namque humores dum per sudorem non expelluntur, ad debiliores corporis partes irruunt, sicque pręsentes affectus adaugent novosque producunt: credibile namque non est Decoctum ipsum tantùm absumere posse, quantùm liquat. Paretur itaque Decoctum, sed sudorificum, adeo ut totum corpus, & caput potissimum in hypocausto exudare possit, nempe ex visco querc. ligno roris mar. exigua pulpa guajaci, necnon lentisci portione, in aquâ stillat. cich. atque beton. euphrag. aut chelidonię, cui si placeat pręmittere bolum ex Extracto pręscripto Chinę, aut pulverem viperinum, Peritissimi Adstantis arbitrio remittimus, de cujus recto usu plura adducere non licet.

Interim autem Ophthalmica topica externa in usum ducenda, inter quę quoniam crocus metallorum in aqua chelidoniæ dissolutus à Quercetano extollitur, ideo nos tincturam ejusdem croci parari jussimus, ipso croco multò præstantiorem: cùm enim crocus metallorum ex antimonio & nitro simul calcinatis conficiatur, citra metallorum mistionem non adeo operosum evadit tincturas extrahere; verùm ut facilius Corneam permeare valeat ipsa tinctura, pręmitti poterit suffumigium ex vino malvatico, in quo crocus & fœniculum ebullierint, reposito vino calente in vase, aut phiala vitrea oculo adaptata, ita ut fumus ab oculo eodem recipiatur: rarefaciendo enim tincturæ penetrationem non parum juvabit.

Ante sudorem & post, vinum pro mensa ligno roris mar. & euphragia paretur medicatum. Et in reliquis congruam victus rationem à Viro Excellentissimo Adstanti præscribendam relinquimus: sicut cætera in præteritis nostris Consultationibus descripta optime dirigi pro salute Illustrissimi atque Excellentissimi Comitis & optamus, & exoramus. *Idem ibidem.*

De Suffusione Incipiente.

Nob. iste Adolescens temperamenti secundùm totum ad calidum & siccum vergentis, calidioris, capitis humidioris, glaucos oculos à natura sortitus, libere præterea vivens; annus jam agitur cum dimidio, ex quo corpuscula quædam, seu atomos pupillæ obversantes, sursum & deorsum moveri observavit, quæ modò majores quàm antea eidem apparent, nec semper ejusdem magnitudinis, sed quandoque majores, quandoque minores, sine tamen visûs imminutione, sed potiùs ejusdem confusione: objectorum namque visibilium visio non impeditur, nisi quantùm loci occupant corpuscula ipsa, nunquam stabilia, sed ut superiùs diximus, in continuo motu posita. Pupilla observatur nitida, & licèt non nigra, suo tamen naturali colore prædita; humiditas autem quandoque, licet rarò, sponte ab oculis decidit. Pejora verò timens Nob. Juvenis de agendis consulit.

Corpuscula illa in oculis volitantia, ascendentia & descendentia, Imagines dici possent cum Gal. si perpetua non essent, sed modò adessent, modò abessent: sicuti quoniam perpetuò adsunt, Idola potius cum eodem sunt

sunt appellanda. Differunt autem inter se Idola & Imagines ratione causarum: Imagines enim à materia vaporosa ab inferis partibus ad oculos elevata proveniunt, quæ vaporosa materia, quoniam modò elevatur, modò non elevatur, ideò nec illæ continuò apparent. Idola verò fiunt à materia humorosa in oculo existente, quæ in Aqueum humorem exprimitur in intercapedine inter Corneam & Crystallinum, quæ postea in atomos divisa & à spiritibus semper commota & agitata, sursum & deorsum movetur, & modò majores, modò minores apparent particulæ illæ humorosæ, prout quandoque elevatur quoque materia vaporosa, qua implentur, & majores apparent, sicuti à calore, vaporibus resolutis, minores fiunt & ad pristinum statum redeunt. Oculo autem glauco existenti & naturalem imbecillitatem habenti, ab humidiori capite justò major impertitur humiditas, sicuti à jecore & hypochondriis, fervidioribus existentibus, vaporosa quandoque communicatur materia, unde hæc mala, eoque faciliùs, addita promiscua libertate vivendi.

Quod quidem symptoma nuncius Suffusionis esse solet: jam enim Præterfusio humoris secuta est cum Paulo & Oribasio, unde restat quod uniantur corpuscula illa, incrassentur, & ut Aëtii verbis utamur, congelentur: tunc enim ad instar telæ ante pupillam velamen apparet, quod specierum visibilium ingressum impedit, & Suffusio, seu Cataracta tunc absoluta evadit.

Juremerito igitur Nob. Adolescens affectum præsentem non parvi facit, cùm majora mala minetur: ideo cùm Hypochyma incipiens digeri posse promittat Gal. non sine spe præsentis ineunda Curatio & à progressu Præservatio. Et proximo verno tempore agendum, antequam corpuscula illa simul coëant: tunc enim spatio mensium visio semper tenebrosior redditur.

Et quoniam oculum curare ante caput, neque caput ante totum corpus non licet, ideo primæ viæ sunt expiandæ. Secundò Totum expurgandum. Tertiò Caput. Quartò illud idem exsiccandum & roborandum, ut tandem materia pituitosa tenuis in oculo existens insensibiliter digeratur, habita semper caloris jecoris & hypochondriorum ratione.

Quibus intentionibus satisfaciendum remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis & Diæteticis.

Et à Chirurgico desumi poterit sanguinis missio semel tantùm administranda, eaque ex pede dextero, tum pro revulsione vaporum ascendentium, tum ut minùs caput & oculi refrigerentur. Cauterium quoque pro nunc in lævo brachio inurendum. Frequentes sint matutino tempore, antequam è lecto egrediatur, frictiones dorsi: vespertino verò ante cœnam pedum lotiones.

Reliqua remedia ex Pharmaceutico depromenda; sic potio ex manna clarif. vel syrupus rof. solut. cum manna poterit ventriculum exonerare; sicut cremor tart. ad semiunc. in jure, cortic. citri alterato dissolutus, per quinque dies erit primùm Præparans, cui succedat eodem medicamento supra proposito evacuatio. Inde ad ulteriora Præparantia erit deveniendum, & esse poterunt Julapium quidem simplex acet. ad ℥ij. cui superbibat succi depur. cich. & beton. an. ℥j. in decoct. Cichorac. addita betonica; salvia & majorana; in horum usu insistendum ad dies 12. in quorum intermedio sumat vel infusum agar. rhab. & senæ, addito syrupo rof. solutivo, vel electuarium lenir. cum diaphæn. cui superbibat aquam hordeaceam ad lib. 1. vel j. ß. quod idem medicamentum repetatur duodecim jam dictis terminatis diebus. Post hæc caput quoque erit respiciendum, tum Præparantibus, tum Expurgantibus; Præparantia sint oxymel simpl. ad ℥ij. cui superbibat succi beton. & euphrag. an. ℥j. in decoct. cich. endiv. melissæ, calend. beton. salviæ, euphrag. chelidoniæ; & quinque transactis diebus assumat pilularum aggregat. coch. & aurearum an. ʒß. quibus, transactâ horâ, superbibat aquam hordeac. ad lib. 2. & quatuor horis ab assumpta aqua prandeat. Repetat deinde tribus sequentibus diebus eadem Præparantia, & inde pilulas aggregat. cochias, & lucis eadem dosi, ita & tertia vice interpositis, ut supra, Præparantibus. Quibus Præparantium diebus omnibus, masticatoria ex usu matutino tempore erunt, ex mastiche, pulvere staphisagr. pyrethri, fœniculi & cerâ parata: Errhina namque, sive Nasaria non valde ab Hippocr. probantur.

Purgatum caput esset quoquo pacto exsiccandum: Verùm pro hac vice faciliora proponemus: quibus tamen non sufficientibus, mox ad generosiora & magis operosa alio tempore esset deveniendum. Fiant ergo quotidianæ aspersiones & mane & vesperi, pulveribus capitalibus exsiccantibus, paratis ex carie lignorum, cornu Cervi usto, radice. Iridis Florent. ustis orizis, rosis rub. major. & caryophyll. in aqua rosac. priùs maceratis, deinde exsiccatis & in pulverem redactis. Post pectinationem perfricetur caput spongia vino albo imbuta, mox expressa & exsiccata, in quo infusa fuerint, & efferbuerint lignum sassafras, roris marini, radix rhodia, radix fœniculi, majorana, salvia. Sub ingressum lecti, summo digito medio quinta essentia roris marini intincto illiniatur sutura coronalis, & sumat Conservam, modò è floribus roris marini, modò beton. modò euphragiæ.

Tandem Ophthalmica quoque externa sunt adhibenda, & esse poterit aqua B. M. destillata ex succis euphrag. chelidon. fœniculi, prassii, vino malvat. & melle, additis bovis & lucii fellibus, cùm volatilium hoc tempore haberi non possint; qua aqua tepida jejuno ventriculo pluries oculi sunt abluendi: & ut faciliùs Corneam penetrare valeat, præmitti poterit Suffumigium ex vino malvatico in quo ebullierit globulus Croci & fœniculi pugillus per phialam oculis adaptatam recipiendum. Ophthalmico jam dicto feliciori cum successu ego sum usus, quàm celebri illo Quercetani ex croco metallorum & aqua chelidoniæ parato.

Jam dictis omnibus cautior erit addenda victus ratio, ideo ut caveat Nob. Juvenis ab aëris inclementiis, ab eduliis vaporosis, tum frigidis, tum nimis calidis, & præsertim ab usu lactis, lactucæ, apii, leguminum; à crassis, & viscidis, à vinis generosioribus. Fugiat somnum diurnum, pariter exercitium à cibo; Veneris immoderatum usum; & alacriter vivat, sed citra comessationes & compotationes. Quæ à Deo Nob. Adolescenti salutaria precamur. *Idem ibidem.*

De Myopia, & Mydriasi.

Vir Nob. trigesimum sextum annum agens; temperamenti secundùm totum ad calidum & siccum vergentis, fervidi jecoris atque cordis, ad actiones promptissimus, longis itineribus, & locorum atque Regionum mutatione postremis annis magnopere delectatus, qui ab incunabulis usque ad vigesimum semper pruriginosus fuit, & ob vivendi libertatem hypochondriacam actionem contraxit, ut propterea causariam vitam duxerit, & Quartanâ correptus, multos menses perseverante, à prurigine prorsus vindicatus fuerit. Vigesimo octavo suæ ætatis anno visionem in oculo dextero sibi imminui sensit, quæ imminutio usque in hunc diem semper augmentum suscepit, oculo quoque sinistro, progressu, communicata, cum utriusque oculi gravedine, præsertim noctis tempo-

tempore, & ſæpe lacryma citra ullam inflammationem; quandoque aliquid veluti feſtucam in oculos incidere ſibi videtur; & dum objecta, præſertim longinqua inſpicit, aliquod impedimentum in oculo ſibi obverſari, & ſpiritus diſſolvi videntur. Interim ſuperioribus annis, dum in Gallia morabatur, Pleuritide & inde Peripneumonia fuit correptus, pro cujus Curatione ſanguis copioſus ad decem uſque vices fuit eidem extractus. Pleuritide verò ſanata, tuſſicula cum totius macie perſeveravit, ut propterea ad lactis aſinini & balnei aquę dulcis uſum cum utilitate devenerit: carnoſior enim factus fuit, tuſſiſque receſſit. Ob eandem cauſam duo Cauteria in brachio dextero atque coxâ affixa fuere, & poſtea ſuppreſſa, cùm nullam utilitatem inde reportaverit Patiens; hæmorrhoides interim tumefieri cum dolore cœperunt, exiguum raró ſanguinem fundentes. Modò cùm viſio ſemper in pejus labatur, pro hac potiſſimùm conſilium & auxilium implorat.

Nob. Virum à naturæ primordiis viſcerum naturalium intemperie ſortitum fuiſſe liquidò patet, cùm ab ineunte ætate uſque ad vigeſimum quartum annum pruriginoſa ſcabie univerſum corpus infectum habuerit, propter excrementitios & aduſtos humores in toto venoſo genere redundantes à fervidà jecoris intemperie progenitos: ut propterea additis à ventriculo cruditatibus, facilè obſtructiones & inde hypochondriacam affectionem contraxerit, eamque melancholicam, cùm vitium in ſanguine ſemper extiterit; quam veritatem confirmavit Quartana ſuperveniens, validis melanagogis purgantibus curata, quibus unà cum Quartana ſcabies quoque ſive pturigo evanuit, ſicque morbum & cauſam morbi demonſtravit ſanatio. Verùm quoniam poſt ſanguinis depurationem ſuperſtites manſerunt, intemperies viſcerum; idcirco nova excrementorum reproductio rurſus maſſam ſanguineam inquinavit: unde portio illa ſanguinis oculorum humores nutriens, craſſior exiſtens, viſionis hebetudinem cœpit: ſpiritus enim & pauciores, & impuriores geniti, neceſſaria diaphaneitate privati à nimio lumine, requiſito ab objecto diſtanti, diſſolvuntur, dum per radium longiſſimum deferuntur ad oculum ſpecies viſibiles, ſicque objecta diſtantia ægre videre, benè verò propinqua, & Myopiâ acquiſitâ laborare cœpit. Præterea quoniam ab iiſdem excrementis vel nimis impletur, & extenditur Rhagoides tunica, vel albugineus humor eſt adeo copioſus, ut replendo eandem tunicam nimis diſtendat, ſicque Mydriaſim in oculo conſtituat, viſio ideo imminuitur, qua ſpiritu evaneſcente ob pupillæ dilatationem, minima fit ſpecierum impreſſio, quæ per radium acutiſſimum apte refractum, & in Retina exacte terminatum fieri debet. Ambo autem iſti affectus in oculo dextero manifeſtiores, ficut obſcuriores in ſiniſtro in præſens apparent, quoniam octo abhinc annis in dextero inceperunt, nuper autem in ſiniſtro. Excrementorum autem redundantiam in humoribus exiſtentem confirmat gravedo oculorum à Patiente noctu percepta: item & lacryma, & impedimentum quoddam quod viſionem hebetem reddere ipſi videtur, præterquam quod ſanguinis in toto pravitatem atteſtabantur prætéritæ ægritudines laterales & Atrophiæ cum tuſſi, nutritionis defectum ob alimenti pravitatem ſignificantes; & tandem confirmat hæmorrhoidum dolorifica intumeſcentia.

Affectus iſti ſunt curatu difficillimi, Myopia enim in Amblyopiam, indeque in cæcitatem ut plurimum terminari ſolet: deſiderabilis enim potiùs eſſet Suffuſio; & ſicut brevi fit, & ſpatio menſium perficitur, ita frequentiſſimè facilis eſſe ſolet depoſitio quam non admittit humorum infectio. Nihilominus omnia agenda, ne in deterius labatur Nob. Patiens, neve ſenectutem præcurrat cæcitas.

Quæ ut arceatur, Vere proximo erit ineunda Purgatio, primas vias mundando. Maſſam ſanguineam totis viribus depurando. Jecoris fervorem contemperando. Caput purgando; & Topicis ophthalmicis excrementitios humores abſumendo.

Et quamvis ad vitium ſanguinis corrigendum prodeſſe ſoleat ejuſdem detractio, caute tamen in caſu noſtro eſt procedendum: obeſſe namque potuiſſe credendum copioſam & pluries jam repetitam in Gallia phlebotomiam; ideo ſufficiens erit ſanguinis ex hæmorrhoidibus detractio, hirudinem unam hæmorrhoidi magis tumenti apponendo, eandem ſtatim amovendo, facto foramine: diuturnam namque beſtiolæ ſuctionem ſequitur humorum attractio; quæ operatio bis & ter in anno repeti poterit, parcè ſanguinem educendo: quo enim natura vergit, per loca conferentia, eò ducere convenit, Præterea duo Cauteria ſunt inurenda, alterum in brachio ſiniſtro, ratione capitis, alterum verò in coxa dextera, ratione totius.

Ex Pharmacia cætera ſunt depromenda remedia. Sic pro primarum viarum expiatione potio magiſtralis ex manna clarif. conveniens erit. Pro prima Præparatione julapium acet. cinnamomo cortice citri aromatizatum, ut quinque aut ſex tranſactis diebus repetatur potio jam præſcripta. Inde ad ulteriora Præparantia progrediendum. Et quoniam ſaccharata & mellita ab Hypochondriacis non adeo facilè tolerantur; idcircò ſucci herbarum. depur. ſubſtitui poterunt ex cich. borag. & agrim. in jure pullæ, cremore tart. alterato, vel cum crem. tart. prius ebullito: in quorum uſu 15. diebus erit pergendum; quorum intermedio tempore, Purgans electivum erit præbendum, ex elect. lenit. de ſucco roſarum, diaphæn. & confectione Hamech paratum, cui ſuperhibenda propinetur aqua hordeacea, aut Noceriana: ita medicamentum cum aqua repetatur in fine. Purgato toto, & caput Cephalicis erit purgandum; in quem finem præberi poterunt pilulæ coch cum Elleboro præparatæ, additis aur. & aggregativis. Sed efficaciores eſſent pilulæ capitales Paracelſi, quæ conſtant ex Extractis diagrydii, colocynth. & Ellebori nigri, quarum doſis eſt à ſemidrachm. ad ℈ij. & quoniam aſſumuntur circa noctis dimidium, ſummo mane propinanda erit copioſa aqua Noceræ, ratione caloris hypochondriorum & jecoris; hæ autem ter repetendæ erunt tertio aut quarto quoque die, intermediis verò diebus maſticatoriis utendum, cùm errhina ſuſpecta ab Hippocr. habeantur: Pilulæ autem jam præſcriptæ, paratæ diebus Canicularibus, habentur hîc Patavii ad ſignum Sirenis. Hoc verò eodem tempore, jecoris, cordis, hypochondriorum & ſanguinis fervor contemperari poterit uſu emulſionis ita paratæ.

℞. Sem. melon. mundat. cucurbitæ an. ℥j. Aq. ſtillat. cich. ℥viij. m. extrahatur emulſio, cui adde ſyrup. de pom. ℥j. m. pro potu matutino, integro menſe aſſumendo: aquæ namque minerales omnes, ut caput implentes, ſuſpectæ. Tandem ad Topica ophthalmica deveniri poterit; & primò ſuffumigium recipiat Pat. ex vino albo generoſo, in quo folia croci ebullierint, vinum reponendo in vaſe vitreo oculo accommodato: ita rarefactis oculi tunicis, Collyrium erit inſtillandum ex tinctura croci metallorum, aquæ chelidoniæ ita immiſta.

℞. Tincturæ croci metallorum ℥ß. Aq. chelidon. ℥j. m. pro Collyrio in æreo vaſe detinendo. Aliqua etiam Conſerva Cephalica ophthalmica in uſum ducenda, ut Conſerva roſarum ſtatim à prandio, & Euphragiæ ſub ingreſſum lecti.

Quòd

Quòd si jam dictis non cedat affectus, anno sequenti ad majora deveniendum, nimirum ad Decoctum capitale sudorificum, ut humores in capite & oculis contenti magis attenuari, & sensibiliter ac insensibiliter evacuari & discuti possint.

Congrua vivendi ratio erit à Nob. Pat. servanda; abstinendo à vaporosis omnibus tum calidis, tum frigidis, & præsertim à lacte & à vinis generosis: etenim.

Vinum Phryx bibit, Oculi venenum.

à cibis incrassantibus, ab aëris inclementiis, à diuturna mora, tum prope ignem, tum sub radiis solaribus; à somno pomeridiano, & noctu à positu prono. Longa itinera dimittat, & quiescat. Inimica quoque immodica Venus & animi alterationes, ira præsertim & mœror.

Tribus autem hisce mensibus antequam præscriptam Purgationem aggrediatur, observet Nob. Patiens, quod alvus lubrica erit servanda, assumendo singulâ hebdomadâ electuarii lenit. semiunciam horâ dimidiâ ante prandium. Pariter in usum quotidianum ducat jus endiviâ, aut borag. alteratum, in prima mensa. Utatur quoque Conservis præscriptis, necnon Collyrio, at sine præcedenti suffumigio, quod post Purgationem locum habebit. Quæ omnia D. O. M. salutaria reddat. *Idem ibidem.*

Medicatio juvenis, Panno oculorum laborantis.

Juvenis 25. annorum, cùm variolis non satis accurate curatis & consolidatis se intempestive, sub tempus autumni, aëri aliquot dies foris exposuisset, incurrit in quandam oculorum inflammationem; cui cùm remedia convenientia non adhiberentur, excrevit hoc malum in tantùm intra paucos dies, ut jam panniculus ex vasculorum sanguine repletorum distentione rubens, tanquàm tela carnosa in superficie oculorum, ac præcipuè tunicæ adnatæ appareat. Oculi offenduntur à lumine, & contactu rei externæ, tum calidæ, tum frigidæ. Visio non tantùm est obscura, sed fere tota ablata.

Afficitur in hoc ægro, utriusque oculi & præcipue adnatarum tunicarum superficies; idque ex præcedente inflammatione, & ex insecuta panniculi in illis excrescentia patet.

Morbus, qui ipsum torquet, est pannus, sive panniculus utriusque oculi: qui est membrana rubicunda, supra adnatam & corneam tunicam præter naturam genita, visusque obscuritatem hîc magnum inducens, atque cum intemperie sanguinea, & nimis laxâ utriusque oculi etiam conjuncta.

Causa procatarctica, unde hic morbus primùm originem duxit, fuit aër autumnalis, externus, cui noster juvenis corpus suum, à variolis nondum satis curatum, foris per aliquot dies exposuit. Inde enim pori corporis, & præsertim oculorum, clausi, halitus acres & calidos exhalare solitos; & etiamnum emittendos, in corpore retinuerunt. Iique retenti antecedentem huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum in oculorum tunicas adnatas per poros postea nimis dilatatos delata, ibique vehementiùs incalescens, induxit, tanquam causa continens, primùm oculorum inflammationem.

Cùmque illi pori nimis aperti, ob apta remedia neglecta, passim magis magisque aperirentur, hinc deinde factum, ut ex humoribus sanguinis, per poros illos nimis apertos exsudantibus, paulatim membrana quædam rubens, tanquam tela carnosa, in superficie oculorum fuerit per partium cohæsionem & conglutinationem genita, eaque paulatim magis magisque crassescens inducit jam, per radiorum à pelliculæ istius crassitie factam ex oculis exclusionem, non tantùm obscuram, sed ferè penitus ablatam visionem.

Et quia oculi ex affluxu humorum non tantùm foris, sed etiam intus valde teneri sunt facti; hinc contingit, ut oculi contactu rei externæ, tum calidæ, tum frigidæ, item à lumine valdè offendantur.

Morbus hic, quia est in parte acutissimo sensu præditâ, atque ideò remediorum, præsertim acrium contactu exacerbari solet, difficilis erit curationis; imò si diuturnior sit, Chirurgiâ tantùm auferri poterit.

Curatio consistet in causæ antecedentis, & membranæ ac intemperiei istius ablatione.

Primò itaque purgetur æger tali Medicamento:

℞. Pil. cochiarum ℈ß. Scammonii gr. x. F. Pilulæ, num. 7. aliquoties reiterandæ.

Postridie sanguis educatur è brachio dextro ad ℥vij. & sequente die etiam ex sinistro.

Cucurbitæ etiam collo & scapulis, primùm sine, & deinde cum scarificatione, sunt adhibendæ, uti & vesicatorium.

Corpore sufficienter purgato, ad topica veniendum; quæ panniculum absumere valeant; à mitioribus incipiendo, quale hoc est:

℞. Ossis sepiæ ℈j. Sacchari candi ℥j. Vitrioli ℈ß. Tutiæ præp. ʒß. Misce F. Pulvis subtilis, panno inspergendus.

Quod si non sufficiat, ad fortiora est veniendum: quale hoc est, à multis in hoc affectu summopere laudatum:

℞. Succi fœniculi ℥iv. Chelidonii ℥iij. Rutæ ℥ij. Malvæ ℥iiß. Aloës ʒj. Æruginis ℈j. Sinsiberis, cinnamomi an. ℈ß. Fellis anguillæ ℥ß. Bubuli, aut porcini ʒij. Sacchari candi ℈ij. Mellis optimi ℥ß. Bulliant succi, addendo reliqua, & depurentur. F. Collyrium, bis in die in oculos instillandum.

Ante usum talium remediorum, pars fovenda est decocto emolliente malvæ, fol. violariæ, sem. malvæ, cotoneor. papav. sem. fænigræci, meliloti, & similium; quod etiam post eorum applicationem est; ad dolorem leniendum.

Si his topicis pannus absumi non possit, ad Chirurgiam est veniendum.

In diæta, luminosum aërem vitet æger; tenui utatur victu; abstineat ab omnibus fumosis, quies corporis hîc laudatur; alvus sit lubrica, natura vel arte. *Henricus Regius Medicationum lib.* 1.

De Ophthalmia.

Vir triginta annorum, sanguine calido ac bilioso abundans, cùm præterita hyeme vino generoso admodum excalefactus, maximè nocturno hyberno frigori se paulò diutiùs exposuisset, acutum in oculis sensit dolorem, cùm ardore. Postridie magna quoque rubedo conspecta est in adnata tunica, seu albo oculi, cum venularum manifesta intumescentia. Lucem ferre omnino non potuit, ita ut clausis oculis continuè sederet. Lachrymæ acres ex oculis affatim profluxerunt, & apertis oculis visûs obscuritas observata est.

I. Pars affecta in hoc ægro est oculus, in quo primariò afficitur tunica adnata seu conjunctiva dicta, reliquæ verò oculi partes per accidens.

II. Hic autem morbus Medicis Ophthalmia & Lippitudo appellatur, quæ est inflammatio adnatæ seu albæ tunicæ cum rubore, ardore, dolore & lachrymis.

III. Causa mali antecedens fuit corporis totiùs sanguis copiosus & calidus, qui ob excandescentiam à vino inductam valdè commotus, cùm à causa procatar-

catarrhus, externo ſcilicet magno frigore, in oculo tempore detineretur, in ejus adnatam tunicam copioſior effuſus, cauſam continentem conſtituit.

IV. Cùm enim ſanguis, ob magnam incaleſcentiam à vino rapidiùs per arterias & venas moveretur, ab externo illo frigore oculis recepto, in adnata tunica ſubitò incraſſatus eſt, ita ut per minimas ejùs venula tam citò tranſire & circulari non potuerit, quàm à corde per arterias eò propelleretur. Hinc cùm plus eò impelleretur quàm tranſire poſſet, intumuerunt adnatæ tunicæ venulæ, & ipſa quoque tunica à ſanguinis copiâ diſtenta fuit: qui ſanguis diutiùs ibi detentus & aliquam putredinem ſuſcipiens nimis calidus & acris factus eſt, ac inflammationem induxit.

V. Dolor autem acceſſit, partim propter adnatæ tunicæ (quæ acutiſſimi ſenſus eſt) diſtenſionem; partim propter acrimoniam humorum eandem tunicam erodentium.

VI. Clauſis oculis ſedet æger & lucem perferre nequit, partim quia ab aëre externo admiſſo exaſperatur dolor: partim quia, cùm apertis in luce oculis radii oculum feriant, ſicque viſio fiat, atque in eum finem, ut viſio fiat, copioſiores ſpiritus animales ad locum determinentur & confluant, oculumque diſtendant, hinc ab illa diſtenſione longè acrior fit dolor, quem ut æger evitet, oculos clauſos tenere cogitur, ut ita radios illos evitet, ſicque minor fiat ſpirituum determinatio, & ad oculum influxus, ac per conſequens minor diſtenſio tunicæ adnatæ.

VII. Cùm autem viſus fiat à copioſo ſpirituum ad oculum influxu, eumque influxum ob doloroſam diſtenſionem adnata tunica perferre nequeat, hinc apertis oculis viſus ægro obſcurior eſt; nam pauciores ſpiritus in principio viſum obſcuriorem præſtant; cùm verò copioſiores influere incipiunt, ob diſtenſionem & dolorem adnatæ tunicæ cogitur æger oculum occludere, ut ſic majorem ſpirituum influxum ſiſtat.

VIII. Lachrymæ verò profluunt, imprimis aperto oculo, quia caruncula, quæ in cantho majore inſidet puncto lachrymali, ſeu foramini naſi oſſi inſculpto, in utroque oculo à vicina inflammatione etiam vellicatur, hincque dolet & contrahitur; imprimis ſi aperto oculo aëris injuria accedat; atque propter illam doloroſam contractionem minùs exactè tegit ante dictum punctum lachrymale, unde per foramen nimis laxum & apertum lachrymæ liberiùs effluunt. Quæ acres ſunt propter ſalem iſti ſeroſo humori admixtum; & multò acriores ægro videntur quàm per ſe ſunt, quia fluunt ad acutiſſimè ſentientem tunicam adnatam, nunc malè affectam, & cujuslibet rei, etiam aëris, quàm minimam acrimoniam facillimè perſentientem.

IX. Ophthalmia hæc oculis periculum minatur; quia ob aëris hyberni frigidi allapſum, difficilior eſt humorum in adnata tunica influxorum diſcuſſio; qui ſi diutiùs ibi hæſerint, metuendum eſt ne nimis erodatur & tandem exulceretur tunica adnata, atque etiam cornea, indeque albugo, cicatrix, aliudve vitium remaneat, quod viſum lædat.

X. In curatione quamprimùm tollenda eſt cauſa antecedens, utpote quæ continentem fovet; procatarctica quoque removenda eſt, ut ſic continens meliùs diſcuti poſſit.

XI. Corpus primò expurgandum cum pilularum cochiarum drach. j. vel electuarii diapruni ſolutivi unc. ſ. additis paucis granis diagridii, vel tali hauſtu.

℞. Rhabarbari elect. drach. j. ſ. fol. ſenæ mundat. ʒiſ. tartari drach. j ſem. aniſi drach. ſ. decocti hordei q. ſ. fiat infuſio ſ. art. adde colaturæ, elect. diapruni ſolutivi drach. iii. miſce, fiat potio.

XII. Purgato corpore, mox vena brachii ſecanda eſt, & ſanguinis unc. viij. aut x. educendæ. Deinde rurſus purgandum, & poſt purgationem, iterum vena ſecanda, ſi neceſſe ſit.

XIII. Ut verò pauciores humores excrementitii è cerebro ad oculos affluant, revulſiones inſtituendæ ſunt per cucurbitulas cervici & ſcapulis appoſitas: nec non per veſicatoria poſt aures applicata. Quæ ſi affluxum humorum ad oculum non ſatis avertant aut revellant, & malum diuturnius fieri videatur, cervici ſetaceum, vel etiam cauterium actuale aut potentiale eidem, aut brachio adhibendum.

XIV. Ad doloris ſedationem ſanguis è pennis vivorum pipionum recenter evulſis in oculum exprimendus eſt; vel lac muliebre recens multùm inſtillandum, vel mucilago ſeminis pſyllii & cydoniorum in aqua roſacea extracta adhibenda: vel vitellum ovi ad duritiem coctum, aut ſequens cataplaſma imponendum.

℞. Pulpæ pomi aſſati unc. i ſ. micæ panis albi recentis unc. iii. croci pulveriſati ſcrup. j. ſ. lactis recentis & aquæ roſaceæ, ana part. æq. fiat cataplaſma.

XV. Dolore aliquantùm ſedato, tale collyrium immittendum.

Rec. Sarcocollæ lacte nutritæ drach. i. tragacanthæ drach. ſ. mucilaginis ſem. cydoniorum q. ſ. fiat collyrium.

XVI. Ad diſcuſſionem humoris in tunica adnata contenti, ſequenti fotu tepido oculi cum molli ſpongia ſæpe fovendi ſunt:

℞. Herb. althææ, fœniculi, flor. chamomillæ, meliloti, ana. m. j. aquæ q. ſ. coquantur ad unc. viij. quibus adde, aquæ roſarum unc. iij. miſce.

XVII. Poſt fotum imponatur cataplaſma antè præſcriptum: vel tale collyrium oculo inſtilletur:

℞. Aloës aquâ fœniculi lotæ ſcrup. j. ſarcocollæ lacte nutritæ drach. j. croci gr. vii. aquæ euphragiæ, fœniculi, ana unc. j. miſce, fiat collyrium.

XVIII. In diæta ſit aër temperatus ac purus, expers fumi, pulveris & ventorum, obſcurior tamen & tenebricoſior, habeatque æger linteolum atrum, cæruleum, vel potiùs viride oculis obductum. Cibi ſint pauciores, & facilis digeſtionis ac boni ſucci, conditi cum euphragia, fœniculo, cichoreo, borragine, &c. Potus ſit ptiſana, cereviſia tenuis, & in paſtu pauxillum vini valde tenuis. In cibo & potu vitetur ſemper repletio: vitentur etiam ea quæ caput replent; raphanus, cepe, allium, &c. ut & ea quæ peculiari vi oculis nocere ſolent, qualia ſunt caules, fabæ, lentes, olivæ, &c. Somnus longior ſit, & quies corporis ſolito major; Alvus liquida ſervetur; & fugiantur animi pathemata, imprimis ira. *Isbrand. de Diemerbroeck in Medicationibus.*

De Suffuſione & ſuggillatione olulorum.

Adoleſcens duodecim annorum, temperamenti frigidioris, ante quinque menſes viſus aliquam obſcuritatem in utroque oculo percepit, qua primò culices, pulviſculos ac paleas ante oculos volitare putabat. Poſtea tanquam per nebulam denſiorem vidit: ſicque viſus paulatim magis magiſque imminutus eſt, ita ut nunc homines quidem aliquo modo videat, ſed neminem cognoſcere poſſit, imò vix equum à bove diſtinguat. In pupilla albicans quid cryſtallinum humorem contegens, conſpicitur, quod, oculis digito preſſis, loco cedit, ſeque dilatat.

I. Hujus ægri affectio Medicis Suffuſio appellatur, quæ eſt pupillæ ſive uveæ foraminis obſtructio, facta

facta ab humore præter naturam inter corneam tunicam ac pupillam collecto ac consistente, visionemque impediente.

II. In hoc ægro humor ille est pituitosus, ut ex colore albicante in pupilla conspicuo patet: ibique colligitur, quià ob oculorum frigidius temperamentum, eorum nutrimentum non ita bene coquitur, quin ex uvea tunica exhalent subinde pauci crassiusculi vapores, qui in interstitio inter crystallinum humorem, foramini uveæ incumbentem, & corneam tunicam, ab aëris externi frigore in humorem crassiusculum condensati, sistuntur, & humori aqueo admiscentur, ac crassiuslis viscidisque particulis eidem innatant.

III. Humor hic cùm in principio paucior ac tenuior esset, radiorum quidem ingressum ad crystallinum humorem non prorsus impedivit, sed crassioribus suis particulis hîc illic impedimento fuit, ut omnes radii non ingrederentur, atque hinc æger in principio putavit pulvisculos, paleas ac culices ante oculos volitare, quæ tamen non fuere nisi crassiusculæ dicti humoris particulæ, aqueo humori ante crystallinum innatantes. Postea verò ubi paulatim copiosior & æqualiter crassior evasit, quasi per densiorem nebulam vidit, sicque pro incremento istius crassitiei visûs paulatim magis magisque obscuratus est.

IV. Difficilis erit hujus mali curatio, quia humor ille pupillam contegens nunc valde incrassatus est; & medicamentis non facilè discutietur, unde metuendum ne in pelliculam concrescat, & omnimodam cæcitatem inducat. Aliqua tamen sanationis spes apparere videtur, quia ad absolutam cæcitatem nondum est deventum; & oculis digito compressis, suffusio aliquantum loco cedit, neque firmata est.

V. In curatione primò corpus aliquoties purgandum est cum pilulis lucis, aureis, vel cochiis, electuario diaphænico, hiera picra, diacarthamo, vel haustu aliquo phlegmagogo, ex agarico, turbith, jalappa, sena, aliisque similibus composito.

VI. Deinde ad humorum frigidorum discussionem bis in septimana promovendi erunt sudores, cum theriaca, mithridatio, decocto salsæparillæ, chynæ, & sassafras. Intermediis diebus convenient decocta cephalica ex majorana, rosmarino, euphragia, fœniculo, betonica, ruta, & similibus confecta: ut & condita cephalica ex conserva euphragiæ, flor. salviæ, betonicæ, anthos, &c.

VII. Ad capitis corroborationem cucupha ex cephalicis calefacientibus vertici imponenda est. Capitis humores excrementitii etiam ab oculis divertendi, & ad alias deducendi sunt; quod commodè fiet per vesicatoria post aures sæpe applicata, vel per fonticulum in brachio aut cervice excitatum, qui diu apertus servandus est.

VIII. His præmissis, ad topica ipsi oculo adhibenda deveniendum, ac primò talis decoctio paranda.

℞. Radicum raphani unc. ij. Valerianæ unc. j. Herb. rutæ, fœniculi, euphragiæ, levistici, majoranæ, fol. Lauri, an. m. j. flor. Chamomillæ m. ij. Sem. fœniculi carvi, an. drach. ij. Aquæ q. s. fiat s. art. decoctio ad lib. i. s.

Inter coquendum recipiat æger in oculos decocti vaporem: postea ipso decocto tepido oculos cum molli spongia diu multumque foveat, in ejusque usu per duas tresve septimanas procedat.

IX. Postea hoc collyrium in oculos instilletur.

℞. Succi chelidoniæ majoris, rutæ, fœniculi, Aquæ mellis, an. unc. s. Misce fiat collyrium.

Hôc cùm aliquamdiu usus fuerit, fortiùs reddetur, addendo fellis perdicis & lucii piscis an. drach. i. s.

X. In diæta sit aër ad calidum vergens, non valde lucidus. Cibi & potus sint modicè calefacientes, attenuantes, & discutientes, vitenturque talia quæ caput vaporibus replent. In somno & corporis motu servetur mediocritas. Excretiones naturales bene procedant, & fugiantur animi pathemata.

XI. Si, his omnibus non juvantibus, absoluta tamen cæcitas fiat, ad Chirurgiam deveniendum, & suffusio acu à pupilla removenda est. *Idem Ibidem.*

De Suggillatione Oculorum.

Juveni plethorico in sphæristerio ludenti per infortunium pila inflicta fuit in oculum sinistrum. Hinc ipsi oculus adeò doluit, ut oculum per totum diem aperire non potuerit. Postridie dolore penè cessante; magna sanguinea rubedo per totum oculi album conspecta est, sine ulla inflammatione; &, palpebræ quoque simili rubedine infectæ visæ sunt. Attamen nullo modo visûs immutatus aut oblæsus est.

I. Hujus ægri affectio, oculum occupans, Suggillatio dicitur, estque sanguinis extra vasa in oculorum tunicas & palpebras effusio.

II. Sanguis hîc imprimis profluxit è minimis vasculis tunicæ adnatæ & palpebrarum; ictu pilæ disruptis & apertis. Corneam autem tunicam illæsam esse patet ex visu, qui nullo modo immutatus est: nam si in illam quoque sanguis effluxisset, præcipuè anteriore parte, objecta visibilia rubro colore ægro offerrentur.

III. Affectus hic periculo vacat; si modò remedia convenientia tempestivè adhibeantur; antequam sanguis extravasatus putrescat & inflammetur, tunc enim ophthalmiam aliudve gravius malum induceret.

IV. Primò igitur corpus purgandum, ac vena brachii secanda. Deinde lac muliebre recens mulctum in oculum instillandum, vel sanguis è pipionum vivorum pennis in oculum exprimendus est; hicque fotus oculo frequenter adhibendus.

℞. Foliorum salicis, plantaginis, flor. Chamomillæ, meliloti, an. m. j. Coquantur in aquæ q. s. ad lib. s. adde colaturæ aquæ rosaceæ unc. j. s. Misceantur pro fomento.

V. Postridie, cùm major sanguinis extra vasa effluxus non metuetur, fomentum fit solùm discutiens:

℞. Herb. fœniculi, euphragiæ, betonicæ, chelidoniæ majoris, flor. Chamomillæ, meliloti, an. m. j. Sem. fœnugræci unc. s. Sem. anisi, fœniculi, an. drach. j. s. Aquæ q. s. Coquantur ad lib. 1. Sit fomentum, cum spongia molli adhibendum. Post fotum inungatur unguentum rosaceum cum pauxillo olei ceræ. *Idem ibidem.*

De Ophthalmia. Morbi enarratio:

Juvenis quidam 24. annos natus, temperamenti sanguineo-biliosi, cùm per tempus aliquod victu calidiori, imprimis carne bubula, cœpis, vel raphano marino, vel aromatibus, condita delectatus fuisset, superque bibisset vinum satis generosum; factum ut primò dolorem capitis non tamen continuum, sed mox remittentem, mox iterum infestantem cum oculorum dolore perciperet. Nihil autem periculi hocce habere malum sibi imaginans; genio liberaliùs indulgere cœpit, quo facto pejus in malum incidit, nam progressu temporis tanto correptus fuit oculorum dolore & ardore, cibique fastidio; ut diutius hoc malum perferre nequiverit. Quapropter gravius metuens discrimen, Medicum accersi curavit qui primò

primo intuitu oculos rubicundos lachrymasque stillantes, caput valdè calidum, Pulsum quoque plus justo celeriorem, in reliquis benè se habentem ægrum deprehendit.

Resolutio.

Si quis oculo accuratiori omnia ac singula in modò recensitâ historiâ consideraverit ac perpenderit symptomata, is procul dubio non errabit, si Affectum, de quo Juvenis noster conqueritur, Ophthalmiam dixerit, nomen à symptomate & parte affectâ habentem.

Dicitur Opthalmia Græcis, ut ab ovo rem exordiamur, Ὀφθαλμία ἀπὸ τῦ ὀφθαλμῦ ab oculo, sive parte affectâ, teste Gal. lib. 2. MM. 2. p. m. 34. Sebitz. Manual. Medic. part. 2. Sect. 5. c. 32. p. 624. Latinis dicitur inflammatio oculorum, quo in sensu etiam sumpsit Hippocr. l. 3. aphor. 11.

Hinc ophthalmiam Definimus: quod sit inflammamatio oculorum, imprimis verò tunicæ annatæ, cum rubore, tumore, dolore & ardore, à sanguine acri confertim ac cum impetu in arteriolas ac venulas irrumpente easque distendente, aut planè erodente ortum habens.

Generis loco hîc ponitur inflammatio, quoniam omnia accidentia, quæ ad inflammationem requiruntur, dolor nimirum, rubor, tumor, &c. in ophthalmia inveniuntur, quod etiam testatur Galen. *lib.* 2. *de tumorib. cap.* .. *p. m.* 330 *& lib. de differ. morb. cap.* 13. *p.* 19. it. *lib.* 4. *de compos. pharmacor. secund loc. cap.* 2. *pag* 565. pertinetque ad morbos compositionis: teste Donat. Anton. ab Alto mari *de medend. Human. Corp. mal. cap.* 10. *p.* 260. & Galen. *de differ. morb. cap.* 1. *p.* 19. *&* 20 it. Hieron. Capivacc. *lib de affect. oculor p.*: 58. Adest enim (1) Intemperies oculorum calida, & sic pertinet ad morbos intemperiei calidæ; adest (2) læsa conformatio, quod videre est ex aucta magnitudine, & sic morbis conformationis accensetur: adest denique (3) Unitas continui soluta, quod ex dolore satis manifestò patet, & sic ad morbos solutæ unitatis refertur.

Dicitur Inflammatio oculorum, ad differentiam aliarum partium, quæ quoque inflammationibus sunt subjectæ, e. g. meninges, pleura, pulmo, &c.

Sequitur, imprimis tunicæ annatæ ut excludantur reliq; tunicæ, quibus oculus gaudet. Notum enim est ex anatomicis, oculum varias habere tunicas & quidem (1) annatam, quæ saltem est ligamentum, test. Donat. Anton. ab Alto mari *cap.* 10. *de medend. human. Corp. mal p.* 259. Galen. *lib* 4. *de compos. pharmac. secund. loc. cap.* 2. *p.* 565. *& lib.* 10. *de usu part. cap.* 7. *p.* 680. mediante quo oculus firmatur, ne ex suâ orbitâ excidat, & impropriè ad oculi tunicas refertur, (2) Corneam, (3) Uveam, (4) Retinam, addit adhuc Barbette in sua Chirurgia aliam tunicam, quam vitream dicit, & à multis malè omissam esse asserit. vid. Barbett. *Chirurg. p. m.* 325. Sed quoniam hæc propriè huc non spectant, sicco etiam pede præteribimus.

Additur porrò cum tumore, rubore, dolore, &c. ad confirmandam inflammationem, nam hæc omnia sunt signa inflammationis pathognomica.

Sequitur tandem, à sanguine acri confertim ac cum impetu in arteriolas ac venulas irrumpente, &c. quæ ultima verba hujus morbi causam proximam designant.

Reverâ autem rem se ita habere, Juvenemque nostrum ophthalmiâ laborare, haud obscurè signa in historia recensita confirmant, & quidem.

Essentialiter consequentia id quoque asserunt. In qualitatibus enim mutatis oculi apparent rubicundi, caput exploranti tactui valdè calidum occurrit, pulsus plus justò celerior deprehenditur.

Caussæ prægressæ id etiam confirmant, quippe quæ partim partis debilitatem augere, partim bilis acrimoniam intendere, sanguinisque motum concitatiorem reddere satis idoneæ sunt.

Hisce itaque missis ad contemplandum subjectum sive partem affectam progredimur.

Subjectum, uti superius quoque in definitione innuimus, dicimus esse oculum, pretiosissimam corporis nostri partem, organum lucidissimum, teste Galen. *lib.* 3. *de us. part c.* 10. *p. m.* 295. Notandum autem duplex dari subjectum, nimirum adæquatum & inadæquatum: Adæquatum subjectum, quod aliàs, dicitur denominationis, est tunica, quæ dicitur annata. Illam etiam Hipp. *lib. de princip. s.* 18. *ix.* 12. *p. m.* 122. simpliciter τὸ πέριξ τὰς ὀφθαλμὰς λευκὸν vocat. Riolan. autem *lib.* 6. *Anthopogr. c.* 4. *p.* 448. eam nihil aliud quàm ligamentum oculo, ne exorbitet, circumjectum esse putat.

Cœterùm cùm omnis morbus dependeat à sua causa morbifica, nostrum erit, hic, inquirere in causam morbificam, & quidem proximam & immediatam.

Dicimus itaque Causam Proximam & Immediatam esse sanguinem acrem, confertim ac cum impetu in partem affectam irrumpentem, ibidemque consistentem.

Causas Mediatas Proximiores quod attinet, varii generis humoris ac vapores accusandi veniunt. In et quos primatum obtinet sanguis tum quantitate, tum etiam motu peccans: Quantitate peccat sanguis, quatenus sc. plus influit in arterias, quàm per venas refluere potest, unde sanguis in vasis suis stagnat, ea distendit & successu temporis, ob continuum & impetuosum sanguinis affluxum, quo ipso in motu p. n. peccat, disrumpit, unde sanguinis extravasatio, quam ipsius putredo, hanc autem inflammatis necessariò insequitur.

Qualitate peccat sanguis, si ipsi conjungitur κακοχυμία. (quod plerumque fieri solet teste Galen. *lib.* 9. *M. M. cap.* 11. *& lib.* 20. *ad Glaucon. cap.* 1. *p. m.* 391. *it. Casp. Brav. Resolut. Medic. part.* 4. *Disput.* 2. *Resolut.* 2. *p.* 484.) vel biliosa, quæ apta nata est ad producendam ophthalmiam, dum sc. unà cum sanguine, mediantibus arteriis ad oculum defertur, ibidemque vellicando ac rodendo suam ἐνέργειαν fortiter exerit test. *Sylv. part.* 1. *disput. Medic.* 6. §. 47. Vel etiam serosa, quæ quoque partes modo dictas exasperare & inflammare potest, de quo videsis Schenck. *dissert. de Sero sanguin. cap. ult.* A Vaporibus quoque hoc malum oriri posse, quotidiana testatur experientia. Sunt autem nonnulli, qui hoc negant, dicentes, vapores oculos nullibi locorum subire posse, quod etiam *Felix Plater.* in sua *prax. capit.* 4. *tom.* 2. *p. m.* 235. asserit. quod tamen locum neutiquam invenire potest, nam si consideramus structuram oculorum, videmus eos suis gaudere poris, per quos tanquam per viam immediatam vapores ascendere & ad dictam partem pervenire queunt. Dein sua quoque habent vasa, nimirum arterias, mediantibus quibus unà cum sanguine arteriosо vapores ad oculum deferentur, ibidemque hoc mali genus excitant; quod etiam testatur Schenck *in Epist. ad Bartholin.* in qua scribit, spumosum sanguinem conciliare ejus fermentationem & aëris accessum. Seque in ea etiam semper esse sententia, in arteriis plus esse aëris cum sanguine conjuncti, quàm in venis.

Aggredimur nunc Causas Mediatas Remotiores quæ commodè in tres poterunt dispesci classes. Rerum videlicet Naturalium, Non-naturalium & Præternaturalium. Inter res Naturales primùm obtinet locum, temperamentũ juvenis nostri ophthalmiâ laborantis sanguineo biliosum, quod utrumque ad producendum hunc affectum maximè est proclive, illud enim ad fieri, hoc ad acerbari valdè disponit; illud sanguinem quantitate, hoc qualitate peccare facit.

Secun-

Secundùm locum obtinet Ætas Juvenilis, unde etiam æger noster, quippe qui Juvenis, adeoque in eo ætatis flore constitutus, in quo sanguis, ob spirituascentiam & caliditatem, facilè fervorem concipit, acriùsque intendi solet.

In rerum non naturalium classe agmen ducit Aër calidus, quoniam caliditate sua excedente sanguinem p. n. effervescere facit, ejusque motum plus justo celeriorem reddit, ut majori cum impetu ad partem affectam affluat. Spectat huc quoque anni tempus, siquidem hyems sicca & aquilonia si fuerit, ver a. pluviosum & australe, æstate necesse est febres acutas fieri & ophthalmias ex sententia Hippocr. *Sect.* 3. *aph.* 11. *it. aph.* 14. *Sect.* 3. si verò aquilonius & sine pluviis autumnus fuerit, iis quidem, qui à natura sunt humidi & mulieribus commodus erit, reliquis verò ophthalmiæ siccæ.

Cibi & potus suum quoque ad producendum hoc malum conferunt symbolum; sic cibi crassi, viscosi, acres, flatulenti, it. potus calidi, impr. vinum, ophthalmiæ sæpè causæ sunt: quod noster Juvenis etiam testatur, qui cùm non solùm carne, raphanô marinô aromatibusque conditâ, ac cæpis delectatus fuisset, sed etiam vinum satis generosum superbibisset, hoc malo correptus. Est autem raphanus marinus calidus & siccus ad tertium usque gradum, & secundùm communе omnium Medicorum eloquium, oculis nocet, caputque vaporibus replet, idem etiam de cœpis sentiendum est, unde etiam factum esse censeo, quòd, quoniam caput vaporibus replent, æger dolore capitis primò laboravit.

Vigiliæ quoque nimiæ authores hujus mali existunt, spiritus, unà cum sanguine arterioso, continuò & justo celerius movendo, unde facilè fieri potest, ut ob impetuosum sanguinis affluxum vasa rumpantur, & hocce malum producatur.

Animi pathemata, si sc. in iis committantur excessus, ad subministrandum huic fomitem, sat grave obtinent pondus.

Denique Suppressas consuetas evacuationes malo huic causam suppeditare, nemo ferè inficias ibit. Sic menses suppressos ophthalmiam excitasse confirmat Gabelchov. *Cent.* 3. *pag.* 49.

Ex rerum præternaturalium censu, varii huc pertinent morbi. Sic dysenteriam secutam fuisse ophthalmiam testatur Horst. *lib.* 4. *obs.* 19. *p. m.* 2.0. A Catarrhosis defluxionibus ophthalmiam sæpiùs produci, quotidiana testatur experientia, cui etiam adstipulatur *Guil. Fabric. Hildan. Cent.* 2. *observ.* 12. *p. m.* 89. qui diuturnam ad dentes defluxionem ophthalmiam excepisse, confirmat. Et Forest. *lib.* 6. *observ.* 5. *p. m.* 203. Ophthalmiam post variolas relictam & mox in Pterygium degenerantem commemorat. Confer. Lipsius *tr. de Variolis*: *it.* Lotich. *observ. Medic. lib.* 2. *cap.* 2. *observ. Medic. lib.* 2. *cap.* 2. *observ.* 6. Post frontis venam sectam, capite non purgato; gravissimam ophthalmiam una cum visûs & loquelæ perditione observavit. Guil. Fabric. Hildan. *Cent.* 5. *observ.* 18. *p. m.* 339. Gallicam observavit ophthalmiam Joh. Steph. *decad.* 7. *consil.* 5. it. Zacut. Lusitan. *prax. admir. observ.* 54. *p. m.* 43. Periodicam Galen. *lib* 1. *de differ. febr. c.* 11. *p. m.* 134. commemorat. Epidemicam ophthalmiam annotavit Amat. Lusitan. *Cent.* 4 *observ.* 80. Forest. *lib.* 9. *observ.* 4. Actuar. *l.* 2. *MM. c.* 7. Galen. *l.* 1. *de differ. febr. c.* 2. *p.* 116. Mirabilem ophthalmiæ ex incantatione recenset historiam Forest. *in epist. medic. sect.* 7. *de morb. per incantat. p. m.* 417. Facit huc etiam aliorum viscerum labes & inflammatio, quæ per consensum ophthalmiam possunt inferre. Pertinent huc quoque varia capitis vulnera, sic ex levissimo circa palpebram vulnere, ophthalmiam ortam commemorat. Guil. Fabric. Hildan. *Cent.* 3. *obs.* 17. *p. m.* 398. Contusiones, Ictus, Casus ab alto, quæ omnia apta nata sunt ad producendam ophthalmiam. Neque res forinsecus in oculos incidentes hîc omittendæ sunt, ut pulvis, fumus & ejusmodi alia. A fumo enim cinnabaris antimonii ad oculos delato ophthalmiam ortam fuisse annotavit, Guil. Fabric. Hildan. *Centur.* 2. *observat.* 24. *pag. m.* 102.

Hisce præmissis specialiorem nunc aggredimur ophthalmiæ considerationem, cujus ut & aliorum φαινομένων Rationem paucis explicabimus.

Factum, ut primò Æger dolorem capitis, non tamen continuum, sed periodicum, mox intermittentem, mox rursus infestantem, cum oculorum dolore, perciperet, quoniam vapores acres ad caput & oculos per intervalla delati, ibidem suam acrimoniam erodendo & continuum solvendo exseruere; hancque tristem sensationem induxere.

Progressu temporis pejus incidit in malum, majorique correptus est dolore: Propter variorum in diæta commissorum errorum continuationem, nam vino, uti assuetus erat, liberaliùs indulsit. Unde necessariò major secutus dolor, quia vinum non potest non sanguini majorem conciliare effervescentiam bilisque acrimoniam intendere.

Et Ardore, ob nimiam sanguinis effervescentiam ac incalescentiam, & hanc secutam inflammationem, dein quoque ob nimiam particularum biliosarum, i. e. tenuium & acriorum sulphurearum, quæ salinis permiscentur, nimiam exagitationem.

Cibi fastidium adest, ob materiam biliosam in ventriculo collectam, ejusq; orificio superiori inhærentem. Quapropter pejus metuens discrimen, Medicum accersi curavit, qui primo intuitu oculos observavit rubicundos, ob plethoram & copiam sanguinis in arteriolas & venulas cum impetu influentem ibidemque consistentem, unde color ille rubicundus; & tumidos, quoniam novo semper affluente sanguine, vasa turgere incipiunt, & oculi tumidi quasi apparent: Lachrymas stillantes, ob seri in sanguine contenti copiam & acrimoniam.

Caput valde calidum, propter nimiam sanguinis bilisque effervescentiam & exagitationem.

Pulsumque plus justò celeriorem, propter nimiam sanguinis effervescentiam & rarefactionem, deprehendit.

In reliquis verò æger bene se habet, quoniam nulla in visceribus notabilis labes animadvertitur.

Cùm autem plerumque non solùm ægri sed & adstantes, magno cum desiderio morbi eventum scire desiderent, Medicus ut semper aliquo instructus sit Prognostico, mediante quo morbi eventum, an sc. salutaris sit, nec ne? prædicere possit, necesse est. Dicimus itaque, hancce ophthalmiam, quâ Juvenis noster conflictatur, non esse lethalem, sed plus habere doloris, quàm periculi, quoniam ab externo tantùm victûs errore suam ducit originem, & prætereà altiores nondum egit radices: Si enim firmiores egit radices, dolor oculorum diu perseverat & valdè contumax, difficiliorisque est curationis; Sicut etiam, quando negligitur vel malè curatur, gravissimos inducit affectus. Quod testatur mulier, quæ ex mala ophthalmiæ ab Empirico adhibita curatione in unius oculi ulcus incidit vid. Forest. *lib.* 11. *observ.* 18. *p. m.* 25. imò ipsam quoque interdum inducit cæcitatem.

Pergimus, bono cum Deo, ad ipsius ophthalmiæ Curationem. Cùm autem omnis curatio suis innitatur Indicationibus, eas, ut methodicè rem pertractemus, perlustrabimus. Dividuntur autem Indicationes in Generales & speciales. Generales sunt, quæ quid in genere; speciales verò, quæ quid in specie faciendum sit, indicant. Generalis itaque hoc in ca-

ſu eſt indicatio, cauſas morbificas eſſe tollendas & removendas, ſpeciales verò indicationes, pro varietate cauſarum, uti notum, variant, v. g. ſi humor quantitate peccat, evacuandus, ſin verò qualitate, eſt vel alterandus, vel præcipitandus, vel ejus acrimonia corrigenda, & ſic porrò.

Hiſce præmiſſis, ipſa accedimus præſidia, quæ ex triplici præſidiorum fonte, Chirurgico nimirum, Pharmaceutico & Diætetico deſumentur.

Fons Chirurgicus, primo in limine nobiliſſimum & generoſiſſimum remediorum genus, nimirum Venæſectionem nobis ſuppeditat, ſine qua nulla curata fuit ophthalmia, videlicet vera, (non enim negamus ſpuriam ophthalmiam poſſe curari ſolis adhibitis medicaminibus purgantibus & topicis) hanc enim omnes ferè Practici uno ore commendant, vid. Foreſt. *lib.* 11. *obſ.* 12. *p. m.* 20. Cauti tamen in ejus adminiſtratione ſimus, nec venam, corpore non purgato, ſecemus, niſi ægro noſtro id accidere velimus, quod iſti Sartori apud *Hildan. loc. ſuper cit.* cui barbitonſor corpore non purgato venam frontis ſecuit, quo facto in gravius incidit malum. Quapropter non adeò liberales ſimus in ſecandis venis, ſed potiùs ſequentes circa venæſectionis uſum obſervemus cautelas. I. Venæſectionem non eſſe adhibendam viribus non permittentibus; i. e. viribus maximoperè debilitatis.

II. Venam non eſſe ſecandam, nulla præſente venæſectionis indicatione.

III. Præſente etiamſi indicatione, venæſectionem non adhibendam eſſe, ſi ægri diſpoſitio eam non permittat. i. e. ſi non diſpoſitus ſit ad perferendam venæſectionem, ſed potiùs eam abhorreat.

IV. Venam non eſſe incidendam, corpore non purgato, ne nobis id, de quo ſuperiùs nobis ſermo fuit, accidat. Cùm autem noſtro in Juvene non ſolùm vires eam permittant, ſed & inſuper adſint Venæſectionis indicationes, nimirum plethora ſive ſanguinis copia, quæ ſui indicat imminutionem, omninò eſſe adhibendam venæſectionem putamus. Inſtituatur E. venæſectio, majoris revulſionis gratiâ in lateris oppoſiti brachio, ita cùm ſit oculus dexter affectus, in latere ſiniſtro, ſin verò ſiniſter in dextro latere venæſectio inſtituenda, incidendo venam Cephalicam vel medianam, & emittendo ℥v. vel ℥vi. ſanguinis: in ſexu autem ſequiori ſi malum à menſibus ſuppreſſis oriatur, vena ſaphena in talo ſecanda eſt. Huc quoque pertinet cucurbitularum impr. ſcarificatarum, in ſcapulis affixio, quarum uſum non improbat Grembſ. *in arbor integr. & ruinoſ. p. m.* 187. & Rhod. *Cent.* 1. *obſerv.* 79. has etiam hujus mali fomitem extirpaſſe teſtatur. Conveniunt etiam veſicatoria propè aures applicata, it. fonticuli in brachiis excitati, quatenus ſcil. ſerum abundans derivant & revellunt, & conſequenter extra corpus eliminant: Convenit quoque ſetaceum in capitis parte poſteriori applicatum, teſt. Euſtach. Rhud. *art. Med. lib.* 1. *cap.* 20.

Ex fonte Pharmaceutico nobis ſe offerunt purgantia cacochymiam, ſive cruditatem bilioſam evacuantia, qualia ſunt fol. ſennæ, Rhabarbarum, Jalappa, mechoacannan, agaricus, ſyr. de cichorio c. rhabab. roſar. ſolutiv. Magiſtral. River. & quæ ſunt id generis alia ex quibus variæ poſſunt concinnari formulæ; e. g.

℞. Fol. ſen. ſ. ſt. ʒiiß. vel ʒiij. Rhabarb. opt ʒß. Agaric. trochiſcat. ʒj. Herb. cuſcut. fumar. euphr. an. mß. Flor. betonic. euphraſ. violar. an. pß. Paſſul. minor. ʒij. vel ℥ß. Sem. fœnic. Coriandr præp. an. ℈j. Cremor. Tartari ʒß. Inciſ. & trit. infund. per noct. in aq. ſimpl. q. ſ.

Manè leniter ebulliant Col. ℞. ℥iiiß. cui add. ſyr. de cichor. c. rhabarb. Vel roſar. ſolutiv. ℥j. vel mann. el. ʒvi. M. S. *Purgier. Tranck Morgens nüchtern auf einmal zu nehmen.*

Si autem Juvenis noſter mallet pulverem, ſequens ipſi præſcribi poſſet:

℞. Pulv. Jalapp. ℈j. Rhabarb. Cremor. Tartar. an. ℈ß. Magiſter. Jalapp. gr. 1. oc. Cancr. præp. gr. 4. Ol. fœnic. gr. 1. M. F. Pulvis S. *Purgier. Pulver auf einmal.*

Ex quo etiam additis conſerv. roſar. vel violar. ʒij. & pauco ſaccharo bolus concinnari poteſt.

Præmiſſis purgantibus & evacuantibus, doloris tanquam urgentioris ſymptomatis, habenda eſt ratio, iſque mitigandus medicamentis anodynis, e. g.

℞. Mucilag. ſem. pſyll. alth. an. ʒij. Cydon. ʒj. Aq. roſar. alb. plantag. euphraſ. an. ℥ß. tut. præp. ℈ß. M. F. Cataplaſm.

Vel ℞. Medull. pomi dulc. ſub cinerib. coct. q. ſ. malaxetur cum lacte muliebri, & linteolis incluſum oculo tepidè applicetur.

Guilh. *Rondeletius lib.* 6. *meth. cur. morb. cap.* 4. *camphoram* adhuc addit.

Poteſt etiam fieri cataplaſma non inconveniens ex medulla panis triticei cum lacte muliebri, vel Aq. roſar. euphraſ. & liquor. album. ovi. it. cataplaſma ex flor. Chamomill. melilot. papav. errat. &c. Hæc autem ex mucilaginibus vel lacte muliebri parata anodyna, ſæpiùs renovanda ſunt, diutius enim aſſervata, facilè acorem contrahunt.

Riverius etiam utiliter adſtringentia fronti & temporibus ſtatim à principio admoveri poſſe dicit, utpote quibus venæ, per quas humores defluunt ad oculos, comprimuntur, humor influens repellitur; quem in finem ſequentia præſcribit cataplaſmata.

℞. Bol. armen. ſang. dracon. thur. Maſtich. an. ʒj. Roſar. rubr. balauſtior. farin. lentium an. ℈ij.

Excipiantur albumine ovi & aceto roſaceo. M. F. Cataplaſma fronti & temporibus applicandum.

Vel ℞. Album ovi, agitetur c. fruſto aluminis ſatis magno in patina ſtannea, & tamdiu moveatur, donec unguenti conſiſtentiam adeptum ſit, pôſt extendatur ſupra linteum & oculis tepidè applicetur. Poſt duas aut tres horas auferendum eſt remedium, ne nimium adſtringat.

Pinguedinem viperarum in ophthalmia, palpebris oculorum illitam, vel ipſis oculis inſtillatam, valde commendat Dn. D. Wedel. *in Ephemerid. Germ. an.* 2. *obſerv.* 125. *p. m.* 207.

Emulſiones hîc in uſum quoque poſſunt vocari, quatenùs ſpicula Salina acrimoniamque ſeri, à quibus triſtis doloris ſenſatio provenit, obtundunt, & præcipitant, formula hæc iſto.

℞. Sem. 4. frig. major. an. ʒj. papav. alb. ʒiij. c. ſ. q. Aq. hord. roſar. & euphraſ. f. l. a. emulſio, cui add. C. C. Philoſophic. præp. corallor. rubr. præp. an. ℈j. Sacchar. perlat. ℈iv. Aq. cinamom. ʒß. M. S. *Kühlende Milch. Abends vorm. ſchlaffen gehen ein paar Lœffel voll zu nehmen.*

Hiſce uſurpatis, quoniam cruditatis bilioſæ vires nondum ſufficienter ſuperatæ mihi videntur (impoſſibile enim eſt ſimul uno propinato purgante omnem evacuare humorem peccantem;) ut corpus planè à cacochymia bilioſa liberetur, ſequentes in uſum poſſunt vocari pilulæ.

℞. M. P. aggregativ. aurear. extr. cholagog Quercet. an. ℈ß. Reſin. jalapp. gr. 4. vel 5.

Cum ſ. q. elix. propriet. Parac. vel. ſpirit. euphraſ. fiant pilul. num. 13. aſperg. pulv. fœnic S. *Purgier-Pillen mit ein paar Lœffel warmer Brühe Morgens nüchtern zu nehmen.*

Huc faciunt etiam pilulæ cholagog. Timæi, it. potiuncula evacuans ejuſdem.

Corpore ſufficienter nunc expurgato, ſpecialiorem aggredimur curationem, eaque, quæ vulgo dicuntur appropriata ſive ſpecifica, in uſum vocamus. Qualia ſunt variæ aq. ophthalmicæ, ſpiritus, tincturæ, eſſentiæ,

tiæ, & ejuſmodi alia ex quibus variæ poſſunt fieri formulę e. g.

℞. Aq. ophthalmic. ex croc. metall. Querc. ℥j. S. *Augenwaſſer.*

Quæ citra dolorem & morſum guttatim oculis poteſt inſtillari.

Vel ℞. Aq. Euphraſ. roſar. alb. fœnic. an. ℥j. Spir. euphraſ. fragor. an. gr. 15. Tut. præp. ℈j. M. S. *Boſonders Augewaſſer.*

Quæ linteis excepta oculis applicetur.

Crollius & reliqui Chimici miris laudibus efferunt Sal Saturni in aq. roſar. & euphraſ. diſſolutum: vid. *Croll. Baſilic. chimic. p. m.* 47. cui etiam adhuc addunt ſal. armon. gr. aliquot.

Poteſt etiam eſſ. flor. cyan. quam valdè laudat *Tim. à Guldenklee lib.* 1. *p. m.* 50. oculis ad guttas aliquot inſtillari. Præparationem ejus tradit *l.* 1. *Epiſtol.* 28. *p. m.* 514. Barthol. *in act. Medic. Haffnienſ. Volum.* 2. *p. m.* 302. ſequens unguentum ophthalmicum mirum in modum laudat, eòque, manu ferè abſtergi malum ægro viſum fuiſſe refert.

℞. Ung. nihili, de tutia an. ʒij. Magarit. præp. Corallor. rubr. præp. oc. cancr. præp. tut. præp. an. ℈j. Camphor. gr. 6. fol. auri & argent. an. n. 4. M. F. Unguent. tempore decubitus cantho oculi majori, lentis magnitudine indendum.

Spongias ſambuci per noctem in Aq. conſolid. regal. vel roſar. imbutas & deinde oculorum palpebris decenter applicatas pręſentaneum eſſe remedium dicit Simon Pauli *Quadripart. Botanic. Claſſ.* 2. *p. m.* 141.

Fotus ex herbis euphraſ. fragar. roriſmar. &c. hîc etiam locum habet. v. g.

℞. Herb. euphraſ. fœnic. fragar. betonic. roriſmarin. an. Mj. Flor. balauſt. betonic. cyan. euphraſ. roſar. alb. an. p. 1. ß. Coq. in ſ. q. Aq. euphraſ. & fænic. quô foveatur oculus.

Et hęc ſunt, quæ externè oculis applicata, profutura cenſemus.

Cùm autem omnis curationis pagina ſolis remediis externis abſolvi non poſſit, interna quoque, quæ acrimoniam ſalinam ſeri obtundant, ut propinentur; neceſſe eſt.

Quem in finem ſequentia adjicere nobis placuit.

℞. Seri lact. caprill. ℔ß. Aq. cichor. endiv. fumar. euphraſ. an ℥ß. Syr. fragor. ℥iß. M. S. Mixtur *des Tages etlichmal* 3. *biſz* 4. *Lœffel zu gebrauchen.*

Vel ℞. C. C. philoſ. præp. Corall. rub. pręp. Oc. cancr. præp. an. ℈j. Ebor. alcoliſ. Margar. præp. an. gr. 12. M. F. pulv. *Pulver auf etlichmal zu gebrauchen.*

Huc etiam facit emulſio ex ſeminibus ſuprà præſcripta, quę acrimoniam ſeri potenter obtundere valet.

Denique reſtat tum partis affectę, nimirum oculorum, tum ipſius ventriculi, qui ob commiſſos in diætâ errores labefactatus, corroboratio.

Pro corroborandis itaque oculis ſequentia proderunt remedia. e. g.

℞. Conſerv. anthos, euphraſ. betonic. roſar. an. ℥j. Rotular. dianthoſ. pulv. rad. cichor. ſpec. diamargarit. frig. an. ℈j. Cum ſ. q. Syr. euphraſ. vel betonic. F. Electuar. M S. *S. Latwerge jedes mal einer Caſtanien graſz ju gebrauchen.*

Vel ℞. Spec. diamargarit. fr. dianth. an. ʒj. Diamoſch. dulc. ℈j. Extr. euphraſ. betonic. an. gr. 12. Sacchar. in Aq. euphraſ. roſar. fœnic. ſolut. ℥iii ß. Aſpergant. ol. fœnic. & cortic. citr. an. gr. 2. F. l. a. Morſuli. *S. Starckende Morſellen.*

Vel ℞. Aq. ceraſor. nigr. ℥ij. Lilior. convall. Euphraſ. fœnic. an. ℥j. Syr. euphraſ. betonic. papav. errat. an. ℥ß. Spir. lilior. convall. fragor. an. ℈j. M. S. *Beſonders Waſſer Abends vorm. ſchlaffen gehen ein paar Lœffel voll zu trincken.*

Ultimum nunc erit, ventriculo proſpicere, nimirum eum corroborando, ejus fermentum reſtaurando, ipſumque ventriculum priſtinum in tonum reducendo, quod ſequentibus expedire conamur remediis, ut

℞. Clyſſ. mineral. ʒß. Spir. abſinth. ℈j. Maſtichin. gr. 6. M. S. Spiritus *Morgens nüchtern jedeſmal* 7. 9. *biſz.* 11. *Tropffen mit.* 3. *oder.* 4. *Lœffel warmer Brühe zu nehmen.*

Vel ℞. Elixir. proprietat. Parac. ʒj. Spir. ſalis dulc. ʒß. M. S. Elixir *alle Morgen jedeſmal* 13. *biſz* 15. *Tropffen zu nehmen.*

Poſt meridiem circa horam tertiam vel quartam ſequens pulvis ſtomachum corroborans poteſt aſſumi.

℞. Tunic. ventricul. gallin. ʒj. Spec. diatrion. ſantal. diarrh. Abb. an. ʒß. Aromatic. roſat. Corallor. rubr. an. ℈j. Margarit. præp. Nuc. Moſchat. an. ℈ß. Sacchar. roſat. tabulat. ʒvj. Ol. cinamom. gt. 2. M. F. Pulv. D. ad ſcatulam. *S. Magen-Treſinet auf etlichmal.*

Uſurpari poteſt hic pulvis vel cum pane triticeo prius toſto & dein vino macerato, cui tantùm pulveris hujus quantùm duo vel tres cultri cuſpides capere poſſunt, aſpergatur, & ſic comedatur. Aut ſi placet ſequenti cum aqua poteſt proprinari. e. g.

℞. Aq. cichor. acetoſell. an. ℥iß. Meliſſ. c. vin. Cortic. aurant. an. ℥j. M. S. *Waſſer zum Pulver.*

Huc etiam pertinent conſervæ, ut acetoſ. cichor. roſar. vitriolat. &c. it. varia condita, ut rad. cichor. condit. cydon. condit. lactuca hyſpanica, ribes, berberes, Cortic. aurant. Cortic. citr. Nux Moſchat. in India condita, & quæ ſunt ejuſmodi alia, quæ, quoniam & vulgò nota, ſicco præteribimus pede.

Veſperi ante decubitum ſequens aqua ad ventriculum corroborandum cochleatim aſſumi poteſt.

℞. Aq. ſtomachal. Dorner. ℥iß. Cydon. cichor. Zedoar. c. vin. an. ʒj. Syrup. acetoſ. citr. Granator. an. ℥ß. M. S. *Waſſer Abends beym. ſchlaffen gehen ein paar Lœffel zu trincken.*

Et hæc ſunt remedia, quæ fons Pharmaceuticus nobis ſuppeditat.

Quid bona ac legitima Dięta ægris auxilii afferat, quidve contra illegitima & prava Diæta damni producat, ipſa teſtatur experientia, & unicuique Medicorum notum eſt. Quapropter miſſis duobus prioribus curationis fontibus, Chirurgico videlicet & Pharmaceutico; ad ultimum Diæteticum nimirum progrediemur; videbimuſque, quid is nobis ſuadeat.

Cùm autem optimè Diæta ſecundùm ſex res nonnaturales inſtituatur, eam ad normam illarum ægro noſtro præſcribere placuit.

1. Fugiat igitur aërem nimis calidum, vel nimis frigidum, item nimis lucidum aut tenebricoſum.

2. A cibis calidis, acribus, bilioſis, flatulentis, viſcidis, dulcibus, nimis ſale, pipere, cœpis, allio, aceto, aut aliis aromatibus calidioribus conditis abſtineat, ſed è contra cibis tenuioribus, refrigerantibus, probè nutrientibus, facilioris concoctionis, &c. utatur. Pro potu ordinario cereviſiam benè coctam & probè defæcatam, non adeò recentem, neque nimis lupulo conditam aut pinguem bibat; Vinum verò præſertim generoſius cane pejus fugiat.

3. Corporis exercitia non ſint diuturna nec vehementiora, ſed potiùs moderata, & tempeſtivè inſtituantur.

4. Somnum debitò tempore ineat, & lucubrationibus, quæ oculis maximè nocent, in concubiam uſque noctem non incumbat.

5. Animi

5. Animi pathemata sint moderatiora, caveat sibi à nimia iracundia & mœrore.

6 Alvus quotidie suo fungatur munere & officio. Et hæc sunt, quæ Juveni nostro profutura censeo. *Joh. Michaëlis in Praxi Clynicâ speciali.*

In Oculorum vitio Consultatio.

Morbi descriptio.

Vir annô natus 1641. à juvenilibus annis visûs debilitatem passus est, Verùm quæ à duodecimo ætatis discuti cœpit, ut à vicesimô ad quadragesimum usque octivum acriori etiam visione donatus fuerit, Cùm autem ultimô hôc annô paulò diutiùs scripturis immorari, iisque etiam noctes integras impendere coactus fuisset, ipsiùs visus vitiari cœpit.

Anno 1689. mense Novembri cùm oculos intensiori obverteret lumini, aliquid observavit ipsis obvolitans, in puncta lineamque laxiùs circumcingentem, distinctum, indeque postea nubecula efformari. In specie verò, ante sex menses, ob oculum sinistrum plures lineas quasi sanguineas in spiram convolutas, obversari deprehendebat, idque primùm præcipuè cùm loca solari lumini magis exposita, aut nive cooperta, intueretur, nunc verò in quemcunque demùm colorem incidat idem ipsi apparet. Filamenta hæc, seu spirales venulæ multipliciter variant: si enim oculorum axim rectâ in aliquod dirigat subjectum, maculæ præmemoratæ illius centrum non occupant, sed lentô passu à superioribus ad inferiora feruntur, (eæ præsertim quæ oculo obversantur sinistro) sicque infra centrum, ad eandem distantiam, semper positæ remanent, etiam ad dextras & sinistras permotô oculô. Macula hæc in dies continuò augescit, quasi nova filamenta ei sensim accrescerent; & ipsæ venulæ, seu spirales lineæ, quæ primò adnotatæ fuere, atriores sensim evadunt. Æger oculi iridem cæruleô colore donec tam gerit, plethoricus valdè est, nec aliô quàm arthritide, levique stomachi dolore, affligitur morbô. Cùm primùm hanc ægritudinem advertit, vitris ocularibus coloris viridis usus est matutinis horis, aliisque communibus sub vesperam. Interdum oculos aquâ Reginę Hungariæ lavit, sales volatiles adhibuit, imò medicamenta aliqua corrosiva, ac succini fumum, quibus ne hilum quidem profecit. Exquiritur jam à Clarissimô Dominô Drelincurtiô, Medicinæ in Leydensi Universitate Professore Celeberrimô, qualis in specie sit hic morbus? An ad cataractam accedat? Quæ remedia, & qualis diæta in ipsô oppugnandô sint adhibenda?

In Casu proposito Responsum.

Ut accuratè explicari queant phænomena in casû propositô descripta, necessarium foret plura Optices ac Anatomiæ principia huc adferre, quibus sanè multorum defatigaretur patientia. Ea itaque ad maximè essentialia reducam, ac quatuor statuam, à paucis nota, sed quæ sæpiùs publicè demonstravi.

Primùm est quòd Ciliaris tunica, non, ut creditum est, membranaceum revera sit corpus, at potiùs mirabilis textura minutorum musculorum, qui omnes à limbô orbiculari corneæ opacæ enascuntur, & qui radiatim inde prolongati in alium minorem circulum terminantur, nec ulteriùs, procedunt. Per illos musculos efformatur pars illa oculi quæ Iris dicitur, perque vacuum quod in sui medio relinquunt, seu potiùs per minorem illum circulum in quem inplantantur, cujusque circumferentiam non transgrediuntur, faciunt partem illam quæ pupilla vocatur.

Secundò adnotandum venit, quòd omnes illi musculi elongantur, aut abbrevientur, prout lumen fuerit vel intensius vel remissius, ac prout objecta magis aut minùs à nobis remota conspiciuntur.

Tertiò attendendum est, quòd illi omnes musculares radii, qui à majori circulô in minorem progrediuntur, velut ad suum modiolum, enutriantur per parvulas arterias à ramô anteriori carotidis internæ assurgentes, quæ nervum opticum concomitantur.

Tandem meminisse oportet, quòd spiritus animales quibus prædictorum musculorum agitantur fibrillæ, à tunicâ procedant reticulari, in quam diffunduntur innumeri prædicti carotidis ocularis ramusculi; quod sæpissimè demonstravi incredulis quibusdam Doctoribus qui impossibilem opinabantur, vel unius tantùm arteriæ, in oculi globô demonstrationem.

Hisce positis facillimum fuerit probare, quòd cùm D. N. debiliorem habuerit visum ad annum usque ætatis duodecimum, cùmque illi non minùs vim fecerit per scripturas nocturnas, ita perturbatus sit ordo prædictorum musculorum iridis, ut à se invicem dimoti fuerint. Per illam autem ab invicem amotionem, aut per spatia sic inter illos interjecta, effusæ sunt per modum roris plures humorum guttulæ, unde puncta enata sunt primò observata. A motu verò eorundem iridis musculorum pendet hoc phænomenon, quòd scilicet macula oculi motum subsequatur, in eâdem semper centri distantiâ.

Si de aliis omnibus rationem dare intenderem, longior sanè forem. Præstiterit itaque explicare quid demùm in malo tam gravi, locoque remediis propè inaccessô positô, agendum veniat. Afferto enim topica omnia prorsus inutilia futura propter corneæ diaphanæ crassitiem impenetrabilem, quæ tanquam crystallina lamina iridis musculis apponitur: Unde consequens est remedia externa hîc non magis profutura, quàm si pro delendâ maculâ quæ in mercuriô speculo affixô reperiretur, detersivum quid extus laminæ ejusdem applicaretur.

Hæ ideæ me in solâ concludunt diætâ, inque remediis quibusdam internis selectioribus, quorum opera arteriis ocularibus sufficiant spiritus, dispellendis illis omnibus corpusculis intra iridis musculos effusis aptos, unde quilibet musculus ad vicinum suum proximiùs accedet, & in spiras non curvabitur à globulis ipsi suppositis.

Primò, cane pejus & angue devitandum est omne lumen vividius, sive à sole procedat, sive à facibus.

Secundò, fugere oportet frigoris omnem susceptionem tum in pedes, tum in caput, sive demùm per pluviam, per aërem nocturnum, cumque vaporosum, adveniat.

Tertiò, caveat D. Pat. à viscosioribus alimentis, sive è piscibus, sive è quadrupedibus petitis, vitet propterea porcos lactentes, pedes suillos, legumina, &c.

Quartò, sub vesperam, aut de nocte, nec legat, nec scribat.

Quintò, prandium sumat largius, cœnam verò parciorem.

Sextò, nunquam dormiat immediatè post pastum, videatque ne cubet vel super dorsô, vel capite nimiùm humili.

Septimò, alvum semper habeat liberam, idque vel per alimentum aptum, vel per clysteres, ac præcipuè per pilulas cephalicas in ipsa lunæ decrescentia sumptas. Horum omnium delectum Medicis ordinariis relinquo.

Præterea oportet ut tum in pastu, tum extra ipsum, utatur cerevisiâ medicatâ, cum chelidoniô majori, hederâ terrestri, euphrasiâ, majoranâ, betonicâ melissâ, &c. Vino itidem medicatô cum iride Florentina, foliis lavendulę & salviæ, seminibus rutæ & fœniculi, caryophyllis aromaticis, &c. Addendo per intervalla

haustulo

haustulo hujus cerevisiæ, aut vini, guttulas aliquot spiritus cochleariç, aut salis volatilis succini parum.

Post pastum varianda sunt bellaria: aliquando adhibendus venit cortex aurantiorum, vel citriorum conditus, isque vel siccus, vel propriô syrupô immersus; aliquando verò assumet nuces moschatas in Indiis conditas, aut nuces juglandes conditas, additâ etiam ambrâ, & moschô.

Matutinô tempore saliva est elicienda per semihoram, masticando baccas lauri, vel salviæ folia. Postea assumat conservam è floribus lilii convallium, caryophyllis hortensibus ac rore marino. Interdiu gestet in perâ tabellas è confectione alkermes, multâ ambrâ, ac moschô perfusas; iisque subinde utatur.

Si verò malum in autumnum usque perstiterit, necessariò deveniendum erit ad cauterium, commissuræ suturarum sagittalis & coronalis inurendum; ungendo præterea bis de die, mane scilicet & vesperi, nucham cum balsamo confecto ex essentia rorismarini, oleô ceræ ac rutç, & castoreo. Bibendo per id tempus hydromel vinosum multâ iride Florentinâ, caryophyllis aromaticis, & roremarinô alteratum.

Si autem à prçscriptâ diçtâ aliquatenus abhorreat Æger, quod ei nimiùm calida videatur; sciat oportet çgritudinem quàm curandam suscipimus aliâ ratione nunquam iri oppugnatum.

Oculistam quòd attinet, eô hic non opus est, quia nulla adhucdum cataracta efformata est. Verùm si negligatur morbus, sensim illa enascetur ex omnibus corpusculis descriptis, quæ facili negotiô in massam opacam obdurescent, quæ tum omnibus remediis erit impervia, &c. Datum Leydç Maii 22. Ann. 1690. *Ex traductione Consilii Gallici à Clarissimô atque Amplissimô Viro D. Carolô Drelincurtio Lugduni Batavorum Professore Medicô Celeberrimo, & Universitatis Decanô, amicissimè communicati.*

Observationes.

Pro Oculorum rubore & dolore.

Quidam in hoc casu maximoperè commendant aquam simplicem in qua vitriolum album & saccharum candum dissoluta sunt, ego verò plurimùm prodesse comperi eam aquam quç à nive *Martii* dissoluta in vase vitreo provenit: nam hæc etiam absque alia ulla re adhibita in affluxu calido, loco collyrii est: ad rubedinem autem peculiariter commendatur aqua fragorum, illis priùs in eo vase in quo destillantur putrefactis in fimo: aqua etiam è tormentilla destillata rubores tollit, & initio fluxionum prodest; laudatur & hoc collyrium.

℞. Aq. fœnic. euphras. ros. an. ℔ß. sacch. candi, ℥j. vitriol. alb. ℈ß. M. & per filtrum aliquoties transfundatur; dolor isto modo sedabitur; noctu totus oculus inungatur isto unguento, cujus mirificam efficaciam expertus & pro secreto habui.

℞. Butyrum si haberi potest mense *Maio* factum, aut aliud recentissimum diligenter elotum, vel loco illius medullam bovinam è cruribus, atq; vel cervinam huic admisce lapid. calamin. in tenuissimum pulverem triti quantùm accipere poterit, atque ut dixi horâ decubitus applicetur; repeti autem potest aliquoties noctu ista inunctio, si præsertim dolor vehementer urgeat; manè abluitur aq. ros. & fœnic. in qua particula pomi dulcis sit decocta. *Jo. Crato consil. 5. lib. 5.*

Aurifaber quidam fluxum lachrymarum ex oculo sinistro diu perseverantem cum rubore, tumore & obscuritate illius oculi, patiebatur; aliquando hæc cessabant, mox iterum revertebantur, eratque antiquus & confirmatus affectus: tandem accersitus, ordinavi pilulas sequentes.

℞. Pil. aurear. coch. an. ʒß. cum aq. fœnic. F. pilulæ: dejecit admodum, atque eo ipso die lachrymæ cessarunt, & oculum aperire potuit: vesicatorium dein nuchç applicui: emplastrum pro ruptura ad arcendam defluxionem utrinque temporibus quadrantis thaleri magnitudine admovi: ad cohibendam item defluxionem sequens ordinavi collyrium.

℞. Cortic. granat. contus. ℥j. bol. arm. pinguis, ʒij. coq. in aq. plantag. & peculi rosar. an. part. æq. in colat. ℥iv. dissolv. lap. hçmatit ʒii. diu agitando ut penitus dissolvatur, adde vitrioli albi ℈i. camphor. ℈ß. M. diligenter ut fiat collyrium: in quo parvam spongiolam madefaciat & exprimat, atque oculo clauso applicet, sæpe repetendo: cùm aliquoties usus esset, ut meliùs operaretur addidi.

℞. Aq. plantag. solan. an. ℥iii. tutiæ ʒij. mucilagin. sem. psyll. fact. cum aq. rosar. M. cum priori collyrio, & utatur, & sanatus est. *Felix Platerus obs. lib. 2. pag. 377.*

Fomentum istud meum ophthalmicum (quo toties cum successu usus sum) tepide applicari jussi.

℞. Sem. fænugræc. conquass. ʒiß. sem. euphras. anis. fœnic. an. ℈ii. fl. euphras. beton, meliloti, chamæm. an. p. iß. tutiç præp. sarcocoll. nutrit. sief. alb. an. ʒj. incid. & conquass. omnia & coq. in lact. vaccin. rec. q. s. & sacculis includantur pro fotu. *Jo. Petrus Lotichius. obs. 7. cap. 2. lib. 2.*

Jo. Heurnius oculorum rubedinem dolorificam miraculi instar hoc secreto remedio curavit.

℞. Phlegma aluminis, applica. extillatur in balneo, in notis annexis cap. 5. lib. 5. patholog. *Jo. Fernelii.*

Pro Oculi macula cum catarrho & metu suffusionis.

Prò conservatione oculi, velim utatur hoc collyrio abstergente.

℞. Aq. rosar. ℔iv. sem. fænugræc. ℥i. rad. alth. numero 6. bulliant ad consumptionem tertiæ partis, fiat fortis expressio, colaturç adde aloës opt. pulverizatç & sacch. candi rosati, an. ʒii. bulliat iterum cum his ad ignem clarum ad consistentiam mellis: deinde servetur ad usum in vase vitreo benè obturato, usu istius collyrii corroboratur oculus & mundificatur, & abstergmntur humores, hoc mihi habeo familiare, quod semper fœliciter succedere expertus sum. *Jo. Baptista Montanus. consil. 145.*

Aqua mellis oculorum maculas certissimè delet, si penicillo illas tangamus; sed oculorum dolor, si quis sit, primò mulcendus; est enim dolorifica, quod notandum. *Petrus Pachequus, observ. 43.*

Quædam mulier infimæ sortis maculam habebat in oculo: cui consilium dedi, ut bis in die succi rutç guttam unicam in oculum instillaret, quod cum satis diu continuasset, macula prorsus absumpta est. *Samuel Formius. obs. 28.*

Pro Ophthalmia biliosa.

Prçmisso lenitivo, ad humores acres & mordaces contemperandos, syrupos incrassantes & infrigidantes hoc modo propinavi.

℞. Aq. solan. plantag. cichor. an. ℥ii. syr. de ros. rub. sicc. de nymphæa & papav. an. ℥i. M. F. julepus pro duabus dosibus. Postea etiam purgavi cum infuso rheo, adjecto syr. viol. oculis verò candidum ovi liquorem instar aquæ concussum infundebam, hoc enim modo acris fluxio sine offensa eluitur juxta Gal. 13. meth. & cùm dolor urgeret, accipiebam aq. albuminis

ovi lactis muliebr. ℥iij. succi plantag. ℥j. M. panni lintei duplicati in eo infuso oculis imponebantur, interea & collyrii alb. rhasis ʒß. modò cum lacte muliebri soluti, modò cum aq. rosac. oculis instillabam. Fovebam etiam oculos cum decocto fol. malv. viol. & sem. fœnugræc. Medicamento illo ex ovi liquore, quo nos usi sumus, veteres magna consideratione utebantur, cùm minime mordens sit & glutinosus, & propterea, lenit asperitates omnes quascunque acris fluxio excitat; deinde cùm crassus sit & lentus humor constantiùs quàm tenuis & aquosus in loco permanet; cumque absque rosione sit, si modicè incalescat, dolorem maximè lenit. *Petrus Forestus. obs.* 2. *& schol. lib.* 11. *De Morbis Oculorum, &c.*

Mulier quædam de oculi dolore ingenti cum rubore conquerebatur, & palpebræ non solùm inflatæ, sed inflammatæ, ac rubedine affectæ conspiciebantur, optimo victus ordine instituto, post ventris lenitionem, huic vena cephalica in brachio è directo oculi affecti secta fuit: postea etiam cucurbitulæ cum scarificatione in parte colli qua jungitur cranio, appositæ fuere: etiam sanguisugæ post aures applicatæ, & medulla panis, simul & pomorum dulcium, cum lacte muliebri & aqua rosar. macerata oculo imposita sunt: atque ovi albumen concussum cum collyrio alb. Rhasis quod opium recipiebat, instillatum, pilulas quoque lucis devoravit, & à dolore liberata est. Alteram quoque, cum acerbè ab ophthalmia conflictaretur, pomum coctum cum aqua rosarum & lacte muliebri mixtum cùm oculo continuò apposuissemus; deinde collyrium Rhasis album cum aqua rof. solutum instillassemus, tandem ab omni dolore liberavimus, *Idem obs.* 5. *lib.* 11.

Cum tribus integris mensibus, nempe Octobri, Novembri & Decembri, constitutio austrina permansisset, multæ inflammationes oculorum cum rubedine, & ophthalmiæ non veræ populariter grassatæ sunt. Omnibus ferè purgationes profuere; postea & cucurbitulæ scapulis oppositæ cum scarificatione, quibusdam verò propter pruritum & acres humores purgationibus tum cucurbitulis præcedentibus, collyria ex aqua albuminis ovorum cum aqua rosac. egregiè contulerunt. Sed hoc collyrium sequens præ aliis omnibus valdè commodum fuit.

℞. Cerusf. lotæ ℥i. amyli ʒvi. gummi tragac. sarcocoll. tut. præp. an. ℥ß. camphor. opii, an. ʒi. aq. rosar. q. s. F. massa usui servanda, atque hujus portio exigua dissolvebatur cum aqua rof. ubi usus postulabat, & collyii instar pluma in oculum affectum stillabatur, præcedentibus tamen purgationibus. Infiniti hoc solo remedio convaluere. *Petrus Forestus. obs.* 4. *lib.* 11.

Pro Ophthalmia.

Ad fluxiones oculorum valet maximè crocus metallorum in hunc modum.

℞. Croci metall. ʒi. aq. euphras. ℥iv. crocus tenuissimè pulverizetur ut fiat pulvis impalpabilis, & misce cum prædicta aqua. Deinde corpore supino existente quater in die instillentur intra oculos quatuor guttę tepidè. *Rodericus à Fonseca. tomo.* 1. *consult.* 1.

℞ Aq. rof. ℥vi. aloës lotæ, tutiæ præp. an. ʒi. M. F. collyrium, cum linteolo vel spongia foveantur oculi. *Rodericus à Fonseca. tomo.* 2. *consult.* 55.

℞. Aq. rof. plantag. an. ℥ii. troch. alb. Rhasis sine opio ʒiß. tutiæ præp. ℈ii. sarcocoll. nutrit. ℈i. M. F. collyrium. Si dolor simul urgeat, addatur præscripto collyrio emulsio sem. papav. & mucago psyllii, & si adhuc non cedat dolor, Rhasis collyrium cum opio usurpandum. *Jo. Zechius. cons.* 69.

Multis frustra tentatis remediis in patre meo ophthalmiâ detento, sequenti applicatione curatus fuit.

℞. Album ovi, & cum aluminis frustro tamdiu agitetur, donec pultis consistentiam acquirat. Postea linteo subtili involvatur, & oculo clauso palpebræ imponatur sæpe renovando. *Petrus Borellus. obs.* 31. *cent.* 1.

Rusticus quidam ophthalmiâ inveteratâ laborans, ex medici præscripto, victu refrigerante & aquæ potu longo tempore usus fuerat, sine ullo levamine, tandem ab alio rustico persuasus fuit, ut victum illum refrigerantem desereret, & meri potui indulgeret. Post assumptum primùm meri cyathum, se oculis meliùs habere sensit, & intra paucos dies eodem potu continuato ab Ophthalmia prorsus liberatus est. Idem aliis duobus contigisse mihi relatum est; quod confirmat aphor. Hippoc. dolores oculornm interdum meri potione curari: quando scilicet ophthalmia fit à sanguine crasso & pituitoso oculorum tunicis impacto, qui meri usu liquatur, attenuatur & resolvitur. *Lazarus Riverius. observ.* 25. *cent.* 3.

Quidam labotabat à longo tempore inflammatione, quæ tum adnatam, tum utramque palpebram occupabat; affectus non erat continuus, sed recurrens, post varia usurpata frustra remedia, tandem præscripsi duo cauteria inter duas scapnlas gestanda, nec non cucurbitulam utramque amplectentem applicandam, urgente nimirum fluxione, quod cùm præstitisset, sani omnino illius oculi evasere, non parum ad curationem contulit unguentem sequens, quo in initio usus fuit, purgato priùs corpore, sectaque vena.

℞. Virid. æris gr. xii. camphor. & lapid. calamin. an. ʒß. tutiæ præp. ℥ß. butyr. rec. aq. rof. lot. ℥ii. M. F. unguentum. *Jo. Marsius. obs.* 7.

Oculorum inflammationem & exinde exortos dolores nullo alio remediorum genere sedare nuper potuit collega nuper noster inter primos æstimandus, quàm nivis globulo, quem in horto obambulans applicuit, irruentem enim ad corneam cruorem frigore suo nix repellit, & eodem dorolem mitigat. *Thomas Bartholinus. cap.* 23. *De Nivis usu.*

Puella quædam post Variolas ophthalmiâ ex utroque oculo adeo laborabat, ut de visu periclitaretur. Multa ipsi, sed frustra, præscripta fuerunt remedia. Ego tandem cum Clarissimo D. Manlio Medicæ facultatis in Academia Coloniensi Professore primario, ad consilium vocati, setaceum ipsi consuluimus, & applicavimus, cujus beneficio, & Divino favore, brevi curata fuit. *Guil. Fabritius Hildanus. obs.* 41. *exempl.* 2. *cent.* 1.

Legantur etiam duo insequentia exempla; ubi in oculorum Affectibus ulterius ostendetur setacei præstantia & summa utilitas.

Aqua aluminis destillata in alembico supra cineres, & oculo cum linteis eâ madidis admota, inflammationem efficaciter temperat. Crollius & reliqui chymici miris laudibus efferunt sal saturni in aqua rof. dissolutum, cui etiam salis ammoniaci grana aliquot addunt, hujus formula talis esse poterit.

℞. Salis saturni gr. xij. Sal. ammoniac. gr. iij. aq. rof. ℥iij. M. instillentur in oculum mane & serò, in vulgari usu habetur aqua ex vitriolo albo, in hunc modum.

℞. Vitriol. alb. ℈j. aq. rof. vel plantag. ℥iv. vitriolum pulveratum in aqua ad ignem dissolvatur, coletur aqua per linteum, & in oculos instilletur, si acrimonia sua nimium eos vellicet, additione aq. rof. vel plantag. ad libitum temperabitur, sequens minoris acrimoniæ particeps, est, & magis resolvit.

℞. Rad. ireos fl. & rof. rubr an. ℈j. aq. rof. & plantag. an. ℥iii. bulliant lento igne ad tertias, colaturæ adde vitrioli albi pulv. gr. 8. F. collyrium.

Præstan-

Præstantissimum etiam & paucis notum ad discutiendas ophthalmias remedium paratur ex oleo, seu liquore, qui ex linteis accensis, & inter duas patinas suffocatis elicitur; cujus liquoris gutta una cum saliva pueri permiscetur, & pennæ apice oculis admovetur.

Aqua fœnic. sola cum vino astringente permistâ utiliter admovetur pro fotu ad ruboris & inflammationis reliquias discutiendas & oculum roborandum, ovum etiam ad duritiem coctum, detracta testa, & per medium sectum, calidè oculo admotum ruboris reliquias absumit, fotus ex decocto hyssopi soli ruboris reliquias etiam efficaciter discutit. Ad ophthalmias inveteratas aqua sequens magnæ est efficaciæ.

℞. Aloës opt. & tutiæ præp. an. ℥vi. sacch. albiss. ℥i. aq. rof. & vini albi non acidi. an. ℥vi. infund. in ampulla vitrea benè clausa ad solem per quadraginta dies, hujus aquæ non colatæ instillentur guttę aliquot in oculum.

Vesicatoria quoque in hoc affectu utilissima sunt, tum posteriori parti cervicis, tum ponè aures admota, sed ante omnia statim ab initio vena secanda est, præmisso clystere, eaque è directo partis affectę aperienda, sæpeque iteranda phlebotomia, donec sufficiens evacuatio & revulsio facta fuerit: docetque Avicenna in vera ophthalmia sanguinem mittendum esse usque ad leipopotymiam Gal. vero lib. De curat. per sang. missionem, refert historiam cujusdam œconomi, qui à gravissima ophthalmia liberatus est sanguine detracto, primùm ad ℔iii, deinde verò post quatuor horas ad ℔i. moderanda tamen est ista sanguinis missio, juxta temperamenti, ætatis, sexus, virium, & speciei ophthalmiæ, rationem. *Lazarus Riverius. prax. medic. lib. 2. cap. 8.*

Vetula quædam in Italia oculos habens lippientes, lachrymantes & saniosos cum intenso dolore & prurigine, cùm nullis remediis posset curari, tandem raso capiti emplastrum vesicatorium impositum est, quo præsidio perfectè curata fuit; ut ex arcanis Gisberti Horstii præceptoris mei Romæ exaravi, si per venas extra calvariam descendat fluxio in oculos, post universalia remedia, liacauterium aliqui in temporibus vel post aures applicant, remedia restringentia & emplastra adstringentia supra tempora & frontem apponunt, prius tamen corpore & capite repurgatis. *Petrus Forestus. schol. observ. 12. lib. 11.*

Ex diuturna defluxione ad dentes, Ophthalmia & visus alterius oculi abolitio.

Honesta quædam ac pia matrona Coloniensis, diuturnâ defluxione ad posteriorem dentem molarem sinistræ maxillæ, cum ejusdem erosione, & carie, vexabatur. Medicorum consilio pilulis aureis, Lucis, & Cochiis frequenter purgata fuit, cucurbitularum quin etiam applicatione in scapulis, aliquoties usa. Sed cùm dentis extractionem recusaret, cumque caries, tum dolor continuus defluxionem magis magisque ad gingivas irritaret, & attraheret; tandem ejusdem lateris ophthalmia exorta est. Hinc cataracta & cęcitas insequutæ: forsan, quia ratione inflammationis spiritus partim dissipati, partim usu medicamentorum refrigerantium, unà cum humoribus condensati fuerunt. *Gulielm. Fabricius Hildan. Observ. Cent. 1.*

Qua ratione, arena, festucæ, segmenta aliaque similia ex oculis extrahenda.

Adnatam membranam à Pericranio, corneam verò à dura matre, membranis exquisitissimo sensu prę̈ditis, procreari, omnes norunt Anatomici. Hinc fit, ut oculi adeo exquisitè sentiant, & ab arenis festucisque facilè læduntur. Vidi nonnullos; qui ex hujusmodi causa levissima visum amiserunt: Dolor enim, qui ex inflato oculis pulvere excitatur, statim humores ex capite ad oculos attrahit, inde symptomata non levia excitantur. Promptè igitur, & summo studio, quicquid eis inhæret, extrahendum.

Suadent nonnulli, ut violentia narium emunctio, aut etiam sternutatio excitetur: putant enim hujus beneficio naturam simul, quicquid extraneum oculis inhęret, expellere. Id verò vix absque periculo fieri posse, colligitur ex primæ Centurię Observ. 24. Violentus enim ille motus & concussio cerebri. quę fit sternutando, materiam excrementitiam, tam ad oculos, quàm nares protrudit, & excutit. Sine periculo autem & parvo negotio, arenam, & pulverem ex oculis (uti ego non rarò expertus sum) expurgant oculi cancrorum fluviatilium, sive lapilli, qui in capitibus cancrorum inveniuntur. Sinistra itaque manu elevanda est palpebrâ, dextra verò circumspectè & blandè unus ex lapillis imponendus est, mox oculus claudendus, & quocunque modo fieri poterit, excitandus est somnus. Si verò ęger in peregrinatione fuerit, oculum strophiolo obvelando colliget, sic enim lapillus non excidet oculo, nisi prius ipso expurgato. Idque absque dolore & incommodo fieri, affirmare ausus sum.

Alii granum unum seminis Ormini sativi oculis non sine fructu imponunt. Quandoquidem semen hoc oculis & visui maximè prodesse, oculosque à segmentis & pulvere expurgare, experientia comprobatum est.

Si verò segmentum ligneum aut simile quid membranis infixum est, ut mihi aliquoties videre contigit, tum aliter est procedendum. Imprimis igitur diligenter prospiciendum, ubinam inhæreat, deinde jubeat Chirurgus, ut caput ægroti firmiter teneatur. Ponamus igitur casum, quòd segmentum in inferiori parte Iridis inhæreat, tunc Chirurgus sequens instrumentum, auriscalpri instar factum, supra segmentum satis firmiter, secundùm longitudinem adnatæ membranæ apponat, ita tamen, ut acies concavæ partis instrumenti membranam versus inspiciat.

Deinde jubeat; ut æger sursum respiciat, sic oculum fricando; segmentum sub instrumento extrahitur. Quòd si id prima vel secunda vice non successerit, non tamen ab opere desistendum est, imò tandiu reiterandum, donec extractum sit. Sin profundiùs membranis infixum fuerit, volsellis blandè extrahendum, postea residentia albuminis ovi diu agitati, cum aqua rosac. & plantag. paululùmque aluminis crudi, oculo instillanda, pulvillus quoque eadem aqua madefactus, applicandus, & cum fascia firmiter colligandus est oculus, tum ut medicamenta contineantur, tum etiam ut oculus minùs moveatur. Dum enim oculus apertus est, semper movetur, at motus maximè contrarius est laborantibus partibus, imprimis oculis. *Idem ibidem.*

De Ophthalmia à fungo inducta.

Anno 1680. die primo Augusti puer duodecim annorum, corpore sanus, inter ludendum, fumum ex orbiculari vel crepitu lupi (qui belgico idiomate dicitur *een boevyst*) ab alio puero emissum oculis suis excepit, unde spatio duarum horarum vix elapso palpebrę adeò intumescebant, ut oculos aperire nequirent; oculi toti rubebant non aliter, ac si panno rubicundo fuissent cooperti, & talis quoque apparebat interior palpebrarum superficies, ac dolor intensus aderat. Patiens per biduum remedia neglexit, ac interea prædicta symptomata increscebant, & præterea continuus erat lachrymarum acrium effluxus.

Res miranda sane, quam nusquam me legisse memini;

ni; sed quo pacto fumus ille horrenda adeo phænomena potuit excitare? Orbicularis scilicet exiguo tantùm foramine perforatus à manu pueri undique comprimebatur extrinsecus, atque ita particulas volatiliores & minus cohærentes intus foras urgebat, quę omnes simul exire non valentes aliæ alias propellebant, atque ita multò celeriùs agebantur; non aliter ac videmus aquam ex syringe celerrime prosilire, quando pistillum non nisi leviter ac tarde tantùm adigitur, aut sicut cernimus, latera follis molliter tantùm comprimi, dum aër interea ex tubo illius non sine impetu propellitur.

Sed si forsan aliquis hic interroget, qualesnam sint illæ particulæ, illi respondeo, ipsas esse acido-corrosivas ac utrinque acriter scindentes, nam tales particulas acidas orbiculari inesse, colligere licet ex illius usu in sistendo sanguine, quandoquidem, cùm frustum orbicularis imponitur vasi sanguifero vulnerato, sanguis sistitur partim ob particulas ramosas ac sibi invicem implicitas vas apertum obturantes, partim ob particulas acidas orbicularis, quæ sanguinem coagulant, haud secus ac lac coagulatur ab acido infuso.

Hæ igitur particulæ acidæ magna vi ex orbiculari expressæ profundè penetrarunt in poros oculorum & superficiei interioris palpebrarum, & sic lateribus suis scindentibus vehementiori motu agitabant fibrillas nervorum ibidem dispersorum, unde doloris sentiendi occasio menti dabatur, cui dolori etiam suum contribuebat distensio, quæ oriebatur ex eo, quòd vapores soliti per poros à particulis orbicularis obstructos exire non possent, ac proindè intra tubulos membranarum colligebantur sub forma humoris, qui brevi temporis spatio acescebat à particulis acidis orbicularis tanquam à fermento, sicut videmus fermentum acidum in parva quantitate sumptum totam massam farinaceam in suam naturam vertere.

Hæ igitur particulæ acidæ utræque laterum suorum acie validiùs impellentes fibrillas nervorum, ciebant in illas partes copiosiorem solito spirituum animalium influxum, unde fiebant ibidem leves quædam contractiones, quæ tamen sufficiebant, ut impedirent aliquatenus circulationem sanguinis & humorum per tubulos illarum partium circulantium, nam adjuvabantur in hoc negotio à vaporibus intra tubulos illarum partium in aquam conversis.

Sanguis in vasis capillaribus contentus & humores in tubulis, dum ita stagnabant, etiam acescebant modo prædicto & coagulabantur, unde adhuc magis inepti reddebantur ad circulandum, atque hinc jam satis manifestum evadit, unde ortum traxerit rubor oculorum & palpebrarum, harumque intumescentia.

Sed unde continuus ille lachrymarum acrium effluxus? res ex prædictis facilè deducitur; scilicet particulæ quædam acidæ orbicularis intrarunt poros glandularum & vasorum lachrymalium, ibidemque leves quasdam convulsiones irritatione sua excitando, lachrymas continuò expellebant; sed unde solito acriores sentiebantur; nullus ferè mortalium est, qui ipso gustu indice, nesciat lachrymas esse salsas, quapropter illæ in transitu effervescentiam quandam subitaneam inibant cum particulis acidis ibi hærentibus.

His attento animo paulisper pensitatis mirari desino, quod fumus ille tantorum malorum causa extiterit; simulque jam non difficilis videtur medela.

Scio namque, quod lac fervens, ab acido coagulatum, iterum solvatur intra horę spatium, si digeratur cum sale aliquo idoneo; scio, etiam quod acetum dulcescat ab injectis oculis cancri, ut & à lithargyrio infuso; novi etiam effervescentiam, quæ concitatur ex concursu olei tartari salsi cum oleo acido vitrioli.

Atque ex his concludo, sanguinem ab acido coagulatum iterum fluidum reddi & acidum temperari posse ab oculis cancrorum, lithargyrio & multis aliis medicamentis multùm salis continentibus, qualem exhibet vitriolum album, gummi ammoniacum, sagapenum, galbanum &c.

Ego igitur tertio læsionis die ad puerum vocatus instillavi calide in oculos guttas aliquot alicujus collyrii, quod ex vitriolo albo, aliisque cum aquis convenientibus mixtis componitur, & supet oculum applicui emplastrum ex gummi ammoniaco, galbano, sagapeno, lithargyrio &c. conflatum & super linteum extensum. Hæc ego quotidie bis iteravi, puerum in loco tenebroso retineri jussi, atque ita æger intra duas septimanas pristinam sanitatem in totum recuperavit. *Joh. Muys, in Prax. Chirurg. rationali.*

Oculi procidentia.

Malè vocant nonnulli quamlibet oculi procidentiam, sive προπτωσιν, sive σαφυλωμα Pauli Æginetæ *lib.* 3. *cap.* 22. & *lib.* 6. *cap.* 19. Loquitur quippe illic de illa procidentiæ specie, quam produxit, vel rupta, vel elevata oculi tunica: cujus etiam meminit Cornelius Celsus *lib.* 7. *cap.* 7. In ipsô, *inquit*, oculô, attollitur nonnunquam summa tunica: sive ruptis intus aliquibus membranis, sive laxatis, & similis figura fit acino: unde id σαφυλωμα Græci vocant.

At longè aliud procidentiæ genus contigit nobis subinde videre post Victorem Trincavellium, ac Fabricium Hildanum: qui idem quoque memorię consecrârunt. Protuberantiam videlicet non membranę uveæ elevatę, vel instar acini, vel capitis muscę: Sed tumorem totius oculi; effundentem se tam latè ex sede suâ ut deturpet faciem universam.

Quem deformem, excedentis oculi, prolapsum siquidem lubet reducere ad nomen aliquod antiquitati usitatum: videbis eum Paulo Æginetæ ἐκπιεσμὸν vocari *lib.* 3. *cap.* 22. Exprimuntur, *inquit*, oculi, & exerti permanent: causa est, vel strangulatus, vel dolores, qui frequenter accidunt, ex partu: quos solvunt uteri purgationes.

Sed Aëtio, ac Cornelio Celso, vocatur idem vitium πρόπτωσις; tumor videlicet, ob magnum inflammationis metum, oculos è sede suâ propellens. Celsus *lib* 7. *cap.* 7. Verùm addit Aëtius, procidere usque eò oculis, ut à palpebris contegi haut possit: imò vergere interdum ad malas, & ipsa supercilia. *lib* 7. *cap.* 24.

Ex suppressis menstruis, inciderat filia cujusdam vitrarii in immodicum narium profluvium: quô intempestivè ab iracundiâ suppressô; convertebatur protinus omnis impediti sanguinis impetus in oculum dextrum; qui inde usque adeò intumuit, ut sede suâ propulsus, deformaverit mirum in modum totam faciem. Cujus vitium uti auferret, nil non nobiscum molitus fuit, Vir jure magni nominis, Vopiscus Plempius; sed successu minùs prosperô.

Induerat quippe jam tum naturam carcinomatis, cum cute lividâ, tubere inæquali, & pure tam acri: ut viciata forent inde narium ossa; & vires præterea adeò fractę, ut nihil profuerint etiam saluberrima consilia: nisi fortè lubuisset oculum excidere: quod tamen crudele auxilium, licet succedat nonnunquam feliciter: equidem haud facilè suaserim, nisi constent vires.

At enim, sublatâ è vivis ægrâ, vidimus evidenter procidentiam hanc originem traxisse, ex tumore ponè oculum delitescente: quô adapertô, occurrebant passim venæ laceræ; membranę distentæ; ossa carie infecta; & tantùm sanguinis cùm extra, tum intra cerebrum, effusum; ut nulli mirum videretur periisse virginem, tot hostibus circumventam.

Inconsideratè itaque agit, quisquis satagit coërcere quale-

qualecunque sanguinis profluvium: distinguenda sunt cautè loca; & vitanda obnixè quæ hîc signantur brevia; Satius enim naturam liberare, quàm onerare: & præstat interdum sanguinem aliquamdiu fluere, quàm indiscriminatim inhibere.

Quòd si verò procidentia hæc originem traxerit ex lue venereâ, (uti interdum fit) ex re ægrorum fuerit, aquâ mercuriali, aliôve aliquô mercurii litu, partem attingere; cujus deforme vitium felicissimè hoc remedio superatum iri videbis. *Nicol. Tulpius Observat. Medicar. lib.* 1.

De Oculi humoribus restituendis.

Artificium expressos humores omnes oculorum restituendi apud Illustriss. Burrhum Hafniæ vidimus, cujus ea de re ad me scriptas litteras typis publicis commisi ita jubente Augustissimo Rege Divo Friderico III. Quamprimùm in lucem essent missæ Epistolæ Burrhianæ, censorio Discursu eas percurrit Clariss. Medicus Jo. Dan. Major Kiloniensis Professor editoque libello indicavit dubia illi ex lectione Epistolarum orta. Missum mihi ab amicissimo Autore exemplar Burrho statim obtuli, qui in editione secunda Epistolarum, quam in se susceperat, dubiis majoris momenti respondi, mihique tradere constituit, sed cùm post Excessum Regis incomparabilis, abitum hinc maturaret, cui eas consignarit ignoro. Mihi enim leviculam ob causam offensus non valedixit nisi per alios amicos. Quippe cùm ex Cl. Kerchringi Observatione Centesima superrime tum ex Belgio ad nos delata, recenserem ipsi in amico colloquio difficultates ibidem motas, non animo contradicendi, sed ut ad responsionem invitarem, ille, seriò me contra illum rem agere suspicatus, mirari se dicebat, quod adhuc Thomas essem, seu incredulus. Non diffiteor dubium me semper hæsisse in experimenti veritate & oculatas manus desiderasse. Ut scrupulum mihi eximeret, tentavit quidem in ansere experimentum, sed neque tum mihi satisfacere potuit. Invitaverat me & Dn. Borrichium ad prandium cum Chirurgo Nicolao Boje, ut præsentibus nobis operatio fieret. Ex vulnere satis largo per Chirurgum inflicto expressis humoribus omnibus, infudit succum chelidonii à se præparatum per vices sæpius effluentem. An quicquam in oculi bulbo remanserit, ignoro, obligatum vulnus oculi fuit & in scamno clauso anser reservatus vinculo injecto nostrisque sigillis munito ne de fraude ulla superesset suspicio. Reversi postea vidimus oculi bulbum integrum & quasi renatum cicatrice adhuc conspicua. Sed an integer oculi esset visus, discernere nequivimus. Nonnihil tamen admotam manum fugiebat. Experimenti successu lætus Burrhus cum in Arce Regia conveniremus, serenissimo Regi narravit, me præsente factum experimentum, audereque se etiam oculos prorsus erutos restituere. Ad quæ subridens Magnus Rex, an etiam malas mulieres eruere & restituere posset interrogat. Cui ille; si id possem, certè Serenissime Rex nollem. Tantum ego de artificio hoc Burrhiano testari possum, cujus hîc loci nullam fecissem mentionem ad priores annos spectantis, nisi occasionem dedisset Chirurgus Regius Doctus pariter & curiosus Henricus Jacobi Scriverius, qui à me rogatus, ut si ad manus esset observatio aliqua elegans eam non invideret Actis nostris Medicis sub prælo ferventibus; hanc mihi exhibuit, propriis ipsius verbis hîc consignandam. *Thomas Bartholinus.*

De sponte renatis in Ansere Oculorum humoribus observatio.

Quoniam de restitutione humorum oculi, toto literato orbe increbuit fama, adeò ut non tantùm Perillustris D. Burrhy peculiari Epistola artificium hoc promulgarit, sed & Romæ illud ipsum, cùm per Chelidonii, tum simplicem fontanam tentatum sit, ut pluribus Miscellan. Curiosor. Germanic. anno Primo observ. 117. videre est, libet paucis delibare, quid mea hac in re præstiterit observatio. Cùm coram Potentissimo gloriosissimæ memoriæ Rege nostro Friderico III. Domino meo Clementissimo, famigeratissimus Dn. Fr. Joseph. Burrhy, humorum oculi restitutionem moliretur, ipse ego jussu Regio Chirurgiam administraturus præsto fui, apertâ igitur lanceolæ ope corneâ, humores expressi, tunicasque, quantum quidem licuit, comprimendo corrugavi, Dn. Burrhy verò aquam aliquam, quam pro Chelidonii stillatitia, sed singulari artificio concinnata venditabat, orbo humoribus oculo instillabat, spem faciens ea ipsa in integrum restitutum iri oculum; quod quidem præsagium successu destitutum non est, ut pluribus ejus hac de re in publicum emissæ literæ testantur: An verò aquæ isti artificiosę, non verò soli naturę accepta ferenda sit hæc visus & humorum restitutio, dubium evadet ex hac mea sequenti observatione. Fortè eodem tempore, quo hęc à memorato Dn. Burrhy tanquam singularia artis mysteria venditabantur, periculum domi meæ in alio ansere feci, quem pari modo & corneam pertundendo & humores exprimendo excęcabam, restitutionem soli naturæ relinquens, quæ ita solerter opus suum executa est, ut intra paucas hebdomadas visus cum humoribus restitutus fuerit, relicto tantùm plagæ in cornea levi vestigio. Visus autem actionem ex parte (si non omnimodo) redditam fuisse, exinde conjectare pronum erat, quod læsus ille oculus saniori alteri & simillimus pręter solam cicatricem esset, & occluso altero (prout experimentum aliquoties feci) ęque ad plagæ minitationem cederet, & conniveret, nec in varia hinc inde consultò disposita offendicula impulsus anser impingeret, quin potius scitè eadem declinaret. Hanc igitur restitutionem naturę industriâ in anseribus, etiam citra ullius humoris vel artis accessionem obtineri; ea quæ dicta sunt, liquidò evincunt. Nec dubium mihi est idem in aliis omnibus contingere volatilibus, adeoque à Cl. Dn. D. ab Heer æque elenchum causę committi, dum in Ulmi foliis collecto succo humores oculorum restituendi facultatem, adducta in proscenium de gallinaceo comprobata experimenti fide, tribuit. Hoc autem ipsum vestra, Vir Illustris authoritate, quod in ansere ante quadriennium, his diebus in gallo & gallina expertus sum. Gallinaceum, quidem utroque oculo profunda satis plaga privavi, ita ut prioribus tribus hebdomadibus ne minima quidem lucis utilitate frueretur, adeoque ne fame periret, cibum in pastillos compactum ipsi in os ingerere tenebamur, sensim tamen subsequentibus hebdomadibus ad lucis radios connivere cepit & proprio ductu pastum quærere, donec fortè quidam è Regiæ custodiæ cohorte protervior, me absente, miserum illum capite multabat. Gallinam autem altero tantùm, sed studiosissimè expresso toto crystallino orbam ad hodiernum usque diem curavi, quæ occluso quidem sano non æque feliciter, utpote minus assueta colligebat grana, colligebat tamen; Sed ut certior redderer, num ipse crystallinus regenerati posset, hanc ipsam hodie capite truncavi & læsum oculum dissecui illumque pari fere felicitate ac reliquos renatum fuisse observo, licet nondum ad debitam pervenerit magnitudinem, sano enim minor aliquantò erat. Effluxêrunt ab expressione humorum 8. hebdomades, quod si adhuc per aliquot asservata fuisset, dubium non est cum ipsum plane restituendum fuisse. Acta autem omnia hæc sunt dum mihi adstitit Henricus Creutzfeld Medicinæ Candidatus solertissimus fidus dictorum testis. In homine v. vel difficiliorem esse, vel omnino fortè impossibilem omnium humorum præcipue crystallini repositionem (nam de solo aqueo res paradoxa non

non eſt, ut pote non tantùm aliorum relatione, ſed & mea ipſius experientia ſæpius roborata) quod ſequitur edocebit. Regius quidam puer purpuratus è nobili ſtemmate *von Kahlen* dictorum oriundus, ad alterutrum oculum ita lædebatur, ut omnes humores, qua data via, elaberentur. Advocabatur Regio juſſu Dn. Burrhus, ut ea, quam præ ſe ferrebat, arte, & humores & viſum huic ægro reſtitueret, qui difficultatem perſpiciens, ſubterfugium in dierum aliquot mora venabatur, quarum prætextu ſpecioſum ſuę artis commentum tueretur. Sed & moram gratis in ſubſidium vocari, nuper in mercatore quodam Hafnienſi Nicolao Jahu dicto qui perinde ad omnium omnino humorum effluxum læſus erat, didici. Vocatus enim ad eum Vir celeberrimus & in omni meliore literatura Excellentiſſimus Dn. Henricus à Moinichen, Regiæ Perſonæ Medicus uti digniſſimus ita meritiſſimus, poſtquam me ſibi ſocium elegiſſet, nihil eorum quæ cùm ad ſanitatis reſtitutionem tum ad artis incrementum facere videbantur, prętermiſit, ſed tantùm abfuit, ut vel aquâ chelidonei vel aliis in ſubſidium ritè vocatis, reſtitui potuerit, ut etiam hodie factitium ex auro geſtet oculum. Hac in re etiam apprime nobiſcum conſentit Ammianus in Medicina ſua Critica Diſcurſu 52. ubi examen hujus artificii inſtituit, qui loco citato pluribus videatur.

Quod de homine dubitat Scriverius noſter, alio exemplo confirmabo. Colono cuidam Severino jam in prædio meo Hageſted oculum calce equa ita colliſerat, ut retracto intra orbitam bulbo flaccido humoribuſque vacuo, viſus eſſet deperditus. Rogatus glebæ meę aſtrictum hominem ad Illuſtrem Burrhum, cujus tum fama inter nôſtros increbuerat, deduco ut precibus uxoris ſatisfieret. Rectè verò ille nihil auxilii ſupereſſe dicebat, ſiquidem nervi optici vitium appareret. Non ſemel enim ante monuerat. Naturę Procus, jam, quod dolemus, fortunę ludibrio expoſitus, nervo optico illæſo reparari poſſe cryſtallinum, & forſan allabente humore nervino refici. *Thomas Bartholinus.*

Ad Obſervationem de Reſtitutione humoris Aquei.

Experimentum cum Anſere pariter fecit Exc. Dn. D. Joh. Dan. Major Prof. Anat. & Botan. Kiloniens. meritiſſimus, Collega Curioſus laborioſiſſimus, in Collegii Medici Curioſi privati ſpecimine VI. §. 26. Anno 1670. qui Anſeri utrumque oculum acu transfodit circa limbum tunicę corneæ, ut humor aqueus ex flacceſcente oculo efflueret, cœcitatem ipſi inde contigiſſe, probavit, quod manibus hinc inde ante oculos ipſius ultrò citròque jactatis, immotus tamen permanſit; repoſitus anſer ad experiendum, an natura per ſe aliquot dierum ſpatio compenſatura ſit detractum aquę laticem, an impoſterum viſus reſtituendi gratiâ medicato liquore, aquâ Chelidonię &c. ſit utendum? Eventum dein explicat *Idem Dn. D. Major in ſpecimin. VII. §. 30.* Anſer, inquit, ante octiduum obcœcatus, in medium productus optimè iterùm vidit, quod 28. vel 30. Auditoribus monſtravi, idque natura ſola in oculo anſeris fecit, nullis medicamentis per vulnus infuſis, adjuta ſolo 36. horarum aut bidui ſpatio, in locum detracti humoris aquei novum alium undecunque attulit per vaſcula minima nervea & arterioſa ad oculi concavum tendentia, & oculi flaccidiuſculi ex amiſſo humore iterùm turgere viſi ſunt, parvam tantùm maculam, inflicti vulneris veſtigium in cornea reſervantes. *P. J. Sachs à Levvenheimb.*

Oculi humores excuſſi redeunt, non ex adventitio per ſiphones infuſo, ſed ex depluente à cerebri vaſis liquore.

Virguncula annorum ſeptem, rationarii ſcribæ Regii filiola ferreum infelix uncum improviſo ictu, medio oculi impegit, ita profundo, amploque vulnere, ut proximo triduo non ſolùm, quicquid erat humoris aquei, effunderetur, ſed & quicquid vitrei, id quod craſſamentum cocto leviter ovi albumini ſimillimum continuè effluens clarè oſtendebat. Acceſſitus ego, ad avertendam, quæ violentiſſima ſucceſſerat, inflammationem, & derivandum aliò ruentis humoris noxii procurſum veſicatoriis inſto, quibus parum conferentibus, ventum denique eſt, prę-miſſis univerſalibus, ad ſetaceum: oculo autem collyrium ex aqua fœniculi, cyanique jubeo per intervalla infundi; quibus effectum, ut in paucis diebus multùm adhuc humoris vitrei turbati eliceretur. Poſtquam nihi craſſioris illius ſubſtantiæ per infauſtum ictum confuſæ prodire amplius obſervatum, infuſo bractearum orichalci ex vino Hiſpanico (tantoperè laudato Angelo Salæ collyrio) hiantis oculi foramen ſenſim ad cicatricem perduco, ratus fore, ut ex cerebri vaſis, ſive arteriolis tunicarum ejus paulatim tantum in vacuum pęne locum deſtillaret humoris, quantum implendo oculi bulbo ſufficeret, illum autem ipſum liquorem omni alio peregrino convenientiorem eſſe, (deſtillare enim aliquid videbar mihi colligere, tum ex eo, quòd oculi in perpetuo motu & calore verſentur, adeoque non poſſint non quotidie aliquid exhalando amittere; in cujus locum aliquid continuò ſuccedere neceſſe eſt, ne bulbus oculi flacceſcat, tum quòd ęgrotantium oculos in morbis præſertim ardentibus flaccidiores videamus, humore, qui ex cerebri vaſis aliàs ſubminiſtrari ſolet, aliò translato, convaleſcentium autem & ſanorum, vividos & humoribus ſuis refertos. Ut taceam, ſolo preſſu moderato ex quibuſdam bulbi oculorum bubulorum poris humorem proſilire, quod Clar. Stenonio obſervatum.) Nec fefellit eventus: quamquam enim impetuoſus ictus omnia confuderit, & ligamentorum ciliarium appendices vel diſtorſerit, vel diſruperit, hoc eſt; certam viſui objecerit deſperationem, impletus tamen bulbus eſt, & viſus non planè abolitus, ut qui ad certas lunæ phaſes jam tum recurrit, & forſan ſuccedente ętate magis inclareſcet. Licuit diu ſingulis hebdomadibus novas in oculo mutationes recognoſcere: jam omnia albeſcebant, jam in flavum, jam coeruleum, jam turbatum vergebant colorem; ſæpe tota pupilla filamentis candentibus obſita erat, nec adhuc certa mutationum meta eſt. Id quod ex membranarum, & ligamentorum, quibus in officio ſuſtinentur oculi humores, læſione contingere cenſendum. Utcunque enim humores rectè ſe ſe iterum habere credibile ſit, fluctuant tamen, & turbas dant, niſi limitibus ſuis coërceantur, neque vel aquę chelidonii majoris, vel alii cuicunque liquori ſtillatitio, à natura conceſſum, ut rupta omnia reſarciat. Quis rerum naturę gnarus ab aqua deſtillando per alembicum evocata ſperabit membranas & ligamenta? Imò, nè quid diſſimulem, ex quo didici aquam illam Burrhianam ophthalmicam deſtillando parari (neque enim Amſtelredami, viſis experimentis ejus, & epigrammate honoratis, id ſcieram) ſtatim ita mecum: aqua illa acuit haud dubie viſum, & labra vulneris oculis ad cicatricem forſan diſponit, reſtituere tamen craſſos oculi humores ſolius naturę eſt, humorum ex cerebri vaſis renaſcentium: neque enim credibile eſt, gluten illud humoris cryſtallini, vitreique cum aqua chelidonii in alembicum aſcendere poſſe. Quod ſi vel ſuccum folliculorum ulmi; vel humores ex oculis caninis aliis elicitos & ſollicitè temperatos infudiſſet terebrato

brato moloſſi ocello, & anſerinos alios anſerino lumini, color illuſtrior acceſſiſſet operationi, quamquam & id ſuos pateretur manes. Utque poſſet lentor ille cryſtallini, vitreique humoris aſcendere, qui aſcendet ſal ille lixivius, qui in oculi humoribus deprehenditur? de quo ne ſine experimento diſſeram, ſepono quandoque humorem oculi bubuli aqueum ad ignem in vaſculo vitreo, evaporat, relicto in fundo ſpiſſamento quodam craſſiuſculo non aſcendente, quod amplius uſtum ut incandeſcat, deſinit in pulvſculum ſalſum, qui cum ſpiritu vitrioli acriter efferveſcens oſtendit ſe eſſe ex genere ſalium lixiviorum. Similia contingunt humori vitreo, quo tamen evaporante craſſamentum in fundo ſpiſſius, ſalſius & copioſius apparet. In cryſtallino autem mihi nihil obſervatum eſt ſalis lixivii, nullus vel cum acidis, vel lixiviis notatus fervor, relinquitur maſſa dura & firma, ad ignem intumeſcens, & nidore cornu uſtum referens, qualem per alembicum paulo ante prodiiſſe, aut prodire poſſe, id vero eſt, quod nondum aſſequor, utcunque non invitus largiar aquas per alembicum evocatas craſſamentum tandem, & poſt moram longiuſculam, in fundum propellere fixum & in omni igne conſtans, ſed inſulſum. Sed cur gemini illi oculorum humores ſubſalſi? ad arcendam, opinor, putredinem, à qua tutior cryſtallinus; tum ob duriorem ſubſtantiam, tum quod in ſubſalſis natet. Sed ut ad propoſitum revertar, video Ampliſſ. Tulpium obſervat. Med. l. 1. c. 30. neque aliud requirere in ſimilibus oculorum affectibus, quàm ut cicatrix inducatur, narrat enim ſe obſervaſſe, inducta vulneri oculi cicatrice, brevi iterum ſuccreſcere deperditam aquam; ante omnia illuſtris eſt Celſi locus lib. 6. cap. 6. ubi poſtquam docuiſſet læſam oculorum hirundinum aciem interpoſito tempore in antiquum ſtatum redire, ſubjungit, Unde etiam locus fabulæ eſt, aut per parentes, aut id herbâ chelidoniâ reſtitui, quod per ſe ſaneſcit. De experimento clariſſ. Kerckringii hîc nihil ut de re in publicum hactenus ignota, quanquam ſpes ſit fore, ut quem doctiſſimum ſcimus, eundem in demerendo ſibi etiam hac parte humano genere humaniſſimum experiamur. *Olai. Borrichii.*

Hirundinum Excæcatio & Reſtitutio.

Artificii, quo Oculorum humores reſtituuntur, veſtigia apud Veteres jam dum extare, ſuperiori anno oſtendimus, nimirum Tom. v. Ephemer. German. obſer. 126. Adduximus autem ibi illuſtrem, notatuque digniſſimum ex C. Plinio locum, cui merito quoque jure adjungendus nunc eſt inſignis Cornelii Celſi textus; quem de Hirundinum excæcatione & redintegratione habet *lib. 9. De Re Medica, cap. 6.* Verba autem ipſa apponere hîc non pigeat: Harum avium, inquit, acies extrinſecus læſa interpoſito tempore in antiquum ſtatum redit, celerrimeque hirundinis. Unde etiam locus fabulæ factus eſt, aut per parentes, aut id herbâ chelidoniâ reſtitui, quod per ſe ſaneſcit.

Poriſmata inde terna deduco: 1. Spontaneam viſus reſtitutionem C. Celſo. jam dum cognitam fuiſſe in avibus. 2. Fabuloſa eſſe, quæ intuitu Hirundinum excæcatarum de chelidonia herba, forſan etiam chelidonio lapide, vulgus blaterat. 3. Operoſum illum apparatum pro conficienda Chelidoniæ ſingulari aqua, quam Franciſcus Joſephus Burrhus Epiſt. iv. ad Thom. Bartholinum pag. 43. propoſuit, eſſe ſupervacaneum. Quæ enim per ſe ſaneſcunt, tantis haut opus habent myſteriis: Id quod citata etiam ſuperiùs Obſervatione jam monuimus. *Joh. Sigiſm. Elsholtii.*

De artificii, quo Oculorum humores reſtituuntur, veſtigiis apud veteres.

Inter ſeculi noſtri inventa refertur etiam enchireſis illa, qua oculorum humores ſectione facta expreſſi reſtituuntur. Eam hoc ævo, quantum ex epiſtolis Franc. Joſeph. Burrhi ad Thomam Bartholinum Hafniæ 1669. editis conſtat, primus exercuit Romæ Eques aliquis Neapolitanus, ob tumultus bellorum civilium exul, qui artem hanc Celſ. Principi Joanni Paulo Jordano Urſino ibidem monſtravit: & paulo poſt Florentiam profectus, Robertum Sothuel Equitem Anglicanum eandem docuit. Is porrò Robertus Sothuelcùm Burrhum Amſtelodami inveniret, ipſi arcanum oſtendit, atque ita circa annum 1666. apud Batavos artificium hoc inclareſcere cœpit, æmulatore mox etiam felici Theodoro Kerckringio; quemadmodum patet ex ipſius ſpicilegii Anatomici obſerv. 100.

Hæc fama cùm ad aures noſtras perveniret, tentavimus anno 1670. artificium hoc in pullis, anſeribus, vervecibus, canibuſque exercere, non irrito prorſus ſucceſſu: quamvis minore apparatu, neque tam artificiosè compoſitis liquoribus opus eſſe, quàm Burrhus prodidit, reipſa expertus ſum. Quin imo ſi nihil prorſus inſtilles, tardius quidem redit perdita oculi globoſitas, atque iridis pupillæque nitor: redit tamen tandem, natura humores ſurrogante. Quod ſi verò facta inciſione & expreſſione liquorem per ſiphunculum mox immittas, mox etiam oculus & globoſitatem ſuam recuperat; & ſive iridem ſive pupillam ſpectes, alteri ſocio atque integro oculo ſimilis evadit: remanente ſolo vulnere in cornea, id quod ſequentibus diebus tam in longitudine, quàm in latitudine paulatim etiam imminuitur. Unde patet, promptiùs omnia redintegrari, ſi liquor inſtilletur, quàm ſi omittatur: quamvis verò conſonum videatur, liquorem illum inſtillatum, à ſubrogatis ſive ſuccedentibus denuò humoribus naturalibus, iterum per vulnus corneæ totum extrudi. Profectò cùm inter alias aves anſeris horni dextrum oculum ſummo manè tunc incidiſſem, humoreſque adeò, ut bulbus in ſe penitus collaberetur, expreſſiſſem, anſeremque abſque inſtillatione dimiſiſſem: ſub veſperam ejuſdem diei, bulbum ſuam globoſitatem jam tum ferè recuperaſſe adverti. Sequenti die globoſitati quidem nihil ampliùs deerat, itemque pupilla alteri ſimilis conſpiciebatur: Sed iris adhuc erat obſcurior & minùs vivida: cui etiam tertio vix die nitor ſuus redibat. Quamobrem omnino, ut ſuperiùs dicebamus, præſtat operationem hanc adhibita inſtillatione perficere, quàm ipſam intermittere.

Dum verò iſthæc experimenta illo tempore facerem, dubium mihi arduum de humore vitreo oboriebatur, an ſcilicet is, ob ſitum adeò profundum, totus ulla ratione exprimi per vulnus corneæ poſſet. Quare ad indagandam rei veritatem pullo gallinaceo ſiniſtrum oculum diſcidi, & poſt effluxum aquei ſpontaneum, expreſſi cryſtallinum totum; & vitrei tantum, quantum fieri mulgendo poterat. Ulterius collum pullo abſcidi, & oculum diſſectum planè erui, quo explorarem, num adhuc aliquid humorum intus remanſiſſet. Inveni autem poſt expreſſionem ſatis violentam, reſtitiſſe nihilominus aliquid de vitreo: at tantillum, ut pars ejus tertia circiter videretur. Mox etiam dextrum oculorum in illo detruncati pulli capite diſcidi, & cum vehementia expreſſionem perfeci: deinde erutum oculum diſſecui per medium, & adeò vacuum reperi, ut tunicæ interius tantùm maderent. Hinc manifeſtum evadit, in vivente humorem aqueum ſponte effluere, cryſtallinum à perita manu totum, vitreum maxima ex parte poſſe auferri: & quanquam portiuncula quædam vitrei altius aut retrò latens reſtet, tamen oculi œconomia priorum duorum expreſſione ſatis turbatur: imò adeò ut de cœcitate irreparabili inducta olim nemo dubitaviſſet. Id verò adnotatione dignum hîc circa expreſſionem in mentem venit, quod, ubi

ubi vitreus humor inter exprimendum egredi incipit, appareant quidem in isto vestigia ligamenti ciliaris nigricantia: ipsum verò ligamentum ciliare, quoniam in circumferentia corneæ, firmiter oris duræ membranæ conjungitur, nunquam, nisi violentissima & cœcitatem perpetuam illatura expressio accedat, elabitur. Salvis itaque nervis & membranis humores natura universos in oculis reparat: illis verò læsis, etsi humores natura surrogaret, omnis tamen peribit visio. Cl. Galenus certè *lib. de oculo cap.* 1. atq; alibi passim, jam statuebat, humorem crystallinum à vitreo, & hunc à cerebro nutriri: nutritio autem fit per surrogationem nutrimenti: igitur hæc quoque surrogatio humorum ablatorum ab intra non erit ad mentem etiam Galeni adeò absurda. Ratio itidem inde patet, quare vulnera oculorum casu facta, adeò frequenter cæcitatem inducant: læduntur etenim per illa plerumque non humores solùm, sed simul etiam membranæ, aut etiam nervi. Hæc autem vulnera non casu, sed perita manu inflicta, solos educunt leniter humores.

Alia etiam sub primordiis addiscendi hujus artificii difficultas mihi nascebatur, de explorando nimirum redeuntis visus tempore, præsertim in illis gallinis, quibus unum dumtaxat oculum incidebam, altero servato, ut cibum miseræ capere possent. Itaque excogitabam pileolum sive vittam, ex panno xylino confectam, quæ capiti imposita, oculum integrum sive sanum prorsus contegeret, relicto foramine pro oculo inciso. Septimo aut octavo ab incisione die examen ordiebar, & accommodata capiti vitta atque alligata adverti, grana hordei à gallina cum quadam quasi præmeditatione & ad latus inclinato capite quidem colligi: rostrum tamen ad singula grana exactè dirigi, ipsamque nunquam hallucinari, argumento haud obscuro, aut ipsam perfectè oculo secto iterum cernere, aut certe à perfectione parum, & fortassis tantum, quantum à relicta adhuc cicatrice impediretur, abesse. Circatrix enim ut penitus evanescat, vix septem menses sufficiunt.

Atqui, ne nimis diu recensendis his experimentis nostris, aut argumento jam tum satis per orbemliteratum cognito inhærere videamur: placet stylum vertere, & ad antiquitatem respicere, inquirendo, num Artificii hujus vestigia apud veteres extent.

Galenus sanè, cujus auctoritatem de humorum in oculis nutritione paullo ante quoque citabamus, humorem aqueum puncto oculo effluere, & in pueris etiam regenerari, jam olim vidit; verùm hæ puncturæ Galeno visæ, casu saltem inflictæ sine dubio fuerunt, non arte, neque ultra aqueum progressæ. Verùm enim verò apud C. Plinium *lib.* 29. *Histor. natur. cap.* 6. extat insignis locus, & in quo operationis hujus non obscura facilè indicia agnoscas. Alii, inquit, cerram substernunt lacertæ viridi excœcatæ, & una in vitreo vase annulos includunt è ferro solido vel auro: cùm recepisse visum lacertam apparuerit per vitrum, emissa ea annulis contra lippitudinem utuntur. Et paulo post: Mustelæ etiam oculis punctu erutis, ajunt visum reverti, eademque quæ in lacertis & annulis faciunt. Tria autem hinc porismata deduci possunt: 1. Veteres lacertas virides & mustelas excœcasse, & quidem oculis punctu erutis. 2. Ab iisdem illa animalcula in vitris una cum annulis tamdiu fuisse reposita donec visum reciperent, atque ipso recepto fuisse dimissas. 3. Annulos istos tanquam virtute ophthalmica imbutos, postea contra lippitudinem fuisse gestatos.

Ad primum quod attinet, Plinius disertè lacertas excœcatas nominat, non cœcas per naturam aut morbum; imò de mustelis asserit, oculos ipsis punctu erutos fuisse, atque ita manualis necessariò intercessit operatio: non, quæ totos oculi globos evelleret, quippe visum hoc pacto nunquam recepissent: sed quæ punctura aut sectione scalpelli humores evocaret, atque hac ratione temporariam inferret cœcitatem. Ex altero membro constat, lacertas, mustelasque isthac ratione visu orbatas, absque ullo adhibito remedio, sola paulatim reparante humores natura, ipsum recuperasse: id quod in gallinis & anseribus pari prorsus modo nobis tentantibus evenisse, suprà retulimus. In tertio effectus annulorum istorum contra lippitudinem continetur, quem quidem suo relinquam auctori, atque illis, qui transfusioni virtutum ab una re in aliam multùm tribuunt: inter quos eminet Henr. Cornel. Agrippa, qui propterea hunc Plinii textum ferè integrum in Philosophiæ suæ occultæ *lib.* 1. *cap.* 16. transtulit. Cæterùm plura ex antiquitate loca jam non succurrunt, extare tamen non dubitamus; & quamvis plura haud extarent, ad ostendendam nihilominus analogiam ille Plini secundii tantisper sufficeret.

Referri huc meretur insigne experimentum restituendi humores oculorum cum succo vesicularum ulmi, quod refert. *Heerius Obser.* 4. *p.* 71. *Johan. Sigismundi Esholtii.*

De Cataractæ causis.

Si conjecturæ locus, ego de causa & foco suffusionis sequentia statuo; videlicet (de ætiologia hujus affectus secundùm Galeni Scholam nihil addo) succum nutritium lymphaticum, qui humori crystallineo in nutrimentum cedit, extra suum locum esse propulsum, & in modum abscessus vel alicujus excrescentiæ tanquam appendicem aliquam humori crystallineo adnatam esse, ita etiam hæc passio insidet humori crystallineo tanquam suo foco. Hanc meam conjecturam stabilit. 1. quod corpuscula omni colore careant. 2. quod etiam minimi pulvisculi in aëre volitantis intuitum licet ea corpuscula inter visum & pulvisculum medium locum teneant, non tollant. Si ab aliquo humore hic affectus esset natus qualiscunque etiam ille foret, 1. aliqua coloris tinctura gauderet, sunt verò humori crystallineo simillima, id est, omnis coloris expertia. Posset autem hic humoris crystallinei abscessus facilè addensari, si libero affluxu quorumlibet humorum gauderet; eos exhauriunt fontanella & pulvis nasalis Tuus, tumque emplastra temporibus applicata. Mirum nihilominus est, quod rerum à meo visu contemplatarum simulachra, etiam postquam ea visu meo sint subtractæ, in oculis circumferam, vestigiaque diutius inhæreant. e. g. discus Solis & alia phænomena lucidiora, cujus rei ætiologiam ego à fortiori rerum spectandarum apprehensione, quæ fit in retina, deduco. Quemadmodum nunc de suffusionis ætiologia aliter ac alii philosophor. eodem modo divortium facio in causis reddendis vel foco guttæ Serenæ assignando, quem communiter in obstructione nervorum opticorum collocant, verùm enim. verò, si nervi optici forent obstructi, non solùm visui cæcitatem, verùm etiam ob privationem alimenti, quod per hos nervos impellitur vel trahitur, tabem aut oculorum marasmum conciliarent, quare hi nervi sunt salvi, & alibi focus quærendus. Kiliæ 21. Mayi 1678. *Joh. Ludovic. Hanneman.*

Suffusio Tunicæ Adnatæ.

Patiuntur diversos affectus quælibet machinæ oculi partes, non solùm interiori concamerationi inservientes, verùm etiam externæ. Adnatam in ophthalmia inflammari sæpius experimur, ast eadem suffundi humore, paulò rarius est. Pastor quidam in

viciniâ primum in mala prope oculum dextrum tuberculum quoddam passus, me consulebat, quòd illo evanescente oculus ille ruberet, & tunicæ adnatæ cuticula tota circumcirca pupillam manifestè elevatâ sero turgeret fluxili, & hinc inde pro ipsius oculi motu mobili & tremulo, adeò ut pupilla & iris depressa subsidere in profundo viderentur. Aperire sanè non consultum duxi, sed dissipationem meditatus, exhibui sudoriferum liquidum cum essentia succini alcalina, exteriùs verò præter vesicatorium nuchæ applicatum, balsamum ophthalmicum ex pinguedine viperina, & collyrium ex croco metallorum cum aq. chelid. maj. &c. ex voto sanitatem & vigorem pristinum brevi restituit.

Cataractæ metus. D. Jo. Lud. Hanneman. Med. Buxtehud. 16. Jan. 1673.

Ante 10. menses ferè oculis meis simulachra telarum aranearum instar observata, visus verò Dei gratiâ adhuc, licet nullus dies sine quærela transigatur, dum hæc scribo, tam acutus est ut nec atomus fugiat eum, & splendidissimam lucem citra omnem ferunt laborem oculi, universum corpus sæpius evacuavi, ut & caput pilulis cephalicis mundavi, interdum quoque ad sudorem eliciendum me composui, fonticulum in sinistro brachio & jam per 9. menses habui, vesicatoria quoque, errorem in diæta angue & cane pejus vitavi, nihilominus adhuc dum hæc spectra ante oculos fluitare, & varias juxta oculorum nutum inducere formas, perseverant. Periculosam prognosin mecum instituo, & ne tandem aliquando, quod tamen cælestis avertat Archiater, suffusio succedat, paveo herclè; licet Clariss. Plempio à pueritia, Platero & ipsi ægro apud Carolum Pisonem talia citra notabilem noxam oculis fuerint observata; & ipse in hac praxi mea vidi virum, cui quasi rete ante oculos expensum per quod objecta videret, verùm jam citra ullam querelam acutè cernit, nihilominus tamen ego mihi vereor, quare à Te imploro auxilium, &c.

Th. Bartholini ad D. Hannemannum Responsio.

Dolendi causam subministras, sed telis aranearum, ut spero, fragiliorem. Times scilicet à suffusione, quod simulachra quædam instar telarum aranearum ante oculos observentur. Sed noli metuere. Securum Te à suffusione esse jubeo vel meo exemplo. Triginta & amplius anni effluxerunt, cùm primùm Patavii hæc spectra metum quoque mihi injicerent, ut consilii gratiâ ad senem Medicum Jo. Dom. Salam, in Praxi meum ibidem Ducem, accedens pro remediis solatium reportarem, plus hæc terrere quàm nocere. Ego certè ex illo tempore sprevi ista simulachra, quæ pro aëris humidi vel calidi conditione, vel augentur vel minuuntur, nullo visus impedimento, quem Tibi quoque integrum & acutum superesse lætor. Cæterùm sedulò ex illo tempore cavi à lucubrationibus, à quibus mihi tempero, ut post cœnam ad lucernam nunquam vel legam vel scribam. Præterea pulveri Tabaci magnam partem clarioris visus refero acceptam, derivanti per nares oculorum humiditates offuscantes visum. Quo remedii genere plures sublevavi. Vel sola Tabaci folia in pulvisculum comminuo, vel addo majoranam, euphrasiam, Agaricum Trochiscatum & sem. fœniculi. Alia medicamenta ad suffusionem præcavendam Tibi commendare nolo, ne noctuas Athenas. Ipse qua es experientia, plura & scis & rectè singulis uti novisti. Axungiam viperinam laudatam vidimus in Miscellaneis Curiosis Germanorum, quam etiam amicus quidam meus expertus nuper est, quem idem metus tecum terret. Simplex aqua Ophthalmica ex vino albo Rhenano, in quo infusa fuere fœniculum, bethonica, ruta, euphrasia, chelidonium majus, farfara, triticum, laudabatur mihi Patavii ex Bellocati traditione. Non dubito quin corpore quotannis ritè expurgato, servataque decenti victus ratione, & à lucubrationibus abstinentia, post hac simulachra ista mecum discas spernere, quod ex animo precor, ut diutissimè salvis oculis tuis perfruaris.

Cataractæ depositio.

Idem Lithotomus & Ocularius Laurentis Nicolai non semel magna dexteritate cataractas labente anno deposuit. Unius depositioni interfuit, me in prædio absente, filius Casparus Bartholinus cujus in hanc rem literas ad me scriptas non pigebit hîc subnectere, modò non pigeat Lectorem legisse.

Pater charissime

Adfui die 19. Januarii cum Dn. D. Simone Paulli, D. Henrico à Moinichen, & D. Casparo Kolichen, Viro cuidam natione Gallo, annorum vix quadraginta, cui reliqua membra de meliore luto finxerat Titan, cæterùm in sinistro oculo suffusionem patiebatur, quam summa cum dexteritate deponi vidimus à Laurentio Nicolai Cimbro, artis quam profitetur haud infelici Magistro. Oculo sinistro opposuerat se hæc suffusio ex pituitosi, ut videbatur, humoris in spatium, quod est inter corneam tunicam & crystallinam, affusione, quanquam Galenus lib. 1. de sympt. Caus. cap. 2. ab ipsius humoris aquei condensatione fieri interdum suffusionem doceat. Veram & legitimam suffusionem hanc atque à spuria distinctam esse nemo dubitabat, quippe quæ omnes veræ suffusionis habuit notas. 1. Alterum tantùm oculum occupabat, quod veræ suffusioni proprium ajunt; unum tantùm oculum aggredienti, aut si utrumque, non tamen simul aut similiter, sicut in spuria accidit. 2. In legitima suffusione tenebrosum quiddam in pupilla apparet, quod in spuria non contingit. Unde Vegetius lib. II. Artis Veterinariæ cap. 16. Cùm accedit suffusio oculus videtur incolumis, nullis lachrymis, nullo sanguine, nulla indignatione prodit injuriam, sed uno tantùm declaratur indicio, quod cum pupilla ipsius imaginem tuam tanquam in speculo videre non potes. 3. In vera suffusione symptomata sunt continua, nec ulla sunt intervalla, in spuria verò per vices augentur & remittunt, prout, vapores ad cerebrum efferuntur. Quas notas nostras, de qua scribo, suffusionem habuisse vidimus. Quamquam autem Plinius lib. 28. Histor. Natural. cap. I. Milotum scripsisse ait, oculorum suffusiones felle hominis sanari, huic tamen usitatum atque præsens nostris temporibus remedium adhibitum fuit, sola depositione per acus seu styli immissionem. Hic sine jure jurando sed efficacius oculos tetigit alienos Ocularius, secus quàm veteres, qui oculos juraturi olim tangebant, teste Petronio. Ovidius Lib. II. Amor. El. 16.

At mihi te comitem jurabas usque futuram
Per me, perque oculos, sidera nostra, tuos.

Sic & *Tibullus* lib. 3. El. 6.

Et si perque suos fallax juravit ocellos.

Cur id factum, ex Parente discere vellem, quem scio in Anatome Pagana olim rem hanc pertractasse accuratiùs. Sed Vulcani invidia tantus labor periit. Si balbutientem me audire velis, Minervam hoc more coluisse & ad testimonium vocasse veteres suspicor. Oculos quidem Cupidini Veneris filio, in quibus ex-

 cubet

cubet ceu specula quadam, tribuit Philostratus: rectiùs tamen Minervæ eos sacros fuisse Paganis tradit Fulgentius. Unde Minervam cæsiis oculis, ut pulcherrimis, finxerunt Poëtæ Hesiodo in Operibus vocatur Θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη: Dea Cæsia Minerva, Et a' bi di Deorum Generat. idem Ascræus:

Αὐτὸς δ' ἐκ κεφαλῆς γλαυκώπιδα Τριτογένειαν.

Ipse vero (Jupiter) *ex capite* (peperit) *cæsiis oculis Tritogeniam.*

Neque in injuria. Minervæ enim oculi debebantur, quibus nihil pretiosius aut utilius est. Hinc oculis digni habiti non sunt venefici & malefici. Exurebantur enim istis. Plaut. Menech. A. 5. sc. 2. Ecce Apollo mihi ex oraculo imperat, ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus. Imò malignis eruti, apud eundem Plautum in Captiv. A. 2. sc. 4. Nam Hercle ego huic diei si liceat oculos effodiam libens, ita malignitate oneravit omnes mortales mihi. Deus Tibi, Parens indulgentissime, Tuos diutissimè conservet. Vale. Hafniæ. Filius obsequentiss. *Gasp. Bartholinus.*

Suffusionis initium Fonticulo in brachio excitato evanescenes: Et oculi vigor eodem in nucha facto, restitutus.

Chirurgo cuidam hujus Urbis ante oculos muscæ & culices obversari videbantur, hicque Fontanellam facit in sinistro brachio; hujus beneficio visus naturali claritati restitutus, muscæque obvolentes evanuerunt?.

Aliàs quidam puer rustici Filius in Hollandia ex pago Bargenhuien, omnimodo oculorum imbecillitate laborans ita ut lucem ægre ferret, hic primò in nucha habuit fonticulum sine successu, tandem consolidata rursum fontanella in nucha, unum in brachio, alterum in pede ipsi fecerunt, fonticulum; hinc optimè jam habet, acutè cernit, splendidissimam lucem oculi admittunt. *Joh. Ludovicus Hannemannus.*

Oculi putredo.

Vetula sexagenaria, ante annum circiter epiphorâ oculi sinistri affligi cœpit, quam susque deque habens incrementa sumere permisit. Nuperis natalium Servatoris feriis intumescente oculo grande frigus persensit ex ambitu orbitæ, simul gelu nasi lateris sinistri cum dentium ejusdem vehementi dolore. Tum è canthis oculi copiosa materia purulenta fluere occepit, & aliqua quoque per os. Continuavit verò hic materiæ fluxus cum ingenti partium circumjacentium dolore, tantâ vehementiâ, ut omnis brevi oculus cum palpebris, pinguedine, musculis & vasis materiæ purulentæ instar effluxerit. Usa est misella medicaminibus, quæ quisque empiricus commendaverat. Accessit randem, ea qua hæc scribo, die, ad me, miserandum commonstrans spectaculum. Tota orbita cava spectabatur, non secus ac si corvi ungulis & rostris eruissent bulbum. At ubi nervus opticus à cranio se prodere solet, globulus aliquis, avellanæ instar, membranaceus, haud dubiè cornea est tunica, cernitur, Musculi etiam ut dictum omnes absumpti. Ubicunque fovea hæc tangitur, indolens offenditur, pure & cruore ad latera passim oblita. Ad limbum hujus foveæ tam horrendæ computrescentes musculi cum cute saniem semper fundunt & cruorem, utut parcè, circumtenso tumore, haud elatiori, ex purpureo livescente, ubi quidem dolores sentit misella acerrimos; tetra & cadaverosa hoc ex foramine spirat mephitis. Dexter oculus valet quidem satis, sed periculum est ne & hic corrumpatur, cùm facies passim & nasus fœdis ulcusculis fœdetur.

In nasi parte sinistra continuum sibi esse frigus misera conqueritur, & sensum doloris fere nullum, at creberrimum dentium superioris maxillæ, utut non multi adsint, imminere cruciatum. Affluxui scorbutico corruptorum humorum rem totam adscripsi, unde oculi sideratio & putrefactio. Cùm medicaminum nihil ferè hîc loci præparatorum, Hafnia aliquantum remotiori, mihi superfit, sanum oculum muniri jussi Unguento illo, quod in Actis vestris efficax ophthalmicum nominare voluisti, atque ut massæ universæ consuleretur, sub noctem —^— C. C. Scrup. ſ. & —^— trifolii fibrini drach. ij. cum cerevisia calida absorbere jussi. Ipsum verò horrendum chasma stuphâ cannabina in spiritu trifolii fibrini calefacto, cum momento —^— C. C. probe madefacta implevi, super imposito Empl. Diachil. cum gummi. Ego equidem in muliere mediocriter vegeta per Universalia tam purgantia & sudorifera, quàm V. S. in partibus remotioribus & vesicatoria avertere materiæ fluxum, simulque antiscorbuticis, exsiccantibus, mundicantibus & resolventibus margines hujus hiatus fovere decrevi, ad quam rem ea quæ ex Trifolio fibrino petuntur medicamina, utpote crebra hîc experientia in Ulceribus malignis scorbuticis, à me comprobata, commodissima arbitror. *Joh. Valentini Willii.*

Oculorum Suppuratio, & visus imminutio.

Infans trium hebdomadarum in vico Boreali, nescio an per incuriam humi prolapsus; tantam oculorum inflammationem concepit, ut non tantùm invisibiles nobis fuerint occlusis palpebris, sed humor crystallinus ex altero effluxerit instar albuminis ovorum. Interea suppurati, copia puris ingenti quotidie effluente. Acta à Medicis qui curationi adfuerunt, quæ in hujusmodi casu agi solent. Tandem aqua ophthalmica ex succo chelidonii majoris, aliisque impletus quidem, finita suppuratione, oculi humore crystallino vacui bulbus, sed sine visu. De Visus imminutione penes me est Consilium Joh. Dom. Salæ Medici Nobilis Patavini & ætate & experientia & eruditione inclyti, quod hîc propter materiæ affinitatem inserere operæ pretium duco, gratâ in magnum Præceptorem memoriâ, quo duce olim in Visitandis ægris triennium Patavii insumpsi. Latina consuetudine à me redditum ita habet:

De relatione missâ, quæ melior fuisset si à Medico esset conscripta, ita judico: quod causa visus imminuti non sit Cataracta, quia si illa esset facta, videretur, nec meliori statu conspiceretur, sed semper in pejorem statum provolveretur, ut jam prorsus visus esset sublatus; si esset incipiens, ut solet, depravationem visus induceret potiùs quàm imminutionem, adeò ut hoc tempore apparerent ante oculos aut culices, aut filamenta, aut alia objecta quæ objiciunt ea visui quæ revera non videntur; prætерea, cataractæ non solent ad maturationem tantùm temporis requirere ut visum auferant. Non est ungula, quamquam externè aliqua ejus appareant vestigia, quia, quando ungula pupillam non attingit, innoxia est. Non est alterius generis maculâ externa, eâ quippe appareret. Judico non esse affectum illum internum nervi visorii, quem Græcè vocant Maurosin, Latini Guttam Serenam, in quâ videntur oculi & pupilla tam clara instar sanorum, siquidem non capit initium hic affectus à causis externis oculorum, sed potiùs ab internis capitis, & subito omnem visum tollit, nec mutatur modò in melius modò in pejus.

Judico igitur esse in oculo offensam ante humorem crystallinum, qui præcipuum est visus organon ab humore aqueo, per quem transire debent species visibiles, & præterea adesse crassitiem tunicæ corneæ,

quæ

quæ etiam transparens esse deberet, ut ad organum dictum species transmitteret. Credo huic parti introducta esse hæc vitia à diuturna & ingenti defluxione, posseque ætatem aliquid conferre ad hanc offensam, quia causæ exigui visus in omnibus senibus, quanquam ætas sola non sufficeret ad tanta mala producenda, nisi ab alia causa esset oculi debilitas. Sed de his rectiùs possent judicare Medici periti præsentes, quales sunt Norsini, idque multò securiùs.

Si causa proxima est illa quam judico, causæ remotæ erunt humores pituitosi, crassi, & tractu temporis defluxiones incrassatæ primò à capite calido & humido, unde semper fluxiones prodeunt, deinde etiam ab hepate calido, quod se prodit per tot pustulas in reliquo corpore apparentes. Quicquid sit, periculum imminet ab hoc malo ne visum amittat oculus hic, sicut altero oculo evenit. Difficile erit curatu, quia magnum, quia antiquum, quia à fluxione conservatur, quia oculus est debilis, quia in hac ætate incidit, quia multa remedia à longo tempore tentata sunt. Spero non fore impossibilem curationem, quia alia remedia supersunt quæ procurentur, quia observata est mutatio, modò in pejus modò in melius.

Ideoque in opportuna hac anni statione, primò purgandum est totum corpus, postea particulariter, caput, fluxio divertenda, quantùm possibile, exsiccandum nonnihil caput, refrigerandum hepar, in quo generantur humores qui possunt deducere alios ad locum, denique attenuandæ & resolvendæ materiæ concurrentes, roborandaque est pars læsa.

In purgatione universali corporis suadeo, quia adhuc nulla adest inflammatio, in hac ætate & oculi imbecillitate, parum sanguinis extrahere. Successerit ad calorem hepatis, & ad purgationem, quæ facienda est, ne concursus fiat humorum calidorum per medicamenta localia, extrahere quatuor vel quinque Uncias ex hæmorrhoidibus, & supplere per balneum aliquod inferiorum partium, per frictiones & cucurbitulas sine scarificatione.

Medicamenta purgantia & præparantia respicere debent humores pituitosos & biliosos. Sed purgatio erit diligens & duplicata, primò per medicamenta mediocria & Syrupos simplices, deinde per Syrupos compositos, & purgantia nonnihil efficaciora, ut possint trahere ex partibus dissitis & ex capite quoque, sicut sunt pilulæ Lucis cum juvamine probatæ. Materiæ remediorum notissimæ sunt, & præscribentur à Medicis præsentibus.

Caput non expurgetur per nasum, ne irritetur fluxio ad oculos, sed per os, abstinendo propter eandem rationem à medicamentis calidis. Sufficit masticatoria conficere ex mastiche, cera, pulvere fœniculi & Saccharo, vel, quod mihi magis placet, masticare fœniculum conditum in aceto. Si hoc tempore oriretur inflammatio aliqua in oculo, laudarem sanguisugam unam vel alteram post aurem sinistram.

Ad fluxionem derivandam fontanellæ inuruntur, ut evacuent. Fiat setaceum in nucha. Sæpe applicentur vesicatoria, sed superficialia post utramque aurem, quæ fiunt vel cerato cum pulvere pauco cantharidum, subtili manu extenso supra telam, vel lacte ex Tithimalo omni stillante, frangendo caulem, & locum tangendo aliquot guttis quæ exstillant: qualia vesicantia gestentur longo tempore, minimum quadraginta diebus, renovando quotiescunque sanantur. Derivabitur quoque usu diuturno masticatoriorum, & familiari aliquo purgante leniori, sicut pil. de Tribus cum Rhabarb. & ex Aloë lota cum succo rosarum cum pauxillo ex pil. Lucis.

Ad caput exsiccandum interiùs laudo decoctum ex salsa parilla, sandalis rubris, vel visco quercino, additis fœniculo & euphragia, ut oculis approprietur. Exteriùs spongia alterat partem tincta sæpe & siccata in decocto ex eo quod remansit, additis rosa, beronica & Agarico, quod magis ad rem faciet, si fiat aut in lixivio dulci, aut in aqua marina, aut in balneò quodam sulphureo, & hac spongia sicca fricetur caput, semper ad nucham versus.

Hepar refrigerabitur, si post usum decocti hujus, sumat per quindecim dies vel jusculum alteratum cum cichoraceis, vel unciam unam Sacchari rosati. Dum decoctum sumit, non mihi necessarium videtur nec securum sudorem excitare, vel victu uti adeò tenui sicut solent; caro assa concedi potest, & vinum, sed lymphatum.

Inter remedia localia expertus sum utile esse Unguentum diabutyri, quo primò simplici utor, oculis applicato, postea sensim augendæ sunt vires ejus expositi Soli in vase æneo cum pauco aceto, ut acquirat colorem viridem ab ære: augentur præterea addito parum fellis primò piscis, deinde animalium volatilium & quadrupedum.

Probatur mihi etiam illud, quo Norsini pro secreto utuntur, nempe ut sæpius abluatur oculus aquâ Euphragiæ, fœniculi, in qua infunditur parum vitrioli coloris cœrulei. Efficax quoque remedium est, destillata aqua vitæ, in qua infunditur panis coctus ex tota farina cum furfuribus, additis fœniculo, euphragia, & exsuviis viperæ, quæ oculo applicetur tepida cum aliquo instrumento vitreo, ut aqua oculum tangat.

Et siquidem hæc remedia aliquando propter vehementiam suam alterant oculum dolore & rubore; in tali casu oportet ea intermittere donec mitigetur dolor & rubor, soloque diabutyrato simplici inungere, aut aqua rosacea cum pauco vino albo & aqua fœniculi vel euphragiæ.

Tandem volente Deo ad pristinum visum restituto oculo, ut roboretur; conducet nunquam aquâ lavare, sed vino albo mediocri vel decocto euphragiæ & fœniculi, cui infundatur parum Tutiæ.

Cancer latens causa cæcitatis.

Mortuus paucis abhinc annis Leutschoviæ Senator ferè 60. annorum, nomine Josephus Alauda, hypochondriaca affectione diu afflictus, qui cancri malitiâ oppressus varia sensit Symptomata. Triennio ante obitum in digitis pedum loco Unguium succreverunt horrendæ, curvæ, densæ & plumbei coloris ungulæ instar cornu, ex quo pectines elaborantur, & quidem tam abundè augmenta sumpserunt, ut cogeretur eosdem singulis octiduis forcipe demetere. Tota substantia cutis degeneravit in planta pedis in naturalem ungulam, cornu taurino æmulam, quam pariter post pediluvia crebriùs abradere coactus fuit, ne nimia cutis durities gressum impediret, eumque dolorificum efficeret. Postmodum exulceratæ ungues in manibus per abcessum perierunt, & similia monstra corneæ soliditatis succreverunt, nisi quod cutis in vola manûs mollior permanserit. Et hoc malum ad vitæ finem perseveravit. Paralysin postmodum dextri lateris sensit, sed sensus motusque restitutus fuit: successit demùm falsa imaginatio quasi ab uxore ipsi venenum pararetur, quæ Phantasia tam vehemens, ut per dimidium annum præsentiam uxoris nullo modò toleraverit, imò eandem nudis pedibus ne strepitum ederet, clam incedentem quasi odoraretur. Defecit postmodum paulatim visus, auditus verò factus intensior: tandem in momento cæcitas supervenit. Cùm peractis Universalibus aliisque revellentibus Nuchæ vesicatorium applicaretur, nulla vesica fuit excitata, sed subjecta caro tantùm intumuit & subpunicea facta est. Post triduum vesiculæ hydatides multo sero stillantes

lantes coloris plumbei collum insederunt, quibus cùm Balneator improvidè Empl. maturativum imposuisset, per aliquot dies, tumor incrementa sumsit, non minùs, quàm humorum effluvium, primùm serositates, post purulentam fœtentemque fundens materiam. Durante hujus materiæ egressu à phantasia depravata liberatus, ùt ab uxore sæpiuscule actorum erratorum veniam peteret, visus autem non rediit. Tandem quod ab improvido Chirurgo cancer ille ingens plumbeus & gibbosus cito suppuratus fuisset, intra 3. Septimanas è vivorum numero sublatus fuit. Medicę fuit staturæ, ex parte sanguineus, liberalis, comis, in juventute hilaris, vino deditus: provectiore ætate morosus, iracundus, pigrior, & defectum memorię, imò totius capitis sentiens, ut cùm vino se ingurgitasset liberaliùs, triduanam ferè experiretur ebrietatem.

Scholion.) Cur vesicantia in cadavere ita etiam in cute cancrosa nihil operentur, explicare conatur *Helmont. de Lithiaſ. cap. 9.* §. 103. *pag.* 730. Consideravi inquit, quod Ranunculus, Apium, Flammula non vesicent in cadavere: vesicant tamen carnem vivam. Censui itaque quod in ipsa anima sensitiva consisteret differentia hujus actus & non primario in flammula; quippe quę tantùm vesicat, quatenùs mordicatione justo acriore infestat hæc Spiritus sensitivos, ut qui sensatam acrimoniam mitigent, retundant aut extinguant, furit anima in illis, resolvitque ideo propriam membrorum substantiam vitalem in albumen corrosivum, quapropter ipsamet anima sensitiva: ut immediata substantia sensitiva: ita est causa efficienter effectiva; flammula verò quę in cadavere operatur nihil est causa effectiva occasionalis, externa & excitativa. *Davidis Spilenbergeri.*

Tuberculum eminens, Pupillam dextram obtegens.

In juvene Tuberculum eminens, Pupillam dextram texit & obvolvit, dubiis nobis an crystallinus humor intus latens sanus esset, adeoque de curatione vel ablatione tumoris nihil suadere ausis. *Gaspar Bartholinus.*

Pustula Oculi, cum totali visus ablatione, ex Ophthalmia, feliciter curata.

Juvenis Mercatorii ordinis 19. circiter annorum bilioso-sanguinei temperamenti, optimoque & robusto aliàs corporis habitu pręditus, nisi quòd defluxionibus capitis subinde obnoxius, à nono jam ætatis suæ anno Fonticulum gestare coactus sit, utriusque oculi Ophthalmiâ gravissimâ, aliàs quidem etiam satis sibi familiari, corripitur, qua cùm jam penè ultra octiduum laborasset, frustra adhibitis cuporistis quibusdam remediis, me tandem ad se accersit. Suadeo cucurbitularum in dorso applicationem cum scarificatione etiam auricularum; applicatur cum stupa utrique oculo alumen crudum cum albumine ovi agitatum inque unguenti formam redactum, ceu indubitatum præcipuumque hoc in casu præsidium; & lac muliebre tepidum subinde instillatur; quin & venęsectio in brachio celebratur. Et hæc omnia remedia, quamvis non sine euphoria adhibita sint, tamen tertio statim à venæsectione die, nobis nil tale metuentibus, exorta in sinistro oculo pustula visum ante triduum adhuc salvum penitùs obfuscavit. Actum esse de oculo adstantes uno ore clamabant: sed ego quidvis potius tentare, quàm socorditer desperare in casu licet admodum ancipiti, satius duxi. Hinc actutum pilulas purgantes exhibeo, quæ fortiter oculo inhærentes quoscunque vitiosos humores excutiant atque disturbent; & collyriam aquam prę stantissimam instillari jussi. Imò altero mox die Chirurgum & Ophthalmicum dexterrimum Dn. Brotmannum in consilium convoco; is pulvisculum oculo inspergit, facitque, quod suarum erat partium egregie. Quarto post die setaceum in nucha posuimus, quòd adeò benè successit, ut mox pustula nonnihil discussa oculus indies propius ad pristinum statum redire, ac visio tandem perbellè restituta visa fuerit, relicta solum super oculo exigua nubeculæ quasi cujusdam portione, quam tempore non minùs deletum iri confidimus.

Visus privatio, omniumque membrorum tremor, ex totius corporis Refrigeratione.

Notabilis fuit sævities hyemis anni 1670. circa finem mensis Januarii, ubi prę cendete aliqua exundatione tum temporis insolita, una noctę ita adstrictus glacie Danubius, ut sicco quodammodò pede quis ex una in alteram ripam ire, & ubi heri remos duxit, jam equo vel carpento vehi potuerit. Quodnam majus damnum intulit, inundatio, an inopinatum & rigidissimum frigus, dubium? Verùm periisse multos, inprimis qui insulam illam Danubialem è regione urbis incolunt, aquis singulis momentis crescentibus, & ingruente nocte; sed & non paucos, qui in excelsioribus domus partibus, vel arboribus irruentem vim aquarum effugere conati subitaneo frigore toti madidi vel extincti, vel ita destructi, ut digitis in manibus, pedibusque mutilari opus habuerint. Fortè civis hujus urbis vietor, ut ligna pro opificio suo necessaria, & in loco quodam Danubio vicino jacentia, salvaret ex undis, ultra tres horas quandoque usque ad axillas in aquis mansit. Domum reversus penes fornacem fortiter calefactam decubuit, statim lassitudinem sensit omnium membrorum. Aliquot diebus elapsis in singultum incidit tres dies durantem, inde restitutus, intra anni spatium visum in sinistro, mox in dextro amisit oculo, utrisque tamen externè bene constitutis. Post triennium articulorum doloribus horrendis corripitur, quibus supervenit tremor perpetuus in hunc usque diem durans. Multa ille adhibuit quibus dolores ad tempus mitigavit, non sustulit, prę terea ęstate & à me petiit consilium, dedi varia iterum pro leniendis tantùm doloribus; sed in senili laboribusque exhausto corpore plura efficere nequivi. Originem autem sumpsisse malum ex ista corporis refrigeratione extra dubium, cùm constet non tantùm ex veterum historia, verùm etiam ex recentioribus, quantum damnum soleat inferre talis corporis refrigeratio. Certe retulit mihi persona Illustris, quod ex Candia rediens naufragium passa ita membris contracta & quasi paralytica sit facta ut difficulter Paduæ in integrum restitui potuerit. *Caroli Raygeri.*

Cæcitas subitanea.

Anno nati Christi 1654. Prior quidam in Cœnobio Pr. complexionis phlegmaticę, corporis obesi, vitæ desidiosę, bibaculus, hypochondriorum dolore, ac ventris constipatione sę pius laborans, inciderat in cæcitatem subitaneam, ita ut etiam apertis oculis neminem cognosceret, nec lucem & tenebras discernere posset; sed post usum clysmatis carminativi, atque cathartici brevi visum recuperavit. *Helwigius.*

Scholium ejusdem.

Indubitatum principium est, monente Andr. Laurentio tract. de visûs nobilit. cap. 11. ea, quę parti alicui corporis humani accidunt, cognosci posse, nisi

prius,

priùs; ut ipſa ſe ſecundùm naturam habent, cognitum & perſpectum ſit. Quare neceſſe eſt, ut naturam oculi, & quæ ad ejus actionem requiruntur, exactè teneat Medicus, aut autopſia, vel ex lectione Anatomicorum ediſcat, ſi læſæ viſionis ſpecies indagare decreverit. Morborum verò oculi ut infinita propè multitudo eſt, ita in illis diſtinguendis maxima confuſio, ac cùm Galenus variis in locis docet, omnem partium corporis actionem tribus modis lædi, nimirum aut auferri, aut diminui, aut depravari, hîc duntaxat de ſecunda læſæ viſionis ſpecie, diminutione ſcilicet, quæ Monacho noſtro acciderat; ſermo noſter erit. Ad cœcitatis, quæ propriiſſimè aliàs eſt viſus omnimoda abolitio, genera a Practicis vulgò annumerantur etiam amauroſis & amblyopia. Amauroſis enim eſt abſolutum viſus impedimentum nullo manifeſto affectu in oculo apparente, ſed pupilla pura & incolumi. Amblyopia eſt viſus hebetudo, ſine manifeſto quoque oculi affectu. Uterque affectus, qui inter ſe tantùm differunt ſecundùm magis & minùs, oritur vel ob ſpiritus viſorii craſſitiem, vel ob debilitatem aut denſitatem tunicarum oculi, vel ob humorum lentorem, vel ob nervi optici obſtructionem à craſſis & viſcoſis humoribus. Amauroſis alioquin, uti Tulpius lib. 1. obſerv. med. cap. 31. ſcribit, duplex eſt, altera cerebro propria; altera verò cùm conſortio aliarum partium Prior ſpecies ut eſt planè immedicabilis, ſic curatur interdum poſterior. Potiſſima autem hujus cœcitatis cauſa ſtatuitur humor turgens à flava bile, aut atra, vel à veneno potui dato, manente in hoc cœcitatis genere pupilla ſemper clara & pellucida, licet interim nil cernat oculus, ob vitium nervo viſorio intrinſecus objectum, vel ab humore eò uberiùs affluente, vel à cerebro affecto. Cerebri autem occaſione uti omnes ſenſus lædi poſſunt, ſic & viſio quoque labefactatur, tum ſi aut generatim, aut ſpeciatim, & præſertim ea ſede, ubi nervi optici prodeunt, affectum patiatur, vel illi ipſi nervi à cerebro producti, & ad oculum uſque delati, afficiantur, ex mente Plateri lib. prax. de function. læſionib. cap. 7. quod multifariè fieri poteſt, veluti mox dicetur. Amauroſis prætereà interdum ſenſim & tempore, nonnunquam etiam ſubitò evenit. Quæ ſenſim evenit, varias habet cauſas: vel enim ſpiritus viſorius acciditur, idque ſive vitio cerebri ſpiritum non ſuppeditantis, quando nimirum à longa evacuatione eſt exhauſtum, vel ob inſignem morbum, vel ob ſenectutem: vel ſpiritus viſorius, qui naturà debet aërem redolere, & qualitatem moderatam gerere, nimium craſſeſcit: vel tunicæ oculares denſantur, aut humores viſifici lenteſcunt. Subitò verò videndi vi exuuntur homines, cùm craſſi quidem ſucci confertim irruunt in nervos opticos, vel cùm ille nervus viſorius paralyſi laxatur; quæ cauſæ naſcuntur plerumque à rebus, quæ à foris fiunt, veluti ſunt cruditates aſſiduæ, crapula, in nudum caput ſummi frigoris aut caloris incuſſio, ſtudium, lectio, ſcriptio repentina ac continua à cibo, balnea, vomitus, Venus immoderata & cita à paſtu, nimia contentio, verba ſunt Joh. Heurnii tract. de morb. oculor. Vel ut vulgaris verſus habet:

Allia, vina, venus, pulvis, ventus, faba, fumus,
Iſta nocent oculis, ſed vigilare magis,

Aſſentit etiam Hollet. lib. 1. de morb. intern. c. 19. aïens, affectionem hanc, experientia teſte, non rarò ab interna cauſa excitari, præcipuè vitio ventriculi, & poſt egregiam potationem, neque tamen propriè eſſe ophthalmiam, licet aliquando in corpore cacochymico, & ſi ea negligatur, in illam facilè degeneret. Præter has cauſas manifeſtas debilitatur etiam ſæpius viſio, aſſerente Gordonio in Lilio Medic. part. 3. cap. 5. propter vapores à ſtomacho aſcendentes, quod diſcernitur, quando imaginum apparitio ſtet per menſes, & pupilla appareat munda; quando verò provenit à cerebro, non permanet tanto tempore, ſine aggregatione aquæ. In ſenibus quidem viſus debilitas eſt familiaris, ſive catarrho obruente, ſive longo uſu abſumptis ſpiritibus, ſive denique quòd nervi ſicciores; & nonnihil marcidi, ut vult Barthol. cent. 4. Epiſt. med. 41. non admittunt ſpiritum animalem, in nonnullis ſenibus ſatis copioſum; quam etiam in junioribus fuiſſe cæcitatis cauſam, obſervationes docuerunt. Petrus Pavv notavit in obſervat. anat. 2. ſe Anno 1590. puellam octodecim annorum ſecuiſſe, quæ aliquot ante obitum annis diabete laboratat; & præternaturaliter ſitibunda fuerat; hæc paucis ante obitum diebus cæcitate correpta, qua uterque oculus clarus quidem exiſtebat, nec aut in membranis aut in humoribus vitii aliquid apparebat, ipſa tamen nec lumen quidem candelæ oculis admotæ percipiebat; in hac aperto cranio reperta inſignis veſica, quæ nervos opticos circa incruciationem (uti Duncanus Liddelius, coalitum verò nervorum Riolanus vocat,) occupatat; hac novacula pertuſa, circiter libra dimidia materiæ aqueæ limpidiſſimæ effluxit. Utpote materia potus præ renum debilitate attrahi ampliùs cùm non poſſet, ad caput regurgitarat, eùmque locum occuparat. Notandum inſuper, ſicut Gulhielm. Ader in tract. de ægrot. & morb. in Evangel. part. 3. enarrat. 12. memorat, cæcitatem ab obſtructione nervi optici jam diu contractam, cùm primis remediis non cedat; indelebilem ſeu incurabilem fore, nec magis ſperabilem quæ ab imbecillitate cerebri, ſpirituum viſualium paupertate, aut ſenectute fiat. Si à debilitate cerebri; pergit Idem, reſtituatur roborantibus, ſpiritus craſſiores & tenebroſi tecta victus ratione incidente & viſum clarificante reſtaurentur reparenturque. Paſchalius lib. 1. de curand morb. cap. 19. ad curationem hujus affectus proponit, præter diætam legitimam, remediorum quinque genera, nimirum præparantia, purgantia, avertentia, roborantia, & reliquias reſolventia, denique viſum acuentia. De quibus ipſe legatur, atque ſimul cæteri Practici celeberrimi conſulantur.

Additamentum Clariſſ. Schröckii.

Salutarem Enematum uſum hac etiam ex obſervatione abunde diſcere poſſunt Oſores eorum, non tantùm è Vulgò qui contemnunt atque rejiciunt; ſed & Medentium nonnulli, quorum inprimis agmen ducit ingenioſus aliàs Joh. Bapt. Helmontius, pudendum ſubſidium Medentum, & belluinum remedium lib. de febb. vocans, variiſque argumentis inviſas reddere injectiones iſtas laborans; Cui tamen cùm alii jam, præſertim verò Excell. D. D. Frideric. Hoffmannus in Meth. medend. lib. 1. cap 10. ſufficienter reſponderint, aliud quod addatur, neutiquam opus eſt. Hoc ſaltem monendum, quòd, quemadmodum idem Helmontius neminem unquam per clyſteres eduxiſſe febres, objecit, quia materia febrili obſeſſa loca non adiverint, pariter hîc à Sciolis opponi poſſit, nec cæcitatem à clyſteribus emendari, cùm ultra inteſtina craſſa non adſcendant. Quibus ſanè prælaudato cum Hoffmanno regerere æquum foret: Licet ipſam non rejiciant febrem, (cæcitatem) tamen cauſam ejus occaſionalem diminuere poſſunt. Imò dicere: ipſam cauſam primariam per Enema in hoc Caſu fuiſſe ſublatam, non video, quid prohibeat. Ventris enim morboſa tarditas uti diverſorum malorum cauſa exſiſtit: ita vaporum & flatuum inprimis uberrimum ſuſcitat proventum, qui non inteſtinales tantùm fiſtulas diſtendunt,

dunt, sed & reliquum in corpus propagantur, unde fecum alvinarum præternaturalem retentionem frequentissimè cephalalgiæ, aliique capitis aliarumve partium adfectus insequuntur. Quare cùm æger noster constipatione ventris sæpius laboraverit, cæcitatem; in quam subitò incidit, ab eadem sumsisse primodia, mihi videtur verosimile, præsertim dum corporis constitutio phlegmatica, quam desidiosa & bibacula vita sustentabat, obstructioni nervorum opticorum concitandæ satis quadrabat. Unde subducta, ope catharticorum clysteri junctorum, materia illa excrementitia in intestinis hærente, ulterior flatuum exortus fuerat impeditus; Quin & ingredientium istorum solutivorum uberiori, à calore intestinorum, facta, resolutione, particulæ quædam, tum venarum lactearum oscula subeuntes, tum etiam, quæ subtiliores, in venas mesaraicas penetrantes, ac ita utrobique ad massam sanguineam delatæ, agitare illam, & quam à natura possident, separandi vim exserere, sicque una pituitosum humorem ab oculis, vi circulationis eò perductæ, propellere poterant. Idque tantò promtiùs præstare valebant, cùm addita carminativa, subtili sua ac volatili natura in remotiores etiam partes penetrando, calorem in iisdem debiliorem confortare, peccantesque pituitosos humores incidere, attenuare ac resolvere & ita flatulentorum spirituum dissipationi non parum momenti addere potuerint. Qua eadem fortè præditus fuit virtutes clyster, quo puellæ, repentè cæca quæ fuerat facta, præter exspectationem visum restituit Guil. Rondelet. uti ipse cap. 58. Meth. cur. morb. memorat. Licet verò magna enematum sit utilitas, tantùm tamen abest, ut universale constitui medicamentum queant, i. e. quod in omnibus subjectis morbisque adhiberi possit; cùm plurima sint usum eorum prohibentia; veluti, exemplum ut addam, quorundam in colo intestino interiorem tunicam adeo teneram & sensilem esse, monuit Celebrr. Th. Willis part. 1. Pharmac. ration. sect. 1. cap. 2. ut ab enemate, licet anodyno, injecto, spiritus statim excandescentes, ac intra fibras nerveas explosi, membranas summè inflent ac distendant, adeoque in toto abdomine maximas molestias excitent. Ut itaque duplici nomine impudentissimùm fuerit Circulatoris istius promissum, quem omnes, nulla alia considerationc habita, solo clysteriorum usu curare se velle ægrotos, quincunque illi essent, Brixiæ fuisse professum, Aloisius Mundella, Medicus Brixiensis Italus Epist. medicin. 8. scribit, scilicet tum quòd omnibus grotis indiscriminatim istud remedii genus adplicare ausus fuerit, tum quemvis morbum solo eo profligaturum se jactaverit; cui quidem tam proficua ex isto mysterio obtigit messis, ut brevi tantam pecuniæ summam extorserit, quantam præfatus Medicus, licet continuis medendi exercitationibus omne tempus contriverit, decem annorum spatio non lucrifecerat. Quod eò faciliùs credere ipsi debemus, quò certiùs Practici compertum habent, ubique ferè locorum non admodum absimilem sortem Medicis genuinis & fictis contingere. Præsertim verò frequentior eorum usus non adeò tutus esse competitur. Maximi nominis Archiater Cæsareus, Joh. Crato. tria incommoda recenset: videlicet calorem, intestinorum debilitari, flatuum proventum suscitari, & naturam ad expellendum segniorem reddi, vid. Consil. medic. à Laurent. Scholzio collect. cons. 169. & 199. Immoderato quoque usu non semper subduci superflua, sed interdum quoque necessaria, indigæ Naturæ in utile alimentum cessura, Nicol. Tulpius lib. 3. observ. medic. cap. 16. edocet. Jure meritoque igitur Barbitonsorem quendam Lissetus Benancius, Gallus, tract. de pharmacop. fraud. & error. ab Excell. D. Th. Bartholino latinitate donatus, pag. 67. perstringit, qui vix octidui spatio ultra centum clysteres misero cuidam ægro adplicuit, simulque eundem ære egregiè emunxit, cui tamen unus vel alter morbo conveniens subito sedare & imminuere dolorem potuisset. Tales utique catalogo illorum veterum Medicastrorum inseri merentur. quos remedio isto non adjuvandum, sed nocendum usos fuisse, Celeber. D. D. Joh Dan. Major. dub. 11. Chirurg. infusor. §. 8. ostendit, quorum causa interdicto opus fuerit, quod sub nomine Ulpiani L. 9. §. 1. ad leg. Aquil. his verbis exstat: Si quis per vim vel suasum medicamentum alicui infundit vel ore, vel clystere, vel si eum ungit malo veneno, lege Aquilia tenetur. Similium ergo ad humani generis destructionem natorum Medicinæ monstrorum peccata si vulgò innotescant, neutiquam mirum, medicamen adeo proficuum ei invisum reddi, utpote cui abusum à genuino usu discernere, rarò est concessum. Quamvis hac etiam absque data occasione, novum haud sit, clysterum usum ab eo, tum ineptum ob pudorum, tum & vanum propter timorem, contemni ac rejici. Quoad illum; Paracelsi fortè defendi possent clypeo, qui lib. 2. tr. 1. de morb. & tartaro oriund. cap. 6. vilissimum, absurdissimum, & turpissimum medicamen vocat; nec ipse usus contradicere videtur, dum isti adaptari requirunt parti, quæ vel non, vel saltem haud absque pudore nominari solet, & sic multò minùs denudari; quod tamen pro applicatione requiritur,) absque verecundiæ læsione debet. Sed, quæ de hoc Paracelsi effato, ratione turpitudinis, est sententia Cl. D. Olai Borrichii lib. 2. cap. 1. §. 12. de Hermete Ægypt. utilitas vincit turpitudinem. Turpia quoque delectare aliquando, exemplo addito, ibidem demonstrat. Naturalia sanè, si petulantia absit & lascivia non sunt turpia; neutiquam deest partibus istis, obscœnis dictis, suus nitor & elegentia, qua vel cùm aliis corporis partibus decertare, palmamque dubiam reddere valent; cujus specimen apud Athenæum lepida suppeditat historia, quam etiam Exc. D. D. Joh. Theod. Schenckius Exercit. anatom. p. 201. inseruit. Cæterùm verecundiam omnibus cordi esse utique decet; ast necessitas ubi urget, tam strictè eadem non obligat. Huic tamen utilissimæ medelæ impedimento obviam ut irent, de clysterum, quæ ab ipsis ægris fieri posset, applicatione multi laborarunt, quos inter Chirurgorum Germaniæ Antistes, ceu Guil. Fabricium Hildanum venerandus Archiater Dn. Simon Pauli Class. 3. Quadripart. botan. cap. de ruta, ubi de clysteribus disserit, appellat, non incommodum invenit & descripsit libello de dysenter. c. 10. Alios etiam Joh. Heurnius Meth. ad praxin. lib. 1. nec non Joh. Scultetus part. 1. Armament. Chirurg. tab. 13. & 44. delinearum; Suum inprimis extollit inventum Regnerus de Graaff. tract. de clysteribus addito tract. de viror. organ. generat. inserv. quo tam commodè injectionem istam peragi, scribit, ut nullus ægrotantium suorum à clysteribus ampliùs abhorreat. Nec contemnendus est modus, quem exhibet Nob. D. Joh. Patersonius Hain. Ephe. German. Curios. Anno 3. observ. 221. pudibundis suis ægrotis, præsertim feminis, rem esse gratissimam; testatus. Innocentiam verò remedii hujus, à perito & prudente Medico propositi, ipsa experientia satis superque defendit. Unde illorum timorem, qui ejusmodi medicinam usurpantes Libitinæ victimas evadere putant, appositè superstitiosum vocat Excellent. D. Christian. Langius Miscell. curios. med. 6. Grave etiam & periculosum ut remedium qui rejiciunt, toto cœlo aberrare, è contra benignissimum & innocentissimum esse, ostendit Jacob Primerosius lib. 4. de vulgi in medic. erroribus, cap. 20. Ridiculum insuper metum istum popularem falsâ, sed condigna oratione explodit Clariss. Henr. Cellarius cap. 6. art. 3. de putatitis morb. uterin. Vulgare hoc, in Germania præ-

nia præsertim malum hac quoque in Urbe sæpius experimur; in qua pernecessariam quandoque infusionem istam ægerrimè ut plurimum Medentibus impetrare datur; quin & ob perversam plebis in judicando licentiam, non nisi summa cum circumspectione sæpe suadere licet, ne culpa, si mors ob gravitatem morbi opprimat, vel aliud symptoma grave urgeat, adhibito priùs enemati perversè imputetur; saluberrimumque remedium diffametur. Quam gratiam felicissimo Practico, Felici Platero, quidam ab angina jam reconvalescens, debilitate verò corporis adhuc laborans reddidit; à quo tamen genuinam causam, suæque opinionis stultitiam edoctus fuerat; quod ipse lib. 2. oberv. medic. pag. m. 412. recensuit. Ratum itaque habeatur Bartholini, magnam laudem Enematis deberi, scribentis judicium: quæ nec corpus turbant, nec debilitant, quod Dissert. 3. de Medic. Danor. domest. protulerat, atque aversionem à clysteribus inter errores Patriæ Dissert. 9. referendam duxerat.

Ex faucibus aqua Mercuriali inconsultè tactis cæcitas.

Honesta fœmina nondum quadragenaria ex osculis, & halitu, & accubitu mariti, ex lue Venerea recens convalescentis, fauces asperari sibi sensit, tonsillas erubescere, & ulcusculis hinc inde obsideri. Advocatus imperitus magisterii tyro, non expurgato priùs corpore, aqua Mercuriali fauces quotidie illevit, & in paucis hebdomadibus ulcera omnia ad maleficam cicatricem perduxit. Verùm enimvero stagnans adhuc in glandulis faucium impurus humor, cùm viam ampliùs per clausas tonsillas non inveniret, infelici metastasi in utrumque egræ oculum sese violentiùs effudit, & ita paulatim invaluit, ut licet omnia in adversum moliente Chirurgo oculario, quem re cognita suasi consulendum; malum in funestam cæcitatem degeneraret, nec vel fontis Helenæ collyrio, nec aliis utcunque generosis cederet remediis. Tanti est methodum in medendo vel ignorare, vel negligere. *D. Olai Borrichii.*

Cæcitas altero oculo læso.

Heri vidi Filiam Consulis cujusdam in Cimbria; cujus dexter oculus vulnere per cultrum impactum visu orbatus: Eo verò oculo persanato, sed sine visu, sinistrum oculum antea sanum Cataracta incipiens aggreditur: Fortè quòd ad Oculum læsum humores affluere jam sunt assueti: Aquâ Opthalmicâ ex chelidonio majori aliisque videbimus quid posthac efficere valeamus. *Thomas Bartholinus.*

Cæcitas post epilepsiam in parturiente.

Chr. H. Mercatoris primarii uxor, cùm per totum gestationis tempus satis benè & bellè se habuisset, Anni agonizantis 1668. die 23. Decemb. nihil tale cógitans, frequentibus corripitur convulsionibus epilepticis. Vocor confestim à fratre ægræ affinitate mihi conjuncto, variaque antepileptica præscribo. Sed vix discusso uno Paroxysmo accessit alter, atque ità continuò ferè convulsa, enititur filiolam. Tandem superatis post partum convulsionibus, atque lethargo has insequente, ubi ad se rediit ægra, ignorans quid intereà contigerit, infantem recens natum sibi porrectum primùm quidem ad se pertinere negavit, postea verò non tantùm persuasionibus, sed ipsa quoque alvi detumescentia victa, suum quidem esse partum cógnovit, simul tamen visum sibi sublatum esse conquesta est. Obtulimus mox & alia objecta, sed neque umbram illorum oculis, iisque ut ex inspectione colligere licuit, nullo modo læsis, comprehendere potuit. Repentina hac cæcitate non tantùm ipsa ægra ejusque maritus, sed & amici adsistentes maximè percellebantur, quia cunctis in recenti adhuc memoria erat Matrona nostras, post plurimos insultus epilepticos eodem anno visu omnimodè privata. Ingenuè fateor, quod & ego, ubi non tantùm citatum jam exemplum, sed & illud, quod refert Fab. Hild. observ. Chir. Cent. 5. observ. 5. & alias cæcitatis è diversis morbis curatis ortæ, atque authoribus annotatæ historias, propè perpendi, tale in animo meo formaverim Prognosticon, quale similes suppeditavere casus. Ne tamen conceptum terrorem augerem, bono animo omnes esse jussi, nebulasque istas sudore largiori dissipandas esse monui. Ægra desiderio videndi fœtum, per tot menses ut Utero suo absconditum, capta, omni conatu sudorem provocat, licet nullo, ut tum videbatur, emolumento. Donec tandem vesperi post horam octavam primùm quidem lumen candelæ accensæ se videre edixit, & sic dein pedetentim visûs pristinam recuperarit aciem. Qua adhuc Deo propitiante pollet. *Georgii Segeri.*

In cæcitate inopinato Visus restitutus.

Anni proxime ad exitum currentis die Nov. 3. adfui Nobil. Virgini, natæ 25. annos, quæ cœca erat; Palpebris clausis. oculi intorti deorsum ad angulos internos decumbebant, nihil prorsus videntes: Gutta serena videbatur ex cerebri narcosi, vel humiditate ejus partis, unde nervi oculorum motorii & visorii oriuntur, ut & Paralysis oculorum. Præter voluntatem subinde oculus movebatur, sed leviter; concussum fuit ea parte cerebrum à janua cadente. Ipsum quoque cranium inæquale, sinum ostendit circa suturam lambdoideam. Antequam hoc oculorum vitio comprehensa est, copiosô sero stillarunt oculi, pusque ex naribus fluxit, ut de cerebri abscessu suspicionem dederit. Cùm prorsus visu privetur, metusque sit imminentis vel Apoplexiæ vel Epilepsiæ, D. Henricus à Moinichen Regius Medicus, qui curæ ejus præerat, me unà cùm celeberrimis Viris, D. Simone Paulli & D. Olao Borrichio, ad consilium vocavit. Communi consensu ad evacuandos humores serosos cerebrum inundantes, caputque exsiccandum & roborandum præscriptæ Pilulæ Cephalicæ, Lucis, Cochiæ, Panchymagogicæ Crollii, cum resina Jalappæ: Emplastrum de Betonica raso bregmati impositum, & subinde Pilulæ de Succino Cratonis exhibitæ; aliaque hisce indicationibus inservientia. Post usum horum medicamentorum commotus aliquando uterus, ad vomitum concitavit ægram, quo concusso cerebro, medicamentis præscriptis roborato, oculi converti sensim, exsiccatis scilicet liquoribus nervos laxantibus, cœperunt, pupillæ ad rectam lineam erectæ, palpebræ aperiri, & mox obscurè, tandem clariùs objecta discernere, magna omnium admiratione, qui perpetuam cæcitatem ipsi ægræ prædixerant. *Thomas Bartholinus.*

Visûs debilitas, cùm acri Catarrho in Oculos decumbente, fonticulo sanata.

Memini me ante annum 1673. duo singularia utilitatem fonticulorum probantia in malo Ischiatico & Scrophularum curatione ad nostros Curiosos transcripsisse. Huic materiæ amplius inhæreo. Chiliarcha quidam apud suos fortissimus, visûs imbecillitate acrique defluxu cum rubedine oculorum loborans, cùm advers-

adversus hoc malum omnia præsidia frustra experirentur, fontanellam ipsi suasit Medicus, cui consilio obediens, tam singularem successum jam experitur, ut & ea, quæ antehac vix oculo perspicillis armato conspiceret, nunc acute sine conspicillis cernat, & quidem senex melius ante decennium. *Joh. Laur. Hannemanus.*

Mirum visus symptoma.

Anno 1674. die 4. Octobr. Buxtehudæ quidam faber lignarius annorum 54. conquestus mihi est de quodam visus symptomate, quod subitò ipsum invasit tabacum è fistula sugentem, omnia enim objecta in aëre sereno & claro ipsi ante visum duplicantur ac geminata apparent. Suasi caput purgantia, & pulverem Bartholini nasalem mihi quàm maximè familiarem. Quomodo visus duplicetur, præsertim qui tam cito id factum in allato ægro, mecum multi scire desiderant. Fortè suctio tabaci humores nimium movit in nervum Opticum, eumque mediotenus obstruxit. *Dom. Johan. Ludovic. Hannemanni.*

Rarum circa visum Symptoma.

Vivit etiamnum Vir Eruditus, Theologus summus, qui cùm ante duos circiter annos, animum curis & laboribus fessum, musicâ recreaturus fides aptaret, una chordarum disrupta oculum ipsius dextrum plagâ dolorificâ afflixit. Prospicitur statim oculo læso refrigerantibus ophthalmicis, quibus inflammationi imminenti obviam itur, ita ut nil amplius timendum videatur. Nocte jam adulta, ex somno evigilans cuncta clare ac si de die esset videt, adeo ut & minimos picturarum & tapetum tractus observare characteresque ex libro legere posset, miratur causam, læsumque oculum claudit, hic densæ ubique tenebræ, sanum dum claudit ubique lux est clara. Inclamat servum, jubetque apportari lumen, sed sustinere non potest ob splendidos ad molestiam usque apparentes colores. Idem de die fit si modò sol aliquantum splendet: unde coactus est oculum clausum semper firmare. Hoc Symptoma durabat per aliquot dies inde sensim evanescebat. *Dn. Albardi Hermanni Cummii.*

Flamma ex Oculis erumpens, & Illuminans literas.

Quæ de Urina noctu lucente ad Ephemerides Naturæ Curios. transmisi, ea & aliis cordatioribus, & inprimis clarissimo Dom. Joh. Tackio Archiatro Hasso-Darmstadino atque Med. & Eloqu. Prof. in Academia Giessena aperui, & sub censuræ regulam tradidi. Ille ergo in amicitiæ literariæ mutuos complexus firmandos, candorisque sui certitudinem eloquentissime sequentia respondit, „ Darmstadio 30. „ Decemb. 1675. post salutem & pauca alia. Sed sæ„pe lassant conatus nostros impedimenta, & vel „ unius clypei defectus, quo tueamur regiam vitæ no„stræ, ne dicam inania hactenus & ab aliis decantata „ præsidia, quibus multoties inhærere cogimur, ne „ à consuetudine recedere velle videri queamus illo„rum, quibus integrum est nihil ultra sapere vel„le, nisi quod ipsis visum est, & ne calumniandi il„lis suppeditemus materiam. A qua sane neque tu „ apud omnes immunis eris, dum de Urina lucente „ tam egregias ad me scribere voluisti meditationes, „ dum censuerint nonnulli te vel superstitione captum, „ vel impedimentum oculorum passum tibi ipsi de in„viso urinæ lumine gratificari voluisse. Sed valeant „ sinistræ aves. Mihi, quantùm luminis sit in animali„bus, præter ea, quæ Bartholinus scripsit, jam satis „compertum est, dum vel unius diei recordor, qua in„hærens meditationibus intensioribus, pro elaboranda „ oratione funebri in honorem Electoris Saxoniæ Divæ „ memoriæ, in Academia Giessena ingruente crepus„culo jam in noctem vergente, vidi subitò ex ocu„lis meis erumpere flammam in subjectam albam „chartam, quæ adeo illuminabatur, ut adhuc illius „ luminis usura scribere possem duas integras lineas, an„tequam evanesceret, qua sane non leviter territus è „ Musæo me cito proripui, haud interea parum anxius „ ob exempla Bartholini & rationes ipsius nonnullas, „ ne oculorum aut visus damnum inde mihi succe„deret. At Deo Servatori meo sit laus & gloria, „ qui in hunc usque diem me ab illiusmodi visus ma„lis sospitem & immunem esse voluit, licet ideò il„lius apparentis flammæ coruscationibus multoties „ex oculis promicantibus infester, ut sæpe soli mihi „ non esse liceat. De Urina verò tua lucente ut ali„quid tuis addam, vix invenio, videris enim tetigisse „ acumen veritatis, dum Urinam tuam lucentem cum „mari coruscante & scintillante comparare voluisti, „ Habent & Philosophi suum mare: habent & hi suum „ Oceanum, in quo pingues, squamisque argenteis „ micantes generantur pisciculi, quos qui subtili reti „ involvere & extrahere noverit, piscator peritissi„mus habendus est. Vid. arcani Hermeticæ Philo„sophiæ operis §. 54. neque ignotum tibi esse arbi„tror, quod de luce commentatus sum in Chryso„gonia mea, sive Phaside secundo, & præprimis „ quod ex insigni illo Theologo Arndio, quem „ Adeptum fuisse credunt multi, ex quarto libro de „vero Christianismo adduxi, cap. 1. de luce. Denique „ nec illud ab hoc loco alienum est, benignissimum „ Opificem lucem puram, pulchram & delectabilem „omnibus rebus creatis indidisse: ut norunt physica„rum separationum periti; & qui omnium rerum „ puritatem ab impuritate & tenebris Philosophicè „ norunt separare & ad naturalem suam perfectio„nem & clarificationem corpora perducere. Quæ „ipsa pulcherrimus typus & testis clarificationis cor„porum illa die, quando omnis impuritas à corpo„re & anima separabitur. Hactenus Arndius, unde „ haud sine consideratione dicit Daniel, cap. 12. Eru„dientes splendebunt quasi splendor expansi; nempe „ in resurrectione, & justificantes multos, ut stellæ „ in sempiterna secula. Et Christus: Justi effulgebunt, „ ut Sol in regno patris sui. Ecce tibi absconditam „ in nobis lucem, & veram sophorum materiam, „ qua sine nihil unquam solidi præstiteris.

„ Sed quid hæc ad urinam, non nemo dicet excre„mentum illud exosum, putidum, proscriptum extra „ regiam microcosmi? Quid hæc cum illa æterna bea„titudine conferri poterit? Sed, quæso, parcite Viri „ cordati, etiam in sterquilinio habitat interdum splen„dor, & sordido sæpe pallio involuta tegitur Sapien„tia. Homo microcosmus est, & quod in cæteris „ regnis invenitur, id fortè in homine solo conclu„sum invenietur universum. Admovete, quæso, ma„nus vestras & quærite, & invenietis, quod in me„tallis est, & plantis & arboribus, imò in carne, san„guine, cæterisque corporis humani partibus, idem „ non desiderari in urina. Est autem id lux quædam, „ sive stella lumine suo coruscans, quam aliqui ap„pellant humidum radicale, lumen cœleste, scintil„lam vitæ, salem armoniacum, qualem etiam ha„bent herbæ, prout demonstravi, quæ interdum è „chao suo emergit & videtur singulari dispositione „naturæ vel artificis. Si diu in vitro detinueris uri„nam illa prope fornacem colores induet & instar „ auri colorabitur in superficie. Sic enim humidum „ radicale paulatim ad superficiem egreditur (ob men„strui salisque extraversi conditionem, ut habet Phis.

„ 2. p. 117. Vir summus. Cui simile quando Phas. „ primi pag. 33. inquit : Et quis nescit, in urina ho- „ minis esse virtutem mineralem ? Siquidem arenu- „ læ cum ea secretæ & aurea supernatans urinæ pin- „ guedo, qualis etiam aquis innatare solet stantibus si- „ ve quiescentibus, mense Junio & Julio, testimo- „ nium satis perhibent vitriolicæ in homine naturæ) „ videmus aquas vitriolatas auri colore tingi stantes & „ solari luce irradiatas. Et dicit Walchius, materiam „ Philosophorum instar flammæ aliquando accendi, „ forte prævia putrefactione aliqua, & ubi à suo cor- „ pore liberum sit humidum radicale. . Quo pertinet „ illud *Basilii : Wenn du den feurigen, brennenden Wein- „ Geist kanst gefanden nehmen, so hast du ein Grosses „ in der Chymischen Feld-Schlacht erhalten.* Fit enim „ ex sale, oleo & phlegmate spiritus vini, cui analo- „ ga est urina. - Sed quo propior, Tu jam exami- „ na, quæ in Te habes aut invenisti & conspexisti ; „ & vide, unde possis oleosi & vitalis tui luminis „ causam etiam in urina deducere. Hæc ille veri & „ sapientiæ cultor, Amicus sincerissimus.

Iterum cùm rogarem, an pace ipsius liceret respon- sum hoc pro scholio ad observationem nostram Ephemeridibus Naturæ Curiosis adjicere, inter multa alia, quæ gemina illis in Phaside suo triplici sophi- co expositis nolo huc transcribere ; rescripsit 15. Ja- „ nuar. 1676. Rata verò Deus habeat vota tua, ver- „ tatque benevolentiam tuam, quam in me exeris, „ in petram immobilem, ut alius alium levando tan- „ dem ascendamus in sublimem petræ sanctæ apicem, „ in eaque neque convulsi, neque commoti stemus, „ usque superatis omnis ignorantiæ angustiis, hujus- „ que mundi faucibus exempti invicti inveniamur ; „ nihil ad æternam veritatem caligantes. Est enim „ ea lucis natura, ut in apricum semper promoveri „ amet, &c. Post quæ tandem. Magna res est ve- „ ram cognoscere lucem, quam si noveris, humi- „ dum radicale noveris, noveris aurum verum & so- „ phorum, noveris ignem & plura alia, quæ tantò „ celarunt alii artificio. Separa & ad puritatem om- „ nia cum Paracelso ducito. Sic tibi vita patet, nec „ non & mortis imago. Quæ de cætero de meis „ communicandis ad me perscribis, ea quidem non „ invideo Naturæ Curiosis ; si emolumentum exinde „ ad illos aliquod sperandum est. Minimus sum ve- „ ritatis occultæ indagator, unde ad discendum po- „ tiùs, quàm ad informandum factum me existimo. „ Fac ad placitum tuum omnia. Veritas perstabit „ semper. Huc usque Chymicus celebratissimus. At eheu non sine omine, quippe qui postea ex febre tertiana syncopali evasit quidem feliciter Dei auxiliis, sed dysenteria tandem lethali occubuit cum luctu au- læ Principalis, lacrymis familiæ fecundissimæ, dolo- re eruditorum plurimorum ; sed anhelans ad mundi melioris felicitatem, quibus verbis ipse finit Phasi- dem suum secundum, sed relinquens Nobiliss. filium Dn. Ludovicum Christianum Med. I. & Prof. Extra- ordinarium apud Gissenses, quem ut non imparem jam videmus paternis virtutibus, ita vovemus, & spe- ramus, ut quod credit in eruditissima Disputatione „ inaugurali de Podagra Ann. 1675. Gissæ habita Asæ „ & Phaleiæ luminibus brevi emersuris, manifestum „ reddat vera esse quę audivit & vidit de Spiritu illo coagulato, qui est Sulphur, Lumen & Centrum re- rum omnium. Quæ eum magnus ille Philosophus in- videre noluerit, nec ego invidebo. *Salom. Reiselii*

Unguentum Ophthalmicum efficax.

Vitricus meus Dn. Anton. Schott. ICtus, Comes Palatinus & Consil. Cæsar. Colmariensium Syndicus, Liberarumque in Alsatia Civitatum Imperialium (eheu fuimus Troes!) ad S. R. I. Comitia Legatus, cùm Basileæ studiis litaret, tanta corripiebatur ophthalmia atque epiphora, ut luminis impatiens, horrendos inter dolores, in calamitosa obscuritate, non paucos men- ses transigere fuerit coactus. Nihil inexpertum à Me- dicis relinquebatur, intactum nihil. Sed tanta erat vis morbi, ut nulli auxilio cedere voluerit. Tandem cùm lumina, tantùm non occæcata, methodicè cu- rari respuissent, ad empirica transitum est. Commen- datum inter alia hoc etiam unguentum, quod recipit Ung. Nihili & de Tutia ana ℥ij. Margarit. Corall. rubr. oculor. cancr.. Tutiæ, omnium præparatorum an. ℈j. Camphoræ gr. vi. fol. aur. & arg. an. num. iv. M. f. Ung. horâ decubitus lentis magnitudine cantho oculi majori indendum, & infra palpebras illinendum. Dici non potest, quàm cito unguenti hujus usu violentia morbi laxabatur, adeo ut manu fere abstergi malum videretur, gaudeatque hodiernum vir laboriosissimus satis acie oculorum acuta, quę tamen manifestè obtun- ditur, quoties per biduum aut triduum abstinet illi- tione hujus chrismatis, è vestigio redux, ubi repeti- tur. Quo modo prędictos, qui molestaverant, affe- ctus sedaverit, facilè assequi possum, ex moderate quippe quibusdam refrigerantibus, adstringentibus & desiccantibus conflatum, rite jam celebratis universa- libus omnibus, non potuit non esse conducibile. Sed quomodo visum acuere possit ex meris terrestrioribus, non volatilibus, excepta camphora, constans, dubium subit. Fallor ne ; Excellentissime Dn. Bartholine, si dixero tunicarum poros diuturno lippitudinis ardore, & jugi decursu copiosioris materiæ lachrimalis, aliuś- que excrementitię, magis dilatatis, quàm pro naturæ consuetudine fuisse, ita quidem, ut propter diuturni- tatem mali, etiam hoc cessante, in pristinas tamen an- gustias coire & cogi non potuerint, indeque fieri, ut laboribus literariis intentissimi, spiritus inter agendum copiosiùs exhalent, impediri verò hunc transitum ci- tiorem, si angusti meatus constringantur magis, recreen- turque spiritus copiosiori volatilitate. Feci experimen- tum ita, addidi sacchari saturni ℈j. & Camphoræ pon- dus duplicavi, sensique manifeste effectus promptiorem felicitatem. Quin, præmissis universalibus, prędi- ctum unguentum in Ophthalmia cognatisque affecti- bus tempestivè adhibitum, usque adeò rarò fefellit spem, in Colmariæ, Ratisbonę, Viennæ &c. quam- plurimis in pretio habeatur, felicissime illo & frequen- tissime tum ad præservandum, tum curandum uti soli- tis. Incidit hic memoria restitutę hujus beneficio 1672. Ratisbonæ puellę triennis, cui quicquid serosorum erat excrementorum ad oculi dextri regionem confluxerat ; intumescentibus ita circa oculum partibus, ut ne quic- quam videri posset, spectaculum erat, quale descripsit Cous noster l. περὶ ἀρχαίης Ιητρικῆς t. 32. aucto præser- tim circa noctem dolore, quod an universale ? quæri- tur lib. 7. Ἐπιδημ. t. 30. Conclamata videbatur salus oculi, cùm tentata per complures dies omnia, nucis ne cassę pretium effecissent, tandem obstructio alvi Syrupi rosar. S. S. exhibitione debellata ut l. περὶ τῶν κατ' ἄνθρωπ. t. 21. docemur, tum illitum chrysma, & majorana recens naribus eo successu admota fuit, ut altera statim die detumescere oculus & con- spectui se dare acceperit, brevi integra sanitate subsequente, materia verò per nares evacuata tam acri, ut etiam labia eroderet, quam quidem viam improbare videtur Dn. Mauritius Hofmannus in Sciagraph. Morb. Contagios. Disput. 34. sed con- fisus oraculo Hippocratico l. περὶ τοπ' κατ' ἐπιδημ. ἀνθρ tit. 21. Cui exemplum Heheſiſtarii, libr. 5. t. 16. patrocinatur, quo vergere videbatur, commodo

eduxi materiam. Vias ab incomparabili Stenonio, præceptore hîc Hafniæ meo, egregie didici, ut mirari subierit, qua ratione tantus ab oculo in nares canalis tam diu cœcus fuisse potuerit? *Johan. Valent. Willii.*

Aqua Ophthalmica nova.

Illustrationi spirituum, puritati humorum, eductioni excernendorum, mundiciei tunicarum, haud mediocriter consultum iri arbitrabar, si ex concinna simplicium ab omnibus authoribus commendatissimorum collectione spirituosissima aqua & paratu facilis & viribus præstans eliceretur. Quod an ego feliciter exsecutus fuerim, judicium penes Te & experientiam esto. Herbas certè, quas in constitutionem aquæ cooptavi, qui præ aliis omnibus visus claritudini dedicatas ignorat, hospes sit in medicina necesse est. Omnium scriptorum loco, ad quos provocare possum, esto Quadripartitum Excellentiss. Dn. D. Sim. Paulli.

Colligo scilicet, ad solis ortum cùm jam Mnemonis genitrix cœlos purpuravit, mensibus æstivis Valerianam magnam, chelidonium majus, euphrasiam atque fœniculum, quæ cum floribus, caulibus, foliis, radicibus eruo, probeque à sordibus omnibus repurgata, non tamen lota nec tusa, ęquali portione singula in cucurbitam capacissimam vitream conjicio, infundo dein aquæ rosar. albar. bis destillatę q. s. clausumque probe vas loco tepido committo, & triduanas inducias pro sorbendo & imbibendo, quem affudi, liquore rosaceo, plantis concedo. Tum aptato recipiente, leni admodum M B. calore latex limpidus nec usque adeò remisse olens destillatur, in quo tamen mephytis valerianæ prævalere videtur. Elicitum ita liquorem recentibus denuo herbis eodem modo collectis & purgatis affundo, repetito priori processu; quę cohobia atque hęc excipientęs destillationes ubi tertia vice successerunt, enituntur spirituosissimam aquam colore limpidissimo fonti similem, sapore subacri, odore mixto, prævalente tamen valerianæ, tantæ penetrationis, ut si vel unicam guttulam tetigeris, integram diem odorem liquoris sparges, solet etiam olei aliquid, fęniculum potissimùm redolens, innatare. Anceps hæsi extractumne salem lixivum, tam ex capitibus mortuis, quàm aliis recentibus plantis paratum (si enim ad liquoris ℔j. salis requiruntur ʒj. vel iij. atque ad salis ℥j. Olei ℥ß, ad ʒj. capitum mortuorum sales minime sufficere possunt,) impręgnarem oleo, liquorique sic permiscerem, An verò oleum sinerem, absque mixtione cum sale, innatare liquori? Illud suadebat, augmentum virium quod ex mixtione omnium partium plantarum redundaturum esset, si quidem in omni sale fixo lixivo, volatile adhuc aliquid latere, viresque aliquas plantæ peculiares suæ obtinere salia talia, non ambigebam, confirmorque jam rationibus Excellentiss. & experientiss. Dom. Olai Borrichii, magni illius Philosophi, in Hermet. c. 5. 1. nu. 8. Accedit deinde, quod oleum, in quo haud exigua & inutilis virtus dominatur, aqueo liquori alio modo uniri nequeat. Verùm quia in omni salis lixivio mordax latet acrimonia, (qua si careat retusis scilicet vehementia ignium angulis salinis, salis nomine indignus profectò est: (cujus aliquoties applicitæ oculi quorum sensus exquisitissimus, & dolor periculosus est, impatientes sunt, plus incommodi quàm fructûs, hanc salsuginis copiosioris admistionem excepturum videbatur. Noveram equidem alias etiam aquas ophthalmicas, longe salsiores adhiberi solere, v. g. sapphirea illa Agyrtarum apud Schroeder. l. 2. Pharm. c. 39. sed neque usum harum frequentem neque ad alia quàm crassiora vitia, v. g. pterigia, suffusiones, ulcera &c. approbare possumus. Ne verò aqua suo privetur oleo, nonne q. s. sacchari, ratione abstersionis scopo non adversantis, eo imbui, aquæque remisceri posset? Quin expertus sum etiam oleo quam studiosissime ablato, tanta tamen virtute liquorem ditasse, ut vel guttula, prout modò innui, volæ infusa & penetret citò, & odorem tota die, non omnibus verò ęque gratum, spiret, oculo, si guttula inditur, brevi mordacitate molesta est, brevique resiccatur, magno Virium argumentò, sufficientium ad acuendum visum, & facilè per miscellam salis & olei augendarum, si usus & necessitas postulaverit. Itaque hanc ego distuli, jurene, nec nè, Te arbitrum advoco. Effectum quod attinet, in me ipso non levem expertus sum, qui dextri oculi acie plane non ex voto fruor, sine tamen dolore, quam quotiens vesperi unius & alterius guttulę instillatione in oculum utor, manifeste acuo adeo, ut sequenti die liceat esse longe oculatiori. Ita ejusdem liquoris efficaciam laudarunt quotquot eo sunt usi, quamquam prima operatione rudior parumque crassior prodierit. *Joa. Valent. Willii.*

Pinguedo Viperarum Ophthalmica.

Ubi virus ibi virtus: Benefica mater est Natura, ubi maxime noxia videtur, obtulisse humano generi, ibi summum revera offert remedium; quoque excellentiores virtutes simplici cuidam è Regno triplici corpore indidit, eo magis id munivit, & quasi obvelavit, ut arcerentur indigni, contra rimantes ipsius arcana eò magis allicerentur non aliter ac thesauri illic tutissime reconduntur, ubi minima illorum præsentię datur suspicio. Exemplo sint viperę, quarum dotes medicæ olim ignoratæ, nostro potissimum producuntur seculo, ut proverbio: Sanguine viperino pejus, nullus in rei veritate ampliùs sit locus. Taceo illa, quæ jam publice mundo sunt exposita, Bezoardicum animale, Spinar. magister. sal volat. —^— um, oleum, taceo coronam viperinam, alibi recensendam, & alia. Pinguedo viperarum, ut oculos nitore suo & puritate mire delectat, ita præter alios usus singulare constituit Ophthalmicum. Meminit hujus tribus verbis Crollius Basil. Chim. p. m. 314. sed utendi modum non exponit, multò minus virtutes. Duplex est ille usus, ea enim vel extima oculi vestis, h. e. palpebra, illinitur, id quod pro visus confortatione & humorum dissipatione locum habet, vel, quod melius & præsentius, cum penna scriptoria munda, inferius obtusè resecta, gutta una vel altera in ipsum oculum derivatur. Medicamentum est divinum & serenissimum in affectibus oculorum plerisque, imprimis verò, ubi unguiculus unus vel plures, *ein Sriftelin*, se prodit, idque vel simpliciter, uti dictum, adhibitum, vel prius leniter calefactum. Demulcet acrimoniam, lenit, abstergit, consolidat, ut nihil suprà. Hac ipsa sæpissimè unguiculos & tubercula brevissimo tempore abegi, rubedinem discussi, & aliis affectibus opem tuli. Vulneratis oculis præsentaneo est auxilio, à variolis residuis in oculo maculis, nubeculis & unguibus unice medetur. Hoc autem inprimis peculiare & curiosum est, quoties instillatur oculo, brevi post tempore instar butyri albi, purisve effluit materia, vel, quod humores acescentes & acres h. m. quasi salino pinguedinis fermento, præcipitantur, vel, quod eadem omnem amurcam, sine mordicatione, abstergit & educit. Possem plurima citare experimenta, nisi crederem, tam apricam veritatem luce meridiana emicare clariorem. Usu mihi commendata est, in sæpius jam dictis Unguiculis, in Ophthalmia, tum alibi, tum post Dysenteriam exorta, in suffusione ipsa, in ulceribus oculorum, maximè post variolas, in vulnere per fusi acumen, *eine Spindel,* facto

facto restituto humore aqueo, sed ob nimiam læsionem sine exacto visu. Dedi illam insuper interne binis Phthysicis, alteri utri Studiosis cum successu. Cùm enim pinguedine canis quidam restituti sint tabidi, cur non balsamica viperarum pinguedo præstaret idem? Prodest in morbo & externe spinæ dorsali inuncta laudato eo nomine jam olim Cardano. Consolidat etiam vulnera alia, sed cùm experimenta plura hanc in rem; v. g. circa restitutionem oculi humorum, circa vulnera nervorum, &c. mediter, hisce hac vice finio. *G. V. Wedelius.*

Fel Viperarum Ophthalmicum.

Ut fel lucii piscis cum modico sacchari mixtum, præmissis præmittendis, & vesicatorio simul applicato, feliciter Cataractas incipientes abigit, experientiâ Scul. Armam. Chir. tab. 53. p. 40. ita longè præsentius id expedit fel viperarum quo simili modo adhibito, incipientem suffusionem in Viro Rever. discussi. Sæpius quoque idem miscui cum essentia Sulphuris, cum vino Malvat. facta, descripta ab Angel. Sala in sept. plan. terrestr. p. 211. Sicque Ophthalmicum admirandarum virium his viperæ novis virtutibus adauxi, feliciterque eodem in ejusmodi oculorum affectibus utor.

Aurea Gal. est sententia 4. de comp. Med. sec. loc. c. 4. ubi scribit de pharmacis ad suffusiones compositis, promissiones horum magnificas esse, effectus verò aliquando nullos, aliquando valde exiguos. Id ægri toto die experiuntur, variis frustra ab agyrtis divexati. Sin verò ex methodo abstergentia ejusmodi acriuscula, innoxia tamen, adhibeantur, non raro voto suo damnantur. Pollet fel viperarum sale volat. discutiente, sic salem viperar. ipsum, aq. purâ resolutum, ter de die instillatum, facie supina aliquandiu detenta commendat Severin. Vid. *Güldenklee* l. 1. c. 23. Saccharum Canariense, de natura salina participans, additum, mucositatem aliqualem fellis temperat, & propria abstersione vires auget. Hoc solo fœmina quædam circa Magdeburgum, ante aliquot annos magnum quæstum fecit; insufflando pulverem subtilissimum Sacchari in oculos suffusione laborantes, & continuato remedio ægros plurimos restituens. Veneris laudes A. Sala l. c. satis superque deprædicat. Præter verò hęc Medica, alia quoque observanda sunt circa suffusionem, quo de elegantissimus extat locus apud Senecam Epist. 94. 1. Remedio opus, scribit, quo purgetur acies & efficientem sibi moram effugiar, 2. Oculos ægros non tantùm Medicus curat, sed etiam monet; Non est, inquit, quod protinus imbecillam aciem committas improbo homini: à tenebris primò ad umbrosa procede, deinde plus aude; & paulatim claram lucem pati adsuesce: Non est quod, post cibum studeas; non est quod plenis oculis ac tumentibus imperes: Afflatum & vim frigoris in os incurrentis vita: alia ejusmodi quæ non minùs quàm medicamenta proficiunt. *Idem.*

Axungia leporina ad oculorum pannos.

Non esse turpe Medico ab agyrtis nonnunquam; vetulis & Veterinariis aliquid addiscere Medici mecum haud pauci statuunt. Audivi quondam à Veterinariis equos, quorum oculi sunt pelliculis prorsus obvelati, illita axungia leporina curari: tentavi id in hominibus, & in leucomate, panno; me nunquam fefellisse quin profuisse sæpius obtestor: Temperavi tamen axungiam leporinam melle rosaceo. Hoc addo, unguentum ophthalmicum J. Val. Willii Actis Med. Hafn. insertum me sæpius exoptatissimo cum successu, non in inflammationibus oculorum tantùm, verùm & pannis & aliis multis adfectibus, oculorum sed methodicè adhibuisse. *Rof. Lentilius.*

Hepar Bovis Nyctalopes curans.

Pro lectione publica aliquando Dom. Gothofredus Hœbius P. P. Jenensis hæc verba faciebat: Nyctalopia facilè curatur, si Hepar Bovinum coquatur, post in tres partes dividatur, & quælibet tertia detur manè jejuno ventriculo Nyctalopi comedenda. Hoc modo famulum meum Nyctalopiâ curavi. Hæc cedo prout è laudati viri ore excepta in chartam conjeci. Pro confirmatione autem hujus experimenti afferre possum, quod mihi in praxi obtigit. Pastorem Ecclesiæ novi, qui ante triennium post Solis occasum quotidie cæcus reddebatur, quod ipsum non tantùm permolestum, sed & rei familiari summè noxium erat. Curatus tamen fuit hoc, de quo dixi, remedio per sex dies continuato. Eundem affectum Hepatis anguillæ super Carbones assati esu curatum notavit Panarollus Observat. pent. 3. Observat. 49. *Dom. Alardi Hermanni Cummeni.*

Remedium Atrophiæ Oculi.

Proprio sibi modo, scitè, inquam, plurimum Plinius pretiosissimam partem Corporis vocat oculos. Quod enim Sol macrocosmo, id microcosmo oculum esse constat. Nec ideo quod hic pretiosior pars majoribus exemptum se insidiis gaudet: cùm ex pluribus affectibus, qui præter naturam ejus actiones turbant, sit Atrophia Oculi. Quæ originem ducit vel ex nutritii humoris defectu, vel ab humectatione debita intermissa, vel nimia Spirituum jactura. Affectus hic quidem rarus est, curatuque difficillimus, cui etiam vix medicamenta ore assumpta solùm resistere possunt; ut enim restituendus medicamento planè specifico humectante, foras oculis instillato, id quod docuit Juvenis atrophia incipiente correptus. Qui natura aliàs siccus, & à nimia Venere, calidisque ad venerem languentem confortandam assump. is malum sibi asciverat.

Ut oculi periodus imminui videretur, siccitas adesset, & cum dolore levis ardor. Qui cùm consilium ex me peteret, opportune se menti infirmat confortativum humectans singulare in affectibus oculorum, quod mihi fortè fortunâ ante aliquot septimanas culter anatomicus detexerat; cùm occupatus fueram in anatomia Oculi Urogalli, quem cùm nimium pressissem, incisione profundiori effeceram; ut humor aqueus casu oculo insiliret, illumque madefaceret, ex quo aciei visus consultum iri percepi, & lenitivum dolori, & siccitati quibus tum temporis oculus mihi ex nimia lucubratione vexabatur, sponte offerri sentii. Sentii, & consulenti autor fui, ut ex erutis mactato Urogallo cæteroque gallinaceo generi oculis (in copia quippe tum in Italia habebamus) sibi instillaret hunc liquorem, pro dięta verò sibi eligeret gallinas coctas cum Endivia. De cætero continentiâ eò anniteretur, ut abstineret nimia venere, & usu medicamentorum nutrimentorumque quæ gradum calidi debitum excedunt. Hisque effeci, ut paucis eclipsata illius lumina illustrarentur, & globus oculorum ad pristinam rediret figuram.

Scholion.

Notandum 1. Non necesse erit, si quis humorem illum vellet in usum medicum trahere, ut semper sit ex oculis Urogalli, idem quippe pręstabit meo judicio aliorum animalium, præprimis illorum, quę præ

reliquis acutiori visu gaudent. Nam quod Ipse ego tunc temporis humorem elegi gallorum & gallinarum, fuit quod ibi in Italia mensæ nostrę fere quotidie hoc alitum genere instrueruntur.

2. Hoc Naturæ compositum prævalere multis pretiosissimis chymica arte eductis liquoribus existimo. Cùm Artem Naturæ famulam, an simiam dicere, certè ambigam.

3. Si cui data occasione suppetat copia colligendi hunc liquorem ex oculis animalium, studeatque modo illum conservandi, adhibitis aliis, quę vim ipsius non imminuant, sed magis augeant, habebit sanè singulare remedium, & poterit aliis specificis miscere, ut exinde prętantius redundet auxilium.

4. Dum de oculo & liquore multis oculorum vitiis appropriato sermo vertitur, placet erecto mentis oculo plus ultra tendere, eòque pręlucente arduam scrutari materiam. An quoque læsis & exhaustis oculorum humoribus liquor iste vim habeat subveniendi. Circa humoris aquei restitutionem nullus facilè dubitabit, illius enim regenerationem vidit Galenus lib. 1. de Sympt. caus. cap. 2. Coïter quoque illud observavit in Observ. Anat. Chirurg. Calculum quoque suum addit Benivenius cap. 74. de Abd. quę exempla nonnullis aliis illustravit Schenchius in Observ. Medicis. Si Natura jam vel maximè sponte sua occupata est, ut restituatur perditus humor aqueus, magis id prętabit in ista actione, cooperante liquore hoc verè appropriato.

Quin insuper restitutioni vitrei quoque inserviat nullus ambigo. Magis tamen prętaret si cum vitreo conjunctus quotidie, adhiberetur. Quia aliàs defectum hujus humoris albumine ovorum supplevit olim Duncanus Liddelius Medicus eximius, non absque ratione, quod signatura ipsum edocuit comparationem planè similem humoris vitrei cum albumine ovorum; & quod albumen ovorum vulnerarium est, & consolidatione tunicarum efficere potest, ut humor effusus regeneretur. Sic Henricus ab Heer. Obs. Spad. 4. scribit succo Ulmariæ mense Maio collecto, gallo gallinaceo, ut & puellæ cuidam, vitreum & aqueum reddidisse humorem. An verò etiam conducat crystallino, arduum sanè erit formare judicium. Videtur enim omnes ferè, qui hactenus in ista re occupati fuere, unanimiter desperasse in hujus humoris restitutione præter paucos, quibus (in hoc seculo, aliàs ferreo, ingeniorum vere politiorum fertili segete, plane aureo) de meliore luto judicium finxit Ter Maximus, qui acumine judicii & indefesso labore eò pervenere ut destructis tribus humoribus, immisso succo chelidonii, effecerunt quod non solùm ab isto humores restituerentur, sed & visus pristinæ integritati. Experimenti copiam exhibuit ante aliquot annos Caspar Schottus in Tech. curiosa lib. 11. mirmisc. c. 2. p. 895. asserens præstitum Pragæ in præsentia D. N. Doctoris Marci, ab Anglo quodam curioso: Sed quod majus, ante annum Franc. Josephus Burrhi in Epist. ad Exc. Th. Bartholinum, non solùm hujus experimenti dedit descriptionem, sed & arcani, & quo artificio humores exprimendi, & quo modo restituendi exactam exhibuit delineationem, multisque factis experimentis veritatem hujus inventi vindicavit: Cujus rei testis omni exceptione major accuratissimus hujus sęculi observator Th. Bartholinus, qui in Lit. pridie Cal. Oct. 1669. Hafniæ datis ad Exc. Dn. Phil. Jac. Sachs à Leuvenheim, testimonium sequentibus scripsit verbis, De artificio humores oculorum effusos omnes restituendi quæ ad me perscripsit Illustris Burrhus non dubito Te legisse: Experimentum tantùm in ansere successit, quamquam justo profundius fuerit vulnus oculo inflictum: Cæterum laboratorium suum D. N. Burrhus, mole vastum, cum trabibus, ferro & camino, ab una urbis regione dissita ad aliam machinis tractoriis transtulit, de quo ipse lusit.

Limina fixa volant, pariterque volatile figunt,

cui pentametrum addidit Huberus, Medicus & Poëta.

Dædalus alter adest, Hermes & alter ovat,

Ex quibus luce meridiana clarius patet possibile esse arte restitui posse humorem Crystallinum: Ast posito humorem illum posse restitui artificio, ab exercitata manu expressum, effusionem tamen illius casu factam vix ac ne vix aliquis restituet: Casu quippe vel ictu vulnus inflictum violentia quadam peragitur, qua impossibile erit quin nervus opticus non lædatur, vel fibræ profundiores pullulantes à nervo optico, vel tunicæ, quibus læsis, etiam in artificiosa expressione nulla restitutio speranda. *Joachimi Georgii Elsneri.*

Experimentum Opticum, conducens visui deficienti, communicatum per Virum Honorandum; qui ejus beneficium ipse est expertus.

Communicabo tecum Experimentum, si eo potiùs nomine quàm nugarum dignum est: cujus materia omnibus est nota, sed non adhibita (quantùm sciam) in illum usum cui idonea est. Et mihi quidem usus ejus majoris est valoris quàm fortè credideris; & puto eundem juxta proficuum fore pluribus. Et fortè nemo patiens fuerit usus ejus, nisi qui eodem casu necessitatis & defectus mecum teneretur. Et sic nosti me sæpe doluisse defectum visus mei. Profiteor animum effœminatum, quando multas fudi lachrymas in studiis meis, ob eorum defectum: sed hoc modo minimè visum poteram recuperare. Nescio quęnam fuerit causa hujus defectus oculorum meorum, cùm nondum superarim annos 60. ætatis: an quod sæpiùs steti ante flammam ignis, an quod sæpe scripsi è regione fenestræ coruscę, an quicquam aliud: Sed videbar ipse mihi circundatus densa nebula vel nube, & globulos atros observare volitantes per aëra circum oculos meos, & quasi subito intrassem in conclave ex longa ambulatione per profundam nivem. Imò non poteram discernere facies familiarium meorum, neque mares à fœminis, in conclavibus lumine non carentibus. Non poteram legere Biblia Ecclesiastica typis grandibus & atramento egregie nigro impressa, nec poteram servare planas, tritasque semitas per campos & pascua, nisi manu ductus. Nullorum perspiciliorum ope juvabar, sed similis eram illis, quorum visus defectus ex senio major est ullo remedio perspiciliorum. Maximè legibiles Impressiones mihi apparebant per perspicilia instar cęcarum Impressionum, pauco atro remanente.

Hac infirmitate correpto quas nugas putes fuisse auxilio, quas æstimo supra magnam vim auri? Certè, nil nisi quod sequitur. Accepi perspicilia amplissimis circulis; pressè ad semi-circulos partis superius utrinque dissecui ossa; deinde, exceptis vitris, circulis vacuis adaptavi nigrum corium Hispanicum, instar fasciolæ spiralis (taper-vvise:) & circuli isti satis dilatati (unà cum aucta amplitudine corii) capiebant totum oculum meum ad extremitatem ampliorem, & statim animadverti beneficium per minorem extremitatem spiralem, cùm possem legere minutissimas impressiones, ac si fuissent majusculæ & bene distinctæ. Curavi corium illud à Chirothecario resui duplici sutura, ut egregia rotunditate donaretur, & excluderet omnes radios luminis, Corium tinxi atramento, ut nitorem tollerem. Et hęc est sola molestia, quam habui, præter usum & patientiam in praxi. Tantum, ubi comperi remoriore ori-

orificio minore, diſtinctiorem & clariorem minutiſſimam Impreſſionem apparere, & idem orificium magis parens, majus occupare ſpatium, ideoque non requirere tantum motum manus & capitis mei injectione: reſecui unam harum faſciclarum ſpiralium (Tapers) paulo amplius brevius altera: & hac ampliore utor ad communes Impreſſiones legendas; longiorem & tenuiorem ad impreſſiones minutiſſimas: has ſine ulla moleſtia, prout commodum vel neceſſarium viſum fuerit, altero. Nonniſi extremitatem digiti mei auricularis capere poteſt orificium brevioris; ſed idem digitus paulo profundius, nec tamen uſque ad primum articulum penetrat in orificium amplioris. Mox hoc, mox illo oculo utor, ſecundum commodum mutationis; nam ſciendum radios viſuales utriúſque oculi non concurrere in lectione in mutuum auxilium, quando tam procul ſunt diviſi per tubos iſtius longitudinis.

Quò lucidior eſt materia, eo minus negotium faceſſit. Semper denigra interiora latera, ne niteant. Tubos etiam convenit ita eſſe mobiles, ut extendere eos & contrahere queas, nec non (ut modò dixi) facere orificium amplius vel anguſtius, prout commodum viſum fuerit ad uſum. Mihi non fuit neceſſe, ſed conveniens arbitror, ut ſericum villoſum, vel corium molle agglutinetur extremitati ampliori prope oculos; quo oculi arceantur ab ambiente lumine.

Jam dixi tibi, me nullam opem inveniſſe in ullis lentibus perſpiciliorum; ſed nondum tentavi, quid lentes his tubis inſertæ præſtarent, cum mihi illis non ſit opus, contentus ſum nudis tubis. Nunc ſummopere gauderem, ſi familiarium meorum quidam adjuvarentur obvia hac inventione (non continente niſi vacuum & tenebras.) Et fortaſſis aptiores ſint tubi illi ſtrabis, quorum oculi ſeorſim eunt, & objecta ita repræſentantur, quaſi linea ſuper lineam ſcribenda eſſet, ubi, ambabus etiam rectiſſimè ſcriptis, neutra facile ſit legibilis. Hic ſtrabi detinebuntur in quiete, & dirigentur modo debito atque ordinato. Profectò inde ſe allevari ſentient, qui non poſſunt ferre lumen, & fortaſſis oculos diutius præſervarent. Si N. N. inde beneficium perceperit, prout ego, gratias tibi agat pro informatione &c.

Excerpta ex alia Epiſtola ejuſdem Viri, confirmante contenta prioris; & addente alias quaſdam Obſervationes circa Viſum.

Plus valoris eſt in ſimplici illa Obſervatione, quam nuperrime tibi miſi, quàm quis putet, qui non eodem, quo ego, defectu laborat. Et fortaſſis nemo patiens ſit uſus illis, niſi qui eadem, qua ego, neceſſitate tenetur. Deo gratias pro eo ago, quandoquidem auxilio harum nugarum, (the Taper tubes) æquè bene video, ac maximè juvenes in familia mea, & per tubos dictos legere poſſum impreſſiones quantumcumque minutas & obſcuras, non ſecus ac unquam potui ab infantia mea, cùm tamen viſus meus penè eſſet abolitus. Et ubi loco Perſpiciliorum his vacuis foraminibus uſus fueram paulò ſupra ſeptimanam, nunc iis utor totam diem ſine moleſtia, & certò perſuaſus ſum, ex hoc brevi uſu eorundem, viſum meum jam multùm eſſe correctum. Video enim nunc Virorem horti, & paſcua viridia, cùm tamen nuperrimè obſcuri colores, cœruleum & viride, eandem mihi præberent ſpeciem.

Si rogas, qua ratione inciderim in hoc inventum, dicam omne quod novi. Abhinc aliquot annis conformabam Polemoſcopium Hevelianum; Cùm tentarem Tubum, ſine lentibus Dioptricis, percepi quod, licet Tubus parum admodum occuparet, & videretur vix aptus ad momentoſum uſum; tamen objectum mihi appareret diſtinctius & clarius per Tubum, quàm per aërem apertum. Hoc recollegi, & ſuper eo inſtitui tentamen, atque comperi effectum penitus reſpondere deſiderio meo, & maxime aptum eſſe tubum ad Characteres ibi impreſſos. Et tunc non parùm arguebam meam ſtupiditatem; quòd non citius obſervaſſem indicium propoſitum in Ingenioſi Doctoris Lovveri Obſervationibus circa Maculam in equorum oculis, impreſſis num. 32. quanquam id nihil pertinet ad meum caſum, in quantum parum video aëre obſcuro, (gloomy) vel nubilo; neque laboro concurſu humorum, vel ſenſibilium defluxionum circa oculos meos.

Et nunc permitte mihi ut addam, quod ſi conſuluiſſem eruditiſſimos & ſapientiſſimos mortalium, non dubito quin ab iis defectus meus omni remedio major judicatus fuiſſet; & forſitan perdidiſſem Crepuſculares (ut ita dicam) reliquias viſus mei per fortuita tentamina circa tam tenerum organum. Quis ſciat, quàm ſæpe ſapientiſſimi mortalium aberrent, remedium obvium contemnendo? Videmus quot ingenioſi & laborioſi artifices; & quàmdiu laboraverint in Ellipticis & Hyperbolicis ſectionibus lentium, ſperantes eo ipſo efficere fragile illud corpus Vitri pretioſius pulcherrimis Adamantibus: attamen dubito, quin hæc inventio perducta in ſummum perfectionis faſtigium mihi id præſtaret, quod præſtant hi vacui & obſcuri Tubi. Sed enim nunc ſpero omnes, quibus Virtus & Philoſophia curæ eſt, uſuros tam juſta bilance ad examinandam virtutem rerum, ut ſingula quantumcunque vilia & contemptibilia videantur, æſtiment ſecundùm rationem beneficii & auxilii, quo defectivis ſubveniunt? Ἄριστον μὲν ὕδωρ.

Non ſilentio hîc involvendæ ſunt paucæ quædam notæ, quarum quædam referuntur ad Obſervationes Doctoris Lovveri, communicatas in jam memorato Numer. (32.)

1. Equos ferruginei vel ſcutulati coloris eſſe ſolere obnoxios amiſſioni alterutrius, vel utriuſque oculi, ſi juſto citiùs in nimium velocem curſum fuerint impulſi.

2. In hominibus & brutis (minimum in equis) oculum dextrum eſſe infirmiorem, & frequentiùs defectivum.

3. Pupillam oculi ampliorem eſſe in myopibus, quàm qui longiùs vident.

4. Sæpiùs obſervavi myopes, non dicam lippientes, omnia diſcernere, quæ circum ipſos aguntur ferè à tergo ipſorum, perfectius, quàm qui optimo gaudent viſu, quandocunque non eſſet conclave nimis amplum pro activitate viſus eorum.

5. Poſſim quoque quaſdam Obſervationum Doctoris Lovveri confirmare meâ experientiâ. In juventute mea anguſta mihi fuit ſalus ab egregio equo, qui tantùm pterygio laborabat, (quem mihi defectum poſt caſum narrarunt.) Propoſueram tranſilire ſcrobem, ſed equus nullam videns ſcrobem, me ſecum in ruinam traxit. Prout Equi bijuges & plauſtrarii habent tegmina ad oculos, quà vergunt ad aures, ita hæc tegmina queant adaptari (& in ſpeciem ornatus) ad obumbrandam ſuperiorem partem oculorum, ut tamen ſatis luminis habeant ad progrediendum. Neſcio an apud vos ſit uſitatum, inſtar anguſtę larvę ante oculos, quę debitis locis erat perforata ad ducendum oculum. Et hoc ferebatur eſſe præſentaneum remedium puellæ tortis oculis videnti quod vitium contraxerat quaſi jure hæreditario ex matre.

Ut concludatur, prò tuo tentamine perſpiciliorum tuboloſorum: addam tubulos poſſe conſtare ex charta tantum denigrata, & conglutinata, quæque plicis interioribus extendi queit, ex unius digiti in trium longitudinem; quarum quædam plicæ extrahi queant, ut orifi-

orificium sit vel amplius vel angustius, pro ratione gradnu cujuscunque defectus. *Act. Philos. Londin. Jul.* 1668.

Annotatio Concernens ante dictam narrationnem de Tubis vacuis utilibus ad visum deficientem, Ejusdem Authoris.

Domine rogo Te ut significes me tentasse Convexa Perspicilia quę ab hinc annis circiter tribus (antequam visus meus eo usque deficeret) mihi satis utilia erant, & vix vitris impositis in meos tubos spirales vidisse minutissimas impressiones aliquanto majores, sed non ęque claras, distinctas, atque oculo jucundas quam per tubos vacuos. Sic confirmatus sum in sententia vacuos hos Tubos prędservare, corroborare, & aliqua ratione restaurare visum: Et commodissimi mihi sunt Tubi coriacei, quibus primò usus sum, imò commodiores sunt non affici circulis perspiciliorum: Nam simplici illo modo pendentes possum tactu digitis meis eos elevare, deprimere, dividere & unire in eodem objecto, quod majus est quàm quod primò dixi, eosque applico mihi, & removeo eadem qua quævis perspicilia velocitate. *Actorum Philos.* 1668. *Sept.*

De Vitio in Oculo Equi hactenus non detecto ab ullo Authore; quæ multùm utilis esse queat curiosis in eligendis equis: per D. Richardum Louverum coram Regia Societate facta, Ianuarii 23. 1668.

Inter varia vitia & defectus oculorum, oculi Equorum afficiuntur speciatim uno, quo nullum aliàs animal, (quantùm observavi) neque memini illud vitium ab ullo Authore hactenus fuisse observatum. Est autem illud Spongiosa Excrescentia (ut plurimum colore fusco) quæ excrescit ex acie Tunicæ oculi dictæ Uveæ; quæ spongia si ampla evadat, vel numero crescat (prout sæpe accidit) corrumpit admodum Visum, vel prorsus intercipit. Sed ut faciliùs concipias modum, quo id accidit memineris, Uveam esse partem musculosam, ejusque usum præcipuè esse contrahere & dilatare seipsam ad admissionem Objectorum tanto cum lumine, quantùm Oculus convenienter sustinere possit; ita quò splendidius & magis radians est lumen, cui Oculus est expositus, eò magis contrahit se membrana illa in circuitum angustiorem, & quò locus est obscurior, eô se magis dilatat: quemadmodum videre est in Oculo Felis promptiùs evenire, quàm in quovis alio animali hactenus à me observato. Si itaque substantia spongiosa, quæ excrescit ex acie Uveæ adeò fuerit ampla, aut numerus earum tantus, ut crescant in diversis locis circa Oculi pupillam, ubi semet contrahit, pupilla vel visus plurimùm (si non totaliter) obstruitur, & per consequens Equus parum vel nihil videt, quemadmodum sæpius observavi in equis quibusdam, qui adducti in locum apricum nihil poterant videre, quin potiùs patiebantur me tangere pupillam Oculi sui digito meo sine ullo nictu: at iidem reducti in stabulum, Uveâ in loco illo obscuro se dilatante, denuo optime poterant videre, nec patiebantur ut admoverem digitum meum proxime oculis suis, sine frequenti nictu palpebrarum, & capitis quassatione. Eosdem equos percepi ex possessoribus valdè pronos esse ad vacillandum interdiu, tempestate serena & Sole splendente, sed bene & secure ambulare vesperi, & tempestate obscura ac nubila.

Quænam sit causa hujus fungosæ Excrescentię: vel quare peculiarirer. Equi illi sint obnoxii, vel quę maximè Equorum species, non consideravi. Sed non possum opinari, illam oriri ex nimio labore in vehendis ponderosis oneribus, vel nimiis cursibus, aut longis, velocibusque itineribus, quia vidi amplas admodum Spongias (ut ita vocare liceat) in equorum juvenum anno ætatis 2. quartove oculis, antequàm fuissent agitati vel exerciti; Spongiæ autem illę, postquam equi stabulis fuerant detenti, & nutriti cibo sicco, multùm decreverant: postquàm verò in pascua Veris tempore redierunt, ad purgandum & refrigerandum corpora sua, rursus excreverunt in pristinam amplitudinem. Verùm utrum id acciderit ex nutrimento humido, vel demissione continua capitis ad edendum (quæ inferret majorem defluxum humorum in illum locum) nequeo determinare. Quoniam verò pauci sunt equi omnino liberi ab hoc vitio, & multi eo ipso contemptibiles redduntur, recensebo Casus maxime observandos, quibus Equi plurimùm inutiles & suspecti fiunt.

1. Quò plures & majores Excrescentiæ illæ sunt, eò magis pupilla Oculi seu Visus obnoxius est totali obstructioni; quod ulterius examines, vertendo oculum Equi lumen versus, & observando, quantùm pupillæ obstruant.

2. Spongiæ superioris aciei Uveæ solent in majorem excrescere amplitudinem; & visum magis obstruunt.

3. Spongia in medio Uveę crescens, magis obstruit Visum per distractionem objecti, quàm quę crescit in alterutro angulorum.

Quòd Curationem concernit; arbitror nullam posse exspectari, nisi ex sicco genere nutrimenti; quanquam fortassis & exteriùs aliquid possit inveniri ad obumbrandum oculum, eumque arcendum quo minùs nudè Soli exponatur, & per consequens visus non tam multùm obstruatur. *Ex Actis Philosoph. anni* 1668. *m. Februar.*

Vermium generatio singularis, in oculorum palpebris & aurium cavitatibus.

Narravit mihi vir fide dignus, dum viveret, Casparus Wendlandt, Pharmacopęus Expertissimus, S. R. M. Pol. Minister & Civis Elbingensis, se in Polonia puero cuidam rustico duorum annorum vermiculum album è palpebra extraxisse, cujus cuticula parùm duriuscula erat, magnitudinis erucæ (Germ. *Raupe*) consumpsitque vivendo quatuor dies duas amygdalas dulces: circa oculum pueri tumor insignis cum rubedine apparebat, palpebraque clausa non sine insigni dolore manebat, extracto verò vermiculo neque sanguis, neque pus è foramine emanarunt, cui vermiculus inhęserat, puerque ille postea optimè valuit. Vermiculus mortuus coloris parùm rubei, sive ejus, qui est corticis amygdal. conspiciendus erat. Similem fere huic casum mihi & D. D. Segero narravit hoc anno millesimo sexcentesimo septuagesimo ante aliquot septimanas Chirurgus noster Antonius Statlender, qui cuidam puero ex aure extraxit vermiculum talem; qualis in nucibus avellanis perforatis latitare solet, sed paulò majorem, coloris albissimi: alteri quinque minores ejusdem generis similiter ex aure: omnes aliquot horas supervixerunt, nulloque alio liquore quàm Spiritu vini mistura simplici permisto enecari potuerunt. Vermiculos adhuc viventes oculis nostris vidimus.

Scholion.) De Natura Vermium & Lumbricorum optimè disserit Joh. Bettus, Med. D. Regis Medic. Ordinar. & Collegii Londinens. Socius de Ort. & Natur. Sangu. Londin. 1669. edit. qui cùm paucorum manibus adhuc teratur, ejus verba excerpere placet. Ita verò ille Cap. 1. sect. 3. §. 6. p. 26. Lumbrici in intestinis ex diutina putrescentis lactis (ita chylum vocat) mora manant,

nant, & in solidam quandam coëunt substantiam. Nam cùm corruptione omnia in peius ruant, idcirco alimentum quod ad nobiliorem effectum humanum scilic. corpus restaurandum, ex naturæ intento datum fuit, idem labascens ac in sordes degenerans, animal quoddam imperfectum ac formæ rudioris generatione æquivoca efficit. Convenit cum ructu acido, distans saltem putrescendi gradu & modo: ructus etenim ex ventriculi ore inferiore nimis adstricto provenit, Lumbricus à lacteis obstructis, debilibus aut angustis, unde halitus acidus & ventris tumor frequens signum eorundem. Causa materialis illorum inde patet: inveniuntur vermes in fimo & cœno, in carne corrupta, nucibus, fructibus, in caseo Parmensi vino addito, in caseo pingui non debitè presso; unde constat pinguedinem, viscididatem, humiditatem, calorem & putredinem ad verminationem concurrere; quæ omnes causæ in lacte (chylo) intra intestina putrescente stercoreque admisto reperiuntur. Membranaceum est animal, quia caseosa lactis pars sufficit ad ejus totum corpus cute vestiendum. Notandum ea quæ lac minuunt, ut acria, salsa, acida, & amara Lumbricos quoque necare: Mercurius verò ad eos exstirpandos adhibitus resolvendo & quasi enervando partium rigorem eos occidit: nam cùm alimentum in singulas eorum partes motu peristaltico devehatur, hoc cessante vitam quoque unà cessare ipsam necesse est. Generantur Lumbrici in quolibet sexu & ætate si debita materia & obstructio viguerit: in pueris præcipuè, in juvenibus non rarò, in senibus aliquando, sed maximè in mulieribus iis quibus subbiliosis materię vomitus extra conceptionis tempus contigerit. *Hactenus D. Bettus, Simeonis Schultzii.*

Palpebrarum Paralysis.

Quanta hæc difficultate curetur, consilia saltem apud D. D. Timæum Medicum celebratissimum ostendunt. Observationem nostram in casu rariori hîc adjunximus, si forte simili circumstantia conferre posset quidpiam. Mater puellæ decennis caput Achoribus crustulisque scatens, unguento, nescio quo, desiccarat. At sequente nocte, ceu alibi dispnoëa, epiphora, epilepsia, ita hîc peculiare istud malum supervenit, ut Japonensem, aut à media tartaria quendam in solio suo quasi verecundantem videre crederem. Purgantia universalia & capitis particularia interna, resolventia retro aures, externi cum aquis, ac oleis nervinis litus, &c. frustranea erant omnia. Tandem incidit vis olei Tart. nigri. sæpius in resolutionibus æquè ac contusionibus nervosarum partium comperta: & applicatum est palpebris inferioris frontis parti, ad emplastri quasi formam cum ceræ particula redactum; brevi evanescente malo, ut obtutu defixa in uno satis oculatam se testaretur. *Danielis Ludovici.*

Morum in palpebrâ oculi curatum.

A. H. Chirurgo Noribergensi, tuberculum in forma, magnitudine, & colore fructus mori in inferiori palpebra oculi dextri excreverat, cujus impatiens, ob deformitatem Vultus, & metum ulterioris augmenti, in tempore præventurus, seta ex cauda equina circumligata, & indies arctius contracta, ad radicem usque sibi ipse illud abscidit, sine omni sanguinis profluvio, nec unquam postea recruduit, aut recrevit. *Ex observ. propr.*

Scholion Helvvigianum.) Oculorum partes dividuntur, secundùm Bartholinum lib. 3. Anatom, reform. cap. 8. vel in externas, quæ circa oculum, vel internas, quæ in ipso oculo existunt. Illæ munimenti seu commoditatis causâ procreatæ, nimirum palpebræ cum ciliis & superciliis, item carunculæ in angulis oculorum; Hæ, quæ ipsum oculum constituunt, sunt adeps, musculi, vasa, membranæ & humores. Palpebræ utriusque oculi sunt duę, superior & inferior, utręque oculum tegunt & claudunt, itemque ex aliquorum sententia tunicam oculi corneam extergunt & depurant, deinde simul suggrundinatione sua illustriorem retinę picturam reddunt; & constant ex cute, membrana carnosa, musculis, tunica, tarsis, & ciliis. Sed cùm membrana carnosa cuti ferè ubique in corpore connectitur per venas, arterias, nervorum propagines, & fibras membranaceas, atque ex diversis causis suos quoque patitur manes, ita etiam hac in parte diversi affectus oriri queunt, veluti tumor seu inflatio palpebrarum, densitas, asperitas, callositas, scabies, tubercula, verrucæ, hordeolum, grando, nodi & excrescentiæ, palpebrarum inversio, horum inter se, & cum aliis oculi partibus coalescentia, cancer, livor ex percussione, incisio vel vulneratio, pediculi in pilis palpebrarum, pilorum inutilium & oculos pungentium in palpebris, ortus, duplex vel multiplex pilorum ordo, pilorum defluvium, denique palpebrarum crassities cum pilorum defluvio. Huc quoque numerentur oculos aperiendi impotentiæ; palpebrarum perpetua nictatio. Affectum hîc nostri subjecti ad nodorum vel excrescentiarum genus referimus, quę non ex humoribus, sed ex solida substantia ortum habere dicuntur, à variis autem formis diversam sortiuntur appellationem. Nominantur enim vel sessiles, quæ stabiles, latæ, ac altioribus radicibus fixæ, minusque ex cute sese exerunt: alię dicuntur pensiles, quòd exiguo quasi pediculo, tanquam de chorda dependeant; hæ si non sunt ejusdem coloris, sed morum, ut nostra, aut thymi florem referunt, atque inęquales & parvæ sunt, Thymi appellantur; si verò majores, à similitudine, quam habent cum ficûs fructu, Ficus nominantur. Ortum hę omnes habent, ut pulchrè scribit Sennertus lib. 5. prax. sect. 1. cap. 37. à materia crassa, melancholica & pituitosa, quam cùm natura non potest discutere, ex ea hoc genus nodorum format. Posteriores ob radicem exiliorem facilè extirpantur, & semel excisæ non renascuntur; priores subtus radiculam rotundam habent, quæ penitus ad carnem descendit, eæque excisæ, relicta radice, rursum recrescunt. Tolluntur autem hę excrescentię vel nodi aut medicamentis, aut Chirurgi manu: medicamenta externè applicata, sive qualitate & proprietate occulta hoc præstant, sive earum alimentum exsiccant, ut postea marcescant & evanescant; per chirurgiam tolluntur seu extractione, seu excisione, seu adustione, veluti multifariè apud Practicos habetur.

Additamentum Clariss. Schröckii.

Ampla tumorum est familia, & tot eis conditi tituli, ut nonnunquam, quo hic vel ille exactius sit comprehendendus, fere ignoretur. Sexaginta & unum Joh. Philipp. Ingrassias ex Galeni de tumoribus libro recensuit, illisque centum & sexaginta quinque alios superaddidit. Verùm, quę ἐπίκρισις est Magni Dan. Sennerti lib. 5. Med. pract. part. 1 cap. 1. sine causa hoc modo multiplicantur entia. Inprimis cùm sub tumoribus istis recenseantur adfectus, qui tumores non sunt, tumorque unus & idem variis sub nominibus repetatur. Quin si nominum diversitatem attendere liberet, multò majorem constituere numerum, foret facillimum. Quare ad evitandam perplexitatem illam, præsens tuberculum, Mori nomine insignitum ad Verrucas, quas vocant, pensiles, Grćci verò ἀκροχορδόνας referri aptissimè poterit. Generatio ejus à sanguine, vel potiùs ejusdem sero crassiore dependet, dum is per exigua palpebrarum vascula delatus concrescit, nec in venulas transsumptus ad principium universale reducitur;

sicque

ſicque in intermediis ſpatiis ſubſiſtens & novo ſubinde accedente, adcumulatus, in ejuſmodi corpus præternaturale vertitur. Cui exſtirpatione; quæ fit per injectum vinculum, commode ſatis occurritur; ſic enim ſenſim ſenſimque meatus, præter ordinem naturæ generatus, alimenti adductor, in gracili radice anguſtatur atque conſtringitur & conſequenter ulterior nutrimenti adfluxus inhibetur, parteſque iſtæ; ſanguine vitali & ſucco nutritio orbatæ, quaſi emoriuntur. Nec refert, quo id fiat vinculo, ſerico vel equino, vel alio, modò tenui in corpuſculo requiſitam habeat ad validam conſtrictionem firmitatem; neque utile videtur, quod aliquibus placet, ſublimati ſolutione illud priùs imbuere cùm vicinas partes, oculum præſertim, acria haud impunè ferentem, acri & cauſtica vi ſua facilè lędere valeat, ut taceam, cùm ſola hic nutrimenti excluſione opus ſit, æque feliciter promptéque à ſimplici filo, non medicato, negotium ſic expediri. Celeriori modo ille, cujus Galenus 14. Meth. med. cap. 17. meminit, Morum hunc abſtuliſſet, cùm acrochordones primoribus apprehenſos dentibus abſcindere conſueverit: quia enim anguſto ſatis principio cuti adhærent, ut ex eâ dependere videantur, auferri facilè poſſunt, & quidem abſque regenerationis metu. Acrochordon inquit Celſus lib.5. de re med. ſi exciſa eſt, nullam radiculam relinquit, ideoque ne renaſcitur quidem. Varia aliàs contra tubercula hæc commendari ſolent remedia, & Circulatorum etiam induſtriam multùm exercent verrucæ; quæ equidem contemni ſemper nequeunt, ſæpe tamen fallere comperiuntur, & plus in oſtentatione quàm effectu poſſident: Plurimis etiam eorum illud Galen. l. 10. ſimpl. med. fac. adcommodari poteſt, qui, an murium domeſticorum ſanguis acrochordonas decidere faciat, ne quidem experiri voluit, cùm aliorum ipſi magna ad hoc pathema copia ſuperfuerit: Imò ſponte quandoque evaneſcere Celſus citatus teſtatur, ſcribens, Nonnunquam ſubitò deſinunt, idq; e è Braſavola. *Joh. Schenckius l. 5. obſerv. med. comprobat.*

Strabiſmus ex Epilepſia.

Anno 1670. ſub initium menſis Decembris. F. N. Mercatoris filiola ſexennis, antequam erumperent variolæ ſibi lethales, multoties convulſa, cùm ab ipſo ortu ſuo uſque ad invaſionem morbi Comitialis oculos habuerit bene conſtitutos, poſt illum debellatum omnia objecta viſibilia retortis excepit oculis. Sic quoque memini: quod cùm Anno 1662. menſe Julii Francofurti ad Mœnum ſingularem meum amicum, Dn. G. F. Bibliopolam haud poſtremum inviſerem, atque mihi filiolus illius ac filiola ambo ſtrabones occurrerent: Hos quidem ſalvis ac rectè cernentibus oculis natos fuiſſe, aſt altero poſt nativitatem anno deteſtabili Paroxyſmo epileptico correptos Strabiſmum contraxiſſe, mœſti retulere parentes. *Georgii Segeri.*

Oculi protuberantia cancroſa.

Lectiſſima quædam Virgo noſtras. Ann. ætatis 12. patiebatur variolas maligniores, è quarum puſtula in ſiniſtro oculo elevata enatum eſt ulcus juxta pupillam, quo, debilitata cornea diaphana, facillimum fuit oculi humoribus jam per inflammationem nimiùm exagitatis, tunicam hanc in molem attollere pręternaturalem, caput muſcę, ac ſenſim uvæ acinum magnitudine ſua referentem. Verùm non hîc perſtitit malum, at in dies incrementa ſumpſit, unde non tantùm ad majoris caſtaneæ magnitudinem prædicta moles aſſurgebat, & dura, livida, ac vaſis varicoſis conſita apparebat, ſed etiam inde humoris acrimonia in dextrum oculum translata, ophthalmia ſic in eum inducebatur, quæ vix remediis cedere valens, ſubinde regrediebatur, viſumque ſenſim minuendo, totalem cæcitatem minitabatur. In caſu itaque tam gravi ſumpto, à pluribus Medicis ac Chirurgis conſilio, non aliud occurrebat præſidium quàm operatio in oculo primùm affecto, à quâ major pars conſultantium non parum abhorrebat; dum ego cum alio Medico & duobus Chirurgis hanc unicam eſſe ſalutis viam dum aſſererem, & ni promptiùs celebraretur operatio, cancrum præ foribus eſſe adderem, animum feci, & ægræ, & parentibus. Poſtquam itaque per remedia generalia corpus præparaſſemus; inciſione longitudinali oculum ab uno cantho in alium aperiebat Chirurgus dexterrimus. Sic effluebat parum liquoris; & quicquid protuberantiam faciebat, vidimus eſſe corpus durùm, totum propè oculi cavum occupans, quod intactum hac prima die reliquimus, nec aliis etiam ſubſequentibus illud à ſede ſua per inſtrumenta dimovere licitum fuit, itaque ad pręcipitatum album probè elotum, recurrendum erat, quem copioſiùs vulneris fundo inſpergebamus, ſicque ſenſim totum tumorem abſumebamus. Hoc interim non ſine maximis moleſtiis peragebatur, interdum enim vix oculum aperire licebat, per palpebrarum tumorem ingentem, prorſus occluſum; interdum eryſipelatoſa inflammatio totam faciem occupabat, puſtulæque; quaſi ab igne excitatę enaſcebantur, partis gangrænam minitantes: At hiſce benedicente Deo præcipuè providebamus; poſt palpebrarum ſcarificationem, per rorem vitrioli; cujus vires, ut & prædicti præcipitati hocce in caſu deprehendimus prorſus mirabiles. Poſtquam materia tumoris abſumpta fuit, & faciei ac palpebrarum inflammatio ſanata, orbita magna ex parte vacua, artificialem oculum facilè admiſit; ſicque non tantùm deformitati, atque cancro adventanti, providebamus, ſed alterius oculi infirmitati: nam ille ab operatione celebrata, ſcilicet à quinque ad minimum annis, omnino ſanus eſt, nec unquam ophthalmiâ, ſibi antea familiari afflictus fuit.

Tunicæ oculi adnatæ, Hydrops.

Clariſſ. Philippi Fraunderfferi. Miſcell. Curiſos. Decur. iij. Ann. 3.

Commiſſus eſt meæ curæ proximè elapſo autumno puer Aurifabri cujuſdam filius. cujus oculus ſiniſter affectus fuit ut ſequitur: Tunica adnata intra paucas horas, nullo alio malo præcedente, per totum album oculi à tunica cornea ſeceſſit, & undique circum iridem in annularem tumorem fornicis inſtar elevata fuit, ſpatio inter utramque tunicam aquâ limpidiſſimâ per adnatam tranſparente pleno, adeò ut puer præ annularis hujus tumoris altitudine vix oculum claudere, aut ſi hoc cum magna difficultate præſtitiſſet, vix iterum aperire poſſet; iride & pupilla interim ſanis. Ego poſt purgatum corpus Cataplaſma diſcutiens, & tandem poſt aurem veſicatorium applicare jubeo, quia licèt reſeratis per cataplaſma tunicæ adnatæ poris, aqua aliqualem exitum inveniret, & partim in forma lachrymarum efflueret; tamen alia priori continuò ſuccedens, tumoris imminutionem impedivit: interea in caruncula anguli exterioris oculi tumuſculus alius cum inflammatione ortus eſt, qui ſuppuratus & ſponte ruptus, cum pure, quod fudit, toti aquæ incluſæ, ac ſi paracenteſis facta fuiſſet, exitum fecit, unde tunica adnata mox concidit, & patiens paucis exiccantibus adhibitis, paulò poſt plenè convaluit. Hic affectus, quia ab Authoribus, quantùm mihi ſaltem conſtat non eſt annotatus, & nomine Hydropis tunices

cæ adnatæ forte dignus, cum publicum facere volui.

Oculi dextri procidentia, quoad totum.

Clariss. Joh. Adami Genselii. Ephemer. German. Centur. 1. & 2.

Fœmina 60. annorum, temperamenti cholerico-melancholici, patitur procidentiam oculi cum excrescentia maxima & carne luxuriante; Lindenius in Pathologia eundem negat, dicendo: Ani procidentia est frequens, uteri minùs, oculi minimè datur, & quamplurimi cum ipso impugnant: verùm oculatus sum testis, manibusque hunc prolapsum palpavi oculum, causa verò hujus procidentiæ fuit contusio, vel potiùs allisio oculi sat vehemens ad vitem ante septem annos facta, ubi in principio ecchymosis, effuso extra sphęram suam ordinariam, sanguine; observabatur cum rubore ac subsequente livore; στάσις itaque hæc inducta auferenda, motúsque intestinus ac progressivus sanguinis vigorandus, ac elater partis affectæ roborandus fuisset, at incautus Medicaster Barbitonsor quidam, locò diaphoreticorum, resolventium, ac blandorum fotuum discutientium, adhibuit in initio repellentia, & inter cœtera acetum rosaceum cum alumine, quę eccentricum humorem magis adhuc fixerunt. Collyria item nimis acria musculos corrodentia, tandem corrosis musculis oculus cum f[illegible] gore prosiliit ac procidit, accedente sphacelo ac νεκρώσει plenariâ, στάσει irreparabili, neque ad suppurationem reducibili, unde Paupercula necessariò fatis debuit cedere: factâ per me Anatome, notatu dignum, quòd cranium tam in occipite, quàm syncipite pollicem viri crassitie adæquaverit; rescisso oculo cum excrescentiâ sphacelatâ, inveni in cavitate oculi materiam nigricantem, tetrum spirantem odorem, quæ non tantùm omnes musculos, tunicas, ac humores, sed etiam ossa orbitaria nasi, item ac palati corrosit, cum totali carie.

ODONTALGIA.

Vid.

DENTIUM MORBI

OEDEMA.

I. OEdema apud Hippocratem, & plerosque veteres Medicos generaliter denotat omnem tumorem præter naturam. Ὄιδησις namque, seu Οἴδημα nihil aliud significat; nisi eminentiam. Sed potius cum Neotericis Oedema nos appellabimus Tumorem ab humore pituitoso genitum.

II. Sit igitur Oedema Tumor frigidus, pituitosus, mollis, laxus, doloris & caloris expers, plerumque albidi coloris. Vel dicatur, Tumor præter naturam ab humore seroso aut pituitoso ortum habens, albus, mollis, indolens prementi digito cedens, per congestionem frequentius, quàm per affluxum humorum productus.

III. Atqui distinguitur vulgo Oedema in duas species. Nimirum est Tumor hic, vel cum humore collecto cumulatus, certa circumscriptione, definitus, isque genuinum & legitimum dici solet œdema; vel est sine ulla circumscriptione, aut humoris in locum unum collectione, sed per partem diffusus & expansus ac rectè nuncupatur œdematosus Tumor. Verum legitimumque œdema fit ab humore subcruento, crudo, seroso-pituitoso, subacido, à sanguine in aliquam partem secreto ibidemque congesto, atque mollem, laxum, indolentem, certaque circumscriptione definitum tumorem excitante. Tumor verò œdematosus fit ab humore crudo, seroso-pituitoso, subacido, è cruore itidem amandato, vel lymphatico per totam partem diffuso dispersoque; quam ita tumefacit ac distendit, ut cùm digito prematur, fovea quædam fiat, quę remanet, atque sui vestigium servat, ut in Tabidis, Cachecticis, aùt aliter malè habitis in dies observatur.

IV. Causæ ergo Oedematis sunt humores crudi, serosó pituitosi, subacidi in sanguine redundantes, hinc in partem quamdam effusi, in eaque Tumorem hunc, per congestionem potiùs, quàm per fluxionem excitantes. Procatarcticæ verò, seu Primitivæ Causæ esse possunt, Casus, Percussio, Aër nimis frigidus, & humidus, Cibi viscidi ac glutinosi, Crapula, Somnus longior, Otium nimium, Vita sedentaria, & similia, quę sanguinem crudum, serosum, pituitosum, subacidum producere valent.

V. Signa autem quibus cognoscitur Oedema, sunt Albedo, Mollities digitis cedens ut fovea relinquatur, quod maximè proprium est Oedematis signum. Minor quoque adest Dolor minorque Pulsatio.

VI. Solet præsertim Oedema generari hyeme, & frequentiùs senibus corporibusque phlegmaticis accidere. Terminatur verò pluribus modis, vel per Resolutionem, vel per Suppurationem, vel per Indurationem. Per Resolutionem, seu Insensibilem Transpirationem sæpius terminatur, sæpe etiam induratur, raro per Suppurationem solvitur; quia ex humore oritur frigidiore ac mitiore qui haud facilè in pus vertitur, aliquando tamen hic Tumor Suppuratur si in calidioribus fiat partibus. Atqui in Scyrrhum aut abscessum si abeat Oedema, difficilioris est curationis; Periculosum item si Phthisis aut hydrops adfuerit.

VII. Oedematis Curatio duplicem sibi scopum proponit; unum, qui antecedenti materiæ se opponat; alterum, qui causam conjunctam evacuet. Antecedens materies emendabitur recto ac legitimo nonnaturalium usu, qui sanguinis, aliorumque humorum dyscrasiam immutare & corrigere queat. Cibus & Potus, similiter ac Aër moderatè calefaciant, exsiccentque. Caro assata præstat elixata, Nocent Fructus Horarii, Caseus, Pisces Marini. Nocet & quantitas Cibi Potusque nimia. Conducit Vinum, per se usurpatum, aut herbis calefacientibus alteratum. Exercitia prosunt moderata. Obest somnus longus; item Alvi durities, Quies, Tristitia, Venus.

VIII. Sed præter convenientem rerum nonnaturalium administrationem Antecedens Causa corrigetur insuper, ac educetur Remediis Generalibus, quæ crudos, seroso-pituitosos, subacidos humores emendare, ac evacuare solent. At quoniam affectus hujus causa antecedens in sanguine non fervido, sed vappido, seroso, ac aliter vitioso consistit, hinc Venæsectio nequaquam conducit, atque non nisi rarissimè in Oedemate curando instituitur. Et si aliquando sanguis sit mittendus, id non ratione morbi, aut causæ conjunctæ, sed ratione alicujus symptomatis, aut causæ antecedentis fieri solet.

IX. Frequentiùs verò locum habent quæ viscera roborant, obstructiones aperiunt, humores seroso-pituitosos attenuant, eosque Transpiratione aucta Insensibili, promotisque tum Diaphoresi, tum Diuresi, nec non per Alvum facta Purgatione educunt v. g.

℞. Rasur. Ligni Guajaci ℥ iii. Sassaphras ℥ß. Infund. per noctem calide in aquæ puræ ℥ lxx. Dein S. A. coq. addendo, Rad. Fœniculi, Petroselini an. ℥ j, Galangæ ʒ ij. Cort. med. Sambuci rec. ℥ ij, Herb. Calamenthæ, Chamæpitheos an. M j. Baccar. Juniperi ʒ iß.

℥i ß. Pulpæ Colocynthidis ʒ i. vel ℈ iv. Glycyrrhyzæ rasæ ʒiij. F. ex his S. A. Colaturæ ℥ x ii.

X. Corpore sic purgato, utile erit Decoctum Diaphoreticum, simulque Diureticum, ex quo mane in lecto adhuc decumbens, & hora à meridie circiter quarta largiorem haustum calidè sumat Æger, atque matutino tempore, quousque vires concedant, inde sudores moveat.

℞. Rasur. Ligni Guajaci ℥ iv. Sassaphras ʒ vi. Rad. Chinæ ℥ i. Infund. ut prius in Aquę puræ ℥ lxx. Dein coq. add. Rad. Bardanæ rec. ℥iij Petasitidis. Bac. Juniperi an. ℥ i ß. Apii ℥ ß. F. ex his S. A. Decoctio ad ℥ xl.

XI. Alter Curationis Scopus est, humorem parti affectæ inhærentem evacuare, Topicis admotis Medicamentis. Sint autem Ea, Incidentia, Attenuantia, Digerentia, Exsiccantia, Resolventia. Tumoribus namque à Congestione ortis Repellentia nunquam sunt imponenda. Igitur acre sumatur Lixivium, prout majore aut minore Resolutione opus est, cui admisceatur Acetum, Sal Gemmæ, aut Alumen, vel Sal commune, idque cum nova spongia imponatur. v. gr.

℞. Ciner. Ligni Quercini, Stipitum Fabarum, Sarmentorum Vitis an. p. aq. per eos transfundatur Aqua Fabrorum extinctionis Ferri calida, addito Aceti Vini modico, idque toties fiat, donec efficaciam acquisiverit Lixivium. In cujus ℔ iv. dissolve Salis Nitri, Aluminis an. ʒ ii ß. Sulphuris vivi ʒ ii. Misceantur pro Lotu. Lixivii loco usurpari potest Fomentum.

℞. Rad. Ebuli, Bryoniæ an. ℥ i ß. Cucumeris Asinini ℥ i. Herb. Absynth. Abrotani, Salviæ, Calamenthæ an. M j. Flor. Camomillæ M i ß. Rosar. Rubr. M. ß. Sem. Cumini ʒ vi. Coq. in S. Q. Cerevisiæ tenuis ad ℔ iij. Barbette Chirurg. part. 2. lib. 1. c. 4. laudat Ceratum.

℞. Sulphuris crudi, Ciner. Sarmentorum Vitis. Salis Gemmæ an. ʒ ii. Farinæ Fabarum ℥ii. Aceti ℥i. Olei Nucum ʒ i. Therebinthinæ, & ceræ q. s. F. ex his S. A. Unguentum vel Ceratum.

Nonnulli Olea & Unguenta calida inungunt; sed puto ea poros obstruendo, adeoque transpirationem cohibendo parum prodesse.

XII. In statu & Declinatione non male applicatur hoc vel simile Cataplasma.

℞. Rad. Althææ rec. ℥ i ß. Bryoniæ, Cucumer. Asinini rec. an. ℥ i. Fol. Salviæ, Rutę, Flor. Camomillæ an. M i. Coctis in Cerevisia tenui ad mollitiem, & in mortario minutim contusis adde Farinæ Fabarum ℥ ii. Ciner. Ligni Quercini, Stercoris Vaccini an. ℥ i. Salis Nitri ʒ ii. Olei Anethini ℥ ii. M. F. S. A. Cataplasma.

Alii haud absque ratione imponunt Stercus Vaccinum calidum, quod respectu salis volatilis ac nitrosi in eo abundantis potenter poros aperit, ac Tumorem Oedematosum resolvit, discutit. Vel Cataplasma conficiunt ex Stercore Vaccino, quod unà cum Aceto frigunt, ac parum Aluminis & Sulphuris ei admiscent. ex gr.

℞. Stercoris Bubuli ℥ iij. Fimi Columbini ℥ ii. Frigantur simul in sartagine cum Axungia, aut Butyro, aut quovis Oleo, vel bulliant in Oxycrato, atque Sulphure & Alumine additis, F. S. A. Cataplasma.

Insuper Emplastra Resolventia utiliter imponi possunt, qualia sunt, de Meliloto, de Ranis sine Mercurio, de Spermate Cœti, & similia, quibus pro re nata & alia Attenuantia, & Resolventia addi possunt.

XIII. Scultetus post Armamentarium Cheirurgicum observat. 72. refert, se multos Tumores Oede-„matosos discussisse Calcis Aquâ per aliquot dies „usurpatâ. Sumitur autem, inquit, frustulum Calcis „vivæ, ad quantitatem Nucis Juglandis, & in A-„quam ferventem immittitur, donec dissolvatur, quo „facto Calx cum Aqua agitatur, & postea sponte „residere sinitur: Hinc clarior Aqua, per inclina-„tionem in aliud vas transfunditur, in qua spongia „nova exprimitur, calideque parti affectæ superliga-„tur. Notandum verò, quod Pars Oleo Amygdala-„rum dulcium, vel Axungia Porcina veteri debeat „inungi: facilè enim fieri potest, ut portio quædam Cal-„cis, quæ est acerrima & corrosiva, in Aquam trans-„fusam abierit, quæ cum Spongia applicita erodere, „partemque mordicare posset.

Idem Observ. 98. in Tumoribus Oedematosis, simulque Erysipelatosis curandis admodum extollit hoc Epithema,

℞. Lixivii ex Cineribus sarmentorum vitis ℔ j. Salis comm. ʒ i. Nitri ʒ i ß. Aceti vini optimi ℥ i. Fiat Mixtura, quæ splenio duplici tepide excepta adplicetur, fasciisque strictè loco affecto superligetur.

XIV. Cæterùm pro Crure & Pede Oedematoso, sequens aliquoties expertus sum summopere conducere.

℞ Spiritus Vini optimi, Aceti Vini an. ℥ vii. in iis dissolve Salis comm. ʒiij. aut circiter. Hic liquor cum panno immerso tepidè applicetur. Deinde pes & tibia universa fasciâ lineâ longâ digitos tres quatuorve latâ, à digitis pedum incipiendo, sursumque ad genu usque procedendo, strictè ligetur, ita tamen ne pars affecta nimis comprimatur, & cavendo ne plicis aliqua in crus fiat impressio.

Si verò spernat hoc remedium Æger, vesperi cubitum iturus per semihoram pedibus insideat Balneo calido, (quod fiat ex Semine Graminis exsiccati, hoc est Fœni, Cineribus Ligni Quercini, & Sale communi, in Aqua pura decoctis) & dein, pedibus mappâ calefactâ abstersis, in lectum se conferat, cruribusque magis solito elevatis decumbat: manè autem fasciâ linea Pedes, Tibiæque universę dicto modo ligentur.

Attamen omnibus hisce ritè administratis Oedematosus Tumor si non discutiatur, consulendum ut Thermas Aquisgranenses, aliasve calidas adeat Æger, quæ potenter humores seroso-pituitosos discutere, simulque interna viscera suâ caliditate roborare valent.

XV. Sed Suppurationem si minetur Oedema, quod rarò contingere observamus, Cataplasma imponatur; cui addantur Herbæ Emollientes, Fermentum acre, Fimus Columbinus, Unguentum Basilicon, &c.

℞. Rad. Liliorum albor. recent. Cæparum sub cineribus assat. an. ℥ii. Fol. Malvæ, Althææ, Salviæ, Flor. Camomillę an. Mi. Caricarum ping. No. x. Coctis in Aqua pura ad mollitiem, & in mortario contusis adde Farinę Fabarum ℥ii ß. Fermenti acris, Fimi Columbini an. ℥i ß. Unguenti Basiliconis ℥ii. M. F. S. A. Cataplasma. Cataplasmatis loco Emplastrum Diachylum cùm Gummi applicatum Suppurationem abundè promovet.

XVI. Quum igitur suppuratum, & ad maturitatem perductum sit Apostema, curandum ut id tum loco commodo, tum tempore opportuno aperiatur. Etenim lenta frigidaque materies nos fallit non rarò, quod sua effecta extrinsecus rarius producat, quàm intrinsecus, ubi partes interiores paulatim sine magno dolore corrodit, exeditque. Tutius autem hujusmodi frigidum Apostema Potentiali Cauterio, quàm Scalpello aperiri solet; quod contrarium in calidis tumoribus observamus. Illud namque ad humorem illum frigidum, Viscidum, Pituitosum maturandum, atque ulterius coquendum non parum juvat.

Apostemate aperto, Ulcus conveniente Digestivo mundandum, & dein Sarcotico imposito Unguento carne replendum.

Sin verò alicujus Morbi Symptoma sit Oedema, ut Pthiseos, Hydropis, Cachexiæ, vel similis, Morbus à quo provenit imprimis curandus. *Municks in Chirurgiâ ad praxim hodiernam adornata.*

OMPHALOCELE

Vid.

HERNIA.

OPHIASIS

Vid.

PILORUM VITIA.

OPHTHALMIA

Vid.

OCULORUM VITIA.

OPERATIONES CHIRURGICÆ.

De iis in Generales ac Speciales distinctis, sic scribit Clariss. Joh. Van Horne in Librô, quem ΜΙΚΡΟΤΕΧΝΗΝ inscribit.

Operationes Chirurgicæ in Enerales & Speciales *dividuntur. Generales* appello, quæ in omnibus iis affectibus, qui manus operâ curantur (paucis exceptis) locum habent: suntque *tres: Exploratio, fasciarum circumductio, spleniorum applicatio. Speciales* rursus sunt vel *curativæ morbi*; & *senario* numero comprehenduntur, 1. *synthesi*, 2. *diæresi*; 3. *exæresi*; 4. *aphæresi*, 5. *prosthesi*, 6. *diorthosi*: vel *applicativæ medicamenti*, eæque versantur vel circa *naturalia*, ut est *hirudinum* & *ignis* admotio; vel *artificialia*; eaque vel *liquida*, ut est *injectio, instillatio, fomentatio, suffitio*, vel *solida*, ut est *emplastratio*; *pulveris inspersio, penicillorum* aut *pessariorum intrusio*. &c.

Non est dubium, quin chirurgus, ad ægrotantem vocatus, velit & debeat ante omnia *explorare*, quale & quantum vitium sit, quô patiens laborat. Hoc autem vel *oculis* statim deprehenditur, vel præterea in auxilium adhibemus 1. *manum solam*, aut unum duosve ejusdem *digitos* v. g. ad dignoscendos tumores œdematosos, ventosos, erysipelatodes; ad explorandum calculum in vesica, digito in anum intruso: sæpe, præter manus, 2. *instrumenta* requiruntur; *specula* à *speculando* vocata: sic specillo deprehendimus cariem in osse, fissuram in cranio, vulnerum profunditatem, sinuum aut fistularum longitudinem, caruncula in meatu urinario, rem extraneam vulneri insidentem. Hæc, ratione *formæ*, sunt vel *πυρηνοειδεῖς nucleum habentia*, vel *tenuia*, vel *lata*: ratione *materiæ* fiunt ex argento, ferro, plumbo, candelâ cereâ; quâ utimur ordinariè, quando partes sunt nimis sensiles. *Dexteritas* potissimùm hîc spectari solet, eaque in hoc consistit, ut suspensa manu, interdum velut circumtorquendo, iisdem utamur. Huc revocandus est *catheter*, de quo Hildanus *l. de lithot. vesicæ, c.* 3. Paræus *l.* 17. *c.* 35. utilis ad *certiorem* dignotionem calculi in vesicâ exsistentis, cujus, ut à reliquis specillis diversa est conformatio, ita & utendi modus. Pertinet huc quoque *speculum oris, ani, matricis*, quorum figuræ extant apud Vidium *l.* 2. *chir. c.* 3. & apud Paræum *l.* 24. *c.* 86. Scultet. *t.* 22. *fig.* 2. 3. 4. &c. Vitia namque iis in locis hærentia, aut oculis dignosci, aut manu curari nequeunt, nisi diductis explicatisve ab invicem partium oris aut labiis.

Fasciationis usus latissimè patet, ob insignem ejus utilitatem in chirurgia: hancque ob causam Hippocr. *l. de off. med.* & *l. de fracturis* tàm studiosè eam inculcavit. Earum *materia* communiter est tela linea, priùs aliis usibus ex parte attrita emollitaque, valida tamen, ne rumpatur. *Efformandæ* autem fasciæ sunt è tela, secundùm staminum rectitudinem scissa: sint mundæ, non contortæ, non limbo aut suturâ præditæ, nè sua duritie aut inæqualitate subjectam partem lædant. Ratione *figuræ aliæ* sunt simpliciter glomeratæ, *aliæ* extremis partibus scissæ, *aliæ* assutæ ex pluribus fasciis inter se junctis, qualibus utimur ad hernias; ad deligationem vulnerati, post extractum calculum, perinæi: *aliæ* sunt duobus capitibus præditæ, quod valdè incommodum est; utraque enim manus est occupata. Horum omnium delineatio exstat apud Scultetum *tab.* 39. *fig.* 7. & *tab.* 51. *longitudo* debet esse tanta, quæ sufficere possit pro circuitibus necessariis, quod peritus chirurgus facilè judicabit. *Usus* varius est: vel enim 1. iis utimur ad *retinendum*, sic cadunt cataplasmata & emplastra, nisi vinciantur; iisdemque, mediante pulvillo, vena secta obturatur; iisdem firmantur latera in tussi & succussatione vehementi; iisdem prohibetur influxus humorum; item luxata ossa, ut & fracti ossis partes, post conformationem debitam, in suo situ continentur; 2. ad mutuam labiorum vulneris *adductionem* adhibentur, modò vulnus per longitudinem sit inflictum in parte, quæ fasciis circumduci potest. 3. educitur & *expellitur* per fascias humor in declivi sinu delitescens, si ab inferiore parte incipiendo, firmiterque stringendo, sensim versùs superiora adscendendo, paulatim manus comprimamus; manente interim aperto foramine, idque per impositam cannulam, aut turundam, ut effluere contenti humoris aliquid possit. In omni fasciatione spectanda est *securitas*, quæ enim fasciæ sunt laxiores justô, non benè continent; nimis *arctæ* dolorem pariunt & inflammationem, & quæ hanc ferè excipit, gangrænam. Prudenter itaque monet Galenus *comm.* 1. *in lib. de off. med.* ut chirurgus diligenter in his sese exerceat, puerum aliquem sanum sæpius deligando, eundemque interrogando; num aliquam à fasciis molestiam sentiat; nam partim ex ægri responso, partim ex membri deligati circa extremitatem tumore, cognoscitur fasciæ compressionis qualitas; si enim postridiè tumor fuerit mollis & parvus, *justam*; si durus, *nimiam*; si nullus, *justô minorem* arguet adstrictionem.

Fasciis subjungo *laqueos*: hi communiter fiunt ex lino vel cannabe: *nomina* apud antiquos varia obtinuere, ut alius sit nauticus, alius pastoralis; alius lupus &c. apud nos alius audit textorius, nauticus &c. *Usus* eorum est, *primum*, ut post herniarum sectionem, quæ per ablationem testiculi fit, peritonæi processus arctè constringatur: *deinde*, cùm vena est secanda, sanguinis ad fontem recursus iisdem inhibetur, quo possit vena intumescere: *item* ad intercipiendum sanguinem ex arteriis vel venis fluxurum, ubi sectio profundior est instituenda, traducitur enim acus magnæ & nonnihil incurvæ beneficiô, crassum filum, quo fortiter adducto angustantur vasa majora, ne sanguinis effluxus turbet operantem chirurgum. Variæ quoque per laqueos ligaturæ instituuntur, 1. cùm membrum sphacelatum amputandum est; insuper 2. serviunt ad dolorem in extremis artubus excitandum, quo sanguis nimium fluens revellatur; item 3. ad extendendum luxata vel fracta ossa majori robore; tandem 4. ad retinendas ferulas adhibentur.

Non raro solent fasciis insuper adjung. *Splenia*, seu panni linei complicati, oblongi, & crassi inst[...] plenis, quæ partibus adaptantur, ut earum cavita[...] repleant;

pleant, e. g. eam, quę eſt ſub poplite, item intra ſuram & calcaneum, quo poſſint à faſciis meliùs comprimi. Hæ ſæpè oxycrato humectantur, ſępè ſiccę imponuntur, ut partes à faſciarum & ferularum ſtricturâ defendant. *Compreſſæ* vocantur barbarô vocabulô, Latino *pulvilli*.

Sequuntur operationes chirurgicę *ſpeciales*, inter quas primum obtinent locum, quæ *morbi curativæ* dicuntur, quia certis morborum generibus directè opponuntur, ceu totidem remediorum materię, iisque ſolent, quantum in ipſarum poteſtate eſt, pręſentaneam opem adferre. Harum prima vocatur *Syntheſis*, quę definitur *conjunctio disjuncti*, ſive illud os fuerit, ſive caro, aliave pars mollis. *Oſſa* iterùm *duplici* modo disjunguntur; vel quoad *contiguitatem* appellaturque ἐξάρθρωμα *luxatio*, eique conveniens operatio ἀρθρέμβολον: vel quoad *continuitatem*, & dicitur κάταγμα, habetque ſibi oppoſitum συνθετισμόν.

Franguntur oſſa vel *ſimpliciter*, vel *cum* adjuncto *vulnere*, extremitatibus acuminatis fracti oſſis, muſculos cutemque perforantibus. Idem contingit, cùm à glande plumbea vulneratur caro & ſubjectum os frangitur. *Simplex* fractura *tribus* modis contingit; *vel* καυληδὸν *transverſim* per modum caulis effracti, *vel* σχιδακηδὸν inſtar alicujus aſſeris, *vel* ἀλφιτηδὸν, cùm inſtar farinæ in multas tenues partes os comminuitur. Nomina hęc exſtant apud Hipp. *l. de articulis textu* 28. *&* 32. diſtinctius apud Æginetam *l. 6. c.* 89. In omnibus his unica eſt intentio, ut oſſis fracti partes iterum uniantur. Hanc unitionem medicus facere nequit, ſed ſolius naturæ opus eſt, quę in junioribus quidem per intrinſecam & omnimodam partium disjunctarum unionem; in adultis verò, interveniente πώρῳ ſeu callo, tanquam glutine, conjungere fractas extremitates ſolet. Hęc autem ſic intelligere oportet, quòd in ambobus quidem interveniat ſubſtantia quædam, ipſiſſimum videlicet oſſis nutrimentum, quod ibidem effervеſcit, dum concoquitur, & in tumorem attollit ſubſtantiam oſſis, ut in taleolis arborum per inſitionem adaptatis, videre eſt. Quia autem hæc effervеſcentia major eſt in adultis, quorum oſſa ſunt ſicciora, hinc fit, ut ſępe affluat multa craſſa materia, quę craſſum & extuberantiâ notabilem porum, circuli inſtar os ambientem, facit: atque hoc eſt, quod chirurgi vocant *per ſecundam intentionem coaleſcere*. Chirurgus interea ſuo muneri ſatisfacit ἀντιτάσει *membri* fracti in diverſa *extenſione*; cùm enim muſculorum fibrę, oſſis robore deſtitutę ſequantur naturalem ſuam determinationem, & in ſe contrahantur, neceſſum eſt, per vim eos, ſimul cum oſſe fracto, tantum elongare, quantum à naturali ſtatu receſſerunt. *Fit* hoc aut *ſolis manibus*, idque unâ vel pluribus; vel *habenis*, ſive linteis faſciisve circumpoſitis, vel per trochleam trajecto *fune*, quale exemplum habet Hildanus *cent.* 5. *obſ.* 86. & ex eodem Scultetus *fig.* 1. *tab.* 22. extenſioni ſuccedere debet διόρθωσις *conformatio* ſive coaptatio, dum chirurgus membrum, utraque manu comprehenſum, ſtudet ad priſtinam figuram reducere, impellendò hinc inde, ante, retro, ad latera, donec exſtantes particulæ in ſuas cavitates & priſtinas ſedes fuerint reductę; quod ex doloris ceſſatione, oſſis fracti in ſuperficie ęqualitate, & comparatione cum ſano membro facta, eluceſcit. Nec movere nos debet, ſi poſt fracturam reductum membrum longius nonnihil appareat; hoc enim violentę extenſioni tribuendum. Oſſa ſic probè coaptata, exactè conjuncta tenenda, quod præſtabit *deligatio* per *faſcias* duas ſæpius circumductas (quarum una à dextris ad ſiniſtras, altera contrario modô incedat) aut per *aſcialem faſciationem* (de qua *Scultetus tab.* 27. *fig.* 1. & *t.* 28. *f.* 8. & 10.) inſtituta, cujus major eſt uſus, ſi pars affecta crebram requirat inſpectionem, ut cùm vulnus fracturę conjungitur, aut cùm fractura eſt in femoris medio, parteve ſuperiore. Poſt deligationem ſupereſt *repoſitio*, ſive in *capſula lignea*, qualem depingit Hildanus *l. de ichore & melic. c.* 29. & Scultetus *tab.* 56. *fig.* 1. 2. 3. aut *coriacea*, ſive in pulvinari molliuſculo, ita tamen, ùt, ratione ſuccedentis inflammationis, extremitas membri ſurſum erigi debeat, & calcaneus ab omni compreſſione liber relinquatur.

Solvitur oſſium contiguitas in *luxatione*, quę in iis propriè locum habet, in quibus reperitur ſtructuræ ratio talis, quæ ad motum manifeſtum eſt comparata; uti ſunt omnes articuli per diarthroſin conjuncti; videmus namque, quoties è ſede ſuâ excidunt oſſa, motum articuli perire: in oſſibus verò per ſynarthroſin conjunctis, in quibus nullus adeſt ſenſui manifeſtus motus, non quidem ille aboletur, ſed propter tendinum ligamentorumve compreſſionem oritur dolor, & actio partis impeditur; exemplo ſunt oſſicula in carpo & tarſo. *Dupliciter* luxari oſſa contingit, *ſecundùm magis & minus*; *illa* ſpecies *exarthrema* Gręcis dicitur; *Hæc* iisdem *pararthrema*, *ſubluxatio Latinè*, vocatur: an autem talis detur, vehementer dubito; quod ſi contingat, non fiet, niſi à cauſa interna. Etenim luxationum *cauſa interna*, eſt vel *naturalis*, laxitas ligamentorum, vel *humor* in cavitate excreſcens, qui ſenſim adauctus, caput oſſis foras trudit: *externa* cauſa eſt caſus, ictus, ſaltus, extenſio & motus partis violentus. In ambabus ſpeciebus unica & communis eſt *indicatio*, nempe, luxati membri in propriam & naturalem ſedem reductio, quam operationem *arthrembolon* Gręcè eleganter vocare licet. Quisquis autem hanc exercere cum fructu deſiderat, is inprimis omnium in corpore humano articulationum naturam noviſſe debet, etenim per illam viam, per quam exſiliit, in ſuum locum reducendum eſt os, quod ſede motum fuit. Huic autem reductioni inſerviunt 1. *antitaſis*, luxatum enim membrum, ſimiliter ut fractum, tum ob tendinum contractionem, tum quoque ut oſſis caput ſuæ ſedi è directo opponatur, eſt extendendum. Hæc extenſio fit vel *ſolis manibus*, isque modus *palæſtricus* vocatur, quia in palæſtris luctantium membra luxata ſimpliciſſimo hoc modo reponebantur; vel *laqueis* aut *faſciis*; vel *organis* ſeu machinis majoribus, cùm difficillima & inveterata eſt luxatio. Conſule hâc ſuper re Hildani *cent.* v. *obſ.* 69. *&* 86. Extenſionem excipit *mochlevſis* articuli videlicet in naturalem cavitatem *compulſio*, quæ ſimiliter vel *manibus ſolis* fit, vel pedis *calcaneo*, (ut cùm humeri oſſis caput in alam prolapſum eſt) vel beneficio *ſcalarum*, *forium*, *piſtillorum*, *inſtrumento Hippocratico* ἀμβη dicto: dicitur hic modus *methodicus*, ad differentiam tertii, qui *organicus* vocatur, quia per *organa* majora & machinas fiebat, quæ nunc in uſu eſſe deſierunt, vide Oribaſium *lib. peculiari*, aut Sculteti *tab.* 22. *fig.* 4. Gourmelenus, præter has, adjungit inſuper *apotheſin*, quando membrum ipſo facto jam reducitur in ſuum locum, quod ex ſono, qui exaudiri ſolet, vel etiam ex membri reducti munere, colligitur. Quia verò, ob vinculorum & tendinum laxitatem, repoſitum membrum in ſua ſede morari nequit, ecce iterum faſciis opus eſt & ſpleniis, quarum beneficio in orbem munienda eſt articulatio, donec ligamenta debitum robur & adſtrictionem acquiſiverint.

Similis ferè chirurgica operatio occurrit *in carne*, i. e. carnoſis ſeu alioquin mollibus partibus, quarum ſimiliter vel *continuitas* ſolvitur, vel *contiguitas* vitiatur. *Prioris* exemplum eſt in *vulnere*, quod eſt ſolutio continui recens & cruenta: ſi enim inveterata ſit & ſanioſa, *Ulcus* vocatur. Vulnerum magna eſt *diverſitas* ratione *partium* vulneratarum, & etiam ratione *ſitûs*, nam vel *rectà*, vel *oblique*, vel *transverſim* infliguntur: iterum aliud vulnus eſt *ſimplex*, aliud cum deperditione ſubſtantiæ, aliud cum *læſione internarum*

narum partium. *Simplex* vulnus simplicem habet indicationem, quæ est, ut divisa labia conjungantur. Hęc ubi cruenta adhuc sunt, aut, si non fuerint, talia redduntur ablatis oris callosis, ope forficis; ad se invicem adducuntur, adductaque conservantur, quò possit natura, mediante *naturali* quodam *balsamo*, eadem arctissimè unire, non secus ac taleolas arbori insertas videmus cum eadem coalescere. *Adductio* fit vel *suturâ*, vel *deligaturâ*, vel *glutine*, quam suturam siccam, sed impropriè, nominant; vel *comprimente* instrumento: his omnibus vel *separatim*, vel *simul*, ut possumus. *Epagogen* hanc operationem vocat Gourmelenus, ad eamque reducit *curtorum chirurgiam per insitionem*, de quo habemus peculiarem Taliacotii librum; sed hęc res suo autori relinquenda est. Nos contenti erimus ῥαφῇ sive *suturâ*, quę locum habet potissimum in vulneribus transversim inflictis; aut, cum fasciationem locus non patitur; aut ubi particula nondum à suo continente separata est, sed per tenuem cutis portionem tantillum eidem adhuc hæret. Ad suturam ritè perficiendam opus habemus *acu triangulari*, cujus cuspis nonnihil esse incurva debet; *filo* ex lino aut serico; & *canali*, extrema suâ parte *fenestrato*, cui vulneris labium innitatur, ne in hanc aut illam partem, dum acus adigitur, commoveatur. Sed interdum, dum suturam instituimus, acum unam pluresve in carne relinquimus, iisq; filum circumglomeramus, ut solent mulieres acus in vestibus fixas asservare; & ita consuevit fieri in *labiis leporinis*, aut admodum profundis vulneribus: vide Paræum *lib.* 10. *cap.* 26. interdum, post traductionem acus & fili, facimus nodum, supraque eum filum resecamus; quod in vulneribus superficiariis, quæ cutem non excedunt, usu venire potest; hanc *interscissam* vocat Gourmelenus: interdum, pellionum more, acum cum filo sæpius traducimus & circumvolvimus; talis sutura debetur vulneratis intestinis, abdomini, partibus pendulis. *Deligatura* nonnunquam sufficit, idque in vulneribus, artuum per longitudinem factis, fitque simplici fasciâ; adhibitis spleniis utrinque labia comprimentibus. *Sutura sicca*, seu *emplastrum glutinatorium* adhibetur in vulneribus faciei, evitandam deformitatem, quam puncturæ acus alioquin adferre solent. Olim fiebant ex *pannis lineis triangularibus*, per habenas adductis, ut videre est apud Joh. And. à Cruce *lib.* 2. *tract.* 2. Paræum *l.* 10. *c.* 26. & Guillemæum *tab.* 6. *fig.* 2. nunc sufficiunt emplastra, digiti minimi latitudine, cuti pertinaciter hærentia, inter quæ excellit *diapalma* ritè præparatum. Non debeo prætermittere *instrumenta*, quę comprimendo venę arteriæque læsæ orificia, ad earundem consolidationem non parum juvant; idque vel eo nomine, quod legerim in historia Batava illustris satrapæ Hooffdii *l.* 19. de consilio Leonardi Botalli (cujus ego ante septennium opera in lucem edidi) vulneratam jugularem venam in collo celsissimi Arausianorum Principis Gulielmi primi, imposito supra eam digito obturatam, sanguiniq; ex eadem fluxum inhibitum fuisse. Hoc artificium jam olim fuerat descriptum à M. Gatinaria, qui vixit circa annum 1440. *lib. de Ægritud. c. de apoplex.* Vicem digitorum præstare possunt ferramenta comprimentia.

De *vitiatâ partium mollium contiguitate* verba facturus, moneo lectorem, ne offendatur, si ad hanc classem eam referri viderit: expendenti enim clarum fiet, summam esse inter luxata ossa, & viscera, quę nativis suis sedibus exciderunt, convenientiam. *Prolabi* solent & procidere *omentum*, tum & *intestina*, sive in *inguen*, sive in *scrotum*, tum etiam *uterus* ipse ejusque *collum*, denique *rectum intestinum*: solet aliquando *umbilicus* etiam indecore prominere. Operatio his vitiis opposita, τάξις dicitur: *duplex* autem chirurgi scopus est: *præcipuus*, ut partes in pristinum locum reducantur, *secundarius*, ut ibidem retineantur, obstructo videlicet meatu, & angustatâ viâ per quam exciderant. *Reductio* hęc vel *spontanea* est, non adjuta manu chirurgi, ut fit in *recto intestino*, adhibitâ solâ fomentatione tepidâ, à qua roboratis musculis elevatoribus, & corrugatâ intestini substantiâ, anus sua sponte introrsum redit. Aliam chirurgiam docet Hippocrates *l. de fistulis* §. 4. qui etiam in *prolapsu uteri* cucurbitam coxę affigere jubet *l.* 2. *de morb. mul.* §. 38. vide quoque Hildan. *c.* 3. *obs.* 76. vel *manibus* peragitur, ut cùm intestina scrotum occuparunt, aut cum uterus extra abdomen labitur; vel corporis concussione, aut resupinatione, ut in dictis casibus, & umbilici prominentia in suâ sede *detinentur* vel *fasciis*, vel *subligaculis*, ut in *herniis*, vel *placentâ* cum nodo, ut in *exomphalo:* utriusq; iconem graphicè depingit, & curationem à se institutam adjungit Hildanus, *cent.* III. *obs.* 64. *cent.* VI. *obs.* 69. & 73. vel circularibus pessariis, è subere præsertim factis, intraque vaginam intrusis: etenim, intumescente suberis substantia porosa, circulus intra vaginam manet, nec tantopere subjectus est, ut excidat quod metuendum à globosis aut piriformibus pessariis, qualia depingit Hild. *c.* 4. *obs.* 60. ex buxo factis. Horum circularium primus autor est Guillemæus *l.* 3. *de gravid. & partu c.* 29. In aliis ante memoratis casibus natura, commodis medicamentis adjuta, sensim arctare, interdum etiam omninò occludere solet vias, ne amplius transire aliquid possit.

Secunda species operationum chirurgicarum, jam recensitæ è directo est contraria, vocatur enim *DIÆRESIS*; seu, *divisio partium integrarum*, quæque naturaliter aliquando nexu sunt conjunctæ vel colligatę. Exercetur autem vel in partibus *duris*, vel *mollibus*. *Ossium* continuitas solvitur 1. *foratione*, perforare autem solemus os, vel *terebrâ* fabrili, ut Hippocrates *lib. de intern. affect.* in hydrope thoracis costam forare jubet; vel τρυπάνῳ sive *modiolo*, quod est ferramentum concavum, teres, imis oris serratum; quo non tàm perforamus, quàm ex medio osse partem exscindimus. Modiolus *duplex* est, *mas*, qui in medio clavum habet; *fœmina* quæ eodem caret: *illo* utimur ab initio, donec in osse descriptum sit modioli vestigium circulare; *hoc* verò, donec utraque tabula sit perforata. Utriusque bonitas consistit in hoc, ut sit ἀβάπτιστον & citra voluntatem chirurgi mergi non possit. Quia verò manu circumduci debet, utriusque modioli extremitati applicandum *manubrium*, vel habens figuram litteræ T, vel instar *vertibuli*, quod unâ firmatur manu, altera circumvolvitur, estque hoc priori ut prętantius, ita magis usitatum. 2. *serratione*: ita in cranio adhibemus varii generis *serrulas*. 3. *excisione* per *cycliscos* & *scalpros excisorios*. 4. *rasione*, ubi os aut nigredine affectum, aut alioquin inæquale, fuerit. Huc refertur *limatio*, quę in dentibus exercetur. Figuras videre est apud Paræum *toto lib. decimo* & apud Scultet. *tab.* 2. & 6.

Mollium partium divisio variis modis fit: I. *punctione*, idque vel *acu*, ut in depositione catarhactæ, de qua Dur. Scacchi *subsid. med. l.* 1. *c.* 11. aut cum phlyctænę punguntur; aut cùm *setaceum* in collo excitatur; cujus modum depingit Hildanus *cent.* 1. *obs.* 40. aut cùm cutis capitis unà cum pericranio in hydrocephalo; aut in tumorem à fœto elevatus umbilicus, ut aqud cl. Tulp. *l.* 4. *obs.* 42. aut scrotum aquâ tumidum, perforatur, aut etiam peculiari cannulato instrumento, quale depingit Barbette *chir. part.* 1. *c.* 15. asciticorum venter forando pertunditur: vel *cuspide* seu acie *phlebotomi*, ut in scarificatione, quę κατὰ πληγὴν dicitur, & in varicum compunctione,

2. *sectione*: eaque instituitur, aut *scalpelli mucrone*, ut est venarum arteriarumque incisio, abscessuum aut vomicarum, ut & laryngis apertio, ani & penis clausi, vulvęque imperforatę, reseratio, quorum exempla videre est apud Hildan. *cent.* 1. *obs.* 73. *cent. obs.* 60. & 61. & apud Wierum *in fine libelli observationum*, quamvis pro ano non perforato aliud nunc excogitatum sit instrumentum, parum differens ab eo, quod exstat in Sculteti *tab.* XIV. *f.* 20. 21. item ea scarificatio, quæ κατὰ σχάζειν dicitur, usitata in partibus grangręnâ affectis, & in hydropicorum cruribus teste Alpino *lib.* 3. *cap.* 9. aut *integro scalpelli corpore*, ut fit in cranii cutis sectione, in apertione lateris seu spatii intercostalis empyicorum, in sectione vesicæ ad extrahendum calculum: aut *forfice* & *syringotomo*, ut in sinuum dilatatione, & cùm digiti per membranam ab ortu sunt conjuncti; cùmque vinculum sub lingua nimis est protractum; item, cùm uvula est corrupta, aut præputium cohæret cum glande; vid. Hild. *c.* III. *obs.* 54. aut fungi portio relicta est in aure: idem *c.* 3. *obs.* 1. 3. *Divulsione*, qualis fit à cucurbitulis: Item à filo serico aut indies contorto, ut habet Celsus, *l.* VII. *c.* 4. aut ab appenso pondere deorsum vergente, & coalitas partes separante citra molestiam, cujus curationis elegans exstat exemplum apud Hild. *c.* VI. *obs.* 7. 4. *Ustione*, sive ea sit *actualis* per ferrum ignitum; sive *potentialis* per impositum ruptorium ex lixivio cinerum clavellatorum parato.

Tertiam speciem operationum chirurgicarum facio *Exæresin*: est ea *extractio rerum noxiarum* corpori nostro inhærentium. Hæ res vel intus in corpore nostro sunt genitæ, vel aliunde, i. e. forinsecus advenerunt. In corpore nostro generantur, & generatæ molestiam nobis creare possunt, 1. *urina*; hęc enim in vesica subsistens, immanes adfert cruciatus, ipsam quoque mortem infert; ni tempestive eandem emoliamur. Vocatur hæc operatio in specie καθητηρισμὸς quod perficiatur *cathetere* i. e. fistula argentea, *lævi* & incurva, ut Celsus eam describit, simulque modum eandem adhibendi accurate exponit *l.* 7. *c.* 26. hac enim, velut anthlia, urina attrahitur & evacuatur: aut, si adhibere velis catheterem *sulcatum*, ut nunc apud artifices in usu est, postquam ab eodem reseratum vesicæ collum est, urina per compressionem effluit. 2. *calculus*; hic interdum est exiguus, dum è vesica elurriatur, hæretq; in urethra, è qua, ope parvi cochlearis facto per sectionem foramine, est educendus; vid. Hild. *cent.* VI. *obs.* 56. *l. de lith. ves. c.* 26. Qui in vesica manet clausus, post factam in perinæo sectionem extrahitur majore cochleari, (*lapidillum* nostri vocant,) vel forcipe extractorio. Instrumenta videre est apud Hildanum *tractatu peculiari de lithotomia vesicæ*, 3. *Fœtus mortuus*, hujus enim caput *uncô* aut *gryphô* apprehendendum, & sic vel integer fœtus extrahendus, vel frustillatim resectâ videlicet unâ parte post aliam. *Molæ* extrahendæ modum, à se feliciter institutum narrat Hildanus *cent.* II. *obs.* 52. 4. *Secundina* seu placenta uterina; sensim separanda & foràs educenda. 5. *Dentes*, hos evellimus *forcipibus* varii generis, quales apud autores depinguntur; figuras exhibebit Paræus *l.* 17. *c.* 27. *Gab. Ferrara silv. chir. l.* 2. *fig.* 34. 35. 36. 37. & addit nomina Scult. *tab.* X. *fig.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. imo vix ullus est, qui non habeat aut excogitaverit aliquod sibi proprium aut familiare. 6. *Frustula cranii* in ea vulneris specie, quæ σφλάσις *effractura* dicitur, & ab Ægineta ἐκπίεσμα, cùm in multas partes calvariæ effractio est, adeò ut separata à suo continente ossa, cerebri membranam contactu suo premant. Vide Hildan. *c.* V. *obs.* 23. instrumenta sunt apud Paræum *l.* 10. *c.* 6. 7. Addo huic classi, *sanguinem* extravasatum, aut alioquin in *pus* conversum, sive in abdomine sive in pectore collectum, quem, siphonis majoris ope, idque parvâ ægri molestiâ (si nempe vulnus dictarum partium præcesserit) evacuamus.

Extrinsecus in corpus nostrum immittuntur. 1. *tela* vel *sagittæ*, aut etiam *globuli plumbei*. Omne telum *ait Celsus l.* 7. *c.* 4. extrahitur *aut* ex eâ parte, quâ venit; *aut* ab ea, in quam tetendit; *illic* viam, qua redeat, ipsum sibi facit; *hic* à scalpello accipit, nam contra mucronem caro inciditur. *Instrumenta* sunt, quæ peculiari nomine βελουλκοὶ dicuntur; vel alia ferramenta instar terebræ acuminata, aut instar cochlearis excavata. Consule Hildanum *l.* 1. *obs.* 88. Paræum *toto lib.* XI. Scultetum *tab.* 15. & 16. 2. *piscium spinæ*, seu officula gulæ infixa, ad quas auferandas ἀκανθαβόλον Paulo sic dictum inservit, vel instrumentum Gualtheri Ryff, recensitum ab Hildano *cent.* 1. *obs.* 36. utrumque exstat apud Scultetum *tab.* X. *fig.* 1. & 2. aliud vid. apud Hild. *c.* VI. *obs.* 34. aut spongia officulo balænę per se satis flexili alligata, & sic intra fauces & gulam immissa. 3. *lapilli*, corpora metallica, plantarum fructus & semina, *animalcula* etiam auris meatum subintrantia: hæc aliquando *excutiuntur* sola situs declivitate & partis concussione; aliquando auriscalpium adhibetur, vel specillum lanâ involutum, quæ in terebinthinam fuerit immersa: de his agit Hildanus *cent.* 1. *obs.* 4. 5. 6. 4. *festucæ*, exigua grana plumbea, vel alię *sordes*, quæ in vulneratis partibus continentur, ad quas educendas opus est *volsella*, Hild. *c.* 2. *obs.* 13. *c.* 4. *obs.* 17. 18. *c.* 5. *obs.* 21. *c.* 6. *obs.* 78. idem *de vuln. sclop. graviss. p. m.* 947. vel *gossypio*, vel *petia* linea tenuissima. 5. *ferramenta*, aut cultri pars, uti refert Hildan. *cent.* 1. *obs.* 62. *cent.* III. *obs.* 24.

Quarta species est *Aphæresis*, quę definiri potest, *ablatio supervacui*. Hoc verò aufertur vel *occulte*, vel *aperte*. *Occultè* materiam demunt corpori *frictio*, qualis & olim & nunc adhibetur in balneis. *Instrumenta* fricandi sunt *lintea* crassiora & asperiora, ut cannabina; item *strigiles*, quas depingit Mercurialis *art. gymnast. l.* 1. *c.* 8. num etiam huc pertinet violenta *extensio*, de qua Hildanus *c.* 1. *obs.* 79? huc referendas *cucurbitulas absque scarificatione*, quę materiam ab una parte in aliam transferunt, testis est Hildanus *cent.* 1. *obs.* 80. & omni exceptione major Hipp. *l. de medico* §. 6. *l. de loc. in homine* §. 20. & 24. *l.* 2. *de morbis* §. 26. *l. de affectibus* §. 4. *aph.* 50. *s.* 5. De iis actum fuit *supra*. *Modus applicandi* varius est, *alii* enim stuppam accensam intra corpus cucurbitulæ ponunt, alii frustulum candelæ cereæ imponunt crassioris chartulæ particulæ, *alii* aquâ tepidâ intinctam cucurbitam, per accensam candelam aërem expellendo crassiorem faciunt, ut cucurbitula carni adhęreat. In Ægypto olim, hodie in Germania, suctione extrahunt aërem per foraminulum, quod deinde particulâ ceræ aut petiolo corii madefacti obturatur: Ad hujus imitationem solent accipere siphonem è cupro, cujus inferior circulus latitudine æquans dimidiatum imperialem, applicatus carni, post suctoris extractionem cum robore factam, egregiè attollit cutem. *Aperte* materiam auferunt è corpore 1. *cucurbitulæ scarificatæ*, quæ etiam vicariæ venę sectionis esse possunt: frequenter quoque adhibentur ad auferendam virulentiam à morsu venenati animalis parti communicatam: vid. Severinum *de vipera p.* 3. *c.* 5. 2. *cultellus* isque vel *falcatus*, quò melius comprehendat majorem tumoris peripherię portionem. Tali utimur, cùm auferenda est mammilla cancro affecta, item *nattæ* insignes, sive eæ sint pendulæ, sive latiore basi præditæ. Vid. Hildanum *cent.* 6. *obs.* 16. ab eodem quoque resectus est penis, *cent.* 3. *obs.* 88. prępatium *c.* 4. *obs.* 81. interdum redditur *ignitus* cultellus, ut *c.* 2. *obs.* 32. interdum utimur *peculiari* instrumento, ut vi-

videre est *cent.* 1. *obs.* 1. & 2. *c.* 2. *obs.* 79. *cent.* 5. *obs.* 27. 28. 3. *forfices*, qui locum habent in resectione testiculi putridi, aut alioquin cancro affecti, post vasorum seminalium ligaturam; item, iis aufertur commodissimè particula linguæ aut labii à cancro occupata. 4. *forceps excisorius*, ne exciduntur frustula cranii, aut interstitium inter duo foramina, post trepanationem, inciditur. Vid. Parœum. *l.* x. *c.* 6. Sculretum *tab.* v. interdum cartilaginis portiones auferuntur: vid. Sculret. *tab.* XII. *fig.* 4. sic etiam *polypus* è narium spongiosis ossibus separatur simulque extrahitur. Quod verò ad digitos sive superfluos sive etiam corruptos attinet; quamvis forcipes iis adhibeat Paræus *lib.* XVII. *c.* 30. tamen ad evitandam ossis in frustilla comminutionem, potius ab iis abstinendum esse monet Hild. *l. de gangr. & sphac. c.* 19. atque *ferrulas* parvas præscribit. 5. *laquei*, ita sextus digitus, aut verrucæ pensiles filo serico circumducto, quotidieque adstricto, tandem nutrimento privatæ emoriuntur & separantur. Hild. *cent.* 6. *obs.* 79. per similem ablaqueationem fungus ex aure propullulans, *cent.* 3. *obs.* 11. alius item ex umbilico, *cent.* V. *obs.* 62. ab Hildano fuerunt sanati. 6. liber quoque huc accersere *ligaturam expulsivam*, qua mediante è sinu aliquo, ceu sacco, contenta materia expellendo evacuatur. 7. *serra magna*, quâ solâ utimur in separandis *sphacelatis* artubus: delineatio exstat apud Hildanum *lib. de gangr. & sphac. c.* 19. nisi quis malit in usum ducere instrumentum à Botallo descriptum *pag.* 790. *edit. Batavæ*; cujus talis est fabrica: fiant duæ columnæ ligneæ, ponderoso cippo infixæ, & utrinque per longitudinem interius sulcatæ. In inferna parte cippi infixus sit firmiter latus culter, acie sua sursum spectans, & alterius cultri, per sulcum mobilis, aciem sibi oppositam habens. Ubi detruncandum est membrum, superior ille culter, plumbo oneratus, è superiore parte descendit, aut malleo gravi adactus carnem simul cum osse secat. Testatur autor J. Regius, hunc modum admodum expeditum & indolentem esse, imò temporis momento perfici, adeo ut patient ægri, è lychnio ignis scintillam in membrum incidisse.

Quinta species dicitur *Prosthesis*, seu *appositio deficientis*; habetque locum in mutilatis membris aut particulis. Hæc non nisi palliativa est; tamen quia decorationem non parum facit, dum ars emendat, quantùm in se est, naturalem defectum, ad medicinam, & in specie ad chirurgiam, pertinet. Sic *oculum* casu amissum compensamus oculo vitreo aureove picto; *aures* mutilatas ex papyro crassiore vel corio picto resarcimus; *nasum* factitium ex argenteis laminis fabricamus; non enim licet nobis esse tam beatis, ut Taliacotium imitemur, quod de Griffonio testatur Hildanus *cent.* VII. *obs.* 31. *dentes* amissos, si loquelæ obsint, factitiis ex ebore restituimus; *palati* exesam portionem lamina argentea obturamus: consule Hild. *c.* 2. *obs.* 22. Paræus *l.* 23. mentionem facit cujusdam, cui insignis portio *linguæ* erat ablata, attamen ope lignei instrumenti, quod ore detinebat, voces proferebat articulatas. Sic factitiis ligneis *cruribus* utimur ad incedendum, & ex ferro fit instrumentum brachio applicandum, quo in *manus* defectu, apprehensio quadantenus exerceri potest. Vid. Paræum *l.* 23. *c.* 12.

Sexta & *ultima* superest *species*, quæ *Diorthosis* dicitur, per quam membra, quæ, sive ab ortu sive postea, malam acceperunt conformationem, reducuntur ad naturalem figuram, functionibus obeundis aptam. Ejus notabile habet exemplum Hildanus *cent.* 1. *obs.* 83. & *lib. de ichor. & melicer. c.* 27. Ordinariè hæc operatio non perficitur nisi ferreis instrumentis, qualia sunt *thoraces*, de quibus consulendus Hild. *cent.* V. *obs.* 67. Paræus, *l.* 23. *c.* 8. aut *ocreæ*, Hild. *c.* V. *obs.* 86. *cent.* VI. *obs.* 89. & 90. Paræus *l.* 23. *cap.* 11. Glissonius *l. de rhachitide c.* 29. quibus ossa in contrariam partem sensim pelluntur: aut à se invicem ita sedulo diducuntur, ut, quod nimium prius comprimebatur os, nunc à compressione liberum, veluti respirare, copiosius nutrimentum suscipere, ab eodemque augeri, & ad justam magnitudinem perveniré possit. Cujus rei demonstratio haberi potest ex inspectione sceleti alicujus gibbosi. In civitate Ultrajectinâ insignis habitat artifex Scotus, qui plurimos ejusmodi ægros etiam è longinquis regionibus curandos suscipit, & ad miraculum usque distortos pedes, incurvatam & gibbosam spinam, &c. corrigit. Huc revoco *elevatoria* dicta instrumenta, quorum usus est in depressione ossium cranii, ut eadem in situm reducantur pristinum. Consule Hildanum ex professo de his agentem *cent.* 2. *obs.* 4. & 5.

Hisce expeditis, nunc transitum facimus ad eas operationes, quæ ad chirurgos etiam relegatæ sunt, & jure merito, quia in iis *manus* non minimam partem sibi vendicat. At secundaria in hisce curationibus manûs est opera, sunt enim tales hi affectus, qui sine medicamentis ad sanitatem pervenire non possunt, ut testatur Celsus *in proœmio libri* V. igitur principale negotium pendet à virtute & efficacia medicamentorum, sive simplicium sive compositorum; sed quia cujusvis non est, hæc debitô modô corpori admovere, atque exercitatio prævia requiritur, inde est quod nomen acceperint hæ operationes, quòd sint *medicamentorum applicativæ*.

Medicamenta, quæ manuum ministerio partibus nostri corporis applicantur, divido in *naturalia*, & *artificialia*. In censu *naturalium primò* occurrunt *hirudines*, de quibus vide Moufetum *l.* 2. *c* 41. hæ, postquam venenatam qualitatem deposuere per aliquot dierum moram in aquâ purâ, apprehendendæ sunt pollice & duobus prioribus digitis (sed linteo involutis, ne elabantur) atque osculo suo venis in sede, aliisve partibus applicandæ; sed necesse est, partem prius asperiore panno fricare, aut sanguine columbæ illinere, aut etiam levissimâ puncturâ lædere, sic enim promtiùs adhærebunt. Adhærent autem tantisper, donec fuerint cruore exsaturatæ: quòd si majorem sanguinis copiam educere velimus, caudæ earum resecandæ sunt, sic nunquam ad saturitatem perveniunt; atque, si vapore aquæ calidæ foveantur, sanguis perpetuò effluet; ubi, quantùm satis est, extraxerint, non sunt avellendæ, relinquunt enim in cute oris sui aculeos, sed adspersis cineribus calidis fugandæ. Plura vide apud Vidium, *l.* 2. *chir. c.* 9. & Claudinum *de ingressu ad infirmos l.* 2. *c.* 5. *Secundum* locum tribuo *igni actuali*. Hic varius est, pro subjecti varietate, à quo suscipitur; alius enim inhæret stuppæ, alius carbonibus, alius plantarum partibus, ceræ Hispanicæ lineæ petiæ in pyramidis formam revolutæ, apud Alpinum *med. Ægypt. l.* 3. *c.* 21. alius auro, argentove, sed præsertim candenti ferro, inhæret. Vide de toto hoc negotio Severinum *in effic. chir. l.* 1. *Pyrotechniæ p.* 2. *c.* 1. 2. 3. 4. 5. ipsa quoque flamma, per tubulum flatu propulsa, utitur idem Severinus *in chirurgia spiritali nondum edita.* Antiquissimum esse ferri igniti usum, docent *aph.* 27. *l.* 5. & 6. *l.* 8. adhibetur autem ad discutiendum, roborandum, concoquendum, putredini resistendum, abscessus aperiendos, crustam partibus inducendam. *Instrumenta* in specie *cauteria* dicta, variæ sunt *figuræ* alia plana, alia orbiculata, alia recurva &c. quorum figuræ apud Albucasin potissimum reperiuntur: sed & apud alios, Scultetum *tab.* 19. Gabr. Ferraram *l.* 2. *tab.* 28. 29. 30. singulatim describuntur à Guidone *tract.* VII. Interdum ignitum ferramentum *intra capsulam* occultatur, ne adspectu terreat; quale Placentinus invenit atque depingit, post Aquapendentem & Glandorpium, Scul-

tetus *tab.* 1. *fig.* 10. Quando candente ferramento uti volumus, ante omnia vicinę partes muniendæ sunt, vel per impositam *laminam* vel *emplastrum defensivum*, vel *linteum* oxycrato madefactum; interdum per *cannulam* cupream transmittitur ferramentum, securitatis partium gratiâ. Modus imprimendi vel applicandi varius est, pro conditione affectûs & partis. In sphacelo omnium *acerrime* est urendum; in mollibus partibus *parcius*; in humidis *liberalius*; in sanguinis è nare fluxu, ut & ossis carie, oportet ignitionem sæpius *iterare*, donec aut crusta sit inducta, aut humiditas in osse fuerit ablata.

Medicamenta vocamus *artificialia*, quæ à medico præscribuntur, & ab artifice parantur ad usum præsentem. Sunt autem vel *liquida*, vel *solida*. *Liquida* adhibentur sub forma, 1. *injectionis*, cùm liquorem in penitiores corporis partes injicere necesse habemus. Sic in frequenti usu est injectio in anum; (quæ ἀπὸ τοῦ κλύζειν ab *eluendo*, κλυστὴρ dicitur) in uterum, in penem, in sinuosa fistulosaque ulcera: Instrumentum est *sipho*, vel *vesica*, cui *cannula* est alligata: debent autem injectiones fieri lensim, &, si in anum, æger dextro lateri incumbat. Nonnunquam cùm violenta fit syringatio, ut per eandem viam resiliat liquor injectus, quando videlicet sordes quædam intus hærent pertinaciùs. 2. *Instillationis*, hæc præcedenti minus est artificiosa: *triplici* autem modo perficitur; etenim *vel* è vasculo, cum proboscide angustissimi orificii, guttatim liquor effunditur; *vel* è linteo spongiâve madefactâ exprimitur; vel denique, (quod Italis familiare, ut patet ex Claudino in *append. l. de ingressu ad infirm. sect.* 11. qui *stillicidium* vocat,) ex altiori loco è vase ligneo per epistomium guttatim destillare facimus liquorem supra bregma aut stomachum, hepar, aliamve partem imbecillem. Horatius *epist.* v.

Qui caput & stomachum supponere fontibus audent.

Vid. Hipp. *aph.* 21. & 25. *l.* v. & Baccium *de therm. lib.* 2. *cap.* 14.

Embrochæ seu *irrigationis*, quæ priori valde est affinis, nisi quod in hac, postquam pars liquore est perfusa, *linteum* madidum aut *spongia* desuper imponatur; sic lintea *oxycrato* madida testiculis circumposuit in hæmorrhagia narium Hildanus *cent.* 2. *obs.* 45. hanc καταιονησιν Græci vocant. *Irrigatio* quoque vocatur, cùm aquam, aut aceti guttulas in lipothymia faciei adspergimus manu, sive etiam adspergillo. 4. *Fomentationis*, quæ interdum fit eodem modo, quo embrocha, interdum ab eadem differt, cùm scil. liquor oleaginosus vesicæ inclusus, aut sacculus aridâ materiâ eâque calefactâ repletus, parti applicatur. *Balnei*, quod duplex est: *humidum* vel *siccum*; & utrumque vel *totale* vel *partiale*; in *illo* totum corpus, in *hoc* dimidiam partem immergimus, & speciali nomine vocatur *semicupium*: figuras dabunt Heurnius *in meth. ad praxin. l.* 1. *p. m.* 45. Severinus *pyrotechn. chir. l.* 1. *p.* 3. *c.* 47 Utrumque est vel *naturale*, vel *artificiale*. *Naturale humidum*, fit ex *aquis thermalibus*, *quarum succedanea* sunt, quæ ex herbis aliisque in aquâ communi decoctis præscribuntur. *Naturale siccum*, constat exhalatione calidorum vaporum è subterraneis cryptis elevatorum. *Artificiosum* fit per accensos *carbones* aut *spiritum vini*: sic namque stragulis benè coopertus æger, sudorem copiosè emittit. 6. *Suffitus* vel *vaporis*, quorum *ille* ex liquidâ, *hic* ex humidâ materiâ excitatur. Ut verò uterque commodiùs ad partem affectam perveniat, suscipitur exhalatio *vel* per infundibulum, *vel* sellæ perforatæ insidere jubetur æger. Nunc quoque Nicotianæ fumum, unusquisque sibi, ad proritandam alvum, immittere potest in anum per nuperum ab Anglis excogitatum instrumentum; quod à chirurgo Woodallio primò descriptum & delineatum, deinceps exstat à Bartholino depictum *cent.* 6. *obs.* 66. 7. *inunctionis*, quæ fit digitis aut penicillo.

Solida medicamenta, quorum adhibendi modus hîc spectari solet, his titulis comprehendi possunt. Est enim 1. *pulveris inspersio*, *sive* ea fiat mediante flatu, ut cùm uvulæ laxatæ piper adspergimus, instrumento ab Hildano excogitato *cent.* 2. *obs.* 21. *sive* per instrumentum aurifabris familiare; quod nihil elt aliud, quam capsula cuprea, proboscide, ferrinos dentes habente, donata. Etiam cùm pulveres restrictivos *stuppis* inspergimus & partibus applicamus. 2. *intrusio suppositoriorum* seu *glandium*. 3. *Emplastratio*, sub qua comprehendimus etiam *sparadrapa*, *dropaces*, seu *picationes*, de quibus vide Gorræum: item *vesicatoria*. *quarta* cauteriorum potentialium seu *ruptoriorum* applicatio; nam parti imponitur emplastrum exiguo foramine præditum, cui ruptorium inditur; huic verò desuper pulvillus imponendus, eique fascia circumjicienda: post horam unam atque alteram, caustico liquato, cutis reperitur adusta & insensilis reddita, quam scalpellus sine dolore facilè penetrat.

ORIS MORBI

OS constat partibus osseis, musculosis, glandulosis, vesicularibus, ac membranosis; inservitque cibo & potui recipiendo, illique masticato, ac salivæ, è suis glandulis per canaliculos in id fabrefactos depluente, admisto, in ventriculum amandando. Nimii essemus, si sigillatim horum omnium descriptionem Anatomicam exhiberemus, illudque minùs necessarium credimus, dum apud Autores Anatomicos, ac præcipuè Viros Clarissimos D. D. Godefridum Bidloo, ac Stephanum Blancardum, hoc pensum abunde confectum cernimus. Morbos verò quod attinet, illorum historiæ & curationes è capitibus de Dentibus, de Epulide & Parulide, Gingivis, Gurgulione, Gutture, Labiis, Linguâ, Maxillis, Palatô, Parodontide, &c. commodè peti possunt. Hîc itaque tantùm de Oris Fœtore aliisque paucis.

De Oris Fœtore.

In fœtore oris curationis capita hęc sunto. Pars unde mali prima labes diligenter repurganda. Toti consulendum. Gargarismis os colluendum. Manè pręsertim ptialismus provocandus iisquę temperata sunt. Salvia vino macerabitur. Aurum, id est nummus aureus, ore continebitur. Theriaca aut Mithridatium quotidie manè devorabitur. Pilularum usus ex rhabarbarô frequentissimus. Tabellę. Pimpinella vinô macerata. Eadem ore contenta. Frequens usus syrup. rosar. pallid. Vini absinthitis frequens usus. Carnium usus paucus. Vitanda allia & quæ odore ingrata sunt. Granatorum & limonum usus jucundus. Pomorum aureorum cortex conditur. Usus coriandri. Masticatio nucis moschatæ mirô profectu indulgetur. Aqua cisternæ cum rosâ ad collutionem oris.

℞. Rad. acori & coriandr. ppt. an. ℥j. dictamni ℥j. Absinth. Pontici, Scordii an. p. ß. brglosf. pimpinell. pilos. meliss. stęchad. an. p. ß. flor. cordial. p. ß. fiat. decoctio in qua infunde rhabarbari ℥iß. Cinnam. & nucis moschat. an. ℈ß. expressioni adde vini albi cochlear unum, syrup. rosar. pallidar. ℥x. fiat potus.

℞. Coriandr. ppt. ℥ij. pulver. panis tosti ℥v. fœnicul. dulc. conditi ℥j. Glycyrrh. ℥ß. fiat mixtio.

℞. Tabellar. aromatic. rosat. & diarrhodon abbat. an. ℔. ß. utatur.

℞. Mithridat. ʒiij. Conserv. rosar. bugloss. & violar. an. ℥j. utatur manè & horâ somni.

℞. Rha-

℞. Rhabarbar. ℥ij. nucis mosch. gr. 8. pulver. aromat. rosat. gr. 6. agaric. troschisc. & Aloës lotę an. ℈j. cum vinô albô infusionis zingiberis, & cinnam. fiat massa utenda ad 4. pilulas sæpe ante pastum.

Aquæ Imperialis usus convenientissius & vinum absinthites. *Gulielmus Ballonius Consiliorum lib. 2.*

Annotatio Jacobi Thevartii.

Cùm à toto corpore sudor graveolens manat, quod symptoma ut plurimùm biliosis, & russo capillitiô, cuteque subalbida prædictis contingit, hac ratione corpus odorum & bene olens redditur, præsertim æstate, quô tempore cutis spiracula & pori patent; propter ambientis aëris caliditatem. Coquunt radicem Cardui benedicti in vinô albô quotidie manè propinant tres vel quatuor uncias. Statim à potu hujus decoctionis urina crassa & fætens redditur. Vel, accipitur terebinthina Veneta ad quantitatem olivæ cum pari portione mellis, coquitur modicè, deglutitur, vinumque insuper bibitur. Alii magnô profectû myrrhæ & serpilli pares portiones terunt, & ex iis pilulas formant, quarum duas manè devorandas præbent, insuperque vinum bibendum exhibent. Hæc præsidia non modò ad totius corporis fœtorem, sed etiam ad oris graveolentiam arcendam valent.

A Recurrente Oris Tortura, & Vertigine Præservatio.

Illustrissimus Abbas ætatis suæ annorum sexaginta; temperamento verè sanguineo, habitu corporis pingui, quadrato & Athletico, in quo & calor hepatis magnus, & abundantia humidi pari passu procedunt; elapso jam anno decimo per dimidium quadrantem Vertigine non tenebricosa correptus fuit, ita ut omnia in gyrum verterentur; à qua immediate sudor erupit, & voluntas ejiciendi. Sequenti mane expergefactus, tortura oris seu spasmo cynico cum capitis gravamine cœpit laborare; & convaluit facta purgatione & sanguinis copiosa missione. A decoctis calidis offensus, a frigidis & temperatis curatus, bene postea se habuit, nisi quod dubius, ne iterum fieret convulsus, vel vertiginosus, medicamenta diversa à Medicastris in dies accepit; solo habito respectu, quod humorum moles evacuationibus, masticatoriis, sternutatoriis, & similibus diminueretur. Omnia tamen medicamenta cùm fine corporis & humorum præparatione exhiberentur, humores agitabant, & sæpe febres aliquæ, uti catarrhales, ephemeræ, synochæ, & similes emergebant, quæ vel evacuatione integre facta, vel sanguinis missione facillime tollebantur. Modo Illustrissimus Dominus inculpatę saluti proximus est, & spatio septem horarum perbelle dormit, optime & cum sensu comedit, digerit, excernit, ad motum indefessus; quia tamen ob hepatis calorem agitatur materia in hypochondriis, ubi ebulliendo vapores elevantur ad caput, & imprimunt in Nobilissimo Patiente timorem futurę infirmitatis, ideò præcautionis gratiâ frequenter masticatoriis utitur, sternutatoriis, & nescio quibus pilulis magistralibus, à quibus tamen caput debilitatum, sæpe coryza offenditur, fluxione scil. narium quæ à quovis aëre matutino vel nocturno intempestive & frigide recepto adaugetur; raucedine quinetiam superveniente, quæ necessariò medicamentis debet expugnari. Sed quia Illustriss. Abbas valde dubitat de nova Vertigine & inde de Oris tortura, cùm caput aliquando grave, aliquando vanum sentire sibi videatur, ideo hęc brevi temporis spatio scribenda duxi, omnia tamen subjiciens Clarissimo & Doctissimo Viro, cujus immortalem Doctrinam addictissimus veneror.

Vertigini solutę quinquagesimo ętatis anno in Illustrissimo Abbate successisse oris torturam, sive Cynicum spasmum mirandum non est, cùm Vertigo ipsa proxima sit comitialibus & apoplecticis affectionibus, non quia ab eadem immediata causa Vertiginis mali jam dicti producantur affectus, sed quoniam Vertigo pravam in cerebro dispositionem reperiri nobis significat, quę materiam sive causam accersere valeat dictis affectibus producendis idoneam: Vertigo enim fit ab inordinato motu spirituum animalium, cujus causa est fumosa materia spiritibus immista; cujus ratione, irregulari & circulari motu moventur. Convulsio verò secuta, sicut & Apoplexia, à solidiori materia quandoque sanguinea, utplurimùm catarrhali & pituitosa excitari solent, dum in casu nostro ad nervos tertiæ conjugationis deposita, eosdem replendo labiorum contractionem & convulsionem induxit. Materia autem hujusmodi num à toto venoso genere ad caput transmissa fuerit, an potiùs in eodem genita dubitari posset, quamvis tunc temporis ab educto sanguine è venis elici potuerit. Conjectare tamen nobis licet caput tunc suscepisse, non produxisse materiam, tum quia non adeo facilè medicamentis cessisset affectus, tum quia si idiopathice affectum fuisset, decem præteritorum annorum spatio recidiva, imo pejora mala successissent. Verum tamen est quod sicut à plenitudine totius tunc lædi potuerat, ita ætatis progressu & perseverante ab infernis partibus fomite, essentialis potest evadere capitis lęsio. Propterea monebat Galenus de Vertigine sympathica locutus, quod; Quamvis caput per alterius partis consensum laborat, affectio nihilominus ipsi capiti tribuenda sit: & præsertim in casu nostro, dum caput ab injuriis externis facilè alteratur & læditur; ut propterea, cùm hypochondria in Illustriss. Abbate æstuantia & valde evaporantia à Viro Doctissimo observentur, eorundem primò ratio sit quidem habenda, capite tamen nunquam neglecto. Et quoniam ab hepatis & hypochondriorum calore compatitur etiam ventriculus, ita ut juges cruditates producat, à quibus obstructiones in vasis mesaraicis genitæ fuerint, quæ exciatæ hypochondriacum affectum constituerunt, unde evaporationes sive exhalationes elevantur in caput; idcirco prius instrumentali, ut ita dicam, ablato affectu, mox utriusque partis, sed magis jecoris quàm ventriculi intemperiebus erit prospiciendum.

Quare ut Illustriss. Abbas ab imminentibus malis pręservetur, & à præsenti hypochondriaco affectu perpetuum timorem incutiente vindicetur, regularis Purgatio hoc anni tempore instituenda est; primò vias primas mundando. Secundò Obstructiones aperiendo. Tertiò Venosum genus depurando, & succorum ejusdem copiam minuendo. Quartò Caput purgando. Quintò Intemperiem hepatis corrigendo; atque tandem ventriculum & ipsum caput roborando.

Quibus intentionibus ut satisfaciamus, à fonte Chirurgico repetita, sed moderata, est depromenda sanguinis missio; ex brachio primò, mox ex sedalibus venis. Utile quoque fore existimo Cauterium, sinistro brachio affixum. Frequentes etiam debent exerceri pedum lotiones aqua calente, sive mane, sive vesperi, sed semper ante cibum.

Pro prima intentione lenientia jam proposita bis repetita ex usu erunt. Et intermediis quinque diebus pro Pręparante julapium acet. corticib. citri alteratum, & exigua aqua florum citri dilutum, aptissimum fuerit.

Pro secunda, rhabarbarum opportunissimum censetur, vel comansum cum passulis ad semidrach. quotidie, vel drachmis duabus cassiæ commistum & deglutitum: cui post horam superbibat cyathum seri capr. aut asin. destillati; & in hujus usu perseveret decem aut duodecim dies.

Deinde aſſumat. ℞. Flor. caſſ. recent. extr. ℥j pilul. de trib. cum rhab. ʒ. j. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri capr. aut aſin. depur. lib. j. ß. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat.

Tertię intentioni ſatisfaciendum erit ſuccis depur. & elective purgantibus medicamentis, ſic

℞. Succi depur. cich borag. agrim. an. ℥. j. decoct. endiv. meliſſæ. pentaph. beton. an. ℥. iiii. ſalis tart. fixi gr. x. m. pro ſyr. & aliis decem, in quorum intermedio & fine aſſumat.

℞. Elect. len. ʒ. v. de ſucco roſarum ʒ ii. pilul. de trib. cum rhab. ʒ. j. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri d. pur. aut aquæ hordeac. lib. j. ß. & tribus horis ab aſſumpto ſero vel aqua prandeat.

Quartæ intentioni ſatisfacere poterunt pilulæ capitales ita parandæ.

℞. Pilul. coch præpar. aurearum, aggregat. an. ʒ. ß. m reform. pilulæ, & aur. media nocte à primo ſomno, aut in aurora aſſumendæ. Errhinum quoque parari poterit ita

℞. Pulv. major. ireos an. ʒ. ii. nigellæ ʒ. j. m. f. pulvis more tabaci mane tantùm per nares attrahendus. Pulvis quoque exiccans capitis inſpergi poterit, ita parandus.

℞. Pulv. ligni carioſi, oſſium ſepiarum uſtorum, cornu Cervi uſti, majoranæ, roſarum rub. an. ʒ. ii. m. f. pulvis ſubtiliſſimus pro capitis inſperſione ſub ingreſſum lecti facienda.

Quintæ intentioni ſatisfaciendum Conſervâ roſarum, xv. aut xx. diebus ſummo mane aſſumenda, cui ſuperbibat cyathum aquæ ſtillat. de ſucco cich. vel aquam jam dictam bibat cum Conſerva de acido citri, roſarum Conſervam omittendo.

Tandem Ventriculo aliquod robur addendum, ſi non aqua Tettuciana tribus aut quatuor diebus in medio præſcriptæ Curationis cum vehiculo dejectorio aſſumenda, ſaltem frequenti uſu abſinthii ſtatim à prandio, aut abſinthii Conſervam comedendo, aut ſal abſinthii ℈. i. in exiguo vino diſſolutum hauriendo; aut pilulam devorando, ex uno ſcrup. ſucci abſinth. condenſ. paratam; Sicut non parum Ventriculo proſunt duo aut tria grana maſtiches, ſtatim à cibo integra deglutita. Pro capitis verò roboratione in uſum frequentem ſunt ducendę Conſervę capitales, è florib. beton. roris marini, ſalviæ: & æſtivo tempore roſarum veſpere ſub ingreſſum lecti aſſumendæ, quibus immiſceri poſſet medicamentum aliquod à proprietate juvans, aut aliquot guttulæ ol. de camphora, aut olei de buxo, aut de ſuccino, aut quintę eſſen. roris marini: æſtivo verò tempore tincturæ corall. chymicæ. Quibus etiam ſutura coronalis nonnunquam illiniri poterit.

Et jam dictis omnibus congrua vivendi ratio à Viro Excell. pręſcribenda omnino addenda erit. Interim obſervando num capitis læſio eſſentialis progreſſu magis innoteſcat: tunc enim opportuno tempore de Decocto ſudorifico, moderato tamen, & ad hominem præſcribendo, cogitandum eſſet, ut capitis humiditas abſumatur, & ejuſdem intemperies corrigatur. *Raym. Joh. Fortis Conſult. & Reſp. Medic. T. 2. Cent. 1.*

Oris tortura & Deſtillatio in alias partes.

Athletarum habitum ſemper damnavit Hipp. ſi ad ſummum bonitatis attigerit: humanę enim ſortis ea conditio eſt, ut in eodem ſtatu permanere nequeat, & ideo cùm homo in tali extremo ſit conſtitutus, & proficere non valeat, reliquum eſt ut in deterius decidat. Hoc evenit Adm. Rev. Patri. qui tali habitu præditus, tum à naturali ſui corporis conſtitutione, tum verò à liberali victus ratione, quatuor adhinc annis variis morbis cœpit conflictari, quorum primus fuit perniciosiſſima Diarrhœa febri acutæ ac dyſenteriæ conjuncta, æſtuans ejus hepar demonſtrans, cum bilioſiſſimis perniciosiſſimiſque & frequentibus cruentis dejectionibus, qua per multos dies adeo laboravit, ut in maximo vitę diſcrimine Pater Adm. Rev. verſatus fuerit; à qua remediorum ope tandem convaluit. Sed non mutato vitæ genere ſequenti anno horridiori forſan caſu correptus fuit; incidit enim non ſine pręcedenti capitis offenſa in notabilem oris torturam & ſiniſtræ palpebræ reſolutionem, à qua nonniſi operoſa & laborioſa Medicamentorum ac remediorum adminiſtratione fuit ſolutus: non recuperata tamen partis ſiniſtrę figura integrè, licet decocto accommodato, etiam cum ſudore per plures dies exhibito, & localibus non neglectis, atque compoſita victûs norma ſervata. Nonnullos verò poſt menſes occaſione cauterii ab eodem Patre de ejus purgatione nimium ſolicito exaſperati, in inſignem ſiniſtri brachii tumorem incidit, cum ſumma partis inflammatione & dolore, qui tandem ope artis ſuppuratus, & per multos dies expurgatus fuit, vix tamen ad cicatricem perductus, maximè ſub axilla in qua de fiſtula relicta diu meritò dubitatum fuit.

Nec tamen tali morborum facie perterritus Pater exactam, ut debuerat, vitam duxit, præcipuè in ciborum & potus uſu, in quo ſolam Dietam conſiſtere credit vulgus, ſed maximè exponendo ſe cuicunque aëri, etiam in montibus magis alpeſtribus, & rigidiori anni tempore, tum ut Divini verbi Orator, tum proprię hilaritatis gratiâ: Unde mirum non fuit ſi permanente naturali partium conſtitutione, & reproducta materia ab externa cauſa exagitata, debilem locum eadem rurſus obſederit, ipſam Oris torturam in eadem parte licet levius renovando, quę tamen ſolis expurgantibus de more præſcriptis & corroborantibus ſubſtitutis remiſſa adeo eſt, ut Rev. Pater priſtinam recuperaverit ſalutem; qui tamen frequentes has horridorum morborum ac ſymptomatum minas, majorum ut plurimum nuncias jure pertimeſcens, ſub Præſtantiorum facultatis Medicæ Virorum confugit pręſidium, ut ſic tutius ſalubrem vitam agere valeat.

Cur Athletarum habitibus non ſolutis majora ac ſæviora ſymptomata ſuccedant, ſi quiſpiam quæratur, reſpondendum: quia corruptio optimi peſſima. Et ideo mirum non ſit, ſi Adm. Rev. Patris olim optimo habitu ad ſummum bonitatis perducto, à copia ſuccorum nativo calore ſuffocato, & adſcititio adaucto, ab hoc corruptiones contigerint, & in bilioſam materiam tranſmutationes, unde bilioſæ Diarrhœæ atque dyſenterię ſucceſſerint: ab illo verò cruditates emerſerint, quę à ſanguine circulante per carotidas ad caput delatæ, in eodemque tanquam parte imbecilliori depoſitæ, & inde per nervoſam & muſculoſam ſubſtantiam ad partes infernas tranſmiſſæ, & oris torturam, & palpebræ reſolutionem induxerint. Quoniam verò non ſatis tota maſſa ſanguinea fuit depurata, hinc factum fuit ut Cauterii exaſperati occaſione non exiguam pravi ſanguinis portionem ad brachium & axillam depoſuerit ipſa natura, ad majorem totius maſſæ ſanguineæ depurationem. Verùm quia ejuſdem Rever. Pręsb. caput calidam & humidam intemperiem à natura ſortitum fuit, quę ab erratis in vivendi ratione commiſſis, & præſertim in aëris inclementiis, augmentum, imò exceſſum ſuſcepit; ideo propter illam multiplicata cruda ac pituitoſa materia, & ad muſculoſas potiùs, quàm nervoſas partes rurſus ſecunda vice detruſa, & palpebræ relaxationem, & oris torturam antea remiſſam renovavit, & exaſperavit, tandem medicamentis electivè purgantibus atque Topicis expugnatam. Quibus omnibus conſideratis, de alia recidiva ſive majori imminenti malo non ſine ratione dubitat Adm. Reverend. Pater, cùm intemperies calida & magis

magis humida in capite vigens, materiam catarrhalem suscipiendi & reproducendi vim obtineat, eoque magis, cùm non adeo exquisitę vivendi rationi seipsum tradere possit: cùm enim Studiosus sit, ab applicationibus abstinere non poterit, pręterquam quod & in reliquis rebus non naturalibus debitam mensuram servare eidem non adeo facilè fuerit.

Quare ut tutiorem vitam degere possit, humidam capitis intemperiem corrigere necessarium putamus, capite priùs expurgato, & ante caput, toto venoso genere depurato, primis viis ante omnia mundatis.

Quibus intentionibus satisfaciendum repetita sanguinis missione ex utroque brachio, quantitate Viro Excell. Assistenti commissa. Cauterium jam inultum custodiendum.

Primæ viæ Lenientibus & congruis Præparantibus sine diluto expediendæ. Inde ad massam sanguineam defæcandam erit deveniendum, indicatione ab extracto sanguine desumpta, quem quoniam cruditatibus abundare facilè credi potest, ideo oxymel. diluto pręmisso, jus superbibere poterit cichoraceis, agrim. pentaphyllo, melissa & fumaria alteratum; & si aliqua quoque adustio in sanguine observata fuerit, juri alterato succi quoque depurati cich. & borag. addi poterunt. Transactâ hebdomadâ, expurgatio procuretur, addendo potioni ex manna clarif. in infusione consueta rhabarbarum & agaricum: Vel parentur boli ex elect. lenit. diacarth. & diaphen. Quibus tamen omnibus superbibat aquam hordeaceam sive Noceriánam. Repetenda mox iterum Præparantia, quibus addi poterunt grana 12. aut 15. sal. Tart. & eadem Purgantia mox iteranda; Ut inde ad capitis expurgationem deveniatur pilulis cochiis, aureis & aggregat. ter quarto quoque die repetendis; & diebus intermediis prębeantur succi depurati agrim. beton. & fum. in decoctione cichoraceorum; additis foliis majoranę, salviæ & stæchadis; quo eodem tempore; matutinis horis per nares quoque caput idem expurgari poterit errhino ex pulvere majoranæ, ireos, nigellâ & tabaco parato. Quæ jam dicta omnia in gratiam postremæ & magis necessariæ intentionis peracta fuerint; huic autem satisfaciendum sudorifico Decocto ex visco querc. ligno ror. mar salsâ, guaiaco, in aq. stillat. cichor. & beton. parato, cui progressu addi quoque poterit portio, aut lentisci, aut santalorum; sudor verò in hypocausto provocandus, ut totum corpus, & caput præsertim abundè sudare possint. Et ut sudor feliciùs provocetur, utque massa sanguinea faciliùs purificetur, præmittatur pulvis viperinus ad gr. 15. aut 20. & in hujus usu 40. diebus persistat; decimo verò quoque die potionem ex manna clarif. de more assumat, ad humiditates redundantes à potu secundæ aquæ excernendas; & ratio victus, sit quidem attenuans, at non adeo tenuis.

Absoluto sudore, si Viro Prudentiss. Adstanti visum fuerit, aliqua caloris contemperatione opus esse, rursus aperiri poterit vena brachii, parcè sanguinem educendo; & quindecim diebus uti poterit potione matutina, ex lib. 1. aq. stillat. de succo cich. addita conserva de acido citri, aut præmissa conserva rosarum; cujus usus statim ab assumpto cibo & sub ingressum lecti non inutilis fuerit.

Hisque omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, à Peritissimo Viro præscribenda, cui reliqua quoque omnia meliùs dirigenda; imò & corrigenda remittimus. *Idem ibidem.*

Observationes.

Oris Fœtor.

Causas fœtentis anhelitus potissimum quinq; reperio. Primum quidem vulgatam maximè, superstitem sive ex ciborum reliquiis seu gingivarum vitio mucilaginem, album illam & dentium margini, quâ infinguntur, circumlitam, cui adjungas licet, qui in dentium molarium cavis colligitur putrescens verminansq; propediem succus. Deinde est sanguinis intra gingivarum venas concrescentis stagnantisque putredo. Terriò est, qui ex Ventriculi corruptelâ halat nidor, animam cætera puram itineris societate defœdans. Quartò etiam ipsi sanguinis texturę immista putredo animam quoque redeuntem comitari atque perpetuò infamare solet; Tandem etiam, qui naribus redditur anhelitus, ab ulcere, Ozænam vocamus, odorem recipit fœdum planè atque impudicum. Primæ illæ species in Belgio, imprimis Hollandia, populariter grassantur, & cùm dentium ibi cura ferè nulla sit, fœtor ille communis est & ipsa consuetudine neglectus. Oris aut Gingivarum olidum sanguinem sudantium ibidem quoque, quàm alibi, frequentior noxa, & in pueris propemodum malum domesticum, exserentibus, sese ibi primùm hæreditarii Scorbuti rudimentis, Stomacacen jure voces jam olim notum morbum, quique non ante profligari cum fœtore symptomatico potest, quam exterso cruore oris integritatem per Balsamica & purificantia, per Myrrhata, Camphorata, Spirituosa & Alcalina procuraveris. Qui à Ventriculi saburrâ aut putredine nidor est, mirificus sæpe & quasi stercoreus, nisi jam antè diu insedit aut congenitus est, Emetico facilè propulsatur; aut aliàs corrigentibus Antiscorbuticis lente resolvitur. Hecticis autem vel tabidis certum inhærescit odoris virus, quod pulmonibus rejectum animam corrumpit, neque nisi cum morbo sanari potest, adeò durat plerunq; & commoritur. Quis autem credat in tam manifesto sanguinis vitio & odore impudico vivere diu homines posse, vivunt tamen & ęgra membra in seram ætatem trahunt, &, quod mirandum in illa animarum communione, sine ullo contagii incommodo; fortè, quod sua cuique aura & peculiaris temperies in Antidotum transiit. Novi olim Matronam hecticam, viro nuptam robustissimo. Hic Conjugis miseræ sanè & malè olentis contubernio delectatus; etiam inter basia & animarum misturas, quibus amor declarari solet, non tantùm incolumis mansit, sed & octoginta annos natus ex marasmo senili, ne quid à consuetudine illâ traxisse videretur, occubuit. Liberos autem omnes, numero sex, Hectica intra trigesimum ætatis annum erumpens absumsit. Mater ipsa trigesimo quarto ætatis anno liberorum partu defuncta, tandem & ipsa defecit, quæ quotidie mori visa erat. *Joh. Nicol. Pechlinus in Observationibus Medicis.*

Anhelitus & Excrementorum Odor Moschatus.

Famigeratum est in Historiis, quo melior esset Regum aut Heroum veneratio, singularia quædam de iis & humanis votis majora efficta esse, nunc nævos quosdam prodigiosos in corpore latentes, nunc lucem aliquam lambentem, nunc gratum quemdam odorem, quo ne sudores quidem aut excrementa caruisse fabulantur. Alexandri adulatores, ut hominis majestatem redderent augustiorem & propemodum divinam, commenti sunt εὐωδίαν aliquam, quam corpus spiraret; atque utinam ea superstitio non etiam in nostri sęculi homines defluxisset, & Docti quoque, ne temere dominatum & fasces eruditionis in aliquem ingenii viribus majorem, cætera ὁμοιοπαθῆ, contulisse viderentur, ejusmodi res, aut accidentium lusus; pro libidine effinxissent; fuisse tamen aliquid singulare in certis corporibus non negaverim, sed quod in divinitatis argumentum rapi omnino non debuit, ne reperta in aliis, iisque minorum gentium Diis, prodigia planè eadem con-

onceptam pridem venerationem traducerent. Adeò etiam ad aſſerendam aut augendam divinitatis ſuſpicionem, quę in Joſepho Scaligero reſediſſe viſa eſt, ineptè allegantur, quæ domeſticorum teſtimonio ſibi conſtitiſſe ait Vir magnus, excrementa nimirum ejus ſudores alvi ſcybala non reliquorum hominum more fœdum quid, at Roſam, at Moſchum, oboluiſſe. Solet hoc Phyſicorum vulgus ab æquabili & harmonico elementorum concurſu & partium aliquâ συμμετρίᾳ unde & animi quædam magnitudo exſurgat, deducere, ſed inani & ſpecioſo conatu. Erit ergo, ſi placet, abſolutiſſima quędam tum elementorum tùm particularum temperies in Fele Zibethicâ, in Caprâ Moſchiferâ, in Caudâ Vulpinâ, in Sorice & Glire moſchatis, in muſcis Piſanis Chimentellii, ut quorum excrementa, jam etiam corpora, nacta ſunt odorem planè acceptiſſimum & ad fucos quæſitum. Quod ſi odor ille argumentum eſt harmonici particularum contextus, major erit in excrementis, quàm corporibus, quorum ipſa ſunt partes, perfectio, quod ſane quàm inficetum: Adhęc ipſa illi odoris gratiâ in exili momento & certo particularum occurſu conſiſtet, quo mutato jam & odor pridem adeò gratus infamis eſt atque inviſus. Nimirum quæ particulę in molem coactæ unitęque naribus noſtris graves ſunt atque moleſtæ, illæ diviſę multoque intercludente aëre narium ſeſe organo commendant gratiamque ſenſus aucupantur. Equidem Vaccarum excrementa nuper tam grave olentia, ubi certum digeſtionis gradum attigere, vel moſcho faſtum faciunt, & imbuendis odore linteis alibi ſervire ſolent; & fuit fortè olim illa etiam ſtercorum Crocodili gratia, ut quæ in fucum adſcita mangonum quoque ληκύθους ornavêre; atque hinc Horatii iſtud; Nec illi jam manet humida creta, colorque ſtercore fucatus Crocodili. Quidquid demum hoc ſit, relativæ ſunt hæ qualitates & ſuo quoque organo ęſtimatę; nam quæ certis hominibus grata acciduut, aliis fœda & δυσώδη, & quę nos in univerſum narium judicio, velut ingrata, averſamur, pleriſq; animalibus non ſunt talia, aliquibus etiam in delicium vocata. Sanè ſcybala humana damnatiſſimi odoris, ſi judicio noſtro credendum, Canum Porcorumque naribus gratiſſima accidunt & odoris indicio in eſcam ſollicitantur. Tantum ergo abeſt ut concurſum quendam Elementorum ex ęquo commonſtrent, ut contra corruptelæ ſpeciem manifeſtò deſignent, neque ante narium gratiam ſectentur quàm putredine ſoluta; quæ uſq; eò progrediuntur, ut, cùm malè olentia putredinem arguant, jam ipſa illa mutata ſuaviuſque ſpirantia majoris corruptelę ſint ſignum. Uſus ſum olim familiaritate Sacerdotis pii ac honeſti, cauſarii tamen & à Scorbuto malè affecti, Exhalabat hic ſemper animam fœdam atq; impudici odoris, cujus etiam occaſione conſuetudo hominis mihi aliquando moleſta erat. Cùm itaque ſemel gratius quid & Moſchi odorem ſpirare animam offenderem; quâ eram libertate, objurgare hominem cœpi, quòd corruptelam corporis fuco adſcitiſque in ſpeciem odoribus velare non dubitaret: Ubi ille, nolim, inquit, te male habeat odor hic inſuetus; hic enim non infrequenter fœtore aliàs domeſticum mihi & quotidianum excipere ſolet, & tum maxime, cùm morbi mihi gravioris metuenda eſt tempeſtas; adeò ſcito hoc uno prodromo monitore in propinquo eſſe, quem metuo morbum. Et ſane ita erat, protinus enim morbus invaſit eumq; lecto affixit, à quo nec ante immunis factus, quàm animę fœtorem, quem pridem cum morbo amiſerat, reciperet documento inſigni, odorem illum gratum majoris putredinis indicium fuiſſe, quàm δυσωδίαν. Pharmacopœum quidem novi artis ſuę callentiſſimum, ſed valetudinarium & Tabe laborantem; hic ut in cęterâ animi conſtantiâ ſpiritum trahebat magis quàm ducebat, identidem periculoſius conflictabatur, quod quoties immineret ex urinis colligebat, illæ enim & aliter coloratę quàm pridem, & Violarum halantes odorem jamjam adfuturum Paroxyſmum ſignificabant; atq; cum hiſce invaleſcebat morbus non ante deſiturus, quàm Urinis naturalis ille atq; inficetus odor rediiſſet. *Idem ibidem.*

Diſtortio Oris percurata.

Superiori anno tres mihi oblati ſunt diſtortione oris laborantes; duę primariæ fœminę, & civis Academicus unus. Omnibus ex rictu nimis patulo, tempeſtate frigidiori os in alterum latus reflexum miram vultui deformitatem addebat; quin & cibaria ægrius deglutita, laxato velut in paralyſin nervo, qui maxillam alteram gubernabat. Ut ergo obliquitas illa tolleretur, vocata à me in uſum purgantia cephalica, veſicatoria in occipite, & ad aurem affectam, cucurbitulę ſcarificatæ, caſtorei extractum & ſpiritus, quibus denique ceſſit pertinax malum, & ora (adjuncta dięta ad ſiccum declinante) juſſo loco quievere. D. *Olai Borrichii.*

De Calculis Oris ſub lingua ſitis & Batrachò, quos Epid. 7. memorat Hippocr. Sed quorum ſedem nemo hominum detexit antè hunc annum 1664.

Recentem hiſtoriam mihi retulit Clariſſ. Car. Drelincurtius, lapilloſq; mihi oſtendit 5. quos ſibi è 7. conſervat, & quos ipſe unguium àpicibus una vice è ductu ſalivô inferiori dextrô revulſit, ubi tumorem pepererant enormem atq; contumacem. Dum enim Pręſes meus remediorum tædiô afficeretur, & exactiùs in tumorem ſub linguâ monſtrificum inquireret, quippiam rugoſum prominulumq; deprehendit, idque præciſè juxta frænulum linguę & à dextris, ubi tumor rebellans aſſurrexerat in molem ſtupendam. Mox conjecit obſtipata eſſe oſtia ſalivoſi ductûs ſublingualis dextri, nec eventus conjecturam fefellit, nam unguibus ſummis obturamentum illud tam feliciter corripuit & eduxit, ut ſalivam protinùs plurimâ glutinoſamque expuerit ægra, tumore illo horrifico penitus ſubſidente. Re diligentiùs exploratâ percepit Pręſes meus calculum fuiſſe grandiorem unum quem unguibus evocaſſet, qui cæteris minoribus ſex viam interclusiſſet intra ductus illius ſalivoſi decurſum; atque adeo ſalivam exitu prohibitam enormiter inibi fuiſſe coactam, donec reſeratis canalis illius oſtiis pleniſſimè fuerit eructata, unà cum calculis illis adunatione ſuâ inibi ſtipatis & canaliculum enormiter expandentibus; Sic dies diem docet, & veritas pedetentim eruitur è puteo. *E Theſibus Diſcipulorum Præclariſſ. atque Ampliſſ. D. Caroli Drelincurtii: Annô* 1670. *publicatis.*

De eodem Calculô ſublinguali obſervatio alia.

Non abſimile quid hiſtoriæ è Clariſſ. D. Carolo Drelincurtio mox allatæ mihi etiam anno 1680. obſervare contigit, cujus integram deſcriptionem hic inſerere non pigebit. Vir Honeſtiſſ. D. R. Mercator apud noſtros integerrimus, Plethoricus & valde obeſus, ac ſubinde fluxionibus ad fauces, quaſi ſtrangulatoriis, affectus, anno præmemorato, poſt omnium à parte dextrâ, ſalivalium glandularum, ac proinde ejuſdem lateris parotidis, tumefactionem maximam, in eum deducębatur ſuffocationis periculum, ut ſubinde de eo conclamatum meritò crederemus, dum in morbo rebelli, pro liberandis faucibus nihil proficiebat; nec etiam dabatur os ſatis aperire ut quid demùm in eô latitaret malignitatis advertere liceret. Quid fit? Momento poſt ſputum aliquod purulentum, maxil-

maxillæ minùs clausæ fuere, unde per eas aliquatenus reseratas nobis videre licuit, vas salivale sub linguâ interiùs à dextris situm, per minimam etiam partium ad basim oris sitarum compressionem, multum pus fundens, atque ita reseratum, ut filum argenteum, imò etiam Syphonis tubulos tenuiores, quibus in partis collutionem liquores deterlivi injicerentur, facilè admitteret, sicque commodum tandem fieret in corpus obstruens, totiusque tragediæ ministrum incidere; scilicet in corpus durum quod promptam sui amotionē indicabat. Situm erat in confiniis glandulæ sublingualis dextræ, quò cùm datum fuisset penetrare, non sine multô labore, per instrumentum aptum, extractum illud fuit, nobisque tophosum, sed solidius, & magnitudine suâ fructum olivæ mediocris referens, visum est. Momento remisere symptomata, scilicet, remora humoribus salivalibus, ipsique sanguini per eas buccarum partes naturaliter circulanti à corpore extraneo injecta, perque ejusdem remotionem sublata, illis cursum dedit liberum, unde quicquid excursiones in viciniam fecerat, brevi in suos revocatum canaliculos, fauces constrictas laxavit. Vulnus ab instrumentô, pro calculi extractione, inflictum, solô melle rosaceo, tincturæque è myrrhâ, thure, aloë, &c. in spiritu vini portione, intra paucos dies curatum est; sicque Vir Egregius ab imminenti periculo evasit; & per plures annos vitam protraxit; quam hôc ipsô tantùm annô 1695. per suffocationem à nimiâ obesitate, & pravo regimine advenientem, tandem amisit.

Anatomicæ Inspectiones.

Oris fœtor à Thymo glandula corruptis humoribus infarcta.

Thymum novi, ex quo undam lue venerea infestatorum cadaverum sectionibus id doctus, tam certò instar spongiæ ab excrementitiis corruptis humoribus intumescere, quàm ter tria sunt novem: unde quoque sonora non sunt voce, ægre cibum potumque deglutientes, sæpe per foramina nasi in nares ea excernentes; ægre spirantes insuper, compressô à tumore Thymi œsophago, renitente cartilaginosa aspera arteria, (hic illico ignarus Anatomes crepabit occultam causam morbumque Formæ) Imò suspicor eosdem ob pravam hanc Thymi constitutionem fœtenti esse anima, salvis adhuc Pulmonibus: (Id enim si ita se non haberet; aut exulcerati pulmones essent, qui quæso fieri posset, ut spatio sex septimanarum lue venerea infectis mederi possemus?) non tussientes, sed sputatores ac screatores; unde quis, si non facilè halitu, at sputo contagioso & osculo spissiori interveniente, inquinari perfacile potest: Quæ omnia de Thymo hîc tradita, quoque lue venerea laborantium medela confirmat, facta per ptyalismum artificialem, quem collo circumdatum empl. de ranis Vigonis simplo vel duplo mercurii constans, promovet & accelerat: Licet verò Thymus in sanis & ætate provectioribus, ex Warthono, exigui sit ponderis vel magnitudinis, imbibit tamen plurimum seri, sæpe corrupti, ob situm quem habet inter divisiones arteriarum & venarum subclaviarum satis insignium. *S. Pauli Digressione de Febr. malignis* §. 17.

Oris Fœtor ab ulcere ventriculi genitus.

Matrona annos 60. nata ex ore spiritum fœtentem multis emiserat annis: E naribus graveolens quoque mucus concretus subinde extrahebatur, virens aut omnino varii coloris: Dolor circa ventriculi regionem assiduus, non tamen valde molestus; ut quem lenire poterat sacculus in quo herbæ, semina & aromata unà cum gossypio consuta erant: Mens & sensus ad extremum constiterunt, longo morbo confecta è vita discessit.

Ventriculus hujus exteriùs ab omni parte, superficie tenus, exulceratus extitit, & quæ ipsum contingebant universa, non tamen alia quàm qua ventriculo contigua erant parte.: Cerebri substantia integra, sed copioso admodum humori velut innatans, qui fomes esse potuit muci qui sæpe in naribus concreverat.

Graveolentia ex ore variis effertur de causis; quandoque in ore, faucibus, aut juxta nares, vel in ipsis vitium consistit: subinde in pulmone latet, quandoque verò ex ventriculo odor procedit: Tradunt recentiores vitio ventriculi graveolentiam fieri, majoremque esse corpore jejuno, minorem vero ab assumpto cibo: verùm hujus matronæ ex ore fœtor semper similis fuit, neque unquam sive post cibum sive ante cibum remissior: Ulcera tamen ventriculi causam fuisse graveolentiæ satis apparuit. *Dodonæus cap. 25. Observ. Medic.*

Oris Fœtor à Pulmonibus oriundus.

Cuidam cùm aphthosum os & gurgulio fuisset, cum Anhelitus insuavitate, excretio puris contigit: Aperto corpore totus internus thorax syderatus apparuit: Et nos vidimus Dominam cui saniosum os est & velut purulentum, fœtens: Dubitant Medici an à Pulmonibus à cerebro *Ballonius Paradigmate* 108.

Interiorum oris partium gangræna & corruptio, ab hydrargyro in celebro post litum relicto.

Vicentius Boniventus, Patritius Clodiensis, à juventute omnibus carnis voluptatibus addictissimus, indeque quasi consumptus, postquam quinquies ligni s. salsæ parillæ, mechoacæ decoctum assumpsisset, terque sed frustra inunctus fuisset, tandem cuidam meretriculæ se curandum tradit, quæ quidem illum tali medicâ dignum ita tractavit, ut magna inflammatio in palato, osse cribroso, in columella & partibus omnibus illis adjacentibus, à mercurio male extincto; & aliis corrosivis facta, subito in gangrænam, & mox in cancrum verum affectus terminaverit, adeo ut quotidie aliquid ex partibus illis corruptis & putrefactis excrearet, & gurgulione partibusque vicinis primò ejectis, eousque progressum est, ut & demum cerebrum ipsum excreatu per os exspueret maximo cum fœtore: Tandem miserrime obiit.

Mortui caput serrâ aperui, iisque membranulis liberavi, prout potui; erat enim tantus ibi fœtor, etiam sub dio, ut nullus astare posset: Nihilominus magna patientia, summoque videndi desiderio ductus, superiorem cerebri partem cultello satis largo amputavi, & confusis omnibus cerebri ventriculis multùm argenti vivi cum cochleari in eis collegi, & illud ipsum charè reservavi: atque intolerabili fœtore victus & exturbatus, vespilloni cadaver sepeliendum reliqui. *Ex Observationibus D. Georgii Garneri. D. m.*

Oris fœtor à nimia Pylori laxitate.

Oris fœtidus anhelitus ab intestinorum excrementis prodire solet, quando ob nimiam laxitatem & dilatationem ventriculi, illiusque præsertim orificii, Pylori dicti, quo se in intestina aperit, is nimium patet, vixque exactè amplius constringi occludique potest, sicuti naturaliter fieri debet, tunc fœda excrementorum exhalatio sursum per intestina exspirans, per apertas hasce & laxas vias in ventriculum, indèque ad os usque delata, anhelitum fœtore suo inficit: Quam nos præcipuam causam illius oris fœtoris, qui ste-

ſtercoroſum odorem exprimit, eſſe diligenti inquiſitione deprehendimus; Ob id adeo perſeverantem & pertinacem, cùm ab organi vitio procedat, quod ægre reparari poteſt: Cui occaſionem crapula diu continuata præbere ſolet, ex qua tandem ventriculus adeo laxus redditus, vel alia illius imbecillitas ſequitur. *Platerus de funct. læſion. lib. 3. cap. 3.*

Equi, cui os ſubitò obriguit ut pabulo frui nequierit, Anatome.

In ſtabulo regio diſſectus fuit à Chirurgis Regiis Philippo Hacquardo, & Henrico Scriver, in præſentia Auguſtiſſimi Regis, Procerum & Medicorum Regiorum Equus generoſus, cujus affectus fuerat, quòd ſubitò os obriguerit, clauſumque fuerit, ut pabulo veſci nequiverit, unde ſenſim contabuit. In hujus affectus cauſam inquiſituri, ſequentia in ſectione ſtrangulati animalis invenerunt, quæ deinde diligenter annotavit Senior Medicus *D. Simon Paulli.*

1. Statim jugulato equo muſculi colli & dorſi, (qui vivente animali tenſi & duri erant,) flaccidi evaſerunt.

2. In apertione abdominis, inter peritonæum & muſculos abdominis, ichor quidam flaveſcens obſervatus, ad os pubis uſque protenſus.

3. Inter inteſtina & peritonæum multi vermiculi candidi longitudine digiti, craſſitie fili mediocris, partim mortui, partim viventes reperti.

4. Omentum pravi coloris, exile & contractum.

5. Lien colore p. n. in limbis contuſus quaſi, ut fricari potuerit, colore quàm reliquum lienis corpus, rubicundiori.

6. Epar valdè magnum, côncava parte plumbeo colore, convexa ſanius, ſine veſicula fellis, ſanguine, qui in vaſis erat, nigro & aduſto.

7. In ventriculo ſatis parvo, magnâ copiâ vermes ſingulares reptabant, rotundi, craſſi, nigri, criſei. Aliquot cochlearia plena quoque aquoſæ, flavæ & nigreſcentis humiditatis.

8. Pylorus ferè cartilaginoſus.

9. Cor inſolitę magnitudinis, in ſiniſtro latere durum quidem tactu, ſed ſecari tamen aptum. In ventriculis polypus ½ quadrante longus, pollicem craſſus.

10. Pulmones exiles, duri, colore p. n. præditi, nempe pallidiores prętter morem aliorum animalium, immiſſo ſiphone immobiles.

11. Muſculis colli digito ſeparatis, utrinque ad latus arteriæ aſperæ, præſertim ad latus ſiniſtrum, pellucida, flaveſcens lympha inter muſculos adhuc membrana ſua involutos reperta.

12. Glandulæ pone aures, & infra maxillam inferiorem, ſolitò copioſiores, & magnæ pariter & exiguæ, quarum minores digitis faciliimè, majores minimè friabiles erant.

13. Caput à vertebra colli prima reſectum nihil inſoliti monſtravit.

14. Separatis muſculis maxillam inferiorem moventibus, penituſque abſciſſis, & carne oſſis palati reſecta, maxilla tamen immobilis manſit in articulatione cum ſuperiori, ut manibus fortiſſimis ſeparari aut aperiri non potuerit.

15. In cerebro nihil p. n. notatum, licet ſolito fuerit ſiccius. In cranio os ſingulare inter cerebrum & cerebellum obſervatum, quale in canibus ſolet.

Judicium Anatomicum & Medicum de Equi Regii morbo.

Quæſtionem ſibi in Aula propoſitam, quæ Cauſa fuerit quod Equo Noſtri ſubitò & inſperatò maxillæ contractæ fuerint, ut cibum capere nequiverit, & ſpina dorſi obriguerit, eruditè ſolvit Celeberrimus D. Simon Paulli Regiorum Medicorum Senior, & publico ſcripto lingua Germanicâ edidit Hafniæ. Neque ea cura infra dignitatem ejus æſtimanda. A Medicina enim, ſi credimus Vegetio Prǽf. Art. Veter. non adeo in multis diſcrepat Veterinaria. Imò Jo. Phil. Ingraſſias Quæſt. de Veterin. c. 13. Veterinarios Protomedicorum examini ſubjiciendos voluit. Certè Artem Veterinariam & Hippiatricam plures Viri illuſtres & exercuerunt & deſcripſerunt ſine famæ detrimento, quorum catalogum hic texere non vacat. Veriſſimè enim Vegetius idem: Ipſa opera Mulomedicorum videtur adjectior, notitia autem curationis non ſolùm honeſtiſſimis, ſed etiam diſertiſſimis convenit. Per compendium igitur repetam libelli laudati D. Sim. Paulli præcipua momenta, rationes prægnantiores & obſervationes Medicas notatu dignas. Reſpondet igitur Anatomicus expertus.

1. Sanguinem omnem totâ ſubſtantiâ corruptum, unde polypo cordis nata occaſio, quem ante cum Chirurgis in humano corde repentina morte extincto cum veneni oblati ſuſpicione Hafnię viderat.

2. Notandum inter muſculos abdominis ichorem inſolitum, uti & inter muſculos colli ad latus utrumque arteriæ aſperæ collectum fuiſſe.

3. In Studioſo Chirurgię Gallo, cùm Hafniæ ex gangręna os humeri reſectum eſſet, ſucceſſiſſe poſt paulo maxillæ inferioris immobilitatem, ut liquida per dentium rimas hauriret, & per eaſdem verba proferret.

4. Eidem Chirurgiæ candidato 24. horis antequam expiraret poſtremum, præter convulſionem colli prædictam, etiam Tetano univerſum corpus, brachia, pedes & dorſum obriguiſſe, ut integro intellectu, neque ipſe neque aliorum auxilio ſe membraque ſua movere potuerit, ſed trunci inſtar ad fatalem uſque horam decubuerit.

5. Viduam Paſtoris Primarii poſt choleram morbum ſimili Tetano comprehenſam ex eſu limonii, quod febricitans aliàs ægra diu manu verſaverat.

6. Ex ſuppreſſo igitur ſudore in his exemplis, & in Equo Regio Tetanum oriri poſſe. In cujus rei confirmationem duo exempla notabilia recenſet. §. 9. & 10.

Primum de puero 14. annorum, cui ex ſuppreſſo ſudore in paroxyſmo febrili tertio ſpaſmus levis quartum decimum poſt diem ſucceſſit, oris, colli & aliarum partium, moxque tetanus earundem partium & nonnullarum paralyſis, ut integris ſenſibus internis non tantùm mutus fieret, ſed oculis ſolis nutu animi ſui ſenſum exprimere potuerit. Hæc ſymptomata ſuperveniens febris maligna curavit, qua rurſum ex methodo extincta paronychiæ digitorum ſuccreverunt, partim decocto ſudorifero ex china, partim chirurgi manu ſanatę.

Alterum Nobilis quidam in choreis velata facie larva intus argento foliato obducta ſubminiſtrat, qui cùm ſudorem intra larvam collectum abſtergere non poſſet, muſculis oris convulſis, ſpaſmum Cynicum paſſus eſt.

Ex his obſervationibus & hypotheſibus de circulatione & Lymphaticis Vaſis ad Equi Regii morbum devolvitur Author, ſanguinemque corruptum vellicaſſe muſculos & lympham extra vaſa ſua magis quàm ſanguis malignam ſuſpicatus.

Ex intempeſtivis verò habenis nimiſque arctis, circa collum compreſſis glandulis, & curſu exercitiiſve excalefacto, & maturius ad aquæ potum adducto, forſan ſudorem repreſſum, Tetanum aliaque Equorum mala induxiſſe. In ruſticorum equis affectum illum capitis, vulgò Fiebel, provenire partim ex craſſioribus habenis caput conſtringentibus, partim quod in pratis humidis frigidiſque gramen mordicantes, infrigidentur pedes. Magnam autem conſenſum pedum & cordis eſſe, circulationis beneficio, experimentis duobus demonſtrat.

1. Juris quidam Doctor Hafniæ ex sphæristerio reversus in hospitium, pedes frigidæ immergens, post paulò in lipothymiam & cordis palpitationes incidit, ut fere obmutuerit pulsu deperdito: Revocavit istum ab orci faucibus calido vini spiritu quo lavit pedes, & vino Gallico albo, cui calidissimo immersit pedes.

2. Similia passam fœminam, menstium tempore inordinatè viventem, curavit immisso brachio cubitum tenus in amphoram vino Gallico calido repletam. *Thomæ Bartholini.*

OSSIUM MORBI.

Ossium fabricam, variosque etiam in fætu progressus, qui videre cupierit, consulat, tum quæ per transennam & aliud agens, paucis quidem, sed accuratissimis explicuit verbis Illustrissimus Malpighius, in suâ Plantarum Anatome; ut & quæ ex professô hoc in argumento vulgavit Præclarissimus Kerkringius, suô de Osteogonia Fætuum verè aureô tractatû. Numerum verò, figuram, appendices, ac colligationes varias quod attinet; illa omnia abundè traduntur apud Systematum Anatomicorum Scriptores, & præcipuè apud Vesalium, Spigelium, Bartholinum, Diemerbroeckium, Blancardum, ac præterea inter alios multos apud Doctissimum Havers, qui non tantùm de ossibus in genere; sed etiam in specie de eorum naturâ partibus & internâ structurâ; de eorundem accretione & nutritione, de periostio; de affectionibus ossium in rachitide & nodis venereis; de medullâ; de glandulis mucilaginosis & usu mucilaginis in juncturis; de causis item rheumatismi & arthritidis, & de modô quô hi morbi generantur; ac tandem de cartilaginibus, satis fusè egit in tractatu cui titulus, Osteologia nova, sive novæ quædam Observationes de Ossibus, & partibus ad illa pertinentibus. Lectorem itaque ad hosce Autores meritò hic remittimus, ne opus nostrum jam grandius ex istis rursus accrescat; quorum selectum in novâ nostræ Bibliothecæ Anatomicæ editione videre dabitur. In morbis itaque in præsentiarum unicè nos continebimus, ac etiam circa eos quandoquidem jam de carie, cum, vel sine ulcere, de fracturis, de gibbositate, luxationibus, rachitide, exostosibus in lue venereâ, propriis disseruimus capitibus, hîc tantùm de Spinâ ventosâ aliisque paucis per Curationes, & Observationes agendum restat, quibus tantùm præmittemus quæ compendiô duabus Observationibus complexus est Vir eximius ac verè ingeniosus Clariss. Johannes Nicolaus Pechlinus, de ossium, in primis & suturarum generatione, item de tendinum, membranarum, cartilaginum & ligamentorum ossificatione.

Ossium, imprimis Cranii, & Suturarum generatio.

In generatione nonnullorum Capitis ossium notavi eam primùm in membrana fieri, & à principio centrali tenuissimo æquali undique conatu in circumferentiam exire Ideam ossificam; tandem etiam occurrentia sibi laminarum extrema convexum illud capitis, si hiatum exceperis Rhomboidem, cooperire totum. Jam verò eâ parte, quâ prima ossium semina prodiêre, Cranium durissimum est tuberculisque velut condylis se manifestat, qui rotunditatem illam capitis nonnihil depravent. Quod autem in Capitis quoque ossibus alia citius alia tardius adolescant, causa est Centrorum seminalium matura aut lenta eruptio, ut in appendicibus ossis Occipitis apparet. In Craniis imperfectorum fœtuum Centra illa seminalia luculente conspiciuntur & soliditate se suâ produnt. Verùm & hoc notatu dignum, ab illis centris emissitias quasdam stirias super membranam lente excurrere, ut aquarum superficiei incumbere glaciei ramenta solent, quæ deinde intervenientibus aliis stiriis aut recepto in interstitia quædam reticulata succo osseo in planum coëant convexum. Et verò Ossificationi inesse vim quandam Crystallisationis æmulam hoc forte probaverit, quòd in medio fluido illa concretio eveniat perque acuminatas stirias, quæ cùm in dentatos exeant limbos, Suturas efficiunt serratas, & connexionem, modò ita vocare jus sit, γιγγλυμοειδῆ aut cardinatam. Verùm quò texturam hanc & crescendi modum melius intelligas, libet Malpighii, oculatissimi Anatomici, verba adscribere, quæ libro 1. de Anatomi Plantarum protulit. Fœtus ossa & Cranium præcipuè filamentorum progressum exhibent; hæc non omninò sibi parallela sunt, & hinc breves appendiculas ligamentosas promunt, quibus invicem colligata rete efformant parum à libri arborei naturâ distans; cujus potiores areæ & tota fibrarum compages exsudante osseo succo repletur & tumet, succcessivis incrementis nova fibrarum plana superinducuntur, quæ præexistenti lamellæ osseo agglutinata succo debitam molem & firmitatem excitant. Patent autem singula plane resolutione factâ per longam ossium maceratione; integræ namque osseæ reticulares bracteæ evelluntur; in Abortibus verò in Cranio inchoatum rete evidenter abscondirur. Cui istud duntaxat habeo, quod adscribam, esse nempe in fibrarum istarum aut filorum interstitiis, antequam in planum solidius coalescant, imò etiam, cùm jam coaluerunt, porulos quosdam pervios, qui tamen ipsi fibris arctiùs contextis aut succo oppleti osseo cum tempore obliterantur. An quod, cùm succulentiora sint omnia νεόφυτα, transpirationem requirant copiosiorem; an, quod ille Naturæ sit defectus omnia tarde complentis, non facilè dixerim. De Centro seminali cùm ante ostensum fuerit illud è medio exsurgere, in uno osse frontis contrarium notasse videtur Kerkringius; namque ibi fermentum ossificum primum oras legere suturarum & orbitæ oculi, neque Centrum Cartilagineum nisi sero in os consolidari. Quod nisi experientia ille defenderet, facilè aliud persuaderet Centrorum frontalium natura, postquam jam facta sunt; plane enim eadem tuberculorum illorum facies, quæ est vel sincipitalium vel aliorum; & æque ibi omnes stiriæ vel filamenta à centro exire videntur atque in cæteris ossibus, ut, quamvis solidum ossis in centro tardiùs erumpat, vim tamen illam aut Ideam ossificam jam initio ibi latuisse necesse sit. In Suturis notabile est, superioris ac inferioris laminæ coalitum non esse parallelum, qui tamen magis è directo respondeat, quâ parte hiatus fuit Rhomboides: Forma autem coitionis hæc est, ut inferioris laminæ denticuli non ante laminæ & superiori & obversæ jungantur, quam partem ejus crassiorem attigerint; nisi enim hoc esset, nimis profectò tenues commissuræ ad levissimas injurias fatiscerent. Itaque hac ratione factum est. ut alibi vel ad digiti latitudinem à parallelismo distarent Sutura & exterior & interior. De Fontanellâ rectè observatum à Kerkringio maximam ejus partem ossibus frontis deberi, cujus oræ etsi sero coëant, tamen, cùm coëunt, Suturam constituunt ἄρραφον vel Suturam non Suturam, eamque non ex lineari aut harmonico sed denticulato congressu, ut curioso oculo apparet. In Æthiopissâ, quam nobis fortuna ante annos quinque obtulerat, cranium offendimus præter Riolani opinionem maximam partem ἄρραφον: Coronalis quidem & Lambdoidalis vestigia exterius nonnihil manifesta, intus verò præter Coronalis ductum omnia obscura, ut necdum intelligam, an, quem usum vulgò Suturis adsignant, promiscuus sit & uni-

versalis. Habet certè ὁ πάνυ Velschius in Observat. Hecatosteis exemplum Cranii sine Suturis sed & sine dolore. De Suturarum autem discessione, re penè incredibili, nisi & Hippocratis auctoritas & Virorum Clarissimorum testimonia intervenirent, haud facilè subscriberem. Arnoldus Bootius libro de Affectibus omissis de hâc ossium Cranii discessione, velut de re in Hyberniâ notâ & frequenti, loquitur. Et ne planè ab hisce terris exsulare hunc morbum credam, experimento uno atque altero adducor. Vetulam Hamburgi novi cum atrocissimis capitis doloribus per triginta annos conflictatam; hanc nihil magis quàm isti circà Suturam Coronalem pulsus & Arteriarum palpitationes excruciabant, cui si subveniretur, jam & doloribus subventum erat. Post longa demum fastidia & medelarum experimenta nihil conducibilius repertum manus auxilio. Nempe fronti atque occipiti applicata utraque manus, idque vi maximâ, velut fascino, & dolorem & pulsum tollebat. Quod si horæ unius intervallo tolerari auxilium poterat, aliquot dierum malacia speranda erat; sin intra illud spatium abrumpebatur, non penitus adunatæ Suturæ novis facile doloribus januam aperiebant. Ipsa illa muliercula à me rogata non aliunde sibi hoc malum impendere ajebat, quàm à Cranii divisione, manifestè enim & vel digitorum documento illam ossium discessionem à se notatam, imò etiam, invalescente dolore, Arteriarum palpitationes insignes valde ibidem deprehensas esse, quod certè ab aliâ causâ, quàm nudo & obvio Membranæ Duræ Cerebrique pulsantis sensu, in illo Suturarum hiatu deduci non potest. Adeò non dubito, quin infames isti & internecini tot annorum dolores, qui fœminas sibi eripiunt formamque non rarò dehonestant, neglecto pridem Suturarum vitio deberi.

Tendinum, Membranarum, Cartilaginum & Ligamentorum Ossificatio.

Explanavimus mirificam Ossium naturam ab exilibus centris in diversos sese orbes & solida spargentium. Nunc istud quoque videndum, quàm in varia admodum subjecta recidat ossificandi illa vis; neque enim cartilagines solùm, sed & membranas & tendines invadit. Observat quidem hos Natura gradus, ut membrana in Cartilaginem, Cartilago proximè in Os transeat, verùm etiam reperias; ubi & tendo & ligamentum sine difficultate in os convertantur. Tendinis siccitas in os durat, estque experimentum in Gallis obsoletis, maximè Africanis, notissimum. Quid quod ego & Cordis tendines aut tendinosos sive Valvularum seu Columellarum processus in ossa concrescere posse probabile judicem; cùm vis illa ossifica aliàs quoque Cordis affectet contubernium, & Galenus, quamvis falsò persuasus, libro de Administr. Anatom. omnium Animalium corda osse aliquo instrui contendat. Totâ Italiâ differtur miraculum de B. Clarâ de Monte Falcone, quippe in cujus Corde, ut Religiosi Extispices syngraphâ testati sunt, ossicula reperta fuerunt tot numero & figura, quæ omnia & singula Passionis Christi instrumenta expressissent; ubi an aliud quàm Tendinum per Ventriculos errantium Ossificatio impossuerit, censeant accurati juxta & religiosi Anatomici. Videant autem stolidę superstitionis vindices, qui tam exactè omnia apparatui illi tormentorum, quibus Servator noster excruciatus est, respondisse volunt, videant, inquam, quid de Lupi piscis capite futurum sit, in quo hodieque meliore successu ociosum vulgus omnia Passionis Instrumenta ostendere ad unguem solet. At neque membranas ab osseâ transmutatione liberas esse ostendit præ aliis omnibus Leonardus Botallus Observationum Anatomicarum secundâ, ubi Ossiculorum semina per septum Cerebri falciforme diffusa & vidit & miratus est, cui deinde duobus exemplis suffragatur Celebris Anatomicus Joannes ab Horne, addito etiam in fidem rei schemate. De uno autem sic ait: Asservo etiamnum domi meę falcem è capite Viri Clarissimi anno 1653. exemptam, in quâ spectare est utrinque, magis tamen à dextrâ parte, ossicula plura à latâ basi in acumen desinentia, & rupis cujusdam instar aspera & inæqualia, durissima item & valde solida, intusque, quantum oculis assequi licuit, quodammodo cavernosa. Mihi quoque ipsi eadem videre licuit, pascente oculum novo planè & insolito spectaculo. Semel etiam à me visa Lienis membrana, quâ parte vasa brevia admittit, ossea omninò & ad notabilem crassitudinem. Cartilagines, etsi aliàs ossium naturæ affines, minùs tamen mutationem illam recipiunt. Ossea fuit Cartilago scutiformis in Fure patibulari apud Cardanum, qui Carnificis operam eludebat. Ego etiam olim in Cane vetulo Cartilaginem Scutiformem jam tum rudimentis osseis conspersam reperi, cujus schema, quòd mirum illud seminandi artificium curiosè exhiberet, cum amicis communicavi. An verò ligamenta quoque in os degenerent, non ita liquet, magis alienâ eorum naturâ ab ossium soliditate. At si Arterię ligamenti referunt ingenium, salva res est; nam eas quoque ossis induere speciem multis Observationibus, aliquibus etiam meis, est comprobatum. De ossibus Cordis Cervi vulgatissima res est, etsi nondum sciam utrum tendinosę Basis an Arteriæ ligamentosæ illa sit progenies. Sed tamen Arteriæ basin variis ossiculis seminatam atque distinctam in Cadavere Cardinalis Meltii vidit & in imagine ad Excellent. Bartholinum Româ transmisit Henricus à Moinichen Regum Daniæ Archiatrus meritissimus: Ante annos etiam aliquot in Sutore Parisiensi, commodante manum egregio Chirurgo Gayant, valvulas semilunares totas osseas deprehendit Carolus Raygerus. Jam etiam ante immortalis ille Harvęus Arterię descendentis portionem cum duobus cruralibus ramis Spithamę longitudine in os fistulosum conversam & à se exemptam fuisse fatetur, ut, quid Riolano, quid Willisio, quid aliis contigerit, pętercam. *Hactenus Præclarissimus Pechlinus, sequuntur jam, maximi ac gravissimi illius Ossium morbi qui Spina Ventosa dicitur,* Curationes, *ex variis.*

Materia hujus morbi est Pituita, locus affectus semper articuli, nunquam verò internodia primario; quę tamen si aliquando corrumpantur, id fit ratione sympathiæ.

Modus generationis hic est; si pituita nutritioni articulorum dicata, putrescat, aut quodammodo fiat acrior, primò ossa corrumpit, & quidem nullo dolore, quibus posteà corruptis, periostium labefactatur; cujus signum, dolor pungitivus, acutus & lancinans, ita ut patiens referat se veluti Spinâ pungi, unde spinæ nomen morbo inductum: dum verò hujusmodi dolore æger divexatur, atque periostium eroditur, nullus adhuc apparet tumor; corruptis verò, & quidem primariò osse, secundariò verò periostio, materia pituitosa liberè permeans per loca carnosa, attollit articulum affectum in tumorem, primò mollem, & laxum, ac doloris expertem: cuti concolorem, qui patefactus durior evadit, confluente eò humorum copiâ, quorum tenuior pars exhalat, superstite crassiori; ex quo insuper emanat materia serosa, atque specillo, os corruptum, prout dixi, se prodit. Ad vigesimum verò quintum annum circiter plurimùm observavi tum viros, tum feminas huic morbo obnoxios, non verò provectiori ætate, nisi antea eodem tentati necdum convaluerint.

Signa Pathognomica sunt, dolores à principio instar puncturę spinę, articuli affecti, adolescentia, tumor mollis, laxus,

laxus, qui hians, ferofitatem effundit, cui fi pus immiftum fuerit, hujus ex corrofis partibus carnofis aliqua portio gignitur.

Quoad Prognofticum; hic morbus ægre fanabilis, tum, propter affiduum materiæ confluxum; tum ratione corruptionis offis, quæ qui gravior, difficilior evadit fanatio, incipiens facilius cedit antiquo; nunquam tamen fanandus, nifi remota fluxione, & fublato toto offe corrupto, vel igne, vel ferro.

Curationem quod attinet; ftatim ac patiens conqueritur de dolore pungitivo fpinofo veluti; in articulis vel manuum, vel pedum; cubitorum; aut genuum; quanquam hoc rarius; five malleolorum, ftatim, nullo licet apparente tumore, fectio ejufdem eft facienda, à qua non tam cito demittendum fpecillum, quo os corruptum inæquale percipitur; indicio ejufdem ante ipfum perioftium corrupti; tunc verò prima elicitur indicatio, nempe ejus cariem abradendi, fine cujus præfidii ope, tum in ulceribus; tum in vulneribus nunquam ad firmam cicatricem deducuntur; offe verò fublato, curanda carnis generatio, cicatrice tandem inducta, methodo recepta.

Quod fi propter loci profunditatem ferramenta abraforia infinuari non poffint, utendum igne actuali.

Dilatato igitur foramine, fectione, fpongia præparata, radice gentianæ, medulla fambuci, aut forgi, in idem demittenda cannula ferrea utrinque perforata; mox candenti ferramento os corruptum, inurendum, quoufque perito artifici ex ufu videatur futurum, ut ftatim abfcedat; tum verò curationis quod fupereft, modo fuperius propofito profequendum.

Quia verò interdum accidit ut totum internodium, maximè in pueris, digiti manus, vel pedis fit corruptum, hoc cafu neque ignis, neque ferramenta juvant; quorum loco utendum trepano tenuiori, quo perforanda media pars ejufdem, à qua, forficulis affabrè in hunc ufum paratis, partes laterales fecandæ, atque totum internodium paulatim educendum volfellâ; cujus vacuus locus progreffu temporis carne oppletur; quæ quidem in pueris durior quodammodo facta, & veluti callofa, offis vice fungitur; quanquam ubi totum internodium eft ablatum, digitus, mufculis ad caput fuum adductis, & cedente carnis mollitie, decurtatur.

Quod fi Medicus accedat, facta jam foluta unitate ab ipfa materia pituitofa ex putredine acriori facta, tota curatio dirigitur ad ablationem offis corrupti, machinamentis, & induftriâ fuperius propofitis; quibus aliquando duo, tria, aut plura quinetiam officula evelluntur.

In offis verò abrafione, uftione, aut evulfione, cavendum ne tendines offendantur; metu convulfionis.

Hæc eft curatio topica hujus morbi; cui totius corporis cura præmittenda, medicamentis pituitam expurgantibus: quinimò ad exficcandum, exhibito decocto ex China, falfa, ligno Guajaco, & hujufmodi.

Atque hæc fatis de curatione fpinæ Ventofæ; de qua agere decrevi, utpote à nullo Auctore accuratè, & data opera fatis explicata. *Petrus de Marchettis Obfervationum Chirurgicarum Sylloge.*

Omnes morbi non æqualiter manifefti funt, & omnibus perfonis indifferenter innotefcere poffunt, eò quòd morbi quidam fint rariores & minùs frequentes, nec cuilibet oculo obvii, quidam magis intricati, implíciti, aliifque morbis illaqueati; ideoque non tam facile de illis ftatui poteft, quia interdum larvam induunt aliorum complicatorum affectuum femeiotice fibi affinium. Scripfere pauciores ut fupra monitum de tumoribus varia, eâdem haud methodo eaque obfcura: de Spina Ventofa præter Excellentem ac Nobiliffimum Marchettis gymnafii Patavini patrii Profefforem anatomiæ ac Chirurgiæ hactenus quafi nullus: rem ultimo articulo tangunt infignis Scultetus & eximius p. m. van Horne antè laudatus Præceptor meus, uterque prior caufam in veterum humoribus (non quòd novis fcateamus) ponens fed ne ὕϛερον πρῶτερον immemores etymologiæ ponamus, Græcis affectus hic dictus eft παιδαρθροκάκη ἀπὸ τῦ παιδὸς ἄρθρυ & κακῆς, id eft malum puerorum plerumque articulos affligens, vel ut Severinus offis circa articulum inflammatio & abfceffus puerorum proprius: num verò omnis articulus per Græcam vocem ἄρθρ@ intelligatur, difquiritur? hunc tumorem articulos infeftare certò certius eft, pedis præfertim & brachii circa ἀποφύσεις & hæc Græca ejus origo. Latinis fpina ventofa audit, aliis fpinæ ventofitas falsò dicta; fpina nuncupatur à modo doloris, quem infert, nam fpinæ inftar pertérebrando quafi dolorem incutit; ventofa, ratione tumoris & inflationis; prout Arabibus ventofitas eft loco œdematis; num Veteribus hoc morbi genus innotuerit, valdè dubito, nifi forfan etiam cum aliis tumoribus aut abfceffibus confufum tractaverint; ut evidenter liquet, quando fermo fiet de variolis, ex quibus fuppreffis vel retroceffis tumores fcilicet fiunt, quos fpinæ ventofæ nomine male infigniunt; hîc arbitrum adduco anter dictum Severinum, qui fufiùs originem pertractando litem dirimit: affinitatem quandam habere cum variolis παιδαρθροκάκην affirmat cum illo Schaefferus Medicus olim Reipublicæ Francofurtenfis in difputat. fuis; Spinam Ventofam porrò Nicolaus Florentinus; Johannes de Vigo, Langius, Manardus, Ballonius, Marchettis; Scultetus, &c. nuncuparunt, Arabum fecuti elogium. Avicennæ tumorem hunc fpinæ ventofæ nomine veniffe lib 4. fen. 4. tract. 4. cap. 7. voluit doctiffimus p. m. van Horne in μικροτέχνῃ fua. Protinus aliena videtur illa, quam Nobiliffimus Marchettis in appendice obfervationum Medico-Chirurgicarum enodat, cùm tamen omnes ratione cariei in uno conveniant, quod Spina Ventofa fit affectus cum carie infeftans peculiari tamen modo, quòd caries ut plurimum externe offa rodat, hæc è contra: (ut poftea in caufis indigitabimus: internè offa rodendo perforet; eandem tamen cum teredine Belgis *Beenbretter* dictâ non effe putem, cùm rariffimus hic fit affectus in Regionibus præprimis feptentrionalibus. Offa tumorem hunc Spinam Ventofam fc. ab interiori parte à medullâ offis inchoando rofione infeftare & perforare, ab αὐτοψίᾳ convictus fui. In nofocomio Patavino divi Francifci obfervavi tumorem Spinam Ventofam in viri quadragenarii metacarpo manus finiftræ, ubi humor vel potius ichor ille acerrimus non fola metacarpi officula, verùm etiam, ulnæ & radii capita ita rodendo infeftaverat, ut offa illa duo à fe invicem feparata mufculos cum integumentis pertunderent, ibique ad tres digitos prominerent, adeò ut manus effet pendula, quam Chirurgus fequenti die ligatura probè inftituta detruncavit, cauterio actuali inufto, hæmorrhagiâ fublatâ, convenientibus remediis locum affectum deligavit, patiens nihilominus paucis ab hinc diebus fatis ceffit, cujus primò metacarpum, poftea ulnam & radium privatim curiofâ fectione præfentibus Doct. Dominis Sattlero ac *van der Beecke* Medicin. Doctoribus indagavimus & examinavimus; quæ omnia quoad interiorem faciem plane erofa ac corrupta, quoad externam fuperficiem aliquantulum cariofa deprehendimus, & infuper, in quantum offa carie erofa confpicere licuit, in tantum medulla ipforum offium fphacelata quafi ac corrupta erat: quod idem in puerulo duorum circiter annorum obfervare licuit, qui, dum lue gallica infectæ nutricis ubera adhucdum fugeret, deteftabili ac dolorosâ fpinâ ventosâ excruciabatur circa metacarpum manus finiftræ ejufque brachii, ut & dextri cubitum miferrime puerulum affligente, adeò ut jam plura ex metacarpo finiftræ manus & dextri cubiti officula carie erofa abfcefferint, quæ ftatim examini curiofo fubjecta, eodem ut fuprà monitum corrupta ac erofa fuere vifa modò; mufculis & integumentis com-

communibus ex parte longiori temporis tractu exesis, unde satis liquet subjectum functi tumoris hujus esse ossa, & primario eorundem articulos, sc. carpum & metacarpum, tarsum & metatarsum, cubitos, genua, &c. quamvis non negaverim alias etiam corporis partes huic affectui itidem esse subjectas, uti puellam in utroque carpo, utroque tarso, & circa vertebras lumbares spinâ ventosâ laborantem cernere licuit; locus itaque affectus semper sunt articuli, nunquam autem internodia primario, quæ si aliquando corrumpantur, id fit ratione sympathiæ & vicinitatis partium, ut non male sæpe laudatus Marchettis in observat. Duplici modò ossa lædi posse externè videlicet ac internè strenuè defendunt Marianus & S. Barolitanus in compendio Chirurgico de emendatione ossis corrupti: spina ventosa internè primò, postea externè ossa infestat, utplurimùm circa articulos, quia ibi ossa sunt magis porosa, adeò ut aciditas ibi loci stagnans cartilagines quasi menstruum aliquod dissolvere & ossa perforare queat, quod itidem ob tenellam ossium & quasi cartilagineam adhucdum dispositionem frequentiùs in primâ ætate, infantiâ ac pueritiâ potiùs, quàm adultâ, licet in adultis & jam ipse observârim, accidit. Anatomicus & Chirurgus insignis Marchettis ad vigesimum quintum usque annum utrumque sexum vidit obnoxium huic morbo, non provectiorem ætatem, nisi eôdem antea tentati nec dum curati fuerint. Dictô nomine, locôque affectô demonstratô ingenium & symptomata ex ipsis causis eruenda essent quæ partim ex allegatis suprà historiis & observatis, partim ex definitione modôque agendi patet: quidam plura conjungunt symptomata, quæ omnia locum equidem habere possunt, rariùs attamen observantur: ossa carie infestantur salvo perioстio, quod postmodum cum musculosa carne discerpitur ac quasi perterebratur. hinc tumor apparet cum dolore intensô, livor quidam adest, circa ora ulceris rubedo ac quasi inflammatio quædam conspicitur, ulcus postea fistulosum apparet paucâ sanie repletum, quippe paucam effundit saniem potiùs ichorem acerrimum, quandoque cum, quandoque sine febri concomitante, nullam ego observavi, quandoquidem talem huic affectui adesse posse cum Doctissimo Medicorum Cicerone non negaverim; notabilis ac evidens cùm humorum præcedat motus & propter contrarietatem eorundem effervescentia, nonnulli tumoribus causas adsignantes male fermentationem dicunt, ut paulo inferiùs, antequam epilogum hujus brevibus formemus, Humorum in genere oriundorum generales abusus propalabimus. Diversæ & variæ ab authoribus diversis tumori Spinæ Ventosæ tribuuntur causæ, Senex Marchettis Vir aliàs incomparabilis dexteritatis ac peritię, de quo sanè præter alia; præprimis artis Chyrurgicæ eruditionem ac notitiam effari licebit, quod olim Aristoteles ad Platonem rescripserat: Nulla ferent talem secla futura virum, materiam ac causam pituitam immediate accusat, quæ nutritioni articulorum dicata putrescens, aut aliquo modo acrior facta ossa primò corrumpit, ast nullo adhucdũ cum dolore, quibus corruptis & erosis, periostium aggreditur, ubi dolor incipit acutus, pungitivus, rodens, lancinans, adeò ut se spina pungi credat æger, dolore sic in dies ingravescente & periostio quodammodo eroso ac perforato nullus jam apparet tumor, qui postea humore peccante intra musculos permeante & ibidem sese insinuante ac articulum affectum attollente conspicitur primò mollis & laxus, doloris expers, cuti concolor, postea affluente humorum copia, quorum tenuior pars exhalat crassiori superstite, durior evadit; materiam, vel si mavis, ichorem eructat serosum, acrem, ubi tandem os corruptum prodit. Scultetus ad humorem recurrit occultâ & infensâ suâ qualitate ossa primùm citra omnem periostii læsionem dolorisque sensum corrodentem, unde œdema fieri indolens, partemque exactis aliquot mensibus exulcerari autumat: tumorem spinam sc. ventosam œdemati haud adsimilem esse non negaverim quoad externam faciem, quoad modum autem agendi & causas maximè dissimilem. Acidum jam & austerum contemplemur utpote immediatam mali hujus causam, quod omnes probant effectus, itemque ætas, &c. Lac, chylum, sanguinem, succumque nervosum materiam peccantem declarabimus; infantes lacte nutricum gallica vel venerea lue infectarum nutriti facillimè in hunc incidunt tumorem, partim quod ipsimet infantes multis jam scateant humoribus acidis, quod ex scabie, pustulis &c. in illis affatim & copiosè erumpentibus satis patet; partim quod ipsum lac facillimè in corpore acescat sicque effervescentiam patiat, quippe lac in chylum post sanguinem conversum effervescentiam propter aciditatem cum reperto alcali in sanguine excitans humorem separat acriorem, qui ad articulos ipsamque ossium medullam cum sanguine defertur, ubi stagnans acidissimus fit ipsam medullam corrumpens, postea rosione ossa penetrans nexu ac situ solvit eademque protrudit, musculos tandem ac cutem perforat & exulcerat, carnem tandem, ubi aciditas prævalet, exedit, ut gangrænetur ac in sphacelum desinat: callosa inducit ulcera & quasi fistulosa, quatenus ibidem latens alcali cum acriori acido coagulatur, unde callositas oboritur, quam itidem in lue Venerea observare licet, ubi non leve dominatur acidum quod apprimè Sylvius noster in tractatu suô de lue Venerâ conscripto exponit dubiam quæstionem formans, in quo natura contagii venerei consistat, quam primariò humorem acrem acidum, secundariò pituitam viscidam dicit, quod ex symptomatibus deducit, conjunctâ gonorrhęâ videlicet, pustulis vel scabie squammosa ab acido ita coagulata, tuberculis, nodis, gummatibus (ut Itali vocant) sub periostio otiundis proque diversitate materiæ magis minusve dolentibus, maculis rubris, lividis, flavis &c. pro varietate acidi tingentis, bubonibus, ficubus, condylomatibus & similibus omnibus ab acido procreatis, quæ fusius scriptor jam jam laudatus judiciô & gravis & judiciosus deducit. Lac ab acido in acriores serositates præcipitari, quid manifestius? chylum, sanguinem, succumque nervosum ab illo itidem affici posse, quis negat? à semine Parentum ex lue Venerea corrupto acerrimum hoc malum quandoque trans- & implantari proli credibile est, adeò ut tunc hæreditarium liceat dicere affectum, quamvis malè, quippe parentes lue gallicâ, laborantes (quorum massa sanguinea infecta ac corrupta, infectum itidem semen, ex quo generandus postea fœtus, infectum lac ex quo nutritur jam natus infans) non statim nec omnes spinâ ventosâ affliguntur, qua si afflicti essent, sicque per traducem malum illud propagaretur in progeniem, tunc verè hæreditarii nomen mereretur, qui longè deterior adventitio, utpote qui profundissimam habet maculam. Dubium hîc oritur, ossa ab interiori parte primò carie infestari ac corrodi, imò ipsam medullam ossibus adhuc integris, corruptam deprehendi, ut mihi ipsi in investigandis causis, apertisque ossibus conspicere licuit, an potiùs sanguis, an verò succus nervosus in censum veniat tanquam immediatum medullæ & ossium nutrimentum, quod ab acido postea p.n. infectum, tumorem Spinam Ventosam inducat. Plures & quidem veteres, inter quos Hippocrates, Galenusque sanguinem nutrimentum corporis universale, sive materiam, ex qua partium substantia indies deperdita, indies etiam redintegratur ac restauratur, perfractè defendunt, nescii forsan ad plures corporis partes sanguinem non deferri, quæ nihilominus æquè ac aliæ suo gaudent nutrimento, sanguis autem vicina partium illarum loca alluit, ut singula

gulæ partes à spiritû vitali, quem secum fert foveantur; imò si ipsa ossa eorundemque medullam perspexeris, nullam quasi cum ipso sanguine similitudinem & affinitatem habere deprehendes, adeò ut ossa à sanguine tam multis discrepare affirmet incomparabilis Charlethon, ut eadem sanguine constare nemini facilè in mentem venerit, multò minùs quòd medulla ex eo resultet, eodemque nutriatur, necesse quippe est, ut succus nutritius priùs à sanguine separetur, quàm partibus adferatur apponaturque; Ossa ab ipsa medulla nutriri contendunt alii, quod Veslingius cum Spigelio negant, & sanguini nutritionis negotium committunt, medullam potiùs excrementum, seu secrementum cum insigni Glissonio statuentes; Diversissimæ utpote illius cum sanguine substantiæ &c. sed illam potius lubricationi, humectationi inservire, quod experimento confirmant iidem, quia plura dantur ossa medullâ carentia, imò in juniorum ossibus paucissima medullæ quantitas reperitur, quæ non minùs indies augentur & quàm maximè nutriuntur sanguini effectum hunc adscribentes, quamvis hîc non malè per accidens nutrire dici possit; plura tamen pro succo nutritio per nervos ad partes nutriendas delato pugnant argumenta, quod egregie variis phænomenis iisque doctis demonstrat suprà laudatus Charlethon, primum ab atrophia partium paralysi affectarum, alterum à glutine ex ossium fracturis exstillante, quod nec arteriæ nec venæ suppeditant; sed quid in his immoramur, ubi in suprà observatis ipsam medullam in ossibus spinâ ventosâ extinctis omnimodè corruptam ac putridam quasi deprehendimus, causam ipsi acido p. n. adsignantes; fatetur equidem Mercurialis sanguinem circa ossa facillimè putrescere, quô autem pactô putredo oboriatur, non explicat, in quo Lumen nostrum Cartesium meliùs satisfecisse autumo, qui illam fieri censet, quando particulæ inter se vel motû fermentationis solvuntur, adeò, ut particulę spirituosæ solvantur, solutæ exspirent, ita ut situs partium naturalis mutetur. Nonnulli serum acrius, vel potiùs acidius, per periostium percolari ibique ossa rodendo salvo periostio infestare credunt; quod in spina ventosa non accidit, siquidem ossa ab interiori parte; in qua medulla recondita est primò exeduntur & corroduntur. Veram itaque ex suprà allegatis & enodatis causam Spinæ ventosæ adsignare possumus, quæ ratione corrosionis, doloris, cariei &c. acidiori fixo, corrosivo, ratione tumoris & inflationis, alcali mediæ consistentiæ originem suam debet, medullam tali modo afficiens & corrosivam reddens, ut ipsa ossa etiam perforet, quod clariùs porrò ex juvantibus & nocentibus deduci poterit.

Difficulter rarior hic affectus in principio dignoscitur, quod & sufficienter inculcat Severinus in πυροτεχνίᾳ χειρουργικῇ l. 11. p. 1. c. 110. de osse corrupto in hæc prorumpens verba; latet interdùm os vitiatum sub carnoso artuum ulcere, sic, ut imprudentes facilè fallat, verùm enim verò, qui oculatior est multa subtiliter dispicit, primùm loci naturam, sub quo subest os, deinde colorem alienum, qui nullo vel etiam præstanti medicamento permutatur; dein quòd longô tempore vix sanescat; quòd si illud accidat, brevi recurrit ulcus, adhæc quòd sanies perpetuò tenuis ac ichorosa sit, itemque copiâ effluat; præterea, quòd caro semper hebes ac mollis gliscit, medicamine autem remota, talis rursus increscit: postremum signum fit exploratione specilli, quod mollitiem ossis docet, ubi autem periostium adhuc integrum osse subtra corroso deprehensum fuerit, specillum fallit, nisi externa ulceris & tumoris facies nobis jam cognita sit ac familiaris. Circa articulos utplurimum observare licet spinæ instar dolorem pungitivum, tumorem laxum, mollem, qui post apertus, ichorem & aliquando saniei permixtum effundit, adeò ut hinc facili operâ colligere liceat difficilioris affectum hunc esse curæ propter profundam cariem, copiosum ichoris confluxum, loci affecti situm & naturam, quod itemque ab inveteratâ ac pertinacissimâ causâ oboriatur, quapropter præter manum Chirurgicam & Medicus requiritur labor, ut vitiosa ac peccans humorum aciditas corrigatur, evacuetur alterantibus, purgantibus, primum autem sibi vendicant locum talia volatilia, Cornu Cervi, salis armoniaci, succini, tartari &c. acidum præcipitando, quo lixiviosa referri debent, non neglectis decoctis lignorum, guajaci, Chynæ, sassæ, sassafras, buxi, juniperi, quercini &c. acida temperantibus perque poros educentibus, quibus diuretica vel radices aperientes addi poterunt ex apio, asparago, baccis juniperi &c. Salivationem hoc in affectu multam præstare posse operam mihi persuadeo, corrigendo humores acidos eosque per os evacuando. Specialiorem tumor hic postulat curationem, adeò ut Celsi monitum locum inveniat, quos medicina non sanat, ferrum sanat, quos ferrum non sanat, ignis sanat, quos nec hæc duo curant, insanabilia existunt hîc vulgare illud, ure, seca, in sensum venit.

Ante omnia itaque, quàm primum patiens de dolore intensiori ac pungitivo circa articulos conqueratur, è vestigiô, nullô etiam apparente tumore, sectio loci affecti erit tentanda, os carie infectum quærendum, abradendum, sin verò propter loci profunditatem rasoria non possint immitti, vulnus, aliquando ulcus, quovis modo dilatandum, quia utplurimùm angustioris orificii & fistulosum, quod radice gentianæ, spongiâ, vel sambuci medullâ peragitur, sin verò nullum adhuc pateat orificium, arte id est ferro, cautè attamen parandum, ossis cariosi statim ratio habenda, quod, aut ferramento candenti inurendum, vel instrumentis abrasoriis radendum, & quandoque os corrosum eximendum: quod si contingat totum internodium manûs vel pedis corruptum esse, trepanum subtilius commendat Marchettis, quô mediâ ossiculi pars perforatâ forficulis hunc in usum affabre paratis internodii latera secanda, sicque sensim volsellâ extrahenda; quô in casu, ut & inustione, abrasione, terebratione, sectione tendines utrobique vitandi, ne malum in pejus ruat sicque afflicto major addatur afflictio. Ulcus pòst mundificandum ac cicatrice obducendum & consolidandum. Scultetus in observat: suis Chyrurgicis spinam ventosam cum Spigelio malum incurabile exclamat, adeò ut cum illo partis affectæ exstirpationem suadeat. Sex res non naturales tandem in censum veniunt, quatenus aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigiliæ itemque animi pathemata talem possunt inducere effervescentiam, vel gignendo, adaugendo, exasperando acido, ut faciliùs quispiam aut huic affectui obnoxius fiat, vel patiens jam in deterius malum ruere possit; quapropter ut & in reliquis affectibus conveniens & exacta observanda diæta quę tanquam coindicata. *alcalica* videlicet curæ, respondeat necesse est. *Joh.* Clariss. *David Porizius in demonstratione brevi Medico-Chirurgicâ de Tumoribus.*

De spinâ ventosa fusè scripsit, ut mox videbimus, Præclarissimus Marcus Aurelius Severinus, *sub nomine* Pedarthrocaces, *in suô* de recondita Abscessuum natura Tractatu, Joh. Van Horne in Μικροτέχνῃ; *aliique etiam plures. Verùm omnibus forsan præcellit* Clariss. Josephus Pandolphinus à Monte Martianô *qui de hoc affectu, tamquam Regioni suæ familiari, sæpiusque à se viso ac curato, librum integrum conscripsit. Unde jam excerpemus quæ ad praxim in morbo observandam spectanto, qualia nobis ea dedit non parùm suis commentariis illustrata, Celeberrimus & Doctissimus D. Georgius Abraham. Merclin. Illa autem hæc sunt:*

Pandolphinus, de Indicationibus universalioribus.

Morbus (ut è Gal. 13. Meth. 2. colligimus) vel imminet, vel est in fieri, vel in facto esse. Imminens (1) præcautionem; factus, sui (2) curationem; in fieri autem existens duplicem solicitudinem indicat; præcautionem scilicet atq; curationem. Unde si morbus per fluxionem oriatur, inhibendus, ipsius fluxionis causas tollendo, cujus duplex est differentia, (3) transmissio videlicet atque attractio, Galen. 13. Meth. 3. Transmissio à cunctis (4) humoribus, vel quantitate vel qualitate peccantibus (veluti ostendimus) causari potest. Si à quantitate tantum; (5.) quantitas diminutione tollitur; quæ diminutio per evacuationem fit; nempe sanguinis missione, (6.) frequenti balneo, exercitatione, frictionibus, (7.) digerentibusque medicamentis; & præter hæc omnia, inedia. (8.) Cacochymia autem purgatione, quæ (9) cuique superabundanti succo sit accommodata, corrigitur, Galen. 13. Meth. 6. materia primò præparata, (10.) si non turgeat, ut inquit Hipp. 1. Aphorism. 22. Nimirum si fuerit calida, est (11.) refrigeranda; si frigida, calefacienda, si acris, vel salsa, attemperanda; & sic de singulis tum primis tum secundis qualitatibus, quæ quidem suprà nominatæ evacuationes in ægro febricitante non sunt administrandæ, excepta inedia, sanguinisque missione; (12.) Prout autem major vel minor ipsius sanguinisque redundantia, major quoque & minor sanguinis copia detrahenda erit; & quidem per contrarias partes, (13.) revellendo; per proximas (14.) derivando; & si non fuerit maligna, nec aliud impedimentum superveniat, (15.) intercipiendo, (16.) repercutiendo, partemque affectam, vitiosos succos gignentem, aut colligentem, aut multiplicantem, & per solitos ductus non expellentem, (17.) roborando, eamq; ab obstructionibus, vitiosisque succis liberando.

Si autem fluxio per attractionem fiat, causa illius pariter (si fieri potest) surripienda, deinde affectus sanandus, Galen. ut suprà. Cujus attractionis causam dolorem esse jam diximus; (18.) calorem non excludendo. Idem quoque agendum in congestione, intemperiem videlicet, aut quodlibet aliud vitium tollendo. Si randem morbus reconcentrationis causâ nascatur, materiam per afflictam partem (quemadmodum etiam congesta) & non per aliam viam educenda est.

Merclini Annotationes ad Indicationes universales.

(1) Consistit autem vulgò Præcautio, sive præservatio in remotione causarum;

(2) Curatio verò in remotione ipsius morbi consistere perhibetur; non tamen fortè neglectis ipsis quoque causis, cùm omnis methodica curatio, & non solùm præservatio, per causæ ablationem fieri debeat.

(3) De transmissione, & attractione egimus suprà.

(4) Imò humores non solùm quantitate, & qualitate, sed etiam motu peccant.

(5) Recte! A quantitate enim, sive abundantiâ humorum, & plethorâ diminutio indicatur; non autem, ut nonnulli arbitrantur, præcisè Venæsectio, quippe quæ rectiùs inter auxiliorum materias, quæ nunquam indicantur, non autem inter auxilia ipsa refertur, cùm indicatum semper opponi & contrarium esse debeat indicanti, abundantiæ autem humorum non contrariè opponatur Venæsectio, sed imminutio, quam Medicus, sive per Venæsectionem, sive per cucurbitulas, sive alia ratione, prout nempe visum ipsi fuerit, instituere potest.

(6) Scarificatione sive cucurbitularum appositione, quæ hîc inserenda.

(7) Anne digerentia medicamenta inter evacuantia, vel quantitatem humorum diminuentia medicamenta referuntur? Insolitum!

(8) De Venæsectione respectu humorum abundantiæ, sive plethoræ quod dictum est, idem Recentiores quidem de purgatione respectu Cacochymiæ, seu corruptionis humorum intelligendum volunt; nimirum nec purgationem propriè à cacochymia; sed latè humorum vitiosorum correctionem ab illa, ob eandem n. 5. allatam rationem, indicari, sive illa postea humorum correctio purgatione propriè dictâ, sive alterantibus medicamentis; sive alio quovis modo celebretur. Sunt enim inter Modernos, quibus tantùm non electivè fortiora purgantia omnia omninò sordent, qui in dubium adhuc vocant, an omnis etiam cacochymia purgationem exigat.

(9) De purgantibus accommodatis, id est, de iis, quæ appropriatum humorem peccantem evacuare dicuntur, loquitur Author, ut quando rhabarbarum bilem, folia sennæ melancholiam &c. purgare creditur. Qua de re iterum Moderni dubitant. Sed quales lites nostras hîc facere nolumus, maximè cùm prælum, quod anxiè hæc expectat, abrumpere, brevesque nos esse jubeat.

(10) Vid. Commentar. Heurnii in alleg. Hipp. Aph.

(11) Materia; sive etiam intemperies calida simplici hac indicatione refrigerationem quidem postulat, sed non semper, imò rarò solis actu frigefacientibus instituendam, quibus v. g in febribus ardentibus plus sæpè officeremus, quàm proficeremus. Quin eò potiùs nunquam non respiciendum, unde ille p. n. calor contractus fuerit. Jam quia vix frequentiorem causam habet, quàm pororum occlusionem, fuliginumque per eos subinde abscedere solitarum retentionem, ideo pororum illa apertio, & retentarum fuliginum excretio non solùm revera indicatur, sed etiam sæpe sæpius maximè proficua re apse deprehenditur.

(12) Cui addatur & scarificatio.

(13) Est enim revulsio humoris in partem aliquam fluentis in contrarium aversio.

(14) Derivatio verò humoris parti incumbentis ad vicina aversio, & per ea loca evacuatio est.

(15.) Interceptio fit, quando humores in via ad partem affectam sufflaminantur, ut ad eam pertingere nequeant.

(16.) Repercussio sive Repulsio fit, quando humores ad partem affectam fluxuri aliò propelluntur, ne ad affectam partem perveniant; vel quando, qui noviter influxerunt, retunduntur, sicque pars affecta ab illis humoribus liberatur: quæ in plerisque affectibus rariùs, & in hoc nostro fortassis rarissimè locum habet.

(17.) Hæc partium roboratio tertiam indicationem, nimirum vitalem, ab Institutionistis dictam, respicit.

(18) Ob quas rationes suprà dolorem propriè attrahere negavimus, ob easdem ferè negari quoque potest; calorem propriè humores attrahere. Solùm hîc superaddimus, quòd, si calor humores attraheret, sequeretur, ibi majorem esse calorem, ubi major est humorum atque sanguinis copia; quod tamen à vero alienum. Deinde ibi calor intensior p. n. ibi quidem quod fatendum, major quoque humorum confluxus; sed cujus causa non attractio, verùm hæc potiùs esse videtur, quia calor partis affectæ poros rarefacit, unde illa humores per arterias ordinario motu continuè affluentes in gremium suum liberaliùs admittit, ac promtius suscipit, qui dum ob poros rarefactione ampliores redditos motu suo ita turbantur, ut ex arteriis in venas transire, & per hæc redire non nisi difficul-

difficulter queant, fit, ut ibi subsistant, & copiosiùs cumulentur.

Pandolphin. de Indicationibus specialioribus.

Quò autem ad ipsam laborantem partem deveniamus, Medicus, si à morbi principio accersitus fuerit, (quo quidem tempore nunquam vocatur) omni uti debet ingenio, ut (1) dolor (sine quo noster affectus nunquam creari potest, quia corpus nervosum ratione periostei à qualitate statim tangitur, indeque dolor necessariò excitatur,) tollatur vel saltem remittatur, eò quòd dolor ultra attractionem, vires consumit, indeque morbus inimicum se debiliorem habens, potentior evadit, difficillimè que expellitur. Est autem dolor hic duplici via tollendus; anodynis videlicet, atque sanantibus; Galen. 13. Meth. 6. & 5. Simpl. 9. (2) Anodyna alia sunt secundùm esse; alia secundùm dici talia. Anodyna porrò calida sunt, & bipartita. Alia enim nostro corpori (ut suppurantia) simillima sunt; alia verò calida in primo gradu, tenuiumque partium. Prima à calore naturali, & partium temperamento (3) indicantur. Dum enim hæ incolumes servantur, virtus etiam earum servatur robusta, ut tristem sensationem illam expellere queant, quo mitior evadat dolor; alia calida in primo gradu, tenuiumque partium esse debent, ut evacuent, digerant, rarefaciant, concoquant, ac materiam in parte affecta existentem æquabilem reddant; quæ quidem anodyna à causa adjuvante indicantur. (4.) Anodyna secundùm dici intensè frigida sunt, & à calido innato quidem indicantur, sed non faciunt ad aliud roborandum, & conservandum membrum, veluti anodyna temperata; neque ad dirigendam, evacuandamque materiam peccantem, sicut calida in primo gradu; sed illum tantùm usum habent, ne objectum (v. gr. calida intemperies) suâ violentiâ partem nervosam nimium afficiat. Nam quo pars calidior, (loquendo de partibus nervosis) eò etiam sensum magis exquisitum habet. Quare cùm hujusmodi Anodyna sint valdè frigida, nimirum in quarto gradu, & frigidum calido adversetur; nervosas partes stupefactas, insensibilesque relinquunt; unde dolor cessat; quo verò calido reverso, dolor quoque revertitur; quia manente causâ realiter non cessat affectus.

(5.) Sanantia autem à causâ principali indicantur, doloresque & ejus causam auferunt. Hac enim remotâ realiter cessat effectus, nempe dolor: v. gr. si intemperies aliqua peccaverit, eam alterando; si materia, ipsam educendo; & denique materiam in parte existentem evacuando. Cujus evacuationis duplicem à Galen. 13. Meth. 9. habemus speciem; nempe aut quando ad alias partes transfertur, qui in ægra continebatur, dummodò influxerit & non (6.) congestus, neque reconcentratus, nec malignus fuerit, inque venis (saltem minimis) & non in spatio contineatur,) quandoquidem aliàs translatio minimè convenit) aut quando prorsus è corpore foras expellitur. Translatio duplici modo fieri potest, primò cùm pars affecta roborata, ad alias abigit humorem, quod quidem rarissimè contingit, cùm ob partis laborantis maximam debilitatem; tum ob continuum affluxum qui difficillimè tardissimeq; avertitur, præsertim corruptione jam in osse contractâ; quod jam corruptum os si non auferatur; neque fluxio auferri potest: alterô verò modô translatio fit, quando illę partes, quæ sanæ sunt, ad se trahunt humorem; quod fit, dum attrahens aliquod, ut ligaturæ, frictiones, cucurbitulæ, atq; similia usurpantur, iisque admoventur. Prorsus foràs è corpore expellitur humor dupliciter, vel sensibiliter, vel insensibiliter: sensibiliter per partem ipsam affectam, eam scarificando, ac incidendo; quanquam scarificationes in hoc casu, non laudem, quia absque utilitate sunt, dum materia in profundo propè os continetur: incisio verò (cùm factum fuerit apostema) convenit. Quo facto, semper os corruptum à me repertum fuit. Insensibilis autem evacuatio fit (7) discutientibus, cum quibus (si materia fuerit indurata) emollientia sunt permiscenda. (8) Os denique corruptum à sano est segregandum, forasque educendum (9.)

Merclini Annotationes ad indicationes specialiores.

(1.) Aliàs symptomata, quale dolor quoque est, juxta Methodi medendi leges, curationem non exigunt, quippe quę sublato morbo, à quo foventur, suâ sponte cedunt; non secus ac sublato corpore, tollitur umbra ab illo facta. At si urgentia fuerint symptomata, id est, talia, quibus præsentibus vera morbi ablatio sine magno periculo & vitæ sæpè discrimine expectari non potest, ipsa causę naturam induunt, & ad se quoque curationem trahunt, ac ante ipsius morbi, à quo dependent, ablationem, removeri aut saltem mitigari desiderant. Et tale urgens symptoma hic quoque Author noster per dolorem intellexerit.

(2.) Anodyna sive dolorem lenientia latissimè sumpta secundùm Greg. Horstium, Oper. Med. Tom. I. p. m. 583. triplicia sunt, (1.) quatenus purgatione, Venæsectione, vel aliter causa doloris evacuatur. (2.) quatenus membrum stupefit. (3.) quatenus medicamentum immediatè facit ad correctionem illius, quod in membro dolorem efficit, quod propriè vocatur Anodynum; estque omne illud, quod temperato suo calore membrum suaviter alterat, laxat, & rarefaciendo emollit.

(3) Anodyna propriè dicta non indicantur nisi à dolore urgente.

(4) Anodyna hęc, secundùm dici ab Authore dicta, in specie Narcotica propriè nominantur, quę stuporem parti inducunt, sensumque, ne id, quod dolorificum est, percipiat, hebetant. Id quod præstant, ex vulgari sententiâ medicamenta in fine tertii, graduque quarto, frigida, calorem partibus insitum, unaque spiritus quasi profligando; nisi plerisque occultam proprietatem cum Veteribus assignare mavelis.

(5) Hæc sanantia medicamenta etsi dolorem auferant, tamen anodyna, propriè sivè dolorem lenientia non dicenda, quia propriè dicta anodyna doloris causam non tollunt, sed manente etiam causa, saltem dolorem ipsum respiciunt, eumque leniunt. Conveniunt autem sanantia hæc medicamenta cum prima illa Horstii jam alleg. anodynorum impropriè, ac latè accepta specie, sed quam ipse à veris anodynis statim removet.

(6) Ita omninò est. Neutiquam convenit, humorem per congestionem collectum aut intro repulsum, aut malignum ab hac parte aliò relegare. Quid enim inde levaminis sentiret succumbens? hanc quidem partem à morbo liberare, eodem autem aliam iterum onerare, huicque non majori cum ægrotantis levamine obtrudere, quod alia à se abegit?

(7) Hæc discussio, ab Institutionistis diaphoresis alio nomine vocata, fit, quando humores in parte aliqua impacti hærentes, & remeare nescientes in vapores resoluti discutiuntur, ac insensibiliter in auras abeunt.

(8) Corrupti ossis ablatio in affectu nostro præcipua videtur intentio, agendique scopus, adeo quidem, ut Antiquissimus Chirurgię Scriptor, Petrus ab Argillata l. 5. Tr. 22. c. 2. (ubi primus spinæ Ventositatis succinctam curationem tradit) factâ universali

Corporis evacuatione, unicam curationis spem in corrupti ossis remotione ponere videatur. Cui Petr. quoq; de Marchettis adstipulatur, quando l. c. numquam, inquit, Morbus hic sanandus est, nisi remotâ fluxione & sublato toto osse corrupto, vel igne vel ferro. Et ferè sub finem: quod si, ait, Medicus facta jam soluta unitate accedat, tota curatio dirigitur ad ablatione ossis corrupti.

(9) Totam. Spinæ Ventositati medendi methodum certis fundatam indicationibus atque regulis paucissimis eleganter complectitur M. A. Severinus cap. 21. pag. 316. Postquàm enim dixit, tot ut Pædarthrocaces curatio obtineri possit, proponi scopos, quot ad unguem in communi cariei, seu teredinis vitio spectentur; triplici hinc utitur scopo: primus est, quo prohibeatur, ne humor paulatim colligatur, vel ne influat: secundus, quò detrahatur id, quod emortuum est: & tertius, quo calus provocetur. Nec ab his multùm diversas indicationes sibi præfigit Petr. de Marchettis, Specillo enim explorato, corruptum esse os, tunc, ait, prima elicitur indicatio, nempè ossis cariem abradendi: osse verò sublato, curanda carnis generatio, cicatrixque tandem inducenda, methodo recepta.

Pandolphin. de Temporibus.

Affectus noster (1) quatuor habet tempora, nimirum principium, incrementum, statum, & declinationem; quanquam status non sit verè status. Licet etenim per multos dies stare videatur, tamen vel ad (2) declinationem, vel ad mortem usque dolose ambulat, quoniam ossis fit corruptio, & corruptum, sanum tangendo, hoc quoque corrumpit. Et quamvis propriè locus temporum hîc non sit, & ea (3) in Cap. de Differentiis commemorata sint, dum dixi, Ventositatem Spinæ aliam imminere, aliam esse in fieri, & aliam in facto esse; tamen hîc ea poni absurdum non est; quia Ventositas Spinę per putredinem, atque corruptionem generatur; (4) propter eaque in omni tempore cum cęteris medicamentis ea quoque, quæ putredini, corruptionique contraria sunt, item à tota quæ agunt substantia, propter aliquam malignitatem in parte affecta, sive ratione sui, sive ratione excrementorum ad eam confluentium, contractam permisceri solent; ut in crisi malignæ febris, in morbo Gallico, & in variolis, ut suprà diximus.

Merclini Annotationes ad Tempora Spinæ Ventosæ.

(1) De universalibus his temporibus illorum morborum, (non enim omnes morbi quatuor hęc habent tempora) qui à materia pendent, cujus nimirum cruditate, & coctione tempora illa determinantur: Vid. Sennert. *Instit. Med. Lib.* 2. *Part.* 1. *cap.* 12.

(2) Imò vereor, ne in perfecta ac consummata Spinæ Ventositate frequentiùs desit declinatio, quàm status; nisi tùm declinare morbum credideris, quando in mortem terminat, ipsa certè vitâ sępè optabiliorem.

(3) Non solùm Cap 6. de Differentiis; verùm etiam Cap. 10. de Indicationibus universal. affectûs nostri temporum aliqua ab Authore facta est mentio.

(4) Hæc, & quæ sequuntur, in Curatione potiùs quàm hic inculcari debere videntur.

Pandolphinus, de Curatione, & primò de Chirurgia.

Scopis hisce tribus instrumentis satisfaciendum, Chirurgico videlicet, Pharmaceutico, atque dięteтico. Si affectio igitur sanguinea fuerit, aliaque coindicantia adfuerint, nimirum vitium robur, ætas, tempus anni &c. licet hęc omnia non semper respicienda sint Galen. 2. ad Glauc. 2. (1.) Venę sectio competit. At ubi prohibentia non adfuerint, ejus loco, scarificatæ cucurbitulę applicari solent. Et quanquam sanguinis redundantia non appareat, & à cacochymia Malum tantùm fiat, tamen venę sectionem non derelinquemus, quare? (2) quia morbus est magnus, & ratione suæ naturæ, (ex omnibus enim morborum generibus compositus est) & ratione doloris. Galen. enim 4. Meth. 6. tametsi, inquit, redundantis sanguinis concursus non adsit; ad ipsam tamen sanguinis missionem interdum confugiendum, quando, si morbus valens est cum virium robore, nemo reperitur, qui sanguinem non mittat. Est autem sanguinis missio (affluente sanguine) revulsionis ergo facienda, id est, quàm longissimè à parte fluxione tentata, Galen. 13. Meth. debita distantia, rectitudineque servata, verb. grat. (ait ipse Galen. 2. ad Glaucon. 2.) si fluxio ad genu deferatur, vena inferior, vel media cubiti secanda: si autem ad brachium dicta feratur fluxio, in brachio altero, aut in crure ejusdem lateris vena incidenda, sive retrahere, sive derivare velis; & insuper (3) pro epate aperienda vena basilica dextri brachii; pro liene, vena manus sinistræ, quę (4) salvatella dicitur; pro utero venę quę in poplitibus, vel talis sint; (5) pro hæmorrhoidibus, apponendę hirudines ad venas ipsas hæmorrhoidales; (6) pro naribus tandem hirudinibus ibi utendum; fiantque prętererea (ventriculo vacuo) revellendi gratiâ, mane, & vesperi, frictiones, ligaturæ, balnea calida, hujusmodiq; alia; quin &, si opportunum videbitur, derivatio non omittatur, quæ propè affectam partem, ubi vasa communia sunt, fieri consuevit: ita enim Galen. 2. ad Glauc. fluentium dicebat, humorum revulsio medela est, derivatio autem eorum, qui jam obsederunt membrum: utrumque autem evacuationis genus per communes venas instituendum est. Si verò fluxio non cesset, aut, quę cessavit, revertatur, læsamque stimulet partem; tunc (7) cauterium applicetur; & quidem pro capite in occipite; vel fiat loco cauterii setaceum, quod magis juvat uno mense, quàm fonticulus per sex menses gestatus: pro epate, & utero (si ad generationem morbi concurrunt, veluti sæpè concurrunt) in dextro crure parteque domesticâ, vel supra, vel infra genu, & denique pro liene in sinistro crure cauterium vel fonticulus ponatur.

Merclini Annotationes ad Curationem Chirurgicam.

(1) Quanquam Venæ sectionis unus tantùm sit primarius finis, atque usus, nimirum sanguinis evacuatio & imminutio; plures tamen quin sint secundarii, nullum est dubium, quos inter numerant Practici refrigerationem, revulsionem, derivationem & fortassis alios. Crediturque communiter ea in sola plethora, sive sanguinis abundantia locum habere. Ast Pandolphinus noster in Spinæ Ventositate non solùm tum concedit sanguinis missionem, quando dicto cum malo conflictans sanguine abundat; sed etiam quando cacochymicum corpus circumfert, & vitiosis scatet humoribus. Cui præ cęteris officiosum calculum adderet Leonhard. Botallus, qui de Curatione per Sanguinis Missionem toto cap. 8. id ex professo agit, ut rationibus, propriâ experientiâ, ipsiusque Galeni, Celsi, atque Rhasis authoritate convincat, in Cacochymia etiam necessariam sanguinis esse Missionem. Cujus vestigia D. Ammannus quoque legit, quando sæpè alleg. Disputat. cap. 4. hujus Botalli sententię experientiam favere videri, inquit, quia clarum reddatur, multas impuritates sanguine, sectione emisso simul evacuatas fuisse, indeque patientes melius sese habere cœpisse. Nos tametsi hic nolimus cum quoquam contentionis

tentionis serram reciprocare, largientes potius & ipsi, posse fortassis nonnunquam in cacochymia cum aliquali plethora conjuncta leviorem sanguinis missionem, si nihil aliud prohibuerit, non sine εὐφορίᾳ celebrari; nihilominus persuasissimum nobis habemus; in illa Spinæ Ventositate, quæ altiores jam egit radices, quæque habituatam cacochymiam conjunctam habet, ut plerumque habet, aut quæ malignitatem matrem agnoscit, sine plethorę manifestis notis, plus Venęsectionem obfuturam, quàm profuturam; maximè cùm, quid utilitatis ratione ipsius morbi, & ossis corruptionis ea afferre possit, non videamus. Si itaque unquam locum habebit, habebit certè vel ratione causarum, vel ratione accidentium, & symptomatum concomitantium, vel supervenientium, DD. Mœbii atque Gotsii, egregio testimonio. Venæsectio, inquiunt, alleg. Disputat. cap. 5. locum quidem hìc nòn obtinet ratione ipsius morbi & corrosionis ossis; commoda tamen esse potest ratione causæ & accidentium, quę circa ossis abscessionem contingunt, necnon in corpore plethorico, si ejus adsit indicatio, & nihil vel virium imbecillitas, vel ætas prohibeat. Generosum enim, pergunt, sicuti est in gravissimis ulceribus prohibendo inflammationem, revellendo & alterando humores, remedium, ita & hìc sano judicio adhibita suas afferre posse suppetias non dubitamus. Multoties enim inflammationes, potissimùm quando os abscedit, teste ipso Galeno, 6. Aph. 45. suboriuntur.

(2) Hæc ratio invalida videtur. Graviores sunt illæ Botalli loco cit. Quod si enim in omnibus morbis magnis vena secanda esset; in omnibus malignis morbis, & in omni lipothymia secari deberet. Quod tamen absonum. Ad hæc si ideo Venæsectio conveniret in affectu nostro, quia morbus est magnus, id est, ut Author explicat, ex triplici morborum genere compositus; conveniret certè in omnibus tumoribus p. n. quia omnes ex triplici morborum genere constant: Sed quod iterum absonum.

(3) Fluunt hæc ex venarum delectu, quem Veteres tam religiosè observandum præceperunt; quem delectum etsi prorsus repudiare nolim, illum tamen in ejusdem cubiti venis consistentem, cum plerisque hodiernis Medicinæ Doctoribus, non immeritò vanum deputabo; cùm omnes tres, cephalica nempè, mediana & basilica ab una radice; trunco nimirum subclavio sive axillari manifestè prodeant; adeo ut basilica non majorem cognationem cum hepate habere videatur, quàm habet cephalica &c. nisi quis credat, nobis occultum, solique naturæ cognitum quid hìc subesse. Vid. D. Joh. Theod. Schenckius Decad. Illustrium Proble; circa V. S. occurrentium, Problem. 2. ubi hanc controversiam; an in Venesectione delectus venarum observandus? uberrimè pertractat. Cæterùm ex his & paulo post sequentibus verbis apparet quàm studiosè Author rectitudinem observet. Scilicet hepate simul laborante in dextro, liene verò laborante, in sinistro latere venam incidi, & fonticulum inuri jubet; Hippocratis fortassis nixus præcepto, docentis, dextra dextris, sinistra sinistris magis consentire.

(4) De hac Salvatella, an nimirùm ejus incisio eam habeat utilitatem, quæ vulgò jactatur; & in specie, an in affectibus lienis majus præstet commodum, quàm alterius cujuscumque venæ incisio? Vid. Sennert. *Paralypom: c. 23. pag. m. 89. seqq.*

(5) Id est, si ab hæmorrhoidum obstructione ortum duxerit Malum, vel saltem earum apertionem ad Mali curationem proficuam fore credatur, tunc ad illas venas hirudines applicandę, spe fore ut iis reseratis vitiosi sanguinis pars per eas eliminetur, sicq; natura, quæ corpus nostrum, velut nauclerus navem, regit, eo quo velut sarcina premebatur, exonerata, quod reliquum est, facilius subigere queat.

(6) Hoc est, si è naribus sanguinem detrahere expediet.

(7) Cauterium, sive fonticulum excitare jubet Author pro capite, id est, à capite, ceu pręcipua mandante parte ad partem affectam continuè dimanantibus vitiosis humoribus, & quidem in occipite, ubi apud nos rarissimè fonticuli parantur: vel suadet in cervice setaceum, ut humores distillantes per hoc evacuentur, sicque intercipiantur, ne ad affectum locum pertingant. Cur autem capiti præ cæteris tam solicitè prospiciat Author, hæc subesse videtur ratio; quia ipse ferè omnes hoc affectu nostro laborantes, primò alio ad ipsum caput attinente morbo correptos fuisse observavit, indicio, caput haud raro multùm ad Spinæ Ventositatis generationem tribuere. Quod si ita est, uti prorsus dubitare nolumus, setaceum utique præstans erit remedium, humorum ad affectam partem affluxum inhibendo.

Pandolphinus de Medicamentis communibus.

Quoad Pharmaciam, comprehendit ea lenientia, alterantia, præparantia, solventia, roborantia, discutientia, atque similia, cùm universalia tum particularia. Lenientia ad primas superfluitates circa epar existentes diriguntur, quæ vel per viam oris, vel alvi evacuant: illa vomitoria dicuntur; hæc vel per os, vel per alvum exhibentur. Si per os, propriè leniens erit: si autem per alvum, clyster, atque suppositorium nuncupatur; quę (1) lenientia ab inclinatione, consistentiaque materiæ indicantur: vel enim ad superiora, vel ad inferiora inclinat; & vel in ventriculo tantùm, vel in ipso ventriculo, atque tenuioribus intestinis, vel tantùm in crassioribus, veluti alvi excrementa, existit. Alterantia ad intemperiem diriguntur solùm: Pręparantia ad qualitatem cum materia: (2) Solventia ad materiam dictam, sed coctam, & non turgentem: roborantia ad partem debilem: Discutientia tandem ad materiam alicubi hærentem.

Ventositate ergo Spinæ per cacochymiam (ut semper vidi) oriente, & humore calido, aut acuto, aut acri existente, & quidem per se, & non per putredinem, veluti est bilis, quæ ceu amara, (ut jam dictum) cęteris humoribus calidior, & acris est effectus, tales persæpe producit; aut sanguis fervidior, & tenuissimus, ex sanguine alimentali, dum hic funditur, justoque fervidior redditur, talis factus bilisque rubra à Galen. 6. de Morbis Vulgar. Com. 4. nuncupatus; ut caliditas hęcce tollatur, acutiesque illa attemperetur, (3) refrigerandum ac humectandum; deinde verò demum humor purgandus est; ante omnia tamen administratis lenientibus, vel in forma vomitorii, vel potionis, vel clysteris, vel suppositorii, prout prima superfluitas inclinationem, & situm habuerit.

Si superfluitas tenuior, ut bilis serositasque adfuerit, & inclinet ad vomitum, hicque facilè moveri poterit, motus iste per vomitorium aliquod adjuvandus, quod in multa quantitate, nempe ad libram, & ultra, ac tepidum exhibendum, ut per multitudinem aggravata, & per injucunditatem irritata expultrix, ad materiam noxiam expellendam insurgat; insurgetque eo magis, si pręterea in summitate gulę, vel digitis, vel pennis irritata fuerit. Vomitorium aut cum hydroleo, aut cum aqua hordeacea, aut cum jure pulli, & syrupo acetoso permixto, paretur, v. gr. (4)

℞. Decocti hordei unc. decem, syrup. acetos. unc. duas. Misc. pro Vomitorio.

In frigidiori verò ventriculo addendum aliquod corrigens, & irritans, ut anethum, vel apium. Quod si autem crassa extiterit materia cũ supradictis (nẽpe aqua vel jure) loco

loco syrup. sumatur oymel. & succus apii, vel raphani ad unciam unam.

(5) Leniens pro materia biliosa, erit syrup rosat. solutiv. aut manna, aut tamarindorum pulpa; diaprunum item, non solut. diasebest. aut cassia, vel in forma boli, vel potionis, cum decoctione ex cichoraceis facta. Si materia fuerit tenuis, sed aquosa, & non biliosa, propinandus syrup. rosatus non cum frigidis, sed cum jure pulli, aliove simili. Si superfluitas calida, crassaque fuerit, excipiendum mel rosat. solut. ad unc. quinque cum decoctione refrigerante, veluti endiviæ, vel cum sero caprino.

Vel ℞. Cassiæ noviter extractæ drachm. duas. Misc. cum saccharo, & Fiat Bolus. In materia crassa frigida leniens tale præscribi potest.

℞. Mellis rosat. solut. unc. quatuor, mannæ elect. unc. un. semis. Misc. & cum jure pulli, vel cum decoct. betonicæ & borragin. quant. suffic. Fiat Potio.

Vel ℞. Specier. hieræ drachm. 1. cassiæ noviter extractæ ℥. 1. Misc. & cum sacchari q. s. Fiat Bolus.

At si humores heterogenei peccaverint, ut semper peccant; aut supra dicta lenientia simplicia invicem permisceantur, aut electuaria lenientia ad hunc finem parata excipiantur, ut est diaprunum solut. electuar. lenitivum, diacatholicum, diasebesten, & similia, quæ omnes respiciunt superfluitates, licet magis unam, quàm alteram.

Clyster, si materia fuerit calida atque acuta, refrigerans parandus est, verb. grat.

℞. Decoct. malvæ. violar. lactuc. lib. 1. olei violat. mellis violat. ana ℥. tres, ovum numer. 1. salis parum. Misc. pro Clystere.

Vel loco mellis sumatur cassiæ extractæ ℥. 1. sem. Si verò materia fuerit crassa, & frigida.

℞. Decoct. betæ, mercurialis, furfur. lib. 1. mellis rosat. olei communis rosat. aut chamæmelini an. unc. tres. Misc. pro Clystere. Loco mellis iterum sumi possunt cassiæ ℥ 1. hieræ simpl. drachm. 2.

(6) Præparans biliosum humorem tale erit.

℞. Syrup. endiviæ, cichorii, violati an. ℥. semis, decoct. endiviæ, cichorii, hepaticæ, ana unc. tres. Misc. Quale medicamentum etiam frigidius parari potest, si ipsa materia peccans fuerit calidior.

(7) Purgans in forma potionis, prædicto humore præparato, sic describatur.

℞. Rhabarbar. elect. drachm. 1. semis. Infundatur in aq. endiviç per horas decem; & optima expressione facta, adde electuar. è succo rosar. drachm. duas, syrup. rosat. solutiv. ℥. 1. Misc. & Fiat brevis Potio. In forma boli.

℞. Rhabarb. elect. & optime pulverisat. drachm. 1. electuar. è succ. rosar. drachm. duas, cassiæ noviter extractæ ℥. 1. Misc. & cum sacchari quant. suff. Fiat Bolus. Et, si pilulas magis desideret ægrotans, dentur illi pilulæ de rhabarbaro ad scrup. quatuor.

Et cùm hepar præcipuè hujus humoris acuti, ob calidam suam intemperiem, fons sit, alterandum illud est intus sero caprino depurato, eoque vel solo, vel cum emulsione seminum melonum, vel cum aqua, vel succo lactucæ, aut endiviæ parata permixto; quo fini etiam conserva rosarum, vel cichorii, usurpari potest, ita tamen, ut aqua stillatitia actu, & potentia frigida (si nihil impediverit) vel aqua fontis superbibatur: (8) extra vero aquæ, vel succi herbarum frigidarum, veluti cichorii, endiviæ, lactucæ, & hepaticæ applicentur: imprimis verò succus cichorii depuratus mirificè hìc valet, summopereque ab excellentioribus Viris laudatur: valde etiam (9) unguentum santalinum pro linimento prodest.

(1) Præparans pituitam, ventriculum, atque caput respiciet, in quibus illa copiosè generatur: & prout per se vel frigida, vel crassa, vel viscida est, præparans quoque vel calefaciens, vel attenuans, vel incidens requiritur, verb. grat.

℞. Syrup. betonicæ, mellis rosat. sacchatini, oxymellis simplic. an ℥. semis, decocti betonicæ & calamentæ ℥. tres Misc.

(11) Purgans conficiatur ita.

℞. Electuar. diaphœnic. dracm. tres, mellis rosat. solutiv. ℥. quatuor, cum decoct. betonicæ & calamentæ q. s. Misc.

Vel ℞. Agaric. trochiscat. drachm. duas. mellis rosat. solut. ℥. quatuor. Cum decoctione suprà dicta, Misc. & exhibeatur diluculo.

Vel (12) ℞. Pilul. hieræ cum agarico, cochiarum. an. scr. duos Misc. & cum syrup. de betonica, Fiant Pilulæ quinque; deaurentur, atque diluculo exhibeantur.

Antequam autem ventriculi, capitisque alterantia describantur, aliquid de materia in ipso capite existente dicendum. In capite, nempe, (13) in cerebro, copiosiora generantur excrementa, quàm in cæteris corporis partibus; inter quæ excrementa crassa, (tenuia enim insensibiliter evaporando exhalant: aut per sudorem sensibiliter abscedunt) quotiescunque in venis consistunt, purgantibus supradictis tolli possunt, minimè verò, quæ extra venas consistunt; & hac de causa illis expurgatoria paravit natura; os nimirum, atque nares; quorum expurgatoriorum, ob aliquam causam, viâ interceptâ prædicta excrementa per aliam viam à natura ipsâ transmittuntur, acciditque sæpissimè, ut per suturas, & calvariç poros ea transmittantur, aut intra cranium, & pericranium detineantur, ibique ab ambiente frigido incrassentur, congelentur, tandemque ob moram putrescant, (14) unde ipsum cranium corrumpitur, Ventositasque Spinæ generatur: veluti in quibusdam pueris nescio quo ipsorum infortunio anno contingebat elapso: quod quidem cranium duplici modo corrumpi solet, vel quando dicta excrementa super ipsum immorantur, & putrescunt; vel quando ipsius cranii poros transeunt, ejus substantiam emolliunt, ac temperamentum vitiant; quæ postrema cranii corruptio inde dignoscenda; quando videlicet os cadit, (si vi non auferatur) non est cariosum, neque fœtidum, (veluti in pluribus à me observatum fuit) & quidem cranii vitrea seu cranium cum meditullio, & prima lamina ad duram matrem usque cadit: quare ut ea excrementa per consueta loca excerni impedita, (15) ad consuetos ductus revertantur, & evacuentur, omni utendum est ingenio, quod alicujus (16) irritantis medicamenti ope consequemur; veluti ad nostrum propositum Medicorum Princeps Galenus nos docet; quod scilicet medicamenta dicta debeant esse calida, tenuia, acria, detergentia, suavis odoris, atque saporis. Calida enim attrahunt, tenuia facilè penetrant, acria expultricem irritant (cùm illi non sit amica) detergentia viscida, atque mucosa incidunt, odor, saporque bonus oblectat; quæ vel mitiora, vel validiora, paranda, prout necessitas exegerit, atque ægrotantes tolerabunt: simplicia talia esse possunt, nempe mastix, thus, origanum, pulegium, beta, manna, mel, oxymel, hyssopus, salvia, majorana, nasturtium, eruca, cuminum, calaminta, dictamnus, folia & baccæ lauri, folia, corticesque citri; piper, zingiber, pyrethrum, succus iridis, sinapi, rhabarbarum, agaricus, epithymum, scammonium, polypodiū, colocynthis, euphorbium, elaterium, atque helleborus niger. At quia horum quædam sunt partim gustui, partim odoratui ingrata, valde corrigenda sunt, acribus nimirum dulce aliquod permiscendum, veluti caricæ, nec non passulæ, mel item, & saccharum: fœtidis odoriferum aliquod addendum, ut est ambra, moschus, gallia moschata, & styrax calamita, quæ & in solida, &

in

in solida, & in liquida forma exhiberi possunt & vel per os, vel per nares. Per os exhibenda masticatoria sunt, ac gargarismi, nec non ea, quibus palatum illinitur, quemadmodum in pueris cæteris medicamentis uti nescientibus fieri solet. Per nares exhibenda errhina sunt, eaque vel in forma solida, ut pulveris, vel in forma liquida. (17) Masticatorium tale parari potest.

℞. Mastichis drachm. duas, ceræ, caricarum, an. drachm. ß. Misc. pro Masticatorio. Aut validius.

℞. Sinapis, piperis albi, salis communis, an. drachm. 1. Misc. & cum mellis quant. suff. Fiat Masticatorium. Aut adhuc validius.

℞. Euphorbii, elaterii, an. scrup. 1. moschi grana tria, ladani, ceræ, an. drachm. 1. sem. Misc.

(18) Gargarismus sic præscribendus.

℞. Caricarum, vel passularum, ℥. 1. origani, calamentæ, foliot. betæ, an. pugill. 1. aquæ communis libr. tres. Fiat decoctio ad consumptionem tertiæ partis: deinde.

℞. Prædictæ decoctionis libr. semis, mellis communis vel oxymellis ℥. 1. semis Misc.

Aliud validius:

℞. Cumini drachm. 1. hyssopi pugill. duos, piperis, pyrethri, an. scrup. 1. Misc. & decoq. in aq. salviæ aut rorismarini q. s. cujus libræ decoctionis adde oxymell. scillitic. ℥. duas.

Pro linimento in palato uti possumus confectione cum sinapi facta, mustarda vocatâ. Aut.

℞. Succi, betæ, lapathi, oxymellis, an. quantumvis. Aut.

℞. Staphidisagriæ, scammonii an. scrup. 1. oxymell. quant. suff. ad incorporandum.

Et hæc omnia, vel in forma liquida, vel in pulverem redacta, in nasum quoque injici & sic (19) errhina fieri, ex illisque pulveribus turundæ hoc pacto parari possunt.

℞. Pulveris sinapis, nasturtii, an. scrup. 1. ladani, ceræ an. drachm. 1. Misc. & Fiat Turunda. Alio modo.

℞. Euphorbii, elaterii an. scrupul. 1. moschi grana quatuor. Misc. & cum ceræ q. s. Fiat Turunda: quæ medicamenta omnia modis supradictis administranda, si nullum impedimentum adfuerit: ut est ulcus, fluxus sanguinis è naribus, vel si æger vertigine, apoplexia, aut simili morbo corripi quandoque soleat.

(20) Caput roborantia interna, externaque sunt. Interna sunt syrupi, & conservæ de betonica, salvia, roremarino, pæonia, hyssopo, item diaciminum, diacalamentum, Mithridatium, & Theriaca: Externa sunt lotiones confectæ ex decocto absinthii, betonicæ, majoranæ, salviæ, hyssopi, calamentæ, lauri, agarici, atque similium; quibus etiam annumerandæ aquæ thermales, cæteris dictis utiliores: nec non unctiones, ac stillicidia ex oleo chamæmelino, nardino, rutaceo, & laurino; ut & ceratum de betonica sacrum, & ceratum capitale commune.

Pro ventriculo intrò utimur syrupis de corticibus citri, de mentha; aromatico rosato, Theriacâ, & Mithridatio: Extra verò linimento ex oleo absinthii, nardino, menthæ, mastichino, Magni ducis Hetruriæ & nucis moschatæ parato, ventriculum inungimus; fomentumque ex absynthio, calamenta, origano, pulegio, floribus squinanti, rosis siccis, corticibus cydoniorum, seminibus anisi, fœniculi, & spica nardi constans eidem admovemus; & præterea cerata, velut est ceratum stomachale Magistrale, de tacamahaca, aut sequens, applicamus.

℞. Mastichis ℥. semis, macis, nucis moschatæ, caryophyllorum, menthæ, absinthii, an. drachm. 1. Misc. & cum resinæ atque ceræ q. s. Fiat Ceratum. Ex supradictis herbis, aromatibusque sacculi quoque confici, ac super ventriculum ipsum gestari possunt.

(21) Præparans melancholiam tale sit.

℞. Syrup. fumariæ, lupuli, è succo borragin. an. ℥. semis decoct. borragin. lupuli, melissæ ℥. quatuor. Misc. pro Syrupo.

(22) Purgans verò ita conficiatur.

℞. Electuarii lenitivi drachm. sex, confect. hamech. vel diasenæ drachm. tres, syrup. polypodii ℥. duas semis. Misc. & cum decoctione cordiali q. s. Fiat Potio. Aut:

℞. Pilul. de fumaria, Indar. Mesves an. scrup. duos Misc. & cum syrup. de polypodio q. s. Fiant Pilulæ numero quinque. Si autem humores Ventositatem Spinæ procreantes fuerint acres, salsi, & nitrosi per incalescentiam, atque putredinem; & antequam ad laborantem partem confluxerint, tales facti; præparandi illi prius deinde & purgandi sunt. (23) Præparans igitur biliosum humorem sic præscribendum:

℞. Syrup. violati, de pomis; acetos. de succ. acetos. an. ℥. semis, decocti hordei, endiviæ, sonchi, hepaticæ ℥. quatuor. M. Præparans pituitam.

℞. Oxymell. simpl. syrup. betonicæ, cichorii an. ℥ semis, decoct. hordei, cichorii, betonicæ ℥. tres. Misc. Præparans melancholiam:

℞. Syrup. borragin. violat. de pomis simpl. an. ℥. semis. decoct. endiviæ, borraginis, ceterach. ℥. tres. Misc. Purgans autem humores istos nullum melius, inquiunt Autores, esse medicamentum, quàm modò dictam Confectionem hamech.

Et tandem, si humores prædictum morbum efficientes extiterint aquei, (24) hydragogis illi sunt evacuandi. Ut:

℞. Succi iridis vel ebuli aut secundi corticis sambuci drachm. tres. mulsæ ℥. duas vel tres. Misc.

Vel: ℞. Succi iridis condensati drachm. duas: Formentur inde Pilulæ.

Vel: ℞. Pilul. aloephangin. drachm. semis, euphorbii præparat. grana sex M. Fiant Pilulæ.

Vel: ℞. (25) Antimonii præparat. gran. sex (vel etiam plura pauciorave, prout opus fuerit, & vires aliaque accidentia Patientis permittent, vel prohibebunt, ut Medicis omnibus notum. Infundantur per noctem in vino albo aromaticoque, & hoc, manè colaturâ factâ, patienti exhibeatur; quod antimonium non tantùm semel, sed bis, terque hoc eodem modo usurpari potest. Non enim prima vice totam facultatem purgatoriam amittit. Evacuantur autem prætereà aquei humores, & per urinam, & per sudorem. Quæ evacuant per urinam; sunt (26) diuretica; veluti est radix asparagi, brusci, fœniculi, apii, cinnamomum, crocus; baccæ juniperi, & alia simplicia ferè innumerabilia: composita autem sunt species dialaccæ diacurcumæ, diacalaminthæ, & diacimini. Quæ evacuant per sudorem, sunt (26) diaphoretica ipsa, frictiones, nec non ea omnia, quæ administrantur in lue Venerea. Præscripsi autem humores hosce aqueos purgantia, quia nullam recipiunt coctionem: qua de re Galenus scriptum reliquit Libello; quos, & quando purgare oporteat: tenues aquososque succos à principio esse evacuandos; à levioribus tamen semper facto initio. Denique notandum quòd, si aliqua occulta subfuerit qualitas, ut in febre maligna, & pestilentiali, atque in lue Venerea, (27) alexipharmaca quoque exhibenda: ut theriaca, Mithridatium, lignum Indicum, sarsapatilla, sassafras, & (8) hydrargyrum.

Merclini Annotationes super medicamentis communibus.

(1) Lenientia hæc quia duplicia, ideo à duplici quoque indicantur indicante.

(2) Solventia hæc nos vocamus Purgantia.

(3) Hæc

(3) Hæc per refrigerantia & humectantia instituenda alteratio antecedentem, ut omnia in hoc capite contenta, respicit causam, ut nimirum sanguis calidior, fervidior, atque acrior eorum ope attemperetur, sicque, antecedente causâ quandantenus correctâ, proxima quoque causa minus ab ea foveatur.

(4) Satis nauseosa hæc sunt. Vomitoria, & delicatulis nostris procul dubio minus placitura. Gratiora eaque æquè tuta offerunt Chymici: Talia sunt Aqua benedicta Rulandi, Syrupus catholicus, emeticus Angel. Salæ, Crocus metallorum, Sal vitrioli, Tartarus emeticus Mynsichti, &c.

(5) His addi possunt Syrupus de cichorio cum rhabarbaro, Aqua laxativa D. Mannagettæ, Electuarium Tamarindinarum, & infinita alia.

(6) Hujusmodi biliosum humorem præparantia quamplurima in Promptuario suo Macasius, & Jacob à Braun, in System. Mater. Medic. aliique collegerunt. Nos pauciora nominamus. Suntque Syrup. rosar. simpl. acetositatis citri, granator. de cichorio compos. aq. taraxaci, Lactuc. acetosæ, Cremor. & Crystall. Tartari, Tartar. Vitriolat. Arcanum. Tartari &c.

(7) Mitiora hæc purgantia fortioribus illis, quibus nonnulli summo sæpè cum ægrotantium damno hodie utuntur, longe certè prætferrem. Optandumque esset, ut delicati nostri ægri Medicis suis adeo morigeros se præberent, ut non tam ea, quæ palato sapiunt, quàm quæ sanitati redintegrandæ conferrent, appeterent medicamina. Hinc enim fit, ut Medici ægris suis paulò longiores, sed admodum profuturas potiones abhorrentibus, sæpe præter necessitatem scammoniata, aliaque fortiora purgantia, saltim ut palato satisfaciant, porrigere cogantur.

(8) Non tam hepar alterandum, quàm sanguis, quo vasa illius pleniora sunt.

(9) Non possum, quin huc transferam Gulielmi Rondeletii, de Medicamentis externis p. m. 1049. probe notandam, de medicamentis hepar exterius refrigerantibus, cautelam. In refrigerando hepate, inquit, plus est periculi, quàm in calefaciendo. Admiscenda itaque quædam calida, sumpta indicatione à facultate sanguificandi, quæ calore perficitur. Addit que; non leviter ideo peccare, qui Ceratum vel Unguentum Santalinum usurpant in hisce causis, quia refrigerat & adstringit non leviter.

(10) Hujusmodi præparantia pituitam cùm simplicia, tum composita plura vide apud Macasium. Præter illa ab Authore adducta celebriora sunt Sirup. de absynthio, melissæ, de stœchade, capillorum Veneris, de duabus & quinque radicibus, Aqua hyssopi, centaurii min. fœniculi, agrimoniæ.

(11) Quando Petrus de Marchettis l. c. Spinæ Ventosæ topicæ curationi semper totius corporis curam præmittendam esse admonet, id fieri debere notat medicamentis pituitam expurgantibus. Ast D. Ammann. loc. cit. cap. 4. §. 6. hoc negans, medicamenta hîc non phlegmagoga, sed potiùs celebratiora purgantia commendat, quibus serum vitiosum absque ulla electione educatur. Absque ulla electione, non oscitanter dixisse videtur, fortassis ut simul innueret, se non facere cùm illis; qui singula purgantia peculiarem sibi humorem, ut rhabarbarum bilem, folia sennæ melancholiam, & non alium humorem, eligere quasi atque evacuare, statuunt; sed credere potiùs, omnia indifferenter purgantia non certum, sibique proprium tantum, verùm quemcunque in corpore obvium peccantem humorem sine distinctione per inferiorem, ut cum Plauto loquar, gutturem excernere. Cui sententiæ parum abest, quin meum quoque calculum adjiciam.

(12) Pilulæ hæ, propter magnitudinem suam hinc que eas deglutiendi difficultatem, teneræ præcipuè ætati & sequiori sexui minus arridebunt. Vel ergo plures ex iis formandæ: vel hæ aut similes substituendæ.

℞. Mass. Pil. cochiarum scrup. un. extract. panchymagi Disp. novi Noriber. grana septem. Misc. & cum sufficient. quantitat. aq. betonic. Fiant. Pilulæ num. 15. deaurentur.

(13) Copiosiora excrementa Cerebrum generare communiter dicitur, quod natura sit frigidius, hincque humores minus concoquere valeat: unde excrementa.

(14) Non inelegans modi descriptio, quo Spinæ Ventositas fiat in cranio.

(15) Id est ad nares & nos defluendo. Vid. Conr. Victor Schneider. de osse Cribri formi, per integrum quidem Tractatum, præcipuè tamen p. m. 396. & seqq. ubi de Coryza agit.

(16) Irritantia hæc medicamenta vel ut Gargarismus, vel ut Masticatorium, vel ut Errhinum exhibenda.

(17) Plura Masticatoriorum pradigmata imprimis vid. apud Weckerum Antidotar. General. Lib. 1. cap. 46. & Special. l. 2. Sect. 42. nec non apud Schroder. Pharmacop. Medic. Chymic. Libr. 2. cap. 68. Sequens Fernelii commodissimum videtur.

℞. Sacchar. candefacti ℥. 1. Mastichis ℥. semis. piperis long. pyrethri, staphysagriæ an. drachm. unam Fiat Pulvis, qui Nodulis parvis comprehendatur, & dentibus comprimatur, atque masticetur.

(18) Gargarismorum non solùm hujus, sed & omnis generis exempla similiter apud eundem vid. Weckerum Antidot. Special. L. 2. Sect. 10. cui adjunge Hadr. Mynsicht. Thesaur. Sect. 26. p. m. 400 & seqq. Schroder. d. Libr. 2. c. 61. & Sennert. Institut. L. 5. Part. 3. Sect. 3. cap. 27. Pituitam è cerebro egregiè elicit sic inscriptum ac descriptum Joh. Theodor. Schenckii Systemat. Componend. & Præscr. Medicam. Part. Special. Clariss. 2. cap. 5. p. m. 130. quod.

℞. Origani, salviæ, rorismarin. an. manipul. un. rosar. rubr. pugill. un. pyrethr. zingiberis an. drachm. un. semis Coq. in sufficient. quantit. aq. pur. fontan. Colaturæ libr. uni adde aceti acerrimi unc. unam. Misc.

(19) Errhina non sunt uniformia, nec solum tutundarum, pessulorum aut pyramidali formâ, parantur; sed sunt adhuc alia eaque vel liquida, quæ naribus infunduntur, & ab iis attrahuntur, ut aquæ & succi; vel mediæ consistentiæ, quæ naribus illinuntur, ut linimentis, & balsama; vel sicca & arida, quæ, forma pulveris nunc subtilioris, nunc grossioris naribus aut flatu immittuntur, aut inspirando attrahuntur, Ptarmica seu Sternutatoria propriè dicta. Ipsas singulorum formulas copiosâ farragine iterum reperire licet apud Weckerum Antidot. General. Libr. 1. cap. 47. & Special. Lib. 2. Sect. 11. Quercetan. Pharmacop. Restitut. cap. 18. Schroder. Libr. 2. cap. 55. Sennert. institut. Libr. 5. Part. 3. Sect. 3. cap. 30. aliosque. Pyramidalia errhina, Nasalia cognominata, in Pharmacopœis nostris uno eodemque modo parata habentur, quorum descriptionem suppeditat novum nostrum Dispensatorium. Schroderi Extractum nasale pituitam & humores salsos à capite per nares educendi peculiari laude dignum hic erit medicamen, si ejus parum naribus indatur. Inter pulverum ptarmicorum hodiè usitatissimorum innumerum ferè numerum, suum quolibet impensè jactitante, non postremus huc faciens erit ille Mynsichti, quem Species Dia Tabaci vocat, itemque pulvis sternutatorius Dispensatorii novi Norisbergensis.

(20) Plura caput & ventriculum roborantia qui desiderat, adeat Promtuaria allegata, quorum ope

ope copiosissimas formulas facilè concinnare poterit.

(21) Huc pertinent præterea Sirup. de pomis, de epithymo, de scolopend. ia; Aqua aperitiva polychresta Rolfinck. Tinct. Martis aperitiv. Mynsichti, Mœbii, tartari, Extract. chalybis sive magister. Martis aperitivum, vitriolum Martis, oxymel & vinum chalybeatum &c.

(22) Solus Macasius purgantia melanagoga sufficienter suppedit.bit. Laudem imprimis merentur Elect. de Sena cum ambra; Extr. hellebor. nigr. fol. senç, lapis lazuli, Pilulæ tartareæ Quercetan. & Schroderi.

(23) Hæc, & quæ in hoc paragrapho sequuntur, præter necessitatem repeti videntur.

(24) Præter hæc ab Authore enumerata celebriora Hydragoga sunt Sirup. diaschos, domesticus, florum Persicorum, Extract. diacarthami, gratiolæ, soldanellæ, Magister. gialappç, Gummi gotte, Pilulæ Hydropicę Bontii, aliaque.

(25) Mirum, ni præparatum atque ita exhibitum hoc Antimonium (an Crocus metallorum?) insolentiores potius vomitus moturum sit. Unde à violento hoc remedio hic loci prorsus abstinere satius fortassis foret.

(26) Diuretica simul ac diaphoretica, tam simplicia, quam composita, apud hactenus citatos Authores longa serie consignata reperies, ex quibus omnis generis formulas facili negotio concinnare licebit. Quemadmodum autem in affectus nostri curatione diuretica hunc præstant usum, ut acres atque salsos humores peccantes in toto corpore redundantes, & ad partem affectam subinde effluentes, ad urinarias vias divertant atque sic imminuant, ita imprimis diaphoretica eosdem humores per poros cutis, sudoris atque vaporis formâ, è corpore eliminant, hacque ratione ab affecta parte quadantenus revellunt. De illis testatur Heurn. Commentar.in Aph. Hipp. 45. Sect. 6. ubi scribit, in contumacibus ulceribus (qualia in Spinę Ventositate sæpè sæpius occurrunt) mirum in modum solatio esse solere revellentia succos à parte exulcerata, qualia sint urinas moventia, quæ ichorosam materiam, quæ quotidie in partem ulcerosam ferri solebat, excludant. Diaphoreticorum verò usum in his & similibus affectibus nemo facilè vocabit in dubium. Inter alios Plateræs; ait ulcera, quę in lue Venerea prorumpunt (quàm hęc autem benè cum nostris conveniunt?) sanare unà cum morbo diaphoretica & in aliis diuturnis non minimam curationis partem efficere.

(27) Imò quia sub verâ Spinæ Ventositate plerunque, si non semper, aliqua latet malignitas, ideoque non abs re erit, plerisque hactenus enumeratis medicamentis, quoad possibile fuerit, alexipharmaca immiscere quibus virulentia simul infringatur. Id quod imprimis D. Mœbius atque Gontsius loco allegato solerter præcipiunt, qui, postquam c. 5. lenientia & præparantia medicamenta recensuerunt, omnia illa pro ratione morbi, ęgri, & causarum componenda, & exhibenda, semperque aliquid addendum esse monent; quod specifica facultate morbi virulentiæ & malignitati resistet; cujusmodi formulam exhibet Paul. Barbette Chirurg. Anatomic. Part. 3. cap. 3. p. m. 20. similiter summopere necessarium existimans, quod malum hoc ferè semper ab intemperie universæ massę sanguineæ dependet, medicamenta quędam præparentur, quibus toti corpori auxilium feratur, estque.

℞. Rad. consolid. m j. osmund. regalis Chinę, salsaparill. an.℥. 1. cort. ligni Guajac. raf. ℥. duas, rhabarb. opt. drachm. sex, fol. sennę mund. drachm. decem, caryophyllorum drachm. 1. cinnamom. drachm. duas.

Infusa hor. viginti quat. in suff. quant. aq. hord. tepid. Coq. lento igne, & Expressionis libr. quatuor adde syrup. de symphyt. Fernel. ℥. quatuor. M. Fiat Apozema.

Sumat ejus æger ætatis adultæ uncias tres, quatuor, quinque. Leniter purgabit, curationem promovebit, & a novo morbo præservabit. Quò etiam innuisse respexisse videtur Petr. de Marchetis, quando, inter illa medicamenta, topicæ curationi præmittenda decoctum ex China, salsaparilla, ligno Guajaco & hujusmodi suadet: Cæterum ab Authore adductis alexipharmacis addi possunt tinctura antimonii vera, essentia pini, lycopodii, angelicæ, varia Bezoartica imprimis animale, nec non sal viperarum mirum in modum & ferè unicè ad totius corporis curam viperas, & quæ ex iis parantur, medicamina, laudante Severino cap. 20. quod agit de Præservatione.

(28) An, per hydrargyrum Mercurium dulcem non contemnendum anas in Gallica potissimum lue remedium, an verò Mercurialia unguenta, vel denique adhuc aliud ex Mercurio præparatum medicamen intelligat Author, non adeò planum est. Intelligat autem sive hoc, sive illud, sive illud, utrinque tenenda illa cautela, quam de aqua divina Fernelii eà utentibus injunxit Joh. van Horne, Microtechn. Sect. 2. Part 2. p. m. 236. eam nimirum cum judicio adhibendam esse; quæ certè cautela de omnibus Mercurialibus medicamentis subsumi & observari potest. Atque ut ne dubites, accipe, quid de iis moneat Clarissimus Dom. Mœbius. Quemadmodum omnia, inquit loc. cit. in Praxi Medica cautè & circumspectè sunt agenda; ita imprimis in usu horum Mercurialium providentiâ opus est, taliaque vix, nisi ab exercitatissimo tentanda. Laudat autem Idem ibid. cum Respondente suo D. Gotsio in specie illa Mercuralia, quæ πτυαλισμὸν sive salivationem procurant, quod hæc acre & acutum in massa sanguinea effervescens serum, mediante peculiari Mercurii δυνάμει, commodissimè separent, ad ductus salivales præcipitent, & evacuent, atque hoc modo causæ Ventositatis Spinæ non leve bellum indicant, quo conflictu sæpe victoriam atque coronam cum laude deportet imperterritus in Arte versatus Medicus. Quo ipso præsidii genere puellam, hoc affectu nostro detentam, mensibus licet apparentibus, nihil tamen melius inde habentem, per salivationem Mercuriali inunctione excitatam, & duodecim dierum spatio continuatam, feliciter restituit Rolfinkius Dissertat. Anatomicarum *L. 2. c. 47. p. m. 423. Confer. Senner. Prax. lib. 6. Part. 4. cap. 21.*

Pandolphinus, de Medicamentis Topicis, & de Chirurgia ad Partem laborantem spectante.

Quoad specialem, per topicam, Chirurgicamque curationem, si Ventositas Spinæ imminet, expurgato à superfluitatibus corpore, veluti demonstratum est, pars affecta roboranda, intemperies per sua contraria tollenda, parsque ipsa rara, & nimis laxa adstringenda, dolor auferendus, materiaque peccans evacuanda; ubi ante omnia probè notandum possibile à (1) pinguibus, oleaginosisque cùm ratione putredinis, (quippe quæ visa maximè ad putredinem inclinant) tum ratione partis, caveamus, & horum loco (2) exsiccantibus utamur, cùm ipsa ossium natura, quam respicimus, sicca sit. Ita enim Galen. 7. Meth. 13. Prima, inquit, indicatio à laborantis partis temperie sumitur, quæ calefaciendi, refrigerandi, siccandi, humectandi, vel aliquid horum conjunctè cum alio faciendi, mensuram præscribit: secunda ex eo sumitur, quod actio partis affectæ omnibus animalis partibus sit communis, aut quod communem virtutem subministret: tertia ab ipsa partis figura; & quarta denique ab ipsius situ, cujus por-

tio cum vicinis animalis partibus copulatur, desumitur. Tum præter hæc dicta ipsa sentiendi vel acrimonia, vel hebetudo; & quæ inde sequuntur consideranda.

(3) Roborantia tum calida, tum frigida sunt; verbi gratiâ, inter calida, absinthium, cupressus, salvia, rosmarinus, costus, juncus odoratus ladanum, aloë, moschus, myrrha, lentiscus, & alumen rochæ. Inter frigida verò, rosa, myrthus, balaustium, malicorium, galla, & similia numerantur; ex quibus vel vino austero, vel aquâ chalybeatâ fomenta confici, & adhiberi possunt; quanquam non absque judicio. Nam si raritas partis fuerit sine intemperie, ex calidis, frigidisque roborantibus simul temperatum medicamentum parandum: Si verò cum intemperie, & quidem frigidâ, conjuncta illa fuerit, calida; si cum calida intemperie, frigida roborantia in usum vocanda. Et sic raritas, intemperiesque insimul tolletur: præterea oleum rosatum omphacinum, myrtinum, mastichinum, & lentiscinum, unguentum item de lithargyro, de cerussa, santalinum, & illud Comitissæ.

Si autem dolor non sensim, sed cum impetu supervenit, & absque tumore incipit, membrumque frangi ægrotanti videtur; tunc (ut de signis in genere diximus) materia aliqua sub periosteo continetur, nisi frigida fuerit intemperies: quæ si non acuta tenuissimaque fuerit, vaporem, seu materiam flatulentam doloris illius causam esse, censendum est, qui propterea per ablationem causæ tollendus; nempe prędictum vaporem resolvendo, qui cùm sub periosteo contineatur, & propterea medicamentum ad eum non ita facilè perveniat, propter ipsius periostei densitatem, ideo medicamentum discutiens & omnium tenuissimum hîc requiritur; ut est aqua ardens, quæ ab Italis dicitur, di sette cotte, vel oleum spicæ, Philosophorum, & petroleum; quæ cùm valdè calida sint, & vaporabilia, cum illis aliquid permiscendum, quod loco corrigentis atque adjuvantis inserviat; ut mustum, sapa, succus mali cydonii, vel folia sonchi, quinquefolii, oleum myrtinum, cerussa, lithargyrium, & cera; vel utendum fotu anethi, chamomillæ, & sem. cumini coriandri, fœniniculi, & petroselini, cum vino diluto parato; quæ omnia etiam pro frigida intemperie satis erunt commoda; excepto, si perseveravit dolor, ubi, ne inflammatio oriatur, recurrendum ad anodyna, & ea quidem in specie, quę tenuium sunt partium; quia hæc omnem materiei speciem respiciunt, evacuando scilicet, digerendo, rarefaciendo, extenuando, concoquendo, atque æquabile reddendo, si qui, in partibus affectis, humores acres, lenti, crassi, & copiosi, vel vaporosi, crassi, aut admodum frigidi spiritus exitum commodum non invenientes tenuibus spiramentis impacti hęserint, & conclusi fuerint, Galenus 4. Simpl. 19. Nec præterea dicta hæc tenuia anodyna poros obturant, aut materiam includunt, veluti anodyna symmetra, ob suam viscididatem, quorum natura simillima est cum eâ, quâ suppurantia prædita sunt; hoc solùm notato, ut cum jam laudatis anodynis ea permisceantur, quæ (4) os corruptionemque respiciunt; quibus utrisque scopis unum idemque medicamentum, cùm uterque siccans expostulet, satisfacere potest; quale antimonium calcinatum est, quod ita calcinari solet.

℞. Antimonii lib. 1. sulphuris lib. semis, Misc. pulverisentur, & indantur ollæ optimè luto sapientiæ clausæ, carbonibusque accensis circundatæ, donec dictum antimonium calcinatum fuerit, quod trium horarum spatio fiet. Vel permisceatur cum ipsius (5) antimonii oleo, quod sic paratur: Accipiatur videlicet dictum paratum antimonium, & pro quolibet ipsius libra, sumantur aceti ℥. quatuor.

Bulliant simul in olla ad aceti consumtionem, deinde eximatur antimonium, & ponatur in vas vitreum retortum ad lambicandum, è quo oleum egredi videbitur, quod in hujusmodi affectu, nec non in ulceribus malignis, serpentibus, cancrosis, & inflammatis admodum potens est.

Possumus etiam cum iis oleum ligni corni permiscere: nimirum.

℞. Olei anethini, chamæmelin. ligni corni an. ℥. semis, pulveris prædicti drachm. 1. & cum ceræ q. s. Fiat Linimentum.

Vel: ℞. Olei de lumbricis, aut vulpini, aut communis antiqui unc. un. ligni corni, aut antimonii drachm. duas, Misc.

Vel: ℞ Vini dulcis, vel sapæ libr. un. succi graminis, quinquefolii ana unc. tres, farinæ fabarum, hordei, milii, ana unc. duas, olei chamæmelin. anethin. de lumbric. ana unc. sem. Misc. Fiat Emplastrum ad ignem. Aut foveatur pars cum decocto florum chamæmeli, anethi, melilothi, rosarum, myrti, sem. coriandri, fœniculi, lini, milii, & radic. peucedani cum vino diluto parato. Vinum enim roborat, & exsiccat; aqua verò tepida rarefacit, ac resolvit. Et, si defensivum applicari potest, applicetur.

Dolore autem non cessante, & naturâ ab illo irritatâ, licet non adsit plethora, tamen sanguinem, & spiritus affluere: atque tumorem inflammatorium, nempe phlegmonem fieri necesse est; unde dolor augetur, ultraque fractionem, tensio quoque, gravitas, & pulsus persentitur, & hinc dolor tensivus gravativus atque pulsativus causatur, ita ut ibi ad dolorem & materiam simul respicere, necessarium Medici sit munus. Ad quem dolorem, materiamque impactam, & parti affixam (6) suprapostita medicamenta optima judicantur; quibus hoc solùm addimus, ratione fervoris, succum lactucæ, plantaginis, vel sempervivi, & similium, cum illis permiscere, operæ utique pretium esse: cujus loco & hoc uti possumus:

℞. Farinæ hordei, lentium, micæ panis, ana unc. duas, plantagin. lactucæ, ana manipul. un. Misc. & bulliant in aq. simpl. q. s. deinde contundantur, & addantur olei rosati, violati, chamæmelini, ana unc. un. Fiatque Emplastrum dolenti parti applicandum.

Notandumque hîc, nunquam, præsente dolore, (7) reprimentibus puris esse utendum: ait enim Galenus 2. ad Glauc. 2. expresse siquidem non admodum partes dolent, talibus (nempe reprimentibus) utendum; magno autem dolore fluxu incidente, nequaquam reprimendum, quoniam reprimentia omnia adversantur anodynis.

Multò minùs in hujus modi casu discutientia vera, ceu calida siccaque in tertio gradu, propter nimiam suam caliditatem, locum habent: imò dolore maximè urgente (derelictis cæteris omnibus) huic soli succurrendum, & quidem non anodynis tantùm veris; sed etiam (8) narcoticis, seu stupefacientibus, ne vires nimium dissolvantur, cum morte ipsâ patientis subsequente: quæ stupefacientia frigida sunt in quarto gradu; quemadmodum est cicuta, mandragora, hyosciamus, & opium, cum alio quodam medicamine, intensam jam dictorum frigiditatem corrigente, & eorum penetrationem adjuvante, permixta; ut est crocus, atq; castoreum; ex quibus simplicibus narcotica fiunt composita; quorum aliud per os assumitur, aliudque exterius applicatur: quod per os assumitur, est Requies Nicolai, philonium Romanum, diaspermaton, & pilulæ de cynoglossa: quod autem exteriùs admovetur, ita parandum:

℞. Micæ panis in sufficiente quantitate sæpe decoct. unc. duas, opii scrupul. un. croc. drachm. semis, castorei, grana quinque, Misc.

Quamvis in complexionibus membrisque admodum debilibus hæc narcotica valde sint suspecta, quippe quæ calidum innatum, jam ante debile existens (prout sunt

sunt ei contraria) magis adhuc corrumpunt: calorem enim nativum à frigore corrumpi, Aristoteles 3. Probl. 25. his verbis testatur, dum corrumpitur, inquit, calore aut marcore, aut extinctu; extinctu quidem à contrariis, hoc est frigido, atque humido. At si dolor modicus, aut humor non attractus, sed expulsus fuerit; tunc valentiùs repercutiendum, exsiccandumque est: unde spongia in posca, vel frigida, vel tepida, prout fuerit tempus anni, ægrotantisque tolerantia, madefacta, atque expressa parti dolenti sæpè admota juvabit: vel; madefiat spongia in vino rubro austero, in quo rosæ, balaustia, atque chamæmeli flores bullierint; & applicetur. Uti prætereà possumus emplastro ex farina hordeacea, vel fabacea, aut milii cum posca, vel decoctione dictâ confecto.

Aut ♃. Unguent. lithargyr. de cerus. santalin. olei rosati, omphacini, ana unc. semis. Misc. pro Linimento.

Post repercussionem, materia, quæ repercussioni non cessit, paulatim resolvenda, hoc ferè resolutivo pharmaco quo ad putredinem, partisque temperiem simul respicitur:

℞. Cicerum rubr. florum chamomill. anethi, rosar. rubr. ana manipul. un. Misc. & bulliant in vino tenui cum modico aceti, & decoctio cum spongia usurpetur.

℞. Farinæ fabar. hordei, cicerum, ana unc. duas; Misc. & bulliant in aqua mulsa, vel vino mulso: & Fiat Emplastrum.

Vel: ♃. Farinæ orobi, lentium, fabarum, semin. lini, fœnigræci ana unc. un. Misc. & bulliant in oxymelite: & Fiat ut suprà.

Vel: ♃. Diachyli magni cum gummis unc. duas; antimonii, suprà dicti calcinati drachm. duas. camphoræ drachm. semis; Misc. ac incorporentur. Vel, loco antimonii sumatur marchesita, vel aristolochia; cum primo tamen cerato cum aceto malaxata. Eritque loco hujus conveniens quoque ceratum è marchesita, sacrum, oxycroceum, & illud de tabaco, faciendo ut suprà. Convenit quin spongia in aqua maris, vel in lixivio cum modico aceti madefacta, & expressa.

At si materia resolvi nequit, sed suppuratur, vel corrumpitur, tunc de ossis corruptione timendum, quâ non obstante nihilominus ad suppurandam materiam dictam natura adjuvanda est; licet (9) suppuratio post corruptionem in casu nostro pessimas alias existimanda; quia resolutione exsiccatione que, & non materiæ ratione, ac humiditate indigemus; deinde quia humore in pus se vertente dolor fit, ut inquit Hippocrates Aphorismo 47. Sect. qui à tensione & calore procedit, ut Galenus in Commentario ad prædictum Aphorismum ostendit; hincque ipse primo omnium (veluti ipse jubet 2. ad Glaucon. 7.) tollendus, vel saltem leniendus est; quo lenito (cùm maximè adversetur naturæ) natura ipsa validior fit, materiamque concoquit; quando aliàs si ab extraneo nativus calor superatus esset (quorum auxilium in suppuratione necessarium est) non concoctio, sed corruptio fieret. Lenietur autem dolor iste tensionem fervoremque removendo, quibus non sufficientibus, ad anodyna tandem deveniendum censemus; quæ ad omnem intemperiem accommodata erunt; nimirum ad decoctum florum chamæmeli, meliloti, anethi, violarum & passularum: aut ad emplastrum cum lacte, vel mulierum vel brutorum, & farinâ hordeaceâ, oleo rosato, chamæmelino, atque vitellis ovorum paratum: aut

♃. Olei rosati complet. chamæmelini, an. unc. iii. farin. hordei flor. chamomill. ana unc. tres. Misc. & cum sapæ q. s. Fiat Emplastrum ad ignem, partique applicetur.

Relaxantia, quæ à Galeno, 7. de compositione medicamentorum secundum genera chalastica nuncupantur, sunt butyrum, oleum commune, amygdalarum dulcium, adeps suillus & gallinaceus; sed quæ antiqua esse debent; recentia enim anodyna symmetra sunt, atque suppurantia.

Dolore lenito, parteque laxatâ, suppurantia applicare congruum est, quorum formulæ antequam tradantur, primò eorum natura tradenda, & priùs quàm tradatur natura, perpendamus quod Galenus 5. simplicium 6. habet, nimirum quot alterationes in corpore animalis sint; quid sint, & quomodo fiant? quę quidem alterationes tres sunt, quarum prima est secundum naturam; secunda; præter naturam; tertia & ultima utraq; est & mixta. Prima ab ingenito calore in materia animanti familliari fit: secunda ab aliena caliditate provenit & ad nihil utile est, tertia fit quidem ab ingenito calore, sed non planè vincente, & in materia peragitur, quæ prorsus benigna non est; neque tamen omni ex parte aliena. Sed quemadmodum naturales alterationes, quę ab innato proveniunt calore, à simili extrinsecus juvantur; pari modo & quę in movendo pure conspicitur. Nam ventriculum imbecillem habentes, ut adjuvent calorem nativum ejusque substantiam, pueros catellosque sibi imponunt; quorum quippe calor æquè calidus, & humidus, ac calor noster temperatus existit: ita suppurans familiaritatem nobiscum habere debet; ita ut neque humiditate complexionem nostram exsuperet. At; quia hominum naturæ inter se differunt (Galenus ut suprà) suppurantia quoque differre debent. Natura enim calidior calidius expostulat pharmacum; frigidior minùs calidum. Et non solùm temperamentum totius respiciendum, sed etiam partes laborantes, veluti Galenus docet libr. de Oculis, dicens: Maturantia necesse est calorem habeant quantùs membro curando necessarius est, ne imminuant, vel augeant suam naturalem humiditatem; ità ut quilibet homo, & quęlibet pars suo proprio, atque determinato indigeat suppurante. Et prætereà cùm calor vel calidum (nam quando dicitur calor, de qualitate intelligi potest: at quando dicitur (io) calidum, de substantia intelligitur) substantiâ sit tenuis, atque vaporabilis, & facilè exhalare possit, prædicta suppurantia poros etiam obstruent, quoniam inquit Galenus 5. simplicium, 9. si quicquam concoquere consilium est, quamplurimum, meo judicio, spiritus servari intus oportet Spiritu enim exhalante, debilitatem partis sequi necesse est; unde concoctio fieri non potest. Denique & materia respicienda: quoniam in calidiori materia, suppurantia frigidiora; in fridiori, calidiora administranda. Suppurans ergo erit farina hordeacea, aut triticea, aut panis ejus cum hydræleo, unguentum tetrapharmacum, seu basilicum, vel emplastrum factum è malvarum & violarum foliis, farina triticea, vel hordeacea, butyro, & croco, quibus addi possunt radices althææ, passulæ, & caricæ, dummodo non fuerit intense calida: vel parandum emplastrum cum farina triticea, hydræleo & croco.

Factâ suppuratione, (quod cognoscitur cessantibus, vel saltem remittentibus symptomatis, duritie videlicet, tensione, pulsatione, calore, dolore, & tandem febre, quæ omnia in puris generatione concurrunt, ut Hippocrates, loco suprà citato, & Avicenn. Fen. 5. text. 5. cap. 21. itemque lenitate quadam præsente, nec non mollitie, sub digitis inundatione aliquâ parte cæteris eminentiori, inque mucronem subducta, & tabescente) tunc discussio materiæ non expectanda, veluti in multis casibus facere consuevimus, & Galenum facere videmus 13 Meth. 5. qui confectò pure (antequam ad apertionem abscessus veniat) materiæ discussionem tentat, dicens: si pus aliquod notabile in suppurante parte est contentum, non expedit, (quod non-

nonnulli faciunt) protinus incidere, sed potius exhalationem moliri medicamentis valentibus, quorum usus experientiâ comprobatus est. Non expectanda, inquam, discussio, quia, si tunc os nondum corruptum esset, inde demum corrumperetur: humiditate enim extraneâ prope os commorante, os ipsum facilè corrumpitur; sed (11) statim apostema per longitudinem apeciendum, & eo quidem loco, ubi editissimum est; pusque extrahendum.

Quòd si autem, immisso specillo, os persentitur corruptum, (12) foramen quantùm possibile dilatandum, ut totum vitiatum patefiat, id quod si (12) ferro, vel medicamento causticò, aut putrefaciente, propter aliquod impedimentum fieri non potest, verbi gratiâ propter arterias, nervos, & tendines præsentes (12) spongiæ, vel gentianæ turundis dilatatio fiat, tuncque totum vitiatum os (13) vel limâ tollatur (14) vel candenti ferro; si, ob foraminis angustiam abradi non potest, & corruptio ossis vel nimia, vel à materia virulenta & abundante potiùs humiditate, quàm ab acredine orta deprehendatur.

At si Chirurgus manu non est adeo expeditus, per foramen oleum chalcanthi, vel sulphuris, vel aquam fortem, qua aurum ab argento dividitur per aliquot vices intromittat, continuòque turundâ in oleò antimonii, aut ligni corni, aut (15.) in melle rosato cum aqua vitæ & pulvere antimonii, plumbi usti, ireos, & peucedani permixto intinctâ uratur, addendo, ad temperandum aquæ vitæ & aliorum calorem parum aquæ plantaginis, vel graminis & farinæ hordei; quia in morbis istis semper reperitur aliqua inflammatio: præterea assiduè fiet lotio cum vino in quo decoctæ sint rosæ, hordeum, radix ireos, & lupini cum cortice ligni sancti, ut ulcus à sanie expurgetur simul ac exsiccetur, proindeque natura valentior ad separandum malum à bono insurgat. Et ut humiditas ex ulcere jugiter evocetur; aliquod ex suprà propositis ceratis applicetur: & tunc vitiato osse desquamato, mitiora siccantia valebunt.

Si autem os non conspiciatur, tunc potest esse corruptum, & læsum (16) vel minimè læsum: si fuerit læsum, tunc tumor, inflammatio quodammodò obscura, dolor, & utplurimum copiosa, fœtensque sanies præsentes erunt; quare videndum, ubi caro magis sit mollis, inflammata & violacea: ibi enim os vitiatum esse colligitur, nisi ea contigerint ob partem tumoris declivioren, ad quam natura semper majorem materiæ partem transmittere solet, quæ ibi putrescens, quandam acutiem, nitrositatemque (ut dicebatur) acquirit, & ob quam acutiem, partes erodendo, ad exitum parat sibi viam, à natura expellente adjuta; atque tunc si absque tendinum, nervorum, venarum, & arteriarum læsione fieri potest, aperiendus est locus, dilatandus, procedendumque, ut suprà. Osse autem non laborante meliùs se res habebunt, & absque multo abscessus sanabitur labore, concoquentibus primò adhibitis, quæ conficiuntur è vitellis ovorum cum oleo rosato: vel cum oleo rosato, terebinthin. & cera: aut cum terebinthin. vitellis ovorum & croco, prout materia calidior, dolor, nec non complexio expostulaverit: deinde medicamentis à sordibus quæ detergunt & rhyptica à Græcis nuncupantur, applicatis, Galen. 5. simplicium 17. quorum quædam dulcia, quædam amara sunt tenuiumque partium, ut crassitiem illam, quàm sordes habent, attenuare valeant; veluti mel, mulsa, mel rosatum, Syrup. rosatus, succus apii, saccharum, terebinthina, sarcocolla, radic. ireos, farina ervi, fabarum, hordei, lupini, & alia similia, quæ in materia calida sic componi possunt.

℞. Terebinthin. claræ unc. un. syrup. rosat. unc. semis, farinæ hordei drachm. un. vitellum unius ovi Misc. vel loco syrupi addatur mel rosatum nec non succus apii, unà respiciendo ad materiam peccantem, ad naturam ægrotantis, & ad sensum partis. Quemadmodum enim materia viscidior, crassiorque, naturaque robustior & non adeo exquisitus sensus, validius requirunt detergens; ita contrà, tennior materia, natura debilior, sensusque exquisitus, mitius expostulant detergens.

Si in abscessu sinus magnus reperitur, & detergentia crassa ad os undique pervenire non possunt, liquida per siphonem intromittenda sunt, crassis tamen in orificio adhibitis cum turunda: ut:

℞. Decoct. hordei non expoliati libr. un. mellis rosat. unc. tres Misc. & utere pro Lotione.

Aut: ℞. Lixivii Barbitonsoris libr. un. mellis rosat. unc. tres, succi apii unc. quatuor sarcocollæ unc. semis: Misc.

Detersione factâ, (quæ ex carnis rubedine cognoscitur) ulcus carne explendum est; ad quam carnis generationem duæ necessariò concurrere debent causæ. Galen. 3. Meth. cap. 3. materialis una, efficiensque altera: materialis est sanguis; qui quidem sanguis (ut caro ipsa regeneranda, cùm subjecta carne ejusdem speciei) necessariò sine ullo esse debet peccato, ut videlicet neque qualitate, neque quantitate, neque substantiâ peccet. Causa efficiens est temperamentum partis, quod, si naturale fuerit bene est; sin minus, ad statum ipsum naturalem reducendum, vitium præternaturale removendo. Et sicut duplex excrementum omnem qualitatis alimenti sequitur mutationem, ita in novæ carnis generatione duo conspiciuntur excrementa, unum tenue, alterum verò crassum, Gal. loco citato; cùmque excrementa dicta à natura excerni non possint, quemadmodum illa quæ per urinam, alvum, sudorem, & insensibilem transpiratione excernuntur, hinc natura ipsa indiget ministro, qui medicamentorũ ope tenue (ichor vocatũ) exsiccet, & crassũ (sordes nuncupatum) detergat: quare tale medicamentum duplicem possidebit facultatem, exsiccantem scilicet & detergentem, quod sarcoticum à Galeno, ut suprà dictum, vocatur debetque (ut humani corporis temperies incolumis servetur) cùm modicè exsiccare, tum modicè detergere. Primi ordinis medicamenta vide apud Galenum ibidem & sic quoad activas qualitates; at si aliqua fuerit intemperies contracta, ea primò tollatur, quia aliàs ulcus nunquam impleretur carne, neque ad cicatricem perduci posset. Galen. 3. Meth. 8. Quia verò non uni tantùm medemur naturæ, & ex Celso scriptum habetur, non oportere ignorare quod non omnibus ægris una eademque auxilia conveniant, propterea in siccantibus primi gradus non semper standum, quin potiùs gradus iste primus (cùm tres habeat mansiones) perscrutandus est: nam alia natura humidior existit, à qua minor exsiccatio indicatur, & siccior alia, quæ validiorem exsiccationem indicat: sic vicissim partis laborantis natura (ut jam diximus) consideranda, nec non forma, qualitas ulceris, & tempus anni: ulcus enim magis profundum magis exsiccandum, quoniam copiosiores ibi generantur humiditates quàm in superficiali. Tempore hyemali, calidius, quàm æstivo applicandum medicamen. Simplicia sarcotica sunt thus, resina abietina, laricina, terebinthina, gummi, lithargyrium, minium, plumbum ustum, & lotum: composita sunt unguentum de minio, de lithargyrio, plumbo, isis: atque hæc in siccioribus naturis, in cæteris verò epulotica, nempe cicatrisantia locum habent: habemus præterea unguentũ (17) resinum basilicum, (18) matrisylvæ, oleum hyperici, ceratum barbarum, & diapalmæ: In casu nostro summoperè unguentum resinum cum unguento de minio permixtum valebit, itemque mel rosatum, cum terebinthina, & thure, quibus turunda illinatur; & super ulceris os ceratum barbarum, aut diapalmæ applicetur.

Si do-

Si dolor ab acuta vel salsa materia procreabitur, sive is frangitivus, sive alterius speciei sit, tunc pro ejus sedatione ita procedendum est, ut causa doloris auferatur, velut indigitavimus, resolvendo nimirum, exsiccando, & partem roborando, quibus scopis supra posita medicamenta satis facient; quemadmodum etiam si à materia ex ipso osse scatente dolor oriatur; quibus tamen jam dictis medicamentis ea præterea addere possumus, quæ aliquam (1) reconditam respiciunt qualitatem, quæ sæpe numero cum morbo nostro conjungitur; ut

♃. Hordei, lentium, fabarum ana manipul. un. pomorum granator. acidor. numer. duo, sonchi, plantagin. quinque folii ana manipul. semis, Misc. & bulliant in vino rubro quousque omnia decocta fuerint; hac tamen cautione, ut legumina sejunctim decoquantur, post omnia triturentur, contundantur & cum pauca quantitate olei myrtini, & anethini tantilloque croci, & camphoræ in formam emplastri redigantur: aut excipiatur decoctum spongiâ, & super partem facta prius fomentatione expressa ligetur: vel

♃. Sonchi, plantagin. quinque folii, flor. chamomill. vel herb. anethi, vel parietariæ ana manipul. un. Misc. contundantur, fiatque Emplastrum parti affectæ applicandum.

Optima etiam erit creta in oleo rosato; myrtino, aqua ardente, oleo petroleo, vel spicæ cum pauco aceti, dissoluta, qua membrum affectum illinatur crasso modo, illitaque per 24. horas permaneat, iterando istud remedium quotiescunque opus fuerit.

Si materia frigida tenuisque fuerit, spongiis, in aqua salsa, lixivio, vel aqua ardente madefactis, modo supradicto, exsiccabitur: At si resolutionem renuat aut ob multitudinem materiæ aut ob partis imbecillitatem, seu aliud vitium; incidatur, & curetur abscessus modo jam dicto, concoquendo nimirum, detergendo, incarnando, & agglutinando; si cavitas ingens, humiditates prius exsiccatæ, sordesque detersæ, ac expurgatæ fuerint, cùm agglutinantia ceu austera, & adstringentia, (Galen. 3. Meth. cap. 6.) aliàs non conveniant; quæ agglutinantia sic parari possunt.

♃. Rosarum, balaustiorum, absinthii, fol. myrti, ana manipul. un. nucum cupress. numero decem, aluminis Rochæ, unc. un. Misc. & bulliant in vino rubro austero, & usurpetur intus cum siphone, & extra cum spongia, sed expressa, & fasciis decenter circumligata, ut fluentes humiditates per fascias exprimantur, & vi spongiæ exsiccentur: quo facto os ulceris cute tegendum: sed quia cutis pars est seminalis, & pars seminalis semel deperdita ampliùs non crescit, juxta Hippocratis sententiam 6. Aphorism. 19. natura adjuvanda est, ut aliquid cuti simile regeneret, nimirum (20) cicatricem; quæ à carne admodum exsicata oritur: ita enim Galenus 3. Meth. 5. materia, inquit, carnis est sanguis, & cutis; cicatricis autem itidem quidem caro est, sed exsiccata admodum: epuloticum ergo non solùm, superfluum quod affluit, exsiccare; verùm etiam humorem, qui in ipsa continetur carne, consumere debet: & Simplic. cap. 16. idem ait Galenus: in planis ulceribus ad cicatricem ducendis id est consilium, ut caro alteretur fiatque cutis; id quod perficitur per ea, quæ carnem contrahere, constringere, constipare, densare, & calli instar siccare valent; ita ut cutis veluti in callum durata sit caro: quare epulotica ista sicca sunt in tertio gradu, & admodum adstringentia, partim, ut siccitate sua humidum absumant, partim ut constrictione præcaveant, ne sanguis copiosius affluat; quod ipsum inter alia præstant, aloes cortex, thuris, pini, ligni sancti, tutia, plumbum ustum, sumach. bolus Armena, balaustium, spodium, cerussa, & ferè innumerabilia: composita sunt unguentum de minio, de cerussa, tutia, plumbo, isis, ceratúmque diapalmæ. Advertendum autem, quod in siccioribus naturis sarcotica, in humidioribus verò epulotica, ut suprà diximus, magis conveniant.

Oriente autem Malo à frigida, crassa, & viscida pituita, ut plerunque observavi, repercutientibus non utendum, quia materia ipsa reprimentibus non cedit, sed adhuc crassior evadit, magisque parti affigitur, & prorsus incurabilis redditur, verùm ipsa materia per affectam partem evacuanda est eam emolliendo, incidendo, & resolvendo subsequentibus ferè medicamentis, nimirum:

♃. Cerati diachyl. magni, œsipi philagrii, ana unc. duas, mucilagin. semin. althææ, caricar. succi ireos, ana unc. un. Misc. & bulliant usque ad muci-laginum; & succi consumtionem; deinde addatur terebinthinæ claræ uncia semis, ceræ, q. s. ad conficiendum ceratum: aliud:

♃. Galbani, serapini, opopanacis, ammoniaci; ana unc. semis, succi ireos, bryoniæ, aceti scillitici, ana unc. unam. Misc. & bulliant lento igne, quousque gummata fuerint dissoluta, & succi consumti; post addatur olei liliorum alborum, terebinthinæ, ceræ, ana uncia semis, iterum parum bulliant; & in fine addantur pulveris ireos drachmæ duæ: Aliud:

♃. Farinæ semin. lini, fœnigræci, hordei ana unc. duas pulver. flor. chamæmeli, meliloti, ana unc. unam. Misc. & bulliant in oxymelite q. s. ad conficiendum emplastrum; in fine addendo, olei liliorum alborum, pinguedinis anaris, ana drachmas sex; & Fiat Emplastrum: aliud summopere valens.

♃. Flor. chamomill. aneth. melilot. herb. parietariæ, ana manipul. un. rad. althææ, ebuli, ana libr. unam, sem. lini, fœnigræci, ana unc. duas; Misc. & bulliant in aqua mulsa, quousque omnia decocta fuerint; quibus adde olei communis libram semis; quæ decoctio pro fomento ita inserviat, ut in illa spongia madefacta & expressa, super partem laborantem continuè detineatur; hac tamen cautela; ut in fine morbi prædictum fomentum sine oleis adhibeatur, & vel spongia cum aqua salina, lixivio; & præsertim cum nitro, & pauco aceti, vel ceratum è marchesita; vel diachylon magnum cum pulvere aristolochiæ, & ireos, administretur. Soleo autem & parare stillatitium oleum hunc in modum.

♃. Terebinthinæ, resinæ pini, ceræ citrin. mastichis; ana unc. quatuor, ligni sancti raspati unc. duas Misc. & in vase vitreo lutato, lento igne destilla; quod oleum ad roborandos articulos, & materiam resolvendam summopere conducit.

Si tandem à materia maligna subortus fuerit dolor, illa discutienda exsiccandaque est: cujus particularia discutientia prætereo, quia superiùs posita hîc accommodari possunt; modò cum his aliquod alexipharmacum permisceatur, ut est theriaca; bolus Armena, cepe, & alia sub prunis decocta; dictamnus; item gentiana, quinquefolium; ruta, scordium; terra Lemnia, chamædris; atque Mercurius in morbo Gallico. Et si ad suppurationem tendit tumor, suppuretur, & procedatur, eodem, quo supradictum, modo. At si à deleteria qualitate calor, temperamentumque partis penitus corrumpuntur, ad ferrum ignemque deveniendum, aut saltem ad mox dicenda sequentia medicamenta; si sufficientia videbuntur, etsi his quamvis partem carnosam cum aliqua ossis corrupti portione tollere possimus, morbum tamen perfectè curare nequeamus, quia à corruptione major pars ossis obsessa est; quo in casu, (12) totum membrum læsum, serrâ à sano resecandum, (22) pars sana relicta exurenda, partim ut roboretur, partim

tim ut ſanguinis fluxus tollatur, partim ut, ſi aliquid maligni remanſerit, deſtruatur. Et quia, ubi os corruptum eſt, plura ſolent ulcuſcula cum carne mala, ſqualida, & fœtente oriri, ideo caro illa tollenda, vel (23) cathæretico aliquo, quale eſt dyphriges, flos æris, æs uſtum, alumen Rochæ, hermodactylus, aſphodelus, Mercurius præcipitatus, unguentum Apoſtolorum, Ægyptiacum, atque aqua fortis, cui fini etiam (24) filamenta à Fallopio parantur hoc modo.

℞. Filamentor. unciam unam, Aquæ roſar. plantagin. ſolani, an. unc. quatuor, Opii ſcrupul. unum, medullæ panis unc. duas, Argenti vivi ſublimat. ſcrup. quatuor. Miſc. bulliant ad medietatis conſumption. Deinde extrahe, exprime atque utere.

Quibus jam dictis medicamentis putrefacientia ſubſtitui poſſunt, ut (25) trochiſci de Minio, Johannis de Vigo; aut ſublimatum pluries aquâ roſarum & plantaginis lotum, iterumque exſiccatum; aut idem jam dictum ſublimatum cum Aquâ roſarum & tragacantho exceptum, inque formam teretem redactum; aut idem ſublimatum infuſum in Aqua roſarum & ſucco apii, inque phiala per quadraginta dies, & quidem ipſos caniculares, retentum ſæpe agitatum, tandemque exſiccatum & uſui ſervatum.

Atque hoc ſublimatum illud eſt medicamentum, quod Scrophularii pro maximo ſecreto, neminique revelando habent, quod tamen nos, qui ejus uſum propriâ experientiâ & tandem cujuſdam relatione, in ſtrumis, cancris, carbunculis, & cæteris hujus generis morbis, ſæpe feliciter, cum tantillo opii permixtum, experti ſumus, reticere noluimus: quod etiam ad dilatandum ulcus uſque ad os, optimum eſt, deinde verò demum os ipſum, vel inſtrumento raſorio, vel ferro candente (ut jam diximus) tollendum, ſi poteſt; ſin minus, & jam allegatis remediis ob aliquam cauſam tolli nequit, ea applicanda pharmaca, quæ maximam vim exſiccandi habent, ut eſt, oleum de chalcantho, & cætera ſuprà enarrata, deſuperque ceratum aliquod è ſuprà dictis ducendum. Sed ſi materia adeo acris, & acuta fuerit, ut inde ulcera fiant ſerpentia, loco ceratorum dictorum ſubſtituatur Unguentum de ſtercore canis, quod ita paratur.

℞. Stercor. canis oſſa comedentis exſiccati & pulveriſati drachm ſex, plumbi uſti, Tutiæ præpar. an. unc. ſemis, lithargyrii, Ceruſſæ, an. drachm. duas, lactis caprin. libr. duas, farinæ lentium unc. quatuor. Antequam verò unguentum hoc componatur, ſic omnia ſunt diſponenda: primò multa ferramenta extinguantur in lacte; deinde farina & ſtercus cum lacte miſceantur, & coquantur ad ſpiſſitudinem uſque, poſt adde olei roſati, myrtini ana unciam unam ſemis, ceræ albæ q. ſ. iterum coquantur omnia, donec cera liquefacta fuerit; ultimò mineralia adjiciantur, & ſtatim auferatur ab igne tota maſſa, ac ducatur ſimul, donec unguentum fiat, quod Johannes de Vigo Copioſ. Libr. 7. de Natura Simplic. ferè ſub fin. p. m. 624. Fiat etiam lotio cum decocto è roſis, hordeo, balauſtiis, & plantagine parato & cum vino diluto.

Si poſt ulcerum ſanationem, & materiæ diſcuſſionem, exſiccationemque aliqua remanſerit durities, veluti quàm ſæpiſſimè accidere ſolet, quia dum oſſis timemus corruptionem, magis diſcutimus, & exſiccamus, quàm emollimus; eò quòd melius eſt ægrotantem aliqua duritie in parte vivere, quàm eum laborare magnis apoſtematibus, fœtoribus, febribus, & tandem mori; emollientibus (ſublato oſſis corruptioris metu) utendum, facto tamen ſemper fomento cum lapide pyrite ignito & in aceto extincto, quod, licet exſiccet, reſpicit tamen ſimul naturam partis, facitque, ut emollientia malactica à Galeno 5. Simplicium & 7. de Compoſitione medicamentorum ſecund. genera cap. 1. appellata, penetrent; hincque ipſam materiam craſſam & viſcidam attenuat ac incidit, & à Galeno 2. ad Glauconem, in duritie ligamentorum, tendinumque laudatur.

Ne verò ea malactica abſque ratione adminiſtremus; cùm durities multiplex ſit, non erit inconveniens, imò neceſſarium, declarare, quid ſit durum; quot modis fiat, nec non quænam differentia inter durum, & tenſum intercedat. Quoad primum; dura dicuntur illa, quibus caro noſtra cedit Galen. 5. ſimpl. 4. & 3. de Pulſibus, ſicque durum, vel per exſiccationem, vel per concretionem, vel ex nimia repletione, vel ex permiſtis cauſis; quamvis durum tertio modo acceptum, impropriè durum dicatur, denſumque potiùs appellandum ſit. Durum enim propriè dictum illud eſt, cui caro noſtra, ut diximus, cedit; denſitas autem nihil aliud eſt quàm tranſponentis, & tranſpoſiti æqualis actio, verbi gratia, ſi ponitur tranſponens, nempe digitus ſuper denſitatem, digitus denſitatem tranſponit; deinde tranſpoſitum, (denſitas ſcilicet,) tranſponens tranſponit, & ſic ſucceſſivè fit, indicatque laxantia, & emollientia, propterea, cùm non una ſit induratorum natura, neque una eorum debet eſſe medela. Nam quod à ſiccitate induratum eſt, humectari; quod à congelatione, excalefieri; quod à repletione, inaniri; quod autem à permiſtis inter ſe cauſis, hiſce medicamentis permixtis curari debet. Stantibus ergò his, duritiei per congelationem ortæ propriè dicta malactica conveniunt, & quidem malactica calida, ut frigori, ſeu congelationi contrarientur. Ita namque Averroes 5. Collig. quod per congelationem, *inquit*, induratum eſt, calefactionem requirit. Quicquid enim congelatum eſt frigore, liquatur à calido, ſiquidem liquari poteſt. Et cùm in congelatione dicta, ſeu in eo, quod congelatum eſt, humor ſit, & humor abſumi debeat, quia præter naturam ibi reperitur, idcircò prædicta malactica, ultra caliditatem, ſiccitatem quoque poſſident. Et quia potenter calefacientia ſubtiliores partes reſolvunt, cæteraſque in afflicto membro, relinquendo, morbum reddunt curatu difficillimum, & vehementer exſiccantia ſuâ naturâ ad ſummam duritiem humorem parti impactum adigunt, ideo illa malactica, neque caliditate, neque ſiccitate excedant; ſed ſufficit, ea in ſecundo, vel tertio calida, & in primo gradu ſicca eſſe. Galen. 5. Simpl. 9. Averroes loco citato, Avicenn. lib. 4. Fen. 3. cap. de Apoſtematibus duris Paulus 4. 38. & alii. Ad duritiem à reſolventibus, vehementerque ſiccantibus ortam, hæc valebit fomentatio (adhibito tamen ſemper priùs fomento, vel ex aceto, vel ex mulſo, cum lapide pyrite, ut diximus) quę talis eſt:

℞. Radic. althææ inciſ. libr. unam, folior. malvæ, manip. duos, flor. chamæmel. melilot. an. manip. unum ſem. lini, fœnigræc. an. unc. quatuor. Miſc. & bulliant in aqua cum capite & pedibus vervecis, quouſque caro optimè cocta fuerit, & adhibeatur embrocando & fomentando duritiem; Cum quâ ipſa aqua decoctâ emplaſtrum etiam ſic formare poſſumus.

℞. Farin. ſem. lini, fœnigręc. an. unc. tres, radic. althææ inciſar. & contuſar. libr. ſemis; Miſc. & cum prædictæ decoctionis, ſ. q. F. Emplaſtrum ad ignem addendo pinguedin. gallin. anatis, medull. vitulin. ol. lilior. albor. an. unc. unam: quo facto, ſervetur ad uſum. Luta etiam Patavina ſummopere proſunt, & præ omnibus proficiunt. Facta autem per congelationem duritie, ut in materiâ calidâ propter nimia repercutientia adhibita, atque in ſcirrho tam à pituita craſſa, & lenta, quàm à melancholia procreato contingit, utile erit ceratum diachylon magnum cum gummis: vel unguentum de althæa cum iiſdem gummis compoſitum, vel ſequens, quod

℞. Bdel-

℞. Bdellii, Ammoniac. Galban. Mucilagin. sem. lini, althææ, caricar. an. unc. unam, Misc. & cum ol. sem. lini, vel lilior. albor. q. s. Fiat Cataplasma. Vel hoc, quod

℞. Cerati magni prædicti, œsipi Galen. Emplastr. melliot. an. unc duas, cæparum, medull. crur. vitul. pinguedinis gallin. an. unc. unam: Misc. & cum Ceræ q. s. Fiat ad ignem molle Ceratum. Quibus jungantur & quædam eorum medicamentorum, quæ in curatione materiæ pituitosæ idonea esse dicta sunt. Juvat prærerea (pro omni intentione) animalium calor, quia calidum innatum suscitat, atque restaurat; hincque jubemus, ut ægrotantes in calidis brutorum ventribus, læsa sua membra aliquandiu detineant. Habemus præterea in agro Neapolitano Puteolis balnea, quæ omnes durities emolliunt, præsertim (quod miraculi instar est) callos, in fracturis, malè restauratos unius horæ spatio, si verum est, quod mihi à quodam Religioso relatum est, ita emolliunt, ut inde, & calli; & ossa plicabilia, sicut puerorum ossa, reddantur.

Merclini Annotationes super Medicamentis Topicis & Chirurgia ad partem laborantem spectante.

(1) Pinguia atque oleosa ossibus noxia esse, pervulgatum est, sciuntque illi etiam, qui vel è limine saltem Chirurgiam salutarunt. Id testatur Celeberrimus Ambros. Paræus, qui lib. 18. cap. 26. pinguia hæc atque oleosa inter cariei & ossium putredinis causas refert. Ossium enim, inquit, putredinem istam auget nimius oleorum & pinguium medicamentorum usus. Testatur insuper adhuc clariùs Paul. de Barbette, Exercitatissimus Chirurgus. Notandum, (sic habent ejus verba Chirurg. Anatom. Part. 3. cap. 3. pag. m. 22.) ossa medicamenta pinguia, oleosaque perferre non posse, nisi vel summè exsiccantia sint, vel ope destillationis omnem pinguedinem amiserint. Testantur denique fortassis & alii; sed quos, ne longiùs abeamus, huc trahere nolumus.

(2) In his, & similibus corruptoriis ossium abscessibus exsiccatione cumprimis opus esse, & quidem non solùm ratione ulceris, verùm etiam ratione corrupti ossis, eleganti Galeni confirmamus testimonio, quando in Commentar. 6. Aph. 45. exsiccari, inquit, omnia ulcera postulant, præcipuè verò ea, in quibus os affectum est. Finis verò siccandi esse debet, si pars ejus affecta abscesserit.

(3) Non possum, quin sequens Joh. Vigonis, quod ipse Practic. lib. 9. cap. 34. valde ad affectæ partis roborationem deprædicat, huc transcribam:

℞. Hord. mund. lentium, rosarum, fabarum an. Manipul. semis, pomorum granatorum cum corticibus numero duo: Bulliant omnia simul cum aqua dulci usque ad hordei creparuram: deinde pistentur, & cribrentur, cui cribraturæ addantur olei myrtini, rosati, omphacini, anethini, chamemelini ana unc. duas. ceræ albæ unc. duas sem. & iterum bulliant omnia parū, deinde deponantur ab igne, baculò agitandò, donec tepida fuerint, & ultimo loco addatur Croci scrupul. un. & utere super loco dolenti more emplastri. Mirum in modum (sunt ejus verba) confortando locum materiam conjunctam desiccat & resolvit.

(4) Ossis corruptioni imprimis convenire exsiccantia medicamenta, adeo ut exsiccante sua virtute corruptas etiam ossis partes à sanis separare valeant, præter fidam rerum magistram experientiam aliquot eximii quoque Chirurgiæ Scriptores fidem faciunt. Galeni testimonium num. 2. adscripsimus. Epiphan. Ferdinandus Histor. seu Cas. Practic. 42. Sicca, inquit, & arida ossium humiditatem absumunt, & si arida magis fiunt, separationi seu desquamationi paratiora fiunt. Paræus lib. 18. cap. 26 rationem præterea, modumque addit, quô exsiccantium virtute vitiolum os à sano abscedere posse credat. Scilicet medicamenta, inquit, insigniter desiccando, omnem ossis humiditatem tum excrementitiam, cariei authorem, tum alimentitiam exhaurit. Unde exangue manet, & nutritionis, adeoque vitæ expers. Quô fit, ut os necessariò abscedat, glutine eô, quo cum sanis partibus vicinia & vitæ communione continebatur, destitutum; foliorum instar, quæ decidunt, exhausto humido, quo, tanquam glutine, ramis propriis adhærebant. Hunc corrupti ossis per exsiccantia medicamenta à sano successionis ac separationis modum paulo aliter, ita nempe exponit Sennert. lib. 5. part. 2. cap. 13. Medicamenta, inquit, quæ os corruptum a sano separant, valde siccantia esse debent, ut humiditates superfluas in osse corrupto absumant, ipsumque os sanum siccent, ut virtus expultrix ab eo, quod vitiosum est, in eo separet, & vis ossifica os seu callum generet, qui os corruptum protrudat. Ipsa autem quod exsiccantia hæc, ossisque corruptionem emendantia attinet medicamenta, describit ea Galen. lib. 3. de Comp. Med. sec. loc. cap. 3. & lib. 10. cap. 2. nec non lib. 5. de Compos. Med. sec. gen. cap. 14. quæ omnia in tres Classes redigit Sennert. loc. cit. nimirum vel in mitiora, vel in fortiora, vel in fortissima. Mitiora sunt: Rad. peucedani, vitis albæ, (bryoniæ) ireos Florentin. Aloë, Alumen. Fortiora: Rad. Aristolochiæ rotund. dracontii, cortex panacis, pini, pumex ustus, scoria æris, Chrysocolla, Spiritus vini. Fortissima: Euphorbium, Chalcanthum ustum, cinis ficulneus, calx, aqua fortis, Oleū Vitrioli & Sulphuris. Præter omnia hęc memorata commendat Petr. ab Argillata Chirurg. Lib. 1. Tract. 6. cap. 9. Rad. gladioli, fructus & folia ficus cum foliis papaveris in forma emplastri, betonicam humidam contusam & superpositam, & imprimis cinerem vermium terrestrium cum melle crudo permixtum atque applicitum. Barbette Chirurg. Anatomic. Part. 2. Lib. 2. cap. 3. addit Lignum guajac. Spiritum Sulphuris, Vitrioli, Salis, Tartari, & oleum Antimonii. Celebris ille Amstelodamensium Consul Nicol. Tulpius Observat. Med. Lib. 1. cap. 34. omnibus præfert oleum cinnamomi cum oleo sublimati. Affirmat enim, se hoc remedio in segregandis celeriter ossibus nec vidisse, nec legisse quicquam convenientius. Oleum aluminis præ cæteris extollit D. Scheffer Disputat. sua Inaugurali, adjicitque opopan. sagapen. & ostrac. combust. cum terebinth. Mercurium dulcem in aqua plantaginis solutum & illitum ad cariem simul ac nigredinem ossis probat Johan. Hartmann. Prax. Chymiatric. p. m. 592. sub. tit. Fistul. Capivaccius Libro 5. Meth. Med. cap. 11. in carie ex lue Venerea ad ossium exsiccationem pulverem tutiæ cum pulvere lithargyri, & corticum ligni guajaci inspergere, & unguentum de tutia superponere jubet: quoad ossium verò corruptionem quàm primùm ad fortiora, quæ inter præcipitatum potissimùm laudat, veniendum esse docet; hac tamen, ut opinamur, lege, ut cauto cum circumspectu fortioribus illis utamur, ne periculosas inflammationes excitando, putredinem, ossisque corruptionem augeamus magis, quàm imminuamus. Unde Argillata loc. cit. hanc fortassis ipsam ob rationem prudenter monet, ut si euphorbium (idem judicium esto de cæteris plerisque fortioribus) ossi superponere velis, præmunienda sit caro circundans aliquo cerato vel panno lini, ne aduratur illa. Et quod Hildanus observation. Chirurg. Centur 4. observat. 11. in specie de cariosis ossibus mandibularum, & oleo Vitrioli fortique aqua pronunciat, id nobis de aliorum quoque ossium carie, hisque similibus fortioribus

ribus, vel fortissimus medicamentis dictum censeamus. Ita autem scribit: Ossibus cariosis mandibularum ut ignis & ferrum, item Oleum Vitrioli & aqua fortis adhibeatur, non suadeo, idque propter gravissimas causas. Cæterùm poterunt ex adductis simplicibus, prout res feret, variæ compositionum formulæ facili negotio concinnari. Sequens Sennerti loc. cit. ex Avicennæ Fen. 4. Lib. 4. Tract. 4. cap. 11. primitus dimanat, unde Argillata quoque hausit:

♃. Rad. Aristol. rotund. ireos, Myrrhæ, Aloës, Cortic. panacis, terræ Erythridis ust. scoriæ æris, cort. pini, partes æquales. Ex his vel pulvis ossibus inspergendus, vel; si melle rosato, aut unguento Ægyptiaco, prout videbitur, excipiatur, Unguentum fieri poterit. Succincta est, laude tamen sua non minùs digna illa Pauli Barbette l. c.

♃. Mumiæ, sarcocollæ an. drachm. sem. Euphorbii drachm. un. M. F. Pulvis. Item quæ sequitur.

♃. Succi chelidonii maj. unc. duas, Spirit. vini unc. un. Myrrhæ, Aloës an. drachm. duas, Vitriol. alb. scrup. un. M. pro Injectione. Restant adhuc duo singularia: unum Sennerti est loc. all. quod ita describit:

♃. Sulphuris citrini libr. un. Ponatur ad ignem lentum, ut liquescat, cui adde Tartar. pulverisat. libr. sem. Misce diligenter, donec frigida evadant. Postea pulverisentur, & super lapide in locum humidum ponantur, donec liquescant. Hoc oleo ossa corrosa inunguntur. Alterum Ceratum divinum Joh. Sculteti est, ab ipso descriptum in Armamentar. Chirurg. Observat. 6. quod D. Paul. Ammanno cumprimis probatur, potissimùm si pro majori efficacia oleum de lacertis viridibus admisceatur, quòd hoc solum (cum ipso loquor) Spinam Ventosam perfectè curare dicatur. Ex omnibus autem, quotquot jam cùm simplicia tum composita recensuimus medicamenta, nulli major virtus in corrupti ossis emendatione ab Authoribus adscribitur, quàm euphorbio; unde quoque à variis vario elogio ornatur, & quasi certatim commendatur. Argillata Lib. 1. Tractat. 6. cap. 9. ex Serapione refert, euphorbium ossi superpositum ossa in una die excoriare & fragmenta separare. Paræus, Aquapendens, & Hildanus vires euphorbii ex Dioscoride deprædicant. Ita enim Paræus Lib. 18. cap. 26. euphorbicum, inquit, ossium testulas, squamasque eâdem die eximit Dioscoridis sententiâ. Aquapendens Op. Chirurg. Part. posterior. Libr. 3. cap. 10. scribit, à Dioscoride laudari euphorbium pulverisatum. Hildanus Centur. 4. Observat. 21. §. ult. asserit, euphorbium mirandas habere proprietates, quòd suâ caliditate non solùm humores in osse exsiccet, sed & occultâ quadam facultate hîc conveniat; additque, quòd etiam à Dioscoride ossibus cariosis adhibitum fuerit, nec metuenda sit ipsius acrimonia, etiamsi linguam & nares mordicet, quodque ulceribus, quantumvis copiosè inspersum tamen nullum dolorem aut inflammationem excitet. Hoc porro ait, paradoxum quidem esse putabis: Sed ego expertus loquor. Tandem ab horum latere stat Fallopius, qui Tractat. de Morb. Gallico cap. 96. ingenuè profitetur, se euphorbio nullum præstantius, & quod citius os corruptum tollat, invenisse remedium. Hæc elogia nonne imitabile nobis pariant exemplum?

(5) Hujus hoc Authoris modo præparati Olei Antimonii loco esse fortassis posset vel ipsum oleum sive butyrum Antimonii cum æquali parte Mercurii sublimati paratum, & in Dispensatorio novo Norimbergens. descriptum; vel saltim oleum Antimonii Sennerti cum saccharo cando confectum, & in Dispensatorio Augustano exhibitum.

(6) Quibus addatur hoc Joh. Vigonis Ceratum, huc, ut videtur, apprimè facturum, quod ipse Practic. Lib. 5. cap. 2. pag. m. 509. millies cum honore & non parva utilitate se esse expertum testatur, nobilisque & securioris operationis & magis delectabile, quàm linimenta, inque exulcerationibus & doloribus Gallicis, item ubi tuberositates per os sunt, in removendo illo dolore magnam esse medicinam, & unam quamque ejusmodi ulcerationem brevi tempore sanare scribit. Est autem tale:

♃. Olei chamæmelin. anethin. de spica, de lilio an. unc. duas, de croco unc. un. Pingued. porcin. libr. un. vitul. libr. semis, Euphorb. drachm. quinque, Thuris drachm. decem, olei Laurin. unc. duas & sem. Pinguedin. viperæ unc. duas & sem. ranarum viventium numero sex, lumbricorum lotorum cum vino unc. tres & sem. Succ. rad. ebul. enul. an. unc. duas, squinanti, stœchados, matricariæ an. manipul. un. Vini odorifer. libr. duas. Bulliant omnia simul usque ad consummationem vini: deinde colentur, cui Colaturæ addantur lithargyrii auri libr. un. Terebinthin. clarè unc. duas, & cum cerâ albâ sufficienti ad ignem fiat Ceratum ad modum Sparadrapi, addendo in fine coctūræ, stytacis liquidæ unc. un. sem. deinde auferatur ab igne, baculo agitando, donec tepidum fiet, postmodum addantur Argenti viv. extincti cum saliva unc. tres, iterum baculo agitando, donec Argentum vivum optimè incorporetur.

(7) Reprimentium usum alii admittunt, alii rejiciunt. Admittere videtur Rhases, allegante eum Severino cap. 21. p. 317. quando toto studio infrigidandum locum præcipit, quoniam hoc regimine prohibitio fiet, quo non corrumpatur os; sed remanebit in ipsa dispositione per tempus longum absque ulceratione. Hunc sequitur Vigo, qui Libr. 9. cap. 34. quod de Spinæ Ventositate inscripsit, expressè ait, quod consecutâ ventris solutione, ad localia resolventia transeundum sit cum aliqua repercussione mista. At Severinus, qui omnia repellentia penitus damnat, ad Rhasis sententiam respondet, quod is non nisi leviter frigidâ cum roborantibus mista materia, & quidem sublato etiam priùs cacochymię fomento, eo consilio utendum censuerit, ut ea à nimio succorum acrium atque effervescentium incursu tueretur obnoxiam magno malo particulam; deinde quod ipse Rhases non perfectam & absolutam Pædarthrocaces notitiam habuerit. Quòd autem Severinus repellentium usum improbet, hæ ferè ejus sunt rationes (1) quod Spinæ Ventositatis tumor sive abscessus non calidus, sed frigidus, appareat, (quæ tamen ratio infirma est, cùm nec in calidis abscessibus semper proficua sint repellentia) (2) quod tumor noster per longum congestum procreetur, longissimus item & contumacissimus sit affectus, ossique, articulis, periosteo, & nerveis particulis incumbat, ubi iterum repellentia partim non convenirent, partim etiam non efficerent, quod aliàs solent. (3) quod verendum esset, ne ossium, ceu partim corporis nostri alioqui debilissimarum natura pusillus calor intempestivo repellentium usu prorsus jugularetur: Quæ causa tanti fuit apud Gabriel. Fallopium, ut Libr. de Tumoribus generalem hanc normam atque exceptionem posuerit inter decem leges repulsum interdicentes (4) quod Spinæ Ventositas plerunque corrupti habitus homines, id est, cacochymicos lacessat, ipseque ille humor, qui externas partes sub hoc nostro affectu coinquinat, corruptus ut plurimùm sit. At quo in casu vicissim repellentia adhiberi minimè debeant; juxta Heurnii cautelam, qui Commentar. in Aph. Hippocr. 25. Sect. 6. Adeo generalem inde format regulam, ut dicat, quicquid ex visceribus ad cutem abit, id non debere retrudi. Nos mediâ rutissimi ibimus viâ, Pandolphinum nostrum, ceu du-

cem

cem secuti, qui similiter hic quidem loci, præsente dolore, puris reprimentibus penitus quidem interdicit, ita tamen, ut aliquo in casu, quem vide, paulò postea vicissim admittat.

(8) Uti narcotica medicamenta in quibusvis morbis prudenti cum circumspectione, & non nisi extremâ doloris urgente necessitate in subsidium vocanda, quia omnia palliativam tantùm curam præstant, ita hæc quoque in præsenti nostro affectu cautè ac deliberatè adhibenda sunt, quemadmodum hoc ipsum Pandolphinus quoque noster præcipit, quippe qui hîc quidem loci ea quadantenus probat, aliquot autem interjectis lineis rursus improbat, ac non immeritò suspecta habet.

(9) Inter illas rationes, propter quas suppuratio in Spinæ Ventositate pessima meritò existimanda, postrema validissima nobis videtur, quia nimirum suppurantia ossis & circumsitarum partium corruptionem, juxta ac putrefactionem magis adhuc accelerarent, quam tamen omni studio servandorum hominum Opifer, Medicus, avertere, ac prohibere debet.

(10) Per calidum autem hoc intellige calidum innatum, quod plerique Veterum Scriptorum per substantiam corpoream calidam, viventibus propriam; & pro specificarum formarum diversitate diversam definiunt.

(11) Hujus opinionis è Veteribus Petr. ab Argillata loc. sæpe alleg. è Recentioribus verò Petr. de Marchettis loc. cit. imprimis esse videntur. Argillata postquam modum, quo Spinæ Ventositas generetur, exposuit, statim nulloque alio intercedente verbo subnectit, illic consequenter facta incisione reperitur corruptio in substantia ossis tota, vel in parte ejus, usque ad medullam. Ex quibus colligitur, Peritissimum hunc Chirurgo-Medicum incisionem, sive apostematis apertionem sine prævia multorum aliorum topicorum adhibitione, antequam eundo Malum altiores egit radices, suadere. Quod & quæ mox sequuntur verba confirmant, quando, cura, inquit; Venrositatis Spinæ est evacuatio universalis; deinde, operatio loci, ubi necessariò consequenter debet os corruptum removeri. Marchettis vult, ut, statim ac Patiens conqueritur de dolore pungitivo spinoso veluti, in articulis vel manuum, vel pedum, cubitorum, aut genuum, sive malleolorum, nullo licet apparente tumore, sectio ejus fiat. Sed in quem animadversio, quam habet Dom. Ammann cum Respondente suo, non susque deque habenda. Nimirum Marchettis consilium, ait hic; admodum præceps est, quando in pungitivo dolore, v. gra. cubitornm, genuum, & malleolorum; nullo etiam adhuc apparente tumore, sectionem suadet. Nunquam enim ad amputationem confugimus, nisi factâ jam solutâ unitate, hoc est, præsente ulcere; quandoquidem Medicus ex relatione ægri certam morbi hujus cognitionem non semper habet, nec quilibet dolor solùm; quamvis etiam formicans sit, Spinæ Ventosæ præsentiam præcisè indicat. Quomodo ergo in tam dubio casu amputationem, vel saltem incisionem moliri poterit? Quin potiùs exspectandum ipsum ulcus, & ubi certò per signa constat, adesse Spinam Ventosam; videndum, utrum, juxta monitum Paræi vel terebellis desquamatoriis & radulis (veluti faciunt statuarii) testæ cariosæ subtiliter abradi aut desquamari, vel utrum terebello, ab eodem Paræo descripto, os cariosum locis pluribus perforari possit? Verùm de hoc duplici Paræi consilio iterum monendum, ossis cariosi abrasionem & desquamationem in vera Spinæ Ventositate sine magno ægrotantis emolumento institui nobis videri. Spinæ enim Ventositas est interna ossis corruptio, id est, in qua intima ac interna ossis substantia primò corrumpitur, & in qua tota ossis substantia ut plurimùm occupatur. Quid ergo proderit, os abradere ac desquamare, cùm abrasio nonnisi externas corrupti ossis squamas tollat? Consentientem habemus Optimum Sennertum Prax. lib. 5. Part. 2. cap. 13. dum abrasionem duo exigere instrumenta scribit, scalprum putà, & terebram, quorum illi locus sit, ubi os non ita altè corruptum est. Idcirco abrasio in vulgari quidem, sive externa ossis carie conveniet, in nostra autem & verâ Spinæ Ventositate non item; nisi in hac quoque ideo saltem abradenda osse credamus, ut iteratâ abrasione attenuata ac rarefacta ossa, postea vel sua sponte, vel congruo medicamentorum usu præterea adjuta citiùs ac faciliùs tota cariosa abscedant. Alterum autem consilium de terebello, terebrâ, vel trepano certis in casibus non penitus spernendum videtur. Terebrâ enim utendum, si caries profundiùs penetret, iterum docente Sennerto l. c. ex Cels. lib. 8. cap. 2. & comprobante eandem Operationem Petro de Marchettis, non quidem indifferenter in omni, sed hac solummodo Spinæ Ventosæ specie, quando totum internodium, maximè in pueris, digiti manus vel pedis, corruptum est. Hoc enim in casu, inquit, quia neque ignis, neque ferramenta juvant, horum loco trepano tenuiori utendum, quo ejusdem internodii media pars perforanda, à qua, forficulis affabrè in hunc usum paratis, partes laterales secandæ, atque totum internodium paulatim educendum volsellâ, cujus vacuus locus progressu temporis carne oppletur; quæ quidem in pueris durior quodammodo facta, & veluti callosa ossis vice fungitur; quanquam ubi totum internodium est ablatum, digitus, musculis ad caput suum retractis & cedente carnis mollitie, decurtetur. At si totum internodium auferri debet, indeque digitus decurtatur, dubitare adhuc subit, utrum curatio trepano jam descripto tenuiori, an verò vel communi amputatione, vel volsellis, maximè in cartilaginosis puerorum ossibus, feliciori successu contingere possit. Cæterùm quod modum attinet, quo apostema aperiendum sit, sequitur in eo Pandolphinus noster Johann. Vigonem l. c. quando uterque juxta longitudinem incidendum præcipit. Ita enim Vigonis sonant verba: Factâ maturatione, inquit, quæ pro majori parte sequitur in membro absque multa elevatione cutis, & mutatione in colore, locus incidatur juxta membri longitudinem. Quibus ex verbis & hoc insuper simul hariolandum, ipsum quoque Vigonem Spinæ Ventositatis tumorem, antequam ipse exteriùs rumpat, aperire ac incidere suadere; taceo, quòd idem paulò post perspicuè asserat, se comperisse, dolorem in Spinæ Ventositate adeo intensum fuisse, ut propter ejus venenositatem, & multitudinem materiæ sæpenumero locum ante maturationem perfectam aperire coactus fuerit. Quæ tamen vicissim cum grano salis intelligenda. Aliàs quoad ipsam incisionis figuram dissentit à Vigone & Pandolphino nostro Severinus, quando cap. 21. pag. 316. si cutis integra adhuc est, non per longitudinem, sed ad figuram literæ X. eam incidere, orasque ita diducere jubet, ut spatium pateat, quò ferramenta adhiberi, aliæque Chirurgicæ operationes administrari queant; utut cæteroquin (ut obiter hoc adjiciamus) quando os jam detectum est, idem crebris per terebellum foraminibus pertundendum esse & ipsum affirmet.

(12) Aperto apostemate, foramen quod vel illa apertione Chirurgi manu vel sua sponte factum est, non solùm apertum deinceps servandum, sed & ulteriùs dilatandum, quo fieri potest modo. Fiet autem vel turundis, vel ferro, vel caustico aliquo medicamento. Turundæ parantur vel ex spongia præparata, vel ex radice gentianæ, vel ex medulla sambuci

aut

aut sorgi, quæ foramini intrusæ humiditates circumfluentes imbibunt, unde intumescunt, sicque foramen ampliant. Ferro ulcus sive foramen dilatare, inusitatius est, nisi vel peculiare dilatatorium instrumentum vel sectionem subintelligere velimus, quæ vicissim non semper, sed tum demum locum habere potest, quando de arteriæ, nervi aut tendinis alicujus periculosâ læsione nihil metuendum. Frequentius autem ferro ipsum apostema aperiri solet, quod & ipse fortassis Author noster voluerit. Ita caustico quoque medicamento apposito ulcerum foramina, non solùm ampliora redduntur, sed & tumores aperiuntur. Est autem causticorum ingens varietas, adeo, ut vix Chirurgus sit, qui non secreti aliquid hîc jactitet. Illud communissimum cauterium, quod ex solo lixivio, è quo sapo conficitur, parari solet, sexcentis aliis præfert Heurnius Libr. 1. Meth. ad Prax. quod inde peti potest. Sequens magistrale causticum mirabile vocatur, quòd apostemata & bubones rumpat, fonticulis excitandis inserviat, cancrosque, scrofulas & malum formicæ, (quo ipsa Spinę Ventositas indigitatur) persanet. Describitur autem in Italico quodam Libello Libr. 1. pag. 65. Venet. 1670. impresso, & Compendium mirabilium Secretorum Dominici Audæ inscripto; cum nova Appendice ejusdem Authoris Et communicavit nobis Amicissimus noster D. Lucas Schröckius Jun. Medicus Augustanus. Estque Latinè à nobis redditum tale:

℞. Vitrioli usti unc. duas, Salis Armoniac. unc. un. Calcis viv. Tartari calcinat. an. unc. tres. Coq. in lixivii è stipitibus fabarum parati quant. suff. ad humiditatis consumptionem, legeque Artis exsiccata massa servetur loco sicco in vitro benè clauso ad dictum usum. Sunt autem caustica hujusmodi eâdem cautione apponenda, quâ fortiora illa contra ossium corruptionem superiùs num. 4. commendata medicamina apponenda esse diximus. Nimirum nunquam non affectæ partis habenda ratio, cavendumque est, ne arteriæ, majores venæ, nervi, aut tendines cum gravi ægrotantis damno temerè violentur.

(13) De rasione sive abrasione ossis, quæ limâ, sive raspatoriis, ut vocant, instrumentis fit, incidenter aliquid diximus ad num. 11. Cui hîc addendum, quod, si spes est, limatione os corruptum totum tolli posse, hæc operatio in nostro quidem affectu majori cum fructu institui videatur, quàm si superficie tenus tantùm abraderetur, ob dictas rationes; ob quas fortassis ipse quoque Vigo l. c. non leviter ossa vitiata derasit: quin potiùs, uti scriptum reliquit, multoties magnam partem focillis brachiorum & tibiarum raspatoriis & ferro candenti removit, modò ut ad sanitatem infirmum perduceret.

(14) Ad ignem, sive candens ferrum & ustionem tandem etiam, mitioribus hactenus adductis præsidiis non sufficientibus, deveniendum, juxta antiquissimi Præceptoris, Hippocratis nostri Aph. 6. Sect. 8. datum consilium: quæcunque non sannat medicamenta, ea ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat: quæ ignis non sanat, ea incurabilia judicare oportet. Miris autem laudibus ignis efficaciam in hoc nostro quoque affectu imprimis Severinus effert. Id, inquit, cap. 20. pag. 315. quod efficacissimum proponere super omnia possum, est ignis actuosus, quod remedium usitatum in plerisque comperi mirabile; confirmatque ejus usum aliquot exemplorum inductione, quæ mox ibidem sequuntur. Modum utendi docet Petr. de Marchettis loc. cit. Dilatato, ait, foramine sectione, spongiâ præparatâ, radice gentianæ, medullâ sambuci aut sorgi, in idem demittenda cannula ferrea utrinque perforata, mox candenti ferramento os corruptum inurendum, quousque perito artifici ex usu videatur futurum, ut statim abscedat; tum verò curationis quod superest, modo solito prosequendum. Non absimili huic modo procedit Sennertus l. c. quippe qui ibidem per fistulas ferreas, quibus caro defendatur, cauteria applicanda, illarumque plures in promptu habere suadet; ut, postquam una incaluit, alia frigida adhibeatur; vel, si unâ uti libeat, postquam incaluit, in aquam frigidam immittatur. Atque hoc utroque modo, prout decet, cavebimus, ne caro vicina, aliæque adhuc sanæ partes improvisò simul adurantur, unde exquisitissimi dolores, periculosæ inflammationes, aliaque gravia symptomata suscitari possent. Quod tandem ipsum ustionis usum spectat, habet ea non solùm peculiariter iis in locis locum, ubi propter loci profunditatem aut foraminis angustiam lima, aliave abrasoria instrumenta adhiberi nequeunt; sed creditur præterea, eam singulari virtute contra malignitatem & virulentiam, eam exsorbendo ac exhauriendo, facere, corruptique ossis separationem juvare, & imprimis ad excrementitias humiditates absumendas præstantissimum, ut vocat Sennerus l. c. esse remedium, qui postremò & hoc non prætereundum addit; post ustionem, ad inflammationem prohibendam, & dolorem leniendum primò aquam rosaceam cum albumine ovi applicandam, hinc oleum rosat. cum ovi vitello, postea butyrum cum melle rosaceo, ipsi verò ossi adusto pulverem ex Rad. peucedani, aristolochiæ, euphorbio, aut aliud ex suprà positis medicamentis imponendum, donec os corruptum separetur & abscedat. Singulares inustionis modos vid. apud Joh. van Horne Microtechn. pag. 196. & seqq. nec non Severinum Pyrotechniæ passim quidem, præcipuè verò Part. 3. cap. 1. 2. 3.

(15) Huc referri posset & illud remedium, quod in ipsa nostra Spina Ventosa, ceu secretum, sæpissimè proficuum expertum se esse testatur Dominicus Auda, Italico suo suprà allegato Libello. quod

℞. Aquæ vitæ rosarum an. unc. sex. Mercurii sublimati unc. tres. Opii unc. semis, Primùm coquatur opium minutim dissectum, & liquefiat, dein addatur Mercurius sublimatus, & post quatuor ebullitiones decoctum hoc ab igne removeatur; quòd si adhibere cupis, linteum in eo madefactum parti affectæ imponatur, ut eam totam cooperiat, atque supra illud aliud majus aquâ plantaginis imbutum; sicque per 12. horas relinquatur.

(16) Os in Spinæ Ventositate semper est læsum; & quidem primariò. Et si non est læsum, non est Spinę Ventositas, sed aliud quidam tumor, qui huc non pertinet. Unde hæc Authoris differentia nulla est.

(17) Est autem Unguenti Resini Sarcotici descriptio talis, uti habetur in Antidotar. Bononiens. pag. m. 407. & 417. item in Pharmacopœa Bergomens. p. m. 267.

℞. Resinæ pini, terebinthinæ, ceræ citrinæ, olei communis, an. unc. 5. Dissoluta cera, resina cum oleo, ultimò terebinthina, omnia colentur, & in cacabo ad ignem lentum bulliant: deinde permittantur infrigidari.

(18) Unguentum Matrisylvæ, seu Periclymeni, seu capitale, vel capellum, uti vocatur in Pharmacopœa Bergomensium p. m. 276. ita describitur.

℞. Ceræ flavæ, Resinæ terebinthinæ, seu communis, Pineæ, olei rosati completi an. lib. 2. abiegni lib. 1. foliorum periclymeni in umbra siccatorum, betonicæ, foliorum salviæ, gummi elemi an. unc. 6. Radic. aristolochiæ rotund. unc. 3. Herbæ fractæ vino albo odorato macerantur per 24. horas: reliqua adduntur, & coquuntur, donec vinum ferè evanuerit; expressum ope torcularis, & refrigeratum igni redditur, dum vinum ex toto evanuerit; postea additur gummi, vino, aut oleo solutum, vel in pulverem redactum,

agitando dum fiat unio. Aliqui monent ceram & resinas immiscendas, postquam vinum coquendo evanuerit, & in fine gummi. Sunt qui addant Mastiches albæ, Thuris optimi an. unc. unam & sem. aut etiam duplum.

(19) Talem reconditam qualitatem & illud fortassis possidebit remedium, quod prædictus Dominicus Auda ibid. secretum paucis cognitum, planeque miraculosum, & in Malo formicæ, id est, Spinâ Ventosâ probatissimum vocat L. 1. p. 67.

℞. Duos aut tres vesparum nidos unà cum inibi hærentibus parvulis vespis; itemque mellis favi cum minutis suis apibus pugillum unum. Contundantur simul, & cum tantillo mellis fiat inde Emplastrum supra partem affectam applicandum.

(20) Paul. Barbette scribit, Oper. Chirurgic. Anatomic. Part. 2. lib. 1. cap. 7. pag. m. 174. se nullum medicamentum cognovisse, quod suo tempore adhibitum citiùs cicatricem inducat, quàm Amalgama Mercurii, cujus hæc sit præparatio.

℞. Plumbi unc. duas, liquefacto adde Argenti vivi unc. duas, effunde super chartam. Exsiccatum, pulverisatum, Emplastro de plumbo aut diapompholygos misceri potest.

(21) Hoc extremum illud est remedium, quod extremus hic poscit Morbus. Et quanquam, ut sapientem omnia prius consiliis, quàm armis experiri, decet, ita Medicus medendi initium à mitioribus præsidiis ex diætetico & pharmaceutico fonte haustis meritò capere debet, antequam ad efficaciora deveniat; tamen quemadmodum iterum, solis consiliis nihil juvantibus, ipsa arma capessere optimum sæpè esse solet; pari ratione vulgaribus remediis minus sufficientibus; extrema hæc, & tantùm non crudelia, in nostro præcipuè hoc sævo affectu, saluberrima sæpe comperta sunt. Hinc Author noster tali in casu totum membrum læsum resecare jubet, ad imitationem Petri ab Argillata loc. cit. qui similiter factâ universali evacuatione, totum os corruptum removeri debere; seque ipsum totum unum focile brachii removisse scribit: quem Severinus quoque & Petrus de Marchettis sequuntur. Ille os, quod vitiatum est, pag. 316. totum exscindere suadet: Hic verò, quod si Medicus, ait, accedat, factâ jam solutâ unitate ab ipsa materiâ pituitosâ ex putredine acriori factâ, tota curatio dirigitur ad ablationem ossis corrupti. Quomodo autem & quibus instrumentis hæc corrupti ossis ablatio, sive amputatio fieri debeat, nemo horum specialiùs explicat. Pandolphinus noster serram commendat, qualem depingit Joh. Scultetus Armamentar. Chirurg. Tabul. 27. Figur. 11. lit. C. Johan. van Hoorne, qui artuum amputationem propter nullum alium, quàm sphacelum, ipsumque hunc nostrum affectum inventam esse credit, Microtechnes p. m. 189. inter instrumenta ad hanc operationem necessaria præter jam nominatam serram, cultrum quoque falcatum; cultellum ancipitem, qui Hippocrati μαχαιρὶς ςηθοειδὴς vocatur; interdum etiam, sed rariùs scalprum excisorium, aut excisoriam forcipem adhiberi posse scribit, Cultrum sive scalpellum falcatum vide apud Scultetum loc.cit. Tabul. 27. Figur. 11. lit. B. Cultellum sive scalpellum ancipitem, quem Celsus & Paulus Spatham appellant, exhibet Idem Scultetus ibid. Tabul. 2. Figur. 1. Scalprum excisorium depingit Idem, ibidem Tabul. 20. Figur. 4. Item Tabul. 27. Figur. 12. lit. E. Excisoriæ forcipis figuram habet Idem ibid. Tabul. 20. Figur. 1. & Tabul. 32. Figur. 6. De quibus instrumentis notandum, ea non omnia unà requiri; imò sæpe sæpiùs, in minoribus præcipuè articulis, ut digitis manuum ac pedum, unum solum, & quidem simplicissimum sufficere, quemadmodum Spigelio apud Scultetum Armamentar. Chirurg. Observat. 86. vulgaris forceps, suffecit, quâ Monacho cuidam Bononiensi pollicem sinistræ manus Spinâ Ventosâ correptum feliciter abscidit. Quid? quod Joh. Jessenius à Jessen. Institut. Chirurgic. Prooem. arbitretur, Chirurgica illa instrumenta, quorũ nullibi plura habeantur, quàm apud Aquapendẽtem aliquantò magis ad ostentationem, quàm usum comparata esse. Præterea nec hoc omittendum, serram contra plerosque exercitatissimos Chirurgos in magnorum membrorum amputatione Leonard. Botallum de Vulneribus Sclopetorum cap. 23. vehementer vituperare, & quidem ex his præcipuè rationibus, primò quod ea plerunque multas nervosas partes à novacula relictas miserè laceret; deinde quòd, dum serrâ ossa secantur, sectæ venæ & arteriæ perpetuò sanguinem & spiritus fundant. Verùm quamvis hæ Botalli rationes non de nihilo sint, probeque notari possint, videtur tamen eum serræ usum potissimùm ideo saltem rejecisse, ut cultros suos, quos in illius locum substituit, quosque mirum quantum laudat atque commendat, eò faciliùs, eòque feliciùs introduceret. Cæterùm quoad locum, an os sive membrum in sana adhuc parte, an verò in illa Spinæ Ventositate obsessâ, item an in ipso articulo; an verò extra illum exscindendum sit, non omnibus eadem est mens. Aquapendens, & qui hunc sequuntur, in parte læsa & jam emortua (si de sphacelo vulgari sermo sit) amputationem fieri suadent, his ferè nixi rationibus, cùm quod hac viâ minorem dolorem sentirent ægri, tum etiam, quòd non tanta sequeretur hæmorrhagia. Verùm Clarissimus Johan. van Horne loc. cit. hoc consilium non immeritò periculi aleæ plenum vocat; partim, quia verendum, ne illud corruptum, quod relinquitur, se sit multiplicaturum, partim etiam quia non possumus esse certi, an non os, quod carni subest, altiori in loco sit corruptum. Idcirco in sana potius parte faciendam esse sectionem judicat, proximè tamen ad ægram, spatio unius digiti transversi. Quod Severino quoque, Neapolitano illi Chironi placuit; quando cap. 21. cap. 316. seriò monet, ut totum os, quod vitiatum est, prædicatur, eò quòd nisi id fieret, hoc est, si quid corrupti relinqueretur, ulcus recidivam sentiret. An in ipso articulo, sive juncturis, an verò potiùs supra aut infra juncturas detruncari debeat os violatum, propter ingentem varietatem locorum, quæ Spinæ Ventositas occupare consuevit præcise definiri nequit. In genere scire sufficiat, sectionem in ipso articulo admodùm suspectam videri, (1) quia ibi plerunque nervi, venæ & arteriæ copiosiùs concurrunt, (2) quia non tam promptè inveniri potest locus, ubi duo ossa conjunguntur, (3) quia difficiliùs quàm alibi cicatrix obducitur. Tandem quòd ipsum modum amputandi, vel exscindendi, attinet, breviter omnium optimè ita ferè eum tradit prælaudatus Johan. van Horne loc. alleg. Nimirum ante omnia, (implorato Numinis supremi auxilio) oportet ægro cardiacum aliquod præbere, ne in ipsa operatione deficiat; deinde, à viro aliquo robusto cutis & caro sana; quantùm fieri potest, sursum est attrahenda, ut eadem postmodùm relaxata ossi denudato meliùs obduci possit. Tum (si locus concedit) ad latitudinem pollicis supra locum, in quo amputatio est facienda, valida fiat ligatura vinculo non ita lato, sed forti; cùm ut æger minus dolorem percipiat, tum ut ob vasorum constrictionem sanguinis fluxus meliùs compesci possit. Mox sub ligatura Chirurgus falcato, sed aliquantùm minus, incurvo cultro, quàm potest festinanter totam circumquaque carnem musculosam resecet, & periosteum abradat ab osse, ne à serra dilaceretur: denique serra est adhibenda, vel in digitis forceps tantùm. Post

hanc

hanc factam amputationem quid sit faciendum, mox sequetur. Atque hic communissimus est modus. Alium & planè novum excogitavit Leonard. Botallus loc. cit. quem ipse impensè laudat, & dictus Joh. van Horne in Annotationibus ad eundem approbat. Quem vide sis.

(22) Factâ, eo, quo diximus, modo, amputatione, alii partem sanam actuali cauterio inurere cum Pandolphino nostro ob dictas rationes suadent; alii contra dissuadent. Et dissuadent quidem metuentes, ne crustâ, quæ à ferro candente inducitur, decidente, periculosus fiat sanguinis fluxus. cui addit Paræus lib. 12. cap. 35 quòd hoc modo dolores ingentes & nonnumquam convulsiones inde excitentur. Unde ipse cap. 31. & 33. tenaculâ potiùs vel volsellâ vasa apprehendere & acu transfigere jubet: sed quem modum Gourmelenus Syntagmat. Artis Chirurgic. cumque eo Joh. van Horne l. loc. pag. 193. adhuc magis improbat, qui postremus pag. 194. hanc curationem longè feliciùs, absolvi scribit, si fungus ille, quem crepitum lupi, vulgò *Pofist* appellant, in usum ducatur, ita nimirum, ut ejusdem portiunculæ pulveribus sanguinem sistentibus plenæ & ovorum albumine madefactæ applicentur; vel etiam ex eodem fungo excavato veluti scutella pulvere stegnotico repleta conficiatur, tuncque extremitas membri ei immittatur; atque hic apparatus in situ suo emplastri defensivi & glutinantis beneficio, superinductâ vesicâ bubulâ, donec hæmorrhagiæ metus transierit, detineatur. Nos admodum hæremus, incerti, cui nostrum adjiciamus calculum, maximè cùm propter affectæ partis insignem diversitatem vix certi quid in nostra Spinæ Ventositate determinare liceat. Si quid tamen statuendum necessariò esset, mallemus iis in casibus, ubi inustio fieri potest, cum nostro Authore facere, hac tamen annexâ cautelâ, ut durior jam aliquantùm facta crusta emolliente quodam oleo sive unguento inungatur, quo sine hæmorrhagia, aut alio graviori malo decidere possit; quanquam vicissim pluribus in casibus tam vehementi, & tantum non crudeli ustionis præsidio non opus esse, aliudque præstans stegnoticum remedium, quale Johann. Horne describit, abundè sufficere posse credamus. Ad hæc usus atque exercitatio optima hîc est magistra; semperque adhibendum judicium, quod Chirurgum imprimis commendat. Postremò in omni amputatione sedulò observandum videtur illud, quod monet Joh. Jessenius Instit. Chirurg. cap. 21. nimirum amputato membro aliquantulum pro virium ratione sanguinis profluvium permittendum. Reliquum curationis nihil habet peculiare, & quomodo sit instituendum, docent omnes illi, qui de vulgari artuum amputatione agunt; unde peti potest.

(23) Ad hunc cathæreticorum censum & illud unguentum reduci posset, quod Dominicus Auda in allegati Itali Libelli nova Appendice contra Spinam Ventosam peculiariter directum secretum atque rarum vocat. Estque quod.

℞. Mercurii sublimati, drachm. duas semis, Unguent. popul. drachm. iij. opii grana quinque, Lapid. hæmatit. præp. scrup. 1. Misc. Fiat unguentum & applicetur parti affectæ per 12. horarum spatium, postea removeatur, atque factâ escharâ applicetur axungia rancida non salita; nondum verò factâ escharâ repetatur dictum unguentum, & ablatâ illâ, medicamenta incarnantia adhibeantur.

(24) His similia sunt illa Fila Caustica quę olim D. Sigismund. Schnizer D. Joachim. J. F. Camerario communicavit, quorumque Zacutus Lusitanus quoque in Prax. sua meminit.

℞. Filorum carminativ. unc. ij. Mercurii sublimati correct. drachm. septem, Sal. armoniac. drachm. iij. Aq rosar. plantagin. an. libr. unam. Bulliant ad remanentiam tertiæ partis, & fila traducta in furno lentè exsiccentur; quę, si fortiora velis, adde ad coctionem arsenici unc. ß.

(25) Sunt autem Troschisci de Minio hi: uti Vigo eos describit Practic. lib. 8. cap. 13.

℞. Medullæ panis crud. bene fermentati ℥iv. sublimati elect. & fortissimi ℥j. minii ℥ß. Omnia ad invicem pistentur cum modico aquæ rosatæ: deinde fiant trochisci ad modum grani pineoli, & aliquantulum longiores: postmodum extendantur super tabula, & ponantur in furno non multum calido, & reserventur in scatula, & utere. Mirabilis, inquit eorum inventor, sunt operationis; & si vis, ut corroborentur in virtute corrosiva, addatur virtus sublimati.

Pandolphinus, de Diæta.

Absoluto de medicamentis discursu, ad (1) diætam progrediendum. Constat autem diæta sex rebus non naturalibus, quæ res, vel indicantur à virtute, & erunt alimenta; vel ab aliquo præternaturali, & sic erunt remedia. Quoad aërem; si morbus à sanguine oriatur, aër ipse ad frigiditatem, & siccitatem vergere debet. Victus in principio tenuis, postea verò quando morbus in longius protrahitur, (quod plerunque fieri solet) largior sit, ut infirmus ægritudinis onus ferre possit, simulque refrigerans, si febris afflixerit; hac verò absente vinum oligophorum etiam concedendum, præsertim ægrotanti debili; Ipsa autem præsente febre, à vino abstinendum, & (2) refrigerantibus, humectantibusque utendum. Quies totius corporis (& præsertim laborantis partis) amplectenda. (3) Somnus vigiliæque mediocriter exerceantur. (4) Repletio summopere evitetur. (5) Alvus lubrica habeatur. (6) Venus (unà cum (7) iracundia) cane pejus & angue fugienda.

Ab humore acuto ortum ducente morbo, omnia ad frigidum & humidum tendere debent, sintque vel magis, vel minus talia, prout magis, vel minus acuta fuerit materia: unde si aër suâ naturâ talis non erit, arte reddendus est, cubiculi pavimentum gelidâ perfundendo aquâ, nec non in eo vitium folia, salicum ramulos, rosas, violas, atque hujusmodi refrigerantia dispergendo. Abstineat æger à (8) pinguibus, dulcibus, acribus, ac tandem ab omnibus facilè in bilem vertibilibus; utaturque lactuca cucurbita, portulaca, ptisana hordeacea, atque similibus: potus verò sit aqua hordeacea, vel simplex, vel cum julepo acetoso, vel cum granatorum acidorum succo permixta, aliaque omnia supradictis respondeant.

(9) Peccante autem pituita, frigida, crassa, & viscida; diæta calefaciens sit, attenuans, & incidens; aërque calidus, ac siccus, qui si talis per se non fuerit, aromatibus, atque aliis calidis talis efficiendus: cibus modicus laudatur: panis bene fermentatus: carnesque laudabiles pauca excrementa generantes, inter quas avicularum sylvestrium, nec non pullorum, & quidem assæ magis, quàm elixę commendantur carnes. Utatur insuper patiens petroselino, menthâ, origano, seminibus fœniculi, anisi, cumini, cinnamomo, pipere; nec non multis eduliis cum aceto paratis; veluti sunt cappares, asparagi, fœniculi: Vinum concedatur clarum, & præsertim cum aluminosa, vel sulphurea aqua modice dilutum: repletiones dissuadeantur, & exercitationes adhibeantur (11) somnus sit modicus & tantùm nocturnus: (12) Animi passiones vitentur, licet sæpe (13) ira vim curatoriam habeat; egoque propterea biliosum hominem à suo naturali statu delapsum irâ sanatum esse viderim: alvus lubrica teneatur: Venus exulet, quippe quæ in universi corporis partibus frigidis & præsertim in ventriculo, copiosam generat pituitam.

Si Malum nostrum ortum duxerit ab humore frigido, & tenui, suprà posita omnia opportuna sunt, modò non attenuent & incidant: potissimùm verò potus sit modicus.

At si à melancholia, omnia tendant ad quandam calefactionem, humectationem & attenuationem; & propterea evitentur, quæ ab his diversę sunt naturæ; unde laudatur vinum album, tenue, & aquosum; panis optimus; ova sorbilia, carnes omnes laudabiles, spinachia, borrago. & cętera.

Procedente tamen tamen pessimâ hac ęgritudine (14) à virulentia Gallica, vel ab alia prava qualitate, cum victu conveniente alexipharmaca permiscenda & usurpanda sunt.

Merclini Annotationes super Diæta.

(1) Quomodo Dięta in nostra Spinę Ventositate instituenda sit, facilè intelliget omnis prudens Medicus, si ejus antecedentes ac procatarcticas rectè reputaverit. Uti enim hę causæ se habent. & prout hę ipsæ ad affectus nostri productionem concurrunt, ita diæta quoque habere se debet, nimirum ut ipsa peccanti illi causę contrariæ opponatur, atque sic contra causam morbificam dirigatur. In nimiam ergò atque inutilem prolixitatem excresceret hæc nostra Tractatio si contra singulas, tamque diversas Mali nostri causas, tot quoque tamque diversas diætę regulas præscribere vellemus. Quid? quod nec opus esse censeamus, cùm quivis Medicus, qui cerebrum non prorsus in calcaneo gerit, verique Medici nomen mereetur, congruam victus rationem ipsique Spinę ventositatis peccanti privatę causæ ritè oppositam ægrotanti suo facili negotio imperare noverit. Ut adeò nos nihil aut parùm habere existimemus, quod his, quæ hoc ipso Cap. de Dięta à Pandolphino nostro dicuntur, addamus ulterius.

(2) Juxtà Hippocrat. Aphorism. 16. Sect. 1. Victus humidus febricitantibus omnibus confert.

(3) Somnus enim & vigilia, utraque modum excedentia, malum: est Aphor. Hippoc. 3. Sect. 2.

(4) Nititur Hippocratis Aphorismo 4. Sect. 2. Non satietas, non fames, neque aliud quicquam, quod naturę modum excedat, bonum.

(5) Fluit iterum ex illo generali Hippocratis axiomate Aphorism. 69. Sect. 7. Per alvum & vesicam, & quacunque corporis prodeat aliquid, si non purgatum restiterit, malum.

(6) Venus fugienda, non solùm quia hujusmodi in affectibus vires enervat, corpusque debilitat, sed & quia Morbus hic noster vel ipsum Gallicæ luis virus, vel certè non absimile quid plerùnque redolet; quâ verò in spurcissima labe Venus pestis instar est.

(7) Qui elegantem illum Libellum Johannis Wieri de ira, Morbo, percurret, is abundè inveniet, quid immoderatior irâ atque excandescentiâ non solùm ad multos alios, & in specie ad hunc nostrum affectum tribuere possit.

(8) Pinguia enim & dulcia facilè bilescere vulgò perhibentur.

(9) Quemadmodum à sola pituita frigidâ, crassâ atque viscidâ per se vix ac ne vix quidem Malum nostrum provenire posse jam suprà diximus, & adhuc credimus; ità contrâ hanc rariùs diætam dirigi debere existimamus.

(10) Suffulcitur illâ vulgari hypothesi, per somnũ immoderatum atque nimiùm excrementa cumulari, pituitamque copiosiùs generari.

(11) De Animi affectibus ceu postremâ rerum nonnaturalium classe cùm in genere tum in specie è Recentioribus nemo meliùs, nemo accuratiùs, nemoque ad hodierna nov-antiqua principia accommodatiùs egit, quàm Gualter. Charleton, exercitat. Patholog. 8. quem vide sis.

(12) Lethalis iræ exempla habet Camerarius Syllog. Memorabil. Cent. 10. Part. 52. Salutaris verò iræ exempla rariora quidem sunt: dari tamen posse, vel inde fit manifestum, quia animi passiones ad quas ira quoque refertur, quemadmodum omnes alię Res Nonnaturales, indifferenter & medio modo se habent, id est, dextrè usurpatę sanitatem juvare, sinistrè verò usurpatę eidem incommodare valent. Modica ergo, & suo tempore, quę effunditur ira quin morbi curationem promovere quadantenus possit, non est quod dubitemus.

(13) A Gallica lue vel alio simili maligno morbo si Spinæ Ventositas prognata fuerit, ad illum ipsum morbum non solùm curatio, sed & diæta, victùsque ratio cum appropriatorum alexipharmacorum usu dirigenda, & ex illo speciali morbo petenda est.

Totus Tractatus Avincennæ, de Ventositate Spinæ, pro Authoris excusatione.

(1) Ventositatis Spinæ causa sunt humores acuti, penetrantes in os, & corrodentes ipsum, & (2) incessus Ventositatis Spinæ, est incessus doloris juncturarum. Veruntamen materia in dolore juncturarum est in carne, & in Ventositate Spinę est in osse, & (3) ejus additio corrumpit ossis partem unam post aliam. Dixerunt quidam, quòd Spina est spasmus in toto corpore propter ulcus, & non affirmatur.

Hęc sunt formalia Avicennæ verba circa totum hujus morbi Tractatum, de quo (veluti in principio asseruimus) neque Rhases, neque Recentiores, de his plura scripserunt. Quare non miretur aliquis, si & nos brevem sermonem fecimus, & fortassè in pluribus deficientem: imò excusatione apud omnes digni sumus; quia in hoc nullum ducem habuimus, qui obscuram, perdifficilemque viam nos doceret: sed quem (Deo favente) aliàs uberiorem facere in animo habemus.

Annotationes ad Tractatum Avincennæ de Ventositate Spinæ.

(1) Hic Avicennæ flosculus ex ejus Fen. 4. Lib. 4. Tract. 4. cap. 9. tanquam fœcundâ arbore decerptus est. Mirum autem in hunc Avicennę locum è pręcelebribus illis ejus Interpretibus (Gentilem de Fuligine dico, Jacobum de Partibus, Dinum Florentinum, Ugonem Senensem, Averroem Cordubensem, Matthæum de Gradibus, Thaddęum Florentinum, & Gentilem Florentinum) nullum ne verbum quidem commentatum fuisse. Unde Pandolphinus noster non solùm illam veniam, quam sibi dari petit, utique merebitur; sed & laude pręterea, quod primus ferè atque solus in Spinæ Ventositatis fusiori explicatione glaciem fregerit, dignissimus erit.

(2) Per incessum, teste Severino de Pedarthrocace p. 308. accessus intelligitur.

(3) Id est, materiæ additio vel accumulatio, quę in osse contingit, ita illud corrumpit, ut ejus una pars aliam etiam quodam quasi contagio in consensum rapiat, similiterque corrumpat.

Hactenus Clarissimus Pandolphinus, ejusque *Commentator Doctissimus*, jam sequentur.

MARCI AURELII SEVERINI

DE PAEDARTHROCACE,

ID EST, DE OSSIS CIRCA ARTICULUM *inflammtione*,

ET ABSCESSU PUERORUM *Proprio*,

Spinæ ventositatem aliqui falsò nominarunt.

LIBER UNUS,

Præfatio. De argumenti Dignitate.

PLURIMIS ab hinc fæculis, postquam Arabum & Mauritano-um Academia floruit sub Rege Mansore, morbus, non constat an à Græcis memoratus, extitit ex tumore atque ulcere, tùm carnis, tùm ossis vitio mistus, quem barbari scriptores (incertum qua ratione) ventositatem spinæ nuncuparunt. Hunc dirè affligentem maximè pueros nemo è veteribus pro rei dignitate, nec satis explicare tractavit. Unus nostra memoriâ Josephus Pandolphinus à Sancto Martiano, Medicus hoc argumento nobilis, affectum hunc patris sui oris admodum frequentem paulo studiosiùs enarravit; Sed vel omnia, præsertim præcipua problemata non attigit, vel aliqua per se penfà minùs accommodatè resolvit: curationem verò, quæ in providendo maxima est, atque alia quædam apprimè requisita nihil exequutus est, præterquam quod nonnulla parùm probabilia sibi persuas t, quę discussione indigent. Has ob causas operæ pretium existimavi facturus, si quę mihi virium hoc in amplissimo Incurabilium valetudinario, atque in urbe tota fæpissime medenti se obtulerunt; observatione digna; brevem in commentariolum conferrem, ad ea, quæ priores Viri scripserunt, nova. Quam rem equidem feci libentiùs eo nomine, ut in compositis à me nuper libellis de abscessibus, hic qui desideratissimus est omnium, non desideraretur, & completum de multiplici abscessus specie volumen veniret in manus studiosorum: quorum equidem gratiâ laborem hunc suscepi. Tuum nunc erit & hæc candidè excipere, & mihi munus hoc exhibenti pari gratiæ modo respondere. Res quæ cum abditę affectus proprietate & novitate; noxę gravitate & curandi difficultate luculenter à nobis discussa, non mediocrem legentibus frugem ac jucunditatem allatura sit, confido.

Cap. I. *Notio affectus.*

QUoniam, ut Galenus docuit l. ad Thrasyb. initio in omni contemplatione optimum inventionis initium est, prius exactè cognoscere quidnam sit id, de quo disputatur: consentaneum rationi visum est, ut ante omnia de re, quam instituimus, constet; atq; adeò nominis hujus ratio est inquirenda. Difficillimum autem, ac verè spinosum, si quod aliud investiganti se exhibet hoc nomen ventositatis spinę: ac nisi vel falsę translationis, vel vulgaris appellationis suspicio adsit, quæ post receptum jam usum in commentarios scribentium perperam irrepserit: finem nullum habeiet admiratio: simile quiddam offendimus in rosulis salvatriciis vocatis tuberculis à vulgo & à Philippo Ingrassia alicubi memoratis, quale nomen etiam cùm nolimus, cogimur usurpare, neque aliud usus innovare permittit. Porrò nascuntur in populosis commerciis omnibus, inquit Cardanus, nomina, ferente sic eloquendi occasione, nec certo ullo autore, quæ fortè minus apta, aut usquequaquè probata, sed dura subinde usu mollescunt. Aliam quoque ineptiam continet hoc nomen, ut ex disparibus & omninò diversis duobus substantivis confletur, quo autem pacto unum alteri coordinetur? Sed nihilominus ejus aliquam rationem & quam licet, oportet inveniri. Ego autem non quæ multa comminiscendo subeant, nec quæ aliis, utcùmque placuerunt: sed quæ optima ex omnibus interpretatio sit, hanc accipiam. Num igitur ventositas ad eum modum est dicta, quo apud Avicen. & alios quosdam item Barbaros tumor est inflatio? spina verò vocata est tumor ex acuto sanguine sine pulsatione constans, qualem spinam appellavit Avicenna l. 4. fen. 3. tr. 2. cap. 1. & Aldemanul etiam suo loco.

Sed alia occurrit ràtio, quæ utrique particulę & harum complexui suum sensum accommodet. Videre licet à Barbaris, & Barbarolatinis autoribus affectis, ventositatem esse loco œdematis: ita Petrus ab Argillata lib. 1. tract. 2. cap. 8. sermonem fecit de ventositate alba. Sic etiam communis multorum est loquendi modus; *La ferita cacciata all'aria pigliar di vento*, id est, extumescere.

Fortasse igitur ejus nominis autor ventositatem quidem tumorem, qua sedatum; spinam verò, qua crebriter terebratum ac veluti perpunctum expressit: quę compositio vocum eo quidem artificiosior est, quod contrarios sensus utrarumque in una consonantium conflat & cogit. Verùm enim verò quid non contenti sumus eo, quod unus Rhazes apertè declaravit in opere omnia continente, dicens ventositatem hanc spinæ dictam propterea, quod ipsa os perforetur. Sed in corrupto ejusmodi aut vulgari vocabulo non est fortasse morosius ac subtilius philosophandum: atque in hoc præterea maximè, quod non arguere illud, quod sonat admonuit nos Petrus ab Argillata. Nos autem quæcunque sit barbari nominis vis, atque etymon, ossis circa articulum in pueris abscessum græco verborum complexu pædarthrocacen, quasi puerorum ad articulos malum inscribi voluimus. Fortassis autem est spinæ ventositas à Junioribus perperam intellecta: de qua re suo loco.

Cap. 2. *De genere affectus.*

NOn est sanè facilè decerni, quo sit genere censendus hic affectus. Namque videtur tumor ejusdem perpetuus continuò ad auctam magnitudinem referendus: hęc autem, majoris momenti est; non summo tenus corpore, sed intrinsecus extensa est in longum latum altumque dimensum: quod enucleate tradidit Gal. initio lib. de tumor. præt. nat. Itaque tumoris vitium hoc esse quis inficietur? Sed enim ulcus verè censendum apparet propterea, quod unum consummationis suæ tempore, non alio quovis spectandum est; perinde ac cùm perfectum & absolutum est vitium; hoc morbi pręcipuam, & nobiliorem formam habet; huc primum curantis studium contendit; & hùc omnis sanescendi difficultas refertur: ac neque etiam tam extumescentis, quàm pertusi corporis abhorretur forma: Sed ad utrasque carnis affectiones accedit tertia, quæ est ossis vitium indubitatum: de quo posteriori agetur. Possumus igitur omne vitium complexum multis compositumque dicere, nam quid quæso prohibet, quin ad plura genera referatur; quandoquidem in multis aliis id fieri consuevit.

Cap.

Cap. 3. *Ossibus apostema suscitari posse.*

QUOD in gravissimis omnibus pertractandis morbis accidit, pendet curationis omne momentum à plena vitii dignotione. In hoc igitur affectu difficillimo primam nos notitiam rei sequemur, quæ, ut ordinata firma brevisque, non confusa aut implicita sit inter cætera necessarium arbitrati sumus; aliquot hic hypotheses ante proponere, quę veluti fundamenta & principia demonstrationis nostræ sint, lucemque disputationis conferant quàm maximam. Primam autem esto de ossium habitudine ad abscessum; de qua re sic aliquando meditabar. Utrum ossa suapte natura subeant apostema; non sic quidem unum affirmatur aut negatur; ut non alterum contra contendi possit; negavit porrò Serapion Arabs in primo Breviarii cap. 20. dicens, quia nos scimus, quòd in omni membro, in quo fit tensio, accidit apostema; sed non est in natura cerebri. ut recipiat tensionem propterea, quòd est frigidum currens: & similiter non est in natura ossis; ut recipiat tensionem propterea, quòd est frigidum & siccum, & durum valdè; ergo necesse est, ut non accidat tensio, nisi membris; quę sunt inter id, quod est in fine duritiei, & inter id quod est in fine lenitatis, sicut sunt panniculi & ligamenta & nervi & lacerti & caro, & quę sunt ipsis similia. Quæ hominis sententia in breviorem & commodiorem argumentationis formam aptari sic potest. Ea pars subdita naturaliter est apostemati, quæ distensionem in longum, latum & profundum recipit: atque os distensionem non recipit; igitur neque apostema.

Non terruit hæc ratio neque alia hujusmodi quæcunque principem Avicennam: qui lib. primo fen. 2. doct. prima cap. 5. paulò post initium ait; apostemata quidem membris accidunt mollibus. Sed est etiam, cùm ossibus accidit res, quę apostemati similatur, per quam ejus ingrossatur magnitudo & ejus augmentatur humiditas; neque est. mirum aut extraneum, quod recipiens augmentum aut additionem cum nutrimento recipiat eam (scil. additionem) cum superfluitate; cùm in ipsum penetraverit, aut in ipso acciderit. Vides quàm acutà ratione, & sive defluxu, sive congestu demonstraverit Avicenna, posse ossa concipere apostema; quam rem enucleatiùs exposuit & in l. 3. fen. prima tract. 3. cap. 1. principio refutatà Serapionis opinione per hæc verba: Non enim est quemadmodum quidam medicorum existimant, quòd cerebrum ipsum non apostematur, sic ratiocinantes: nam quod est lene sicut cerebrum, & durum sicut ossa non extenditur: & quod non extenditur, non apostematur: hic autem sermo est erroneus, & illud ideò quoniam lene viscerum extenditur & ossa etiam apostemantur, & Gal. illud confessus est, & nos monstrabimus sermonem de eo in capitulo dentium. Deinde lib. 3. fen. 7. cap. 1. tradit idem vir rationem, quæ est; nam omne, quod nutritur, idem extenditur, & augmentatur cum nutrimento; & similiter est possibile; quod extendatur & augmentetur cum superfluitate, & illud est apostema, & quandoque accidunt, ait, dentibus species apostematum, & illud quidem non est mirum: omne enim, quod recipit extensionem cum augmento nutrimenti; non elongatur, quin recipiat extensionem cum superfluitate, nam si non reciperent materias penetrantes in eis, augmentantes eos; non fierent virides, & denigrarentur, illud enim est propter penetrationem superfluitatis in eis.

Quę verba Principis eò majorem firmamenti vim continent, quod sunt ex Gal. traducta; qui l. 5. de comp. med. secundùm loca cap. 4. circa medium scripta reliquit hæc; si verò lividi per omnem suam substantiam facti dentes appareant nil mirum est ipsos quid inflammationi simile pati & aliquid detrimenti ariditatisque suscipere. Post, quæ addidit; redundantia verò consimilem in eis affectionem concitare potest, qualis est circa carnosas partes inflammatio. Mirum autem est quantùm hoc toto cap. nostro faveat proposito Galen. Succenturiatus autem utrisque viris est Albenzoar. l. primo Theisir. tract. 6. l. 2. cap. 2. quod est de superadditione ossis in principio per hæc. Et ingrossantur quandoque ossa in sua superficie ab humoribus mordificativis, qui infunduntur in ipsis ossibus à sanie, quæ transit super ipsa: unde concavantur, corroduntur & ingrossantur. Qui idem autor eodem tit. 6. lib. 2. cap. 5. retulit de quodam homine, cujus dorso concretum os instar cornu, non ita durum, ut os naturale; pater excussit catharticis impellentibus humores crassos & medicamentis exteriùs exiccantibus. Itemque narrat de se ipso, qui natum sibi super dorsum os graviter molestum crassa vacuantibus pharmacis & emplastris dissolutivis ademit. Quid quòd Galen. ipse l. 6. de usu part. cap. 3. nulla, ait, substantia est adeò dura, ut sicut alitur, non possit etiam augeri pręter naturam; ita ut ossibus id quoque usu veniat: sed maximè hoc experiuntur, qui laxiora sunt & molliora. Jam igitur, inquies, si quæ pręter naturæ statum sunt ossa, extendi atque augeri cognoscimus: multò etiam magis ossa naturę modo se habentia sub alimentum extendi superfluisque crassescere posse confitendum est.

Sed & dentes inflammatorium abscessum pati monstratur testimonio Ludovici Dureti, qui super illam sententiam Hippocrat. in l. 2. Coacarum prænot. cap. 21. §. 8. (Dentis sphacelismus abscessum in gingivam exoluit) Dens, ait, os acerrimi sensus, quod tantùm atteritur, quantùm molendo mandit, ac tandiu crescit, quoad quiescit; omnium affectionum capax, omnibusque morbificarum causarum telis expositum, quibus & caro ipsa est, nec cum minore perceptione rei molestæ, unde successionis doloribus cruciatur. In eo symptomata conspiciuntur omnia, intemperiei, phlegmones, continuitatis & contiguitatis emotæ. Significavit & suam non recedentem ab hac ipsa sententia Joannes Langius l. 1. epist. med. 41. cum numeratis plerisque luis venereæ symptomatis, quæ cognita singula veteribus contendit: steatomata, ait; & tubera, atque ex intima ossium medulla concretus sub illorum panniculo tumor; &c.

Demonstravit & hanc rem experimentis Phil. Ingrassias in lib. de tumor. ubi narrata historia à se dissecti cadaveris in nostro nosodochio Incurabilium; cui cadaveri hominis alioqui Syphilide commortui reperta sunt ossa pectoris & juguli & aliquot costarum insignibus tumoribus exaltata; quibus subinde ruptis apertisque puris graviter olentis nonnulla portio manavit quo demum exhausto patulis & cavus ossis sinus apparuit. Quibus addidit idem auctor, etiam præter ætatem incrementi Galenum & Avicennam censuisse dentes colorem bonum deponere mala subeunte substantia, atque similiter imbuta corrumpi partium mollium & carnis modo. Subdiditque idem Ingrassias; rationem Galeni non in augmento, sed in nutritionis vi consistere, quod apparebit facile, si Galeni verba non oscitanter legantur: Post quæ curationem dolentium ipsorum dentium tradens, repellentibus non aliter, quàm ad carnis phlegmonas utendum præcepit: quippe quia per defluxum fit vitium. Quòd si per defluxum est quidem, ut est verè: defluxum ipsum causam inflammationis accommodatam ec quis non videt? atque eò maximè, quod ossi calvariæ sinistre excisio necessariam inflammationem impendere monuit Hippoc. in l. de vulneribus capitis sępe; nec non Gal. l. 6. meth. cap. 5. τὸ ἀνάλογον τῇ φλεγμονῇ. id quid inflammationi proportionale perpeti ossa professus est. Quid quòd Hippoc.

Poc. T. 4. epid. id in historia senis qui in lapideis vestibulis habitabat, conceptis verbis testatus est ossis suppurationem; in, quo loco Franc. Vallesius retulit hæc non nihil ad nostrum usum facientia; Ubi autem inflammatio sit, & hic abscessus esse potest, sive maluëris apostema, cujus etiam ratio consistit, ut partes aliquo intercedente vitio diducantur; quis autem inficietur ossis partes interiores saltem, humore copiosiore impellente diduci atque laxari? Sunt & huc demonstrationes, & experimenta Langii quem adi.

Restat nunc videndum, ex quo peculiariter apostemate atque humore corripi debeant ossa: statuitque Ingrassias nullum esse, à quo vitium ducere non possint: si verò paulatim propriique alimenti, ut par est, superfluitate coacervata procreandum apostema sit, ex melancholico exusto succo promptiùs illud est eventurum: Sed de viris Ingrassias loquutus apparet: in pueris alioqui sanguinem, aut pituitam esse materiam inflammationis probabilius est: qui uterque humor, ut paulò posteriùs ostendam, vitiatus & in poros ossis illapsus & in horum substantiam non coaptatus, sed rejectus & conculcatus, jam conputrescens & fervens, ossa vitiabit, intemperabit, evertet ita frigida & sicca ossis temperies naturalis, in calidam & humidam, quę est pręter naturam transvadet, proportionalis scilicet carni: quod Galenus dixerat inflammationi proportionale.

Ex his jam constat, nequaquam esse difficile, ut ossa conditionibus abscessûs subjiciantur.

Cap. 4. *Quod articulos propriè longorum ossium apprehendere debeat hoc vitium, ut reverà apprehendit.*

UT planam atque expeditam evidentiam comparent ea, quæ præcipuo hoc meo argumento monstraturus sum: equidem cogitavi conducibile, si partium ossis ad articulum potissimè spectantium usus & conditio dispiciatur, quam rem jam exequi paror ad hunc modum. Ossis universa partitio triplex est: Una pars innominata veteribus quę corpus nobis dicetur ossis, pars ejusdem maxima & præcipua, aliarum veluti truncus, in medio sita. Altera pars ossis firmitatem primam afferens capitulo à natura conditrice conglutinata, epiphysis dicta Græcis, appendix & additamentum Latinis. Estque hęc authore Vesalio os alteri ossi adnatum, peculiarem obtinens circumscriptionem; neque illius ossis, cui committitur, vera portio. Tertia pars est segmentum ossis extremi, supra communem ejusdem æqualitatem extuberans: estque hæc eod. Vesalio describente ossis pars nihil à suo osse differens, nisi, quod tuberculi, seu gibberis instar ex osse procedit; quemadmodum ex arboris trunco radices & rami exultare procedereque videntur.

Corpus ossis anatomicorum omnium consensu durissimum est, quod propugnaculi instar impetum injuriarum sustinere debuerat. Appendix verò secundùm Galeni sententiam in decimo de usu part. excogitata est à natura, ut operculi vice essent ad medullarum ossis partem tuendam, ne difflueret, atque ut arctiùs coarticularentur ossium capitula; quanquam alia Vesalii & Columbi fuit opinio, seu veriùs erga Galenum deludendum prurigo. Sed & alter usus à Gal. expositus est l. 2. de usu part. c. 5. circa F. adnexas ossibus appendices, ut ex ea conjunctione ligamenta possent enasci, quę articulos circumligant & firmant, Tertius usus est ab Andrea Laurentio relatus Hippoc. primo autori, volenti esse epiphyses quasi ventres ossium; in quibus concoquatur ossium alimentum, quod sensim in horum cavernis percoletur. Porrò est hic usus, qui nostris placitis maximè favet.

Sed processus ossis & capituli quis finis? Ad partium; quarundam, musculorum præsertim, exortus atque insertionem tradiderunt quidem omnes. Verùm & usus alii non desunt, ubi variam hujus formam atque figuram spectaveris: sed de hac re satis.

Cognoscis nunc mollissimos & maximè succulentos esse fines ossium longorum, quæ cum aliis coarticulantur raramque & accommodatam horum structuram, ut succos advenientes pro nutrimento excipiant. His adde, quàm ipso motu laxos, imbecillos & ad repellendum ineptos? Quas ob causas memineris etiam, ut in abscessibus absolvendis, has maximè partes consuetus ferè semper impetere sit humor, qui rejectus à superioribus hùc transmittitur. Mirum igitur ne sit, quod communi ossium atque alia privata, quam post hęc exponam, cacochymia s. arthrocacen maximè colligant articuli.

Cap. 5. *Quod non carnis, sed ossis præcipuè sit hoc vitium; quodque non à carnis habitû profectum, sed ossi primum αὐτῶμα.*

QUoniam autem os, & carò naturam inter se nacta dissentaneam, vitium uno communi loco habiere: quæri non inutiliter potest; utri nuncupandus sit affectus & utrius sint morbi conditione priores partes. Videtur autem, quod ossis vitiati longè potiora sint momento, neque illud tàm dico curandi difficultate, scilicet hoc planum & nulli dubitabile: verùm etiam procreati mali (cum Philosophis dicam) anticipatu: quoniam autem video nonnullos, quorum opinio fuit, hoc vitium ossibus secundariò advenire; nimirum ab exteriore habitu & à periostia membrana translatum, ostendam equidem hoc falsò credi & ab ossibus veriùs proficisci vitium in circumsitas partes; quod ostenditur duplici ratione. Prima, quod cùm simul appareant hæc utraque vitia, multò priùs antecedere debuit id, quod invasit os, utpotè quod durius & obsistentius est naturâ, quatenus penetretur, molliatur, conteratur. Deinde, quòd à primordio in loco alioquin excarni non parum altus extitit tumor, qui propriùs fuerit ossis oportet, non carnis, quæ in articuli ambitu nulla est planè. Tertiò, cùm exilis sit portio carnis, quæ vitiari possit, ejusdem quoque vitii parva sit vis consequitur, quæ duritiem ossis conficere queat, contrà verò os, cum mole majori constet, amplum ejusdem vitium, etiam atque etiam carnes conterere ac labefactare valebit; pręsertim quando subjectum veluti fulcrum sit os carni: nos autem experimento quotidiano didicimus in vulneribus capitis & corruptelis aliorum ossium, circumjectam carnem amplè computruisse, sub hac verò vitiata subjectum os commarcuisse non ita multùm licet procedente longiùs tempore non nego commaculatum os, & labefactum. Adde, quod ossis quanto durior est soliditas, tantò gravior est corruptio, quod declarat gravis fœtor ab osse cariem experto, & nigro exurgens: sic licet pauca hujus putredo, qualis quidem putor non est à pari vitio carnis. An autem illud sit, quia sub densiore substantia complexa magis putredo minùs expirat, minùsque dissipatur; sed particulis ejusdem in se coactis confertim exhalat odiosam mephitim: Accedit ad hæc testimonium Avic. qui l. 4. fen. 4. tr. 4. c. 9. professus est non obscuris verbis vitium hoc, tametsi carnes etiam præhendat; nihilominus veriùs esse ossis. At neq; aliter post hunc Nicolaus Florentinus serm. 6. c. 40. & Jo. à Vico in l. 9. suę copiosę c. 34. Quorum omnium sententiam tam manifestè secutus videtur Joannes Langius vir ęque doctus ac disertus; ut ulcerosam hanc ossium affectionem à se vocatam non alio, quam

quàm de teredine atque exostosi pertractarit loco: quę fuit epistola 42. l. 1. Sed nemo fortasse meliùs Petro ab Argillata qui l. 5. tract. 22. c. 2. scripta reliquit hæc; Ventositas spinę est quando aliqua materia in substantia ossis congregatur ex debilitate virtutis assimilativę, vel ex debilitate membri, unde congregata materia causatur apostema: illic autem consequenter facta incisione, reperitur corruptio in substantia ossis tota, vel in parte ejus usque ad medullam & istos casus sæpe vidi, & curavi.

Cap. 6. *Abscessum hunc esse puerorum proprium.*

MOrbus hic, quantùm nos observatio nostra docuit, qui plurimos inde labotantes in valetudinario curavimus, atque huc adversionem quàm maxime sedulam adhibuimus, haud per omnem promiscue ætatem homines lacessit, sed puerorum videtur & familiaris & proprius quod autem istorum morbis interseruerint scriptores, factum puto propterea, quòd grandiores, quàm infantes arripit hoc vitium. Est autem utrumque illud inquisitione dignum; & cur ad pueros spectet, & cur eos, qui incunabula excesserint, maxime tentare solitum sit; utrumque porrò sua non caret causa, quam nos hîc enodatè discutiemus: unde simul fiet, ut id, quod ante supposuimus ratum & confessum apud omnes reddatur. Pueri quidem simpliciter hanc affectionem incurrunt eam ob causam, quam mox audies: Substantiam homo, qui nascitur, refert ex semine patris & ex sanguine menstruo matris, utrumque principium & materia, ex qua fœtus conflatur, non usquequaque purum & inculpatum ingreditur in generationem, sed nunc excrementosum, nunc feculentum, nunc vitiosum & maculatum est; pręsertim si à morbosis, & à cacochymis parentibus procedit. At si tamen integræ valetudinis homo sit, qui generat, non est hæc decisa portio sic incontaminata, ut expurgationem non ferat, atque hoc de virili semine dictum est. Sed neque perpetuò mulier munda, probatam exhibet generationis materiam: verùm plusquam vir sæpe maculosam ac tetram: quando frigidior s. humidior, & inexercitatior est: unde fit, ut mulieres sæpe doleant capite propterea nimirum, quòd superfluitates ex crudiore stomacho plurimas congerunt. Accedit, quod natura in fœminis solet menstruas expurgationes ciere: sint quidem istę mali succi, vel boni, non disputo: utrumque suos habet autores: Satis est, quod gestationis tempore non perpurgatæ mensibus fœminę, incredibilia per hoc tempus appetunt & variè mala: unde malus etiam sanguis pro nutriendo puero congeritur, qui neque corporis exercitatione, quę nulla tunc temporis est, emendari potest, sic immundus & vitiosus est ejusdam sanguis, unde incrementa fœtus capessit, quem ipsum trahit secum jam natus: undeque continuò sunt illi eruptiones toto corpore, & capite quidem achores, ceria, favi, lactumen, glandulæ, strumæ, aphthæ, intertrigines, pustulæ, varioli, morbilli, & hoc omne genus excretionum: quæ si contigerint quidem, commodæ sunt, quia corpus emundant, quare non has prudens cohibet medicus, sed adjuvat potius, quæ si non evenerint, vel si postquam apparuerint, intro recurrerint: consueverunt plurimo detrimento esse, ut inde fiat plerumque puer valetudinarius, calore atque habitu malo, sic fiunt pueri languori cuipiam opportuni.

Illud hîc ad causas pertinens dicere non omittam: præter communes istas seminarias infectiones, quales jam diximus ab utrisque parentibus proficisci ad hæc vitii effectrices esse alias majoris notæ, qualis est cachexia, sive proxime gignentium, sive progenitorum: neque enim elabitur hic affectus causas, quas dicunt hæreditarias; inter quas est & infectio luis venereæ per semen communicata: item si vitium hoc, de quo disputatur, à tabido vel ad tabem propenso veniat; equidem præter inexpurgata seminaria inquinamenta vidi sępissime manasse pædarthrocacem ob aliud, quod est; quia parentes habitu corrupto, vel languidi fuerant. Verùm enim, verò cùm puerorum proprium hunc affectum posuerim, haud negaverim tamen ulteriori ætati contingere posse. Equidem Mariæ Caracciolæ lectissimæ fœminæ Neapolitanę, quæ Deo & Sacris à libera vita & à viro in hanc rem consentiente & cœnobium ingresso in D. Andreæ Sacro Sodalitio se abdicaverat, cariem in malleolo diuturnam curavi: sed enim illud commune vitium, quemadmodum rarum est, vel ad ventositatem spinę referam equidem, vel causis constantibus pædarthrocaces; dilata est eruptio ad grandiores gravioresque annos, non aliter, quàm variolę, morbillique ad senilem usque ætatem servari consuevêre. Huic nostrę sic expositæ opinioni, aliud etiam addere nunc admoneor; non ignorare me, Fernel. 7. phys. 7. & Matthiolum epistolarum opere confirmationes attulisse, quod puer in utero menstruâ materia non alatur. Verùm his omnibus communis Schola satisfacito; dum interim mea roborat Philippus Ingrassias in opere de tumoribus, qua de morbillis atque alii viri non pauci.

Cap. 7. *Quod non tàm per influxum, quàm per congestum sit hæc abscessus generatio.*

HIs auditis, quæstio nunc se offert, per influxum ne an per congestum abscessûs hæc procreatio fiat? atque equidem dixerim utramque ad morbum procreandum causam intervenire: defluxum quidem, quia natura sagax humorem malum & abscessus non obtenti, sed intus revocati reliquias studet quo potest, commode transmittere, sed nullam in partem potest incolumiùs & salubriùs, quàm in articulos: igitur huc materiam malam transmittit, atque deponit. In hunc modum apostasis quædam hęc videtur, id est, humoris vitiosi translatio. Ad hęc & congestus adesse videtur excrementosę substantię, cum nutrituro succo advenientis, qui non raptus neque immutatus à concoctrice propterea, quòd aliena substantia coacervatur, & congeritur quotidie intra spongiformem substantiam ossis, quam inesse jam diximus suo capitulo ad recipiendam alimoniam accommodatus, sic tandem fit proventus maximus, qui fomes est putredinis ossis.

Iam autem cùm utraque sit abscessûs incendii causa, tum inquam fluxio, tum congestio: puto equidem multo majori parte esse congestum propterea, quòd fluxionis modus obscurus est, tum propter alias causas defectus, tum maxime, quia viæ defluxionum toto corpore non extant ad ossa sic expeditæ, ut in vehendo alimento, quod nulla vi secum ducit superfluitates admistas; quæ propterea felicior evenit, & cùm perennis sit, copiosior fieri potest confluxio, quæ perennis esse non ita facile potest. Ob hæc conficitur sane, majora congestus esse momenta, quàm confluxus in hoc ossis abscessu procreando. Confirmat abunde nostram hanc opinionem Ioannes à Vico, qui lib. 9. copiosę F. notavit à materia interdum corrupta & venenosa, defectu virtutis assimilativę, occasione debilitatis membri generati.

Cap. 8. *An corruptio, vel corroſio ſit morbi forma: ſimul & de generationis cariei modo.*

QUæſtionem hanc, ut ritè rectèque poſſimus expedire, corruptionis & putrefactionis nominibus, hoc loco confuſis, utramque nos affectionem ſecundùm Nicolai Florentini commentationem in Avic. lib. 4. fen. 4. tract. 3. definiemus; ſi primùm diſtinxerimus, quod ſit putrefaciens & corrodens, ſcire licet corpus humanum & hujus partes, quę dictarum paſſionum ſunt ſubjectum, eſſe trium generum, id eſt, ſolidum, humidū, ſpirituoſum. Solidum inquam, ut oſſa, carnes, nervi, membranæ, & hoc genus: humidum verò dico quatuor humores, qui ſunt ſanguis, pituita & utraque bilis: ſpirituoſum denique dico ſpiritus, vitalem, animalem, naturalem, quæ omnia vocavit Heppoctat. lib. 6. epid. ſect. 8. aph. 8. continentia, contenta, & impetum facientia, in hæc tria invadunt putrefaciens & corrodens. Putrefaciens eſt id, quod corrumpit ſpiritum & humidum membri adeo, ut non ſit amplius pars, niſi æquivoce. Cęterùm non pervenit ad hoc ejus actio, ut reſolvat humiditatem membri, ſed tantùm dimittit eam corruptam, autor autem eſt calor extraneus. Putrefactio igitur eſt diſpoſitio, ſub qua humidum membri corruptum eſt abſque reſolutione ita, ut in vitam redire non poſſit, propter corruptionem ſpiritus. qui eſt in eo.

Corrodens autem eſt illud, quod prętèr acuitatem, quam habet reſolvit atque extrahit humidum, propter quā reſolutionē atque extractionem minuitur ſubſtantia carnis, ut ulceretur. Pro qua re intelligenda doctrina eſt Ariſt. 4. meteor. ſiccum ejus naturę, ut ſemper egeat colligatione: humidum verò id eſt quod colligit & conjungit. Corroſio igitur eſt diſpoſitio, ſub qua humidum terminans ſive agglutinans partes membri reſolvitur ita, ut partes membri remaneant disjunctę ſic, ut non ſint amplius continuę; præterquam tamen humiditas ſit corrupta.

His jam expoſitis utra ratio ſit in hoc affectu, conſtare poteſt: porrò ſubeſſe non videtur corroſio, ſed corruptio propterea, quòd in hoc vitio totum humidum eſt corruptum abſque reſolutione ita, ut extincta reſtiterit pars; quòd ſi tamen poſt longum tempus exempta oſſa proferunt cariem, ac teredinem hoc nihilominus fit, reſoluta per longum madorem parte: quemadmodum accidit lignis, quæ lònga humoris alluvie tabefactâ corroſionem referunt, quę vere non eſt: atque ad hunc modum interpretandi ſunt Avicenna, Nicolaus Florentinus, Joannes à Vico, atque alii ſi qui ſunt autores nobiles, qui corroſionem in hoc vitio adſtruxerunt. Firmari autem hoc abundè licet exemplo ſimili gummatum & exoſtoſium luis venereæ, quę reſolutione veriùs & vi corrumpentium humorum, quam à corrodentibus facta viſuntur, quam etiam rem hiſtoria, ſuperiùs à Philippo Ingraſſia recitata demonſtraſſe potuit. Fuit autem & meæ ſententiæ Joannes Langius in l. 1. epiſt. 42. quam rem apud eumdem autorem legito.

Illud nunc deſiderari videtur, ecquo pacto procreetur ejuſmodi corruptio; evenit autem meo quidem & Vidii judicio ad hunc modum. Quoniam à nobis conſtitutum eſt ſuperiùs, pędarthrocacem, per congeſtum, quàm per influxum fieri magis; id eſt, quod contrahatur paulatim humor in oſſe ex alimento ſuperante: contrahitur quidem in oſſe paulatim veluti mucus, qui ob loci imbecillitatem nec concoquitur, nec ad alendum eſt idoneus, nec expellitur, ſed ibi manens tumorem excitat. Cùm autem hic idem humor, vel acris ſit, vel retentus putreſcat (eſt, & qui in lue venerea diuturniori collectus ea tubercula excitat, quæ gummi dicuntur) erodit ac perforat ejuſmodi partes integræ cuti ſubjectas.

Cap. 9. *Quòd exoſtoſi ſphaceloque oſſis ſyphilia ſimilis ſit iſta.*

EX his facilè quiſquam affirmet, exoſtoſi ſyphilię ſimilem abſceſſum hunc eſſe, quod aſſertum neque diſplicet nobis, qui credimus gummata, quę dicuntur, à venerea lue profecta, non per defluxum, ſed per congeſtum eſſe: quam rem cùm quiſpiam oſtendi ſibi deſiderat, dicam, hominis venereo morbo confecti ſanguinem univerſum & humores graviter eſſe corruptos; ſiquidem, & ab omnibus conſtitutum & à nobis ante monſtratum eſt, luem hanc eſſe univerſale corporis intemperamentum, atque hepatis præcipue, quod eſt officina ſanguinis; quo labefactato, & humores omnes cum ſanguine comprehenſos in corruptionem abiiſſe neceſſe eſt; quapropter & tales accedentes in ſubſtantiam alendarum partium, has non corrumpere non poſſunt: maximè autem inter omnes tuentur ſe carnes, & ad hanc naturā accedentes aliæ partes ſic, ut alienum à ſe, vitioſumque ſuccum quoad ejus fieri licet vel concoquant & commoderentur, vel abjiciant, non ita quidem oſſa, quæ inter omnes corporis partes ſunt debiliſſimæ, atque etiam maximè exangues & frigidiſſimę quapropter id, quod à ſe rejecerant carnes, ipſa recipient. Inditio autem eſt, quòd oſſa capitis à nonnullo calore fota comprimis obnoxia ſunt his congeſtibus: Indicavit autem ventoſitatis ſpinæ cum exoſtoſi venerea ſimilitudinem Joannes à Vico memorato jam loco, quamquan verò contulit arthritidi morbo Avicenna: tamen ejuſmodi comparatio facta eſt ſecundùm doloris ſpeciem, quā communicant; non autem ſpectat illatio vitium jam initum oſſi, quam diximus eſſe corruptionem, quam quidem opinionem eo libentius amplexus ſum, quod Jacobo Cęſarano medico noſtri gymnaſii profeſſori præclariſſimo ac Diomedi Paladino viro item doctiſſimo communicatam video placuiſſe.

Cap. 10. *Ex quanam humorum materiā pendeat hic abſceſſus.*

PRincipio dubietatem nonnullam facit, num halituoſa leviſque ſit materia, quæ procreando huic vitio cauſam præſtet: Cujus ſententiæ videtur fuiſſe Philippus Ingraſſias in commentario de oſſibus cap. 1. fine; perſuaſus tum ab etymo, tum quia figi quidquam in oſſis corpus, præterquam tenuis ſubſtantia non poteſt. Quod confirmavit Philippus autoritate Razæ in ſuam opinionem traducta, qui prodidit profectum nomen à à perforando, perforare autem ſolidiſſimam oſſis compaginem nulla non valet præterquam penetrabilis tenuiſque ſubſtantia, quæ tranſcurrat, ut enim craſſamentum aliquod humoris pervadat? Quam etiam ob cauſam factum eſt, ut Jo. Lang. in lib. 1. epiſt. medic. epiſt. 42. cenſuerit ejuſdem teredinis cauſas eſſe putres ichoras. Sed Joſepho Pandolphino in c. 4. quod eſt de morbi generatione placuit vitium omne tribuendum pituitę craſſæ, ut quę maximè in pueris; & puellis fœminis proveniat, flatuſque multos ad tenſivos artuum dolores excitandos accommodate ferat. Ante quos omnes viros Avicennæ Principi viro placitum eſt, ut humores hi ſint acuti, penetrantes in os & corrodentes ipſum, quem virum, ſecuti ſunt & Nicolaus Florentinus & Joannes à Vigo. Poſt quos Joannes Langius cit. epiſt. ulceroſâ

rosa vocata hac ossium affectione, purulentos & acres rheumatum ichores, quo terebrentur ossa causas dixit esse à qua magni viri sententia, nostra profectò non longè discedit, nisi quòd sanguinis putres ichores possumus, qui veniens in alimentum ossis alioqui rarioris & levioris, quales capitulorum & processuum sunt, has inficiunt & contaminant, uti & hujus l. capite superiùs explicavimus.

Cap. 11. *Vera affectûs natura.*

SI mentis aciem penitiùs in rem defigimus, longe alia quàm apparens, & exposita sensibus affectus hujus est natura, usque adeo, ut equidem non conquiescam his, quæ dudum genus inquirenti se obtulêre, sed in recessu, positam formamque aliam abstrusiorem mali consector, quam etsi non adverterint, alii tamen, ut puto lucidissima est: Illud autem, quod meditor est hujusmodi. Sæpe numero legimus apud viros autoritate plenissimos, sensimusque disputando constitutum; inflammari ossa non quidem æque, sed paulo secius, quam carnes; ignis porro nullum sibimet objectum quamtumvis durum excipit, quominus in ipsum vim suam πανтоδύναμιν non exerat; ad hunc quoque modum inflammatio; quę ab internis visceribus malè habitis, & à foco putredinis aliquò proficiscitur; nullam partem corporis excludit suâ tyrannide atque incursibus, quin & dentes, quibus ignem parcere & immolitos linquere scripsit Plinius: quotidie cernimus insensibili succorum acrium infestatu solvi, conteri & erodi: multò igitur potius ossa minus compacta, minusque sententia humorum vim acutorum ad languorem experiri ac perpeti debuerint? Qui languor in Pædarthrocace accedens, sit corrosio an corruptio certum non est; quamquam nos superiùs nostram opinionem aperuimus, quæ corruptionem amplectitur, sed tamen aut nullum, aut parùm necessarium, quod ad ossis vitium & affectionem attinet, istorum est discrimen; difficilior autem ossis per humorem est erosio quàm corruptio, hæc enim ab humoris labefacientis duntaxat copia; illa verò ab ingenti acrimonia proficiscatur oportet. Atque ita jam apparet non admodum referre, sive corrosio, sive corruptio particulæ sit hic abscessus, quantum ad ipsum vitii jam procreati eventum. Jam autem, quantò facilior ossis erit hæc vitiatio in pueris? quorum ossa molliora ac teneriora sunt, quàm in viris: & eò amplius, quod ossis partem accipi voluimus non promiscuam; sed privatim eam, quæ est circa articulos atque hęc, ut anatomica nos observatio docuit; spongiosa est multum; eo s. naturę consilio, ut foret accommodatior ad suscipiendum alimentum delatum à venis atque arteriis apellentibus ad ea loca: à quo deinde alimento propagaretur & resultaret nutritio perennis in medullam.

Hac jam cognita partis ossis habitudine atque structura, in viris quidem laxa & rara, in pueris verò singulariter molli ac friabili. Si dixerimus hanc ex allapsis humoribus semiputribus & alienis inflammari ab inflammatione verò abscessum & corruptelam perpeti; non erit sanè, qui refragetur, aut facilem vitii procreationem inficietur. Quæ res tamen ubi cuipiam difficilis fortè videatur in promptu sum ostensurus etiam opere constantes hos abscessus in plerisque pueris à me visos: quibus extractę sunt ossium particulæ qua semiputres, qua putres confectę sanie, succique lentore maximo: quæ quidem putredo quæso te, quo pacto fuerit inducta sine fervore, atque inflammatione? Cartilaginem quidem in senibus, tum aurium, tum narium, tum sterni post inflammationem in venereo morbo peresam sæpissimè vidi: puerorum igitur hęc ossa mollia inflammationis capacia non fateamur? profectò cartilagines seniles non minùs densę compactæque sunt, quàm puerilia ossa, quibus accedit & cerea mollitudo & spongiosa porositas, quam omnes mecum sunt confessi. Ad hæc in ossa, id est, in horum capitula venæ subeunt & arteriæ licet pusillæ & inaspectabiles: unde enim aut quomodo nutriantur, aut vivant eadem? si non ingreditur in ea succus & nisi permeant undecunque vasa? quod si permeat succus alienus & importunus ad hæc loca delatus & confertim aliquando cumulatus; maximè etiam valebit hęc inalterare atque in calidam diathesin immutare sic, ut aliquando inflammentur & inflammata subeant abscessum quem partim ventositatem appellarunt propterea, quòd veluti ventus, particulas ossis inflans distendat, partim etiam dixere spinam, quòd veluti spina in centrum membri, quod os est, defigatur. Postremò inflammationem ossis persuadet augmentum in se inductum. Unde enim hoc, preterquam à putredinis fermento? fermentum autem unde præterquam ab inflammatione? quę quidem tanti momenti sunt; ut facilè, quod nos sentimus, etiam unicuique persuaderi debeant.

Cap. 12. *Quod non affectus hic occultus & causæ quæsito satisfacientes exposita.*

NONNULLI cùm hujus affectùs & ossis corrupti causas exponunt; non inventa, quæ satisfaciat, ratione peculiariter affecti ossis perinde, ut à magna difficultate citò se extricent, ad antipathiam & ad occultas rerum causas confugiunt: id quod in plerisque multis hoc nostro sæculo fieri consuevit ab his, qui rerum indagationis pertęsi, viâ quàm expeditissimâ sunt contenti: equidem etsi perpetuò non renuntiandas hasce proprietates arbitror; in hoc vitio tamen amplectendas non consentio propterea, quod ad causas ratione comtemplabiles referri potest, sunt autem, quę mihi videntur, hę.

Scire licet, humorem illum, qui morbum invehit, excrementitium omnino esse, quod jam expositis ante sermonibus hujus libelli monstratum est, quia sunt, inquam, reliquiæ variolarum & morbillorum minimum expurgatorum, item quæ sunt non excussæ superfluitates capitis ichorodes, quibus obnoxii sunt infantes, & his affines pueri: quę superfluitates omnes; & materiæ sunt crassæ, viscidæ, pingues, ac putres adeo, ut contagione communicari puerilis aliis cohabitantibus possint. Verumtamen cum humore hoc pingui conjuncta est aliqua siccitas & exustio: quemadmodum in fuligine non dico picis, thuris, thymiamatum & pinguium omnium: de quorum præparatione Diosc. sed & aliarum materierum omnium: porrò non deest hisce fuliginibus & excrementis cremor, id quod ostenditur plerisque indiciis, quæ sunt hæc: primum interiorum, ac tineæ speciebus singulis sua est crusta (in lupinari, inquam; furfuracea, & hoc genus multò a. maximè in ecthymatis & residuas crustulas nemo non norit, Deinde salsas nitrosasque has excretiones esse constat, pruriginosę. Tertiò non possunt non referre fuliginen impressione materiæ, quæ tot multas cretiones & agitationes passę sunt à calore partium diversæ, primò quidem in vasis & conceptaculis parentum; deinde in universa puerorum officina naturali; donec perveniant ex omnibus vasibus ad postremam cutem. Præterea fiunt excretiones istę omnes non sine fervore, & quia heterogeneæ sunt partes substantię vergentis ad siccum, torreantur oportet: inde enim acrochordonas in pueris evenire docuit Cornelius Celsus lib. 5. cap 28. & è junioribus Antonius Musa Brasavolus & alii.

His omnibus argumentis constat, inesse nonnullam inustionis totam his excrementis. Has ob causas conjuncta fuit, ut dixi. cum pinguedine siccitas. At hęc qualitas & natura fuit etiam ossibus, quę M. Hipp. sententia in libr. de carnibus, ex multa pingui & glutinosa seminis portione concalfacta & exusta constant. Itaque ad ossa magno naturę consensu repêre has materias, & ab his attrahi substantię similitudine non alienum est credi. Atque hęc una ratio est, quam contemplator homo comminisci possit. Altera verò ratio deduci potest ex Arist. l. 3. de hist. animal. 19. ubi tradens de sanguine dicit, hunc & partes sanguineas putrescere circa ossa, atqui per doctores nostros omnes variolarum & morbillorum pręsegmina sunt sanguinea, hæc ergo retenta & ad partes ossium appulsa, facilè has conficiunt & corrumpunt. Tertia ratio potest esse illa, partes omnes corporis, quò robustiores & calidiores & sanguine instructiores, eò faciliùs promptiùsque repellunt à se noxas advenientes, itaque Gal. 13. meth. scripsit inter omnes in expellendo validissimos esse musculos, minus arterias, minus his venas, omnium verò debilissimas esse glandulas. Ita quidem ille, sed nos glandulis imbecilliora dicimus ossa, quæ plane repellere nequeant incursus alienorum humorum. Sic excrementa hæc à singulis œconomię nostrę partibus rejecta, cùm amplius remittere non valeant ossa, reliquum est, ut eadem in se congesta cùm putrida sint & virulenta, Ioanne de Vico autore vitium in se ipsis excitent corruptionis, & alienationis. Atque hactenus hæ sunt causæ, ad quas pędarthrocacen referre, licet.

Cap. 13. *Affectûs definitio.*

Post hæc definitionem adornaturis jam nobis primùm omnium inveniendum est genus, cujus quędam multorum communis est natura, quam definita res participat; quoniam autem videmus in hoc morbo distentam in omnes partes substantiam, quæ apostema dicitur à græcis, abscessus à latinis: utrumque nomen acceperimus, liberum est quidem, quoniam verò latinum est commodius, in abscessu consistemus. Quo invento genere differentia supplenda est, vel quæ hujus loco sunt accidentia propria: Iam autem, quæ se offert, est corruptoria species sive ratio cui se subjicit τὸ ὑποκείμενον, quod distinxeris, dixerisque (os) & quia multiplices hujus sunt partes: quibus non expressis ambiguitas dari possit: nam aliæ partes ossis ab aliis morbis occupari solent, ut à syphilide media ossa, sic addideris (circa articulum.) Quoniam autem proprius pueritiæ morbus est, & horum articuli potissimùm abscessionem hanc incurrere consueverunt, hoc maxime pro diorismo retinendum apponendumque est; ut dixeris (in pueris) causæ autem, quæ magnam lucem afferant, exponendę, quę sunt s. spermatis & menstrui sanguinis inquinamenta non repurgata, cum quibus causis si generationis modus possit exprimi, fiet hoc sane cum singulari definitionis gratia, qui modus est per congestum. Iamque cùm nil intra complexum definitionis venire possit, quod definiti nomine non comprehendatur atque etiam nil à definito contineatur, quod definitio non exprimat atque explicet; sic jam collegimus absolutam definitionem, atque adeo dicimus; Pædarthrocace abscessus est corruptorius seu sphacelismus ossis circa articulum in pueris, ex primis spermatis & menstrui sanguinis inquinamentis non repurgatis, per congestum illapsis & computrefactis natus.

Cap. 14. *Num hic affectus Græcis antiquis notus.*

Optassemus equidem omnes, ut facem nobis in hac re prætulisset quispiam ex autoribus Gręcis, ut qui diligentes, & exacti in uno quolibet argumento pertractando fuêre, quod autem ipsorum nullus ejusce rei meminerit, excitaret quidem nobis admirationem, nisi fortasse cognitum hunc illi morbum dubitarem: qui morbus sexcentum ab hinc annis, nî supputatio fallit, mortale genus invasit, num ergo nullus Græcorum memoria fuit hic affectus: an verò, sicut syphilidem non ignoratam ab istis plerique voluere propterea, quòd symptomata luis ejusdem nulla his obscura fuerunt: pariter & pædarthrocacen eosdem non latuisse persuaderi possumus, etiam, quod ad cariem ossis universalem hoc vitium referri non est absurdum, siquidem eo proposito, quod antè monstravimus, ulcerosam hanc ossium affectionem ortum habere à male purgatis aut intro relapsis à summa facie corporis humorum excursibus & exanthematis Hippocrati, Galeno, Aetio non incompertis, ut Andreas Laurentius affirmate visus est in l. 8. historiæ anatomicę quęst. 9. atque etiam Franciscus Vallesius in l. primum epid. sect. 2. & in l. 7. ejusdem operis t. 94. Sic profecto fit ut neque iis abscessus hic ignorari debuerit. Porrò non ita fortassis accurate descriptus ab iisdem fuit uterque affectus propterea, quòd ob exquisitam victus rationem (verba sunt Laurentii) mitiora essent omnia.

Ad hunc modum plane constat fieri potuisse, ut in Asclepiadarum notitiam venerit hocce vitium τερηδόνος nomine comprehensum. Quinimo factum, ut comprehenderint, sic animus est ostendere, ut mirum, ni demonstrem etiam. Neque obstat, quod non meminerint Græci multorum accidentium; quo modo significavimus, quemadmodum non refert, quod de variolis non tradiderint. Re autem vera spinam ventosam veteribus aliquo pacto notam evincimus ex Razæ verbis part. 2. Contin. l. 15. c. 5. descriptis, Pandolphino quidem non compertis: quæ sunt hæc. In 2. cap. de morbo, & accidente dixit tandem, quod ventositas spinæ fit ex humoribus calidis corrodentibus & perforantibus os & derivatur hoc nomen à perforatione. Addidit & ibidem loci Razes; In summis causarum dixit, absterfio fit in osse ex superfluitatibus prohibentibus cum abstersione ipsarum, quòd non oriatur super illud caro, sed debet fricari. ut bona fiat conditio ad generandam carnem super illud. Dico possibile est, quod caro non generetur super ossa corrupta, non ex parte ipsorum viscositatis, sed eo, quòd patiuntur complicationem malam, erit ad modum ovi in generatione saniei, quoniam videmus os perforatum in grossitudine aspera & super illud non generatur caro radicitus. Hęc ille, quibus jam indubitatò vides, non aliam Razæ atque Arabibus suam spinæ ventositatem, quam Græcorum teredinem, neque hanc fuisse aliam, quàm illam: ita nulla prorsus, quàm diversitas nominis intercedit, quas ob res jam constat cognitam antiquis pædarthrocacen fuisse. Illud nunc judico disquirendum, num Galeno τερηδόνος nobis cariei nomen corruptionis an corrosionis sit usu. Et ambiguę profecto significationis apparet fuisse libr. de caus. morb. c. 11. in quo loco foraminulenta caries, quę ab acutis humoribus erodentibus profecta est, discernitur ab unaquaque ossis asperitate, quę causam quamcumque aliam agnoscat; verùm aliter l. de differentiis morb. c. 5. in quo loco auctor ossa putrida similia fecit lignis, quæ sunt vetustate corrupta: quem ossis affectum com. 3. de fractur. tex. 20. cum Hippocr. sphacelon, id est, consummatam ossis corruptionem vocavit: omnibus autem modis cariem Galen. potiùs ad corrodentes, quàm ad corrumpentes causas visus est retulisse, quanquam Razę sententia recitatis modò verbis videtur ea fuisse, ut sua spinę ventositas, & taridon, teredinis corruptum nomen, affectum & caussam utramque corruptoriam, inquam, & corrosoriam, saltem conjunctam complectatur.

Cap. 15. *An ventositas spinæ ab Arabibus autoribus descripta Pædarthrocaci congruat nostræ.*

DE ventositate spinæ primus omnium, quos novimus, scripsit Avicenna cujus verba recitata semel fuisse referet non pauci, commodissimus autem hic locus, in quo disquirendum proponimus, num ejusmodi, qualem ipse ventositatem spinæ descripsit; sit Pædarthrocace nostra. Ventositatis, inquit, spinę causa sunt humores acuti, penetrantes in os & corrodentes ipsum; & incessus ventositatis spinæ est incessus doloris juncturarum. Veruntamen materia in dolore juncturarum est in carne, & in ventositate spinæ est in osse & ejus additio corrumpit ossis partem unam post aliam. Dixerunt quidam quòd spina est spasmus in toto corpore propter ulcus, & non affirmatur, hęc ille. Professus autem & de hac re, sicut audisti fuit Razes, licet diversa, vel si parum respondente sententiâ. Ex Arabistarum verò schola qui meminerint ejusdem vitii, fuere Petrus ab Argillatâ: cujus etiam verba recitavimus; ac Nicolaus Florentinus, & Jo. à Vigo Genevensis. E cultis verò scriptoribus fuerunt Jo. Langius l. 2. epist. 42. & Joan. Manardus lib. 7. epist 2. sed omnes hi quidem aridè ac jejunè, pleniùs è nuperis Josephus Pandolphinus vir à nobis sæpę memoratus: neque præter hos alii de hac re tradidere.

De quibus omnibus, quod ad institutum modò sermonem privatè pertinet; sic equidem judico. Principem Avicennam inprimis audiendum, nam Nicolaus & Joannes à Vico, atque alii sunt hunc præcipuè secuti. Nec sat video, an hi omnes rem ab experto tradiderint; quam verè si novissent, necessaria pleraque conscripsissent: aut si ejusmodi non fuit istorum præceptio; vel mancam hanc & potissimâ parte defectam fatearis, oportet: ac descriptus à se affectus alius erit ab eo, quem nos conscribimus. At Pandolphinus spinæ ventositatem & Pędarthrocacen unam eandemque rem fecit, quod nos equidem non ita facilè volumus asseri, nimirum, quòd non omnia consentire, quæ in utraque hypothesi statuuntur, apparent. Primum, quòd non corrodentes per se humores Pædarthrocacen producunt; neque in hac aliqua corrosionis est forma, sed corruptionis & syderationis. Deinde, quod Avicennę verbis in dolore, præcipuò videtur affectus essentia constituta; sic enim ait: Veruntamen materia in dolore juncturarum est in carne, & in Ventositate spinę est in osse. Sic quidem ille de perdolente ventositate spinæ. At verò in Pædarthrocace nullus dolor est pungens, aut qualiscumque alius, præterquàm sub ulceris abscessu.

Deprehenditur ergo falsi Pandolphinus, qui inseparabilem ejusmodi dolorem à pertractato morbo posuit. Sed & Petrus ab Argillata sphacelismos ossium mediorum à penitissimis abscessibus cum carnium corruptione conjunctis, & penes communes causas & affectus, quamvis promiscuè ætate profectos non dubitavit in singularem atque eximium spinæ ventosæ characterem & censum inferre: quòd à nullo priorum ad quos attinuerat, est utique factum: à quo autore prompta hercules conjectura mutuatum atque imitatum Joan. Januensem opinari licet, qui vir teredines ossium à lue venerea procreatas ad hunc spinæ morbum liberiore commento revocavit: vel hunc ad illas, confusis affectus utriusque rationibus: quando citra cariem malum hoc spinę definierit Princeps: ad cujus sententiam hac eadem de re professus est ipse Vigonius, plus scil. Avic. verbis accommodans res, quàm verba rebus: ita, scilicet corrupta longo jam tempore scribendi fides est & autoritas. Sed nos ad primum sermonem redeamus.

Dico igitur Pædarthrocaces morem non esse, qualis est arthritidis, aut si mavis doloris articulorum, quanquam ossium juncturę sunt, quas nos posuimus abscessus sedem. Sed neque hoc absolutè protulit Avicenna, sed ait, & incessus ventositatis spinæ est incessus doloris juncturarum, veruntamen materia in dolore juncturarum est in carne; & in ventositate spinę est in osse: & ejus additio corrumpit ossis partem unam post aliam, &c. vel ut alter codex habet; est ejus accessus, vel dilatio, vel progressio corrumpens. Quibus verbis docemur discrimen ineuntis affectus, & progressi: ut incipientis quidem sit corrosio fortasse levis & os tantummodo lambens; provecti verò corruptio sit & abscessus amplior.

Ex his omnibus non violenta tandem una suasio nascitur; qua credamus, vel alium esse planè spinæ morbum, quàm Pædarthrocace nostra sit: vel adversus securas & certas Pandolphini theses omninò plurimam esse nobis dubitandi ansam, ubi s. omni detractato demonstrandi conatu nostram opinionem non promoveamus in tanta verba Avicennæ parcitate; testimonii sui obscuritate; ac vulgatæ interpretationis incompertâ fidelitate. Ad extremum, sensus noster & decretum est; si veterum testimoniis & auctoritate certamus; non magis in Pędarthrocace definienda observaturos nos esse, quid Princeps Avicenna, quàm quid Razes inter Arabas omnes medicos experientissimus, atque ęvo & usu medendi consummatissimus professus est, eò maximè audiendus, quia cùm primis & optimis Grecis magistris mirè consentit sic, ut in ventosa ista spina excutiendâ novi nihil in medium attulisse videatur, quàm quod decreverint iidem.

Cap. 16. *Differentiæ.*

PÆdarthrocaces non uniformis alioquin, ut pleriq; morbi omnes, sed plurimùm à se ipsa dissidentis, differentias haud constitutivas, quę nullæ sunt, verùm eas, quæ modum immutant, hic nos exponemus: rejectis tamen iis, quę parùm ad curationem faciunt, atque illis, quę ad hanc maximè spectant, amplexis. Has autem applicemus oportet ad subjectum, cui sanitas & morbus natura inhærent, aut subjectum ipsum non tam simpliciter, quàm secundùm modos & affectiones, quibus informatur, observabimus. Ex priori genere cùm crasis & constitutio corporis, habitus, ac textura sint: secundùm hæc singula, discreveris hominem, qui suppositus est affectui. Sed multò fortasse certiùs definitiusque pertinebit expendi ętatem; cujus firmitudine aut imbecillitate leviùs ad morbum alii, deteriùs alii se habent. Ex posteriori genere, id est, ex modis quibus affectum est corpus; prima differentiæ ratio fuerit, si perfectè morbus inhęserit, & penitissimè illatus haud multùm curationi pateat: fixus inquam, aut insito familiæ charactere, aut venerea contage, aut malo corporis habitu, quam cachexiam dicunt: aut si citra hæc sit affectus & leviusculè impressus.

Alterum differentiarum caput erit eorum, quę consequuntur formam in subjecto. Ex his magnitudo, vel parvitas, multitudo vel paucitas, locus, motus, ac tempus est: secundùm quas singulas circumstantias, ac modos vitium discrevisse difficile non erit ei, diligenter singula percurret. Ad magnitudinem spatium quoque pertinet, sic Petrus ab Argillata posuit Pędarthrocaces modos; alterum quidem totum ossis ambitum complexæ, & ad medullam usque progressæ; alterius verò partem ingressę: at Nicolaus Florentinus aliam posuit in summo versantem; alteram profundius delapsam: Vidius verò ad alteram ossis partem transgressam etiam fecit.

Sed

Sed tu partitus ad summam fueris, vel latius patentem, vel finibus angustis conclusam.

Quod spectat ad tempus; hoc vel discretum pendes: sic initium, aut incrementum, aut statum distingues; vel non discretum secundùm has certas partes, sed secundùm absolutiorem alium dimensum capies, tum longitudo se offerret, aut brevitas. Ad quem ordinem accedit proxime divisio motus tarde procedentis vel acute. De qua re sic Razes ait; & juxta modum acuitatis ipsius materiæ, erit malitia & velocitas ulcerationis ipsius. Sed loci discernicula sunt hæc; nam aut ipsemet articulus affectus est, aut proximę partes ossis; processus, inquam, aut pars citerior, aut reliquę. Cæterùm & articuli discernendi sunt, namque vel artuum, vel partium mediarum malo tenentur, equidem ad os malę supremum, & circa nodos pectoris, & costarum cariosum hoc apostematis genus curavi, ut inter alias memorata Bibliopolæ filia, &c.

Succedit ordo tertius, qui causarum est, quę sicut ostendimus internæ sunt semper, quarum quidem effectricibus ante relatis addere potes affluxum atque congestum divisim aut conjunctim, uti videbitur: materias verè distinguere poteris vel biliosas & acres; ut placuit Arabibus, vel pituitosas & putres; ut Langio visum est: vel sanguineos ichores putres, quę nostra opinio fuit; præterea corrodentes aut corrumpentes, complexim aut separatin; principio aut deinceps, prout casus simul & opinio tua feret; item synceras mistas; crassiores tenuiores; coctiores crudiores; dilutas, salsas, nitrosasve; benignas malignas; multas paucas; affluentes quotidie, vel sine affluxu vigentes.

Quarta denique series est effectorum: secundùm quam dixeris, ab ossis primigenio, sicut jam ostendimus, abscessu inductum in carnes ulcus latum, vel angustum; æquale vel inæquale; purius aut putrius; simplex aut multiplex: & ad summam sic aut aliter affectum, ut ulcus omne partiri consuevit. Citra quod ulcus ossis etiam esse corruptio non diuturna potest: ita ut pars una differentiæ sit; arthrocace carne contecta; pertusa & hians altera. Ad hęc videris an morbus dolore vexat, an hujus expers est. Itemque num febrem invexit, aut secus: hancque vel perpetuam, vel intermitrentem; hecticam aut putridam: maciem aut neutrum corporis statum, &c. Hi tibi satis ex pluribus, qui nunc offeruntur, esse poterunt differentiarum modi.

Cap. 17 *Symptomata, & Indicia.*

EXposuimus in Pędarthrocace jam duos pręter naturam affectus; qui sunt morbus & causę. Tertia supersunt symptomata, quæ nos variis morbi temporibus applicata, secundùm hæc eadem digeremus: Primum ei re notata, quòd morbus hic longissimus est, ut qui ossis intimi vitio continetur. Initio igitur tumor est globosus, interdum pressula rotunditate; indolens primordio ante carnis exulceratum, dolens aliquantulum ab exulceratu: quæ ulcuscula duobus post mensibus, vel circiter adveniunt, atque hęc quidem tempora sunt initii atque incrementi, quibus temporibus per angusta foramina misso specillo contactum leviter vitio sentituros: mox in statu consummatus deprehenditur ossis marcor & consummata putredo. Cujus mador varie diffusus in carnes vitiatas, eas in varios abscessus & ulcera pertrahit; nisi tamen hæc arte magistra prævertantur & aliqua ratione redimantur. Articulis, ut ante ostendimus, infestum vitium est adeo, ut ignaris hominibus ossis luxati speciem præbeat, quapropter ad repositum capituli contrectata pars exasperatur. Præter hæc assident & alia nonnulla, quæ sunt in omni carie promiscua. Interdum febricula quędam tenuis & pusilla corpus tenet. Interdum macies & cachexia, quæ non minime verenda sunt mala; præsertim in cachecticis gracilibus & male habitis impuberibus.

Succedunt hîc signa, quę pædarthrocacen ab arthritide ac luxatione similibus plurimum affectionibus secernant, & separent de qua re scripsit hęc aliqua, Razes. Dico ventositas spinę est ad modum doloris, sed materia in dolore articulorum erit in carne & musculis: sed in vitio spinę hæc materia erit in osse & parte ejus: corrumpitur caro vicina ei & juxta modum acuitatis ipsius materię erit malitia & velocitas ulcerationis ipsius. De cognitione quoties videris articulum ingrossari cum durabilitate, non deficiet vitium, sicut deficit articulorum, sed quoties perdurat in dispositione ipsa, fiet acutius ambulando. Hæc ille.

Ad quæ nos subnectimus & hasce alias notas vitii discrettices; Prima, Pædarthrocace familiaris est puerorum; unde primis à nobis nominata est ipsa. Secunda, quod post recurrenres variolarum, morbillorum, cerîorum, & achorum, lactuminis, ut dicunt, ac tineæ, negatas imperfectasque repurgationes succedere solita sit. Tertia, quod os prius vitii vim sentiat, qua circum obducta caro. Quarta, quod cum artus impetere solenne sit huic vitio: maxime tamen articulos lacessit ac ferit. Quinta, quod malignam vim præ se fert; quam vix ulla medici providentia & sedulitas venientem antevertere aut agressam curare valeat. Taceo dolorem periostiæ membranæ punctorium, à qua specie dictam hanc spinam volunt, si placitum Avicennę sequaris.

Cap. 18. *Prognostica, & Judicia.*

PRæclare quidem enunciavit Hieronymus Fabritius in operum Chirurgicorum parte posteriore, qua curata sibi sunt ulcera cum osse corrupto; quod ejusmodi vitium inter maligna censetur, nihilque medicos etiamnum præstantes tam mire fatigat, quàm ossis una corruptio. Quod si dictum est de omni promiscue, carie: quid de hac amabo te, quæ prorsus intimos articulos nerveasque partes subdola & ineffabili quadam antipathia convellit? Insolens igitur si quod aliud, & infinite molestum vitium, odiosum autem ideo, quòd sua semper malignitate firmum, irritam omnem industriam & laborem hominis procurantis facit. Acerbum etiam atque atrox; quod non admodum multo tempore natos matribus abripit, quanquam hoc vere non tam ulceris quàm cacochymiæ culpa sit, enimverò vitium unum quodque ossis perniciosum sua natura non est; sed quantum curatu longum, tantundem etiam tutum est, exemplo autem esse potest Marylli puer à Gal. 7. de anatom. aggress. cap. 13. memoratus, cui puero ex ictu & prava curatione corruptum os pectoris patulumque sic ut viscera viserentur, sanatum excisione fuit. Si quod igitur periculum subest, vel ad partes, quibus contegitur, referendum est, vel ad causas, quæ produxerunt, vel ad symptomata, quæ sunt adjuncta: puta cachexiam, febriculam, maciem, &c. quę in l. de congestu cap. de præsagio sunt à me plenius exposita. Verùm enimvero, quoniam articulos apprehendi contérique ab hoc uno monstratum est, ob id à mutilatione sæpe non evadunt hi pueri: quin motus abolitionem aut depravationem, aut ancylen plurimum incurrent hi, quibus penitissime propagatum est vitium.

Cap. 19.

Cap. 19. *De Pædarthrocace, vel ementita vel non consummata.*

ANtequam autem ad præservationem nos accingamus, pauca de ementita vel non consummata pædarthrocace dicemus, occasione ex præcedente capite sumptâ; Itaque ossis abscessus circa articulum perpessos fuisse pueros nonnullos novimus, quippe Thomas Andriolus Barolita atque alter nomine non compertus, cujus os tibiæ mediæ tumore tentatum scalpro derasi coram D. Ferrante Pagano integerrimo domus Incurabilium gubernatore. Item Franciscus Cicero Aversanus ossium tumores perpessus secundùm anteriorem thoracem. Denique puella, quam curavimus cum Aloysio Vita auditore & observatore meo diligenti ad D. Petri Majellæ in plerisque corporis partibus. Verùm enim verò non est hæc utique nostra pædarthrocace, verùm alia similis affectio. Quanquam si falleret observatio pędarthrocaces, nihil alioquin in medicina perpetuum est, ut sapienter ab Aurelio Celso notatum est. Quoniam autem pædarthrocaces memoravi solemnes causas traduces parentum contages, & horum reliquias variolas & morbillos, libet nunc assumpti argumenti & opinionis nostræ confirmatione commemorare, id quod retulit suâ experti fide Paræus: Pleriisque hac lue tactis pueris tum sterni & humerorum articulationes, tum brachiorum epiphyses & homoplatarum capitula corrupta & abrosa: quodque testatus est Alfarabius, vidisse se plures pueros, quibus juncturæ fuerint apostematihus correptæ, ita ut ex his nonnulli genuum motum amiserint; quam rem cavere non noverunt hi, qui curarunt D. M. Antonium, Excellentissimi Principis Maydensium filium, qui ex his ecthymatibus perperam expurgatis abscessus in cubatis perpessus labefactatâ horum articulatione, intensis ad unam figuram brachiis restitit.

Abscessus capitis subcutaneus post malè purgatos variolas & morbillos in puella quadrima ad furcellæ vicum observatus, jam mihi & solerti medico Joanni Alphonso Ferrillo.

Cap. 20. *De præservatione.*

PÆdarthrocace priusquam exactè compleatur, jam tum ab eo tempore quo se prodit, operę pretium est anteverti: quod fiet scilicet, si concepturiens principio vitium & materia, quæ subjicit in cunabula, continuò dessipetur medicamentis, tum internis, tum externis. Prioris generis, quę maximè sint accommodata, atque præstantia; hactenùs, qui tradiderit mihi compertus est nemo, sed neque genus, atque aliquam istorum rationem attigit quispiam: quæ mihi quidem aliquando meditanti visa est illa, superiore nostrâ demonstratione credo luculenter apparuit affectum hunc initio fœtibus humanis insitum propterea; quòd cum principiis nostræ formationis accedit. Jam verò quamvis patrocinante natura per plenos axanthematum ac variarum expurgationum abscessus sæpè finiri consueverit: tamen non fit propterea, ut cum his levamentis eximatur perpetuò, materiæ copiosioris manentibus adhuc seminariis, quę à pusillo pueri calore vinci nequiverint. Ob hæc omnia magno ac pertinaci labore videtur opus, ut non ejecta primo naturæ studio labes, cęterùm opera nostra deleatur, huc igitur divina Pæonis intelligentia; huc Æsculapii ars; huc omnis Cratevæ supellex parata esto.

Ostensum à nobis fuit pædarthrocaces vitium exostosi syphiliæ proximum: quapropter analogismo quodā usi nos pariter hanc, ut illam exiccandam tum sensibili, tum per halitum discussili ratione putamus. Sed sudores à puberibus, aut bene firmis non incommodè quidem omnino; ab impuberibus verò suo modo sustineri possunt; ab infirmis ac teneritoribus non item. Verùm, quæ non apparentem quidem oculis, sed obscurum exhibent exhaustum, quæ ab omnibus ferri atque accipi possunt, est tamen adhuc incertum qualis istorum debeat esse ratio. Mihi perscrutanti videtur illa commodissima, quę vivida quædam, & insita vi valeant emundare: nimirum, quę naturæ vim non inferant, sed familiaria quàm maximè sint. Jam autem ego dum materiem omnem medicinalem lustro & pervolvo triplicem: animalis plurimùm per se ipsam cōmendabilis offertur; quippe quæ nostræ naturę, atque calori plurimùm est conientanea. Ex hac verò, quod genus sit pręterquam angues & viperæ? qui quemadmodum Josephus Quercetanus in Pharmacopæa restituta notavit, hyeme transeunte, ac veris initio sub terræ latebris, cùm omnis parturit arbos, æthereum inde imbrem ac nectar, quod balsamum chymici vocant, exhauriunt. Sed & Hieronymus Cardanus ad Joannem Archiepiscopum Sancti Andreæ dispnæâ laborantem, arcanum hoc viperarum, quo necdum excogitatum est majus, asserit, quod phthisicos & elephanticos & lue venerea quamtumvis graviter laborantes præter omnem spem ad integram valetudinem perducit sic, ut pingues eosdem reddat, certis deploratorum & pluries observatis experimentis. Jam verò ubi instes memorans nobis diversam istorum sortem; pręterquam ostendi consimilia sanguinis inquinamenta agnoscere genus hoc morborum universum: ad hęc & cum Baldo Angelo Abbatio in l. de natura viperæ c. 28. monstrabimus carni viperinæ peculiarem virtutem esse corroborandi concoctricem. facultatem tertię; quę in membris perficitur; coctionis, atqui verò tertiæ coctionis vitium est Pędarthrocace: sicut jam constitit, quare &c.

Restat nunc, ut præparandæ viperæ modos exponam, jus, sales seu cinis, essentia de quibus omnibus & Quercetanus, & Abbatius tradidere, selectiora nos aliqua describemus. Jos. Quercetanus in part. 3. lib. de spagyrica medicamentoaum prępáratione cap. 3. habet hæc; Mense Junio cape quatuor aut sex viperas, ex quibus & caudam & caput abjicies, cutem intestinaque detrahes: carnem verò minutim pręcisam, indas cucurbitę vitreę per tres aut quatuor dies, ut in calore balnei vaporosi, vel fimi calidissimi sudorem ipsarum pellas (cave tamen, ne fumi hujus aërem è viperarum exhalatu vitiatum & venenosum inspires.) Quo facto superfunde spiritus vini alcolizati & terebinthinati solutivi ana, ut supernatet octo digitis, digerantur vase occluso hermeticè in balneo, vel fimo calidissimo. 12. dierum spatio, donec tota caro viperarum dissolvatur in prędicto menstruo, abjectis fæcibus separetur menstruum in calore balnei, & fiet coagulum, cui denuo affunde spiritum vini caryophyllatum, fac circulentur in pellicano 10. dierum spatio, & separato menstruo remanebit caro viperarum optimè prępàrata, & essensificata: cui misce sub blandum ignem olei anethi, & cinnamomi ana scrup. unum & semis, essentię croci & margaritar. an scr. 1 cum muccagine gummi tragacanthi finge pilulas: vel si vis cùm pane triticeo arido ac trito more veterum pastillos. Hujus medicamenti exhibetur sc. 1 ad lepram, pestem, & ad omnes venenatos affectus. Quod si tibi pretiosa & subtilioris ignis arte conquisita viperæ prępáratio cordi non est; magis autem amatur communis placiti ratio, en Aetius, qui Tetrab. 4. serm. 1. cap. 97. inter cęteros exactissimè professus est de viperę salibus quos in summa prædicat tales, ut nullus ferè sit morbus, quantumcunque desperatus, qui non edometur hisce salibus. Horum autem emendatissimam prępárationem

parationem apud Jofephum in opere Pharmacopeæ reftitutę leges. His exactis cura te omni folvere non oportet: fed hominem continenter in optima victus ratione confervatum medicamentis lenibus; quæ πάνιαυσια, id eft, in annum vocavit Alexander Trallianus, & Aëtius in curatione podagræ, tueberis. Illud autem fuerit, vel radicis chapontici decoctum, vel aliud quidlibet hujus generis; oblatis fingulos in menfes theriacâ vel theriacis paftillis, quos dixi.

Hæc quidem adverfus caufam antecedentem funt medicamenta, cæterùm ad caufam, quam dicunt, conjunctam, & ad partem fub initia extumefcentem, opus eft medicamentis exhaurientibus & abfumentibus, quæ ἀποπνευματικὰ dixerunt Græci. Sunt autem valenter attrahentia fimul & difcutientia, quæ quidem ad hunc affectum abigendum, quò valentiora, eò laudatiora: debent autem ad pyrotica accedere, dummodo talia verè non fint: quare de genere dicto chymico fuerint, efficaciffima: utpotè quæ penetrantia funt plurimùm atque ignea. Ad hunc igitur ufum puto commodum ol. camphur., ol. menthæ, ol. falis, ol. croci, ol. bryon. ol. fulph. ol. calcis vividæ, ol. cofti, quod defcriptum ad frigida apoftemata legimus apud Diodorum Euchiontem l. 2. polychymiæ §. 5. quod R. cofti unc. 1. piper. pyrethri, euphorb. an. ʒ 1. Caftor. unc. 1. trita tenuiffimè diffolve l. — ol. de liliis vel laurino, quod melius erit, vel ol. de fpica &c.

Hęc nifi rem præftent; vel etiam nifi præftitura confidas: id quod efficaciffimum proponere fuper omnia poffim; eft ignis actuofus, quod remedium equidem ufitatum in plerifque comperi mirabile. Teftis autem eft mihi locuplex inter multos Auguftinus Saulinus medicus Neapolitanus apprimè doctus, qui vifo non femel experimento neceffarium hoc præfidium fæpè prædicavit. Sed & cùm Jo. Antonio Foglia medico confummatiffimo & cumprimis celebri collega valentiffimum hoc remedii genus inftituimus exequendum ad ulcerofam malleoli affectionem; qua cum ingenti tumore tenuique febriculâ diù laboraverat Thomas Adulcius Fortunii Senenfis filius, qui longo demùm labore reftitutus eft. Quâ autem curâ vendicatus à fphacelo fuit Jofephus Magnifici Thomæ Florilli filius fex annos natus, quam alioquin exitu felicem operam, ut aliena facta corripere multis eft proclive; pro maximè periculofa vituperavit invidus quidam. Neque aliâ fanè ratione liberata fuit à certa faciei mutilatione filia Joannis à Gregorio librarii compaginatoris: quam cum Joanne Dominico Comes medico vigilantiffimo curavi, fecundùm genam eodem abfceffu graviter tentatam. Referam autem, fi patiatur anguftia temporis, eos omnes quos certè plurimos in valetudinario fuæ incolumitati reftitui; quorum aliquot novit Joannes-Baptifta Caputus medicus humaniffimus ac rerum bonarum apprimè ftudiofus.

Cap. 21. *Curatio.*

CUrationis univerfale confilium brevi definivit Petrus ab Argillata particula fui operis aliàs memorata: cui præter communem totius corporis expurgationem ac procurationem vifa eft pręcipua per chirurgiam eradicatio vitii neceffaria. Ego enim, ait, jam totum unum focile brachii removi; & factâ aperturâ totum focile erat putrefactum, & difcoopertum carne ab uno extremo ad aliud, & pro ifto vide caput proprium in primo lib. c. de corruptione offis. Hæc ille: nititur autem uno illo axiomate curatio Petri, quod omne alienum propriè dictum, i. putre & corruptum eft auferendum primò: mox ulceris obductio procuranda. Verùm ut hic ritè finis obtineri poffit, proponitur fcopus non unus, fed multiplex, quotus ad unguem in univerfo cariei, feu teredinis vitio fpectandus à nobis eft, primus quidem ad procreandùm callum: cujus meminit Gal. l. 6. med. c. 5. interea verò detrahenda eft offis portio cariofa propterea, quòd non inutilis tantùm, fed etiam noxia eft; impedimentum afferens unitati. Præterea providendum eft, ne acres humores, aut paulatim in laborantem particulam contrahantur, aut aliunde confluant.

Triplex igitur eft omnis fcopus: Primus, quo prohibeatur, ne humor paulatim colligatur, vel ne influat ab ulcere. Secundus, quo detrahatur id, quod emortuum eft. Tertius, quo callus provocetur. Quantum ad humorem pertinet: curandum imprimis eft, ne nimius contrahatur in corpore; & ne ille, qui jam contractus eft, feratur ad partem infectam. Ne contrahatur efficiet accommodata victus ratio. Sed ne, qui contractus eft, feratur ad affectum locum: ad hoc obtinendum fingulariter competit fanguinis miffio aut purgatio. Jam verò is humor, qui continetur in morbofo loco; ne vitiet diutiùs infidens: educendus eft quoquo pacto licet. Sic ulcus exiccandum eft, ne ad os carne nudum dimanet fanies. His actis exiccandum eft os emortuum: jamque fi vitium fumma offis attigit, eft fcalpro deradendum, ut Celfus nos docuit cit. loc. Si verò profundiùs pervafit, crebris per terebellum foraminib. eft pertundendum, quæ foramina tantùm procedant, ut caries adæquetur; nec defiftendum ab excifione (Celfus ait) nifi cùm de fana parte vifum fuerit extritum id omne, quod vitiofum erat, indicium autem hujus rei fuerit, quòd os, quod nigrum & foraminofum antea perfpiciebatur, album nunc, & folidum oculis fpectandum fe offert. Si quod pingue inerit candenti ferramento eft inurendum, donec abfumatur in abfceffu pręter naturam advertes, aut nifi permittatur ignis ufus; pyroticis paftillis ad hoc paratis tranfigenda res eft: de quorum delectu, præparatione, ufu & adminiftratione Pandolphinum & alios de anfractuofo ulcere fcribentes legito.

Si vitium ad alteram offis partem penetravit; exfcindendum id eft, quemadmodum fe feciffe perhibet Gal. l. 7. de anatom. adminiftr. cap. 13. in puero Marylli, cui cùm ex ictu & prava medici curatione pectoris os corruptum appareret, pręcidit totum; quod vitiatum erat. Id nifi fiat; hoc eft, fi quid corrupti relinquatur, cicatrix vitiofa & adhuc humida inducetur & ulcus fentiet recidivam atque diruptum. Hæc detectæ cariei curatio eft. cęterùm fi cutis integra eft, ad figuram lit. X. concidenda atque orę diducendæ, ut fpatium pateat, adhibendaque ferramenta & omnis ad fummam chirurgia: quę cùm nihil prorfus evariet à præfcripta, eft eadem exercenda. His expeditis, mox offi excifo porus inducendus reftat, quod naturæ relinquitur, tantùm medicus, qui eft efficiendi focius, impedimentum adimere debet, quemadmodum explicate docuit Galenus antedicto methodi loco. Id autem cùm fit duplex; excrementum tenue & craffum, ut 3. meth. 3. tenue quidem exiccabit, craffum abfterget. Quoniam autem os vehementiora fuftinet, utpotè frigidum & ficcum, ac fenfus minimi: propterea vehementioribus eft urgendum, five exiccantibus, five detergentibus, ad quam rem probata funt autore Galen. 2. de compof. med. per loca cap. 16. & 17. medicamenta καταγματικὰ dicta, hoc eft, ad fracturas accommodata. Pręterea ejufdem Galeni teftimonio tradentis in l. 3. meth. c. 2. & in 6. meth. c. 6. pulvis σαρκωτικὸς, id eft carnis productivus, qui conftat ex iride Ariftol. farina ervi farina hordei, thure. Sed cùm gignendus callus eft; pulvis ex iride, ariftolochia, farina ervi maximè conferent. Hæc & Vidii viri cuncta videntis medicamentorum, & fcoporum

videntis medicamentorum, & scoporum ordinatio fuit.

Sed addam his pauca, quæ Razes ad curationem præcepta reliquit. Minutio fiat primo de proximiori loco, illitio fiat cum eo, quod confortat locum & solidat particulam, purgetur corpus de superfluitatibus calidis; generetur sanguis humidus modicæ acuitatis (superponantur locis semper emplastra ad corroborandum, ad prohibendum manationem superfluitatis ad ea; & toto studio infrigidetur locus, quoniam hoc regimine prohibitio fiet, quo non corrumpatur os, sed remanebit in ipsa dispositione per tempus longum absque ulceratione. Quod si aperis illud cum ferro velociter, non de levi fit glutinatio ipsius, quoniam os aptum est ad corruptionem, & jam corrupta est pars ipsius, & hæc non glutinabitur, nisi extrahatur os & totum id, quod fuerat corruptum, ex corruptione ipsius ossis, vel alterius, difficilis erit sanatio ipsius. Quando igitur est extrahendum os noli dimittere, quod non custodiatur de corruptione ossis alterius cum rebus confortativis infrigidativis & prohibitivis.

Hæc ille, quibus nulla cum ambiguitate propositis, constitutum ab ipso vides, ad primùm hujus vitii coalitum frigidis & repellentibus medicamentis non abstinendum; quam rem tamen non parum à ratione dissentaneam experieris, si perpenderis mecum aliquot contra suadentia capita, quæ sunt; primum quod hujus generis abscessus calidus non apparet, & quod per longum congestum procreatus longissimus item & contumacissimus est affectus, & quod ossi, articulis, periostiæ membranę nerveisque particulis incumbit. Quæ quidem adstruxi negans referendum ad calidos, abscessum: cæterùm eo concesso, quòd humor opifex mali præcalidus sit; neque videtur continuo refrigerandum ad reprimendum natura spectata frigida partis, quę concepit abscessum, atque adeo ad articulos partes alioqui corporis debilissimas minimè tutum est uti repellentibus, ne fortasse pusillus eorum calor juguletur, quę causa fuit tanti apud Gabrielem Falloppium, ut l. de tumor. generalem hanc normam atque exceptionem posuerit inter decem leges repulsum interdicentes. Quæ dixi jam ostendens incommodum repellentium usum in hisce tumoribus: cæterùm enim citra comprehensæ noxę testationem, neque etiam succedere quaquam repulsus potest super abscessibus à congestu; in quibus, ut ostendi, cùm alibili materia mista superfluitas per ossis intimos & medicamentis frigidis inaccessos meatus insinuatur, quæ autem ad congestile alimentum aut alimentarium congestum repulsus sit forma? nimirum inscita, nisi prorsus hallucinor, & inanis. Itaque jam nulla contra Pędarthrocaces initia repulsus vi constante; reliquum est; ut ad inanitionem per intrinsecus avertentes, perque resorbentes extrinsecus alias à nobis memoratas medelas confugium sit solum. Taceo quod affectus proprium est, corrupti habitus homines lacessere, itemque corruptus est humor, qui externas sub hoc abscessu partes coinquinat: quæ fuse nos in superioribus libri sermonibus demonstravimus singula. Jam autem quid de Raze statuemus? profecto nihil præterquam, quod honestum simul & scite prolatum sit; quapropter objecta ego sic brevi judico depellenda, & quod sublato prius cacochymiæ fomento, & quòd cum roborantibus mista materia frigida leviter utendum censuerit eo consilio, ut à nimio succorum acrium atque effervescentium incursu tueretur obnoxiam magno malo particulam: cæterùm neque perfectam & absolutam Pędarthrocaces nostræ notitiam huic homini fuisse credi fas est, quando neque Avicen. cognitam admodum ejusdem abscessus ideam nobis ostendentibus approbasti.

Hic rursùs adjiciemus Spinæ Ventosæ Curationem à Clariss. Antoniô Nuck in Experimentis suis Chirurgicis accuratè quamvis compendio, enarratam. Et quæ hæc est.

Quandoque Ossa cariei quadam specie consumuntur, quę principio non percipitur: Quod malum ab interiori ossium superficie originem ducens, gravissimorum symptomatum causa non existit, nisi prius ad externam ossium supeficiem serpserit, eamque perforando, membranam, periostium dictam, læserit. Hinc dolores lancinantes cum tumore molliusculo & concolori patienti obveniunt, febres & ulcera fistulosa accedunt, emaciatur patiens, & cartilaginea excrescentia partem affectam subinde occupat.

Affectus hic, *Spina ventosa* dictus, omnem quamvis medicamentorum vim sæpius eludat, nonnunquam tamen Antivenereis vulgò vocatis auscultat, quibus crassæ viscidæque particulæ inciduntur, aut per sudores expelluntur, acidæque corrosivæ infringuntur & involvuntur. Salivantia præterea dicta, suum quoque hîc conferunt symbolum.

Factâ tumoris incisione, sunt, qui corruptionem corrigere cupientes, *Euphorbium* cum *Spiritu Vitrioli* & *Sp. Vini* admovent. Sed præstabit *Terebinthina* coctione indurata, in pulverem redacta, & *Unguento Ægyptiaco* mixta.

Sequens Fomentatio magnarum quoque est virium: ℞. *Ras. Lign. Guajac.* ℥iiß. *Cortic. ejusd.* ℥j. *Herb. Card. Bened. Absinth. aa. Mj. Scord. Centaur. min. Rut. aa. Mß. Coq. s. a. ex Aq. & Vin. aa q. s. Colat.* ℥xx. *add. Aq. Theriac.* ℥ij. *Mell. Rosat.* ℥j. *M. F. Fomentum.* Plumaceolis, petiisque madidis calidè applicandum.

Si hisce, uti frequenter contingit, nihil proficimus, ad Ferrum Ignemve perveniendum. Primò itaque *Scalprum* in usum vocandum, potissimum si Spina non admodum magna fuerit, quocùm tamdiu continuandum, donec omne vitiosum separatum fuerit. Si verò malum profundius hæret, *Terebraque* applicari potest, eâ meliùs quàm Scalpro tollitur. Quo sublato, pulveres exsiccantes & Callum generantes appellati, facto foramini inspergendi. Ubi autem dicta instrumenta propter loci angustiam applicari nequeunt, *Cannula* admovenda, per eamque *Ferro Candenti* pars affecta urenda; retracto dein Cauterio, per eandem Cannulam Medicamenta pręscripta applicanda.

Quod si nec hoc modo malum superemus, sed hisce non obstantibus quotidie ulterius serpat, pars affecta rescindenda, ejusque exstirpatio necessariò instituenda erit. Quibus autem cautelis & circumstantiis eadem peragatur alibi dicetur.

Observationes, super variis ossium morbis,

Ossa propter caussas externas denudata, non semper alterari, cariemque contrahere, exemplis demonstratur.

Ossis cariem unam ex præcipuis esse caussis, quæ vulnerum & ulcerum consolidationem impediunt, etiam mediocriter in Chirurgicis exercitatis notissimum est. Corrumpuntur autem ossa aut à caussis externis aut internis. À causa externa, quotiescunq; in vulneribus profundis & magnis os à carne & periostio suo denudatum est: tunc enim ratione aëris ambientis corrumpitur: Si enim calidior quàm pro temperamento ossis convenit, fuerit, vitalem spiritum ossis,

sis, humidumque innatum absumit, fitque aridum & cariosum. Ita etiam si nimis frigidus fuerit aër, emoritur superficies ossis, propterea quòd humidum radicale ratione frigoris veluti gelatum, & ad caloris pabulum ineptum factum sit. Corrumpitur quoque, si oleosa, putrefacientia, & acria medicamenta applicata fuerint.

Interna caussa est, cum acris humor circa aliquam partem ossis collectus fuerit, ossaque eroserit: quemadmodum accidere videmus in abscessibus putridis, præcipue ex lue venerea, & variolis ortis. Verùm de hac caussa aliàs, nunc de externa solummodò agere constitui.

Cæterùm nonnullos, & quidem non vulgares vidi Medicos atque Chirurgos, qui in hac fuerunt opinione, ossibus etiam in recentibus vulneribus denudatis non posse adnasci carnem, nisi ipsorum superficies naturæ & medicamentorum beneficio in squamam abierit. Quapropter quamprimum ipsis vulnus cum osse denudato occurrebat, illud per dies aliquot ad cruorem usque scalpris abradebant, aut acria medicamenta, veluti oleum sulphuris, vitrioli, aquam fortem, & similia applicabant, ac proinde ex simplici vulnere non raro ulcus malignum efficiebant. Oleum enim vitrioli, sulphuris, & aqua fortis propter ipsorum ingentem calorem, acredinem, ac vim causticam, humidum innatum ossis absumunt, idque non superficietenus tantùm (mirum in modum enim penetrant ad vicinas partes) verumetiam profundè, quemadmodum videmus in dentibus cariosis. Si enim horum medicamentorum aliquod denti carioso impositum fuerit, remittit quidem dolor ad tempus, interim tamen caries non castigatur, sed dens ad sui usque radicem brevi omninò eroditur. Etsi autem aër adversissimus sit ossibus denudatis, attamen ut ab ipso alterentur & corrumpantur, non semper sequitur, præsertim si Chirurgus diligentem curam circa vulnus adhibuerit, nec quicquam acre applicuerit, idque etsi multis exemplis demonstrare possem, unum tamen aut alterum, ne nimis tædiosa sit lectio saltem addere constitui.

Exemplum I.

Anno 1582. ego adhuc juvenis, cùm apud præstantissimum atque excellentissimum virum Dom. Cosmam Slotanum, Chirurgiæ studio operam darem, & ab ipso in pagum Langenberg in Marchia ad ægros quosdam curandos missus essem, incidit mihi in manus quinquagenarius quidam, cui cutis simul & pericranium ictu baculi lignei à toto ferè bregmate sinistro abstractum, separatumque fuit, absque ulla tamen concussione cerebri, aut fractione cranii.

Curationem sic institui. Primò albumen ovi, pulveri rosarum mixtum, ad sanguinis fluxum cohibendum vulneri imposui, cutemque carnosam, quæ ad aurem ferè usque dependebat, quantùm fieri potuit, in altum reduxi. Alvum quæ adstricta, eodem die Suppositorio subduxi & venam in brachio sinistro incidi, Altera die sequens lenitivum exhibui.

℞. Foliorum & florum betonicæ fol. agrimoniæ, veronicæ, scabiosæ an. M. ß. fol. senæ. sem. anisi an. ℥ ii. Coquantur in aqua ut colatura redeat, ad ℥ iij. in quibus dissolve electuarii de succo rosar. Mes. ℨ ij. syrupi rosarum solutivi simplici ℥ j. Misce, fiat potio.

Quotiescunque autem curabam vulnus, ne os ab injuria aëris ambientis læderetur, famulum constitui, qui sartaginem prunis impletam è regione vulneris tenebat. Os detectum diligenter filamentis siccis obtegi, labiis verò vulneris, ad decimumquartum ferè diem sequens digestivum imposui.

℞. Ceræ novæ, colophoniæ, gummi elemi an. ℥ j. terebinth. ℥ vi. ol. rosarum & de vitellis ovorum an. quantum satis, Dissolvantur omnia simul & percolentur, admisceanturque croci ℨß. vitellum ovi numero unum.

Prospiciendum autem, ne unguentum hoc nimis sit liquidum, neve ad os perfluat, quapropter filamentis illud parcè, & labiis solummodo applicui, quod reliquum erat vulneris filamentis siccis ac mundis implevi, omniaque emplastro Basilicone obtegi, totumque caput oleo rosaceo inunxi. Hoc modò cùm per dies aliquot vulnus quotidie curassem, tandem undique in ipso cranio denudato maculæ rubræ, veluti si illud sanguine conspersum fuisset, apparebant. Hæ cùm in singulas horas accrevissent, brevi in substantiam carneam abierunt, quamvis spongiosam: quæ intra paucos dies cranium denudatum undique obtegit. Tum sequentem pulverem inspersi.

℞. Florum betonicæ, salviæ, rosarum an. ℈j. ß. Rad. iridis florent. cariophyllatæ, ligni sassafras, masticis, thuris ana ℈ ij. croci ℈ j. Misce, fiat pulvis tenuissimus.

Tandem quoque emplastrum de betonica applicui. Sic intra mensem curatum fuit ingens hocce vulnus, sine ossis deperditione. Filamenta autem, quibus utor in vulneribus capitis, sequenti modo præparare consuevi. Accipio telam contritam, & ad filamenta paranda aptam, eamque sequentibus aquis imbuo, iterum in umbra exsicco, idque ter aut quater repeto, tandemque ex tela illa filamenta conficio.

℞. Aquæ betonicæ, salviæ, lavendulæ, rosar. odorifer. ana ℥j. cinnamomi, ligni sassafras, stytacis calamitæ, benzoini ana ℨij. Pulverisentur, & cum prædictis aquis commisceantur ad usum.

Exemplum II.

Anno 1616. Dn. Johan. Rudolphi Huieri, Reipublicæ Bernensis Consiliarii, & Tribuni plebis prudentissimi filiolus, Nicolaus nomine, trium circiter annorum ætatis, cùm ex alto cecidisset, & panniculum carnosum inter suturam coronalem, & frontem, versus sinistram partem à cranio separasset, craniumque ad latitudinem palmæ ferè denudatum fuisset, præcedente methodo vulnus feliciter sanavi, absque ulla ossis deperditione.

Exemplum III.

Anno 1600. puella quædam octodecim mensium ætatis, Lausannæ in torrentem cùm cecidisset, & capite in unam & alteram partem contra rupes projecta fuisset, tanta sequuta est capitis contusio, ut propter puris copiam, panniculum musculosum circa bregma sinistrum tribus in locis incidere coactus essem. Incisa cute, cranium non solùm denudatum, verùm etiam depressum, non tamen confractum reperi. Puerorum enim crania nonnunquam absque ulla fractura deprimuntur. Sic autem processi præter universalia bis in die caput sequenti linimento inunxi:

℞. Ol. rosac. myrtillorum an. ℥ ij. chamomil. amygdalarum dulcium an. ℥ j. gummi elemi ℥j.

Misceantur lentissimo igne usque dum gummi elemi dissolutum fuerit, tum per linteum colentur, reserventurque in ampulla vitrea ad usum. Cranio filamenta sicca præscripto modo præparatata, labiis verò vulneris præscriptum digestivum, totique capiti sequens cataplasma calidè applicui.

℞. Farinæ fabarum, hordei an. ℥ iij. pulv. florum

&

& folior. betonicæ, salviæ, rosarum, myrtillorum, stœchad. an. ℨj. sapæ ℥ii. Coquantur in vino rubro ad formam cataplasmatis, adde sub finem pulv. radicum caryophyllatæ, calami aromatici an. ℨ ii. croci ℈j. vitellos ovorum num. tres. Misce, fiat cataplasma: applicetur calidè.

Ab initio autem, & quidem spacio quindecim dierum, cùm pus copiosè efflueret, jussi, ut mater singulis, ut ita dicam, momentis, digitis os naresque clauderet: idque in hunc finem, ut retentis spiritibus cerebrum inflaretur, impressionemque cranii in situm naturalem reduceret. Elapso decimo quinto, loco prædicti digestivi, sequens unguentum vulneribus imposui.

℞. Pulv. radicum angelicæ, caryophyllatæ, iridis florent. aristolochiæ rotundæ an. ℥j. cinnamomi electi & ligni sassafras an. ℈ij. extracti betonicæ & salviæ an. ℨ ij. croci ℈j.

Cum melle rosato quantùm satis, fiat unguentum. Post usum cataplasmatis emplastrum de betonica applicui. Præscriptis adhibitis remediis, impressum cranium non tantùm in naturalem situm rediit, verum etiam vulnera brevi coaluerunt, neque squamæ ullæ ossis exciderunt: & in integrum ita restituta fuit puella, ut ad annum 1613. (quo anno peste obiit) vixerit.

Exemplum IV.

Puellæ cuidam Bernensi, filiæ Dn. Jonæ Weis, simile vulnus contusum cum cranii denudatione, simili methodo, similibusque remediis feliciter curavi; sine ossis deperditione.

Exemplum V.

Crura squamvis excrementitios humores ex toto corpore facilè recipiant. idem tamen & circa tibiarum & crurum vulnera observavi, uti sequens historia fidem facit. Rusticus quidam Montagni in ditione Reipublicæ Freiburgensis Helvetiorum, vulnus maximum ex maxima contusione in sinistram tibiam recepit. Paterniacum cùm mihi adductus esset, os multùm denudatum inveni. Dolor (vulnus enim ab initio neglexerat) maximus, inflammatio, intumefactio totius cruris aderant. Convenientibus adhibitis remediis, in integrum restitutus fuit, absque ulla ossis deperditione.

Exemplum VI.

Anno 1615. quidam ex domesticis Illustris Viri Dn. Castilionei, Serenissimi Regis Galliæ Consiliarii prudentissimi, & apud Helvetios Legati vigilantissimi, Bartholomæus nomine, juvenis viginti annorum ætatis & robustus, cùm ictu securis vulnus in dextrum crus accepisset; focileque majus usque ad medullam ferè fissum, & mihi curandus commissus fuisset, restricto sanguine, corpus eodem die electuario de succo rosarum, nec non syrupo rosato solutivo, cum aquâ cichorei dissoluto, expurgavi: altero die venam in brachio dextro incidi: in superficie vulneris digestivum, quale ante descripsi, ossi verò filamenta sicca imposui, totum crus ad coxam usque oleo rosaceo inunxi, & sequens cataplasma applicui.

℞. Farinæ hordei ℥ vi. pulv. rosar. rubear. myrtillorum an. ℨj. boli albi ℨij.

Cum aceto rosaceo & aqua, fiat cataplasma, sub finem adde albumen simul & vitellum unius ovi: Misceantur, fiatque cataplasma. Processum illum ante decimum quartum non mutavi. Deinde quę cicatricem inducunt applicui. Hisce remediis in integrum restitutus fuit, nullo superveniente symptomate. Partem autem illam ossis, quæ ad medullam usque ferè separata, & in altum elevata erat, fasciis, laminisque plumbeis paulatim clementerque depressi, ita ut mediante callo iterum annexa fuerit, & ne festuca quidem ossis exciderit. *Gulielmus Fabricius Hildanus Observ. Chirurg. Cent.* 4.

Ossa propter caussas internas denudata, non semper squamam abjicere, exemplis demonstratur.

Ex caussis quoque internis ossa plerumque cariem contrahunt, præcipue si humor aliquis acris aut putridus diutius in aliquam partem corporis defluxerit, & abscessum procreaverit. Ossa enim etiamsi omnium partium corporis sint durissima, attamen successu temporis ab ejusmodi humoribus defluentibus corrumpuntur, quemadmodum cadentes guttas pertundere saxa videmus. Quapropter rectè Hippocrates scriptum reliquit: Ulcera quæcunque annua sunt, quæque per annum integrum durant, aut etiam diuturniora, in iis os abscedere est necessarium. Nam cùm hæc ipsa sint maligna, necesse ut non tantùm caro ipsa, verumetiam os corrumpatur, & abscedat. In lue venerea, item in variolis, aliisque abscessibus putridis sæpissimè id observatur. Quotiescunque autem ossa ex hujusmodi caussis denudantur, ut plurimùm corrumpuntur, antequam caro & cutis ipsa (uti non rarò mihi observare contigit) exulcerantur: nec coalescit vulnus, nisi caries ossis prius ablata fuerit. Id autem commode fiet, si labia ulceris spongiis præparatis aperta retineantur, & pulvis euphorbii quotidie inspergatur: vix enim quicquam præstantius ad cariem ossis auferendam occurrit euphorbio, quemadmodum observ. 92. Centuriæ 1. observationum mearum fusiùs declaravimus. Est enim calidum usque in quartum gradum: quapropter humores ossi imbutos exsiccat, neq; ad partes sanas penetrat, uti faciunt oleum vitrioli & aqua fortis, quemadmodum in præcedente observatione annotavimus. Hac methodo aliquando cariem ossis emendavi, ubi nulla excidit squama. Euphorbium enim paulatim, cùm insigniter exsiccando, tum etiam à quadam proprietate occulta, ossa corrigit, & quicquid cariosi cum pure effluit. Hujus rei exemplum mihi Anno 1600. in puella duorum circiter annorum ætatis, & filia Dn. Petri Sylvii Viviacensis, ad lacum Lemannum videre contigit. Huic puellæ enim cùm post variolas abscessus ingens circa cubitum sinistrum supervenisset, Lausannam mihi adducta fuit, Aperta vomica, os denudatum & cariosum repertum fuit. Ex una porro parte ulceris, ubi profunda erat caries, naturæ atque euphorbii beneficio squama decidit; reliquam verò cariem natura sensim, & quidem insensibiliter correxit, ita ut plenissimè convaluerit ægra, neque ad hunc usque annum 1614. quo hæc scribo, ullum incommodum hac de re persenserit.

Eodem anno cùm Dom. Joachimi Rohauld, pharmacopolæ Lausannensis filia, duorum annorum ætatis ulcus ex variolis contraxisset; mihique adducta fuisset, os denudatum & cariosum reperi. Præscriptis adhibitis medicamentis, ulcus absque ulla manifesta ossis separatione sanatum fuit. Manifesta, inquam, quandoquidem fieri non potest, ut os cariosum carne laudabili obtegatur; & ulcus cicatrice obducatur, nisi prius ablata carie. Sensim itaque, naturæ & medicamentorum beneficio, quicquid cariosum, separatur, & veluti pulverulentum quid cum pure effluit. Hæc in gratiam tyronum adscribere visum est, ne ægros cauteriis actualibus, scalpris, aut medicamentis erodentibus facilè excrucient. *Idem ibidem.*

In magnis offium comminutionibus atque contritionibus, etiam post multos annos fragmenta offium prorumpere, exemplo demonftratur.

Strenuus quidam & generofo animo præditus miles, Petrus Gautier nomine, cùm ante annos 20. in Galliis exercitum duceret, in obfidiones & aggreffu oppidi cujufdam, ictum fclopeti recepit. Globulus autem in ipfa regione hepatis, & quidem ad latus mufculi recti, latitudine circiter digitorum fex fupra umbilicum intraverat, & trajecto mufculo obliquo, fimul & tranfverfo abdominis (illæfis tamen vifceribus internis) fuperficiem offis ilei prope os facrum perforavit, ibidemque ad ipfam cutem remanfit. Altera tamen die levi à Chirurgo facta incifione cutis, extractus fuit. Ab initio, etfi graviffima fupervenirent fymptomata nonnulla, vulnus tamen è regione hepatis exiftens, brevi confolidatum fuit, neque ab eo tempore ullum incommodum ægro attulit. Alterum verò ulcus in ipfa fuperficie offis ilei, etfi Chirurgus illud ab initio & methodice, & eâ quâ fieri potuit, diligentiâ curaffet & officula nonnulla comminuta ex ipfo extraxiffet, tandemque quoque ad cicatricem perduxiffet, poft annos tamen circiter duos, cùm æger febre, maximifque rigoribus & bubone in inguine correptus fuiffet, iterum dolor ingens inflammatio infignis, atque intumefactio, in loco prioris vulneris circa fuperficiem offis ilei exorta eft. Advocatus Chirurgus, illam adhibuit diligentiam, ut tumor ille paulò ad fuppurationem pervenerit: quo rupto, multùm puris inde effluxit; officula quoque nonnulla, quæ fefe ultro offerebant, à Chirurgo abfque ulla violentia extracta fuere: ac brevi iterum confolidato vulnere, æger convaluit. Ab eo tempore, etfi aliquoties iifdem fymptomatibus corriperetur æger, & diverforum, & quidem in artis operibus exercitatiffimorum Medicorum atque Chirurgorum curis fefe fubmitteret, hactenus tamen nullus, ut ferrum & ignis adhiberetur, imò ne Grifonius quidem, excellentiffimus atque exercitatiffimus ille Chirurgus fuafit. Ante menfem, poftquam ulcus denuò plufquàm per annum integrum claufum fuiffet, ac eifdem fymptomatibus corriperetur æger, tandemque apertum fuiffet ulcus, nec non multùm puris effluxiffet, Bellicium fe contulit, meque in confilium adhibuit. Tum immiffo ftylo exploratorio, fragmentum offis in imo vulneris ftatim inveni. Quaproprer fuafi, ut adhibitis univerfalibus, ulcus clementer & abfque dolore dilataretur, donec offa confracta, & quidem illa imprimis, quæ ftylo inveniebantur, extrahi poffent. Quid verò facturus fit, & an confilio meo in pofterum obtemperaturus, nefcio: ego enim propter feftinationem, curationem ifto in loco, à familia mea remoto; fufcipere non potui. Deinde etiamfi prædicta fymptomata per intervalla, & ut plurimum de fecundo in fecundum annum recurrant, malumque iterum recrudefcat, & officula ejiciantur, quia tamen non ufque adeò malum hoc ipfi moleftum eft, & ulcus iterum facilè coalefcit, non magnopere hac de re folicitus eft æger. Eft præterea vir robuftiffimus, & optimo corporis habitu præditus morbifque parum obnoxius. *Idem ibidem.*

De ufu corticum arborum, loco ferularum in fracturis offium, & incommodis inde fubfequutis.

Cortices arborum in fracturis offium loco ferularum in ufum quoque receptas effe, fciunt Practici. Ego verò eas, ob cauffas, quas mox annectam, plane improbo.

Anno 1587. Nobilis quidam Chamveriacenfis, *Glaude de Combe* nomine, ex Germania rediens, prope Laufannam ex ictu equi fracturam tibiæ cum vulnere contraxit. Ego accerfitus fracturam repofui, ægrumque in lectica ad urbem conduxi: ubi cùm in diverforio ad crucem albam, per dies aliquot permanfiffet, ut ipfum Chameriacum in Sabaudiam ad ædes fuas conducerem, petiit. Porro in via tranfeundo Romiliacum Sabaudiæ oppidum, Empiricus quidam (quem in offium fracturis, & dislocationibus reponendis, ad cœlum ufque extollebat vulgus) ægro adductus fuit. Præcedenti autem die propter maximum æftum, erat enim fub finem menfis Augufti, fuafu, ne dicam juffu ægri, loco ferularum cortices recentes falicis applicueram. Solutis itaque fafciis, præfente Empirico, impreffio quædam in parte mufculofa haud longè à poplite confpecta fuit: qua vifa, arrogans ille Empiricus (me ob juvenilem ætatem in hac parte Chirurgiæ imperitum & inexpertum judicans) offa illa confracta non fatis accuratè à me repofita fuiffe, inde colligit: ac ægro perfuadere cœpit, ut de novo tibia extenderetur, offaque confracta, & fuis locis remota in fitum naturalem reponerentur. Ego, etiamfi fracturam planiffimè reftitutam effe, neque in eo loco, in quo Empiricus fracturam fibi imaginabatur, unquam os malè affectum fuiffe, fed impreffionem illam atque foveam ratione corticum accidiffe, fatis fcirem: attamen quia de honore atque exiftimatione mea agebatur, fupra modum fui anxius. Tandem ægrum & adftantes, ut negotium in fequentem diem differrent, admonui, hifce adductus rationibus: primò quia æger defatigatus, deinde quoque, quia operationes nunquam vefpertino tempore, nifi maxima urgente neceffitate adminiftrandæ. Opinioni meæ cùm clariffimus, ac longè doctiffimus Vir Domin. Claudinus à Veneto, I. U. Doctor, Judex ordinarius Epifcopatus Mauriacenfis, & Advocatus in fupremo Senatu Sabaudiæ, ægri Gener (qui eadem die Chamberiaco foccero fuo obviam venerat) fubfcripfiffet, & ut operatio in fequentem diem produceretur, æger confenfiffet, protinus totum crus, & ipfum femur oleo rofaceo & myrtillorum inunxi: ut autem eò melius penetrarent, atque influxos humores repellerent, oleo guttulam unam aut alteram aceti rofacei adjunxi. Inuncto crure, illud à pede ufque ad genu fafcia, fequenti decocto madefacta, involvi, mediocriterque conftrinxi, idque in eum finem, ut humorem influxum, idibemque veluti congeftum, exprimerem.

℞. Folior. & radic. plantaginis majoris, fummitatum rubi, rofarum, myrtillorum, foliorum falicis, prunorum fylveftr. ana M. j. abfinthii, rofmarini, Salviæ an. M. ß.

Coquantur in aqua ad confumptionem tertiæ partis: Colaturæ adde parum aceti. Poftea ferulas meas ftupis involutas fracturæ iterum circumpofui, & mediocriter conftrinxi, tibiamque in capfulam, quâ in via ufus fuerat æger collocavi. Lectum ità fternere juffi, ut crus male affectum natibus nonnihil altiùs jaceret, & influxi humores furfum refluere poffent. Illa nocte optime quievit, nec ullus adfuit dolor. Altera die folutis fafciis, nulla inæqualitas, nullaque depreffio, aut fovea reperta, infcitia nec non arrogantia, aut potius impudentia, hujus empirici detecta fuit. Quapropter deinceps nobilis æger pleniffimam fiduciam in me habuit. Conduxi ipfum Chamberiacum, ibique per duos menfes apud ipfum moram traxi, curationemque divino favore feliciter abfolvi. Ab eo tempore cortices arborum, imprimis recentes, loco ferularum nunquam applicare volui. Hæc, quia in fuperioribus obfervationibus de fracturis offium egimus, in gratiam tyronum adfcribere

bere volui, eósque adhortor ut hac in re caute & circumspecte agant: Cortices enim cùm exsiccantur, circa fracturam contrahuntur, doloresque excitant, ossaque nonnunquam suo loco iterum removent. *Idem ibidem.*

Usus emplastri oxycrocei in fracturis ossium non semper tutus.

Vulgus Chirurgorum in fracturis absque distinctione, statim ab initio, aut post paucos dies, emplastrum oxycroceum fracturæ applicare solet: idque non sine ingenti periculo fieri posse, multis quidem demonstrare possem exemplis, sed hoc unicum sufficiet.

Adolescentem viginti quatuor annorum, robustum & biliosum cognovi, qui tibiâ fractâ, in manus barbitonsoris (cujus nomini parco) incidit. Repositâ fracturâ, primo apparatu emplastrum ex bolo armeno, farina hordei, & albumine ovi applicuit. Tertio post die cùm deligasset tibiam, & fracturam suo loco repositam inveniret, emplastrum oxycroceum admovit. Eodem die exortus est pruritus, qui paulatim transiit in dolorem vehementem. Post dies aliquot ego vocatus, tibiam inflammatam, & pustulis lividis refertam, & ut paucis dicam, gangrænâ infectam reperi: undique scarificata cutis, & remediis, quæ ad gangrænæ curationem faciunt, applicatis, cessavir gangræna. Postea fracturam suis quoque remediis propriis & aptis,divino favore persanavimus.Hinc perspicuum fit, usum hujus emplastri periculosum esse in fracturis, præcipuè autem ab initio fracturarum & dislocationum: est & eò periculosius emplastrum istud, quantùm subjectum, hoc est, corpus ægri biliosius, calidius, aut pravis humoribus refertum fuerit. Sunt enim ingredientia hujus emplastri fere omnia calida. Hinc partem affectam calefacit, sanguinemque & humores attrahit, qui; quod circa initia fracturarum ac dislocationum in motu sint, & ratione doloris & solutionis continuitatis, libentius atque facilius affluunt. Mirum itaque nemini videri debet, Vigonem libro octavo capite vigesimosexto. Emplastrum hocce Oxycroceum diabolicum appellasse. Ego, ut ingenue fatear, rarissime eo utor, nisi forsan in fine morbi pro corroboratione partis affectæ, aut ad duritiem aliquam dissolvendam. Usus autem cerati Vigonis ad fracturas ossium (cujus descriptionem vide libro & capite præallegato) mihi summopere probatur. Neque infimum locum hac in parte obtinet emplastrum Slotani, Præceptoris mei honorandi, cui ego pulveres aliquos convenientes addere solitus sum, ut

℞. Emplastri Slotani ℥ iv. pulveris radicum symphyti majoris, rosarum rubearum, myrtillorum an. ʒij; lapidis osteocollæ præparati ʒ vi.

Misceantur lentissimo igne cum modico olei rosacei, fiatque emplastrum. *Idem ibidem.*

De Strepitu Ossium.

Puella novendecim aut viginti circiter annorum alias boni habitus quotiescunque ambulabat, aut pedes movebat, ab adstantibus & vicinis Ossium circa genua strepitus & fragor quasi nuda eorundem capita inter se attererentur, summa cum admiratione ac stupore audiebatur: hinc quasi in proverbium inter domesticos ac notos abiit, quoties eadem incederet; ecce capra venit. Cæterùm nec ullum dolorem, morbum, aut aliud symptoma patiebatur, corpore toto bene conformato, ac sano; actionibusque omnibus integris existentibus.

Scholion.) Crepitus Ossium huic non multùm absimilis in morbo Scorbutico ab aliis (quod sciam) non observari meminit Thom. Willis patholog. Cerebri fol. 318. dum inquit: Novi quosdam, vix tamen ultra tres aut quatuor, qui Scorbuto dudum laborantes, noxam ejus non tantùm in humoribus & partibus carneis, sed in ipsis demum ossibus luerunt: quoties enim membrum quodvis ullo modo flecterent, ossium capita, quasi nuda essent, inter se attrita strepitum ingentem edebant, porrò cùm lecto decumberent, ibidemque è latere in latus se devolverent, à vertebrarum collisione, tanquam à Sceleto asperiùs tractato, crepitus ingens, vel ipsos affectos perterrefaciens exaudiebatur. De causis verò ratioris hujus Symptomatis ita discurrit.

Hujus causa conjuncta forsan videatur esse, quod molli ossium interstitio, scilicet adipe, membranis & ligamentis valdè absumptis ipsorum juncturæ, velut lapides molares prorsùs inaniti, propter mutuum attritum, resonarent: at tamen rem secus habere constat, quia nec summè tabidis adest ossium crepitus, neque hoc affectu laborantes semper intabescunt: quare potiùs dicendum erit, quod Symptomatis hujus causa immediata sit ossium ariditas, sive medullæ ita propriè dictæ, quam intra ossium cavitates, ac imprimis capita ipsorum, contineri oportuit, defectus: nam siquidem ossa quævis medullam, sive humorem unctuosum, aut cavitatibus magnis, aut poris & meatibus exiguis ubique excusis, includunt, hujus usum statuimus, tùm ut ossa eâdem irrigata, minùs fragilia evadant, tùm insuper, ut humor iste, ossium nodis exudans, articulos quosvis velut machinæ commissuras pinguedine linitas, lubricet, eorumque adeò motus facilitet; quare ossium capita, hac medulla destituta, crepant, non secus ac currus rotæ, rariùs inunctæ.

Quod si de morbi hujus causa procatarctica inquiratur, quamobrem scilicet unctuosum illud articulorum oblinimentum deficit: hoc equidem vel sanguinis vitio imputandum erit, quasi hic, alimentum Sulphuris æque ac Salis, particeps ossibus haud ritè suppeditat; quod equidem minùs verisimile est, quoniam massa sanguinea, etiam in Scorbuticis particulas utriusque generis prædicti continet; quin & ossium crepitu laborantes cutim, & musculos pinguedine satis oblitos ostendunt; vel secundo potius videtur, humorem unctuosum quo articuli lubricentur, ipsorum ossium culpâ desiderari, quia scilicet horum pori & meatus à materia quadam extranea, forsan limosa, aut tartarea per sanguinem advecta, in tantùm obstruuntur, propterea ut balsamum iis destinatum non satis excipiant, nec pro humectandis ipsorum commissuris exudent; non facilè erit (quia res tota in abstruso latet) particulares hujus affectus rationes investigare. *Hucusque Willis.*

Puellam hanc nostram scorbutica passione affectam fuisse, nulla adsunt indicia, præsertim cùm floridi fuerit corporis habitus, de nulloque morbo aut actionum læsione conquesta; alia itaque sine dubio hîc latuit causa quæ ariditatem illam ossium, mucosique eorundem oblinimenti absumptionem, unde ossium strepitus, induxerat. Forsan inde contigit, quod absumpto uberiùs in reliquarum corporis partium nutritionem alimentari nervorum succo, mucosum hoc defecerit oblinimentum. *Dom. Georg. Sebastian. Jungii.*

Strepitus Ossium.

Stridorem dentium hactenus observarunt Medici; de

de stridore verò, strepituque ossium, sive articulorum apud neminem, præter ea, quæ Excellentiss. Dn. Jungius Ephemer. German. Ann. III. observat. 275. pag. 488. & Willis de Scorbuto capite nono p. m. 118. annotarunt, quicquam me legisse memini. Ego stridorem omnium ossium observavi in quodam Doctore Juris Heidelbergense, 38. præter propter annorum, temperamenti, ut videbatur, ad melancholiam vergentis, qui sanitatis ergo decrepita ætate acidulis Swalbacensibus utebatur, in auxilium vocato Medico famigeratissimo Domino Geilfusio, diversorum Principum Archiatro.

Labitur mensis, quo hîc Neohanoviæ sutoris visitabam uxorem hypochondriacam, per dies vitæ sterilem 30. annorum, temperamenti summè melancholici, quæ inter alia de magno cranii crepitu, nec non dolore sæpiùs obveniente maximè conquerebatur, quem strepitum quoque paulisper adstans, auribus meis percepi. Crepat enim non aliter, ac si parvam inflatam rumpas vesicam magno cum conatu. Sæpius hunc strepitum noctu ipsi accumbens maritus audivisse, mihi juravit. Num ossa cranii, ubi sunt suturæ, unctuoso balsamo ex mente Willisii l. c. destituta à vaporibus flatibusque intra cranium collectis (valde enim est vertiginosa) commoveantur, sicque crepitum excitent? Sive num intra cranium aliquid rumpatur? meretur meditationem. *D. Joh. Dolæi.*

De Abscessu Ossium.

Abscessum Ossium bis vidi, primum ante duos annos in articulo primo pollicis virginis cujusdam honestæ, Soror quæ Diaconi hujus loci erat, osse prorsùs resoluto, in minima frustula confracto, & per duodecim particulas abscedente. Particulæ ossis erosæ erant omninò & quasi calcinatæ, ut solo digito in subtilem pulverem teri possent. Originem ducebat malum ex aciculæ punctura neglecta, & si rectè judico à barbitonsore non bene tractata. Alterum abscessum vidi in rustico, qui spinam inter carnem & unguem indicis digiti sinistri manus intulerat: huic prima indicis junctura per minutissima frustula prodiebat, ossa itidem erant friabilia: an spina ut & acus venenata fuerint, dicere non possum. Cæterùm ossa in Lue venerea cariosa fieri & fragilia rarum non est; Legi in Manuscripto Marquardi Slegelii; raræ curiositatis & magnæ experientiæ viri, ipsum in Musæo suo servare Sceleton cujusdam nobilis meretricis Venetæ ex lue venerea consummatæ, epiglottidem quæ exesam habuerat, atque propterea ex cibo fortè fortuna in tracheam asperam illapso suffocata fuerat. In hac fœtus repertus est masculinus pariter hac labe contaminatus, itidem in Musæo prælaudati viri qui servabatur, ubi Ossa cariosa ob luem gallicam videre licuit. Ipsemet Parisiis notavi, quòd Nobili cuidam Burgundo ex confirmata & inveterata lue venerea ossa tam fragilia essent, ut ad minimum impulsum frangerentur. Servo etiam & hodie radium dextrum brachii cujusdam militis, qui sex vel septem locis exesus & perforatus existit. hoc me Rotomagi Gallorum donavit Chirurgus quidam Castrensis, qui ipsum ex brachio militis lue venerea mortui in Catalaunia extraxerat. *Alardi Hermanni Cummeni.*

Abscessus Ossis.

In ædibus Philippi Hacquart Chirurgi Regii peritissimi, præsentibus Medicis, sectus fuit pes à milite detruncatus, in quo præter alia notavimus per abscessum exesam & absumptam fuisse tibiæ partem, quæ exinde in pede defuit ad quinque digitorum transversorum capacitatem. Eodem abscessu musculi pedis ejusdem, prorsùs glandulosi evaserant, quam metamorphosin satis admirati non potuimus, in diversas conjecturas abrepti. *D. Thom. Bartholini.*

Ossium mollities ceræ instar flexilium.

Stupendam, ac ceræ instar flexilem omnium ossium mollitiem in cive quodam Sedanensi olim observavit Peritissimus Regis Christianissimi Chirurgus Abraham Bauda; qui & ipsius ejusdem civitatis fuit incola, & ægrotantis ægritudinisque hujus oculatus testis. Perquam rarus quidem hicce est morbi casus, sed verissimus. Nam egomet ipse cùm anno 1665. Sedani commorarer, admirandam hujus rei veritatem non solùm à quamplurimis istius loci incolis enarratam, sed & pro singulari, quam postmodum cum modo dicto Chirurgo contraxeram amicitiâ, ab eodem ipso communicatam accepi, manu ipsius propriâ conscriptam subsignatamque, prout eam nunc hîc legendam exhibeo, & quidem ipsissimis sæpe mem orati Baudæ verbis, quæ ita habent;

Microcosmus Mirabilis seu Homo in miserrimum compendium redactus.

„ Monstra in morbis fieri, quis ibit inficias? si „ modò fidem adhibeamus scriptis doctissimi Fabricii „ Hildani, quid monstrosius, quàm quod refert Cent. „ 2. p. 66. & 67. & pag. 244. & seq. de mira ossium „ fragilitate. Attamen ista Observatio, quæ nobis „ apparuit Sedani An. 1650. omnem admirationem „ superat; immo inauditam dicere possumus.

„ Civis Sedanensis nomine Petrus Siga, annos na- „ tus 32. obiit Sedani, postquam per aliquot annos „ detentus fuisset in grabato suo. Anno ætatis suæ „ 24. cœpit affici dolore utcunque tolerabili circa ta- „ los pedum, ita ut cogeretur uti calceis latioribus „ & mollioribus solito. Duobus circiter mensibus „ elapsis dolor versus genua sese extendit, & sic in „ numerum Podagricornm nomen suum dedit coactus- „ que fuit uti fulcris. Tandem dolor irrepsit ad su- „ periorem partem femoris, & sic confirmata fuit opi- „ nio illorum qui in catalogum Arthriticorum illum „ referebant, & pro Podagrico curabant. Anno elap- „ so de impotentia omnium articulorum cum maxi- „ mis doloribus conqueri cepit, ita ut ab eo tem- „ pore usque ad extremam vitæ periodum lecto deten- „ tus fuerit. Et quamdiu ossa illius suam duritiem „ & soliditatem conservarunt, dolores continuò eum „ vexabant. Post trimestre à detentione illius in le- „ cto Ossa ejus inceperunt molliora fieri instar ce- „ ræ, ita ut secundùm appositionem & situm tam „ crurum quàm brachiorum partes illæ servarent fi- „ guram loci. Imò testari possum ego, qui hanc hi- „ storiam refero, me pluries incurvasse illi & crura & „ brachia, sine ullo sensu doloris, modo ad figuram „ majusculæ literæ S. Tandem omnia officula illius adeo „ mollia evaserunt, ut musculi omnes sese contraxerint, „ ita ut homo staturæ justæ & elegantis formæ, in ho- „ munculum redactus staturam infantis duorum, sed „ non trium annorum vix attingeret. Figura capitis „ facta est rotunda instar sphæræ, crus vix æquabat „ longitudinem dimidii pedis aut sex pollicum. Tho- „ rax ad formam thoracis gallinæ sese coegerat. Inte- „ rea temporis utebatur cibo & potu, somno & vigi- „ lia, prout uti solebat in integra sanitate. Omnes „ functiones animi & corporis satis liberas exercebat „ excepto motu. Satis hilari fronte excipiebat om- „ nes advenas, & optimo discursu eos afficiebat, do- „ lores, qui eum diu liberum reliquerant, de „ novo aggressi sunt miserum ultimo mense, quousque

mors

„mors & morbo & ægro finem imposuit. Multi „causam tam portentosi morbi inquirentes scorbuticam saburram accusarunt; alii alias causas, rimati sunt. Ego virus Venereum credo causatum esse hunc morbum, eò magis, quòd certus factus fuerim, ægrum olim ante tredecim annos Gonorrhæâ virulentâ per aliquot hebdomadas laborasse; & procul dubio male curatum fuisse. Quæ omnia vera esse, attestor. Datum Sedani die 12. Octobr. Anno 1665.

Hæc D. Daniel Pruttenius in Miscellan. Curiosis. *Abraham. Bauda Chir. Regius.*

Ossium mollities.

Vidi nuper Abscessum Ossis, in articulo medii digiti Uxoris cujusdam militis, Osse prorsus resoluto & in minima frustula confracto, sicut manifestum fuit post sectionem. Scilicet emollescunt subinde Ossa, ut officio suo fungi non possint. In Brutis hoc efficit Herba Ossifraga dicta. Non rarò internæ causæ Ossa à statu solito deturbant. Medullam gallinæ osseam observavi, in aliis exostosi perpetua deformia ossa. Dn. Thom. Barthol. Epist. Uratisl. missa ad D. Sachsium.

Scholium.) Ossa à solita duritie vel nativa imbecillitate, vel morbo succedente, deflecti jam idem Bartholin. cap. 6. H. 40. pag. 263. notaverat. A nativitate talem observavit Forestus, lib. 17. observat. 15. ubi homo natus cum dextro brachio, à cubito usque ad humerum, non tantùm resoluto, sed omnino osse non coagulato, ut brachium instar lori concideret. Sic mulierem Parisiensem toto corpore flexilem & sine solidis ossibus memoravit Jacob. Hollerius observat. rar. 7. Vidit Excellentiss. Wormius apud Bartholinum l. a. pag. 264. puellam cui pedes, crura, & femora flexibilia, cui cartilagines ossium vices supplebant.

A morbis fit facilius. Testatur Fernel. D. Abdit. Rer. Caus. l. 2. cap. 9. p. 96. se propriis oculis vidisse, quod Ruellius litteris mandaverat, in milite quodam ex morbo ossa crurum, brachiorum & femorum tam mollia & flexibilia evasisse, ut ceræ modo facilè sequerentur, quocunque torquerentur. Fabric. Hildan. Cent. 2. observ. 66. p. 159. in Sexagenario Arthritide pituitosa laborante observavit tantam ossium fragilitatem, ut dum chirotecam in manum affectæ partis levissimo conatu induere vellet, brachii os, & postea quoque os circiter cubitum fractum fuerit. Fœminam, quæ recentem subuculam induens, ossa aliquoties fregit Janus de Burgo recenset apud Fabr. Hildan. centur. 11. observat. 68. à latente aliquo veneno causam deducens; nec non in Soloduriensi ob continuos Catarrhos ossa fragilia facta, exponit idem Hildanus Cent. 5. observat. 89. D. Samuel Costerus Amstelodam. Medicus scribit Nic. Fontano Respons. & curat. Med. Hist. 2. fol. 10. ob ætatem vetulę adeo debilia reddita fuisse ossa, ut vix tactum sustineret, quin tactu levissimo ipsa membra frangerentur, quod Nic. Fontan. p. 12. ob siccitatem factum putat, quia ossa glutine suo & adipe medulloso privata, non aliter ac ossa calcinata facilè frangantur. Admirandam quoque Ossium mollitiem observavit Petrus Asselinæus medicus Gallus, apud Georg. Hier. Welsch. in observ. Medic. Episæg. Observ. 82. pag. 53. quæ curata fuit ab Empirico balneo frigido ex sulphure, vitriolo, alumine & sale gemm. aquâ incoctis. Et simile balneum ad pedes cereos describit Zacutus l. 3. Pr. Adm. Observ. 127. In Elephantiasi sæpe simile ferè Symptoma accedere ex Porphyrio Tyrio describit Petr. à Castro Observat. M. SS. observat. 40. Crateri scilicet, Medico eximio, novum inauditumque morbum accidisse, nimirum carnes & ossa ab invicem discessisse, nec medicamentis ullis, nisi sola comestione viperinæ carnis curari potuisse, tunc enim rursum carnem ossibus hærere cæpisse ac conglutinatam esse. Tandem idem Petrus à Castro observat. M. SS. 51. de membrorum & ossium mollificatione sequentem commemorat historiam. In vico Hiadaya, (limite Galliæ Aquitanicæ) ad Hispanos Cantabros pertinente, puer 8. annorum factus est impotens ad motum & gressus, propter nimiam membrorum mollificationem, ita ut perpetuò sedens maneret, aut bajulatus incederet, neque posset stare, neque ambulare; cum febricula quasi habituali, nec tabescebat tamen; sed molli habitu & valde carnoso. Vocatus morbus iste Arabibus Alcahad & Alzmena, curatur ab Avicenna oleo de Audachoca, (h. e. Loto silvestri Matthiol.) potando ex eo, inungendo cum ipso, & paratur hoc oleum, crasso modo Andrachocam coquendo cum seminibus: ponitur quoque pellis ovina, supra ipsum, liniatur lacte vaccino dulci, conducet Balneum siccum, sudor in furno os. fovea ignita. *Hæc Castro l. a. D. Thom. Bartholini.*

Infans ἀνοςέ@.

Bristoliæ in Anglia monstratus infans qui ossibus artuum plane destitutus, ut brachia & manus, crura pedesque ad nostrum arbitrium chirotecæ instar flecti ac circumvolvi possent, Puetum ἀνοςέον suo tempore vidit Hippocrates. *D. Oligeri Jacobæi.*

Ossium flexibilitas: Item Excrescentia.

De Ossium flexibilitate ac mollitie exempla adducit duo Joh. Rudolph. Camerarius Memorabilium Medicinæ Parte 2. pag. m. 1565. Primum quidem ex Foresto, infantuli sine osse in brachio dextro nati, ita ut hoc brachium instar lori flexile esset, quodque defensivo ex bolo armeno, farina volatili pulvere myrtillor. oleo rosaceo. & albumine ovi concinnato, ac super impositis ferulis ex charta duriore, & superinductis fasciis à cubito ad humerum, intra tres septimanas miraculosè sanatum est. Alterum ex Fernelio, militis in quo crurum, femorum, & brachiorum ossa, ex morbo tam mollia evasere; ut ceræ modo facilè sequerentur quocunque torqueres: quæque balneorum naturalium, sc. aluminosorum, usu, in pristinum vigorem ac robur restituta sunt. Atque hæc verbo memorasse satis.

De Ossea Excrescentia historiam habet apprimè curiosam Clariss. Cornelius Stalpartius Observation. rarior. Medico-Anatomico-Chirurgicar. Cent. 1. quæ, aliàs curari non potuit quàm totius intumescentiæ rasione, ac pulveris catagmatici super-inspersione. Quo etiam pulvere, addit ille, non satis proficiente, ad ignem deveniendum. Et in hoc quicquid prædicta observatio ad praxim spectans habet, continetur; itaque non est quod ulteriùs illi immoremur. At equidem magis è re fuerit paulò fusiùs enarrare quod Clariss. D. Gottofredus Schultzius Miscellaneor. Curiosor. Decembr. 2. Anno 8. adfert de viro juvene, cui ossa radius & cubitus prope carpum utriusque manus, mirâ intumescentiâ affecta fuere, à scabie malè curata. Cujus curam sic aggressus est. Primis viis evacuatis, sanguinem, quia venæ, cùm maximè doleret, insigniter turgebant, misit: & præscripta convenienti diæta, exhibuit varia præcipitantia cinnabarinis mixta, tum etiam tartarea & martialia, in formâ tam sicca, quàm liquida, quæ inter prima facilè erat essentia martis tartarisata nigra; ex marte & tartaro mutua in invicem actione in syrupi formam

offam redactis, conveniente menstruo extracta: Tum quoque essentiam summitatum pini antiscorbuticam; nec non urgentibus doloribus, essentiam anodynam cum succo pomor. Bosdorff. per fermentation. factam. Externè applicuit decoctum ex nervinis & paregoricis, imposuitque emplastrum ex oxycroc. additis gumm. carann. & tacamahac. Tandem per septimanas tres, decocto sudorifero ex lign. sassaf. & sant. citrin. rad. sarsæpar. & chinæ, herbisque nervinis antiscorbuticis quotidie sudorem in laconico prolicuit. Quibus non solùm dolor abactus est, sed & tumor ferè omnis discussus; imò cùm æger post aliquot septimanas, iter satis longum habuisset, omnino vegetus reversus est.

De Osse dextri brachii adjutoriô, motu integrô permanente, ablatô.

Non sine caussa magnus Hippocrates ad Thessalum filium scribens, ossium cognitionem tanti facit, ut etiam difficillimum judicet ossa luxata, fracta, contorta, aliisve modis malè constituta, à Chirurgo restitui curarique posse, cui eorundem structura, atque connexio ex debito, non cognita; hanc autem convenientiùs acquiri non posse nisi ex legitima consideratione eorum quæ in sceleto occurrunt. Similia Galenus variis locis proponit. Necessarium adeoque summoperè, ea quæ ad constructionem ossium, articulationemque faciunt, intimè cognoscere, ne ægrotantes, quemadmodum cum multorum infamia multoties contingere notamus; auxilia carnificum, aliorumque illius conditionis hominum implorare cogantur.

Non lubet errores variorum adducere; legi possunt quæ hac de re variis locis habet Hildanus. Sufficiat exemplum proposuisse, quod anno 1664. occurrit.

Puellula, per tres annos subjecta fuerat curæ circumforaneæ, quòd brachii dextri, inter flexuram cubiti & scapulæ, tumore laboraret ex decubitu humorum, cum dolore gravi; luxationem aliquam hîc subesse sibi persuadens mulier dicta; variis extensionibus, flexionibus, in anticâ, postica; superiora, inferiora, illud effecit, ut aucto & dolore, & tumore ab opere desistere coacta fuerit. Haud tamen, omnia bona & sibi & ægrotanti promittens, Cataplasmata atque linimenta negligere voluit, quorum etiam usu effecit, ut, præter intentum, ex materiæ collectæ, suppuratæque abundantia, abscessus fuerit ruptus. Huc cavernæ variæ pure scatentes, toto eo spatio quod cubitum humerumque intercedit, se exhibuerunt. Quæcunque hoc in statu adhibebat nihil efficiebant, foramine uno clauso aliud exoriebatur, eò quòd pus contentum viam sibi faceret; & ossis subjecti corruptio adesset.

Tandem, post mortem utriusque parentis recepta in domum publicam; qua sustentantur superstites pauperum liberi, Orphanotrophium vulgò vocatur, per aliquod tempus curæ subfuit Chirurgi ordinarii Joannis Svvart. observans hic majoris momenti affectum esse quàm qui ab uno Chirurgo tractaretur; superiorum permissu me in consilium advocavit.

Accedens brachium loco suprà indicato insolitum in modum tumefactum inveni, imò induratum, suppuratumque, cum ossis subjecti carie, rebus omnibus rite consideratis consultum visum fuit; utraque foramina, ad quatuor transversorum digitorum latitudinem à se invicem distantia quorum unum exteriùs ad tephysin ossis adjutorii, alterum interiùs magis apparebat, per sectionem Chirurgicam ope forficis conjungere, apertione facta vulneri imposuimus plumaceolum, deligationeque convenienti facta ab opere ulteriori abstinuimus usque in diem sequentem.

Hoc tempore forcipe apprehendere placuit os subjectum, quod etiam, levissimo labore, fere integrum, extraximus, non sine admiratione & nostra & adstantium, quam summopere auxit, quod sine ulla motus brachii læsione ablatum fuerit.

Sanguinis fluxu sedato, vulneri ad doloris sublationem, applicuimus Ung. defensiv. thereb. cum ovi alb. & Ol. hyperici, similiter ac Emplastrum Vigonis. Hinc singulis diebus mundificativum & exsiccativum hoc adhibitum.

℞. Sevi Hircin. Bovis. an. ℥ ß. Ung. Rosac. ℥ i. Thereb. lotæ ℥ ß. Ol. Ceræ ʒ ß. Hipericon. q. s. Mercur. præcip. ʒ ii ß. F. Mixtura.

Deligatio non nisi fasciâ peragebatur in spiritu vini madefacta, ad humorum expulsionem, musculorum verò cutisve conjunctionem. Et horum mediorum usu brevi curatio absoluta.

Ex observatione hac cognoscere licet, nullum artis Chirurgicæ cultorem verum haberi debere, nisi qui in Osteologia bene versatus, cum sine notitia structuræ connexionisque ossium impossibile sit ea quæ circa luxationes, fracturas, similiaque vitia alia excurrunt, ritè tractare; Cognitionem hanc siquidem habere nequeat ex oculari inspectione ossium ipsorum sceleton constituentium, habebit aliquam ex consideratione eorum quæ figuris suis exhibent Anatomici.

Quod si in hac Anatomiæ parte excellere magis studerent Chirurgi nostri, & nomini suo plus honoris, arti plus famæ; circumforaneis verò minus detrimenti adferrent.

Alterum hîc considerandum naturæ providentiam spectat, qua ablatæ partis in locum ea reponere observatur, quorum ope actio requisita exerceri queat. Ita notare nobis licuit in milite quodam Anglo femoris os totum abscessu consumptum, & ablatum fuisse, & tamen incessum neutiquam læsum, eo quod in locum deperditi substantia alia regenerata. Quale quid observasse se scribit Carolus Battus Chirurgiæ suæ part. 4. cap. 8.

Ita ossis femoris partem separatam ab Huyberto Kok, Chirurgo Woerdensi exstractam narrat observat. Chirurg. parte secunda Henricus à Roonhuysen.

Simile huic exemplum, quod modò proposuimus; quo in orphana dicta adjutorii ossis magnam partem ablatam vidimus. *Jobus à Meekren in observationib: Medico-Chirurgicus.*

De Ossis cancrô, seu Spinâ ventosâ.

Celeberrimus, & in arte Chirurgica exercitatissimus Dom. Marcus Aurelius Severinus singulari de abscessibus tractatu tumores nodosos varios, in manibus, pedibus, digitis, pollice occurrentes descripsit, qui membrorum summam induxerunt deformitatem, eò quod præter modum, ligamentis, carnibus, cute, extensis, dilatarentur.

Hujus conditionis abscessus erat, quem in rustico 50. annor. 1642. Petavii vidit magnus Bartholinus, ut habet cent. 2. hist. 53. cui ab annis duobus pollex in tantum tumorem excreverat, ut caput hominis exæquaret; & præter unguem nihil digiti conspiceretur.

Prætermittere nequeo, quin hic exhibeam digitum monstrosæ figuræ, in sartore quodam Eduardo Wilemson, ablatum, ponderis viginti unciarum.

Contraxerat hic exiguum in digito medio manus sinistræ circa articulum majorem tumorem, cujus curam ipse primò, hinc circumforanea quædam, habuerat, varia applicando Emplastra & Cataplasmata, unde sine dolore & purulentia insignem in molem intumuit digitus.

Anicula

Anicula artis Chirurgicæ ignara; experientiæ tamen suæ plurimum tribuens, incisione quadam digitum aperiebat, unde materia aquea incocta, effluebat, cum doloris exacerbatione summâ, & curationis instantis vanâ persuasione. At quæcunque usurpabantur frustranea omnia, adeò ut etiam ab ulteriore aliorum usu abstinere coactus æger.

Quicunque in consilium vocabatur Chirurgorum, nihil omninò levaminis adferebat, imò omnia indies in pejus vergere videbantur.

Nos consideratione habita tumoris, quem summa cum molestia per annos quinque circumgestaverat, constitutionisque ossis subjecti, verùm hîc adesse ossis Cancrum, qui Spina ventosa aliis dicitur, pronunciavimus; ad hoc verò malum tollendum, sic ut digiti crassities imminueretur, tumor auferretur, ossisque corruptio ulterior inhiberetur, integro manente digito, nihil remedii superesse; Interim tamen Chirurgiæ locum aliquem concedi, qua extirpetur digitus, ad tumoris, doloris, fœtoris, molestiarumque ablationem, modò officula metacarpi, partesque vicinæ simpliciores in statu sano existerent.

Placebat ægrotanti propositum nostrum, simulque primo tempore ad operationem dictam nos accingeremus, obnixè rogabat, sic fore sperans ut à dolorifica, ponderosa, hinc molesta admodum, sarcina brevi liberaretur, ad eam adeoque majori cum fructu quo pervenire concederetur, fasciam validè constrictam manui supra carpum imposuimus, ad sanguinis effluxum inhibendum, hinc cultri acutioris ope sectionem instituimus inter digitum læsum & indicem usque ad medium ossium metacarpi, mox eodem modo in opposito latere inter digitum læsum & annularem, procedere animus erat, quo sic, utraque parte separatione sufficienti instituta, in parte ossis metatarsi adhùc sana extirpatio justa perficeretur, & ablato digito deformitas omnis quantùm possibile tolleretur. At intentioni meæ se opposuit Chirurgus alius non nisi in osse ipsius digiti malum radices fixisse, nec ullo modo ad ossa alia se extendisse, sibi certo persuadens.

Quod vanam hanc opinionem ex animo Collegæ mei auferre nulla arte liceret, etiamsi certiorem curationem eam dicerem quæ ad modum à me propositum, & jam ex parte peractum institueretur, imò minus deformitatis sic accedere manui, siquidem altiori loco in osse metacarpi sano extirpatio perficeretur, imo dolor ex ligatura gravis satis celerem operationem urgeret, nolens volens digitum affectum circa articulum abstuli.

Ad hæmorrhagiam, pulverem usualem stypticum applicabamus, partis dissectæ labia fasciæ convenientis ope conjungebamus, ligatura carpo injecta soluta? & secuta fuit quies per diem noctemque.

Usque in diem vigesimum omnia prosperè succedebant, quo tempore circa articulum manus carnea quædam excrescentia acus majoris caput magnitudine referens se exhibuit; varia eidem applicabantur, exsiccandi, consumendique virtute prædita, ast nihil effecerunt, quin contrà eam in molem augmentum sumpsit tumor, ut pondus duarum triumve librarum referret.

In re desperata nullum superesse medium videbatur præter totius manus ablationem, ad eam devenire nulla præmissa consultatione arduum, placuit adeoque, consentiente ægrotante, in consilium adducere Viros Clarissimos Dom. Joannem van Hartogvelt, Guilelmum Pisonem, Medicos, Dom. Petrum Lupenium, Theologum, Georgium van Loon; & Danielem Florianum; Chirurgos. Omnes perspecto morbi statu, consideratisque iis quæ in prægressâ operatione peracta, neglectaque; omnimodam manus extirpationem unicum, si aliquod recuperandæ sanitatis remedium, declararunt.

Operatione peractâ; die decimo, quod & vires valdè vehementiâ symptomatum fractæ, & febris gravis, continuò molestaret, interiit æger. In manu amputatâ evidentissimè nobiscum annotabant omnes, in Chirurgiâ exercitati, siquidem exstirpatio prima in parte ossis sana fuisset peracta, curari potuisse malum. Ut adeò consideratione nostrâ digna sint, quæ de Pedarthrocace S. Spina ventosa habent Paulus Barbette anat. pract. part. 1. cap. 3. & Severin. cap. 24. *Jobus à Meekren in Observat. Medico-Chirurgicis.*

Ossis in Spinâ ventosâ constitutio Anatome demonstrata.

Illustrissima Dom. Baronissa de Merode in casum incidit de quo varia fuerunt Medicorum judicia. Ego autem eodem conspecto, protinus judicavi eundem esse, quem aliàs videram Neapoli apud Clariss. Severinum, & quem ipse depinxit p. m. 467. operis de recondita abscessuum natura. Quapropter, cùm juxta consilium Argelatæ, non posset os morbosum removeri; necesse fuit ad ultimam anchoram, amputationem scilicet tibiæ, nos procedere. Qualis autem ossis ipsius constitutio nobis postea per Anatomen innotuerit, addere non gravabor. Remotâ cute, quæ admodum erat, propter extensionem, attenuata; invenimus tendines musculorum peroneorum, ut & maximum tendinem, qui calcaneo affixus est, & crassitiem naturaliter insignem obtinet, instar chartæ alicujus, tenuem: solum calcis os erat affectum, atque in magnitudinem insignem adauctum, ut libræ unius cum dimidiâ pondus æquaret: non solùm autem porosum redditum erat; sed pori illi erant repleti materiâ cartilagineâ, qualis quoque cartilago os extrinsecùs ambiebat, & cartilagini callosa materia desuper erat adnata. *Joh. Van Horne in* μεκροτέχνῃ.

Rarior spinæ ventosæ constitutio amputatione feliciter curata.

Uratislaviæ 15. Januar. anno Christi 1688. jussu inclyti Magistratus, inspectioni meæ & Godofredi Scholtzii; Chirurgorum senioris, nec non Samuelis Rasperi, senioris pariter & ordinarii Civitatis Chirurgi, committitur Danielis Bugschii Pannificis filiolus, quatuor annos natus, qui sine caussa manifesta, ante annum tunc effluxum in medio sinistræ manus digito contraxerat dolorem punctorium insignem cum tumore laxo & spongioso; succedenteque, ac juxta dein semper, ex ulceratione profunda, ichorosam materiam, è duobus in exteriore, & uno in interiore digiti facie, foraminibus continue plorante; circa junctuam medii ibidem internodii cum primo versus metacarpium spectante; quæ cuncta solis hactenus domesticis externis à matre paupercula fuerant tractata.

Perlustrantes ergo locum affectum, præter dicta modò, deprehendimus conspicuam per ista foramina, intumefactamque insigniter substantiam articuli osseo-cartilaginosam ac spongiosam quasi, nigredine & carie hinc inde manifestò jam notatam; quæ veram proin exhibebat spinam ventosam, &, aliis frustraneis, de die in diem ulteriùs serpendo, cum periculo totius inficiendi, versus metacarpium semper magis extendebatur.

Consilio igitur nostro, Senatusque ac matris viduæ consensu, præmissis præmittendis, ac potiuncula in primis confortante & præservativâ; ea quæ cum externis excitativis ac roborantibus, sub & post operatio-

rationem repetita; post reliquos digitos in volam reclinatos, beneque manui, à ministro firmiter retentæ, alligatos, mediante scalpro excisorio acutissimò, (quale Arcularii *einen Meissel* vocant) in superna parte per malleum fortiter percusso adactoque, digitus ille cariosus, basi cuidam ligneæ impositus, prope juncturam cum metacarpio, 20. Januar. per laudatum modò Samuelem Rasper ablatus fuit; sanguine arcuatim prosiliente, per crepitum lupi, cum pulvere stegnotico, pulvillis multiplicibus, & optima ligatura mox inhibito, sine ulla lypothimia, aut symptomate alio periculoso, sub, aut post operationem eveniente; pueroque paucis dein post externis digestivo-mundificativis, & consolidantibus tandem, benedictione Divina clementer annuente, perfectè sanato. Separatis verò per sectionem partibus cutaneis à digito abscisso, primum & medium ejus internodium osseo-cartalagineo spongiosum, circa juncturam mutuam insigniter intumefactum ac inflatum quasi, distinctim hinc inde perforatum, atrescens ac cariosum, de reliquo autem maximam partem in fragmentula minutissima, cuspides acicularum triangularium exactè referentia, redactum observavimus: indicio sanè manifesto, nutrimentum ossis omnium primò affecti, adeò acre causticumque factum fuisse, ut illud non solummodò consueto perforare, sed & in minutissima prorsus corrodere ac diffringere valuerit. Hoc adjicio, pariter ac Rachitides, sic nec Spinas ventosas hodie adeò raras ampliùs ac olim, apud nos esse, cùm ne triennii quidem spacio in Nosocomio nostro ad sex ferè exempla earum notaverim, potissimùm in articulationibus carpi, genuum, malleolorum, & digitorum pedis, cum totali corporis universi emaciatione, & funesto ut plurimum exitu, ni per sectionem articulus talis amputetur, aut cuncta fragmenta cariosa, quod tamen rarissimè fit, spontè secedant atque separentur. *D. Maximilian. Preussius Miscellaneor. Curiosor. Dec.* 2. *Ann.* 7.

De eadem Spinâ ventosâ rursus aliquot exempla.

Spinæ Ventosæ non ita etiam apud nos raræ sunt, quin sæpiùs in praxi occurrant. Nec tantùm eas observavimus in infantibus, sed etiam in adultis, imò ab aliquot annis virum plusquam trigenarium hoc morbo in genu enatum, extinctum vidimus, nihil proficiente tardiori tibiæ supra genu amputatione. In eo autem non tantùm caput ossis tibiæ, ossi femoris in genu colligatum, carie profunda affectum, sed etiam paulò infra prædictum genu quasi terebra perforatum, repertum est; medulla verò, tum ipsius, tum ossis femoris, & colliquata, & quasi gangrænosa visa fuit. Idem nobis etiam apparuit in puellula octenni quæ in talo eodem morbo afflicta fuerat; scilicet serpserat malum ad medium usque crus, nec aliàs removeri potuit quàm per tibiæ infra genu extirpationem; adhucdum autem non video quomodo evasura sit, quia febris lenta ante sectionem ita jam adoleverat, ut remota parte, unde originem suam primò sumpserat, non potuerit illa tolli quin potiùs in dies increscens, carnes colliquet, & in extremam tabem miseram nostram deducat. Alia rursus nobis itidem aliquando oblata est ægra, in imo capite ossis tibiæ, calcaneo scilicet adjuncto, afflicta quæ ipsa evasit, & sana ac vegeta jam vivit, postquam prædictum caput sine membri excisione, nescio, quo felici fato, separatum est. Natura scilicet per grandius ulcus, prædictum caput, profundâ carie non tantùm cavatum, sed etiam ita emollitum, ut cultro exsecari posset, Chirurgi manui ita objecit, ut instrumentô avelli potuerit. Verùm quod mirabilius in hoc casu observavi, quodque vix aliàs observatum video, est, quòd post deperditam hanc ossis partem, non tantùm commodè deambulet hæc juvencula, sed etiam motum articulationis pedis cum tibia, liberum satis habeat, præterquàm in exteriora, unde os per ulcus ibidem apertum evulsum fuit. De aliis multis nihil addo quamvis forsan non parum curiosa videri possent.

De Exostosi, è Clariss. Godefr. Biddloo Exercitationibus Anatomico-chirurgicis


(1) Proprio & specifico titulo disignandus morbus, *Exostosis*, est partis alicujus ossis, ubique alias benè constituti, uno loco, luxuries & incrementum immodicum: hinc ab hoc genere morbi excludentur *Ganglion*, *lupia* &c. quæ perperam ejusdem familiæ censentur: in *Exostosi* quippe ipsa & sola ossea substantia; in *Ganglio* verò *lupia* &c. nervorum tendinumque involucra, non autem ossa, primariò patiuntur.


(2) Ortum ducit, lentissimo passu progrediens, à causa quasi innocua, à nimia, videlicet, boni succi nutritii in unam ossis, alias benè constituti, partem alluvie, infarctione & accretione, partem hanc nutriendam extendente immodicè; quinimò & deformante; ut patet,

(3) Ex partis affectæ Phænomenis; quæ sunt; ossis suprà & infra *Exostosin*, constans & requisita dispositio; puta magnitudo, figura, connexio cum vicinis. Indolens, durus, osseus hic tumor, sive eminentia præternaturalis, sine asperitate, periostio ritè contectus, nunquam in ipsis articulis; sed infra illos aliquantulum remotus, detegitur atque hoc respectu, ab omni alio ossis morbo, distinctu est facilis; adde (*Lect. Beniv.*) hominem, ex hac luxurie & immodica accretione ossea laborantem, cætero corpore ejusque habitu esse sanum; sed verò, vigente *Exostosi*, vicinas ei partes periostium, nervos, arterias &c. tandem dispositione sua naturali posse privari & hoc sensu secundariò lædi, non esse sanas, sinceras, quis est qui ambigat? verùm de *Exostosi* simpliciter, non de ejus symptomatibus & sequelis, morbo complexo, mihi sermo est;

(4) Cùm autem extuberentia hæc *Exostosis*, temporis tractu, id incrementi capiat; ut toti corpori, vel insigni ejus cuidam parti, incommodo sit, luxuriei huic *celeriter obstandum*, *medicandum* (connorme rationi monitum) secundùm me, hac methodo; adimendo *Exostosin*, unà cum osse, ex quo ortum duxit; fieri quod potest in minoribus exterioribusque ossibus, cum ablatione totius ossis, imò & membri: In majoribus, cum ablatione partis, cui inest, usque ad ossis cavitatem: Licet enim infantum *Exostosin*, medicamentis, fasciis, ligaturis, instrumentis, deprimendam continendamque intra terminos, præcipiant auctores Chirgurgi, vanum eos sanè molimen & irritum laborem actori imponere, expertus sum non semel. Ejusdem commatis commentum est, recentem; vel inveteratam *Exostosin*, cute aperta, radulâ, scalpro, cuneo (osse, ex quô, relicto in integrum & probè consolidato) ita posse auferri; ut postea nunquam assurgat, ulcus post se, aut fistulam relinquat (taceo ea, quæ in quasi cautelam & præsidium vocantur, adducunturque, cauteria actualia, ossa vitiata deficcantia, separantia &c. Medicamenta) ex eorum omnium fastuoso apparatu patet, partem illam ossis, ex qua *Exostosis* luxuriat esse parti sanæ, adimendam, vel ita dispositione sua & vitâ destituendam; ut, quemadmodum, scaturigine ex qua, fonte ex quo, obturato, oppilato, alluvionis liquidi; ita de noviter luxuriante *Exostosi*, metus merító


Fig. 1.


Fig. 3.
G
B


Fig. 2. a
D
G
B




Fig. 2. β
A
G
D


Fig. 4.
A
B
A
B


Fig. 4.

ritò sit nullus. Tutiùs, citiùs jucundiùsque ergò: *Telesphorus* enim adest, is agit, qui huic malo infanti celeriter, methodo mea memorata, medicatur;

(5) Hoc quod probabunt sequentia indubitata & ad normam Anatomico-chirurgicam producta exempla. experimenta; ut & peractarum in curationem rerum historiæ & eventus.

Anno 1697. ostendit mihi *Lugd. in Bat.* Vir Juvenis 25. ann. ætat. sanus toto corpore, si quis, munere faber lignarius, digitum suum minimum, enormiter, phalange ossium tertiâ, tumentem; expetens, hilari planè fronte, eùm manui dextræ adimerem; pro ratione adducens, ejus in manu usurpanda, incommodum, inutiles diuque adhibitas, cum pecuniæ dispendio, medicationes interque illas reverà ridiculas quasdam, quas tamen tacuisse non nocebit; enarrans porrò, ullo sine dolore, aut alio, præter immodicum partis incrementum, symptomate; jam tum ab multis annis, accrevisse hunc tumorem, quem dissipare &c. frustrà conati essent duo Chirurgi: cæterùm totam manum digitósque cæteros, omni promptos sibi extare motui usuique.

Digiti oculique mei, cum attentione huic tumori injecti, me mox certò docuerunt detexeruntque *Exostosin*; cùm autem in superficie hujus intumescentiæ generaliore, particulares quasdam observarem prominentias, easque continuò augeri magisque & magis extendi intelligerem, multùm procrastinare ejus ablationem ratum duxi minimè; nè moras hectitando, lascivienti naturæ, vel hujus partis luxuriei, vires & opportunitatem ulterius peccandi, fecisse viderer. Ut sese inspiciendus hic exhibuit digitus, ante truncationem, demonstrat.

Vid. Tabulæ xix. Figura prima.

A. *Digiti minimi primus &*
B. *Secundus articulus benè constitutus,*
C *Tertii media pars, Exostoseos excrescens & luxurians.*
D. D. *Extuberantiæ in hoc osseo tumore ejusque superficie particulares & variæ.*
E. E. E. *Totius tumoris circumferentia.*

dum autem aliquot dies expeterem, quibus de incremento hujus tumoris aliisque, tali in negotio, considerandis perpendendisque me ipsum instruere valerem, ægrè mihi concessis homo patiens tres, urgens digiti sui truncationem maximè; ne dixerim insolenter;

Metacarpio itaque, tumore prædicto totaque manu omniumque horum dispositione ritè perlustrata, quarto ab inspectione die, *Exostosin* hanc, cuneo, ad ejus figuram, fabricato & uno malleoli ictu, sincera de parte amputavi, resecavi, insigni sine hæmorrhagia.

Vixdum, cum stiptico pulvere, apparatus, qui requirebatur, vulneri erat adhibitus, quin homo patiens, fortem qui se inter agendum, præstiterat, cachinnos inter & mussiones, ajat; *nu zal het immers lukken?* id est, *jam demum succedet!* ego sanè & imò omnes adstantes, mecum credebamus eum, peracta truncatione, liberatum se ab omni hoc malo ejusque populatione & incommodo, statuere; verùm quam in sinu, quam in intimis ossium medullis fovebat spem quodque gaudium, apertiùs statim detegit; *amica, inquit, mea, mihi conjugii fidem dedit & præstabit, ea conditione; ut hoc sine tumore ad eam reveniam: eccam! jam nunc adeo eam facturus meam.*

Curationem quod spectat, illa brevi omnimodò, levioribus adhibitis, secundùm artem, medicamentis, peracta est integrè annuloque ei accedente pronubo, postea se homo hic bis & ampliùs dixit felicem.

Ut sese memorata hæc *Exostosis*, post truncationem habuit, videre est;

Vid. Tab. xix. fig. secunda.

A. & B. *Præmonstrati digiti minoris Articuli superiores benè constituti.*
C. C. C. *Margines vulneris & truncatæ partis, in qua apparent;*
D. D. D. *Exteriorum toti corpori communium involucrorum ut &*
E. *Ossis Metacarpii &*
F. F. *Tendinum quorundam abscissorum, vestigia.*

Ulteriore & quidem anatomica, hujus tumoris disquisitione reperi quoque, phænomenorum respectu, mea asserta (5) probata: ossi etenim huic, supra & infra *Exostosin*, constans & requisita erat dispositio; nulla asperitas; cum vicinis ossibus debita conjunctio; periostium ritè dispositum & sequax in ossis luxuriem & extensionem præternaturalem; succus itidem nutritius, ossium cellulas, laminarum strias, fibras, sive tubulos distendens, osseam hanc molem, saccharatorum adinstar tragematum impleverat abundè; succus, inquam, nutritius & abundans; alio verò nomine non peccans: nullibi etenim locorum extùs, nec intùs inflammationis, acrimoniæ, putredinis, vel minimum aliquod mihi licuit observare signum, vel vestigium. Circumjunctæ quoque cartilagines, membranæ, tendines ipsaque, cum omni exteriore corporis velamento, pinguedo, verbo, omnia erant benè disposita & sana;

Ut autem hominis magni ossis *Exostosis* raro (nunc cum, nunc sine ratione) conditione memorata, ipsis auferatur, concedunt & tamen aliud non datur medium curationis; ita hoc malum, hanc luxuriem incurabilem, quasi, habeo; quód si verò per ipsos liceret, in ipsos, secundùm rationem & artem agere, eos, ut plurimùm evasuros curatos verissimum est: si enim pars quædam majoribus ossibus, putà femoris, tibiæ, adjutorii &c. transversim, relicto hoc osse superiùs & in integrum, ab ipsa natura, vel casu auferatur nihil in medio existente osseæ substantiæ, ut factum vidi sæpiùs testanturque Chirurgorum monumenta, quid quæso illud periculi erit, quod mihi, hac in operatione dubium impertiat? agenti secundùm artem Anatomico-Chirurgicam; quia verò insuper hic morbus (*Exostosis*) lentò progreditur, dolore vacat & magno quandoque hominibus incommodo non est, defertur curatio & conceduntur luxuriei huic sese amplificandæ & extendendæ venia & vires.

Utriusque asserti exemplum sequens exhibet, cum schematibus, historia.

Anno 1689. viri ætat. annor. 52. munere mercium bajulatoris, tumore durissimo in ossis femoris parte superiore ab multo tempore laborantis, cæteròquin sanissimi; nunc verò ex pluritide demortui, cadaver, hac parte, rogatu Clariss. Medici & Chirurgi, qui eum tractitaverant, inspexi anatomicè vidimusque quam propono *Exostosin*;

Vid. Tab. xix. Fig. 3. quæ refert, parte ab antica, & laterali, ossis femoris sinistri partem superiorem.

A. *Ossis femoris caput.*
B. *Trochanter major.*
C. . . . . . . *Minor.*
D. *Pars ossis femoris supra;*

E. ;

E. .... *Infra Exostosin, naturali dispositione prostantes.*

F. *Ipsa Exostosis, cujus lamella vitrea glabra & aequalis extat, excepto*

G. *Eò loci, cui, aperta cute, desiccantia primò & deinde escharotica fuerunt adhibita medicamenta.*

H. *Limbus, circumvolutae hujus excrescentiae, inhaerentis pedunculo, qui ad latus ex ipso osse assurgens, hac in delineatione, propter tumoris umbram, demonstrari non potuit; quapropter, ipsum hoc os exostosinque ipsam serrâ per medium fidi; de hacce autem repraesentatione statim. Idem hoc os femoris, unà cum ejus Exostosi parte à postica exhibet;*

Figur. 4.

A. *Ossis Femoris caput.*
B. *Trochanter major.*
C. .... *minor.*
C. *Pars ossis femoris supra,*
E. .... *Infra.* Exostosin, *naturaliter diposita.*
F. *Ipsa* Exostosis.
G. *Lamellae vitreae, disfractae carieique, contra artem excitatae documenta; unde homini, dum viveret, cum dolore impurum fuit inflictum ulcus.*

Figurâ 5. depingitur serrâ fissi, hoc loco, tum ossis femoris, tum ipsius exostoseos, interior adspectus.

A. *Trochanter minor.*
B. *Os femoris supra,*
C. ...... *Infra*
D. Exostosis;
E. *Ejus pedunculus.*
F. *Lamella vitrea, ubique locorum dura.*
G. *Cellulosa ossis substantia, omni ablata medulla.*

Figurâ 6. delineatur interior ipsius Exostoseos *ejusque de ossis femoris parte sincera, innocua, sive nullo morbo tentata (luxurie excepta) exortus & pedunculus.*

A. *Os femoris serrâ dissectum.*
B. *Ejus cavitas.*
C. *Pedunculus* Exostoseos.
D. *Ipsa* Exostosis.
E. *Ejus limbus, instar fungi, circumvolutus.*
F. *Ossis femoris cellulosa & fibrosa substantia.*

Quantùm ab *Exostosi* ejusque dispositione, distet *Fungus*, vel morbosa fungiformis excrescentia, videte est;

Tab. XIX. *Fig.* 7. *Quâ depingitur, de osse femoris, aspera prostans superficie, omni ablato periostio & extus ex durissima; intus verò molliore ossis parte, assurgens fungus.*

Hisce non obstantibus, cum ratione & experientia adductis; asserunt tamen quidam, se *Exostoses* curavisse medicamentis absorbentibus, desiccantibus; alii, depascentibus, escharoticis &c. hi, radulis; illi, inustione; sed ut quod verum est, asseram, ego pro comperto habeo, ab ipsis tophacea & callosa concrementa (sub *Exostoseos* titulo) ossibus fuisse ablata: sic infausta furente Venere, aut spinâ ventosâ intus agitante, solutâ vitreâ ossium lamellâ, ossa eorumque fibrarum tubulorumque compagem solvente, corrumpente atque ex ea muco, callove, indurata assurgente, quibusdam *Exostosis* est; sed quàm malè tibi, *aequo lectori*, dijudicandum trado: vera itaque *Exostosis mandragorae, cicutae, Hyoscyami*, nec *urticae mortuae*, jugere, vel *multâ muriâ, vetusto caseo*, aut *pyritis usti scobe*, praedicent qui volunt horum medicamentorum virtutes! dissolvetur, aut intra terminos coercebitur; sed enarrata methodo curabitur semper.

Ossium mira mollities.

Clariss. Pyrrhi Mariae Gabrielis Miscell. Curios. Decur. iij Ann. 2.

Nobilissima mulier 32. annos nata, temperamento calido & humido, cum pituitae subdominio molli ac delicato corporis habitu praedita, ad motum segnis, decimo sexto aetatis anno nupta viro, plures peperit filios, & non nullos passa fuit abortus; fluxionibus catharralibus, absque ulla luis venereae suspicione, ad varias corporis partes obnoxia, sex abhinc annis laboravit epulide in maxillae superioris gingivâ sinistrâ, quae pauco temporis spatio incrementum suscepit, quare Chirurgicis instrumentis incisorio nimirum & ustorio ad eandem extirpandam feliciter adhibitis, satis bene se habuit. Anno autem sequenti, catharri fluxiones insurgentes, cùm ad pulmones irruerent, medicamentis cum china, sarsaparilla, & aliis simplicibus secundùm artem paratis in usum ductis, cessavêre, sed humerum dextrum atque hinc ejusdem partis coxendicem dolore molestare coeperunt, unde plurimis adhibitis remediis, majus tamen ob humoris peccantis pertinaciam semper augmentum suscepere. Et quoniam hisce tempestatibus ab uteri gestationibus minimè fuerat immunis, gravidationes & partus admodum ipsi erant molesti, & praecipuè tempore partûs, quanquam lochia naturalem habuissent exitum, dolores & fluxiones catharrales suprà enarratae augebantur, & maxima cum molestia eam torquebant, unde die 10. Decembris 1686. coacta fuit in lecto decumbere, quo tempore epulis, gingivarum nimirum excrescentia versus palatum ipsosque dentium alveolos augescens & cavitatem ossis mandibulae superioris subingressa, os ipsum extollens, tumorem durum indolentem produxit, etiam circa oculi ejusdem partis orbitam, ne tamen ipse oculus laederetur, cùm ad maturationem quamvis imperfectam devenisset, instrumento chirurgico fuit opus, unde apertus tumor, usque ad patientis mortem absque alio detrimento, & non infelici eventu, ad modum fistulae patenti orificio fuit servatus. Tunc autem temporis ab aegra singulis mensibus, quandoque verò singulis ferè hebdomadis dolor capitis gravativus & pungitivus per aliquot diei horas percipiebatur, atque hinc descensum catharri, ac si esset aquae frigidae subita ac repentina effusio, à capite ad artus omnes, praecipuè verò dexterae partis se manifestè persentire affirmabat, indéque dolores augescentes maximo cruciatu, eandem meditullitus lancinantes, ossaque è propriis locis divellentes ac contorquentes, de die in diem tale augmentum susceperunt, ut ne minimus pedis digitus ab assistentibus absque patientis molestissimis angoribus potuerit quamquam leviter manibus attingi. In osse sacro, quod extra proprium situm, propter fluxiones fuit depositum, dolor adeò intensus erat, ut aegra immota prorsus in lecto, resupina, absque ullo crurum & coxarum motu, decumberet, caput tantùm & brachia sine dolore nonnihil agitando. Post aliquot menses partem quoque sinistram fluxiones majori cum molestia occupaverunt, atque hinc pedibus & cruribus tumefactis, eorumque doloribus aliquantulum sedatis, paulatim totum ferè corpus,

corpus, femora, vertebræ, costæ, scapulæ & claviculæ proprium mutavêre locum, indeque respiratione difficili redditâ, afflictiones in dies augebantur. Quatuor ab hinc mensibus brachium dexterum immotum, sed emaciatum redditum, doloribus magis magisque afficiebatur, & paulatim sinistrum quoque ceperat motum amittere. Hoc temporis decursu febres quandoque eam invaserunt de genere pituitosarum; ut plurimum cum nausea comedebat, urinam reddebat copiosam, sed non plurimùm aliàs colore excedentem, sæpe sæpius crudam, aqueam & pinguem. Alvus raro ex se respondebat, sed glandibus irritata, vel clysteribus emollita fœces naturales emittebat. Ac tandem post varias pectoris angustias à costarum & clavicularum compressione subortas, nec non viribus exolutis emisit spiritum.

Post mortem crura cum pedibus, coxæ & brachium, præcipuè dextrum, erant adeò secundùm omnem partem flexibilia & mollia, ut quocunque ponerentur loco, eundem ad amussim servarent, unde eorum ossa mollia & carnea, juxta nonnulla ab Autoribus tradita exempla, ut à *Fernelio*, *Ruellio*, *Hollerio*, *Bartholino*, *Theoph. Boneto &c.* evasisse, fuit creditum. Ob id dictis partibus cultro anatomico observatis, nedum crurum & femorum, sed etiam brachii dexteri adeò mollia & rubicunda fuêre adinventa, ut substantiam carneam exactissimè secundùm omnes partes veluti gingivarum carnem, non autem musculorum fibrosam, referebant; quæ quidem membranosâ tunicâ erant obducta, & ad instar carnis absque ulla disruptione, aut friabilitate circumflectebantur. Eorum autem internodia, & reliqua ossa ut vertebræ, costæ &c. non adeò mollia fuêre reperta, facilè tamen tangentium compressioni & aciei cultri cedebant, dum incidebantur, nec non quacunque levi contorsione, ac si essent friabilia, frangebantur. Cranium & reliqua capitis ossa mediocri duritie erant prædita, ad ipsum namque dissecandum serra parum aut nihil, sed solùm in occipite fuit necessaria, ferro enim incisorio ad instar corticis cucurbitæ mediocriter duræ circulariter fuit recisum. Viscera omnia quoad sensus nostros in statu naturali, sicut etiam cerebrum & cerebellum cum spinali medulla sensibiliter intacta fuêre observata; serositas tantùm in pauca copia inter piam matrem & cerebrum in parte posteriori fuit adinventa. E carnibus autem dum cultro scindebantur, humor quidam pinguis & veluti olei stillis aspersus effluebat. Ac tandem ex tumoris desuper allati in maxilla superiori detenti cavitate, quæ reperitur inter palatum & os oculi, orbitam in parte inferiori constituens, maximè adauctâ, unde tumore duro in gena, ut diximus, producto, materiam purulentam ad duas circiter uncias produximus. Cutis corporis universa, & in ea quoque parte, super quam continuò decubuit, illæsa &, absque ullâ noxâ fuit inspecta, quanquam linteum, anacliteriumve prorsus putridum ac corruptum, sub osse præsertim sacro fuerit redditum.

Casum hunc, utique rarum, sed Physicis Naturæ arcana intus perscrutantibus, facillimæ resolutionis esse putamus, quam quidem tempore opportuniori, ut interim doctiores propriam valeant edere sententiam, exponere conabimur. Modum enim, quo prædicta in præfata Muliere apparuerunt phænomena, in medium adducere non est adeò difficile, ut cum nonnullis inconsultò ad rem supernaturalem sit confugiendum; rationes namque ex Juniorum Physicâ petitæ, casum naturalem & à causis naturæ limites non excedentibus, productum esse, ut suo loco patebit, manifestissimè demonstrant.

Spina ventosa, cranium multoties perforans. Clariss. Matthæi Blavv. Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 7. & 8.

Anno 1699. die 28. Novembris obiit vir quidam rusticus, nomine Joannes Windenhalder, ætatis suæ propè quinquagenarius in pago Lehen ditionis Friburgensis in Brisgoia. cujus affectum extraordinarium, cùm urbis hujus Chirurgus aliàs satis artificiosus & expertus, nomine Joannes Hergott, qui ægrum aliquo tempore tractabat, cognoscere non posset, rogavit me & alios duos Chirurgos, nomine D. Bangeron & D. Bisson, ut ægrum defunctum visitando inspiceremus, & quo morbo propriè laborarit, aut occubuerit, sectione exploraremus. Refert interim, se ante 14. dies ad hunc rusticum ægrotantem vocatum esse, quem cùm primâ vice visitasset, intellexisse ab ægro, quod nuper, cùm difficiliùs è lecto surgeret, os brachii subitò perfregerit, visitat Chirurgus locum & invenit brachium ex hac levi causa reverà totaliter & itâ diffractum esse, ut os humeri in medio instar cubiti incurvari potuisset. Et dum patientem hunc ulteriùs tractat & visitat, invenit tandem successivè similem fracturam in brachio sinistro, uti etiam in femore sinistro supra genu. Refert proinde, quod in hoc rustico observaverit duo satis magna tubercula dura in ossis frontis dextra ac superiore parte, quæ verò paulatim liquefacta disparuêre, quo loco profunda cavitas & fovea paulatim ita successit, ut extremitas pollicis immitti posset & cranium ibi perforatum & magna parte absumptum esse videretur. Cæterùm, ajebat ægrum maxima ex parte corpore: & viribus consumptum fuisse &c.

Itaque nunciatâ morte accessimus locum, quo defunctus jacebat, visitabamus diligenter omnia & invenimus externè, sicut Chirurgus retulit, immò plura; nam non solùm in ossibus frontis, sed etiam in sincipite aliisque cranii partibus plures ejusmodi foveæ satis latæ & profundæ erant hinc inde conspicuæ, quas cutis contegebat naturali prorsus colore prædita, excepto uno loco Bregmatis, ubi foveola apparebat sublivida, ac si Ecchymosis fuisset.

Ut ergo Cranii & contentarum sub eo partium constitutionem certiùs & per ocularem inspectionem investigare possemus, cultro anatomico uti volebamus; quod verò ejus vidua nullo modo admittebat, usque dum à nobis & loci Parocho persuasa, tandem concessit, ut omnibus amicis absentibus citâ sectione propositum nostrum assequi potuerimus.

Itaque separatâ cute à Cranio, plurimæ eæque satis magnæ foveæ, queis totum cranium perforatum fuerat, erant conspicuæ, in quibus materia corrupta, livida, subnigricans continebatur; hinc & Cranium secundùm rotunditatem detraximus & observavimus utramque Meningem unà cum Cerebro nullatenus læsam, sed omnes has partes quoad omnia bene constitutas, ipsum Cranium verò (ut suprà dictum) hinc inde multis foveis & cavitatibus in concava ejus parte seu interiori laminâ latioribus totaliter perforatum fuisse. Hinc consutâ cute accepimus Cranium, quod domi per cocturam præparatum plus quàm viginti foraminibus majoribus & minoribus perviis excavatum repertum fuit.

Secuimus etiam loca, ubi erant fracturæ ossium, nimirum in utroque humero & femore sinistro, in quibus fœda caries conspiciebatur, & ex levissima pressione fragmenta dissiliebant, intus loco medullæ, corrupta sublivida materia continebatur: similis fractura observata est in clavicula sinistra, nec dubium,

bium, si reliqua corporis ossa inspiciendi tempus pro anatomia nobis concessum fuisset, qui in plures alias ejusmodi ossium fracturas & caries invenissemus, ita ut exinde rari exempli defectuosum sceletum construi potuisset, quod verò nobis non licuit.

Scholium. Ex præsenti observatione, prudenter judicare licet, morbum hunc fuisse talem malignum affectum seu cariem ossium quasi universalem, quæ (quod mirabile est) intactis partibus mollioribus carnosis & membranosis, solùm duriores seu osseas aggressa est. Ossa sæpe sæpius ex causa aliqua externa, v. g. ab ulcere fœdo, aut fistulis, aut materiâ purulentâ acri tumoribus impactâ cariosa fieri, lippis & tonsoribus notum est; sic certi dantur affectus maligni ossibus singulariter hostiles, uti de lue venerea & scorbuto constat: ast nihil tale in nostro casu, tum ex relatis tum ex aliis signis concomitantibus reperiri potuit; hinc dubium non est, affectum hunc singularem ex sola causa interna peculiari & malignæ humorum ac præcipuè medullosi succi ad nutritionem & conservationem ossium necessarii corruptioni adscribendâ exortum esse; quamvis enim suprà scripta ossis humeri fractura ex difficiliori corporis ægri in lecto erectione orta esse videretur, huic tamen causæ externæ nullatenus adscribi potuit, fuit enim causa tantùm facilitans, ex qua ossa aliàs internè marcida & carie infecta tantò faciliùs diffracta sunt: quod ipsum in Cranio factum absque ullo Causæ alicujus externæ concursu, & quidem ab intrinseco, eò quòd foramina illa cranii in inferiori seu concava ejus parte magis extensa & latiora fuerint quàm exteriùs.

Quemadmodum itaque in Gangræna & sphacelo partes corporis molliores, carnosæ, glandulosæ & membranosę potissimùm corrumpuntur ac mortificantur, sic è contra in præsenti nostro casu, osseæ tantùm partes carie quadam universali seu, ut ita loquar, Cancro aut Gangrænâ ossium (quæ aliàs *Spina ventosa*, vel à quibusdam *Spinæ ventositas*, vulgò *Beinfresser*, in pueris proprio nomine *Pædarthrocace* nominatur) infectæ fuerant. Scribit *Scultetus* in suis Observationibus Part. 2. observ. 90. provenire Spi„nam ventosam ab humore, qui occultâ & infensâ „qualitate primùm ossa, citra omnem periostii læ„sionem atque doloris sensum corrodit, deinde Oe„dema efficit minimè dolens & post aliquot menses „partes exulcerat &c. Circa quam descriptionem notandum, quòd quia ossa ceu partes duræ frigidæ in sua substantia nervos non recipiunt, neque spiritibus animalibus affluxum concedunt, sensu immediatè destituta sunt, & consequenter propriè in se non sentiant aut dolorem percipere possint nisi mediante periostio iis supertenso; hinc in communi ossium carie à causa externa, v. g. fistulis, abscessibus aut pure exorta, absque prægresso dolore haud corrodi posse; è contra verò in tali Spina ventosa à causa interna exortâ (qualem casus præsens demonstrat) verificatur expertissimi Sculteti assertum, quòd nimirum citra omnem periostii læsionem atque doloris sensum ossa corrodantur. Causam internam præfatus Author, adscribit humori, occultâ & infensâ qualitate ossa corrodenti; quibus terminis morborum causas explicari, etsi Recentioribus quibusdam (qui occultas qualitates ignorantiæ asylum vocant) non placeat, condonari tamen potest viris etiam doctis & expertis, quòd in explicatione affectûs cujusdam rarioris & haud omnibus noti, ejusmodi (ante hac consuetis) utuntur terminis: quippe etiamsi corruptionem succi ossium nutricii peculiariter malignam & corrosivam in causa esse dicamus; in quo autem talis corruptio propriè consistat, æque ignotum est, eò quòd ossa humana, & si in spiritu summè corrosivo vel Aq. forti infundantur aut Pulvere infernali inspergantur, corrosionem tamen vix patiantur, quin è contra membranę qualescunque, citò consumantur, quamvis vitalitate nullâ ampliùs gaudeant. Hoc equidem indubitatum est, succum illum medullosum in ossibus contentum, eorum tantùm & non aliarum partium nutritioni & conservationi dicatum esse: verùm quomodo corruptio illius per solos osseæ substantiæ poros penetret, eamque corrodat, & non simul ipsi periostio dolorem & cranio subjacentibus meningibus læsionem afferat, hoc à priori per rationes fundamentaliter explicare est difficillimum; dum è contra notissimum est, quòd in communi ossium carie, ab ulceroso carnis sinu aut collecto sanguinis pure, exortâ membranosis partibus non parcatur, sed hæ simul cum osseis lędantur & absumantur. Leguntur quidem varia in Practicorum observationibus exempla, quod ùnum tantùm vel alterum membrum spinâ ventosâ affectum fuerit, quod statim incurabile pronunciavit *Spigelius*, & partis læsæ amputationem fieri debere voluit; ast in nostro casu erat universalis quasi ossium caries ab ipsa summitate capitis ad brachia & femora usque se extendens & crassissima ossa perterebrans: quare malum hoc ex universali etiam causa originem sumsisse non est dubium, ita ut antecedentem ejus causam meritò in peculiari succorum (ex quibus ossium medulla generatur) acrimoniâ & malignâ vel diu latitante scorbuticâ corruptione quærere liceat, quandoquidem æger simul atrophiâ universali laborarit. Sed licèt de Hectica ordinaria aliàs constet, quòd eâ laborantes summam membrorum lassitudinem conquerantur, ita ut præsertim in marasmo, non tantùm succi liquidi nutrientes unà cum pinguedine, sed consequenter tandem ipsę carnosæ partes tanquam nutrimento suo destitutę successivè consumantur; verùm de ipsa ossium substantia nihil deperditur, quale quid etiam in scorbuto ordinario præter corrosionem dentium non observatur. Unde si non occultum dicere velimus, obscurum saltem & difficile esse profiteri debemus, veram rationem assignare, in quo affectus hujus causa essentialiter & distinctivè consistat, cujus ulteriorem trutinationem acutioribus relinquo; interim verò, quamvis de hoc affectu mirabili, in aliis Authoribus & Observationibus annotatis mentio fiat, quia tamen hôc forsan modô non evenit, & inter rariores casus notatu dignos recenseri meretur, idcirco observationem hanc rariorum notandorum calculo inseri indignam haud censui.

Spina ventosa oppidò rara, cum insigni ossis femoris dextri fracturâ, ejusque notabili fragmine per abscessum separatô.

Clariss. Joh. Mauricii Hoffmanni Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Hominem ab ortu totum morbosum esse, uti Hippocrates ex fide experientiæ scripsit; ita casus nunc recensendus confirmat. Puer quispiam parentibus natus scorbuto acido multùm corruptis, ab incunabulis dubia valetudine sæpius conflictatus, scabie comprimis molestâ subinde divexatus, nondum exacto ętatis sexennio, Anno supra Millesimum sexcentesimum octuagesimo secundo, noctu Diem Lunæ Dominicæ secundæ Adventûs proximum insequente, cùm scalam ad cubiculum ducentem ascendere vellet, repentè sublatâ incedendi Facultate, dolorem insignem in medio femoris dextri cariosi sensit, ob quem per longum satis tempus in lecto decumbere coactus est, etiamsi pręter intumescentiam totius femoris morbidam, nulla inflammationis, aut coloris in cute exteriùs mutati signa apparerent. Post aliquot autem superatas septimanas, Anno insequente 83. in parte femoris interna

terna prope genu macula rubicunda magnitudinem monetę *ein Groſch* Germanis dictę adæquans emicuit, quâ per Chirurgi phlebotomum pertusâ, paucæ emanaverunt cruoris guttulæ, ſed temporis ſucceſſu notabilis puris copia inde effluxit. Atque interea ęger pedem afflictum ſpaſmo detentum extendere haud poterat; extremis nihilominus pedis digitis inniti conabatur, dumque vacillantem greſſum ita tentabat, aliquando ſubſidens in terram, ex corporis facta concuſſione novos patiebatur dolores; Chirurgus autem in ſubſidium vocatus, os femoris in medio καυληδὸν per modum Caulis effractum deprehendebat, cujus conſolidationem uberior puris proventus remorabatur, adeóque ęger ultra annum maximis cum dolorum cruciatibus in lecto decumbere cogebatur; Anno 1684. menſe Aprilis baculo ſuffultus, ęgrè admodum aliquot greſſus perficere valebat; dumque Chirurgus oſſi fracto conſolidando, & puris ampliori affluxui per faſcias circumductas excludendo intentus erat, & ſub poplite duo triave erumpebant uſcuſcula, per quæ oſſis ſpina ventoſa eroſi ſquammulæ abſcedebant: Anno 1696. amplior ſquama ſola exitum per unum illorum ulcuſculorum habuit, hocque facto ſingula paulatim occludi cœperunt, ſed mox in illorum vicem aliud in medio femoris & ſupra fracturam, cum lateralibus quibuſdam prorupit; Anno nonageſimo ſeptimo, itaque demum per remedia interna Curatio expetebatur, quandò Chirurgus ulcuſculum medium cum viciniis per inciſionem & cauſtica impoſita copulare & amplificare omni ope enitebatur, hinc apertura ſatis larga ſpecillum profundè penetrans admittebat. Anno hujus ſeculi primo ęger iter Weiſſenburgum parabat, balneo medicato ibidem celebri uſurus, ſed irrito effectu, dolor ſiquidem intendebatur, id verò notabile erat, quod poſt apertionem, in ſecuto aliquo temporis intervallo, occluſio ejuſdem ſpontanea evenerit, tuncque ęger pedi morbido etiam aliquantisper inniti, nec tamen niſi cum quapiam difficultate incedere potuerit. Menſe ejuſdem anni ſextili, ſumto dolor recrudeſcebat incremento, & cutis eo loco quo inciſio antehac adornata erat liveſcere incipiebat, mox rupta extremum oſſis fracti prominulum proferebat, pro hoc autem ulteriùs detegendo, & ad extractionem faciliorem promtiùs arripiendo, ipſe æger viam per novaculam pendere allobotabat, ſed arreptum idem ob firmiorem cum oſſe reſiduo nexum ſeſe divelli renuebat, donec 26. Novembris die poſt ſeparatam carnis ſpongioſæ circumcirca luxuriantis inſignem partem fragmentum oſſis carioſi talis; qualis hîc delineata cernitur figuræ & magnitudinis exemptum fuerit. Ab illo tempore abſceſsûs foramen, ſua ſponte claudi cœpit, ita tamen ut per intervalla, modò longiora modò breviora, ſaniei parum inde emanaverit; inpræſentiarum autem vix tantillum lymphæ ſanioſæ ampliùs extillat, idemque mox in cruſtam concreſcit, quod autem miraculo proximum eſt, Juvenis pius & probus ob ſolertiam & eruditionem bonis omnibus charus & amatus, commode obambulare & aliquot milliarium iter pedibus exigere, idque commodè ſatis valet; nec femoris oſſi relicto quicquam de longitudine decedit, quin potiùs hæc accrevit, ita ut pedem dextrum ſiniſtro longiorem metiri liceat. In propoſito autem caſu, ſicuti humorum acrium acidorum erodentium in oſſibus depaſcendis virulentia, tanquam pręcipua ſpinæ ventoſæ cauſa evidens eſt, ita conſolidationis beneficium callo loco medullæ ſubnato oſſeam ſoliditatem fermè adepto, & extrema oſſis fracti (poſt fragmentum ſeparatum) denuò quaſi ferruminanti imputandum videtur, talem namque ſuccreſcere olim Patavii in Noſocomio D. Franciſci majoris obſervavi, ubi in adoleſcente oſſis tibiæ carioſi fruſto, mediante admoto cauterio actuali ut diſſiliret, exemto, medullę locum centralia callum oſſeſcentem occupaſſe annotavi.

OTHALGIA

Vid.

AURIUM MORBI.

OZÆNA.

Ozæna ulcus eſt narium vetuſtum, putridum & graveolens, ſaniem putidam ac fętidiſſimam fundens; cum corruptione cartilaginearum ac oſſearum etiam naſi partium ſerpens. Cauſa eſt humor acris, & interdum, ut in lue venerea, malignus; oritur etiam aliquando à ſuffumigiis à mercurio & cinnabrio incautè adhibitis: dignoſcitur ex effluente ſanie & cruſtis decidentibus; laborans prętęrea non ſolùm ipſe ſibi graveolet, ſed & aſtantibus tetri ſpiritûs contagione moleſtus eſt.

Curationes.

Quòd ſi aſini lotium naribus trahere placebit, minimè damno; quòd arcanam vim contra narium fœtorem habere ſit a pleriſque exiſtimatum. *Hier. Mercurialis. Tomo* 1. *conſult.* 69.

Pręſtans eſt aqua viridis mihi uſitata, quæ non tantùm in Ozęnis, ſed in omnibus ulceribus fœtidis Narium, Palati, Uvulæ, Gingivarum, & Linguę mirificè valet. Eſtque talis.

℞. Mell. roſat. ℥ij. Sulph. vivi, alum. crudi, ęrug. æris, an. ℥j. Albi gręci, comar. ſabinæ, an. ʒß. Sambuci ʒj. Fol. hyperici, rotiſmar. rutæ, plantag. ſalv. puleg. an. M. ß. Hæc coq. in vini & aq. ℔ ij. ad conſumptionem unius digiti tranſverſi (in Aphthis puerorum temperetur aquâ tabacci & ſolani, an. ſecus acrior eſt) nota: ærugo ęris non ſimul coquatur, ſed in fine addatur, & relinquatur donec refrixerit, poſtea coletur & uſui ſervetur: hujus cochlear calefiat ſupra candelam, poſtea cum penicillo eadem aqua intincto tangatur locus exulceratus: in fœtidis ulceribus palati, faucium, uvulæ, immittatur aqua hæc cum ſtupis: mirabiliter non tantùm mundificat, ſed inſuper etiam conſolidat, imprimis ulcera palati & faucium ex lue venerea orta: mirabilis quoque eſt ſcorbuto oris. *Joh. Hartmannus. Pract. chymiatr. pag.* 110.

Ozæna curatur purgatione totius corporis exactâ; maſticatoriis ex maſtiche pituita capitis purgatur, quibus ſi adjungatur ſcammonium, potentiùs trahet & derivabit materiam in proximiorem partem. In principio, ante omnia medicamenta, utiliſſimum erit uti aquâ illâ pro polypô deſcriptâ, vel lixiviô paratô ex cineribus caulium & fabarum; item aquâ forti, vel oleô vitrioli, oxymelite dilutis. Detergent hęc omnia, & carnem putrem exedunt, ut & omphacium antiquum paratum ad oculorum affectus, diſſolutum in aqua calamenti & œnomelite. Poſſet in principiô unguentum Ægyptiacum diſſolutum in aquâ hordei convenire ad ulceris deterſionem; deinde conficienda ſunt unguenta quæ adſtringant & detergant, ac ſummè exſiccent, ut unguentum Pompholigos, additô alumine, chalcitide, & cortice mali granati; vel conficiantur ſic.

℞. Omphac. ℥ß. Cortic. mali gran. & balauſtior. an. ʒiij. Myrrhæ, alumin. ladan. an. ʒij. Chalcyt. Aloës, cortic. thuris an. ʒj. Olei roſar. & myrthin. an. ℥ij. Cerę rubr. q. ſ. Fiat unguentum, quod applicetur parti narium internę; vel diſſolv. in vinô, aut aquâ

aqua myrtillor. aut peculi rosar. Id frequenter naribus attrahatur, ore aquâ plenô.

Vel. ♃. Rad. dracuncul. ari, vel serpentar. maj. harum alterutra pistetur, succus extrahatur, qui naribus injiciatur. Vel, quod multò commodius est, turunda ex pannô lineô concinnata, eôdem succô imbuta; aut denique ejusdem radicis frustum, in id apparatum nari indatur; ulcus contingens illa absumit. Hujusmodi solida remedia per diem integrum, vel noctem gestanda, & diebus aliquot iteranda, & brevi mirandus eorum succedet effectus.

Vel. ♃. Granator. dulc. & acidor. an. part. æq. contundantur cum corticibus, succus extrahatur, & decoquatur ad mellis liquidi consistentiam: huic succo misce cortices, grana, & pulpam prædictorum granatorum trita: hæc omnia tamdiu simul agitentur donec fiat pasta, ex quâ fiant turundæ nari laboranti immittendæ, succô prædicto prius illitæ, manè & vesperi.

Vel. ♃. Mass. emplastr. de mucilagin. ℥ß. Pulver. sabin. ʒij. Malaxentur & incorporentur simul, ex hâc massâ fiant cereoli debitæ molis in narem ægram immittendi ut suprà, operantur sine dolore. In istis unguentis abstinendum à fætidis, & miscenda sunt aliqua odorata, propter fætidum illum odorem, aliàs offendit. Ex supradictis confici potest pulvis & insufflari ad ulceris exsiccationem. Fiet ex iisdem, ex quibus compositum est ultimum unguentum ex omphaciô. In ulceribus narium post aliquam detersionem, nihil aliud efficacius inveni quàm suffumigium, quod partes illas profundas attingit & siccat. Parandum autem ex potentissimè resiccantibus, ut auripigmentô rubrô, vel luteô, cinnabari, quibus addenda sunt aliqua odorata, ex quibus fuligo excitatur, & ulcera siccantur, uti myrrha, thus, mastiche, benjoin &c. Veluti.

♃. Ladani puri, hypocistid. mastich. myrrh. an. ʒiij. Styrac. rubr. & calamit. cortic. thuris, sandarac. auripigment. rubr. an. ʒiij. Excipiantur omnia terebinthinâ, & fiant trochisci quibus fumigentur serò & manè in cubiculô. Optimum est etiam illis parare candelas ex cerâ rubrâ; nam fuligo talis candelæ plurimùm juvat exsiccationem, maximè si contineatur in cubiculô bene clausô & angustô. Quòd autem fuligo recipiatur, idem experimur cùm diutius in musæô moram trahimus noctu; nam postea sputum & recrementa narium fuligine illâ denigrata redduntur. Hâc ratione nos ulcus curavimus, quod neque ab Italis, neque à Gallis Medicis curari potuerat.

Ulcera alia narium, ut quæ fiunt in alis narium ipsarum, fortiter resiccantibus citra morsum, & sarcoticis sufficienter curantur, quibusdam adstringentibus additis. Mineralia diligentissimè lota, cum cortice mali granati, & Aloë lotâ, talia ulcera curant; Unguentum paratum ex pompholige cum balaustiis idem efficit. Item frequenter pars lavetur decoctione sequenti, vel aqua destillata.

♃. Balaustior. cortic. malor. granator. an. ℔ iij. Plantagin. caudæ equin. pilosell. linguæ passerinæ, & herniar. an. Mij. Radic. bistort. ℔ß. Folior. myrthi, vel summit. pyti sylvestr. an. Mj. Contundant. & simul destillent. & fiat aqua, de qua sæpe abluat nares. His adde alumin. quart. j. Vel fiat decoctio ex supradictis, & frequenter abluat nares, exsiccando eas postea fumigiô præscriptô ad curationem ozænarum. *Joh. Vigerius Chirurgiæ magnæ lib.* 3.

Ozæna sæpissimè quidem Luis venereæ est symptoma; aliquando tamen (licèt rariùs) ab humoribus acribus & salsis ad nares decurrentibus (ista lue non venenatis) procedit.

Si à Lue Venerea dependeat, istius affectûs curatio generalis instituenda est; aliàs frustra Ozænæ sanandæ remedia adhibebis.

Undecunque oriatur malum, post phlebotomiam, (si necessaria sit) purgationem per vomitum & sedem, derivationem per Vesicator. cucurbit. &c. hujusmodi medicamentis ejus sanatio tentetur.

Toto curæ curriculo decoctum seq. ab ægro sumatur.

♃. Sarsæparill. ℥ iij. Rad. arundin. vallator. vel infimæ partis ejusdem, rad. bardan. an. ℥v. Rad. pœon. mar. ℥ iij. Rasur. lign. Rhodii ʒx. Rasur. buxi, C. C. eboris, ossium bubulorum maj. ras. an. ℥iß. Fol. betonic. chamæpit. veronic. mar. bugulæ, saniculæ an. m. j. flor. herb. paralys. p. 6. flor. hyperic. & sambuc. an. p. 3. Omnia debitè concisa infund. per hor. 12. in ℔x. Aq. fontan. vase idoneô probè tectô; mox f. lenta coctio & ebullitio, donec post colatum & à fæculenta parte apprimè separatum liquorem, restent ejus limpidi ℔ iv. pro 8. dosibus bis in die sumendis, provocando sudorem post dosin matutinam in lectô vel cupa ope caloris externi per horam unam & alteram habita ratione virium. Videndum ut caput benè sudet, sine violento excessu tamen.

Magmati hujus decocti affundantur ℔ xx. Aq. fontan. addendo passularum integrarum ℔ß. F. decoctio ad ℔v. Consumptionem. Liquor restibilis agatur per manicam: Aromatizetur cinamomo vel coriandro pro potu ordinario.

Nisi fluat alvus toto horum usûs tempore (quod fit per 2. vel 3. septimanas) subducatur liquore quodam carthartico admiscendo dosi decocti pomeridianæ, quæ citra sudoris provocationem propinabitur.

Singulis matutinis post detersum sudorem & corpus refrigeratum, utatur gargarismate seq. si ozæna palatum versus vergat, ut sæpe accidit.

♃. Fol. caprifol. betonic. aquat. an. m. j. veronic. virg. aur. saniculæ, bugulæ an. m. ß. Ros. rubr. p. ij. ras. ligni sancti ℥ß. F. omnium decoctio in oxycrato: In colaturæ ℔j. dissolv. mell. trachelii ℥j. Alum. rupis ʒj. Adde usûs tempore vini clareti optimi circiter quartam liquoris partem tunc usurpandi. Ita colluto ore utatur liquore sequenti indendo utrique nari calidè è penicillo vel ex syndone rara cui insuta fuerit spongia mollis.

♃. Lign. guaiac. sassafr. Rhod. an. ʒij. Rad. peucedani ℥ß. Rad. aristoloch. utriusque & ireos Florent. an. ℥iß. Sol. scord. Card. benedict. betonic. aquat. & vulgar. veronic. maris & chamæpit. an. m. ß. Caprifolii m. j. Ros. rubr. p. 1ß. F. omnium decoctio in s. aq. & colatura, de qua cap. ℥viij. vini de Malaga ℥iv. Mellis Ægyptiac. à sedimento penitus liberat. ℥ß. msc. ad usum dictum. Adde huic quantitati liquoris Aloës è vesica, myrrh. elect. an. ʒj. gr. 18. Vel in colatura cum vin. mixt. dissolv. mell. caprifolii & anthosati an. ʒvi. Olei myrrhæ præparati per album. ovi indurat. ℥ß. msc. pro injectione facienda in nares bis in die per syphonem; vel attrahatur per nares tepidè ore aquâ pleno.

Horâ dimidiâ post narium lotionem utatur fumo seq.

♃. Gumm. guaiac. succini an. ʒij. Gumm. animæ; benzoini an. ℥ß. Nuc. moschat. caryophyll. an. ʒj. Fol. siec. salv. majoran. rorismar. tabaci an. ℥iij. Cinnab. ℥j. gr. 45. carbon. salicis tantùm quantum cinnabaris, f. omnium pulvis primò subtiliss. qui excipiatur aquâ gummatâ, leviter postea siccetur in hypocausto vel ante ignem, & teratur crassiusculè: hujus ℈v. Absumantur pro vice, & ex eô in fictilibus fistulis accensô fumus ore haustus reddatur per nares, ut fit ex tabacô.

Vel post factam injectionem, & optimè detersum ulcus penicillô è spongia molli, tangatur os nudatum aquâ aluminosâ Fallopii.

Sumat.

Sumat item dosin Electuar. sequent.

℞. Farin. sarsæparil. ℥iv. Rad. sic. pœoniæ, caryophyllat. tormentill. bardan. an. ℥iß. Folior. siccor. betonic. veronic. mar. virgæ aureæ, chamædr. chamæpyth. an. ʒiij. Rasur. cranii hum. ust. & non ust. C. C. usti præp. an. ℥ß Carnis viperin. debite præp. ℥iß Diaphoret. Antimon. fixiss. ℥iij. Omnia in alkool redacta mixtaque excipiantur suffic. quant. syr. ex vino Canarino, infusion. veronic. & betonic. aquatic. apprime colatæ, sine coctione præparati. F. electuar. instar opiatæ. cujus dosis sit ℥j. Mane, ut dictum est. *Theodor. de Mayerne Praxeos Medicæ lib. 1.*

Consultatio

Medicatio viri, Ozænâ laborantis.

Vir 32. annorum, postquam antea diu defluxionibus acribus, ad nares & fauces delabentibus, laborasset; incidit in narium & palati erosionem; ossiculumque quoddam putridum, cum fœtido pure & sanie, postea excrevit, aliaque deinde ossicula illud sunt secuta. Malum hoc paulatim ita incrementum sumsit, ut jam in naribus, circa earum interstitium, quod ex parte est exesum, atque etiam in palato, solutio continui satis magna & profunda appareat; fœtidaque sanies frequenter inde exstillet.

Affectum fuit in hoc ægro cerebrum; quod destillationes diuturnæ, quas noster æger est passus, arguunt. Afficiuntur etiam nares & earum interstitium, item palatum: quod eorum erosiones, & exulcerationes satis clare demonstrant.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est Ulcus narium & palati fætidum, putridum & saniosum, item latum & profundum, quod à Græco verbo ὄζω, id est, oleo, sive fæteo, deductum; vulgo Ozæna dicitur.

Isque ab acribus humoribus ex toto corpore, sed præcipuè ex superioribus capitis partibus, tum in nares, tum in palatum decumbentibus; easque partes primùm acrimoniâ suâ erodentibus; ac deinde diuturnitate defluxûs, etiam exulcerantibus & exedentibus, & putredinem iis inducentibus, originem duxit.

Morbus hic periculosissimus est, primùm ob diuturnas fluxiones; quæ hunc morbum produxerunt; & deinde propter erosionem, non tantùm partium mollium, sed etiam ossium, & putredinem eorum.

Curatio in humoris generatione, & illapsu impediendo, & ulceris consolidatione, consistet.

Primùm itaque utatur talibus pilulis:

℞. Aloës rosatæ gr. 12. Scammonii ℈ß. Olei cariophyll. gut. 1. F. Pilulæ num. 4. mane sumendæ.

Postridie venæsectio adhibeatur in brachio dextro, pro ratione virium, ad ℥vi. vel viij.

Deinde per quatriduum utatur sequenti Apozemate; sumendo ℥iij. vel iv. pro dosi:

℞. Rad. Cichor. fœnic. Graminis an. ℥j. Polypod. querc. ℥ij. Herb. beton. primul. veris, scabios. ceterach. veronicæ, agrimoniæ an. m. j. Sem. fœnic. anis. an. ʒij. Liquirit. ras. ʒß. Passular. ℥j. Decoq. in aq. Hord. q. s. ad. ℔iß. addendo sub finem decoctionis, fol. sennæ ℥iß. Mechoacan. ʒiij. In Colatura dissolve syrup. de cichor. cum rheo ℥iß. Misce F. Apozema.

Corpore ita expurgato, sequenti decocto sudorifero, prout vires ferent, utetur.

℞. Scobis ligni guajaci ℥vi. Cort. ejusd. ℥iij. Aq. communis ℔viii. Macerentur in loco calido per 24. horas. Postea lento igne decoquantur ad dimidiæ partis consumptionem. Et colaturæ ℥vi. Dentur mane, corpore bene tecto, ad proliciendos sudores.

Et ℞. Resident. prior. decoct. eique adde scobis lign. guajaci recent. ℥ij. & denuò affunde aq. ℔xiii. & F. decoctio ad tertiæ partis consumptionem. Colatura usurpetur pro potu ordinario.

Consultum etiam erit, non tantùm cucurbitas sine & cum scarificatione, collo & humeris: sed etiam setaceum, vel fonticulum cervici, ad humores versus posteriora revellendos, adhibere.

Dum hæc fiunt, quotidie bis ulceri narium, cum turundis illitis, adhibeatur tale Unguentum:

℞. Lithargyr. aur. plumb. ust. lap. calamin. cerussæ an. ℥ij. Succor. geranii robertiani, sempervivi, solatri. an. q. s. Pulverisanda pulverisentur, eaque mixta indantur in mortarium, quibus primò cochleare plenum olei rosacei affunde, & postquam aliquantum pistillo agitaveris, omniaque probe commiscueris, cochleare plenum ex succis præscriptis admisce, quibus itidem agitatis & commixtis, mox iterum affunde olei parum & agita: Idque tam diu alternatim & continuò agitando facito, donec ℥iij. Olei rosacei, & tantundem præscriptorum succorum impenderis. Atque ita fiet Unguentum, ad hujusmodi maligna ulcera sananda utilissimum.

Ulceri verò palati turundæ, sequente syrupo imbutæ, subsequente pulvere conspersæ, bis in die etiam imponantur:

℞. Rad. scrophulariæ majoris ʒij. Fol. & flor. beton. agrimon. veron. scabios. fumar. pyrolæ, sanic. alchymil. an. m. ij. Coquantur herbæ & radices in aq. comm. ad tertiæ partis consumptionem. Colaturæ prælo expressæ adde succi geranii robertiani, mellis opt. sacchar. alb. an. ℔j. Et fiat s. a. Syruptus.

℞. Rad. angel. aristol. rotund. iridis florent. cariophyllatæ, Ligni guajaci an. ℥ß. Cinnam. ʒij. Hæc mixta contundantur in mortario, ut F. Pulvis subtilissimus.

Hæc inquam, bis in die reiterari debent; & extractis turundis, antequam recentes imponantur, tota cavitas nasi sequente liquore, siphone injecto, penicillis etiam eo imbutis, erit eluenda.

℞. Succor. plantag. geranii, aq. ranarum aquaticar. an. ℥iß. Syrupi superiùs præscripti ℥j. Misce pro injectione.

Ulcus ubi consolidatum fuerit, si ex palato in nares tanta sit apertura, quæ locutionem commodam impediat, lamella quædam cum ansulâ superiori ejus parti affixâ, cui spongiola affigi poterit, erit fabricanda: ea enim ubi cum spongiolâ alligatâ palato recte erit adhibita, locutionem satis articulatam in hoc viro efficiet.

In victu, vitentur omnia, quæ acres succos gignunt; item exercitia vehementiora, vigiliæ, & vehementes animi affectus. *Henricus Regius Medicationum lib. 1.*

Observationes:

Ozæna gravissima cum ossis palati erosione.

Laurentius Toupinus, civis Staffiacensis, Vir 30. circiter annorum ætatis, Catarrhis aliàs à teneris (prout parentes ejus sæpius mihi retulerunt) satis obnoxius, cùm anno 1605. defluxione acri ad fauces correptus fuisset, inflammatio inde circa radicem uvulæ cum maximis doloribus, ac tandem etiam exulceratione, exorta fuit.

Profectus Frybùrgum, à Chirurgo quodam non imperito curatus est. Sequenti verò anno qui fuit septimus supra millesimum sexcentesimum, quum in vitæ regimine deliquisset, & internorum medicamentorum usum neglexisset, Catarrhus denuo ad fauces, sed inprimis ad nares, decumbere cœpit. Quia tamen dolores nulli adessent, affectum floccipendit, nec

Priùs in consilium me adhibuit, quàm frustula nonnulla cartilaginum, ex naribus ejus jam excidissent. Tandem circa principium mensis Maji, Anno 1607. me conveniens, cùm affectum ejus inspicerem, animadverti, ipsum uvulâ destitutum fuisse (sicuti quoque tibi ipsimet tum observare licuit) fuerat enim illa jam antea erosa, postmodum tamen iterum cicatrice obducta: sermonem nihilominus (quod mirum) adeo articulate proferebat, ac si nullus defectus adfuisset. Continuò autem à capite ad nares humor quidam acris & mordax, qui os palati, interstitiumque nasi erosit, destillabat.

Nasus undique tumefactus erat, absque tamen doloribus, usque adeo vehementibus.

Ut igitur affluxum humorum ad alias partes diverterem, optima victus ratione instituta; sequentem ipsi potiunculam exhibui.

℞. Herbar. betonicæ, agrimoniæ, veronicæ, cuscutę an. M. s. sem. anisi & foliorum senæ an. ℨij.

Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℥iv. in quibus dissolve pulveris laxativi nostri ℨj. syr. rosar. solut. compos. cum agaric. rhabarb. & sena ℥j. Misce, & fiat potiuncula.

Postridie venam in dextro brachio incidi: deinde per intervalla scapulis cucurbitulas, nunc ut vocant, siccas, nunc verò cum scarificatione, applicui, naribusque sequens medicamentum tum siphone injeci, tum filamentis in eodem imbutis imposui.

℞. Sem. cydonior. contus. ℨj. Aq. plantag. rosar. & ranar. aquatil. an. ℥ij.

Maneant in infusione per horas aliquot, & quidem in loco calido. Expressioni mucilaginosæ adde mellis rosac. ℥j. Pulver. corallor. cornu cervi usti, lapid. calaminar. tutię, omnium præparatorum, nihili an ℨj. Misce.

Die septima ejusdem mensis Maji, pro majori diversione catharri, Setaceum ad tertiam colli vertebram adhibui. Naso extrinsecùs ad humores repellendos, partemque affectam corroborandam, de sequenti applicui decocto.

℞. Folior. & florum betonicæ, Rosmarini, Rosarum rubr. Equiseti, Plantag. Summitat. rubi, Folior. salicis an. M. j. Coquantur in vino rubro ad consumptionem tertię partis. Colaturæ addatur modicum aceti. In hoc decocto linteamina aliquoties reduplicata, & madefacta, applicentur, eaque sæpius reiterentur.

Ab usu decocti hujus; tumor nasi extrinsecus paulatim subsidit.

Ulceri verò palati sequens linimentum imposui.

℞. Radicum angelicæ, Aristoloch. rotund. Iridis Florent. cariophyllatę, Ligni guajaci an. ℥s. Cinnamomi ℨij. Misce, fiat pulvis subtilissimus, cujus parum in vase vitreo misceatur cum melle rosaceo, & ulceri palati cum penicillo indatur.

Postera die à setacei applicatione, ei dosin pilularum mearum capitalium exhibui. Ea die officulum per os excrevit.

Die verò decima prædicti mensis, aliud officulum magnum corrosum & fœtidum, per nares emunxit. Dehinc ulcus in palato in dies auctum, interstitium quin etiam nasi penitus erosum, ex quo in naso tanta cavitas relicta fuit, ut aliquando tredecim, imo usque ad quindecim turundas majores, unam post alteram, sequenti unguento illitas, indere opus esset.

℞. Succi geranii, Succi solatri, Sempervivi, ana partes æquales. Lithargyrii auri, Plumbi usti, Lapidis calaminaris, Cerussæ an. ℨij.

Indantur in mortarium, quibus primò cochleare plenum olei rosac. affunde, & postquam aliquantum pistillo agitaveris, omniaque probe commiscueris, cochleare plenum ex suprascriptis succis admisce, quibus iisdem probe agitatis & commixtis, mox iterum affunde olei parum & agita. Idque tam diu alternatim & continuò agitando facito, donec ad ℥iv. Olei rosac. & tantundem præscriptorum succorum impenderis. Sic habebis unguentum pretiosum in ejusmodi ulceribus, quę aliquid malignitatis sapiunt, Interstitium nasi ab apice ejus, usque ad superius labium, propter maximam, quæ hinc inde serpebat, putredinem, paulatim corrodebatur, & quidem non absque maximo dolore, adeo, ut labium superius exulceratum, cotone, aut filamentis suavibus vix abstergere liceret.

Postquam verò per dies aliquot parvis istis & dolorosis ulcusculis pulverem præcipitatum rectificatum inspersissem, dolor cessavit, malignitasque aliquantum remisit. Sed & loco mellis rosac. præscriptos pulveres radicum angelicę, aristol. rotundæ, &c. Syrupo sequenti permiscui.

℞. Succi geranii ℔j. Radic. scrophular. majoris ℥ij. Folior. & flor. betonicę, Agrimoniæ, Veronicę, Scabiosę, Fumarię, Pyrolæ, Saniculæ, Alchimillæ an. M. ij. Coquantur herbæ & radices in aqua ad consumptionem tertię partis, colaturæ per prælum expressæ, adde succum suprà scriptum, mellis optimi, Sacchari an. ℔j. Fiat secundùm artem Syrupus.

Ad temperandam quoque malignitatem atque acrimoniam humoris affluentis; usum seri lactis præscripsi, quo uti cœpit ultima Maji continuando usque ad 16. Julii, singulis matutinis tribus horis ante prandium, bibendo haustum unum, sacchato dulcoratum.

Cęterùm etsi ab usu horum remediorum malignitas aliquo modo cohibita esse videbatur, quia tamen res adhuc in ancipiti erat, ne si curatio minùs ex voto succederet, culpa in me transferretur, suasi, ut Medicum aliquem peritum atque doctum accerserent. Unde die 11. Julii, vocatus clarissimus atque doctissimus D. Sebastianus Meyerus, Reip. Fryburgens. Doctor Medicus ordinarius, cùm Paterniacum venisset, & circumstantias omnes, morbique essentiam mecum, ea qua potuit diligentia inquisivisset, causam mali in catharrum acrem ac erodentem, ex intemperie quadam cerebri procreatum, referebat. Deliberatum itaque inter nos fuit, ut æger (quamvis summopere à pharmacis abhorreret) denuo probe expurgaretur, & postmodum decocto ligni Guajaci per mensem, vel septimanas sex, uteretur, Rursus itaque ℨj. Pulveris nostri laxativi cum ℥j. Syr. rosati solut. compos. ei exhibui. Deinde quoque per dies quatuor de sequenti Apozemate, ut uteretur, jussi.

℞. Rad. cichorii, fœniculi, petroselini, graminis an. ℥j. Polypod. querc. ℥ii. Herbar. & flor. betonicæ, primulę veris, scabiosę, ceterach. polytrici, cuscutę, veronicę, agrimonię an. M. j. Sem. fœniculi, anisi an. ℨij. Liquiritię rasę & uvarum passular. an. ℥j. Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis, utque colatura redeat ad ℔ij. De qua melle despumato aliquantum dulcorata, & aqua cinamomi aromatizata, tempore matutino exhibeatur ad ℥vi. In postrema dosi infunde, Folior. senę ℨiij. Rhabarbari ℨj. Agarici ℨj. s. Expressioni deinde addidi syrupi rosar. solut. compos. cum rhabarb. agar. & sena ℥j.

Hoc modo corpore expurgato, sequenti docotto sudorifero uti cœpit.

℞. Ligni guajaci ℥vi. Corticum ejusdem ℥ij. Aquę claræ ℔viii. Macerentur in loco calido per horas 24. Postea lento igne coquantur ad consumptionem medietatis, colentur, & in ampulla vitrea usui reserventur.

Residentię ejusdem ligni denuo affunde aquę ℔viii. Bulliant, ut suprà ad consumptionem tertię partis. Quo decocto secundo utatur pro potu ordinario.

De-

Decoctum primum semel tantummodo in die, tempore videlicet matutino ei exhibui, & ut sudaret, imperavi. Interim rationem victûs convenientem præscripsi. Usus est decocto isto septem aut octo saltem diebus, adeo enim sibi adversabatur, viresque ejus prostrabat, ut diutius uti non ausus esset. Decocto tamen secundo per septimanas aliquot inter pastum utebatur.

Et quia interstitium nasi omnino, os verò palati ex parte tantùm erosum erat, totam nasi cavitatem turundis præscripto unguento è succis illitis, ut suprà monui, implevi, quo sic unguentum non solùm undique adhæreret, verùm etiam nasus, quantùm fieri posset, erectus reservaretur. Ulceri verò palati turundas, syrupo præscripto ex radic. scrophulariæ, betonicæ &c. cum pulvere radicum angelicæ, aristoloch. rotund. &c. illitas, imposui. Hæcque omnia bis in die reiteravi. Extractis turundis, antequam recentes imponerem, totam cavitatem nasi sequenti medicamento, siphone injecto, penicillis item in eo inebriatis, adhibui.

℞. Succi plantag. geranii, aquæ ranar. an. ℥i. s. syrupi præscripti ℥i. Misc.

His adhibitis remediis, malignitas cessavit, ulcera item in cavitate nasi indies cicatrice obducebantur. Verùm vigesima prima Julii, patre ipsius morbo gravissimo correpto, à me sumptis secum medicamentis, ad suos discedere, & post mortem parentis res domesticas curare, coactus fuit. Interim superveniente æstu dierum canicularium, quia sanguis ita incaluit, ut acrior malignitorque factus sit, deinde etiam quia medicamenta, quæ secum sumpserat, minùs decenter applicata fuerant, malum recrudescere cœpit. Quapropter denuo consilio meo opus ipsi fuit. Tum de novo putredinem ac malignitatem exortam esse, animadverti: fœtor enim magnus aderat, apexque nasi ad pinnas usque lividus conspiciebatur. Unde curationem rursus sic institui.

Corpore priùs probe expurgato, venam incidi. cucurbitulas item (etiamsi setacei beneficio continuò multi supervacui humores effluerent) ad majorem diversionem applicui. Ulcera, in die bis undique in cavitate nasi, & circa palatum diligenter medicamento præscripto, ex succo plantag. geranii, & aquâ ranar. &c. ablui, turundas, unguento de succis illitas, quemadmodum superiùs monui, imposui. Et quia putredo illa, quæ apicem nasi occupabat, vicinas partes quoque invadebat, non tantùm apici nasi, verùm & ulceri circa palatum nonnihil unguenti nostri Ægyptiaci, imponere coactus fui. Sic favore divino, putredo & malignitas paulatim remisit, curatio tamen ad mensem usque Decemb. protracta fuit, propter copiam ossiculorum cariosorum, quæ hinc inde tam ex cavitate nasi, quàm palato, excidebant. Quorum ossiculorum ego usque ad triginta quatuor reservo. Exciderunt & nonnulli ex dentibus anterioribus cum suis alveolis, adeo ut maximum foramen ex ore in ipsam cavitatem nasi penetrans, relictum sit, per quod ne aër dispergeretur, sicque vox & loquela impediretur, instrumentum quoddam ex argento, cui spongiola adnexa, fabricandum curavi. Quod instrumentum adeo commode foramini prædicto palati indi potest, ut sermonem ita articulatè proferat, ac si nullus omnimo defectus subesset: cùm è contra instrumento cum sua spongiola extracto, vix verbum unum aut alterum distinctè ac articulatè proferre posset.

Inciderunt & nonnullæ aliæ circa hunc affectum difficultates, quæ curationem hanc & longam, & laboriosam effecêre, quas, quia tibi non ignotas esse sciam, brevitatis causâ hîc omitto.

Nunc tamen, laus Deo æger ita convaluit, ut ad hunc usque annum 1609. optimè valeat, & rem familiarem probe ipsemet administrare possit. Apex tamen nasi, quia corrosus fuerat, simus factus est. Gulielm. *Fabricius Hildanus Observ. Chirurg. Cent.* 2.

Ex suffitu Ozæna gravissima, aliaque symptomata.

Quàm periculosa sint suffimagia ex cinabrio aliquando dixi. Etiamsi enim in lue venerea inveteratâ à viris doctis adhibeantur, neque ea omnimo improbem, ita tamen semper mihi suspecta fuere, ut ea hactenus non adhibuerim. Nihilominus tamen multos, quantumvis inveterata lue venerea laborantes, Dei singulari beneficio sanitati restitui. Sunt autem in desperata tantummodo lue venerea, & robustissimis, ac antea diligenter præparatis, nec non ab omnibus excrementis aliquoties expurgatis corporibus adhibenda. Qui secus, & Empiricorum atque barbitonsorum nostrorum more, faciunt, non curant, sed destruunt corpora, & ad summam miseriam perducunt ægros. Hujus rei exemplum non vulgare post tuum à nobis abitum, mihi videre contigit, quod tibi communicare non gravabor.

Juvenis robustus, & optimo corporis habitu præditus, ante annos quatuor coryzâ cum maxima narium obstructione laborans, Empiricum in consilium adhibuit. Is catarrhum hunce per nares palatumve facillime se evacuare posse, audacter affirmare, aureosque montes promittere, ausus fuit. Quibus æger commotus, sese ipsi curandum commisit. Impuro itaque nec ullo modo præparato corpore, nudum ipsum sub conopæo in labrum collocavit, ac totum corpus cinabrio in prunas projecto suffumigavit, & quidem per dies aliquot. Hinc maxima virium prostratio sequuta est, adeoque pituita ad os & nares confluxit, ut circa ossa cribrosa sordidum ac fætidum ulcus sit generatum. Ego superiori mense Majo ad ipsum in consilium vocatus, interstitium nasi omnino, reliquas verò cartilagines ex parte erosas reperi, ita ut maxima cavitas ac nasi depressio adsit: continuò quoque pus fœtidum è naribus extillat, olfactus plane abolitus est. Tanto præterea impetu humores ad faciem defluunt, ut indies nova tubercula hinc inde oriantur. Circa sinistrum canthum minorem ante menses duos rupta est vomica, ex qua relictum est ulcus sordidum: supercilium quinetiam, & palpebræ dextræ in tumorem elevatæ sunt, nova item in partibus istis apostemata oriuntur. Multa ac varia ipsi præscripsi medicamenta, tam interna, quàm externa, quæ si à præsenti Chirurgo recte & cum diligentia adhibita, de recuperanda valetudine spes est, sin minus, verendum ne malum indies accrescat, & in pejus ruat.

Memini me superioribus annis unà cum clarissimo viro D. Sebastiano Meyero, Reip. Freyburgensis Doctore Medico celeberrimo, à duobus nobilissimis in consilium adhibitum fuisse, quibus similiter post suffumigia ulcera sordida fœtidaque circa ossa cribrosa remanserant.

Nudius tertius cuidam nobili Ozæna ex suffumigiis contracta, setaceum ex consilio prædicti Dn. D. Meyeri, adhibui. Vides itaque quàm periculosi sint suffitus in lue venerea, & narium affectibus *Idem ibidem*.

Ozæna curata, in qua os vomer majori ex parte excidebat.

Nobiliss. Vir D. D. C. quinquaginta & quinque annos natus, Lue venereâ ita malè affectus, ut per plures curationes tùm hîc Genevæ, tum Parisiis, tum etiam in Belgiô, tentatas, ab ea liberatus non fuisset. Quin potiùs morbus in dies increscens nova symptomata subinde inducebat, dolores scilicet universales,

nodos in variis partibus, urinas ac alvi dejectiones cruentas, exspuitiones purulentas, ac febrem lentam; quibus denuum post adhibitum incautiùs, minùs probè præparatum mercurium. adjungebatur palati, faucium, imò totius œsophagi exulceratio, omnem prorsus nutrimenti deglutitionem, præter solas emulsiones è seminibus frigidis & nucleis pistac. cum aquâ pullorum gallinaceorum extractas. Sceleton verè dixisses, tanta aderat totius macies; nec in hoc totum continebatur malum, siquidem ex palato in nares tanta corruptio serpserat, ut eâ spiritus infectus longè spargeret odorem tam fætidum, ut præ ejus virulentiâ vix liceret ægri cubiculum ingredi. E naribus effluebat multa sanies, ipsæque etiam carnes spongiosæ ad earum radices sitæ subinde excidebant cum variis ossis particulis. Vix erat quid consilii sumerem in tam atroci morbô; ne tamen miserum prorsus desererem, aliquid etiam ultra Artem tentare visum est. Itaque decoctiones validissimas ex lignis & radicibus desiccantibus, additis etiam herbis nostris traumaticis, in vasis probe coopertis; ac secundùm methodum Clariss. D. Pappini confectis, paravi, earumque aliquid, post admixtum syrupum de Balsamo Copaivæ, & de Mechâ, subinde propinavi. Pulveres è jalappâ, mercurio dulci, cinnabari naturali, & paucô Mechæ Balsamô, concinnavi, ac tertia quaque die, exhibui; intercalatis pulveribus, ex eôdem balsamo, ac mercurio dulci, & cinnabari; cum aliis etiam absorbentibus, ac spermate ceti, sed sine jalappa. Succos præterea è vincâ pervincâ, alchimillâ, veronicâ montanâ, saniculâ, ac hæderâ terrestri, extraxi, quos balsamô prædictô, melle rosaceô & paucissimo spiritu armoniacali aromaticô, imprægnatos, cum lacte vaccinô per syphonem, in superiores nares, indeque in ipsas fauces, frequentiùs injeci; & quia paulò glutinosior erat hæc mixtura, illi per vices aliquid decocti pro potu lacti adjunctum, quò pars commodiùs mundificaretur, succenturiavi; Hunc potum post aliquot dies laxantem feci, infusis in eô foliolis orientalibus, atque etiam hac imbutum vi purgante, non minùs in nares, instillavi. Per tres septimanas sic continuata est cura; & totô eô tempore, non tantùm potus fuit desiccans, sed etiam ex decoctionibus tenuioribus ejusdem facultatis, confeci aquam pullorum emulsionibus parandis destinatam. Hacce methodô, parum admodum salivationis motum est; cui etiam integræ sustinendæ prorsus impar erat Æger Nobilis; sed per inferiora, sedes scilicet & urinas, non parum vacuatus est; imò per nares ipsas ingens copia purulentiæ ejiciebatur, cui ossiculorum fragmenta subinde erant associata. Sic demùm curatâ faucium ac œsophagi exulceratione, alimentum minùs tenue assumere valuit, juscula scilicet carnium quibus incoquebatur aliquid panis. Tunc vires aliquatenus fuere refectæ, indiesque accrescebant per validius nutrimentum. Continuabantur interim decocta desiccantia & laxantia, imò subinde mercurius dulcis ac cinnabaris nativa balsamò Copaïvæ sub formâ pilulari adjuncta; injectiones præterea non omittebantur. Quibus omnibus ita tandem proficiebamus, ut sanus omnino ac vegetus evaserit intra sex septimanas, & solùm os vomer, nares in superioribus interstinguens, profunda carie exesum, deperdiderit.

Ozæna in quatuor fratribus

Clariss. Udalrici Staudigelii. Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 7. 8.

Placuit hanc observationem subjungere superiori, propter nonnullam, quam cum eadem habet similitudinem, & commercii sympathetici symbolisationem. Sunt rustico cuidam, *in der hull genannt*, quatuor filii, quorum natu minimum elegantior forma, genii vivacitas, indolisque docilitas à reliquis suis fratribus notabiliter distinxit, perindeque patri longè cæteris chariorem reddidit. Hinc studiis ipsum devovens, cujusdam Ludimagistri disciplinæ subdidit, à qualificandis ad receptionem in Gymnasia pueris non incelebris. Vix dum duos emensus in hoc stadio menses erat, primò facies ejus pallore, dehinc nares ozænâ corripiuntur. Unde fœtor, cantûs, quem discere jam inchoaverat, impedimentum, torpor in reliquis functionibus, & alia ludimagistro non modice molesta. Dum autem, ut familiare apud rusticam gentem, remedium partim à tempore expectatur, partim ab imperitis Chirurgis expetitur, affectus quotidie vergebat in pejus, crustâ continuò latiùs serpente, & ipsô fœtore domesticos semper vehementiùs infestante: remissus enim erat à ludimagistrô domum puer, postquam incrementa sumpserant symptomata. Coactus itaque necessitate pater, de remedio cogitare, filiolum hunc ad me deduxit atque ut ab affectu tam fastidioso liberarem eundem, multis ambagibus sollicitavit, promptus est ad quoslibet sumptus & expensas, dummodo pristinæ sanitati restitueretur filius. Indaganti, prout par erat, in hujus affectûs causam, retulit pater, se tres adhuc alios habere filios, eodem malo laborantes, quodque dignum admiratione mihi videbatur, omnes, quamvis in quatuor, & multis ab invicem milliaribus dissitis locis essent constituti, in una eademque simul hebdomade correptos. Interrogatus, cur hunc solum adduxisset? pro hoc, reposuit pater, se magis esse sollicitum, utpote ad Scholam & cantum aptissimum, atque propter factos intra breve tempus utique progressus à ludimagistrô ample laudatum: rogaturum se posthac etiam pro reliquis tribus remedia, siquidem in hoc feliciter cessissent. Satisfacturus igitur patris precibus, dari potiunculam adcuravi, qua sanguis ab impuritatum acrimoniâ vindicaretur, ex decocto sennæ, elect. diacarth. Spec. diaturb. cum Rhab. calidè sumendam; pro usu externo aquam mercurialem, post elutionem, etiam petiis intinctis in nares intrudendam. Rediit post octiduum pater, referens filium jam aliqualiter meliùs habere, crustas in naribus decidere quandoque, renasci verò rursus, quamvis mitigato notabiliter fœtore. Præcepi, repeteretur Potiuncula primitus data, credens sanguinis acrimoniam nondum satis absorptam; pergeretur que porrò in aquæ mercurialis usû. At nihil diversum retulit post simile temporis spatium reversus pater. Hinc scorbutum huic affectui complicatum suspicatus, quòd idem pater de victûs ratione requisitus, fassus fuerit, totam familiam suam aceto summopere delectari, plerisque cibis largè commixto: jussi, ut per tres septimanas decoctum raphani Sylvestris, cum sero lactis caprilli confectum, bis in die, cuilibet dosi ℥iij. consociando spiritûs ammon. gut. x. Essent. trifol. fibrin. gut. xv. alternis verò diebus de infuso ocul. cancr. in vino haustum, horâ circiter unâ ante lecti ingressum, cum prolectione modici sudoris sequenti mane. Aquæ mercuriali substituta fuit aqua viridis Hartmanni, quorum medicamentorum constanti usu, servatâque, quam imperaveram, exactâ diætâ, puer perfectè convaluit. Post Benjaminum adducti quoque fuere Ruben & Simeon, primo & secundo-geniti. Sed enim apud hos tantis ambagibus opus non erat. Præmisso cathartico, biberat uterque de infuso oculorum cancri; ter in hebdomade, collutis naribus, ille quidem cum aqua viridi, iste cum mercuriali, & intra quatuor septimanas immunes evaserunt ab inviso hospite. Jam verò de quarto filio quid? tametsi pater parum cogitaverit, dignumque fortassis, ceu reliquis filiis minùs

nùs morigerum, expensis aut sanitate non censuerit, curatus tamen & ipse fuit, nullis prorsus adhibitis remediis. Observatum verò fuit, fœtorem & ulcerosas in naribus crustas statim diminui cœpisse, postquam convalsore cœperant in fratre natu minimo; penitus autem disparuisse non ita multò postquam reliqui duo poterant convaluisse.

Scholium.

Quemadmodùm casus iste singularior videtur raritate, ita dignus etiam severiori naturæ mystarum Scrutinio. Præ omnibus autem inquirenda venit causa, quæ in tot, tamque diversis subjectis, eundem suscitare potuit adfectum, & simul propemodum, in una nimirum eademque septimana. Nam si domi fuissent omnes, mensâ lectoque communi, communibus item ad edendum & bibendum instrumentis vasis usi, tum enim verò ad quoddam referri poterat contagium, effluvio substantiali morboso seminatum. At quoniam separatis, & utcunque dissitis in locis commorati, sese diu ne viderint quidem ampliùs, tres saltem illorum integrò propemodum anno, contagium accusari ritè non potest. 2. Indagari meretur, quorsum referenda sit in quartum filium, videlicet illum, absque medicamentis relictum, translata sanitas? Etenim sua sponte, vel solius naturæ, quæ medicatrix aliàs optima dicitur, nisu vigoreque hunc adfectum fuisse depulsum durum videtur, asserere velle: quandoquidem, ut præstantissimi fatentur practici, docetque frequenter experientia, indolis illius ut plurimùm sit, ægre manus ut cedat, & egregiis etiam medicamentis non rarò diu resistat. Aut si tantus contendatur naturæ vigor, ut citra remedia ulla vincere potuerit hunc hostem, & in fugam conjicere; cur hac victoria, priusquàm fratres reliqui medicarentur, potita non est? cur trium fratrum restitutionem comitata, vel subsecuta potius? Et verò mentem ego meam hac super re si cogerer edicere, illuc inclinarem, quòd tam scabiei natalis propagatio, quàm ejusdem, & quidem facilior in duobus natu majoribus, in tertio autem fratre citra remedium ullum eliminatio, virtute animali, seu spiritu omnibus quatuor fratribus insito & confermentato fuerit procurata. Neque vererer, ut intelligerer meliùs, spiritum hunc mumialem prædictis fratribus inexistentem; mihi repræsentare in quatuor chordis, ad omnimodam toni æqualitatem attemperatis. Harum enim, si percutiatur una, sonant omnes etiam reliquæ, ceu multoties expertos se testantur P. Kircherus, Schottus, aliique plures. Jam quemadmodum sonus à chordâ percussâ transfertur ad chordas alias, manu non attactas, mediante aëris undulatione; ita scabiem ab uno fratrum, ceu chordâ percussâ, in alios tantùm non expertos communicatam arbitrarer, mediante spiritu mumiali, toni similitudinem in omnibus hisce fratribus, adæquatè consecuto. Pervenire verò posse spiritum istum mumialem ad ejusmodi similitudinem, integræ familiæ satis evincunt, in certos morbos, hecticam, icterum, caducum, hydropisin, Podagram, lithiasin, amentiam etiam propensæ: quæ propensio non aliunde rectiùs advocatur, quàm à mumiali fermento, & hoc vel à parentibus vel à nutricibus imbibito. Quod si verò nihil impediat, quò minùs spiritus iste mumialis pluribus unius familiæ personis inexistat, vitiatus, & fermentum morbosum in sinu suo continuò fovens; etiam utique nihil impellet, quo minùs idem mumialis spiritus in pluribus unius familiæ personis insitus sit, incontaminatus, integritatis characterem ab optimè constitutis parentibus sigillatum referens, & eundem, lenonis ad instar in personis illis, velut in actionis suæ peripheria constitutis concilians, & pro posse conservans. His ita dictis, à vero non multùm aberravero, si mihi imaginer, totum hujus propagatæ scabiei negotium ita successisse, videlicet, quod è quatuor fratribus unus, quocunque demum errore commisso; quandam in sanguinem acrimoniam induxerit, quam deinde spiritus mumialis in eodem suscipiens, & commercio suo magnetico reliquas sibi consonantes chordas percutiens, id est, in reliquos fratres transfundens eâdem acrimoniâ sanguinem in iisdem infecit. Et quoniam, ut credi par est, hæc originalis acrimonia à particulari narium archeo erat sigillata, & ad certum locum determinata; hinc evenit ut in reliquorum fratrum sanguinem insinuata, demnm ope circulationis, ad eosdem in singulis privatos narium archæos devoluta, ibidem cœperit confermentescere, in putredinem desciscere, sicque parem in singulis fratribus ozenam elaborare. Multam huic speculationi lucem affundent historialæ duæ, quas recenset Helmontius in Tract. de magnet. vulner. curâ p. m. 707. & seq. Prima de muliere nobili, toties à doloribus podagricis inclementer infestata, quoties in fratris, dum viveret, podagrâ laborantis, sellâ consedisset. Mumia siquidem fratris, licèt fatis jam defuncti, in sella, qua vivens continuò sedere consueverat, adhuc dum hospitans; & sororis, sicubi in eadem se locasset, vestes penetrans, dormientem magnetismum, quem ad uterinam sororis mumiam habuerat, suscitavit, simul & fluxus ac dolores podagricos; aliàs altè quieturos, si scilicet sessionem in sella evitasset. Altera est de naso insititio, post plurimos menses derepente frigefacto, & post aliquot dies, contractâ putrilagine penitus delapso. Contigerat enim post hujuscemodi temporis spatium, illum, è cujus brachio nasus erat excisus, mortem obire. Unde particula illa excisa, licèt vitâ mediâ illius, cui erat insita, sensu quoque & vegetativa facultate gauderet, tamen per mumiæ magnetismum à toto, à quo erat excisa etiamnum dependens, & ipsa putredine infecta fuit, postquam totum putrere inceperat: & quidem aut, quòd mumiali totius vitalitate sustentata non ampliùs fuerit, aut quòd putrilaginosum fermentum è cadavere, commercio suo mumiali, per longissimum terrarum intervallum transmissum in se susceperit.

Simile quid cogitati etiam posset de faciliori in natu majoribus, & spontanea medicatione in tertio fratre, nimirum, quòd partim ejectis per catharticum è natu minimo, partim etiam per applicita media, præcipitatis ac suppressis acribus in sanguine particulis; spiritus mumialis jam liberior, & ipsis residuis omnino superior redditus, aut easdem novo affluxu penitus destituerit, aut illas ipsas particulas quibus acrimonia fuit in natu minimi sanguine præcipitata & quasi, mortificata, in reliquorum fratrum sanguineam massam intulerit, quo factum; ut in cujuslibet massa particulari, acrimoniæ participatio fuerit facilitata, fermentatio in naribus eversa, sicque corruptio sublata, & simul pristina incolumitas revocata: ad illum fermè modum, quo persicaria, serpentina, sophia &c. in frigidam demersæ, & super vulnus aut ulcus impositæ, donec intepescant, & mox defossæ, & putridæ factæ, ulterius fermentum præcipitant, quæ noxia sunt, ex iisdem eliminant, sicque læsis membris antiquam sanitatem restituunt.

Finis Libri Decimitertii

JOH.

JOH. JAC. MANGETI BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ LIBER DECIMUS QUARTUS.

De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Literâ P. incipientibus.

PÆDANCHONE

Vid.

APHTHÆ.

PÆDARTROCACE

Vid.

OSSIUM MORBI.

PALATI MORBI.



De illis jam aliquid in Epulide ac Parulide, ut & in Lue venereâ ac Oris morbis. Hîc itaque tantùm Observationes aliquas.

Prolapsus palati.

Hactenus quidem vel omnino pręteritus, vel levi saltem brachio percursus fuit à Medicis prolapsus palati. Vitium tamen non minùs grave quàm rarum. Cujus origo est à distillatione humoris deprimente usque eò musculos sub finem palati sitos; ut præ pondere prolapsi, pręcludant viam spiritui, cùm per os, tum per nares erupturo.

Quæ angustia necessariò pessundat hominem, nisi dictum, ac factum scalpellô tumorem pertuderis; evacuatôque humore illic conclusô, aperueris confestim viam, accedenti ac recedenti spiritui necessariam. Vidi equidem tumorem hunc in palatô, adeò celeri ac pernici cursu, aliquando exortum, ut vix licuerit cogitare de gargarismate; nedum de aliis auxiliis; pręterquam de solâ scalpelli incisione: quâ dextrè, & festinanter, id temporis, institutâ, vidimus non modò effluxisse inde plurimum aquæ: sed detumescente palatô, protinùs ad se rediisse hominem extinctioni jam proximum. *Nicolaus Tulpius Observationum Medicarum lib.* 1.

De insignis magnitudinis hiatu in palatô.

Quàm inordinatus sit sonus in iis, quibus oris palatum inveteratô hiatu laborat, quoties loqui coguntur, omnibus notum qui arti se se dederunt Chirurgicæ Medicæve, Hujus mali ad correctionem, quò accuratus magis excitetur sonus, varia omni tempore excogitarunt artis nostræ cultores media, opercula inprimis, quorum quædam descipsit, delineárive curavit Carolus Battus manualis Chirurgicæ tract. 2, cap. 13.

Intermittere non possumus, quin describamus, delineemusque obturamentum aliquod extraordinarium, ex foramine incredibilis amplitudinis palati ad fauces prolapsum, pręsente Corneliô Kerchem Reipubl. hujus Chirurgô ordinariô, in cadavere mulieris alicujus ex mandatô Amplisf. D. Prætoris atque Scabinorum dissectô, observatum.

Subitò hęc extincta, unde venenum assumpsisse dicebatur. Hoc, quò constaret, ope speculi oris, interiora ejus intueri consultum visum; occurrebat illico particula corticis illius porosi quô uti solemus ad vitrorum occlusionem (Belgis *Kurk*) obducta plumaceolis, hinc laminâ argenteâ tecta, quę ex palatô, cujus foramini imposita fuerat, deciderat ad fauces, ubi laryngis deducta angustia, ex quâ subita suffocatio. Notavimus hæc 27. *Martii* 1654.

Proposuimus hæc, non quòd foramen, magnum adeò, quod jam occalluerat, curari debuisse, aut potuisse, velimus; sed ut moneamus nunquam operimenta talia usurpari debere, nisi quæ firmiter vicinis undique cohæreant; ne suffocationis periculum adsit.

Ulcerum Palati cum carie, ac etiam hiatu quædam exempla.

Non ita pridem curæ meæ se committebat Nobilis Matrona Burgunda, quæ sine ulla Luis suspicione, tantô afficiebatur palati ulcere, vel potiùs pluribus, ut per humoris ex iisdem depluentis acrimoniam, os variis in locis non parum alteratum ac exesum foret. Ægram sępiùs purgavi; venęsectionem bis imperavi; decocta sudorifera exhibui; & ulceribus; succum primò alliariæ paucô spiritu salis armoniaci imprægnatum, posteà succum alchimillæ, saniculæ ac pyrolæ, eod. spiritu paulò magis saturatum, ac tandem tincturam gummi laccę spiritu vini sale armoniaco volatili imbuto, extractam, admovi. Quibus auxiliis brevi convaluit, & adhucdum sana vivit. Spiritum autem armoniacum, & præcipuè tincturæ gummi laccæ per eos

eos extractę, virtutem non possum satis commendare in oris interiorum ulceribus, cum & sine carie: siquidem eorum vi, quicquid corrupti ab ulcere pullulat, commodè exeditur, osque cariosum benignè exfoliatur, ac cicatrix tandem inducitur. Non ita bene cessit duobus inter nostros viris, quorum alter convulsus periit, postquam, nihil proficientibus remediis, palatum variis locis perforatum; imò dentium plures alveolos ita cavatos habuit, ut per eorum hiatus minor digitus ad nares usque promoveri posset. Tantus autem inde prodibat fœtor, ut cùm semel digitum ipse induxissem, vix per diem integrum mephiti contracta, variis etiam adhibitis lotionibus idoneis, ipsum spoliare concessum fuerit. Alter verò ex parte suffocatus, sed pręcipuè ex alimenti inopia, obiit; postquam tantus hiatus in ipsius palato factus est, ut nulla arte obturari potuerit, deficiebant scilicet omnes dentes, qui nempe prę carie largissimè serpente deciderant, nec aliquid aliud erat cui obturamentum necessarium colligare daretur. Itaque quicquid assumere vellet, miserrimus hominum, statim per nares ascendebat, nec in ventriculum deduci valebat. In eôdem ęgrô, vidimus ex carie partium auris interiorum, ossicula auditui ex communi sententia, facientia; quibusque nomina, stapetis, incudis, malleoli, ac ossis orbicularis indita sunt, cum aliis multis excidentia: Unde satis constare potest quanta demùm fuerit cariei vis in tota superiore maxilla partibusque vicinis. Sed de his jam satis.

PALPEBRARUM AFFECTUS.

De iis jam in Oculorum morbis; superest itaque tantùm ut hîc rursùs aliquas Curationes, Consultationes & Observationes morbos harumce partium paulò specialiùs spectantes, adjiciamus.

Scabiei Palpebrarum Curatiò.

Præmissâ purgatione, & cucurbitulis cum scatificatione scapulis admotis, jussi ut aquâ rosaceâ, Aloë exiguâ immixtâ, collyrii instar palpebras sæpiùs oblinirct; si neque juvaret, ut myrrham cum lacte muliebri misceret, quô palpebras inungeret. Sed & hôc linimentô ad pruritum palpebrarum, & ruborem commodè sæpè usi sumus.

℞. Cadmię lotæ in aq. rosac. ʒß. Sanguin. draconis ʒij. Viridis æris ℈j. Aloës hepaticę ʒiij. Fiat pulvis ut alkool. Adde olei commun. ℥iij. Laridi sine sal. ℥j. Incorporentur omnia; postea adde camphor. subtiliss. pulver. ʒj. Fiat unguentum. Amicus quidam noster, cùm palpebras inferiores rubras & exulceratas haberet, sequens illi linimentum paravi ex unguentô rosac. paucâ adjectâ tutiâ præparatâ, quo, cum petiis lineis, ac hoc aptatis, apposito, unicâ nocte (quod mirabile fuit) ab illa molestia liberatus est. *Petrus Forestus de morbis oculor. & palpebrar.*

De tumore Palpebrarum Consultatio.

Lidgardis Cundenreichia, Conjux viri integerrimi D. Joh. Calsouven, tumore quôdam laxô, & quasi œdematosô, afficiebatur, sine omni dolore & molestiâ, nisi quòd oculos aperire non posset.

Resolutio.

Εμφύσημα hoc ab humore aquosô-serosô & flatulentô, quô abundare videbatur ęgra, natum est.

Foveantur palpebræ decoctô flor. Chamęmeli, rutæ, cumini. Inungantur oleô anethi & rutæ. Hæc frustrà fuerunt,

Humores itaque serosi evacuentur sequenti pulvisculô.

℞. Cremoris tart. ℈ij. Magister. gutt. gamandr. gr. 6. Resin. gialapp. gr. 3. M.

Postmodum palpebris emplastrum applicetur prô quô.

℞. Pulver. semin. cumini subtiliss. ʒiij. Farin. tritic. & fabar. an. ʒiß. Mellis rosarum q. s. M. f. emplastrum.

Sic intra biduum penitùs evanuit tumor, brevi tamen recruduit; imposui denuò emplastrum, iterum subsedit. Verùm cùm sæpiùs postea recurreret & cachexiam subesse animadverterem, convenientibus remediis eandem expugnavi, sicque ab omni recidiva immunem præstiti. *Baldassar Timæus Casuum Medicinalium lib.* 1.

Ex verruca in oculi sinistri Palpebra malè curata Cæcitas.

Mechtildis *von Pollem*, uxor D. Georgii Froreichii, Quæstoris in Episcopatu Caminensi Provincialis, myrmeciam, sive verrucam glabram & sessilem in oculi sinistri palpebrâ jam à multis alebat annis, nullô adhibitô remediô, siquidem molestiæ & doloris erat expers. Obtulit se tandem ultrò Chirurgus quidam castrensis opem exiguâ herbulâ pollicitus; Succô nimirùm ex esula recenti expressô verrucam illinivit, simulque linteolum eôdem succô imprægnatum, oculô clausô sub vesperam palpebrę imposuit. Noctu totius oculi tumor & inflammatio suborta, tam atroci cum dolore & cruciatu, ut de vita desperaret Ægra.

Resolutio

Accersitus ad leniendos immanissimos cruciatus; lac muliebre instillavi oculo, idemque & palpebræ cum petiis duplicatis tepidè applicui. Fronti autem & temporibus epithema ex repellentibus induxi. Mox ad inflammationem coërcendam, aperta in cubito vena, sanguinem ad uncias septem detraxi.

Hinc alvum enemate convenienti provocavi, aliaq; revulsionum media adhibui. Dolore nihilominus perseverante, & immane quantum sęviente; cataplasma anodynum tepidè imposui.

℞. Pomor. dulc. num. 3. Coquant. ex aq. rosar. & plantag. q. s. ad mollitiem; trajiciantur per cribrum. Pulpę adde sacch. albiss. gr. xi. Croci gr. v. M. f. cataplasma.

Hujus usu sępiuscule repetitô immanissimi dolores mitigati, postmodum ex toto remisere, quin & ipse tumor sensim disparuit: Oculus verò à mordaci & erodente thythymali succô insigniter læsus, in calamitosam cæcitatem concessit.

Galenus 10. de usibus partium, parte 12. scribit in somno se accusatum fuisse quòd oculorum munera non satis accuratè explicasset. Quid de barbitonsore medicastrô oculos aliorum temerariô ausu excæcante olim fiet, cùm in die illo decretorio omnium reddenda erit ratio? *Stultorum adjumenta, nocumenta*, ut habet vetus emblema, quô pingitur villicus anseres per amnem portans, dum cavet ne mergantur, cingulô collo tentus, alligatos, jugulat.

Anseribus fatuus constringit colla per amnem.
Dum vadit; hoc stulti more juvando nocent.

Idem ibidem.

Palpebræ cum tunica Cornea connexio curata.

Nobili cuidam in Italia ense inflictum fuerat vulnus, quod partem faciei ab aure sinistra ad oculum usque, occupaverat. Non saltem autem superior palpebra incisa fuerat; verùm etiam ipsa adnata & cornea tunica, sed superficialiter saltem, & nequaquam ad vacuum oculi: humores enim non effluxerunt. Sanatum quidem fuerat vulnus in Italia, sed parùm feliciter. Quia enim oculum fasciâ nimis arctè clauserat Chirurgus, palpebra superior conjunctivæ & corneæ annexa fuerat, tamque firmiter adhærebat, ut oculum aperire non potuerit, neque à dolore omninò immunis erat æger. Cùm enim, ut Anatomicis notum est, uno oculo moto, alter quoque moveatur: At hic oculus malè affectus, cum altero liberè moveri non posset, & palpebræ propter motum oculi hinc atque illinc dirigerentur, non potuit non consequi dolor: quapropter intumefactio oculi aderat, & continuò ferè lachrimas profundebat. In Italia Chirurgos in consilium quidem vocaverat: sed quia separationem palpebræ ab oculo nonnisi instrumento scindente fieri posse responderant, modusque ille procedendi ægro (etiamsi visum veluti deperditum esse sciebat) suspectus, curationem in longum tempus distulit: Verebatur enim, ne in separatione cornea disrumperetur, humores effluerent, membranæ conciderent, & deformitas subsequeretur. Tandem, cùm prædicto anno 1593. Coloniam pervenisset, & Dom. Joannem Slotanum, Medicinæ Doctorem, mecum in consilium adhibuisset, Divinâ gratiâ sequentibus præsidiis feliciter ipsum restituimus.

Præscriptâ optimâ victus ratione, purgato item corpore, & incisâ venâ in brachio, stylum exploratorium incurvatum versus canthum majorem, subter palpebram superiorem inter oculum & palpebram blandè immisi, donec apex saltem styli ex cantho minori promineret. Tum stylo exploratorio filum sericum tenuissimum annexui, mox stylum eâdem viâ, quâ ipsum immiseram, videlicet per canthum majorem extraxi, & extremitates fili sub oculo conjunxi, eique frustrum plumbi drachmæ circiter ponderis annexui. Plumbum hocce pensile interdiu liberum erat, & hinc atque illinc, prout æger caput in unam vel in alteram partem inclinabat, movebatur. Noctu verò, ne forsan incommodum aliquod, aut dolorem excitaret, plumbum illud seposui, oculumque fasciâ leviter obtexi.

Oculo frequenter collyrium sequens penicillo ex pennis gallinæ facto, per angulum majorem ter quaterve in die per ministros imponere jussi.

℞. Aquæ rosarum, plantaginis, Euphrasiæ an. ℥ß. Tutiæ præparatæ, Cerussæ lotæ, cornu Cervi usti & præparati an. ℈ ß.

Misceantur in mortario, addendo mucilaginis spississimi sem. Cydoniorum q. s. ut formam linimenti adipiscatur. Beneficio prædicti fili serici & plumbi, quicquid sub palpebra oculo annexum erat, intra dies octo aut novem abscissum fuit. Tum oculum integrum quidem, sed visum propter cicatricem pupillæ depravatum invenimus: Palpebras, frontemque per dies aliquot oleo lumbricorum inunxi, & sacculum ex Betonica, Euphrasia, Iva arthetica, primula veris, chamomilla, rosis, & Roremarino in aqua coctum, calidè applicui, præsertim noctu. Sic motus palpebrarum & oculi penitùs restitutus fuit, ita ut nulla remanserit deformitas, præter exiguam cicatricem in cornea tunica. Est quidem laboriosa operatio hæc, ingeniosa tamen, certa, minùsque periculosa, quàm ea, quæ à Celso lib. 7. c. 7. Et Hieronimo Fabricio ab Aquapendente lib. de operationibus Chirurgicis, cap. de Ancyloblepharo, describitur, fitque ferè sine dolore.

Gulielm. Fabricius Hildan. Observ. Chirurg. Cent. 5.

PANNUS, cui propter affinitatem adjungetur, UNGUIS, PENNA, A L A, imò etiam ENCHANTIS.

De his omnibus actum est in oculorum vitiis; imò de Enchantide sub propriô titulô; de iis propterea jam tantùm afferemus quæ habet Clariss. Bidloo in suis Exercitationibus Anatomic. Chirurgicis.

De *Panno*.

SPECIE, an verò genere, *PANNUS* & *UNGUIS*, differant Tu (L. B.) ex sequenti collige descriptione: est autem *PANNUS* ab initio ad inveterationem, excrescentia mollis, plana, rubicunda, augmentum citò capiens, dolorifica, adnatæ tunicæ, ex qua omni & incerto loco ortum ducit & ipsi aliquando quoque corneæ, continua. Si itaque ad aliud oculorum morbi genus referri debeat, morbo incipiente, ad id inflammationis, referatur.

Ut sudamina rubentesque minutulæ in aliis corporis partibus, pustulæ coalescentes, inflammationis præ se ferunt speciem universalem; ita hoc in morbo, minima sanguifera vascula, per adnatæ corporis porositates interstitiaque prorumpentia, lamellam, citò & omni loco incrementum capientem moxque totum oculi album occupantem, efformant; unde jure merito, huic affectioni nomen à comparatione (*PANNICULI* in initio, *PANNI* in fine) inscriptum existimo. Animum itaque adhibe hanc ad maximam (taceo cæteras) differentiam. *PANNUM*, nempè, ex reticulari vasorum sanguiferorum plexu conflatum, tunicæ adnatæ adhærescere firmiter; *UNGUEM* verò, ex rupta, læsa inversaque ipsius membranæ substantia oriri supertendique cætero suo corpori, ut & quandoque corneæ. Hisce prælibatis, concessu erit facile, curationis methodum in hoc quoque & illo morbo differre; nisi quis nudis clariss. *SOLINGII* & aliorum verbis fidem habendam spemque collocandam sustineat omnem: ait enim ille; *Pannus, eodem modo, ut unguis, curatur.*

Curationis totam historiam encheirisi, sive instrumentis minimè gentium; medicamentis verò; sed in alium scopum, quàm ex communi sententia collineantibus, posse absolvi arbitror: instrumentis etenim quibuscumque, *PANNUM* ab adnata tunica elevare, separare, deponere citra & sine sanguiferorum vasorum laceratione, eorumque relinquendis aperturis, vulnusculis, vestigiis, ipsi depositioni partique morbificæ contrarium & impossibile factu est: vasa enim hæc rete quoddam formantia (sive *PANNUM*) ab adnatæ tunicæ parte interiore ad exteriores prorumpunt & ab ipsa proinde membrana filo, acu, scalpello &c. elevari tota & integra non possunt: qui itaque ab adnata tunica excrescentiam, lamellæ in formam extensam, deposuerunt instrumentis, non *PANNUM*; sed *UNGUEM* deposuisse, verum videtur, quàm quod verissimum.

Secundò; ex unanimi Medico-Chirurgica sententia præstat; in morbi infantia, mitioribus; ubi verò adoleverit, fortioribus uti acribus corrodentibusque pharmacis; *ad* (ut ajunt) *excrescentiæ consumptionem totalem.* Non credo opus esse addam nomina eorum qui dictitant, cùm passim apud auctores Medico-chirurgos, hoc vigeat axioma, sintque qui sustineant, oportere *acria corrosivaque* medicamenta, omnem tangant & singulam, hujus excrescentiæ partem.

Verùm ego, pace illorum, existimo solis anodynis topicis, malacticis, malagmatibus, confortantibus &c. artem huic posse mederi affectui, & omnem, hoc in negotio, angue pejorem, esse vitandam acredinem corrosionemque,

Sicuti

Sicuti in concinnanda descriptione sequentis UNGUIS morbi, non nisi transitoriè de medicamentis dico, utpote perparum, aut nihil & nisi in ipsissimo morbi initio ad curationem facientibus, ita de præsentis affectionis curandi ratione dicturus, agam de medicamentis, utpotè solis in usum vocandis, fusiùs; unicum hoc assumens assertum; omnes ad unum Chirurgico-Medicos statuisse, sanguinem, hoc in morbo (*PANNO*) propelli ad extrema adnatæ corneęque tunicæ: idque, latice sanguineo in vasis remanente, secundùm alios; utroque autem respectu acribus medicamentis nihil fiet boni, ad curationis attingendum Scopum: si enim sanguis manserit intra vasa, caveat oportet sibi Medico-chirurgus, ne acribus corrodentibusque doloresque excitantibus, sanguinis fluxum augeat vasaque lędat, rumpat morboque morbum superaddat: levissima enim quoque frictione in morbi initio rumpuntur; nec propterea cessat morbi vigor; si verò depulsus jam extra vasa sanguis oraque vasorum aperta statuantur; acria, ad summum, prorumpentis adductum sanguinis fluxum impedire valebunt; sed de eo nemo illorum videtur sollicitus: volunt enim totam excrescentiam ferro deponere, verùm, quomodo, expullulatum sanguinem, sive sanguinolentam excrescentiam (Panniformem) exterminant, consumunt, auferunt de tunicis subjectis citò, tutò, jucundè, adhibentes, nempè, *cum exsiccantibus corrodentia?* eaq; pro ętate & mole excrescentię plùs minùsve potentiora. Veruntamen hæc, quo plùs, eò pejùs operari demonstravero facilè.

Esse *PANNUM*, vasculorum sanguiferorum ultra proportionem (morbosè) turgentium in-et ex adnata tunica, congeriem, cùm ad oculum attendenti, mox ab incepto morbo, appareat; hujus morbi curatio, mox & in initio, ab eorum vasculorum læsione, corrosione, cum sapientię grano (ex superiore argumento) peti non poterit; inveteratum autem medicamentis irritare corrodentibus & ratio & usus jam vetuit dudum: priusquam enim ad ipsam adnatam tunicam pervenerit medicamenti vis, tanto infestatę sunt dolore, intumescentiâ, inflammatione partes vicinæ; ut ipsum symptoma hoc, primariam videatur requirere Medico-Chirurgicam curam.

Denuò; etsi (quod sanè nunquam) *PANNUS* consumeretur, nonne aperta, aut crustulâ contecta restitarent vasorum læsorum ora? ipsaque an non unà cum excrescentia esset corrosa tunica? jam solitò mollior, adde tandem asserere quosdam; *Se paucorum dierum intervallo Pannum carnosum, unâ nocte utrumque infestantem oculum*, curavisse. Quod si ita esset, etiam pro differente ab effectu, actione, sive argumento à posteriore habearur oportet: quævis enim levissima vel *PANNI* vel *UNGUIS* expullulatio multo non sine labore & diligentia coërcetur; sed credamus! ponamus mox à morbi initio, expullulantem *PANNUM*, potiùs protuberantia hæc vascula ęstumque in iis sanguinis, posse reprimi facilè. Nonne sanè illud pro me militat iterùm? perpende vim mei argumenti (L. B.) primò; eo in casu, vasa non sunt acrimoniâ medicamenti consumpta; acribus autem ad usque absolutam curationem, utebantur: aspera enim & excoriata & proinde in integrum non restituta, mansisset tunica adnata corneaque. De hisce apud eos nihil; Verùm cum iis, *causa UNGUIS & PANNI sit lympha viscosa, extravasata tunicæ corneæ firmiter adhærens; ita ut si ramulus arteriarum inseratur, non membranosus; sed carnosus evadit*, verbum non addo; rubor itaque oculi: an aliud quid morbosi fuerit, quod curatum describitur cujusque momenti, hęc sit causę delineatio & an cum *PANNI*, *UNGUIS*-ve dispositione conveniat, trutinæ tuę (L. B.) dijudicandum relinquo libenter.

Curationis & Principium & finem colloco 1°. in sanguinis pręter modum agitati motique compositione universali & particulari: *secundò* partim ex diæta, putà abstinentia à nutrimentis, quiete; partim ex fonticulis, sanguinis missione, alvi depuratione &c. *Tertiò*, ex medicamentis haurienda anodynis, topicis, malacticis, lenientibus, corroborantibus atque tono partium restituto, desiccantibus. Ad positum primum; nemo erit qui non ei assentiatur: ad secundum; alvum reddi laxam leviterque moveri *Cassiâ fistul. Mannâ, massulâ pillularum cochiarum* & hæc sæpiùs esse iteranda quis est, qui ignoret? Ad tertium positum. Omnium horum agmen (mihi) ducit *opium*, antesignana sunt *crocus, mucilago sem. Hiosciami, Rad. consolid. major. & alth.* inter composita eminet *ex lacte, pan. alb. mic. & vitell. ovor. cataplasma.* De virtute, interim, vi & operatione *opii* multa, etsi nos (me inquam) lateant; hoc saltem pace rixantium dixerim; si quæ coram istis ulla renuntiasse liceat, constare mihi cuivis dolentium oculorum generi & speciei, sive suppositia humorum vasorumve obstructione, sive ab immodica ab eorum agitatione ortum ducant, tutò cum hæc & fructu posse adhiberi. Formulę Medicamentorum, quas ad scopum meum præscribo, hæ sunt & plures esse aliosque ad morbos usurpari poterunt; velim autem, ut in genere omnes pulveres non solubiles, ab oculorum medicatione rejiciendas putem, ita pręsertim in hoc morbo (de aliis postea) tutiæ, ossis sepiæ &c. seponantur.

Fronti temporibusque applicatur sequens *anacollema.*

℞. *Bol. armen.* ʒij. *Sang. dracon.* *Thuris a.* ʒj.
Far. volat. ℥ß.
Alb. ovor. quass. q. s. ad consist. anacollemat.

Mucilago sæpè iteranda, dolores mitigans.

℞. *Mucilag. sem. psyll. cydoneor. a.* ℥j. *Croc.* ℈j. *exprim. cum aq. fœnic.* ℥ij. *M. applic. 4plici linteam. Sed tepidè.*

Confortans medicamentum.

℞. *Herb. fœnic. verben. a. M.* ij. *Mirth. M.* j. *Flor. Rosar. M.* j. ß. *Cariophyll. macis a.* ʒij.

Macerentur in vino albo, distillentur, oculo instillentur guttatim. S. A.

Solani, ut & *succum formicis Rubris expressum cum* FORESTO commendant multi; ego autem ejus efficaciæ non sum experiens: qui fotus, ad leniendos dolores, ex *Herb. Violar. malv. flor. melilot. sem. cotoneor. fœn. græc.* præscribuntur &c. noti sunt nimiùm, quàm ut disertis verbis doceantur.

Quæ hac exercitatione posui, dilucidiùs colligere dabuntur ex sequenti.

De Ungue, Pannâ, Alâ.

Πτερύγιον, cum *PANNO*, *PANNICULO*, *ALA* & *CATARACTA EXTERIORE*, à multis; toto etsi inter sese differant cœlo, confunditur; ne autem nominibus inhęrere præfataque in mea, de evitanda nominum multitudine, peccare videar ipse; enucleabo quænam quàmque insignis horum sit morborum differentia:

tentia: ubi enim ex ipso nomine totius morbi descriptio atque cognitio (quod passim à Græcis observatum videmus) hauriri potest; opus & æquum videtur, de nomine dicatur & quidem primùm.

Pterygii titulo, nasi extremitates laterales, muliebris pudendi eminentiæ intra labia, unguium reduviæ, aurium humerorumque partes elatiores; ut & comparative, Maxillæ inferioris musculorum duo paria & tandem morbi genus, in præsentiarum describendum, indigitantur.

Est (Pterygium) in punctum duriusculum (unde pinna, pinnula) circa angulum oculi majorem nunc, nunc minorem, ex exasperato (excoriato) aut læso, eò loci, tunicæ adnatæ corpore, in initio albescens, sine dolore, lento passu protuberans prædictæque incumbens tunicæ, excrescentia, tractu temporis in lamellæ formam (unde ungula & unguis Latinis) superatâq; prædictâ tunicâ, quandoq; ad & in corneam, de qua, in totum, ut de adnata, obtusiore instrumento, spatulâ &c. elevari potest, extensa, unde nomen quoque alæ accepisse verisimile est. Excrescentia hæc inveterata cartilaginea merè livescenteque, hîc & alibi, tincta colore, prostat. Omnia hæc phænomena, ut suprà videre est, in PANNO ejusque speciebus, contraria huic descripto morbo inveniuntur; quo respectu autem à fungo sicco &c. aliisque protuberantiis morbosis differat, explanabitur posteà.

De Curationi Methodo, renuntiatum est; antiquitùs institui eam posse quadruplici methodo; 1o; ope medicamentorum, exsiccatione; 2do; corrosione; 3tio; ope manuum instrumentorumque, filorum, setarum, nervorum citharæ, pilorum de cauda equina constrictione & 4to; excisione, sive abscissione. Quid de hisce observaverim novique præstiterim collige ex sequentibus, postquam de quatuor prædictis dixerim mediis.

Ad primam Methodum.

Velim lectori notum sit, non posse; nisi jamjam incipiente morbo fieri cum fructu; quinimò, si exsiccantibus curetur hæc, aut illa excrescentia, eò loci, me dubitare (ne dixerim asserere) hujusce tituli; an potiùs levis solummodò excoriatio, adnatæ fuerit tunicæ; sed absit omnis cavillatio; si verus fuerit & completus (& de eo agitur) UNGUIS, exsiccantibus medicamentis non curabitur; quæ autem in usum contra recentissimum vocatur, sunt; fotus ex *herb. malvæ, sem. lin. fœn. græc. thapsi. barbat. sc. ad attenuand. & emolliend. vitriol. alb. lap. Hæmatit. in pulverem versum. solut. cum aq. Euphrag. succ. Rad. lilior. portulac. sang. anguil. Zinzib. fricat. & vino impositum. Tinct. ven. cum aq. caprifol. nempe, ad abstergend. sunt & qui sal armoniac. & merc. sublim. corrosiv. ad lenem acrimon. q. s. aq. Rosar. mixt. commendant. Chalcanth. Rom. virid. æris in ovi album. exempto vitell. per triduum macerat. & fellis Rajæ. perdicis. mel. chelidon. aloës & sief. rubrum Mesues.*

De *secunda Curationis Methodo* statuo eam; fidemque facio expertus, esse fugiendam planè: escarotica quippe, eò loci, sine summo dolore, nec tutò applicari posse, dudùm HILDANUS statuit; liquefscente, videlicet, corrodente materia; etsi oleosa, huic partique inspersa, cautè; primò; vicinas facilè infestat partes adfluente liquore, terminos præscriptos, nempe, egrediente, aut virtutem amittente operandi ad normam; addo secundò; excitato in parte affecta, dolore, partes quoque circumjacentes intumescere & tertiò;

Hunc morbum mox concomitari alios, putà inflammationem & cum febre vigilias &c.

Ad *Tertium propositum* filis, pilis &c. posse constringi, attenuari, ligari; ut tandem cadat exsiccata excrescentia, annuerim, ex comparatione cum similibus, in aliis corporis nostri partibus, operationibus; modò circa principium instrumento comprehendi laqueusque ad ipsum mali fundum descendere queat; de quo dubito; cùm pedunculò lato: numquam verò tereti ortum debeat suum;

Sed quia hoc artificium eò loci & respectu non exercuerim ipse, nec à quoquam celebratum vidi, illud aliis relinquo in integrum, & (mea autumo) sine fructu, tentandum.

Ut mentem meam de *quarta Methodo* capias propè; aperiam (Lector Chirurge) quid in ea mihi contigerit; jucundiorem tibi suscepti vovens laboris exitum.

Accessit ad me, mense Januario A°. 1693. Hagæ-comitis Cæmentarius, ætate quinquagenarius, corpore robustus, ex sinistri oculi prædicto laborans morbo. Distulissem mitiorem in tempestatis periodum curationis conamen; verùm urgente quotidie ægro, instigantibusque doctiss. Viris medico *Liebergio* chirurgoque *van KEMPE*; quibus idem de hoc morbi genere Judicium, malo insuper abeunte in pejus, de die in diem illud differre, inexorabilis, nolui.

Ægro collocato in sedili, capite retrorsum supinato, oculoque sano velamine cooperto linteo, injecit famulus manus dextræ digitum minorem superiori, sinistræ pollicem inferiori palpebræ hasceque detinuit apertas firmiter. Jussi verteret; ne glandula infestaretur lacrymalis, ad encanthum minorem, oculi Bulbum æger, quod præstitit: opportunitatem nactus optatam, oculi speculo annuloque inutili, hoc in negotio; supellectili; in usum non vocatò, depositionem excrescentiæ aggrediebar; sed hamulo acuto (talis autem requirebatur) perruptâ laceratâque non semel excrescentiâ, ad extima ora tenuissima eo die, etsi parùm efflueret sanguinis, iterùm &, ut verebar, irritò tentare ratum duxi nequaquam eoque minùs, cùm jam didicissem; compressione palpebrarum continua, excrescentiam subjectæ agglutinari tantùm, non verò uniri cum tunica hoc & Cassium observasse olim, memoriæ est proditum. Ne itaque, eodem tentasse modo, noceret ulteriùs, alium experiri volui. Paratâ volsellâ, alis instructa exasperatis, ægro, ut ante, constituto limbum (unguis) excrescentiæ elevavi, ipsa porrò sequebatur, usque ad principium, sive exortum. Toto & quantùm potui radicitùs, forfice acuminato, abscisso Pterygio; subtilissimum carptum in vitrioli cyprini solutione coctum posteaque exsiccatum vulneri applicui; quod, cùm parùm itidem efflueret sanguinis, vel liquidi, parti mox læsæ adhæsit firmiter. Quatriduum tractata S. A. *solut. sacchar. saturn.* carptoq. prædicto; pulvillis, de minoribus parte compressa læsa palpebrisque motis & fultis cartulâ madida; quinto fungositatis nihil expullulante omnique sexto die, seposito apparatu, rem in vado meque in portu navigare mihi persuadebam; Sed spe excidi: post pruritum enim violentiorem, erupit denuò; renuente porrò moroso ægro, alia experiri; ipsum calamitatati suæ tradere coactus fui & invitus.

Ex iterata inspectione compertum habeo, Ipsius adnatæ tunicæ substantiam, fungosæ instar lamellæ, reflexo, sive incurvato vulneris, vel rupturæ limbo, in reliquum ejus volvi corpus & ad & in ipsam quandoque extendi corneam; quare autem ad pupillam semper vergat? ratio videtur, quod encantho majore glandulâ insigni impleto, liberiùs alterâ viâ extendi & incrementum capere potest.

Hinc postea, ubi vel minima præfati mali signa mihi apparuere; quinimò si vel solida quædam suspicio

incertum

incertum me detineret; per cannulam æneam (vicinis partibus, secundùm artem munitis, de quo præsidio latiùs alibi) ignitum stylum ad mali faciem proportionatum, parti adhibere non neglexi, quod tentamen mihi è voto successit semper. Exemplum si velis, in promptu est.

Ut constans, hoc in conamine, meticulosis sit animus, hac utantur, nempè, à majore ad minus, ratiocinandi methodo. Si tunica cornea lædi, eum in modum, potest; ut lamellula quædam ab ipsa separetur & laceratio tamen hæc, vulnusve hoc consolidetur, sine visûs discrimine, vel depravatione insigni, ut exemplis probatum habemus multifariis; quid est, quominùs huic (adnatę) membranæ, parti, nempè, exteriori & visûs, propriè dictum organum non integranti, hoc modo, non posset, sine discrimine, injici plaga atque crustula? quæ (oportet enim in mali initio fiat) ipsam deprimens desiccansque excrescentiam, suapte virtute, peracto suo munere, de parte cadit quondam affecta.

Qui hisce contemplatis, nihilominus contendunt *UNGUEM* & *PANNUM* specie, non genere differre; quia in utroque morbo tunica adnata semper ejusque partes vicinæ aliquando infestantur, æquè bellè probaverit, ossium fracturam ab eorum carie, specie, non genere differre; quia in utroque morbo ossa eorumque partes vicinæ infestantur. Ignoscat (Lector Benev.) me repetere morbi (*UNGUIS*) ipsius tunicę substantię, (*PANNI*) esse per & in ejus corpore vasorum sanguiferorum luxuriantem protuberantiam. Arrodant, in contrariam opinionem, qui volunt, ungues suos! ego, à mea, ne latum quidem unguem discedam; nisi aliter edoctus.

De Encanthide.

DUabus præcedentibus hanc (*Lect. Benev.*) adjicio exercitationem; quoniam multa in iis occurrunt, quibus vicissim & mutuò, quædam asserta dilucidantur confirmanturque ulteriùs. Morbus hic, ab quem occupat loco; nomen adipiscitur estque nequaquàm carunculæ, sive glandulę lacrymalis; sed verò ipsius tunicæ adnatæ, ad utrumque oculi encanthum laxè complicatæ, in tumorem rotundum, pedunculo insistens expullulatio, excrescentia; differens ab *UNGUE* & *PANNO*, quod mox in lamellam extensa, absque tunicæ adnatę ruptura ejusque inverso limbo, vel, luxuriantibus in planum, vasculis sanguiferis, oriatur; extus pelliculâ tegatur, pedetentim crescat & crescendo mollescat.

In initio naturalis, postea verò rubicundi lividique coloris reperitur; inveterata, tuberculis protuberans variis, facilè excoriatur carcinomatisque ad instar tandem putrescendo; fœtorem & parti mortem infert.

Si, *UNGUE* non probè curato, tuberculum restitet, aut ipse *UNGUIS* iterùm propullulet, *Enchantis* est minime: nullo etenim involucro tectus, circumvolvuntur ejus ora marginesque & denuò ad corneam prorepunt; cùm in *Enchantide*, ipse tumor pelliculâ obvolutus, in rotundam semper propullulet formam: malè itaque & ut notanda inter hujus tumoris differentias, recensetur à quibusdam, *lacrymis nunc, tunc verò non tumescere; fluere aliquando ex Enchantide lacrymas usque imò in genas:* glans quippe lacrymalis hac in affectione, primariò non infestatur; quod si verò illa vitio laboret aliquo, non *Enchantis*; sed alterius generis alioque titulo denotandum ejusque ruptura, læsiove lymphæductus, aut hydatidis erit: ab compressione prorumpentis *Enchantidis*, in glandosum hoc corpus, liquidum ejus posse expelli, nullus dubito; verùm hoc ubi fit, duplex statui debebit affectio, glandulæ, nempè, lacrymalis & *Enchantidis.*

Hac ex morbi (*Enchantidis*) descriptione, vera elici poterit, eum curandi, norma: posse, videlicet, ne ab ipsissimo quidem ejus initio, medicamentis corrodentibus reprimi, coerceri; quod si quis tamen tentaverit, male egerit: *Primò*, enim, parti expullulanti & adhuc pelliculâ circumscriptæ, opportunitatem præbet ulterius faciliusque progrediundi lascivièque luxuriandi; si eam ei ademerit; corrosionis autem scopus & prior est effectus; ut exteriora adimantur, consumantur. *Secundò*; quę in *UNGUE* ab escaroticis acribusque medicamentis discrimina, eadem illa, hoc in morbo, metuenda veniunt: quocirca alia in usum vocanda sunt media & quidem merè Chirurgica; non autem præcoci festinatione prćviaque sine aliqua curationis adhibitione, ad cauteria actualia currendum. Constringendus, filo serico, aureo &c. pedunculo enim instat, mox ubi limites egressus, palpebras elevare & elevatas sustinere, valet tumor; palpebras autem: ob earum teneritudinem, frequentem dehiscentiam & minus strictam clausuram, circa encanthos, itidem ob glandulæ lacrymalis protuberantiam, ad minimam quoque; ab interiore parte, pressionem, facilè cedere; norunt omnes Medico chirurgorum filii adepti.

Si quis cadente, vel lapso jam, tumore, eum locum, sive pedunculi reliquias vestigiaque inustione exsiccanda censeat, id agat, methodo modò præscripta, per cannulam ad rei exigentiam efformatam: dempto etenim tumore, patet ad hanc operationem, via; quæ prćclusa, ipso tumore, funditus cauterium fugit actuale.

Sunt qui, ex veterum doctrina, ipso tumore acu transfixo, aut volsellâ comprehenso atque elevato, eum resecant, quod mox, id est, ab ipsius morbi initio, quando vix seminis cannabini magnitudinem obtinet, feliciter fuisse factum, verisimile videtur; addo autem & eo quoque in casu oportere, inuratur cruenta pars; etsi ejus sit tenuitatis, parvitatis; ut de exsiccatione nullum instare videatur dubium, aut discrimen: quod si quis hoc nolit, contegat gypso undique & sępiùs plagulam. Idem illud observandum autumo, quoties (minutulus quamvis) hujus indolis tumor, de aliis corporis partibus; forfice fuerit abscissus; quod autem prćvia, sine constrictione, me suasore, fiet nunquam, edoctus excrescentias hasce facilè luxuriem repetere; imò & superare pristinam, violentiâ.

Ut quæ sunt affirmata, exemplo illustrentur, audi (*Lect. Ben.*) quam passa sit hujus affectionis recidivam, *Amstelædami* ANNA LEENARDS, sacchari depuratoris ancilla: A°. 1670. ei ENCANTHIDIS progeniem novam abstulerat peritus quidam Chirurgus, cui etiam primitias artis meæ debeo; ut impatiens moræ hic! operam enim luserat per aliquot dies & incommodi ægra, quòd ab non aptę clausa palpebra; leviquę, sed continuo pruritu, persentiscebat oculique deformitatem, juventute in viridi, verita: itur ergo ad volsellam forficemque confestim; ut dixerim quod res est; actum factumque, ictu temporis, abscissionis artificium, vidi: præscripto *alb. ovor. cum alum. conquass.* discipulis cura porrò mandata, operępretium non duxit posterâ, nec quibusdam sequentibus diebus, malum ab ipso inspiceretur; donec querirante ægrâ meq; monente, illusisse conatus suos, inopinatam recidivam, compereret, tumorem expullulare denuò; verùm nullâ pelle crustulâve tectum: quantæ molis, postea hæc fuerit curatio (peracta tamen fuit) nemo paucis dixerit. Summa autem rei in eo consistit (prętereo frustrà adhibita, ut erant *trochisc. alb. ras. pulv. ireos, vitriolata variæ præparationis, leviuscula caustica &c.* ægram indefessa gypsi & interdum *aluminis recenter usti* (*N. B.*) applicatione, fuisse restitutam, opitulabaturque quàm maximè contra morbum, quod ægra leviore digito, partem affectam, ut suprà, instructam, die; noctu verò machinâ ex chartâ majore

jore (vocant *Bordpapier*) madida, teneret depressam.

De gypso (etsi hoc suprà monuerim) monitum denuò velim; esse exsiccans, præ multis, in hujusmodi morbis, excoriationibus non malignis atque hæmorragiis plurimis, commendabile & maximi usûs, remedium.

Hoc, quod juvenis, jam tum didiceram, in meam propriam & ægrotantium convertere utilitatem, posteà neglexi nunquam:

Ita A°. MDCLXXX, *Amstelædami* Juvenem *VANDERVOORT*, juxta me & clariss. medic. in consilium vocatorum *QUINÆ* & *STAMHORSTII* suffragia, ex *ENCANTHIDE* laborantem medicamentisque desiccantibus intus & escharoticis extus, magis imbutum & vexatum, quàm adjutum, vel liberatum, fœminamque unà cum famigeratissimo olim Chirurgo & Botanico ejus urbis; *VINKIO*; uti & *Hagæ-comitum* signiferum in Cohorte præsidiaria ducis *TORSEI*; & hac in civitate *Lugd. in Batavis*, rogatus à diaconis Ecclesię Walonensis, pauperculam (actum hunc, cum disciplinæ meę cultoribus, præsentiâ suâ, cohonestante quondam Medico *COSSONIO*) methodo enarrata, adhibitis secundùm artem cicatricem exstruentibus, curavi feliciter, intactâ, nisi ex alterius mali consensu, illæsâ conservatâque, in omnibus, lacrymali glandulâ;

Sed confido te (*Lect. Ben.*) exemplorum plus non expetere, utpotè à priore de morbi indole probè instructum facilèque mecum affirmaturum, *Encanthidem* & *Rhyadem* converti numquam, verùm ex *Encanthide* & *Rhyade* simul, unum eundemque & eodem tempore, posse laborare oculum.

PAPILLARUM MAMMARIUM MORBI.

Vid.

MAMMARUM MORBI.

PARACENTHESIS.

De ea paucissimis sic scribit Clariss. Joh. van HORNE in Mirotechne.

Paracenthesis est vulnus arte factum in aliquam corporis cavitatem penetrans, ut inde educatur humor in illa contentus. Institui autem solet præcipuè in Thorace vel in Abdomine. In Thorace, quando vel sanguis, vel aqua, vel pus in alterutro thoracis latere continetur, & non solùm suâ præsentiâ diaphragma premendo, sed & putrefaciendo vicinas partes, in vitæ discrimen ægrum adducit. Ante omnia certi debemus esse de latere affecto; quod tum ex calore, tum dolore, tum ponderis sensu dignoscimus; nam si æger lateri sano incumbere velit, sentiet pondus delabi supra mediastinum. Deinde *locus* faciendæ incisionis exactissimè est determinandus; hoc verò accuratè satis factum ab illustr. Aquapendente *in lib. de operat. chir. hoc tit.* qui meretur consuli. Nos breviter dicimus, faciendam apertionem in spatio illo, quod interjacet 4æ, & quintæ costæ, ab inferiore seu spuria numerationis initium faciendo: quòd si quis regerat, Hippocratem *l. de int. affect.* tertiam ab ultima secari jubere; respondeo, rem eodem redire, nam Hippocr. numerare incipit (ut ferè omnes debemus in carnosis subjectis) ab undecima, quam pro prima habet; etenim duodecima ob exilitatem, & quia carne musculosâ multâ circumvestitur, tactu vix percipitur. Insuper necesse est invenire *distantiam* latitudinis: si enim versus *dorsum* sectio instituatur, crassities musculorum dorsalium, multitudo tendinum, & nervorum è spina egressus, periculum ostendunt; si *antrorsum* versus *pectus*, metuendum, ne diaphrgma lædamus, aut, si hoc evitemus, ne materiam (ob acclivitatem diaphragmatis) commode expurgare queamus, utpote quæ versus posteriora descendit. Hos ut effugias scopulos, sume filum, & metire à mucronata cartilagine usque ad apices vertebratum spinę; hoc dein divide in tres partes; & quo loco duę tertiæ fili partes (à sterno incipiendo) pertingunt, ille verus erit paracenteseos locus. *Instrumenta* sunt *scalpellus*, linteo obvolutus, quo vel simul & semel pertundimus cutim, musculos, & succingentem membranam (loco priùs signatô per atramentum) vel imponimus *ruptorium*, ad cutim exurendam; sanguinisque fluxum impediendum. Factâ sectione; noli peccare *contra aph.* 27. *lib.* VI. sed impositâ cannulâ alatâ, humorem contentum sensim expurgari finito. Monendi hîc sunt lectores, sæpè hanc operationem ex arte institui, nullum tamen percipi puris egressum; cujus hæc ratio est, quia illud hæret non supra diaphragma fluctuans; sed inclusum sacco cuidam, efformato à connexione pulmonis cum succingente membranâ. Non possum, quin etiam hoc insuper addam, hanc operationem magis esse periculosâ, quàm vulgò creditur. Cùm enim pulmo semper lambat internam thoracis superficiem, & ab eadem, in exspiratione admodum parùm recedat; vix poterit idem scalpelli aciem effugere: deinde; non poterit pus commodè exire: tandem si pus prodear, probabile mihi fit, ex ipso pulmone, post vulneratam ejusdem tunicam, provenire: quę causâ est, cur raro optatum scopum medicus consequatur, sed æger plerumque paulò post intereat.

Paracethesis fit in *abdomine*, quando illud à serò distentum est. Hujus sanè necessitas persæpè incidit, quam tamen pertimescere solent nonnulli, tum, quia metuunt, ne lædantur interiora viscera, quę sæpè ita corrupta sunt à diuturna aquæ pręsentia, ut ad pristinum statum redire non possint; tum quia vix inhiberi potest, factâ apertione, aquæ effluxus copiosus, post quem tamen, ut habet *aphoris.* 27. *l.* 6. mors succedere solet. Verumtamen considerandum est, naturam ipsam, quæ à nemine edocta, tamen ea, quę conveniunt, facit, hanc ipsam operationem nobis digito monstrasse, dum per umbilicum in tumorem elatum & reseratum, sæpè ab ascite, imò pręsente morte, ęgrum liberavit. Quanquam verò difficillimè pertundi possit umbilicus, tamen ubi is protuberat, alius locus eligendus non est: quod si contingat, umbilicum non attolli in vesicam, alius locus commodus eligendus; is autem est, in sinistro abdominis latere tribus digitis sub umbilico, totidemque ab eodem remotus; prius tamen ægro stante erecto, si non adfuerit magna seri copia; aut eodem sedente, aut jacente, quando insigniter tumidum est abdomen, diligenter locus atramento notetur. Olim *scalpello* fiebat sectio per cutim, musculos, & peritonæum, non sine metu læsionis intestinorum; deinde post sectionem indebant vulneri cannulam argenteam, levem & alatam, exactè foramini facto respondentem. Quod cùm difficilè factu esset, recentiores alium longè commodiorem modum invenerunt, idque beneficio *cannulæ perforatæ*, circa extremitatem acuminatam cuspidem habentis; hac enim sensim perforatur abdomen: ubi verò jam penetrarum est usque in cavum protinùs solet aqua promptè effluere, per foramina quę sunt ab utroque cuspidis latere: cujus fluxum nimium si inhibere velimus, stylô argenteô exactè cannulæ cavitatem occludimus, eôque extractô rursùs aquam pro libitu effluere sinimus. Illa perforatio toties repetitur quoties necessarium est.

Præcla-

Præclarissimo Van Horne, Celeberrimum & Accuratissimum hîc subjungemus Antonium Nuckium, qui de Paracenthesi in Experimentis suis Chirurgicis sic scribit.

In Abdomine pariter atque Thorace Chirurgia, Paracenthesis dicta, occurrit: Estque Vulnusculum vel (Abdomini, de quo in sequentibus) vel Thoraci in regione intercostali inflictum, per quod vel sanguis, vel aqua, vel materia purulenta extra vasa fluctuans, partesque alias Thoraci inclusas inficiens, extrahi potest.

Collecti verò in Thorace puris signa manifestari solent ex difficili respiratione, anhelitu fœtente, gravitate in pectore perceptâ, tussi siccâ & molestâ, febri continuâ, post sumptum cibum aut circa vesperam ingravescente, sudore copioso, somnio interrupto, appetitu prostrato, corporis emaciatione, &c.

Interea de latere affecto certos nos esse oportet, quòd tum ex calore, dolore & ponderis sensu dignoscitur; ubi enim in latus sanum se convertit æger, pondus supra mediastinum delabi sentit. Præterea linteamen madidum pectori impositum citius exsiccatur eâ parte, quâ latus affectum tangit, quod etiam non rarò intumescere solet.

In *Pectoris Hydrope* eadem signa sæpius observamus, quibus accedit, quod dum sese de latere in latus convertit patiens, aquæ fluctuationem distinctiùs percipiat.

Si verò sanguinis extravasati copia pectori includitur, ex difficili respiratione, lateris affecti distentione, & prægresso vulnere manifestum evadit.

Locus interim incidendus accuratè notandus venit, quem aliqui in sterno ponunt, quodque haud difficulter ope Trepani perforant; sed evacuatio non ita facilè procedit, quòd materia in Thorace congesta à foramine facto nimis sit remota; & si acrior fuerit, spongiosa sterni substantia facilè cariem conciperet.

Alii in ipsis costis, sequentes ob rationes, perforationem hanc instituendam volunt: quia videlicet

1. Nec musculi, nec vasa inde læduntur.
2. Labia vulneris non collabuntur.
3. Commodiùs turunda immittitur, & plumaceolum applicatur.
4. Pus crassiusculum per foramen stabile meliùs exit.
5. Quies partis curationem promovet.

Quæ argumenta contemnenda sanè non forent, nisi cariei ossis, ut & vasorum intercostalium, quæ facilè læduntur, vulneris metus adesset; spatiumque præterea costæ nimis angustum, Operationem hoc in loco dissuadere videretur; in Hydrope tamen Pectoris locum habere posset.

Qui in loco aliquo intercostali incisionem faciendam præferunt, ii spatium illud, quod inter quartam & quintam costam, à spuria costa inferiore numerationis initium faciendo, occurrit, incidere solent.

Loco autem notato, ad latitudinis distantiam præprimis attendendum, non enim nimis versus dorsi spinam apertura facienda, quòd musculorum Sacrolumbi, Longissimi dorsi, & Semispinati crassities, tendinum multitudo, vasorumque sanguineorum cursus illud non permittant. Si verò nimis sternum versus Thorax inciditur, diaphragma, cujus situs hoc in loco acclivior, facilè læditur, difficiliùsque materia collecta, posteriora versus magis hærens expurgatur.

Hunc in finem filo metiri solent spatium inter mucronatam cartilaginem, & posteriores spinæ processus: filum dein in tres partes dividunt, ubi verò duæ tertiæ fili partes (si à sterno incipiamus, & una tertia si à spina) pertingunt, ibidem verum locum assignari volunt.

Verùm locus incidendus hac methodo minùs rectè invenitur, quia in aliis pectus magis elevatum, in aliis complanatum magis conspicitur.

Convenientiùs itaque certiusque locus ad latitudinem sex digitorum transversorum, à processu spinæ posteriori numerando, notatur, ibidemque Operatio instituitur, si in subjecto fuerit adulto: Si verò in corpore tenello, juniore, aut minoris staturæ, subjecti ratio habenda erit, locusque tantillum mutari, nec eo usque à spina remotus notari debet.

Non tamen ubique certus servandus locus, sæpe enim contingit, loco magis versus superiora, inferiora, aut posteriora Tumorem quendam conspici, qui digito quasi demonstrat, hunc & non alium eligendum esse locum.

Operandi modus triplici instituitur methodo: *Cauterio* scilicet *actuali*, *potentiali* vel *incisione*. Qui autem Cauteriis peragi solet, jam plenè in desuetudinem venit, solam incisionem reliquis præferunt, quâ tutius, citius & commodiùs Operatio absolvitur.

Loco attramento priùs notato, longior exspiratio patienti commendatur, quo tempore obliquè secundùm ductum fibrarum musculorum intercostalium internorum cultelli ope (cujus portio linteamine sit involuta, ne ulterius quàm par est intromittatur) foramen conficitur, cavendo ne vasa intercostalia lædantur. Quo facto, cannula aut plumbea aut argentea immittitur, per quam quotidie ℥ij, iij, aut iv. extrahuntur.

Prout autem materia crassior tenuiorque existit, dictum foramen vel majus, vel minus facere oportet; sic quoque in Thoracis Hydrope, ob facilem aquarum exitum, exiguum solummodo esse debet.

Aliquando materia præ nimia crassitie exire spontè non potest, quo in casu patiens tussiat, & in partem læsam se convertat. Quod si tamen materia majori viscidiate prædita prodire nolit, Syringæ beneficio *Infusum Herbæ Thee* vulneri injiciatur; vel sequens,

℞. *Seri Lact.* ℔ j. *Mell. Rosat.* ℥ iij. *Succ. Chelid.* ℥ j. *M. F. Injectio,*

℞. *Rad. Consol. maj.* ℥ ij. *Herb. Absinth. Card. Ben. aa. M.* iß. *Flor. Rof. rubr. M* j. *Sem. Sumach.* ʒ iij. *Coq. ex Vin. rubr. Gall. & Aq. comm. a a. q. s. Colat.* ℥ xxx. *Add. Mell. Rosat.* ℥ iij. *Myrrh. Aloes a a.* ʒ iß. *M. F. Injectio.*

Quibus medicamentis materia crassa non tantùm fluidior redditur, sed & putredo abarcetur.

Aliquando stylum excavatum vulneri intromittere summè necessarium; illo namque materiæ excretio multùm promovetur.

Obligatio aut Injectio ubi instituitur, cavendum, quantum possibile, ne externus aër vulnus subingrediatur, ille enim solus, intus admissus, fœtoris horrendi causa sæpiùs existit.

In *Hydrope Pectoris* si fluidior fuerit aqua, simpliciter Acu Minori perforatio instituenda. Si verò minus fluida, Major Acus in usum vocanda, uti infrà in Abdominis Paracentesi explicaturi sumus: Nulla siquidem obesse videtur ratio, cur non æquè hoc in loco, quàm in Abdomine talis perforatio locum habere posset.

In *Hydrope Ascite*, aliis remediis incassum tentatis, Paracentesis aliquando opem tulit. Maturè autem instituenda est hæc Operatio, nisi aquarum moles nimis aucta, viscera malè affecta, febris continua, respiratio molesta, viriumque prostratio eam planè dissuadeant.

Locus perforandus communiter eligitur in sinistro Abdominis latere, tribus digitis transversis sub umbilico, totidemque ab ejusdem latere remotis.

Hic itaque locus atramento notatus, secundùm ductum fibrarum musculi oblique ascendentis, inciditur aut perforatur.

Verùm hæc methodus necessariò observanda non videtur, (perinde enim est an in sinistro, an verò in dextro latere Abdomen perforetur, Veterumque hac de re opinio nullius momenti est.

Præterea dictarum fibrarum ductus scrupulosè observare, nullius est utilitatis; iis enim observatis, aliorum subjacentium musculorum fibræ transversim dissecantur.

Præstabit itaque paulo propiùs ad umbilicum accedere, ductusque longitudinales fibrarum carnearum musculi recti incidendo sequi, hac tamen cautelâ, ne tendinosæ musculi inscriptiones lædantur.

Umbilicus si propulliat, & in vesicam quasi attollitur, haud difficilè pertunditur, aliusque locus non est eligendus, quia foramen ob corrugatam cutim faciliùs clauditur, exitusque aquarum (qui aliquando vehementer nimis urget) compescitur.

Si verò non protuberat, sed *Scrotum* sero, aquâve distentum conspicitur, illudque vesperi magis & mane minùs repletum occurrit. Scrotum potiùs, quàm Abdomen perforare multò erit tutius.

Veteres partem suprà notatam *scalpello* incidebant, vulnerique *cannulam argenteam*, *plumbeamve*, lævem & alatam, exactè parti vulneratæ convenientem, immittebant.

Verùm Recentiores animadvertentes, cannulam hanc, foramini precisè ita respondentem, vulneris latera nimis premendo, succumque nutritium à fibrarum poris hac ratione angustatis abarcendo, Gangrænæ subsequentis causam extitisse, commodiorem methodum invenerunt, beneficio *Cannulæ perforatæ*, circa extremitatem acuminatam cuspidem sed rotundam habentis, Operationem instituentes.

Abdomine itaque hac *Cannulâ* pertuso, protinus aqua per foramina ab utroque cuspidis latere conspicua rivulosè prodit. Fluxus autem nimius stylo cannulæ cavitatem occludente compescitur, quo extracto aqua rursus pro lubitu effluet.

Probè interim cavendum, ne aqua simul & semel, sed partitis vicibus extrahatur.

Ubi repetere Operationem hanc Chirurgus desiderat, aut de novo foramen Abdomini infligitur, aut, quod prius factum, reseratur.

Si retractâ acu, factaque linteo carpo & emplastro glutinante obligatione, aqua involuntariè extillet, cannulam breviorem subere clausam, foramini aquam stillanti immittere convenit, quæ non iterum statim extrahatur, sed immissa ibidem remanet, ut ejus beneficio quotidie aquæ portio, subere remoto, extrahi possit.

Aliquando mucago quædam, intestina aliàque viscera obsident, aquæ immixta, cannulæ extremitatem obturando, exituræ aquæ viam præcludit. Quo in casu, Styli longioris cannulæ immissi beneficio facilè illam loco movemus, & aquæ liberum exitum præbemus.

Nonnullis & hæc methodus displicet, Operationem feliciori cum successu (saltem ut perhibent) absolventes *Acu* longè *minori*, quâ quotidie novum foramen faciunt. Verùm si viscidior aqua fuerit, Acus illæ nullatenus opem ferre poterunt.

In omni denique Paracentesi prudenter procedendum: In Senioribus enim, Cachecticis, Pueris, Ascite inveterata laborantibus, aliis remediis si auscultet morbus, Operationem suscipere caveas, & famæ potiùs tuæ consulas, ne Operatione malè cedente, patientis uti ferè semper fieri solet, fata anticipes.

Practici quidam hujus ævi non incelebres, varios Hydropicos per modum scarificationis se restituisse asserunt; quas tamen instituendas non suademus, nisi artuum inferiorum partes subcutaneæ, lymphatico humore obsessæ & œdematosæ conspiciantur.

De Acubus in Paracenthesi adhibendis, vide sub titulo; Instrumenta Chirurgic. Tab. XI.

Paracenthesi, Hydrops curatus.

Clariss. Danielis Crügeri; Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 4.

Opificis cujusdam uxor, à sex annis sensim tumore abdominis corripitur, qui tanta incrementa capiebat ut lecto affixa desperabunda quovis modo opem imploraret; considerans ego quòd per semestre tantùm decubuerit, reliquo tempore munia sua domestica ritè cum mole sua obire potuerit, cibum & potum cum appetitu sumserit, exceptis paucis prætерlapsis septimanis, paracentesin circa umbilicum suadeo, præsertim cùm obstupendum tumorem & disruptio & gangræna metueretur, cutis enim in inferiore parte erat nigra. Ideoque cùm spatium opportunum & intervallum trium digitorum ab umbilico se offerret, ibidem incisio facta & sensim siphunculô aqua educitur. Quæ per vices collecta cùm libraretur, libræ 60. inventæ sunt. Exhaustâ aquâ involucrum abdominis ad genu usque propendebat, quod fasciâ collo alligatâ suspendendum erat; cartilago ξυφοειδὴς planè erat elevata. Sed ut in causam inquirerem, abdomen perlustravi, viscera non inveni tumida neque scirrhosa, sed totum spatium circa umbilicum durum, nodosum, scirrhosum, deprehendebatur ad quatuor digitorum intervallum. Dicebar autem Ægrota se ante sex annos curru in abdomen decidisse, & ab illo tempore se malè habuisse. Idcirco unguentis & emplastris convenientibus adhibitis, durities paulatim disparuit, & servato foramine aperto, singulis diebus putulenta quasi materia effluxit, si non effluеret, siphone extracta est; ægra ad hunc usque diem jam non vivit modò sed cibum appetit, de lecto surgit & ambulat, templum frequentat, spem plenariæ reconvalescentiæ concipiens. Remedium igitur hoc, nempe Paracenthesis, locum quidem habere potest visceribus adhuc bene constitutis, verùm ubi signa corrupti hepatis animadvertuntur, frustra applicatur, quemadmodum idem remedium nequaquam Domino Doctori Movio eodem tempore hydropico proponere volui, luculenta enim signa hepatis corrupti aderant, idcirco mortem pedissequam prædixi, sed quoniam erat vir de civitate Statgardiensi Syndicus bene meritus, & Assessor Scabinatus Electoralis Brandenb. admodum laboriosus, item Advocatus Brand. Dicasterii Pomeran. ne obscurus abeat, in ipsius memoriam & honorem sequentes composui versus:

Mansuetus Movius maturâ morte macescit!
Mutescat Momus, metrica multa meret.
Mœstitiâ mentes Movii marcore moventur;
Me miseret Movii, morbida membra macent.
Mortales miseri marcescunt morte maligna,
Mens minimè moritur, mens meliora metit.
Mors Movio miracula, mors mysteria monstrat,
Magna manet messis, mystica manna, merum.
Mittas mœstitiam, mœrorem, mœsta marita,
Mas melicus modulans, musica mille modis.
Magnificat, meditans magnalia, mysticha magna,
Mercedem meruit, mansio mira manet.

Paracenthesis naturalis in hydropica Salutaris.

Clariss. Andreæ Lovv. Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Ipsam sæpe Naturam in remediis poscere, quæ sen-

sentit profutura, quibusque in libertatem ac sanitatem pristinam asserere vult homines desperatè decumbentes, præter alios ferè innumeros testis est Ascitica confirmata, solo potu Cerevisiæ Sanata, apud Pechlinum Obs. Med. 63. l. 1. p. 153. Et sæpius, ubi Medicus jam desiuit, ibi demum incipit agere natura, quæ sibi relicta, morborum semina quandoque felicius expedit, quàm medelis coacta; imò sæpissimè juvat humanâ ope jam destitutos, & prognosticis relictos: Nihil quippe ipsi invium, quin præclusâ viâ superiore, decurrat inferiores, excretionique dicatas, iisque impeditis, quærat insensibiliores, transpiratorias, quibus similiter obstructis, abditissima loca, quæ ne somniaremus quidem, ut per illa sarcinam suam copiosè deponat, seque à præsentaneo mortis periculo vindicet. Veritatem hujus asserti, atque admirandam naturæ energiam, ac conatum efficacissimum videre licuit in Illustrissimâ Matronâ Viduâ, septuaginta aliquot annorum. Hæc, in Matrimonio plurium liberorum Parens, tandem in puerperio malè tractata, acquisivit motus convulsivos qui tractu temporis in habitualem degenerarunt epilepsiam, quotidie ferè imprimis noctu, & imminentibus lunæ mutationibus recurrentem, sed brevi transeuntem, quâ finitâ, surrexit, ambulavit, bene comedit, in publicum prodiit, mente tamen vacillante, aliàs sana. Anno 1695. incidit in dolorem Colicum, quem adhibitis adhibendis, Clysteriis nempe frequentioribus, potionibus laxativis mannatis, insecuta est largissima diarrhœa duas septimanas continuans, cum Illustrissimæ Comitissæ levamine; hac cessante, rediit dolor cum levi abdominis tumore, atque febricitare cœpit. Prædixi hydropicam dispositionem, si non præsentem jam Asciten. Hydragogis, ob diversos affectus, viscerum tonum labefactatum, ob ipsum senium, cùm nihil hîc tentandum, cordialia solùm & absorbentia, v. g. Magist. Perlar. Smaragd. cord. temp. de gemm. frig. pulv. analep. lap. 69. præp. unicorn. mar. fl. nitr. pulv. hepatic. &c. adhibui. Continuarunt nihilominus calores, dolores acerbiores facti, sitis intensior, vigiliæ continuæ, accessit gravitas pectoris, spirandi difficultas, crevit abdomen, indicia aquarum in corpore crescentium, adeoque mortis indubiæ propediem adventuræ. Rebus ita jam conclamatis supervenit tandem natura, sollicita vitæ conservatrix aperuit poros quosdam in abdomine, sub epigastrio, à parte sinistra umbilici, instar acupuncturæ, ex quibus exiliit dies noctesque, non aqua pura, sed serum lentum, turbidum, pituitosum, coloris fusci, recrementis variis remixtum & in pelvi subsistens gelatinam aliqualem in fundo relinquens, copiosum. Evacuatis jam hac ratione liquoris hujus aliquot libris, natura longè patentiorem sibi formavit viam, dilatando non solùm poros, sed & eosdem erodendo, instar ulcusculi à fonticulo recens facti, quod foramen indies excavatum fuit, ut interanea nobis videnda dederit, & maximum digitum admiserit, adeoque Chirurgi deligationem postulaverit. Crevit effusio seri turbidi quotidie in quartam usque septimanam, quo tempore demum decrescere, abdomen subsidere, symptomata suprà recensita remittere cœperunt. Per duos menses apertum remansit foramen, antequam consolidatum fuit, ex quo ad minimum manarunt triginta libræ materiæ serosæ. Toto verò fluxionis tempore, vix aut rarissimè epilepticis suis convulsionibus, quas forsan eradicatas voluit natura, tentata fuit, metastasi sine dubio factâ, deductisque humoribus superfluis, acribus, salsis, ad locum hunc paracenthesi naturali reseratum, & evacuationi destinatum. Sic Aqualiculus nimium quantùm tensus, cum toto abdomine subsedit, & Illustrissima Comitissa ab omnibus morti jam adjudicata, delinitis omnibus symptomatibus convaluit, vixitque sana & incolumis, ultra biennium, exceptis suis convulsionibus, post morbum redeuntibus, & à natura pro remedio ac signo sanitatis habitis. Anno demum 1697. quiescentibus iterum ex improviso convulsionibus, sensit gangrænam in femore ad muliebria serpentem, quâ accedente Sphacelo, placidissimè obiit. Paracenthesin artificialem in debili hoc, ac senio jam confecto, nec non tot tantisque miseriis enervato, morti jam proximo, subjecto, diarrhoeâ prægressâ, adeòque visceribus minùs bene constitutis, quis ausus fuisset applicare, aut quis hîc loci, rebus sic stantibus, prosperum successum, multò minùs ejusmodi eventum planè admirandum sibi polliceri, nedum experiri potuisset, quin maturasset magis quàm distulisset mortem. Ast naturâ optima medendi Magistra, cùm simul temporis sit servantissima, & sola omnium optimè noscat horarum momenta; varia excogitat inventa, quibus tempestivè satis dissolvat morborum nodos, arti Medicæ planè indissolubiles. Similes fonticulos aut paracenthes in abdomine & thorace hydropicorum observarunt Spindlerus, Cent. Obs. Med. 52. p. 96. Cœlo Gram. M. A. N. C. Dec. 1. Ann. Obs. 257. p. 381. & Ann. 3. Obs. 18. p. 23. Simon Schultz. Ann. 4. & 5. Decur. 1. Observ. 97. p. 128.

Paracenthesis abdominis sæpe reiterata.

Clariss. Hieronimi Laubii. Ephemer. German. Centur. 3. & 4.

Ann. 1713. sub finem mensis Aprilis, imploravit opem meam Muliercula, Tumorem abdomidis prægrandem monstrans hydropicum, ac Paracentesin desiderans, quam Lubecæ & Altonaviæ quinquies triennii spatio sibi cum aliquali levamine administratam retulit, simulque vivum adhuc & vegetum puerulum quinquennem monstravit, quem præsente jam isto tumore, se concepisse ac peperisse asseruit. Reliquum illius corpus erat emaciatum, vires tamen, pro ratione mali non adeò fractæ. Dolor abdominis ac dorsi, à pondere aquarum usque & usque ad crepaturam usque abdominis accrescentium auctus, maturationem petitæ paracenteseos suaserunt, qua prima vice hîc loci instituta, ultra 42. libræ aquæ effluxerunt cum levamine, ut in publicum rursus prodire valuerit, non longè post autem, denuò augmentum capiente tumore, paracentesi rursus opus fuit, quâ decem mensium spatio, sexdecim distinctis vicibus instituta, ultra 720. libras vel 360. mensuras nostrates Aquæ purulentæ, ac sub finem morbi fœtidæ eduximus, spatio temporis, à Paracentesi unâ ad alteram, ab initio quatuor vel quinque, postea vix duarum hebdomadum interjecto, singulis vicibus plerumque quadraginta, nonnunquam quinquaginta libris seri effluentibus. Notabile aliquandiu fuit, puncturâ (quam in dextro latere instituere soliti eramus) in latere sinistro factâ, ultra tres libras puris albi fœtidi absque aqua profluxisse, eodemque tempore latere dextro pertuso, aquæ circiter triginta octo libras, secutas fuisse. Ob pauperiem, diæta illius erat mala, cibus consuetus panis cum sale, potus aqua cruda.

Ultimis tribus septimanis lectum semper tenere coacta, ob vires prostratas, donec miseram vitam mense Martio, Ann. 1714. cum morte diu desideratâ commutaret, octiduo ante mortem adhuc triginta libris aquæ fuscæ greveolentis paracentesi eductis.

Sequenti die à morte Cadaver examinaturus, remotis integumentis abdominis valde extenuatis & distentis, reperi è regione ventriculi, hepatis & renis dextri sex distentos tumores vel abscessus, quorum maximus circa ventriculum palmæ magnitudimem æqua-

quabat, reliquis paulò minoribus: aquæ fœtidissimæ adhuc plusquam viginti libræ effluebant. Mirabar initio unà cum adstantibus, cur neque intestina, neque reliqua ventris viscera in conspectum venirent, re autem accuratius examinatâ apparuit, non in ipsam abdominis cavitatem cultrum nostrum adhuc penetrasse, sed Abscessus memoratos & aquam in duplicatura peritonæi valde incrassatâ saltem hærere, isto enim à musculis abdominis & infrà jacentibus visceribus levi operâ separato, quæsita omnia in conspectum prodibant, sed valde tenuia, parva, compressa, inprimis renes, qui vix juglandis magnitudinem habebant. Uterus adeò erat contractus, ut tota sua mole nucem Moschatam majorem vix excederet, & in cavum suum vix pisum recipere potuisset: vagina verò satis ampla erat, ut tres digitos facilè admitteret. Ovaria & tubas Fallopianas præ parvitate vix videre licuit. Saccus verò iste Peritonæi connexionem suam firmissimam habuit circa fundum uteri & intestinum rectum, ubi forfice resecari debuit; alibi vel solis digitis separabilis.

Majores tumores in vitâ adhuc semper post effluxum aquæ sentiri potuerunt: incisi & illi ac examinati post mortem, nil nisi cavitates pure crasso spissóque refertas monstrabant.

Plures aliæ de Paracenthesi Observationes videri rursùs possunt in Bibliotheca nostra Medico-Practica, sub titulo Hydrops Ascites.

PARAPHYMOSIS.

Vid.

PENIS MORBI.

PARACYNANCHE.

Vid.

ANGINA.

PARODONTIS.

SOlent interdum juxta dentes (inquit Aurel. Cornel. Celsus de Re Medica lib. 6. cap. 13.) in gingivis tubercula quędam oriri dolentia παρουλίδας Grę̨ci appellant. Hæc initio leniter sale contrito perfricare oportet, aut inter se mixtis, sale fossili, combusto cupresso, nepeta; deinde eluere os cremore lenticulæ, & inter hęc hiare, donec pituitę satis profluat. In majore verò inflammatione iisdem medicamentis utendum est quę ad ulcera oris suprà posita sunt: & mollis linamenti paulum involvendum aliqua compositione ex iis quas antheras vocari dixi, demittendumque id inter dentem & gingivam. Quòd si durior erit, & id prohibebit, extrinsecus admovendus erit spongiæ vapor calidus, imponendumque ceratum: si suppuratio se ostendit, diutiùs eo vapore utendum erit, & continendum ore calidum mulsum, in quo ficus decocta sit: itemque subcrudum incidendum, ne si diutiùs ibi pus permanserit, os lædat. Quòd si major tumor est; commodiùs totus exciditur, sic ut ex utraque parte dens liberetur. Pure exempto, si levis plaga est, satis est ore calidam aquam continere, & extrinsecùs fovere eodem vapore: si major est, lenticulæ cremore: uti iisdem medicamentis quibus cętera oris ulcera curantur. Ex his patet apud Celsum morbum hunc Paradontidis nomine venire, nam idem habent editiones hujus Autoris accuratiores; Oporiniana videlicet Basileæ Ann. 1552. confecta: ut & alia ab Henrico Stepha- Ann. 1567. evulgata. Miror autem quid causæ fuerit cur Gulielmus Pontinus, in Notis ad Oporinianam editionem scripsit, legendum ex Ægineta παρουλίδας, quia nullum vitium quod græcè παροδοντὶς appelletur: siquidem prærerquam quòd sic legere potuit Celsus in Codicibus græcis qui suo tempore exstabant; quique in prædicti Pontini manus non venere; quis non videt legitimam esse vocis ethymologiam ex παρὰ & ὀδοὺς ὀδόντος? quâ apprimè denotatur affectus juxta dentes; quem nullô assignatô nomine propriô, sic describit & curat Hieronimus Fabricius ab Aquapendente Operationum Chirurgicarum libro, ubi de Gingivarum Chirurgiâ. Quòd si præter Gingivarum tumorem (inquit ille) accedat retrò magis ad molares dentes, caro crassa & putrida, maximè extuberans, eô casu, ferramenta adurentia difficulter imponuntur; tum quia; propter carnis crassitiem, & densitatem, vel multâ morâ, non satis comburunt; tum propter loci angustiam & partes circumstantes, quę non sustinent candentia ferramenta; ideoque necessarium est priùs, quantum fieri potest, excidere ferramentis excidentibus, scalpris similibus; sed longe majoribus; posteà reliquias inurere, & os quoque maxillę, quod labem contraxit. Quòd si scalpra sanguinis profluvium moveant, iisdem, aut certè aliis, eâdem formâ præditis, sed candentibus utendum est; ut his, qui cætera recti, in extremo recurvati sunt, prout usus & locus requirit. Postremò ad reliquias putridæ carnis, & os subjectum, quod ex contactu putridæ, glandulosæque, & pinguis carnis vitium contraxit, candentia commoda alia ferramenta per cannulam immittuntur, obice secundùm eorum longitudinem sanarum partium contactum prohibente; quæ sanè putridæ & intumescentes carnes; etsi ab aliis non proponuntur, mihi tamen sunt perspectæ, & experientiâ comprobatæ, quibusdam ferramentis ad id fabrefactis. Parodontdiis etiam nomen in Lexico Medico Castello-Brunoniano legitur, additurque non videri quid obstet quô minùs hoc retineri, & in usum revocari queat, quantumvis opponant aliqui à nullo Græcorum usurpatum observari. Interim tamen Accuratissimo Viro Marco Aurelio Severino magis arrisit Parontidis vocabulum per abbreviationem alterius efformatum, nec est quod in hoc litem ipsi moveamus; quin potiùs quæ in aureo suo tractatu de recondita abscessuum natura; doctè, pro more, de hoc affectu scripsit, continuò hîc adjungimus. Sic itaque ille.

Proditum est à Bartholomæo Eustachio j. de dentibus; ad horum præsepiola sępè, tam multum affluere gypseæ pituitæ, ut sinubus ipsorum repletis dentes à vinculis exsolvantur, forasque sensim propellantur. Mea verò est observatio, ex eadem eluvie pituitę concrementum enasci carneum, subrubrum, durum, progerminum, quod interdum galli coronam, interdum ostracodermi carnem purpuream refert. Hoc genus Epulidem nostrates Medici nominant, verùm quàm rectè viderint. Etsi enim epulis excrescentia quędam est carnis: hæc tamen succedit ad malè purgatam, & minimè resiccatam parulidem, quæ Paulô, & Ætiô testibus, inflammatio quędam est particulæ cujuspiam gingivarum. Utraque autem expullulatio quędam est sanguinis, & calida ἀποσημασία: quæ Pauli est doctrina, partim in lib. 3. partim in lib. 6. descripta. At verò, quod nos proponimus, germen est carnis, nullâ unquam prę̨gressâ phlegmone, sed solâ humoris viscidi crassique scatebrâ profectum: quod genus σαρκῶδη ἐλασμάτια Galen. vocavit, lib. de tum. pręter nat. cap. 21 παρο'τιδας verò, latinô non inventô nomine, dixit Cornel. Celsus lib. 6. rei Medic. cap. 13. Non difficile autem est, ut germen latiusculum intel-

lexerit

lexerit carnis; quandoquidem ait; si major is tumor est, commodiùs totus exciditur sic, ut ex utraque parte dens liberetur. Quòd si minor interdùm etiam hic tumor à Celso describitur: id propterea non facit, quò minùs & major hoc genere comprehendatur.

Quod ego germen; tum ex substantia, tum ex duritie, sclirosarcoma vocandum judico: quale fermè descripsit Balduinus in hist. Medic. Miscellan. 7. aut quale narravit Felix Platerus in observ. Sed & quęcumque nos hujus generis curavimus, omnia citrà phlegmonen evenere. Quæ, si placet, experimenta de plurimis selecta narremus.

Persiæ Peregrinæ conjugi Michaelis Angeli Pinti, trigesimum annum natę, ad ante penultimum molarem obliquè nata caruncula, principiô lentis magnitudine, mox dimidię fabæ modo. Quod concrementum à Medicis & Chirurgis leniter tractatum, & per medicamenta plurima non repressum, intus, extraque septa dentium excrevit sic, ut molarem alterâ parte revulserit, & contorserit, quô tempore infrenabilia profluvii sanguinis extiterunt: atque eò magis verenda, quòd cumulatissimè prægnantem offenderunt, à qua jam sarcina diù levata; sed incremento latiore sarcomatis; & putore saniei, quam grypi duxerant; afflicta & pertęsa: jam me ferramenta liquidò adhibiturum accersit. Quibus ego, tum frigidis, & rescindentibus, tum igne retorridis variè, atque aptè administratis, viraginem alioqui fœminam ab annua, & amplivaga noxa liberavi, collega ad eam rem Joh. Dominicô Malliochô efficacis medicinæ cumprimis amicô. Quô ipsô item præsente, & Joh. Baptistæ filio, Andreę Piscicelli, octavum annum nato, schirrhosam istiusmodi carunculam, mole quidem aliquantò minorem, sed pro immedicabili ab aliis summis Chirurgis relictam, semiligneô discindente scalpro curavi. Post hos erit tertia filia Tonsoris, Anton. Fusci. Sed aliis nominibus admiranda fuerit narratio de Victoria, Antonii Conradi Sartoris filia, quæ ad hunc se modum habuit. Maxilla inferior dexrri lateris mirum in modum turgida vitium alebat, quà molaris secundus est. Hic si ferrô plusculum attrectaretur, audiri tum fragor, & resonitus vaginulæ veluti quassę. Ita scil. minùs amicùs erat dentium complexus; quamobrem de excutiendo saltem uno molari, alioquin infirmiore, significatum à me est: qui sic quidem hærebat laxè; ut matris manu per filum fuerit exemptus. Sic carnis inutile glomer, quod radicibus extracti dentis exultaverat, tractare commodiùs fuit: adeoque resectum primò per scalprum, mox igniro auro repressum est: quę cùm semel opera exhauriendo vitio non satisfecisset; rursus, ac 30 repetita est. Mirumque fuit, ut extumescens diù facies; atque etiam maxillæ turgor residere brevi sunt visę; quanquam ad exteriorem malæ faciem, & medicatę cinnabaris fumo spongiolæ, & diapyriti emplastra, & ex plumbo hydrargiroque conflatę lamellæ, nonnihil adjumenti dedere. Quas meas omnes administrationes, & curationes confidenter admittendas, atque exequendas; parentibus suaserat excellens in arte Medica vir Horatius Thesaurerius Collegii Salernitani Doctor. Ad hęc exempla possem & de caruncula spongiformi dicere, quam Illustri fœminæ Victoriæ Pyrrhoniæ de primo molari dente subduxi. Quibus jam omnibus expositis experimentis, satis perdiscere potuistis, initiis, materiâ, substantiâ, magnitudine, more atque aliis accidentibus propriis, & privatis, sclirosarcoma esse. Tantùm abest ut de parulidis genere sit, quod firmatum aliorum opinione fuerat.

Hactenus Doctissim. Severinus. Hisce jam proprias subjungemus observationes, oppidò raras; quarum prior communicata fuit Viro Pręclarissimo Dom. Joh. Jacob. Wepffero; ac ea propter ejusdem responsum, ipsius historię annexum videbitur:

Parodontis in Virô plus quàm quadragenario, lethalis, postquàm maxilla inferior, à parte dextra, ab ejus malignitate profundiùs corrosa, seu potiùs perfracta fuisset.

Vir plus quàm quadragenarius, temperamenti pituitoso melancholici, fluxionibus in dentes subinde obnoxius, tandem patitur tumorem circa secundum dentem molarem à parte dextra, in inferiore maxilla, qui sensim incrementa sumens, cum aliquo dolore, dentem proximum de sede sua non parum dimovit, unde facilè fuit Chirurgo expertissimo, primùm accersito, illum digitis apprehensum, sine ulteriori apparatu avellere. Verùm non sic eradicatum est malum: nam carnes glandulosæ ac pingues, quæ jam in ejusdem dentis alveolo radices posuerant, commodiorem quasi vegetationem per ablatum obicem nactæ, non parum excrevere; nec licitum fuit Chirurgo eas per spiritus acriores, aut nitri, aut vitrioli cohibere; quin potius in dies vegetiores factę, eò magnitudinis pervenerunt ut caput infantile ęquarent, partemque concavi oris, non tantùm occuparent; Sed etiam inter maxillam & malam ac buccas exteriùs monstrosè protensæ, immensum à parte afflicta genam inflarent. Tumor grandiorem referebat uvam cujus pedunculus in ipso dentis evulsi alveolo, ac gingiva utrinque ipsum circumcingente; positus, truncum ac ramos varios de se promebat, quibus appensa erant corpora glandulosa innumera, coloris, partim subalbidi, partim lividi; sed admodum fœtentia. Quod primum non cesserat remediis, vulnerariis, balsamicis, & variis desiccantibus, tum intùs, tum extùs, magnâ diligentiâ adhibitis; ferrô, tandem & igne, etiam renuente ęgro & affinibus, aggressi sumus, nec tamen datum est illud eradicatum facere; imò sic vidimus cariem in subjectam maxillam non parum serpsisse, illamque jam propè discidisse, ità ut igne profundiores ipsius cuniculos attingere non liceret. Proptcrea à tam malè affecto fundo continuò pullulabat ea carnium glandulosarum quantitas, quę resarciendis intra minùs quàm viginti quatuor horarum spatium carnibus magno labore excectis, & combustis, satis esset. Affectionem tam horrendam concomitata est postmodum febris hectica, eaque satis vehemens, quâ corpus in extremam maciem deductum, per crura ac tibias leucophlegmaticè tumuit. Perstat tamen appetentia, ac ea virium tolerantia quæ quibusvis operationibus hactenus par fuit. Parodontidem credimus hîc adesse ab Aurelio Cornelio Celso descriptam; & à Marco Aurelio Severino per ferrum & ignem sæpiùs sanatam: Sed pessimi prorsus moris, quęque nullis auxiliis auscultare sit parata. Nobis præterea omnia pertimescenda veniunt ab accensa febre, & leucophlegmatia enascente, imò & jam adolescente; quapropter lubentes consilia super casu tam difficili excipiemus.

Consilium Medicum Præclarissimi D. Joh. Jacob. Wepfferi super casu proposito.

Caro ex gingiva pullulans nondum cancrosa esse videtur, licet glandulosa dicatur; (mallem illam fungosam appellare) quia manifestè os cariosum tangitur, & quidem insignis ejus portio in maxilla inferiore; deinde quia jam aliquoties suâ membranâ sublatâ nondum ad vicina serpsit: quod aliàs fieri solet, & in hoc loco factum fuisse memini; scilicet non pepercisset vicinæ malę, gulæ & linguæ. Ustionem ferro candente cum excellentissim. Dom. Medicis & Chirurgis summopere probo, illamque strenuè continuandam existimo;

existimo quoniam præ aliis fungum radicitùs extirpat; Si malignitas subsit, illam corrigit, quin etiam illius scaturiginem scilicet, cariem tollit. Hæc longè tutior est spiritibus corrosivis, etiam aq. viridi Plateri, butyro antimon. &c. Vix enim caveri potest quin hæc fluida ad partes vicinas dimanarent, illasque periculosè exulcerarent; quin etiam, quia ad omnimodam sublationem, frequenter & diù instillarentur, tandem totam massam sanguineam acri humore imbuerent. Sic talem fungum cancrosum in parte interna femoris, butyri antimonii quidem usum sublatum novi, ęgram tamen post annum phthisi mortuam fuisse. Tinctura laccę, quæ adhibita est; ad coërcendam carnem luxuriantem efficax est; & quoniam gingivæ quoque tumidiores sunt, talis syrupus cum pulvillis ex filamentis paratis, inter gingivam & malam dexteram interponi posset.

℞. Succi nasturtii ℥ij. Folior. raphan. rustican. ℥j. Mellis rosac. ℥iij. Myrrh. electæ ʒij. Coque ad consistent. Syrup. crassioris. Ulcus in maxilla inferiore amplius reddendum est, ut caries plenè detegatur, & scalpi, aut radi, quin etiam trepano, quale Aquapendentis est, in uno alteroque loco perfodi posset. Sic enim os cariosum faciliùs à sano separatur. Pulvis catagmaticus tardiùs suum officium faceret. Dilatatum ulcus, omissis balsamis, & tincturis, solis filamentis implendum, & emplastr. diapalm.. tegi posset. Si ulcus foris sordesceret, aut tinctura myrrhæ, aut aquâ phagedenicâ, caro eluenda erit, parcendo quantum possibile ossi.

Quoniam D. Æger est temperamenti frigidi & humidi, decoctum siccans necessarium erit, quod procul dubio feret, cùm, febre præsente, purgantia aliquoties data, toleraverit. Certè ab his decoctis, secundùm Nicolaum Massam. pinguiores fiunt; cui adstipulantur experientia & Freitagius, qui illa in quadam phthisi cum fructu suadet. Omisso itaque antimonio crudô & mercuriô vivô, tale paretur.

℞. Lign. sanct. ℥iij. Sassafr. ℥j. Radic. sarsæpar. ʒvi. Passul. maj. exacinat ℥iij. Sem. fœnic. ʒiij. Incis. & contus. infund. hor. 12. in aq. font. ℔ viii. Postea coque in vase vitreato bene clauso in B. M. horis duabus sponte frigefactum, coletur sine forti expressione. Hujus decocti manè, horâ quintâ bibat ℥iv. vel ℥v. calidè. Post horam incumbat scamno sudorifero, cujus confectionem & adaptandi modum nuper descripsi; videri quoque potest apud Tenzelium in Trino Bezoardico, & Marco Aurel. Severinum de Chirurgia efficaci. Super scamno primâ vice non ultra horæ dimidium moretur. Dum scamno incumbit, subinde refocilletur tali, aut simili misturâ, cujus; qualibet vice, unum alterumve cochlear detur.

℞. Aq. Card. benedict. fumar. an. ℥ii ß. Antim. diaphor. cum triplo nitri deton. ℈j. C. C. pphicè præparati ʒß. Syrup. de rubo idæo ʒ vi. M. Post horam dimidiam, lectum repetat; sed calfactum. Vespери, circa quartam, rursus bibat decocti ℥iij. Elapsâ dimidiâ horâ, scamno rursus incumbat, ibique ut manè mixturâ reficiatur. In progressu, manè & vespери, etiam ad horam cum dimidia super scamno permaneat, quod sine ulla virium prostratione fiet; si modò misturâ diligenter reficiatur. Ad minimum hæc ultra tres septimanas continuanda, quotidie bis sudando; sed nunquam ultra bonam tolerantiam. Sudoris provocationem super scamno tutiorem puto quàm in stupha, aut cista ad id accommodata, quoniam inde caput non multùm incalescit; & efficaciorem quàm in lecto. Sudor elicitur commodiùs calore prunarum, quàm spiritu vini accenso. Si affectus protrahatur, naturę per dies 14. inducię concedendæ; postea sudatio rursus per alios 14. repetenda. Victus sit paulò plenior quam in lue venerea conceditur, &, quia masticatio difficilis est, præter jusculа carnis, concederem carnes elixas minutim concisas, item ova sorbilia, fructus dulces coctos. Potus sit decoctum sassafr. aut lign. visc. quern. aut rad. chinæ

Deus T. O. M. Domino Ægro hæc salutaria esse jubeat. Scaphusii, die 18. *Decembr.* Ann. 1689.

Hactenus Clariss. D. Wepfferus; jam sequitur continuatio historiæ ad mortem usque D. Patientis.

Acceptô Clariss. D. Wepfferi consilio, non tantùm ferrô & igne, ac medicamentis desiccantibus, vulnerariis & balsamicis, intus & extus adhibitis morbum debellare adnitebamur; intus scilicet decoctis traumaticis variis, ac etiam ex radicibus & lignis, purgantibus subinde cum mercurio dulci intercalatis; extus verò, iisdem decoctis & succis, ac etiam tincturâ gummi laccę cum spiritu vini armoniacato extractâ. Sed præterea ad sudores ipsos devenimus; quos igne in lecto, quia alium situm ferre non poterat commodè æger, provocavimus, nullumque inde enatum febris augmentum, quin potiùs sic aliquatenùs illa remittere visa. Verùm non interim coërcebatur malum in maxilla, quin in dies profundiores agens radices, illam tandem prorsus discidit, ita ut ad anteriora pendula foret, nec aliès os claudere posset Domin. Patiens quàm per adhibitam fasciationem aptam, impositamque ferri tenuiorem laminam ad formam soleę ferreę quâ equorum armantur pedes exsectam. Carnes è carie pullulantes quę primùm quasi glandulosę fuere, tum propè cartilagineę factæ sunt, atque ex primo suo fundo ad maxillę usque juncturam radices suas promoverunt. Tot victus malis Æger noster tandemque funestâ colicâ dilaniatus, inter frequentes lipothymias, die 28. Januarii anni 1690. animam efflavit. Emortui cùm maxillam ipsiusque tumorem ad examen revocassemus, vidimus illius cariem, ultra pollicis cum dimidio ad summum se extendisse, sed inde ita os corruptum fuisse, ut prorsùs friabile foret. Tumor ex parte carneus, ex parte glandulosus, seu, ut Clariss. Wepffero lubet; fungosus, ex parte cartilagineus, ac quasi corneus, repertus est, totamque maxillam à parte dextra latè circumcingebat, ac ad ejusdem juncturam ascendens, ipsius ligamenta ita laxaverat, ut luxatio ibidem perfecta sic efficeretur. Plura in cadavere non sumus rimati.

Parodontis in puella, brevi sanata.

Annò 1690. mense Septembri cùm Neocomum Helvetiorum iter habuissem, mihi oblata est puella quinquennis; in cujus maxilla inferiore, parte sinistrâ, medio inter mentum ac juncturam maxillæ propè loco, enatus erat tumor glandulosus, quô proximus dens de sede sua pulsus, simplici forcipe à Chirurgo extractus fuerat. Verùm non ita facilè tumori in dies incrementa sumenti, ac cariem in subjectum os propaganti, mederi. Suadebam ego extirpationem tumoris, atque identidem ignis admotionem pro ossis correctione: at renuebant parentes; & propterea autor fui ut subinde imponerentur loco affecto plumaceoli, elixyre volatili, è spir. sal. armon. variis balsamicis saturato, imbuti. Adjungebam ptisanam desiccantem, purgantiaque per intervalla mitiora. Sicque, nullo alio adhibito auxilio sanata est Ægra.

PARONICHIA

De Paronichiâ hæc habet Clariss. Joh. Munnicks.

I. INter Tumores haud immeritò à Cheirurgis refertur Reduvia seu Paronychia, quippe quæ in vicinia seu lateribus Unguium in Digitis generari consuevit: Latinis Panaritium nuncupatur, Nostratibus *De Fijt*, Germanis *der Wurm oder das Ungenade.* Vulgus enim in ea est sententia, Vermem in illo Tumore latere, qui rodendo tantos excitat dolores, eumque nominatum exasperari, ideoq; nominandum non esse.

II. Est autem Panaritium seu Paronychia Tumor in Digiti extremo, admodum dolens, ex acido-acri atque ferino humore, tendines, nervulos, periosteum, imò os ipsum rodente, ortus. Estque duplex hic Affectus: Alter enim ad Unguis radicem nascitur, ac plerumque in superficie duntaxat, cùm nonnullo dolore. Alter verò profundior est, ad ipsum usque periosteum, cum acerbissimo & acutissimo doloris sensu; isque symptomata gravissima, febrem puta, syncopen, convulsionem, ulcus malignum, cariem, interdum & totius partis corruptionem infert.

III. Igitur ortum habet hic Tumor ab humore acido-acri, & acri-salino, simulque volatili, Aquæ Stygiæ haud absimili, præterquam quod hic multò volatilior sit; qui cum sanguine per arteriolas ad Digiti extremum, & quidem ipsum in periosteum delatus, immanem rosionem, hinc acerbissimum dolorem, simulque ex continuò affluente sanguine Inflammationem excitat.

IV. Signa verò quibus dignoscitur hic Affectus, sunt Tumor, Rubor, Dolor circa Unguem intolerabilis, qui continuò Ægrum affligit, atque non rarò ob consensum partium nervosarum per totum brachium extenditur, & comitem habet febrem continuam; ac lypothymiam, &c. Cæterùm quo peccans humor magis vel minus acris, ita malum hoc mitius vel detectius est. Quandoque os, digitus, tota manus corrumpitur, imò aliquando ex dolore mortuus fuit Ægrotans.

V. Sed quemadmodum de Causa hujus Affectus superstitiosas opiniones (viz. Vermem in hoc Tumore latere, qui rodendo tantos excitat dolores, &c.) Vulgus habet; ita & de Curatione putat nimirum, si quis Tempore Verno Spermate Ranarum manus madefecerit, ac spontè siccari siverit, & postmodum Digitum hac inflammatione laborantem comprehendat, inflammationem sedari. Alii Talpam vivam singulis annis manu comprehendunt; & pronunciatis conceptis quibusdam verbis Talpam comprimendo occidunt; atque hinc per totum annum Vermes istiusmodi se occidere posse jactitant. Verùm ut nugas hasce omittamus, genuinam Panaritii consideremus Curationem.

VI. In qua, Generalibus; Venæsectione scilicet, & Universali Purgatione haud neglectis, Affectus Digitus aliquandiu foveri potest hoc vel simili Decocto,

℞. Florum Camomillæ, Meliloti, Sambuci an. Mj. Seminis Lini, Fœnigræci an. ℥ß. Coquantur S. A. in Lacte Vaccino.

Vel applicetur Cataplasma,

℞. Fol. Hyosciami; Flor. Anethi, Sambuci an. Mj. Sem. Lini; Papaveris an. ʒiij. Farinę Althææ ℥iß. Coq. in Lacte Vaccino, & fiat ex his S. A. Cataplasma.

℞. Farinæ Hordei, Lini an. ʒvi. Butyri recentis; Mucilag. Sem. Psyllii an. ℥j. Vitellum unius Ovi, Pulv. Croci ℈j. Misceantur S. A.

Nonnulli laudant Ea, quæ sequuntur,

℞. Farinæ Avenaceæ, vulgò *Havergozt*, Coq. S. A. in Aceto Vini in formam Cataplasmatis, quod calidè applicetur, & identidem renovetur.

℞. Herb. Senecionis, Sedi Majoris an. part. æq. Ex his contusis fiat Cataplasma. Scribit Aquapendens, quasdam mulieres hunc Affectum in initio (viz. cum Digitus incipit dolere, hoc est, in primo doloris impetu, neque adhuc in Digito ullus Tumor Ruborve apparet) statim Curare, Digiti extremum in Ebullientem Aquam aliquoties immittendo, ita tamen ut vix digitus aquam attingat: est enim remedium, quod materiam exiguam fluxam statim dissipando evacuat. Probat quoque hanc immissionem in Aquam Ferventem Severinus in Pyrotechnia.

Alii volunt, ut aliquandiu in Ovo Putrido teneatur Digitus, idq; sæpius hunc Affectum curasse affirmant.

Riverius peculiari Medio hunc Affectum curat, de quo Cent. 4. Observat. 63. hæc habet: „ Virgo quædam Paronychiam patiebatur in indice manus sinistræ quæ ipsam vehementer afflixerat per quatuor dies; jussi ut Digitum immitteret in Aurem Felis, & intra duas horas doloris expers fuit: sentiebat per intervalla attractionem digiti in auris cavitatem, ac subinde dolor totum brachium invadebat, usque ad humerum: eo denique tempore Felis vociferabatur, ut credibile fit, eum dolore affici à veneno attracto; tota manus intumuit, ac postea detumuit, excepto digito, qui tumefactus remansit, sed doloris expers: sublato dolore digitus extractus est, & suppuratus apparuit, ac deinceps solo Emplastro Diapalmâ curatus.

VII. Saltem in Principio Curationis dolorem lenientia, & acrimoniam humorum mitigantia, suppurationemq; adjuvantia Digito Affecto admoveantur. Itaque Ægrotans aliquandiu Digitum detineat in hujusmodi spiritu fervefacto.

℞. Spiritus Vini ℥iij. Theriaces; Camphoræ an. ʒj. Opii ℈ß. Misceantur.

Deindè imponatur Cataplasma.

℞. Herb. Rutę, Salviæ an. Mß. Flor. Camomillæ, Sambuci, Meliloti an. Mj. Sem. Cumini ℥j. Coctis in Aqua & Vino ad mollitiem, & in mortario contusis adde Farinæ Lini, Hordei an. ℥j. Pulv. Sabinæ ʒiij. Croci ʒß. Butyri recentis ℥iß. & M. F. S. A. Cataplasma.

Sed quandoquidem hujusmodi Tumor valdè contumax & suppuratu difficilis est, & is maximè qui os attingit; si adhibitis remediis Suppuratio tardè promoveatur, ille profectò, etiam ante perfectam maturitatem aperiendus erit. Id quod tutum ac unicum remedium est, & ad sedandum dolorem, & ad supradicta symptomata impedienda commodissimum. At enim Tumor hic alia ratione secandus est, quàm cęteri abscessus, propterea quòd non semper facilè est de loco, ubi pus resideat, judicare; quippe quòd quantitate exiguum, profundum adeò, & ossi proximum. Igitur Sectio facienda est in medio Digiti in interiore parte, non longè à Digiti extremo; ad os usque; deindè Ulcus curandum.

Quod si negligentiâ Ægrotantis aut Cheirurgi Sideratus Digitus fuerit, extirpetur; nisi totum negotium naturæ committere placeat, quæ sæpius officulum corruptum separat, ejicitque.

Sin Caruncula luxurians; seu Carnea Excrescentia in orificio excreverit, Ea vel Ferro, vel Medicamentis exsiccantibus aut exedentibus tollenda.

Quum verò tardius accersitus Cheirurgus magnam humorum collectionem reperiat, Dissipantia & Suppurantia applicentur. Hinc rupto vel aliter aperto Tumore, summa habeatur Cura, ne tendines corrumpantur; atqui corrupti qui sunt, separentur sive medicamentis, sive instrumento secante.

VIII. Fabritius Hildanus, uti refert Cent. 1. Observ. 97. Inflammationem, aut notabilem Tumefactionem, & Suppurationem non expectat; sed in Muliere, quæ dolore acerbissimo in extremitate digiti, cùm

febre a

febre, lypothymia, nausea, aliisque symptomatibus laboravit, Curationem sic instituit. Primò Digitum Lacte Vaccino, cui Flores Camomillæ, Meliloti, Semen Fœnigræci & Cydoniorum incoxerat, aliquandiu fomentavit. Deinde cutis superficiem paulatim diffecuit. Cute abrasâ Maculæ quædam rubicundæ apparuere; quibus acie cultelli incisis, guttulam unam aut alteram Aquæ rufæ sub cute invenit. Illâ evacuatâ linteum madefactum Spiritu Vini, in quo dissoluta Theriaca, applicuit; quibus mox sedatus est dolor; atque unico hoc remedio sanatus fuit digitus altero die.

In alia quoque Mattona, quæ per triduum ob vehementem ex Paronychia dolorem dormire nequiverat, abrasâ cute maculam in apice digiti sub cute invenit, in qua vix una guttula ichoris contenta fuit. Maculâ incisâ, applicatoque Digito Gossypio Spirit. Vini cum Theriaca imbuto, Manui verò & Carpo Linteo reduplicato ac Poscâ madefacto, statim cessavit dolor; ità ut postero die omnino sanatus fuerit digitus. Equidem addit Hildanus, statim ab initio incisionem hanc fieri debere, aliàs ex concursu humorum inflammationem & tumorem excitari, atque subjectos tendines, imò etiam ossa erodi. *Hactenus Joh. Munnicks in Chirurgiâ ad Praxim hodiernam adornatâ.*

Curatio ex Glandorpii Speciali de Paronychiâ tractatu.

Corpore purgato per venæ sectionem & purgationem ad topica deveniendum est. Nec solùm hîc, secundùm Hipp. 1. Aphor. 1. præstare oportet opportuna se ipsum facientem, sed & ægrum, & assidentes & exteriora.

Ioann. de Vigo iis præmissis stypticis medicaminibus utendum censet, quorum prima forma talis.

℞. Duo poma granatorum integrorum decoctorum in decocto hordei, rosarum, balaustiorum. deinde omnibus pistatis & cribellatis cum farina lentium, hordei & fabarum, parumque decoctionis prædictæ cum hujusmodi cribratura ad ignem fiat emplastrum solidum, add. ol. rosat. omphac. myrtin. an. ℥iß. Croci ℈j. Ultimam facies sic.

℞. Farin. lentium. Hordei. Fabarum. an. ℥j. Myrobal. citrin. ʒj. Gallat. tinctor. ℥ß. Ball. omnia cum vino granat. & pau. acet. rosat. usque ad spissitudinem solidam, add. ol. rosat. omphac. ℥ij.

Et nota, quòd si ista auxilia viderentur conferre huic morbo, ita quòd præstent sedationem doloris, tunc cum eis transeundum est. hec ille.

Guidonis de Cauliaco cura non variatur à cura communi, nisi in majori infrigidatione & refrenatione circa principium, & majori sedatione doloris, factâ igitur phlebothomiâ, evacuatione & diætatione calidarum, juvetur in principio cum aceto puro, aut cum semine psyllii mucilaginato, aut cum gallis & corticibus granatorum misto, unde Halyabbas dicit, quòd sapiens Hipp. in 4. Epid. cum galla viridi & aceto dolorem curabat. Camphora etiam ab Avicenna in hoc affectu multùm laudatur in augmento & statu acetum cum farina hordei aut cum furfure apponatur, & in fine competit oleum cum thure & nigella ad resolvendum.

Paracelsus, *der Heylung seyn dreyerley* characteristica, superstitionalis, & naturalis Glossa. Character est Abraculaus, quod nomen scribunt in papyro, & circumligant digito, & per tres horas sinunt durare, postea curatus est: sic utuntur campisatores. Superstitionalis, id est, benedictionalis, *mit segenen.* sicut serpentes adjurantur. Aqua benedicta sumitur, & misçetur cum sale benedicto, & mixtum rursus benedicitur, & postea digitus baptizatur in nomine P. P. & S. S. & tamdiu habetur in mixtura, donec vermis moritur. Alius rusticus est, qui spuit tribus vicibus super digitum languentem, & semper dicit, Poux. Tales superstitiones apud Paracelsum & alios aliquando invenies. Sed religionis rectæ lex tum in veteri, tum in N. Testamento hujus modi impias nugas, in quibus sacrosanctum Dei nomen per diabolicas imposturas contemeratur, vitare jubet.

Nam hoc est tentare Deum, humana curiositate fictis ritibus Dei operationem alligare velle. Neque enim ipsi visum est agere per alia media, quàm quæ in natura & verbo suo ordinavit. Naturalis cura est per anodyna, sperma ranarum, narcotica, mandragoram, & per putrefacientia, stercus porcinum, &c.

Gordonius, corpore igitur mundificato, à principio fiat emplastrum cum mucilagine psyllii facta in aqua rosarum, & opio, & camphora, & farina hordei, & aceto, in augmento autem illinatur locus sorditie auris, & in statu cum mucilagine psyllii, facta cum lacte, & in fine statûs perforetur cum acu, & in declinatione medicetur cum farina lupinorum & melle, &, si ibi esset ulcus, curetur cum aloë, thure & arsenico.

Valescus de Taranta laborans paronychiâ in principio seipsum hoc modo curavit, cùm maxime inquietus esset, apposuit lenticulam aquaticam, & incorporatam cum aceto, & albumine ovi, statim à dolore fuit liberatus; & cùm vidisset aliquid saniei sub cute, in latere unguis aperuit cum acu, & emisit duas tresve guttas saniei, & curatus fuit.

Pigræus: In paronychiæ initio refrigerantibus utendum pharmacis, & iis, quæ censentur esse magis anodyna, dolorisque sedandi vim habentia. Cataplasmata oxalidis coctæ & recenti butyro aut axungiæ porci admixta, optima sunt & appositissima. Quòd si inflammatio magna fuerit, utiliter addentur hyosquiami folia, aut malum granatum in cineribus coctum, unà cum axungia, ut dictum est, mucilagines psyllii, seminis lini, fœnigræci & althææ ad id etiam valdè conferunt. unguentum populeum cum melle æquali portione mixtum, & croci aliquantulum efficax est remedium.

Ægineta, cùm parva adhuc est reduvia, & prima habet rudimenta, gallâ cum melle eam reprimit, vel Musæ pastillus, vel Neræ ex aqua.

Platerus nobili puellæ applicavit ab initio emplastrum ex melle cum farina subactum, addito pauco salis, unde dolor mitigatus est.

Chalmeteus, in topicis initio repellentia cùm anodynis miscenda asserit, hancque formulam præscribit.

℞. Succi portulac. Solani, Plantagin. Aut crassul. & umb. ven. an. ℥j Muccag. semin. psylli cum succis extract. ℥ij. Boli Armen. ʒij. Gallar. ʒß. Camphor. ℈j. Ol. rosat. ℥iij. Misceantur & frequenter applic. Dein inquit idem, Ego expertus sum ovi albumen cum oleo violato magis dolorem arcere, quàm narcoticum.

Rhasis: In panariciis confert, ut igniatur oleum, ne aduratur taliter, & imprimatur in ipso. Si ergo sedatur pulsatio, & sanatur, tunc illud sufficit. Quandoque confert ei in principio, ut liniatur cum ærugine ferri & aceto, & ponatur in nive, usquequo obstupescat.

Stockerus: A principio fiat repercussio cum succo solatri, aut vermicularis, aut ejus aqua. Ponatur etiam digitus primò in acetum calidum cum furfure & farina hordei, confert albumen ovi, mucilago psylii, pulvis gallarum.

Paræus, ad doloris sedationem eadem remedia parti laboranti imponenda sunt, quæ carbunculis imponi so-

ni ſolent ut folia oxalidis, hyoſcyami, cicutę, mandragorę, ſub cineribus calidis cocta, & cùm unguento populeo recenti, vel oleo roſaceo, butyrove recenti & ſalis experti in mortario contrita &c.

Guilhelmus Fabricius Hildanus, chirurgus per univerſam Germaniam famatiſſimus obſervat. & curat. chirurg. centur. 1. obſerv. 97. hęc habet: Curationem ſic inſtitui, primò quidem digitum lacte vaccino in quo flores chamęmel. melilot. ſemen fœnigręc. & cydonior incocta erant, aliquantulum fomentavi: Deinde ſuperficiem cutis paulatim abſecui, abraſa cute maculę quædam rubicundę apparebant, quibus acie cultelli inciſis, guttulam unam aut alteram aquæ rufæ ſub cute inveni. Illâ evacuatâ, linteum madefactum aqua vitæ ubi nonnihil theriacæ diſſoluta erat, applicui. His ſtatim ſedatus eſt dolor: atque hoc unico remedio altero die ſanatus fuit digitus. Reliqua quoque ſymptomata, purgato leviter corpore, ſopita fuerunt.

Ego, pręmiſſa phlebotomia, corporeque convenienter expurgato, ſtatim, ſi modò conſenſus ſit patientis, ad ſectionem confugio, præſertim ubi animadverto, repellentibus me nihil præſtare poſſe. Hocque affirmo audacter, me ex omnibus, quos hucuſque ſub cura habui, nullum ſolis repercuſſivis ex toto curaſſe, leviora verò ex illorum uſu oborta ſymptomata. Ubi itaque mihi denegatur ſectio, nec repellentia ſatis faciunt, cauſtica fugiendo ac evitando, (utpote meo judicio inconvenientia) ad ſuppurationem curationis ſcopum & quidem dirigo feliciter meum, ut ex obſervat. latiùs patebit.

Quod ſi materia, quæ affluxit, & in parte contenta eſt, repellentibus profligari nequit, ſecundùm Joannem De Vigo, ſi dolor indies augeri videtur, tunc ſtatim ad maturativum de malvis & violis farinaque hordei, omnibus ſecundùm artem in hujuſmodi decoctione decoctis cum butyro & vitello ovorum emplaſtrum faciendo, recurrendum eſt, quod per duos dies ſuper loco applicetur. Deinde nulla medicina melior eſt, quam protinus candenti ferro locum aperire ſecundùm longitudinem, in ſummitate digiti, iſta enim cauteriſatio, licèt non ſit ſequuta loci completa maturatio, plerumque digitum conſervat, ne fiat corruptio in nervo & oſſe, & cum hoc dolorem ſedat, &, quod aliquando ſunt nonnulli, qui hujuſmodi cauteriſationem repudiant, & ipſam pati nolunt, ideo in iſtis neceſſarium eſt, utique ad ulteriorem maturationem procedere. Quare, maturatione celebrata, locus ferro bene incidenti, aut ruptorio de capitello materia exiſtente ad ſummitatem cutis, aperiendus eſt.

Guido de Cauliaco: ſi verò materia reſolvi nequit, verùm collectionem facit, juvetur ad maturandum cum mucilagine pſyllii cum aqua adipe mixta, aut cum illo emplaſtro, & eſt Guilhelmi.

℞. Vitell. 3. aut 4. ovor. coct. Farin. fœnigręc. Semin. lini. Mucilag. malva viſc. an. ℥j. Butyri recent. quart. ſ. Incorporentur omnia ſimul, & fiat emplaſt. &, cùm eſt maturatum, perforetur perforatione ſubtili & parva, & evacuetur, quod in ipſo eſt.

Ægineta. Suppuratas autem reduvias acu adacta humorem emittere, ſpongiamque aquâ imbutam imponere oportet, vel lenticulam applicare ex aqua tritam, aut palmularum cum vino, vel roſas virides, vel ſiccas, aqua maceratas, tritaſque vel polentam cum aquâ, efficax eſt reduviis etiam lupinorum farina, melle vel mulſo macerata.

Rhaſis. ſi verò non ſedatur pulſatio, tunc ponatur ſuper ipſum, quod ſaniei faciat collectionem cùm ergo colligitur ſanies, & maturatur, perforetur foramine parvo, & exprimatur.

Pigræus, ſi verò his omnibus adhibitis remediis, malum tardè ſuppurat, quippe ejuſmodi tumor valde contumax & ſuppuratu difficilis eſt, & is maximè, qui os attingit, ille profectò etiam ante perfectam maturationem aperiendus erit. Illud verò tutum unicumque remedium eſt, & ad ſedandum dolorem, & ad ſupradicta ſymptomata impediendo commodiſſimum; ut verò facienda ſectio, ejuſdem authoris cap. 21. de tumorib. præternat. lib. 2. conſule.

Paracelſus. *demnach ſo es gebohren iſt. ſo muſz das* ventiel *eræffnet werden, das machet er ihm ſelbſt, auſz urſachen der thieriſchen Art, er fuedt und nehret ſich in ſeiner ſtatt, &c.* Hic loquitur de panaricio ut verme. Poſtquam igitur, inquit, natus eſt, oportet, aperiri ventile, quod ipſe ſibi facit, ex cauſa naturæ animalis, alit & nutrit ſe in loco ſuo.

Fabricius Hildanus, obſerv. 97. ſed neceſſe eſt, ſtatim ut ab initio fiat inciſio hæc, alioquin ex doloris vehementia cito concurrunt humores, qui inflammationem ac tumorem excitant, atque ſubjectam carnem, imò etiam oſſa erodunt; eſt enim cutis admodum ea in parte denſa, ita ut materia paronychiæ (quæ per ſe maligna eſt) cùm nullo modo exhalari poſſit, majorem acrimoniam & venenoſitatem acquirat: digitus quoque, imò tota manus, propter doloris vehementiam inflatur, parumque prodeſt inciſio hæc, niſi priùs materia cocta, & in pus converſa fuerit. Contrarium ſentit Vigo & Pigræus, qui etiam ante perfectam maturationem ſectionem adminiſtrant.

Ego, ſi materia non ſit nimis profunda, vix ſuppurantibus, per duos utor dies, ſtatimque ipſis etiam patientibus inſciis novaculâ ſuperiorem illam partem amputo. Si verò profundè ſita ſit materia, & ſectio negetur, dum ſuppurantia adhibeo, indies aliquid cutis novaculâ aufero, ac quinto vel ſexto ad ſummum (quod rarum) ſeptimo, inciſionem non exiguam, ſed magnam ſatis & profundam, per rectum (quæ tamen Hildano valdè periculoſa eſt, quoniam nervos lędit & tendines: unde dolor acerbiſſimus, inflammatio, febris, aliaque graviſſima ſymptomata oriuntur) ſine ullo incommodo, ſecundùm Gal. lib. art. parvæ, cap. 92. molior, quo eſchara (*peddig*) quę tendinibus, muſculis & membranis ſolet adhærere faciliùs poſſit evacuari, materiaque meliùs penetrare. Obcœcato namque cutis vulnere, cùm nihil exſpirat, ſæpe oritur convulſio. Hinc Petrus Foreſtus lib. 5. obſerv. chirurgicarum obſerv. 16. ſtatim ad ſectionem confugit. Semper autem mihi antiquorum ſubtilis perforatio fuit & eſt ſuſpecta. Leviſſimo enim negotio foramen illud exiguum occluditur, puſque ſubtus collectum, ac quodammodo incarceratum irritatumque pejoratur: ſique ſectio hęc adminiſtratur antè perfectam maturationem, hanc promovet.

Sectione adminiſtrata mundificetur locus unguento Ægyptiaco ſecundum Vigonem miſto cum unguento apoſtolorum, aut cum pulvere ſuo corroſivo, vel cum throchiſco de minio, ſi opus eſt, ultimò purificetur locus poſt adminiſtrationem corrodentium cum melle roſato vel cum abſterſivo de apio; incarnetur deinde locus ſeu ulcus pulvere incarnativo, demum ſigilletur pulvere ſigillativo cum lotione aquæ aluminoſę & unguento de minio.

Guido: Facta ſectione evacuetur, quod in ipſo eſt, & mundificetur cum melle & farina lentium, & lupinorum, & aloë eſt de melioribus rebus ad incarnandum. Omnia autem auxilia ſuavi panno & indolorosè apponantur: quia hoc accidens ſuperat cauſam ſuam. intelligit lenem, non aſperum pannum, & vult molliter imponi.

Platerus metuens, ne tendines circa radices unguium putreſcant, ubi profundum videbatur ulcus, unguentum deterſivum, emplaſtrumque & laricea ſubacta cum

vitello ovi & melle, addito succo plantaginis apponere jussit.

Forestus, ait: Chirurgus, apparente foramine, cùm materia virulenta non exiret, amota pelle pulverem præcipitatum imposuit, & demum amotâ escharâ & crustâ impositum est digestivum, quod habebat paratum ex una parte mellis, dimidia verò terebinthinæ, cui vitellum ovi, & pauca farina hordei, tum myrrhæ adjecta erant, exteriorem partem unguento nutrito inunxit, brachium verò ad axillas usque oleo liliaceo & lumbricorum terrestrium, postea adhibuit unguentum apii, seu hyperici Philippi Harmanni, quod convenit, ut ipse ait, panaritio, ulceribus malignis & inveteratis, &c.

Paręus, vulnere inflicto, id est, facta sectione, sanguis multus effluere debet, mox immergendus digitus in forti & calenti aceto, in quo dissoluta theriaca venenositatem attrahat.

Chalmeteus, cùm aperta erit vomica, detergendum melle, terebinthinâ & hordei farinâ, & ungento apostolorum, aut pulvere mercurii, si opus fuerit postea sarcoticum proderit Vigonis.

Ego, facta sectione copiosoque effluxo sanguine à medicamentis planè abstineo acrioribus, ne dolorem inflammatio sequatur insignior, suspectaque mihi sunt corrodentia, ob nervosas necnon tendinosas partes, utor a. Anodynis mundificantibus benignis, nec non virulentiæ & venenatæ materiæ qualitati rebellantibus, ut est balsamum meum hyperici, quo cum & brevissimo temporis spatio vulnus carnosum sine deperditione substantiæ necnon ulcera cancrosa non raro curo curavique. Hoc namque materiam impactam concoquit, mundificat, dolores lenit, abstergit incarnatque. Et, ut non dissimulem, quod me experientia docuit, observavi, me nunquam facta sectione usum pyroticis cum successu. Supervenerunt namque ac insequuti sunt ex horum usu, etiamsi dexterrimè imposita, defensivaque adhibita excellentissima, ingentes & novæ inflammationes: sed tutò, leniter, etsi tardiùs, aliquando cum felici successu medicamento superiori affectum hunc debellavi. Ubi verò ob ulceris naturam rebellem pyroticis uti summa me coëgit necessitas, cautè, blandioribusque remediis quoad fieri potuit, idipsum aggressus aquâ divinâ, qualis est Fernelii; raro etiam mundificantibus, abstergentibusque cathæretica nisi vi impulsus maxima, in pauca tamen, imò paucissima quantitate immiscui, hęcque potius ubi nervosæ partes tectæ nec non tendinosę, adhibui.

Incarnativum Vigonis.

℞, Aloës epatic. ℥iij. Myrrhæ. Thuris, Sarcocoll. an. ℥i. Misce. Et si adderentur terebinthinæ clarę. ℥v. mellis rosat. colat. ℥ij. utilissimum erit.

Trochisci ex Minio Vigonis c. 13. lib. 8. antid.

℞. Sublimat. bene triturat. ℥iij. Medull. panis crud. & benè Ferment. ℥iv. Minii. ℥ij.

Omnia pistentur in mortario, & incorporentur cum aqua rosata, deinde formentur trochisci ad instar punctarum clavorum, & super tegula ponantur in furno ad coquendum, ut coquitur panis, & utere. Quod ad interficiendum fistulas solemnis & mira est medicina, & insuper ad exstirpandas tuberositates morbi Gallici radiconatas, inter cęteras medicinas principatum obtinet medela ista.

Pulvis sigillativus ejusdem lib. 8. Antid. c. 11.

℞. Alumin. Roch. comb. Corall. albi. Rub. an. ℥ß. Terræ sigill. Boli Armen. an. ℥ij. Balaust. Myrobal. citrin. an. ℥ii ſ. Tutię ℥j. Misce, & utere, quod in cicatrisatione magna est medicina.

Alius sigillativus pulvis ejusdem.

℞. Calcis lotæ, Alumin. roch. comb. an. ℥ij. Myrobal. citrin. Terrę sigill. an. ℥j. Misce & fiat pulvis, & utere in vulneribus & ulceribus, quod mirabiliter cicatrisationem procurat.

Trochisci assodillorum ejusdem.

℞. Sublimat. fortiss. & elect. ℥ß. Argent. pulv. ℥iß. Ceruss. Amyd. an. ℥iiiß. Succi assodill. ℥10. Aceti ℥v. Bull. omnia simul usque ad consumt. succ. & acet. dein. pistent. subtil. & incorp. cum ℥ij. Medull. panis crudi, adde Auripigment. calcin. ℥ß. ℥ß. & de omnibus cum modico aquæ fiant trochisci in furno.

Pulvis Corrosivus ejusdem.

Pulvis nobilissimæ operationis ex inventione Joannis de Vigo descriptus lib. 8. Antid. cap. 13. Corrosivus, remotivus malignitatem ulcerum, & carnis malę superfluæ absque dolore.

℞. Aquam, cum qua aurum ab argento dividitur, quę sic fit.

℞. Vitrioli Romani, Alumin. roch. an. ℔ ij. Salis nitri ℔. iſ. & in vase vitreo elambicetur, & quantò fortior, tantò melior ℔. iſ. Argenti vivi ℔. iſ. ponatur aqua in buccia vitrea bene inlutata, deinde ponatur ad furnellum, cum capello & recipienti omnibus simul inlutatis, ne aër valeat exire, & elambicetur, imprimis lento igne, deinde cùm incipit elambicare, ignis fortificetur usque ad rubedinem recipientis boccię, deinde successivè ignis aliquantulum augmentetur, donec aqua in totum sit elambicata, postmodum frange bocciam, & extrahe argentum vivum calcinatum, quod apud alchymistam pręcipitatum nuncupatur, & trituretur super lapide marmoreo, deinde iterum ponatur in boccia, modo, quo supradictum fuit, inlutata, & iterum cum suo recipiente, ut dictum, elambicetur, donec tota aqua sit elambicata: quo facto frange bocciam iterum & extrahe, quod intus est, & super lapide marmoreo cum alio lapide pulverisetur: quo facto ponatur pulvis in caciola ænea ad ignem satis fortem, semper baculo agitando per horam cum dimidia, quia isto modo melioratur pulvis, & ad perfectionem reducitur, & signum perfectionis est, quando cognoveris ipsum colorem minii aut aliquantulum clariorem acquisivisse, &c.

Unguentum apii seu Hyperici Philippi Harmanni.

℞. Succor. Hypericon. Apii an. lib. ij. Senec. seu cruciat. Succi millefol. Absynthii. an. lib. 1. Succi chelidon. Persicar. an. lib. ſ. Mellis despumat. lib. v. ol. hypericon. lib. ij. Terebinth. lib. 1. Farin. triticeę q. ſ. Alumin. usti ℥iß.

Succi coquantur secundùm artem, & reliqua addantur & coquantur, ut a. e. ad spissitudinem linimenti seuunguenti mollioris, & usui reservetur.

Affectum hunc non raro ossis caries, corruptio, corrosio, exulceratioque insequitur. Putrefit os, vel corroditur, putrefactio ipsi non secus ac ligno humiditati continuæ incumbente substantiamque penetrante nec non vastante accidit. At ubi hæc acris erodens salsa, imprimis verò nitrosa redditur, corrosio ac caries ossis ligni instar, quod à xylophagis corroditur & exeditur, oboritur: putridum os nigrum, corrosum verò à colore naturali parum variat, ac instar spongiæ durioris existit. sed major, at brevior ossis corrosionem minor putrefactionem, ac diuturnior comitatur dolor, hæc vi ac violentia quadam, illa tempore succedit, Benedictus Bologinus lib. 2. cap. 7. de cura ulcerum, sequentes ossium corruptionum statuit differentias. Vel corruptio est de proximo futura, aut jam facta est, & est in osse magis & minus profunda, aut magis & minùs superficialis: alia præterea est vel vel in capite, dorso, coxendicibus, juncturis & consimilibus, &c. Petrus Pavv in comment. suis in lib. 8. de re medica Cornelii Celsi, cariei duas statuit causas, vel obscuram, vel apertam. Ego in panaritio agnosco vel internam, humorem scilicet malignum, venena-

venenatum, acrem, copiosum ac in parte ultra debitum permanentem occlusum; vel externam, ut aërem, oleum seu pinguedinem, quæ suâ dyspatheiâ ossis substantiam humectando, nativum ipsius humorem extinguunt, nigredinem nec non cariem inducunt. Accidere verò potest caries ossibus, non secus, ut ferrugo ferro. Quemadmodum autem à ferrugine Mars conservatur oleo, sic è contra, os ejus admotione ferruginem seu cariem contrahit, oleaginosis ferrū, siccis os delectatur, &, quatenus os est siccissimæ naturæ, eatenus & conveniunt siccissima medicamenta, nec non calida, quæ humorem affluentem absumendo, absorbendoque ossis substantiam in eodem symmetro conservant.

Ossibus denudatis & cariosis simplicia convenientia. Agaricus, Aloë, Anthos, Centaur. min. Cortex panacis, pini, thuris. Euphorbium, Hypericon, Iris, Lumbrici terrest. Opopanax, Pes columbinus, Peucedanum. Radix Aristol. rot. Arundinis, Asphodillorum, Dragonteæ, Symphyti, Viticis. Rosæ rubræ, Sublimatum, Sulphur, Tartarum, Vitriolum Romanum, &c.

Ulcus in panaricio ubi fit chironium, esthiomenum, præsupponit non cariem modò & corrosionem ossis, verū & putrefactionem. Os autem corruptum carieque infectum esse, designat doloris pungitivi perseverantia & contumacia, hypersarcosis, seu carnis excrescentia cernitur, nunc fungosa, mollis, spongiosa, rara, laxa, mydosa, interdum dolens ac sanguinem effundens, nunc ostracata, non rarò pus cum sanguinis effusione fœtidum, aquosum, tenue, instar sanici istius, quæ inepto vocabulo à tonsoribus *Gliedvvasser* (quasi aqua artuum: id autem est humor ex nervosis articulorum partibus læsis emanans) vocatur, punctiones ac sinus modò magni modò exigui, pro diverso partium respectu & magnitudine, ulceraque difficillimè ad cicatrisationem, nisi evacuato osse carioso, perducuntur. In casu verò, (inquit Guido) in quo est corruptum os, discooperiatur, & os cum ferro calido cauterisetur; cauterium enim in hoc est juvamentum valde. Quod si contingat os carne obductum, auferenda, portioque cariosa removenda. Remotio autem illa fit dupliciter secundùm Fallopium tract. de ulceribus cap. 22. altera fit manu, altera fit à natura, quæ expellit id, quod noxium est. Hoc in affectu scalpris aliisque instrumentis haud datur locus, ob fragilitatem, ossis mollitiem, ac insignem dolorem, tutiusque est naturæ opus illud committere, eique auxiliari medicamentis valde siccis & tenuium partium. illa namque os siccant, partem integram siccam conservant, & calefaciunt, aut saltem calorem custodiunt, vocanturque talia medicamenta à Fallop. squamas auferentia.

Si verò adsit ulcus, secundùm Guid. Cum trochiscis affodillorum, aut calidico, seu arsenico desiccetur. si etiam esthiomenatur, scarificetur, & cura illius procuretur, &, si ambularet corruptio ad digitum, ita quòd de ipso timeatur, incidatur & cauterisetur.

Exulceratis reduviis ex sententia Pauli opitulatur hoc medicamentum.

℞. Æruginis, Argenti spumæ, sing. ℥iv. Sarcocollæ tantundem, super linamentum ex vino & spongia imponitur.

Gordon. Et, si ibi esset ulcus, curetur cum Aloë, thure, & arsenico.

Fallop. Hoc utitur in carie ossium medicamento.

℞. Pulv. rad. peuced. Iridis an. ℥j. Euphorb. ℈i. fere opt. & misce, deinde excipe cum medulla molli panis frumenti, & fac emplastrum durum; cujus portio ponatur supra os, stipata priùs carne. Vel (*inquit idem*) ceroto utemini tantùm supra pulv. peuced. aristot. rot. Opopanac. Euphorb. an, ʒß. Terebinthi. ℥iß. Ceræ ℥ß. Aceti ʒj. Misce & coque ad cerati durioris consistentiam. Euphorbii verò in ossium carie quanta sit præstantia, his verbis apertè declarat Chirurgus ille præstantissimus Guilhelmus Fabricius Hildan. lib. de gangræna & sphacelo c. 19. Euphorbium (etsi, ut verisimile est, genuino & legitimo Dioscoridis caremus) separat & deturbat ossium cariosorum fragmenta. quemadmodum observ. 92. cent. 2. fusissimè demonstravimus. Ac idem author dubitat, num Dioscorid. & Avicennæ euphorbium, cujus beneficio ossis caries una die abscedere solet, ad nos apportetur: quod Dioscorid. lib. 3. c. 94. & Avicenn. lib. 2. tract. 2. c. 156. describit, cùm hoc nostrum vix spatio quadraginta dierum idipsum præstet.

Præterea commendatur in hoc affectu, carie scilicet ossium, à Benedicto Bolognino unguentum ex agarico, cujus hęc fertur esse descriptio.

℞. Salis, Agarici, Tartari ana p. æ. fiat pulvis, & cum melle unguentum. Si his medicamentis os non possit desquamari, cariesque tolli, calculus à linea movendus, ferrùmque candens (quod quàmvis ipsa bile amarius videtur medicamentum, ipso tamen sanguine dulcius commodum, quod insequitur, existit) sine cunctatione adhibendum. Extremis namque morbis extrema secundùm Hipp. 1. Aphor. 6. appropriata conveninnt remedia. Quòd si accidat carunculam quandam luxuriantem ipsi ulceri innasci, ea secundùm Pigræum validis remediis deterenda absumendaque non erit, sed detergentibus lenibus ac benignis, ne quid irritetur ac acerbetur, cùm præsertim spes se ipsa corrigatur, ubi primùm materia evacuata fuerit. Contrarium sentire videtur Paræus, ubi inquit: sed & in hoc affectu præter naturam sæpe putredinosi caloris adustione eschara fit, & caro superflua sensu exquisitissimo prędita, succrescit, quæ pariter volsellis rescindenda est, ut à sanguinis copioso effluxu, dolori sedatio, parti veniat solatium.

Ego hac in parte Pigræo potiùs quàm Paræo, si modò ille cum eschara velit & rescindere carnis excrescentias, adstipulor, ac idipsum expertus loquor. Non paucis namque carneam eam excrescentiam seu carunculam rescindens, plus incommodi quàm commodi, plus detrimenti, quàm emolumenti præstiti, ita ut ab eo tempore carnem hanc, donec os abscessurum esset evacuatum & desquamatum, semper reliquerim, & detergentibus lenibus ac benignis eo usque, dum res in vado erat, tractarim.

Interea, ubi insignis carnis istius fuerit moles, vel scarificationes, quò sanguis effluat, vel emplastrum diapompholygos, cui permista pauca aluminis usti quantitas, ad paulatinam absumptionem, adhibeo.

Notandum, quò fortiora ac potentiora adhibentur medicamenta, carnem, quę possint absumere eo magis magisque ipsam accrescere, doloremque supervenire vehementiorem.

Contusio in carne non rarò & in osse, solutio seu continui est divortium, à re gravi & obtusâ ortum, cujus gratiâ carnes vel ossa contunduntur & conquassantur; eaque contusio fit cum vel absque vulnere. Insequitur autem morbum hunc symptoma, quod sugillatum, Peliosin & Melasma, Nausiosin, alii Ecchymosin seu sanguinis sub cute effusionem, quæ fit vel per anastomosin, vel diapedesin, vel anabrosin, nominant.

Ego ubi panaritium ex contusione ortum, statim, an adsit insignis contusio seu ecchymosis, & an sit vel cum vel absque vulnere, perpendo. Dein venam secari curo, supra partem affectam astringentia & intercipientia, ne major fiat sanguinis affluxio & sparsio adhibeo, &, si materiam discutientibus resolvere nequeo, ad malactica & suppurantia, quæ hoc in casu iis tutiora, nec non scarificationes, pręcertim ubi contusio est absque vulnere, si verò cum illo, digestiva statim, quibus & permista habentia facultatem carnem contusam & sanguinem thrombosum in pus vertendi, administro; digesta verò

putrefactaque materia, mundificantia, abstergentia, incarnantia, ultimò cicatricem inducentia impono.

Quò citiùs autem contusæ, carnes suppurationi redduntur obedientes, eò minus periclitatur pars affecta. nec ultra debitum pus generatum, retinendum, ne sua maligna qualitate & acrimonia, quam ex putrefactione nanciscitur, partes magis lędat afficiatque vicinàs. Suppurantium verò usus nimius ulcus inducit phlegmonosum, sordidum, fœtidum, sed & ante perfectam maturationem secandum. Si verò notabilis oboriatur dolor, qui comes contusioni nervosarum partium existit, huic anodynis succurrendum, diligensque ratio habenda, ne ad gangrænam, quę ut plurimùm iis partibus læsis accidit, tendat. Ad doloris autem mitigationem Guilhelmus hoc præscribit unguentum: in quo & Halyabbas consentit.

℞. Olei rosat. ℥i. Apii. Jusquiami an. ℥ß. Sem. apii ℥ß. Aceti ʒii. Pistando fiat unguentum.

De variis variorum Authorum, nec non à vulgo usitatis remediis.

Avicenna summopere laudat camphoram; acetum cum farina hordei, aut cum furfure appositum, aut oleum cum thure & nigella.

Ægineta. Galla cum melle paronychiam reprimit, vel Musæ pastillus, vel Nerę ex aqua.

Crollius in sua Basilica chymica pag. 176. de sperniola. Si panaritio per duas imponatur horas, necat illum, vel imponatur digitale è corio multoties prius intus madefacto & exsiccato.

Chalmeteus inquit: Ego expertus sum, ovi albumen cum oleo violato magis dolorem arcere, quàm narcoticum.

Dioscorides lib. 1. cap. 70. Thus paronychiis cum melle medetur.

Idem lib. 4. cap. 176. Bryoniæ radix in oleo decocta, usque dum liquescat, reduvias committit.

Idem lib. 5. cap. 53. Rubigo ferri perquam utilis est ad reduvias.

Idem eboris quoque scobem in paronychia probat.

Forestus lib. 5. observat. chirurg. 16. ait post phlebothomiam & universalia remedia ponendus digitus per longum tempus in ovo putrido.

Idem. Alii eum in musculis putribus tenuere optimo cum successu, & magna cum laude, ut audio.

Fioravanti in sua physica lib. 1. cap. 108. substantiam sulphuris in hoc affectu his verbis extollit *Bisogna adunque solfaro pigliare, & la sostanza d'esso cavare, & con esso il dito lavare, & poi infasciare, & con pezza bagnata del medesimo liquore sopra la piaga bisogna lasciar*, &c. id est. Oportet itaque accipere sulphur, ex eo substantiam elicere, digitumque eo lavare, deinde fasciis involvere; ac linteum in liquore madefactum vulneri adhibere, &c.

Guido commendat acetum purum, aut cum semine psyllii mucilaginato, aut cum gallis & corticibus granatorum mistum.

Hippocrates in 4. Epidem. cum galla viridi & aceto dolorem curat.

Johannes Cuba ait: Fel taurinum, *Rinds gall*, seu aqua ejus stillatitia panaritio admota, medetur. consentit *Wirsung*.

Idem. Multipes seu oniscus, *Esel*, vivus impositus, interficit.

Idem. Gladioli purpurei radix, *Schwertel*, cocta cum vino albo & olibano, digito in quo vermis est, admota, dolorem aufert, eumque sine noxa extrahit. confirmat. Lonic. cap. 378. de gladiolo.

Idem. Pulegium, *Poley*, contusum croco permistum depellit ulcera corporis, præsertim circa radices unguium, vermem puta. Adstipulatur Lonicer. cap. 103.

Idem. Rasura eboris permista oleo rosato, & unguento populeonis, addita pauca quantitate ceræ, quò inde massa emplastica efformari possit, sanat apostema circa, sive in radice unguis, sive manus, sive pedis, vocatum vermis.

Idem. Buphthalmum, *Rindsaug*, contusum & appositum excellens est remedium.

Idem. Vinca pervinca, *Magdepalm*, contusa panaritio apposita, secretum est.

Idem. Aqua stillatitia Barbæ Jovis, seu sempervivi, *Hauswurtz*, sive *Windebahr*, paronychiæ adhibita, ipsum vermem necat, ac dolores sopit.

Lonicerus cap. 66. de sambuco, *Holder*, & ebulo, *Heyland*, folia contusa, apostemati calido, quod digitis accidere solet, vermisque nominatur, apposita, è vestigio curat. id ipsum confirmat Tabern. fol. 735.

Idem. cap. 97. de urtica. Utrica fœtida seu labeo, *Nessel*, quę galiopsis dicitur, quæque retro sepes, hortosque provenit antiquos, ac à Germanis *oder glass* vocatur, contusa, emplastrique vice vermi digitorum apposita, ipsum enecat, cui astipulatur Brunfels.

Idem cap. 377. de lilio, *Lilie*, laborans apostemate sive ulcere calido, ut *Miette*, aut perinde vocetur affectus, contundat hanc radicem cum Mentha Romana acuminata, *Balsamkraut*, & farina hordei, indeque conficiat emplastrum.

Matthiolus compag. pag. 748. Herba Paris, *Wolfsbær*, recenter tusa, & illita paronychiis medetur.

Idem compag. pag. 704. de paronychia. illita paronychiis atque favis remedio est.

Plinius lib. 21. cap. 20. de radice Ireos; *Violwurt.* Iris rufa melior, quàm candida, ad paronychias farinâ ejus utuntur, cum vino ad clavos & verrucas, triduoque non solvitur.

Idem lib. 22. cap. 25. de medicamentis ex frugibus. Avenacea farina illinitur & paronychiis & callo pedum in aceto.

Idem lib. 23. in proœmio. Cinis ex vite alba, ad collyria & ad ulcera purganda & paronychia & pterygia probatur.

Idem lib. eodem cap. 4. de foliis oleastri, imponuntur folia & paronychiis & carbunculis, & contra omnem collectionem cum vino, iis verò quę purganda, sunt, cum melle.

Idem lib. eodem c. 9. de myrto folia siccantur in farinam, quæ inspergitur ulceribus aut hæmorrhagiæ. Purgant & lentigines, pterygia, & paronychia, & epinyctidas, condylomata, testes, tetra ulcera, item ambusta cum cerato.

Idem lib. 24. cap. 4. de Galla: paronychiis ex melle & unguibus scabiis, pterygiis, ulceribus manantibus, condylomatis, vulneribus, quæ phagedęnica vocantur.

Idem lib. eodem, cap. 19. de gramine altero, quod aeizoo simile: Ad paronychia & pterygia unguium, & cùm caro unguibus increvit, utuntur cum axungia: ideo dactylon appellantes, quia digitis medeatur.

Idem lib. 28. cap. 8. Ramentis eboris cum melle Attico (ut ajunt) nubeculæ in facie, & scobe paronychia tolluntur.

Idem lib. 29. cap. 2. de medicinis lanarum; Succida lana reduvias sanat ex aqua frigida.

Paracelsus. Sumatur corium, quod sæpe humectetur in spermate ranarum, & exsiccetur, ex quo postea efformetur digitale, digito applicetur, & morietur.

Platerus. In paronychia etiam immersionem digiti in principio statim in aquam frigidam aliqui laudant.

Idem

Idem, balneum digito in decocto pentaphylli, abſinthii, agrimoniç, fragariæ, myrti granorum, facto in vino, in paronychia privatim convenit.

Idem, in paronychia hoc eſt peculiare. Panis mica cocta in lacte cum ovi albumine & terebinthinæ pauco miſcetur, quod dolorem compeſcit, maximè ſi mucago pſillii addatur: quæ mucago in eodem affectu & cum aliis farinis, ut hordei, apponi poteſt, quibus urgente dolore apium permiſcetur, & camphora, poſtea ad ſanationem pulvis gallarum.

Idem. Paronychia herba, quę inflammationibus circa radices unguium genitis, quas paronychias vocant, medetur, nomen inde accepit. Cui malo etiam pentaphyllum adhibitum, & dentis leonis herbę caulis lacteus inverſus, digitòque obvolutus, uti & membrana ovi teſtam ſuccingens ſingularia ſunt remedia. Idem præſtat ſuccus cicutæ in panno, nec non cancri crudi contuſi.

Galenus lib. 8. ſimpl. med. Paronychia ab effectu nominata eſt: ſanat enim paronychias, &, ut refert, Dioſcorid. ſavos quoque.

Paronychia herba qua ego in panaritio utor Tabern. lib. 2. ſect. 11. cap. 16. fol. 382. lit. F. quinta eſt ſpecies Alſines, *Kleinſte Vogelkraut*. Matt de Lobel. fol. 249. obſerv. ſtirp. eſt paronychia alſines folio. Brunfels vocitat *Gensblum*, quia anſeres eâ delectantur herba, aſſeritque quale nomen, qualeſque virtutes apud Dioſcorid. habuerit, ſe ignorare. C. Bauhinus in lib. 3. ſui prodromi cap. 13. mentionem facit cujuſdam herbæ, quam & deſcribit, quę meæ paronychię, ſeu burſę paſtoris loculis oblongis haud diſſimilis, quæque ab eodem burſa paſtoris Alpina hirſuta dicitur, Tabernęm. lib. 2. ſect. 11. cap. 78. lit. F. tres habet paronychiæ ſpecies, Matthiol. compag. pag. 704. 705. duas. Johann. Cuba aliam habet paronychię ſpeciem, quam & vocat Lunariam Italicam, *Nagelkraut*, ſive *Welſch Mœhnkraut*, quia de nocte folia ejus ſplendent: hæc tuſa & impoſita dura, ut ait, digitorum curat apoſtemata. Hanc deſcribit Lonicer. part. 2. cap. 297.

Ego aliis authoribus ſuam relinquo paronychiam, hanc Lobellii meam & eſſe volo, quoniam in hoc affectu feliciter eâ uſus fui.

Paronychiæ Authoris deſcriptio.

Paronychia ex radice tenui, fibroſa, capillari ac alba, foliola quàm plurima pallidè virentia, in orbem humi ſtrata, incana, lenticulæ magnitudine, nunc unam, nunc duas utrinque crenas habentia, nunc integra profert, quorum foliorum medio enaſcuntur cauliculi tenuiſſimi, non nihil hirſuti, ſubrufi, floribus quatuor foliis ſtipatis, ac corculi inſtar inciſis, in circumferentia albicantibus, circa ungues verò ſubviridibus, habentibus in centro filamenta albida, quorum apicibus lutei quiddam adhęret. Flos ubi evanuit, ejus loco loculi oboriuntur primò ſubvirides, qui deinde flaveſcunt, in quibus ſemen exiguum continetur. Apud nos Paronychia hęc in agris ac locis incultis humidioribuſque ad Junium uſque copioſiſſimè viget ac floret: imò & in Septembre ac Octobre cœlo clementiori, repullulaſcit. Hæc de paronychia herba.

Rhaſis: ponatur digitus in principio in nive, uſquequo obſtupeſcat. Tabernæmontanus l. 2. ſect. 7. cap. 1. fol. 724. lit. D.

℞. Farinæ ſiliginis ℥iß. Vitrioli Romani ℥vi. Albumen unius ovi, Aquę roſar. q. ſ. miſceantur invicem, & redigantur in formam emplaſtri, diſtendatur deinde ſuper lintea, & affectui apponatur.

Idem. eodem loco. Membranam interiorem ovi admove digito dolenti; deinde.

℞. Farinam ſiliginis, tempera cum ſpiritu vini conficeque emplaſtrum, extende ſuper linteo, ac ſuperimpone membranulæ, quò unà cum affecta parte tegatur: vermem trium horarum ſpatio enecat.

Idem. lib. 1. ſect. 4. cap. 31. fol. 498. lit. F. Ruta contuſa theriacâ permiſta, & ſaliva jejuna vice emplaſtri appoſita curat hunc affectum.

Idem. lib. eodem. ſect. 4. cap. 41. fol. 715. lit. G. Saccharum Canarium ſive Maderienſe in pollinem redactum curat ulcera à paronychia orta, ſecundo de die inſperſum.

Idem. lib. eodem ſect. 7. cap. 2. fol. 732. lit. A. medulla panis ſiliginei permiſta aquâ & oleo roſato, emplaſtri vice digito dolenti appoſita à paronychia ſeu verme ipſum liberat.

Idem. eundem effectum habet panis ſiligineus maſticatus, jejuno ore.

Idem. lib. 1. ſect. 7. cap. 3. fol. 741. lit. H.

℞. Partes duas farinæ triticeę, Vitri Veneti ſubtiliſſimè pulveriſati partem unam, lactis mulieris puellam lactantis q. ſ. fiat emplaſtrum, quod curat paronychiam.

Valeſcus ſeipum curavit lenticula aqua trita, & incorporata cum aceto & albumine ovi.

Wirſung. part. 4. ſui operis cap. 1. paragrapho 12. Digitus affectus pani triticeo immittatur calido: & dolor mitigabitur.

Idem. Sunt quidam in ea opinione in fructu Cynosbati Theophraſti, ſive oxyacanthę Dioſcoridis vermem latere, fructumque hunc digito apponendum, quod ſi contingat, vermem in digito contentum mori, & latitantem neceſſariò emori.

Idem. Stercus hominis ſani appoſitum, eundem pręſtat uſum.

Idem: Indatur digitus laborans manui hominis ſani, & morietur vermis.

Idem: Lavetur primò manus ovis ranarum (*Forſchleich*) deinde apprehendatur digitus: & ſtatim necabitur.

Idem. Pannum ſume cęruleum, immerge ovis ranarum, ut eorum humiditate madefiat, ſiccetur deinde in umbra, appone digito: & ſanabitur.

Marcellus lib. de med. Ad paronychiam digito parietem continges, & rurſum digitum ducens, dices ter Pu, Pu, Pu. Nunquam ego te Videam Per Parietem Repere.

Quod ſi medicamento illo affectus hic debellatur, reor non ratione verborum contingere, ſed frigiditatem parietis in cauſa eſſe, repellendo materiam affluxam: in initio namque ſtatim repellentia competunt. Sed intereſt pietatis, has ſuperſtitiones aniles & improbas minuere, adeoque tollere, & in remediis, quæ in natura à Deo opifice condita, fundamenta acquieſcere.

Sic medicaſtrices nonnullæ (*ut vocant ineptas inepto vocabulo*) ſtercora vaccina aut alia inter duarum viduarum ędes colligunt, & parti affectę adhibent, aliaque aliis in locis collectâ haud opitulari perhibent.

Veruſtarum alia cohors, anſeres nunc huc, nunc illuc pellit, tandem quod excernunt, digito laboranti paronychia calidiſſimè apponunt. Quicquid & hîc ſuperſtitionem olet, cum cæteris antè dictis ex uſu & opinione hominum eſt pellendum.

Ego verò omnis generis ſtercora, vaccina, caprina, ovina &c. ubique locorum, modò nihil à ſubſtantia ſit ablatum, congeſta laudo. Sic non rarò feliciſſimo cum ſucceſſu ſtercore vaccino, vel fimo equino calido uſus ſum: ſtercus etenim ob putredinem, quatenus calidũ, attrahit, dolores mitigat, ſuppurationéque accelerat.

Nonnulli lumbricos terreſtres recentes contundunt, ſuccum exprimunt, ac ad hauriendum propinant. Cujus ſucci præſtantiam Guilh. Fabric. Hildan. tract. method. de gangræn. & ſphacel. cap. 13. his verbis extollit: ſuccus lumbricorum propriâ & peculiari vi penetrat illico, permeatque ad nervos, & nervoſa omnia, ipſaſque adeo venas & arterias,

arterias, quarum tunicæ nervosâ constant substantiâ, & eas quidem partes succus ille roborat & calefacit mediocriter, tollendo, quæ in iis sunt obstructiones &c. Joann. Wierus in tract. de scorbuto, lumbricos cœmeteriorum, utpote pinguiores cæteris, aliis præfert. Alii lumbricos in pulverem redigunt, & applicant. Alii eosdem recentes contundunt, & parti affectæ apponunt.

De curatione pterygii, Paronychiam consequenti.

Pterygion itaque & paronychia, ut suprà dictum, cùm plurimùm invicem differant, curationis propterea alios & habent scopos.

Quum verò nil aliud sit Paulo Æginetæ lib. 3. cap. 81. pterygion, quàm Hypersarcosis, seu excrescentia quædam carnis unguis aliquam partem operiens, ex reduvia aut alia hujusmodi causa proveniens: & ut idem lib. 6. cap. 85. addit, fit autem in pedis manusque potissimùm pollicibus, in pedibus quidem ex offensione plerumque, in manibus autem ex neglecta reduvia, inflammata & in pus mutata, &c. eò secundum eundem dirigenda est curatio, quo caro super flua per medicamenta rodentia auferatur, in quo casu idem laudat auripigmentum & mannam pari pondere inspersam, super autem linamentum ex vino & spongia imponitur. Aliud. Chalcitidis squamæ malicorii an. p. æ. excipiuntur fico tosta, & melle, parte affecta spiramentorum decocto prius dilibuta: quod autem siccum est in ungue, circumcidito. Ad digitorum pterygia putrida, item ad pudendorum ulcera.

♃. Lachrimæ thuris, squamæ æris an. ʒj Ærugin. rasæ ℥ iv. Mellis cyathus, terantur in sole, donec subflavescant, & loco vino priùs irrorato per splenium inducuntur. Sequens pterygia subitò exsiccat persanatque. Soreos combustos ʒij. Thuris tantundem, æruginis rasæ ʒj. cum melle contrita ipsi pterygio inducuntur. *Aliud* squamæ æris palmularum carne excepta aut ficorum utitor. *Aliud.* Columbæ stercus cum polentæ polline ex passo coctum pertritumque imponitur. Item æris squama per se inspersa, pterygia deficcat. Oportet autem crebrò angulum unguis pungentem, ne increscat, scalpello supertimmisso adimere. Contusi, scabri & cruenti ungues, ut abscedant, vide Paul. locis citatis.

Ego aliis unguentum Ægyptiacum, aliis alumen ustum pulverisatum adhibeo, aliis præcipitatum inspergo, vel sequens compositum.

♃. Unguenti populei ʒiß. Aluminis usti pulverisati ℈ïs. Misce vel.

♃. Empl. diapomphol. ʒij. Aluminis usti ʒj. Misce vel.

♃. Unguenti rosat. ʒj Præcipitat. ℈ij. Ol. tartari. g. 7. M.

Hactenus *Matthias Glandorpius* de *Curatione Paronychiæ.* Sequitur jam decas *Observationum* ex eôdem, quibus alias item adjicimus è variis petitas Auctoribus.

Paronychia quatuordecim dierum spatio curatur.

Honestæ cuidam matronæ, triduo antequam advocarer, dolores pungentes, ingentes, atrocissimiq; circa radicem unguis oborti sunt cum inflammatione ferè ad cubitum usque tendente, præscribo, ut apponat statim stercus vaccinum calidum, metacarpium necnon carpum unguento albo camphorato, inungo adhibitis & linteolis in vino rubro Francico, in quo cortices granatorum & rosæ rubræ cocta erant, madefactis. Repercutientia, quoniam materia jam ad suppurationem vergebat, adhibere nolui, interim sequens præparari jubeo cataplasma.

♃. Paronychiæ recent. Pij. Flor. verbasci. Unguium rос. rub. an. Pij. Farin. rad. al heæ, Consol. maj. an. ʒiij. Sem. lini ʒij. Farin. tritic. ℥j. Bull. in s. q. aq. comm. ad catap. consist. in fine add. Vitell. ov. num. 1. Croci g. 7. Camphoræ g. 8. Ol. rosati, lumbricat. Lilior. albor. ʒvj. Misce.

Circa vesperam cùm dolores parum aut nihil remitterent, hoc circumcirca pollicem adhibeo tepidè cataplasma, & ut de nocte reiteraret, præscribo, manè, cùm viderem autem attenuatam, materiamque subtus collectam, sectionem superficialem molior, ac exitum puri præbeo, digestivo sequenti tepido illita filamenta in pono.

♃. Terebinth. lotæ in aqua Ivæ arthet. ℥ ß. Mellis rosat. col. ʒvi. Vitell. ov. num. 1. Myrrhæ. Cortic. thuris, Mastic. an. ℈iß. Pulv. lumbricor. terrest. ℈iv. Ol. rosat. lumbricat. ʒß. Balsami mei hyperic. ʒ vj. Croci g. 8. Camphoræ. ℈ß. Misce pro digest. quod usui servetur.

Occludo emplastro Basilic. tecto superiori cataplasmate, meridie & vesperi, necnon simili modo per triduum procedo; dolores mitigantur, pus optimum evacuatur, quòd unguis vicinas comprimeret partes, animadverto. Quare, ne oboriretur pterygion à compressione, scalpello unguis eam partem aufero, pro exsiccatione cornu cervi usti & præparati, necnon aluminis usti pulverisati ana partes æquales permistas, inspergo. Cùm jam pus esset satis concoctum, ulcus mundificatum, doloresque mitigati, quo vomica carne repleretur, linimento per duos dies meo sarcotico filamenta carpta inungo, emplastrumque Diapalm. appono, ubi carne infarctum, epuloticum meum pulverem, adhibito emplastro diapompholygos inspergo, cicatricemque sine unguis deperditione induco.

Verùm, quia pollex aliqualiter ad movendum redditus erat ineptus, balneum ex floribus chamomillæ & foliis violarum coctis in cerevisia, necnon oleum chamomillæ & amygdalarum dulcium permistum, præscribo: taliterque quatuordecim dierum spatio matrona hęc feliciter, cum divino auxilio, ab affectu illo sævissimo liberata est & curata.

Paronychia spuria in tertio medii digiti articulo consistens, ipsius rigiditatem, quæ tamen curatur, inducit.

Matrona quædam, quæ ante aliquot menses nupserat viro, incidit in dolores tertii articuli medii ipsius digiti intensissimos intolerabilesque, advocatus chirurgus, emplastrum statim, nescio quale, nigrum adhibuit, hinc malum exacerbatum, majorque accita inflammatio, accersitus ego, paronychiam, & quidem spuriam, quæ *eeck* à nostratibus dicitur, ex signis esse collegi, emplastrumque abjeci: repellentia apponere, quoniam materiæ persentiebatur pulsatio, haud tutum esse judicavi. Decoctum malvarum cum paronychia herba pro fomentatione, usque quo cataplasma, quale observatione 1. præscriptum, confectum, quod digito applico, manumque unguento albo duplicatâ camphorâ inungo, ac supra carpum acetum rosatum succo sedi majoris permistum linteis madefactis appono: alia die dolores intensiores redduntur, in adhibitione eorum tamen remediorum persisto, quoniam intentioni, suppurationi quippe, satisfaciebant: quarta, ut ante meum adventum, manum prædicto decocto, cui additi flores chamomill. fomentret præcipio. sectionemque eadem die ipsa consentiente administro: Phlebotomiam, purgationemque

que ob ingravidationis metum imperare, quamvis utilissima fuissent medicamenta, nolui. effluit pus satis bene concoctum, quare ab ulteriori usu cataplasmatis abstineo, digestivum observat. 1. præscriptum cum emplastro diachylo appono. Interim metacarpium ob materiæ copiosam affluxionem, non modò intumescit, verùm & insigniter inflammatur; admoveo medullam panis spongiosi in aqua rosarum maceratam, inflammatio cessavit, copiosum evacuatur pus, & quidem non absque dolore ad decimum usque diem, ubi, adhibitis mundificantibus, abstergentibus, incarnantibus, epuloticisque prædictis, viginti dierum spatio curatur. Verùm digitus permansit rigidus, ea propter sequentia præscribo.

℞. Radic. Althææ ℥ß. Consol. major. ʒvi. Semin. lini, Fœnigræc. an. ʒiij Herbar. Malvæ Althææ an. M. j. flor. chamom. Melilot. an. M. f. Incis. & contus. bull. in f. q. cerev. præmisso balneo, sequenti utebatur linimento.

℞. Unguent. dialth. Aragon. Martiat. an. ʒiß. Ol. Reodini Lumbricor. an. ʒiß. Axung. human. ʒj. Misce pro linim. quibus adhibitis intra mensem à paronychia curata est & à rigiditate liberata.

Ancilla respuens in paronychia sectionem, misere affligitur.

Ancilla quædam circa extremitatem medii digiti paronychiâ vexata, ipsum aquæ ebullienti imposuit, unde inflammatio, attractio, insigniorque dolor insequutus, deinde vetulam quandam medicastricem, quæ acu tumorem perforat, medicamentumque ex aqua & pane triticeo applicare jubet, consulit: dolores nihilominus augentur, inquietudines vigiliæque continuæ, nec non totius brachii oboritur inflammatio; me tandem accedit, meámque operam expetit. Ego invitus illam curandam suscipio, qualisque metuendus esset eventus, patefacio, suadeoque, pauca quoniam puris quantitas per exiguam illam puncturam effluebat, ut digito fimum vaccinum applicet, repercutientia administrare, quoniam ex punctura facta materia tendebat ad suppurationem, nolui, ac à carpo ad cubitum usque lintea vino tepido imbuta, apponere jubeo, unguentoque nutrito totam manum inungo. Dolores secundùm mentem ejus nihil remittebant, quare cum importunitate (præ doloribus tamen) me circa vesperam compellat, ut sævissimos illos cruciatus è vestigio auferrem, postulat: Ego in mea haud esse potestate tam brevi tempore affectum illum contumacissimum curare, doloresque atrocissimos sopire, affirmo, ac ut crastinum expectaret diem, in quo vena secanda, peto, sequentiaque applicanda ordino.

℞. Flor. chamomill. Melilot. an. Pii. Summit. hyperic. Ivæ arthet. an. M. f. Violar. Hyosquiam. an. m i. Incis. bull. in f. q. cerevis.

℞. Pulv. radic. althææ. Consol. major. an.℥iiß. Farin. Semin. lini. Fœnigræci an. ʒiij. Herbar. Malvæ, Hyosquiam. an. m. j. Florum Chamom. Melilot. Ivæ arthet. an. p. ij. Paronychiæ m. j. Farin. triticeæ ℥iß. Hordei. ℥j. Incis. & cont. bull. in f. q. aq. comm. ad catapl. consist. in fine add. Boli Armenæ ʒiij. Ol. rosat. lumbricat. ℥iß. Lilior. albor. ʒvi. Vitell. ov. n. 1. Misce pro cataplas, dolor his adhibitis nihilominus augetur ob collectionem affluxionemque materiæ, quæ jam in pus vertebatur. Dum pus enim fit, secundùm Hipp. 2. Aphor. 47. dolores fiunt ac febres magis confecto. Manè me accedens, se totam noctem insomnem duxisse cum maximis afferebat cruciatibus instanterque, ut dolorem abigerem, petebat. Propono itaque phlebotomiam, quam respuebat, offero sectionem, ejusque commodum extollo, nullo modo se illam admissuram constanter affirmabat. Quid agendum esset, haud videbam: ad narcotica confugere, non fuit mihi ob periculum, animus, interea mulierem quandam auxilium præstantissimum ad affectus tales curandos habere, referebat. Lætus ego, ut illius ope uteretur, meaque auxilia intentata relinqueret, suadeo, mihique excellentius remedium nullum præter sectionem esse, affirmo, quam tamen (quamvis panacea unicumque asylum chirurgorum in hoc est affectu, amara namque bilis amaris est pharmacis proluenda) præ mollitie plerumque nostri, nostri inquam Germani, ut & ustiones rejiciunt, sicque propriæ salutis desertores existunt, dum scilicet in principio omnem medendi procrastinant occasionem, nec priusquam morbus in medullam obriguerit, succurrunt, unde ex parva sæpe scintilla neglecta, magnum non rarò imò maximum accersunt incendium. Tali modo ego patiente illa liberatus, illa verò intensissimis affecta per multas septimanas cruciatibus, quarto namque mense digitum infasciatum gestare eam vidi, nec remedium antea prædicatum præstantissimum, tunc temporis quicquam præstare potuit.

Sic & inveniuntur non pauci, qui medicamenta saluberrima, & ut veriùs dicam, divina, à clarissimis celeberrimisque tum medicis tum chirurgis usu, exercitatione & experientiâ longâ comprobata, & in magno ac vasto medendi pelago à Galeno, Hippocrate, aliisque promulgata contemnunt, sua autem è contrario, si quæ habeat medicamenta, tanquam fœtum admirandum, in tantum evehunt, extollunt, prædicant, ac nescio quo nominis adornant titulo, vulgoque mendaciis suis splendidis egregieque comptis, & adornatis imponunt, qualia autem illorum sint remedia, eventus non rarò in eheu conversus patefacit.

Ancilla in paronychia sectionem admittens, breviter & feliciter curatur.

Ancilla quædam in extremitate annularis per aliquot dies de doloribus lamentata intolerabilibus, me accessit, paronychiam esse, meque nullum excellentius, præter sectionem, scire remedium prædixi. Ancillas namque paronychiâ affectas suscipere omnium in chirurgia curationum ferè est difficillima, periculosissimaque, quoniam à dominis ad labores instigantur, quod si perficere nequeunt, torvo vultu ab iis aspiciuntur, &, quamvis chirurgus omnem suam operam impendit, in fine tamen ingratitudo vituperiumque pro honorario persolvitur. Assensum preter expectationem præbet: quare sectionem ad os usque secundùm longitudinem molior, sanguineque effluxo copioso digestivuum observat. traditum cum emplastro diachyload decem usq; dies adhibeo, totamq; manum & carpum unguento populeonis & infrigidantis Gall. permisto bolo inungo, tum mundificantia, deinde sarcotica, ultimoque epulotica impono. Nam, ubi sectio adhibetur, ipsius cura vix à vulneris, nisi in majori digestione, mundificatione absterfioneq; consistit. Carnem verò illam, quæ excreverat, partemq; unguis occuparat, alumine usto pulverisato insperso, emplastroque diapompholygos admoto eradicavi. Atque taliter ancilla hæc, in omnibus morem gerens, breviter absque ossis deperditione digitique rigiditate convaluit.

Paronychiam exorcista morte curat.

Rusticus obeso cacochymicoque corpore, cùm paronychiâ in medii digiti apice afficeretur, exorcistam

cif a n adiit: Hic conjurare incipit, chartamque cui sequentia inscripta erant, vinculo firmiter circumligat. † *ut* † *Credis* † *ita* † *Tibi* † *Eveniat* † ac trium dierum spatio, ne dissiget, præcipit, vermemque cum sub charta conspicuum futurum asserit. Rusticus quamvis maximis obruitur interea doloribus, vigiliis continuis, inquietudinibusque, non tamen schedulam aufert, verùm ea, qua potest animi constantia perfert, tertia die fasciis depositis, apex digiti nigricans omni privatus sensu conspicitur, nec non digitus ex toto inflammatus cum dolore ad axillas usque protenso, ad vicinam tandem confugit civitatem, chirurgumque consulit, qui gangrænam animadvertens inflammationemque insignem, appropriatissima quidem, sed frustra, adhibet remedia, circa vesperam totam manum gangræna invaserat, quæ alterius diei manè ad cubitum usque extendebatur; quarta die sub noctem, supervenientibus convulsionibus, exstinguitur.

Ex paronychia, indicis articulum medium occupante, sævissima symptomata.

Anus quædam lotrix, cùm circa medium indicis articulum dolores rodentes ac quodammodo repentes persentiret, vermem inesse vivum opinabatur. Vetularum more varia tentavit remedia, ad signaturas tandem & benedictiones (*segnen* ut vocant) devenit. Hæc cùm non prodessent, ab aliis, quoniam paupercula erat, doloresque indies majores, vigiliæ continuæ necnon febris deliquiaque evadebant vehementiora, ut curam ejus susciperem, rogatus, misericordiâ commotus, sequens, prognostico præmisso rigoroso, cataplasma ipsi digito, extremitate excepta, adhibeo.

℞. Galiopsis, quæ & urtica mortua & fœtida, ab aliis lamium appellatur. M. i. Paronychiæ recent. Fol sambuc. recent. an. M. i Rutæ. M. S. Radic. lil. alb. recent. ℥iß. Bryoniæ ℥j. Flor. violar. Verbasci. an. P. ij. Farin. semin. lini. ℥iß. Tritic. ℥j. Incis. & cont. bull. in s. q. aq. comm. ad catapl. consist. add. Ol. chamomill. Lilior. alb. an. ℥j. Rosat. cum succo solan. ʒvi. Vitell. ov. N. j. Misce.

Manum totam, ad cubitum ferè usque sequenti linimento ob insignem affluxum materiæ inflammationemque inungo.

℞. Unguent. Populei. Infrigid. gal. an. ʒiij. Succi sedi major. ℥ß. Boli Armen. ʒij. Acet. rosat. ʒij. Misce: apici verò appono repercussivum ex aceto rosato, succo hypocist. permisto; dolor non mitigatur, tumor augetur, necdum sectionem admittit, duodecima die erumpit vomica, pus fœtidissimum excernitur, ulcusque evadit esthiomenum, sequens adhibeo.

℞. Terebint. lotæ. ʒij. Mellis rosat. Syr. ex rosis sic. an. ʒij. Unguent. Ægyptiac. ʒj. Camphor. g. iv. Succ. Scordii. ʒiß. Vel ejus loco pulv. ℈iß. Misc.

Hoc medicamento ulceris malignitatem domui, dolores in profundo nihilominus permanserunt, insignisque carnis excrescentia oborta, dolorosa, spongiosa, ac laxa cum sanie graveolenta & aquosa; hinc conjeci, ossis infectam substantiam, quare totus, quò leniter hypersarcosis ista, caroque os regens, ne novum inducerem dolorem, inflammationemque, adimeretur; in id incubui, ossiculoque nigricante conspicuo hunc pulverem admovi.

℞. Radic. Peucedan. Ireos. an. ℈iß. Pulv. lumbricor. terr. ℈j. Cortic thuris ℈ß. Euphorbii. g. vj. Misce fiat pulv. subtilis.

Ulcus nullo modo ad cicatrisationem, antequam os desquamatum, perducere potui. Septuagesimo tandem die natura ossis portiunculam protrusit, qua emissa digitus intumefactus, inflammatus, doloresque denuo à secundo articulo, anteriore digiti intentato relicto, carpum versus & ultra in interiori duntaxat oboriuntur parte, filamentum quoddam crassum ipsi ulceri nigricans inesse conspicio, volsellâ arripio, tendinisque exsiccati & quasi in fumo arefacti septem digitorum transversorum latitudine extraho partem. Ipsa ea re visa, vermem illum tot dolorum fontem fuisse, exclamat. His excretis sigillatur ulcus, motus verò ob tendonem deperditum flexivus toti digito adimitur, nihilominus tamen, adducebatur, abducebatur & extendebatur, sive elevabatur, ac, quamvis varia post curationem pro recuperatione motus flexivi adhibuerit medicamenta, frustra fuit. De privatione enim ad habitum (ut loquuntur Physici) non datur regressus.

Adolescens à paronychia decem dierum spatio liberatur.

Adolescens corporis habitu sanguineo de doloribus auricularis digiti circa ejus extremitatem conquerebatur, prima invasionis die manè, ubi titillationem & levem quendam pruritum persentit, me accedit, paronychiæ principium animadverti, statim venæ sectionem, & quidem in opposito latere basilicæ præscripsi, sequensque repercussivum digito, ac supra cubitum intercipiens adhibui.

℞. Succi Portulac. Sedi major. an. ʒiij. Lactuc. Solani. an. ℥ij. Succi acaciæ inspissat. & in s. q. acet. rosat. dissol. ℈iv. Sperniol. Croll. ℈ß. Opii g. vi. Farin. hordei q. s. ad cataplasm. consist.

℞. Boli Armenæ ʒij. Pulv. fol. myrti. Malicori. Balaust. an. ℈iv. Farin. molend. ʒiv. Acet. rosat. ʒiij. Alb. ov. conq. ℥ß. vel. q. s. ad catapl. consist. Secunda die eadem apposui, purgansque propinavi, dolores paulatim remiserunt, attamen sub cute exiguum quoddam tuberculum, quod quinta incisum, obortum, convenientia deinde adhibendo, absque ullo incommodo decima die pristinam sanitatem est adeptus.

Paronychiam in principio neglectam insequitur ossis caries, necnon desquamatio.

Matrona quædam honestissima in manûs tam dextræ, quàm sinistræ pollicis extremitate, cruciatus persentit, dexter tendit ad suppurationem, facillimeque curatur, in sinistro verò pollice fixiores validioresque excitantur dolores, quapropter medicastricem quandam consulit: hæc acu perforat, unde cruciatus exacerbantur, deliquia, vigiliæ oboriuntur continuæ, per tres namque septimanas singulas ferme noctes traduxerat insomnes, tandem ego accersitus, paronychiam esse, doloresque ob neglectum principium indies evasuros intensiores, asserui, exiguum verò illud ulcus acu factum, aliquid emittebat saniei, insuper caruncula excreverat, sectionem foraminisque amplificationem summè necessariam, & ad minimum vel os, vel unà cum ipso extremitatem seu extremam articulationem periculum minari, pronunciavi, ut, si tale quid contingeret, id meâ culpâ haud evenire agnoscerent; ea die sectionem admittere noluit. quare sequens præscribo.

℞. Terebinth. Venet. lotæ in aqua malv. ʒvi. Vitell. ov. numero 1. Ol. rosat. lumb. ℥ß. Pulv. semin. lini. ʒiiiß. Myrrhæ. Thuris an. ℈iß. Boli armen. ʒiß. Redigant. & incorp. simul, fiatque unguentum, quod linteis illitis toti pollici, quò materia redderetur suppurationi obedientior, adhibeo, interea & aliquid foramini in-

instillo, altera die sectionem, quam ad os usque scalpello instituo, admittit, deinde balsamo meo hyperici tepido, quo quamplurimos ab eo feliciter curavi tempore, filamenta inungo, effluxo priùs sanguine & pure emplastrum ex curcuma appono, totamque manum unguento nutrito inungo, linteolisque vino madefactis carpum cubito tenus tego. dolores nunc remittunt, nunc augentur, interea annularis apex sævissimis cruciatibus afficitur, illum ovo putrido ut immittat, suadeo, & depellitur. Eschara vulneri aut potius ulceri inhæret tenacissima, quare unguentum dialthææ impono, quam decimo octavo aufero. ablata illa, fovea cavitasque conspicitur insignis, è qua pus fœtidum evacuabatur: conjecturavi, os affectum, balsamum denuo Hyperici cum emplastro diapalmæ adhibeo, pollicemque spleniis albo cocto emplastro illitis infascio, manumque unguento albo camphorato illino, ac, ut à frigore perquam bene ipsum muniat, hortor. Frigidum namque secundùm Hipp. 5. Aphor. 20. ulceribus &c. inimicum, dolores de die in diem aliquantulum mitigantur, cavitas carne, attamen non superflua, impletur, sanies nihilominus ichorosa, tenuis, aquosa à carie ossis profecta effluit, nil præpter emplastum diapompholygos adhibeo, fomentationem ex malva & floribus camomillæ ordino, trigesima die circa unguis partem sinus quidam, quo compresso, materia manabat, percipitur, metui ibidem ossiculi portionem latere, sectionem, at frustra, urgebam tandem trigesima septimana die ossis pars excreta, ulcusque adhibito emplastro albo cocto absque pterygio & abscessu unguis consolidatum. Rigiditas relicta balneo ex salvia, rosmarino, amaraco, malva, floribus chamomillæ & meliloti facto. & inunctione balsami Hyperici curata, strictissimisque nec non arctissimis fasciis anterior pollicis articulus alioquin tumidus, satis superque coarctatus.

Paronychia in medii digiti apice feliciter curata.

Frater meus Guilhelmus Glandorp, cùm Galliam peragraret, chirurgumque apud Mons. du champlain Capitaneum Parisien ageret, famulum ipsius anno 1620. 26. Julii paronychiâ laborantem sub cura habuit. Hic ubi fortè cum suo domino silvas turtures & columbas capiendi gratiâ ingressus, domum postea reversus, dolor statim in extremo digiti, quæ ab eo neglectus obortus, sequenti intensior redditus est. Frater tum temporis ejus loci chirurgus, curationem sequenti modo instituit. Primò quidem secundùm methodum clariss. Fabric. Hildani observ. cent. 1. obs. 57. digitum lacte vaccino, in quo flores meliloti, chamomeli, semen lini, fœnigræci & cydoniorum cum radicibus althææ incocti erant, aliquoties fomentavit, deinde superficiem cutis paulatim dissecuit, qua ablata, rubicundæ nonnullæ conspectæ maculæ, quibus incisis una aut altera guttula aquæ emanavit citrinæ: cùm verò materia copiosior profundiùs & altiùs posita, ad os usque cultello vulnus incidit, maximaque copia puris altera die bene cocti effluxit, statim linteum in aqua vitæ theriaca permista, madefactum, applicuit, deinde folia brassicę (quæ Galli vocant de chous) sequenti decocto imbuta, & ex illis tentas factas vulneri immisit, superimposuit.

℞. Rad. apii. ℥ß. Mellis optim. ℥j. Vini alb. generos. ℔ß. Coquantur simul, donec mel sit despumatum, ac tertia pars consumta, postea sumantur folia brassicæ, ac carbonibus superimponantur, statimque ne comburantur, amoveantur. Inde enim molliores & humidiores quodammodo, & quo decocto faciliùs & commodiùs immergi possint, redduntur: Hocque medicamentum (ut frater refert) chirurgorum in Galliis primariorum secretorum omnium est secretissimum. Manui verò & carpo defensivum ex oleo rosato, bolo Armena, & albumine ovi, cum stupa cannabina apposuit, digitumque affectum oleo rosato indies inunxit, paulatim vulnus, adhibitis sarcoticis, incarnari cœpit: ad inducendam cicatricem, unguentum aureum imposuit, & diaponpholygos applicuit: atque ita, divina favente gratia, quàm brevissimè feliciterque curam absolvit.

Alium, cùm in Americæ regionibus chirurgiam exerceret, paronychiâ affectum sub cura habuit, quem eodem modo, quo Hildanus loco suprà citato, nobilissimam dominam de monte, matronam honestissimam curavit, ad dolorum verò sedationem sequens adhibuit.

℞. Fol. Hyosquiam. Cicutæ. Mandrag. sub cinerib. cal. coct. an. Mj. Ol. rosat. Butyr. recent. & sal. expert. an. q. s. Ex his omnibus contritis fiat linimentum. atque tali modo septem dierum spatio curæ finem imposuit.

Paronychiam furca aliaque sævissima tubercula & symptomata insequuntur.

Adolescens corporis habitu cacochymico 25. annorum circiter, dolore circa apicem pollicis vexabatur acutissimo, per aliquot dies, nescio quibus usus medicamentis, medicastricem tandem accedit, quę novaculâ callosam cutis aufert partem, & interim ut applicet micam panis triticeam in aqua fluviali macecatam, & lacte deinde coctam ad pulticulæ consistentiam, suadet: at frustra, meæ tandem se curæ subjicit, verùm quamvis illubenter illum ob affectus hujus atrocitatem periculumque, principium quoniam neglectum, suscipiebam, tamen ob familiaritatem, quę mihi cum ipsius erat domino, intermittere haud potui. præscribo itaque sequens cataplasma, quia inflammatio insignis, dolores & inquietudines aderant intolerabiles, ita ut nec noctu nec diu somnum caperet.

℞. Paronychiæ recent. Mi. Pulveris radic. althææ. Consol. major. an. ʒiij. Semin. lini. Fœnigræc. an. ʒij. Flor. chamomill. Unguium rosar. rub. an. p. i. Solani. Sedi majoris an. p. iij. Farin. tritici. ℥iß. Bull. simul. l. a. in. s. q. aq. comm. ad catap. consist. in fine add. Ol. rosat. lumbricat. ℥j Lilior. albor. Unguen. dialth. an. ℥ß. Vitell. ov. N. 1. Camphoræ ℈ß. Misce.

Hoc idipsum tepide toti pollici applico, & per biduum tertio, quoniam insignis, quæ comitabatur inflammatio, diesque caniculares, cataplasma exsiccabat, renovo. Die tertio, materiam sub cute pulsantem percipio. quare ipso haud animadvertente & ex improviso sectionem ad os usque quoniam materia profunda, instituo: sanguinis aliquot guttulæ cum puris exigua quantitate evacuantur, filamentis digestivum observ. 1. præscriptum, cum emplastro ex curcuma in speculo meo chirurgorum observat. 19. propositum, impono, ac supra carpum ad cubitum usque, quod sequitur adhibeo defensivum.

℞. Boli Armenæ ʒij. Succi plantag. Sedi major. an. ℥ß. Pulv. Balaust. ʒiß. Gallarum. ℈iij. Rosar. ℈ij. Farin. volatil. ʒvi. Pulveris, rad. ireos. Sandal. rub. an. ℈ij. Acet. rosat. opt. ℥. s. Album. ov. conq. q. s. fiat massa.

Tumor fit auctior, materiæque ob insignem cacochymiam major affluxio, intra pollicem & indicem furca oboritur, idem admoveo cataplasma. Illam ei quinto die aperio, dolor indies augmentum capit, totaque manus ad cubitum fere usque livescit, gangrænamque minatur. E vestigio itaque sequens

pro

pro corroboratione, partiemque confortatione, cataplaſma ordino.

℞. Unguium roſar. rub. Paronych recent. an. M. i. Pollin. flor. chamomill. Melilot. Summ. hyperic. an. P. ij Salviæ. Menthæ. Abſinth. Abroton. an. P. i. Scordii. noſt. Ivæ arthet. an. P. ij. Alliariæ. Plantag. ſicc. an. M. ſ. Pulveris radic. ireos. ʒij. Farin. amygd. dulc. non ranc. ℥ij Lupinor. Lolii an. ʒvi. Incis. contus. & cribel. qu in ſubtil. bull. l. a. in ſ. q aq. comm. ad catap. conſiſt in fine add. Ol roſati lumbricat. ℥iß. Amygd. dulc ℥j. Vitell. ov. N. ij. Miſce pro catapl. quod circa veſperam diei ſextæ admoveo: ſeptima quo jam lipothymiæ oboriebantur frequentes rigoresque, in principio venæ ſectio neglecta, ſudoriferum, quo venenoſa materia à centro ad circumferentiam corporis depelleretur, propino.

℞. Diaſcord. Fracaſt. abſque Galban. ʒj. Syr. ex Galega compoſiti ʒiij Extract. ligni. ſanct. g. xv. Spiritus vini ex infuſ ligni ſancti ʒij. Aq Card. bened. ℥iß. Spiritus Vitriol. g iv. Miſce.

Sudor evocatus copioſiſſimus Octava eiſdem topicis utor medicamentis. Nona in parte pollicis muſculoſa tuberculum enatum, quo ſecto, pus evacuatum copioſum fœtidiſſimum; nec non decima in metacarpii ſuperiori parte circa os, quod medio digito ſubſternitur, ſimilis oboritur tumor, quo aperto, & copioſiſſima ſimiliter purulenta evacuatur materia. Sectio verò adminiſtrata in pollicis apice perquam bene ſeſe gerebat, optimeque mundificabatur plaga illa. Cùm verò materiam maligniorem contumacioremque, quàm in aliis ineſſe tumoribus animadverterem, ipſi mundificativum digeſtivumque, hoc tentis illitis impono.

℞. Terebin lot. in aqua ſcord. ʒv. Syr. ex ſucco Nicotian. Ex apio an. ʒiij. Pulv. ſcordii ʒj. Unguent. dialth. ʒiij. Ægyptiac. ʒj. Balſami mei Hypetic. ʒij. Croci. g vi. Miſce. Duodecima purgans exhibeo.

℞. Extract. Diacarth. ℈iij. Pulv. Mechoac. Cremor. tartari an ℈j Syr. roſat. ſol. ℥ß. Spiritus vitriol g iij. Aquæ veronic. ℥iß. Miſce.

Ex cujus uſu ſepties alvum depoſuit, ac manui à carpo ad cubitum uſque vino rubro Gallico, in quo flores chamomill. melilot. & roſe rubræ coctæ, lintea imbuta applico. Interea nunc mitiores, nunc graviores exiſtunt dolores, ac in ipſo carpo decima ſexta die tria alia exſurgunt tubercula, quę & ſectione per longum, ne tendones læderentur, facta, aperio, tentamque ſupraſcripto digeſtivo, cum emplaſtro ex curcuma, pollicis vero apici, quoniam mundificata plaga, incarnativum cum emplaſtro diapalmæ adhibeo. Magna interea ex tribus illis in carpo & uno ex metacarpio ulcere effluit materiæ purulentæ copia quotidie, præſcriptis ad vigeſimum quartum uſque diem inſiſto medicinis, faſciamque circa cubitum incipientem, ad raſceta vergentem, quò melius materia poſſet evacuari, adminiſtro. Vigeſima quinta brachium è cubito ad brachiale uſque intumeſcit induteſcitque, ac quàm plurimis in locis ſuppurationem de die in diem notabiliorem minatur. ſuccurro, ſequenſque emplaſtrum appono.

℞. Empl. Diachyl. cum gumm de vigo. De melilot. an. ℥j. Gummi ammon. diſſol. ʒij. Cum s. q. ceræ & ol. lilior. alb. exig q. fiat maſſa.

Vigeſima octava ſectionem prope cubitum ferè molior, ubi ſupra modum tumor erat auctus, incredibilis materiæ purulentæ ſtatim & per viginti dies continuos evacuatur, non modò ex illo, verùm & circa carpum exſtentibus apoſtematibus copioſis: quæ aliis eadem & huic appono interim & duæ aliæ in metacarpii externa parte oriuntur eminentiæ, quæ & incitæ. In ſumma incredibile eſt dictu, quanta materiæ effluxerit copia.

Spes hæc ſola, ſoluſque metus hic erat: aut totum brachium, aut carpum ſolum, aut pollicem immobilem permanſurum; aut ad minimum extremi pollicis articuli os, aut articulum ipſum abſceſſurum. Ubi jam materia evacuata, mundificantia, dein detergentia, ultimò incarnantia, tandem & epuloticа adhibeo, cicatricemque induco. Curatis & conſolidatis apoſtematibus, cubitus immobilis, carpuſque cum pollice inflexibilis, perſtitit, ſequens propterea ad id balneum, methodùmque, quoniam peregrè mihi erat abeundum, utendi præſcribo.

℞. Radic. Althææ. Conſolid. maj. an. ʒvi. Bryoniæ ℥ß. Herbar. Malvę. Althææ. Violar. Mercurial. rec. an. Mj. Summit. Hyperici. Ivæ arthet. an. M. s. Sabinæ. Pii. Flor. chamomill. Melilot. an. M. j. Semin. lini. Fœnigræc. an. ʒvi. Bull. incis. & contus. in ſ. q aq. comm.

Brachio priùs evaporationem excipiat, ubi refrixerit ferè in totum, brachium unà cum manu imponat: hocque per hebdomadam continuet, vel prout neceſſitas exigit, ſemelque inſtituatur de die, deinde ſequenti inungat linimento.

℞. Unguent. Aragon. Martiat. an. ʒij. Axungiæ gallin. ʒij. ſ. Gumm. ammon. diſſol. ℈iv. Unguent. dialth. Ol. roſat. lumbricat. an. ℥iij. Ceræ q. ſ. fiat linim.

Inunctione facta, adhibeat emplaſtrum ex ſuperiori maſſa confectum, & ſuper aluta diſtentum, poſt decem circiter dies domum reverſus ipſum ferè omnia ſua obire poſſe cum admiratione ſumma conſpexi, &, quamvis magnus aderat metus, ne ad minimum os, vel extremus abſcederet articulus, tamen nec os, nec articulum imò nec unguem quidem ille ſuum perdidit.

Pro tua verò, Triune Deus, omnium rerum fabrefactor unicè admirande, ineffabili clementia, quæ mihi non modò in his, verùm & in aliis meis curis omnibus in hunc uſque diem adfuiſti, proque eo, quod ex terra ad hominum utilitatem creaviſti medicinam, qua ſanitas ob peccata noſtra deperdita reſtituatur, eamque quamplurimis revelaviſti, laus tua ſemper erit in ore meo, & lingua mea favorem tuum ſingularem, quo me in & extra uterum maternum proſequutus es, quamdiu vixero, deprædicabo. *Hactenus Decas Obſervationum Matt. Glandorp.*

Panaricii ſive paronychiæ incidendæ modus tutiſſimus, & compendioſa curatio.

Quàm dolorifica, & longæ curationis ſit paronychia, neminem practicorum latet. Si tamen ſtatim ab initio pars affecta, eo modo, quem mox expediam, incidatur, cedit dolor, citoque curantur ægri, prout hactenus in pleriſque expertus ſum. Quod ſequentibus exemplis illuſtrare viſum eſt.

Ante annos aliquot Coloniæ Agrippinæ ad piam & honeſtam matronam, uxorem D. D. Joan. Burgois, divini verbi miniſtri fideliſſ. & amici mihi multùm obſervandi, laborantem dolore acerbiſſimo in extremitate digiti, cum febre, lipothymia, nauſea, aliiſque gravioribus ſymptomatis, vocatus fui. Digitus tamen nondum inflammatus aut tumefactus erat, ſiquidem morbus tantùm incipiebat. Ideoque curationem ſic inſtitui. Primò quidem digitum lacte vaccino, in quo flores chamomeli, meliloti, ſemen fœnigræc. & cydoniorum incocti erant, aliquantulum fomentavi. Deinde ſuperficiem cutis paulatim diſſecui. Abraſa cute maculæ quædam rubicundæ apparebant: Quibus acie cultelli inciſis, guttulam unam aut alteram aquæ ruſæ ſub cute inveni. Illa vacuata, linteum madefactum aqua vitæ, ubi nonnihil theriacæ diſſolutæ erat, applicui. His ſtatim ſedatus eſt dolor: atque hoc

hoc unico remedio, altero die sanatus fuit digitus. Reliqua quoque symptomata, purgato leviter corpore, sopita fuerunt.

Hoc anno 1604. vocatus fui ad nobilissimam Dominam de Monte, Bernensem, matronam honestissimam quæ triduo, propter paronychiæ doloris vehementiam dormire non potuit. Abrasa cute maculam hujus magnitudinis O in capite digiti sub cute invenimus, in qua vix guttula una ichoris continebatur. Incisâ maculâ, applicatoque ipsi digito gossipio, intincto, aqua vitæ, in qua dissoluta erat theriaca, manui verò & carpo linteo reduplicato, ac imbuto poscâ, statim cessavit dolor: ita ut posterò die plenissime sanatus sit digitus.

Hujus curationis cùm anno 1593. primum periculum in uxore mea fecissem, & ex voto successisset, postea in supradictis matronis, ac multis aliis maxima cum utilitate ægrorum, administravi. Et semper ad ungulam sub cute nonnihil ichoris inveni. Sed necesse est, statim ut ab inito fiat incisio hæc: alioquin ex doloris vehementia citò concurrunt humores, qui inflammationem, ac tumorem excitant, atque subjectam carnem, imo etiam ossa erodunt. Est enim cutis ea in parte admodum densa, ita ut materia paronychiæ (quæ per se maligna est) quum nullo modo exhalari possit, majorem acrimoniam & venenositatem acquirat: digitus quoque, imo tota manus, propter doloris vehementiam inflatur, parumque prodest incisio hæc; nisi prius materia cocta, & in pus conversa fuerit.

Vacat autem eo modo facta incisio omni periculo, nec est dolorifica, neque nervos aut tendones offendit, quum sit superficialis. Alius verò modus apud practicos passim usurpatus, incisio nimirum quæ fit à superficie ad centrum, & versus os valde periculosa est. Lædit enim nervos & tendones: unde dolor acerbissimus, inflammatio, febris, aliaque graviora symptomata oboriuntur. *Gulhielmus Fabricius Hildanus Observat. Chirurgic Cent.* 1.

Pro Paronychia.

In principio post phlebotomiam & universalia remedia, ponatur digitus per longum tempus in ovo putrido. id enim plurimos curasse experientiâ constat: alii eum in musculis putribus tenuere optimo cum successu & magna cum laude, cùm apostema jam perfectum esset, & incisionem admittere nollet, quod optimum est remedium, adhibui unguentem apii seu hyperici Philippi Hermanni, quod propriè educit materiam viscosam ex ossibus, & panaritium per se curat, & est nobile experimentum non- solùm ad panaritium, sed & contra vulnera: cujus hæc est descriptio.

℞. Succi hyperic. & apii. an. ℔ij. succi senecion. vulgò cruciatæ dictæ, millefolii, absynth. an. ℔j. succ. chelidon. persicar. an. ℔ß. mell. despumat. ℔v. ol. hyper. ℔ii. terebinth. ℔j. farin. tritici, q. s. alumin usti ℥iß. succi coq. s. a. & reliqua addantur, & coq. ut artis est, ad consistentiam unguenti mollioris, & usui reservetur, arcanum est contra paronychiam, quo solo aromatarius quidam ab hoc morbo curatus est. *Petrus Forestus obs.* 16. *lib.* 5. *obs. Chirurg.*

Puerulus quidam angebatur à duabus paronychiis duos affigentibus digitos cum acerbo cruciatu, pro his sanandis talis per me curatio est adhibita; manè & vesperi inungebam hos abscessus oleo sulphur. & desuper applicabam emplastr. diasulphuris: per quæ citissimè maturati, ruptique sunt ac iisdem remediis iterum consolidati ac sanati in paucis diebus: *Martinus Rulandus. curat.* 87. *cent.* 3.

Vidi cui paronychiâ digitus obsessus erat, distinctus fortè ad brachii amplitudinem, perque noctes aliquot insomnes torserat miserè: huic cruor & recens pellis talpæ circumdata, manè crastino die digitum cum nocturna quiete restituerant. *Joh. Helmontius. tractat. cui titul. Butler.*

Virgo quædam paronychiam patiebatur in indice manus sinistræ, quæ ipsum vehementer afflixerat per quatuor dies; jussi ut digitum immitteret in aurem felis, & intra duas horas doloris expers fuit; sentiebat per intervalla attractionem digiti in cavitatem auris, ac subinde dolor totum brachium invadebat usque ad humerum; eo denique tempore felis vociferabatur, ut credibile sit, eum dolore affici à veneno attracto; tota manus intumuit, ac postmodum detumuit, excepto digito, qui tumefactus remansit, sed doloris expers: sublato dolore digitus extractus est, & suppuratus apparuit, ac deinceps solo empl diapalma curatus *Lazarus Riverius, obs.* 63. *cent.* 4.

Mulier alia eodem remedio à panaritio curata est, hinc colligere licet in capite felis esse vim quandam magneticam panaritii qualitatibus familiarem, cujus beneficio venenum in tumore illo latens ad se trahat. *Idem. obs.* 19. *cent.* 4.

Vocatus fui ad mulierem quandam quæ jam duodecim noctes cum clamoribus duxerat insomnes occasione paronychiæ in pollice manus prope ungue lateraliter, nullo tumore, nullaque digiti inflatione existente; quidam chirurgus curam hujus passionis penitus ignorans, bis fecerat quasdam superficiales incisiones, in quibus caro excreverat, rogavit me instantissimè, ut ejus curam susciperem, crastino die feci incisionem cum rasorio lateraliter ab ungue usque ad os, à summittate digiti ad juncturam exclusivè: deinde applicavi album ovi cum vitello agitatum intus & extra vulnus, statim cum recessi, cœpit dormire: & dormivit toto die usque ad noctem: cessavit omnis dolor, neque unquam postea doluit ea causa, sed brevi temporis spatio, Deo favente, fuit sanitati restituta, absque digiti deformitate, vera igitur curatio hujus ægritudinis est, facere incisionem secundùm modum dictum; usque ad os inclusivè: quia statim cessat omnis dolor, neque est aliud remedium, quin os & junctura perdatur. *Petrus Bayrus. practic. lib.* 20. *cap.* 9.

Consultatio.
De Paronychia sive Panaritiô.

Illustris Dom. Ferdinandus de Capua, &c. constitutionis melancholicę, in extremitate digiti annularis manus sinistræ circa unguem, tumore exiguô afficiebatur, tantô cum cruciatu ut dies noctesque insomnes duceret, aliquando & in lipothymiam incideret, dolore per totum fere brachium diffusô.

Resolutio.

Paronychiam sive panaritium à sanguine adustô & atrabilariô ad extremitatem digiti à naturâ detrusô, ibidemque inflammationem excitante productum censeo.

Dolor adeò vehemens est & atrox, cùm ob materię acrimoniam & fervorem, tum ob nervosas partes, quæ exquisitissimô sensu præditæ sunt, affectas.

Per totum brachium diffunditur dolor, ob nervorum consensum.

Lipothymiam doloris vehementia, spiritus dissipans, excitat.

Curationem per phlebotomiam & purgationem auspicatus sum; mox dolorem lenientia, & fervorem humorum mitigantia, suppurationemque promoventia parti affectæ applicui.

℞. Mu-

℞. Mucilag. sem. psyll. cum aq. solan. extr. ℥ß. Farin. sem. lini, fœnugr. an. ʒiij. Vitell. ov. num. 1. Butyri rec. pingued. gallin. an. q. s. M. fiat unguentum.

Pure genitô, abscessum aperui, & pro detersione unguentum ex melle, terebinthinâ & farinâ hordei præscripsi, postea impositô sarcoticô Chalmeræi ulcus ad sanationem produxi.

℞. Sarcocollæ, thur. myrrh. an. ʒj. Aloës ʒiij. Terebinth. ʒv. Mell. colat. rosat. ℥ij. M. f. linimentum.

Contra animi deliquium præter externa quædam, pulverem bezoardicum ex sequenti aquarum cordialium misturâ sæpius & per intervalla exhibui.

℞. Pulver. cordial. Dornereilii ʒij. Bezoartic. Sennert. ʒj. Magister. perlarum, corallor. oculor. cancr. an. ℈j. M. detur ad scatulam.

℞. Aq. nostr. bezoartic. ℥iij. Cordial. frig. ℥ij. Borrag. buglos. scabios. ex succô acetos. an. ℥j. Spir. rosar. rub. idæi, citr. an. gtt. 7. rotular. manus Christ. perlat. ʒiij. M. *Baldassar Timæus in Casibus Medicinalibus.*

PAROTIS.
Vid.
AURIUM MORBI.

PARTUS

Hic consultò omittemus Physiologica multa, quæ in Bibliothecâ nostrâ Medico-Practicâ videri possunt: De Partû v. g. Octimestri vivaci, vel non vivaci, ut & de aliis Partûs terminis; ac unicè nos restringemus ad ea quę Praxim magis spectant Chirurgicam; Idque peragemus; tum per Observationes primò generales super Partione, eiq; inservientibus Obstetricibus; tum per Consultationes & Observationes speciales, super methodis quibus parturientibus, in variis sitibus. Fætuum, tum vivorum, tum mortuorum succuritur aliis etiam rarioribus adjectis. Veniant itaque primò.

Observationes generales.

Partûs incerta conditio.

Vulgatum est laboriosiùs primiparas parere, nec fallunt cogitantem rationes; experientia autem etiam hoc docuit ex iis esse, quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, non semper, eveniunt: credo ego plurimum in graviditate situm esse, & ut illa est, sic sæpe partum quoque facilem aut difficilem esse. Si enim illa vires non attrivit, probabile est partui magis idoneum fore corpus atque integrum: verùm uti in magnitudine, figurâ & situ post conversionem potissimùm consistit partû, momentum, ita non semper ratio illa respondet, graviditasque facilis duro & laborioso partu expiatur. Ex hisce autem imprimis fluere video, non omnem Primiparatum partum necessariò aliis quibusque graviorem esse, cùm primi infantes sæpe minores meliusque figurati, & ad partum compositi, quàm vel secundi aut ultimi. Quod autem de Naturalium dicunt angustiis primò partû explicandis, id certè nihil est; mox enim, saltem nisi aliud interveniat, nonô post partum die ad pristinam redeunt omnia angustiam, eôdem labore vel etiam majore postea iterum dilatandam. Jam si augustia est illarum partium in Primiparis major, facilè eam & naturali mollicie, quæ juvenculis est concessa, & copiâ lymphæ uterinæ, quæ & ipsa copiosiùs adfluit, quàm in adultis, emendari posse probabile est: quantùm autem humor iste sive uterinus, seu vaginalis partum promoveat, illæ sicci habitus adultæque virgines, plerumque semper laboriosiùs parientes, exemplô suo ostenderint. Et verò experientia didicimus, plurium liberorum matres, præsertim si virium & humiditatis jacturam provectâ ætate fecerint, de ultimis mediisque partubus magis quàm de primis queri. Quemadmodum autem non semper primus partûs magnitudine reliquos antecedit, ita etiam ab hâc parte minùs est periculi. De figurâ autem & positû æq; omnia incerta, quòd & illa in primû partum non magis quàm medium aut ultimum cadant. Cur autem aliquando Primipatis partus sint difficiles, non una est causa, primùm enim, ut insuetis omnia sunt duriora, ita illis quoque futuri cogitatio præsentique rei experimentum animos facilè dejiciunt, dolorisque sensum exaggerant. Deinde corporis illa curatura, quam virgines olim nimium affectabant, pompæ & gratiæ servientes, multùm quoque partûs molestias auget, quippe dum Hypochondria ventrisque inania, quorum expansione plurimum fœtûs expulsio juvatur, fasciis tæniisque constringuntur, & penè repirationis usû interceptô tonum amittunt, desuetæ pridem fibræ etiam tum, cùm necesse est, officium facere nequeunt matremque in ipso opere destituunt; ut intelligant jam virgines, quàm difficile sit in tam tenui junceoque habitu matres fieri. Accedit, quòd nec ætatis nec staturæ in utrôque sexu habeatur ratio, atque hinc dispar proportio partûs quoque augeat incommoda. Tenerrimis sæpe pusillisque virginibus viri collocantur & robusti & πλατύστερνοι, quod ipsum post capitis vastitatem præcipuè notandum: atque hinc sæpe capite Naturalibus immissô, reliqui corporis exitum humerorum moratur latitudo inque majorem angulum finiens processus. Hæc tamen ita facilè sæpè corriguntur Naturalium mollicie atque humiditate, ut non satis mirari Lucinæ vires possimus. Id autem in universum constat, feminas, quæ viros nactæ sunt capite, humeris, ossiumque mole conspicuos, dum ipsæ delicati sunt habitus, plerunque laboriosiùs eniti. Verùm quò magis incerta partuum ratio constet, singulare, est, quod quæ doloribus sæpe fastidiisque sunt confectę matres, faciliorem experiantur Lucinam, quàm quæ uterum animosè & sine ullô incommodô gessere. Imò reperias, quibus à morbô côque gravissimô deprehensis, partus superveniat & æquiùs solvatur, quàm aliàs, cùm immunes degant ab omni morbô. Ut hinc appareat non matris tantùm has esse vires, quæ partum secundent, sed & fœtum hîc aliquid posse, & validum suoque genio in cætera partium harmonia fruentem. Nimirum evenit subinde, ut principium vitale fœtûs matris vitia non moretur, & vis elasticæ robore imminens contagium à sphæra nutritionis suæ vel avertat, aut fermentô propriô in melius immutet, atque hinc matribus ab ægritudine consumtis partus procedant rotunduli & nitida cute pingues. Dici non potest, quàm graviter sæpe laborent partui proximæ desperantibus etiam mulierculis, & tamen, post exhaustum corpus, quando Nixiæ sunt partes, adsint vires tanquam de cœlo missæ, collectæque etiam sine magnô labore partum solvunt; ut sciatur, quanti referat. hominem servari. Sed ecce hîc anodyni partûs exemplum. *Joh. Nicol. Pechlinus in Observat. Physico-Medicis.*

Partus & subiti & sine dolore.

Impositæ ob primævum vitium mulieri dirę hanc quoque traxere necessitatem, ut duriùs & cum dolore pareret, fortè ut conceptæ initiô rerum labis sensus, aut nascenti, aut gignenti imprimeretur, quod adeò verum experimur, ut vix unam reperias matrem, cui non partus magno constet, etsi non æquo omnibus labore. Barbaris equidem hominibus & ad mundi fines rejectis magis propitiam esse Lucinam, quàm nostris, commen-

commentaria docent peregrinantium. An quod, cùm ſacrorum religione peccatique originalis conſcientiâ minùs tangantur, ſecuriore niſû pariant? An, quòd diætę magis ęqualis ac innoxię uſu aëris ad hoc majore conſtantia fruantur, quàm noſtri orbis hospites? Illud autem ſatis conſtat, ſi ratio ineatur molis iſtius & oſtioli, quo ſe erumpere debet ſuo & alieno infans, non poſſe non laborioſum eſſe & lumbifragum partum, etiam inquam ſanis quadratiſque fœminis. Quo magis mirari oporteat, quod paulò ante attigi, matribus nonnullis à morbô jam attritis atque emaciatis, jamque extrema ſpirantibus, partum oboriri facilem, imò ante parere, quàm peperiſſe ſe intelligant. Adeò tenellæ matres cum febre conflictatę calida ipſas quatuor ſex & octo ſeptimanas ante partum, quin & ſub ipſo partu, quæ prognoſtico relictæ videbantur, tam propitiam expertæ ſunt Lucinam, ut unde vires ſuppeterent in tanto animi corporiſque deliquio, nemo conjicere poſſet, pariebant tamen, & faciliùs quàm ipſæ illę ſanæ, & niſi credere piaculum eſt, ſine dolore. Nempe Naturâ, id verò eſt, inviſibilis Dei digitô operam omnem pręſtante, quam vel mater ſana aut ipſe Puer pręſtare debuerant, facilis eſt in incredibilibus labor. Quando itaque in conclamata aut afflicta matre partus ſuccedit, probabile eſt ſoli fœtui tantùm eſſe virium, quibus ipſe ſe expediat Naturę clauſtris jam ante quoque mucilagine copioſâ, quam fortè morbus eò derivat, reſeratis. Unum autem exemplum partus anodyni non poſſum quin memorem. Mulier erat ſutoria, ſextum nunc etiam menſem gravida, aliquot ante liberorum mater, quę febre ardente epidemia miſerè afflicta jam aliquot ſeptimanas ſævitiem morbi ſuſtinuerat, eò redacta ut extrema ſpiraret. Actum videbatur de matre & fœtu, cùm mulier nullius admodum conſcia doloris matulam poſcit, quâ excipere urinam, quod illa rebatur, poſſet. Tum illa, ubi aquam mittere ſe putat, infantem excludit nitidum atque vegetum, ſed qui ſeptimum nondum attigerat menſem, adeòque ultra tres ſeptimanas non ſuperſtitem. Illa quid actum eſſet neſciens, etſi molem ſibi excidiſſe quereretur, præſentes advocat mulierculas, utque rem explorent monet. Ibi illæ non ſine horrore infantem reperiunt vinculis adhuc ſuis alligatum, quem non procul habitans Obſtetrix in auxilium vocata ritè liberabat, toto etiam puerperio, extinctâ febre, feliciter cedente. Et verò in parturientibus hoc quoque notatu dignum, non omnes eodem modo eniti, & quamvis plurimis in ſtrato jacere commodum ſit, novi tamen, quæ & ambulando provocent partum & ſtando dejiciant, quod ipſum Gallicanæ fœminæ Viri ȣ̃ πάνυ in more fuiſſe intelligo. Aliàs exemplo didici temerariæ matri ſuique fidenti jamque partum vicinum auguranti, dum ſe ſpeculo ſiſteret, & ut nonnullis fœminis familiare eſt, vultum ornaret componeretque ad decretorium laborem, vix dum conſciæ excidiſſe offam albâ, abrupto etiam vinculo umbilicali; inde quidem puerum mortuum, matrem verò extantlatâ magnâ hæmorrhagiâ evaſiſſe. De meretricibus autem vulgo increbuit, utrum certo rumore, neſcio, eas ferè omnes faciliùs parere: credo quòd, dum profano concubitu omnem decoxerunt pudorem, nihil penſi habeant, quid eventurum ſit, modò ab impudico onere liberentur. Ita notæ ſunt, quæ inter choreas luſusque ventrem excuſſerint, ad conſuetos labores ſubitò reverſæ. Hoc verò etiam novum, quod in vicina pridem urbe meretriculæ paulò ante nuptias, ut fieri ſolet, ſacram Euchariſtiam in Eccleſia ambienti, tantum non, dùm ad altare properat, partûs dolores ſupervenerint, quæ, ut erat in propinquam domum delata, illicò infantem enixa eſt ſanum atque integrum. Novum autem non eſt plurimas feminas ſedendo parere, nec antè ſolvi; quàm poſt varios habitus jectigationeſque in ſellam procubuerint, compoſito ſic meliùs ad excluſionem corpore. *Idem ibidem.*

Fortuita excuſſio Partus fœtentis jam & ſemilaceri.

Naturæ uti obſtetricios labores ferè ſola abſolvit, ita Fortunæ etiam aliquæ hîc ſunt partes; ſæpe enim, ubi fœtus uterique & virium conditio minus nobis perſpecta, mirificis illa luſibus ſe oſtentat. Ubi anceps quandoque eventus, & quod ſupereſt exiguæ ſpei prudenti conſilio regere volumus, ipſa ſe interponit Natura; & improviſo ſæpè etiam in ſpeciem periculo caſu ſaluti proſpicit laborantium. Fœmina quadragenaria primipara, viro πλατὺστερνῳ juncta, ex partu novem dierum periclitabatur, erantque jam omnia deplorata, quippe à triduo mortuus infans & manu una pedeque, nunc etiam evolutis inteſtinis, ab Obſtetrice truncatus, in eam figuram redigi non potuit, quæ cætero corpori extrahendo vel truncando eſſet idonea. Ergo parturientis vires deficiebant, & ob crudeliſſimam manus operam, quam adferre Obſtetrix & ſagaciſſima & exercitatiſſima neceſſe habebat, omnem amplius ſui curam detrectabat, & jamjam ſemifurioſa mori decreverat; nec parum adfuit, cùm parturiendi dolores pridem defecti in illo corporis frigore immenſoque fœtore: qui matronas adſtantes repellebat; denuo ſubrepunt, & illa paulum ſibi reddita operam implorat Obſtetricis, quæ cùm vix crederet veros eſſe dolores à parturiente importuniùs rogatur, manum ipſa commodaret, ſed ad frigus fœtoremque pudendorum manum ſubitò retraxit, quam dum rurſum inſinuat habitum ſuperſtitis trunci exploratura, omnia adhuc dum arcta & ad expulſionem imparata reperit. Illa tamen urget ὠδῖνας, quas pridem ſenſerat, poſtliminio redeuntes. Ne ergo volentem conantemque deſerere videretur, jubet ut ſine ſtrepitu è lecto tolleretur, quod cùm parturiens audiret, non exſpectato auxilio contra monitum ipſa ſe lecto velut furibunda præcipitat, ſentitque rupto vinculo molem aliquam Naturalibus dejici. Ad quæ converſa Obſtetrix increpare primùm parturientis temeritatem, mox mirari fortunæ caſum, quippe ſaltu illo, quo ſe lecto præcipitaverat, maxima pars fœtus effuſa tractandam ſe extrahendamque Lucinæ præbebat. Verùm in illo corporis materni fœtore atque invaleſcentis febris delirę periculo vix aliud quàm mors exſpectabatur, quum tamen, ſupreſſa poſt quatuor ſeptimanas Urinæ incontinentia, quam vis intulerat, effugit priſtinæ ſanitati reſtituta, poſt illa etiam faciliùs pariens. Certum autem eſt, poſſe aliquandiu in ventre latere incorruptum onus, aut ſi corrumpatur, non protinus matri quoque mortem adferre. Memini fœminam cum mortuo infante jam inde a novem diebus, cum fœtore autem manifeſto à tribus diebus conflictatam, fruſtillatim reddidiſſe infantem ipſa ægrè evadente. Sed obſervatione dignius, quod Venerando Socero meo B. M. Langelottô videre contigit, & ipſe cum diligentiſſimis Naturæ cuſtodibus, Germaniæ Curioſis, Collegis meis honorandis, mecum ipſo olim communicavit, nimirum mulier quintum menſem gravida cadaveris conſpectu territa illicò neſcio quid mutationis & nauſeæ oboriri ſibi queritur: laſſitudo inde membrorum & omnium rerum ἀνορεξίᾳ, objecti cadaveris ſpecies turbare perpetuò conſtantem aliàs mentem videbatur, non tamen ullum in corpore frigus nec adeò etiam ventre inſoliti ponderis ſenſus; ex illo autem uterus non magis intumuit, dubitare ergo de conceptu incepit, & cùm decimo menſe partus non ſequeretur, etiam undecimum menſem & duodecim. opperiens, tandem colluviem quandam eſſe obſtructorum menſium planè ſibi perſuadet. Conſulit ergo D. D. Langelottum & rogat in illa corporis ſui Uterique fallaci qualitate menagoga propinaret. Ille autem ne quid in re ancipiti noceret, Pilulas exhibet de Sagapeno Martis Vitriolato ſale elegantiore permiſtas. Sumpſit has illa manè & ecce poſt meridiem graviſſimos

mos & parturientium æmulos dolores, dum illa autem nihil quàm menses exspectat, incumbens Naturalibus moles Obstetricem poscit, quæ ut venit, statim ex doloribus partum, quamvis molæ, auguratur: præterierant aliquot horarum tædia, cum omni opinione citiùs infans excluditur, absolutus quidem ille & quinquemestri fœtui similis, sed niger, obscurus, exsuccus, strigosus, & carnis instar fumo duratæ retorridus. Sanè ex omnibus indiciis colligere licet, jam tum ad terrorem habitusq; cadaverosi spectaculum lentè interiisse hunc fœtum, & raro Naturæ conatu in liquore illo suo, velut Balsamo, mersum perdurasse, averso jam etiam per tam vehementem animi passionem à nutritione ejus sanguine materno, constrictis, quod metus terrorisque proprium est, venis. *Idem ibidem.*

Aqua diu ante Partum.

Lympha illa Uterina, quæ & antecedere & comitari Partum cuntem solet, si maturiùs justo tota excutiatur, siccatis tum morâ Naturalibus, necesse Partum fieri laboriosum, ut qui maximè lævore illo mucilaginoso in tantâ viarum angustia rugosâque contractione adjuvetur, Itaque Obstetriculæ, cùm aquæ subitò prorumpunt & copiosè, non statim in fœtum quoque excutere nisu, malè metuere parturientibus solent, neque injuriâ; eò enim majus periculum, quò intempestivior ille & sine dolore fluxus. Accidit fœminis nonnullis, ut duos tresve dies ante partum fluat Lympha illa Embryonis pridem balneum, sed nec subitò neque confertim, adeò etiam reliquùm est, quod imminente jamjam partu vias deliniat: atque illis tamen paulò laboriosior est partus, quàm quibus unà cum fœtus parturitione aquæ profluunt. Sed & illa justò subitiùs fieri inque periculum adducere & fœtum & matrem possunt, quò intelligas modum aliquem esse debere & satiùs esse, si aquas præeuntes penè sequatur infans & invicem se excipiant. Aliquibus tamen etiam longo intervallo ante partum, imò, quod ex probatæ Obstetricis ore habeo, novem diebus citiùs (cujus rei exempla anno 1680. in unâ Kilonio quatuor contigisse memini, quasi cœli quidam influxus eò spectaret) aquæ istæ prorupêre; atque ejusmodi matres, nisi ante aliquot partubus fuere exercitæ, omnium laboriosissimè pariunt. Stillat sæpè hæc aqua multò ante, neque hoc adeò partui officit, sæpè fluit aut funditur, & hoc cum periculo est conjunctum, quamvis favente Luciná etiam majori discrimini eripi parturientes possint, quo scias Naturam optimam sui esse ac curiosissimâ custodem. Vidi fœminam septem menses gravidam, quæ cum Viro sociata vesperi obambularet plateas, à studiosis grassantibus conjugemque invadentibus territa incredibiles statim sensit ac veluti partus dolores. Accersita Obstetrix cùm aquas lentè stillare videret, partum initio ominabatur immaturum: verùm cùm dolores non intenderentur, ipsa tamen usque & usque malè haberet & cùm animi deliquiis conflictaretur, aquæ autem non nisi stillatim profluerent, non quidem tam citò, sed ægrè & cum mortis discrimine parituram rebatur. Verùm, ut arcanos rerum inopinarum exitus Naturæ relictos scias, opinione sua decepta fuit Obstetrix. Namque aquarum illarum stillicidium quotidianis animi deliquiis comitatum ipsas septem hebdomadas continuaverat, cùm partus invalescunt dolores & fœtum enititur non sine magno labore & periculo, vivum quidem, sed orbitate alimenti macrum atque exilem. Obstetrix à me sollicitè rogata de aquis sanctè testabatur toto illo tempore, quo fluxerant, fuisse versicolores, albas, flavas, virides, nigras, pessimo semper fœtore comitante. Ajebat quoque se sæpiùs ante partum Amnii rupturam & caput infantium conversi osculoque uteri expositis, ut est nudum, digitis deprehendisse, quod cùm ego errore aliquo factum esse contenderem, religiosè illa obstitit, & ad manuum experientiâ, quatuor mille liberorum partu exercitatam, provocavit. Quidquid demum sit, aut res portentis adnumeranda, aut digitorum error eo excusandus, quod, cùm in illa fermentatione spirituum & aquarum putredinali, ut fœtor testabatur, pars Chorii decessisset, aquæ eo quoque ex interiore Amnio exsudaverint stillatimque collectæ profluxerint, prohibente fœtus immaturi conditione & Naturalium angustiâ, ne & Amnio rupto aquæ totæ effunderentur, comitante fœtu. *Idem ibidem.*

Parturiens suffocatione Uteri convulsiva extinguitur.

Quàm facilè alium quemque morbum in virginibus feminisque pro Suffocatione Uterina accipiunt Matronæ, tam præfractè eam, etiam cùm adest, in gravidis, magis quoque parturientibus, negant: nam cùm morbum hunc omnem à seminis Viro maturi corruptelâ oriri sat impudicè sibi imaginantur, solâ graviditate, matrimonii fructu, velut Antidoto, arceri morbum hunc posse fidenter credunt. Sed oppido falli mulierculas manifestum est, cùm non tantùm omnis generis & conditionis fœminis, verùm etiam aliquando viris, si non morbus, certè eadem morbi Symptomata eveniant. Sanè ut ab Utero sæpè in fœminis μίασμα illud surgit respirationi gulæque infestum, ita in Viris à ventosâ Hypocondriorum sentinâ eadem in corpus redundat symptomatum facies, quod ne temere dixisse videar, sequentis exempli argumento rem defendam; nunc tamen parturientis fœminæ hoc morbo extinctæ historiam deducam. Mulier erat annorum duorum & viginti, quadrato & obeso corpore, hæc se, ut est Gravidarum appetitus ad noxia propensus, crudis austerisque fructibus oppleverat sobriam diętam semper exosa; accidit autem, ut proximè ante partum cum marito contentione maximâ altercaretur, tandemque importuno litigio nescio, quas minas extorqueret. Vix hęc erant acta, cùm partus dolores cumque iis occulta dudum vitiosorum humorum saburra erumpere cœperunt. Duraverant aliquandiu dolores, sed sine effectu, intercipiente respirationem flatuum copiâ, quam nec Clysteres neque alia diminuere poterant. Mox animo linquitur, omnisque in angusto labor est; inde paulum ad se rediens Uterinis, Castorio & succo Nepethæ, quæ Obstetrix jam & ipsa morbi conscia imperaverat, reficitur. Prodierunt quidem ructus nonnulli, sed post iterum oppressâ voce gulęque, quod digito significabat, vinculo injecto obdormiscit; jamque hanc perpetuam noctem fore omnes credebant, cùm interea missis subinde suspiriis motibusq; convulsivis aut vitam, aut vitæ reliquias testaretur. Adsunt proinde, quæ me auxilii causâ sollicitent; nec mora, cùm me in pedes conjicio, sed quia in ultimâ urbis regione habitabat, tardiùs accessi. Ægræ propinquans genas reperio roseo colore perfusas cætero corpore livente, respirationem vel nullam aut post longas pausas suspiriis interruptam, pulsum adhæc insensibilem, verbo, omnia conclamata. Una interim ex præsentibus opiferisque fœminis refert, in illa mortis imagine infantem suis se viribus clam inter stragula eduxisse, matre duntaxat gemitibus aliquot motibusque convulsivis mutationem prodente, quæ cùm indicia mortis esse putarent, accidit ut partus ea fuisse ex ejulatu constaret. Post omnia quietiora, nisi quod trium horarum agonem suspiria motusque convulsivi interpolarent, tandem etiam finirent. Ventris tumor etiam post partum major, quàm ante, sive quòd flatuum viscosorum copia tympani instar eum inflasset, seu quòd tensæ Uteri fibræ in illo agone convulsivo ad Systolen reduci nequiverint. Jam cùm Hystericæ aliàs ex facili revocari possint Salium volatilium nidore, hîc neque Spiritus Salis Ammoniaci, qui cum Lapide Calaminari expellitur fortissimus, quidquam profuere. Infans satis erat vegetus, ostendebatque nihil sibi cum tumultu, illo fuisse commercii.

Et

Et verò ſuffocationem fuiſſe quę fœminam jugulârit, ſympomata adeò omnia indicabant, namque obſterrix crediderat, niſi inſolitum rei portentum, & fœminarum contumacia eam circumegiſſent. *Idem ibidem.*

Infœlix Obſtetricis manus.

Ut ſitus, figura, robur infantis plurimùm adjuvent partus felicitatem, tamen & obſtetriciæ manus aliqua eſt in hoc negotio opera. Noſcat illa oportet, vel initiò bene conjiciat parturientis ingenium, noſcat idq; accuratè, num, qui inſultant dolores, veri ſint, an ſimulati, num in partum uterumve, an inteſtina viciinaſque partes erumpat ille impetus, hoc enim neglecto accidit perſępè, ut fruſtra vires ſuas impendat mater, & juſto tempore deſtituta veris doloribus adeſſe non poſſit. Adeò momentum illud, quô uterque & mater & fœtus operam dant, ſollicitè diſtinguendùm à doctâ Obſtetrice, ne alter alterius conatus intempeſtive deſerat. Contigit ſępè, ut illud ſit Infantis robur & tam ſubiti impetus, ut, ſi velit, coërcere nativitatem ruentis non poſſit, & ut poſſit, non debeat. Hic malè eruditæ Obſtetrices, cùm credant ſtatim initiò nullos dolores eſſe veros, monent, urgent matres, contineant, quantum poſſunt ſpiritum, ultimiſque caſibus reſervent, infelici certè conſilio, cùm ſemel elapſa temporis illius oportunitate contabeſcat lentè partus & omnis deinde opera in ſolam Matrem redundet, adeòque vel non procedat partus, aut laborioſiùs finiatur. Itaque diſcant diſtinguere tempora & motus infantis provocantis matris Labores. Quòd ſi illud ſit Matris Infantiſque robur vegetuſque calor, ut uno impetu & aquas & ſe protrudere poſſint haud facilè Obſtetrix vehementiam illam cohibeat, & prodeuntis caſum moretur; pręſtat autem ibi ſequi Naturę impetus & cadentem excipere, quam non profuturis monitionibus parturientis conatus infringere. Fateor, uſu hoc venit in juvenculis fœminis, & malè ſibi metuentibus, jam etiam ad minimos dolores commotis, ut à fruſtaneis illis conatibus, quibus ſæpè ſe ante horam macerant, abſtineantur, & veris tantùm conjuratiſque partus doloribus, quod judicium eſſe debet Obſtetricum, ſeſe impendant. At cùm tam ſubiti ſunt atque improviſi partus dolores, id agendum cumprimis Obſtetricibus, ut Naturæ ſubveniatur & feſtinationis vitia manus dexteritate corrigantur. Conjugi meæ primus partus fuit laborioſior, idque quod abſente Obſtetrice à mulierculis monita dolores & vehementes datâ operâ retinere cogeretur, elapſis jamdudum aquis viiſque morâ illâ exſiccatis. Et verò vetula Obſtetrix tandem adreptans, cùm ingenium ejus nondum edidiciſcet, lecto illam uſque detinet, dum interim parturiens ſolvi ſe poſſe negat, niſi in ſellam reponatur, quòd cùm nollet Obſtetrix, aliquot horæ fruſtratis laboribus extrahuntur: inſtat tandem violentis precibus motuque corporis loborioſa conjux; nec mora, cum in ſellam tranſlata novi & veri dolores cumque iis partus inſurgeret feliciterque ſiccis ſeſe viis expediret. Secundus partus illi tam facilis fuit, ut ſine fœminis, me abſente, in vulgari ſellâ partum unà cum aquis effunderet; & cum clamoribus impleta domus vicinam fortè fœminam pręterambulantem ultrò invitaret, opportunè accidit, ut illa jamjam pavimento illapſurum puerum ſupparo prona exciperet, & me quoque ab urbe reducem arcique Principali ob præſtandas ibi operas vicinum vegeti rotunduliquе infantis nuncio bearet. Tertius autem partus infanti ob celeritatem improviſam & Obſtetrici minùs curatam fatalis fuit. Nam cum fortè fortunâ inviſeret eam Obſtetrix nihil aliud cogitantem, commodum incidere partus dolores, ſed cum partum tardiùs imminere illa opinatur, & crepundiis veſtimentiſque venturo infanti neceſſariis incumbit, parturire incipit conjux mea; igitur pręventa & conturbata hac feſtinatione muneris partes negligentiùs obit, ſellamque & alia minus rectè diſponit, jam verò & fœminarum opiferarum defectus in illa longinquitate ædium diſſitarum parturienti Matri valdè moleſtus erat, neque enim erant, quę pedibus divaricandis, neceſſario admodum operi, ſufficerent. Effudit ergo ſe ſubito cum aquis infantis caput, qui, quòd obeſus eſſet & πλατύστερνος, circa collum hærere incipit: magna ergo Obſtetricis; magna præſentium fœminarum ſollicitudo. Dum interim mole ſe ſua urget Infans Matriſque provocat conatus, horę ſic effluunt duæ, fruſtraneiſque laboribus fracta Mater tumido lividoque ob ſuffuſum ſanguinem vultu dubium prębebat ſui ſpectaculum, & jam infans quoque deſerere matris operas videbatur, cùm utriſque ſubventura Obſtetrix humeros componere viaſque manibus dilatare negotioſè ſtudet; operam ergo, quam poteſt, præſtat, ſed in illa feſtinatione caſuque ancipiti mollículę manus oblita ſiniſtrum humerum à ſcapula divellit: prorumpit tandem ad hæc vexatus infans, tamque ſubitò latebris ſeſe effert, ut niſi pede dextro ruentis impetum ſuſtinuiſſet, ſolido alliſus periiſſet; ſed in illa conſternatione vix ita regi manus potuit, ut non & ipſa incondito tractu crus dextrum luxaret, fatalique omine in utriuſque partis tandem & corporis ruinam graſſaretur. Nitida erat & vegeta puella, cùm prodiret, ſed ad lucis ſtatim uſuram & toto illo tempore, quo membra fingebatur triſti ejulatu aures noſtras offendebat; ſed verò nulla, nec poſt lactis uſum, nec octidui ſpatium requies, ſemper enim & uſque fletus intendebat. Quorum cauſam cùm identidem quærerem & tandem propè humerum ſiniſtrum cruſque dextrum ingentem deprehenderem tumorem, facilè conjeci in illa imprimis membri utriuſq; ἀκινησίᾳ luxationem eſſe, & hinc coëuntes in tuberculum humores diriſſimis doloribus ſcenam inſtruxiſſe: & ſanè ita erat; nam ex violenta articulorum luxatione ruptis vaſis ſanguineis lymphaticiſque omnis in tumorem ſe collegerat humor, intra viginti dierum ſpatium planè purulentus; nihil enim ad diſcuſſionem viſcoſioris Lymphæ vel Emplaſtrum de Galbano, Diaphoreticum Mynſicthi, aut Diachylon cum Gummi, vel illud de Ranis cum Mercurio, profuère. Igitur inſtituto cum aliis, tum maximè cum Affine meo, conſilio, tumorem primum humeri novaculâ aperuimus; dici autem vix poteſt, quanta ſtatim puris vis profluxerit, quam, ne ſimul & ſemel vires proſterneret infantis, coërcere fas fuit: & ex illo quidem ulcus coïre amplius noluit, ſed ſemper & uſque humidum quotidianum puris demenſum reddebat. Jam verò & alter ille cruris tumor durus & magnus ad maturitatem ſpectabat, novaculamque poſcebat, itaque & ille incredibilem ſtillavit puris copiam, quæ ad extremum uſq; perduravit; juraſſes ſanè toto corpore emunctos humores nutricios in una hęc loca coiiſſe, deſertoque infantis habitu hac exitum quærere, adeò, quod reliquum erat corporis, in quotidianis iſtis deliquiis à nupera obeſitate deficiebat umbrę ſimilius; & verò diſturbata ſemel partium illarum adhucdum cartilaginoſarum ſtructura, nec coaleſcere amplius oſſium contigua, neque humorum adfluxus quantumvis excogitatiſſimis remediis impediri potuere, imò cùm ſemel cruris illud ulcus ſicciſſimis adſtrigentibuſq; emplaſtris ad conſolidationem perduxiſſemus, ſueti excurrere eò humores vel circa eundem illum locum aut in ventris panniculum, immenſis & ſcirroſis tumoribus, ſeſe collegerunt, adeò ut fontem illum iterum aperire neceſſe haberemus, quo facto remiſcentis illi tumores omniſq; ad veterem locum revocata eſt ſanies: verùm, cùm illo temporis tædio & diuturnitavulneris coïtum rentaſſemus, in ventrem inq; ipſo umbilico reſedit tumor, qui & ipſe tandem ſe aperuit. Itaque tribus illis foraminibus inexhauſto fonte intra vigin...

tres septimanas totum misellæ & in dolores tantùm ejulatusque natæ puellæ corpus exaruit, animamque, quam pridem acceperat, ad Deum, illum omnium autorem, remisit. Cogitent hîc piæ animæ, quam me casus ille hominem alienis semper miseriis indolentem affecerit. Machinam condiderat Deus venustulam, omnibusque numeris & legibus pneumaticis hydraulicisque absolutam, tum maximè animæ domicilio superbam: hanc inconsiderata manus, quę opem ferre debuerat & in melius fingere, deformat atque destruit, divulsisque membrorum articulis fibrarumque & venarum conjugio planè mutilat; unde intolerandi statim in ipso ortu dolores tot humorum affluxu fontiumque saniosorum stillicidio perennaturi. Prona initio fuerat, in illa saniei putrescentis mora ossiumque molliculorum luxata compage, tum ad Fonticulos tum Spinam ventosam dispositio, sed diligens Defensivorum applicatio & Chirurgicæ manus opera, quam ipse commodabat Affinis meus, D. D. Langelotus, facilè hoc prohibuit. Satis autem fuit, nihil commeritam puellam, parentum dumtaxat avorumque noxis infelicem, ideò in hoc theatrum venisse, ut ne quidem libato tota vita somno miseriarum dumtaxat dolorumque testis esset atque arbitra. *Idem ibidem,*

Obstetricis examen.

Semel iterùmque examen institui Obstetricum juxta cum aliis Medicis, ubi mirari licuit principiorum varietatem, quibus niterentur; namque & à sese & ab obstetriciæ artis regulis vulgatis discedebant. Cùm autem in naturali beneque figurato partu nulla sit mora, isque ipse, nisi corporis prohibeat vastitas, sua se sponte excludat, præcipuæ circa partum vitiosum quæstiones oriri solent. Itaque Juvenis Obstetrix, Matre & Avia obstetricibus prognata, Serenissimi Principis jussu à nobis examinata hoc dedit responsi. Rogata annon in hoc potissima Obstetricis opera consisteret, quòd malè situm infantem molli tractu manuum formę & pôsitioni debitæ restitueret? Respondit, non temerè variandum esse situm, nisi planè à Natura abhorreat, & verò plerunque omnem manuum molitionem frustraneam esse, sæpè & noxiam; quandoquid; ea sit Naturalium angustia, occupante imprimis omnia fœtu, ut lusum dextræ etiam digitorum, ęgrè admittat: adeò quoque, si pręposterè exire conatur infans, eum sibi relinquendum & ea figura qua sese objicit, extrahendum, idque se non tantùm suis, sed & matris & Aviæ experimentis didicisse. Instabam, quòd si venter pronus osculo Uteri incumberet, annon ita refingendus esset situs? Imò verò ait, si possit, nihil prius nec potius esse debere, modò Lucina, quod rarum est, faveat; & verò, si promoveri venter potest manibusque cedit, satius esse pedes quam manus captare, quod plus periculi sit in harum cõpositione quàm pedum. Quod si nates Uteri osculo se admoveant, non facilè sic vexandum corporis habitum, imprimis si uni alterique conatui cedere detrectet; adeò vel flexum duplicatumque provocandum esse, non abnuente operam Nixia: dicebat exemplis sibi constare conversione frustra tentata felicem fuisse fœtus sic malè siti eductionem, & non ita pridem ab importuna Obstetrice vellicatum illum corporis habitum scroto, quod primum jamque per tres dies propendebat, Gangręnam Partuique interitum adtulisse. Rogata ulterius, num, si pes unus se ostenderet, is quoque, ut in manibus fieri solet, reponendus esset in Naturalia? Respondit, minimè hoc faciendum, sed in eo operam locandam esse, ut & alter prodeat adeòque Agrippæ partum æmuletur. Monita ex dictatis scribentium, sic tamen ante manus componendas esse, quam exclusio tentetur, dixit nec sibi nec suis fuisse in more laboriosa manuum compositione tempus fallere, & notasse, manuum illam configurationem non esse sine periculo, quando & suis & Avię, exercitatissimæ sanè fœminæ, mihi quoque & notę & probatæ, exemplis didiscimus, post compositas & directas in Agrippę partu ad femora manus, osculum uteri, elapsis jam humeris, circa infantis collum jam minus tutum coivisse, puerumque vel jugulasse aut violenter protractum capite truncasse: cui etsi Obstetrices reponant, digitis, sese tamdiu & usq; distinere uteri osculum, donec caput prætereat, scio tamen ubi difficillimè id impetrari potuit. Quid quod, cùm ante aliquot annos Flensburgi in Cimbria essem, pręcipua mihi Matrona narraverit, Obstetrici diu nimis nimisque laboriosè manuum compositionem quærenti tandemque indeptę adeò malè hoc negotium cessisse, ut caput in utero avulsum manserit, & non nisi mirifico Naturæ lusu post prodierit. Objiciebatur deinde huic nostrę, non tamen sic quoque periculi immunem esse partum, quando & brachia sic sursum acta luxationem in ista viarum angustia facilè incurrerent: Huic discrimini manus digitos opponere se ajebat, inde & post partum positu atque linimento subvenire, subindè etiam, ubi necessitas id flagitaret, id operam dare, ut una manus deflectatur. In Gemellis adfirmabat se, etiamsi unius sexus essent, placentas tamen observasse duas distinctas, semel quoque unam in gemino sexu, sed obiter discriminatam: etiam Gemellos suis singulos membranis & aquis inclusos, quorum unus etiam adhucdum Amnio involutus prodierit, jam verò & vidisse se duplices aquas & Amnii & Chorii illas, & esse has, quæ tam diu sæpè ante partum fluant, dum interim Amnii illæ ultimę necessitati reserventur & unà cum infante profundantur. De Fune Umbilicali hoc quoque notaverat, non in partu primùm collo eum aut aliis partibus circumvolvi, sed jam inde à primis fœtûs rudimentis flexum illum figuratum esse, monstrantibus id ad oculum abortivis trium quatuorve mensium fœtibus. Sed & hęc non vulgaris erat Obstetricis Observatio, quod Meconium viderit prolabi ex utero, multò antequam fœtus in lucem exiret. De Secundinis id quoque monebat, cùm illæ parturiuntur, videri nonnullis ob dolorum affinitatem alterum esse fœtum; adeò hoc avellendum esse laborantis animo, ne ad novos dolores nunciumque obortus mœror vias contrahat, & quæ in exclusione fœtus fortunata erat mater, ex Secundinis periclitetur: in quam rem adferebat exemplum fœminæ, cujus & ipse testis sum, quæ, cùm duos jam genuisset infantes idque laboriosè, ad improvisum tertii infantis nuncium subitò & in sellâ exanimata periit. *Idem ibidem.*

Placentæ extractio à peculiari funiculi in eandem insertionis modô redditur difficilis.

Obstetrices non raro cum anxia solicitudine in placentis, post fœtum in lucem editum, extrahendis occupari, mirum videtur negotii istius ignaris: ast verò si res penitiùs investigaretur, nemini admirationi foret; sæpiùs enim in earum potestate non est, placentam ex voto arreptam educere. Ecquid verò in causa sit, hactenus à nemine satis perspectum reperi. Nonnulli autumant placentam nimis arctè utero adhærere, propter firmiorem coalitionem vasorum uteri cum vasis placentæ, in quo tamen eos falli crediderim. Alii in placentæ putrefactione, & substantiæ ejus laxitate, imò & in ore uteri nimis strictè occluso causam difficilis istius extractionis consistere statuunt. Nemo verò, quod sciam, mentionem facit ejus, quod omnium maximi hîc est momenti, nimirum centralis insertio in placentam: scilicet quando præcisè in centrum placentæ idem inseritur, ut plurimum difficillimè abscedit; non raro enim coguntur obstetrices placentas ita constitutas digitô indice lędere ut abscedant. Si verò in hoc vel illud latus implantetur, facili negotio, & quidem suâ sponte, sequitur fœtum in lucem prodeuntem: Eadem hujus est ratio quæ corii in orbem scissi cum adhærente in sui centro funiculo; hoc namque corio madefacto, & lapidi etiam ponderoso applicito, idem levi operâ è terra evelli potest:

si verò lateraliter affigatur funiculus, irritum erit opus. *Fridericus Rhuyschius Observationum Anatomico-Chirurgicarum Centuria.*

Hactenus Observationes promissa. Sequuntur jam in partu difficili Curationes *quædam ac identidem de Partu Cæsareo pauca, quibus subjungemus in eadem materia* Consultationes, Observationes, & anatomicas inspectiones.

Curationes.

In partu difficili, item secundinarum eductione, inter reliqua præstat specificum ex secundinis; pro quo.

℞. Secundinam recentem & segregatâ venâ umbilicali, cuticulam exteriorem exsicca in clybano, ut possit pulverari. Dos. à ʒi. ad ʒiß.) Item oculi leporis in Martio capti, (valet etiam in mola, modò de ea constet) qui studiosè eximendi: ne comprimantur nimis, cumque pipere in orbe exsiccandi. Horum unus vertici cum pipere ita alligetur; ut vertex à pupilla tangatur, & fœtum, sive mortuum, sive vivum educet. Quo facto mox amoveatur, ne uterum planè propellat. Sic oleum succini & carvi an. gutt. iii. iv. v. vi. vii. in vino exhibitæ partum accelerant. Apud pauperes vidi partum sæpè difficilem solvi haustu urinę mariti. Sic stercus equinum in vino expressum & percolatum subitò fœtum & secundinam expellit. *Joh. Hartmannus in praxi Chimiatrica.*

In partu difficili ℞. Tinctur. succin. ℈i. essent. cinnam. gutt. vi. aq. secundin. ℥i. M. pro duabus dosibus.

℞. Extract. fellis & jecoris anguill. ℈ß. aq. antihyster. ℥i. M. pro duobus haustibus.

℞. Pulveris fellis & jecoris anguillæ ʒi borac. venet. ℈i. olei cinnam. gutt. ii. M. f. pulvis.

Vel ℞. Specier. diajovis ʒi. aq. cinnam. ℥ii. M.

Prędictis medicamentis, & parvis uncis cum catenis à Sculteto demonstratis, duas mulieres à fœtu mortuo facillimè liberavi. Quarum una Horseniæ in Dania, & alia in Indico regno Coromandel vitam egit.

In Secundina retenta. ℞. Spirit. ex ebore, sal ammon. succin. an. gtt. x. tinctur. succin. ℈i. essentię cinnam. gtt. v. aq. antihyster. ℥ii. M. pro duabus aut tribus dosibus.

Vel ℞. Essent. cinnam. gtt. v. succin. gtt. x. tinctur. castor. gtt. xv. extracti sabin. ℈ß. aq. apuleg. & matricar. an. ℥i. M. detur cochleatim.

Vel ℞. Specier. diajovis ʒi. aq. secundin. ℥i. M.

In Torminibus à Partu. ℞. Elixyr. vitæ Matth. ʒii. tinct. succin. ʒi. aq. carminat. ℥ii. syr. cinnam. ℥ß. M. detur cochleatim.

Vel ℞. Spir. carminat. ʒii. Essent. succin. ℈ß. tinct. castor. ℈i. aq. matricar. & artemisiæ an. ℥ß. syr. artemis. ℥i. M. detur cochleatim.

Vel ℞. Specier. diajovis ʒi. tinct. succin. ℈ß. essent. rorismar. gtt. xv. aq. artemis. ℥ii. M. pro duabus dosibus. Tinctura præterea succini ad ʒi. in aq. cinnam. cum vino destill. ℥iv. ac syr. cinnam. q. s. mista, vera & unica puerperarum aqua vitæ indubiè existimari potest. *Hermann. Nicol. Grimm. Compendii Medico-Chimici l. 4.*

Si medicamenta, laboresque & matris & obstetricis, nihil effecerint, chirurgiæ negotium committendum, nisi gravida valde debilis, vel fœtus jam per aliquot dies demortuus fuerit, quo in casu & operam & famam perderes.

Diligenter adeòque primò discernendum quænam causarum partum impediat. Major si sit fœtus, & via angustior, dilatatio hujus fiat; hanc obstetrices nonnullę instrumentis commodis perficiunt, sicque vivum fœtum extrahunt, quibus deficientibus obstetrix manum in pugnum arctissimè contractam, in ipsam vulvam usque ad uteri orificium inserat; & deinde digitos successivè, per orificium, in uteri interiora, quo in statu constitutus fœtus explorandi gratiâ, intromittat. Hic quòd si brachium aut pedem illegitimè collocatum reperiat, leniter sursum adigat, caput verò deorsum, quod ubi orificio proximum, alteram quoque manum, si possibile, per pudendum in uterum immittat, quò sic utraque fœtum amplecti & extrahere queat. Hoc si impossibile sit, hamo, ori, oculo, aut auri fœtûs firmiter (cavendum enim non recedat, & uteri interiora lædat) inserto, fœtum leniter educat. Et sic sequi si recuset fœtus hamo alio exteriùs levi, intus acuto, ventrem, thoracem, aut caput fœtus dissecet: brachium verò, aut pedem, si ad exteriora diducere liceat, exstirpet, sicque tandem membris variis ablatis, reliquum extrahat, & operationem ad optatum finem perducat. Verùm si neque hoc modo liberetur gravida, cultellô forti atque acutô membra ordine amputentur, sicque per partes fœtus educatur, necesse est; sed hoc efficere nullius est, nisi Anatomici expertissimi.

Secundina fœtum illicò sequatur; nullius enim illo exclusô, usus est; imò mox à partû arctè admodùm os uteri clauditur, ut non nisi summo cum labore in eum inserere manum liceat. Obstetricis adeoque est primo statim tempore eam extrahere, digitisque, si utero arctiùs adhæserit, leniter separare, nam vi si eam avulserit, patiens sine dubio peribit. Et quamvis scriptorum varii, obstetricesque communioris sortis, parvi æstiment secundinam utero adhærentem non statim post partum prodire; fundamento tamen valido me insistere censeo, si inter symptomata puerperii ex gravissimis eam habuero. *Paulus Barbette Chirurgiæ, part.* I.

Annotationes quædam in methodum extrahendi fœtum à Clarissimo Paulo Barbette mox propositam.

Non ita commodum est caput infantis partui vicini, & in malo situ collocati, deorsùm adigere ut utrâque postea manu extrahatur; pręstatitaq; remotis partib; superioribus, pedes exquirere, per eosque extractionem moliri, nam sic liberior manibus operatoris aperitur via. Aliquandò reverà ille situs ita molestus est, ut quęcumque demùm adhibeatur vis, inversio ad pedes fit prorsùs impossibilis; cujus casum satis rarum aliquando nobis videre contigit in muliere Neocomensi, quæ partus doloribus diu vexata, opem meam imploravit. Accersito Domino Jonâ Anton. Purry Chirurgo experientissimo, ille omni nisu caput ad os pubis per mentum allidens, atque quasi impactum, & brachia foris pendula ad superiora rejicere, aut aliâ ratione parturienti auxilio esse per plures horas, quamvis summâ cum dexteritate, in cassum tentavit, hancque tandem pro deplorata relinquentes de ea prorsùs conclamatum credidimus; sed aliàs se res habuit, nam natura, efficaciâ salis cujusdam volatilis amari & aromatici meæ compositionis, quem ægrę ad guttas aliquot vino admistum aliquoties propinavi, maximis conatibus fœtum per pectus duplicatum tantô cum impetu excussit, ut costæ extra situm dissilirent, & os sacrum prę compressione quam ab occipite patiebatur intus non parum adigeretur, & propè disrumperetur. Vixit tamen postea mulier sine ulla vel colli uteri, vel pudendorum laceratione, atque integræ sanitati restituta, laborib. sibi ordinariis non minùs quàm anteà insudavit.

Secundinas autem quod spectat, perquam accurate adnotat Franciscus Mauriceau in suo elaboratissimo tractatu gallicò de morbis mulierum prægnantium & parturientium, multò satius esse manu eas extrahere, quàm remediis intùs adhibitis pellere: Nam quandoquidem ea omnia quæ in id assumuntur sunt intensioris caloris, febri excitandæ non parùm faciunt, & sæpissimè enormes hæmorrhagias, alvi fluxus, uteri inflammationes, aut relaxationes, aut prolapsus, producunt; unde multò plus imminet periculi quàm à Chirurgi dexterè operantis manu. de Molarum extractione vide quę proprio capite.

De Partu Cæsareo.

De Partû Cæsareo in prçsentiarum acturi, dicemus primò sic designari eã operationem, qua vivens fœtus è matre sub

ſub partionis conamine agoniſante, mox mortuâ, aut jamjam moriturâ, per uteri ac ſuperpoſitorum abdominis muſculorum, tegumentorum communium, & peritonęi longam inciſionem extrahitur. Sic olim Scipio Africanus & alii multi dicuntur in lucem producti; Sic proximè præterito ſæculo Eduard. VI. Henrici octavi Angliæ Regis filius, per Janæ matris, ut multi narrant, latus apertum luci traditus eſt.

Illa autem ſectio fit, ut mox innuimus, vel antequam mater mortua eſt, ſed cum agone conflictatur; vel poſtquam jam ultimum eadem traxit ſpiritum, & tum debet Medicus morituræ mulieri diligentiùs aſſidere, ut ipſô quô animam efflat momentô, fœtum exſectione educat; brevi enim aliàs ſuffocaretur nec alicujus fructus foret operatio. Hîc de illa precipuè loquimur, quâ matre adhuc vivâ, & fœtu itidem vivo, illius abdomen & uterus cultro aperitur, ut per foramen hic vivus educatur; Ad eum ſcilicet finem, ut fœtus & mater non pereant, & ſupervivere poſſint.

Contra hanc operationem non parum declamatoriam ſuam exercet Paręus dum ſcribit, ſe etiam mirari, quod inveniantur homines qui dicant id factum eſſe, quandoquidem, *addit*, fœtus per ventrem extrahi nequit niſi muſculi epigaſtrii maximo vulnere ſecentur, & ſimul etiam ipſum uteri corpus, unde magna ſequetur hæmorrhagia, parturienti, neceſſariò lethalis. Noviſſimè pręterera.

Franciſcus Mauriceau in Rouſſetum acriùs inſurgit, qui tractatu peculiari de hac operatione, agit, atque minime impoſſibile eſſe ut mulier ex ea evadat per experientiam ſtatuit. Verùm Antonius Mizaldus aſſerit pluribus mulieribus fœtum per ventrem ſic fuiſſe extractum, quæ multis poſtea annis ſupervixerint, conceperint, & pepererint. Caſparus Bauſchius narrat hiſtoriam de quadam Eliſabetha in Turgois quæ ſic ſecta fuit & convaluit, & poſtea adhuc gemellos, & poſt illos adhuc quatuor alios pueros peperit. Matthias Cornax ſcribit quod quædam Margareta Karlinger Viennę fœtum mortuum, pluſquam quatuor annis in utero geſtaverit, & poſtea venter ei fuerat apertus, & fœtus per foramen extractus, & ipſa curata, quodque poſtea ſecundò adhuc conceperit, ſed propter neglectam tum iterum ſectionem mortua ſit. Sic & ego ipſe Genevę vidi mulierem quampiam ex vicinia, quæ poſtquam fœtum mortuum per aliquot annos in utero geſſiſſet, exorto in latere dextro tumore, ex eo aperto extracta fuere fœtus oſſa adeò corrupta, ut mephitim intolerabilem longè ſpargerent; ſanata tamen eſt illa, & nec à corruptione quam intus tamdiu geſſit, nec à tumore, ſubſecutaque ſectione, occiſa, per plures annos ſupervixit. Sennertus Inſtitut. lib. 2. part. 1. cap. 9. habet hiſtoriam herniæ, in quam cùm uterus contentuſque fœtus devolutus fuiſſet, mulier affecta à doloribus tempore partus ſupervenientibus aliter expediri non potuit, quàm ſectis ad latus & muſculis & utero, unde fœtus per annos novem vivax, eductus eſt, [illegible] verò poſtquam à 21. die Aprilis, qui fuit operationis dies, ad 16. Maii, vitam ſuam pro[illegible]et, tandem lipothymia correpta [illegible] paupertate non bene tractata [illegible] cum morte commutavit; in ejus [illegible] utero aperto omnia ſalva inveniebantur. Sic & aliam adfert Doringius Epiſtolâ ad Guil. Fabr. Hildanum, de paupercula Nieſſæ Sileſiorum vivente, cui itidem ob herniam ſub geſtationis finem ad genua usque propendentem, & fœtum cum utero ad maturitatem uſque concludentem, latus fuit exſectum, ex eoq; poſt multos labores & ſolicitudines, fœtus ſatis vegetus extractus, qui ſeſquiannum ſuperſtes vixerit, dum mater tertio à ſectione die, poſt multos dolores & cruciatus piè in Deo obdormiverit. Rodericus à Caſtro, in ſuo de morbis mulierum tractatu, operationem cæſaream omnino poſſibilem ſupponit, nec aliàs ſentit Clar. Isbrand. de Diemerbroëck; dum ſcribit Anatom. lib. 1. cap. 35. pag. m. 252. in partu quocumque demum tempore fiat, fœtus aut per viam naturalem excluditur, aut per alienam, ſc. per ſectionem in abdomine & utero factam, quæ vulgò partus cęſareus appellatur, de qua chirurgia egregium tractatum conſcripſit Franciſcus Rouſſetus. Addit præterea, rariſſimè autem viſum eſt ipſam naturam ſua ſponte per vias alienas fœtus excluſionem moliri, cujus tamen caſus memorandam habet hiſtoriam Bartholin. lib. de inſolitis partus viis, de muliere quę primò ex umbilico tumido ac diſſecto, deinde ex apoſtemate infrà umbilicum aperto, ac tandem ex ulcere in illo ſiniſtro ſuborto, plurima fœtus humani oſſicula, non ſimul & ſemel, ſed diverſis vicibus; imò diverſis, multùmque inter ſe diſtantibus annis, excrevit, eaque tam multa, ut pro gemellorum oſſibus ſufficere potuerint. Thomas Fienus lib. de præcip. art. chirurg. controverſ. tract. 8. ſectionem hanc pluribus rationibus, iiſque magni ponderis, abundè ut mihi videtur confirmat; nam ut ipſe ait periculum tunc, vel à læſione muſculorum abdominis, vel ipſius uteri, verùm primò abdominis, vulnera etſi majuſcula, non tamen propterea ſuñ lethalia, ut ipſa experientia ſatis comprobavit. Peritonæum in modo herniam curandi antiquorum, cum ſubſtantię deperditione exſcindebatur, & hodie in eadem cura magna ſectione perforatur, ſine ullo mortis metu. Uterum quod attinet illius vulnus non eſt adeò periculoſum, nam etſi eo tempore quo eſt diſtentus uterus, debeat fieri valde magnum, tamen fœtu exempto, quia contrahitur, exiguum fit, & propterea in parte carnoſa, nativo calore abundante, & à circumſitis partibus probè munita, poteſt facilè à natura conſolidari. Legimus magna uteri apoſtemata, vulnera & ulcera ſępè fuiſſe curata, ipſum uterum ſine vitæ detrimento fuiſſe exſectum, (de quo alibi in ejuſdem prolapsû) & aliquando excidiſſe; (ut illud ſatis teſtatur hiſtoria à clariſſim. Domino Nozet Archiatro Friburgenſi amiciſſimè nobis communicata quam alibi legere licet.) Hîc addo, etiamſi vaſa uteri ſint multa, & maximè dilatata graviditatis & partus tempore, non propterea tamen tam enormem hæmorrhagiam pertimeſcendam, nam præterquam quòd non ſunt undique æque magna & poteſt à Chirurgo perito locus ſectioni aptior ſeligi, vaſa quæ maximè varicoſa fuerint, exciſa profundent quidem ſanguinem contentum, & poſtquam extrema ab utraque ſectionis parte ſe contraxerint, neceſſariâ diligentiâ adhibitâ ſatis facilè occludentur, ut in aliis vaſorum ſectionibus evenit, adnotandum inſuper quòd depleto utero, à fœtu contento, illius corpus non parum concidat, ſicq; vaſa ſecum corrugata ſanguinis effuſioni, minùs habilia faciat. De ipſa jam operatione ſic habet præcitatus Fienus.

Poſitâ hactenus auctoritatibus, experimentis & rationibus partus cęſarei poſſibilitate, reſtat ut de ejusdem perficiendi methodo verba faciamus. Mulier ſuprà lecti margines conſtituatur, & in dorſum incumbat, ſic, ut tibię è lecto nonnihil propendeant. Pedes ejus conjuncti à robuſtis brachiis blandè retineantur. Si mediocriter adhuc robuſta ſit, non jaceat, ſed elevatior adhuc in dorſum tantum inclinet: ſin debilis ſit, ferè decumbat; decubitu enim in dorſum magis ſyncope vitatur. Tum cogitandum in quo latere ſectio facienda, quod operatori anatomię perito committitur; advertendum tantùm quod ſi hernia laboret, debet fieri ſectio in eodem latere, in quo hernia eſt; ſi à ſectione hernia fortè altera remaneat, ab utroque latere ſit herniosa. Deinde quia in partem hernioſam magis incumbit uterus, & magis tumet, prout in hiſtoriis ex Sennerto & Doringio ſuprà citatis

citatis manifestum fit. Notetur atramento locus incidendus, lineâ ad illum modum & longitudinem ductâ, quibus sectio fieri debet. Locus est inter umbilicum & inguen versus pecten, quinque digitis ab inguine. Notandum tamen, quod præstat paulò altiùs ascendere, proptèrea quòd quò propiùs ad uteri fundum deveniatur, eò minùs frequentiora & grandiora vasa reperiantur, & consequenter hęmorrhagia sic melius vitetur. Linea ergo ducatur rectâ, secundùm longitudinem abdominis, & secundùm fibras musculorum rectorum, longa dimidium circiter pedem. Super illam lineam, in quatuor aut quinque distantibus locis, ducantur quatuor aut quinque parvę lineę transversæ, quibus postquam sectio facta erit, denotetur locus, per quem acus porrecta pro facienda sutura transmittatur. Tum fiat sectio super lineam longitudinalem cum acuta novacula, quæ ad pinguedinem usque adigatur. Postea eodem sectionis tramite, profundiùs musculi epigastrii incidantur, sed cautè, quia immediatè uterus subjacet. Tum uterus ipse incidatur ea dexteritate, ne fœtus, membranis suis exolutus, subtus vulneretur, & loca testiculorum & præcipuorum vasorum rami caveantur. Dein fœtus & secundina extrahantur. His ita peractis linteis carptis multiplicatis locus foveatur, quò sanguis ex parte sistatur, & sanies abstergatur. Decoctum erit ex vino rubro, cui salvia, rosa, melissa, betonica, alchimilla, sanicula, artemisia, flores chamomillę, radices cyperi, nuces cupressi, incoctæ fuerint. Iis factis uterus leniter in locum retrudatur, sine ulla alia adhibita cura; utero enim à contentis evacuato, labia vulneris per se facilè concidunt, & arctè conjunguntur, & consolidatio soli naturæ est relinquenda. Verùm vulnus quod in abdomine factum est, debet censui, (alioquin uterus aëri expositus protinus alterationem aliquam & putredinem contraheret) sed paucis & distantibus suturis, ut inter eas sit sufficiens exitus sanguini & sordibus ex utero & ventre adhuc exeuntibus. Sutura debet fieri decussatim in illis punctis, sibi mutuò oppositis, ante sectionem atramento notatis. Debet autem sutura comprehendere cutem abdominis, & ex parte peritonæum, ad præcavendum si fieri potest herniam. Inter suendum, videndum ne intestina foramini occurrant, & ipsa acu tangantur vel comprehendantur, aut inter labia vulneris consuta includantur, quapropter si occurrant à ministris diligenter sunt removenda. Iis factis vulnus abdominis curandum, prout vulnera reliqua curari solent, superpositis emplastris desiccativis & constrictivis. Interim uti per interna habenda est ratio, tum medicamentis per os datis consolidantibus & utero confortando appropriatis, tum aliis subtus adhibitis, ut pessariis, clysteribus uterinis, aliisque quę primùm haberi debent ex anodinis, dolorem sedantibus: inde verò consolidativis uterinis & mediocriter detergentibus.

Quandoquidem de Partû Cæsareo jam paucis egimus, & ejus possibilitas ac utilitas, apud Medicos atque Chirurgos non parum sanè controversa est. Antequam ejus varia exempla in subsequuturis sub finem prȩcipuè hujus articuli observationibus, afferamus: Aliquid Doctissimo Lectori pergratum nos facturos arbitrati sumus, si jam Clariss. Doringii ad prȩstantissimum Guilielmum Fabritium Hildanum Epistolam, hujusque ad illum Responsionem, insereremus: Quandoquidem illic de Partû Cæsareô, ut de aliis ad Partus prȩternaturales pertinentibus curiosa multa recensentur. Sit itaque primò,

---

EPISTOLA

De nova, rara & admiranda

HERNIAE UTERINAE,

atque hanc justo tempore subsequentis

PARTUS CÆSAREI

HISTORIA;

scripta ad

GUILHELMUM FABRITIUM HILDANUM,

Medicum & Chirurgum clarissimum,

à

MICHAELE DORINGIO, BRESLAVIENSI,
Philosophię ac Medicinę Doctore.

ANNUS elapsus est, volvitur modò alter: ex quo, clarissime *Fabrici*, pro more ab aliquot annis continuato, literas invicem permutavimus nullas. Ultimæ enim fuerunt tuæ, quas die 10. Aprilis anni præteriti 1611. ad me perscripsisti. Ultimę verò meę, quas eodem ejusdem anni mense ad te exaravi. Eas num unquam videris, legeris, vel saltem de iisdem quicquam huc usque inaudiveris, ego quidem sum nescius. Neque enim ad ipsas responsi aliquid à te accepi. Respondissem ipse etiam dudum ad tuas ultimas: nisi superiore Autumno certissima spes mihi facta fuisset, quod è Patria rediens Giessam transiturus, nosque inibi invisurus esses. quod ipsum si nobis effectum dedisses, nę tuus adventus nobis jucundissimus pariter fuisset, & gratissimus: Et mihi quidem præ aliis, quàm exoptatus advenisses, tute ex amore, quo te hucusque colui sanctissimè, non difficulter æstimabis. Æstimabis verò vel ex eo etiam, quod ob tantam, quâ jam disjungimur, locorum intercapedinem, omnis propè tecum inposterum unquam colloquendi occasio mihi erepta ac præcisa esse videtur. Quæ res quàm acerbè animum vellicet meum, hîc non eloquar. Feram interim patienter; quod mutari vix licet prudenter. Neque enim dubito, quin graves causæ te detinuerint, quo minus tam tuę illi quali promissioni, quam serię nostræ exspectationi tunc temporis satisfaceret. Ipse igitur postquam ob causas multas & ponderosas resignato munere, quo hactenùs Giessæ per Dei gratiam functus fui, Professorio, atq; humillimè impetrata ab *Illustrissimo & Celsissimo Principe ac Domino* Dn. Ludovico *Hassiæ Landgravio, Comite in Catzenellenbogen, Dietz, Ziegenheim & Nidda, &c. Domino meo clementissimo*, clementissima dimissione, superatisque itineris satis longinqui non exiguis molestiis, feliciter tandem ductu & auspiciis divinis in Patriam dilectissimam appuli: nihil mihi visum fuit antiquius, quàm si amoris nostri igniculos, qui ob intermissam nonnihil literarum communionem semisopiti quasi fuerunt, redintegrato scribendi officio suscitarem. Cogitanti verò mihi attentiùs de idoneo literarum argumento: ecce occurrit, ut nova, ita rara *Herniæ uterinæ. & hanc subsequentis partus cæsarei* Historia. *Novam* dixi: ut quę vix decurso biennio accidit. *Raram, & quidem verè raram*: ut quę

quæ vix ſimile exemplum in mundo unquam habuit. Rectè itaque mihi facere viſus ſum, ſi eam pro præſentis epiſtolæ argumento non ſeligerem ſolùm, ſed & conſtanter retinerem.

Sed quæres tu ex me, quid cauſæ habuerim, quòd typis publicis exſcriptam publicè ipſam tibi nunc inſcribam? Dicam breviſſimè, & dicam ſimul planiſſimè. Amor erga alios non noſtri tantùm, ſed ordinis literati, rerum atque obſervationum novarum & rararum cupidi homines, in univerſum iſtam ſcribendi qualemcunque ſive licentiam dicas, ſive audaciam, excuſſit. Amor quidem erga te meus, ut qui jam à ſexennio cœpit, & ad hunc uſque temporis articulum illibatus permanſit. Amor verò erga alios, ut quos tam mirabile Dei opus diutiùs latere nolui. Acceſſerunt deinceps & aliæ, ſed meo judicio aliquantò leviores cauſæ, inter quas iſta non immeritò princeps dici poteſt, ut ſcilicet præſentis epiſtolæ editione pro ſecundæ tuarum Obſervat. Chirur. Centuriæ Obſervationis 21. quæ eſt, *De uvulæ relaxatæ curatione*, publicâ inſcriptione, publicum aliquod (quamquam leve & tuis in me meritis non ſatis congruum) gratitudinis ſtatuerem monumentum. Ad quam obſervationem me jamdudum reſpondere debuiſſe confiteor. Aſt intervenerunt ſubinde alia eaque non contemnenda, de quibus tecum per litteras colloqui hactenus placuit. Invitavit me deinde ad ejuſdem epiſtolæ editionem, loci, quo invicem nunc diſcernimur, partim longinquitas, partim ejus in quo jam fortè ſubſiſtas, incertitudo, quod igitur ſcriptam duntaxat, non verò impreſſam ad te miſiſſem, facilè profectò evenire potuiſſet, ut alicubi intercidiſſet, nec ad tuaſmet manus perveniſſet, quod quàm crebrò fieri ſoleat, præſertim in tanta locorum diſtantia, exempla nos docent quotidiana. Addo ſuperpondii loco cauſam adhuc geminam: una eſt, ut me apud meos lectores, propter ſuſpenſam *tertii de Medicina & Medicis libri reſidui* publicationem, aliquo modo excuſarem: Tametſi enim in votis nihil habebam prius, nihil etiam poſterius, quàm ut fidem publicè datam, publicè quamprimum ſolverem, tamen neſcio, quæ non impedimenta (quorum partem non omninò levem è modò dictis prudentes Lectores non difficulter colligent,) hactenus mihi objecta mihi fuerunt, ut promiſſis ſtare non potuerim. Moram ergo iſtam quantulumcunque æquo ferte animo *Lectores æquiſſimi*: Exſolvam enim me bono cum Deo ocyſſimè & exſolvam quidem cum fœnore: poſteaquam aliquantò rectius atque etiam nunc res meas diſpoſuero. Altera eſt, ut lectoribus tenue quoddam ſpecimen exhiberem, ex quo de ſubſecuturis epiſtolarum, à nobis bono item cum Deo ſuo tempore edendarum libris, nonnihil judicare poſſent, quid ipſis porrò in eis exſpectandum ſit.

Nec moror, quas in meâ ſciolis nonnullis ac naſutulis ſparſum iri certò provideo, ſiniſtras cavillationes, dum me vana ſcriptitandi libidine teneri, actum agere, & per id quod ab aliis dudum publicatum fuit, leviculâ famæ popularis auram; captitare vel plenis buccis publicè clamitabunt, vel clanculum ſaltem hinc inde muſſitabunt. Atque iſtis quidem ut hoc in loco operoſius reſpondeam, opus non eſt. Quis enim clancularios iſtos hoſtes & inſidioſos diffamatores, ſecurus alio atque imperterrito animo non contemnat, rideat, ſpernat? Namque non rarò uſu venire videmus, ut, qui aliorum famam ſe depreſſuros autumant, de propria non parum periclitentur, atque adeò per eadem, per quæ peccant, ipſimet juſtiſſimè puniantur. *Apertè rem agunt, qui probi, qui candidi, qui ingenui ſunt.* Reliqui audeant &, ipſi aliquid ac meliora proferant, ſi viri ſunt, nec noctuarum inſtar lucem fugiant, & in tenebris circumvolitando, ac bonos viros iniquè traducendo, oberrent. Illis verò paucula reſponſionis ergo reponere libet. Fateor enim, non ita pridem *Clariſſimum atque excellentiſſimum virum* Dn. D. Danielem Sennertum *in illuſtri Witteberga Profeſſorem publicum & Affinem noſtrum honorandum*, hanc ipſam Hiſtoriam ſuarum Medicinæ Inſtitutionum opere diligenter deſcripſiſſe. At forſan multi ſunt, qui tam inſigne opus (cui in hoc genere par mihi quidem hactenus oblatum eſt nullum) non dicam non legerunt, ſed ne oculis etiam ſuis uſurpaverunt unquam. Quare ut iſtis utcumque gratificarer, facere non potui, quin eandem Hiſtoriam è prænominato *Sennerti* Inſtitutionum opere tranſcriberem, eamque ſeorſim publicis typis exſcriptam publici juris facerem, ac cum plurimis communicarem: præſertim cùm exempla exſtent aliorum virorum celebrium, qui in ſimilibus argumentis idem præſtiterunt. *Tu Sol meus* Sennerte, *Affinis colende*, lumen tuum pauliſper mihi, quæſo, fœnera, & ut cum tua bona pace hiſtoriam, ſæpiculè citatam, & *è ſplendidiſſimi Inſtitutionum tuarum operis lib. 2. part. 1. cap. 9.* mutuatam, tui ipſius verbis deſcribere patere. Sic enim non ſolùm me tibi reddes devinctiſſimum, verùm etiam ita omnibus ad quos forſitan epiſtola hæc perventura eſt, mereberis, ut ipſis procul omni dubio commendatiſſimus in poſterum ſis futurus.

Ergo *Urſula* uxor *Martini Opitz* vietoris, cùm maritum in incurvanda pertica, ex qua vinculum vaſis parandum erat, juvaret: fortè ab eodem reciprocante ad ſiniſtrum inguen percuſſa eſt, ruptumque ſeu laxatum potiùs (quantum quidem ego ex ſectione judicare potui,) eſt peritonæum. Paulò poſt enim tumor ad ſiniſtrum inguen oboritur, qui brevi tempore tantum incrementum ſumpſit, ut nullo modo intra abdomen recondi poſſet, etſi verò de utero prolapſo ſuſpicio incideret, tamen nec ipſa, nec aliæ fœminæ id facile crediderunt, donec tandem res ipſa atque eventus omnem dubitationem ſuſtulit. Nam uterus conceptu gravidus, ita indies aucto fœtu dilatatus, ſimulque cum eo cutis inguinis ſiniſtri, qua uterus prolapſus erat, extenſa eſt, ut utero & cute concluſus fœtus inſtar ſacci ferè aut cucurbitæ oblongæ majoris modo propenderet: motuſque infantis tandem & tactu & viſu perciperetur. Quæ res cùm ipſum, maritum, cognatoſque perturbaret, Collegium noſtrum in conſilium adhibuerunt. Cùm autem ob fœtum jam maturum de utero in abdomen reponendo, atq; adeò partu naturali, nullam ſpem ſupereſſe videremus, ſi naturæ res relinqueretur, & fœtum, & matrem de vita tandem periclitaturos, nullaque alia re, quàm ſectione auxilium exſpectari poſſe, oſtendimus. Quod cùm & ipſa, atque maritus, cognatique facilè intelligerent, atque ſpem vitæ in anguſto eſſe facilè animadverterent: ut ſectio fieret, omnes petierunt. Cùm igitur die 21. Aprilis An. 1610. partus tempus adveniret, doloreſque parturientem apprehenderent, Deo imprimis in auxilium vocato, præſentibus mecum *Dn. D. Erneſto* Hettenbachio, & *Dn. D. Tobia Tandlero*, Colleg. M. item *Henr. Silbermanno* Eccleſiæ noſtræ Archidiacono, duabus obſtetricibus atque aliquot honeſtis fœminis, horâ 8. matutinâ ſectionem inſtituit Chirurgus *Jeremias Zautmann*, miniſtrante & altero chirurgo *Chriſtophoro Seeſth*. 1. ſecta eſt cutis & peritonæum, hoc enim quantùm ego quidem viſu dijudicare potui, cuti integrum adhuc ſuberat & in ſectione à cute manifeſtè diſtingui poterat. Hinc & ipſe, qui jam extra cutem facilè prorumpebat, uterus apertus hæmorrhagiâ non adeò inſigni, neque etiam acerbo dolore, quod ipſa poſtea faſſa eſt. Utero ſecundùm longitudinem aperto infans facilè cum ſecundina extractus eſt: imò quaſi ſuopte motu, cùm via facta eſſet, exitum quæſivit & quidem Dei beneficio, ſalvus & incolumis.

De utero verò intra abdomen reponendo, cùm ob ejus magnitudinem nulla spes esset, cutis, sanguine conveniente decocto prius abstersо, ipsi inducta & consuta est: ipse verò uterus non consutus. Qui etsi aliqua insigni inflammatione non corriperetur, tamen quia extra abdomen propenderet, & ab externi aëris incursu in curatione vulneris defendi non posset: membrana quasi purulenta circa labia vulneris obducta est, uterusque iterùm purus evasit, & naturalem faciem ac habitum circa diem 14. ostendit, atque indies magis in se contractus, ad naturalem magnitudinem rediit. Verùm post dies aliquot labia vulneris nigrescere, cùm tangerentur, facilè sanguinem fundere, atque adeo gangræna suboriri cœpit, ut ferro sine sensu particulæ de labiis vulneris demi possent: sed cùm idonea medicamenta adhiberentur, omne illud malum cessavit, & caro circa labia vulneris ad pristinum colorem & statum planè rediit, vulnusque indies angustius evasit: adeò ut intra paucos dies coalitum vulneris speraremus, & vix vllum de recuperanda sanitate dubium superesset. Verùm enim verò cùm illa 16. Maji horâ quartâ pomeridianâ, extra lectum aliquandiù consedisset, atque iterum in lectum sese reciperet, lipothymia suboriri cœpit, & præter omnem spem intra dimidiam horam, procul dubio ab abstantibus, cùm esset paupercula, non rectè in lipothymia tractata, vitam cum morte commutavit. Ipsa mortua ut planè scire mus, an in utero omnia salva fuissent, an verò aliqua latens putredo lipothymiæ, & subitaneæ huic morti causam præbuisset; Uterum aperuimus, verùm omnia salva in eo invenimus. Infans etiamnum vivit salvus & incolumis, Dei beneficio. Huic enim soli, & ipsa mater acceptum ferebat, quod toto gestationis tempore, à variis & periculosis motibus nihil damni percepisset. Etsi enim uterum extra abdomen pendulum in fascia gestaret, tamen in obeundis domesticis negotiis, quæ ipsimet ob rem familiarem angustam expedienda erant, uterum cum fœtu nunc in femore, nunc in hoc loco, prout usus & res expediendę exigebant, reponere necesse habebat. Ita mirabilia sunt opera Domini. Huc usque *Sennertus*.

Infantem bimulum jam præsentis anni 1612. mense Majo Witteberge in ædibus Domini D. *Sennerti* ipse vidi. Virium is erat satis vegetarum; Staturæ tamen pro ætatis ratione paulò brevioris, quemadmodum & corporis habitus aliquanto tenuioris. In fronte elatiori parte supra oculum alterum cicatricem quandam habebat: quę vulneris in ipso partu Cæsareo accepto exigui index dicebatur.

Hic autem, *Fabrici* clarissime, non tecum agam de partus Cæsarei necessitate, difficultate, administrandi ratione, & aliis, quæ in genere circa ipsum aliàs moveri solent. Hoc enim si attentarem, justos epistolæ limites facillimè transilirem, & sunt ea ut plurimum talia, de quibus eruditi hoc temporis parum amplius controversantur. Quippe multi juga experientia illa omnia dudum reddita sunt certa atque indubitata. Ad propositum casum me potiùs converto, & quæ in eo inquisitione discussioneque potissimum digna sint attendo.

Lubet ergo primùm ex te quærere; Ruptione vel dilatato saltem peritonæo Herniam istam uterinam censeas accidisse? Quæ enim utrinque adferri possunt, non sunt fortassis planè nulla.

Dilatato saltem sive laxato peritonęo factam, si quid aliud, certè evidentissime evincit, quod id in sectione à reliqua cute manifestè discerni potuerit. Et quidni peritonæum ex altera parte in tantum laxari potuerit: cùm in Hydropicis secundùm omnes ferè dimensiones totum abdomen in immensam propè molem extendi, sępenumero observatum sit? Ipsemet superiori An. 1611. *Giessæ* Typothetam, cui scrotum ad capitis magnitudinem ab aqua illapsa distentum erat, citra sectionem Dei beneficio sanavi. Quid? quod mulier quędam Germana nomine *Dorothea*, quæ in Italia gemino partû filios viginti edidisse traditur; altero quidem novem, undecim altero, ob ingens pondus tumidam alvum, & ad genua usque propendentem, fascia collo & humeris appensa sublevare solita est; post *Jo. An. Franciscum Mirandulanum* Principem & *Lycosthenem* author est *Schenckius* lib. 4. obs. 162. Solidiores multò durioresque, quàm peritonęum, ipsæ sunt arteriæ. Ast hę in aneurismate ad ovi anserini magnitudinem quandoque laxari deprehensæ sunt. Quin anevrisma Bernæ Helvetiorum Anno 1605. à te visum, seu Soloduto ante triennium ad me perscripsisti, quod totam pectoris partem sinistram à sterno ad collum usque occupavit. Solidissimum est cranium; in hydrocephalis tamen quantoperè id nonnunquam distendatur, pluries docuit experientia.

Rupto autem peritonęo Herniam fuisse productam, inde quis forsan arguere posset; quod plagam à pertica reciprocante inflictam subsecuta fuit. Quę ratio num satis solida sit, tute *Fabrici* clarissime, judicabis. Mihi ob rationes antea adductas dubia nonnihil videtur. Etsi enim vel maximè concedatur, interiorem peritonęi tunicam pertice illisu fuisse disruptam, exteriorem tamen permansisse salvam atque integram, sectioni administratę Historia superior fidem facit luculentam. Nec refert, si quis prætendat, membranam illam, quæ post cutis dissectionem in conspectum venit, fuisse musculi transversi laxatum tendinem. Nam ut alia multa, quæ in contrarium adduci possent, prætercam, unicum illud loco omnium dumtaxat adferre placet; Nempe musculorum transversorum tendines non in viris tantùm propè os pubis ad vasorum seminalium pręparantium ad testes descensum; indeque ejaculatoriorum ad glandulas prostatas, quę vesicę cervici appositę sunt ascensum; sed in mulieribus, etiam ad duorum processuum nervosorum ab utero prodeuntium & in summam partem pudendi muliebris pervenientium, transitum perforari. Unde cùm Bubonocele laborarent, sectione sanari posse, eruditè monet *Casparus Bauhinus* lib. 2. Theatr. Anatom. cap. 8, Per foramen igitur tale ictu perticæ laxius redditum. uterus integrâ peritonæi tunicâ exteriore excidit, atque herniam uterinam produxit. Sed de his pro accurato tuo judicio rectiùs ipse statues, sufficiet me de iisdem meam sententiam qualitercunque tibi nunc delineasse.

Deinde & hoc mihi respondeas velim. *Num fœminam priusquam plagam acciperet, gravidam fuisse, vel posterius demum gravidam evasisse, existimes?* Cui quæstioni etsi nemo ipsâ ægrotante aptius olim satisfacere potuisset; tamen quid conjecturando de eadem nunc dici posse confidam, paucis exponam. Non fuisse priùs gravidam ex eo quis forsan demonstrare posset, quod post plagam vehementem à pertica reciprocante acceptam nec 1. inguen sinistrum intumuit, nec 2. abortus etiam obortus fuit. Ex adverso, posterius quoque gravidam vix evasisse. Uteri dislocatio à pertice ictu procul omni dubio excitata docere posse videtur; nisi forsan evenerit, ut uterus non statim à plaga, sed tandem post factam imprægnationem suo loco primùm pulsus sit. Quod ipsum à vero non est usque adeo alienum; præsertim cùm (uti habet historia) non statim ab ictu, sed paulo post tumor in inguine sinistro adparere incœperit. Tu utrum tibi probabilius videatur, defini. Ego hic ἐπέχω.

Illud potius tertio loco ex te quęro, *Annon putas, tumore in inguine oboriente, fascia aliqua competente, uterum contineri, ac ne longius extra abdomen excideret, prohiberi potuisse?* Mihi quidem, quin hoc ab initio fieri potuerit, prorsus dubium non est; qui novi

vi; quantum utilitatis fasciæ convenientes in aliis herniis adferre soleant.

Illud quoque doceas: *Cur hernia figuræ oblongæ, non autem* (cujusmodi aliàs gravidarum abdomen esse solet) *rotundæ fuerit?* Num quòd utero foràs extra abdomen prolapso, & contentorum pondere ad inferiora depresso, superiores herniæ partes acuminatæ sunt? An quod fœtus plano & erecto; non autem in globum contorto situ in utero concludebatur,

Quin & istud mihi expedias; *num spes ulla superesse potuerit partus naturalis?* Mihi quidem Medici Wittebergenses rectè conclusisse videntur, spem planè superfuisse nullam. Cùm enim utero in proprio loco constituto, non raró fœtus naturaliter educi non potuerit, ob causas in Medicorum observationibus hinc inde annotatas, atque imprimis in libello *Rosseti* de partu Cæsareo sect. 1. cap. 3. diligenter collectas: quâ quæso ratione in præsenti casu extrahi valuisset? Annon contigisset facillimè, ut in medio & tamen irrito uterum in consuetum ac naturalem locum unà cum fœtu per tam angustas vias reponendi conatu, fœtus suffocaretur, materque ipsa præ dolorum acerbitate simul extingueretur? Quamobrem cùm viderent, quòd parturienti alia ad salutem via præclusa esset omnis, excepta una eaque dubia & periculi plena per sectionem Cæsaream, necessarium esse arbitrati sunt, ut ea periculo adversi irent. Id quod in talibus casibus fieri voluit Galenus lib. 10. Method. med. cap. 16. Nam ut Aetius scribit Tetr. 4. sermon. 1. cap. 120. in fine de Elephantiasi; humanum & plenum benevolentiæ signum in extremis etiam malis usque ad experimentum procedere, ad difficultatem affectionis compescendam.

Non quæro jam de *futura uteri.* Num illa ea institui vel potuerit, vel debuerit? non de *causa membranæ* super labiis vulneris uteri natæ; non de *Gangræna* superveniente: de quibus singulis quid sentias, aperire aliquando poteris.

De illo saltem colophonis loco quærere placet; quid causæ subfuisse arbitreris, quod cùm vix ullum de recuperanda integra sanitate dubium superesse videretur, ægra lipothymiâ ex improviso correpta & paulò post extincta? Num virus aliquod atque occulta malignitas in vasis, (in cavitate enim omnia salva sunt inventa) uteri genita delituit? quę ut è prędictis nonnulla sic & lipothymiam & cum lipothymia mortem ipsam ex insperato invexit. *Atque hactenus de historia præsente.*

Nunc ob argumenti affinitatem aliam non minùs raram, sed priore multò antiquiorem, utpotè quę An. 1531. Decembris die nono contigit, subjungere placet; cujus quidem nuperrimè pressiùs meminit in suo Hemerologio Silesiaco *Nicolaus Polius* sub mensis Decembris die citato; fusiùs verò ac per circumstantias descripsit *Samuel Meigenius* in sui historiarum Nuclei classe 1. cap. 4. eam nos è Germanico in Latinum sermonem ita transtulimus.

Niessæ, quæ urbs est Silesię satis celebris, vixit paupercula, quæ quindecim annis viro suo cohabitavit & novem liberos enixa fuit. Accidit autem ut in primo partu propter summam impatientiam & morositatem ab obstetricibus & aliis fœminis pręsentibus deserta, sola sibi consulere, & solo Deo obstetricante, eniti cogeretur. Hinc etsi mali aliquid in abdomine sibi evenisse sentiret, nihilominus tamen ex ordine octies porrò naturaliter & feliciter citra ullam noxam per Dei gratiam peperit. Non multò autem post malum in primo partu acceptum, circa inguen sinistrum sæpiusculè sensit, ac sub cute extra abdomen mediocris quantitatis quippiam sibi excidere animadvertit. Anxia igitur casu isto reddita, rem primò ad maritum, mox ad fœminas, ob fidem sibi dudum probè exploratas detulit: ab illis verò consilii solatiive aliud retulit nihil, quàm Deo Optimo Maximo totum negotium esse committendum. Quod dum fecit, ecce tumor indies in majorem magnitudinem increvit, ut tandem vesicæ bubulæ spiritu distentæ ac gravidę formâ repræsentare videretur. Quin id magnitudinis longitudinisque demum acquisivit, ut ad genua usque propenderet. Unde aliis accedentibus indiciis non arduum fuit concludere, in vesica ista fœtum contineri vivum. Interea verò magnos dolores fœmina perpessa est, sive cubare, sive sedere conaretur. Namque non sine multo & dolore, & ejulatu, onus istud instar sacci alicujus penduli hinc inde levare, ac reponere cogebatur. Verùm enim verò cùm pariendi tempus appropinquaret, senatus Niessenus, (quòd paupercula esset,) curam ipsius suscepit & prædictum casum cum Medico-Chirurgis & obstetricibus peritis, aliisque fœminis honestis communicavit, atque re diu multumque deliberata, & accuratissimè pensiculata, deprehendit spem partus naturalis reliquam esse nullam, nec alia via cùm matri, tum fœtui succurri posse, quàm sola tumoris apertione; tametsi omnes simile quid se nec vidisse unquam, nec audivisse testarentur. Pręgnanti itaque consilium hoc tandem aperuerunt, quod ipsa lubenti animo acceptavit, atque se totam divinæ protectioni seriò commendavit, cùm se unà cum fœtu aliter liberatum non iri ipsamet facilè intelligeret. Postquam verò in tam periculoso rerum statu constitutæ animum crebris adhortationibus & consolationibus propinqui obfirmassent. Medicus, Chirurgi, obstetrices, aliæq; fœminę honestę definito tempore convenerunt, & divino auxilio implorato tumorem descecuerunt, fœtumq; post multos labores, & solicitudines satis vegetum denique extraxerunt. Quem cùm matri adstantes gratulabundi consolabundique obtulissent, oculis duntaxat aspectum auferri, & in cunas reponi, manuum indicio jussit. Is *Christo* per lavacrum sacratissimum initiatus; sesquiannum superstes vixit: mater tertio à sectione die post multos dolores & cruciatus piè in Deo obdormivit.

Hîc de uno saltem, mi *Fabrici*, tuum judicium exponas, rogo, *quî scilicet fieri potuerit, ut post, sive rupturam sive laxationem peritonæi, in primo partu acceptam, nec bubonocele, nec hysterocele fœmina illa protinus correpta sit? & quod admirationem adauget, octies sine noxa feliciter pepererit.* Num censes, noxam peritonæi non adeò fuisse magnam; quę intestinum elabi permitteret? An putas temporis diuturnitate emendatam, & totaliter obliteratam; postea verò forsan alia aliqua de causa, in historia quidem neglecta & prętermissa, redintegratam? ego utram in partem magis inclinem, non satis video. Et tantùm de hac etiam historia. Ex his igitur, mi *Fabrici*, constare confido, quod non temerè argumentum hujus epistolæ, ut *novam*, ita *raram historiam* appellaverim. Tibi si tertium aliquod exemplum vel in artis usu occurrit, vel lectione aliquando innotuit, ne id me celes, oro.

GVILHELMI

GVILHELMI FABRICII HILDANI, ad EPISTOLAM

Clarissimi ac longè celeberrimi Viri

DN. MICHAELIS DORINGII, *Breslaviensis, Philosophiæ & Medicinæ Doctoris multis nominibus excellentissimi,*

De

Nova, Rara & admiranda Herniâ Uterinâ, atque hanc justo tempore subsequentis

PARTUS CÆSAREI HISTORIA,

Responsio Epistolica;

in qua

Multa variaque de affectibus Uterinis, & extractione fœtus mortui recensentur.

QUemadmodum plantę tenellę, *Vir amplissime, & multis nominibus mihi charissime*, nisi radices ipsarum per intervalla irroratæ fuerint, citò perire solent, & olim ignis Vestalis nisi refocillaretur continuò, extinguebatur: ita & amicitia, (quę si vera & sincera fuerit, nescio quid divini amoris, post lapsum hominis, in homine remansisse denotat, & plantas omnes, imò & gemmas quantumvis preciosas, longè præcellit:) nisi sępissimè mutuis officiis, aut ad minimum colloquii & literis exculta fuerit, flaccescit, paulatimque refrigescit, extinguiturque: imò & inter Christianos tùm languida & imbecillis est in hoc ulceratissimo sęculo Christiana charitas. Verùm enim verò in T. Exc. jam pridem, & quidem sæpissimè, contrarium mihi observare licuit. Etiamsi enim propter locorum intercapedinem, amicitiam inter nos ante sexennium (cùm propter singularem tuum erga me amorem atque studium, etiam ex longinquis regionibus, me invisendi causâ, Te in Helvetiam contulisti, atq; exiguam familiam meam pro hospitio tibi elegisti,) contractam coràm nunquam; scriptis verò raro fovere concedatur, nihilominus tamen fruticulos illos amicitiæ nostræ, non flaccescere, sed potiùs in altum excrescere, frondesque suas longè lateque expandere video. Cujus causa, profectò, non ex meritis erga te meis, sed ex præclara humanitate, simul & benevolentia tua proficiscitur. Assentator non sum, quandoquidem non tantùm privata ad me scripta tua, & laboriosum simul & utilissimum opus tuum, *de Medicina & Medicis*, in quo tam honorificè mei mentionem facis, verùm etiam publica & impressa epistola illa, *de nova, rara & admiranda Hernia Uterina, atque hanc justo tempore subsequentis partus cæsarei historia*, luculenter fidem faciunt. Etsi porrò te illam ad me misisse minimè dubitem, interceptum tamen, aut potiùs deperditum illius in via fuisse fasciculum, arbitror; quandoquidem ad manus meas hactenus nondum pervenit: & unicum tantummodò exemplar mihi videre licuit, illud autem *clarissimus ac doctissimus Vir Dn. Georgius Faber, Castri Imperialis Fridbergensis Medicus ordinarius, longe celeberrimus*, amicus noster communis, mihi communicavit. Quòd verò epistolam illam meo nomini inscripseris, gratias ago habeoque maximas: & candidam illam in me humanitatem Tuam; quoàd vixero, celebrare non desinam. Maturiùs rescripsissem, & gratias egissem: sed varia intervenere impedimenta. Cùm enim ex Patria domum reversus essem, Chirurgia Castrensis Germanica ad prælum mihi describenda fuit. Illam vix cùm absolvissem, *Wormatium ad generosum ac Strenuum Virum* D. Eberhardum *Kammerer von Wormbs, genandt von Dalberg*, vocatus fui, apud quem per tres integros menses mihi commorandum fuit. Redeundò in Helvetiam, Basileę, Bernę, & nonnullis aliis in locis quoque paulisper detentus fui, & demum 29. Augusti Lausannam reversus sum. Nè itaque ęgrè feras morem, obnixè rogo. Quę adversa quoque, & luctuosa mihi post reditum meum Lausannam advenere, ex Dn. D. Horstio, aut Dn. D. Fabro Te intellexisse, non dubito.

Cęterùm ex patria ad meos redii 13. Decembr. anni elapsi: iter quidem longum & laboriosum fuit; non tamen (Laus sit Deo) usque adeò molestum, etiamsi enim in patria morbis bis correptus fuerim, humanitas tamen illa atque benevolentia, qua cùm Principes Patriæ, & alii, Comites item & Nobiles, tum etiam undique viri docti me persecuti sunt, veluti *Panacea* mihi fuit. Quantum enim morbi, & labores itineris, corpus affecerunt, tantùm humanitas atque familiaritas horum: mentem simul & animum recrearunt atque refocillarunt. Quòd Tuam Excellent. Giessæ non offenderim, etiam nunc ex animo doleo: nihil enim optatius mihi accedere potuisset, quàm si illam ambabus ulnis amplecti mihi licuisset. Amplissimus simul & humanissimus Vir Dn. Gregorius Horstius, communis noster amicus, infinitis honoribus me affecit: & Giessâ Heidelbergam usque deduxit, & quod magis est, in causa fuit, quod Darmstadii in aula *Illustrissimi & Celcissimi Principis ac Domini DN. LUDOVICI Hassiæ Landgravii, Comitis en Catzevellenbogen, Dietz. Ziegenheim & Nidda &c.* clementissimè simul & humanissimè exceptus, & per dies aliquot detentus fuerim. Quod cum tuis feliciter in Patriam appuleris, gaudeo: Prępotens ille Deus, fons misericordiæ & clementiæ, qui te in Patriam, me verò ex laborioso & sic satis longo itinere (quandoquidem Belgium, & præcipuè Hollandiam quoque eâdem operâ perlustravi) extra Patriam ad meos reduxit, & ut in posterum nos in hac valle miseriarum spiritu suo sancto ducere, sed imprimis omnibus donis spiritualibus benedicere atque ornare, tandemque propter meritum filii sui unigeniti Jesu Christi, *in Patriam cœlestem*, cum omnibus fidelibus introducere velit, ambabus ad cœlum elevatis manibus, Deum Ter. Opt. Max. submissè ac humillimè imploro atque efflagito.

Porrò historiam illam quod attinet, rectè profectò raram & admirandam illam inscribis: vix enim unquã simile quid observatum fuisse, tecum mihi fatendum est: quapropter, quicquid dicant invidiosi, prudenter fecisti, quod opus hocce divinum publici juris feceris. *Verè inquam Divinum*, quomodo enim fœtus extrà uterum, aëri, eique frigidissimo, qualis fuit tum temporis, cùm utero gestaret, expositus, à calore verò materno & vasis cotyledonibus remotus: ad perfectionem & maturitatem pervenire potuerit, hominis captum superat. Mirabilia itaque Dei etiamsi in omnibus rebus à Deo creatis appareant, in Medicina tamen, præcipuè in morbis sese patefacere, historia illa tua luculenter ostendit. Ideòque minimè erat à te omittenda, etiamsi à clarissimo ac longe celeberrimo Dn. D. Sennerto, antea evulgata quoque fuerit. Non

enim

enim, ut tu quoque rectè addis liber iſte omnium ad manus pervenit, & ut de aliis quamplurimis regionibus taceam, profectò hujusmodi ſcripta aut tardè aut nunquam ad nos perveniunt. Obſervationes quoque de affectibus uterinis habeo plurimas, hiſtoriæ tamen tuæ minime equiparandas. Interim tamen nonnullas earum nunc (ut par pari referam) tibi communicare non gravabor. Verùm antequam ad earum narrationem me conferam, ad queſtiones, quas ex prædicto caſu propoſuis, pro tenuitate ingenii mei, paucis respondere conabor.

Quæris primò: *Ruptumne an dilatatum fuerit peritonæum?* Ego minime illud ruptum dilaceratumque fuiſſe, tecum ſentio. Etiamſi enim ictus à pertica factus, & gravis, & magnus fuerit, cutem tamen & muſculos vix læſerat, multòminus igitur peritonæum; quod, ut teſtantur anatomici, firmiſſimum validumque inteſtinorum & ventriculi tegumentum ſit: ſubſtantiâ membranoſum & molle; Potiùs itaque extenditur & relaxatur, quàm dilaceratur, præcipuè in fœminis, in quibus ab umbilico ad pubem uſque validiſſimum eſt. At cùm in hac matrona ne cutis quidem aut muſculi abdominis (quantum quidem ex hiſtoria colligere poſſum) inſigniter læſi fuerant, multò igitur minus peritonęum, quod, uti dixi, validiſſimum eſt, muſculisque quin etiam ſubjacet? Interim tamen duo incommoda ex ictu perticę oborta fuiſſe, non dubito. Relaxationem nimirum aliquam peritonęi: & contuſionem muſculorum abdominis, ſimul & dolorem. Ille porrò, cùm, ut Galenus & experientia fidem faciunt, attrahat, ſequutus eſt concurſus humorum in partem læſam. Hi verò quia pauci & propter conſtitutionem ſubjecti, pituitoſi & viſcidi eſſent, ut inflammationem aut abſceſſum procrearent, minime fuerunt apti. Remanſerunt itaque in partibus muſculoſis, & quidem circa peritonęum, illudque paulatim laxum ac lubricum reddiderunt: imò etiam ita debilitarunt partem illam, ut cùm utero geſtaret fœmina, facillimè relaxaretur, atque in ſaccum extenderetur. illam porrò relaxationem atque extenſionem peritonęi, circa foramina illa, circa quę bubonocele fiunt in mulieribus, accidiſſe, tecum cenſeo.

Sed quid ſentis, quæſo, de hernioſis, nonne in ipſis peritonęum diſruptum eſſe putas? Multos quidem id aſſerere ſcio, verùm ego ipſis ſubſcribere non poſſum. Si enim diſrumpitur, id ut circa foramina illa abdominis (quę tamen veriùs, Laurentii verbis utor, productiones dixerit inſtar canalis elongati) fiat neceſſe eſt: alioquin nunquam neque omentum inteſtina in ſcrotum deſcenderent. At rupto ea in parte peritonęo, fruſtra fieret in ſectione herniarum ligatura atque conſtrictio vaginæ, ſimul & abciſſio teſticuli. Peritonęum enim cùm ſit corpus, ut dixi, membranoſum, nonne diſrupto illo, partes diſruptas ita retrahi, ut amplius conjungi, & filo ligari minime poſſint, exiſtimas? Deinde in hernioſis peritonæum dilatari, non autem diſrumpi, ipſa ocularis inſpectio fidem facit. Aliquoties enim in hernioſis; poſt obitum, præcipuè in ſene illo, cujus fit mentio obſ. 65. Cent. 2. (qui inſigni hernia inteſtinali per multos annos laboraverat) ea qua fieri potuit diligentiâ; locum affectum perluſtravi, nunquam tamen quicquam aliud, præter dilatationem peritonæi, obſervare & repetire potui. Venę nonne unica, eaque tenuiſſima membrana conſtant? attamen aliquando in monſtroſam magnitudinem dilatantur; Varix cujus ego in pręcedentibus meis ad te memini literis (quę craſſitiem brachii mei ad carpum excedebat) teſtis eſt; Nec eſt ut aliquis venam ruptã fuiſſe, exiſtimet. Sanguis enim, ut Hipp. docet, quamprimum in ventrem, hoc eſt, extra vaſa ſua profunditur, putreſcat neceſſe eſt; At in viro iſto nunquam computruit, ergo ſequitur, venam non diſruptam ſed dilatatam fuiſſe. Concludo itaque, in fœmina iſta peritonæum dilatatum non diſruptum fuiſſe. Si enim in hydrocephalis cranium dilatatur, non autem diſrumpitur, quemadmodum ex Obſervat. Cent. 1. & ex ipſo cranio, quod tu in Muſæo meo vidiſti, apparet, quantò minus in hac fœmina peritonæum, quod forſan jam ante aliquoties in geſtatione uteri diſtentum dilatatumque fuerat, diſruptum fuiſſe, veriſimile eſt? Peritonæum autem aliquando monſtroſè extendi atque dilatari, ſequens hiſtoria fidem quoque facit.

Anno 1607. Bernæ Helvetiorum quadragenariam mulierem obeſam & pinguem (cui & præſidia nonnulla pręſcripſi) inviſi. Illa in difficili partu relaxationem umbilici contraxerat, ex qua paulatim diſtento atque relaxato peritonæo exomphalos monſtroſa ſequuta fuerat. Umbilicus enim veluti ſaccus ingens extra abdomen propendebat: cùm venter tamen ſuam debitam ſervaret proportionem. In capacitatem ventris retrocedebat nunquam. Interim tamen illa tam valido erat corpore, ut rem familiarem ſine impedimento adminiſtraret. Hęc obiter: integram enim hiſtoriam habes apud *clariſſimum Virum* Dn. D. Gregorium Horſtium. Ante menſes aliquot ſimilem affectum in Germania, in nobiliſſima quadam ac ſingulari virtute prædita matrona, vidi. In illa tamen non umbilicus ipſe; ſed paulò ſupra ipſum peritonæum, veluti in ſaccum dilatatum conſpicitur: in quo non ſolum omentum, ſed & inteſtinum aliquod continetur. aliquando enim murmur in ipſo percipit, indeque in partu contraxit. Plura non addo: exempla enim, quæ tu ipſemet in medium adfers, tuam, meamque opinionem ſtabiliunt.

Secundò quæris: *Gravidane fuerit, necne, cùm ictum exciperet?* Ego etſi hac in re nihil certi conſtituere queam, attamen ipſam tùnc temporis nondum concepiſſe, veriſimile mihi videtur. Si enim utero geſtaſſet proculdubio propter perturbationem animi, & imaginationem vehementiorem, ut in gravidis fieri conſuevit, abortum feciſſet. Exempla ſunt in promptu: quorum nonnulla recenſebo.

Superiori æſtate, in oppido Eſſen, in Marchia, matrona gravida cùm caſu ictum bombardę in coxam dextram, non quidem globo, ſed charta madefacta, & dentibus maſticata, reciderет, protinus doloribus partus correpta fuit: & aqua, quæ fœtum comitari ſolet, paulo poſt effluxit. Sequenti die fœtum non tantùm mortuum, verùm etiam nigrum, quaſi pulvere tormentario infectus fuiſſet, edidit. Hiſtoriam integram, & quomodo à me divinò aſpirante numine, à graviſſimis, quę ſupervenerant, ſymptomatibus, reſtituta fuerit, poſthac in obſervationibus meis videbis.

Menſe Julio Wormatia Lauſannam rediens, cùm Bingæ Briſgoviorum, propter certas cauſas, apud Nobiliſſimum ac ſtrenuum Virum Dn. Franciſcum Conradum à Sickingen, Sereniſſimi Principis ac Domini Dom. Maximiliani Archiducis Auſtriæ, &c. conſiliarium prudentiſſimum, & Satrapam in Stauffen vigilantiſſimum, per dies aliquot hæſiſſem, matronam quandam honeſtam, Dn. Pauli Hartmanni, Nobiliſſimi ac ſtrenui viri Dn. Chriſtophori *von Ampringen* œconomi uxorem, ibidem vidi. Illa cùm gravida, quadam die vicini ſui infantulum ex alto quodam muro in terram corruere videret, ſupra modum perterrefacta atque commota fuit: nihil aliud ſibi perſuadens, quàm infantulum iſtum omnia ſua confregiſſe membra, & aut in ipſo caſu, aut paulò poſt vitæ ſuæ finem facturum: cùm tamen ne minimam

quidem

quidem ac strenui viri Dn. Christophori *von Amprin-gen* œconomi uxorem, ibidem vidi. Illa cùm gravida, quadam die vicini sui infantulum ex alto quodam muro in terram corruere videret, supra modum perterrefacta atque commota fuit: nihil aliud sibi persuadens, quàm infantulum istum omnia sua confregisse membra: & aut in ipso casu, aut paulò post vitæ suæ finem facturum: cùm tamen ne minimam quidem læsionem ex casu isto, quantumvis periculi pleno, receperit, & etiam nunc in vivis sit. Mansit gravida ista in istis angustiis & animi perturbationibus per aliquot septimanas. Tandem verò non absque maxima difficultate fœtum edidit: sed mortuum: habens omnia sua membra veluti confracta: & mirum in modum contorta. Sed, quod summopere admirandum, indutus fuerat infantulus prænominatus, cùm ex alto delaberetur, veste quadam alba, undique fimbriis rubris adornata: quæ rubræ etiam fimbriæ in fœtu isto mortuo evidentissimè apparebant: Post infelicem tamen huncce partum, bis, si rectè memini, feliciter peperit. Hæc ex relatione ipsius mariti Dn. Pauli Hartmanni accepi.

Aliud exemplum, non minus memorabile, mihi communicavit Dn. D. Dan. Daniel, apud Dusbergenses Clivorum Medicus longè celeberrimus, amicus meus singularis, hunc in modum se habens. Matrona gravida, cùm duos inter se confligentes videret, & ex eis unus gladio perfoderetur, nec non mortuus in terram corrueret, supra modum perterrefacta & perturbata, (exclamando, & nomen Domini pro eo qui cecidit, invocando) manu dextra oculos obvelavit. Eadem die doloribus partus correpta fœtum mortuum, cui caput ab oculo ipso, ad occipitium usque perfossum erat, edidit.

Giessæ matronam gravidam propter incendium obortum perterrefactam, post triduum infantem vivum, sed undique maculis igneis contaminatum edidisse, Dn. Horstius ad me scripsit. Plura hujus rei exempla, ex quibus ictum perticæ, absque abortu vix fieri potuisse, videre liceret, quamvis autem plura in medium producere possem: Ne autem prolixior sim, his contentus ero, ex quibus quantum & quid in prægnantibus efficere possit perturbatio animi, fortisque imaginatio, satis superque apparet. Post actum itaque ipsam concepisse, credibile est. Deinde accrescente fœtu, quum uterus de die in diem gravior fieret, & partem illam abdominis, à pertica læsam, præ cæteris debilem, & (propter affluxum & concursum humorum pituitosorum viscidorumve) lubricam ac laxam reperiret, totus in partem læsam debilioremque decubuit, & peritonæum magis magisque distendit. Herniosis, etiamsi intestina semper eandem ferè servent constitutionem, neque quemadmodum uterus gravidus, accrescant, idem tamen accidere, quotidie observamus. Quandoquidem ex minima relaxatione peritonæi, tota moles intestinorum in partem illam decumbit, herniamque aliquando monstrosam procreat.

Tertiò *extuberantiam illam in inguine, ne longius extra abdomen excideret, ab initio fasciâ aptâ, prohibere potuisse, sæpissimè in matronis, bubonocele laborantibus expertus sum:* imò aliquando uterum ipsum, ne excideret, fasciâ prohibui. Ante annum à nobili quadam matrona in consilium adhibitus fui: huic continuò ferè, inprimis ambulando uterus ante ostium propendebat. Ego instrumentum adaptavi: quo collo matricis imposito uterus ita in loco suo retinetur, ut sive pedes incedere, sive curru vehi, sive quovis alio modo corpus movere velit, id sine molestia & difficultate perficere facile possit. *Fuit autem hernia illa uterina oblonga hanc ob causam*, 1. quia fœtus (ut tu quoque doces) non in globum contortus, sed erectè in utero continebatur. 2. quia foramen, per quod uterus prolapsus fuerat; angustum. In herniosis utplurimùm idem accidere solet. Quàm diu enim foramen angustum est, hernia figura oblonga propendet: inignitet verò dilatata productione peritonæi, sive vagina, in rotundum adeò extenditur scrotum, ut membrum virile aliquando appareat. In matronis verò sanis, cùm uterum gerunt, venter rotundus est: peritonæum enim undique æqualiter extenditur.

Rectè simul & prudenter, absque omni contradictione, fecerunt Medici Wittebergenses, quod sectionem Cæsaream instituerint. Uterum enim extra abdomen prolapsum, à fœtu quinetiam dilatatum, atque extensum per foramen. Illud angustum, in ventrem nunquam retrudi potuisse, quis est qui ambiget. Si enim in herniosis aliquando intestina in ventrem, ut ego aliquoties observavi, reponi nequeunt, quanto minùs in hac matrona uterus, cùm ut habet historia, post sectionem, & extractionem fœtus, solus ob ejus magnitudinem in ventrem reponi non potuerit? Prius itaque dilatandum fuisset foramen abdominis: quemadmodum nonnunquam in herniosis, si intestina in scroto intumuerint, fieri solet. Verùm & dilatationem illam, tum propter dolorem, tum etiam propter hæmorrhagiam aliasque causas absque maximo periculo matris, simul & infantis, fieri minimè potuisse arbitror. Deinde quia uterus per tot menses, unà cum fœtu extra abdomen propenderat, non erat ad ipsum excipiendum locus satis aptus, & capax in ipso ventre. Per totum enim tempus gestationis, omnia, quæ ad uterum, & fœtum excipiendum sunt necessaria, paulatim adaptantur disponunturque. Intestina crescente fœtu, & dilatato utero, retrocedunt; Hepar, lien & ventriculus, versus diaphragma blandè reprimuntur; peritonæum simul & musculi abdominis, prout fœtus accrescit, sensim extenduntur, dilatanturque omnia ad partum naturalem, natura, divino quodam instinctu præparat atque disponit: idque sine periculo, quia sensim fit, & absque violentia. Cum violentia verò absque læsione prædictarum partium reponi non potuit. Sed ponamus casum, abdomen absque insigni periculo dilatatum, uterum quin etiam & in ipso contentum fœtum, feliciter in ventrem repositum fuisse, partus tamen naturalis, quomodo consequi potuisset, non video. Ut enim de reliquis impedimentis, quæ adesse poterunt, taceam, hoc unicum nimirum incisio musculorum abdominis, ad partum naturalem impediendum sufficiens erat. Quantum enim compressio musculorum abdominis in partu sit necessaria, sciunt Medici, at hîc ratione vulneris, fieri non potuisset.

Medici, quod post partum Cæsareum uterum sutura non conjunxerint, meo quidem judicio prudenter fecerunt. Utero enim à contentis evacuato, labia vulneris per se facilè, ut Roussetus de partu Cæsareo testatur, concidunt, & arctè conjunguntur. Deinde post partum, ut sanguis & quicquid præter naturale in utero superest, paulatim evacuetur, perquam necesse est. At quia in hac fœmina (ut verisimile est) naturalis via occlusa fuit, non erat occludeda via illa præternaturalis & arte facta. Cutim verò quod consuerint, rectè fecerunt;

Alioquin uterus, aëri expositus, protinus alterationem & putredinem aliquam contraxisset ægramque mox è medio sustulisset.

Sed aliquis forsan partem illam uteri, quæ per tot menses extra abdomen propenderat, filo ligasset & abscidisset; Neque omninò rejicienda fuisset operatio hæc, gangræna enim, quæ postea supervenit, ut verisimile est, hoc modo evitari potuit. Deinde mulierem absque utero vivere, imo & ad coitum aptam esse, multis exemplis & observationibus demonstrant Avenzoar l. 2. tract. 5. cap. 4. Franciscus Roussetus lib. de partu Cæsareo. Casparus Bauhinus in appendice libri Rousseti. Verùm operatio, & abscissio hæc, ut tutò fieret, hæc obstabant. Primò quia reliqua pars uteri, in ventre abscondita, ut necesse erat expurgari non potuisset. Via enim ad id à natura destinata, ut antea quoque dixi, proculdubio occlusa fuit: hinc retentò sanguine, gravissima symptomata & mors consequuta fuissent. Deinde quia impositerum ad procreationem inutilis fuisset fœmina illa. Totus enim ferè uterus decidisset. Potuisset quidem concipere, Ea enim omnia quæ ad conceptionem necessaria sunt remansissent integra, emisisset insuper semen, non minus ac fœmina illa, cujus meminit Dn. Bauhinus in suo in lib. Rousseti Appendice, sed an fœtum usque dum maturus fuisset, gestare potuisset, vix credibile est. Nimis enim angustus fuisset locus, nec unquam uterus propter partem ablatam, sese satis extendere & dilatare potuisset, & proinde abortum maximo cum vitę discrimine fecisset. In partu enim nisi uterus, prout fœtus sese ex una in alteram partem projicit & circumvolvit, extendatur, ut plurimum parturiens simul & fœtus ipse, versantur in periculo vitæ. Quapropter qui scirrho uteri laborant vix parere posse observavi, cujus rei veritatem ex sequenti historia videre poteris. Illam etsi clarissimo atque doctissimo viro Dn. Andreæ Weickio Medicinæ Doctori, amico meo singulari inscripserim, & quartæ Centuriæ observationum mearum inserere constituerim, attamen quia hoc loco ad institutum nostrum quadrat, illam hîc subjungendam esse, visum est: sic autem habet.

Anno 1611. Dn. Andreæ Morge, Arcis Mons dicta (quæ inter radicem montis Jurati & lacum Lemannum sita est) Oeconomi uxor, matrona pia atque honesta, cùm quinto utero gestaret, & finem noni mensis impraegnationis attigisset, doloribus partus correpta fuit 24. Maji circa horam decimam matutinam, cùm pro more, & quidem cum voluptate & appetitu pransa fuisset. Dolores parturientium tam acerbos & motus fœtus tam vehementes ac impetuosos fuisse, ut vix unquam simile quid observatum fuerit, adstantes matronæ referebant: quapropter vires illicò mirum in modum prostratæ fuerunt. Circa horam tertiam pomeridianam lypothymia & horrores maximi supervenerunt: quo tempore fœtum in utero matris animam reddidisse verisimile esse mihi videtur. Dolores enim & conatus ad parturiendum ab eo tempore cessarunt, nec fœtus sese movebat amplius. Ego accersitus, circa undecimam noctis ad ipsam perveni, tum pulsus ferè nullus, extremitates frigidæ erant, & sudor frigidissimus totius corporis aderat, brachium quoque dextrum fœtus extra vulvam propendebat; Quapropter mortem in propinquo esse, prædixeram. Ne itaque inventionem meam, extrahendi fœtum mortuum, quæ hactenus in multis & quidem in deploratis, per Dei misericordiam feliciter mihi successit, apud vulgus & imperitos odiosam atque suspectam redderem, manum adhibere nolui. Adstantium tamen, & ipsius ægræ precibus commotus, statim nonnihil confectionis Alkermes, aquâ cinamomi, paruumque vini dissolutæ, propinavi. Postea quia genitalia refrigerata, & veluti arida erant (quandoquidem ne gutta quidem sanguinis aut humoris profluebat) sacculum ex radicibus, herbis, floribus & seminibus emollientibus, relaxantibus & dolorem lenientibus calidè applicui; Unguento quin etiam emolliente imum ventris, coxas, os sacrum & genitalia inunxi. Tandem eodem unguento inuncta manu, situm fœtus expiscari cœpi: qui etsi omninò præternaturalis esset, ut postea dicam, & brachium dextrum extra collum matricis propenderet, caput tamen, quod pectori incumbebat, (prius inuncto, & clementer intruso brachio infantis) versus ostium uteri adduxi: Verùm quum uterus, & ipsius collum propter virium & expultricis facultatis summam imbecillitatem; supra modum clauderetur, adeoque constringeretur, ut manus mea compressionem sufferre non posset, ab opere desistere coactus fui. Brachium mox iterum sponte excidit, & sequenti die, circa horam decimam matutinam naturę satisfecit.

Ego admiratione captus, quænam causa esset potuerit; quòd fœmina illa, alioquin sana, tam citò extincta fuisset. Suasi ut cadaver incideretur, & causa mortis investigaretur. Aperto itaque ventre, vacuum ipsius sanguine seroso repletum reperi. Propter ingentes enim dolores, & violentum motum fœtus, venæ nonnullæ in parenchimate hepatis, & circa os sacrum ruptę fuerant; atque ex ista profusione sanguinis, mortem subsequutam fuisse in controversiam revocari non potest. Porrò situs fœtûs talis erat. Caput collo matricis proximè adjacebat, brachium dextrum, quod lividum extra collum matricis propendebat. Crura versus pectus & caput infantis ita reflectebantur, ut pedes in vertice conjungerentur. Brachium sinistrum hypochondrio dextro ita erat impositum, ut crura in ipso poplite amplecteretur. Exempto fœtu scirrhum durissimum, qui magnitudinem capitis infantis ferè adæquabat, inveni. Ille autem, utero non simpliciter adhærebat, sed ipsum corpus uteri in scirrhum concretum; atque induratum fuerat. Porrò scirrhum huncce causam mortis fuisse, nemo abnuere potest. Quandoquidem uterus ratione hujus scirrhi, ita angustus fuerat, ut tempore partus sese extendere non posset. Et quia fœtus maturus & vegetus, talem impetum fecerat, ut venæ rumperentur, & hæmorrhagia sequeretur. Simile ferè exemplum habes observ. 67. Cent. prim.

Membranam illam, quâ obductus fuit uterus, rectè nominat Dn. D. Sennertus *purulentam.* Non enim fuit membrana vera, & recenter procreata, sunt enim membranæ partes spermaticæ, nec facilè regenerantur; Sed fuit aliquid præternaturale, ex viscida materia, à natura procreatum, idque in eum finem, ut subjectæ partes tegerentur, & ab injuria aëris vindicarentur. In hunc quoque finem natura in vulneribus capitis fungos producit. Cùm enim aër, præcipuè frigidus; Ut Hippocrates & experientia testantur, cerebro & proinde omnibus partibus nervosis, sit inimicus, talis est naturæ (dummodo fuerit valida) industria atque providentia, ut partes nervosas, si denudatæ fuerint; Tegumento aliquo munire studeat: Hinc fiunt in vulneribus capitis, in quibus cerebrum insigniter detectum est, fungi; De quibus vide observationem 15. Cent. 1. Item observ. 56. Cent. 2.

In vulneribus juncturarum idem me vidisse memini,

dies aliquot fungus carnoſus exortus eſt. Is partibus nervoſis denudatis ita adjacebat, ut aër illas offendere non poſſet.

Simile quid ante paucos annos mihi obſervare contigit. Paterniacenſis quidam Adamus Perinus nomine, cùm ingentem & nodoſum truncum arboris, pulvere tormentario findere vellet, & nimis imprudenter ad truncum appropinquaret, junctura ipſius pedis dextri, ab ipſo trunco (cùm in partes diſſiliret) per medium ferè diſſecta fuit; cum ingenti contuſione, & ſanguinis, profuſione. Ego protinus advocatus, quæ ſanguinem ſiſtunt, humores repellunt, & dolorem leniunt ab initio applicui, & ſtatim enema exhibui: quo rejecto, venam ejusdem brachii incidi: Eamque victus rationem quæ in magnis & nervoſarum partium vulneribus convenit, inſtitui. Poſt cœnam ratione doloris nonnihil laudani exhibui: quo facto utcunque quievit ea nocte. Sequenti die pharmaco corpus à pravis humoribus exoneravi. Dolores etſi uſque ad quartum ſatis acuti eſſent, paulatim tamen remiſerunt, & brevi vulnus ad ſuppurationem pervenit. Circa ſeptimum porrò diem morbi fungus carnoſus adeò magnus, ut totum vulnus adimpleret, ſubjectasque partes omnes nervoſas cooperiret, ipſiſque veluti pulvinar adjaceret; in ipſo vulnere exortus eſt. Ego interea inſtitutam methodum minimè mutavi: Sed præcipuè in hoc laboravi, ut affluentes humores repellerem, doloreſque lenirem: Reliqua omnia uſque ad diem decimum quintum naturæ commiſi. Elapſo decimo & quinto die, ea quę mediocriter exſiccant, absque tamen acrimonia applicui. Curatio ita ad votum ſucceſſit, ut divino aſpirante numine, intra hebdomadas quinque priſtinę ſanitati reſtitutus fuerit: ita quidem ut deinceps absque baculo per annos ferè octo, uſque dum Deus illum peſte ex hac vita evocaret, incederet. Hiſtoriam hanc recenſere volui, ut juniores cheirurgi ex illa ediſcant, hujuſmodi fungos ſummo naturæ beneficio & quidem, uti dixi, in eum finem, ut ſubjectę partes ab injuria aëris vindicentur procreari: Et propterea non temerè auferendos eſſe.

In oſſibus denudatis, eadem eſt naturę induſtria. Cùm enim aër oſſibus denudatis ſit adverſiſſimus, ea ſtatim carne aliqua fungoſa tegit natura: ſub qua nihilominus partem illam oſſis ab aëre aut medicamentis, vel etiam à ſerra, veluti in abſciſſione membrorum, alteram, paulatim ſeparat & per carnem illam fungoſam expellit: os vero carne ſolida & laudabili tegit. Itaque non ſatis recte nec prudenter faciunt nonnulli, qui in oſſibus denudatis quotidiè ferè (ut ego apud nonnullos vidi) ſcalpris os abradunt. Hinc multoties ex recenti vulnere fiunt ulcera maligna, atque diuturna. Hęc ego perpendens nunquam in oſſibus denudatis (niſi caries profunda fuerit, veluti in lue venerea) utor ſcalpris, ſed pulverem aliquem catagmaticum, aut euphorbium pulveriſatum, quod in oſſibus denudatis, uti obſervatione 92. Cent. 2. demonſtravimus, præſtantiſſimum & abſque omni periculo applicari poteſt, quotidiè inſpergo; neque ab uſu horum medicamentorum deſiſto, donec os ſquamam abjecerit. Interim quoque, ne labia vulneris conjungantur, & ante caſum oſſis coaleſcant, quantùm quidem poſſum, radicibus gentianæ, ſpongiis præparatis, & ſimilibus impedio, Sed & oſſa carne & perioſtio ſuo denudata, non ſemper, uti exiſtimant practici quamplurimi, ab aëre alterari, & ſquamam abjicere, ſuo quoque tempore in obſervationibus meis exemplis declarabo.

Gangrænam illam, quæ tandem ſupervenit, ex interceptione ſpirituum, & penuria alimenti ortam fuiſſe, veriſimile mihi videtur. Abdomen enim ſimul & ea pars uteri, quę extra abdomen prolapſa fuerat, per exiguas habet venas atque arterias: hę autem quum tempore geſtationis ſupra modum elongatę, extenſę & proinde veluti aridæ factæ eſſent, non potuit ſpiritus & alimentum per tam anguſtas vias, poſt partum ſatis copioſè deſcendere, parteſque longinquas nutrire. Extinctus itaque paulatim fuit calor nativus, & ſupervenit gangræna quę arte prohiberi non potuit. Sed objicies forſan: Cur extinctio illa caloris nativi, tempore geſtationis, aut paulò poſt partum non acciderit? Reſpondeo, ſanguinem & nutrimentum tempore geſtationis, motu quodam naturali, pro nutritione fœtus, copioſè ad partes illas defluxiſſe: poſt partum verò, motum illum naturæ paulatim ceſſaſſe: & ſanguinem illum qui antea ad uterum fluebat, ad mammillas aliasque partes deſtinatas, retroceſſiſſe.

Lipothymiam quæ ex improviſo ſupervenit, & mortem intulit, imò & eo ipſo tempore cùm vix ulla ampliùs de recuperanda integra ſanitate ſpes ſupereſſet, ex occulta quadam malignitate, ex præcedente gangræna progenita & in vaſis contenta, ortam fuiſſe, tecum arbitror: ſimile enim quid, ut ſequens hiſtoria fidem facit; mihi obſervare licuit.

Anno 1609. 16. Februarii Nobilis quædam matrona, ſed in primis pia, & ſingulari virtute prædita, Dn. Maria Peliſſeria, excellentiſſimi atque doctiſſimi Viri Dn. Samuelis Weis, Inclytæ Reipubl. Bernenſis Commiſſarii generalis conjux, Bernæ Helvetiorum circa octavam matutinam puellam feliciter peperit. Poſt partum ſanguis quidem copioſè effluxit, ſecundina verò remanſit in utero. Illam quum obſtetrix manu non extraxiſſet, multa variaque medicamenta ad ipſam expellendam, eaque omnia calida, veluti decoctum ſabinæ, pulegii, rutæ, ariſtolochiæ, & ſimilium, adſtantes matronæ exhibuerunt: ſed fruſtra omnia. Remanſit enim ſecundina utero, ad decimum octavum ejus menſis diem: dum circa horam decimam noctis natura illam ſponte, ſed putridam fœtidamque expelleret. Ego unà cum clariſſimo Viro Domino Paulo Lentulo, ejus Reipub. Doct. Medico celeberrimo, piæ memoriæ accerſitus, ipſam febri continua & ardenti laborantem invenimus, lipothymiæ, anguſtia pectoris, vigiliæ & inquietudines tales aderant, ut ab eo tempore, quo doloribus partus correpta fuerat, ſomnum capere minimè potuerit. Cæterùm etſi ſecundina, ſi adſtantibus credendum eſt, integra elapſa eſſet, nihilominus tamen materia, veluti ſanguis corruptus & putridus, ſed ita fœtidus ut ſuo fœtore totum conclave adimpleret; per pudenda extillavit continuò: quæ porrò materia & fœtor, internam aliquam putredinem arguebant. Aderat præterea & fluxus alvi, proculdubio propter imbecillitatem retentricis facultatis. Nos eâ, quâ fieri potuit diligentiâ, ſymptomata ita debellavimus, ut omnia ferè ſalva viderentur, ſed fefellit nos opinio, quartà enim Martii, qui fuit decimus ſeptimus morbi, cum præcedens nox utcunque quieta fuiſſet, & circa ſeptimam matutinam, juſculum ſumſiſſet & hauſtum vini bibiſſet, per horam quinetiam ferè integram mecum de morbo ſuo, infantulis & rebus domeſticis confabulata fuiſſet, ancillas, ut lectum ſternerent, advocandas juſſit. Quæ cùm è lecto illam elevarent, & in ſedem collocarent, in lipothymiam incidit, & protinus imò & in eo ipſo momento, & antequam ego ex proximo cubiculo accurrerem, vitam cum morte commutavit. Utinam igitur obſtetrices omnes illam haberent induſtriam, ut ſecundinam (quod tamen facilè & abſque periculo fieri poſſe, ſæpiſſimè me edocuit experientia) manu, antequam oſtium uteri claudatur, extrahere poſſent. Sæpiſ-

Sæpiſſimè enim parturiens in excludendo fœtu vires adeò conſumit, ut poſtea ſecundinam expellere non poſſit: præſertim in abortu. Abortiones enim, inquit Hippocrates, majorem moleſtiam quàm partiones afferre ſolent. Neque enim circa violentiam abortio contingit, ſive ex medicamento, ſive potione vel cibo, vel ſubditiis medicamentis, vel ex re alia quapiam contingat. Ut enim (quemadmodum *Dn. Hector Schlanovius* Wormatienſis D. Medicus, amicus meus ſingularis, libro de vaſis umbilicalibus, & alii ſcribunt) poma matura de arboribus ſponte ſua decidunt, cruda verò & immatura, nonniſi magno labore, aut ventorum impetu à ſuis pediculis avelluntur, ita cum ſecundinis accidit; quæ tempore partus maturo & legitimo, ſponte ſua facilè natura à vaſis uteri quibus cum interventu cotyledonum per contiguitatem connectebantur, divelluntur. In abortu verò & partu præmaturo, nonniſi magno molimine diſrumpuntur.

Duobus autem modis ſecundina, poſt partum retenta educitur: manu ſcilicet, & medicamentis: ſed videamus nunc, quænam ſit tutior via. Quantum ad medicamenta illa, niſi beneficio naturæ de potentia in actum redacta fuerint, operari non poſſunt. Deficiente enim natura, fruſtrà laborat Medicus: fruſtraque exhibet medicamenta. Sed & antequam natura præcedentibus doloribus proſtrata, novum robur acquirere poſſit, requiritur tempus. Interim oſtium uteri contrahitur & clauditur, putteſcitque ſecundina, & putredine ſua adjacentes partes inficit, corrumpit, vireſque magis magiſque proſternit, uti ex præallegata hiſtoria videre licet. Deinde, quia medicamenta, quæ fœtum mortuum & ſecundinam expellunt, plerumque (præter pauca, quæ id proprietate quadam occulta & ſpecifica perficere poſſe, â Domino D. Schlanovio & aliis proponuntur) calida, imò calidiſſima, partes internas ſupra modum excalefaciunt: hinc febris, inquietudines, vigiliæ, aliaque ſymptomata accreſcunt, atque utplurimùm mors ipſa ſequitur, pręſtat itaque illam manu extrahere: Idque ſtatim poſt partum, & antequam oſtium uteri claudatur, faciendum eſt.

In illa autem operatione, ut circumſpectè & prudenter procedat cheirurgus, aut obſtetrix, ne loco ſecundinæ uterum accipiant, extrahantque neceſſe eſt. Id enim ante paucos annos in Belgio eveniſſe Dn. D. Henricus Stapedius, Medicus longè celeberrimus, & amicus meus plurimum honorandus, ſuperiori anno Colonię Agrippinę mihi retulit, obſtetrix enim cùm poſt partum ſecundinam extrahere vellet, & ipſius loco uterum arripuiſſet, extraxiſſetque, tandem quoque abſcidiſſet, eadem die perperam naturæ ſatisfeciſſe, mihi aliquoties affirmavit. Quapropter magiſtratum, cui ſalus ſubditorum à Deo commiſſa eſt, moneo atque adhortor, ut neque Cheirurgis, neque obſtetricibus hujuſmodi operationes, tam magni momenti, exercendas concedat, niſi à Medicis eruditis, ſed imprimis in hac operatione exercitatis, prius edocti, examinatique fuerint.

Ad quæſtionem illam, quam ex ſecunda hiſtoria tua proponis, jam paucis reſpondeo. Nimirum peritonęum in primo partu procul dubio aliquo modo læſum fuiſſe; non tamen usque adeò ut bubonocele inde ſequeretur. Quum autem toties utero geſtaret, & pars illa peritonęi, in primo partu malè affecta, continuò ferè propter imprægnationes frequentes afficeretur, paulatim adeò debilitatum fuiſſe, ut affluentes humores facilè recipere, veroſimile eſſe mihi videtur. Illi autem, quia (uti antea quoque demonſtratum fuit) ratione ſubjecti, pituitoſi, viſcidi & lenti eſſent, peritonęum tandem adeò laxum & lubricum reddiderunt, ut cùm ab utero gravido premeretur, facillimè cederet, & in ſacculum illum relaxaretur. Atque hæ ſunt, clariſſimè atque doctiſſime mi *Dn. D. Dorinci*, quæ ad quęſita Tua, ex duabus iſtis hiſtoriis admirandis atque raris, pro tenuitate ingenii mei reſpondere potui, Tu ut omnia amicè, de quo tamen minimè dubito, interpretari velis, plurimum rogo. Porro ut pari referam, obſervationes nonnullas ſingulares, de extractione fœtus mortui, T. Exc. communicare viſum eſt. Inprimis autem quàm feliciter uxori meę chariſſimæ inventio mea, extrahendi fœtum mortuum ſuccedat, trium matronarum exemplis, quas intra annum, per ſingularem Dei miſericordiam atque clementiam, ex evidentiſſimo mortis naufragio, ad vitam revocavit, recenſebo.

Maria, Jacobi Clerici civis Lauſannenſis, uxor, matrona tenella, conſtitutione corporis ſicca, cùm novies utero geſtaret, & ad legitimum pariendi tempus uſque perveniſſet, fœtum tamen excludere non poſſet, uxor mea advocata fuit. Illa quum fœtum mortuum eſſe, certis indiciis cognoviſſet, manum, ut ſitum fœtus exploraret, adhibuit. Situs autem planè præternaturalis erat. Venter enim ſimul & vaſa umbilicalia, (quæ veluti in globum obvoluta contortaque erant) ſeſe ante oſtium uteri offerebant, pedes, brachia, & caput retrorſum ita reflectebantur, ut ferè conjungerentur. Dolores & conatus ad parturiendum aderant maximi; vires tamen adhuc conſtabant. Injunctis genitalibus, ventre, atque coxis oleo liliorum alborum, & amygdalarum dulcium, pinguedine gallinę & anſeris, manu quoque eodem unguento inuncta, atque in uterum immiſſa, fœtum paulatim ita volvebat, ut caput ſenſim ad oſtium uteri adduceret: quo facto ipſum feliciter extraxerit, ſed mortuum. Mater brevi convaluit, & huc uſque optima ſanitate fruitur.

Anna, Petri Belleti civis Lauſannenſis uxor, corpore utcunque valida, cùm tertiò concepiſſet, doloribus partus correpta fuit 26. Novemb. Anno 1612. Aqua quę fœtum comitari ſolet, ſtatim effluxit, & dolores quâm maximi & continui ſupervenerunt: obſtetrices accerſentur plurimę; ſed fruſtra. Tandem per dies novem doloribus iſtis graviſſimis debilitata, & cùm uxor mea in ipſius ſubſidium vocata fuiſſet, miſellam illam veluti in mortis agone reperit. Propter ingentes enim, longoſque dolores, vires ita erant proſtratę, ut pulſus vix perſentiri poſſet. Inquietudines aderant maximæ, vigilię, ſitis inexhauſta; lipothymiæ item frequentes, propter fœtum ſemiputridum ſupervenerunt. Implorato itaque prius Numine Divino, & de præſenti periculo facto prognoſtico, operationem ſequenti Methodo aggreſſa eſt. Primò alvum, quę conſtipata fuerat, enemate communi ſubduxit. Mox potiunculam ex confectione Alkermes, aquâ cinamomi, bugloſſæ & boraginis diſſoluta, exhibuit. Et quia genitalia veluti arida & refrigerata, (aqua enim, quæ fœtum comitari, & oſtium uteri lubricum reddere conſuevit, ab initio effluxerat) ſacculum ex radicibus, herbis, floribus, & ſeminibus emollientibus, & dolorem lenientibus, calidè applicuit: ventremque, coxas, os ſacrum, & oſtium uteri linimento, in præcedenti operatione præſcripto inunxit. Tandem inuncta manu, eâque clementer in uterum immiſſa, ſitum fœtus exploravit. Is autem præcedenti ferè contrarius erat, Lumbi enim ante oſtium uteri ſeſe offerebant. Caput & pedes ſurſum verſus diaphragma reflectebantur.

Brachia verò deorsum: & ita quidem, ut è regione ossis sacri conjungerentur, & extra collum matricis propenderent. Obstetrices enim adeò protraxerant manus, ut brachia mirum in modum prolongata essent. Vasa umbilicalia crura bis obvolvebant. Operatio quidem difficillima & laboriosa fuit: nihilominus tamen feliciter successit: & brevi absoluta fuit. Et quamvis fœtus, ut antea dixi, semiputridus esset, & procul dubio putredine sua, tam uterum, quàm partes nobiles mirum in modum læserat, puerpera tamen per Dei misericordiam brevi convaluit, & ad hanc usque diem 3. Mens. Decemb. anni 1613. quo hæc scripsi, apud nos vivit, & quidem feliciter.

Cæterùm præstantiam lapidis Bezoardici, in hac ægra evidentissimè observavimus. Secunda enim die post partum quum propter putredinem præcedentem, & errorem in victus ratione commissum, febris aliaque symptomata adaugerentur, & lipothymiæ iterum supervenirent, ad grana octo lapidis subtilissime pulverisati, parumque confectionis alkermes, ex aqua cinamomi, sine vino destillata, exhibuit. Post paucas horas à sumpto medicamento sudor copiosè erupit: atque eadem die insignis mutatio morbi sequuta est. Subsequentibus diebus eandem potiunculam, non minori cum fructu exhibuit. Ego quid in memetipso de præstantia lapidis bezoardici observaverim, hîc prætereundum non dico. Ante annos enim duos, cùm autumni tempore quartanâ continuâ, eâque periculosâ laborarem, & quadam die (prius tamen aliquoties rhabarbaro, sena, agarico, polypodio, & similibus expurgato corpore) ad grana 8. lapidis bezoardici, confectione Alkermes, & aqua cinamomi distillata sine vino, mixti, sumpsissem, eadem die, etsi non curata fuerit febris, ita tamen ejus symptomata mutata fuêre, ut ex continua facta sit intermittens, deinceps de quarto in quartum diem tantummodò me infestaret. Deinde iterum melanagogis expurgato corpore, & aliquoties iterata potione ex lapide bezoardico, paulatim restitutus fui. Addo autem confectionem Alkermes, & aquam cinamomi, non solùm quod cor, partesque nobiles roborant, verùm etiam ut sint veluti vehiculum lapidis, qui alioquin tardè operatur.

Hoc anno 9. Januarii, similis casus hic Lausannæ accidit: quem paucis tibi recensebo. Anna Bergeri M. Johan. Quebay uxor, matrona pia atque honesta, ætat. suæ 30. circiter annorum corpore tenella, cùm 3. utero gestaret, 6. mense impprægnationis, sanguis ex collo matricis ipsi profluere cœpit, & quidem continuò. Quum autem nullum adhiberet remedium, paulatim copiosior prosiliit sanguis, nihilominus tamen (quæ res admiratione non vacat) fœtum ad constitutum terminum usque gestavit. Tum parturientium doloribus & quidem maximis, simul & vomitu correpta fuit. Sanguis quoque tam copiosè perfluebat, ut post partum in pavimento cubiculi ipsum catillo colligere necesse esset. Hinc vires adeò prostratæ fuerunt, ut adstantes omnes & ipsa obstetrix, de recuperanda valetudine desponderent animum. Suasu itaque & consilio Reverendi ac doctissimi Viri Dn. *Johannis Guibaudi* civis & Ecclesiæ Lausannensis verbi divini ministri fidelissimi, ejusdem parturientis cognati, periculum præsens animadvertentis, uxor méa advocata, ipsam veluti in agone mortis invenit. Sudor enim frigidus totius corporis aderat, extremitates frigidæ erant: mens ita commota atque perturbata, ut ferè ratione atque intelligentiâ privaretur. Porrò etiamsi mors in propinquis esse videbatur, attamen quia nostrates legem illam Regiam, quâ cautum erat, prægnantem mortuam, nisi prius excisus esset fœtus, sepelire, ut plurimum observant, petierunt parentes, & ipse maritus, ut an fœtum, (qui alioquin post obitum excidendus erat) dum viveret, extrahere posset, tentaret. Adhibita itaque manu feliciter illum nullo adhibito instrumento, sed sola manu eduxit: mortuum tamen. Curatio quoque adeò ad votum successit, ut puerpera maxima cum admiratione omnium brevi convaluerit, & ad hunc usque diem 4. Decemb. 1613. quo hæc scripsi optimè sese habeat. Situs omninò præternaturalis erat, & hepar uterinum (quod notandum) ab ipso utero separatum, ad ipsumque ostium uteri usque propendens, repertum fuit: hinc hæmorrhagiam illam insignem, in ipsis parturientium doloribus ortam, provenisse, certum est.

Cæterùm antequam ulterius progrediar, quorundam diffamatorum atque insidiosorum hominum impudentia, simul atque inscitia notanda est. Illi enim, si Medicus aut Cheirurgus abdomen prægnantis mortuæ inciderit fœtumque extraxerit, rem crudelem simul & inhumanam esse exclamant, quod dicere profectò insulsum, parumque modestum est, quasi verò Medicus fidelis, crudelis censeri debeat. Hoc sanè genus hominum, si finem Medici rectè perpenderent, nihil crudelitatis, nihilque inhumanitatis, in hac operatione invenirent, quin potius illam non solùm necessariam & licitam, sed ab ipsis quoque Ethnicis, ut postea dicam, approbatam & sancitam esse, Christianamque insuper charitatem eam à nobis requirere intelligerent, perciperentque.

Duo autem in hac operatione quærit Medicus aut Cheirurgus. Primò ut situm fœtus in utero exactè annotare possit. Id enim quàm Medicis simul & Cheirurgis, in extractione fœtus mortui sit necessarium, omnibus qui hanc operationem aliquando administrarunt satis superque cognitum est. Et quia varii, imò infiniti penè (ego, qui hanc operationem toties administravi, expertus loquor) reperiuntur situs fœtuum mortuorum, non potest aliquis in perfectum operatorium evadere, nisi extincta matre abdomen inciderit, situmque fœtus diligentissimè observaverit. Nec video quomodo Medicus aut Cheirurgus, ineptissimas plerumque istas obstetrices, (quas ut plurimum Magistratus nullo prægresso examine ad provinciam hancce, tam magni momenti, & humano generi tantopere necessariam administrandam, admittit) instruere possint, nisi prius ipsimet negotium intelligant. Secundò inciditur abdomen prægnantis mortuæ, ut infans conservari possit. Sæpissimè enim prægnans propter causam aliquam aut morbum, veluti hæmorrhagiam, lipothymiam, apoplexiam, aliosque morbos acutos, vitâ subitò privatur, infans verò etiamsi ita debilis sit, ut interim dum prægnans in agone versatur, in utero sese movere nequeat, potest tamen ad tempus vivere. Hæc perpendens antiquitas, ne fœtus, extincta matre & ipse suffocaretur, simulque periret, prudenter & optimè constituit, ut extincta matre per apertionem abdominis extraheretur.

Hujus porrò legis hæc sunt verba, loco priùs adducto obvia: *Negat lex Regia mulierem, quæ prægnans mortua sit humari, antequam partus ei excidatur.* Legem autem hanc non solùm per excellentiam *Regiam* appellant Jurisconsulti, verùm etiam, quia à Numa Pompilio secundo Romanorum Rege, sancitam fuisse creditur. Quæ si à Christianis ubivis observaretur, multi procul dubio infantuli, qui nunc, extincta matre, miserè in utero suffocantur, conservarentur: multique parentes quietiorem conscientiam conservarent.

rent. Non enim immeritò author ejus legis addit. *Qui contrafecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur.* Non video itaque quomodo quis operationem hanc crudelem atque inhumanam dicere ausit. Multoties enim infantulos, mortua matre, vivos excisos fuisse, exempla apud authores inveniuntur multa. Sed quod summopere admirandum, refert Valerius 1.*c. ult.* *Gorgiam* quendam Epirotam in funere matris suæ, utero elapsum, & inopinato vagitu suo, lectum ferentes, consistere coëgisse, & ita matrem fato functam peperisse, Gorgiamque ante elatum, quàm natum fuisse.

Anno 1567. die 14. Junii inter Daventriam & Sutphaniam ab Hispanis, maritus cum uxore gravida suspenduntur. Uxor quum pependisset per horas 4. gemellos vivos jam mortua peperit. Historiam hanc describunt Paulus Eberus, in calendario historico, Diomedes Cornarius serenissimi Principis Maximiliani Archiducis Austriæ, &c. Medicus celeberrimus, Historiarum admirandarum Histor. 14. Gregorius Horstius, *Illustrissimi & Celsissimi Principis ac* Domini Dn. Ludovici *Hassiæ* Medicus, multis nominibus clarissimus in Marcelli Donati lib. 7.

Idem Diomedes Cornarius, historiarum admir. hist. 15. & Gregorius Horstius loco preallegato, sequentem quoque habent historiam. In Hispania Madritii, quædam matrona ex familia Dn. Francisci Lasso oriunda, postquam per triduum in mortis agone decubuisset, existimantibus cognatis eam mortuam esse, deportata est in locum sepulturæ destinatum, quem Græci κρύπτην appellant, ubi pro more sola relicta fuit occlusa. Post aliquot menses aperto loco, repertum est hoc cadaver in eodem loco, in quem repositum fuerat, habens in dextro brachio infantem mortuum. Hinc apparet ipsam tum temporis quando sepulta fuit: nondum obiisse, sed postmodum peperisse infantem, qui unà cum matre miserrimè clam sub terra obiit. Hanc historiam (addit Cornarius) ex fide dignorum & authenticorum virorum relationibus certissimis percepi, quorum nomina postulante necessitate subjungere facilè possem.

Similem ferè casum Coloniæ Agrippinæ accidisse, Dn. D. Henricus Stapedius, Medicus Coloniensis longè celeberrimus, amicus meus singularis, superiore æstate, cùm Coloniæ essem, mihi retulit. Matrona enim gravida ex morbo acuto mortua & loculo imposita, cùm sequenti die inhumanda esset, & loculus ab obstetrice, (ut si forsan aliquid cruoris effluxisset, illum spongia exciperet) inspiceretur, fœtus inter fœmora extra matricem repertus fuit, sed mortuus.

Ex his porrò historiis videre est, fœtum non semper in eo ipso temporis articulo, quo anima ex matre emigrat, mortem obire, sed nonnunquam ad tempus in ipso utero materno supervivere posse. Ideoque minimè audiendi sunt illi, qui fœtum extincta matre, è vestigio quoque animam efflare autumant, ac propterea sectionem inutilem, frustraneam, & quod majus, crudelem esse, clamitant, Medicosque simul ac Chirurgos, qui aliquando sectionem illam administrant, deridere atque contemnere non erubescunt &c.

Hactenus Viri Clariss. Doringius, & Fabricius Hildanus. Sequantur.

Consultationes

De partû legitimô, ejusque terminô &c.

De partu qui ducentesimô secundô nuptiarum die in lucem editus est, cùm is integrè conformatus, ac bene vividus existeret, dubitatum, quæsitumque est, Num fortè ante nuptias conceptus esset, & nonum jam mensem complevisset? Deinde, an hoc dierum numerô natus, septimestris, ac bonę ætatis habendus sit?

Ad prius sic responsum. Recens editi partus ætatem nullis indiciis certò definiri posse, & immaturos fœtus aliàs videri integrè conformatos atque perfectos, aliàs sine pilis, unguibus, labris, aut palpebris, vel auriculis vix dum disjunctis, quemadmodum & abortum observavimus nonnumquam, die quadragesimô dimidii digiti magnitudine membris omnibus distinctum, interdum tertiô mense rudem adhuc & malè digestam molem repræsentare. Id autem efficit seminis varietas, & facultatis, quæ in eô est, conformantis robur, aut infirmitas.

Ad posterius itidem sic responsum. Partum editum die ducentesimô secundô septimestrem censendum. Etenim Hippocrati, vetustioribusque græcis, tum Philosophis, tum Medicis, qui in hanc contemplationem accuratiùs incubuerunt, incomperti erant Romanorum menses hisque, quemadmodum & Hebræis, lunæ cursu demensi sunt; constatque mensis diebus viginti novem cum semisse, quod tempus ferè à quovis lunæ congressu ad proximum intercedit. Hac anni supputandi ratione, (quæ in fœtus gestatione, in morborum decretoriis diebus, in omni denique Medicorum observatione in primis & ad unguem tenenda) partus hic, de quo queritur, prodiit in lucem die vigesimo quintô completo septimi mensis. Neque tamen (ut vere septimestris censeatur) necesse est septimum mensem prorsus implevisse: satisque fuerit, ad hunc terminum, aut ultrà, aut infra dies septem accedere. Ita enim siderum nos gubernantium vires non in momento consistere, sed his limitibus contineri atque vigere, Ptolomæus, aliique Astrologi celeberrimi literis prodiderunt Septimestrem quoque partum bene vitalem esse, præterquam quòd Hippocratis & omnium Medicorum autoritate celebratum est, atque receptum; nos etiam longâ experientiâ notavimus. Cujus rei ab Astrologis petenda ratio, qui primum conceptus mensem in Saturni dominiô, septimum in lunæ potestate collocant, quæ viventibus omnibus vitam atque vires impertit. *Joannes Fernelius in Consiliis Medicis.*

De Partûs Vitalis tempore.

Si quid obscurum in re medica solis conjecturis nititur, hoc potissimum est tempus vitalis partus; qui non solum novimestris est, sed & octimestris, licet rarissimè, frequentiùs verò septimestris; ex Hipp. Lib. de Septimestri Partu; Arist. 3. de Hist. Animalium 4 Gal. Plinio, aliis Autoribus. Quinimo censet Horatius Augenius etiam 6. mense edi fœtum vitalem, Opusculo, quòd homini certum non sit pariendi tempus: atque prostant historiæ eorum, qui quinto mense nati superstites fuerunt; in quibus recensetur à Montuo Pincernæ cujusdam Galliarum Regis Henrici, nati quinto mense; qui illius ævo ætatis fuit consistentis; à Cardano item Tract. 3. Lib. 1. Contradict. 8. Comitis de Trivultiis quæ sub id tempus juvencula apud Comitem S. Secundi degebat, quinto mense editæ. Ut propterea fœtu nato quinto mense, 27. Januarii proxime elapso pro comperto nihil statui possit; cùm non constet ex historia de tempore conceptionis, sed de partu tantùm qui perfecti sane fœtus fuit; quia magnus, & vitalis, cùm vagiret alta voce atque, lac ex mammis exsugeret

fugeret. Totus itaque rei cardo in eo vertitur, utrum partus hic sit novimestris, vel potuerit esse quinquemestris, vel immaturioris ætatis. Qui de re licet certi quicquam pronunciare non ausim; dixerim tamen, quod si fuerit quinquemestris omnibus nihilominus partus vitalis dotibus, ut ita dicam, potuit esse instructus; non secus quàm septimestris partus, qui omnium Autorum consensu vitalis est, & perfectus. Cùm autem menses sint vel solares; vel lunares, & peragrationis, solares 30. dierum, lunares 29. & peragrationis 27. atque menses medici plurimùm sint peragrationis, vel saltem lunares, obstetricum etiam testimonio, quòd scil. cùm partus attigit novem lunas, si fœtus hic conceptus est 25. præteriti Augusti, partus 7. lunas absolverit, scil. comprehensa Julii Luna; cujus terminus fuit 26. Augusti, ad 24. usque Januarii: atque ita septem lunas impleverit; & potuerit esse vitalis. Causam verò immaturi adeò vitalis partus, duplicem Hippocr. assignat Lib. de Alim. primò quidem robur infantis bene nutriti, qui propterea si utero angustiori coërceatur; calcitrat, & expultrice irritata, ex eo eluctatur; alia verò est alimenti inopia. Ut ex his statuendum censeam potuisse esse vitalem, licet conceptum 25. Augusti, & editum 27. Januarii. *Benedictus Silvaticus Consilior, & Responsion. Medic. Cent.* IV.

Qui plura hôc in argumentô, scilicet super partûs variô terminô voluerit; consulat Responsa sanè permulta, è pluribus Medicis, ac etiam Academiis à Baldass. Timæô in Respons. suarum Medicarum pag. quæ mihi 1107. ac sequentibus bene multis, super casu fœminæ die 17. matrimonii parientis, allata; item quæ habet Paulus Zacchias in Quæstionibus suis Medicô Legalibus.

De Fœtû incolumi, dubiâ Matris morte.

Ex enarratis constat Nobilem Matronam septimestri partu appetente epilepsia extinctam fuisse sexto Januarii anni vertentis; ex cujus ventre 24. post horis rugitus, & murmur quoddam ab adstantibus cadaveri excubantibus exaudita fuerunt; eodem paulo post attollente se, & subsidente, cum sonitu quodam, & vagitu veluti nascentis infantis; quem exaudientes iterum biduo post adstantes, hora octava matutina; atque humorem quendam è lectô in terram extillantem conspicati, detectô mulieris corpore sub horam undecimam matutinam infans in conspectum venit, inter matris femora prolapsus, mortuus, tepens adhuc, flexilis, cum roseis labellis; qui tamen mox refrixit, & obriguit.

In qua historia duo potissimùm quæruntur; primò quidem, utrum hic infans edi potuerit tot horis ab obitu matris, si tamen tunc extincta jam fuerit. Aliud est, utrum infans secundùm naturæ leges editus superstes esse potuerit; atque extinctus sit suffocatus à materno sanguine. Graves sane difficultates. Quibus elucidandis, meam libere proferam sententiam, maturiori judicio committendam. Primò itaque quod infans à matris obitu in lucem erumpere potuerit, novum certè, & insolens videtur. Cùm enim ad partum, matris, & fœtus conspiret robur, ex Gal. Comm. in 5. Aph. 55. atque tunc dehiscat uteri os, transmittendo integro fœtui quod prægnationis tempore connivebat adeo, ut ne quidem specilli mucronem admitteret, Gal. testimonio 16. de Usu Part. Cap. 7. ubi quo pacto id fiat mirari nos quidem posse fatetur, intelligere verò non posse, qua ratione fœtus matris mortuæ utero conclusus, viribus omnino collapsis, sibi ipsi adeò facilè, absque ulla obstetricis ope egressum moliri potuit. Quanquam enim fœtus jam maturus uberiori alimento, & spiritu egens, imminente partu in utero calcitret, membranasque ipsum involventes disrumpat; cujus indicium fuit elevatio illa ventris in Nobilissima Matrona conspicua: atque constet sub id tempus naturam transmittere ad internum os uteri copiam muscosæ materiæ, qua madens absque disruptionis periculo erumpenti fœtui cedat; quod tunc contingere potuisse mihi persuado, cum Nobilis Matrona ante validum insultum epilepticum infantis motum quendam percepisse sibi visa est; præter hæc tamen accedere debuit aliqua ipsius matris opera, excludendo fœtui facultatis uteri ope; luculentissimo ipsius Gal. testimonio 3. de Natural. Facult. 12. Cùm autem instante partu vel laxata pubis ossa sejungantur, vel Ilium à Sacro divellantur: ut censent Arabes, & Latinorum plerique vel saltem, os coccygis retrorsum cedat, quæ vulgaris est opinio, quò uteri cervici amplior pateat locus; horum nihil contingere potuit in cadavere. Ut propterea in eam concedere cogar sententiam, infantem ex corpore extinctæ matris sibi egressum moliri non potuisse nullis potissimùm ante matris obitum conspicuis partus indiciis. Minus autem verò consentaneum censeo, hoc evenisse triginta septem post horis à matris interitu, (quod temporis intervallum intercidit à matris obitu usque ad tempus partûs) tamdiu siquidem infans in cadavere conclusus superstes esse non potuisset. Cùm enim fœtus in utero matris per transpirationem, & aërem à matre inspiratum vitam ducat, omnium rectè philosophantium consensu, illa sublata per matris mortem, eum perire necesse fuit quòd vita transpiratione carere non possit, quæ sine respirationis usu superstes aliquandiu esse potest, frequenti exemplo, hystericarum præfocationum. Quæ causa est partus Cæsarei, cum extinctis prægnantibus illico secatur uterus, quò fœtus ab interitu vindicetur; exemplo Scipionis Africani, & Julii Cæsaris, atque aliorum quamplurium à Plinio, aliisque autoribus memoratorum, qui hac arte in lucem eruperunt. Statuendum itaque infantem nondum mortuâ editum fuisse. Quam quidem censeo epilepsiâ, vel apoplexiâ derepente correptam, vel uterina potiùs præfocatione; cùm potissimùm rarò admodùm epilepsia mortem inferat; imò nec apoplexia, etiam fortissima. Quâ de causâ cùm motus, & sensus expers prorsus fuerit, sublata respiratione, & sola transpiratione superstite ad vitæ usum, aliquo saltem temporis spatio existimatum fuit ab adstantibus, eam extinctam esse horâ nonâ vespertinâ. Falsò tamen, hoc potissimum indicio, quòd postridie stillavit ex ipsius ore veluti saliva, agitata scil. materia aquosa ab aëre intercluso, ob læsam respirationem, calente eadem die ejus corpore, ventre potissimum, dorso, & renibus, quanquam hoc solum vitæ signum non sufficiat, cùm à fœtus utero conclusi calore proxima membra fovente partes hæ incalescere potuerint. Cùm autem appetente partu omnibus viribus natura conniteretur fœtum excludere, dissipatis spiritibus extincta est. Utrum verò naturæ legibus editus infans superstes esse debuerit, atque à stragulis suffocatus fuerit; vel à sanguine ex utero emanante; statuendum censeo, omninò quidem vivere potuisse; primò, quia perfectus erat, & maturus; tum ratione temporis, cùm septimestres fœtus sint ferè semper vitales: tum etiam ratione disruptionis membranarum, quę nonnisi partu maturo contingit; tum & quia vegetus adeò fuit, ut accedente levissima matris ope, egressum ex utero sibi moliri potuerit; & quidem facili partu, qui utriusque vires exigit, ex Gal. Quod si superstes fuit fœtus ille partu cæsareo exclusus à Carolo Stephano de Dissectione Partium Corporis Lib. 3. Cap. 1. memoratus; qui tamen prę imbecillitate ex labore partus nul-

nullum præbuit vitæ indicium, præter solam pulsationem arteriæ umbilicalis, motus alioquin expers; nulla respiratione, aut carotidum arteriarum pulsu conspicuis; potiori longè ratione hic infans superstes esse debuit, qui moveri in utero, & extra eum vagire observatus est. Quem tamen alimenti penuriâ potius periisse gravis apud me est suspicio, quam suffocatum. Cùm enim tunc editus sit, cùm primùm vagitus ille exauditus est, die scil septima, (*fortè melius secundâ*) cùm multas horas, & fortè integrum diem alimento caruisse necesse est; ut spirituum parte aliqua dissipata, eruptione illa ex moribundæ utero; nec ejusdem calore aliquo temporis spatio satis refrigerato in corpore hystericæ matris, ac proinde languente facili negotio perire potuerit; non ipsi potissimum statim suppetente accommodato alimento. Accedit, quod suffocato facies fortè livere deprehensa fuisset, ut suffocatis contingit, qui tumere, & rubere, ac tandem livescere observantur. Ex historia insuper constat, infantem inter femora mortuæ delituisse, quorum crassities ipsum facilè à tegumentorum compressione præstare potuit incolumen neque de aliquo sanguinis profluvio, livore, aut intumescentia, aliisve signis suffocationis, quicquam memoretur. De qua tamen re nil certi pronunciare ausim sola contentus sagaci conjectura. *Benedict. Silvaticus Consil. & Resp. Medic. Cent.* iv.

Pro Illustrissimâ, ac Nobilissimâ Matronâ in eam partûs difficultatem incidente, sub quâ longiori tempore, quàm deceret, cum maximis doloribus, atque cruciatibus fœtus expellitur.

Quamquam difficilis partus sit expulsio fœtus maturi cum difficultate, nihilominus affectus est etiam, qui unam, & eandem rationem habet, quoniam sub eo (ubi jam advenerit pariendi tempus opportunum) fœtus tum ex parte modi, tum ex parte temporis non editur, prout deceret; ex parte modi, quoniam inter parturiendum cruciatus, ac dolores insoliti accedunt, ex parte verò temporis, quia tametsi tempus accesserit ipsius partus constitutum, fœtus tamen non expellitur, aut si sic, longiori tempore quàm conveniret. Cùm itaque illustrissima & nobilissima, Matrona triginta annos nata temperamenti sanguinei cum subdominio pituitæ plures liberos conceperit, atque cum difficultate peperit, certum est ex relatis, ipsam in eam partus difficultatem incidisse, sub qua tempore longiori, quàm sit conveniens, & cum doloribus, atque cruciatibus inconsuetis partus fieri solet.

Laborandum igitur mihi est circa causarum inquisitionem; Cùm ergo vicium quod communiter partus difficultas dicitur, nil aliud sit, nisi expulsio fœtus maturi difficilis, pendens ab expultrice uteri frustrata, satius, quinimmò necessarium erit vitium hoc definire per motum, qui expulsio vocatur, in motu autem hujusmodi, ex Aristotele septimo Physicorum considerantur movens expellens, mobile expulsum, atque spatium, seu via per quam expellitur; Movens interim expellens, ut unicuique satis constat, facultas est expultrix uteri, quod expellitur fœtus, spatium autem os, atque collum ejusdem uteri existit: quare causæ difficilis partus necessariò ex altero horum trium petendæ.

Profectò quantum attinet ad ipsam facultatem, certum est hanc nulla alia ratione concurrere, nisi qua instrumento accommodato, spiritu inquam, & calore innato necessariis ex Galeno quinto Aphorismo, 53. destituitur, nam fœmina ex eodem Galeno, loco citato Aphorismo. 55. in partu valde robusta esse debet, ut propterea non sit mirum, si spiritibus deficienbus, aut etiam aliò evocatis ob metum & pusillanimitatem, mulier languida, & proindè pariat difficulter.

Ex parte verò mobilis, fœtus inquam, quinque aut etiam sex existunt, quæ partum difficilem reddunt, numerus inquam, magnitudo, robur, figura, & sexus infantis, quibus & crassities, densitasque membranarum est addenda, propter quæ partum difficilem reddi posse ita unicuique perspectum esse confido, ut nullo pacto in hujus rei comprobatione sit immorandum: Atqui viæ etiam, ut dictum fuit, partum difficilem reddunt quatenus nimis, quàm deceat, sunt angustæ; possunt autem esse tales vel ex propria natura, qua sic à primo semine genitæ fuerunt, vel ex accidenti ob constipationem, coalescentiam, subsidentiam, & compressionem, ob ossa pubis firmiora secundùm compagem, & ita compressa ut intrò sint veluti gibba, ac proximè ad sacrum os accedant verum & ad vias partus, si cum difficultate fiat siccitas eorundem, atque pariet ulcus ex Avicenna referuntur.

Quibus ita se habentibus duas (quantùm ego colligere potui) ex his causis in casu nostro locum habere existimo, quarum alteram ex parte moventis, alteram ex parte spatii desumo. Prior ex eo dependet, quòd ob metum, & pusillanimitatem conceptam, occasione primi partus difficilis, spiritus, (ut de se patet) in aliam partem avocantur, ac proinde facultas uteri expellens illis destituta, languescit adeò, ut coactâ sit in expellendo frustari, quod sæpius evenire experientia quotidiana demonstrat.

Altera modò causa, quæ in spatium refertur, est quædam illius angustia pendens à siccitate partium, quas ad infantis exitum natura destinavit, nam ubi os, collumque uteri, ac pudendum ipsum tempore partus humiditate carent aquea, quæ ad tempus illud servari solet, ut partes alioqui propria conditione angustæ ab humiditate illa irrigatæ, & madefactæ relaxantur, faciliusque partus exitum admittant, fit ut eædem angustiores potiùs redditæ, partum difficilem reddant, decimoquarto de usu partium quinto, solet autem calamitas hęc fœminis accidere, quia membranæ, quibus involvitur infans nimis tenues, molles, multo ante tempus debitum ipsius partus disrumpuntur, quibus disruptis humiditas illa serosa, & quæ urinam infantis redolet, excernitur: Membranæ verò illæ tales ex semine vitioso, tenui inquam, aquoso, & frigido fieri consueverunt, sed utrum semen vitiosum sit ex parte viri, vel mulieris, in præsenti meritò dubitari potest, quoniam tamen mulier est temperamenti subpituitosi & vir (ut audio) est cacochimi valdè habitus, idcircò in ea sum sententia, ut ex parte utriusque, ut magis ex parte viri, semen culpatum existat.

Ut igitur nobilissima hæc fœmina ab hujusmodi miseria, si in eam rursus inciderit, vindicetur, & ab ea etiam imminente præservetur, agendum est ut suasionibus animetur, & constantior animo inter parturiendum fiat, partesque nimis exiccatæ humectentur, relaxenturque, ac facultas expultrix segnis reddita promoveatur, ac irritetur; & quoniam malum hoc accedit ob languorem, imbecillitatemque membranarum ipsius fœtus, studendum est ne de novo membranæ imbecilles, sed firmæ, ac densæ generentur, cùm autem languidæ, molles, tenuesque ex semine vitioso gignantur, in id potissimum incumbendum, ut seminis vitium corrigatur.

Quæ an consequi possit Medicus, non ita certum existimo, illud tamen scio, vitium propositum haud carere periculo, sæpiusque sub eo fœminas, ac infantes periclitari, in aliudque vitium incurrere, & eo magis, ubi illud contraxerit habitum ac à primis seminariis ortum duxerit, quod in casu nostro suspicandum; ut propterea non sit mirum, si Avicenna nullam ferè fœminam in partu ad quatuor dies laborantem edere

edere fœtum superstitem affirmarit; ac alii semper aliquid mali vel matri, vel infanti contingere dixerint, si mulier difficulter patiens fuerit pusillanimis, secundùm vires rectrices debilis extiterit, praveque respiraverit, sed ut dictum fuit, ruinæ quoque, quas proposuit Galenus I. ac 3. Epid. Magnus Avenzoar, necnon Albertus Magnus graviores imminent, & quoniam malum hoc originem habet à partium genitalium angustia, periculum sine dubio magis ex parte fœtus, quàm parientis impendet; Utcumque tamen danda est opera, quantum fieri potest, ut hęc omnia avertantur, quod aliqua ex parte nobilissima Matrona assequetur, ubi cum obsequentia, animi constantiam conjunxerit, quod spero futurum, speque hujusmodi concepta ad materias remediorum me confero.

Et primum de chirurgica statuo ex Hippoc. primo de morbis, mulieribus venam infernam esse secandam, quia patiens est juvenis; & sanguine repleta, quod remedii genus eo tempore est administrandum, quo fœmina nobilissima doloribus angitur; Partes item infernæ jugitęr sunt fricandę, & deligandæ, ac inter cætera curandum, ut doloribus incipientibus observet obstetrix, an os uteri sit apertum, nec ne, quia si sic, atque fœtus ad os uteri pateat, mulier, in subsellio locanda, ac ab obstetrice ea facienda dicendaque sunt quæ propria peritiâ cognoverit necessaria. At si partes uteri angustæ maneant, & sponte non dilatantur, obstetrix manibus inunctis oleo amygdalino dulci, seu liliacco eas aperire, ac sensim dilatare tentabit. Cæterum ad præservationem, ut corpus ab humiditatibus excrementitiis immune servetur, & vitiosi seminis generatio cohibeatur, cauteria in femoribus inusta mihi magnoperè placent.

Pharmaca alia sunt curatoria, alia pręservatoria, curatoria vel facultatem sopitam excitant vel impedimenta removent, communiter autem partum facilitantia, & dolores concitantia dicuntur: Quę facultatem irritant, si intus assumantur, plura esse possunt, inter cœtera verò hæc mihi probantur. Primum paratur ex pulvere boracis mineralis, corticum cassiæ fistularis, cinnamomi, & croci cum aqua Artemisiæ dato; Alterum ex theriaca Diatesseron, fructibus sabinæ pulveratis, cum syrupo de Artemisia in bolum exceptis, quibus addo trociscos de mirrha cum pulvere cinnamomi, & croci in lixivio dulci exhibitos, & si ab his medicamentis dolores non promoveantur laudo potùm aquæ tepidæ cum melle crudo. Exterius in hunc finem convenit cataplasma ex Artemisia, & satureia in vino Cretico coctis, ac imò ventri adhibitis, adjecta pulpa colocyntidis, linimentum quoque pro pectine, dorso, & locis interfœmineis videtur maxime conveniens, paratur autem ex succo colocyntidis, rutæ, felle thauri, ac oleo cheirino, pessus pariter ex lana molli efformatus, ac therebintina illitus adjecto pulvere Artemisiæ, rutę silvestris, & Dauci, necnon opoponace, ac mirrhæ solet esse plurimum efficax sicuti & suffitus ex resina pini, aut cortice pini. Huc etiam referenda sunt aliqua, quæ à proprietate indita operantur, inter quę seligo corrigiam ex pelle cervi Illustrissimę patienti cinctam, lapidem Aetitem à brachio ad femur tempore pariendi translatum, lapidem pyritem sinistra manu gestatum; sed & cinis quòque ungulæ asini, vel equi partibus infernis illitus ad idem valet, in quem usum assumitur, & pulvis castraturæ, scrophæ, vel testiculorum equi siccatorum ex aqua matricariæ.

Ad impedimentorum remotionem faciunt quæ angustiæ, ac siccitati viarum partus prospiciunt, quę tum interna sunt, tum externa, atque omnia hæc tempore partus usurpanda; In genere internorum probo ego oleum amygdalinum dulce recens, cum decocto cicerum rubeorum, vel faseolorum, adjecto nonnihil amygdalini amari, gratiâ detersionis; ita valet fotus pudendi, ossis sacri, & ventris inferioris ex spongia madefacta in aqua ranarum, vel decocto malvarum, alteæ, meliloti, fœnugręci, sem. lini, foliorum lauri, lavendulæ, & calamintę, à quô illiniendæ sunt partes oleo communi, vel amygdalino, aut liliaceo mixto cum pinguedine gallinę, & mucilagine alteæ.

Postremò medicamenta occurrunt præservatoria ante, & post conceptum, quę ante conceptum in id referuntur omnia, ut semen coctum, & crassum gignatur. Ideò habita totius providentia cum viro, & fœmina illustrissimis, per ea quę succum pituitosum detrahunt, studendum ut calor vigoretur, & semen optimum, copiosumque gignatur: Pro calore vigorando præter utramque magnam Antidotum, thermas calidas, jus columbi turrialis cum ligno sassafras medicatum, laudo quoque ut in uterum injiciatur oleum de cherna, vel expressum nucis myristicę in vino Cretico dissolutum, atque eadem abdomini lumbisque adhibeantur, quibus partibus in viro Illustrissimo necnon etiam testibus illa sunt admovenda; sed & insessus ex iisdem thermis maximè conveniens, utriusque reputatur: Post hæc usum confectionis Diasatirionis, atque vini Cretici cum succo à pineis expresso non tantùm assumptorum, verùm & admotorum probo.

At medicamenta, quæ tempore conceptus per viginti quinque dies ante partum conveniunt, sunt, quorum usus intus, & extra est oportunus. Intus expertam habeo aquam florum sambuci ad uncias octo cum saccharo datam, sicuti oleum amygd. dulce ex jure assumptum conservamque florum malvæ; Extra convenit balneum, insessus, & fotus ex aqua dulci decoctionis simplicium emollientium, lavendulę, & foliorum lauri, à quo os sacrum pecten, locaque muliebria unguento ex mucilaginibus alteę, sem. lini, ex pinguedinibus, oleo amygd. dulci, & liliaceo cum cera exceptis inungenda.

Ipsius victus quoque maxima est habenda ratio, idcirco ante partum omnino curandum, ut mulier nobilissima in aëre paulo calidiori, vel saltem temperatiori vivat, ut cibis laxantibus, minimè autem adstringentibus vescatur; Carnes ideo pingues, jura pinguia, butyrum, oleum, passulæ, caricæ, malva, lapatum, beta, ac hujusmodi erunt opifera; vinum bibat moderatum, & subdulce, somnus vigiliam excedat, & alvus mollis asservetur clysteribus potissimum emollientibus vel juribus pinguibus, tum maximè cum oleo amygdalino dulci recenti ante prandium assumptis. Coitus etsi aliquando conducere videatur, quoniam tamen fœtui noxius est, idcirco dimittendus; Corpus ambulationibus, at præsertim ascendendo, descendendoque factis exercendum; atque imprimis, & ante omnia curandum ut maxima animi fœmina illustrissima fruatur quiete, præcipuè verò ab ira, timore, ac mœstitiâ caveat.

Verum enimvero prędictus aer tempore etiam partûs videtur oportunus, quod si vires patientis nimium exolvat, permutandus est ad frigidum, cibusque hoc eodem tempore debet esse euchimus, facilis concoctu, quantitateque modicus; quocirca panis coctus in jure pingui ferè consumpto, ova sorbilia, succus carnis, distillatum, carnesque avium quàm maximè conveniunt Et si vires ob aerem calidiorem dejiciantur prędicta succo mali punici, cydonii, & arancii condiri poterunt, quo in casu panis bucella vino, cui aliquid succi prędicti sit immixtum, imbuta; est offerenda; Potus vini sit odorati, & eo tempore, quo Matrix hiare incipit, ab omni potu est abstinendum, somnus haud est concedendus nisi vires collabantur, Ac antequam os uteri aperietur, doloribus affligentibus, mulier nobilissima deambulando modò adscendere, modò descendere debet, dein stare, post assurgere, ac denuo

nuo quiescere, & ita vicissim modò quieti, modò motui sese tradere, ut ligamenta disrumpantur, infanti facilior exitus præparetur, & ubi os uteri hiat, sicuti in sella locanda, & non amplius movenda est, ita vociferare, singultire, eructare, & cum labore vomitum edere, sternutareque ex quinto Aphorismo, 35. debet; propterea in his ipsis eam juvare licebit, atque etiam hortari, ut spiritum cohibendo inferiùs uterum, ac fœtum impellat; ad hæc ubi mulier nobilissima timido, ac pusillo animo fuerit, Medicus, & obstetrix suasionibus spem, ac animum ipsi addere, ipsamque consolari tenentur, quocircà Medicum prudentissimum obstetricemque sedulam esse oportet, ut ea etiam in hujusmodi casibus desideretur, quæ sæpius ipsa pepererit.

Cœterùm si victus ratio ad virum nobilissimum referatur, non est difficile ex dictis intelligere, totam eo dirigendam, ut boni succi in corpore gignantur, ac omnis occasio cruditatis auferatur; his enim omnibus, D. O. M. auxiliante, spero futurum illustrissimam, ac nobilissimam fœminam in similem, de qua nunc conqueritur calamitatem, in posterum aut non casuram, aut certè minori longè cum molestia. *Julius Cæsar Claudinus in Consultation. Medic.*

Partus Cæsareus.

Nobilissima Juvenis, annum 20. agens, temperamenti calidi & humidi, capitis pariter humidioris, orthopnoicis accessionibus, potissimum circa temporum mutationes, obnoxia, anno elapso viro juncta, ita ipsius persuadente Medico, concepit, & tertio uteri gestationis mense ortphopnœâ correpta fuit quæ tribus integris perduravit diebus de more, solito tamen intensior, adeò ut vix à suffocatione liberari potuerit. Modò, ineunte autumnali tempore, nonus à conceptione agitur mensis, cùm hesterna die accessio eadem violentissima recruduit; quæ, nihil proficientibus medicamentis laxantibus, revellentibus, divertentibus, miseram juvenem propè ad suffocationem duxit; quod periculum cùm à nobis in procinctu & imminens videretur, narium enim pinnas movet, & pulsus, qui inæqualis & inordinatus, mox tardus & deficiens, tandem creber & languidus factus est, accedentibus stertore & impedita prorsus deglutitione; quæritur à parentibus quid Puero adhucnum vitali existente, agendum sit.

Non desunt Medicorum plerique, qui omnes, virginibus nobilibus affectus contingentes, utero imputent, & hystericos existiment; cùm tamen aliqui à coitu: alii, & ab eodem, & à ventris tumore in gravidis augmentum non leve suscipiant; ut præsenti nostræ Nobil. Patienti contigisse pro certo habendum est. Etenim difficultas spirandi à catarrhali materia, ab humidiori capite ad bronchia pulmonum delabente, & angustiam inducente, proveniens, incrementum suscepit ex compressione septi à ventre tumido; & ideo accessio tertio gravidationis mense ingruens, solito vehementior fuit; sicuti, quæ demum præsenti autumno repetiit, nono mense, prætumido ventre, vehementissima & exitialis existimatur, cùm remediis nullo modo cedat, solis tribus alioquin diebus durans, præsentibus imminentis suffocationis signis. Primò enim pinnas narium movet, quod in sublimi spiritu contingere solet; sed pręterea inæqualis & inordinatus fuit pulsus, acutæ primò orthopnœæ: tardus item & deficiens, ejusdem acutissimæ indicio; qui modò creber & languidus mortem præ foribus prænunciat, cùm arteriam attollere non possit facultas. Immerito ergo concludendum, quod puero servando omnia sint agenda. In quo casu partus Cæsareus dubio procul in usum revocandus.

Qui in tribus administrari solet. Primus, cùm fœtus mortuus est & mater vivit. Secundus, cùm mater mortua est & fœtus vivit. Tertius cùm fœtus & mater vivunt. Duo posteriores Cæsarei dicuntur, ab utero cæso; in primo verò sectio rarò instituitur, sed vel medicamentis, vel manu extrahitur fœtus, vel naturæ opus relinquitur. De sectione in secundo casu feliciter secuta, variæ extant historiæ. Sic enim ab utero extractus fuit Scipio Africanus prior. Ita primus Cæsar à cæso matris utero dictus fuit. Manlius item, Carthaginem cum exercitu ingressus. Sic Sanctius Rex Navarræ. Sic Villica quædam, cùm ob ulcus uteri parere non potuisset, viginti sine cibo & potu perstitit, & ex eadem mortua extractus fuit fœtus ad Sacrum Fontem, Fortunatus vocatus. De sectione in tertio, licet periculosissima, plurimas historias refert Franciscus Roussetus quatuor ab aliis relatas, sex à se ipso observatas, in quibus superstites ambo fuerunt, Mater scil. & fœtus. Noster autem Partus Cæsareus secundus est, in quo sectio hoc ordine est instituenda.

Matre extremum spiritum trahente, virgula, aut aliquid inter dentes intrudatur, & obstetrix nunquam ab osculo vulvæ manum moveat, ne fœtus in utero suffocetur; gaudet enim infans animâ propriâ, & perfectus sine Matris beneficio vivere potest, quidquid dicat Rodericus à Castro, quod scilicet motu & vita puerperæ cessante cesset etiam vita infantis. Hinc diducta conservet Mulieris femora, & ultimo exhalante spiritu confestim ad lateris partem, per sinistrum Mulieris hypochondrium, circa uteri eminentiam, linea cultro rasorio leviter ducenda, non tamen usque adeo profunda, sed ad Peritonæum solum; inde admovenda novacula, & summa tantùm cuspide incidendum, ad digitos sinistrę manus intromittendos, quibus aliquantulum sursum peritonæum attollitur, ut dextera manu insinuetur novacula, ad ejusdem quod elevatum est incidendum, secundùm vulneris longitudinem, atque ut tota manus intrò devolvi possit, usque ad uterum; tunc verò intestina paulatim sursum attollenda, ita ut non delabantur eademque manu, vulnus superius diducendum & ampliandum, ut uteri prominentia omninò in conspectum veniat, mox sinistra manu intus relicta, ut vulnus apertum conservet: dextera, novacula utero admota, hic secandus, prima quidem vice ad digiti crassitiem, paulatim postea pervadendo, ut integrè pertundatur, & aperiatur quousque ad secundinam ventum sit, quę dignosci poterit ex venarum confusa multitudine. Hæc pariter novaculæ cuspide aperienda, & digitis intromissis laceranda, ac aquosa excrementa; excernenda mox dextera manus in profundum sensim demittenda & demergenda atque extensis digitis integer fœtus comprehendendus, sinistra manu labiis matricis diductis & elevatis, ne concidant. Fœtus autem ipse sensim ac leviter ita abducendus, ut ejus spina toti volæ manus extensæ incumbat: non sine magno quippe periculo ejusdem caput, thorax, venter, pes, aut manus apprehendi possent. Quod si caput infra devolutum esset, extensis digitis paulò ulterius, digiti ipsi ad humeros nonnihil incurventur, ut faciliùs apprehendi possit. At si caput sursum vergat, extremi digiti sub natibus, & osse sacro commodè firmentur; inde sursum, paulatim sublata cum fœtu manu dextera, sinistra quoque in auxilium exporrigatur, ut fœtus ipse supinus educatur, atque se exerat. *Raymund. Joh. Fortis Tractatu de Morbis Mulierum, primo Consiliorum Medicorum Tomo adjuncto*

Observationes:

De Extractione fœtus mortui, Exempl. singulare.

Quòd odiosi & ingrati sint Medici parturientibus, & puerperis nostris, nisi summa adfuerit necessitas, fit ut multæ miserrimè pereant, quæ tamen servari possent, si artis peritos in consilium adhiberent, facit id obstetricum ignorantia, & rusticitas, dum prægnantibus persuadent, Medico ignota esse, quæ circa parturientes & puerperas occurrunt. Inde fiat, ut Medici operationem hanc, omnium præstantissimam, & necessariam, extractionem videlicet fœtus mortui, negligant. Non solùm autem de nostris loquor, per totam enim Germaniam, proh dolor, paucissimi reperiuntur Medici, qui hanc operationem exercent. Multi verò qui ipsam contemnunt, quasi contra decorem ac honestatem esset, Medicum, qui partium genitalium totiusque negotii (quæ omnia obstetricem latent) cognitionem habet, tractare muliebria, & afflictissimas parturientes ex tantis angustiis, imò & ex ipsis faucibus Orci liberare. De hujus operationis præstantia addo hîc exemplum, recentissimum. Matrona quædam nobilis, & uxor cujusdam ex primariis hujus urbis, cùm nono esset gravida, & constitutum tempus gestationis absolvisset, parturientium doloribus correpta fuit. Vocatur obstetrix, quæ quidem illam, quam potuit, adhibuit, diligentiam, sed frustra. Supra modum adauctis doloribus & conatibus ad parturiendum, uxor mea quoque accersita fuit, antea enim, Divinâ adspirante gratiâ, ipsam ab obstetricibus veluti derelictam, bis à fœtu mortuo liberaverat uxor mea, sed manu tantùm, & sine instrumentis, quod hac vice fieri non potuit. Porrò, cùm fœtum mirando quodam modo in globum involutum esse, & caput osse ilei sinistri incumbere animadverteret, astantibus significavit, partum præter modum difficilem fore, neque infantem vivum eniti posse, prædixit.

Quapropter jussit ut cordialia exhiberentur, Epithemata carpis applicarentur, venter, genitalia, & adjacentes partes oleis emollientibus, & relaxantibus, inungeretur, & sacculus emolliens ventri applicaretur, quæ quidem administrata fuerunt, sed frustrà, Dolores enim & conatus magisque augebantur, ita ut vasa umbilicalia extra uterum propellerentur, & fœtus extinctus fuerit. Tum & ego advocatus fui. Vix credibile est, in quantis doloribus & cruciatibus ipsam invenerim, & ita quidem, ut junctis elevatisque manibus, sine intermissione me rogaret exclamando, ut Cæsareâ sectione ipsam ex tantis angustiis & doloribus liberare vellem, & sunt hæc ipsius verba, *Mein lieber Herr Fabrici, schneidet mir den Bauch auff, damit ich dieses Schmertzens mœge erlœss vverden.* Taceo, & quid maritus, & adstantes matronæ, quibus consilia Medicorum apud parturientes & puerperas, odiosa esse consueverunt, dicturæ sint, expecto: Obmutescunt omnes: illa verò magis magisque exclamat: seca, seca, mi Dn. Fabrici, & ocyus me ex tantis angustiis libera. Quum verò sectionem illam, ut periculosam, neque in hoc subjecto necessariam, rejicerem, & methodum meam extrahendi fœtum mortuum proponerem, statim & ipsa ægra, maritus, & adstantes omnes exclamant, adhibe, quæ adhibenda, & tenta, quæ tentanda, ut hujus miseriæ finem videre possimus. Uxor itaque mea, ut quæ operationem hanc, Lausannæ, Paterniaci & alibi multoties administravetat, me adstante, operationem aggreditur, iterumque prædictas partes inungit, sacculumque calidum applicat: Postea ea qua fieri potuit diligentiâ, attracto capite, ostium uteri versus: hamulum vertici adaptat: quibus omnibus Deus ita benedixit, ut intra dimidiæ horæ spatium à fœtu, simul & à secundina, maximâ cum adstantium admiratione, qui nunquam de hac operatione audiverant, feliciter liberata fuerit, Vigesima videlicet novâ Aprilis hujus anni. Post operationem omnia tam bene ad votum successerunt, ut brevi in integrum restituta, & perfectè sanata fuerit. Laus sit Deo Opt. Max. in secula seculorum.

Fœtus in globum adeò contortus & intricatus fuit, ut ejus situm describere non possim. Totum præterea corpus, imò & facies ipsa (quod in aliis nunquam observavi) limo quodam glutinoso ac spisso, cineritii coloris, coopertum erat. *Gulielmus Fabricius Hildanus Observation. Chirurgicar. Cent.* 4.

De mirandô quôdam situ fœtûs in uterô, unde difficillimus partus.

Honesta quædam matrona Bernensis, *Elisabet Wagner* nomine, uxor Jacobi Schmid, cùm secundò esset gravida, & superiori Autumno, propter fœtum mortuum, maturum tamen, in octavum diem, doloris parturientum supra modum excruciata, tandemque ab ostetricibus pro deplorata derelicta fuisset, ut uxor mea in consilium & auxilium vocaretur, adstantes rogavit; Illa cùm circa quartam pomeridianam ad ægram venisset, præter modum ipsam debilem invenit. Conatus ad partum perexigui aderant; Febri torquebatur ardentissima: idque propter doloris vehementiam, ac diuturnitatem, vigiliasque, & quòd potiunculas aliquas ad expellendum fœtum, ex rebus calidis confectas sumpserat, vinoque generoso, ut hîc moris est, usa fuerat; aqua, quæ fœtum comitari solet, ab initio effluxerat, quapropter genitalia adeò erant arida, sicca & clausa, ut vix ingressum duorum digitorum admitterent.

Negotium autem hoc modo aggressa est: Loco vini lac amygdalarum exibuit, & quidem in copia, Alvum, quæ constricta erat, Enemate subduxit, Ad vires refocillandas, ex aquis cordialibus, & confectione Alkermes propinat: carpisque epithemata applicuit, totum ventrem, coxas, lumbos, os sacrum, & genitalia, oleis & pinguedinibus anodynis, emollientibus & relaxantibus, inunxit, sacculumque triangularem emollientem, & relaxantem, ejus magnitudinis, ut infimum ventrem & interfeminium cooperiret, calidè applicuit. His per horas aliquot adhibitis remediis, cùm inunctâ manu situm fœtus explorare vellet, vix apices digitorum in uteri ostium intrudere potuit; Adeò clausum erat, adeoque fœtus, propter præcedentes conatus, versus os pubis & genitalia depressus fuit. Tandem cùm summo cum labore & industria, genitalia aliquantum dilatata fuissent, digitosque ulterius immisisset, lumbos, manumque dextram fœtus sese ante ostium offerre reperit, ut itaque inversum ac monstrosum situm illum fœtus corrigere, & caput, aut pedes ostium versus adducere posset, omnem quidem adhibuit diligentiam, sed frustra, tam angusta & contracta erant genitalia. Ab incepto tamen opere cùm desistere nollet, sed operando, & auxilium opemque divinam implorando strenue progrederetur, & parturientem quotiescunque consultum ac necesse videbatur, ad labores reduceret, tandem & quidem ante duodecimam noctis, singulari misericordiâ ac clementiâ Dei maxima cum admiratione adstantium, feliciter ac miraculosè liberata, fuit. Miraculosè inquam, fœtus enim, ut post partum apparuit, mirando quodam modo, hunc in modum involutus erat: caput & collum sub brachio dextro versus coxam dextram ita reflexum fuit, ut facies inter nates collocata esset; adeò dorsum collumque erat pro-

prolongatum, manus dextra regioni renis ſiniſtri, ſiniſtra verò manus, genu ejuſdem lateris incumbebat; Tibia dextra ſiniſtræ decuſſatim in formam X incumbebat, & ambæ verſus pectus reflexæ erant. *Idem ibid.*

De Matronâ quâdam Burgundâ, cui Annô milleſimô ſexcenteſimô nonô, fœtus putridus per umbilicum exciſus fuit, operâ & diligentiâ Johannis Marchandeti. Chirurgi Salinenſis.

Si verùm eſt, candide Lector, quod Cicero libro 1. officiorum ex Platone prodidit, his verbis: Non ſolùm nobis nati ſumus, ortuſque noſtri partem Patria vendicat, partem parentes, partem amici, atque (ut placet Stoicis) quæ in terris gignuntur ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum causâ eſſe genitos, ut ipſi inter ſe aliis aliis prodeſſe poſſent. Hæc, inquam ſi vera ſunt, profectò, ut unuſquiſque noſtrum, quæcunque rara & obſervatione digna in arte Medica occurrunt, conſcribat, & poſteritati relinquat, rationi conſentaneum eſſe mihi videtur.

Quum igitur perpenderem divini Hippocratis dictum, Aphoriſmo primo, libri primi: Vitam videlicet hominis eſſe brevem, artem verò longam, item ea, quæ à Plinio in Prœmio libri 7. traduntur: nimirum Hominem nihil ſcire, ſine doctrina, non fari, non ingredi, non veſci, breviter non aliud natura ſponte quam flere. Non abs re fore mihi viſum eſt, ſi ea, quæ in curatione cujuſdam ruſticæ mulieris obſervavi rata & annotatione digna, publici juris facerem: Idque eam præcipuè ob cauſam, quod per hujuſmodi rara, & admiranda, ad laudandum Deum conditorem omnium rerum, ejuſque nomen celebrandum; opera verò naturæ (quæ ut ſe conſervet, ſemper eſt ſolicita) ſtupenda invitamur.

Natura porrò, quantumvis cum ratione non operetur: neque in ſuis affectibus, & actionibus utatur judicio, nihilominus tamen urgente neceſſitate, & quidem in maximis, & præſentiſſimis periculis, media occulta, & nobis incognitas vias. (quarum Medicus, quantumvis eruditus, rationem reddere non poteſt) ut ſeſe conſervet, excogitat, invenitque. Per quos quæſo ductus, & vias manifeſtas, pituita illa inter ventriculum & diaphragma incluſa atque contenta, necnon dolores acerbiſſimos excitans, fluit? nihilominus tamen Hippocratem illam notaſſe, atque obſervaſſe, certum eſt, ſic enim ſcribit l. 7. Aphoriſmo 54. Quibus inter ventriculum & ſeptum tranſverſum pituita repoſita eſt, & dolorem adfert, non habens exitum neque ad alterum ventrem: his per venas ad veſicam pituita verſa ſolvitur morbus. Addo inſuper providentiam naturę in magnis & periculoſis affectibus, tam magnam eſſe ut ne oſſa quidem, quantumvis duriſſima denſa & ſpiſſa, excludat. Legimus enim apud Hipp. duobus in locis nimirum epidemiorum lib. 2. & lib. 6. abſceſſus etiam fieri in ipſis oſſibus: hinc naturam optimum eſſe Medicum, Hippocrates ſectione quinta libri ſexti Epidemiorum ingenuè faſſus eſt. Hujus quoque ſententiæ fuiſſe Galenum ex libro 6. de locis affectis & alibi apud ipſum videre licet. Naturam itaque in ſuis operationibus admirandam eſſe, amplius in controverſiam vocari non poteſt; quotidiana enim exempla fidem faciunt. Albucaſis inter Arabes Medicus & Chirurgus excellens, lib. 2. cap. 76. hiſtoriam ab illa, quàm mox ſubjungemus, non multùm diſſimilem recitat, his verbis.

Vidi ego mulierem, in cujus ventre mortuus erat fœtus, & nihilominus imprægnata, poſtea mortuus fœtus etiam ſecundò conceptus. Accidit ergo ei poſt tempus longum, apoſtema in umbilico ſuo, & inflatum eſt, donec apertum cœpit emittere pus; vocatus ſum ego ad curationem, ejus & medicatus ſum ei tempore longo: & non conſolidatum eſt vulnus. Poſui ergo ſuper ipſum ex quibuſdam Emplaſtris fortis attractionis, & exivit ex loco os: deinde poſt dies aliquot exivit & aliud os, miratus ſum ergo, cùm in ventre non ſit os. Cauſam diligenter expendens, & mecum per omnia putans, deprehendi, quod erant ex oſſibus fœtus mortui. Cauſa itaque morbi certò cognita, medendique rationem hinc conſecutus, extraxi oſſa multa, muliere exiſtente in melioribus diſpoſitionibus & diu poſtea vixit mulier illa: ex ulcere autem ſemper puris nonnihil fluxit. Hactenus Albucaſis.

Alexander Benedictus, Veronenſis Medicus & Philoſophus multis nominibus clariſſimus, lib. 25. cap. 35. ſimilem hiſtoriam raram & admirandam recitat, hunc in modum. Mirum obiter naturæ exemplum referam, cujuſdam Venetæ matronæ quæ cùm partum legitimum excluſiſſet, alter incluſus intra ventrem manſit mortuus, qui in magnis puerperæ difficultatibus tabefactus, fluore quodam profluit, ex naturalibus oris; demum ortis in ventre tribus fiſtulis, ex una quæ omnium maxima erat, integra infantis calvaria extracta eſt, cunctis mirantibus: deinde ſingulis diebus reliqua oſſa deſumpta ſunt. Unde mirabili naturæ ope ſanitati reſtituta eſt. Hactenus Alexander Benedictus.

Porrò ſequens hiſtoria præcedentibus non minùs rara, quàm admiratione digna eſt. Caſum enim graviſſimum de quâdam matronâ, Joahanna Barbet nomine, Barbet nomine, 45. circiter annorum ætatis, Anatolii Boutonis in vico Pagnoz dicto, habitantis uxore, continet. Eſt autem matrona illa corpore robuſta, optimè temperata, hilaris, ſed inprimis in omnibus ſuis actionibus operoſiſſima, actuoſiſſimaque. Ex hac autem hiſtoria, ſymptoma, cujus poſtea fiet mentio, etiam abſque ſuperfœtatione, & gemellis, accidere poſſe, ſatis ſuperque apparet. Hæc autem quum 11. utero geſtaſſet, conſtituto quin etiam tempore ſemper feliciter peperiſſet, & jam 12. partus excludendus eſſet, res multò aliter ſucceſſit. Cùm enim ad ſtatutum tempus perveniſſet, & felicem partum exſpectaret, dolores infinitos maximoſque & conatus ad parturiendum irritos ſuſtinuit. Fœtus enim ad partum paratus, in uterô veluti intricatus & ita incluſus, remanſit, ut amplius ſeſe non moveret, neque ſe vivere, ſignum ullum ederet. Id ad infinita ſymptomata atque incommoda excitanda ſufficiens erat. Si enim ex ſola retentione ſecundinæ febris ardens & continua, ſpaſmus, ſyncope, aliaque graviſſima ſymptomata, tandemque mors ipſa ſequuntur, nonne multò magis ex fœtû mortuô & in uterô retentô, illa omnia provenire potuiſſent? Verùm aliis hanc rem dijudicandam relinquo, & quæ prætetea acciderunt paucis ſignificabo.

Ab ipsâ itaque decimâ quintâ Junii Anni 1608. quâ die primò partûs doloribus correpta fuit uſque ad ultimam Octobris Anni 1609. (menſes circiter ſedecim cùm dimidiô faciunt) quum continuis, maximiſque atque inauditis doloribus, conatû & tormentis defatigaretur, tumor ingens è regione umbilici paulatim exortus eſt. Ego primâ Novembris ejuſdem anni ad curationem accerſitus, jam cutem aliquomodo naturę beneficio contaminatam, & ratione oſſis ſcapulæ (quod ſibi exitum parabat) exulceratam eſſe, reperi. Quum verò naturæ opem ferre neceſſe eſſet, cutem ex ſiniſtra parte umbilici, ad longitudinem quatuor digitorum in tranſverſum poſitorum incidi, donec fœtum adeô corruptum, putridumque invenirem, ut aliquibus in locis nihil præter oſſa eaque carne denudata ſupereſſet: Quæ potiùs ſceleton, quàm quicquam aliud repræſentabat. Inde ſatis perſpicuum eſt, partes molles item inteſtina, omniaque viſcera interna, paulatim in pus converſa, per pudenda effluxiſſe. Quandoqui-

doquidem nihil carnis repertum fuit, prætcrquàm quòd manus, brachia, pedes & crura, musculis nonnullis, sed lividis, semiputridis, fœtidissimisque investita essent. Incisione, uti dictum, factâ, os scapulæ, quod primò sese obtulerat, carne denudatum, siccum & ab ipsô humerô separatum, extraxit. Postea de die in diem, ut reliqua ossa, unum post alterum extraherem, omnem diligentiam adhibui. Intra Octiduum itaque truncum fœtus, qui nondum membranis, quantumvis putridis, omnino destitutus erat, extraxi. Quum verò ulteriùs progrederer, cranium, pericranio denudatum reperi: Quod cùm extrahere vellem in partes quinque aux sex disjunctum erat. Vertebræ omnes tam colli, quàm metaphreni & lumborum, carne & ligamentis denudatæ, omnesque separatæ confusè inveniebantur, uti quoque costæ & sternum. Demum neque brachia, neque tibiæ hujus putredinis expertes erant. In istis tamen partibus nondum ad ossa penetraverat corruptio illa; ita ut adhuc carne, quamvis semiputrida, investitæ essent, & trunco corporis adhærerent. Quapropter cùm aliter illas extrahere non possem, minutari illas ut inciderem, necesse fuit. Sicque extractioni fœtus finem imposui.

Post extractionem, quum ex ossibus, quę extraxeram, nihil amplius præternaturale respectû ossium, in corpore superesse, cognovissem, partibus à fœtu mirum in modum dilaceratis, veluti matrici, peritonæo, musculis epigastrii prospiciendum esse duxi. Primò itaq; ulcus illud profundum, ut convenientibus remediis, veluti injectionibus abstergentibus & desiccantibus putredini resistentibus ablueretur, necesse esse, mihi videbatur. Ab initiô itaque, quamdiu putredinem adesse sentiebam, prædictis medicamentis maximô cum fructû usus sum. Eorum porrò beneficio ablata putredine, ad sarcotica perveni; Tandemque cicatricem induxi: Idque intra paucos dies tam feliciter factum fuit, ut ægra, per singularem misericordiam atque clementiam Dei integram valetudinem recuperaverit, optimèque hucusque valeat.

Hinc, Lector candide, quàm diligens sit natura ad individui conservationem, perspicuum fit. Et quamvis numquam ab artifice edocta fuerit, nihilominus tamen, oblata occasione, maximô utitur artificiô: media quinetiam infinita, quibus ex maximis & gravissimis periculis sese extricare possit, excogitat atque invenit. Præcipuè autem si aliquô modô, artificio Medici, (qui minister est naturæ, illamque imitari debet) refocillata atque conservata fuerit. Et quantò periculosior, qui ipsam infestat morbus, sese exhibet, tantò magis quoque insurgit, operationes quinetiam curationesque admirandas facit.

Præcedentis Curationis & sanationis testimonii, à Magistratû concessi summa.

Nos, major Capitaneus, Beuleuta, Senatusque civitatis Salinensis, omnibus notum facimus, supplicem coram nobis comparuisse, honorabilem virum, Johannem Marchandetum, unum ex nostris Chirurgis, exponentem, se ante paucos dies mulierem gravidam, ex vicô Pagnoz dictô, prope Salinam civitatem, ad duo miliaria tractasse; Quæ cùm statutô tempore infantem non pareret, spaciô viginti quinque mensium cum dimidiô ipsum in uterô gestasse. Tandem verò (quum per viam naturalem ipsum excludere non posset) ad umbilicum mulieris incisionem se fecisse, & per eam membra, officulaq, infantis extraxisse.

Idque tali cùm successû, ut in præsentiâ, per singularem Dei misericordiam, eò usque sanitati restituta sit fœmina illa, ut partim hîc Salinæ, partim etiam alibi eô, quò antequam prædictô morbô laboraret, modò cum omnibus denuò conversari possit.

Nos itaque ut hujus rei veritatem exploraremus, Virum Nobilem Danielem Romanet J. U. Doctorem, & hujus civitatis Beuleutam, Honorabilem item Dn. Philippum Pernet, Syndicum constituimus, quibus hoc negotium committeremus, idque in eum finem, ut in omnia, quæ in prædictô scriptô continentur sollicitè studioseque inquireretur, nobisque rei veritatem referrent, exponerentque. Facto itaque debito examine, ea omnia quæ acciderant, nobis fideliter retulerunt, uti & clarissimi atque doctissimi Viri Dn. Quanteal, & Dom. Mathon, Medicinæ Doctores, & hujus civitatis Senatores, hujus rei locupletissimi testes esse possunt, quibus supplicatio prædicti Marchandeti, ut & copia examinis exhibita fuit: Testamur itaque quæ in præcedenti scriptô recensentur, vera esse omnia. In testimonium rei verissimæ, hoc nostrum testimonium ut à Secretario nostro subsignaretur, & sigillum nostrum apponeretur, constituimus. Actum quartâ die mense Novembris. Anno millesimo sexcentesimo decimo.

Reviderunt.

PERNET Syndicus

D. ROMANET

Subscripsit GRENIER Secretarius.

Hæc ex eôdem Gulielmô Fabriciô Hildanô. Responsione scilicet ad Michaelem Doringium.

Aliæ similes historiæ.

Rara profectò, imò & verè admiranda præcedens est historia; & meo quidem judicio, verè digna, quæ etiam posteris innotescat. Addam & ejusdem argumenti duas, ex Diomenis Cornarii, Serenissimi Principis Maximiliani Archiducis Austriæ, &c. olim Medici, multis nominibus clarissimi, observationibus Medicis, idque in eum finem, ut hujusmodi exemplis & operationibus rarissimis admonerem Chirurgos, ne ab ejusmodi operationibus, quantumvis gravissimis, manus penitus abstrahant; sed invocato semper ante omnia nomine Domini, potiùs aliquid cum periculo tentent, quàm ægrum in evidentissimo mortis periculo relinquant. Sic autem habet historia prima, quę apud Cornarium VI. est in ordine, Marcellus Donatus lib. 4. c. 22. eandem uti & aliis ejusdem argumenti habet historias.

Anno Christi 1545. quædam concivis Viennensis, nomine Margareta, filia Wolfgangi Karlinger civis Viennensis, uxor verò Georgii Volczer, hospitis eò tempore ad ædes rubri cancri appellatas Viennæ; postquam antea quoque enixa esset aliquot liberos, concepit annô ætatis suæ vigesimô quintô, omnia denique habuit signa felicis imprægnationis, fœtum insuper temporis progressû sensit. Ante festum D. Bartholomæi eôdem annô valentem, & strenuè sese moventem, usque ad festum D. Luciæ sacrum. Quô sanè illi tempore supervenerunt partûs dolores, adeò vehementes, ut antea experta jam sæpiùs ipsa jamjam se crederet enixuram. Statim igitur advocari jussit matrem, & unam ex suis sororibus, acciri etiam obstetricem confestim præcipit. Quæ cùm advenisset, statim re animadversa, jussit omnia ad manus esse parturienti necessaria; hæc verba adjiciens: statim, Deo volente, puellum habebimus, & quemadmodum postea eventus comprobavit, vera vates extitit. Interea prægnans in sede parturientium consedit, & quum constanter admodum à circumstantibus admoneretur, urgeretur etiam ab obstetrice, omnibus nisibus elaboravit ad parturiendum, in quibus heu nimium vehementibus conatibus fragor quidam increpuit satis sonorus; quique non temere argueret magnam vim, vel fœtui, vel matri illatam fuisse, vel certè conquassatum infantis caput in partes discessisse. Ab eo fragore

fragore vivacitas fœtus deprehendi ampliùs nullis argumentis potuit.

Gravida inde majorem in modum cœpit ægrotare, ac propterea in lectulum suum reducta & reposita est. Interim lac accurrens, quod parturientibus usu venit, ubertim ubera replevit, adeò ut stillatim etiam à pupillis gliscentibus colostra defflueret spectantibus multis & iis honestis ac prudentibus mulieribus: quæ dies noctesque assistentes præstolabantur felicem partum.

Dum verò res ita protraheretur, semperque major difficultas, minor verò spes elucesceret, deliberatum est ab omnibus, quæ tum præsto erant, & itum in eam sententiam, ut plures obstetrices accerserentur in rem præsentem, aliquod ferè salubrius allaturæ consilium.

Sed ex harum etiam adventu nil miseræ adminiculi accessit, neque quisquam ab his in medium dici potuit, vel consuli salutare, præterquam quod una ex iis judicatum habebat, (& fortasse non male) rem nimis festinatam fuisse, os sacrum nondum satis hiasse. Nihil itaque etiam tum affectum & datum est, gestansque uterum mulier tandem per multas septimanas gravissimè decubuit, ventris tumore, duritie, fluxu, qui supervenerant, doloribus nihil remittentibus. Quæ omnia continuæ denique corporis graves afflictiones, animi percussiones ad summam desperationem miseram videbantur compellere; Effeceruntque, ut ad tentanda omnia, omnium consilia animum adverteret, ad usurpandas omnium medelas, doctorum, & indoctorum, Christianorum & Judæorum, quæ tamen ne quicquam adhibitæ, auxilii nihil. plurimum mœroris & desperationis (cùm res difficilis ad impossibitatem videretur vergere) attulere. Hisce periculorum & ærumnarum acervis circumventa, atroci insuper ventris ac inevitabili onere summè implicita mulier, per quadriennium, usque ad annum Domini 1549. semiviva perduravit. Sed quod prætereundum hoc loco non est, propter has enumeratas à nobis difficiles calamitates, misella insuper adflicta est defluxu continue putrilaginoso, qui per locum muliebrem perrumpens, totum hoc quadrienne tempus duravit, ita tamen ut aliquando parcius, aliquando copiosius profluens, dispari ratione mulierem affligeret, cessaret tamen nunquam.

Cruciatibus igitur hisce ac gravedinibus diu perstantibus, tandem natura (quæ semper individuum conservare contendit) acore, & copia putridi humoris non evicta sed compulsa (utpote cui inferna humoris subductio non sufficeret) ad umbilicum matricem ipsam totum denique abdomen multis alioquin partibus munitum perfodit. Foramen igitur factum est primo Anno Domini 1548. in loco prædicto; Ex quo multùm saniosi fœtidique mucoris profluit. Successu deinde temporis post aliquot menses, adhibitis externis emplastrorum adminiculis apertio coaluit, posteaquam (ut videtur) colluvies humorum nocivarum abundè excreta esset; vel aliquantisper pro necessitate evacuationis diminuta. Sed quod efflictim observandum est, paulo post Anno Domini 1549. Mense Junio, quum scilicet multa putrida superfluitas omni conatu mox per naturam expellenda iterum collecta esset, natura denuò eodem consilio & via, proximo in loco non ita procul à priore apertione distante, per ventrem iterum perrupit, & affatim eduxit necessario evacuandam purulentiam.

In hoc foraminulo exhibebatur omnium conspectui & tactui os quoddam, quod eventus postea (resecta alvo & matrice) comprobavit, infantis fibulam sinistri brachii fuisse. Duravit iterum hæc apertio, eodem statu & effluxu, cum magna fœminæ in utero habentis virium prostratione, ad menses aliquot. Cum autem periculi magnitudo, dolorum, fœtorisque intolerantia indies magis ac magis ingravescerent, viderentque omnia ad interitum spectare, ipsaque miserrima quæ cruciatibus immensis, animi crebris deliquiis jamjam crederet sibi exitum imminere; denuò iniit consilium asciscendi Medicos, si fortasse ex singulari Dei misericordia, felix horula salubris consilii elucesceret, si denique forté fortuna Deo ita disponente, in hora contingeret, quod non contigisset in annis. Vocati igitur sunt Chirurgi tres; Aulæ Regiæ Chirurgus, Sixtus Wirt, Paulus Dirlevvang, urbis Viennensis ordinarius Chirurgus & Petrus Winckler: qui cùm advenissent, rem omnem intuiti, atrox periculum præ oculis esse animadvertunt, simulque moderate omnes unanimes responderunt, majus esse negotium hoc, quàm ut ipsi quicquam certi in hoc casu statuere, vel debeant, vel possint; accersendos esse Medicinæ aliquot Doctores, quorum consilia meritò accedere debeant, & si quid in re tam ardua faciendum superest, sibi consultum videri; ut id ex eorum matura deliberatione proficiscatur. Acciti igitur Doctores duo Johannes Enzianer & Cornax, alter vir senex, & revera miles (quod dicitur) emeritus, hic publicus Medicinæ in Viennensi Gymnasio ordinarius Professor. Qui cùm venissent aliquoties post crebram inspectionem ægræ, virium explorationem, circumstantiarum diligentem inquisitionem, nihil aliud videbant superesse consilii, quàm ut ad sententiam Hippocratis, Extremis morbis, extrema adhiberentur remedia quantumvis periculosa. Decretum itaque ab iis est, de alvo aperienda. A Chirurgis etiam in eandem itum sententiam. Quod cùm certo constitutum esset, etiam fœminæ ejusque marito, & propinquis Medicorum consultum indicatum est, à quibus omnibus assensum. Statuta tandem dies est decima mensis Novembris, Anni 1549. hora duodecima pomeridiana; Christi igitur Domini Auspiciis, cùm tempus statutum advenisset, rebus ritè auxiliaribus, denique paratis & dispositis præsidiis, si quid fortè gravius contingeret, præsentibus Doctoribus nominatis, & Chirurgis sectio cùm summa diligentia peracta est.

Linea autem sectionis ex mea designatione ducta est, ab apertione ea inchoato (quę paulo supra umbilicum à natura, ut diximus, facta erat in latere dextro) rectè deorsum per tractum musculi recti, abdomini incumbentis, longitudine plus minùs octo unciarum, hoc est semipedis antiqui, & duorum pollicum, qua facta incisione, propter necessitatem & intolerabilem fœtorem subito contentum in utero à Chirurgis undique liberatum est, & exemptus frustratim fœtus, jamdudum emortuus & semiputridus. Secutus est hanc extractionem fœtor incredibilis, adeo enim putredo invaluerat, ut bona pars membrorum pueri consumpta appareret, Caput verò totum confractum, & ossa cranii dispersa extraherentur, cerebri verò videretur nihil, nimirum quod totum putredine diuturna consumptum esset. Absoluta hac sectione ex summa Dei Opt. Max. misericordia feliciter mulier debita ratione, infarctis laceris & rugosis uteri cavitatibus ligata & curata est; Illique de rebus necessariis quàm optime prospectum à Medico & Chirurgis. In omni autem ista administratione, misella quæ resecabatur, nullum passa animi deliquium, sed forti & sedato animo omnia pertulit adeo ut Deus natura ipsa in conservanda hoc inopi & ignobili fœmina, contendisse videantur. Successu deinde temporis cùm omnia ex singulari nutu Dei feliciter procederent sine ulla sutura, rugis (detumescente ventre ob exinanitum uterum) coëuntibus, postliminio venter ab onere putri-

putrido liberatus, peroptime coaluit: & fœmina præter omnem expectationem curata est; Et uterus ipse unà cum abdomine, & ejus partibus planè consolidatus, quinetiàm ita matrice probè restituta menses bono ordine & modo rediere, ut spem aliquam conceperimus, membro quantumvis sensibili & spermatico ita persanato mulierem denuo concepturam & fortasse fœtus edituram. Quod tamen postremum, ut valde & multis rationibus est ambiguum, ita incertum, divinæ omnipotentiæ relinquimus determinandum.

In hunc modum se habet hæc rara quidem & admira'u digna, sed vera historia, quam ideò in literas referendam non dubitavi, ut omnes homines animadverterent, summam Dei erga gravidas fœminas benignitatem, atque hæc historia esset consolationi omnibus prægnantibus fœminis, quum videant Deo se adeo curæ esse, suamque imbecillitatem tanta perferre posse. Postremo ut hæc nostra scriptione admonerem Chirurgos, ne ab ejusmodi gravissimis aggrediendis potiùs impigrè, & alacriter, quàm expavescendis casibus manus suas abstraherent. Longè enim præstantius ac laudabilius est, aliquid cum periculô aggredi, quàm cum certâ pernicie cessare; Et decentius est aliquid lethale etiam committere, modò spes aliqua salutis prorogandæ supersit, quàm omnino certæ & præsenti se committere morti, quæ proculdubio huic gravidæ mulieri jamjam imminebat, nisi relatis à nobis præsidiis ex Dei singulari voluntate evasisset. Quare laus sit Deo summo, qui fecit, facitque mirabilia, qui sit benedictus & superexaltatus, in secula seculorum, Amen. *Ex eodem, & ibidem.*

Quòd eadem fœminà denuò conceperit, & gestaverit fœtum vivum, perfectum, masculum, ad legitimum pariendi tempus, quodque ex posthabitâ sectione, mater unà cum puellâ interierit.

Posteaquam superne à nobis descripta Margaretha, ex sanctissimi opificis Dei voluntate convaluisset, convixissetque denique sana marito annum plus minùs integrum, satis frugaliter, denuo concepit & gestavit puerum bene valentem & ritè succrescentem, usque ad secundum diem mensis Junii Anno Domini 1551. quod erat legitimum tempus pariendi. Ea dies cùm mane eluxisset, & belle se haberent omnia, infans robustus strenue palpitavit, & elaboravit ad egressum uteri, mater mœsta omnibus nervis ad expellendum fœtum incubuit præsentibus multis mulieribus; sed in cassum omnes conatus cessere. Quapropter vocatus est Paulus Dirlevvang Chirurgus Viennensis; qui antea illam secaverat, ut in medium consuleret. Ille verò præ oculis cernens grave discrimen, consuluit, me etiam esse vocandum. Adveniens itaque & ego cùm perlustrassem ventrem enitentis, vidissemque fœtum validum, matrem autem omnibus viribus, quæ ad certamen enitendi requirebantur, destitutam; cicatricem præterea veterem, quasi per rimam longam hiscere, omninoque impossibile esse, ut conatus fœminæ tam lacero utero incisis per longum musculis & abdomine, tanti esse possent qui in utero contentum quantum is viribus præstans & sese adjutans, per os sacrum possent repellere, suasi è vestigio, utendum ferro, ut prius resecandum esse. Firmavit meam opinionem & hoc, quod rimula sectionis pristinæ laxata pellucens madebat, & per se discessionem parietum cicatricis minitabatur. Hisce perurgentibus rationibus, nos compulli, & commemoratione prioris felicis eventus animati, sectionem iterum instituendam censuimus, acquiescebat consiliis nostris alioquin moritura puerpera. Verùm enimverò mater ejus, & reliquæ aliquot præsentes fœminæ assentiri nullo pacto voluerunt. Interim ego ordinatis quibusdam præsidiis confortantibus, consolatus afflictam discessi, & paulo post reversus, acriter institi, iterum peragendæ Cæsareæ. Sed perperam tum obtinuit matris affectio, quæ cum cæteris fœminis in ea perseveraverat sententia, ut Deo omnia committerentur, relicta periculosa sectione, quæ tum etiam satis tempestive adhiberi posset, cùm extremum anhelitum mater spiraret. Exspectatum igitur usque ad horam decimam noctis, quo tempore infelix, cùm frustra diu & strenue luctata esset, viribus omnibus exhaustis, cruciatibus oppressa animam exhalavit. Quod cum factum esset, subito Chirurgus prædictus vocatus est, & citissime ventrem aperuit, statimque infantem perfectum, masculum, omnibus numeris perfectum, exemit. Ibi videre erat (superveneram enim & ego) certamen adnitentium puello vitam; quæ paulo ante abierat, revocare, &. sufflando omnia tentare spiracula, sed perperam & frustra omnia fiebant. In promptu causa est eruditis, & anatomiæ peritis, siquidem in confesso est, vitam & motum cordis in infante à duabus arteriis vitalibus matris per umbilicum fœtui ceu per insitionem insertis dependere, quæ vasa natura pro cordis refrigeratione fabricavit. Quare cùm arteriarum motus in matre cesset, earundem etiam motum è vestigio in infante cessare necessum est, siquidem fieri minimè potest, ut puer ante præcisionem umbilici, in ipso denique utero involutus tunicis spiritum per os attrahat.

Præterea esto, quod continuatio umbilici fœtus à matrice sit libera, ruptis cotyledonibus partus tempore, tamen nihilominus umbilicus secundinæ adhæret, necessario ab obstetrice præcidendus; vel etiamsi à secundina, in utero existente puello umbilicus solutus esset, tamen respirare per os non posset infans, panniculis involutus; uteri præterea parietibus inclusus, mucoribus denique, & aquositatibus circumfusus, quæ certè res sæpe solutos infantes tamen diutius in angustiis faucibus ossis sacri, enecat suffocando. Cùm ex prædictis itaque necessarium sit, vita & motu puerperarum cessante, cessare etiam infantis in utero contenti vitam & motum, impossibile est, tam immediate exscindi infantem posse, in eo ictu temporis quo anima ex matre migrat, quæ si semel evolaverit, certe revocari humanis præsidiis nullo modo potest. Si autem fortè fortunà exemptio infantis contigerit, in agone puerperæ, aut in animi deliquiis, præsentibus adhuc spiritibus vitalibus, tum censemus omnino, supervivere infantem posse, quemadmodum sine dubio de Julio Cæsare contigit.

Ex his igitur omnibus à nobis enumeratis, luce meridiana clarius liquet: Primò ut supra descripsimus, hanc Margaretam per quadriennium fœtum mortuum in utero gestasse, eundem exsectum esse membratim per abdomen: & quod ipse prognosticatus sum dubitative, hoc Deum præstitisse re ipsa, ut quod fœmina ita lacero, sed restituto utcunque utero, progressu temporis tandem concipere posset, & nostram hanc denuò concepisse & gestasse usque ad legitimum tempus partus; bene formatum & perfectum infantem, qui si etiam exsectus fuisset tempestive, sine dubio supervixisset: cùm tam robustus, tam bene habitus, tam absolutus (ut ipse diligen-

ter coram intuitus sum) fuerit, ita ut planè nihil in eo desideraretur, præter vitam. Cujus rei testes multæ personæ utriusque sexus esse possunt, quæ frequens eo confluebant, hoc miraculum conspecturi. Quare nemo deinceps dubitare debet, hanc historiam verissimam esse, siquidem Apud Deum non est impossibile omne verbum, cui sit laus & gloria & benedictio in secula, Amen. *Ex eodem, & ibidem.*

De muliere, quæ annis tredecim in utero gestavit sceletum fœtus mortui, quod tactu cum ab ipsa matre, tum ab omnibus illi præsentibus percipitur, hujus rei historia scripta est ad Matthiam Cornacem ab Ægidio Hertogio Medico, Enchiridio Medic. consultat. Matthiæ Cornacis, fol. 214.

Catharina quædam uxor Michaelis de Menne, viri ruralis & pauperis, annis duodecim utero gerit fœtum mortuum, vel potius sceletum fœtus mortui, res penitus monstrosa ac miraculo digna dici potest: ita tamen res habet, sicut ipso tactu unicuique fuerit manifestissima. Mulieris enim ventrem inferiorem propriis manibus attrectavi, non bis terve, sed pluries. Idem quoque egere cùm viri, tum mulieres illustrissimæ, non sine omnium admiratione maxima, quos omnes honoris gratiâ prætermittimus. At vel unius viri hac in re testimonium oculare sufficere poterit, puta Excellentissimi Dn. Henrici Cornelii Matthisii, qui quondam Carolo ejus nomine Quinto Augusto, Medicus fuit domesticus. Hic inquam cùm stantem, & supinè decumbentem dictam mulierem crebrius attrectasset, omniaque ossa fœtus mortui ipso tactu optime deprehendisset, præ stupore nimio, tum admiratione summa dicebat.

Deo & naturæ nihil impossibile.

Anno igitur Domini 1549. eadem Catharina, posteaquam antea enixa esset duos liberos, concepit mense Martio, omnia signa habens felicis imprægnationis fœtum insuper temporis progressu, à quarto mense conceptû, sensit valentem & strenuè se moventem, usque ad festum Divo Andreæ sacrum, eodem anno quo sanè illi supervenere dolores partûs adeo vehementes, ut jamjam crederet se enixuram. Uterus quoque mirum in modum prominebat, uberaque lacte copiosissimo turgebant, idque magis instante jam partu quàm multis diebus antea. At cùm ad parturiendum nulla amplius mora exspectaretur, accidit ut vetula quædam malefica & præstigiatrix ventrem huic utero gerenti attigerit, in aures susurrarit & in faciem sufflarit, aliaque peregerit: quæ quoniam parum ad rem nostram facere existimo, pluribus non persequor: illius tamen meminisse placuit, nam in vetulam mulier culpam omnem rejicere videtur, quod illi res tam infeliciter successerit. Ut autem parturientium dolores, cùm in ventre inferiore, tùm in lumbris sensit, statim acciri obstetricem, & mulieres vicinas jubet, quæ dies noctesque aliquot partum præstolabantur: nullum tamen partus brevi futuri signum observat obstetrix: præter illos dolores qui toto biduo increscebant. Quare discedit, reversura, si ita res postulaverit. Quid multis? dolores nihil interim remittuntur, sed diebus totis quadraginta, & die & nocte illam sævissime affligere non desinunt, ut totum id temporis misella ista insomnis egerit. Ab utero quippiam interea fluxisse, nunquam animadversum fuit. Fœtus vehementissime semper movebatur, ac calcitrabat, ita ut manifestè illius motus ab adstantibus observari posset, toto illo dolorum tempore sudoribus quoque copiosissimis madebat. Lac præterea è mammillis uberius fluebat quod quia acrius, tum plus justo biliosum erat, omnes fere partes vicinæ, quas defluens attigit, exulcerabantur. Quadragesimo demum secundo, & quarto dolorum die fœtus tam validè amplius moveri desiitit. Dictu profectò mirum, quod tanto tempore subsistere potuerit incolumis, tandem conatu vehementissimo ita fœtus movebatur, ut inde transversum in utero revolutum mater narraret Dolores ab illo impetu fœtus multò mitiores evasere, & paulo post plane recesserunt. Post verò dies quatuor vel sex, cruenta quædam ac nigra per alvum dejicere cœpit, illis similia (ut illa inquit) excrementis, quæ pueruli jam in lucem editi, primum excernere solent, cujusmodi excrementa egerebat diebus ad sex libras. Cumque antea nullus in utero collisionis ossium sensus voluntarius perciperetur, hic tandem putans misella, se ab omnibus ærumnis liberam, unicuique tangenti uterum, sese prodere cœpit, ut etiam illam non lateat ossium fœtus mortui situs, quippe cum digito monstret: hîc caput, illic costas, hîc humeros, illic fœmora contineri. Quod ego & alii complures, me monitore deprehenderunt.

Cadaver istud seu sceletum in utero matris jacet transversim, capite & cruribus introrsum, dorso verò extrorsum prominente. Sub ilio dextro caput reconditur, quod cum profundius quam matris spinam deorsi respiciat, non sine ratione tactus nostri judicium refugit, ibi tamen ossis humeri, capitis superius contineri manifesto constat. Sub ilio sinistro sunt crura & pedes sed introrsum reflexi, ut attingi minime possint: conjectura tamen artificiali & anatomica, ita esse, judicare non est difficile, tum ex situ reliquo corporis, tum quia ibi os fœmoris apertissime deprehenditur. In medio ventre dorsum evidentissime cognoscitur vertebræque omnes facillime distinguuntur, Costæ quoque majori ex parte, tam superiores quàm inferiores, dinumerantur, turget venter maternus tumore oblongo, qui in pudendum desinit, elevat totam istam molem sursum, eademque pro animi arbitrio deprimit, non sine adstantium summa admiratione. Ossa verò sic satis induruisse sentiuntur: ita ut validiori compressioni difficulter cedere videantur. Venter maternus interea dum attrectatur, nullo dolore angitur, ni id plus, quàm par est, fiat diutius. Valet sic satis ista mulier, omniaque sua munia, tam domi, quàm in agris unà cum marito suo optime peragit: hilaris est, prudens materfamilias, & utcunque faceta, annum nunc temporis ætatis suæ agens quadragesimum quintum, corpore gracilis, nec habitu illaudabili. Menses cum annis quatuor essent detenti, potiunculis nonnullis illos promoventibus usa, rursus manare cœperunt, in hunc usque diem; at mensibus singulis, dum eorum terminus instat, venter inferius intumescit, illamque dolores invadunt vehementissimi, haud aliter quàm, si nunc esset enixura, nec antea cessant, ni menses omnino eruperint. Quod si mulierem morbo aliquo laborare contingat, iisdem plane doloribus ad integrum morbi terminum corripitur. Aliud præterea notatu dignum refert, quintum nunc esse annum, ex quo natura quodammodo istius sceleti expulsionem tentarit. Uteri enim osculum hiasse, & inde aliquot ossicula fuisse egressa: qua de causa è vestigio accersitur obstetrix: at cùm satis imperita, vel potius rei novitate perculsa nullum remedium ferre se posse indicaret, omni ope humana hanc multis modis longè infelicissimam destituens, recessit. Ipsa verò interim nihilominus intrepido fortique animo, ossicula illa,

ut in propositum locū retro cederent, propriis manibus allaboravit, si ut in pristinum redierint. Ab isto verò tempore, uti nec antea, hujusmodi quid sinistri illi accidit. Mirum denique quantopere rustica illa flagitet summisque precibus contendat, ut abdomen ei manu medica aperiatur, sceletumque ab utero eximatur, sic enim seipsam sanitari pristinæ restitui posse confidit. At quo minus id tentatum hactenus sit, adhuc sub judice lis est. *Ex eodem & ibidem.*

Pro Partû difficili.

Mulieri cuidam circa tres dies in partu difficili hærenti, hic pulvis ad provocandum partum per tres vices exhibitus est.

℞. Cinnam. el. ʒiß. ossium dactyl. ʒß. sem. viol. ℈ii. rad. dictamn. alb. ℈ß. F. pulvis subtiliss. in partes divisus, quo ter cùm vino assumpto, & admotis linimentis & sacculis appropriatis, fœliciter tandem peperit. Alia cùm octo diebus in difficili partu valde angeretur à Tiengio Medico curata fuit, ubi nono die accepisset ʒi. pilul. de assa fœtid. (de quibus supra lib. 11. sect. 18. subsect. 2. Pro Molâ) cum cyatho uno decoctionis sabinæ, idque ter post prandium, hora quarta, & sub noctem hora octava, quibus eadem nocte, Dei nutu peperit filiam & salva mansit, eodem modo & aliam ægrè parientem liberavit, & alteri etiam cùm iisdem secundinam eduxit, singulis tribus horis ad ʒß. exhibendo. *Petrus Forestus obs. 73. lib. 28. De Mulierum Morbis.*

Mulier quædam cùm filiam peperisset, & secundam prolem parere non posset, his infrascriptis remediis per me, nutu Dei, aliam fœmellam peperit.

℞. Cinnam. pulv. ʒi. cass. lign. doronic. roman. an. ℈ß. nucleum unum dactyl. sabinæ ℈i. perlar. finissimar. ℈ß. pulvis partiatur in duas partes. Detur cum vino malvatico.

℞. Ol. amygd. d. lil. alb. sesamin. butyr. rec. pingued. gallin. anatis, an. ℥ß. M. inungatur venter inferior. Sumpto pulvere, & prius una dosi, & hora post altera, post horas quinque peperit. *Idem obs. 76. lib. 20.*

Cuidam pro partu facilitando, partu instanti, consilium, dedi, ut quinque aut sex grana juniperi cum cubus sumeret, quibus cùm quinquies, aut pluries usa esset, mox conamina partus apparuere, adeo (quod & dictu mirabile est) ut illa ipsa cum maxima facilitate gemellos pepererit. *Petrus Forestus. schol. obs. 69. lib. 28.*

Mulier quædam cùm toto biduo parere non poterat, & ob tantam difficultatem & angustiam, fœtus stercus emitteret; Ego in consilium adhibitus, exhibui olei succini gut. xxx. cum vini ℥ß. umbilico simul ol. lign. heracl. calentis gut. xx. imposui, hoc facto, intra mediam horam, alacri & erecto animo facilè per Dei præsens auxilium peperit infantem integrum & incolumem. *Martinus Rulandus. Curat. 66. cent. 2.*

Nuper cùm mulierculę quædam parere non poterant, in ipsa parturigine jussi plurimis mollem clysterem injici intestinis, ac illico pepereret: ita ut jam apud nos id agere incipiant mulieres Nobilissimæ. Clyster fit ex decocto herb. emollient. ut malv. alth. parietar. thapsi barbati, chamæm. artemis. colat. adde sacch. oleum amygd. d. & ʒi. salis *Joan. Heurnius ad aphor. 34. sect. 5.*

Ubi parturigo non succedit ex sententia, salutaris est sternutatio; etenim ad inferna validè propellit diaphragma, compresso epigastrio: hinc ad inferna pellitur valido nisu uterus. Nos parum piper. & galang. naribus ut sorbeat jubemus: miscemus interdum parum hellebori albi, maximeque quid euphorbii. Sed antea propinamus hoc remedium, quo summi Dei beneficio plurimas liberavi.

℞. Cinnam. el. ℥iiß. myrrh. opt. ℈ii. succini albi ʒiß. rubiæ tinct. castor. an. ℈i. boracis ℈ß. croci gr. v. M. F. pulvis subtiliss. capiat ʒi. cum vino albo & saccharo, eliso fœtu, cùm secundinæ retinentur, hoc pulvere propinato, illico redduntur, nam tunc hæmorrhagiæ metu, non fovemus. *Jo. Heurnius ad aphor. 35. lib. 5.*

Uxori gregarii militis difficili partu pene enectæ, dedi pulverem testium equi, in aqua lilior. alb. cum croco, pudendo saponem nigrum applicandum curavi, dimidio quadrante citius puerum croceo colore tinctissimum enixa est. *Henricus ab Heers obs. 14. lib. 1.*

Non præteribo auxilium præstantissimum, cujus ope plures in agone positæ, fœtus vivos vel mortuos fœliciter excluserunt laborioso partu oppressæ. Hoc constat ex boracis officin. ʒi. tenuissimè pulverizata; quam si cum ℥iii. aq. artemis. aut sabin. aut generosi vini bibas, miram invenies utilitatem, debilibus sufficit ʒß. aut ℈i. *Zacutus Lusitanus observ. 158. libr. 2. prax. admir.*

Sępius compertum est, quod olei oliv. potu ante partum facilitatur mirè partus, nec tormina ulla patiuntur puerperę, vias enim lubricas & molles reddit oleum, debet etiam topicè extra idem oleum admoveri. *Petrus Borellus obs. 25. cent. 2.*

Novi remedium, quo fœtus alioqui per diem & horas in partu staret, eoque potu sumpto, mox infra horæ quadrantem mulier parturit, hoc autem remedium in jecore & felle anguillæ siccatis & pulveratis consistere scripsi alibi. Jo. Helmontius tract. cui titul. Astra necessitant non inclinant, nec significant de vita, corpore vel fortunis nati.

Mulieres observavi in partu difficili aliquot dies periculoso, oblato poculo, mox ad summum ante semihorę spatium enixas, idque ducenties & amplius probatum. Pharmaco nimirum adhuc in stomacho existente apertum est os pubis, & valvæ ossis sacri in lumbis, fœtusque statim propulsus. Notavi scilicet stomachum claves uteri gerere. Hoc medicamentum lubens in bonum proximi evulgavi, ne deinceps parturiens periculum vitæ subeat. Est autem jecur simul cum felle anguillę siccatum pulveratumque in vino potum magnitudine avellanæ, donum Dei in hoc simplici, ut cùm mulier jam parere debuerit, in dolore propter serpenti invidiam; Deus anguillæ aquæ serpentis visceribus pacare voluit illius maledicti rigorem, idem fortè atque melius hepar serpentum efficeret, sed in anguillæ experimento nunquam fefellit eventus. *Jo. Helmontius tract. cui tit. Jus Duumviratus.*

Nos remedium optimum dabimus experimento pluries comprobatum dono receptum à Serenissimo Duce Guisano, videlicet anguillæ jecur in furno panis exsiccatum, ut in pulverem redigi possit, dosis ipsius est medietas ponderis unius aurei, detur in liquore convenienti prout medico libuerit, mirificè partum facilem reddit: *Dominicus Panarolus obs. 21. pentecoste 3.*

Jecur anguillæ ad partum facilitandum ab Helmontio & Panarolo valdè commendatur. Novi famosum Empiricum qui hoc solo ferè secreto magnam sibi famam acquisivit, illud exhibui medici cujusdam uxori ęgrè parienti, & à marito & obstetricibus pro deplorata, habita, unaquæque dosis plurimùm auxit conatus parturiendi antea fere consopitos; ita ut tandem feliciter peperit, Coactus sui ad duplum dosis Helmontii pervenire, nimirum ad magnitudinem nucis juglandis in vino rhenano. *D. Robertus Boyle lib. 2. De Utilitate Philosoph. Experimentalis cap. 18. sect. 5.*

Partus tempore ſumat ℈ii. boracis ex aqua matricariæ. *Horatius Augerius. tom. 2. lib. 8. Epiſt. 3.*

Nobilis mulier pleuritica prægnans, habuit aliquid commemorabile, doluit latus, febris continua erat. Uterum ferebat jam octo menſes cum dimidio, dubitabamus, an partus accelerandus foret; alii è malleolo tundendam venam putabant, tamen ex brachio ſanguinem detraximus, plane corruptus erat, tandem pariendi ſeſe occaſio obtulit, vires erant infirmæ, dolores ſuos & tormina (ut politico verbo utar) devoraverat. Dedimus decoctum fol. ſenæ, folia erant pauca quantitate, ut non tam alvum ſubduceremus, quam cum leni alvi ſubductione tormina exci-taremus, excitatis ita torminibus feliciter peperit. Folia ſenæ exhibere ſolemus.

℞. Matricar. artemiſ. nepetæ an. p. i. hyſſop. p. iß. mercuriali. p. i. ſem. citri, pæon. an. ʒß. cinam. ʒi. F. decoctio in qua bulliant fol. ſen. ℥ii. F. fortis expreſſio, adde vini albi parum, tormina excitat. *Guil. Ballonius conſ. 20 l. 2.*

Si partus tardior eſt, fel gallinæ ſumatur, maximè nigræ & umbilicus ungatur, item in vino detur conſolida regalis, ne ſint in eo loco, ubi paritura eſt, pyra, impediunt enim partum. Artemiſia cocta in vino, dextro femori prope muliebria applicetur, magni fit & lapis aquilæ, ſi ſiniſtro cruri applicetur, ſed ſtatim à partu removendus eſt. Idem ſcribitur de matriſylva & polipodio, ſi pedibus alligentur, vehementia vero ut eſt borax non probo; niſi vel fœtus mortuus ſit, vel mola adfuerit. Si fœtus ſit mortuus, ſume oleum lini cum pinguedine aliqua in qua caſtor. coctum ſit, & ungue ventrem. *Joan. Crato conſil. 40. lib. 5.*

Hoc expulſivum præſcripſi, quo alias fœliciter uſus ſum.

℞. Troch. de myrrha, rad. dictamn. alb. ſuccin. an. ℈i. borac. ſem. viol. an. ℈i. magiſt. perl. ℈ß. M. F. pulvis tenuiſſ. in tres partes dividendus: aſſumatur cum aq. artemiſ. & puleg. an. ℥ii. *Jo. Petrus Lotichius. obſ. 18. cap. 1. lib. 5.*

Cingat ſe nudam mulier ſpolio ſerpentis, & pariet facillime. Raſura oſſium dactilorum cum vino pota, mirabiliter liberat parturientes. Dare parturienti lac alterius mulieris facilitat partum, corallus coxe appenſus idem facit. *Petrus Bayrus pract. l. 15. cap. 9.*

Fœtus fruſtulatim per alvum excretus.

Margareta Cornelia nupta viro, & octo plus minus annis ſterilis, nulliuſque prægnationis ſibi conſcia, ubi prolapſa fuit in febrem, doluit acerbe in imo ventre, cum tumore circa ſiniſtra inguina, forus quidem duro, at intus pulſatili; quem vir experientiſſimus Franciſcus Vicquius (cui poſteritas exemplum acceptum feret) ratus cum utero communicare, partim potionibus, partim cataplaſmate, eò produxit maturitatis, ante diem ſextum decimum, ut per ſe adapertus pus ſuum effuderit, parciùs quidem ab utero, verùm ab alvo deinde uberius. Unde dolor uſque eò remiſit, ut affulſerit non exigua ſanitatis ſpes; modo ritè detergeretur immunda ulceris proluvies.

At paucis diebus poſt, invaluere iterum dolor ac febris, quorum impetus, quò infringeretur, datum fuit medicamentum alvum ſtimulans, cujus beneficio, cùm excernerentur, plurima membranoſa, putridis vermibus ſimilia. Decretum fuit eandem viam inſiſtere, reliquamque illius ſaburræ colluviem exigere; cùm per decoctum detergens ac catharticum, tum per pulverem oculorum cancri, hieræ picræ, ac radicis contrayervæ, ſive drahemæ Caroli Cluſii. Quorum medicamentorum ope, erupere per alvum pedes embryonis demortui, membraneo involucro incluſi; quos manu ſua educturus, Chirurgus extraxit ſimul inde, qua fuit diligentia, femora, nates, ventrem, imò quicquid fuit infra lumbos, cum cute, carne, umbilico, ac evidente ſexus fœminei diſcrimine.

Sequentibus deinde tribus coſtis, ac poſtridie, à medicamento purgante, præter plurima purulenta, omnibus manus oſſiculis, cum cute ac ligamentis adnexis, duabuſque coſtis haud diu poſt, ſimiliter excretis: Subſiſtente interim reliquo corpore, non quidem procul ab ano, attamen remotius, ac intricatius, quàm ut digitorum adminiculo inde extraheretur. Quocirca itum fuit ad clyſteres detergentes, & decocta alvum moventia. Quæ tertia qualibet hora exhibita, plurimas quidem putridas membranas, ſed nihil expulere ſolidi. Increſcentibus interim denuo imi ventris doloribus, & abdomine intra triduum uſque eo iterum elevato, potiſſimùm circa pubem, ac inguina dextra; ut non levis moveretur ſuſpicio ægram parituram, uterumque excreturum quod à vitiato embryone ibidem etiamnum reſideret: Quem naturæ conatum cùm quotidie juvarent cùm decocta, tum cataplaſmata, ac injectiones in uterum, ac alvum, uti & pulveres concinnati ex oculis cancri, ac radice contrayerva, excrevit tandem, præter plurima purulenta, coſtæ, brachii, ſcapularum ſpinæ dorſi, occipitis, frontis, ac verticis oſſa; quorum excretione finita, ac jam ceſſantibus, quibus aliquandiu excarnificata fuerat torminibus, deſiere non modo febris, ac dolor, verùm etiam quicquid ipſi moleſtum fuiſſet. Injecto ſubinde nihilominus in uterum, ad conciliandum ipſi robur, decocto concinnato ex roſis, abſinthio, cypreſſo, balauſtiis, plantagine, maſtice, ac olibano; donec defuncta ex toto periculis, ac ærumnis, quibus per tres menſes fuerat afflicta, priſtinam recuperaverit ſanitatem. Quæ certè quàm grata fuerit ipſi, tam rarum erit Medicis hiſtoriam hanc lecturis. *Nicolaus Tulpius Obſervationum Medicarum lib. 4.*

Partus inteſtinum lacerans.

Partus difficilis ut inducit deformem claudicationem, ob ſolutam vel oſſium pubis inter ſe vel ilei cum ſacro commiſſuram: ſic dilacerat non raro: ſive ſinum pudoris, ſive anum, aut inteſtinum rectum, cum propter perverſum infantis exitum, tum ob nimiam ejuſdem molem, aut culpam aliquam obſtetricis.

Quod poſtremum vitium ſicuti ægrè curatur, ita degenerat quoque facillimè in calloſum, ac manans ulcus, ob perennem, in locum declivem, ſordidorum excrementorum decurſum. Cujus tamen infortunii quò evites calamitatem, videſis, maturè infundas, antequam inveteraverit ulcus, per anum, ac naturalia, frequentes adſtringentes, ac detergentes clyſteres, quorum aſſiduo uſu, equidem aliquando vidi deformia hæc mala ex toto ſanata. Quę tamen ubi pedem ſemel fixêre in ſubricis, ac rugoſis harum partium membranis, laterem lavabis, quiſquis illis manum admoveris. *Idem ibidem.*

Secundæ poſt partum retentæ.

Secundæ, ſive ὕϛεϱα Hippocr. lib. 1. morbor. mulier. ſunt involucra membranea, quæ in vulva fuere velamentum infantis. Has expedit è veſtigio ſequi præeuntem fœtum: tardius enim procedentes, arguunt aliquid monſtri ali. Pereuntibus inde quidem pluribus prægnantibus, at non omnibus, uti hactenus perperam creditum obſtetricum nonnullis.

Uxor Joh. Lonii, quantumvis partum feliciter ederet, plurimum tamen moleſtiarum ſemper perpeſſa fuit à ſecundis ſuppreſſis; ſive quod firmiùs adhærerent

rent utero; ſive ob nimis teretem, gracilemve infantis umbilicum: quo tamen aliquando ſatis validô, ſubſiſtere nihilominus, licet ſatis validè traherentur à tribus obſtetricibus, quas inveni in eôdem cum puerperâ cubili; præſagientes ipſi certam vitæ deſperationem, quum vix quæpiam evaſerit cui, præter naturæ legem, hęc excretio fuerit impedita. Quâ inconſideratâ improvidarum mulierculatum prędictione, uſque eò perculſus fuit pavidus puerperę animus, ut non ſecùs ſudoribus diffluerel, ac ſi mors fuiſſet in procinctu.

Quem perplexum terrorem quò ereptum irem; monui rem quidem eſſe in difficili, & aleę admodum ancipitis, nihilominus tamen aliquibus bene ceſſiſſe, iterumque fieri poſſe quæ ſemel facta fuere; modò erigeret animum labantem, admitteretque requiſita remedia: Quorum beneficiô etiam priſtinam ſanitatem feliciſſimè fuit adepta. Conſtabat autem hæc medicandi ratio, præter clyſteres, ac detractionem ſanguinis ex venâ tali, cùm ex pulvere ſequente, tum ex decoctô hic præſcriptô.

℞. Boracis Venet. ſuccin. alb. ſingulorum ſcrup. croci, caſſiæ ligneæ, caſtorei, ſingulor. gr. x. M. f. pulvis.

℞. Radic. gramin. pœonię, cichor. ſcorſoner. ſingular. ℥j. Herbar. acetoſæ, endivię, boragin. meliſſ. ſingular. mj. artemiſ. Cardui bened. ſingulor. m ß. Boracis Venet. ʒiij. Coque ex aquâ hordei ad ℔ ij. Adde ſyrup. artemiſ. ac limonum an. ℥ij. F. potio. Quibus medicamentis, non modò ęgram hanc, verùm etiam & alias puerperas vidimus excreviſſe plurima laceræ membranę fruſta, ſanie ac ſordibus undique infecti, iiſque ritè exoneratis, recuperaſſe amiſſam ſanitatem, ſine vel minimâ, aut virium, aut valetudinis, jacturâ. *Idem ibidem.*

Secundinæ portio quarto à partu menſe incorrupta & innoxia editur.

Homo homini Deus dicitur: & homo homini lupus. Paſſim hæc frontibus adverſis pugnantia jactantur; pueri audiunt & ſenes, &c. verum audiunt: audi tu, mi Lector, quare. Infirmum, debile, inconſultum, rerum omnium ignarum editur in lucem animal illud, quod hominem vocamus, ideoque ſtatim alterius eget ope: qui opitulatur, Deus illi eſt ea metaphora, qua utitur proverbium. Perverſum, ad mala pronum, lucri ſui cupidum, & per animi paſſiones ſeductum à vero, idem illud animal eſt, maximè ubi adolevit, & ſe videt ad corporis ſui commoditates propter communem malitiam aſpirare non poſſe, niſi per fraudes & mendacia, & niſi comminiſcatur, quomodo alteri detrahat, quod ſibi cupit accedere; ideo dum alter in alterius damnum invigilat, & ubi poteſt, proximo nocet, homo homini fit lupus. Non opus eſt ut illud per omnes humanæ vitæ profeſſiones diſcurrendo oſtendam & in lucem proferam, quos ſub pelle ovina ſingulę tegunt lupos; tegunt, inquam, omnes, quæ ſe prodeſſe profitentur, (alias publice non tolerandę) hac ovili pelle ſuam nocendi cupidinem. Mitto Theologos, qui nos diſtrahunt per tot eccleſias, & ſinguli ſuam eſſe, quæ nos ad ſalutem deducat, certatim clamitant, ut multitudinem ad ſe pertrahant, & ita plurimis nocent. Juriſconſultos non tango, multò minus Medicos: quos utroſque ſcimus iniquiſſimam ſæpe malè locatæ operæ mercedem exigere, dum ob ignorantiam, ne dicam malitiam nocent, aut prodeſſe differunt, ubi promittebant promptum auxilium. Quod hîc deploro, eſt femellarum, quæ veluti harpyiæ quædam poſitæ primo in limine vitę noſtræ; ſtatim in pueros matreſque incurlant; & vel illos occidunt, vel utroſque ita malè tractant per inſcitiam, ut longo tempore poſt miſeras trahant animas: ſed ut iis, quæ per inſcitiam contingunt, omnia condonemus, ea certè, quæ per malitiam quotidie fere perpetrant ferri nulla ratione deberent. Dum iis, quibus adfuerunt parturientibus, jam puerperis perſuadent, & mentiuntur ſecundinas cum puero integras prodiiſſe, cùm magna earum pars adhuc in corpore hæſerit, & ſecuras reddunt mulieres, quæ forte aliis remediis ſe liberarent his, quæ poſtea ſequuntur, miſeriis. Plurimæ mihi, quę hanc obſtetricum malitiam, aut morte, aut maximis fuerunt doloribus, ſunt oblatæ: nec eſſe, puto, Medicum, qui praxin feliciter cum bona hominum fama aliquamdiu exercuit, cui non triſtis ille caſus occurrerit; ideoque non iſtud eſt, quod tanquam rarum hoc capite obſervo: ſed illud potius; quod una ex iis, quæ ita, decipiuntur ab obſtetricibus, quarto poſt partum menſe, cùm nullum aut exiguum ſenſiſſet incommodum, fluxu vehementi laborare cœperit, & una bonam placentæ partem nulla corruptionis oſtentantem indicia ejecerit, optimeque evacuata, nihil inde ſenſerit incommodi.

Tanta eſt ſæpe naturæ non ſolùm in therapeuticis potentia, ſed etiam in prophylacticis induſtria. Sed ſatius eſſet huic obſtetricum inſcitię remedium, & malitiæ quęrere ſupplicium, quàm ſemper fidere huic naturę bonitati, quæ non niſi obſervatione digna rariſſima raritate tale ſolet edere miraculum. *Theod. Kerckringius in Spicilegiô Anatomicô.*

Dyſtocia ex integumentis cranium fœtus involventibus, ſanguine extravaſatô anteriùs refertis &c.

Suavis eſt ruſtica vita, ſuique commendationem ab Eruditis abunde retulit, utpote tranquilla, tuta, & à tot invidiæ & æmulationum procellis libr.

Libera ſimplicibus curis ſua contenta requie
Et quam non vario traxit fortuna tumultu.

Quin concludere liceat cum Claudiano:

Erret & extremos alia ſcrutetur Iberos
Plus habet hæc vita, plus habet illa viæ.

Eſt tamen & ſuis obnoxia incommodis, quę ejus amatores, eo æquiori ferunt animo, quo voluptates tranſitorias minus curant, vel ignorant, ſua potiſſimùm manu ἀναγκάζεσθαι ἀγωνίζεσθαι περὶ τῦ βίȣ καθ᾽ ἑκάϛlὼ τlὼ ἡμέραν, de quotidiano victu parando, ſolliciti eſſe edocti: optimè hinc monuit vetus ille.

Ἐν τοῖς πολεμίοις ὑπερέχειν τὸν ἄνδρα δεῖ
Τὸ γὰρ γεωργεῖν ἔργον ἐςὶ οἰκέτȣ.
Πῶς ἔχες, ὡς ἰχανὸς εἶ ἀπόλλυμαι
Τρέφω γὰρ ἐν ἀγρῷ χωρίον.

In bellis præſtare aliis laus magna Virorum;
Servilis multum ruſtica vita ſed eſt.
Anne vales? macilentus ades? mens diſperit eheu
Quotidie Domini prædia namque colo.

Veritatem horum ex aliqua parte experta eſt fœmina ruſtica 38. annorum; quę cùm per biennium marito uſa eſſet, lęta tandem concepit, & propediem enixura erat: Paucis ante terminum ſeptimanis, τῦ βέλτιον ζῆν ἕνεκα, hæc ipſa, Maritum qui Vulcani filius erat in opere audacter adjutura, ſeu uti Apoll. Rhodius loqui amat. l. 4. Argonaut.

------- αὐτὰρ ἔπειτα
Ἐλθεῖν εἰς ἀκτὰς; ὅθι τ᾽ ἄκμονες ἡφαίςοιο
Χάλκειοι ςιβαρῇσιν ἀράσσονται τυπίδεσσιν.
------ *rurſus aditura*
Littora, ubi reſonant percuſſæ pondere vaſtò
Vulcani incudes, fumique exæſtuat unda:

Hypogaſtrium maximopere protuberans, incaute malleo feriit, atque iſtud, quod minus periculi portendere credebat, omnibus reticuit, & quidem d. 5. Maii 1681. exacto geſtationis tempore, dolores partus ingruere cœperunt, aquæ d. 6. ſub veſp. profluxerunt, & mater omni vi eniti conabatur, alt irrito planè ſucceſſu, licet medicamenta ab obſtetricibus ad hæc munia deſtinatis, varia fuerint propinata: D. 8. ſub veſp. vocamur, & hactenus actorum ſeriem poſtulamus, quam adſtantes fideliter enarrarunt, inprimis tum de enitendi neceſſitate deficiente, orificiique uterini exactiſſima conſtrictione conqueſtæ: Nos qui fœtum jam à multis horis emortuum ſuſpicabamur, cùm ex diutina, quę præceſſerat mora, tum ex dolorum omnimoda ceſſatione &c. matri viribus adhuc pollenti mixtur. ex aq. puleg. ment. borac. Venet. croc. eſſent. ſuccin. cum ſyr. de artemiſ. ſuaſimus, injecto juxta clyſmate ſtimulante, hinc ad enitendum matrem incitavimus & manuum opera extrinſeca, quantum licuit juvimus, propinando ſubinde cochl. aq. cardiac. Sed incaſſum fuit hęc noſtra opera, nullis ſubſecuturi partus, quamvis ſuis cum adſtantibus partibus ſtrenue mater fungeretur apparentibus veſtigiis, quin ingeminaret obſtetrix ſæpius, ſe ne gry quidem de fœtu percipere, in quo tamen hallucinata fuit graviter, & fortè aliæ cum ipſa, artis obſtetricandi minus perirę: Rogati proin ab adſtantibus, præprimis Reverend. illius loci D. Paſtore, ut matri admodum periclitanti ſuccurreremus, manum operi applicuimus, quâ potuimus induſtriâ & dexteritate: mox autem uteri orificium adapertum deprehendimus, fœtumque capite exitum quodammodo molitum eſſe deprehendimus. Quod verò obſtetricem decepit, fuerunt cranii integumenta, ob ſanguinem extravaſatum, inſtar veſicæ aquâ refertæ propendentia, unde leviori attactu, non corpus aliquod duriuſculum, quale fœtûs caput eſt, ſed molleculum miſella percepit: quum itaque digitis orificium uteri circumſpecte dilatari, atque de fœtus ſitu & ſtatu evidentiora indicia capeſſere ſtuderemus, prædiximus facile, omnes ad quos matrem fatigatam, adhucdum inſtigare volebant conatus ſi impenderentur, incaſſum fore, corpore illo propendente vias ita præcludente, ut quoties eniti miſera volebat, hoc orificium uteri totum unice repleret: ægram inde debite collocatam quiete decumbere, ſubindeque juſcula confort. cum aq. card. exhibere juſſimus: Accepto interim forfice corpus præfatum incidimus, ſanguinique viam aperuimus, qui etiam copioſe omnium cum ſtupore prorupit: hinc cùm à dehiſcentibus cranii oſſibus doloroſę ſæpius mater lęderetur, eadem cum cerebro (facta prius decenti inciſione) maxima ex parte liberavimus & eximimus, digitiſque ſub oſſe jugali immiſſis, fœtum prægrandem citra graviorem parturientis moleſtiam, integrum ℈. extraximus: placentam quin etiam, quę paulo adnata erat, funiculo umbilicali reſecto, digitorum ope abſcedere fecimus. Puerperæ lecto reſtitutæ roborantibus, aliiſque quæ genitalia concernunt, medicamentis proſpeximus, imperata diæta exactiſſima. Altero mane bene habuit utcunque, lochiis fluentibus, nec multo circa partes uterinas dolore vexante: Pulſus tamen concitatior & frequentior, ob cauſas prægreſſas ſatis evidentes, & ſitis quæ ingraveſcere cepit, ſui rationem aliquam haberi voluerunt, unde uſum commendavimus mixt. bland. diaphor. & cordial. Die 11. cùm lochiis non rite fluentibus, febris aliquomodo ingraveſceret & hypogaſtrium intumeſceret, teneſmi verò vel urinandi difficultatis aut ardoris, vel etiam fœtoris nulla adeſſent indicia, ad fluidi attemperationem, ſordium eluitionem & humorum acrimoniam in viis uterinis demulcendam Emulſion. cum injection. uterinis commendavimus, addito decoct. ordin. lapide prunell. Die 18. ejuſdem cùm ipſam accederemus bene habuit, venter detumuit, appetitus vigebat, neque ſitis urgebat amplius: περιφυλάξεως ergo juſſimus iiſdem inſiſtere, addendo pulv. ex diaph. Jovial. oc. canc. ebor. corall. parat. Atque his rite ita uſurpatis, Deo annuente, priſtinam ſanitatem recuperavit, inque hunc uſque diem vegeta, aura hac vitali fruitur, ante annum & quod excurrit, filiolo feliciter beata. *Joh. Jacob. Harderus in Obſervationibus Anatomico-Practicis.*

Fœtus ſemiputridi, ſecundinis 9. diebus ante excretis, ex utero extractio.

Fœmina 40. An. ex ditione Solodur. aliquot liberorum mater, A. 1683. poſtquam menſes ordinarios feliciter emenſa eſſet, doloribus partus, die 16. Jul. obruitur, aquæ erumpunt cum Sonitu, & poſtridie ſecundinæ ſequuntur, citra autem fœtus, quem anxie præſtolabantur, egreſſuri ulla indicia: Variarum mulicrcularum medicamenta experiuntur, ſed non ad votum: die 20. fœtus emori incipit, quod mater ex pondere, & omni calcitratione deficiente cognovit. Miſeri adſtantes quid facto opus ignorant: Partum ſingulis quidem diebus avidi expectant, ſed in nonum uſque diem, (qui erat 28. Julii) voto ſuo fruſtrantur: Accedit hinc ad nos maritus, conſilium poſtulat & operam: Redarguimus moram intempeſtivam, & periculum à putredine matri imminens ſignificavimus, præſcriptis nihilominus convenientibus remediis uterinis & cordialibus: Aliquot horis poſt parturientem cum Clar. D. Doct. Scherbio Epiſcopicell. inviſimus, remque omnem, uti Maritus enarravit, deprehendimus: hypogaſtrium ſupra modum erat diſtentum, ſitis vehemens, pulſus paulo frequentior, nec dolores enitendi ampliùs invadebant: Dum nobiſcum mater ſe accingit excluſioni, fœtor inſignis nares ferit ilico, putredinis in inferioribus uti evidens τεκμήριον ita operationis accelerandę calcar: Poſtquam orificii interni, quod fere occluſum erat penitus, aperturam ac dilatationem digitis blande impetravimus, fæces fluidę olentiſſimæ proruperunt, quibus cùm viam dediſſemus, fœtus in internis uteri latebris etiamnum hærentis ſitum commodius exploravimus, obtulit ſe hinc capitis integumentum illico, propendens mirum in modum cum cranii oſſibus ab invicem plane ſolutis ac dehiſcentibus: brachia pedeſque miſere erant intorta. Fœtu pro viribus liberato & anteriora verſus tracto, forfice cranii integumenta incidimus, vulnuſque digito deinceps dilatavimus, è quo ichor purulentus graviſſimi fœtoris mox erupit, quem ſequebatur cerebrum flaccidum & putrilaginoſum: exemptis hinc cranii lamellis aliquot, fœtum ipſum è cavernis ſuis tandem eduximus, qui tamen ob inverſum artuum ſitum intra ipſa oſtia conſtitutus; valde renitebatur, donec, ibidem liberatus, totus extractus fuit: Educti trunci facies livida fuit & omnimodæ corruptelę proxima: Puerperam jam omnes ſalutarunt hilares, noſque exacta diçta præſcripta injection. uterinarum ad modum Mauricęi uſum ſumme neceſſarium inculcavimus, præſcripto juxta pulv. blande diaphoret. Undecimo à partu die conveniens nos maritus uxorem bene ſe habere nunciavit, parum ab illo tempore ſitiiſſe, appetere & ſine ulla difficultate obambulare: nullum percipi fœtorem vel dolorem, ab injectione primis vicibus adhibita plurimam ſanguinis grumoſi & putreſcentis copiam excreviſſe cum fruſtis ſanguinolentis duos pugnos magnitudine æquantibus, nunc lochia legitime citra incommodum profluere, & pro opera præſtita magnas gratias exolvit.

Scholium.) Fœtus domicilium, commodumque habi-

habitaculum uterum esse, alibi diximus. Commoratur sanè in hoc, usque dum decreta curricula compleantur, ipseque maturitatem legitimam adeptus, non alieno ampliùs sed proprio ore spirare desideret: Inde aliqui fœtum fructui maturescenti, uterum verò arbori comparaverunt, instarque ejus de petiolo sponte decidentis deciduum fieri existimarunt, in quo quidem difficultas haud levis obstat, de succi nutritii affluxu cessante, utroque parilem cum petiolo ariditatem contrahente: ast largiamur dissimilitudinem istam, propterea tamen comparatio ista prorsus rejicie. da non est, locumque sibi vendicat præprimis in abortibus à causa vehementi, saltu, cursu aliove graviore exercitio oriundis, à quibus, uti pomum immaturum à vento impetuosiore, fœtus de ponte suo dejicitur: Aliàs solenne pariendi statumque tempus novem mensibus absolvitur, quibus exactis uteri latebras ille relinquere, liberioremque auram haurire desiderat: De causis partus Authores variè senserunt, quorum alimenti penuriam, fœtus aquarumque molem alii, alii denique harum acrimoniam stimulantem accusant: Neutri tamen causam genuinam usque indagarunt: Enimverò succi nutritii jugem præsentiam & abundantiam contra Aquapendentem, autopsia probat, ipsiùs verò acrimonia adeò suffulta nondum est, ut fœtum inde irritari, adque calcitrationes quibus involucra sua dirumpat instigari, certò constare possit. accedit, quòd dicta involucrorum laceratio sæpenumero à conatibus matris, uterique motricibus fibris ad excernendum se componentibus deducenda, utpote à quibus humores cùm membranis involventibus in angustum coguntur, fundoque uteri sese coarctante, cùm impetu propulsi exitum querunt, de quo sonitus non raro perceptibilis, sufficienter testatur: fœtus verò moli respondet Excell. Harveus ex autopsia, qua edoctus, fuit, fœtum novimestrem octimestri aliquando minorem esse, mirumque est, si pondus fœtus tantum valet, fœmina gemellos gestante, partum non accelerari: alia hinc invenienda est ratio exclusionis stato tempore fieri solitæ, quam fœtus mole ceu stimulante non prorsus rejecta, in respirationis necessitate quærendam esse ab initio innuimus, qua in parte præeuntem nobis habemus Aquapendentem, apertè autem consentientem Celeberr. Bohnium Progymnasm. 3. de partu: non equidem quasi per appetitum elicitum, (verba sunt ipsius) squaloris uterini novimestris pertæsus, fœtus curam liberiorem exposcat ac anhelet, sed quod fluidum ejus intrinsecum sine motore externo machinæ magis grandescenti impar evadat: Equidem in uteri claustro quamdiu occultatur, unà cum sanguine materno illud haurit, quod pulmonum ministerio in adultis in sanguinem secernitur, pabulum æthereum intelligimus, sanguinis intestinum motum, suscitans supervenientibus materiæ subtilis, à quo ipsummet jugiter actuatur, ut non abs re Hippocrates l. s. citat. fœtum το πνεῦμα εἴσω ἕλκειν asseruerit: cùm verò grandescente corpore auctaque humorum copia eorundem motus, qui lentior primùm sufficiebat, intendi necessariò debeat, particulæ elasticæ à matre suppeditatæ sine superfidiariis aliis sufficere impossibile possunt, unde plenioris accessum exigens, absoluta hac solenni mora, partu excluditur, eodemque quo editur momento, respirare incipit: Naturalissimus ille est, ubi capite edi incipit, humeris ad latus utrumque inclinatis, in quo ipso tamen obstacula gravissima accidunt, quandoque enim fœtu grandiore existente, viisque angustioribus, maximè in primiparis; aut viribus jam attritis, lamellę cranii tenere adhuc, sutisque laxè invicem unitæ, comprimi, elongari, aliterque vitiari in situ assolent, ut nonnisi summo cum labore fœmina enitatur; sæpius verò ex vehementi nisu moraque quam circa orificium internum fœtus nectit, inter integumenta capitis sanguis stagnat & in vesiculam quasi colligitur, qua deinceps propulsa & ab orificii dicti fibris coarctata, parturitio difficillima subsequitur, ceu prior historia docet, cui similes aliquot jungere possemus: sunt tandem perversæ fœtus situationes aliæ complurimæ, matri fœtuique exitium non raro accersentes, ni peritæ obstetricis, Chirurgi & aliquando Medici manualis industria accesserit. de quibus videsis cl. gantem Mauricæi laudati de art. obstetric. librum, Medicorum sanè in isthoc negotio opem, uti necessariam laudamus, ita talem esse cupimus, ne quid contra dignitatem gravitatemque moliatur sæpius, quod Ministris prudenter præcepisse satiùs foret: Id magè mirum, potuisse fœtum in uteri latebris hærere putrescentiam usque, absque gravioribus incommodis symptomatibusve matris illatis, quæ sanè haud dubie citius subsecuta fuissent, ni secundinæ primùm exclusæ essent, in Rustica altera, quam præter hominum spem atque expectationem ab onere suo per Dei gratiam liberavimus: ubique certe Medici Chirurgive prudentia requiritur, ut adhibita manuali opera, inflammationi uteri periculosæ subveniatur, sanguisque vel in vasis tantisper subsistens, vel uteri cavo collectus solvatur, in motum suscitetur, èque latebris eliciatur, educaturve, cui operi præstando injectiones necessariæ maximique usus sunt, non neglectis internis humorum blando motui, vitiumque conservationi inservientibus: Genitalium quoque habenda ratio, ceu partium teneriorum, & in difficili partu multùm labis sustinentium, de quibus cùm in. histor. diximus tum Authorum monumenta amplius videri poterunt. *Idem ibidem.*

Partus mirabilis, in quô insolita viarum clausura, arte tamen reserata.

Mulierem posse concipere, aut gravidam fieri, utero à corpore ex parte propendente, non absolutè negandum est, quia illud semel (ut posthac referam) in matrona quadam observavi; rarum tamen est, & à paucis (si ab ullo) antehac visum. Nam minùs rarum esse censeo, mulierem impraegnari, salva maneante membrana hymena, idque ad tempus partus. Ast rarissimum, vaginam uteri, tempore partus, membrana præternaturali pone hymenem esse clausam, sicut jam recensebimus.

In Fossa Principis, è regione Fossæ, vulgò dictæ *de Angeliers graft*, tabacum vendebat eô tempore *Jan. Pietertz.* Nomen & locum præter morem (solent enim plerumque id ægrè ferre ad quos pertinet) apposui; quia omnia admirationem excitabit hæc historia. Hujus uxor in partu versans fœtum in lucem edere potuit, quantumvis conatus & labore partus essent adeò vehementes, ut clamoribus ejus transeuntes in dictâ fossâ detinerentur: Tandem me vocari jusserunt huic operi admotæ duæ obstetrices, (nempe *Annotie Moer in de Blauwe Pot op de Keysers graft, en Stiintie Moer de Huyde straat*) jamjam enim videbatur moritura misera illa patiens. Exploratâ difficultatis partus causâ, inveni membranam hymenem esse integram, valdè crassam, & à fœtus capite, exitum quærente, foràs extensam. Hoc viso, incidendam esse hanc membranam judicavi. Vocantur itaque, Andreas Boekelmannus, & Petrus Adriani filius Chirurgi expertissimi, quorum ùltimus primò accedens, me cùm hanc suasit operationem; quæ statim à nobis instituta est forfice & stylo excavato, ne fœtus caput læderetur. Hâc factâ incisione, frustrà fœtus exclusionem expectavimus, propter alteram præternaturalem membranam, crassam, vulvam profundiùs

claudens

claudentem, fœtuſque exitum impedientem. Hâc obſervatâ membranâ, ſpem in anguſto eſſe judicavimus: ne tamen ſimul cum fœtu periret mater, hujus inciſionem quoque moliri ſumus. Quid fit? Illicò operatione peractâ, in lucem editur fœtus vivus, ejulatibus vires ſatis robuſtas prodens, & in hanc uſque diem ſalubriter vivens. Hiſce omnibus non ſine ſummo levamine peractis, quę jamjam videbatur cum fœtu moritura mater, eluctabatur Dei T. O. M. favore. Sequentibus diebus ſolicita facta ægra, ob urinæ incontinentiam, quam perſentiit, non ob inciſiones ſupra dictas, ſed extenſionem immanem, & diuturnam vulvæ, ſphincterisque veſicæ, quod eventus quoque confirmavit: Nam poſt aliquot ſeptimanas optimè convaluit, & adhuc pancraticè vivit, ſimul cum fœtu admirandi partus.

In hoc partu 1. Conſiderandum eſt, hymenem membranam in coitu fuiſſe illæſam, (cujus rei variæ reperiuntur in oculatiſſimi Bartholini Anatomiâ hiſtoriæ) ſive à nimiâ craſſitie, vel aliâ causâ, hîc reticendâ, ne verecundiæ limites tranſeam. 2. Profundiùs & ponè dictam hymenem, vaginam fuiſſe occluſam à membrana quadam præternaturali, quæ dubio procul, ortum duxit poſt impregnationem ab excoriatione quadam vulvæ, ab humore acriori oriunda: Videmus enim aliquoties vulvam excoriatam (cujus latera extra coitum ad ſe invicem concidunt) non ſolùm claudi, verùm etiam membranoſum quid producere. 3. Urinæ incontinentiam ortum duxiſſe non ab operatione, aut inciſionibus, ſed à nimia vulvæ extenſione. Nonnulli imperiti exiſtimant omnem urinæ incontinentiam obſtetricibus; aut magiſtris qui fœtum mortuum extraxere, imputandam eſſe, aſt inconſulto: Multoties enim provenit ab extenſione nimia vaginæ, unde ſphincter veſicæ, qui vaginę arctè cohæret, ita extenditur, ut urinam per aliquot dies, imò ſeptimanas, retinere non valeant puerperæ. Hanc ſphyncteris atoniam ſæpiſſime curavi: raró verò curantur, ſi urinam non retineant à gangræna, quam parturientes ſæpius contrahunt poſt vulvæ intenſionem diutinam & immanem, aut digitorum attritum immodicum. *Fridericus Rhuyſch. in Obſervationum Anatomico-Chirurgicar. Centuria.*

Partus quinque puerorum.

De tali partu mentionem facit Aul. Gellius lib. 10. cap. 2. noct. Attic. Et ſacerdos elapſis diebus jurato edixit, ſe Imolæ vidiſſe fœminam quandam, annorum 35. uxorem cujuſdam barbitonſoris, quæ ann. 1688. quinque filios peperit, qui pauco temporis intervallo obierunt, quos eodem fato paulò poſt mater inſequuta fuerat. Et ego quondam Comaclenſem mulierem, atque aliam Ferrarienſem vidi, quæ tres gnatos uno partu pepetere. *D. Joſ. Lanzonus in Miſcellaneor. Curioſor. Decur. 2. A. 9.*

Fœcunditas mira.

Circa annum Chriſti nati milleſimum, quadringenteſimum, octuageſimum octavum, habitarunt in oppidulo *Bonningkhoim* in Zabergovia territorii Wurtenbergici conjuges, Adamus *Strotzmann*, & *Barbara Schmotzerin*, qui ſucceſſive ex uno conjugio parentes fuerant liberorum quinquaginta trium, triginta quinque vicibus prognatorum in tali ſerie & tempore. Per vices octodecim unicum ſaltem infantem in lucem protulerat mulier; per quinque vices dein ſemper duos; quaterna vice tres. Poſtea iterum ſex ſimul infantibus prægnans, quarto menſe eorum primò tres, in puerperio adhuc cubans die nono quartum, poſthinc hebdomade undecima quintum, atque iterum elapſis ſeptem ſeptimanis ſextum enixa eſt. Denuo & ultimo poſt nuperrimum puerperium ſeptem ſimul infantibus gravida, geſtationis hebdomade vigeſima, eorum tres, abhinc ſeptimanis tribus & dimidia rurſum quatuor edidit; ultimus horum matri parturienti ingentes dolores & angores cauſaverat, quippe hęc per triduum in partu laboraverat, & deſperabunda præ debilitate vix quenquam videbat & agnoſcebat, ſed Deo mirè adjuvante, periculum evaſit, infans etenim erat longitudine ulnæ unius ac tranſverſorum digitorum trium, cum capite ſpithama virili grandiori. Puellorum fuere generatim triginta octo; puellarum quindecim, omnes lavacro ſacro tincti, præter octo præmaturè demortuos, & cæterorum quidem nullus novennium ſupervixerat. Parentes in conjugio annos prope quinquaginta traducentes, uxor Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo tertio mortua eſt, quam maritus brevi poſt ſequebatur.

Hiſtoriam hanc, quam multi fabulam meram æſtimant, ſed veriſſimam atteſtabantur quondam pictura & ſcriptura rei geſtæ in templo parochiali oppiduli *Bonninskhaim*, nec non delineatio ejuſdem ibidem in Curia, itemque manuſcriptum parentum proprium illic adſervatum; uti & Cæſar Ferdinandus Primus, multique Bohemiæ Proceres atteſtationem manuſcriptam avide petierunt. Quam ego tam mirandæ fertilitatis conjugalis hiſtoriam, quum hactenus ejus alii Scriptores nullibi mentionem fecerint, ob raritatem, è Manuſcripto Bibliothecæ D. Gregorii Queccii, adfinis mei, quodam vetuſto, ac fide omni digno excerpſi, & hîc inſerere volui. *D. Joh. Helvvigii.*

Additamentum Schroeckii.) Hanc etiam Hiſtoriam exhibet Exc. D. Georg. Hier. Welſchius Epiſagm. obſerv. medic. 75. multùm tamen ab Auctoris noſtri relatione differentem, cum qua magis convenit illa Clar. D. Joan. Chriſtoph. Eiſenmengeri in Nob. D. Laurent. Strauſſii Reſolut. caſus de fœtu Muſſipont. propoſita.

Partus numeroſus.

Cùm in Decade, 1. Ephem. Nat. cur. Anni 9. Obſer. 161. & 162. raras gemellorum hiſtorias recenſuerim, aliam nunc inconſuetam numeroſi partus dare libet obſervationem, qui anni proximi 1683. die 30. Novembris hic Auguſtæ contigit, dum murarii Jacobi Thomas uxor, 29. annorum, parvæ ſtaturæ & tenuis fortunæ fœmina, quatuor jam liberorum, diverſo tempore editorum, mater, in fine menſis octavi poſt ingravidationem, (gravi hac ſarcina abdomen ita extendente, ut propè ad genua uſque propenderet) circa horam matutinam tertiam, difficili partu puellum, pedibus ſcilicet primò prodeuntibus, enixa eſt; quam, doloribus, qui ab excluſione hac ceſſaverant, hora nona redeuntibus, alius hora ſecunda pomeridiana, & paulo poſt filiolæ totidem ſucceſſive, omnes in ſitu naturali, ſine magno parturientis niſu, imo ultimi partus ob virium delaſſationem quaſi inſciæ exceperunt. Ipſi infantes, ſinguli ſpithamas duas longi, omnibuſque corporis partibus ritè ac bellè conformati, eodem die ſacra Baptiſmatis unda fuerunt luſtrati, primo Andreæ, ſecundo Nicolai, Barbaræ & Mariannæ nomine fœmellis impoſito; è quibus tamen filiola, ultimo è materno clauſtro emiſſa, eodem adhuc die fuit denata, quam paulò poſt altera itidem excepit, filiolo natu minori inſequente demum die primùm, ac denique primogenito pariter vivere deſinentibus, ſicque vitam ordine in nativitate obſervato, inverſo deponentibus. Placenta uterina, quæ horum ſuſtentationi in utero matris inſerviit, & mox poſt partum ultimum facilè prodiit, fuit unica, quadratæ figuræ, ſpithamas duas in longitudine; & in latitudine unam cum ſemiſſe, in

craſſitie

crassitie verò digitos tres transversos æquans; cæterùm à sulcis decussatim per eam ex urrentibus in quatuor quasi partes divisa, totidem nempe funiculis umbilicalibus recipiendis dicatas, ita ut cujuslibet fœtus umbilicalia vasa in separatum & sibi proprium placentæ angulum implantata fuerint; prout non minùs unumquemque fœtum propriæ membranæ involverant, & quemlibet partum aquæ solitæ effluxus præcesserat; quo tamen non obstante, magnam ejus portionem, quam novus aliunde factus affluxus fortè adauxerat, in uteri cavitate restitasse indicium fuit, quod septimo demum die copiosæ aliæ affatim effluxerint, cùm prius subinde conquesta fuisset puerpera de molesto ventris pondere, in latus alterutrum, si quando ab uno in alterum se verteret, decumbente, & de quinto insuper fœtu latente ipsi suspicionem idcirco aliquam movente: Utrum hîc contigerit aliqua superfœtatio? decernere satis est difficile, si non impossibile. In negativam enim descendere si cui libuerit, is fortè non erraverit, partim quod omnes hi fœtus eadem magnitudine fuerint præditi, partim etiam unica eosdem placenta sustinuerit. Attamen, ut & hoc fatear, cùm generatio hominis ex ovo, è muliebri testiculo in uterum deposito, nostra hîc ætate tot experimentis Virorum Celeberrimorum satis sit demonstrata, atque hinc quam metuebant, seminum diverso tempore, tam à mare quàm fœmina excretorum commistio vel confusio, & hanc insequens destructio, sponte corruat, cur à coitu e. gr. una nocte instituto ovulum tale fœcundari & ita conceptio fieri, insequente verò altera vel tertia nocte, à reiterato illo aliud dein ovulum itidem fœcundum reddi, sicque nova conceptio, vel superfœtatio contingere nequeat, nulla causa subest, siquidem hac ratione fœtus isti quatuor notabilem in magnitudine differentiam neutiquam præ se ferre, placentæ autem uterinæ facilè tum concrescere in initio potuerunt, hanc ipsam earum concretionem sulcis illis, in quatuor partes placentam qui distinxerant, quodammodo innuentibus. Ipsa verò puerpera, quinta à partu die, non tam à reiteratis toties nixus doloribus, quàm varii, illustris etiam & nobilis, ordinis ac conditionis turbæ, ut insolitum bigemellorum partum spectaret, & angustum conclave, in quo unà cum infantulis decumbebat, strepitu tota die replentis, aëremque frigidum, aperta toties janua importune admittentis confluxu, defatigata ægrotare incipit. Quam in valetudinem imprudens sororis, clinicæ officio fungentis, curiositas adauxerat, dum hypocaustuli frigefacti, appropinquante nocte, pavimentum à sordibus purgaret atque elueret, media insuper nocte jusculum è vino cum vitello ovi paratum puerperæ, de virium imbecillitate conquerenti, exhiberet, siti etiam cervisiâ liberaliter porrectâ succurrere tentaret, sicque gliscentem jam internum calorem febrilem adaugere. Circa diluculum pejus se habenti ut opitularer, à marito vocatus, deprehendi cordis anxietatibus, lipothymiis, ventris doloribus & insigni tumore, lochiorum suppressione, æstuque vehementi interno confiictantem, Unde mox, vitale robur quę restaurarent, calorem internum præternaturalem compescerent, nec non naturę motum ad lochia expellenda promoverent, idonea medicamenta præscripsi, salutari cum effectu: Deliquia quippe animi ex usurpatione Cardiacorum remediorum cessarunt, & propinato 5. die Decembr. leni pharmaco, ut alvum retardantem officii admonerem, lochiorumque moram tollerem, utraque repagula feliciter fuerunt reserata, subductis nempe leniter fecibus, subsequente verò die sero instar loturæ carnium tincto copiosissime profluente; ex quo & venter detumuit, & ejus cruciatus cessavit. Hoc onere elevata natura, die septimo à partu, massam sanguineam, erysipelate ad ambitum corporis universi protruso, per motum criticum deputavit; quod postmodum in pustulas instar crystalli lucidas, certum venenatæ aut malignæ qualitatis signum, elevatum, dubii eventus indicium præbuit, viribus præsertim vim haud exiguam patientibus; quod tamen periculum usu alexipharmacorum, cordialium ac simul hystericorum, (utero nempe à sua immunditie nondum penitus libero existente,) habito semper angustæ vel œconomicæ respectu, præscriptorum, feliciter evaserat, gravibus istis symptomatibus non tantùm remittentibus, sed & pustulis sensim evanescentibus, relictis in pectore, (quòd sæpius, præsertim dormienti sudore madebat) & circa utrumque carpum ulcusculis, applicatione tamen Unguenti exsiccantis brevi quoque dissipatis, & sic ad integram valetudinem ægræ restituta. *D. Lucæ Schrockii senioris.*

Partus numerosi.

Anno Christi 1538. femina perparvæ staturæ, textoris uxor in pago *Kleinreuth*, prope Noribergam, uno partus nixu duos filiolos, & duas filiolas ediderat, omnesque baptismate sacro lavati. *Ex Chronico MSto Noriberg.*

Anno 1628. Norибergæ pistoris cujusdam filia ab Italo quodam constuprata, tres filiolos uno partu enixa erat, hoc percipiens ipsa latè exclamavit, se quoque ab insultatore suo, mercedis loco, thalerum tribus iconibus masculinis insignitum accepisse.

Anno 1644. die 14. Januar. Matrona perhonesta Noribergæ, cùm in conjugio frequenter, & quidem semper unicum saltem fœtum protulisset, demum tres filiolos vivos unico partu in lucem edidit, qui omnes sacro fonte tincti fuerunt; matre verò interea ob virium lapsum è tanto pariendi labore, penè agonizante, sed analepticis maturè adhibitis restituta.

Anno 1648. die 21. Octobr. Noribergæ lanii cujusdam uxor uno partu unicum filiolum & duas filiolas in lucem protulerat, qui omnes quoque baptismate tincti fuere.

Anno 1670. 25. Aprilis, sartoris cujusdam uxor ibidem tres unico quoque partu filiolos ediderat, qui omnes vivi fonte sacro lavabantur. *D. Joh. Helvvigii.*

Scholion Schrockii. Exempla numerosi partus plura occurrunt, quorum multa collegerunt Marcell. Donatus lib. 4. de Medic. histor. mirab. cap. 24. Johann. Schenckius lib. 4. observ. Medic. Henr. Salmuth. comment. in lib. 2. Pancirolli tit. 10. Ludov. Bonaciolus de fœtus format. cap. 6. & 9. Thom. Bartholinus de insolit. part. viis cap. 19. & Welschius noster observ. Medic. episagm. 75. nec non in addend. ad h. l. Monstra inter natos Rodericus à Castro lib. 3. de natura mulier. cap. 11. cùm maxima ex parte mulieres unum duosve tantùm fœtus, juxta mammillarum numerum pariant; Quod tamen nimis liberè atque justo durius scriptum videtur, qui non monstra inter, sed rariora naturæ contingentia referre debuisset. Nec mammillarum numerus huc quidquam facit; quia communissimè unius tantùm fœtus generationi in qualibet femina favet Natura, nec tamen unica tantùm mamma tales instruit; aliàs sanè ex hoc fundamento, unius fœtus generatio monstrosa eadem facilitate dicenda foret. Cæterùm seminis abundantiæ & distinctioni, vel uteri diversis loculis tam multiplicis fœtus productionem esse adscribendam, sunt qui statuant; quæ tamen rectius per nostri ævi

experimenta anatomica, vel in multa ex uno pluribusve iteratis brevi congressibus veneris fœcundata ova muliebria, vel aliquot uno in ovulo ex Naturæ lusu occurrentes cicatriculas, referri posset.

Difficilem partum facilitare.

Inter complures sterilitatis causas nulla erit potior, aut sævior, quàm dum generosa in suos ortus semina exurgere, inque lucem prodire publicam nituntur, languentis interea naturæ vitio vanum sui desiderium relinquunt in mentibus parentum, suffocata vitalique aura orbata, primiparæ huic potissimum periculo objiciuntur, dum vagis partus doloribus deceptæ, ad conatus pariendi præmaturo sæpè ausu satis mascule se accingunt, contra licèt strepente viarum angustia, nondum ad enitendum fœtum satis matura. Multæ nationes gravidas suas balneis aquæ dulcis, antequam partus instat, immergunt, ut membra prius molliefiant, & faciliùs relaxata diducantur, inunctis insuper cum unguento altheæ, oleoque li. alb. talibusque, ipsis naturalibus. Pleræque verò fœminæ ob insignem ventris molem cupas ingredi commode nequeunt, quibus humiliori in sedili locatis sacculus herbis emollientibus, aut floribus fœni farctus, & per calidam tractus aquam, subjicitur bis in die, subsequente partium illarum inunctione.

His aliisque compluribus ad facilitandum fœtus exitum, in vanum sæpius admissis, quid mihi ea de re olim cogitanti acciderit, in sexus hujus debilioris gratiam patefacere non gravabor. Fructum balsaminæ rotundifoliæ repentis, sive maris, Bauhini primæ, Momordicæ vulgi, jam maturum, coccineo præditum colore, & spinis quasi asperum, diu multumque contemplatus, cùm in manus vola arctè tenerem, ille sua sponte dissiliit, seminaque sua foras protrusit, ut aperta, rursus manu illa seorsum projecta elaberentur. Haud inanem huic fructui inesse signaturam subinde suspicari cœpi, quæ utero materno ad pariendum jam proclivi, ob quasdam tamen injurias sufflaminato divinæ instar virgulę contingeret. Oleo proinde olivarum carnem fructus illius Momordicæ immisi, solique id expositum, virtuteque ejus satis impraegnatum, clysteriis ad unius unciæ pondus admiscui, non vano inde subsequente successu.

Id præcipuè commodi mecum exinde puerpera sensit, ut inanibus istis, vel etiam colicis doloribus discussis, legitimum partûs tempus attingeret, aut verò si terminus pariendi instaret, illa fortiore nisu ad excludendum aptè fœtum feliciore infantem exitu bearit, seque à tam laborioso expeditam conatu immunem asseruerit à majoribus periculis. Fructus momordicæ pulpam cum butyro benè mistam obstetrices aliis pinguedinibus huic fini inservientibus commodè applicabunt. Quid fructus cucumeris asinini, quid persicariæ siliquosæ, noli me tangere dictæ, levi attactu dissilientes &c. in his difficultatibus, vel etiam promovendis secundinis possint, curioso naturæ scrutatori censendum & pensitandum relinquo. *D. Joh. Georgii Volikameri.*

Partus facilis redditus esu Cancrorum.

Soror mea Susanna cùm in partu laboravit, non potuit ulla ratione fœtum eniti, nisi prius edisset Cancros, hos enim maxime appetebat, & cùm vix unum comedisset, statim enixa est filium.

Vi imaginationis partum hunc factum luce meridiana clarius, quantum enim valeat imaginatio in prægnantibus videatur Thom. Pienus de Viribus Imagin. peculiari & egregio Tractatu. Puto quòd ab humoribus in partu commotis pica excitata sit, ita ut spiritus distracti cogitationibus, vim expultricem deseruerint & in opere retardarint; Pica verò sedata & Archæo inquieto pacificato, eo majori vi ac conatu rem cœptam perfecerunt. *D. G. C. Wincleri.*

Partum difficilem juvat usus Tigridis pellis.

Principissa Nassov. Hadamatensis, pro arcano in partu difficili sibi servat frustum cutis Tigridis, femori sinistro aliquando tentans certum expertus. *D. Joh. Dolæi.*

Mater & fœtus debiles partum impediunt, & urgent.

Maria B. è pago Tallvvyi oriunda, quadragenaria, prægnans, die vigesimo nono Decemb. Ann. 1681. queritur, se inde à quatriduo per intervalla pariendi dolores pati, cum rigore. Infans parum movebatur, & lac in mammis exaruit. Exibui aquam lil. alb. serpil. meliss. cinnamom. & matricalem nostram cum borace & tabulis alkermes: item spiritum salis armoniaci in juscculis: jussi bibere vinum decocto agrimoniæ temperatum, & edere juscula è ciceribus rubris parata, nec multò post feliciter peperit, & sana evasit.

Scholion) Evenit multoties, ut matris & infantis utero conclusi debilitas partum urgeat, non tantùm propter vitam calamitosam, quæ lætos spiritus vitales obtundit, sed etiam propter labores graves, & alimenti penuriam: maxima enim pars morborum, quibus affliguntur pauperes à mala diæta dependet, hoc est, primùm à prava substantia & qualitate alimentorum, quibus utuntur, deinde à victu planè inordinato; nam aliquando cibis abundant, & famem iis nimium saturant, mox in penuria pristina vivunt, & diu esuriunt. Tertio à labore, & injuriis aëris, namque æstate expositi sunt solis ardori, hyeme ventis & frigoris, à quibus se defendere nequeunt; cùm vestimentis bonis careant. Nascuntur ergo inde cruditates, tot malorum causæ, quot morbi premunt inopes.

Ægram nostram pauperculam solus caloris & alimenti defectus ad pariendum ante tempus adegit. Rigoris causa est nervosarum partium irritatio. Infans parum movebatur, quia debilis fuit, debilitata simul & mater erat; tam arcta enim inter utrumque est conjunctio, ut eodem sanguine nutriantur, iisque gaudeant spiritibus.

Lac in mammis exaruit, quoniam impendebatur chylus, spirituosâ lymphâ turgidus conficiendo sanguini, & restaurandis viribus, quibus mater valde opus habebat.

Quamobrem deficiente apta materia, lactis fons in mammis exaruit.

Quomodo autem lac generetur, dixi in Clav. Med. Exercit. 1. pag. 13. aliis quoque de causis lac in mammis absumi potest: ob nimium videlicet calorem, vel sanguinis crassitiem & frigiditatem.

Quia verò ægræ nostræ lac defecit ob defectum alimenti & debilitatem virium, exhibui aquam cordialem fœtum pellentem supra notatam. Lac quoque vaccinum vel caprillum, cum sacchari rosati s. q. sumptum, alimentum est excellens; si quando verò calor immodicus lac aufert. venæsectio & usus seri lactis tunc prodest. Si crassities, & frigiditas sanguinis, jusculum carnium cum seminis fœniculi contusi ʒj. exhibemus; vel etiam decoctum fol. fœnic. cum

c. m ʒß. ſemin. urtic. Fomentationes quoque mammarum fiunt ex decocto foliorum fœniculi, naſturtii, erucæ, in vino albo.

Lactis defectus in mammis ſæpè mortem & matri, & infanti præſagit, imprimis ſi præter rigorem alia ſigna mala adfuerint, id quod accidiſſe memini Lugduni Gallorum prægnanti mulieri, quæ octavo graviditatis Menſe exſpiravit. In ea ſectionem cæſaream Menſe Januario 1671. adminiſtrari juſſit *N. Falconettus. Andreæ Filius*: Renuebant parentes: Tandem cultrô in uterum immiſsô extractus fuit fœtus omnibus partibus abſolutus, immobilis tamen & exanimis. Cranium ejus & dexter humerus livore ſuffuſus erat.

Matrem antiquus mœror ex odiô confecerat cum ſyncope, cujus cadaver colluſtrantes invenimus glandulas mammarum aridas & exſuccas, cor vietum, flaccidum & pallidum, ſine humore pericardii, pulmones nigris tactos vibicibus & atra ſpuma turgentes, thymum eroſum, cæteraſque glandulas abſumptas; in fundô ſtomachi inflammationis non lævia indicia. Inteſtina tenuia contracta erant, hepar tamen & lien incolumes. Cur verò gravidis & puerperis mammæ turgeſcant lacte, hic commodè diſquiri poteſt?

Veteres putarunt, Naturam mammis cum utero per infinitas penè vaſorum anaſtomoſes conſenſum indidiſſe, ut ab utero ad mammas ſanguis commeat, & viciſſim à mammis ad uterum, atque ſapienter ordinaſſe, ut toto graviditatis tempore ſanguis verſus uterum deferretur, quo fœtus inde formetur, & nutriatur: at partu edito, ſanguis ab utero ad mammas tenderet, ut ibi in lac mutatus infanti in alimoniam cedat.

De quâ ſententiâ, quid ſtatuendum ſit, in Clavi Med. Exerc. 1. p. 17. expoſui; Gravidis humidioribus ſanis ferme turgeſcunt omnes glandulæ, utero ampliato & grandeſcente, maxime autem glandulæ mammarum, ceu conſenſum ſingularem per nervos cum utero ſortitæ.

Turgeſcit quoque Thymus, & glandulæ alarum, colli, inguinum; dum enim fœtus perfectus eſt, & minus de ſanguine materno quàm antea in ſe recipit, neceſſariò lympha ſuperabundans glandulis copioſa advehitur, & imprimis etiam ſpirituoſior mammis, quæ lac exinde conficiunt, & per glandularum poros apte fabricatos percolant. *D. Joh. de Muralto.*

Aqua ante Puerperium quindecim diebus innoxiè effuſa.

Illuſtriſſ. Comitiſſa de Starenberg, quindecim diebus ante partum Aquam Puerperii ſemper rejicit abſque gravi damno, ubi maſculam prolem paritura eſt, non verò ubi fœmellam. An quia fætus maſculinus plus attrahit quàm fœmellus? An quia fortior maſculus motu vehementiori vias aperit? An præcox ille fluxus ſit hydropis uteri prodromus. *Dom. Pauli de Sorbait.*

Trifolii Fibrini vires in promovendo Partu.

Biduum Partus doloribus non procedente fœtu inſumſerat mulier ruſtica primipara 24. annorum, cùm conſilium rogarer, dedi ſtatim in aqua trifolii fibrini frigida ſumendum pulviſculum:

℞. Cinam. trifol. fibr. an. ℈j. Sal. C. C. volat. ℈ß. Miſc. f. pulv. Uſa hoc eſt, ſed ſine effectu, adeò ut & noctem miſera miſerrimam tranſegerit ſine partu. Manè, rogatus, repeto pulverem aliquot granis Salis C. C. auctum, quandoquidem hanc δυςοκίαν debilitati Matris fœtuſque, cujus motus ſenſim minor fiebat, juſto citius ab obſtetrice ad partum ſollicitatorum, unicè adſcripſerim, jubeo deinde Ol. trifol. fibrin. deſtil. umbilicali regioni inungi. Quid fit? Paucis ab inunctione minutis, manifeſtè fœtus exitum molitur, & paucis inde horulis prodit filia ſat elegans & vegeta, ſuccedentibus ſtatim omnibus quibus opus erat. vidi poſt aliquot hebdomades matrem filiamque vigentes optimè. Brevi poſt tempore alia mulier ruſtica ſimilibus doloribus per integram diem fruſtra fatigata, auxilium petiit, nullâ re uſâ quàm inunctione olei hujus ad umbilicum etiam brevi poſt filiam enixa eſt. Alia mulier Dralienſis, pòſt duriſſimos difficillimi partus dolores, circa pectinis regionem verſus ſuperiora dextri oſſis Ilium & lumbos horrendos per intervalla recurrentes dolores ſenſit, primis à partu diebus minimos, at nono ſummum exaſperatos. Non tumor exterius viſebatur, nec rubor. Credidi gravius quid ligamenta hujus partis perpeſſa. Leniendum dolorem, partem roborandam, materiam fortè vellicantem diſſipandam ratus, juſſi locum affectum inungi.

℞. Ol. Verbaſc. veteris ℥ß. Miſc. cùm aqua verò trifolii dedi Ol. trifol. fibr. gt. 3. Sal. volat. C. C. gt. 6. Miſc. Statim ab inunctione habuit melius, noctu ſudavit plurimum, unde quidem laſſata, ſed & malo aliquantulum levata fuit, donec continuatione inunctionis paucis poſt diebus dolore hoc liberata ſit. *D. Johan. Jacob. Willii.*

Parturiens ſine Aquis.

Anno Chriſti 1664. Diſputationis meæ Inauguralis cap. 18. inſerui Caſum fœminæ, quæ in lucem edidit fœtum ſanum firmæque valetudinis, nullis prodeuntibus aquis & pauco ſanguine, ab Excellentiſſimo Viro Domino Guernero Roſinckio P. P. apud Jenenſes Celeberrimo, Præceptore meo colendo communicatum. Nunc ipſemet quid obſervavi, referam. Civis cujusdam Luchovienſis uxor primipara, ſub medium hujus anni poſt Chriſtum natum 1671. juſtô tempore parturiendi conatus experitur, adeſt Obſtetrix, fiunt omnia ordine & decenter, infans etiam in recto ſitu & bene coronatus deprehenditur, nihilominus parturiens eniti non valet, locelli manent ſicci, & licet membranæ diſruptæ, ne guttula quidem aquæ prodit. Durant parturiendi conatus per biduum, incaſſum tamen laboratur. Meum cùm auxilium imploraretur, locellorum ante omnia ſiccitatem, pinguium & emollientium inunctione emendandam cenſeo, Galenum ſecutus, qui hoc tali in caſu faciendum eſſe monet, lib. 15. de uſu partium cap. 5. ubi addit, ſuô tempore obſtetrices humores quoſdam habuiſſe, quibus tali in caſu matricis Collum perfundebant. Unguentum autem, quod præſcribebam, tale erat:

℞. Unguent. de althea compoſiti ʒiij. Ol. Cheirini ℥ß. Pingued. gallinæ, Taxi an. ʒvi. Ol. Chamomill. cocti ℥j. Miſce f. unguentum.

Hoc Oleo Obſtetrix matricis Collum ſæpius & ſedulò inungebat. Interim pro matre & fœtu roborando ſequentem miſturam, qua ſæpiſſimè maximo cum ſucceſſu uſus ſum, præſcribo, cochleatim aſſumendam.

℞. Aq. pulegii, Fœniculi an. ℥ij. Vitæ mulier. ʒvi. Tinctur. caſtor. Croci an. ʒß. Syrup. de artheміſia ℥j. Miſce.

Ab hiſce medicamentis, mirum, intra bihorium enititur prægnans filiam ſanam firmæque valetudinis, debilem tamen à prægreſſis partus doloribus. Mirum poſtmodum nullam vel omninò exiguam & vix ſenſibilem lochiorum ſecutam purgationem. Intra hujus curationis tempus, ut & poſtmodum diligenter inquiſivi, an aliquot ante parturitionis tempus diebus, ſeptimanis, vel menſibus, quodpiam uteri ſenſiſſet diluvium; etenim licet ordinarium ſit, quod aquis emergentibus, dolores partus intra trium horarum ſpatium ſequan-

sequantur, nihilominus & haud ratum est; imò quotidianum, partum aquis jam prægressis retardari ad sex, decem, imò etiam viginti horas: quin & Amstelodami ante aliquot annos notavi trium septimanarum [& trium dierum ante partum spatium accidisse symptomaticum hoc diluvium salvo manente fœtu & justo egrediente tempore. Sed contrarium semper asserebatur. Est autem hæc fœmina pauci sanguinis, adeò ut vix semel intra trimestre utero, ut ipsamet mihi retulit, purgetur: Hinc & uteri pondus sine molestia, & fermè sine ullo impedimento tulit toto prægnationis tempore. *D. Alardi Hermanni Cummeni.*

De Partu difficili & Pudendis à gangrænoso Fœtu Infectis.

Circa illud tempus, 10. nempe Februar. noctu horâ 10. vocabar ad pistoris cujusdam uxorem juvenculam, justum gestationis terminum quidem emensam, sed difficulter admodum parientem, prominente nempe jam extra partes genitales fœtus masculi manu dextra, brachioloque sensim sequente, ast reliquo corpusculo intra uterum subsistente, nihil vel parum in tertium usque diem proficientibus puerperæ & naturæ conatibus, quos adjuvare idoneis remediorum auxiliis contendebam: sed incassum omnia. Verùm, cùm parum spei de salute superesset, ob deficientes puerperæ vires, & obortum putidum è brachioli propendentis gangrænâ jam infecti fœtorem, divinum subveniebat auxilium, dum stimulum ad urinæ excretionem ex improviso sentiret, & simul novum parturientis doloris nisum: quare è præsente tum obstetrice instanter sollicitata, ut quantum virium corporis adhuc restaret, eas intenderet ad omnimodam fœtus exclusionem, id quod animosè ac strenuè fecit, cum felici adeò successu, ut integrum puerulí emortui corpusculum exin fuerit exclusum; quod mox sequebatur secundina, fluxusque lochiorum moderatus. Superata autem hac calamitate, alia excipiebat non minùs periculosa, dum brachii gangræna jam humerotenus serpens, per contagium genitales partes inficiendo, ac insuper vesicæ cervicem lædendo, involuntarium urinæ profluxum irritaret, necnon sævum istis partibus dolorem induceret. Hæc malorum turma oppugnari utique mox debuisset congruis à perito artifice remediis, muliebris tamen prævalebat prudentia, insipientia potius nuncupanda, cujus inepto labore, per fotus, suffumigia, linimenta, & nescio quæ alia adhibita fanatica & exitiosa deliramenta, morbus adeò exasperatus fuit, ut exigua restitutionis spes amplius superesse videretur. Cùm itaque desperatam jam rem fœminarum cœtus ille cerneret, & mors quasi præ foribus præstolaretur, postliminio ego rursus vocatus, dum accederem, totum conclave, in quo patiens recumbebat, fœtore adeò inquinatum deprehendi, ut spiritum liberè ducere vix potuerim. nihilominus, etsi summis in angustiis versaretur, persuaderi tamen ægrè fuit passa, explorationem loci affecti vel à me, vel à Chirurgo ut admitteret. Tandem doloris atrocitate coacta inspectionem nobis concedente, comperimus attoniti horrendam partium istarum faciem, similem ferè ei, (quoad pudenda gangræna infecta) cujus Vir magni judicii, & indefessæ industriæ Theophil. Bonetus Anatom. Pract. lib. 3. sect. 21. observ 55. §. 14. Ex mea communicatione, benevole meminit. Labia enim istius partis obscœnæ, ut & perygomata, nec non vagina ipsa, ad internum usque uteri osculum, quantum ex ardore & dolore summo, in interioribus pudendi perpesso, ut & fœtore mephitico, ex partibus in profundo reconditis læsis exhalante, ac abscedente per particulas, convenientium remediorum usu, membranosa cervicem uteri investiente substantia constabat, gangræna mirum in modum corruperat. Verumtamen post alia atque alia solerter & indesinenter usurpata tam internè, quàm externè remedia, ministrante providi, & longo rerum usu probè exercitati Chirurgi manu, subinde cutis mortuæ pars plurima abscedebat, vivæ verò carnis particulæ in conspectum veniebant, mitigato insuper dolore atroci; & fœtore sensim evanescente, ita ut fiducia reconvalescentiæ haud mediocris conciperetur: quæ etiam Nos non fefellit, perducta nempe ad exoptatum finem (nisi quod urina quandoque involuntariè, sed indies remissius, stillatim flueret, imò ut plurimum voluntatis arbitrio succederet,) feliciter, unius mensis, curæ laboriosæ tela. Quamvis hoc jam tempore, quo talia scribo, ab isto quoque stillicidio immunis planè fœmina vitam pancraticè transigat; ut adeò de bufonis usti pulvere, tantoperè ab Henr. ab Heer observat. suarum 14. commendato, cujus nempe virtutem experiri animus erat, cogitare amplius nulla sit necessitas. Cæterùm observationi præfatæ non absimilem aliam invenio apud Magnificum Dom. Thom. Bartholinum Cent. 2. Histor. Anatom. 6. totum uteri collum sphacelo desperato infectum, feliciter tamen curatum exhibentem; prout etiam gangrænam in uteri ostio gravissimam fœtidissimamq; in Nobili Matrona sanatam Joh. Wierus lib. 1. observ. pag. 943. recensuit. *D. Lucæ Schrœckii.*

Uterus loco fœtûs incautè extractus.

Anno 1681. Junii 20. Dominus Daniel *Richter* Medicinæ Doctor, me præsente, aperiebat Cadaver Juvenculæ, Uxoris Andreæ *Thielens* Scriniarii, cui primiparæ alioquin robustæ obstetrix incauta, sub persuasione fœtus restitantis alterius vesana, uterum inversum planè, ut instar marsupii versi propenderet, atque cum hoc, ipsam vitam violentissimè extraxerat. *Dom. Christophori Seligeri.*

Scholium.) Cùm vel alias uteri prolapsum fœminas à partu difficiliore incurrere novum non sit, eò faciliùs, si obstetricis imperitæ temeraria violentia accesserit, idẽ continget; quo nempe tempore uteri substantia adhuc cum ligamentis suis laxiori textura prædita violentæ tractationi promptiùs cedere cogitur. Quale etiam exemplum Petr. Marchettis observat. Chirurg. 61. recensuit, ubi obstetrix secundinas à partu non statim proheuntes extractura, & uterum nonnihil laxatum deprehendens, magna vi manibus eundem extra pudendum, letali subsequente effectu, dejecerat, exemplo, uti verba Autoris habent, obstetricibus, quæ omnium peritiam profitentur, quanquam imperitissimæ, ut secundinas sponte potiùs prolabi permittant, non violentis manibus eas sollicitent, aut earum loco uterum ipsum extrahant, quamplurimis mortis auctores. Confer. D. Nicol. de Blegny Zodiaci Med. Gall. Ann. 3. Mens. August. observ. 8. & D. Franc. Mauriceau de morb. muliet. lib. 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 6. (*L. Schrock. L. F.*).

Partus faciles.

Meo tempore matrona quædam Nobilis & perhonesta fuit Noribergæ, Consiliarii uxor, quæ quotiescumq; pariendi hora instaret, semper stando, cum dorso mensæ innixa, ad partum laboravit. Et sub labore, pro mitigandis partus doloribus, micas panis ex hydromelite continuò manducavit, facilè sic feliciter, semperque levata fuit.

Itemq; mulieres quasdam villicanas vidi, quæ Noribergæ in horto meo suburbano tempore belli Suevici hospi-

hoſpitabantur; eę poſt levem partus nixum, ſtatim è lecto ſurrexerunt, ipſæque è partu recentes, vitulum, vel juvencam, vel neſciendem propriis manibus ſuis mactarunt, cubiculum mundaverunt & lavarunt, pro epulo ſolemni, rurſumque tunc ſe lecto committentes, ſtrenuè cum compatre & cæteris invitatis comporarunt & comederunt, ſine omni fatigatione atque ſanitatis noxa. D. *Joh. Helwigii.*

Scholion Schrockii.) Licet Divinum iſtud decretum de partus doloribus, in pœnam inobedientiæ, muliebri ſexui impoſitis, omnes gravidas in fœtûs excluſione ſubire, nemo dubitare queat, minoreſve; tamen illos pro variarum circumſtantiarum ratione, eſſe ſimul notum eſt; ut ita ipſe etiam partus, qui facillimè abſolvitur, dolorificus exſiſtat, atque illos maximè falli, alioſque decipere, crediderim, qui de Americanis, aliiſve quibuſdam remotarum terrarum mulieribus perſuadere conantur, eaſdem abſque ulla moleſtia vel dolore fœtus ſuos excludere, quam ſanè fabulam ex gentium iſtarum conſuetudine ſibi finxerunt, poſt editum nempe in lucem infantem ſe mox lavare eas, adque labores conſuetos ut plurimum ſeſe conferre obſervantes; id quod robuſtæ fœminarum illarum naturæ, & partium genitalium naturali amplitudini, ac laxitati, ipſiſque etiam infantibus firmiorem corporis conſtitutionem nactis adſcribendum eſſe, hariolari licet: quin & mulieres illæ adſuetæ cùm ſint laboribus, ob idipſum, judicio Ariſtotelis lib. 4. de generat. animal. cap. 7. partum faciliorem experiri dicemus. Quę ſanè cauſa, aut quæ plures poſſint eſſe aliæ, in villicanis quoque iſtis, ab Auctore noſtro memoratis, locum habent. Quod ſi quandoque inſcię mulieres pariant, laboreſque in enitendo haud perſentiant, eaſdem eo ipſo tempore aliis doloribus majoribus, alteros illos quaſi minores obfuſcantibus, vel morbosâ quâdam inſenſibilitate laborare credibile eſt; qualia exempla apud Auctores occurrunt, mulieris præcipuè Prægnantis in Nicol. Tulpii lib. 1. obſerv. medic. cap. 10. tam acerbis nervorum contractionibus adflictæ, ut pepererit, ignara tamen partum illum à ſe editum.

Partus difficiles.

Perſæpè obſervavi partus difficiles fieri non ſine matris & fœtus vitę diſcrimine, cùm funiculus umbilicalis infantis collo, vel cruri ſimul & alteri, vel utriſque obvolutus invenitur aut ſentitur, & niſi in tempore ab obſtetrice evolvatur ſub enixu, infans facilè ſtrangulatur. *D. Joh. Helwigii.*

Scholion Schrockii. In naturali & genuino partu duo requiruntur, quæ ſibi invicem operas mutuas pręſtent; nempe parturiens mater, & pariendus fœtus. Qui ambo niſi ad hoc negotium parati fuerint, [vix ſuccedit felix partus: verba ſunt Magni Guil. Harvei in Exercit. de partu. Quæ omnia prolixiùs deducere; cùm difficilioris partus cauſę paſſim doceantur, haud opus eſt; ex fœtus ſaltem parte quæ contingit difficultas, ob funiculi umbilicalis collo circumvolutionem, paucis hîc conſideranda. Iſta enim vaſorum umbilicalium congeries ex uterina placenta prodens, ſupra frontem embryonis naturaliter ut plurimùm fertur, atque reflexa per occipitium decurrens, ad umbilicum dein ſolet deſcendere, ſi itaque anteriori etiam parte delabatur, collumque circumdet, quia hac ratione brevior evadit, fœtum retrahendo, vel ſimul ſecundinam cum fœtu ad exitum rapiendo, partum reddere difficile, imò in ipſo egrediendi conatu embryonis fauces laquei inſtar couſtringere, eumque ſtrangulare poteſt. Sic. Ill. Thom. Bartholinus collo aliquoties circumductum vidiſſe ſeſe, lib. 1. Anatom. reform. cap. 27. teſtatur., unde ad horas pluſculas dilatus fuerit partus, prodienſque infans vix ſpiritum traxerit. Cujus etiam exemplum in nepote ſuo recenſet. Stephanus Rodericus Caſtrenſis Exercit. medic. 21. qui cùm ex materno clauſtro egredi tentaret, laqueus ille collo circumvolutus, cum ſuffocationis metu, conſtringebatur, unde infans ab exeundi impetu aliquoties retrahebatur, donec tandem obſtetricia manu aliquantulum eo relaxato lividus omnino & penè ſuffocatus hîc in lucem prodierit. Et Clar. Joh. Bauhinus apud J. Schenckium lib. 4. obſ. med. ſimilem periculosâ circumvolutionem, bis terve collum ambientem obſervaverat. Nec minori multùm diſcrimine caret, ſi idem funiculus ipſum corporis truncum circumdet; cujus ſpecimen matri ac fœtui lethale exhibet Guil. Fabricius Hildanus Cent. 4. obſ. chir. 57. ubi vaſa umbilicalia non tantùm bis ita circumducta fuerant, ſed & brachium ſiniſtrum cum crure dextro eidem colligaverant.

De Partû difficili à fœtûs ſitû inconvenienti.

Multi extant modi, per quos in hanc lucem eduntur fœtus, me tamen ſimilem modum quem jam referam, & ab Obſtetrice noſtra ordinaria accepi, legiſſe non recordor:

Civis cujuſdam uxor devenit ad partum difficillimum & p. n. fœtus porrexit unum pedem, altero pede ad caput prorſus reflexo, ſicque fœtus duplicatus quaſi, ac ſemper pes exitum moliens, licet ab obſtetrice reponeretur ſæpiùs, tamen annuente gratiâ divinâ, fœtus ad ſitum naturalem & convenientem pro partu reductus, inque lucem poſt longum laborem editus. Ita ut hunc partum magis demirer, quàm eum apud Curioſos noſtros Anni 1. Obſerv. 49. p. 145. ab Exc. D. Friderico Ferdinando Illimer à Wartenberg unico extractum communicatum. Magis hic fœtus ſtupendus, & omnium difficillimum conatum pariendi fecit; Hæc quoque obſtetrix referebat fideliter ſe non ſemel vidiſſe quod fœminæ pepererint ſine aquis; ac harum aquarum receptaculum prorſus ſiccum inventum, verum partum tum ſemper eſſe difficilem: Etſi eveniret quòd hęc ordinaria eluvies efflueret juſto citiùs, rum partum remorari ad vi. xii. xxiv. horas, vel etiam ad tres dies, longiorem moram nondum experta eſt; De Infantibus hæc referebat, quòd interdum cum tumore in lucem edantur, qui tumor ſi rubet, vel alterius eſt coloris, nil mali metuendum. Dum autem pallet, infauſtum ſignum eſt, ac mortem denotat; illud ſeſe jam in tribus infantibus, quibus tumor palluit, verum deprehendiſſe. Omnes tres enim non multò poſt extincti ſunt: Tumorem hunc mulierculæ noſtræ vino calido butyrato fovent. *D. Joh. Ludov. Hannemanni.*

Partus difficilis, cum vitalis fœtus & duplicis mole excluſione.

Ad militis cujuſpiam uxorem, difficultate pariendi graviſſimè laborantem, nec ullum à biduo calcitrantis antea fœtus motum amplius ſentientem accerſitus, fœtuſque hoc & uſque extinctionem ſtatim auguratus ſignis, ejuſdem quamprimum excluſionem, exitii materni metu, ſum molitus. Præcipitatâ itaque auxiliis adhibitis mediocri Molâ, major altera ſubſequuta eſt, verùm ita fracto parturientis animo, ut conclamatum de miſera putarem, cùm illa novas, tribus horis poſt, recolligens vires, gracilem quidem & mortuum, at partibus omnibus abſolutum fœtum edidit, ac tandem evaſit. *D. Franciſc. Bouchard.*

Directio & Extractio fœtûs vivi sincipite ad pubem compulsi, manumque sinistram exserentis.

Conjux Ar. perdilecta die 22. mensis Septembris anni 1683. post aquarum copiosarum haud dolorifico effluxu, rursus pariendi per aliquot horas atrocissimos absque fœtus promotione sustinuit: Situm infantis vitiosum esse marcule afferui, neque fœminam ulterius urgeri permisi, digito, ut decet, rem examinans, adstantium precibus commotus, ad operandum me accinxi, & manum Infantis sinistram juxta osculum uteri repertam molliter reposui, ne subsequentibus conatibus foras protuderetur: faciem sursum spectantem, & frontem cum sincipite pubi adstantem non attigi, sed occiput Intestino recto incumbens prehendi, & vel tantillum loco dimovi, quo facto frons lubricatus, & puer salvus feliciſſimè in lucem editus est.

Partum hunc dolores lancinantes in ventre usque ad tertium diem, sive lactis ad mammas trajectum, subsequebantur.

Scholion) Quamdiu puer utero materno conclusus, funiculo umbilicali vinctus, hæret, & fovetur materno calore, tam diu vivit quoque vegetus, quanquam integro octiduo juxta osculum uteri capite provolutus substiterit, neque arcta uteri claustra dilatare nisibus quoque vehementiſſimis potuerit. At, si puer situm depravatum habuerit, & laboribus nimiis in vaginam usque promotus sit, nisusque eundem oppresserint, vel si colliquamentum amnii deficiat in integrum; funiculus frigefactus fuerit, conatus superiora petant, vita hæc sat diu duratura extinguetur, & puerpera in statum periculosum redigetur: Hæ autem difficultates superabuntur si, statim atque animadvertatur, nisus neutiquam pertranseuntes, & deorsum ad uterum vergentes veros, (signis cæteris ad partum requisitis præsentibus) urgere, sed gravidam ad murum velut & in vanum omnes suas vires & conatus impendere, non exspectetur, usque dum manui operatrici via præclusa fuerit, sed intellecto infantis situ, manus operi admoveatur, & infans malè situs in naturalem situm, quantùm possibile, reducatur, id quod absque omni periculo fieri potest, si cum prudentia & Dei auxilio res perficiatur, ut id ex præsente Operatione & observatione innotescit.

Causa Vitę tamdiu durantis in infantibus dependet à Spiritu astrali, sub forma flammæ vitalis, ope matris per venam umbilicalem ad puerum deducto: atque essentia idem spiritus est, quem Observ. 1. de musca aquatica Tigurina descripsi: Hujus flammæ vitalis parva quædam initia, s. scintillæ ab ipso conceptu in amplexu venereo excutiuntur, & in semine conservantur, à materno, blandoque ovi calore suscitantur, parum gliscunt, micant, instar titionis cinere obvoluti leviter tantum ardent, donec partu tempestivo in lucem egressus spirare incipit, quo tempore flamma vitalis pabulum nitrosum illico ex aëre accipiens latiſſime sese expandit ac per totam massam sanguineam effervescit. Vide Clav.Med.de Sang.pag.127.

Pabulum hoc nitrosum, s. occultum vitæ cibum in aëre contineri sublimiorum Naturæ scrutatorum communis fert sententia, idque ratione salis sui mirabilis, quæcunque penetrantis, resolventis & volatilisantis, atque universalis quasi solventis. Unde tanta respirationis ad vitam emergit neceſſitas, ut quæcunque animalia, simulatque ex ovis semel eruperint, aëris perneceſſario victu neutiquam carere possint, ipsis etiam Insectis, ut supra citavi, eodem indigentibus, non secus ac pisces, aquarum licet incolæ. Vide Doctiſſimi Ettmulleri Valetudinarium.

Cavendum proinde summopere, ne flamma hęc extinguatur in utero; frigus fugiendum: effuso amnii liquore matri quiescendum aliquantisper, ne situm depravatum acquirat pusio; neutiquam cunctandum ob alimenti penuriam, & loci augustias, dum enim apud nostram uterus quasi exaruit, & solito siccior redditus fuit, infans loco sese divomere non potuit: adhæc post liquorem amnii effusum, aut subito ingruunt nisus vehementiores; aut ante effusionem nisus præsentes in momento quasi pereunt; illud si fiat, antequam urgeatur puerpera, situs est examinandus: hoc verò facto, in lecto quiescendum, usque dum Natura sese recollegerit, & fibras nimium extensas, aliquo usque contraxerit.

Naturam Colliquamenti explicavi Clav. Med. pag. 23. & 158. item Ephemerid. Decur. annor. secundæ tom. 1. Obs. C. d. 233.

Aquarum autem copia, quæ ex abundante in sanguine sero judicanda est, ad amnium derivabatur ob tractum suctumque fortiorem, & concitatam sanguinis circulationem, qua secretiones quoque copiosiores evadunt. Dolorum verò atrocitas non aliam agnoscit causam, quàm contusionem & extensionem fibrarum, tendinumque uteri lateralium juxta pelvis ossa constitutorum, qua tristis hæc sensatio divisionis continui oborta fuit: Constitit nempe infans sincipite ad pubis os firmiſſimè, facie sursum porrecta, manuque sinistra osculo protensa, qui situs rarus est admodum, & à paucis observatur: Manus primò reponi debuit, ne nisu ulteriore foras in vaginam protunderetur, & caput supra pubis os pelleretur, sicque periculosior partus evaderet, reposita manu, caput non versus anum depuli, tum ob faciem teneram, tum ob repositam manum, ne iterum procidat, sed saltem circa caput olea inungendo, occiput loco dimovi & uteri orificium quantum poſſibile dilatavi. Situs alii vulgares sunt, quamvis periculosi quoque, nempe dum Infans ad partum venit pręmissis pedibus, manibusque ad femora deductis: dum in pedes partus procidit, manibus supra caput protensis, dum uno tantùm pede infans prodit, brachii: circa latera demissis, retroverso pede alteros dum per transversum jacet infans, & in latus procidit: dum distortis pedibus atque brachiis ad partum properat infans: dum utroque genu in partum infans procidit, manibus circa femora demissis; aut, manu tantùm alterutra ad partum accedit, altero brachio circa latera deducto, pedibusque ad uteri fundum ritè porrectis: dum utrumque brachium juxta caput protensum ad partum venit, pedibus in uterum porrectis, & facie sursum reclinata, quæ figura proximè ad nostram accedit, & admodum periculosa est: aliquando natibus infans ad partum primò procidit, aut inflexa cervice, pronis ad partum humeris, retroverso autem capite, surrectisque pedibus ac manibus, subinde manibus & pedibus simul ad partum inclinat, interdum autem fit, ut pectore primùm prodeat retro manibus, pedibusque conjectis & aversis: Contingit prætetea forma naturali partum comparere geminum, præmissis ad exitum capitibus, vel obversis ori matricis utriusq; infantis pedibus, vel alterutro infante in caput altero in pedes demisso: persæpè quoque umbilicus utero propendet, remanente fœtu vegeto, vel mortuo: horum autem situum pręternaturalium cura succeſſivè in his observationibus nacta occasione tradetur, & quo pacto convenientem situm facere deceat, vel etiā dirigere, propellendo, adducendo, flectendo, in rectum agendo, fusiùs demonstrabitur: nunc id tantùm observari velim, prætermissam manum haud nunc extrahere oportuisse, ne magis affirmaretur, luxaretur,

luxaretur, vel etiam abrumperetur, verùm digitis humero infantis affixis repellere, & inconvenientem ordinem restituere. Dein si vel duplicatus, vel transversus, vel pronus feratur infans, sursum priùs ipsum ab uteri ore sublimem blandè impellere, dein prehendere rursus, ad os vulvæ sensim in caput erigere: & tandem in gemellis summâ prudentiâ procedere.

Partum hunc subsequebantur dolores lancinantes in ventre, qui oborti sunt à collectione & retractione fibrarum extensarum & contusarum, quæ contractio ad sua principia simul heterogenea quæque dolorifica è spatiolis suis expulit, qualia sunt aër derepentè post partum subingressus, utero inimicissimus: flatus intestinorum uterum molestantes, lochia impura, chymi refluxus per massam sanguineam, cotyledonum, quibus inhærebat placenta, constrictio; excoriationes & ulcera, vel vulnera & inflammationes idem præstare queunt.

Vulgatum in lacinationibus post partum remedium præbet Oleum Amygdalarum dulcium cum Syrupo capillorum veneris, aliàs vix obtundendi & sopiendi sunt hi dolores, quia semper quid lochiorum & impuritatum secum ab utero evehunt.

Duratio horum torminum usque ad lactis in mammas trajectum, seu tertium à puerperio diem perseverabat, hoc enim tempore lac ab utero in mammas uberius & cum impetu quodam fertur, ut citò eas ad tensionem usque impleat, & aggravare incipiat. cum febricula quadam, lactea dicta, aliisq; symptomatibus, quibus lactatione resisti commodè potest, ne videlicet in grumos abeat lac, vel mammæ inflammentur, vel repulsione facta per topica repellentia, cum lochiis sub specie humoris purulenti albicantis ex utero effluat.

Lac autem quid sit, Anno 1. Ephemerid. Decur. secundæ, & in Clave mea medica explicui, nempe chylus lymphâ temperatus, spirituosus, cum sanguine in corpore circumfluo ad uteros & mammas delatus, & ibidem in apertos poros secretus: non est chylus crudior, qualis in vasis chyliferis reperitur, quanquam & hîc lympha varia, tum juxta hepatis cava, tum juxta collum, tum circa inguina & lumbos diluatur, sed spirituosus admodum, magisque exaltatus, (de quo videsis Exercit. 9. Pœonis & Pythag. pag. 46. &c) ut vel in ventre aut sinu materno gestato fœtui alimoniam suppeditet; vel ingravidationis tempore, portione quadam ad uterum derivetur, & ultimis mensibus aliquantulum; uberrimè post puerperium in mammis (stantibus circulationis legibus) deponatur. Clariss. *D. Joh. de Muralto.*

Extractio fœtus mortui, pedibus usque ad axillas, ex utero pendentis.

Fœminæ Q. R. quadraginta duos annos natæ, aquarum vix quicquam effluxit, hinc violentis nisibus, pedibus ad partum properabat masculus, cubito utroq; cum capite intra uterum ad mortem usque recluso: vocatus, cubitum dextrum ad anum positum deinde integrum corpusculum molliter attrahere tentabam, sed os pubis brachio, quod continebat, impedimento fuerat: ne autem vesica urinaria, vel partes adjacentes læderentur, sensim integrum corpus æqualiter inverti, ut, circumducto collo, & caput moveretur, absque omni attractione, sic cubitus sinister versus anum depulsus, securè inflexus & exemptus, atque puerpera liberata est: Infans crustâ caseosâ obductus, ac tanquam glutine illitus erat.

Scholium. (Aquarum Amnii defectus æquè periculosus est, atque abundantia earum, illud Infantis ad partum nondum bene compositi præcipitationem, & situm perversum; hoc autem motum infantis justo tardiorem, & provolutionis ad partum ineptiam; parienti dolores atque molestias vanas, ventrisque lanciationes & tormina causatur: hinc urgentibus conatibus, eò tempore, dum in ipso ad partum accessu sive provolutione puer desudat, quacumque positura & situ præternaturali infra osculum compulsus jacet & instar trunci immobilis hæret, ut in hac observatione conspicitur. Debet enim fœtus illis humoribus, tanquam molli culcitræ innatare, illosque pro munimento & promontorio quasi agnoscere. Dum igitur humores emanant, fluxu suo & inundatione vias lubricant, ac nisi partus statim subsequatur, & ad tempus vel dies aliquot moram nectat, alimentnm fœtui decedit, partusque fit difficilior, fœtus imbecillior, & consequenter necessariò moritur.

Colliquamentum hoc, s. liquor serosus, naturaliter magnâ copiâ colligitur in Amnio, imò prius quàm fœtus ferè constituatur, aut vestigium ejus ullum extet, & quàm primùm fœtus jam conspicitur, & adhuc totus mucilaginosus, ac perexiguus est, quamvis maxima tunc copia aquæ hujus conspicitur, ut in illa natare Embrio, licet exigua corporis adhuc dum mole præditus, videatur. Vide pag. 23. Clav. med. Nihilominus tamen calore hepatis & uteri, vel alia causa siccari liquorem huncce benignum, certum est, & in gluten s. caseosam materiam abire, ut infantum corpora crusta hac & lanugine viscida, cutis extimæ regioni adhærente, obducantur.

Pedibus ad partum properabat masculus ad axillas, perpetuisque nisibus tandem enectus, ita pendulus, usq; dum suppetias ferrem, permansit. Horrendum est Obstetrices sine ratione nimium audaces esse, & in tali quoque casu; ubi viventi puero pedibus utero egresso manus & brachia juxta caput sursum porrecta restarit ibidem, miseras parientes vi impellere, & ad enitendum urgere, haud percepta ob loci angustiam & situs pravitatem; impossibilitate, sic enim factum, ut pusio frigefactus, & flamma vitalis per venam umbilicalem infanti advecta, fuerit extincta, vesica & alvus matris compressa, membra superiora luxata sint, denique mors adventarit. Multò autem consultiùs egissent, si puerperam in lectum deduxissent, infantemque pendulum commodè ibidem locassent. & lacte tepido fovissent. usque ad meam præsentiam, tunc enim ego cubitos ad pectus, manu axillis blandè admota, duxissem, cæteraque ex arte peregissem, & cum Deo infantem servassem: Spero tamen, imposterum Obstetrices suum officium meliùs observaturas esse, ne negligentiæ accusentur, & conscientiæ maculam sibi inurant: Nam infans superstes modo, quem in observatione retuli. excipiendus non est, nisi admodum parvus & gracilis sit, & diductum admodum matricis extiterit orificium, ut facilis exitus sine matris & infantis nocumento omninò sperandus sit: nec tamen eum prius excipiet Medicus, quin ante uterum & infantem diligenter perungat: multò autem consultiùs &, quod repeto, utrique salutarius, partum vivum pedibus ad orificium stantem in uterum repellere, & ad legitimam formam convertere, in hunc modum: Ægra se supina in lecto reclinabit, capite retrò demisso, sublimioribus natibus: quo facto, operator Medicus ventrem ipsius, præcordia versus, mediocriter stringet, ut in uterum infantem ipsum repellat, & aliâ formâ prodeundi occasionem ministret. Ante omnia autem curabit, ut faciem infantis tergo matris obvertat, deinde infantis nates & crura, umbilicum matris versus elevet, ut ad legitimum partum acceleret.

Similem ferè obſervationem notavi in uxore B. L. è pago Urdorfenſi, 30. annorum, quæ infantem pedibus prodeuntem ad pectus uſque peperit, reliquũ corporis, etſi dolores perſeverarent, edi nequiverat, ſed moriebatur puellus: vocatus, utrumque brachium reflexum ulnis coxendicis oſſibus ſ. pelvi adſtitiſſe comperi, & reduxi, ſicque ægram liberavi.

Fœmina hæc vinum novum & auſterum, poſt tres à partu ſeptimanas affatim hauſit; inde urinam retinere nequivit, ſpiritu tamen ſalis armoniaci, & thermis Badenſibus noſtris reſtituta eſt: nam auſteritas vini non tantùm conſtrictionem maſſæ ſanguineæ, & hinc ſeri expreſſionem per veſicam, ſed etiam uteri inflationem, & veſicæ fibroſæ compreſſionem excitavit, hinc fibræ hæ enervatæ per partum, frigore & aciditate ſtupefactæ ſeſe contrahere nequiverunt, quare & remedia dicta fibris vigorem conciliando profuerunt. Vinum hornum, à fæcibus nondum probè depuratum, fermentando in ſtomacho facillimè aceſcit, & urinæ ardorem atque incontinentiam puerperis cauſatur, infantibuſque. ut & acetum ſummòpere nocet: Acidum enim morborum infantilium, lactantium, & puerperarum, tormina & lancinationes excitando, frequentiſſimus author exiſtit: bibant ergò tales mulieres vinum tenue, rubellum antiquum, quod eas roboret & lac augeat, vinum tamen vinoſum forte vitetur, ſed ſi urgeat ſitis, calor, dolor papillarum & capitis, alvus adſtrictior, utantur emulſione amygdalata cum decocto hordei parata, addito oculorum Cancri tantillo. Clariſſ. *D. Joh. de Muralto.*

Extractio fœtus in utero putreſcentis, & manum dextram exerentis.

Bibliopegi M. uxor, 30. circiter annorum, die octavo Auguſti Anni 1682. Bada Tigurum me vocari voluit thermis ut manus auxiliatrices in promovendo partu adhiberem, fœtumque extraherem: Infans capite prono oſſi pubis firmiter adſtans, manumque dextram, relictis intra uterum partibus reliquis, exſeruit, id quod ante triduum exactum, ob lochiorum effluxum copioſum ei accidit: præſens cum Excellentiſſimo Domino D. Joh. Henrico Lavatero, noſtrate, & Celeberrimo D. Artheaudio, Chirurgo Lauſanenſe, vidi infantem mortuum, fœminamque extremè debilem, motibus convulſivis vexatam eſſe, adeòque ob fœtorem cadaveroſum intolerabilem, ſi Naturæ negotium committeretur, ægram de vita periclitari: Senſim brachium, quod ſphacelatum erat, neque intrudi ullo modo potuerat, intorſi, ut in articulo humeri ſepararetur, ſicque manui meæ nihil impedimenti adferat: ſed per infortunium humerus fractus eſt, ut nil aggredi potuerim, antequam proſtantia oſſa acuta forcipe ſemota fuerint & lævigata, ne vulva vel veſica læderetur, tum alterum infantis brachium prehendi, ſed ob craſſitiem corpuſculi, & magnitudinem capitis infantem putidum loco dimovere nequivi: vires ſufficientes mihi haud reſtabant, ut in pedes inquirerem; rogavi comitem meum, Chirurgum prælaudatum, ut & ipſe ad opus ſe accingeret, quod fauſto omine factum, nam & alterum brachium ſeparare, & pertuſo pectore lateraliter viſcera eximere debuit, ut via pateret ad pedes uſque in utero reconditos, arripuit cautè dextrum pedem, & ita illam molem reliqui corporis invertit, magnâque operâ fœtum mutilum eduxit: funiculus diſruptus & placenta utero inhæſit, quam ego demum cadaveroſam conquirere & eximere debueram; ſanguis poſt partum effluxit copioſior impurus, ſupervenere convulſiones, frigidi ſudores, & morti vicina ab omnibus credita fuit: Ego tamen, cui ante biennium in partu quoque adſtabam, meliora ſperavi, dummodo adſtantes juſſa mea non neglexerint, nempe ei pulverem marchionis in Aq. plantag. & fol. quercus cum ſacch. roſ. tabell. exhibuerint; Epithemata adſtringentia lumbis applicarint, Lactis ſerum cum roſis propinarint, vulvam in quavis hora; & dorſum bis de die oleis conſuetis perunxerint, juſcula hordeata, paſſulata, &c. cum ſale volàtili oleoſo Sylvii exhibuerint: Tribus poſt ſeptimanis bono cum Deo ſalutem recuperavit; & hocce momento partui vicina iterum opem meam imploravit.

Scholion.) Lochia ſunt ſanguis intra poros & vaſa uteri contentus, qui poſtquam placenta decedit, effluit: hic ſanguis ſingulis menſibus in utero augetur, & habitaculum Pueri calefacit, atque à variis injuriis tutius reddit, craſſiuſve: ſolo tempore & quantitate à menſibus differt: nam menſtrua ante partum, lochia poſt partum dicuntur. Horum autem lochiorum fluxus p. n. multùm variat, & vel quantitate vel qualitate peccat: aliquando fluunt ante partum, aliquando non fluunt ſine incommodo, plurimùm autem incommodi Puerperę patiuntur quibus p. n. retinentur, ob ſanguinis per novem menſes detenti à calore inductâ craſſitiem, & abundantiam, vel frigus in puerperio ſubtus pudendis admiſſum, quòd orificia vaſorum conſtrinxerit, graviſſima oriuntur ſymptomata, & quandoque mors ipſa obrepit: adeſt tumor ventris, lumborum dolor, febris, debilitas, difficilis reſpiratio, ſanguinis ſputum, vomitus, mania, melancholia, vigiliæ, delirium, quæ omnia periculoſiſſima ſunt. Immoderatus verò poſt partum fluxus ęgram debilitat, acciditque à ſanguinis nimio fervore, copiâ, tenuitate, viarum laxitate, & dilaceratione vaſorum: pulſus redditur frequens, debilis, cibi faſtidium ingraveſcit, viſus imminutio, aurium tinnitus, grumi ſanguinis utero eliduntur: Dolor lumborum & hypocondrii adeſt, cum torſione ventris & magnâ febre. Quòd ſi ante partum hic effluxerit ſanguis, ut in Obſerv. preſente, eadem ſymptomata excitantur, ſitus infantis invertitur, & mater & fœtus maximè debilitantur, & in vitæ periculum cadunt. Motus convulſivi ferè nunquam abſunt, hinc meritò quæritur, Cur exhauſto ſanguine motus convulſivi puerperas invadant? Putarim, quia per inanitionem lympha, & ſpiritus inde generati, quos blando, dulcique chyloſo humore cum ſanguine circulante enutriri & refici convenit, acrimoniam contraxerunt, ut irritatione & vellicatione in nervis oborta, verſus ſua principia contracti fuerint, ſeſe corrugarint, atque hos motus p. n. inſtituerint: Nervorum enim motui dicarorum, & partium valdè nervoſarum proprium eſt, ut vel ad impetum voluntatis, vel neceſſitate ſuadente, in illarum partium motu, quæ voluntatis imperio non ſubſunt (cujuſmodi ſunt motus ventriculi, inteſtinorum, cordis, aliarumque partium) continuò corrugentur, breviores fiant, ac ſe contrahant: ſi itaque à re peregrina ſollicitentur & ſtimulentur, idem, ſed validiùs facient: ſic ventriculus ex. gr. angue & lignorum ſegmentis latentibus, helleboro, vel chelidonio majore propinato, imò cicuta aquatica deglutita, irritatus: ſic inteſtina clyſtere acri ſtimulata, protinùs inſurgent, verè omnes nervos, quibus abundant, intendent, ut hoſtem expellant, idque revera nonniſi illorum nervorum beneficio, qui utrique ſenſum & motum largiuntur: Ut Clariſſimus D. D. Wepferus aliquando certior fieret, hos motus violentos ab irritatione fieri, in ranis vivis nervos crurales denudavit) & acu pupugit, protinus tunc motibus convulſivis pedes concutiebantur, nunc rigidi perſiſtebant, prout vel ictus iteravit, vel acum pertinaciùs nervo affixâ inſigni tenuit. Id poſtmodum ſæpiùs quoq; in Canum vivorum ſectione eodem ſpectaculo

tentavit:

tentavit: non semel corda Canum, Lupi adulti, Gallorum gallinaceorum apice cultri anatomici irritavit, ut vim ejus in motu peragendo oculis usurparet: in Gallis & Lupo imprimis citò in validissimos motus proruit, & vel extra pectus erupturum Cor videbatur, imò jam ferè emortuum, denuò titillatum, motus rursus exordiebatur. Adeò ut nullus dubitem, nervos ipsos, vel partes nervis præditas, stimulatas, validissimos motus instituere: quod amplius venena, acria purgantia, vomitoria, maximè antimoniata & mercurialia, sternutatoria, nervi punctim læsi, & sexcenta alia abundè confirmant. Quoniam verò pluribus convulsio, & convulsivi motus obtingunt, citra puncturam nervorum ab acu aut alio instrumento pungente, citra venenum propinatum, citra Helleborum, Antimonium, Mercurium, & alia hujus generis assumpta, necessum est ut analogum quippiam in corpore humano generetur, quod nervos, nervosasque partes ad motum contractivum proclives, irritare, stimulare & solicitare valeat, ut hujusmodi motus vel præter jussa voluntatis involuntarios, vel solito violentiores peragant. Hoc analogum procul dubio humor acris, mordax, nervoso generi inimicus erit, de quo plura legere est in Doctissimi mei discipuli Caspari Sibelii à Goor, M. Doct. & practici apud Amstelodamenses felicissimi Disputatione Inaugurali Leydæ Anno 1678. habita, pag. 7. 8. &c.

Inter operandum humeri os fractum est, siquidem ob sphacelum adeò spongiosa & flaccida membra reddita sint, ut os humeri citiùs fractum, quàm verò in articulo solutum fuerit: hanc fracturam subsequebatur periculum prostantium segmentorum pungentium, ne vel uterus vel vesica, partes præter modum turgentes & calefactę læderentur, & inflammatio excitaretur, quæ vel mortem causari, vel miseram per totam vitam reddere potuisset puerperam; coactus ergò fui prostantia ossa & segmenta inæqualia scabraque forcipe prehendere, circumducere, & in articulo avellere; idem factum est cum altero brachio, dum fœmina convulsa quasi & sopita jacuit, præterea & incisio in pectore facta fuit, interanea viscera exempta, ut ita corpusculum sensim, sensimque consideret, & pedes invenirentur, atque ita truncatus fiustillatim fœtus extraheretur.

Vires mihi non restabant sufficientes invertendi fœtum, nam quia omnis aqua diffluxit, nisus omnes evanuerunt, fœtus mortuus, fœtor intolerabilis, tantùm non ego animo defeci, & lipothymiâ dejectus procubui; tàm verum est, quod in Clave mea pag. 430. de officio Obstetricum, Operationes laboriosas & difficiles esse, notavi.

Operationem hanc varia symptomata exceperunt, auctæ sunt convulsiones, & sudor frigidus obortus est, &c. Idque ab extinctione caloris nativi propemodum totalis, & sanguinis infectione à miasmatibus cadaverosis per glandulas cutaneas eliminandis; item naturæ tantùm non oppressæ pugna cum violenta morte, ac ultimo quasi vitæ conatu. At quietem & obscuritatem imperavi, usumque præscriptorum medicamentorum: pulvis enim Marchionis insignes vires habet in præcipitanda acrimonia spirituum, lymphę, sanguinis & chyli, in genere nervoso roborando, heterogenea à centro ad circumferentiam promovendo: Epithemata adstringentia putredini adversabantur, sistebantque fluxum: inunctiones confortabant partes læsas, easque in vigorem pristinum reducebant, spiritusque animales in spinali medulla contentos, motus enormes spasticos excitantes, sopiebant. *Dom. Johann. de Muralto.*

Puerperæ nisus negligentis, & filiam tandem vegetam parientis, hæmorrhagia & mors.

Fœmina, (cujus Observ. præced. memini) die 20. mensis Octobris hujus 85. anni, triduo exacto, post aquarum fluxum, circa vesperam nisus denuò persensit, quas illa lancinationes perperam reputans, negavit, sed tremebant genua, æstuabat sanguis, conatus per vices se invicem excipiebant, infans probè obversò ori uterino vertice, collocatus fuerat: Pariens obstinata admodum laborare nolebat, nec blandè concitata, nec minis ad enitendum adacta, donec in absentia mea advocarint Matronam, cujus imperium jussu meo fideliter exequendum, ne infantis in angustiis hærentis vita periclitaretur, ut tandem intra trihorii spatium, puella salva in lucem edita fuerit, remanente in utero derepentè præcluso placenta, sanguine & lochiis tam copiosè manantibus, ut, obortis animi deliquiis debilissima evaserit. Bis itaque, sed tardiùs, vocatus existimabam hanc hæmorrhagiam fieri adeò copiosam ob placentæ retentionem, quam rogatus feliciter quidem extraxi, supra os pubis in utero reconditam, nihilominus multi sanguinis grumi sequebantur, & fluxio sisti nequibat, sed urgebat continuò, varia medicamenta frustrà tentata sunt, tandem ægra placidè defuncta est.

Scholion.) Quantum lucis ad morborum notitiam adferat Sanguinis Circulatio, præter infinita exempla id comprobat Observatio præsentis Puerperæ, cujus nisus suppressi per Circulationem in toto corpore circumacti, miras turbas crearunt, & ægra fortè restituta esset, si præsens statim post partum sanguinis tantillum è brachio, ejusdem Circulationis lege, vena secta, eduxissem. Proh! quàm miserè agitur in Republica, dum medicorum illi, quos ob singularem medendi peritiam & senium veneramur, hocce Inventum credere nolunt, & Circulationem sanguinis, motum à sedato Corde peractum, nugas esse dictitant, cùm Creatoris Opt. Max. & sapientissimi opus sit, quod cum veneratione potiùs suspiciendum est, quàm ob præconceptam opinionem, aut turpe in veritatem inquirendi fastidium exsibilandum. Inventum hoc maximi æstimat Helvet. medic. Coriphęus, Wepferus, his verbis: Huic Invento præclaro addictus sum, cùm non semel hanc sententiam publicis scriptis asseruerim, non solùm in tractatu de Apoplexia, sed jam ante triginta annos in disputatione mea Inaugurali de Palpitatione Cordis, & non ita pridem in historia Puellæ sine cerebro natę; quæ inserta fuit Anno 3. Collegii Curiosorum. Certè me tæderet Medicinam unquam addidicisse, vel illam profiteri, si hanc ignorarem. Neminem ita propria putatitia scientia tantoperè fascinatum esse, aut ita ab invidia, aut superbia vel nescio quo supercilio excæcatum credam fore, cui non volupe sit, vel tantillum operæ huic studio impendere, ne se toti mundo ridiculum præbeat. Novi Æmilium Parisanum egregiè hoc nomine à Riolano vapulasse, quamvis ipsemet non plenè huic sententiæ assenserit, quamobrem meritò à Slegelio castigatus fuit. Cui sordent Harvæus, Walæus, aliique hujus generis viri optimi, perlegat Conringium, veteribus, si quis alius, addictissimum, certè, nisi omninò veritatem ejuravit, tandem manus victas præbebit. Inclyta Universitas Lugduno-Batava, tale judicium de hac materia ad me perscripsit: Miramur esse hoc sæculo, qui Circulationem sanguinis negent, aut etiam spernant, eique hæreses multas in causis morborum tradendis ascribant: sed hoc quidem veritati Ordinarium, ut non habeat inimicum nisi ignorantem, &c.

Puerpera hæc misera, & cachectica, tandem partum suum laboriosum morte finivit, propriâ, ut reor, culpâ, quia nisus urgentes in sese redire passa, nullos ad expulsionem infantis impendit, & ad uterum direxit, unde sanguis serosus aliàs & acris, tantoperè excalefactus, & attenuatus, membra verò ita enervata sunt, ut post partum ille sisti nequiverit, etsi medicamenta præstantissima quæque exhibita fuerint. At causa, cur nisus retenti, sanguini & artubus incussi, Puerperam in tale periculum præcipitem agant, manifesta redditur, si natura nisuum s. conatuum, sanguinis item & membrorum alteratio per eosdem examinetur.

Nisus sunt perfecti infantis motus & impetus, quo exitum sibi ipsi procurat, ut uterus, hospitem importunum exturbaturus, suas & corporis universi vires ad pugnam solicitare & impendere cogatur, idque per violentam distractionem oris uteri, & tendinum atque fibrarum divulsionem, ut videre est Observ. 102. Ephemerid. Natur. Curios. Decad. 2. Tom. 1. Dum verò sese natura parientis ad certamen subeundum ita præparavit, & metus dolorum, vel aliud quid voluntatem à conatu tali necessario, & virium spirituumque impensione arcet, regurgitant iidem, vel avolant: ubi regurgitarint, impuri facti ab humoribus per uterum è toto corpore eliminandis, sanguinem intemperatum reddunt, & fervorem ibi concitanr, ejus dulcedinem nativam in biliosam vertunt & attenuant: Ubi verò avolarint, Pariens, ut conservetur infans, exhausto viribus corpore ad enitendum urgeri, & ita delicti proprii pœnas dare debet, siquidem membra fermè paralytica redduntur, si tremores spastici à nisibus recurrentibus iis incutiantur, & neque nervi, neque musculi ampliùs officio suo ritè, sat longo post puerperium tempore, funguntur.

Sæpè etiam fit, ob retentam placentam sanguinem sisti non posse, nam irritatio adest perpetua à re peregrina. Vide Ephemerid. Decur. 2. Tom. 1. Observ. 116. & relicta placenta tamquam spongia allicit sanguinem, imprimis si per difficilem partum uterus debilitatus, & vasa adaperta fuerint. Non quidem negandum, intempestivam Placentæ avulsionem tale periculum afferre, ut multis exemplis testari possem, sed cùm in ægra nostra loco dimota, propè pubem hæserit eadem, sine periculo eximi debuit. Imprudentiæ obstetricis exemplum circa hanc rem expertus Chirurgus Mauriceau Parisinus, olim magister meus honorandus, narrat lib. 3. *Des maladies des femmes grosses & accouchées* pag. m. 390. Imò prudentem sese præstare debet Medicus & considerare, an justum partus tempus, verique conatus adfuerint, quanquam infans perfectè & feliciter editus sit, antequam placenta utero eximatur, quia dum immatura est placenta, tenaciter vasis hypogastricis & spermaticis ad uterum porrectis inhæret, & sæpiùs aliis de causis fœtus antè mensem nonum ad partum properare potest, nempe si puer aquarum evacuationem repentinam, & insperatam sequatur, dum amnion vel solo desidendi conatu dilacerari possit, vel si puer tenui pallescente funiculo nexus nutrimento in utero destituatur, & marcore laboret, vel à lapsu, casu, allisione, contusione, commotionibus animi, morbis, &c. quibus in casibus magis tempus à Deo constitutum, scil. finis noni & principium decimi mensis attendendum est. Cæterùm non retardanda est nimiùm exemptio secundinarum post partum, usque dum sanguis omnis effluxerit, & vitæ vix quicquam restârit, sed statim atque puer in lucem editus est, tollatur (venæ enim tunc omnes adhuc patent, & fœminæ inde non dolent, nec periclitantur: sedulò cavendum interea, ne matricis partes, aut latera vel parietes, nisu antrorsum compulsi placente loca trahantur, vel comprimantur Summa, quò citiùs, eò tutiùs res cedet, quò tardiùs, eò periculosius & laboriosius opus erit. Periculum magnum est, si putrescat placenta, & umbilicalis funiculus perdatur, vel laceretur, tum enim interiores uteri spongiosi partes facilè inflâmantur, & ut plurimum incurabiles redduntur (quamvis nuper fœminæ *von Fluenten*, uterum putrescentem sub umbilico abscessu formato extraxerim ope medicamentorum, & benedicente Deo intra mensem restituerim) labor verò summus est penetrandi inter muliebria, quia per moram diuturnam uterus arctè præcluditur. Non quidem ad Puerperas hocce malo decumbentes ultrà septimum vocor diem, sed plurimùm ante eundem: Inter tales miseras quædam præ cæteris innumeris laboris & molestiæ multùm mihi crearunt: Uxor H. E. cujus placenta die sexto, tam vieta & flaccida, non dicam putrida fuit, ut quamvis omni studio eam ab utero integram separare voluerim, nihilominus in plures partes sub prehendente manu divulsa, & particulatim exempta fuerit, salva interim ægra extra periculum denuò infantes pepererit. Deinde Medici filiæ herniâ umbilici laboranti, quarto demùm die, matrice præclusâ, secundinas cum sudore contra meam voluntatem auferre coactus fui, quæ decimo post operationem die, superveniente hæmorrhagia ad fata festinavit, cùm priùs sat vegeta vixerit, huic uteri vasa sinistro medicamentorum usu adstricta erant adeò, ut putrescens & virulentus sanguis excerni nequiverit (inde post operationem ego in brachio dextro anthracem sat dolorificum nactus sum) sed inflammationem & gangrænam in utero concitarit. Adhæc Senatoris filiæ moribundæ tertio die à partu placentam nullo præsente funiculo, ingenti operâ extraxi, & feliciter restitui; Vid. *Exercit. Anatom. & Med. Pœnis & Pythag. pag.* 62. & 64. Tandem, die septimo laceram & vietam placentam à Pictoris fœmina quadragenaria majore, semimortua, & in hystericis suffocationibus jacente feliciter exemi & oleo succini, spiritu salis armoniaci, Confectione Alkermes, camphora, atque castoreo restitui.

Si post partum cum impetu effluat sanguis, & vires auferat, id quod in præsenti casu, me absente, factum est, cave ne subitò adstringas, verùm parùm sanguinis è brachio mittas, ut fluxio divertatur, Cucurbitam magnam, vel panem calentem Vini spiritu irroratum mammis applica, & ligaturis sensibilibus digitos stringe: exhibe Puerperæ sequentem potiunculam:

℞. Succi plantag. ℥j. Decocti rad. tormentill. & flor. rosar. siccar. ℥vi. Syrup. flor. bellid. ℥ij. Misce & per cochlearia trade. Potus sit decoctum sem. plantag. & radic. tormentill. cum tantillo vini rubelli. Pessi fiant è mucilag. sem. Cydon. cum aqua plantag. extracta, addita terra sigillata: urgente periculo mortis, albumina ovi cum bolo & aceto linteo aut cannabe excepta lumbis applicentur, non neglectis internè corallis & hyacinthorum confectione. Ichthyocolla cum carne elixari, & ejus jusculum ægræ exhiberi potest: Pillulæ etiam sequentes proderunt si ad se redierit ægra.

℞. Diaph. Mart ʒii. Corall. rubr. ʒi. sang. Dracon. ʒß. cum succo foliorum tenerrimorum quercus inspissato q. s. fiat. Massa; ex ʒi. pill. 40. dos. 6. mane & vesp. in aq. plantag. Pila interim hysterica naribus admoveatur:

℞. Castor. asæ fœt. an. ℈i. sem. angelic. rut. an. ℈ß. cum terebint. q. s. f. Pila, quæ illinatur guttis aliquot Olei succini. *D. Joh. de Muralto.*

Fœtus vivus ob arctum uteri osculum, effluxis aquis, per quinque dies retardatus, & feliciter à me exceptus.

E. B. 30. annorum, primipara à 5. diebus partus dolores ingentes sustinuit, capite infantis ad osculum usque provoluto, quod tamen nullo molimine edi poterat: vocatus, matricis tendinosum cingulum, seu osculum, vertici infantis aptè & arctè adplicatum, perunctis locis, pollice circumcirca dilatavi, & sensim diduxi, medicamenta fœtum pellentia matri porrexi, alacriter fœminam ad labores instigavi, quo tandem puer natus est debilis, quem in balneum immisi, epithematibus ex decocto Salviæ in vino paratis, caput, pectus & genitalia fovi & refocillavi: Puerperam sanam in lectum deduxi, & linteis probè muniri feci.

Scholion.) Juvenculas ad pariendum esse feliciores, quàm senescere incipientes mulieres Ephemerid. Tom. priore, observ. 101. retuli, idem quoque testatur præsens Historia: nuper Præceptoris Th. uxori triginta quinque annorum adstiti, quæ quatriduo ante constitutum partûs tempus ad labores ab Obstetrice imperita, quæ lancinationes à veris nisibus distinguere non valebat, incitata, circa muliebria tantoperè intumuit, ut Nymphæ utrimque duos pugnos æquarint, vixque ei possibile fuerit præter rupturam partium edere prolem: sacculum matricalem lacti incoctum vocatus applicare. Venæ sectionem celebrare & ægram quiescere jussi: transacto triduo veri demum dolores ingravescebant, quos sensim ita impendit, ut rupto amnio aquæ effluxerint copiosæ: sed ob ætatem provectiorem primiparæ infans non statim subsequebatur, vires enim defecerunt, & siccitas partium cum tumore partum retardarunt. Caput infantis digito contactum, nullum pulsum, aut vitæ signum edebat, horrendos itaque nisus impendere coacta fuit, ego verò pollice dextrę uteri osculum parum dilatatum vel summo molimine quoq; extendere debui: exhibitis tandem emmenagogis medicamentis enixa est fœtum mortuum, & puerpera sensim restituta est: Meritò itaque Primiparę, adultiores, & sicciores fœminæ, ultimis gestationis mensibus aliquot diebus in balneo sedeant emolliente, matricemque roborante, haut neglectis Unguentis vel Oleis & salis armoniaci spiritu: formula Balnei hęc sit.

♃. Herb. malv. meliss. artemis. anaim. iii. flor. chamomil. melilot. hyperic. verbasc. an. pug. v. hord. integri ℥vi. sem. lin. ℥ii. Coq. in s. q. aq. fluv. &c. At balneo detersa calens inungatur Matrix ol. lil. alb. verbasc. & chamomillę.

Cęterùm non negari potest, & juvenculis quandoque arctum reddi uterum, ob tumores, contracturas, scirrhos, cicatrices &c. ut ad manualem operationem devenire necessum sit; dantur Observationes præclusarum matricum in gravidis, quæ infanti viam negarunt & ventrem potiùs dilaceraverunt, factoque abscessu putridum fœtum sub umbilico excreverunt: E. G. Sangallensis fœmina, quę spatio octo annorum novem infantes feliciter pepererit, dum decimum utero gestasset, tempusque jam pariendi instaret, obambulans in horto, salviæ folia incurvato corpore decerpens, momento citiùs aliquid ad uteri orificium internum prolabi magno dolore percipit, de loco surgere nequivit, à marito advocato in lectum deducta, pariendi conatus aliquos sensit, Obstetrix incitavit puerperam ad pariendum per biduum integrum, sed frustra, tertio quippe die nisus omnes evanuerunt; durante hoc tempore nec lochia, nec aquæ manarunt, ut dubitarint adstantes de fœminæ graviditate: Quinta hinc hebdomada putrescens placenta ex utero per partes ejecta est: potiones emmenagogæ exhibitæ sunt, quę magnam ventris inflationem & dolorem intolerabilem excitarunt, nec quicquam ex utero deduxerunt, ut tandem sub umbilico rupturam natura in ventre sponte sua effecerit, & per vulnus putrescentis pueri ossa cadaverosa aliasque partes sensim & diuturno tempore; octodecim videlicet mensibus protruderit: vulnus coaluit, & fœmina mensium fluxum per muliebria ordinatè tenuit: Post abscessum hunc curatum, anno quarto iterum impręgnata est hæc mulier; probèque gestavit infantem per sex menses: Septimo verò mense cutis ventris juxta cicatricem iterum spontè rupta est, propendente infantis brachio per quinque dies, quod à patre cultro abscissum erat, sequebantur & aliæ partes, quas omnes abscidit. Caput verò cum Pectore tamdiu in ventre reliquerunt, dum putredine consumpta spontè, longoque temporis intervallo secreta fuerint: quęnam nunc sit determinanda hujus occlusionis matricis causa, ignoro: credibile tamen est primitus tendinoso osculo interius superinductam & agglutinatam fuisse crassiorem tunicam, vel ipsum osculum scirrhosum evasisse. Similem ferè historiam observasse nuper memini Virum Excellentissimum Dn. D. Christophorum Harderum Scaphusanum Patrem, Practicum Celeberrimum &c. in fœmina Lottstettensi, quam huc referre supersedeo. *D. Joh. de Muralto.*

Extractio foetus mortui, decenter in Utero positi.

Uxor R. L. xl. annor. 1. die Febr. anni 1682. parturiens dolores magnos pertulit, quibus tandem infans vivus decente figura usque ad osculum uteri internum depulsus est. At primipara tantos dolores ferre recusans, viribus cohibitis, Naturę conatum obstinate suppressit, donec die undecimo Obstetrix auxilium meum imploraret. Igitur opem allaturus, increpavi gravidam & hortatus sum unà cum adstantibus ad sustinendos, si urgeant, labores & conatus, ne periret proles, Ast, quæ miseria! viribus fractis, & conatibus jam evanescentibus nulla pariendi vis supererat superat, & infans spatium inter vesicam & alvum ita occuparat inhærens angustiis, ut nec excrementa, nec urina emitti posset. Quare liberationem rogatus meditans, indice caput infantis in vagina exploravi, cùmque vulvam admodum arctam deprehendissem, hanc Oleo Chamomillę, Lil. alborum & carminativis ac emollientibus aliis tepide perunxi, suppositorio alvum sollicitans, qua deposita, in Balsamo Embryonum prętereа liliorum alborum semen cum Castorei tantillo exhibui. Fœmina tandem ad labores vel vi adacta caput infantis emortuum exitum moliri cœpit, quod cùm suapte sub mento comprehendissem, hiatuique calvarię digitos desuper inseruissem, fœtum masculinum integrum sensim eduxi. Placenta mox spontè sequuta est. Urina & lochia manarunt copiosè, ęgraque convulsiones per horam passa est, quæ medicamentis congruis discussę fuerunt. Remansit tamen urinæ incontinentia per tres hebdomadas, qua demum curata, fluor albus puerperam invasit, quem, spes est, convenientibus remediis & exacto victus regimine, instauratis viribus, brevi tempore sanatum iri.

Sholium.) Magna Parturientium felicitas sita est in ętate juvenili, antequam membranę omnes cutis & musculi corrugati inarescant, ita ut imminente partu viæ ęgrè ampliùs dilendi aut amplificari se patiantur. Vetulis enim & senescere incipientibus; quanquam ritè omnia eveniant, optimèque positus sit Embryo, accidit tamen ob vehementem oris uteri tendinosi exparsione, & ossis sacri pertinaciam (dum epiphyses in apophy-

ses

ſes per ętatem degenerant) ut pariendi niſus ex voto non ſuccedant, vel etiam ſi fortes fuerint, non bene impendantur, ſed ſupprimantur, imprimis ſi matres à liberorum educatione abhorreant, vel ineptæ & truculentæ ſint, aut delicatæ nimis. Hæ tamen omnes, quòd labori parcant in ſuſtinendis doloribus id ſępè & fœtus & matres graviter luunt, interdum etiam cum vita. Imprimis autem accidit, quando conatus non ad uterum dirigitur, ſed raptim ad collum & caput, veloci expiratione. Niſus hic aliorſum ab utero deductus & depulſus fœtum ſuffocat, membra Puerperæ debilitat, collum inflat, ita ut quandoque Bronchocele oriatur. Quapropter completo jam geſtationis tempore, inſtanteque partu, ubi dolores veri ingruunt, Obſtetrix parturientem verbis conſoletur, & ad obedientiam impellat alacriter. Aſſideat prona, & manibus oleo delibutis uterum perungat, quo arctiores viæ & os matricis pateſcat, maximè in iis quę primùm pariunt. Has quippe multùm lubricaſſe expedit. Deinde prętgnantem cohortari incipiat, ut omnes conatus ad enitendum deorſum adigat, atque diligenter impendat. Iſti enim tales ſunt, ut facilè avertantur, idque in alterutrum femur, vel dorſum, vel brachia, vel collum, denique caput. Hinc etiam Puerperarum paralyſes, herniæ, aſthmata, & complura alia mala naſcuntur: ad quę pręcavenda, & ne eveniant, Obſtetrix porrò manum operi comiter admoveat, digitisque inquirat in infantis ſitum; quòd ſi qua conſtiterit infans, aut impeditus fuerit, digitis eum deducat, & facilem partum promoveat: nam ſi diutius in anguſtiis hæret infans, de vita periclitabitur. Sed & matri reſpiratio indè præcluditur, & conatus annihilantur, tum quia uteri fibræ nimis diſtenduntur, tum quia vires evanidæ corpus quaſi immobile relinquunt. Siſtitur quoque alvus, cohibetur urina, & matrix infantis collum adeò arctè comprimit, ut ſpiritu præcluſo ſuffocet. Puerpera poſtmodum pro tam enormi peccato luens in graviſſimos affectus & ipſa præcipitatur, Urinę nempe & alvi incontinentiam, dum muſculi horum viſcerum conſtrictores, onere gravati reſolvuntur: hoc ne eveniat, ſuppoſitoriis vel globulis moſchatis ano inditis cavendum eſt, Parienti inſuper os comprimendum, detinendus ſpinendus ſpiritus, provocanda quoque ſternutatio, ut ſpiritus deorſum compulſus infantem ad exitum detrudat. Profuit etiam ſemen liliorum alborum in balſamo embryonum cum tinctura Caſtorei. Tandem, fœtum eſſe mortuum certò cognoſcerem, manu operi admota, externum uteri orificium, quantum fieri poterat, dilatavi, & cultro vertici infantis immiſſo, digitis ſiniſtræ manus meæ arreptum illius caput hinc inde commovi, dextra circumcirca perungens, donec fœtus totus eximeretur. Urina & lochia poſt partum copioſè manarunt; multùm enim colluviei longo tempore in utero ſtagnavit. Convulſiones ortæ ſunt, partim ab evacuatione ſubitanea, partim ab alteratione nervorum, membranarum, & reliquarum uteri partium, ob frigus admiſſum. Convulſiones iſtæ nunc manifeſtæ, nunc occultæ & nocentiores fuerunt. Frænum autem iis injecit pulvis Marchionis, ſpiritus C. C. Sp. Arm. Sal. volatil. oleoſ. Fr. Sylvii, Oleum ſuccini &c. Aqua item valerianæ, jaceæ, anagallidis, pæonię, meliſſæ. Notari autem velim, convulſiones in Puerperis ſæpè ſæpiùs à conſtricta alvo, retentiſque flatibus diſtendentibus excitari; proinde alvus iis ſemper ſervetur libera. Noſtra ęgra per tres heddomadas Urinæ incontinentiam ſuſtinuit uſque dum fibrę veſicę urinarię, iterum in ſeſe redirent; & vigorem priſtinum adeptę eſſent, atque genitalia quoque antiquum obtinerent. Intentioni huic inſerviebat exacta dięta, & olei roſati, atque Carminativi noſtri illitus: Cauſa verò Incontinentiæ urinæ erat afflictio muſculoſarum veſicę partium, & ſphincteris reſolutio. Imperita plebs fermè manum Obſtetricantem accuſat, ſed malè & plerùmq; ex invidia, cùm fieri vix poſſit, ut manus veſicę reconditę & obvallatę vim inferat. Imò ſi quis ſecundinarum loco ipſum extraheret uterum, veſica nihilominus urinam contineret. Tunc ergò demum id maxime metuendum eſt, quando fortia emmenagoga fœtumque pellentia indiſcriminatim propinantur matribus humidioribus & crebrò micturientibus, quando item ęquo diutiùs hæſit infans in vagina uteri, partuſque difficilis & perverſus fuit. In extractione fœtus mortui nonnunquam franguntur coſtæ, aut alia membra, quæ lædunt, & compungunt adeò, ut etiam inflammationes, vulnera & ulcera oriantur: Quo in caſu potionibus vulnerariis certandum, linteaque Oleo roſato imbuta parti adponenda. Denique ęgram noſtram ab incontinentia urinę immunem fluor albus oppreſſit, cauſa eſt ſanguis crudior, qui per uteri vias effluit. In curatione talia requiruntur, quæ & roborant, & incraſſant: roborant Betonica, Plantago, Corallium, Biſtorta, Tormentilla: Incraſſant Gelatinæ, Crocus Mart. Symphytum, &c. *D. Johann. de Muralto.*

Directio & Extractio fœtus mortui præter naturam in utero poſiti.

Suſanna K è Pago Mediken oriunda, & triginta annos nata, die tertio Decembris anni 1681. Partus dolores per biduum ſenſit. Cùm brachium infantis dextrum illi jam ex utero prominere nunciaretur, juſſi id lacte tepido foverent, ut poſtea retruderetur. Sed fruſtra hoc tentatum eſt, nam ægra tandem in ſedili omnes naturæ conatus ad enitendum partum die noctuque impendit, uſque dum vitæ nullum ſignum in infante amplius perciperetur. Vocatus ad illum pagum, ut ægrè parturienti opem præſens ferrem, dedi aquam lilior. alborum, meliſſæ, cum confectione Alkermes & borace per cochlearia hauriendam; brachium verò infantis mortuum & ſphacelo tactum in articulo abſcidi: mox in pedes ejus inquirens, unum poſt alterum ex utero foras eduxi, denique corporis reliquum penitus inverti, quod parturiens paulo poſt enixa eſt. Vulva exinde multum intumuit: & vomitus ſupervenit, quo ſedato, ægra denuò convaluit.

Scholion.) Multoties accidit prægnantibus, quando geſtationis tempora non probè obſervant, vel pariendi conatus veros à nothis haud bene diſtinguunt, ut ab Obſtetricibus antequam legitimum partûs tempus inſtat, ad ſellam deducantur, & ad enitendum laborioſè inſtigentur, priuſquam infans ritè ſituatus eſt. Hinc evenit, ut difficili partu nunc manus vel pes alteruter, nunc dorſum aut nates, jam venter & latera, jam humerus, mox inflexum genu, denique umbilici funiculus primùm exitum moliatur.

Quod ad juſtum pariendi tempus attinet, inſtante Menſe ſeptimo, cùm partium nutritioni dicatarum apparatum ſolers natura formavit, atque perfecit, fœtus in utero per os amnii liquore nutritus ſubinde pedibus calcitrare, varièque moveri incipit: tandem, abſoluto Menſe nono ex tenebroſis uteri carceribus in lucem egredi conatur. Nam fœtui grandeſcenti nec alimentum ibidem amplius ſufficit, nec loci anguſtia retinendo par eſt. quare, ruptis membranis exitum infans ſibi ipſe quærit. Quod dum fit, dolores parientem corripiunt, Uterus verò importunum hoſpitem exturbaturus ſuas & corporis univerſi vires ad pugnam ſollicitat. Parrurientium conatum inſuper mirè adjuvat ſpiritus cohibitus, quo diaphragma deprimitur,

primitur, & abdominis musculi irritantur. Adeoque parturientium dolores reipsa nihil aliud esse intelliguntur, quàm perfecti infantis motus & impetus, quo exitum ipse sibi procurat. Ruptis verò ex impetu membranis, & reclusa matrice, humores diffluere incipiunt: infans aërem haurire cupit, cujus aviditate versus matricis ostium provolvitur, capiteque obverso foribus imminet. Dolores parturientium veri incipiunt in regione lumborum & circa coxendicem, nec continui sunt; sed augentur per vices, & protrahuntur usque ad partum, variis stipati symptomatibus. Initio quidem pluribus adest vomitus, capitis dolor, sitis, urinæ incontinentia, postmodum augetur vomitus, solvitur alvus, dolor capitis ingravescit, pituitosa & cruenta ex utero profluunt, venter infra umbilicum intumescit, & suprà eum detumescit; tandem magna oritur debilitas, & symptomata prædicta intenduntur, cum anxietate tanta, ut parturiens sellæ insidere vel cathedræ accumbere; & divaricatis genubus partum eniti teneatur.

Passiones verò & dolores matricis, licet quodammodò similes sint parturientium doloribus, quippe qui in eodem utero excitantur, tamen non ita deorsum vergunt, nec exitum quærunt, sed magis lancinant, & cùm fermè sint intolerabiles, respirationem impediunt, & fœtus exitum per se non molitur. Quòd si nihilominùs prægnans tunc ad labores pariendi instigatur res infeliciter succedit, sicuti accidit mulieri, cujus historiam descripsimus.

Partus figura & situs præterea depravatur quandoque ab infantis debilitate, uteri amplitudine, & inquietudine matris, dum, hæc inter parturiendum sæviente cruciatu; nullibi quiescens, nec obtemperans, sese hinc inde jactitat. Fœtus enim tunc non consistit, sed illuc adigitur.

Itaque ægræ nostræ ad pariendum vi deductæ infans brachium dextrum ex utero primùm exseruit. Et hic sanè situs valdè periculosus fuit: quoniam caput ad coxendicis ossa firmiter appulsum hæsit, & inde dimoveri vix potuit. Jussi ergò per internuncium gravidam in lectum deduci, ut ventre elevato & capite demisso recumberet: vel denique partem manu lacte calente fota introrsum per pudenda repelli.

At, cùm ita ex voto res statim non succederet, pariens in sedili ad labores ab adstantibus coacta est per diem & noctem continuam iniquissimè.

Quod si præsens adfuissem tempore, cùm fœtus adhuc viveret, manu utero inserta protinus infantis humeros reprimere, prominensque brachium ad latus inclinare, adeoque partum naturalem procurare fategissem.

Verùm labore præposterè ac præter omnem rationem instituto, infans jam enecatus fuit, antequam accederem: neque enim ille se movebat amplius, & mater in hypogastrio sensit pondus cum frigore, brachiumque infantis prominens frigidum & lividum erat, sine motu & pulsu etiamsi variis liquoribus foveretur, dolor præterea matri circa umbilicum adfuit cum frequenti desidendi & mingendi stimulo, ac extenuatione mammarum.

Igitur ægrè parienti exhibui fœtum pellentia, ex borace, trochiscis de myrrha, castoreo, & croco, cum syrupo de artemisia. Quibus nihil proficientibus ad operationem accedendum fuit, ut servaretur mater.

Quamobrem brachium emortuum & sphacelo corruptum, primò abscidi in articulo, ne operantis manui ampliùs impedimento esset, deinde reliquam corporis molem in utero inverti, & membra omnia ad exitum composui: in operatione hac misericordia nulla est, nulla audacia; præcipitandum tamen non est; sed cum prudentia agendum. Cultello, quem indici digito, ne cerneretur, alligaveram, humerum incidi, mox brachium prominens intorsi multoties, usquedum tendines planè divellerentur, & ita membrum abstuli.

Quod si ab hac brachii separatione infantis corpus vertere nequivissem, sub scapula, inter costas vel claviculam digitis, aut scalpello foramen fecissem, & per id instrumentum peculiare, vel funem, re hortante, trajecissem, sicque fœtum eduxissem, vel integrum, vel in partes concisum.

Ast, amputato brachio, dextrâ meâ infantis pedes quæsivi, quibus apprehensis inversum fœtum facillimè protraxi. Labia vulvæ tumebant, quoniam sanguis per venas ab infante hærente compressus promptè reduci nequibat. Hac quoque de causa prægnantibus pedes quandoque intumescunt, sed statim liberantur, atque lochia post partum fluxerunt. Hujusmodi vulvæ tumorem sanat & discutit oleum verbasci & chamomillæ. Vomitus adscribendus est consensui stomachi cum utero per ramos nervorum à pari octavo ortos: quamprimum enim fœtus utero exemptus fuit, aër ingrediens saucias uteri membranas & fibras alteravit, quare spiritus animales in ventriculum simul irritati, impetu facto, fibras inferiores inde à pyloro sursum constrinxerunt. *D. Joh. de Muralto.*

Conatus Naturæ in expulsione fœtûs mortui

Anno 1. Decuriæ 1. Ephemeridum N. C. Observ. 49. Excellentissimus D. D. Illmerus habet egregiam enchirisin extrahendi fœtum mortuum cum uncis, id quod mihi subsequentem observationem consignare ansam dedit. Vidua Grünbergensis 40. annorum sat vegeta, in consortium matrimonii iterum adsciscit juvenem lanionem, imprægnatur, & die 26. Novembris St. N. 1683. legitimum partûs tempus accedit, omnia accersuntur quæ in hoc passu sunt necessaria, & ecce fœtus brachium foras erumpit. Obstetrix reponit sæpius, ast in vanum per diem & noctem, cum magna puerperæ debilitate. Altero die me consulunt, ibi periculum indico, & quòd non citius consilium expoposcerint, exprobro: ordinabam autem quæ proficua judicabam; & satis instruebam, quomodo tractare debebant patientem. Verùm omnia erant frustrà, & quia fœtus, ut dicebant, statim initio partus esset mortuus, & summum aderat pro matre periculum, mentionem faciebam dissectionis & extractionis fœtus mortui, & hoc unicum indicabam præsidium pro vita matris. Nolebant autem audire de hacce operatione, & ni Deus fuisset mediator ut referam, fœminam morti tradidissent. Dum expectant ultimam exhalationem, paululùm se recolligit parturiens, & quærit anxie cum lachrymis opem: ideo iterum me salutant, & si quid haberem consilii, præter extractionem Chirurgicam, maximopere petebant ne denegarem. Ordino itaque Clysterem sequentem:

℞. Radic. bryon. ℥ij. Fol. meliss. Mercurialis, Artemis. rubr. Puleg. Matricar. an. Mß. Sabin. flor. Chamæmel. Baccar. lauri. an. Mj. Agaric. in petia ℥ß. Sem. anis. fœnic. an. ʒij. Coqu. in aqu. f. Colatur. ℥vi. add. Elect. de bacc. laur. ʒ vi. Ol. rutac. Chamæm. an. ℥ß. Sal. gemm. ℈ij. M. f. Clyster.

A quo natura irritata exclusit brachium à corpore separatum, quod multoties immittendo & tractando avulsioni aptum reddiderat obstetricis manus. & dein uno fermè momento fœtum sat putridum cum matris restitutione & salute. Fœtus antea fuerat mortuus, non ut falsò retulerant fœminæ, & in invasione partus. Ex his videmus conatum naturæ in partu, & vulgi obstinatam mentem in casibus Medicis desperatis. Vide si placet

Anni 1. Dec. 1. Obs. 52. Item Anni 1. Decad. 2. Observ. 101. Videatur porrò Henricus ab Heer, in Obser. 14. in medio. *D. Samuelis Ledelii.*

De Fœtû mortuô feliciter eductô.

Fœmina quædam honesta 35. annos nata, jam trium liberorum mater, quartum utero concepit & ad quintum gestationis mensem benè se habuit, quando more apud nos recepto ad vicinam mulierem mortuam, capulo inferendam invitata accessit, & ad horribilem cadaveris vultum adeò exterrita fuit, ut illicò magnum senserit corpore horrorem, ex quo inclinans ad deteriorem statum, nec tamen vel cum febri, aut aliis gravibus symptomatis conflictata, quæ fœtum mortuum comitari solent, firmiter credidit, quem perceperit ante horrorem imaginarium fuisse, & nauseam corporisque gravitatem à solo mensium defectu orta esse. Itaque cùm menses ferè duodecim essent elapsi, petiit à me medicamentum emmenagogum, quod ultrò, cùm me adstipulantem haberet, obtinuit. Erant verò familiares mihi pilulæ de sagapeno, sale Martis duplicato & sale succini permistæ, quo remedio nihil unquam potentius ad reserandas uteri obstructiones comperi. Istis assumptis cum εὐφορίᾳ est purgata, sed circa quartam pomeridianam ægrotare cœpit, idque gravissimè & cum animi deliquio. Misi absque mora aquam meam melissæ compos. cum spir. cornu cervi succinato ex cujus usu consecuti sunt uteri motus, verique parturientium nisus. Sollicitata obstetrix officium fecit, & paulò post fœtum eduxit, omnibus quidem numeris absolutum & masculum, sed exuccum & carnis instar fumatæ duratum. Mirum sanè id mihi notatuque dignum visum, cùm fœminam semper ad humidum temperamentum, cachexiamque scorbuticam propendere judicarem. Deinde cùm nulla adhuc apparerent lochia, sed tamen vires se recipere putaret, post mensem à partu consilio meo pilularum usum repetiit, idque cum longè optatissimo effectu, statim enim menses sunt secuti. Firmata deinceps valetudine. bis etiam utero gessit & feliciter peperit. *D. Joëlis Langelotti.*

Foetûs mortui in difficili partû felicissima extractio

Viri cujusdam literati in Urbe Viennensi castissima Conjux, Mulier virtutum satellitio stipata, fortis & generosa, devenit ad partum difficillimum & p. n. fœtus quasi duplicatus, reclinato capite sursum, foras porrexit brachium, quod licet ab Obstetrice reponeretur sæpius, tamen usque redibat: omnes denique modi adhibiti, quibus fœtus ad situm naturalem, debitum & convenientem pro partu posset reduci, sed frustra omnia; suffocatus tandem est in utero, cùm diu in hoc situ vivere sit impossibile. Prævidendo ergo periculum, jubebam ut baptizaretur, antequam moreretur, secundùm brachium, more nostro. Interim ante extinctionem vitalis auræ, mater urgebatur enormibus doloribus, qui sine ulla cessatione incrementum sumendo, post mortem fœtus miseram & afflictam adeo tormentarunt, ut clamor ejus per longa spatia exaudiretur, tandem caligabant oculi, vox rauca & clamosa per intervalla, lamentationes & ejulationes infinitæ audiebantur, quæ si non pectus humanum, certè saxum commovere poterant. Ego in hac perturbatione (quia fœtus partim magnitudine sua, partim tumefactione omnium membrorum ob conceptam ebullitionem humorum in fœtu, uteri latera instar alicujus robustissimi pali infixi amplissimè distenderat) quid facerem aliud non sciebam, quàm ut suaderem extractionem fœtus per manus artificis & instrumenta, (hîc enim omne genus medicamentorum, & modi fœtum pellendi cogniti incassum adhibebantur. Erat apud nos inauditum aliquid à sæculo, licet in Gallia nulla mulier horreat hoc remedii genus. Maximè resistebant fœminæ. Verùm annuente mihi viro Nobili & Magnifico Dn. Paulo de Sorbait Professore primario in Universitate Viennensi, & assistente Chirurgo Wenceslao, viro probo & in Arte sua peritissimo, ipsaque parturiente consensum subitò præbente, applicui fœtui uncos. Brachio propendente, me alias in operatione impedituro, prius per novaculam resecto, fœtum in tres partes dirupi, & ita sine ulla læsione uteri ac matris eum masculum, unà cum secundinis extraxi, Matremque ab instantissima morte sic, auxiliante Deo liberavi. Quo peracto gaudia & jubila in Domo, admiratio verò in Urbe & vicinia. Eadem mulier sequenti anno impregnata, ad idem infortunium redacta, eodem modo adjuta, extracto fœtu fœmello, tertio anno rursus uterum gerens feliciter & citò filiolum generosum viventem adhuc & vivacissimum enixa est. Causa tam infelicis partus videbatur esse ingens copia humorum in & circa uterum ex lautiori victu, & optima viscerum constitutione collectorum, propter quos fœtus debito modo sese vertere non poterat, sicque suffocari debebat. Unde cùm gestaret ultimo filiolum in toto hoc tempore, etsi contra Hippocrat. oracula aphoristica videretur agi, quater exhibui dragm. sem. pulv. jalap. cum cremor. tartar. & ecce extracta est cacochymia serosa in copia, sicque illam ad partum felicem disposui. Notandum quod unci debeant esse obtusi, ne lædant uterum casu quo inter operandum in ejus latera irruant; hinc unci catenati, quos in suo Armamentario Chirurgico depingit Scultetus, uti & Pareus f. 683. quia nimis acuti sunt nobis displicent. Hoc exemplo excitatæ & animatæ mulieres in hac tota Urbe hoc remedii genus non amplius horrent. Juvi ego postea plurimas in hac miseria constitutas, tametsi non semper eodem modo: aliquas enim inverti, aliquas exhibitis pulveribus appropriatis, aliquas imponendo in Balneum althæatum, exhibendo pulveres cephalicos, analogos illi quem Langius describit in Miscell. Curiosis §. 32.

Quam Langii doctrinam eò loci reperi in his casibus esse verissimam, & meis experimentis continuò respondentem, aliquas etiam sine Unco intrudendo manum ad uterum & apprehendendo infantis manus vel pedes, vel caput, ligulam iis imponendo sicque extrahendo, adeò quidem feliciter, ut nunc aliquot Chirurgi à me hîc sint instructi, qui dexterrimè cum plurimarum salute, cum & sine nucis hæc Lucinæ sacra peragant. Heroina ergo dicenda hæc mulier, quæ pudore rustico deposito, genuinum pudorem non exuit, sed exemplo suo plurimis occasio fuit, ut Hygiiæ efficaciam, Medicinæ Excellentiam, Necessitatem, Jucunditatem, Gloriam & Admirationem suis in corporibus experirentur, vitæque integritate fruerentur. Virtus nunquam sola est, sed adeo fœcunda, ut plures etiam diversæ speciei soboles procreet. Hæc in fœmina hac semper talis apparuit, quæ non una virtute munita, verùm plurimarum satellitio condecorata, omnibus est in admiratione & commendatione. *D. Friderici Ferdinandi Illmer. à Wartenberc.*

antea parciùs) an uterum gereret ipſamet anceps hærebat; niſi quod poſteà evidens fœtus in utero motus, quem ſatis validum ſentiebat, ipſi ſcrupulum hunc eximeret. Sanguinis tamen fluxu etiam poſt motum perſeverante, meum ſuper hac re conſilium coram expetiit. Ego verò tam propriâ quàm celeberrimorum Medicorum Obſervationibus (quas Joh. Schenckius Obſerv. Medic. lib. 4. Obſerv. 20. collegit) edoctus, nonnunquàm fœminas, præſertim plethoricas etiam toto uteri geſtationis tempore; idque citra offenſam matris & fœtus, menſtruum fluxum pati ediſſerebam, ſimulque autor eram, quia magna eam ſanguinis mole premi videbam; ut venæſectionem in brachio inſtitueret ad revellendum ab utero ſanguinem, ne fœtus nimia ejus quantitate ſuffocaretur, & ſedulò, quod ipſi præſcribebam, ex modicè adſtringentibus & fœtum roborantibus compoſitum medibamentum in uſum vocaret: imò ſi neque ſic ſanguis ſiſteretur, ut V. S in brachio iteraret. Verùm cùm ſanguis compeſci non poſſet, quin per uterum ſeſe exoneraret, & motus inſuper fœtûs planè evaneſceret, tempuſque pariendi juxta ipſius calculum elapſum jam eſſet, fœtum jam mortuum eſſe ſuſpicabatur. Quam ipſius opinionem cùm manifeſtiſſima putredo, per corpus ipſius ſeſe diffundens, tetrumque ſpirans odorem, & præcipuè in anima præter modum & ſolitum fœtente ſeſe exſerens, & pondus uteri, quò plumbi inſtar ſeſe gravari querebatur, non obſcurè confirmarent: propinabam ei, quia vires integræ id ferebant, vinum medicatum ex pellentibus, artemiſia præſertim rubra, ſabina, myrrha, caſtoreo, croco & purgantibus conſtans, quod cùm per aliquot dies biberet mulier, oſſa fœtus mutilata (quæ inter cranii fruſtula, os humeri & femoris dignoſci poterant) parteſque carneæ planè putridæ ex utero fuere rejectæ, quibus ego viſis, præſertim cùm vires paterentur, uſum vini continuandum ſuaſi, & tantum obtinui ut excluſo tandem per partes fœtu, uterus & abdomen ad priſtinam redierint parvitatem, mulierque ſanitati ſit reſtituta. *Dom. Cæſonis Grammii.*

Partus poſt mortem.

Domina de *Anneberg* fuit gravida, inſtante menſe ultimo cæpit ſe malè habere, dimidia vix hora elapſa moritur. In ſuperiore parte ventris ſtriæ nigræ poſt mortem erant conſpicuæ. Tertio demùm die Fœtus mortuus ab ea egreſſus eſt.

Scholium.) Ad partum requiritur robur tam matris quàm embryonis & viarum aptitudo ſive laxitas. Si quid horum deſit, partus difficultas, ſi omnia, partus nullus. Poſt mortem matris, ſi Embryo ſuperſtes & robuſtus, partus poſſibilis; Exempla vide in Literis reſponſoriis Fabr. Hildani ad Mich. Doringium. Putarem itaque Fœtum hunc non mortuum, ſed vivum & debilem ſibi ipſi viam quæſiviſſe, inveniſſe, & defectu adjutorii demùm mortuum; niſi uſque in tertium diem partus ſit dilatus, non enim poſſibile videtur, fœtum tam diu matri mortuæ ſupervivere poſſe, alimento ſcil. ipſi denegato per umbilicum; etſi per os adhuc alimentum aſſumat, quod etiam diu durare non poteſt, nam cùm placenta ſit mamma Embryonis, ſecundùm Harvæum de Gen. anim. pag. 545. ipſa verò ex utero mortuo nihil amplius accipiat, etiam Embryoni nihil reddere poteſt, & ſic ex penuria alimenti mors Embrionis neceſſariò tanto temporis intervallo ſequitur. Dubitaret fortè quis de Obſervationis fide, ſed confirmabo illam alio Exemplo, quod Olaviæ 24. Martii Anno 1665. amitæ meæ, viri cujuſdam conditionis honoratioris uxori accidit. Illa inſtante Partu epileptica mortua, cùm corpus mundaretur, ecce infans jam altero die mortuus obſervatus ex improviſo egrediens decidit ab illa. Cùm itaque hoc, certò certius ſit, mea ſententia, ſi partus inſteterit, & Embryo in procinctu fuerit ad egrediendum, etſi mortuus, tamen laxatis poſt mortem omnibus membris, & ſimul ligamentis uteri, gravitate deſcendere, & ſic partus poſt mortem tam Matris quàm Fœtus ſubſequi poteſt. *D. G. C. Winkleri.*

Fœtus poſt biduum mortuæ Matris natus.

In vicino pago Trönninge, mulier Ruſtici filia, Johannis Jacobi Villici Præbendæ Theologi Hafnienſis, ex partus difficultate menſe Novembri anni currentis 1673. miſere obiit, cùm fœtum eniti non poſſet, fruſtrà conantibus Obſtetricibus tribus, quas ex vicinia in auxilium convocaverat. Biduò ferè elapſo præter omnium exſpectationem ſua ſponte fœtus cum impetu erupit; ſed mortuus, ſine dubio in partu, conſumptis viribus quæ ſuperfuerant à morte Matris. Supervixiſſe enim interea dubitandum non eſt, quanquam aſtantes non adverterint, nihil tale cogitantes. Vitam verò, ut ante, propriam vixit, & alimento antea per os in ventriculum congeſto, quaſi cohleæ ſuo ſucco victitant. Spiritum non difficilem traxit ex apertis uteri locis, qui matre defuncta patentes manſerant. Ipſe enim altera manu viam prius ſibi paraverat, quam amputaverant, cùm reliquum corpus eluctari ex anguſtiis viæ Matris non valeret. Nec inſolens talis partus eſt, Unde in more poſitum habent mulieres, quando gravidarum funera curant, in loculo ferali acus, forfices, filumque addere, ſuperſtitione accedente, quaſi Manes iſtis inſtrumentis indigerent in reſecando ligandoque umbilico prodituri fœtus ex cadavere Matris. Obſervatum etenim in loculis defunctarum prægnantium nonnunquam fœtus ex utero prodiiſſe. Ne via præcludatur, divaricatis cruribus reponuntur Matres mortuæ. Robur ſuperſtitis infantis ex puerpera denata promovere poſſe nativitatem, exemplis demonſtrat Hildanus in literis reſponſoriis ad Doringium. Liberius fœtui nutrimentum ſuppeditatur, quando mater fatis cedit antequam rumpantur membranæ, colliquamentum illud Harvejanum ſeu liquorem nutricium, quem ore ſugit infans, includentes, ſed difficilior tum erit partus ille poſthumus, cùm & lacerandis membranis & locis aperiendis, niſi per ſe longo Matris labore pateant, nimium delaſſetur. Promptior ad exitum erit ſi arctè adhærentes unà prodeant. Id non rarò contigit, vidique puellum membranis ſuis ita involutum fuiſſe poſt partum, ut quid eſſet ignoraretur antequam diſſecarentur illæ, & velut ex marſupio eximeretur fœtus. Quod ſi tam arctè adnatæ ſint infanti, ut ſine læſione tenelli corpuſculi ſeparari non poſſint, certa pernicies manet. Plures effluxerunt anni cùm de ſimili partu orta eſſet controverſia in Italia. In territorio quippe Bergomenſi fœtus abortivus, quum ſecundinis arctè adeò involveretur ut eximi non poſſet, & tamen motu vivus agnoſceretur, Parochus ipſum ita conſtitutum baptiſabat, cùm verò mox expiraret, alter Parochus mortuo ſepulturam denegabat, negans verè baptizatum propter impeditum Phyſicum aquæ contactum. Hinc diſputatio inter Theologos, Philoſophos ac Medicos orta, num aqua ſecundinas penetrare poſſet, & num hæ partem fœtûs conſtituant? Re ad Medicos Patavinos, tum fama celebres delata, reſpondit Pompeius Caimus, Philoſophus major quàm Anatomicus, ſecundinas ex Ariſtotelis ſententia non eſſe partem fœtus, niſi excremen-

tiam. Contra Joh. Prævotius asseruit partem esse, quum vita fœtus vivat, non matris, suasque habeat venas propriæ nutritioni dicatas. Aquam verò penetrare posse negabat, non solùm quòd tunicæ hæ à natura geminæ sint constitutæ, ut serum retineant, cui fœtus innatat, sed etiam quod ab externo aëre condensentur. Hæc ita inter eos acta, fida beati Rhodii nostri relatione scio. Nostris patriæ ritibus sepultura infantibus nullis denegatur, qui parentibus Christianis nati, quocunque impedimento, sine contemptu Sacramenti, à baptismo exclusi fuerunt. Neque enim privatio, sed contemptus damnat, & quanquam parentes sint negligentiores, culpam tamen innocui infantes non luent, qui filii sunt τῆς ϖλαθήκης Actor. 3. 25. Secundinas partem infantis essentialem non magis credo quàm domum, quam inhabito, quæ meis impensis & extruitur & conservatur, partem mei esse necessariam, aut tunicam qua vestior. At arctè connatæ membranæ præter naturæ ordinem, morbolum infantem notant. An vis spiritus per aquam baptismi minus efficax sit in morboso hoc statu, judicent Theologi.

Nativitas posthuma & antiquis & recentioribus Autoribus non infrequens. In *Florilegio* Var. Epigrammatum Lib. 3. cap. 12. num. 42. ex incerto de tribus narratur liberis defuncta matre editis. Is quippe, interprete *Eil. Lubino* loquitur.

E mortuâ Matre vivus partus. Unus sanè Deus
Ab hâc viam sustulit, his verò dedit.

Exempla recentiora suppeditanr Schenckius & Marcellus Donatus. Rara Bruxellis historia 1633. agitata fuit, Medicisque proposita, de muliere gravida septimestri, quæ convulsionibus Epilepticis die Jovis circa nonam vespertinam suffocata fuit. Die Veneris spuma ex ore matris prodiit, exauditus murmurillus, quasi vagientis infantis in utero matris, tumque venter ab assidentibus observatus attolli ac deprimi. Die Sabbathi circa decimam matutinam profluvium sanguinis coëgit adstantes denudare corpus, & intra femora matris provolutus infans deprehensus adhuc calidus. Inde nata quæstio, quæ Medicis Parisiensibus, Andreæ du Chemin, Nicolao Pietre, Johann. Riolano, Abeli Brunier, Bruxellis tum cum Regina Matre commorantibus excutienda & judicanda proponebatur: An fœtus extinctæ Matri tamdiu superstes fuerit, ut post triginta sex horas ab interitu matris, vivus suopte impetu ab ergastulo suo erumpere potuerit? Cui responderunt laudati Viri, si relationi certa fides adhibenda sit, verisimile esse mulierem post illas convulsiones epilepticas & hystericas, spiratione, sensu, motuque orbatam, habitam ac derelictam fuisse pro mortua, ut in mulieribus hystericis & epilepticis sæpissimè accidit, quæ ad funus elatæ revixere: In istis convulsionibus orificium internum uteri sufficienter ad partum dilatari potuisse, & fœtum imbecillum subsistere & morari in utero per 24. horas & ultra, ad recuperandas vires in istis convulsionibus matris prostratas. Attamen vixisse sub finem diei Veneris, & matrem & Fœtum mulieris corpus adhuc calens, vagitum uterinum & abdominis subsultum, ac elevationem manifestè indicare & attestari: sed vagitum infantis morientis matris indicem fuisse, & propriæ calamitatis internuncium, atque tum matrem obiisse cùm spuma ex ore prodiit: Ac proinde potuisse Fœtum septimestrem die sabbathi suopte impetu, ruptis membranis tenerrimis & jam extensis, vivum ab utero emergere, prius tamen mortua & extincta matre.

Responsionem Collegarum tuetur Riolanus, & illustrat Lib. 6. Anthropogr. cap. 8. Nam spatium illud diuturnioris moræ & cunctationis in utero per triginta sex horas esse impossibile: Fœtum enim subsidio materno destitutum, vix per duodecim horas propriâ vitâ vivere posse, quandiu incarceratus uteri ergastulo detinetur; ideoque post extinctam Matrem, nisi confestim exeat, aut per sectionem Cæsaream eximatur, diu superstitem esse nequire, atque ex viginti prægnantibus in enixu morientibus, vix unum aut alterum fœtum secto matris utero extrahi viventem, multò minùs vivum & incolumem servari in utero. Verosimile igitur esse ultra duodecim horas in tali casu mulierem non posse vitam producere, Soli Deo competere trium dierum sepulturam & resurrectionem, ut de Lazaro resuscitato. Itaque aut fictam esse hanc historiam, alieno fœtu supposito intra femora matris mortuæ, aut non posse aliter explicari quàm à Medicis Parisiensibus fuit pronunciatum ac determinatum.

Eadem historia ad Patavinos Medicos fuit transmissa. Habeo Synopsin Responsionum eorundem, P. Magistri Serafini, Patavini Augustiniani curâ editam, ad duo quæsita circa notabilem Matronæ Belgicæ partum. Ad Primum videlicet: Utrum infans post obitum Matris potuerit nasci, si non vixisset tempore suæ nativitatis? Respons. Ex communi ferè omnium consensu statuitur Infantem tempore nativitatis suæ omnino vixisse, quod comprobatur ex eo, quòd ante partum, validè in corpore materno commotus fuerit, atque in ipso partu ventrem Matris sublevaverit. Supervixisse etiam ad tempus, post partum, à nemine negatur, quia vagitus Infantis evidenter perceptus fuit. Confirmat idem corpusculi tepor, labiorum rubor, & genuum divaricatio, atque eorundem postea superveniens frigus & rigiditas. In illo dissentiunt: Utrum infans natus fuerit in ipso Agone mortis maternæ; an verò mater prius mortua, & paulo post Infans ex utero prodierit. Priorem sententiam tenent illi, qui existimant matrem ob salivam apparentem, & calorem circa ventrem ac lumbos perseverantem, (ut in multis fieri solet epilepticis mulieribus) non fuisse verè mortuam sicut astantibus videbatur. Posteriorem amplectuntur illi primò, qui indubitata fidei exempla adducunt, Infantium scilicet, paulo post extinctas matres ex utero erumpentium: deinde quòd facta commotione corporis materni, nocte subsequente observata, nulla amplius signa vitæ præsentis apparuerint.

Ad secundam: Utrum secundùm naturæ cursum, & rationem naturalem non sequatur, ut res vera & necessaria, dictum infantem vixisse post suam nativitatem, & quod per copercula, aut aliter per materiam sanguinolentam fuerit extinctus & suffocatus. R. Ad hanc quæstionem, communi consensu determinatur, Infantem, partim ob nutrimenti defectum, corpusculi lassitudinem, sanguinisque malignitatem, partim verò, quia pronus jacuit, & stragulorum pondere oppressus secundinisque implicitus fuerit, suffocatum interiisse. Patav. 1633. *D. Thomæ Bartholini.*

De dislocatione Ossium pubis in partu.

Vivit adhuc honesta fœmina, cui primiparæ, sub difficiliori fœtus exitu, ossium pubis commissuræ (ætate satis tum matura) non solùm divulsæ sunt, verùm etiam, uti infelicioribus nonnunquam in fracturis accidit, utrinque seorsim occalluerunt, invicem separatæ, ut in scalarum ascensu ac descensu, consueta (sanis validisque) pedum alternatione uti nequeat, sed alterum semper (posito priùs altero pro fundamento) quasi post se trahat; digito eandem Alternationem circa dictas ossium extremitates eodem tempore apertè sentiente. Aliquoties postmodum, at æquè difficulter peperit, angustia fortè colli nimia. *Dom. Danielis Ludovici.*

Puer-

Puerperis periculosus annus.

Anno currente plusculæ fœminæ Hafnienses vel abortum passæ, vel difficultate partus mortuos ediderunt, vel sectione per Chirurgum sibi extrahi discerpique viderunt, vel febre variolisque extinctæ. Et pleræque femellas pepererunt, imbecillitatis indicio. Juvit humida anni constitutio & frigida, qua laxata uteri ligamenta fœtum, ut decet, constringere non potuerunt. Hinc perversus in utero embryonis situs, quem cùm obstetrices pleræque, harum accidentium ignare, emendare in partu non valerent, puerperas in vitæ periculum adductas deserere coactę sunt. Ego quidem innocuas manus gero salvamque conscientiam, qui toties de obstetricum Medico examine monui, sed surdis hactenus fabulam narravi. Ipsæ viderint quæ utilissimis consiliis obstant, & sibi conscientiæ damna imputent. Quomodo facili manu reduci ad naturalem situm in partu fœtus possit, docui in l. de Insolitis Partus Viis cap. 19. Inter tot infelicia exempla apud vicinas & amicas obvia, salva laus Deo, filia mea Margareta, filiolam pulcherrimam Sophiam Reginam Mulleram prid. Fest. Pentecost. 1672. circa meridiem enixa est, magno licet labore & subsecuta febre continua, quæ quarto die per diarrhœam soluta est. *D. Thomæ Bartholini.*

Epileptica pariens.

Puerpera primipara sub ipsum partus tempus excruciabatur paroxysmo gravi epileptico. Obstetrix imperterrita fœtum partui vicinum sentiens, paroxysmo neglecto strenuè munia sua exequitur, feliciterque fœtum extrahit: quo facto, statim subsequitur paroxysmi intermissio, lochiorum debita exclusio, firmaque per Deum valetudo, nec hucusque ullum hujus mali signum in trium jam liberorum matre apparuit.

Scholium) Singulare est in hoc Casu, epilepsiam à partu originem pariter & medelam invenisse. Author sanè Libri de natura pueri, Hippocrates quibusdam creditus, in partu maximè laborare prodidit quæ primos partus experiuntur, eo quòd doloribus non adsueverint; quorum etiam dolorum, tum sævitia, tum nimius metus primiparam hanc dubio procul in epilepticum istum insultum conjecerat; qualem quoque perpessa fuit fœmina, cujus Dec. I. Ephemer. harum Ann. 2. Observat. 67. mentionem facit. Uti verò ad partum naturaliter feliciterque absolvendum, non parturientis tantùm matris, sed fœtûs quoque parturiendi conatus requiruntur, ita præsenti in casu nixus, quem moliri puerperam gravis illa morbi invasio prohibuerat, ab hoc ipso motu convulsivo peractus fuit; totius nempe corporis motu & agitatione uterum unà commovente, fœtumque inhærentem & exire paratum excutiente, non secus ac à Vomitoriorum etiam operatione, corpus concutiente, partum promoveri nonnulli observarunt, atque supervenientem difficulter parturienti sternutationem (quæ ipsa *Ebn. Sinæ* lib. 3. fen. 1. tract. 5. cap. 8. quasi motus levis epilepticus esse videtur, uti vicissim epilepsia quasi sternutatio multa & fortis) salutarem esse cum Hippocrate 5. Aphor. 38. Celsus lib. 2. cap. 8. experientia non contradicente, adnotavit: Simile exemplum vide Anno 3. Observat. 212. & apud *Tulpium lib. 1. cap.* 10. *D. Samuelis Ledelii.*

Partus per Umbilicum.

Antonia Boisser uxor Petri Quissac Lanifici Nemausensis, vigesimum quartum ætatis annum agens, brevis staturæ, cùm jam ter uterum gestisset, fœtusque paulò ante statutum partûs terminum extinctos, perita obstetrix semper extraxisset, quartò concepit, Martio mense anno millesimo sexcentesimo octuagesimo primo: & ut calamitati in quam toties reciderat maturè occurreret, remediis per totum fermè graviditatis decursum, cum specie felicis futuri exitus, usa fuit: fœtus enim strenuè in utero movebatur, ipsaque prægnans bene valens rebus suis alacriter incumbebat. Sed completo nono mense, instanteque pariendi tempore, in longa acerbissimaque ventris tormina, & atroces femorum lumborùmque dolores incidit, qui propter omnimodam interni oris clausuram, in nixus inanes & identidem recurrentes desinebant. Horrenda illinc symptomata emersere, frequentia scilicet animi deliquia, vomitus indefinens, anhelitus fœtor, extremorum frigus, & cætera quæ mortuum in utero fœtum arguunt signa. Post transactos aliquot in istis angustiis dies, vires sensim recuperavit, recreataque remediorum ope, domesticis muneribus fungebatur. Secundo abhinc mense moderatum ex utero sanguinis effluvium, à menstruo non alienum, per duos menses passa est: quibus exactis fluor albus, tandemque puris fœtidissimi egestio, insequuta sunt. Lac interim in mammis ad hæc usque tempora, nempe decimum tertium graviditatis mensem habuit. Febre, ciborumque fastidio semper laboravit, flavescente ac pene cadaverosa facie deformis, tetrumque toto corpore fœtorem spirans, animo gravius quàm corpore ægrotare videbatur. Non illa omnia puris, ichorum, sanguinisve profluvia, non frequens diarrhœa, aut tenesmus, tumorem, duritiem, doloremve abdominis minuere valuerunt. Post septimum à sanguinis fluore mensem ingravescebant per totum corporis habitum qui jam infestaverant dolores, sed imprimis ad uteri vaginam, è qua officulum emersit. Elapsâ mox hebdomadâ emersit alterum. Sexto sequenti die, prodiit aliud. Perseverante fluore uterino, dolorum sæpissime recurrentium adventus, officuli cujusdam brevi tempore proditurí prodromus erat: sicque ab Octobris initio ad medium Decembrem, viginti aut circiter ossa, quædam ex articulis manuum aut pedum decidua, ossium majorum epiphyses, & squammæ, incisorius dens, aurisque malleus, prodiere. Tandem, circa natalitia, intumuit ipsi ad glandis magnitudinem umbilicus, postque acerbissimos dolores per quatriduum infestantes, ex sponte disrupto tumore serum tantummodo emanavit. Resedit cuticula quæ serosum humorem continebat, nullo præteriti tumoris, præterquam guttatim scaturientis per porum visum effugientem seri, vestigio superstite. Ex eo sensim seri acrimonia corroso, & per immissum pexiculum patentiori, facto, modò pus, modò fœculenta fætidissimaque sanies effluebat. Circa vigesimum à disrupto tumore diem, capilli aliquot cum pure, prodierunt. Decimo secundo Calendas Februarii, doloribus cruciata, mihi accersito ulcus umbilici tumidum & penitus obturatum, cum circumfusâ inflammatione patefecit. Specilli ope compertum os, sine levi incisurâ educi non posse dixi: adnuit ægrotans, meque Chirurgi munere invitum coëgit fungi. Ex illa igitur forcipulâ ab umbilico pubim versus peractâ, fœtus cubitum, quà cum humero connectitur, extraxi; alio ossis extre-

mo capillis adhærentibus obvoluto. Tutundam offis craſſitiei reſpondentem in ulcus immiſi, unde in poſteru n tanta puris copia emanavit, ut quin ;uies ſexiesve quotidie ſordentes faſciæ eſſent abjiciendæ. Nec tantum efflavium ventris dolorem tumoremve adhuc abſtulit; Verùm tunc temporis cibos appetivit. Octavo adhinc die, quinto ſcilicet Calendas Februarii, majoribus adhuc offibus ad ulceris ora appellentibus, vocatoque Carolo Treutignan, doctiſſimo peritiſſimoque Chirurgo, diligentius explorato ulcere, femur, radius, cum oſſe ilium extracta ſunt. Putris ſimul caro, ex fœdâ cutis, adipis, membranarum, muſculorumque copulatione conflata, & naturæ viribus propulſa, ex ulcere, ad duorum digitorum tranſverſorum latitudinem, ſemperque pubim verſus alterius inciſo, educta eſt, ſemipedali longitudine, & carpi craſſitie, quæque oſſiculorum quorundam diſpoſitione, ſub ſpinæ dorſalis ſpecie innotuit. Sed cùm ſine patentiori ſectione minimè poſſent extrahi pectus truncuſque corporis cui prædicta adhæreſcebat caro, illa, ne relaberentur, funiculo colligavimus, & in ſinum ulceris balſamicum detergenſque decoctum injecimus. Poſtridie mane pendebamus animis, utrum novâ amplioreque inciſurâ omiſſâ, cui ſuſtinendæ vix ſufficerent vires ægrotantis, quæ ob cadaver in utero tamdiu geſtatum, febre macieque confecta erat, quæ ſupererant in ulcere ferramentis confracta oſſa diſcerptaſque carnes ſenſim & iteratis vicibus extraheremus. Verùm talia in trum.nta in partem non penitus exploratam & cognitam immittendi periculum, cujuſque aditus à carne oſſibuſque fœtus, eò vi naturæ propulſis, omnino intercludebatur, nos à tali conſilio deterruit. Quamobrem peracta fuit, ut antea, pubim verſus, immittendæ manui ſufficiens inciſio; cujus beneficio coſtas, artuum oſſa, corporis truncum, capitiſque oſſa ſponte à ſeſe invicem ſecedentia Chirurgus eduxit. Reliqua verò quæ ob putredinem à carnibus reſoluta, cum pure taboque reſtagnantibus, oſſicula prodiere. Hiante ſordeſcentis ulceris cavitate, prædicto decocto ablutâ, convenienterque deligatâ. Ceſſavit penitus; quem per umbilicum apertum puris egeſtio non coërcuerat, aut minimum revocaverat, uterinus fluor. Ad octavum uſque ab operatione celebrata diem, omnia ex voto ſe habuere; ex ulcere intus & extra belle conſtituto, pus, licet magnâ copiâ erumpens, colore & conſiſtentia laudabilibus donatum, fœtore carebat. Somno indulgebat, ciboſque horis aſſuetis capiebat ægrotans, & penè immunis febre doloribuſque, reluctanti animo vitæ rationem tenebat, & ſe lecto affigi ægre patiebatur. Verùm ſexto idus Februarii, tam fęlicia & proſpera ſigna infauſta ſymptomata exceperunt, & ex ulcere decolore fœtidiſſimum & minima quantitate pus emanavit. Tantæ ergo mutationis cauſam explorantes, hanc oſſicula quædam in ulceris ſinu à dextris exiſtentia procreaſſe comperimus. Eorum unum ciceris magnitudine, rotundum depreſſumque & capillis obvolutum è veſtigio eductum eſt. Eadem die Veſperi ós aliud rotundum & minus prædicto, denſque inciſorius cum duobus cirris eruta fuere. Ulteriùs indagantes, quędam adhuc oſſicula deprehendimus, quæ diſruptum inter peritonæum muſculoſque abdominis corroſos, in profundis ulceris abditis prope dextrum inguen latitabant. Maximamque item capillorum copiam, palmari latitudine ab umbilico diſtantium deſuper & à dextris, ubi fœtus caput antea recumbebat. Oſſicula equidem mobilia, ſed in latibulo recondita, quæque vix extremis digitis contingere licebat, per ulceris orificium educi nequaquam poterant; capillique ita tenaciter carni adhærebant ut ad minimum contactum compreſſionemve ſtridentes, vix ſine labore, acerbiſſimoque dolore avelli poſſe videbantur. Quarto idus Februarii ægrotans ipſamet immiſſis in ulcus digitis cirros duos divellebat. Pridie prædicti menſis idus, oſſiculum inſtar prioris eductum eſt. A quanam autem corporis parte tot oſſicula disjuncta eſſent, quatenus mutila corroſaque, intelligere non licuit. Quotieſcumque autem oſſiculum aut cirrum eruere contigit, febris accenſa eſt, doloreſque in partibus, à quibus prodiere, citiſſimè autem deſinentes, oborti ſunt. Verùm in oppoſita parte, iliorum nempe, lumborumque regione, ſiniſtrorſum, acutiſſimi excitabantur. Obfirmatis ibidem doloribus, totum abdomen inflammatione tumoreque affectum fuit, excepta parte in qua oſſiculi latitabant, quamque potius inflammatio invadere debuiſſet, ob labores quibus agitata fuerat, cùm illa educere conaremur. Interim ægra à definita vivendi lege deſciſcens, vomitu & rigore vexa a, in frequentes lipothymias incidebat. Stranguriâ, ventris doloribus, & teneſmo, cum febre vigiliiſque ſtipantibus torquebatur, perditiſſimuſque ulceri, alias laudabili colore prædito & parum dolenti, adveniens fœtor, ad os uſque ipſius pertingebat. Exſiccata in ſinu ulceris ſanies, ab interno uteri orificio ad vaginam injectioni viam præcluſerat; ſed digitorum ope remotâ, facillimè ad externum uſque orificium patuit. Dira hæc ſymptomata, quæ ad decimum Calendas Martii infeſtaverant, maximum profuſumque ſeri ab ulcere profluvium, paulatim ſuſtulit: verùm ſemper ſollíciti de ulceris fœtore, quem ab oſſiculis latentibus pendere liquidò conſtabat, factâ inciſione in infimâ hypogaſtricæ regionis parte juxta dextrum inguen, tria oſſicula, quorum unum rotundum depreſſumque, inſtar prioris, & duo reliqua vertebrarum particulæ, evulſa ſunt. Hujus inciſuræ beneficio totam ulceris cavitatem eluebamus; unde in poſterum minori quantitate, laudabilioribuſque colore & conſiſtentia pręditum pus effluebat. Non ideo tamen omnibus eramus impedimentis ſoluti, maximumque nobis negotium incumbebat in evellendis cirris qui prædictæ parti tenaciſſimè adhærentes, ulceri & puri emananti fœtorem identidem impertiebant. Periculum etiam impendere videbatur in adhibendis ſepticis, ut ſcilicet putrefacta carne, faciliori cirrorum avulſioni conſuleremus; ſatius ergo ducentes eam immiſſo roſtro anatino moliri, ipſamet ægra propriis aliquando digitis eos conglobante, hoc opus bonis avibus intra dies octo peregimus; Sed qua vi quantoque labore, Chirurgi, manus ſuæ niſum tantùm non adhibentis, conatus, capillorumque parti fermè coalitorum ſtridor, tandemque adipis carniſque ſemiputridæ fruſtula ſimul educta teſtabantur. Eradicatis ergo penitus cirris, ulcus utrumque fœtore prorſus caruit, & puris quantitas quotidie decreſcens, à parte, cui prius affigebantur capilli, tantummodo emanabat, quæ ob prægreſſam inflammationem aliquandiu dura tumidaque ad nativam conſtitutionem reducebatur; utroque itidem ulcere cicatricem recipiente & reſtincta febre, virium recreatio, appetentia, confectioque ciborum, ſomni placiditas & vividus oris color, valetudinem reſtitutam luculenter arguebant. Verùm, quod præſtabilius, fluor ex utero plerumque manans, menſtruæque purgationis prodromus, partis illius tonum citò confirmatum iri teſtabatur: ſcilicet per umbilicum, cujus vaſa & ligamenta eruendo fœtui arte aut naturâ patefacta nondum planè coaluerant, menſtruus ſanguis elapſo uno menſe profluxit. Sed incongruente hac viâ penitus tandem præcluſa, antiquum & vulgare iter ſuo tempore deinceps, natura duce, conſtantiſſiè affectam, Juliô menſe ann. 168 . *Ex amicâ communicatione Viri Clari Clariſſ. D. Rivalier Medici quondam Nemauſenſis*

Partus difficilis facilitatus.

Clariss. Joh. de Muralto. Miscell. Curios. Decur. iii. Ann. 2.

Adstiti nuper fœminæ, quę ante triennium ob arctam uteri præclusionem, & ætatem provectiorem, eniti puerum non poterat, sed inslicto vertici vulnere, cerebroque exemto, collapsis cranii ossibus, extractio fiebat, ut mater salvaretur. Nunc eosdem dolores partûs sentiens, involucra fœtûs ad osculum protrudit, nec ob eorum crassitiem nisibus diffringere valuit. Vocatus, manû uterô immissâ fluctuantia & & in pyramidem abeuntia involucra hæc disrupi, effluxisque aquis, adauctis nisibus, eam ad operandum instigavi: Infans dorso incumbebat vertice intestino recto, & facie osculo uteri obversô, adeò ut mentum ossi pubis ceu obici adstiterit; dilatavi pro viribus per integram horam orificium uteri nervosum, sive tendinosum, ut faciei exitum illæsum concederem, ad primum enim digitorum in uterum ingressum, os infantis patulum cum auribus, oculis, natibus, ulteriorem operationem, sive in bonam figuram collocationem impediebat. Talibus in angustiis positam matrem, & operatorem, quid faciendum, experientia docuit, instigandam fœminam, reliquum opus naturę committendum, solumque circulum nerveum intra uterum & caput infantis leniter extendendum esse; quo facto, randem infans vivus in lucem prodiit, sed qui ultra horæ quadrantem vitam protrahere nequivit, ejus facies prætumida, imprimis os, nasus, & frontis pars anterior fuerat; quasique sanguine suffusa, nec mirum, cùm sanguis ob coarctatum infantis collum præclusus fuerit. Puerpera interim liberata à secundinis, lectoque introducta, lochiisque ritè manantibus, bene se habuit. Ex hac operatione, discendum 1. quantùm possibile, osculum uteri apud vetulas mirum in modum dilatandum est; 2. occiput supra alvum hærens levandum, & ad osculum uteri dirigendum esse, ne retrorsum plicetur, & collum ac respiratio cum sanguinis circulo præpediatur; 3. infantis faciem nullo modo esse digitis tangendam, ne sensuum organa lædantur; 4. Operatori à puerpera non esse recedendum, nisi simul à secundinâ liberata fuerit.

Nupertimè quoque fœminæ adstiti, cujus infans dextrum brachium ex utero porrexit; hæc nisibus in vanum tentata operam meam anxiè quærebat; manum utero immisi, & brachium in cubito prehensum reduxi, atque retrò occiput, manu exserrâ reclinavi, ne relabi posset; tum osculum solito more dilatavi, & muliebria perunxi; aquam liliorum alborum cum extracto croci & borace exhibui, sicque nisus adauxi, ac fœminam liberavi, puerumque vivum vegetumque excepi.

Partus novennis, per ulcus sub umbilico.

Clariss. Salomonis Reiselii. Miscell. Curios. Decur. iii. Ann. 3.

Præterito Autumno audivi de muliere, quòd ante undecim ferè annos gravida demum pepererit infantem, sed illum putridum nono anno. Cùm insolitum & creditu mihi difficillimum esset, petii circumstantias à Pastore illius loci. Sed mulier illa ipsa sese sistit 2. Aprilis 1695. unà cum testimonio Pastoris; Prætoris & Chirurgi, nomine Agnes, uxor Jacobi Sægeri, civis in pago Stamheim, Præfecturę ad Monasterium Hirschaviense pertinentis, annorum 48. quæ antea tres enixa est infantes, & edicit, quod ante undecim ferè annos gravida facta, & partu vicini mensis tempore à tempestate grandinosa ita tetrefacta fuerit in campis sub liberó aëre, ut pene defecisset. Domum verò redeunti partûs dolores quidem accessêre, sed & remisêre, remanente tamen embryone usque ad nonum annum, quando interea mater imbecilla facta, doloribus lacessita, lectó affixa miseram traxit vitam, donec cum fœtore maximo putridum sub umbilico ulcus ruptum fuerit, fluxeritque per trimestre spatium à Gottardo Schonlin, Chirurgo Calvvensi, cum pauca spe sanitatis tractatum, ex quo denique, 22. Octobr. 1692. fœtus altero latere putridus quidem, sed ita, ut pro masculo ab obstetrice præsente agnosci potuerit, prominens, extractus est; quod testatus est unà cum Chirurgo supradicto, Pastor illius loci M. Johannes Jacobus Laulter, & Prætor quoque. Post id tempus, cùm cibus & potus per vulnus exiisset per mensem & ultrà, planè emaciata & lassata fuit mulier, donec beneficio pultis avenaceæ cibus quidem retentus, vulnus autem demum post annum coaluerit, curante eodem Chirurgo; cujus relictam cicatricem mihi ostendit. Tunc nihil dolet, præterquam quod non ferat cruda & frigida, ut brassicam conditam, lac acidum & alia: potest etiam domi & ruri labores, sed leviores, tolerare. Quapropter ob alia negotia festinato examine contentus quidem eram. Sed cùm statim id narrarim Collegis meis, idque portentosum si non fabulosum putaretur, denuò eam cum Excell. Dn. D. Matthia Schepfio Collega meo, examini acriori subjeci ut fidelis sit testator.

Interrogata igitur denuò unde sciat, quod ante undecim annos gravida fuerit? Respondit mater trium antea liberorum procreatorum & lactatorum non imperita, quòd mensibus per sex menses restitantibus bene se gesserit, venter tumuerit; senseritque motum; usque ad terrorem factum; & inde sequentes dolores partus, cujus gratiâ venam secuerit, quibus deinde remittentibus motus & sensus infantis desierit, ut post quatuordecim dies crediderit mortuum esse.

Interrogata quoque quomodo se gesserit post partûs primos dolores remissos; & an non à concubitu denuò gravida fieri potuerit, vel facta? Respondit, ventre adhuc manente pleno, passam quidem esse congressum; jubente sic marito & postulante suum jussu jus; multos dolores & imbecillitatem sustinuisse; menses per dimidium annum restitisse, sed deinde fluxisse constantibus periodis, quovis etiam anno venam secasse, denique dimidio ferè anno ante putredinem incipientem iterum stitisse, ventremque de tumuisse, nequicquam puris aut fœtidi per genitalia efflaxisse. De infantis statu addidit, quod ipsamet extraxerit ex rupto abscessu infantem, cujus costæ nudatæ fuerint; craniumque à se invicem distractum & collapsum.

Fœtus frustillatim per umbilicum exemptus ruptis intestinis, & eorum motu peristaltico extra abdomen conspicuô.

Clariss. Joh. Menradi Vorvvaltneri. Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Margareta Nisslin uxor lanionis in Sigemburg 4. filiorum mater, circa nonum gestationis mensem, dolores partum præcedere solitos, animadvertens, dubia de legitimo pariendi tempore, præter obstetricem alias fœminas sibi familiares in consilium vocavit, quæ more solito minus de fœtu ad exitum ritè dispositio; quàm de celeri partu solicitæ, mulierem istam mox ad labores strenuè, & eò usque urserere, donec omni

omni conatu jugiter, sed in cassum tentato, ruptis membranis fœtum involventibus, & aquâ contentâ effusâ, viribus jamjam deficientibus dolores omnino intermiserint. Quo facto quædam in hac arte peritior sibi vita cataplasma ex placenta seminis lini expressi, foliis malvæ & lacte paratum probè semper calefactum toti abdomini superimposuit, quo ad tertiam diem continuato sæpiusve renovato; afflicta mater interea fœtum præter morem vehementer moveri sensit, ita ut eumdem ad jugulum usque ascendere, & accedentibus crebris singultibus non rarò se suffocandam crederet. Abdomine perinde, velut in ascite in immensum crescente parvisque copiosis tuberculis hinc inde erumpentibus cataplasma remotum, & à prædicta fœmina Emplastrum nescio quale substitutum, ad 19. ferè septimanas usurpatum est, donec livescente circumcirca cute prope umbilicum, ingens abscessus apparuit, paulò post sua sponte ruptus. Purgato nonnihil ulcere & amplum hiante, se in conspectum dedit fœtus cum suis involucris & secundis putridus, fœtidus, transversim situs, ægra mediis destituta; Chirurgum abhorruit, cæterisque fœminis audacior ipsa prima manum admovit, atque disruptis membranis fœtum per abscessum frustulatim eximere cœpit, cùm verò caput ob renitentiam quandam & virium imbecillitatem tollere haud valeret, alia fœmina incautâ manu tam validè id extraxit, ut ægra ab ossibus cranii intestina præcisa statim lamentaretur. Verùm misera fidem non habuit, nisi postquam fœtu & secundinis penitus excerptis intestina rupta per abscessum foris pendula coram viderent omnes præsentes, unde desolata & à fœminis huc usque assistentibus derelicta opus naturæ commisit, à qua ceu communi medicatrice, Deo dante, ulcus intra paucas septimanas sanatum & cum intestinis propendentibus consolidatum est. Restituta in tantùm me in Monasterio vicino occupatum accessit, totamque rei seriem fusè enarravit: At ego ipse hujus casûs experientiam facturus modernam intestinorum constitutionem inspiciendi ab ea facultatem petii, quam facilè obtinui, cùm à me auxilium vel saltem stipem aut attestationem expectaret. Observavi cutem magnam Ilei portionem ac quasi truncum per umbilicum prodeuntem in duos ramos divisum, quorum unus ad partem dextram reclinans, farciminis instar infarctus longitudine X, crassitie IV. digitos transversos facilè superabat, nulla tamen excrementa emittens, alter tenuior quidem, sed inæqualis magnitudinis vermis instar modò contractus, modò ad quartam partem ulnæ Bavaricæ exporrectus, continuò liquida & flava alvi fœda expuebat, ita ut curiosum valde esset intueri motum intestinorum peristalticum tam conspicuum & manifestum. Observavi præterea bipartitum hoc intestinum inversum, ita ut tunica aliàs interna jam existat externa, rubicundissima quasi inflammata, præsertim si diutiùs aëri ambienti exposita, è diversis locis ac poris sanguinem plorans. Deprehendi tandem majorem ramum ex latere dextro, non excrementis sed intestino illapso repletum.

Cæterùm fœmina ista, quam paucis abhinc septimanis denuò obviam habui, quamvis ab eo tempore, quo intestina rupta sunt, nulla excrementa per alvum secedant, bene valet, habituque corporis non mediocri fruitur, nihil magis, quàm ob exquisitissimum sensum, immanes dolores ad tactum & molestiam in purgandis fæcibus, omnium verò maximè ob maritum defunctum, inopiam patiens.

Similem ex parte casum, haud ita pridem prope Beilngries in pago N. contigisse memini, ubi fœmina 8. mense utero gerens, insignem tumorem in regione umbilici aquisivit, quam Chirurgus ad suppurationem ductam aperuit, & fœtum putridum frustulatim extraxit, ulcere post fœliciter curato. Hanc fœminam posthac tres partus vivos successivè peperisse nuper à viro fide digno audivi.

Confer Dec. III. Ephemeridum nostr. Ann. IV. Observat. CXXXI. à Dn. Directore Ephemer. communicatam.

Partus Vesicularum mirus.

Clariss. Antonii Vallisnerii Ephemerid. German. Centur. 3. & 4.

Fœmina ætatis annorum 43. temperamenti melancholici, dolori pungenti in dextro hypochondrio semper, adparentibus menstruis, exposita, cum flatibus, & interdum vomitu, à levi occasione facilè excitato, novem annorum spatio quatuor filiolas & unum masculum, mercatori septuagenario nupta, peperit. Dum ultimum hunc, texturæ venustæ & debilis, cum multò majoribus incommodis, quàm vires ferrent, lactabat, præter sals-acrem ad fauces defluxionem, & multos ventris dolores, elapso Februario omnimodam mensium suppressionem passa est, qui aliàs in eadem ægra, similibus in casibus non modicè comparere solebant, in mense autem Martio, Lunâ crescente, denuò notabiliter fluxerant, & simul antiquus dolor in hypochondriis, majori cum molestia rediit, cum flatibus, cordis oppressionibus, inappetentiâ cibi, vomitu, febriculâ aliquâ noctu increscente, & urinâ saturatè rubro colore tinctâ. Die 16. dicti mensis Medicus N. N. in auxilium vocatus, cùm notabiles sanguinis grumos quotidie exire observaret, gravidam eam non esse probabiliter credidit, eamque primò lenibus purgantibus, & postea humectantibus, validisque aperientibus, nec non venæ sectione in pede curavit. Die 22. Aprilis alius insuper Medicus consultus fuit, qui adhibita remedia, symptomatum pervicaciam, & speciatim continuum istum sanguinis exitum considerans, eandem gravidam non esse consensit, omniaque à succis valde acetosis, cum vitiatis viscerum fermentis, & dispositione aliqua ad cachexiam, provenire, verisimile esse credidit, unde sectionem saphænę iteravit, ordinavitque quicquid hodierna sagacitas ad absorbendos aut frangendos hostilium istorum succorum aculeos hucusque investigavit. D. 9. Maii denuò quatuor incirca sanguinis uncias ex manu detrahere curavit, & altero mane largior longè fluxus uterinus cum virium resolutione successit, superveniente semper memoratorum symptomatum majori pertinaciâ & ferociâ. D. 22. post solitum molestissimum vomitum, magna sanguinis copia exiit, & per quatuor circiter horas Dominam ægrotam in dubio salutis statu reliquit. Dehinc viribus aliquantum restauratis, malum decrescere, & per quinque continuos dies minùs eandem torquere videbatur, non cessante tamen quotidiano, quamvis remissiore, fluxu uterino. Sed nocte diei 26. vehementioribus quàm unquam antea redeuntibus symptomatibus; magno nisu corpus ovatum, tunicis suis involutum, magnitudine circiter anserini ovi ex utero expulit, quod immediatè mirabilis vesicularum copia subsecuta est. Illo aperto, & remotis externis teneræ ac mollis texturæ involucris, comparuit corpus imperfectum & fuscum, in quo omnia illa mirabilia instrumenta deficiebant, quæ ad perfectam machinæ illius architecturam requiruntur; neque caput, neque brachia, pedesve conspici poterant, sed merus truncus rudíter compactus, qui aliquâ delineatione potiùs quàm verâ viscerum formâ certo modo vixisse se monstrabat: inter omnia cor equidem meliùs formatum erat, magnum tamen respectu parvi & macri sui corporis, cum duobus sacculis membranosis, flaccidis & rugosis, qui pro pulmonibus habiti fuerunt, cum aorta & cava, atque ramulis quibusdam huc & illuc per thoracem protensis.

In

In abdomiine hepar obscurè sanguineum absque lobis figurâ consuetâ aderat; pancreas & lien tantùm rotundi grumuli glandularum fortuitò connexi, non eleganti artificio efformati videbantur; ventriculus & intestina aliquantùm rubebant, & juxtà cum tota ista informi massa; tam delicata & tenera erant, ut levi saltem contactu dissolverentur; id quod impedimento fuit, quo minùs reliquum tam curiosi & imperfecti naturę operis adcuratè observaretur. Verùm non sine stupore nullus putredinosus odor in eo à me adstantibusque sentiri poterat.

Oculis ad ova sive vesiculas suprà memoratas conversis, tum prodigiosum earum numerum, atque adeò confusè intricatas deprehendi, ut eas tam adcuratè, ceu in raris casibus fieri deberet, dinumerare impossibile mihi fuerit; parte tamen earum aliquâ numeratâ eademque cum tantæ molis reliquis partibus, quę simul magnam illam massam composuerunt, multiplicata, collegi, quod sex mille incirca esse potuerint. Trunco unico communi carebant, à quo varii rami, atque ab his minores alii aliique derivarentur. Solùm rete quasi ex variis filis inordinatè & confusè contextis adparebat; è quibus elegantissimi ramusculi diversæ longitudinis & crassitiei huc illuc derivabantur. Rete hoc in utero meliorem & elegantiorem formam habuisse, in laborioso autem partu, aut ab obstetricis manibus corruptum fuisse, suspicari licet. Multæ unico soli ramo adhærebant, aliæ racematim jungebantur, aliæ in longa serie per unicum saltem latus decurrebant, omnes tamen exiguo pediculo erant præditæ, quo mediante ramis adpendebantur. Diversæ magnitudinis erant, minimæ instar milii, majores instar globulorum sclopetariorum ordinariorum; quædam aliis rotundiores; nisi illud evenerit, si involuctum, ex materia tenera & flexibili constans, ubi rumpebatur, rotunditatem perderet. Aqua, quam continebant, gustui adparebat insipidissima, & soli exposita non erat sine incorrupta limpiditate; nec minùs planè lubrica erat, sed paululum lubricitatis quid minorem tamen quàm ovi albumen, & majorem, quàm naturalis aquæ communis viscositas habebat; cum alcali non effervescebat, nec cum acidis coagulabatur. Coctæ multùm mole, contrahentes se in seipsas, atque inter se invicem constringentes, decrescebant. Hac ratione tunica earum minor reddita, crassior, & liquor magis albicans, sed non viscosior evasit: unde perforatæ procul ejiciebant liquorem, quasi expressum à tunicâ per calorem contractâ; à quo etiam transparentiam priorem amittebant, & albicantes adparebant. In iis per microscopium lustratis parùm ampliùs, quàm cum nudis oculis vidi, ob earum qualemcunque albedinem & lucis defectum. Rami & fibra, qua adfigebantur, revera non erant aliud, quàm simplices & continuati canaliculi, qui humorem ad bullulas vel vesiculas, instar tuborum à fontibus, vehebant. Vasa sanguifera nulla potui deprehendere, nisi aliquam subtilissimam lineam, quæ primò canaliculum sanguiferum referens, postea adcuratiùs observata non nisi particula rubicunda sanguinis in quodam subtilissimo sulco aut plicula tunicæ relicta fuerat. Hæc tamen pulchrè contexta cernebatur, ex longitudinalibus aliisque fibris, uti in vesica oculo nudo adparet. Super tabulam per aliquot dies relictæ colorem fuscum induerunt, nec computruerunt, sed effluente priùs omni aquâ, in seipsas contractæ, fuerunt exsiccatæ, & tunc odorem gravem admodum nauseosum spirârunt. Conservo etiamnum easdem, ut curiositati, si quis videre eas velit, satisfaciam.

Postquam hæc ita evenerunt, sanguinis excretio cum levamine Dominæ ægrotę continuavit, & post quinque dies notabile frustum placentæ, triduòque abhinc reliqua ejusdem pars absque singulari aliquo fœtore excreta fuit. Lochia etiam benè & notabiliter fluxerunt, sicque prior exoptata sanitas fuit restituta.

Scholium. Observationem hanc Nobilis D. Valisnerius celeberrimo D. Marcello Malpighio (in cujus operibus posthumis pag. 116. edit. Amstel. & pag. 87. edit. Venet. eadem contractior, unà cum alia ab eodem Malpighio notata legitur,) inscripserat, suasque doctas Meditationes desuper formaverat; quarum potiores in compendio recensere Lectori non ingratum esse posse confidimus.

Quęrit autem I. An vesiculæ illæ fuerint ovarium vel ova muliebria? Quo de multùm dubitat, quia confusam potiùs ramorum aliquorum texturam, quàm abstrusum illud artificium; quale tam præclarum naturæ instrumentum habere solet, ostenderit; neque credibile sit, integrum ovarium sine dolore, aut ullo notabili omnium istarum delicatissimarum partium damno ad uterum ferri, atque fortuitò eidem adhęrere & crescere potuisse; præterea liquorem contentum ab igne non fuisse coagulatum, secus ac ovulorum humori, suo & Regn. Graaffii cap. 11. de mul. org. experimento, evenit: injuriam insuper magnam providæ naturę fieri, tot mille superflua ova statuendo, ubi pauca sunt necessaria; neque obstare primariam quandam feminam unico partu trecentos sexaginta quatuor filiosos, & aliam mille ac quingentos, quatuordecim edidisse, cùm, præterquam à recensito numero, quod hi multùm adhuc distent, de veritate relationis dubitare liceat, Autoribus nempe in numero variantibus; & verum si esset, supernaturale quid, non lex aliqua naturę fuisset &c. Pręterea etiam extra uterum, in ipsisque maribus similes vesiculas generari, uti in Th. Bartholini cent. 4. ep. med. 86. Solenandri sect. 1. consult. med. 15. atque Cordæi comm. 5. ad lib. prior. Hipp. de morb. mul. exempla occurrunt, & quendam Antonium Mazacænum, febriculâ lentâ contumaci laborantem, post longam & pertinacissimam alvi obstructionem, per mensem circiter, magnum earum numerum excrevisse.

II. An fuerint Hydatides, aut lympha in propriis canalibus stagnans, quę inter unam alteramque valvulam cohibita fuerit? Ubi negativam amplectitur, cùm corpuscula ex omni parte elata, aut rotundi sacculi, & nulla in eis valvula visa fuerit, variis modis à ramo suo dependerint, non verò in uno aliquo ramo comparuerint, nec sine vehementi aliquo motu, & ita novorum symptomatum concursu, neque cum notabili adeò ægrotæ levamine separari potuissent; præterea minutissimam hanc vasorum struem simul internis uteri partibus adhęrere non potuisse.

III. An aliquarum glandularum noviter inventarum quæ vesiculares dicuntur, inque extraordinariam illam magnitudinem excreverint, sint congeries, aut ipsius uteri lacinię, qui non minùs ac lien, & pulmones, ex vesiculis esse contextus cuidam statuatur? De utroque tamen dubitabat, cùm vera eis dent glandularum idea, atque vasis excretoriis ac sanguiferis destituantur; neque particula uteri tam notabilis sanguine carere & lymphâ saltem repleta esse, nec ægra à morbo obstinato inde liberari potuisset.

IV. An sit spuma, vel productum aliquod sanguinis menstrui & seminis? Ubi non multùm dissimilem vesicularum partum ex Zodiaci med. gall. ann. 1. obs. 1. his verbis adducit: Verisimile, utrumque æqualiter concurrisse, hoc est sanguinem menstruum in uterum citiùs à conceptione irrumpentem, commixtum, & confusum seminibus, antequam germinum naturam adepta essent, aut, ut loquitur Hippocrates geniturę: unde exorta est fermentatio, ex contrarietate partium horum liquorum, quę excitare valuit effervescentiam sat insignem, ut ideo effictæ sint species hæ ampullarum, aut vesicularum, quę erum-

„ punt in aqua ebulliente, vel in quam aliæ incidunt „ imbris modo, quæ postquam formam nacta sunt, „ augmentum adipisci potuerunt, non secus, ac mo„ læ, ac alia falsa germina, hoc est, servata pristina „ forma. Verùm displicent hæc, cùm (1.) antiquæ illi & erroneæ opinioni de fœtûs ex mixtura seminum ortu nitantur; (2.) fermentatio *ex contrarietate partium horum liquorum* non sit possibilis, quia inter serum & sanguinem menstruum, qui idem est cum reliqua tota massa sanguinea, talis inimicitia non datur, & uterque dulcis ac amicissimus, neque unus acidus, alter alcalicus est, unde pugna induci posset; (3.) neque in supposita ab ebullitione bullarum productione canaliculi tam elegantes cum pediculis suis, sed confusa potiùs conglomeratio aliqua bullarum orta fuisset, neque liquorem continuissent, bullis utpote in aqua aliisque liquoribus dum in spumam abeunt, vacuis remanentibus; insuper nulla vascula sanguifera, vel minutissima etiam sanguinis pro earum nutritione necessarii guttula observari potuerit; (4.) in aliis etiam partibus, inque vario sexu tales oriantur, ubi causa illa locum non habet.

Tandem Clar. Auctor, postquam celeberrimi Marc. Malpighii diss. de polypo cord. in superiori sanguinis concreti parte, præter rubicundas particulas crustam ex subalbis pelliculis contextam, meatibusque & ferè vesiculis perviam, quæ diaphano & minùs gravi succo replentur, observari notasset, hanc solam sanguinis partem continere particulas sic figuratas adstruit, quæ telam quandam formare possunt, aliis minutiis, non ita facile invicem implicari aptis, frenum imponentem. Et hasce illas esse suspicatur, quæ nutrire aut renovare solent corporis membranas, solamque esse materiam, ex qua natura, per quandam quasi petulantiam, vel ex necessitate vesiculas istas efformaverat; & cùm in eadem fluant ejusmodi salia, quæ formas aut ideas rerum continent, his mediantibus omnes illas minutias aut ramos, ex quibus membranæ componi solent, debito loco dispositas fuisse, atque facile sic percipi, quomodo in brevi tempore talis fabrica fuerit efformata. Incredibile D. Auctori videtur, ex confuso tumultu & ebullitione partium, sine idea aut naturæ consensu tam bene formatum opificium, suis canalibus, pediculis, aliisque ad sui productionem requisitis instructum, progigni posse, unde reconditum aliquod agnoscit, quod non sine arte, aut sine illis instrumentis vel principiis fieri potest, quæ in motum posita, non nisi res determinatas ac proprias operari soleant. Salia itaque hæc, ab aliquibus rerum essentialia dicta, veram vesicularum istarum basin & ideam esse; hæc autem in corpore, & etiam extra illud, modò certa ratione agitentur ac moveantur, semper figere, aut ramusculos & fila membranarum disponere conari; hæc illa esse, quæ ingeniosam illam sanguinis crustam etiam extra venas efficiunt, & quæ vesiculas in intestinis, abdomine, utero efformant: sive jam ab aliquibus abrasis perfectarum membranarum particulis proveniant, sive natura simpliciter eadem in sanguine pro novis inde fabricandis conservet, quarum magna in corpore nostro est abundantia. In cujus rei dilucidationem adducit doctissimi cujusdam amici sui observationem, qui aliquando, cùm cibus aliquis ex solo uvæ succo, cum aliqua farinæ portione cocto & confusè mixto, refrigeraretur, in superficie ejus elegantissimum truncum se extollere vidit, ex basi sua ramos, paulatim minores instar rudioris pyramidis emittentem, in extremitate autem cujusque rami vesicula rotunda, protuberante, quæ eleganter cum eo se inosculando, integram racemi figuram repræsentabat. Ex quo adparere statuit, quod licèt corrupta, ac in minutias redacta sint corpora, atque ex propriis quasi nidis egressa, semper tamen cum ipsis remaneat permixtum aliquod principium temperaturæ quasi æternæ & incorruptibilis, aptum natum ad eadē denuò producenda, cui Salis nomen imponit. Minimè tamen eo ipso ingenium aliquod eidem tribuere intendit, quo singula in debito loco disponat, & eum aliquibus partibus flexibilioribus pastæ circumdet, aut trahendo ab uno ad alterum, & texendo, ac supponendo stamina, incognita arte mirabilem membranarum situm efficiat; sed tantum, quòd omnia faciat virtute solius molis & figuræ, in motum ab improviso aliquo ac subtili priùs positarum, id quod omnes poros magnæ hujus molis penetrat, & sine intermissione omnia agitat & conquassat. Alia insuper Domini Auctoris mentem subit cogitatio, omnem nempe illam fabricam non esse aliud, quàm plantæ aliquam speciem per se, ex proprio semine natam, ac tali modo productam, aut postquam magnum corpus membranosum suis ubique canaliculis perfusum, fuit generatum (uti uxori Com. Montfortii apud Fel. Platerum, in obs. propr. contigit, quæ membranosum corpus crassum, amplum, fistulosum, multis appendicibus obnatum, per uterum ejecit,) in hos se se insinuasse fetum, salibus & particulis membranarum productioni destinatis prægnans, quæ usque ad eorum limbum ab aëre interno, aut ab aliis corporibus propulsa fuerint, vel saltem viâ in aliquâ commissurâ apertâ, à tergo autem occlusâ aut leviter conglutinatâ, illas liberius spatium invenientes, ubique æqualiter se dilatasse & blande intumescentes in lateribus aut fine earum, descriptas vesiculas efformasse, fortasse non dissimili modo, ac pueri tubulum aliquem insufflando, in pauculo liquido, pro lubitu simile quid in hujus summitate comparere faciunt. In præsenti casu non tantùm imperfectus, sed etiam extremam ad maciem perductus fœtus, cùm non reciperet aut absumeret tantam seri copiam, quæ ibi fluctuabat, illud regurgitasse, multumque stagnasse, & sic ab eo massam istam dein augmentum accepisse; quale quid in hydatidibus glandulisque, aliàs in corpore nostro invisibilibus, accidere solet, suspicatur Dn. Auctor; nec non ab aliquo corpore placentæ analogo, quod sanguini permixtum cùm ejiceretur, non observatum fuit, dependisse, cùm ipsa etiam placenta ex meris hydatidibus composita quandoque deprehensa fuerit, vel ab uteri tunica, aut vasis umbilicalibus, aut fœtûs involucris, quia in omnibus hisce locis generari & dicta ratione crescere possunt, eoque magis, cùm in his casibus turgidiores liquidorum canales ubique compareant.

Tandem indagaturus, quomodo vesiculæ istæ tam atrocium malorum & pertinacissimarum febrium causa fuerint, suspicatur, quòd serum inter vesiculas fluitans, propter valvularum defectum, quas neque in earum oscillis, neque canaliculis deprehendere valuit, in sanguinem regurgitasse, & ideò propter illum continuum fluxum & refluxum, ab ejusdem partibus, ceu peregrinis, atque à sanguine jam separatis, motus hujus placidus & amicus confundi, minimæ ejus particulæ impelli, variè & confusè transponi, & ita ob debitam succorum cribrationem impeditam vel confusam, totam ejus massam alterari & turbari, atque inde longa illa symptomatum in historiâ memoratâ series enasci potuerit, usque dum natura, debitum nutrimentum tam molesto corpori subtrahendo, aut instar alicujus criseos illud magna vi separando, vel etiam ipsomet ob proprium pondus delabente, liberata fuerit.

Partus Cæsareus, ab ipsâ gravida institutus.

Clariss. Samuelis Ledelii. Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 1.

Virum, qui calculum grandem sibi exsecare non dubitavit, sistit Dec. I. Ann. III. Observatio 192. Ephemeridum Curiosf. quæ res certè singularis est, & rarum contingens. Hac vice fœminam produco, (ne melior sexus solam palmam tantæ audaciæ obtineat, (quę partum proprium, cultro admoto excidere ausa fuit. Relatio quam studio teutonicis exprimere verbis non erubesco, uti in Chtonicis jam typus expressis extat, ita habet.

Anno 1555. mense Octobri, *hat ein Weib in Seidenberg, sich Abwesen ihres Mannes, von einem andern schwanger lassen, aber gerne bey Ehren bleiben wollen. Desswegen sie ihr dein Leib mit einem Messer auf ges chnitten, das Kind mit aller* Substantz *heraus genommen, und mit ihren eigenen handenzwey hesste am Leibe gethan, und vor grossen Schonerken also geschrien, dass es die Nachtbarn gehoret, Welche solches der herischafft angezeiget. Weil ihr kern Balbier helffen, noch sonst jemand an sie hand legen wollen, ist sie hierauf des dritten Tages gestorben.*

Exsectio hæc, uti facilè apparet, non est legitimus partus Cæsareus, in foro Medico ita nuncupatus: Placuit tamen analogicè ita insignire. Optandum autem esset ut omnes circumstantiæ accuratiùs fuissent annotatę in hoc casu, ad meliorem rei explicationem.

Seidenberga est oppidulum Lusatię superioris, Comitis à Nostitz subditum, altero lapide à Gorlicio distans. Animadvertimus hîc quid æstimatio famę valeat apud sequiorem sexum, dum enim Amor talia perpetrare jussit, quę sunt vetita famam mordentia & pœnis exposita, celare nituntur, quantùm possunt, commissa, & inde facilè evenit, ut fiant infanticidę, aut fœtum abigant; aut clanculum exponant, quo Castimoniam putatitiam apud alios sartam tectam servent.

Quis fuerit Autor hujus attentati apud nostram fœminam, conjectu difficillimum. An aliquid de partu Cæsareo audiverit, an proprio motu excogitârit, an Diabolus consilium hoc suggesserit, & quis de futuris ipsi dixerit? hæc omnia in obscuritatis puteo abscondita latent.

Interim animositas hujus fœminę & virilis audacia est expendenda. Dolores in secando pertulit sat atroces, ob inartificiosam abdominis & uteri apertionem, & deinde proficuorum remediorum carentiam.

Detestanda autem venit meticulositas vicinorum, rusticus pudor agnatorum accedere nolentium, Chirurgorumque inhumana obstinatio nigro lapillo notanda, qui nec accedere, nec manum admovere voluerunt. Certè de restitutione haudquaquam fuisset dubitandum, si legitime tractassent secundùm methodum Francisci Rousseti aut aliorum: vitæ enim filum protraxit ad triduum, spiritibus tamdiu salvis, & lentè tandem dissipatis. Si autem Chirurgi medicamenta applicare recusarunt ob metum infamię vel carnificis, ne ipsis litem moveret, adigendi fuissent ad curam à Magistratu, quippe qui hujus rei sufficientem habuit notitiam, ob vociferationes & lamentationes à vicinis exauditas, & Domino loci indicatas. Hac nostra tempestate hinc inde reperiuntur exempla eorum, qui αὐτοχειρίαν intendentes, fuêre restituti per Chirurgos, insigniter licèt læsi & mutilati; nec ullus unquam Chirurgus ob istiusmodi Curam fuit traductus, aut à quopiam in litem vocatus, quantùm quidem ego novi.

Fœmina nostra, inciso utero, exemit cum fœtu secundinam, an autem fœtus vitam possederit, nec ne? de eo altum, in descriptione casûs, silentium.

Sic animosa hæc prosectrix, temerarii ausûs, post prostitutam pudicitiam, pœnam luit sat gravem, ærumnosâ & dolorificâ morte.

Partus Cæsareus, oppidò rarus.

Clariss. Christiani Vateri Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 2.

Die 11. Maji, Anni elapsi 1693. insigne prorsus Partûs cæsarei exemplum mecum communicavit D. D. à Lankisch Reip. Zittaviensis Physicus excellentissimè meritus &c. quod & ego hîc bona fide communico. Civis nimirum ac fullonis bid-Conjux N. N. An. 1690. Mense Julio primùm puerpera, nescio ob quas causas, laboriosissimè parturire cœpit, ut obstetrices etiam fœtum jam in utero emortuum manu violentâ extrahere coactæ fuerint: ex quo, ut fieri facilè solet, non solùm vaginâ, sed etiam vesicæ sphinctere graviter læso, vaginæ ulcus & incontinentia urinę secuta. Misera igitur opem Circumforanei adhibet, qui tamen vesicæ malum non solùm non curat, sed id quoque efficit, ut callosus insuper tumor in vagina succresceret, totumque ferè canalem, relicto solùm foraminulo, pisi magnitudinem & rotunditatem adæquante, repleret. Sed quid fit? alterâ nihilo secius vice gravida facta & partui proxima, impossibilem oneris sui exclusionem ipsamet intelligit, indeque laudati Excellentissimi D. à Lankisch, consilium & auxilium implorat. Qui perspectis etiam & collatis prudenter omnibus circumstantiis, unicam in sectione, ut vocant, cæsareâ, licèt à *Mauriceau* aliisque recentioribus prorsus condemnata & rejecta; spem relictam esse prædicit, & parturiente, Marito; aliisque amicis consentientibus, die XVI. Martii operationem ipsam aggressus, incisionem in latere sinistro pollicis latitudine, è regione umbilici deorsum versus ad ulnæ circiter quadrantem ducit, Dehinc utero ipso decenter aperto, fœtum jam mortuum cum secundinis suis propriâ manu educit & Obstetricum manibus offert. Quo feliciter ac nullo quidem graviori symptomate, ne lipothymia quidem interveniente, à Celeberrimo Viro peracto reliqua Chirurgis peritis committit commodisque ægræ adeò prospicit, ut vix elapsis sex septimanis, eadem salva in publicum prodire potuerit, & adhuc hodienum perfecta sanitate gaudeat. Quis ergo miracula in natura & cura fieri neget?

Sectio Cæsarea in matre mortua, unde eductus fœtus vivus.

Clariss. Samuelis Grassii Sen. Ephemer. German. Centur. 3. & 4.

Inter Heroicas operationes facilè primum locum tenet Sectio Cæsarea. Hæc, sicuti in vivo corpore instituta, periculi plenissima est, & ob crudelitatem operationis ab humanitate aliena; Ita mortua matre, Christianæ charitatis est, vivo adhuc fœtui cita sectione succenturiari, eundemque ex mortis claustris eripere. Omnium Auctorum consensu cita & momentanea quasi operatio expetitur, ne deficiente circulo sanguinis materni cum fœtu luce vitali idem privetur. At enim verò quemadmodum fœtui integro suus constat Circulus vitalis, sic etiam ad aliquod tempus vivere potest, denegato quanquam materno sanguine vitali, quod ex sequenti patet historiâ. Illustris quædam fœmina in nostra Silesia summè gravida & partui proxima, vitam cum morte commutat, vivente adhuc fœtu, interim fotibus spirituosis, balsamo embryonum, vinoque generoso aromatico cum culcitris calidis continuò fovetur abdomen, usque dum post quatuor horas ex Civitate Oppoliensi advocetur Barbiton-

bitonsor, hic secto utero viventem extraxit elegantissimum puellum, qui ablutus sacro baptismate, ad tertium usque diem vitales hauriebat auras. Vivit enim ut plurimum fœtus, quanquam non semper apertè moveatur. Sic novi fœminam Uratislaviensem, quæ apparentibus partûs doloribus, brachium primùm excludebat, hoc cùm intrudi renueret, illudque lividum & frigidum, hinc mortuum fœtum & ob salvandam matrem, illud amputandum adstantes judicarent, renuente verò & opitulante Obstetrice, tertiâ die, vivum enixa est puellum. Ex hisce patet, multos vitali auræ concredi posse fœtus, modò cita Medici-Chirurgi manu ex uteri claustris eripiantur.

Anatomicæ Inspectiones.

Partus difficultas, ob corpus uteri in scirrhum concretum & vitiosum fœtus situm 1. *Ob scirrhum & perforationem uteri.* 2. *Ob Abscessum.* 3. *Ob Tumorem durum cum ulcere & uteri disruptione.* 4. *Ob orificium arctè clausum, compressum à recto intestino fæcibus oppleto.* 5. *Ob uteri crassitiem extraordinariam.* 6. *Ob omenti crassitiem.* 7.

§. 1. Anno 1611. 24. Maii Uxor D. A. Morge, 30. annos nata, cùm quintò uterò gestaret & finem noni mensis attigisset, doloribus parturientium correpta fuit circa horam 10. matutinam, cùm pro more pransa esset, dolores tam acerbos & motum fœtus tam vehementem sustinuit, ut vix unquam similes visos astantes retulerint, quare vires protinus prostratæ fuerunt: circa 3. pomeridianam leipothymia & horrores maximi supervenerunt, quo tempore infantem in uterò obiisse credo: dolores enim atque conatus ad parturiendum ab eo tempore cessarunt, nec fœtus percipi potuit: Accersitus circa 11. noctis pulsum vix percipere potui, extremitates frigidę erant & sudor frigidissimus in toto; brachium dextrum extra vulvam propendebat: ideo mortem proximam prædixi: Ne itaque inventionem meam, quæ hactenus in multis feliciter mihi successit, apud vulgus odiosam redderem, manum adhibere nolui: Adstantium tamen & ægræ precibus commotus, aliquid Confectionis Alkermes ex aqua cinnam. propinavi: postea, quia genitalia veluti arida erant (quandoquidem ne guttula sanguinis profluebat) sacculum ex relaxantibus, emollientibus, anodynis applicui, unguento emolliente imum ventris, coxas, os sacrum & genitalia inunxi, tandem eodem unguento inuncta manu situm infantis exspiscari cœpi, qui etsi monstrosus esset, & brachium dextrum extra collum matricis propenderet, caput tamen, quod pectori incumbebat (priùs tamen inuncto & clementer intruso brachio) versus collum matricis manu reduxi: verùm cùm uterum & ipsius collum ob virium & expultricis summam imbecillitatem supra modum clauderetur, adeoque constringeretur ut manus mea sufferre non posset ab opere desistere coactus fui, brachium mox iterum egressum est, Et circa decimam matutinam sequenti die obiit.

Miratus quod fœmina illa, alioqui sana, tam subitò extincta fuisset, suasi ut cadaver incideretur: Aperto itaque ventre, vacuum sanguine seroso repletum reperi: ob ingentes enim dolores & violentum motum infantis, venæ nonnullæ in ipso parenchymate Hepatis & circa os sacrum ruptæ fuerant: inde profusionem sanguinis & mortem sequutam esse nullum est dubium: Situs autem fœtûs talis erat, caput collo matricis proxime adhærebat, brachium dextrum, quod lividū, extra collum matricis propendebat: Crura versus pectus & caput ita reflectebantur, ut pedes in vertice conjungerentur, manus sinistra hypochondrio dextro ita erat imposita ut brachium crura versus poplitem amplecteretur: Exempto fœtu scirrhum durissimum qui magnitudinem capitis infantis fere adæquabat, inveni. Ille autem utero non simpliciter adhærebat, sed ipsum corpus uteri in scirrhum concretum atque induratum fuerat.

Scirrhum hunc causam fuisse mortis nemo negare poterit, cùm uterus ratione hujus scirrhi ita angustus factus fuerit, ut cùm mulieri adesset partus, sese extendere non posset, & quia fœtus maturus & vegetus impetum talem fecerat ut venæ rumperentur, necnon hęmorrhagia & mors sequeretur. *G. Fabritius Hildanus cent. 3. observ. 57. & Epist. ad M. Doringium.*

§. 2. Honestâ quædam matrona juvencula bis fœtum mortuum, opportuno tamen tempore enixa, tertiùm gravida, tempore partus instante, doloribusque urgentibus fœtum frustra excludere allaborat: Ego vigesimô primâ Julii 1670. vesperi ad eam vocatus inveni satis adhuc vegetam: quærens de statu ipsius, ab obstetricibus responsum tale retuli, os uteri apertum esse, reliquaque bene constituta, situm autem infantis malum, manu tantùm dextra extra vergente, capite verò & reliquis membris imperv estigabilibus: cùm ità per totam noctem una cum tribus obstetricibus adessem, nonnullaque corroborantia & fœtus expulsionem promoventia prę scriberem, ægraque sine fastidio libenter assumeret, omnia tamen in eodem statu permanserunt, manu infantis usque ad scapulam fere exerta, & jam emortua immobili permanente, puerperaque summe debili, donec natura tandem in totum deficiente, die 22. Julii paulo ante primam pomeridianam obiit.

Cadavere ipsius statim post mortem aperto, inferius uterum invenimus laceratum & quasi ex ulcere perforatum, fœtu masculino perfecto cum secundinis extra uterum inter intestina latitante, manu tantùm dextra partim in vagina uteri, partim extra uterum prominente: præterea quoque uterus in fundo dissectus, ad palmæ crassitiem scirrhosa duritie tumidus apparuit. *Observat. Simonis Scholzi in miscell. curiosis anni* 1671. *Observ.* 86.

§. 3. Anno 1670. mense Augusto uxor militis laborabat 5. aut 6. diebus doloribus partus: infans primis diebus vivus persentiebatur, tandem nulla signa vitæ edens & matrem jam doloribus fractam è vivis subsequi fecit.

Aperto utero, tantus fœtor emanavit, ut etsi in atrio domus res facta fuerit, præ absurdissimo tamen fœtore nemo sat longo tempore accedere potuerit: tandem exempto jam mortuo infante, collum uteri abscessu turgidum reperi, saniemque inde emanantem teterrimo fœtore nares percellentem: Hoc autem observatu dignum circa fœtum reperi: Infantem bene formatum, & ut judicare licuit, aliàs sanum fuisse; Et dum instabat hora exitus, ipsum met conatum fuisse viam quærere per quam exiret; cumque eadem ob tumores eidem non patuisset, tamen tantos impetus fortitudinis propriæ exeruisse, ut magnam partem cranii in parte dextra ad intra sibi compressserit: Ex quo clare elucescit non solùm vim expultricem uteri facere ad protrudendum fœtum, sed & ipsum infantem allaborare ad sui è carcere liberationem. *Joh. Jacobus Vencesl. Dobrzensky. a Negroponte, in miscellan. curiosis anni* 1670. *Observ.* 18.

§. 4. Anno 1670. Aug. 23. Pragę Catharina Wolrahin, temperamenti frigidi & hum. ętatis 35. ann. quatuor jam antea proles robustas feliciter peperit, tandem de dolore uteri subinde querebatur, colore pallida, macies in dies incrementum sumpsit, tussis sicca molestabat, cùm quinta prole ad nonum mensem, naturale pariendi tempus pervenit: quatuor diebus laborioso partu misere torquebatur, fœtus dextram manum exporrectam habuit, nec ultra ab obstetrice adjuvari, nec à conatu protrudi potuit, quinta tandem die fœtù jam extincto & illa exspiravit.

Aperto

Aperto leniter abdomine, puer robustus extra uterum, omnibus involucris solutus, pedibus in sinistrum hypochondrium extensisLienem contingens, capite cum manu exporrecta, intra ossa pubis & cervicem uteri hærebat: Chirurgo adstanti ut fœtum suaviter eximat dico, quo exempto manus livida unà cum parte capitis, quæ exitum tentabat, ob vehementem facultatis expellentis conatum, in acutum redacta, deprehensa; Uterus in parte sinistra, unà cum secundinis à conatu pueri pedibus disruptus: In parte verò dextra, tumor quidam durus in convexum usque ad cervicem uteri instar globi se extendebat: in concavo hujus, ulcus nigrum gangrænosum illum tumorem causans, qui fœtui vitam præclusit, repertum est: Sectus per medium tumor, crassitiem quatuor transversorum digitorum superabat: hæc causa detenti fœtus. *Simon Aloysius Tudecis in Miscellan. curiosis anni* 1671. *Observ.* 254.

§. 5. Gravida 5. mense paralysi totius corporis inferioris à coxis ad extremos pedes tentatur: Ob longam in decubitu moram gangræna nates derepente occupat, qua generosioribus remediis ablata, quum nulla vitæ spes superesset, calore nativo à fœdis evaporationibus infecto, prorsus deficiente, ad extrahendum fœtum quinquemestrem, cujus nuper motum ægra mater senserat, operas suas manusque certatim conferunt Medici pariter & obstetrices: Hæ igitur manu immissa nullum fœtum in utero adesse clamant, nisi molam fortassis: At petitior Medicus tumorem statim deprehendit ex intestino recto fæcibus induratis repleto: ad uterum verò progrediens, nulla vi manum intrudere potest.

Mortuæ cadaver apertum, visumque os uteri arctissime clausum, fœtusque optimi coloris & habitus in utero mortuus, nec vicinarum partium fœditate ulla putridus, membranarumque uteri densitate inter tot molestias tutus. *Bartholinus cent.* 4. *histor.* 27.

§. 6. Lapidicidæ uxor maxima cum difficultate fœtum edit, qui paulo post extinguitur: Eo excluso tumidus nihilominus remanet venter, unde molæ suspicio; nihil tamen manum intrudens obstetrix præter angustiam deprehendit. Die sequenti à partu interiit.

Recluso ventre insignis uteri crassities, per totum ambitum scirrhosi tres digitos spissitudine æquantis deprehenditur. Mirum fuit quomodo & concipere, & fœtum gestare, multoque magis quomodo eniti valuerit, ac fœtus intra eas angustias, præ duritie renitentes, componere se ad exitum potuerit. *Observatio M. Benjamin. Noel. Chirurgi Genevensis.*

§. 7. Mulier aliquando parit difficulter ob Omenti & vicinarum partium nimiam spissitudinem & obesitatem: Nam Hippocrates scripsit Omenti magnitudinem impedire conceptum os uteri comprimendo, sic & facilè partum molestat: In quibusdam enim Omentum descendit inter vesicam & uterum, ibique spissius fit. *Rondeletius pract. cap.* 64.

Partus impeditus ob ossis Pectinis malam conformationem, quam uteri disruptio sequuta. 1. *In Partus difficultate uterus laceratus, impediente scirrho uteri fœtus exclusionem.* 2. *Fœtus extra uterum disruptum repertus* 3. 4. *Impeditus ob adnatum uteri orificio sarcoma.* 5. *Ob uteri orificium caput fœtus constringens, Hydropem abdominis in matre.* 6. *Ob apophysin non naturalem in interna ossium pubis facie aut ischii.* 7. 8. *Uterus disruptus prope cervicem, in cujus foramen fœtus brachium intruserat.* 9. *Partus impeditus ob angustiam oris matricis, hujusque lacerationem.* 11. *Ob vitiosam ossium coccygis & pelvis conformationem.* 12.

§. 1. Anno 1594. Haganoæ Alsatiæ mulier 40. annor. cùm jam septies fœtus alioquin integre efformatos, sed mortuos peperisset, ultimo partu, 8. scil. ipsa quoque unà cum fœtu, non tamen edito succubuit, postridie nimirum quàm fœtus in alvo materna extinctus animadverteretur: Instantibus autem partûs doloribus, iisque vehementissimis (valide quippe puer movebatur) atque sæpius toto triduo recurrentibus, quibus pregnans miserè sed frustra excruciabatur: dolorum tandem sævitiâ, potissimum tamen ultima nocte illis exasperatis, viriumque resolutione postrata, interiit: Multa quidem à mulieribus astantibus tentata fuere, ast sine ullo parturientis juvamine.

Demortuæ cadaver aperiendo, vix leviter impressâ novaculâ, musculos epigastrii cum peritonæo dividere voluimus, quo uteri situm prius cum fœtu contemplaremur: At vix inquam immissa acie, & abdomine parum dissecto, dorsum pueri vulneratur: Nos nil tale suspicantes primo uterum tactum fuisse credidimus: ideoque cautius sectionem abdominis instituendam putamus, qua peracta integer statim fœtus, omnibus numeris absolutus (licet jam inflatus & cuticula abscedente ob incipientem putredinem) occurrit, atque immediate peritonæum superne contingens; inferne intestino incumbens, liber in ventris capacitate inferioris, nullo neque velamine aut membrana, neque utero cinctus; situ alioquin ad partum faciliorem accommodato, capite deorsum facie ad posteriora reclinata, corporis trunco in longitudinem extenso, omnibus reliquis partibus, tam earum quæ ab utero, quâm quæ ad uterum, ut & quæ utero, (una ruptione excepta) nihil præternaturale ostendentibus: nullibi apparente neque contusione, neque vulneratione, ulcere, aut apostemate conspiciendus offertur. Ubi etsi nos ob rei novitatem admiraremur, non tam fœtûs situm & figuram rectam, licet extra uterum in abdominis capacitate factam, quâm fœtum ipsum integrum & justæ magnitudinis ac conformationis citra uterum atque extra matricem visus objectum, tamen lacero, rupto, seu potius abrupto utero conspecto, mirari aliqua ex parte desiimus: Causas verò hujus ruptionis indagandi haud sine majore admiratione ansam datam animadvertimus: Porro alligatus adhuc fœtus erat vasis umbilicalibus suis secundinis, quæ sursum ad sinistram, lienem versus, ad intestina & lumbos retractæ, & tanquam per convulsionem & abbreviationem vinculorum firmiter connexæ illis partibus cernebantur, ut easdem inde abstrahere difficile fuerit: De uteri verò substantia, quæ quidem tenuior solito apparebat, quantum equidem conspici potuit, illud se-

cundinis, ac potiſſimùm placentæ, ſeu, chorio aut uterino jecori, tanquam concretum, rurſuſque in minorem magnitudinem (ut aliàs poſt naturalem partum contingere ſolet) contractum fuerat, atque adeo ſecundinas nequaquam amplitudine excedere videbatur uterus, ut propterea eundem, quia conciderat, ratione potiùs quàm ſenſibus agnoſcere neceſſe habuerimus: Cæterùm juxta cervicem uteri, ad os pectinis, intrinſecus ſub veſica, membranæ portio, uſitati cultri craſſitiem non excedens, latitudinem dimidię palmæ propendebat, quæ uteri abrupti particula fuit: reliquum autem, unà cum proprio uteri orificio, ipſiſque ſecundinis omne ad inteſtina, ut dictum eſt, ſurſum raptum, alieno loco detinebatur: unde penitus à cervice, ſeu ſinu muliebri omnibuſque vicinis partibus, quibus adnaſci ſolet, avulſum, atque ex parte dilaceratum fuiſſe uterum patuit. Ex his illud maximè ſuſpiciendum & quærendum videtur, cujus vi uterus abruptus fuerit; Nos tot fœtuum in partu interemptorum cauſam deprehendimus Oſſis pectinis malam conformationem, nimis ſcil. depreſſi, quòd in gibbum ſuperne, inferne autem in arcum excavatum eſſe oportuiſſet. *Leonardus Doldius Noribergenſis Medicus.*

§. 2. Matrona quædam Luſtriæ, ad marginem Lacus Lemanni, totos ſex dies parturiens fuerat: Ego tandem advocatus, ipſam in agone mortis reperio, eaque ipſa nocte obiit.

Corpore aperto uterum laceratum, & caput infantuli in ventris capacitatem dimiſſum inveni: Hujus autem difficultatis cauſa fuerat ſcirrhus, qui magnitudinem capitis infantuli propemodum adæquabat, matrici tamen non uſque adeo adhærebat: Hic obſtitit quominus uterus tempore prægnationis ſeſe ſatis extendere, & parturientis violentum motum fœtus ſuſtinere potuerit. *Fabritius Hildanus cent.* 1. *Obſervat.* 67.

§. 3. Anno 1607. D. Binet Chirurgus Pariſienſis diſſecuit cadaver Janæ du Bois: Aperto abdomine fœtus inteſtinis incumbens repertus, lacerata enim & rupta matrice eam omnino egreſſus erat, ſimùl effuſa magna ſanguinis copia in ventris capacitatem: *Jac. Guillemeau cap.* 13. *lib.* 2 *de facili partu.*

§. 4. Teſtes adduco D. Pineau, Guerin, Lanay Chirurgos Juratos Pariſienſes, me diſſecuiſſe cadaver pauperculæ mulieris in Noſodochio mortuæ: in cujus ventre repertus infans aquis innatans, utero circa fundum diſrupto. *Idem.*

§. 5. Expleto geſtationis tempore fœmina Hafnienſis, fœtum eniti nullo conatu potuit: Extinctus embrio miſeræ quoque matri acceleravit interitum.

In aperto cadavere inventus quidem embryo, ſed adnata uteri orificio carnea excreſcentia viam occluſit, omnemque egreſſuro exitum intercepit: hinc ſuffocatus embryo, denegato ad vitam meatu fruſtra laborantem matrem aura maligna infecit. *Thom. Bartholinus cent.* 1. *hiſt.* 94.

§. 6. Fuit apud nos Nutrix 24. annor. ætatis, quæ à quodam vitiata gemellos concepit, fœmellam, cujus ſitus in dextro latere, & maſculum cujus ſub hypochondrio ſiniſtro: illa minor, viva edita eſt, quanquam in tergum prodiret; hic, major intra matrem eſt ſuffocatus: cùm enim maſculus aquis emiſſis ſequi vellet, ab orificio matricis conſtricto ſtrangulatus hæſit: mater paulo poſt exſpiravit.

Cùm juſſu Magiſtratus aperiretur, Omentum deerat; ruptum credo in latera ad inteſtina conceſſiſſe; Viva mater ſæpe conqueſta eſt ventrem ſibi divulſum iri: Statim in conſpectum prodiit uterus, alicubi rubro, alicubi nigro ſanguine infectus, alicubi lividus, occupabat totam capacitatem uſque ad foveam pectoris fere: modico enim intervallo aberat ſternum, ſeu malum punicum: Ventriculum compulerat verſus diaphragma, ita ut à lateribus uteri in ſummo appareret: Hepar intra dextrum hypochondrium latebat; Utero aperto ſecundę in conſpectum veniebant: Hîc quærebatur geminæ ne eſſent, an una tantùm? Vocabatur una in medio diviſa in duo domicilia, interventu amnii: Secundis diſſectis infans apparebat albis ſordibus obductus: Caput merſum erat in collum matricis, & ab uteri orificio ſic tenebatur, ut vi eſſet revellendum: Dorſum ſpectabat ventrem, alvus ad ſpinam matris verſa erat, nates & pedes complicatis genubus in ventriculum matris tendebant, brachia adjacebant lateribus & genibus occurrebant: Omnino ſitus erat naturalis & ad exitum diſpoſitus, ſi vires pariendi non defeciſſent, prodiiſſet, ita ut occiput anteriora, frons poſteriora matris reſpiceret, qui eſt alter ex naturalibus ſitus; Viſa deinde ſunt membra cætera propter hydropem matris: Pulmo lividus, atro ſanguine refertus, Cor flaccidum, Hepar & Renes boni, Lien in ſiniſtro latere adhærebat ventriculo, orbicularis circumferentia & nonnihil tumidus, palmæ manus inſtar habens, ſanguis intus ex puniceo niger: Judicatum eſt vitio Pulmonis hydropem eſſe ortum, cùm Hepar rectè ſe haberet; & ex thoracis capacitate aqua ichoroſa efflueret: laboraverat autem Aſthmate: In ventriculo nihil cibi erat, ſed biliosa quædam ſuperfluitas, quæ orificium acrimoniâ vellicaverat, unde querelæ de roſione cordis: Inteſtina inflata nihil fere excrementorum continebant, ob jejunia & ciborum faſtidia: Mammæ in rugas contractæ papillis nigreſcentibus conſpiciebantur: Foris à ventris tumore verſus latera & dorſum ſuffuſus ſanguis lividus, niger, puniceus, pedes œdematoſi: Periiſſe judicatum eſt defectu virium in duplici partu: Vires autem proſtratæ fuerant, hydrope, aſthmate, doloribus dorſi validis: Spina enim intus elevata quaſi in arcum erat, haud ſcio an convulſa, an pondere uteri & inteſtinorum tracta. *A. Libavius in ciſta med. Hornungi Epiſt.* 76.

§. 7. Ex parte matris nihil præter naturam eſſe debet, ut eſt ςυλοειδὴς διάφυσις vel ἀγκυροειδὴς in interna oſſium pubis aut iſchii facilè, quæ obſunt fœtibus, ita ut nonniſi mortui emitti poſſint: Quod à nobis, pluribuſque aliis Medicis ac Chirurgis Lutetiæ viſum in cadavere honeſtiſſimæ mulieris, in difficili eam ob cauſam puerperio functæ, quæ dictam apophyſin prælongam præter naturam habebat oſſi pubis ſiniſtro innatam, intus prope ſynchondroſεως infernum finem: Os pubis tali pręditum apophyſi aliàs dedi Dom. Parco Regis Chirurgo. *Severinus Pinæus libro ſecundo de Not. virginitatis cap.* 5.

§. 8. Nullus aliquando fit Partus ob minùs minimeve explicata pubis oſſa: Tum ob aliquas excreſcentias oſſeas in prædictis viis exiſtentes exitumque fœtui præcludentes. *Sylvius de le Boë Practicæ lib.* 3. *cap.* 8. §. 8.

§. 9. Inter pariendum moritur fœmina quædam Lipſiæ: Maritus certior de matre & fœtu eſſe cupiens, rogat ſectioni ut præeſſe velim. Secto itaque abdomine, infans extra uterum ſupra inteſtina reperitur; Rem mirati, Uterum inquirimus & ruptum illum ad Ilion dextrum prope cervicem, ad dimidiæ ſpithamæ longitudinem offendimus; Fœtûs quoque brachium dextrum, quod pridie ejus diei exeruerat & retraxerat, corruptum erat & fœtens: *Phil. Salmuth. cetur.* 1. *Obſerv.* 16.

§. 10. Uxor cujuſdam militis gravida, pallida & melancholica, cùm circa feſtum Paſchatos anno 1624. ultra triduum parere non poſſet, vocatus, omnibuſque quæ cum ipſa acta fuiſſent intellectis, ventremque ipſius ubi tetigiſſem, obſervavi tumorem durum magnum (quem obſtetrix, nec non mulierculæ adſtantes caput infantis eſſe putabant) in ſiniſtro latere è regione umbilic

bilici tactui renitentem, quo observato, statim de felici partu cœpi dubitare: Erat enim hic tumor scirrhosus, melancholicus, ex humore terreno melancholico absque inflammatione præcedente genitus: Tempore gestationis nullum calorem, è contra segnitiem haud exiguam ad omnes vitę actiones sensit: Et quia varia tam interna quàm externa medicamenta mulierculæ adhibuerunt, uterique os cervicis arcte clausum, speculum matricis uteri collo admovendum, ad partum promovendum (quod tamen ob scirrhi duritiem absque omni fructu fuit intromissum) curavi: hinc quia fœtus aliter excludi non potuit, sectione cæsarea patientem liberandam duxi, quam tamen sustinere non potuit: hinc symptomatibus crescentibus, altero die circa vesperam è vita discessit.

Hujus corpus per me apertum fuit, uterumque in dextra, (sana nimirum parte) disruptum & infantem extra uterum positum: scirrhumque insignis magnitudinis, à fundo uteri incipientem & ad os uteri desinentem inveni: Ob quam causam parere non potuit, Disruptionem autem puto dolores partus acutos & vehementes peperisse. *Ex observationibus Tobiæ Knoblochii Archiatri Onolsbacensis.*

§. 11. Anno 1593. Coloniæ dissecui aurificis uxorem ex partu mortuam: comperta est matrix erumpente infante lacerata, ejusque caput in lævam ventris capacitatem dimissum, eademque matrix, pars nervosa, circa infantis collum contracta, quæ ipsum fœtum suffocarat: Mater totos XI. dies parturiens fuerat, obstetricibus, meque tandem ipso pridie ante obitum, frustra adhibitis, quum multò ante mortuus fuisset infans, in utero solo extante lævo brachio quod propendebat: Ab obstetrice præterea, aliisque matronis, quæ in parturientis agone adfuerant, didici angustissimi oris matricem fœminæ istius fuisse, unde magnus extans fœtus, per viam angustam erumpere nequierit, robustus quantumvis fuerit: *Fabricius Hild. cent. 1. Observ. 64.*

§. 12. In viis causa difficilis partus est, aliquando dum ossa coccygis à prima conformatione non solùm firmiorem compagem & articulationem habent, sed &, ac quidem præcipue, si justo latiora sunt, & extra ita compressa, ut intus gibba potiùs quàm cava sint, & ab osse sacro & coccygis non satis distent, & ita fœtui exitum quærenti viam præcludant, eamque nonnisi angustam concedant, ut ita vel occipite vel sincipite infans in istis angustiis necessario hæreat, quæ maxima Partus difficilis causa est, ob quam & fœtus & mater interdum periclitantur, imo pereunt: Quod etiam fit ob ossa coxendicis male formata & sita in claudicantibus. *Sennertus lib. de morb. mulierum p. 2. sect. 6. cap. 4.*

Partus impeditus ob fœtum mortuum, putrefactum. Item. Ob Fœtum extra uterum conceptum.

Mulier Senonensis, (Columba Chatry) quæ Ludovico Carita homuncioni, quadrato tamen & bene habito, nupserat ab annis 48. fracta ætate & valetudine hîc occubuit agens annum 68. Hæc ante annos 28. quæ nunquam antea uterum gestaret, licet jampridem nupsisset (nihil de sanitate prius admodum conquesta,) certissima habuit inchoati hominis indicia: nam qui statis periodis erumpere solebant menses, illi statim substiterunt: Pica primis mensibus laboravit, tempestivum embryonis motum & frequentem persensit, tumore lumborum & abdominis paulatim subcrescente mammisque turgentibus: Tandem autem decurso pene veræ gestationis curriculo labores puerperii graves & alvi tormina experiri incepit, urina ad aliquot dies suppressa (Medicis tunc varia dubia de illa κυοφορίᾳ sentientibus). quæ postea currente veluti alveo & magna vi erupit. profuso illo ichore non tam ex vesicæ meatu, ut credibile est, scaturiente, quàm ex loculis: Amnio tunica disrupta, quæ sudorem fœtus & urinam continet, cùm unà cum istis serosis recrementis (quos mulierculæ aquas vocant) aliquis coacti sanguinis thrombus emerserit: Inde autem & mammæ considere visæ sunt, motus infantis aut ignavus aut nullus, labores mulieris tolerabiliores: quibus omnibus attonitæ fuerunt obstetrices: quæ antea certissimum puerperium expectassent: A ludibrio autem istius fœturę totum triennium lectulo illa decubuit, ad extremam vitæ calcem de valetudine conquesta, de tumore, de duritie, de torminibus alvi (quam obviis quibusque tractandam exhibebat) de inutili & gravi illo pondere, quod pro vario gestantis motu modo in hanc modo in illam partem procumbebat: denique de languente & depravata appetentia, quam subinde acetariis & absorpto omphacio sollicitabat, alioqui perpetuo ἄσιτ@ i. e. sine cibo.

Postquam autem fato esset functa, ejus vir officiosus in uxoris manes accersivit Chirurgos, ambos valentes arte & artis usu, quibus (licet de scirrhoso tantùm tumore cogitarent) dissecto mulieris abdomine, & rejecta infrà peritonæo tunica, quæ intestina viscera, uterum & vesicam contingit, uterus sese offert aspectu quidem rugosus & versicolor, ut crista illa pendula quę Gallis Indicis ex summo capite prolabitur, vel potiùs ut operimentum illud cutaneum quod illorum collum ambit: tactu autem, durus, testaceus & crassus instat, τῶν ὀςρακοδέρμων id est, eorum quæ testâ teguntur: Tum novaculam in portentosam illam molem & gypseam injiciunt, qua ad aciem cultelli renitente, scalprum altius adigunt: Eorum autem alter inflicto casu in cranium vulnere, & in aliquot costas, tandem humerum dextrum impetit, à quo erumpens ossis caput certissimam fecit fidem ossium illic latitantium: Ex quo scalpellum aliò transferunt, & magna vi, sensim tamen & rectâ, uterum secant, diductisque durissimis vulneris labris, infantem in orbem implicitum, & ex transverso in utero positum introspiciunt in penitissimo sinu & altissimis latebris stabulantem, in suamque velut cystin, quam allantoidem tunicam, quæ in utero totum fœtum ambit, fuisse puto callosissimam, reconditum: Quo spectaculo inexpectato obstupefacti Medicos convocant, quos in re inaudita consulant, adhibeantque in testimonium & judicium rei hujus quę pene fidem omnem superet: Interea multis ad novum prodigium accurrentibus, & opus Chirurgorum interturbantibus, venit istis in mentem totam istam molem ex illo veluti antro & manibus & uncis Chirurgicis, qua valerent vi, abstrahere, ut arborem ex suo caudice, domumque comportare, ut privatim & apud se accuratius corpusculi anatomen sectarentur, & cum peritis de novo portento & inaudito consilia conferrent: In præcipiti autem & violenta illa laniena, non licuit opus festinantibus prospicere quod substratum esset infantulo chorion, quæ uteri acetabula, quæ umbilici vasa, quis esset allantoidis cum utero & cum fœtu nexus, cùm uterus ipse, pręcipue ad coxam dextram, ad nates, & ad partem spinæ dorsi cum cute infantuli omnino coaluisset: situs infantis erat pene sphæricus, facie ad thoracem affixa, sublatis ad nates genibus, unde postea eæ patulę, retusæ & resimæ sunt conspectæ: Ossa capitis tenuia quidem, sed firma & instar cornu nitentia, cute capitis multis in locis pilosa; Caput in sinistrum brachium ita procumbebat, ut à protuberante humero auris & os occipitis impellerentur quod incavatum ex parte introcessisse conspiceretur: Cubitus ad summum humerum reflectebatur, porrecta sola manu, quæ in pugnum adeo firmiter erat contracta, & summi digiti ita palmæ inhærebant, ut licet apparerent separatim inter se distincti, re ipsa tamen in unum idemque vere lapideum corpus concrevissent: Dextrum autem brachium ad umbilicum manum exten-

tendebat, quæ ad carpum inadvertenter excisa fuit & in alvo matris relicta, Femur, genu, tibia sinistra dextris incumbebant, quibus tamen ita erant implcita, ut talus sinister, pedisque planta in dextrum pedion (est pars pedis superior) implantarentur, quibus excavatum cederet & pene indissolubili nexu colligaretur: Utrumque crus in ventrem & pectus reflectebatur, certissimamque sexus fœminei notulam tegebat: Tibia utraque ad nates intorquebatur, pedibus & pedum digitis ita inter se compactis & lapidefactis, ut facto ex oculis & tactu judicio totum istud opus Phidiæ alicujus esse dixisses, qui vel ex ebore, vel ex marmore maturæ ætatis embryi absolutissimam iconem expressisset, maxime cùm in ea duritie corpusculi moles cùm concidisset, imo cum cute nitida integram suam & symmetriam & polysarciam retinuisset: Partes autem internæ, viscera nempe omnia, cor & cerebrum, habebant naturaliter, eo dempto quod ultra modum induruerant; (minùs tamen quàm externæ) Ita ut hodie externum istud corpusculum neque putredinem minetur neque teredinem: *Joan. Albosius.*

§. 2. Dom. H. Bisaccionus Patritius Aesinas, uxorem duxit Ferrariæ anno 1571. hanc ille post mensem compressit, tum decimo incipiente, doloribus partus advenientibus, & aqua plurimum fluente, delusæ fuerunt obstetrices ac matronę: dolores illico cessarunt ventre adhuc tumido manente, atque ipsa magnam gravitatem sentiente: Nullum remedium non tentatum fuit à Medicis Ferrariensibus ut fœtum educerent sive vivum sive mortuum: Tandem cùm incassum laborassent, & pondus utero incumberet, moveretturque ad corporis motum, anno jam præterito, putarunt unanimi consensu mulierem pati molam, pro qua educenda remedia nihil profecerunt, sic misera annis duobus eum gestavit uterum: Ejus vir duxit ex voto conjugem ad sacram ædem D. Virginis Lauretanæ, ac in patriam reversus vocat ad consultationem Medicos; quo tempore levi febre & continua tenebatur cum eisdem circa uterum symptomatibus: Hęsitabamus omnes, alius aliam dicebat imaginabaturque, ac post discursus multos in eam sententiam venimus, Tumorem adesse in utero p. n. vel oëdematosum, aut molam. Dum ita ambigimus, ac ab omni genere medicamentorum abstinemus, solo victu accomodato contenti, mulieri fluor alvi supervenit fœtidissimus; erant excrementa flava, ac ut plurimum alba & livida & copiosa; singula quaque hora decies fere egerebat. En, mirum dictu, nondum visum, nondum imaginatum, cum ipsis excrementis duæ effluunt costæ parvæ: quæ indicabant nobis ob parvitatem esse costas pueri in utero existentis, rursus die sequenti duas alias emisit & exspiravit.

Exenterato cadavere, inventus est uterus putrefactus, qua parte rectum intestinum tangit, hocque ipsum totum corruptum: Inventus est fœtus sine involucris, sine secundis, cujus caput non aderat: hoc putamus ex putredine dissolutum: erant integra reliqua costis quatuor exceptis, atque visceribus quæ putredine tabuerant, quis hunc non admirabitur casum? *Horatius Augenius libro secundo de Hom. part. c. 23.*

§. 3. Catharina de Fiefs cùm secundas contraxisset nuptias, eodem tempore in morbum incidit, & gravida est facta: Cùm verò se utero gestare non suspicaretur, Lutetiæ infinitis remediis, & quidem diæta sudorifica (auxilium adversus morbum quærens), usa est, etsi non deesset ex obstetricibus quæ gravidam ipsam pronuntiarent, eo quod symptomata ea quæ uterò gerentibus accidere solent, in ipsa observarent, idque à tempore suppressorum menstruorum, donec etiam lac in mammis observabatur, & usque ad nonum mensem quo tempore omnia illa symptomata desiere, unà cum motu ipsius fœtus: dein dolores partus irriti tum supervenere, & statim post omnia signa fœtus emortui, observare licuit, attamen horum omnium signorum ratio non habebatur: Quare cùm Lutetia domum rediisset, adhuc fœtum mortuum utero gestavit idque mensium quindecim spatio à die ipsius interitus supputatione facta, præter anteactos novem menses quibus in utero materno vixerat: sic partes molliores putrefactæ per inferiora ejiciebantur, quæ non absque ratione aliqua per D. Ponetum medicum pro sanie ex uteri ulcere manante habebatur, quemadmodum ossa quæ remanserant, scirrhum lienis esse censebat.

Tandem extincta 5. Nonis Octobr. anni 1570. aperta fuit. Quare copiosa adhuc sanies in abdomine reperta absque utero, & fœtus ossa aliqua jam putrida, aliqua verò integra erant: & inter hæc unum ex ossibus claviculæ jam lividum, peritonæum & abdominis musculos jam perforarat, ita ut sola cutis integra remanserit, quod in latere sinistro forinsecus conspiciebatur, quod jam pridem pro splenis scirrhò habebatur. *Franc. Roussetus de Partu Cæsareo sect. 4. cap. 2.*

§. 4. Vidimus puerum putrefactum & frustulatim rejectum, relictis magnis ossibus in utero per longum tempus, quæ pòst in utero matris mortuæ sunt reperta, Uxor fuit Chirurgi Monspeliensis, qui post mortem, ut causam alicujus affectus interni cognosceret, passus est illam dissecari. *Rondeletius lib. 1. Pract. c. 65.*

§. 5. Fit etiam ut conatus pariendi eo tempore sese manifestent, mulierque paritura videatur, & ad partum ab obstetrice disponatur, aquaque jam, sicuti ante partum fieri solet, effluxerit, sed his omnibus rursum cessantibus, atque evanescentibus, nullus partus sequatur, & nisi denuo hæc redeant, uti aliquando fit, fœtus extinctus nunc in utero, nunc extra hunc hæteat, qui tandem cum involucris putrescens, febres animique defectus, & si nihilominus retineatur, uterum partesque vicinas simul inficiendo, matri exitium parit, sicut in quibusdam accidisse (Inter quas una quinque, supra decimum mensem, fœtum mortuum antequam ipsa exspiraret, profluente fœda interim eluvie, & vena umbicali propendente, utero inclusum gestavit) aliquoties vidimus, tanta corruptione intrinsecus facta, ut & uterus simul cum fœtu, & abdominis musculis illius loci ex putredine nigricantibus, summe fœtentia, post mortem sectione facta, deprehensa fuerint: priusque vivente matre, interdum tumor pellucidus vesicæ instar, circa umbilicum elevatus, subjectæ putredinis character, per quem fœtus vertebræ cernebantur, eoque rupto eximebantur, sese obtulerit. *Platerus Pract. lib. 1. c. 9. p. 440.*

§. 6. Matrona Londinensis gravida, ad nonum usque mensem fœtum utero gestavit, quo tempore dolores quasi parturitionis accidunt, qui ingentes & diuturnis fuere; primipara enim erat, quod assistentes mulierculas non terruit, etsi proxima partus alia signa non accederent, ut dilatatio oris exterioris matricis: Dolores ii duos integros dies, totidemque noctes afflixere: ideò convocati Medici, qui tardantis partus causam existimarunt, quod Lucinæ nondum esset experta labores: Multa ideò præscripta quo is facilis redderetur, desieruntque tormina eò non succedente. Ab eo tempore fœtum moveri nunquam observavit, ac consultatione inter Medicos & Chirurgos instituta, statutum fœtum exitum affectasse, jamque defatigatum à motu cessares matremque; quæ nunquam aliàs pepererat, errasse circa tempus conceptionis: Tertio vel quarto ab hinc die restituta, ac moræ in urbe pertæsa, villam equo tolutario pro more patrio, vecta concessit,

nulla

nulla hinc sequuta noxa; sed mense exacto pristini dolores repetunt, tota die & nocte molesti, postea, ut prius cessantes: Medici & Chirurgi convocati ejusmodi dolores colicos censent, prioresque dolores septimo mense contigisse asserunt, quo tempore, teste Hippocrate, exitum affectat fœtus, qui defatigatus jam quiescat; Addebant verisimile non esse eum mortuum, quòd mater vividi esset coloris, vegeta & appetitu polleret, absentibus etiam omnibus signis, ex quibus Hippocrates, Galenus aliique Medici mortuum esse fœtum colligunt: In statu ergo præcedenti mensem integrum perstitit, undecimum explentem: quo exeunte, leves invadunt dolores, illico succedente cardialgia, ideò lecto se tradidit, exhibitumque vinum, morte subitò invadente, antequam auxilium implorare licuerit: In demortuæ latere dextro macula nigra in ventre comparuit, Daleri magnitudine: Cadavere aperto, fœtus putridus inventus cujus caro in pus conversa ab ossibus abscedebat; Leipothymia non antè prehendente matrem quàm gangræna panniculum carnosum attigerit: *Lodoica Borgesia observ. lib. 2. p. m 20.*

§. 7 In quatuor puerperiis difficillimis adhibitus fui anno 1605. primo Lausannæ 6. Septembris, sed parturientem in mortis agone inveni, atque in illa ipsa hora, in qua ad ipsam accessi, è vita discessit: Post mortem aperto ventre, fœtus semiputridus, Uterus verò dilaceratus conspectus est. *Fabritius Hildanus Epist. 12.*

§. 8 Mihi ex Gallia reduci narrarunt D. D. Colet & Raisin anno 1665. se mense Aprili anni 1662. D. de la Forest, Chirurgum Aurelianensem, cum D. D. Balduino Medico Parisiensi, in Nosodochio fœminam dissecuisse, quæ diuturnos partus dolores irritosque conatus experta tandem obiit:

In cujus ventre inventus sit puellus egregius & optime formatus, extra uterum locatus, nempe in spatio quod uterum & rectum intestinum interjacet; utero insonte & illæso, nequaquam rupto aut pervio versus intestinum; matri autem puellus exiguo supervixit intervallo. *Monconis Tomo 2. Itiner. Italici p. 450.*

In mulieris decima à partu hora mortuæ cadavere Uterus, Hepar & Pulmones in vitio deprehensa.

Mulier honesta, mollis & rara, annorum 30. Febre, destillatione veteri in pulmones laborabat, fœtum gestans octimestrem: imperatæ aliquot purgationes, phlebotomia iterata: ratio vitę ex expressis carnium succis: contra exulceratum guttur pugnatum: in difficultate partus decoctum veteris galli cum modico cassiæ ligneæ, croci & tantillo vini odoriferi, unctio pubis &c. Peperit die 7. levata febris, & omnia imperata quæ instaurant &c. prohibetur somnus in horam unam aut duas propter multas vacuationes &c. Mortua est decimâ horâ à partu.

Apertæ uterus grumis plenus inventus est, totus venter flatibus tumens, Ren dexter purulentus, Hepar quantitate peccans, lobo uno nothis costis hærens, colore totum vitiatum, aridum ac veluti frixum, aliis partibus quasi putredine mucosum, Similiter & Pulmones, in quorum summo ad arteriam vomica pure plena erupit. *Hollerius lib. observat. propr. n. 8.*

Partus ad 16. mensem prorogatus, ob vitiosam capitis fœtus conformationem, & illi accretum tumorem.

De stupro conqueritur juvencula; Illa in dies tumidior ad partus terminum visa est accessisse, nec tamen fœtum ullum enitebatur, hinc molam suspicatus Medicus expellentia præscripsit, & tumido ventri cataplasma ex semine lini &c. applicuit, quibus aliquandiu usa, 16. mense feliciter peperit fœtum, sed debilem, nec ultra unum alterumve diem superstitem: Caput infantis nucem juglandem vix superabat, tumor verò capiti superna parte adnatus erat, universo capite major, qui quoties manu contrectabatur, toties infans convulsionibus corripiebatur:

Mortuo infante caput apertum, inventaque in ipso cranio exigua cerebri portio, quam pro cerebello habuit Chirurgus, in tumore verò substantia cerebro valde similis: hinc diuturnam istam in utero materno moram ex vitiosa cerebri constitutione derivavit, qua impeditus fœtus & fractus, subsidiariam operam matri parturienti ferre non potuit. *Thom. Bartholinus cent. 3. histor. 15.*

Partus impeditus ob Fœtum in Utero incuneatum. 1. Ob Fœtus transversum situm. 2. Ob vitiosum situm, Uteri disruptionem, vasorum umbilicalium convolutionem. 3. Ob Fœtus magnitudinem, situmque transversum. 4.

§. 1. Inspectio aliquot honestarum fœminarum, quibus difficilis restitans fœtus vitæ filum abruperat, fenestram aperuit meditandi de captivitate hac exterminanda: Intuitus etiam sæpe cum stupore situm fœtus in alvo matris incuneati mortui, meorum præceptorum nullus aggredi arduum opus: commendabatur Deo & naturæ; confisus ego judicii maturitati, manuum dexteritati, neglectum opus aggressus sum. Glorietur Roussetus suo pro arbitratu in sectione Cæsarea, & securam periculi proclamet, ego semel aggressus infausto eventu ita territus fui, moriebatur enim post quatriduum puerpera, epilepticis convulsionibus tentata, vulnere inflicto multa salutaria promittente; ut nunquam hanc operationem in viva suaderem, veritus ne quam fois perimere decrevit, Medici manu sublatam rumor increbescat; at extractionem per uncos & forcipes affabre adornatos felici cum successu molitus, nunquam nisi voti compos cum astantium admiratione discessi. *Rolfinckius Dissert. Anatom. lib. 1. cap. 13.*

§. 2. Sartoris cujusdam uxor, postquam triduum parturiendo consumpsisset, nullisque medicamentis fœtus jamjam mortuus exturbari potuisset, supervenientibus leipothymiis moritur.

Petitu mariti & obstetricis apertum fuit corpus, exemptusque infans jacens, supino quasi corpore per transversum uteri, capite sinistrum, pedibus dextrum attingens os Ilion, brachio verò sinistro extra uterum pendulo: Scrutando reliqua viscera, ex vesica fellea præter morem magna, bile lenta & ex viridi nigricante repleta, extraxi calculum olivæ majoris (quas regias vel Hispanicas appellant) magnitudine, nec colore & figura illi absimilem, cæterùm æqualem, & drachmam unam civilis ponderis pendentem, quem adhuc ob formæ raritatem integrum servo. *Carolus Raygerus in miscellan. curiosis anni 1673. oserv. 283.*

§. 3. Matrona Bernensis adhuc juvenis, cùm tertio uterum gereret, & justum gestationis tempus absolvisset, doloribus parturientium tam acerbis ac vehementibus correpta fuit ut vix unquam similes observati fuerint: aqua quin etiam quæ fœtum comitari solet, uti quoque sanguis copiose profluxere, brachiumque dextrum fœtus primo quoque insultu erupit: Post horam tamen dolores omnes & conatus parturientium cessarunt nec deinceps redierunt. Quarto post die videns obstetrix rem in angusto positam, sua-

fit ut uxor mea advocaretur: Illa cùm ad parturientem pervenisset, brachium dextrum ex utero propendens reperit, febris quoque, leipothymiæ & vomitus aderant: Exhibita Confectione Alkermes, inuncto ventre oleo lil. alb. & amygd. d. brachio ex orificio matricis remoto, dolores hypochondriorum, qui antea ob tensionem peritonæi acerbi fuerant, cessarunt, verùm dolores & conatus parturientium (etsi dolores reliquarum partium continuò vexarent) nunquam leniri potuerunt, nec medicamentis neque manu Chirurgi: Variis præstitis cæteri dolores remiserunt, ita ut cibum libenter assumeret, somnum caperet, & ita quidem ut nihil præter exclusionem fœtus desideraretur: Cùm verò motum aliquem naturæ, qui nobis viam modumque procedendi ostenderet, ex consilio adstantium, in septimum usque expectaremus, ecce cardialgia, cum rigore quodam & leipothymia accedente, protinus placideque exspiravit.

Corpore aperto, causa deprehensa est situs fœtus præternaturalis, in transversum enim situs erat, & ita quidem ut caput sinistro, pedes verò dextro hypochondrio ita insisterent, ut in utroque latere prominentia non obscura observari posset: spina dorsi autem fœtus versus orificium uteri vergebat: brachium dextrum extra orificium propendebat, sinistrum verò, uti quoque crus dextrum (quod versus caput reflexum) mediantibus vasis umbilicalibus (qui truncum corporis bis circumdederunt) trunco corporis ita alligabantur, ut ab initio fœtus ad exitum minus commodum sese parare posset, sed omnia inverso ordine acciderent: Præterea, ab initio cùm fœtus, qui & maturus & robustus erat, maximo impetu se moveret, & ad exitum præpararet, sinistro pede corpus ipsum uteri versus dextrum latus dilaceraverat: *Fabricius Hildan. cent.* 4. *observ.* 57.

§. 4. Sartoris uxor annorum circiter 30. quæ quater prius pepererat, quintò gravida facta, exactis decem mensibus, cùm jam pariendi tempus instaret, atque in ipso labore fœtus quandam convolutionem, levesque aliquot pariendi conatus sentiret, tandem iis omnibus cessantibus, fœtum mortuum, uti postea apparuit, antequam exspiraret, adhuc quinque menses retinuit: Quo tempore cùm an gravida esset, ex eo quòd supra gestationis tempus tamdiu superstes maneret mulier, nec graviora pateretur accidentia, in quæstionem veniret, & de mola aliove aliquo tumore inter obstetrices consultaretur: tandem consilio meo habito (licet eam vivam non viderim) de fœtu mortuo pronuntiavi, & ad fœtum mortuum propellendum medicamenta præscripsi, pilulas & pessarium, quod cùm unam saltem noctem retinuisset, mox chorda umbilicalis propendere cœpit, quæ tandem, cùm putris esset, amissa fuit: verùm cum nullus sequeretur abortus, nullusque esset omnino fœtum excludendi conatus, ut is promoveretur, mulier quædam ventrem illi variis modis alioquoties compressit, deorsùmque impulit, unde fluor uterinus, per quem putris, alba, fœtidissimaque materia ex utero profluebat, exortus est: Quo octo septimanarum spatio perseverante, accedente interim febre, corpus adeo contabuit, ut nihil in ea carnosi fere ampliùs præter ventrem, transversim admodum tumentem & durum appareret: donec viginti septimanarum spatio, supra decimum mensem, quo uterum gestavit, tempore exacto expiraret.

Rogatus ut corpus aperirem, primo ventris intuitu vesicas geminas, lividas, in latere umbilici, ubi tumor durus, inæqualis adhuc transversim eminebat, deprehendi, quibus levi negotio, cùm tenuissimæ essent, disruptis, statim vertebræ ipsius fœtus, unà cum scapulis & costis obvia erant; transversim enim collocatus & supinus dorso inflexo, & in orbem convolutus jacebat & versus exteriora prominebat: qui exemptus diductusque adeo putris erat, ut præter cutem & ossa, quæ tamen levi negotio dissolvebantur, & quod fœmella erat, nihil aliàs liceret, vel fœtor immensus sineret cognoscere: hoc saltem manifestum erat tranversum illum situm, atque eximiam magnitudinem, quam longitudo illius & capitis amplitudo, prolixis admodum capillis constans declarabant, impedimento fuisse quo minùs in partu prodire potuerit, sicque retentum 20. septimanarum spatio, computruisse, & simul vicinas partes undique infecisse, cùm universus uterus, unà cum involucris & omenti portione aliqua, musculisque epigastrii illius loci desiderarentur, totaque illa regio pure, fœtore & nigredine infecta esset, & ad extremam usque cutem, ubi vesicæ apparuerant livescentes, corrupta: Quo in loco si fortè sectio, ante extremam illam viscerum corruptionem facta fuisset, fœtum eximi, matre superstite manente credibile est. *Platerus observ. lib.* 2. *pag.* 228. & *Pract. lib.* 1. *cap.* 9.

Ossa pubis & coxendicis in partu distrahuntur.

Quanquam miraculo distractio ossium in partu carere non videatur, tamen quia in Anatomicis ratio prius audienda non est quàm sensus consulendus, iniquè faciunt qui quod ipsi non viderunt aliorum experientiæ credere negant: Nec facilè hîc à communi errore abscessissem, nisi Genevæ, cùm Illustris Senatus nobis meretricem juvenculam, sexto post partum die in lacu Lemano suffocatam, quæ adeo facilem partum ediderat ut & heram falleret, ad sectionem offerret, contrarium me sensus docuissent. Difficile est hoc apud nos deprehendere, ubi nefas putatur ex partu mulierem mortuam secare: & quæ suppliciis afficiuntur, non prius ad mortem ducuntur quàm disjuncta ossa longo temporis intervallo vicissim coierint. *Henningus Arnisæus observ. Anat.* 6. *Idem in Hildani Operibus, Epist.* 45.

Hi qui mulierum & virginum plura cadavera secuerunt, videre potuerunt illas quæ nunquam conceperunt, esse longe angustissimas, easdemque habuisse cartilagines inter hæc ossa sitas, quibus mediis uniuntur, admodum tenues, siccas & fere nullas aliarum respectu: Sed quibus in utero sæpius habere, pluriesque parere contigit, etiamsi longo tempore post ultimum partum obierint, in his interjectas cartilagines crassas reperiri certum esse; In iisdemque ilia & ossis sacri latera ampla, atque ossa pubis ubique, præsertim inter spinas anticas ossium pubis latitudine insigni ab invicem dissidere. Quæ verò aliquoties tantùm, ut semel aut bis, pepererant, medio quodam modo habere: Quod etiam ex inspectione matricis probatur: Nam, ut in his quæ nunquam conceperunt matricis corpus tenuè est & parvum, sic in his quæ pluries sunt enixæ, crassius semper remanet ad extremum usque vitæ diem: & in his quæ rarò aut semel, mediocris est; hæcque perpetuò vera sunt; dummodo his partibus nihil præter aut contra naturam acciderit: Hæc autem sententia ulterius confirmatur historia anatomica sequenti. Anno 1579. Mense Febr. in Regio Chirurgorum Parisiensium Collegio, cadaver muliebre dissectum, quæsitumque an in partu mulierum ossa pubis & ilium, hæc scilicet ab osse sacro, & Ilia ab invicem distrahantur necne? major pars adstantium negabant, Alii affirmabant, Alii dubii omnino tacebant, Dubium autem istud statim solutum fuit, veritasque ex tempore eluxit: Accepto enim altero cadaveris femore seu crure integro, sublevatoque eo, cute minimè secta, sed integre servata, cæterisque symphisi superpositis partibus, os pubis ejusdem lateris attollebatur, supraque alterum, latitudine saltem medii

dii pollicis eminebat: Quod oculis digitisque ab omnibus verissimum judicabatur; Ut facilius meliusque videretur, crus alterum supini cadaveris supra mensa locati summe extendebatur, nulloque modo ischii flexo articulo, ambabus alteri natium subductis & substractis manibus, sursum os pubis cum minimo conatu attollebatur, & cum eo os innominatum totum, quod, ut dictum est sæpe, componitur ex tribus, Ischii, Pubis & Ilii ossibus, quæ in ea ætate penitus coaluerant per symphysin, quæ eò loci fit sine medio, unde posticas duas synchondroses multò laxiores fuisse solito necessariò concludimus: Eo enim quo diximus modo, elato crure, innominatisque ossibus resupinati cadaveris, os pubis lateris ejusdem sua spina latitudine medii transversi digiti à suo congenere distabat, atque ei superveniebat: contrà verò sublatis manibus, & æqualiter positis manibus æqualis opposito apparebat: altero verò crure relato, illud quod priùs eminebat, inferius conspiciebatur, unde plures non abs re mirati sunt. *Severinus Pinæus de Notis virginitatis lib. 2. cap. 6. & 8. Vide Bauhinum Anatom. lib. 1. cap. 49.*

A plurimis agitata hæc quæstio, ac nostro sæculo à D. D. Laurentio & Pinæo hîc dissentientibus: Ego verò experientiæ credo, adstiti quippe ab annis 40. partui plusquam quingentarum mulierum, in quibus manifestè deprehendi crepitationem & diductionem ab invicem dictorum ossium, inserto inter utrumque os pectinis digito, ubi manifestam separationem animadverti: quinimò mulieres omnes, quibus ægrior partus, tunc temporis accusant dolorem eo in loco: Imò infra coccygem imposita manu, prædictam separationem licuit mihi percipere, Nec non in quibusdam ab inani nixu extinctis facta Cæsonia sectione, reperi ossa prædicta separata & relaxata, necnon ligamenta ea colligantia, mollia facta & dilatata; eo quippe loco maxima matricis portio incumbit, *Jac. Guillemeau de facili partu lib. 2. cap. 1.*

Vivit adhuc honesta fœmina, cui primiparæ, sub difficiliori fœtus exitu, ossium pubis commissuræ (ætate satis tum matura) non solùm divulsæ sunt, verùm etiam uti infelicioribus nonnunquam in fracturis accidit, utrinque seorsim occalluerunt, invicem separatæ, ut in scalarum ascensu ac descensu, consueta; sanis validisque pedum alternatione uti nequeat, sed alterum semper (posito priùs altero pro fundamento) quasi post se trahat; digito eandem alternationem circa dictas ossium extremitates eodem tempore aperte sentiente, Aliquoties postmodum, at æque difficulter peperit, angustia fortè colli nimia. *Daniel. Ludovici in miscell. curiosis anni 1673. observ. 255.*

Fernelius lib. 6. Pathol. inter causas difficilis Partus recenset ossium Pubis firmiorem compagem: Sed quid opus testibus in re tam manifesta? sola experientia fidem faciet, cui Medicus plus debet tribuere quàm rationibus: Sæpius, atque plusquam trigesies, in mulieribus mox à partu extinctis, vel paulo ante enixum, vidi præsentibus Medicis & Chirurgis, cartilaginem quæ ossa Pubis colligat, minimi digiti latitudine diductam, ita ut hiulca pubis ossa apparent si digito intus attrectarentur: Quod etiam ante cadaveris dissectionem innotescebat, uno crure sublato, sic enim ossa Pubis mobilia deprehendes, unumque alteri supereminere: Atque anno 1631. cùm publicam Anatomen instituerem mulieris, quarto die à partu suspendio strangulatæ, præsentibus trecentis Auditoribus, demonstravi commissuræ ossium pubis interjectam cartilaginem, digiti latitudine laxatam; quin etiam ossis sacri cum ossibus Ilium commissuras mobiles admodum scalpello tenuissimo facillime separavi: Ossibus Ilium ossis sacri, loco cartilaginis, interjecta erant ligamenta crassa, rubicunda, quæ cavitatibus utriusque ossis inculcata erant; ossibus pubis cartilago crassa interposita erat: Potest & controversia etiam ipso sensu componi. Accipe perfectæ mulieris ossa ilium, apte inter se per symphisin, & recto ossi sacro juncta: si per hoc foramen amplissimum, caput infantis recens nati libere traducatur, fatebor ossa Pubis non diduci; alioquin sustinebo, non sine maxima ossium pubis dilatatione fœtum egredi, quia spatium illud angustius reddit caro intus circumjecta. *Riolanus Anthropogr. l. 6. cap. penult.*

Quomodo possibile est ut maturus & magnus fœtus per pelvis angustias, musculis aliisque partibus undequaque obsitas & infarctas, in partu transire possit? Dico, si parvus fuerit fœtus, eum per dictas angustias sine magna molestia transire posse, docente id experientia quotidiana; nam partus tempore, ab humorum copioso affluxu, adeo lævæ & laxæ fient partes genitales, ut exigente necessitate, etiam obstetricis vel Chirurgi totam manum facile admittant: Verùm si magnus fuerit fœtus, vel partes per se sint angustiores, tunc gravem & laboriosum fieri partum, atque pubis ossa, laxatis ligamentis & cartilaginibus, aliquantum dehiscere, imo cartilaginosam quoque connexionem ossis sacri cum ilii ossibus adeo laxari, ut manifeste à se mutuò recedant: Hanc dehiscentiam harum partium primi notarunt, Hippocr. lib. de nat. Pueri, Avicenna lib. 3. fen. 12. tract. 1. cap. 2. Aetius tetrabil. 4. sermone. 4. cap. 22. quam acriter quoque defendit Sever. Pinæus operis physiolog. lib. 2. cap. 5. 6. & 7. Contrarium sentientes evincit certissima rerum magistra experientia (hac docente omnes qualescunque rationes concidunt) qua non semel illud fieri compertum ac clarissime demonstratum est. Nos quoque anno 1654. mense Martio, puerperam sequenti post partum die mortuam, in publico theatro secuimus, in qua pubis ossa à se invicem adeo divulsa erant, ut minimus digitus facilè interponi posset. *De Diemerbroëck Anatom. l. 6.*

Paræus lib. de gener. cap. 13. scribit se olim fuisse in illa opinione, ossa ilium & pubis in partu non posse divelli, sed tandem tamen contrarium ipsi apparuisse in sectione cujusdam mulieris, 15. die post partum suspensæ, cujus ossa ilium ab osse sacro distracta erant, & ossa pubis à se invicem distabant latitudine dimidii digiti.

Idem observavimus hîc Basileæ ante annos duodecim, cùm Nobilis matronæ Gallæ ventrem, quæ ob secundinas retentas interierat, pluribus adstantibus aperiremus. *Bauhinus Theatri Anatom. lib. 1. cap. 49.*

Experientiâ edoctus assero ossa pubis sæpe ab invicem in partu laxari, emollito eorum cartilagineo connexu, totamque hypogastrii regionem ad miraculum usque ampliari: Non quidem ab aquosæ substantiæ profusione, sed sua sponte, ut fructus maturi excludendis suis seminibus solent hiscere. *Harveus de Generat. animal. Exerc. 57.*

In publicis fœminarum, difficili partu mortuarum sectionibus, conjunctionis ossium pubis, ut & ilii ac sacri dehiscentiam spectatoribus multoties conspiciendum exhibui. *Spigelius lib. 2. de Humani corpor. fabrica cap. 24.*

Os Uteri in prægnantibus arctißime clausum repertum. 1. 2. Uteri status à Partu secundo die. 2. 3. 6. De craßitie uteri in Gravidis. 4. Uteri status sextâ post partum hebdomadâ. 5. Uteri constitutio in Graviditate & à Partu. 7. Uterus hypogastrio adstrictus post maris partum. 8.

§. 1. Os uteri, testibus Hippocr. & Galeno, in prægnantibus tam arcte clauditur, ut ne quidem specilli aciem,

aciem, nec ullius aëris aut aquæ (in balneo) introitum admittat: quod licèt nonnulli in dubium vocent, & solummodo de levi aliqua conniventia explicent, tamen à nobis veriſſime viſum eſt anno 1649. quo aperuimus & examinavimus ancillæ veneno interemptæ cadaver; in quo, inter alia, invenimus uterum à longitudinis manus fœtu tumidum, ejuſque oſculum non modo arctiſſimè contractum, ſed tam glutinoſo ac tenaci humore pituitoſo obſeratum, ut nuſquam tenuis ſtylus immitti poſſet, niſi majore vi per gluten illud adigeretur.

§. 2. Illud etiam vidimus in alia muliere circa 7. menſem gravida, repentino fato extincta menſe Decembri 1665. *De Diemerbroeck Anatom. lib. 1. cap. 33.*

§. 3. Excluſo in lucem fœtu redit uterus ad priorem conſuetudinem ſenſim & ſenſim: Aperto cadavere altero à partu die, uterus conglobatus apparebat ad capitis infantis bimuli magnitudinem, albicans, in tubulis nullo ſanguinis apparente veſtigio. *Rolfinckius parte 2. de Organis generat. cap. 21.*

§. 4. Os uteri ita extenſum & lacerum erat ut vix appareret, Uterus magnitudine capitis erat adhuc & craſſitie pollicari: Intus ſanguinis reliquiæ & ora vaſorum craſſo & nigro ſanguine adhuc ſudantia: Vincula uteri cum oſſibus Ilium, ſacro & lumborum, & inteſtino recto firmiſſima, parte anteriore nulla, præterquam cum veſica admodum exigua. *Iac. Sylvius in appendice Iſagoges anat. de variorum corporum ſectione.*

§. 5. Falcolburgius teſtatur in diſſectis ſe obſervaſſe gravidis, craſſiorem videri tum temporis uterum, ſed falli oculos ab hepate uterino arctiſſime connexo, quod ſeparatum fucum detegit: Sed contrarium docet experientia: Nempe craſſities illa in utero, fœtu jam abſoluto oculis conſpicua, duorum pene digitorum craſſitiem æquat, præcipue circa fundi illam partem qua ſecundina adhæret: adeſt etiam adſtipulante Harvæo, in ea parte qua placenta utero non adnaſcitur: Conflatur hæc craſſities à ſanguine in tubulis uteri ſtabulante. *Rolfinckius cap. 21. de organis generationis parte 2.*

§. 6. Infanticida fœmina ſexta poſt partum hebdomada capite patratum ſcelus expiat. Juvencula parvę ſtaturæ, obeſa & ſana: Peritonæo aperto non comparebat uterus prima fronte, ſed veſica lotio tumida conſpectum illius adimebat, ſub qua delituit uterus, durus ſatis & conſtrictus, ut mirari ſatis nequiverim tam brevi poſt partum tempore contractum: Magnitudine vix pugnum æquabat. Nymphæ contractæ, carunculæ quoque obliteratæ, niſi orificio veſicę appoſita: Vagina diſſecta ad uteri orificium ſine rugis ſolitis: Externa pudendi labra ſatis hiabant: Uteri orificium arctiſſimum durumque: Uterus ipſe craſſus & fungoſus, vix pomo excipiendo: In ipſis parietibus craſſis foraminula utrinque patebant ſeu acetabula, quibus per fiſtulam inflatis, elevabantur vaſa teſtibus ſubjecta, ſeu alter Tubę inferior ramus ex vaſis deferentibus ortus. *Th. Bartholinus hiſtor. 92. cent. 1.*

§. 7. Nuper diſſecui Nob. mulierem, quæ 24. horis à partu deceſſit è vivis, aquarum copiâ, quibus abundabat thorax, corde ſuffocato: Inveni uterum fere ad naturalem magnitudinem contractum, vix enim manus complicatæ amplitudinem æquabat. Diſſecti uteri cavitas exigua erat, & adhuc cotyledones, ſive tubercula, granis milii ſimillima apparebant: Parietes uteri duorum digitorum craſſitiem æquabant. *Riolanus Anthrop. l. 5. c. 1.*

§. 8. Membranas Uterus obtinet duas, Exteriorem duplicatam validam à peritonæo: Interiorem propriam, fibroſam magiſque poroſam: Inter has carnoſus & fibroſus contextus quidam reperitur, qui in mulieribus gravidis ab affluentium humorum nutritiorum ubertate admodum unà cum dictis membranis increſcit, ita ut quo magis augetur & increſcit fœtus, eò carnoſior, fibroſior & craſſior evadat uterus, qui poſtremis geſtationis menſibus pollicis, & nonnunquam circiter duorum digitorum craſſitiem adæquat: Hęc craſſities non eſt ex ſolis humoribus in poroſitates uteri ſe inſinuantibus, ut multi exiſtimant, ſed eſt vera & ſatis denſa caro, quæ poſtea muſculorum inſtar inſervit ad fœtus expulſionem: Qualem carnoſam uteri ſubſtantiam anno 1653. menſe Novembri, in theatro Anatomico publice demonſtravi, in cadavere puerperæ, duodecim horis poſt partum mortuæ: Et non ita dudum privatim in muliere in partu unà cum fœtu mortua: Hoc tamen carnoſum incrementum poſt partum, humoribus & ſanguine maxima copia ab utero effluentibus, denuo emaciatur & exareſcit, atque ſic ad priſtinam formam ac magnitudinem uterus redit & contrahitur. *De Diemerbroeck Anatom. lib. 1. cap. 24.*

§. 9. Nuper vidi in muliere 15. diebus à partu ſtrangulata, uterum in dextrum latus inclinatum, & firmiter adſtrictum: Ligamentum latum dextri lateris brevius erat ſiniſtro; marem enixa fuerat: An eo modo conſtitutus iis, quæ mares potiùs quàm fœminas generant? *Riolanus Anthrop. lib. 2. cap. 33.*

Secundinarum retentio, ob arctam cum Utero adhæſionem, item Ob eandem cohæſionem cum carne Utero adnata.

In Noſodochio noſtro apperui corpus puerperæ, ſtatim poſt puerperium defunctæ, cauſam indagans mortis, inveni ſecundinam undiquaque ipſi utero tam firmiter adhærentem, ut vix & nonniſi cum labore ſeparari potuerit, eratque omnino exſanguis, ut & reliquum corpus parum admodum ſanguinis habebat, reſpectu ejus qui aliàs eſſe ſolet. 2. Uteri ſubſtantia admodum craſſa erat & fere duorum digitorum craſſitiem adæquabat, multis tamen iiſque conſpicuis foraminibus inſtar ſpongiæ pervia, inter ſcil. duas tunicas proprias: orificium ob recentem partum cum cervice maximè hiabat: oſſa pubis nullo modo ſejuncta, ſed arctiſſime, & ut naturaliter fieri ſolet, firmiſſime connivebant: Venæ ſpermaticæ ampliſſimæ erant, ita ut infantis cujuſdam minimum digitum adæquarent, ſanguine refertiſſimæ, in exortu naturaliter ſe habebant, dextra tamen paulo infra exortum, alium adhuc ramum, & cum quidem inſignem ab ipſo trunco aſſumebat, eumque mox ſibi conjungebat, ut ex duobus vaſis unum fieret. *I. R. Saltzmannus obſerv. p. 443.*

Uxor D. Morel Laniſtæ, præpinguis & vorax, eximiæ fœcunditatis, 12. partu filium enititur Junii 13. 1673. hora ſecunda pomeridiana: Partum magnum ſequitur lochiorum effluxus, ea quantitate ut jugulatum bovem dixiſſes, hinc leipothymiæ, ſubſiſtunt ſecundinæ Educere tentantem obſtetricem conatu adhibito, prohibeo, quod arctius adhærere judicarem; perſeverant leipothymiæ, jectigatio accedit, puerperiorum eductionem urgent iterum aſſidentes mulierculæ, & enixa obnixe poſtulat; advocantur Chirurgi, qui manum admovere ob virium debilitatem recuſant, veriti ne in ipſa operatione expiraret. Accedens alter Medicus omnia ſymtomata in reſtitantem ſecundinam rejicit, tetros vapores emittentem: Repugno quod ante tres demum horas ſatis felix partus prçceſſiſſet, nec eſſet veroſimile tantillo ſpatio eas computruiſſe; ſeptem horis à partu occubuit.

Reſerato poſtridie hypogaſtrio, adeps ad trium digitorum ſpiſſitudinem ſe offert, Uterus bene conſtitutus, quo inciſo ne gutta ſanguinis per ejus ſubſtantiam

tiam diffusa cernitur; In cavitatis parte sinistra cotyledones manifesti erant: Parte dextra secundina arctissimo nexu utero adhærebat; Ita ut judicatum sit ab imperitia obstetricis partum intempestive promoventis, mortem contigisse. Aderat porro grumus sanguinis, ovi parvi gallinacei magnitudine, ad uteri ostium, à quo tetra illa accidentia provenisse verisimile est, potius quàm à subsistente secundina, quæ illacera & incorrupta apparuit; Mortis autem causam sanguinis profusionem magnam credo, quamvis plethorica esset mulier, hæmorrhagiis obnoxia, quæ quater vel quinquies per graviditatem sanguinem sibi mitti curabat.

Mulier Nobilis Galla, quę jam multoties pepererat, cùm ante annum in partu, ob secundinam retentam, ab hora quarta matutina, ad 8. vespertinam, qua demum, usa prius injectionibus, sternutatoriis, suffitibus secundinam ejecit, vix evasisset, anno 1588. Martii 25. denuo cùm mane fœtum excluderet, ob secundinam subsistentem in periculum venit, propendente interim chorda umbilicali: Frustra autem variis remediis tentatis, magnaque sanguinis grumosi continuò effluente copia, vires adeo collapsæ sunt ut sequenti die circa horam 4. vespertinam extingueretur.

Sectione facta uterus spissus & amplus (qualem puerperis per octiduum permanere, indeque sensim se recolligere, & ad pristinam parvitatem redire aliquoties observavi) in hac quoque inventus est: Quo in longum ipsiusque cervice dissectis, secundinam, tum circa uteri orificium, quod amplum admodum erat, initium adhæsisse, tum per carneam placentam uteri interiori substantiæ adeo accrevisse, ut ægre manibus avelleretur & tracta laceraretur, visa fuit; cui adhuc amnios tunica, chordaque umbilicalis adherebant; Præterquam & corpus quoddam, parenchymate crasso & sublivido constans, hepatis substantiæ coctę simillimum, propria involutum tunica, illic quoque citra connexum jacuisse observavimus: *Platerus observat. lib.* 1. *pag.* 231.

Mulieri post 15. annos à connubio parere contigit: Secundæ substiterunt, evulsæ frustulatim: Obstetrix asserebat superesse aliquid; febris nata, hinc lingua nigra, dentium intervalla scabritię nigricantia, facies νεκρώδης septimo die mortua; Secta; Inventa caro oblonga adnata utero, membranarum pars quæ computruerat. *Hollerius libello observ.* §. 10.

A Partu difficili extinctæ mulieris, Anatome.

Clariss. Philippi Jacobi Hartmanni, Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 9. *&* 10.

Filiolum die 19. Aprilis ann. 1701. enixa fuerat, variis doloribus, & prægnationis decursu & partûs tempore, afflicta perditè: postridie accersor; Obstetrix *abdomen rigide extensum* ostendit, atque *sub regione epigastrica*, ab uno hypochondrio ad alterum transversim, justâ fœtûs magnitudine, corpus situm esse comparebat: durum istud, & renitens quamvis Puerpera ægerrimè tactum ferret. *Isti* verò *in regione Epigastrica loco elato respondebat depressus*, instar convallis, *qui umbilicalem* ab uno illo ad oppositum *emetiebatur*; postquam rursus *in Hypogastrio par supremæ abdominis elatio conspiciebatur.* Illis Obstetrix, gemellorum restitantium suspiciones oggerebat. *Cum contumaci alvi obstructione & flatuum lancinationibus, in sinistro Inguine; doloribus atrocissimis pungentibus & scissoriis* (*als wann sie mit tausend Messern geschnitten und geschnitten und gestochen wäre*) conflictata fuerat misera. Quinque diebus ante partum *obstructio* perseveraverat, nec flatus loco dimoveri poterant. Lenimen à Cataplasmatibus senserat post partum, assumto etiam Spermate ceti cum oculis cancri & tantillô croci, quòd matrix statim à partu eductâ secundinâ, occlusa lochia nulla dimisisset. Obstetrix referebat fœtum jam jam in lucem proditurum supremam epigastrii regionem adhuc occupasse, quo ipso de gemellis conjecturam firmare studebat.

Defunctæ autem die 21. April. *Apertio* aliam rerum faciem detexit: *intentum* ad rupturamque usque, *abdomen* quando Chirurgus *perforabat*, quasi ex bombarda explosio facta, in faciem secantis sordes ejaculatę, fœtore pessimo totum conclave inficiebant. *Patefactâ Epigastrii regione cum Umbilicali, Corpus illud elatum & durum, colon* deprehensum, tantâ vi expansionis, ut incisi hujus intestini totidem lobi visceris alicujus grandioris viderentur, ipsumque nullâ vehementiâ manûs, comprimi posset: *Ubi amplissimum erat Colon*, filo tres partes ulnę longo vix comprehendebatur. *Par corporis in Hypogastrio elati conditio*; siquidem *Coli* itidem *portio erat*; quæ in confinio intestini recti tota *nigra atque sphacelata*; atque ad contactum, cùm intestinis vicinis quæ tabe suâ corripuerat, rumpebatur: Hæc *sedes* erat *dolorum lancinantium*, de quorum atrociâ toties conquesta fuerat: Hæc *causa inquinamentorum in cavitate abdominis. Superius Colon* à Gangræna erat immune: Ab hoc verò *Hepar sede suâ* erat *exturbatum*, & fermè inversum, ut Sima pars cum vesicula fellis in conspectum prius veniret, Gibbâ ad vertebras distortâ: *crepido*, quæ ad umbilicum vergere solet, coarctata & retrò inversa, cum suo fisso & suspensorio duas palmas à mucrone ensiformi recesserat. *Bilis in vesicula* fluida satis; *Hepar* ipsum sublividum & emarcidum: *Lien* putris, ad contactum diffluens. *Omentum* nusquam comparuit, neque ad incisa Coli, aut ullum intestinum *pinguedinis quidquam*, qua & *Renum fascia* destituebatur: *Intestina tenuia* sedibus suis emota, à Colo obtecta, flatu distenta, & colluvie.

Uterus licèt alter solùm à partu dies abierat, in globum jam contractus in pelvi quiescebat, magnitudine capitis infantilis. *Fundi incisi crassities* erat duorum digitorum transversorum, tantâ è contra *colli minoris tenuitate*, ut calami anserini crassitiem non excederet. Intus per omnem superficiem *Placentæ reliquiæ* hærebant, quas tamen digito facile erat avellere: *In collo* ipso cruor hæsitabat. *Tubarum altera* erat alba, cujus orificium *fimbrias*, quales *Swamerdan* voluit, *laciniosas* habebat: Hanc Tubam incidens *Striis albis* secundùm longitudinem distinctam inveni, *quales Striæ in Uteri Gallinacei processu* extantiores: Stylum per eam adigens in cavitatem Uteri penetrare non valui. *Sinistra Tuba* erat sanguinolenta, Sphacelata parti coli subjacens; *hujus fimbriæ lacertulos* sive carneos lobulos quales *Graafius* defendit, *ostendebant. Testes* oblongi, albi, plani, exsucci, exilibus & paucis hydatidibus.

Usus ex Anatome à Partu difficili defunctæ.

1. *Fallax gemellorum indicium*, partes abdominis elatæ.

2. *Fœmineus Sexus Colicis doloribus obnoxius*, qui tamen Uterum semper causatur.

3. Quanta *vis flatuum intra Colon.*

4. *A Gangræna dolor* acutissimus scissorius.

5. Succi vitalis defectus, *causa defectus pinguedinis.*

6. *Uteri* post partum *crassities diversaque* in diversis partibus.

7. *Lochiorum remora.*

De Partû præternaturali, ac de Fœtibus monstrosè in muliebri corpore sitis, curiosa plura videri possunt sub titulô Fœtus. Item etiam alia non pauca in Bibliothecâ nostrâ Medico-Practicâ, sub titulô Partus.

PEDICULI

Vid.

PHTHIRIASIS.

PEDUM MORBI.

Pedum Fœtor.

P*EDUM* fœtor est odor teter ac hircum olens, ex ipsorum poris exspirans, & à miasmatis putridis obortus.

Hic affectus sæpe adeo pertinax est, & intolerabilis, ut eum adstantes ferre nequeant, unde in Actis Hafniensibus traditur historia fœminæ tam abobinabilem fundentis pedum fœtorem, ut nullus nisi bene odoratis probè munitus ipsi assidere valeat. Sæpissime autem occurrit in iis qui pedes suos negligentiùs muniunt linamentis ac soccis.

Paracelsus pro eo abigendo suadet varia arcana sudorifera, & in specie chelidonium calceis imponendum; nihil verò magis juvat quàm mundities, quando scilicet pedes semper novis muniuntur soccis. *Joh. Dolæus in Encyclopediâ Chirurgicâ rationali*

Pedum Clavi.

Inter ea quæ corpori nostro molestiam adferre, aliquibus tamen flocci fieri solent, clavum in pede vulgus quoque numerat, sed perperam; Si enim error circa affectum huncce commissus fuerit, facillimè in gravissimum morbum evadet. Nobilissimum & egregium quendam Virum, & Serenissimi Principis Emanuelis Ducis Sabaudiæ &c. Consiliarium (quem de facie quoque hic Bernæ cognovi) eo extinctum fuisse, ex viris fide dignis habeo. Mihi simile quid in barbitonsore quodam videre contigit. Huic enim cùm claviculam instar verrucæ, ex attritu forficis, in apice dextri pollicis procreatæ, excidissem, ille verò me absente, nescienteque nonnihil arsenici vulneri imposuisset, parum abfuit, quin vitam cum morte commutaret. Quotiescunque igitur temerarii atque artis imperiti homines, clavum huncce, sive duritiem, ad carnem vivam exscindunt, guttulamque unam aut alteram, (uti vulgus facere consuevit) olei vitrioli, aut aquæ fortis, vel nonnihil arsenici imponunt, exoriuntur dolores acutissimi, inflammationes, convulsiones, lipothymiæ, aliaque gravissima Symptomata, plerumque etiam sequitur mors, uti Consiliario Ducis Sabaudiæ accidisse ante dixi. Aliam itaque viam ac methodum excogitavi, quâ memetipsum, uxorem item meam, aliosque feliciter sanitati restitui, hunc in modum. Inprimis quia affectus ille propter attritum, & angustiam calceamentorum procedit, calcei angusti & ex corio duro parati, abrogandi; & ex corio tenello, uti est Hispanicum, qood *Maroquin* vocant, parandi sunt. Postea præparetur sequens balneum emolliens, pro pedibus.

R. Radicum altheæ. Malvæ, Liliorum alborum, Scrophulariæ majoris an ℥j. Foliorum altheæ, Malvæ, Violarum, Florum chamomillæ, Meliloti an. Mj. Sem. lini. Fœnigræci, Anethi, an. ℥j.

Incidantur, & contundantur omnia grosso modo, coquanturque in aqua, in qua pedes per duas horas post cœnam immergantur, & per horam integram macerentur. Linteis calidis absterfis pedibus, in lectum calidum se conferat æger, & superdormiat, sequenti, uti & tertio die, (semper tamen post cœnam) iteretur balneum. Sic satis emollitis claviculis, novaculâ totum illud quod induruit, abradendum, abscindendumque est, verùm pedetentim, & superficie tenus, non autem à superficie ad centrum. Clavo sic ad radicem abscisso (quod sine dolore fit) emplastrum de cicuta, supra alutam tenuissimam extensum applicetur, fasciâque carbaseâ ita ligetur, ut dies noctesque adhæreat. Ab initio quaternis diebus, postmodum verò singulis mensibus, saltem renovandum est emplastrum: per menses tamen multos, imò etiam per annum integrum emplastrum gerere convenit, idque sine ullô fit incommodô, ac molestiâ, maximô tamen cum fructû.

Clavorum Pedum certa cura

Clariss. Danielis Crugeri Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 7. & 8.

℞. Spir. vitrioli veneris, & illinantur clavi optimè bis vel ter de die, quoties opus.

Post duodecim horas impone sequens emplastrum

♃ Gummi Galbani & Gummi Ammoniaci āā. ℥ß. Solve in s. q. spir. vini, & inspissa. Adde, Euphorbii ʒß. Alumin. usti gr. 45. Viridis. æris. ℈iijß. Mercurii dulcis vulgaris ʒj. Olei Euphorbii & Ceræ āā. q. s.

M. F. Emplastrum, quòd post duodecim horas removeri potest, & cultello clavus eximi. Imò si magnus fuerit clavus, secundâ vice repeti potest.

Pedis distorti cura, ex Gulielmô Fabriciô Hildano.

Circa annum 1589. nobiliss. quædam gravida, Generoso ac Præstantissimo D. Sebastiano ab Atazwelt Domino in Wildenberg, Grotorff &c. nupta? cùm quâdam die crepidis subere elevatis, incederet, & fortè fortuna vacillaret, haud parum commota atque perturbata fuit: nihilominus tamen fœtum ad constitutum tempus gestavit, & puellum progenuit: Huic pes (si rectè recordor) dexter ita distortus fuit, ut digiti malleolum interiorem, totusque verò pes suram versus reflecteretur: itaque cùm incederet puer; non plantâ pedis, sed malleolo exteriori solùm calcabat; ut ex sequenti figura videre licet. (*Vid. Tab.* xx. *fig.* 1.

Multa quidem adhibita fuerunt medicamenta, etiam à præstantissimis Medicis & Chirurgis, sed frustra. Quum tertium annum ætatis prætergressus esset infans, & nulla amplius superesset spes restitutionis pedis, & Generosus Dom. parens de me audivisset, Coloniâ, ubi tunc artem meam exercebam, per literas me ad se vocavit, Anno 1592. & ut omnem diligentiam atque industriam circa puerum suum adhiberem, rogavit. Explorato optimèque considerato morbo, de restitutione pedis, ut ingenuè fatear, penè desperabam: omnia enim jam occalluerant. Cùm verò auxilium à me afflagitarent parentes, curationem sequenti modo institui.

Primò, quia infans robustus & obesus erat, corpus ante omnia manna & syrupo rosato solutivo per intervalla purgavi, ne balneis & fomentationibus superfluos humores



Fig. 1
A
B
C
D
D
E
E


Fig. 2.
A
B
C
E
F


Fig. 3
A
B
C
D
G
H
F
E



Fig. 4
A
B
C
D
G
F
E


Fig. 5
A
B
F
G
D
F
E
F
C



Fig. 6.
A
E
D
C
F


Fig. 7.

Mooff f.

humores ad partem affectam attraherem: Purgato corpore, sequens decoctum emolliens in decimum aut duodecimum diem usque, bis terve indie calidè applicui.

R. Rad. Altheæ, Malvæ an. ℥ß. Herb. & flor. Betonicæ, Ivæ arthericæ, Flor. Chamomillæ, Meliloti an. M j. Sem. Lini, & Fœnigræci an. ℥ß. Anisi, ℥j.

Coquantur in decocto capitis & pedum vervecis, fiatque fomentum, quo bis in die ad semihoram usque pedem immersi. Post fotum totam tibiam plantamque pedis sequenti oleo inunxi.

R. Ol. Liliorum alborum, ol. Amygdalarum dulcium, an. ℥ß. Ol. Lumbricorum ℥j. Ol. Granorum juniperi ʒij. misceantur.

Postea sequens Emplastrum applicui.

R. Empl. de mucilaginibus ℥jß.

Gummi Amoniaci, in spiritu juniperino dissoluti & percolati, iterumque ad spissitudinem cocti ℥j. Ceræ novæ ℥ß. Ol. de vitellis ovorum ℥j.

Dissolvantur lentissimo igne, deinde admisce

Pulv. florum betonicæ, Ivæ artheticæ, Rosarum rubearum an. ℈ij. Croci, Pulv. Lumbricorum terrestrium. Masticis, Olibani an. ʒj. Misce & fiat secundùm artem Ceratum, addendo parum olei rosacei, si opus fuerit. Emplastrum hoc mirum in modum emollit, & partes nervosas corroborat.

Sic satis emollito pede, ab usu emollientium discessi, & corroborantia, de quibus postea, applicui.

Interim autem dum emollientibus utebar, serperastrum ad affectum huncce accommodatissimum inveni, & ipsemet specimen ex tenuissima lamina ferrea, charta & ligno concinnavi: quod postea in arce Gotorff per ferrarium ex ferro fabricatum fuit, eodem modo ut infrà depictum est.

Porrò etiamsi pes mirum in modum distortus esset, ut ex præcedenti figura videre licet: post usum tamen emollientium, facilè veluti in formam naturalem reduci potuit, idque sine dolore, sed remotâ manu protinus in pristinam formam monstrosam revertebatur.

Quotiescunque autem pedem (quod diligenter observandum) extendebam, & in formam naturalem reponebam, sinus magnus inter malleolum interiorem & plantam pedis, percipiebatur. Processus enim inferioris appendicis ossis tibiæ, qui malleolum internum constituit, quia à longo tempore ossi calcis incubuerat, depressus erat, & ab osse calcis distabat. Processus verò fibulæ, qui malleolum exteriorem facit, præter naturæ ordinem prominebat, totumque pedem introrsum detorquebat.

Ut igitur pes in situm suum ac formam naturalem reduci posset, necesse fuit, ut prominentia fibulæ deprimeretur, defectus verò processus appendicis ossis tibiæ aliquantum prolongaretur. Illud arte & industria, hoc verò naturæ beneficio factum fuit. Cæterum naturam mirando quodam modo in conservando sui individuo solicitam esse, exemplum ad oculum in Museo meo demonstrare possum: Habeo enim Sceleton Caponis, in quo miranda Creatoris providentia observatur: Quandoquidem femur finistrum, cùm in transversum fractum, & extremitas una ossis fracti, super alteram callo quàm firmissimè annexa fuisset, & proinde crus illud altero brevius evasisset, provida ac prudens natura, os tibiæ ejusdem cruris tantùm longius creavit dextro, quantùm femur sinistrum brevius est dextro: ita ut nulla relicta sit inæqualitas aut deformitas. Hæc si in brutis fiunt, cur non & in pueris, interim dum accrescunt: præsertim si optimo corporis habitu sint prædìti, & vivaces fuerint, qualis erat Generosus hic noster æger. Sed ut ad institutum redeam, sic satis emollito pede, de reliquis cogitandum fuit. Primùm itaque pedem totumque crus succo lumbricorum, aquâ betonicę, ivæ arthericæ, salviæ, & juniperi mixto, inunxi, & sequens Emplastrum, quod mirum in modum corroborat, applicui.

℞. Emplast. Slotani ℥iij. Gummi Elemi purissimi, Ceræ novę an. ℥j. Pulv. Masticis, Olibani pulv. lumbricorum, aquâ communi lotorum & exsiccatorum an. ʒij. Rosarum rubearum, Balaustiorum, Nucum cupressi an. ʒj. Cùm s. q. olei lumbricorum fiat Cerotum, quod supra alutam extendatur, applicetur, & renovetur, de sexto in sextum diem. Postea in formam naturalem reposito pede, quod, ut antea dixi, facilè & sine dolore fieri potuit, sequens instrumentum. (*Vid. Tab. XX. fig. 2. α. & β.*) Pedi tam concinnè adaptavi, ut pes in pristinam formam præternaturalem recedere non potuerit, nisi fortè fortuna fasciæ ac vincula laxarentur.

Tab. XX.

Fig. 2. 3.

Declaratio Figurarum.

2. *α. &* 2. *β.* Tab. XX.

In primâ figurâ interna facies instrumenti adumbratur: Eam præsertim ob causam, ut reflexura laminæ A. A. in conspectum veniat: hujus reflexura enim, quæ in secunda figura β D. insignita est, beneficio, planta pedis introrsum, & versus malleolum internum reflexa, ex tela facta, instrumento diligenter annectatur, ne loco suo recedere possit. Id verò ut commodius fiat, ferula lignea stupis, & tela involuta interiori parte tibiæ apponenda, & unà cum fascia & loramentis vincienda & liganda est, ut ex sequenti Figura apparet. (*Vid. Tab. xx. fig. 3.*)

Tab. XX.

Fig. 3.

Porrò instrumento undique firmiter annexo, si forsan aliquando circa talum, & plantam pedis relaxatum fuerit, beneficio torcularis, in secunda & tertia figura B. notati, in altum facilè retrahi potuit: quàm rarissimè enim loramenta, fascias, cæteraque omnia solvere conveniebat; quin potiùs summa diligentia adhibenda erat, ut pes immobilis maneret. Genu verò quod attinet, id beneficio flexuræ, in tribus figuris G. notatæ facilè movebatur.

Hoc modo rectè ac firmiter ligato pede, prominentia illa fibulæ depressa, aut saltem ne excresceret, impedita fuit. Processus verò inferioris appendicis ossis tibiæ, quum locus vacuus esset, excrescere, paulatimque sinum illum circa malleolum internum implere potuit. Hoc modò deformitas pedis omninò castigata, emendataque fuit, & ita quidem, ut inter deambulandum hujus deformitatis nullum amplius vestigium appareret, quemadmodum ego ipsemet Ann. 1617. ex Hassia rediens, & Moguntiæ, ubi tunc temporis Canonicus erat, hisce meis vidi oculis.

Longum autem tempus, summamque diligentiam hujusmodi curationes requirunt. Vi enim nihil efficitur, sed est naturæ opus, quæ deformitatem illam corrigit, si ars & industria Medici accesserit. Idque ego in prædicto Generoso ægro expertus sum. Sed affectus jam inveteratus & deploratus erat: quapropter instrumento præfigurato per integrum annum, & ulterius in ipso usus sum. Postea serperastrum eodem modo fabricatum, ut ante annum specimen simul & delineationem ad T. Excel. misi, apposui, quo & per annos aliquot sine ullo incommodo usus fuit. Quia verò pueri crescunt, instrumentum contrà in eodem tenore permanet, ideò quotiescunque res postulat, illud renovandum est. Quod

Quod autem à prioribus Medicis, quamvis expertis, restitutus non fuerit, non ratione medicamentorum, quæ ex arte præscripta & adhibita fuerant, sed defectu serperastrorum accidit: quamobrem in hujusmodi affectibus necesse est, ut Medicus toto ingenio ad inventionem instrumentorum incumbat, citra quæ omnia frustra adhibentur medicamenta, quamvis optima.

In pueris verò nuper natis, si distorsio aliqua pedum fuerit, non usque adeò difficilis est curatio, dummodo serperastra commoda adaptata fuerint. Vidi id Anno 1621. in nobilis Viri Dom. Benedicti Doube Moratensis puero, qui cùm distortis & veluti monstrosis pedibus natus esset, non diu post ipsum Bernam mihi adduxerunt, ubi spatio octo vel decem mensium per Dei gratiam, feliciter à me restitutus fuit. In hoc autem puero nullum emolliens applicui, quandoquidem omnia adhuc lubrica erant. Corroborantibus itaque antea commemoratis, curationem incœpi, & absolvi, sequenti tamen adaptato & apposito serperastro, ex lamina ærea, non usque adeò spissa, tam concinnè fabricato, ut pedem secundùm naturam dispositum ferè repræsentaret, quemadmodum ex sequenti figura apparet. Prius autem prædictis aquis tepidis crura irroravi, atque imbui, & Emplastrum corroborans malleolis applicui. Postea fasciis ex carbaso paratis, pedes & tibias ad genua usque involvi, tandemque, ne pedes inter ungendum & fasciâ ligandum in formam naturalem repositi, ex loco recederent, serperastra hîc depicta apposui. (*Vid. Tab. XX. fig. 4.*)

A. A. Laminæ sunt ex ære, ad imitationem & formam pedis secundùm naturam se habentis, fabricatæ.

B. B. Aluta est in medio, cui Laminæ annexæ sunt, ne videlicet loco suo amoveantur, neque calcaneus simul, uti & maximus ille tendo, qui calcaneo inseritur, comprimatur.

Pedes præterea, ut & aliæ partes, obnoxii sunt Fracturis, Luxationibus, Tumoribus, Vulneribus, Ulceribus, Combustionibus &c. De quibus omnibus vid. sub propriis titulis.

PENIS MORBI.

Penis sive virile membrum nexu validissimo ossium pubis medio alligatur; figuræ est oblongo rotundæ, inferiùs paululum depressæ. A communibus denudatus integumentis partes ejus reteguntur propiæ, musculorum scilicet paria duo, quorum primum ab ossis ischii tubere atque margine erumpens, & in validam nerveorum, seu spongiosorum ac cellulosorum corporum membranam procurrens, ibidemque delitescens, attrahens non immeritò dicitur. Alterum quod à sphincteris quibusdam fasciculis oriundum, ac super urethram progressum, eam undique quasi complectitur, & in præmemoratam tandem abiens membranam, ibidem terminatur, compressoris nomine non malè insignitur. Tertium quandoq; sed rarò, additur, quod è situ transverso nomen habet: A coxendicis apophysi parum infra primos penis musculos erumpens, inter sphincterem musculosque comprimentes urethræ basi inseritur. Præter musculos descriptos, inter partes proprias aliquo modo recenseri meretur præputium, scilic. non unicè ex tegumentis conflatur communibus iisque laxioribus; sed multis præterea musculosis fasciculis donatur, quibus nervosis corporibus interiùs annectitur, & frenulo seu potius ligamentaceo-tendinea membrana glandi astringitur, quæ nihil cum prædictis tegumentis habet commune. At verò propriæ specialiùs sunt peni aliæ partes, duo nimirùm corpora nervosa, propter fibras nervosas, & quasi argenteas innumeras, sic proculdubio dicta, quamvis à recentioribus commodiùs, ac magis ex eorundem fabrica, spongiosa & cellulosa nuncupentur.

Per spatium illis intermedium inferiùs decurrit urethra, seu canalis è collo vesicæ in extremum usque penem pro urinæ ac seminis emissione prolongatus, quæ itidem præter tunicas à vesica urinariâ desumptas, corpore exteriùs vestitur spongioso sibi proprio. Atque pauca hæc satis pro penis descriptione, quam fusiùs explicatam videre licet in Bibliothecæ nostræ Anatomicæ Parte I. Morbos quod attinet, illi sunt multiplices, Distortio scil. seu Nodus verpi, Inflammatio, Inflatio, Verrucæ & Excrescentiæ, Apostema, Tumor frigidus, Ulcera, Pruritus, Ganglium, Phimosis, Paraphimosis, Retractio, Longitudo immodica, Brevitas, Hydrops, Hæmorrhagia, Vulnera, Gangræna, & Cancer. Hos omnes ordine hîc verbo persequemur.

Distorsio, seu Nodus Virgæ.

Hic affectus illis accidit qui veneri nimis indulgent, & diu distento sunt genitali: Tum enim spiritus in ligamentis, seu corporibus spongiosis, conclusus, in aliquam alterius ligamenti partem impetum faciens, eam relaxat, & fabæ, vel glandulæ instar, eam protuberare facit: quo fit, ut quantum latitudini assuetæ partis adjicitur, tantùm longitudini detrahatur. Curatur, abstinentiâ à venere, & illis quæ curandæ Herniæ inserviunt. Emollientia fugienda; Prodest fotus ex vino austero, in quo nuces pini & cupressi, rosæ rubræ, myrtilli, balaustia &c. fuerint decocta. *Johan. Jonstonus in Syntagmate Medico.*

Inflammatio & Inflatio.

Illæ, ut plurimum, ex impuro oriuntur concubitu, aut sunt ejusdem cum aliis inflammationibus naturæ, nec propterea particularem expetunt curationem.

Verrucæ & Excrescentiæ.

Illæ vel in summo glandis assurgunt, vel ad ejusdem basim sub præputio latitant. De primis in fungum cancrosum degeneratis, vide suprà capite de Cancro observationem è Gulielmo Fabritio Hildano. De aliis verò vide quæ capite de Lue Venereâ attulimus.

Apostema Virgæ.

Non alia ratione is curatur, quàm alia apostemata, seu tumores calidi abscedentes, de quibus capite de Inflammatione.

Tumor frigidus.

Vix alius is est quàm qui ab Hydrope pendet, illum itaque consultò hîc omittimus.

Pruritus Virgæ.

Pruritus ex salsis ac acribus humoribus in penem effusis, eadem prorsus ratione qua in aliis corporis partibus oritur. Ille mitigari potest cataplasmate ex acetosâ, fumariâ, rosis rubris, & radice bryoniæ, aquæ cum pauco aceto rosaceo incoctis. Vel potiùs fotu ex aquâ phagedænicâ, paucissimô mercuriô sublimatô impregnatâ; aut litu ex unguento rosaceo admistâ mercurii præcipitati particulâ. Uno verbo, iis omnibus quæ in aliarum corporis partium pruritibus conferunt.

Ulcera Penis.

Illa, vel sunt simplicia, quæ commode satis curantur medicamentis capite de ulceribus proponendis; vel maligna, quæ scilicet, vel venereum quid redolent, quorumque cura capite de Lue Venerea affertur, vel ad cancri naturam accedunt, de quibus tum infrà

infrà, ſed præcipue capite de Cancro, ſub litera C. Sufficiat hîc in genere dixiſſe, in iis omnibus penis ulceribus, quę cancroſa non ſunt, proficua fore tum pręcipitatum rubrum ac album, tum alia de quibus mox in pruritu. De Urethræ ulcere, indeque enata Caruncula, ſuo loco.

Ganglium Virgæ.

De eo mentionem facit Foreſtus lib. 26. Obſ. 8. diciteque duritie fuiſſe prope ſcirrhoſa, glandemque, ac etiam ipſius priapi dorſum ex parte occupaſſe. Quid autem in cauſa fuerit, cur ejuſmodi tumorem ganglion nuncupaverit, non videmus; quandoquidem illud tantùm in partibus aſſurgit tendineis, fibrarumque tendinearum quædam quaſi corrugatio ac criſpatio vulgò creditur, ut proprio videre eſt loco, ſcilicet capite de Atheromate. Conducibilius itaque nobis videtur Virgę Ganglium præmemoratum ad tumores reducere ſchirroſos, in cancros facilè abientes; de quibus propriis locis.

Phimoſis & Paraphimoſis.

Phimoſis nihil aliud eſt quàm præputii circa glandem penis conſtrictio, unde illud retrahi, atque hæc pars nudari nequeat, quò fit ut ſeminis, imò etiam quandoque & ipſius urinæ emiſſio non parum impediatur. Paraphimoſis autem, priori contrarius affectus, eſt denudatio perpetua glandis, propter decurtatum, aut per inflammationem ex lue, violentiori coitu, aliaque de cauſa, retractum præputium. Ambo hi affectus ut plurimùm à virulentia oriuntur venerea partes genitales inflammante, ac in glande excoriationes pariente, quibus præputium adnaſcatur; At præterea ab humorum acriorum, nullo tamen veneno gallico infectorum, in eaſdem partes decubitu, procreari queunt. Sic ſępius vidimus infantes alterutro horum morborum afflictos, in quos cadere non poterat aliqua luis ſuſpicio.

Si affectus fuerit venereus, illi occurrendum erit fotibus variis emollientibus ac diſcutientibus, ut & remediis, de quibus capite de Lue Venerea, ubi ſcil. de variis morbi ſymptomatibus dictum. Si ſimplex fuerit nec à veneno venereo originem trahat; fotib. ac litibus tractetur. Imò, aliis non proficientibus, in Phimoſi, ad inciſionem præputii, per totam glandis in parte ſuperiori longitudinem deveniatur; ſeparatoque etiam, poſt prædictam inciſionem, per ferrum, ſi opus ſit, à glande pręputio, nova præpediatur adnaſcentia per interjectam plumbeam lamellam, vel telam utrinque emplaſtro de Vigo cum mercurio imbutam, ulcuſque digerentibus, detergentibus ac cicatriſantibus ex methodo curetur: non neglectis interim auxiliis interioribus; purgantibus ſcilicet, variiſque anodynis, & humorum acrimoniam temperantibus ac diluentibus: Quibus omnibus præmittendæ, aut intercalandæ venæſectiones neceſſariæ. Atque hæc in genere ſatis, de iiſdem nimirum in ſequentibus fuſiùs ex variis Autoribus dicendum veniet.

Retractio Penis.

Hæc quandoque tanta eſt ut virga in imo ventre funerata videatur (ut verbis ſatyrici utar) ac potiſſimum accidit obeſioribus, ac ſenio confectis. Non tamen ab illa etiam ſunt immunes viri aliàs vegeti, ſed rarior ipſis eſt affectus: Oriri autem illa videretur à criſpatione & corrugatione univerſali fibrarum cellulas corporum cavernoſorum penis circumcingentium, unde illa, quaſi ſpongia manu compreſſa denſantur & in minimam contrahuntur molem. Curam quod ſpectat, nòn video qualis illa futura ſit, niſi affectus à metu ſit procreatus, ut aliquando evenit, tunc enim amota cauſa, fugatur morbus.

Longitudo penis immodica, & ejuſdem brevitas.

De iis variæ ſunt hiſtorię, noſque ipſi aliquando vidimus tantam verpi longitudinem, ut ne mulieri vir ſic eſſet omnino moleſtus, ille ad radicem pulvillis muniri debuerit, qui introductionem integram in coitu præpedientes, illum quaſi decurtarent. Brevitas nimia, eaque naturalis nulla arte curari poteſt.

Hydrops penis.

Ille ut plurimum ſequitur abdominis hydropem ac propterea ſpecialem non exquirit tractationem.

Dolor, Hæmorrhagia, Vulnera, Gangræna, ut & etiam Glans imperforatâ ac Cancer, propriis explicantur capitibus, ac propterea iiſdem hîc aliàs quàm per obſervationes enarrandis, ſuperſedebimus. Unicum hîc adjiciendum venit: ſcilicet.

Operatio Aurelii Cornelii Celſi in Recutitis.

Si glans nuda eſt; vultque eam aliquis decoris cauſâ tegere, fieri poteſt, ſed expeditiùs in puerô, quàm in virô; in eô cui id naturale eſt, quàm in eô, qui quorundam gentium more, circumciſus eſt; in eô cui, glans parva, juxtaque eam cutis, ſpecioſior verò ipſe coles eſt, quàm in quô contraria his ſunt. Curatio autem eorum quibus id naturale eſt; ejuſmodi eſt. Cutis circa glandem apprehenditur & extenditur, donec illam ipſam condat, ibique deligatur. Deinde juxta pubem in orbem tergus inciditur; donec coles nudetur: magnâque curâ cavetur, ne vel urinæ iter, vel venę, quæ ibi ſunt, incidentur. Hoc facto, cutis ad vinculum inclinatur, nudaturque circa pubem velut circulus, eoque linamenta dantur, ut caro increſcat, & id impleat, ſatiſque velamenti ſuprà latitudo plagæ præſtat. Sed, donec cicatrix fit, vinctum eſſe id debet, in mediô tantùm relictô exiguô urinæ itinere. At in eô qui circumciſus eſt, ſub circulô glandis ſcalpellô diducenda cutis ab interiore cole eſt. Non ita dolet, quia ſummô ſolutô, deduci deorſum uſque ad pubem manu poteſt. Neque ideò ſanguis profluit. Reſoluta autem cutis, rurſus extenditur ultra glandem. Tum multâ frigidâ aquâ fovetur, emplaſtrumque circa datur, quod valentem inflammationem reprimat, proximiſque diebus, ut propè à fame victus eſt, ne forte eam partem ſatietas excitet: Ubi jam ſine inflammatione eſt, deligari debet à pube uſque circulum. Super glandem autem adverſô emplaſtrô impoſito, induci. Sic enim fit, ut Inferior pars glutinetur: ſuperior ita ſaneſcat, ne inhæreat.

De Penis Hæmorrhagiâ, Vulneribus, Ulceribus, Gangræna & Cancrô; vid. ſub propriis titulis. De Glande imperforat. in ſpecie vide ſub titulô imperforati. Antequam autem ad Conſultationes & Obſervationes aliquot pergamus: Jam Curam & Operationes in Phymoſi & Paraphimoſi adhibendas ac exercendas, è Præclariſſ. Antoniô Nuckiô præmittemus. Sic itaque Ille,

De Phimoſi.

Phimoſis eſt quando pręputiô arctè adeò obtegitur glans, ut denudari nequeat. Ortum communiter ducit ex malâ in utero formatione, vel ex variis glandis tumoribus, præputium lædentibus.

Præter

Præter interna medicamenta, & ſpeciatim diaphoretica, ſolis externis cura non raro peragitur. In id itaque maximè incumbendum eſſe cenſemus, ut viſcidæ particulæ incidantur, acres demulceantur & involvantur, ſtagnantes priſtinæ circulationi reſtituantur, ſicque obſtructionum repagula removeantur. Id quod Balſamicis, Volatilibus oleoſis, & ſpirituoſis peragitur. Eum in finem *Balſam. Peruvian.* vel *Unguent. Nervin.* Preputio externe illinatur: Vel *Spiritu Vin. Camphur.* aut *Aq. Matrical.* cum *Aq. Sambuci* penis cum Præputio calidè foveatur. Convenit quoque *Lac calidum* cum *Floribus Chamom.* coctum. Uti etiam Fotus ex *Herb. Roriſmar. Major. Salv. Flor. Chamom. Sambuc. Melilot.* &c. compoſiti. Verùm ubi Luem Veneream originis ſuæ parentem agnoſcit, morbus ille reſpiciendus erit.

Si verò ex utero malum hocce ſibi contraxit patiens, medicamenta modo præſcripta vix aliquid levaminis afferre poterunt, ideòque unicè ad Chirurgiam hac methodo inſtituendam, confugiendum.

Primùm à latere frenuli rectilinea inciſio inſtituitur, vel major, vel minor, prout Preputium magis minùſve contractum, ægrique ætas varia fuerit.

Priuſquam Inciſio peragitur medicamentum aliquod ſtypticum ad manus eſſe debet, ut Præputii vaſa, in ipſa Operatione reſecta eo conſtringantur.

Factâ jam Inciſione, relaxatum hoc modo Preputium, vel ſuâ ſponte vel digitorum ope retrocedere incipit: tum verò ſæpius de die reducendum, ut pro lubitu ſurſum aut deorſum moveri poſſit.

Veteres aliter procedentes, Preputium in anteriorem partem attrahebant, hamuliſque tribus quatuòrve illud extendendo aperiebant, ut cutis hac methodo relaxata retrorſum propelli poſſet; quem tamen procedendi modum, ut dolorificum valde, minus probamus.

Aliquando frænum nimis contractum & breve, hunc affectum producit: Tum verò præmiſſis emollientibus externè adhibendis, ſolâ fræni Inciſione reſtituitur. Notandum tamen, rectius partem fræni, quæ Preputio, quàm glandi jungitur, incidi; quo enim glandi vicinior Inciſio inſtituitur, eò periculoſior hæmorrhagia metuenda.

De Paraphimoſi.

Paraphimoſis eſt cùm ita retractum & contractum eſt Præputium, ut glandem denudatam tegere nequeat. Oritur autem vel à nimia penis diſtenſione, inflatione, vel à mala hujus partis conformatione.

Malum ſi recens fuerit; cura externis medicamentis ordinariò abſolvitur. E. g.

℞. *Spir. Matrical. Aq. Regin. Hung.* a a. ℥j. *Malv. Caphurat.* ℥iv. *F. Fotus Calidè admovendus.*

Fotus quoque vel Cataplaſmata, ex Herbis Aromaticis ſale volatili ſcatentibus parata, externè calidè applicanda.

Si ab ipſa nativitate pars hec malè fuerit formata, fruſtra medicamenta admoventur.

Imò quicunque Encheireſi Chirurgicâ affectum hunc curare conantur, laterem lavant; factis namque tribus quatuórve (ut ſolent) Inciſionibus Preputium tamen, ut glandem tegat, attrahere non valebunt.

Conſultationes.

De φιμώσει.

Filio H. M. Conſulis contigit affectus qui Græcis φίμωσις dicitur. A cauſâ procatarctica fuit. Nam cùm prurituí ſatisfacere volens partem defricaret, ulcuſculum contigit. Neglectum verò, diuturnitate cicatricem callumque contraxit. Hinc reſtrictâ, coactâque cuti, glans detegi non poteſt. De eâ affectione ita ſtrictim dicendum, φίμωσις καὶ παραφίμωσις, indifferenter & ad viros & ad mulieres pertinet. Id aut caſu, aut naturâ contingit. Si in viris glans non detegitur, ſed præputium undique ferè coaleſcit, φίμωσις dicitur. Si ita glans denudata, deductô retrorſum præputiô ut tegi nequeat παραφίμωσις dicetur. Quanquam & φίμωσις Manardo vocatur. In mulieribus aliquando ſinus pudoris oſtiolum non eſt perforatum, & ſi id à naturâ eſt, ἡ γυνὴ ἄτρητος dicitur Imperforatas Avicennæ interpres vocat. Si verò caſu evenerit, in muliere quoque φίμωσις appellatur. Barbari id vitii capiſtrationem vocant. Et cùm naturalis eſt meatuum præcluſio φιμώσεως nomine donatur; quacunque id corporis parte eveniat. Sed, κατ' ἐξοχὴν de præputio dicitur. Porrò ἀπὸ τοῦ φίμου etymon eſt φιμώσεως; φίμος autem ſignificat nexum ſummi oris perarum & ſacculorum, cum toto ſuperiore ejus ambitu in anguſtum collecto funiculo religantur. Guido Cauliacus præputii clauſionem vocat. Paulus Ægineta omnium pleniſſime egit, atque ad φίμον in mulieribus laudat inſeſſus emollientes ex hydræleo, & decoctô fænigr. item catapl. inſtituit. In viris ſæpe fit, aut ob cicatricem quæ in præputio concrevit, aut ex carnis incrementô unde coalitus ſecutus fuerit. In hoc adoleſcentis ſuſpicio magna fuit ulceris, quanquam & à naturâ viſa eſt hæc pars aliquantùm imminuta. Ad finem glandis ulcus erat ἰχωρῶδες. Deterſum eſt & curatum. Tandem ſpongiæ ſunt inditæ anguſto meatui, ut is magis pateret. Parum profectum eſt. Cogitabatur de amputatione, aut inciſione rectâ præputii flaccidioris & oblongioris. Res in aliud tempus dilata eſt. Nil moleſtiarum afferebat, at metus erat ne non corrumpere virginem poſſet. Nec id abs re, anguſtus enim valdè meatus eſt. Dum hæc agitarentur, occurrerunt duo eandem φίμωσιν geſtantes qui in palęſtrâ venereâ ſe non minùs ſtrenuos & aptos, quàm reliquos affirmarent. Et alter jam quinos liberos ex uxore ſuſceperat. *Gulielm. Ballon. Conſilior. Medicinal. lib.* 2.

De Paraphimoſi.

Vir erat annos natus ſexaginta paraphimoſin in balanô habens, dubitabatur an à lue, an à nimiô conatu, an ob fluorem muliebrem uxoris: malignum quid phlogoſis & tumor & replicatio præputii præ ſe ferebat.

Conſultum ut corpus diligenter purgaretur, aut opiatâ laxativâ, aut ſolenni ſyrupô.

Phlebotomia brachii, imò malleolorum ſi phlogoſis gliſcat.

Balneum, litus, & prægrediens fotus mollis ad partem.

Uſus radicis ſaſſafras, aut ſcynæ additis ſantalis, ob intemperiem hominis, in potu, & poſt opiatam convenientem cardiacam injectio detergens, & parum emolliens, inter balanum & præputium.

Emplaſtrum de mucilaginibus cum paucô Neapolitanô. Immò pilulæ merculiares valebunt; & levis ſectio malo rebellante, *Idem Conſiliorum lib.* 3.

Obſervationes.

De præputio monſtroſo ejuſque abſciſſione.

Juveni cuidam viginti duorum annorum ætatis, ab ipſa nativitate præputium præter modum naturalem, & nonnihil monſtroſè propendebat. Ita enim verſus anteriorem partem contortum erat, ut effluente urina, ipſa ſurſum verſus abdomen efflueret. Hinc veſicam commodè, & ſine madefactione veſtimentorum nunquam exonerare potuit, niſi ſolutis ligulis ad latrinas ſeſe conferret. Etſi autem pars illa præputii, ut poſtea ex delineatione videbis, non ſimplex eſſet

mem-

membrana, ut est præputium secundùm naturam formatum, sed potius substantia quædam carnosa, effluens tamen urina sub ipso præputio retinebatur, ipsumque usque ad mediam partem penis mirum in modum extendebat. Propter contorsionem enim & complicationem præputii, lotium per se omnino effluere non potuit, nisi digitis diu emulsa glande atque præputio; propter continuam hancce emulsionem urinæ, & contrectationem glandis membrum virile magnitudinem naturalem multùm excedebat. Porrò victus ratione, purgationibus, & venæ sectione ad operationem bene præparato corpore, ægrum in dorsum collocavi, & instrumento castratore à Chirurgis dicto, apprehenso & constricto præputio, ipsum juxta glandem abscidi. Deinde pulverem, reliquaque, quæ ad cohibendam hæmorrhagiam necessaria, postea digestivum, & quæ cicatricem inducunt, applicui. Ne autem præputium intempestivè, & præter modum contraheretur, fistulâ plumbeam imposui. Sic Divino aspirante Numine feliciter curatus fuit. Verùm id notandum est, me nulla arte aut industria præputium retro glandem retrahere, ipsiusque coalitionem impedire potuisse, quod quidem propter carnosam illam substantiam, de qua antea dixi, accidisse certum est. Urina tamen nunc absque ullo impedimento, & copiosè & rectà effluit: nec dubito, quin sperma idem facturum sit, cùm ad matrimonium pervenerit, etiamsi balanus à præputio detegi minimè possit.

Nota) quòd nulla arte aut industria præputium retro glandem retrahere, ipsiusque coalitionem impedire potui; Ea de causa quòd æger in prima operatione consentire noluit, ut superfluum omne abscinderem, glandis enim læsionem supra modum timebat: pars itaque superflua ita ex anteriore parte glandis coaluit, ut nullum ferè foramen pro evacuatione urinæ, restaret. Quapropter cùm iterum ad me venisset: de præputio particulam ad pollicis latitudinem feliciter abscidi. Hinc præputium adeò retractum fuit, ut amplius glandem obtegere non posset, nullum tamen incommodum inde persentit, & nunc in matrimonio satis commodè vivit. *Gulielm. Fabricius Hildan. Obs. Chir. Cent.* 4.

De Penis abscisione.

In bello inter Ducem Sabaudiæ & Genevenses, cuidam militi in velitatione membrum virile ictu sclopeti ablatum fuit. Genevam diductus à Dn. Johanne Griffonio, Chirurgo longè celeberrimo, feliciter sanitati restitutus fuit, sed in isto viro hæmorrhagia non usque adeò magna sequuta fuerat; alioquin propter profusionem sanguinis, hujusmodi operationes periculosas esse, exempla non desunt; sed nunc ea addere, tempus & occupationes non permittunt. *Gulielm. Fabric. Hildan. Observ. Chir. Cent.* 3.

De periculosa membri virilis abscisione.

Præcedenti observatione de felici successu abscissionis membri virilis egimus. Nunc verò periculosas esse ejusmodi operationes, si minus rectè administrentur, duabus subsequentibus historiis planum faciemus.

Anno 1581. cùm rusticus quidam à Filtin, *à la Marche* Galliæ civitatem, penus sibi comparandi gratia profectus fuisset, & crumenam ponderosam collo appensam gestasset, à manticulario quodam exploratus erat, qui cùm de modo crumenam illam abscindendi deliberasset, id imprimis notavit, quod corpore antrorsum inclinato, crumena in caligas propenderet, eadē verò corpore rursus erecto, denuò sursum versus regionem umbilici retraheretur. Hæc cùm manticularius probè observasset, ac rusticum ante officinam quandam merces perlustrantem conspexisset, clam accedit, & per fissuram caligarum manu crumenam & membrum virile apprehensum, simul & semel abscidit. Miser verò ille rusticus in terram procidens, illicò animam efflavit. Historiam hancce ex ore Humberti lePage, civis Lausanensis, viri pii ac fide digni, compatris mei plurimùm honorandi, hujusque rei testis ocularis, excepi.

Anno 1582. Cùm quadragenarius quidam Hildenæ in patria mea, ulcere quodam fœtido ac malignò in ipso balano laboraret, in manus Chirurgi non usq; adeò imperiti incidit. Is abscisso balano, nec pulveribus ad sanguinem sistendum validis, satis instructus, interim dum ferrum quoddam, quod primò illi in culina ad manus erat, calefaceret, tanta subsecuta hæmorrhagia, ut æger paucos post dies è vita discederet: ex tanta enim sanguinis profusione vires adeò debilitatæ fuerant, ut in integrum restitui amplius non potuerint. Ex quibus summam in abscissione membri virilis diligentiam, providentiamque adhibendam esse, tyrones facilè colligere possint. *Idem ibidem.*

De affectu quodam gravi præputii, & penis, ejusque curatione.

Quadragenarium quendam, Virum robustum, unà cum Clarissimo atque Doctissimo Viro, Domino Ludovico Scharandeo Reipublicæ Solodurensis Helvetiorum Medico ordinario, curandum habui. Laboraverat ille à multis annis defluxione quadam humorum ad penem & præputium, quæ ipsum cum febre, rigore maximo, nausea, dolore capitis, & lumborum corripiebat, & præcipue post equitationem vehementem, aut excessum in compotationibus. Tunc enim priùs exortâ febre, ut dixi, glandulæ in inguine dextro increverunt, mox quoque membrum virile & scrotum intumuerunt. Primis annis morbi sui, nonnisi bis aut ad summum ter in anno, à defluxione ista corripiebatur, nec usque adeò vehementer: purgato quoque corpore, sectâ item venâ in cubito, & applicato Medicamento aliquo discutiente, facilè cedebat malum. Progressu tamen temporis, morbus contumacior factus, frequentiùs ipsum invasit & difficiliùs curari potuit.

Nonnunquam enim talis durities in pene & præcipuè in ipso præputio remansit, ut spatio duorum mensium, illud retro glandem retrahere non posset. Ubi corpus aliquoties expurgavimus, sudorem provocavimus, Topica veluti Cataplasma, unguenta, emplastra, & sacculos emollientes, resolventes & corroborantes applicuimus: tumor quidem & durities paulatim remiserunt, sed levissimo interveniente errore in victus ratione aut corporis agitatione, in eundem iterum incidit affectum.

Tandem An. 1619. cùm tumor omninò evanuisset, nec durities amplius circa præputium adesset, deliberatum fuit inter nos, ut semel in mense, aut de sexta in sextam hebdommade infusum sex granorum Croci Metallorum cum vino sumeret: & bis aut ter in anno venam brachii dextri incideret. Loco affectò sacculum adstringentem & corroborantem, ex radicibus tormentillæ, bistortæ, plantaginis, item ex balaustiis, nucibus cupressi, corticibus granatorum, rosis, & similibus, in aqua coctum, per menses multos calidè applicuimus, idque bis in die, mane videlicet, antequam lecto egressus fuisset per horam integram: Vesperi verò, postquam quieti se tradidisset, denuò sacculum imposuit, & per totam noctem, supra locum affectum reliquit. Ab initio per mensem integrum sine intermissione, singulis videlicet noctibus, usus est sacculo, posteà verò per intervalla, hoc est, ter aut quater in hebdomade tantummodò, ipsū applicuit.

Hâc methodo & hiſce remediis, non tamen omiſsâ optimâ victus ratione, difficilis ille affectus depulſus fuit. *Idem Centur. 5.*

Paraphimoſis ex violento coitu, quomodo ſanata.

Sponſus quidam Juvenis, haud ex obſcura familia patriciorum Bernenſium oriundus, viginti quatuor circiter annorum ætatis, cùm Anno 1616. menſe Januario prima nocte ſponſam ſuam nimis arctè amplecteretur, nec unquam antea Venerem exercuiſſet, tanta cum violentia frænum ei abruptum & præputium retrorſum fuit detruſum, ut maximus dolor & intumefactio totius membri virilis, inde ſequuta ſit. Ab initio, morbum propter verecundiam celavit, tandem verò cùm ſymptomata ingraveſcerent, me in conſilium vocavit.

Primò itaque victus rationem tenuiſſimam & refrigerantem præſcripſi: Deinde corpus cholagogis medicamentis expurgavi, & venam in brachio incidi, ſanguinemque ſatis lautè extraxi: aderat enim maxima plethora. Regionem renum unguento refrigerante bis in die inungere juſſi; loco verò affecto ſequens Cataplaſma applicui.

℞. Farinæ hordei ℥iv. Pulveris roſarum, Myrtillorum, an. ʒii. Balauſtiorum, Nucum cupreſſi, an. ʒi.

Coquantur in aqua roſacea & plantaginis, parumq; aceti roſacei, fiatque Cataplaſma, addendo vitellum unius ovi. Applicetur tepidè & bis in die. His per dies aliquot adhibitis remediis, cùm dolores, qui ab initio acerbi & magni erant, remiſiſſent, appetitus ad Venerem & erectio membri, ipſum adeò vexavit, præcipuè noctu, ut tota curatio inde impediretur. Quotiescunque enim membrum virile erigebatur, præputium adeò conſtringebat balanum ut mirum in modum inde auctus ſit affectus.

Cùm itaque hac de re anxius eſſem, juſſi ut per dies aliquot conſortium atque familiaritatem uxoris, imò ipſius præſentiam planè evitaret. Deinde corpus iterum cholagogis purgavi, & lumbos oleis ſequentibus inungere juſſi.

℞. Olei violacei, ex Nimphæa, Roſarum, an. ℥ß. hyoſcyami per expreſſ. ʒij. Caphuræ diſſolutæ in aceto roſac. ℈i. Miſceantur in mortario.

His ita peractis, poſt cœnam, cùm dormitum iret, doſin Laudani exhibui: Meliùs ea nocte quievit, minorque membri virilis fuit erectio.

Cùm itaque aliquoties exhibitionem Laudani iteraſſem, inunctiones quin etiam lumborum & applicationem Cataplaſmatis continuaſſem, tumor membri virilis brevi remiſit, ut non diu poſt, præputium & dextrorſum detrahere, & antrorſum reducere, balanumq; obducere poſſet æger. Convaluit, & ab eo tempore liberos aliquot ex uxore ſua recepit.

Admonitio ad Tyrones.

Vide atque etiam vide, Candide Lector, ne prædictum Cataplaſma applices, ſi Paraphimoſis ex impuro congreſſu cum ſcorto acciderit. Materia enim maligna ad interna viſcera repelleretur: hinc maligna ulcera ſequerentur, ut ſequenti Obſervatione fuſiùs dicam. *Idem ibidem.*

De Phimoſi & Paraphimoſi ex impuro coitu.

In præcedenti Obſervatione de Paraphimoſi ex intempeſtivo, licito tamen & puro coitu orta egimus, nunc viſum eſt etiam de Phimoſi & Paraphimoſi, propter illicitum & impurum congreſſum cum meretrice nonnihil adſcribere. Inter ſcortatores enim ſatis frequens eſt malum & ut plurimùm difficulter ſanatur, uti ego ſæpiſſime vidi. In congreſſu etenim iſto illicito, nimiumque luxurioſo, cùm meatus totius corporis & præcipuè membri virilis (quia poroſum eſt, ſint aperti) facillimè vaporem aliquem malignum & impurum (ex ſcorto, quod aut lue Venerea, aut fluxu menſium, vel fluxu albo, laborat aut paulo ante cum Viro aliquo Gonorrhæa virulenta laborante, rem habuit) ad ſe attrahit.

Hinc primò pruritus circa glandem & præputium, qui ab initio voluptatem aliquam adferre videtur, oritur: mox tamen incaleſcente materia circa glandem & præputium incluſa & acriore facta, fit ex pruritu dolor, totumque membrum virile intumeſcit; hinc præputium aut ante balanum contrahitur, & ita, ut vix urina liberè perfluere poſſit, clauditur: aut retro glandem abducitur, ibique mirum in modum intumeſcit. Hoc malum Paraphimoſin, illud Phimoſin appellant Medici,

Sæpiſſimè quoque ſequuntur ulcera virulenta & maligna in ipſo balano, quæ difficulter ſanantur, propter malignam qualitatem, quæ membro virili ex impuro coitu impreſſa fuit. Porrò cùm propter malignitatem ex ſcorto contractam & membro virili impreſſam, tum etiam propter copiam humorum ex ſordido & impuro corpore, ad partem, uti dixi, poroſá & laxam decumbentium, tantam ſequutam fuiſſe putredinem, ut partem aliquam virgæ abſcindere neceſſe fuerit, memini, idque præcipuè fit, ſi error in curatione committitur, quemadmodum poſtea dicam. Adderem exempla. Sed quia odioſum eſt, & ſimilia quæ probus & fidelis Medicus veluti arcana penes ſe, ut docet Hippocrates in lege, continere debet divulgare, nomina ſupprimam, & potius quæ in curandis ægris obſervavi, in gratiam tyronum paucis adſcribam.

Eſt autem morbus iſte aut ſimplex, aut cum aliis gravioribū ſymptomatibus, veluti Gonorrhæa virulenta, lue Venerea, exulceratione & inflammatione conjunctus, (de dolore taceo, eſt enim veluti ſymptoma inſeparabile) quæ omnia diligenter perpendenda, ne quicquam in curatione omittatur. Ante omnia autem corpus, cùm pharmacis, tum venæ ſectione à pravis humoribus expurgandum eſt. Novi Chirurgum quendam in Belgio, haud vulgarem, qui hujuſmodi ſcortatoribus Phimoſi & Paraphimoſi laborantibus, ſtatim ab initio infuſum Stibii hyacinthini exhibebat. Quod in robuſtioribus & pituitoſis corporibus non uſque adeò improbandum eſſe videtur; præcipuè ſi loco Stibii, Crocus Metallorum acciperetur; Non ſolùm enim materiam peccantem evacuat, verùm etiam provocando vomitum, à loco affecto revellit.

Verùm in extenuatis & imbecillioribus corporibus, minime tutum Medicamentum ſciunt Practici. Sed & diligenter perpendendum & proſcribendum eſt, an ſcortum lue Venerea fuerit infectum, tunc enim à Croco iſto Metallorum, quia violentiâ quâdam, etiam ex remotiſſimis corporis partibus ad centrum corporis trahit, atque ab omnibus Medicamentis per vomitum cum violentia purgantibus, abſtinendum eſt, ne materia peccans ex genitalibus ad hepar trahatur, & fiat ex particulari affectu univerſalis morbus, quod in aliquibus eveniſſe obſervavi. Præſtat itaque uti ego ſemper maximo cum ſucceſſu feci, corpus clementer & blandè expurgare, hunc in modum.

℞. Radicum Polypodii, Chicorii, Lapatii acuti, an. ʒi. Corticum interiorum radic. frangulæ, ʒiv. Herbar. Scabioſæ, Fumariæ, Agrimoniæ, Veronicæ, Cuſcutæ, an. m. ß. Trium florum cordialium, & Geniſtæ, an. p. j. Folior. ſenæ ℥i. Sem. aniſi ʒii.

Coquantur in ℔ iß. aquæ, donec colatura redeat ad ℥x.

ad ℥x. In quibus infundantur & macerentur per noctem, Rhabarbari electi ʒiii. Turbith. gummosi, agarici recenter trochiscat. Florum Tartari an. ʒ'ß. Cinamomi electi, & Specier. diarrhod. abbatis, an.℈ii.

Expressioni forti, adde Syrupi rosat. solut. compositi cum Rhabarbaro, agarico & sena, Syrup. de cichor. cum rhabarb. an. ℥j.

Misce, fiat Potio pro tribus dosibus, alternis diebus in crepusculo matutino sumendis cum custodia.

Primo haustu purgato corpore, incidatur vena in brachio & extrahatur sanguis secundùm virium tolerantiam & plethoræ magnitudinem. Post sectionem venæ sumantur reliqui haustus. Corpore clementer sic purgato, tam pharmacis, quàm venæ sectione, sudor per dies aliquot movendus est, ut materia maligna à scorto contracta, si forsan jam per corpus diffusa fuerit, in halitum abire & per poros evacuari possit.

In hunc finem itaque.

℞. Theriac. opt. ℈ii. Cornu cervi usti & præpar. ℈i. Syrupi de succo limonum ℥ß. Cum s. q. aquæ Cardui benedicti fiat potiuncula.

Pro delicatioribus,

℞. Lap. Bezoardici occidentalis grana VIII. Magisterii margaritar. ℈ii. Confect. Alkermes ℈i. Syr. de succo limonum, Aq. cinamomi sine vino destillatæ an. ℥ß. Aq. card. benedict. q. s. fiat potiuncula.

Aut paretur decoctum sudoriferum ex ligno Guajaci, radic. Chinæ, salsæ parillæ & similibus.

Loco affecto, nonnulli statim ab initio (quia inflãmationem adesse vident) refrigerantia & repellentia, applicant, sed malè; Materiam enim virulentam & malignam ex impuro coitu contractam repellunt, & in ipsam partem secludunt, unde postea virulenta & maligna ulcera oriuntur. Cùm itaque præcipuum symptoma, quod ægros molestare posset, sit dolor, ab ipso curatio incipienda est. Sequens itaque applico Cataplasma anodynum.

℞. Farinæ fabarum. Hordei, an. ℥ij. Sem. cydoniorum ʒi. Fœnigræci ʒii. Pul. rosar. rubear. ʒß. Croci ℈i.

Cum lacte vaccino fiat Cataplasma. Adde vitellos ovorum num 2. Applicetur calidè.

Totum membrum virile, nisi inflammationis vehementia obstiterit (inflammationibus enim oleum, ut docet Galenus, adversatur) sequenti oleo inungo.

℞. Ol. amygdal. dulcium recenter extracti, Ol. rosarum an. ℥i. Ol. de vitellis ovorum ℥ß. Misce.

Interim dum hæc adhibentur medicamenta, victus tenuissimus observandus est, à Baccho & libidinosis ac venereis cognitionibus omnino abstinendum, propter causas quas in præcedenti Observatione recensui.

Sed quia unica purgatio minime sufficit, in hoc tam contumacissimo malo, necesse est purgationem præscriptam reiterare.

Ego, non rarò extracto corticum Esulæ, in hoc affectu, uti quoque in Gonorrhœa virulenta & similibus affectibus, maximo cum fructu usus sum; Videtur enim facultate quadam singulari hasce expurgare posse partes: sedato dolore, si tumor circa glandem & præputium non cedit, ita ut præputium neque abduci neque reduci possit, fiat sequens Cataplasma:

℞. Farinæ fabarum, Lentium, Lolii, an. ℥i ß. Pulver. rosarum, Absynthii, Florum chamomil. Sambuci, an. ʒiß.

Cum decocto florum betonicæ, chamomillæ, sambuci & rosarum fiat cataplasma, addendo vitellos ovorum num. duos. Applicetur calidè.

Hisce remediis continuanda est curatio donec præputium, si Paraphimosis, in locum suum reduci: aut velut in Phimosi, adduci & balanus denudari possit. Atque hæc est certa, vera, & securissima Phimosis & Paraphimosis, ex impuro coitu contractorum curatio.

Quod si adfuerint alia quoque symptomata, velut Gonorrhœa virulenta, aut ipsa lues Venerea. ulteriori curatione indigent, de quibus hic agere instituti nostri non est.

De exulceratione tamen glandis & præputii, quam Cariem vocant, unum aut alterum verbum addam. Quotiescunque in Phimosi aut Paraphimosi ex impuro coitu contracta, frigida medicamenta applicantur, & materia illa maligna in partem affectam secluditur, tantam acrimoniam acquirit, ut inde maligna, putrida & virulenta ulcera, imò & nonnunquam Gangræna ipsa sequantur. In curatione horum ulcerum iterum non levem errorem committunt quamplurimi, dum aqua, ut vocant, forti, aqua item plantaginis, cum vitriolo, alumine, viridi æris, unguento Ægyptiaco, & similibus, ulcera abluunt, aliaque acria applicant: Hoc modo enim malum addunt malo.

Quandoquidem dolor, quem acribus illis medicamentis excitant, multos humores ex corpore ad locum affectum trahit: hinc inflammatio, aliaque symptomata omnia accrescunt indies: blandè igitur hujusmodi ulcera tractanda sunt, hunc in modum. Primò si sordida fuerint, abluantur sequenti decocto.

℞. Ligni Guajaci, ℥i. Radic. Chinę, Vincetoxici, Angelicæ, an. ℥ß. Herbar. Scabiosę, Fumariæ, Absynthii, Scordii an. p. ij. Rosar. rubear. m. j.

Coquantur in aqua ad consumptionem tertiæ partis, colatura servetur ad usum.

Si majorem abstersionem volueris, adde aliquid mellis rosacei.

Ablutis ulceribus, soleo ab initio, dum dolor adhuc vehemens est, applicare unguentum ex Cera, Terebinthina, Gummi Elemi, cum oleo Amygdalarum dulcium, oleo de vitellis ovorum, & croco: postea Cataplasma anodynum suprà descriptum.

Sedato dolore & satis digesto ulcere, pulvere præcipitato, quàm diligentissimè Spiritu vini rectificato, sæpiusque aquâ rosaceâ abluto, mundificanda sunt ulcera, aut insperso pulvere per se aut cum butyro recenti, vel unguento rosaceo mixto, & filamentis imposito. Mundificato ulcere, cicatrix inducenda est, unguento de Cerusa, de minio, de pompholyge, aut sequenti Collyrio.

℞. Aquæ plantaginis, & Rosarum, an. ℥ii. Sem. cydoniorum contusi ℈ii.

Maneant in infusione horas quatuor. Colaturæ fortiter expressæ, adde Plumbi squammosi & subtiliss. triti, Antimonii crudi & diligenter pulverisati, Cornu Cervi usti, Cerusę lotæ, Lapidis calaminaris, an. ℈ii. Corallorum præparator. ʒß. Misceantur, & tepide cum linteis applicentur.

In Phimosi, ubi glans detegi non potest, prædictum decoctum, syringâ quotidie quater aut sexties inter præputium & glandem injiciendum, diligenterque pus abluendum est, omnibus quin etiam modis laborandũ; ut dolor sedetur & intumefactio membri auferatur, quo ulcus pręputii detegi & medicamenta ipsi imponi possint. Detegitur autem purgationibus iteratis, venęsectione & applicatione Cataplasmatis, de quibus antea prolixè dictum. Detecto balano, ulcera si adfuerint, curanda sunt, superiùs pręscriptis auxiliis, quibus si non sanantur ulcera, & luis Venereę indicia adfuerint, propria ejus curatio adhibenda est. *Idem ibidem.*

De Paraphimosi infantium, & ejus curatione.

Non tantùm sordidi scortatores, propter gravissima delicta fornicationis, hoc malo, certissimo iræ Divinæ indicio, sæpissime graviter corripiuntur, imò & membrum virile aut partem ejus aliquando amittunt;

amittunt, verùm etiam ipsi miseri infantes, imò adhuc lactantes, ab ipso immunes non sunt.

Accidit enim nonnunquam ex prava victus ratione Nutricis, ut humor acris ad genitalia infantis decumbat, ibique pruritum excitet. Mox propter confricationem genitalium & acrimoniam urinæ, confluunt humores circa balanum & præputium, qui utplurimùm flatulenti & pituitosi sunt.

Cùm itaque penis sit pars corporis porosa & mollis, facillimè humorem istum excipit & quidem adeò copiosè, ut mirum in modum extendatur præputium.

Nonnunquam quoque propter acrimoniam urinæ, inflammatio supervenit. Cæterùm cùm barbitonsores quosdam ineptissimos, infantulos hoc modo laborantes, scarificationibus profundis & applicationibus medicamentorum acrium, crudelissimè tractasse sciam, Christiana charitate commotus, placuit in gratiam ægrotorum simul & tyronum hîc adscribere remedia, quibus ego multos infantulos, hoc malo laborantes, per Dei misericordiam feliciter sanitati restitui.

Primò Nutrici victûs rationem, quæ tenuis sit & refrigerans: præscribo.

Deinde secundùm humoris prædominantis naturam, ipsum expurgo, ut plurimum tamen sequenti potiuncula.

℞. Rad. cichorii, Lapatii acuti, Polypodii, an. ℥i. Cortic. radic. frangulæ ʒii. Herb. scabiosæ, Veronicæ, Agrimoniæ, an. p. i. Flor. cordialium an. p. ß. Fol. senæ, & Sem. anisi, an. ʒii.

Coquantur in aqua ut colatura redeat ad ℥ii. in quibus dissolve Elect. de succo rosar. ʒii. Syr. rosf. sol. composf. cum Rhabarb. Agaric. & senæ an. ℥ß. Misce, fiat potio.

Si pituita in corpore prædominium obtinet, loco Electuar. de succo rosarum, ℥ii. diacarthami substituo. Si plethora adest, venam in brachio incido. Hujus medicamenti beneficio infans quoque purgabitur.

Sin verò ablactatus fuerit, à dragma una ad dragmas tres syrupi rosati solut. compositi, ipsemet infantulo cum ptisana, aut decocto agrimoniæ & veronicæ exhibeo. Ab initio si dolor & inflammatio adfuerint, sequens applico Cataplasma.

Accipio, Micæ panis albi ℥iii. Pulv. rosar. rubear. Balaustiorum ana ʒii. Croci ℈j. Butiri recentis, ℥i.

Ex quibus omnibus cum lacte vaccino conficio Cataplasma, sub finem addo vitellum unius ovi.

Hisce remediis adhibitis, & prout necessitas urgebat, iterata potione purgante, aliquot infantulos Paraphimosi laborantes sanitati restitui. Si verò morbus adeò fuerit contumax: ut prædictis præsidiis non cesserit, applicetur sequens Cataplasma.

℞. Far. fabarum ℔ij. pulv. summitat. absynth. Flor. chamomillæ, Sambuci an. ʒiii. Pulv. sem. fœnugræci ʒii. Cumini ʒiii.

Coquantur cum vino rubro austero ad formam Cataplasmatis, quod calidè applicetur bis in die. Si excoriatio aliqua adfuerit, loco vini accipio decoctum florum chamomillæ, meliloti, sambuci & rosarum: Excoriationem quin etiam, sequenti unguento inungo.

℞. Olei rosacei ℥iß. Cerusæ lotæ, Tutiæ præparatæ, Cornu cervi usti & præpar. Corall. præparator. Plumbi squamosi (*Schiferbley*) an. ʒiß. Camphoræ dissolutæ in aq. rosac. ʒß.

Misceantur & agitentur tamdiu in mortario, donec formam Linimenti acquirant.

Annotatio.

Monitos velim Lectores, nunquam mihi advenisse infantulos, in quibus affectus adeò fuit contumax, ut ultra tres Septimanas circa ipsum occupatus essem præcipuè Anno 1607. circa Paterniacensem infantulum, cujus Nutrix supra modum erat cacochymica, & proinde (mediante lacte) quotidie novam suppeditabat materiam peccantem. Quapropter Apozemata aliquot exhibui, aliquoties quin etiam graviter ipsam expurgavi, & ut optimam victus rationem observaret, jussi. Quantum ad externa Medicamenta, quia eis quæ jam præscripsi antea in multis felicissimè usus fueram, nihil in ipsis mutare volui; Ab eis enim, quæ cum ratione fiunt, ut docet divinus Hippocrates, ad alia transeundum non est, stante & perseverante eo, quod à principio visum est, nec alio interveniente Symptomate, quod à priore instituto recedere nos cogat. At in hocce ægro postquam mater semel atque iterum expurgata, venaque incisa fuisset, & Cataplasma ex mica panis albi, pulvere rosarum &c. quod antea præscripsi, per dies aliquot applicuissem, dolor simul & inflammatio remiserunt, tumor verò ultra dies quatuordecim in eodem permansit, & quia antea in aliquibus pueris, (in quibus plura alia frustra tentaveram) idem mihi contigisse, tunc occurrebat, ab applicatione posterioris Cataplasmatis desistere nolui, juxta sententiam præscriptam Hippocratis. Quid fit? Insurgit tandem natura, materiamque peccantem è vestigio expellit, & ita quidem, ut intra horas viginti quatuor omnino evanuerit & subsederit tumor. Idem & in aliis affectibus puerorum advenisse memini.

Anno 1718. Domini Christophori Burckhardi civis Basileensis (cujus honoris causâ nomino) filiolum octodecim circiter mensium ætatis, unà cum Viris Clarissimis atque Doctissimis Dominis Doctoribus, Martino Chmielecio & Johanne Friderico Wettenbergio, Basileensibus Medicis celeberrimis, curandum habui. Contraxerat puer ille ex Variolis, præter alia symptomata, tumorem ex materia pituitosa & flatulenta circa malleolum sinistrum, qui videbatur abscessum minari.

Cæterùm cùm hujusmodi Apostemata circa articulos, sint difficilis & longæ curationis, & nonnunquã nervos ipsaque ossa erodant, constitutum fuit inter nos omnibus modis tentare, an materia ipsa inclusa, possit per insensibilem, ut loquuntur, transpirationem evacuari.

Applicuimus itaque cataplasma ex farina fabarum, lupinorum, lolii, pulvere florum chamomillæ, sambuci, meliloti, baccis lauri, semine anisi, cumini & similibus coctis cum lixivio simplici & sapa, addito sale. Ad 15. aut 18. dies absque successu applicuimus Cataplasma hoc, tandem ex calefacta materia in loco affecto, subitò pruritus & herpes pustulosus aut miliaris supervenit; quapropter per diem unum aut alterum usum Cataplasmatis intermisimus, & locum affectum unguento albo Rhasis inunximus, & ut puer pedẽ pro libitu confricaret, ipsi permisimus, & postquam ex pustulis multùm humoris effluxisset, imminutus est tumor circa articulum: Consolidatis pustulis, iterum Cataplasma applicuimus, donec denuò exortæ sint pustulæ, quas ut antea unguento albo exsiccavimus, iterumque Cataplasma applicuimus.

Hisce per vices mutatis remediis, tandem felicissimè sanatus fuit affectus ille tam contumax atque rebellis. Hæc propterea adscribo, ne Chirurgus toties mutet medicamentum quoties successus quem ab ipso exspectat, non sequitur illico. Frequenter enim apud pueros & imbecilles tempus requiritur, antequam natura medicamentum ex potentia in actum deducere possit; Nõ propterea tamen ab instituto desistendum, sed naturæ motus exspectandus est.

Hinc videmus causam, cur plerunque Medici etiam fidelissimi & optimi, tam graviter injuriâ afficiantur, ab iis ægrotis, qui veluti scortum meritorium, quotidie novos Medicos, plerunque etiam impios impostores

impostores & sordidissimos carnifices adhibent.

Res autem ita habet. Sæpissimè rationalis Medicus ægro medicamentum ex arte præscribit, & per dies aliquot, eâ quâ fieri potest diligentiâ exhibet applicatque, absque tamen successu; Quemadmodum enim semen, quod in terram projicimus non illicò germinascit, & absumptus cibus non statim in sanguinem convertitur: Ita quoque tempus requiritur antequam Medicamentum vires suas edere possit. Interim si ineptus aliquis ægro medicamentum etiam ineptissimum exhibet, ac primum medicamentum tum demum vires suas exerit, ita ut convalescat æger: tunc primus qui sanitatis author est, infamiâ opprimitur; postremus verò laudibus ad cœlum extollitur, donis quin etiam muneribusque splendidissimis afficitur.

Johannes Birckmannus, quondam Medicus Coloniensis longè celeberrimus, ægro non ex infima familia oriundo, per dies aliquot remedia ex arte exhibuerat, parvo cum successu. Quondam sub multam noctem alius quidam Doctor Tilmannus nomine, vocatur: Is ut aliquid fecisse videretur, Julepium ex Syrupis & aquis destillatis exhibet, quibus æger ita alleviatus fuit, ut altera die, cùm Dominus Tilmannus ipsum denuò inviseret, ipsi decem florenos, ut vocant, aureos offerret. Discedenti ab eo, ante ædes ægri, obviam venit Dom. Doct. Birckmannus, cui ostendit munus dicens; Vide, vide, mi Domine Doctor, Tu Sementem fecisti, Ego Messem. Hæc ex ipsius Dn. D. Tilmanni ore, qui mihi fuit familiaris, habeo. *Idem ibidem.*

Infans Pene carens, in quo solum Præputii vestigia.

Ludit, inquit Thom. Bartliol. histo. anat. rar. Centur. 4. histor. 22. subinde natura in membris generationi inservientibus, aliquando in defectu, nonnunquâ numero excedente, addo aliquando ea saltem abscondendo, ut ex sequentibus patebit. Cùm anno 1674. die 7. Octobr. Nobil. & Stren. Dom. Frider. Wilhelm. à Stopler, Hæreditarium in Binder. Weiste-te. & Leckstett, unà cum Amplis. Dom. De Zingenweide, JCto celeberrimo, animi recreationis ergo inviserem, inter alia aiebat hic nobilis, quod haberet in pago suo Leckstett rusticum quendam, cujus filius circiter quadraginta hebdomadas natus Pene careret, & pro confirmanda relatione rogatu meo, patrem accersiri jubebat. Is quamvis verum fateri tunc nollet, circa vespertinum tempus tamen filium ad ædem nobilis apportabat: ubi prænobilis Viri narrata vera esse deprehendi. Ego verò ista inspectione non contentus, altero die matutino tempore, ipse casam adii, & puerum diligentius tractavi, nihil tamen, nisi præputii vestigia quædam inveni, lotium reddentia; scrotum, quod valde parvum erat, unum tantùm testiculum in se continebat. Interroganti, an semper - sine pendulo pene esset, pater respondit, more rusticorum: *Das hat kein Noth. Wenn. man ihn vor das Feur heltein sireppelt. so kan he wohl her vor krupun.* h. e. præficicisne! Si illum igni admoveas atque titilles utique penis emergere solet. An verum hoc sit, equidem nescio, nolebat enim me præsente monstrare, si tamen res ita se habet, credo annis pubertatis magis foci, quàm flagellorum usu in re venerea, de quo raram historiam edidit, *Joh. Hier. Meibomius à Th. Barth. iterum recensitam*, hîc opus futurum. *Friderici Lachmund.*

Subita Membri Virilis retractio.

Viennæ in platea Dominorum habitans, derepentè privabatur membro virili, ita ut nihil penitus appareret præter ultimum præputii labrum: Veneficium ratus me in consilium vocavit, et carminativis fomentatum, membrum pristino statui restitutum fuit: Erant enim dumtaxat flatus intra triplicem membranarum vesicæ complexum inclusi & distensi, qui membrum ad oculorum effugium retrahebant. *Pauli Sorbait.*

De Subitaneo membri virilis tumore tympanitico.

Anni 2. Ephemeridum Curiosorum Observ. 50. pag. 89. Dom. Pauli de Sorbait exhibebat subitaneam membri virilis retractionem, quæ, affinem historiam ut proponerem, ansam præbuit. Anno 1671. Miles quidam equestris Electoralis, sub Centuria Nobilissimi Domini Gabrielis à Bergk Colonelli excubiarum, quoad faciem pallidus, cum commistione & conterraneo non ut potaret, sed vel tempus perderet, tabernam cerevisiariam sanus ingrediebatur, commoratus inibi per horæ spatium, vesicam exonerandi gratiâ ad locum secretiorem se conferebat, & mox, extracto è caligis pene: illum magno cum stupore à regione pubis ad extremum usque præputii ita vidit inflatum, ut glans penis non amplius in conspectum veniret, sed fermè tegeretur. Hoc viso commilitoni rem narrat totam, ambo verò è vestigio ad me confugiunt, rem, uti erat, narrant, consiliumque petunt. Autopsia exploro rei veritatem, præmisso examine, utrum cum impura coivisset, quod sanctè negabat, & deprehendo intumescentiam relatam momentaner in majorem accrevisse tumorem, pellucidum, indolentem tamen vesicæ instar inflatæ & vento repletæ. Tumorem hunc Emphysema esse cum Clarissimo Sennerto statuo, quia omnia signa diagnostica erant præsentia, quæ ponuntur ab Authore lib. 5. Prax. Medic. part. 1. cap. 51. de tumore flatulento p. m. 179. Facili negotio, nimirum fotu; absolvebatur cura instituta. *D. Melchioris Fribe.*

Tubercula in glande Penis.

Observavi sub comitiis Imperii Ratisponensibus anno 1664. in Nobili adolescente, Phymata seu tubercula parva, rotunda, in exteriori parte carnosa glandis Penis, sub præputio pronata, ex consilio medici Galli floccis lintei albi derasis & siccis impositis cum successu bono disturbata. *Helwigii.*

Scholion Scrockii. φῦμα quid sit, Johan. Gorræus explicat lib. 21. Definit. med. duplicem ejus significationem ex Paulo Æginetа docens, quarum altera generalis & communis, omnes æquè tumores ἀποστηματώδεις in quacunque corporis parte p. n. exortus denotans, hisce adolescentis tuberculis convenire videtur; à sero crassiore in parte ista subsistente pronatis, quæ quidem à causâ aliqua externa fuisse oborta, suspicari liceret, si per Galenum, cujus sententiam Gorræus adducit, integrum foret, dum is in comm. 1. in lib. 6. Epidem. tumores hos prorsus sine causa aliqua externa provenire scribit, maximè, si extra corporis superficiem extuberent. Hoc verò non obstante, si tubercula ista cum verrucis, myrmeciis, & thymis eodem sub genere comprehendi dicerem, fortè non errarem. Similia sanè ab impuro coitu propullare solent, in quo si virulentus admodum glandi & adnexo præputio adfricetur humor, eo difficiliorem reddit curationem, & non exiguum membro genitali minatur periculum. Talis pustula omnibus illico, qui cum prostibulo illo Bononiensi, cujus apud Johan. Schenkium observ. med. lib. 4. Andreas Petrus Perusinus meminit, in glande excitabatur qua penis cum periculo paucis horis arrodebatur, nisi vel sectione, vel ustione, etsi dubio sæpè eventu occurreretur. Alias ubi magna corrupti humoris malignitas non adest nec altius radices egit, faciliùs cura sucedit; in qua secreti loco sabinam

ſabinam commendat Hieronymus Fabricius ab Aquapendente in Operationibus Chirurg. Cui tamen radicis petaſitæ pulverem Adrianum Spigelium prætuliſſe, Cl. Georg. Hieron. Weſchius Micтomimet. cent. 2. obſervat. 26. monuit; Utrumque autem, præter calefaciendi & ſiccandi facultatem, etiam attenuandi ac diſcutiendi virtute pollere, eſt notiſſimum.

Phimoſis.

Cum Norimbergæ adhuc praxim medicam exercerem, hortulani cujuſdam puellus biennis propè apiarium cubans ſive dormiens, ab apicula forte ictus, penis glandem cum ardore dolere, ac intumeſcere ſentiebat, ita ut & præputium vix retrahi potuerit. Quocirca ex conſilio meo parentes ſtatim linteis lacte vaccino tepido imbutis membrum involverunt, ac ſæpius iterando, extremitatem pennulę oleo tepido amygdalorum dulcium tinctam foramini glandis, ac inter præputium & glandem inſeruerunt, indeque puellus brevi fuit ſanatus. Quod & poſtea Ratisbonæ quoque actitavi, dum puer quidam novennis ob pruritum, ex adfluxu forſan humoris ſalſi, glandis carnem, retracti præputio, nimis fricaſſet, & inflammationem magnam, abſque ulcere quidem, cum inſigni intumeſcentia cauſaſſet, ut facilè & difficulter glans obtegi quiverit; quem adfectum alias paraphimoſim appellare ſolemus. *Helvvigii.*

Scholion Scrockii. Non ſordidos tantum ſcortatores graviſſima propter fornicationis delicta, hoc phimoſeos malo, ut certiſſimo iræ divinę indicio, ſæpiſſime graviter corripi, ipſiuſque membri virilis jacturam aliquando incurrere animadverrit Guil. Fabricius Hildanus cent. 5. obſerv. chir. 58. verum ipſos etiam mellitos infantes, imò adhuc lactantes, haud eſſe ab eo immunes; cum nonnunquam ex prava nutricis diæta humor acris ad genitalia infantis decumbat, ibique pruritum excitet; unde propter genitalium confricationem ac urinæ acrimoniam humores flatulenti & pituitoſi ad partes iſtas confluant, præputium mirum in modum extendentes, nonnunquam etiam ab urinæ acrimonia inflammatione ſuperveniente. Quem tamen adfectum, duriori rejecta ineptiſſimorum barbitonſorum methodo; molliori cura tollere monſtrat. Nec tantùm è nutricum errore, ſed & alias ob cauſas eundem alterumque ei oppoſitum, oriri, ſuavioriquemodo fuiſſe edomitum, præſentes Auctoris noſtri Obſervationes docent. Quamvis nec omnes adultos, quos phimoſisvel paraphimoſis vexat, ſordido iſti ſcortatorum numero includere conveniat, cùm etiam (ut de phimoſi ab ipſa nativitate, primæ conformationis vitio, infeſta nihil dicam) in primo ac forti conflictu venereo hanc pręputium incurrere, Exc. D. D. Jo. Theodor. Schenkius, Exerc. anat. 8. pag. 651. ſcribat, atque paraphimoſeos exemplum habeat Hildanus l. c. obſ. 56. ſponſi cujuſdam juvenis, nunquam antea venerem experti, cui ex nimia violentia frænum abruptum atque præputium tetrorſum fuit detruſum, maximo cum dolore & totius membri virilis tumore. Sic & juvenem noviſſe ſe ſcribit Petr. Foreſtus lib. 26. obſerv. 7. cui, crebrius cum nuper ducta uxore venerem exercenti, cutis illa cole valde inflammato, reduci poſtea non potuerat. Quos tamen leniora tantùm topica facile curaſſe conſtat: In utroque adfectu ex fervido coitu procedente, ſi glans tumida remanens diu foveatur aquâ frigidiſſimâ, detumeſcere eam, ſicque præputium attolli vel deprimi poſſe notat Joan. Riolanus, ſecretum id vocans admirabile, Enchirid. anatom. pathol. lib. 2. cap. 31. Cùm viciſſim ſcortatoribus hoc malo correptis, ob virulentiam, quæ ut plurimum iſtis mercedis loco communicatur, impacti humoris difficilior medela communiter obtingat; licet & illos facillima quandoque opera curari, & quemdam lactis tantùm muliebris tepidi loturâ fuiſſe ſanatum, ex obſervatione Marcelli Cumani, in Sylloge obſerv. medic. Welſchio noſtro recenſita, compertum ſit.

Penis cancroſi amputatio.

Uterum prolapſum, & in prodigioſam molem auctum, extirpari poſſe, ex obſervationibus præcedentibus patet: quod tamen nunquam moliendum ſine catheteris immiſſione in Urethram, antequam ligetur Uterus, ne tam abominabile malum ſimul ſequatur, qualem alibi depingimus, ſcilicet conſtrictio etiam meatus urinarii. Non minùs etiam penis virilis deſperatè corruptus extirpari poteſt, modò omnia ritè peragantur. Ruſticus quidam ſuburbanus à duobus annis incidit in ſcirrhum extimam partem penis obſidentem, tandemque in carcinoma exulceratum degenerantem, inque tantam molem auctum, ut pugni magnitudinem adęquaret. Joachimus Schraderus Chirurgus ſatis verſatus, qui huic curæ prægerat, in conſilium vocavit expertiſſimum Dom. Doctorem Hiddingh, me, & Andream Boekelmannum, cum ejuſdem filio Cornelio. Unanimiter extirpationem commendavimus, quemadmodum etiam ſubſequente die inſtituta eſt, & tanto (gratia Deo ter O. M.) cum ſucceſſu, ut jam, quantumvis pene privatus domum redierit, & incolumis vivat. Eſt autem operatio illa hoc modô peracta: Cathetere per urethram in veſicę cavitatem immiſſo circumligavimus penem ponè malum ſupradictum funiculo tenuiori quidem, ſed tenaciſſimô, idque fortiter. Dolores ægrotus tam viriliter pertulit, (paucos enim audivimus ejulatus) ut omnibus admirationi fuerit. Injectâ hac ligaturâ, ita munivimus catheterem filô, ut è canali urethræ ſe ſe ſubducere haud potuerit. Sequenti die novam injecimus ligaturam, ut eò citiùs emoreretur pars affecta. Interim totum involvimus penem veſicę madefactæ, ad fœtorem arcendum & lotium recipiendum. Quinto, ni fallor, die cultello membrum emortuum fuit ablatum, ſine ulla hæmorrhagia, in totum enim emortuum. Relinquebamus interim adhuc per diem unum atque alterum catheterem in veſica, donec ſeparatâ ſuâ ſponte ligaturâ, patiens eô non ampliùs indigeret. Reſtitutus jam, per inſtrumentum ex ebore confectum, lotium reddit: In totum enim pars penis relicta in abdomen retracta eſt, ita ut illud inſtrumentum ventri adaptari debeat, lotium emiſſurus, ne veſtimenta madefiant. *Clariſſ. Dom. Frederic. Rhuyſch. in Obſervationum Anatomico-Chirurgicarum Centuriâ.*

Penis retractio.

Auriga ſenex tantam penis in imum ventrem retractionem paſſus eſt, ut nec hilum quod ullô ſenſu percipi poſſet, extaret. Inter pubem & ſcrotum rimula ſe viſendam præbebat, vulvulæ labiis deſtitutę, aut rictui piſcium quorumdam ſimillima, minimum meum digitum aliquo uſque nullô negotio admittebat. Rogavi quid me vellet? Fac, inquit, ſi nihil aliud potes, ne urinam emittendo (quod ſolitis horis ſine moleſtia facio) induſium caligaſque ita madefaciam, & urinam aliquo uſque ſaltem ejaculer, ut inviſo hoc madore, & omnis meæ ſupellectilis putrefactione liberer. Facillimum factu, inquam. Itaque tubum ligneum in principio ovalem, ſeſquipedè longum, quem

quem ex Italia attuleram, ipsi dono, quo rimulæ applicito, in distantem matulam nullo negotio urinam fundebat. Itali, cùm citatis equis feruntur, scuticis ferè utuntur, quibus manubrium, quale meum erat, admovent, sicque in medio cursu, nec bracchos nec equos madefacientes, mejunt. Cæterùm cùm ulterius quid tentandum dicerem, qui credebam, sicut aliàs uteros prolapsos in sinum pudoris capacibus cucurbitulis umbilicô applicitis cum flammâ luculentâ revocaveram, ita iisdem retrahi in locum penem posse: proclivius enim esse gravia descendere quàm ascendere. Omninò bis cucurbitularum admotionem admisit, & jam balani rediturі apex ad magnitudinem avellanæ se ostendebat, cùm ille suô tubulô contentum se diceret, nec ulteriùs operam meam, quamvis gratuitam, admittere voluit.. Dolui sanè senilem pervicaciam, tam raram curationem, quam certissimam augurabar, mihi invidisse. *Henricus ab Heers Observ.* 7.

Penis & Testiculi, intra cavum abdominis latescentes, percusso podice, in publicum prodeunt.

Clariss. Ambrosii Stegmanni Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 4.

Annotatas quidem legimus observationes: In quibusdam masculis, tum penem; tum testiculos intra cavum abdominis latuisse, & pubertatis tempore, vel naturæ quodam conatu, vel accedente aliquo motu violento, prorupisse in lucem: Ast observationes has supera omnes illa, quæ ante aliquot annos Halæ Magdeburgicæ contigit, cujus me, Advocatus quidam ejusdem loci non infimus, participem fecit sequentibus verbis. Nuper, inquit, Ancilla rustica ex vicino pago Trotta, me convenit, vehementerque petiit, ut defensor ipsius starem parte, cùm ex actione rei in rem ab opilione quodam gravida sit facta. Petitis Ego satisfacturus: stupratorem in consistorio ad contrahendum matrimonium urgebam. Apparebat, qui adesse erat jussus, nullo stipatus defensore: Impotens sum, dicebat, & membris careo, quibus viri gaudere solent, hinc invisus pudicitiæ: Nique verbis meis fides habeatur ventrem ad inspiciendum denudabo. Inspectis itaque genitalibus: pronunciabatur à Chirurgo & idem, qui præter fissuram magnam nullum penitius penem exteriùs esse conspicuum, in interiori verò hujus fissuræ cavitate, excrescentiam saltem genitalia aliquo modo repræsentantem apparere referebat. Hinc jure Opilio absolvebatur innocens. Nos verò actione injuriarum tenebamur meritò. Cùm in corpore juris l. 2. H. de Ædil. jam dudum sit decisum: Illum esse morbosum, & ad generandum planè impotentem, cui tam necessaria pars corporis penitus absit. Et juxta mentem Riolani, aliorumque Medicorum: In divortiis omnes illos viros esse declarandos impotentes quibus genitalia, validissimè etiam intra abdomen scateant.

Iratus hinc ego meretrici, pergit Advocatus, gravibus illam verbis compellabam: quòd Impotentem sine data causa de ingravidatione accusaverit. Est meus hic, respondebat meretricula ex pudore diu hesitabunda, omnium bipedum nequissimus, hoc enim dolo & me decepit miseram, cùm verbis ipsoque rerum testimonio Hermaphroditum se diceret & mutilus me ab initio comprimeret, hinc ex hac ratione commota, data quavis occasione corporis mei usum illi concedebam pati apta nata. Aderat autem aliquando in horto quodam mecum solus, ubi detruso priùs podice in arborem, virili me membro titillabat, quâ postea dulcedine inescata, toties illius podicem, compressâ manu feriebam, quoties coire desiderabamus, à quovis enim podicis ictu tota supellex prodibat in publicum strenuè parata ad sua officia exequenda, exsatiata verò libidine contrahebatur membrum & rursus abscondebatur in cavitatem dictæ fissuræ. Auditis his Opilio, notabiliter expallebat, quamvis palleat semper & confusis tremulisque verbis ingerebat. Negare quidem penitùs non possum, quòd solus cum sola sæpè habitaverim, & lascivum femori supposuerim femur, sed semper

Truncus iners jacui species & inutile lignum.
Nec satis exactum est, corpus an umbra forem.

Forsitam tertius quidam intervenit, qui meliùs circa genitalia conformatus fuit ac Ego, & fecit, quod mihi Natura negavit. Ego verò, pergit Advocatus, hac objectione non contentus, Chirurgum denuò ad inspicienda genitalia cogebam, quæque mandato citiùs ad novam exercendam praxin pronus aderat, & exoptatissimo successu comprессam manum natibus opilionis ita applicabat, ut notarius unà cum testibus prosiliret in publicum, & virilitatem stupratoris attestaretur in forma probante.

PERNIONES.

De Pernionibus fusè admodum ac doctè agit Marcus Aurelius Severinus, ubi de recondita abscessuum natura, cujus propterea tractatulum ejus integrum legendum exhibebimus.

PRAEFATIO.

De Tractationis dignitate.

PErnionem non levem affectum per istud ostendit Hippocrates, quod non semel, sed 5. epidem. & 7. de eodem rectè curando præcepta tradidit, quæ paulo posterius exponemus. Satis autem id ostenditur definitione referente vitii naturam, quæ est ambustiora, ac tantum non corruptoria membro χειμεθλόπαθη ad extremum sæpè modum intemperato ac propemodum extincto, adeoque non inscite, neque hyperbolicos interpretatus potest videri Macer, qui disticho cecinit;

Esse pedum dicunt vitium, cui pernio nomen
Est à pernicie membri patientis id ipsum.

Nec injuria perniciem pedis pernionem vocavit, quando & tumores amplivagos, & dolores acres, & torpores adusque negatos membrorum usus ducat pernio, experimentis autem constat nostris, qui sacro valetudinario singulis brumis inopes homines undique confluentes consueti sumus curare, etiam gangrænas, ac necroses hujus affectus sævitiâ perpessos, quod maximè evenit anno 1624. cujus algores inter omnes quas nostra memoria recolit, incomparabiles fuêre, minimum autem est; si dixerim hos plerunque in ulcera facessere prava sic, ut ossa nudent: sic tesseram calcanei carne abrosa patentem à se visam perhibet Julius Cæsar Arantius, mihi verò se obtulit filia Marii de Maio bibliopolæ in taberna libraria Josephi Pelusii; cui digiti manûs absumpto perioſtio fuerant ulcerati, atque item in valetudinario nostro alii: ergo jure maligna chimethla dixit Aristoteles referente Mercuriali, quanquam haud tales sunt perniones suâ naturâ, sed ex accidenti; id est, vel, quia non fuerunt homines principio rectè curati, vel quia cacochyma vel cachectica, ac δυσελκῆ corpora inciderunt quibus causis fit, ut

 sub

ſub rigoribus hybernis ad æſtivos ardores ſe ſervent, atque etiam ulteriùs alteros hyemis circuitus viſant, atque hoc tempore fomenta nova recipiant. Sed hęc, ut dixi, labes interna corporis facit. Quę cauſæ profectò levi quidem aut vulgari cura non ſunt ſpectandæ, ut feliciter his occurrere poſſis & contumaciam mali ſuperare. Auget autem incommodi gravitatem, quod hunc affectum quotannis ſtabiliter accidentem pauci ſunt qui intelligant, plurimi autem minime comprehendunt, ſed ſic in eo veſtigando hallucinantur, ut cum roſeolis malignioris naturæ contrariiſque cauſis producto vitio confundant, evidenti ſane periculo, ne auctus à fovente medela morbus infinite ſæviat, atque hominem ferme mutilet. Jam igitur, ut hic tam multi momenti error eluatur, ſuaque languentibus medicina reddatur, neceſſarius profectò labor nobis dignuſque viſus eſt, qui ſedulò ſuſciperetur. Itaque cum aliis abſceſſibus ac tumoribus hunc etiam enarrare gravati non ſumus, ac ſic complexi, ut in eo pleraque illuſtraſſe certò credamus. Reliquum eſt, ut hæc tibi lector eo ſint uſu atque commodo, qualia nos, ut eſſent collaboravimus.

Cap. 1. *De notione.*

PRincipio nomen interpretantibus admodum incerta res eſt, quo referri debeat origo, an enim dicti perniones per ſyncopen figuram, quaſi perniones à gręco nomine pterna, quod eſt calx, vitii ſcil. propria ſedes unde πτερνιστής calcar, & πτερνοκοπεῖν calcaneis ſtrepitum movere ſupplodereve, an verò per eandem figuram appellati perniones, quaſi peroniones? enim verò deficit in lignum peronæ, & clavi capitulo quodam prominentes apparent, qua etymo ſervata fieri potuit etiam, ut nuncupati fuerint peroniones propterea, quod ad perones, id eſt, fibulæ vocati oſſis alterius de tibia fines oriantur; quo loco tendo maximus implantatur.

Præter has omnes alia fuit etymologia Macri herbariæ rei ſcriptoris, qui capite de colubrina, magno uno vitii ſpectato ſymptomate, quæ necroſis eſt; pernionem à pernicia dictum ſualit carminibus quæ dudum recitavi.

Habes jam latinam notionem, ſi verò græcos ideas, hi nominavere χίμεθλον ſeu potius χείμεθλον; quod hyeme producti viſantur, autore Joanne Gorræo in defin. med. ſuo loco; & hoc ſubinde comprobantibus Gabriele Fallopio lib. de tumor. particularib. cap. 36. ac Joanne Huccherio Monſpelienſi Profeſſore libro de diæta, ac therapia puerorum illo ipſo titulo.

Cap. 2. *De genere morbi.*

HOC jam nomine vulgatus morbus, ad quodnam generum à medicis conſtitutorum referri debeat, haud plane diſcretum eſt, indefinita adhuc re, num tumor, num ulcus habendum ſit. Porro Galeno autore in l. de tumor. præter natur. & communi omnium conſenſu, tumor eſt incrementum particulæ cujuſpiam in longum, latum & profundum, atqui ejuſmodi eſt pernio; quapropter à Fallopio, Ingraſſia & Julio Cęſare Arantio cum tumorum familia cenſitus ac tractatus eſt. Verùm tamen Hieronymus Mercurialis in ſua definitione nuncupavit ulcus, nulla tumoris habita ratione, propterea, quod quatenùs tumor eſt, eatenus nullam inferat noxam, quam rem ab eo viro creditam non admirari non poſſum, qui noverim à ſolo iſto tumore pedes aggreſſo compluribus ademptum ſæpe, plurimum autem impeditum inceſſum; manibus verò conflictis comprehenſionis uſum, & alias ſuas enchiriſes quaſi præciſas. Cæterùm ignarus non ſum ab antiquis i. Oribaſio, Aetio, Paulo dicta ulcera: ſed, ut in epinyctide monſtravi, minùs exacte, neque adamuſſim; appellatione nimirum accommodata tuberculis & fortaſſe non exulceratis: nam nemo diffitebitur, ad tumorem atque ad ulcus promiſcue ſe habere affectionem, verùm aliqui ſpectavere vitium in ulcus transgreſſum, aliqui citra id tempus, in cujus tamen latitudine non inficior ulceroſum apparatum ſubeſſe, præſertim ſi diutius inhęſerit vitium. Eſt itaque liberum hoc, aut illud opinari; modo diſtinxeris tempora. i. vel manentem adhuc primam ſuam ſpeciem, vel in ulcus mutatam, verius autem & ſimplicius tumoris illi ratiò debetur, quando jam tum exorſus, paululumque provectus humoris acceſſus primum nanciſcatur tumoris nomen; cùm verò poſt hæc ulceratus eſt, jam in aliam ſpeciem tranſgreſſus apparet.

Cap. 3. *De ſede affectus.*

SED neque ſedes affectus ab omnibus una refertur; qui nominis etymon ſunt ſequuti, pedum hoc vitium fecêre privatum, ſed non rejecerunt ab hoc ordine manus alii, qui communem ſpectarunt binorum membrorum ſortem, quæ communis multorum opinio eſt. Fallopius aures addidit, ac nares, at non ita quidem arbitratus videtur Mercurialis, qui excluſit ſupremas corporis partes propterea, quod influentis calidi multa colluſtratione participant, ſed hæc certe aſſertio falſi convincitur experimento; ſiquidem nivali tempore nemo eſt, qui non videat multùm auricularum chimethlis affectarum. Præter quæ membra nos, ſi comprobatis & noſtris, & amicorum obſervationibus adhæremus, non dubitavimus, & alias pleraſque partes plane debiliſſimas, & (quę Celſi vox fuit) eminentes huic languori ſubjicere, nam quomodo ab extremi frigoris vi ſe tueantur eædem; Atque inde fit, ut roſeolas ſaltantes cum roſeolis ſimpliciter dictis, qui perniones ſunt, confundant hodierna die nonnulli medici nobiles Neapol. quorum unum non multis ab hinc diebus cum Joanne Maria de Potentia Lucano Medico audivimus, huic opinioni ſic hærentem, ut ab ea non poſſet plane diſcedere, ſignificantibus nobis contra noſtram demonſtrationem. Quæ quidem eo retuli non, ut alios taxarem, ſed ut operæ noſtræ, qui hæc animadvertenda ſuſcepimus, utilitatem ac neceſſitatem oſtenderemus.

Verùm ad priorem ſermonem redeuntibus jam nobis, quid placeat in hac re audi. Oſſa membrorum omnium intima, & horum proximæ cartilagines, qua ſunt contectæ carnium & muſculorum offaretu, qua vero iſtorum expertes, cute duntaxat ſubjectis membranis obducuntur. Poſteriores has partes omnium eſſe debiliſſimas nemo non videt: imbecillitatem autem hanc adverſus aëris injurias, præterquam ad externos ictus nullo tempore abjiciunt, ergo ejuſmodi partes omnes præſertim, quę in extremo ſunt ambitu corporis apparent, quę chimethla patiantur, atque adeò narravit aliquando Franciſcus Romanus Medicus amicus noſter cùm brumali tempore Ciſalpinam Galliam fortè fortuna peragraret; perniones circa cubitos & carpos, naſum & labia partim ſe, partim comites ſuos pleroſque graviter expertos Sed neque taceri velim ſexcentorum ejuſmodi hominum obſervatione rariſſimum illud, extremorum digitorum tum manuum, tum pedum carnoſa (cacumina & acinos appellavit Ruffus Epheſius) interdum etiam vellicari pernionibus; quas quidem manuum partes eo malo lividulas ac torpeſcentes, hoc anno, cujus nulla bruma fuit, primus oſtendit Joannes Ruardus Gallus Bibliopola non ineruditus, pedum autem illas particulas in aliis valetudinarii noſtri decumbentibus vidi ſic aliquando vitiatas, ut etiam oſſicula metacondylorũ abceſſerit ut intelligas jam eminentibus & extremis nullis corporis partibus parcere genus hoc ulcuſculorum.

Cap.

Cap. 4. *De pernionum caufis & ortu, Doctorum hominum fententiæ.*

DE pernionum caufis & procreatione nonnullę fuerunt fcribentium opiniones. Francifcus quidem Vallefius in 5. epidem. 52. Hieronymus Mercurialis in l. 1. de morb. pueror. F. & poft hos Julius Cæfar Arantius in l. de tumor. præt. natur. tit. hujus ejufdem rei proprio cenfuerunt perniones advenire conftipatis hyberno frigore pedum manuumque particulis, qua conftipatione productus fervor, atque æftus pruriginem acrem ac perdolentem, inflammatoriumque tumorem parit. Verùm enim verò, ut equidem non inficiar cutis addenfationem hoc vitii capere, tamen hęc caufa non fatis ad illud omne procreandum videtur, at neque ut tumorem excitet effatu dignum, & phlegmones concremento parem; conjunctum præterea fymptomatis fic fæpe pravis, ut offa nudet ac fideratum offis inducat; verùm ut tantummodo pruriginem moveat, vix autem, ut phlegmonem etiam tumore folutam producat, valere pororum conftipationem affirmo, atqui tumor, quem pernio ducit, etiam principio dignus eft effatu, confertufque mox ulteriore gradu provectus, & magnitudine non modica eft, & vi graviore fævit, quàm ut compacta corporis extimi textura poftulet.

Sic apparet impar pernionum caufa denfatio: Mirum autem, quod energia frigoris prima relicta, qualitatem fecundam, aut quid potius hujus ambajes, quàm principii rectam efficientiam amplexi fuerint hi: aut quid ab exili cohibita tranfpiratione detrimenta potiùs, quàm ulla conftrictionis commoda fpectarint; quippe mihi tam parum denfatione fieri vitium videtur, ut hæc etiam appareat ufui fummo futura. ne quid in locum obrepferit mali: fic enim unice præcluditur via frigoris infolentiæ, cujus ipfius vi propria non eventu poft ipfum alio, fit affectio. Denfitatem, inquam, adverfus perniones fore propugnaculo declarat, quod pifcatores, qui perpetuò in aqua maris obftruente verfantur, perniones incurrere minime videris, atque etiam fi quis multò ante tempore, quàm adveniant hyberni rigores, vel igne vel alia ratione denfaret partes pernionibus obnoxias, hæ certiffime defenderentur & prę́fervarentur à noxa quæ ipfa provifio, confiliumque curandi fuit Diofcoridis, qui picem illivit, Theodori verò Prifciani, qui gluten & ceram appinxit. Ut non adftruere jam poffis ampliùs ex fuperfluitatum coarctatione labem aliquam; nam, amabo te, quę hęc aut qualia in tam exigua comprehenfione particulæ; aut quomodo non aliis etiam corporis partibus frigore denfatis accidant illa mala! Cùm enim apparatû humoris prætexes, protinus erit cutis denfatio vitii caufa leviffima.

Quod fi eft, tua quidem opinione, pernionum caufa denfatio; fit inde, ut hanc quafi fovere confervareque cum morbo voluerint antiqui medicinæ magiftri, qui plurimùm adftringentibus curavere. Porrò Diofcorides alumen aquâ infperfum, lentes, rofas ficcas, malicorium, cydonium malum, myrtum, acaciam adhibenda pręcepit; nulla verò laxantia, ut producenda ad calcem tabula apparebit. Poft hunc Oribafius alumen & farinam paribus portionibus in vino terit, & illinit l. 7. Synopf. c. 45. Sed Aëtius alumen liquidum & fciffum, & rotundum acetum, fuccum acerbæ uvæ, malicorium, myrteum & omphacinum oleũ, thus corarium, atramentum futorium, flores mali punici medicamentis admifcet. Paulus verò lenticulam cum vino, alumen, malicorium incoctum vino, oleũ lentifcinum. Sed è græcis ultimus Actuarius emplaftrum è calcitide Galeni probatum ad perniones ait l. 6. meth. med. c. 8. è latinis verò primus Cornelius Celfus imponi jubet alumen æqua portione cum thure contritum cũ vino adjecto, aut malicoriũ in aq. coctũ, deinde contritũ. Marcellus item l. de medicam. cap. 34. fcripfit hęc: alumine ex aceto perunćti perniones fanantur. Ad hos verò Theodorus Prifcianus perniones vino ftyptico calido fovet, ac decocto betarum, quibus alumen fciffum infufum fuerit & cataplafma ex aluminis pulvere cum hordei farina & vino compofitum adhibet, aut gallas cum aceto contritas, aut caduca mali granati in calidis cineribus tepefacta ac trita. Denique Plinio autore l. 23. nat. hift. c. 6. perniones fanantur cortice mali punici ex vino decocti & impofiti. & l. 31. c. 9. falis impofitu. & 33. c. 6. lithargyro, myrtho & cera. & l. 35. c. 19. liquido alumine. Sed & Plinius Valerianus l. 2. c. 51. ftypticiam coquit in vino, & ex hoc fovet pedes. Satius igitur, quàm hi omnes opinatus eft Gabriel Fallopius, qui dixit tumorem hunc excitari percuffu multo aëris algentis & borealis venti, quo plurimum allidente ac veluti flagris membra cedente, fanguis & fpiritus eò locorum accurrat, ac multus inibi confiftens tumorem exaggeret & coacervet.

Verùm de Fallopii opinione paulò pofteriùs: nam referenda mihi mox eft fententia Joannis Huccherii Bellovaci; in cujus viri doctrina Monfpelienfis magifterii dignitas non obfcurè deprehenditur: Hic in lib. de diæta ac therapia puerorum c. de hac ipfa re profeffus eft nafci perniones ex fanguine in fuperficiem partis frigidę doloris vi à frigore externo vehementi allecto & perfrigerato, tandemque putrefacto (neque enim ait, extincto calore fuo fanguis fuppurationem habeat) ut acrimoniâ fuâ obfceffam partem cutemque erodat atque exulceret. Apud quem ipfum autorem curationis fcopi funt, denfatæ à frigore partis laxatio, concretique fanguinis attenuatio, deterfio, refolutio, five ichorum effuforum exiccatio. Voluit autem & plurima, ut aduftis adhibenda.

Quæ docti viri opinio ut omnium ingeniofiffima eft, & elegantiffima, tamen comprehenfu difficilia nonnulla comprehendit, primùm, ut extinctum fanguinis calorem curet refrigerantibus & his quæ ambuftis occurrant? Secundùm, quando vitium eft à denfatione vehementis frigoris in parte item frigida, quo pacto tam doloris vis attrahere potis fit, ut non magis obfiftat prævaleatque frigus quod dolorem prævenit? Crefcit autem hæfitatio magis, quod fanguinis attractio adufque fuperficiem adftruitur. Præterquam enim, quod repugnat & fanguinis natura inter omnes humores craffiffimi & qui fufus extra venas eft, continuò refrigeratur, & concrefcit, quam refrigerationem & quod concrementum & ipfe opinionis autor teftatus eft. Tertiùm, quòd laxatio potiùs hæc cutis in ultima fuperficie admittentis fufum è venis fanguinem, quàm denfatio cenfenda eft, contra quam ipfe in fcoporum enarratione propofuit. Quartùm, haud compertum eft, ut frigus computrefaciat, potiùs enim, quæ putrefcere parata funt, vindicat à putredine, quam alioqui putredinem fi quando parit; alia quidem & per circuitum via eft & ratio, quam declarat hic vir, fed putrefcentiam iftam frigori per fe, aut fimpliciter atribuit.

Hæc igitur omnia capita nonnullam offenfam inurunt opinioni prænarratæ, quo optarem equidem nulla, ut fcitum illud placitum fequi poffem. Quapropter alia tenenda via eft, ut intelligentiæ fatisfaciamus, nitar autem quantum in me eft; maxime probabilem aliquam de caufis & generatione fententiam in medium proferre, fi tantummodo præfit Minerva.

Cap. 5. *De pernionum caufis & de morbi procreatione opinio noftra.*

ANtequam autem aliquam demonftrationem ordiamur, proponenda funt quædam, tum ad effectricem caufam, tum ad materiam fpectantia: incipiam ab effectrice, quod omnium confenfu frigus eft, & bruma. Frigidum Hipp. doctrina lib. 5. aphor. 20. & 22. partibus exanguibus exitio eft, quæ res fit f. quòd πολέμιον atque è diametro adverfans eft calori partium nativo, quod amicum eft & indicans, ut ipfe ait. Jam igitur, ut

prævaleat inimicum frigus, sic calorem obteret aut extinguet. Præter hanc altera frigidi vis est tanta, ut ad uredinem accedat; quam ustionem videre licet hyeme in plantis & herbis glacie niveque obductis, ventorumque rigore percussis, itaque vulgatum est apud olitores & agricolas, arbores frigido exarescere, id est humore nativo exhauriri atque flaccescere. Tertia frigidi proprietas est penetratio in altum itaut intima viscera contremiscant convellanturque frigore: quas tres omnes frigidi qualitates mirus uno versu comprehendit Virgilius, qui ait;

Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurit.

Sed & malorum experti referunt, inter causas pernionum hanc non postremam, si quis hyberno frigore post summum partium extremarum perfrigeratum ac madidatum ad immodicos ignis adhætus se referat aut contrà ab ignis adhæsit ad crudum frigus, qui duorum extremorum subinde succedentium sibi ipsis usus naturam non torquere non potest.

Hactenus de efficiente, nunc enarranda tumoris est materia, quam Falloppius in tract. de ulceribus cap. de ulc.nomode, & l. de tumoribus c. 39. dicit sanguinem purum, quod hercle, si nos admittimus, simul etiam admissuri sumus, quod esset hęc phlegmone, atque adeo apostema aliquando suppurabile, nunquam autem suppuratos aliquos, at verò turgidos semper aut exulceratos vidimus perniones: cùm autem exulcerati sunt, adeò pus non reddunt, ut sint perpetuò sicci, quod advertit item Hieronimus Mercurialis.

Sed nostram nos opinionem exponamus. Per habitum omnem illius partis, quam obnoxiam malo nominatim ostendimus, sunt perpetui quidam affusi perspersique rores sanguinis, i. flores ejusdem, & vividissima portio; hos rores aura glacialis adhæsu plane tristifico corruptos primùm exhaurit atque absumit, qua confecta re, qui novus accurrit sanguis, & hujus ejusdem ros, ut particulæ conglutinetur, huc perlatus, tum à contrectatu malo partis affectæ, tum ab appulsu corruptivi frigoris labefactatur, quod cùm fit in dies, pręterquam quod doloris vis non potest, succos pręsertim calidos non attrahere, exaggeratur idem tumor, excocta veluti per ambustionem parte, quo factum est, ut ambusta hæc latinè reddiderit Theodorus Gaza apud Aristotelem illud problematis interpretatus. Qui succi quævę superfluitates huc omnes advecti male dominati à natura transmigrant in ulteriorem intemperantiam, ac putredine jam concepta pariunt ulcus; inde fit, ut utiles ac puri liquores, qui primùm occurrunt, prima sint morbi materia, post hos autem interiores ac viliores alii.

Habes jam nostram de vitii causis & generatione sententiam, quam si cum Falloppiana contuleris, profecto videris illâ probabiliorem atque exactiorem. Primùm enim quid naturæ consentientius, quàm partes sanguinis efflorescentis substantia tenuiores & exteriores primùm dissipari, mox reliquum crassamentum in parte relictum computrescere? computrescit, inquam, sanguis subinde vivida rorium portione, tabescente atque corrupta, qua ipsa incolumi persistere, tota integra substantia, & cum inimico frigore depugnaret invicta, veluti vinum, quod dum spiritus suos incolumes servat, non corrumpitur, sed postquam isti desiere, acescit aut vapescit. Ad hæc expositio nostra, quæ rationem rei totam aperit ac enuclea, t potior est alterâ, quæ laxiùs expositis causis, accidentia magis, quàm rem ipsam persequitur. Sed & firmam nostram opinionem volens nolens approbavit Falloppius, qui non inchoatos adhuc neque existentes perniones, voluit medicamentis roborantibus antevertendos atque cavendos, reprehensis acriter iis, qui jam confirmatos curant inutiliter & infrugiferè: Enim verò procurantur, inquam partes obnoxiæ principio, priusquam vitium aliquod obrepserit, singulari ac evidenti, quam indicavi, ratione atque consilio tuendorum rorium sanguinis, qui postquam labefactati frigore fuerint, difficillimam curationem recipiunt. Quid quod inexcussi sępe medicamentis perniones, vere propinante sponte delentur? scilicet instauratis iisdem roribus ac tepore nativo partis integre restituto. Tertium indicium illud est, quod sanguinea suppurabilis alioqui substantia non suppuratur, quod fit nimirum, quia sanguinis calor extinctus est, ac vigor excussus.

Verùm enim verò quid dicamus ad Julium Pollucem; cui Onomastici l. 4. c. penult. dictæ sunt ἑλκώδεις φλεγμοναὶ inflammationes ulcerosæ, sed ab hac quidem viri sententia non discrepat nostra traditio; qua statuuntur tubercula inflammatoriam & ulcerosam affectionem referentia. Verum quo pacto cum inflammatione conjuncta sit extinctio caloris in sanguine, hoc explicandum fortasse fuerit nobis; qui non profitemur emortuum sanguinem; ut in gangrænis & omni necrosi: verùm, ut in morticinis pedum clavis, spiritus vividiores & plusculos absumptos asserimus; exemplo sit carnosæ particulæ contusio sive contritio; cui maxime similis pernionum est natura; ab hac quidem excussa plurima pars est spirituum & vigoris à sanguinis flore venientis: unde languens ac stupens pars collisa restat, verùm non sic, ut vitæ detrimentum extremum experta sit, hæc enim absoluta gangrænæ ac interitûs esset calamitas, à qua natura contusionis est longe, si quatenus ipsa est concipiatur. Similes igitur contusis, quæ ad semiexanimem naturam accedunt, sunt perniones, quantum ad hoc caput spectat; si tamen adjunxeris inflammatoriam affectionem & ustionem, quam in carnibus frigore percussis nemo non videt.

Sed hujus utriusque effectus causam & rationem audire si requisieris hanc ego tradiderim. Est frigus extremum, communi philosophantium consensu adversus omnia quidem corpora, sed animantium potissimè, contractivum ac densativum sic, ut partes quoquo pacto dissitas nimium attrahendo pervellat ac mordeat; unde mordentia frigora dixit naturæ scientissimus Virgilius, seu quicunque fuit is autor, in Rosa; hoc igitur immodico raptu partes adducendo, & harum poros adstringit hiantes; & earumdem calorem conculcat in se ipsum coactum, qui propter hoc nihil exhalans atque repressus acervat substantiam, fervet ac æstuat, præter suum naturæ modum accensus, quo fit, ut carnes à quibus hospitatur, ipsas reflexus discoquat, ac veluti flamma quadam exurat. Aliud etiam, quod observavi, referam; sic extenuari rareque fieri percoquendo partes ab hujusmodi calore, ut prope diaphanæ reddantur, si ruborem tamen non excluseris. Ita post multos suorum effectorum circuitus, crudum & immite frigus objectos mortalium artus inflammat atque exurit, per antiperistasin nimirum, ut dicunt, calorem exaggerando, quæ res præter nostros physices, neque Servium grammaticum latuit; qui secundo Georgico super memorato Virgilii loco dixit; & frigus esse caloris initium, & summum calorem frigoris esse principium, unde quasi unus effectus est frigoris atque caloris, quibus omnibus ad summam contractis apparet, ut inflammati, non inflammati verò, corrupti non corrupti; extincto sanguinis calore non extincti sint genus hoc difforme tumorum & ulcerum, quos perniones appellamus; non consueta f. & calida interiorum affluxionum causa, neque in totum ignavo & inerte frigore productos.

Cap. 6. *Pernionum definitio, & de quorumdam affectuum discretione.*

HÆc quidem omnia, si placet, ad definitionis formam redigere sic possis; Perniones sunt tubercula in pedibus manibusque inflammatoriam & ulcerosam affectionem referentia; quæ fit abolitis primùm in his particulis ab hyberno frigore roribus sanguinis, mox à vi doloris attracto conculcatoque sanguine semicorrupto. Hac porrò descriptione multos à pernionibus affectus discreveris, videlicet intertriginem, paronychiam, tophos podagricos, clavos, callos, de burgantiis autem vulgò dictis non adeo certus sum, nam hæ licet quidem apud Cisalpinos atque alias Italas nationes hodierna die sunt iidem, qui perniones tamen Gulielmo de Saliceto veteri chirurgo sunt calli, duraque pedum tubercula, qui excisione tolluntur, quamobrem ipse acu per bugantiam transmisso, & per filum, quod acu ducitur, multoties comprehenso, perque manum sublato; quidquid acui subjicitur, scalpro rescindit; quæ curatio longe videtur alia, quàm quæ pernioni congruat aut accommodari possit. Quæ te nosse volui tum, ut nomina rerum; tum, ut res ipsas sine errore discernas & scripta prudentium secundùm ipsum animi sui sensum accipias.

Cap. 7. *Qui qualesve sint ad hoc vitium suscipiendum parati, simul & in hac re problemata discussa plura.*

OPortunas huic vitio partes excarnes & eminentes in disputatione de sede affectus ostendimus, cujus rei causa non est ad summam alia, quàm extrema debilitas: sic adolescens quidam Consentinus rei medicæ studiosus, qui per vulnus inferiore carpo senserat jam manûs atrophiam, expertus est hac hyeme alioquin tepida, roseolas in digito minimo privatim; quæ pars inter omnes maxime sustinuerat ictum, aut, ut accommodatius in rem loquar, ab hoc ipso noxam, quæ stupor & aliquando sensus privatio fuit. Parata quoq; inter omnes ætas est puerilis, quam rem & Cornelius in l. 5. c. 26, testatus est. Deinde patet hisce molestiis adolescentia propterea, quod laxiores ac molliores istorum hominum particulas nullo negotio penetrat exuperatque vis insolens brumæ,

Neque verò memoraveris etiamnum contra, calidum istorum maxime vegetum & uberrimum, siquidem obtruserim eo tempore totum intro conversum, præterquam quod molliusculum est illud, & uti copiosum, non item robustum ac statum, contra virorum firmius est, velut antiquum vinum, & si copia minus est: puerorum verò calor, quale mustum est, halituosum atque commixtum. Hæc mihi sane ratio videtur, qua pueri maxime in hunc affectum incurrant. Ut nequaquam sit audiendus Mercurialis, qui propterea pueros huic vitio fecit obnoxios, quòd omnium minime se tueantur à frigoris injuriis, sed his prope se subjiciant ultro ipsi. Ad quam puerorum naturam accedit & ea, quæ fœminarum est, præter quas impuberum ac puberum ætates, & alia paulò superior exors ejus mali non est, si corporis habitus ac temperamentum ad utrorumque modum accesserint. Hic naturalium ordo est, quod verò ad non naturales alteras pertinet, climata septentrionalium regionum, ut quæ hyemi plurimum respondent, cum primis obnoxia sunt huic noxæ quapropter epidemicos & vulgares istarum gentium perniones retulit Olaus magnus in historia de hisce populis; dum tamen adverteris & graviorem pernionum vim ac furorem adversus has nationes eosdem magis, quam nostros Italos affectioni resistere, nimirum propterea, quòd his incommodis assueti ac magis obfirmato sunt corpore adversus eadem.

Post hæc, quod equidem observavi, referam, graviter expendendum: etiamsi communem ex æque patente causa, quod frigus est exuperans. pernionum affectionem constituerimus, tamen obliviscenda aut contemnenda non est cooperaturæ proprietas, qua sunt aliqui ad promptiùs suscipiendum accommodati sic, ut nullo non anno perniones nequicquam omni studio vitaverint, licèt non asperrima interdum, sed mitior bruma contigerit, alii verò resistunt causis, neque meminerunt quicquam incommodi se expertos, qui maximis se rigoribus exposuere. Itaque spectat non parum ad cooperaturas hominum atque ad partium temperaturas his causis obsistere vel prompte cedere.

Quarum rerum explicationem ex me tradente dum accipis, revoca primùm in memoriam eum, qui spectat ad primam partium compositionem primarum secundarumque qualitatum complexum. Deinde considera texturam cutis aliquos adscivisse fibrosam ac duram, viros inquam potissimùm assiduis laboribus exercitos; aliis eandem esse minime fibrosam compactamque, sed laxam & mollem, veluti si languor aliquis attigerit; talis fœminis & pueris ac male habitis hominibus visitur. Jam igitur, quam non satis calido sed frigidiori atque humidiori qualitatùm complexui conjuncta laxitas atque mollicies, itemque cutis solutior & cessibilis est, hæc partium habitudo lubricam se exhibet, ut promptus in ea pernionum sit lapsus.

Aliud etiam quibusdam adverti peculiare, quod frigoris extremi sensu fuscescunt, ac tantùm non livescunt manus, quibusdam illud autem fit, ut facilè intelligis, aut caloris insiti parcitate, aut melancholiæ naturalis exuperantia. hos autem homines molliore carnis habitu videris omnes, ac subfrigido & subhumido tum hyeme, tum æstate manuum contactu semper: contrà verò, qui calidiori sicciorique temperamento donatas partes, ac fibrosas firmasque tum naturâ, tum usu nacti sunt, maxime repulerint; ac minime senserint hanc eandem noxam. Hæc à nobis sæpe comprobata tua observatione verissima comperies.

Hæc ad ægrotandum partium habitudo est, ad solidam suam substantiam spectans. Similis, ut minima noxa frigoris prævaleat, spissitas requiritur sanguinis seu portionis humidæ, contrà verò; ut vis frigoris χειμεθλόφορος insinuetur, spissitudinis defectus faciet. Voco autem spissitudinem in parte quidem solida texturam compactam; in humido verò genere coactam hujus substantiam, cogitur autem & conspissatur humor ab interno congenitoque opifice, qui calor est seu coctionem præparantium, seu perficientium viscerum naturalium, hic quippe quò valentiùs vi propria subjectum humorem exercebit atque pulsabit, eò pressior & crassior hic evasurus est, & minùs dilutus solutusve, quemadmodum exemplo mustum; qui quantò majorem ac diuturniorem sustinuerit ignis versuram, eò consistentius tenaciusque reddetur.

Dices autem & quo pacto statuimus percoctum firmumque sanguinem obsistentiorem futurum è pernionum causis; dilutum verò atque solutum eisdem magis obnoxium, nimirum, inquam, propterea, quòd illo concocto, & per calorem elaborato qualitates activæ terminant passivas, & dominantur, passivæ verò terminatæ sunt ac dominatæ; quemadmodum Aristoteles docuit in l. 4. meteor. initio, atque alibi. Signum autem, quod concocta & modificata omnia magis resistant alienis injuriis, monstrat inductio in plerisque succis, sero, lacte, atque aliis ejusmodi fluidis corporibus, quæ ignem experta se diutiùs incorrupta conservant, at verò

rò non percocta minùs se vindicant à putredine; sic igitur & de sanguine cogita, sive cui calor validus incubuerit, sive quem imbecillior coctionis agitatio crudiorem reliquerit: porrò, cùm ab exterioribus humor inalteratur, facilè crudior proditur; cùm verò perstat integer, & statu suo nativo inexcussus, per hoc perfectus & commoderatus declarari videtur: itaque cùm adversus offensas frigoris incolumem se tuetur, probatæ substantiæ modum habebit, cùm verò prompte labefactabitur ab eodem, vitiosa protinus se ostendet systasi, quod ad hunc affectum pertinet, atque adeò non constantes ad detrimenta sanguinis hospitati spiritus etiam ipsi languescent ac exolventur. Quibus omnibus vides omnes ex triplici substantia portiones, solidam, humidam, spirituosam perpeti sub pernionibus, & quæ ordine.

Cap. 8. *Notæ pernionum.*

Pernionum indicia primus inter latinos exposuit Cornelius Celsus verbis, quæ certè immutare fas non sit: ita brevi pleneque rem exprimunt, quæ sunt s. Rubor cum inflammatione mediocri est, interdum pustulæ oriuntur, deinde exulceratio, dolor autem modicus, prurigo major est, nonnunquam humor exit, sed non multus, qui referre vel pus vel saniem videtur. Hęc nos Celsi singula leviter exponemus, ex commentario quem in hunc autorem conscripsimus, traducta. Primùm enim, quòd rubor & inflammatio sit tumori, qui frigore productus est, ne difficile quidem videtur, nimirum frigus est calidi calidorumque causa per accidens, illud enim, cùm crebro quasi icta feriat continui facit solutionem, inde dolor, ab hoc fluxio & humorum illapsorum acervatio, post prohibita transpiratio, mox putredo & à putredine inflammatio. Rubor autem à confluxu sanguinis est. De pustulis majus est negotium, sed hæ possunt excitari fervore ichorum prodeuntium quidem extra poros, sed ab habitu cutis compactiore conclusorum atque cohibitorum. Equidem comperi plus semel hoc anno 1624. in nostro nosocomio pernionibus excitatas ampullas phlyctænasve cùm maximas; ita ut comparari potuisset vitium ambustis ab igne, quod tamen ex una fervoris conditione proficisci mihi visum est consentaneum. Sed de prurigine quid censeam? id s. quia confarcti per poros ichores, nullo expiratu computrescentes & acriores redditi fibras vellicant, & naturam sentientem exstimulant. Illud nunc restat unum & quid causæ sit, ut parum saniei & hęc portio neque etiam semper emittatur ab ulceratis perniunculis. Ad quam rem aio, parcitatem hanc humoris respondere suæ siccitati partium, quę & exangues sunt & à vi frigoris prope redditæ retorridæ, aut sicut loquutus est Aristoteles, asperæ.

Cap. 9. *Pernionum proprietates ac mores.*

Præter autem frequentissimas & communes jam enarratas pernionum conditiones, audi nunc & alias in hominibus plerisque privatas, quas equidem fideli multorum laborantium enarratione collegi.

I. Rigores aliquibus ac febres plurimùm perniones exacerbati movent, ac nonnullam quoque maciem atque pallorem certis personis invehunt, quas res credo fieri, cùm acerbitatem aliquam graviorem afferunt, nam quibusdam etiam ungues quotannis excutiunt novis inductis, sed & membranas ossibus circumpositas vitiant interdum, præterquam quod phagedænam, gangrænam & necrosin, ut dixi, concitant sæpe.

II. Videris nunc in pedibus nasci vitium, quod non tentaverit manus, nunc manus infestare, quod pedes reliquerit incolumes, atque hoc quidem frequentissimum est, ac exploratum à me perpetuò: qui tamen haud dubito, redundantis & varii succi materia posse superiores inferiores que partes æque corripi.

III. Manuum roseolæ noctu plurimùm turgescere consueverunt, seu quod decubitus contectura, foventisque lanei strati:

Calor iste vias, & cæca relaxat.
Spiramenta, novus veniat qua succus in ulcus:

Seu quod, ut aliis placet hi, qui nocturno cutis addensatu prodituri fuerant halitus, repressi conferveant, carnemque laxent ac tollant.

IV. Alios usu manuum solvunt, aliis verò manus neque plurimùm extumescentes ad operam impediunt, quanquam inertes maxime persequi difficultas hæc motus videtur.

V. Pedes calceis laneis contectos plerisque non petunt: quod idem defendendi studium manus non juvit alios; de quibus unus est Octovius Beltranus Thurius conterraneus meus Typographus Neapolitanus nulli secundus.

VI. Nonnullis grandioris ætatis accessu pepercerunt, alii verò sæpè medicamentis deleti recurrerunt.

VII. Ad hunc quoque locum spectat, quòd narravit mihi Tryphon Cytharella Amalphensis ex oppido Majori adolescens XVII. annos natus, auditor meus apprime diligens & studiosus, se tres jam annos, quos Neapoli transegit, laborasse primùm manuum roseolis, quas antehac in patria nunquam fuerat expertus, contrà verò religiosus vir Theatinus Joannes Marius Scaranus retulit Neapoli nativo solo multis jam annis hyeme pernionibus infestatum, qui profectus ad Siculos XV. annos per hyberna tempora nil mali sentiit, mox ad suos lares reversus hoc anno 1631. qui minime frigidus inter omnes fuit, hęc mala rursus expertus est, sic aëres aquæ, loca, luculenter, in has affectiones.

VIII. His eadem medicamenta conducunt, his non conducunt, nam quibus lixivium probe facit, quibus furfurum fomentum, aliis ex impuberis lotio cum arantii mali medulla confricatio, aliis ex percalfacto porcino veretro perfricatio sivit usui non pœnitendo.

IX. Ad summam difformis admodum hæc vitii species videtur: neque perpetuam in omnibus rationem lædendi servans, à causa nimirum externa & incertis sæpè corporum naturis variata atque producta. Singula autem, quæ accidunt, à medico describi non possunt, autore Hippocrate in l. de articulis, & alibi.

X. Frigidum humidum infestius plerisque quàm frigidum siccum.

Cap. 10. *De curandi ratione.*

Pernionum methodica curandi ratio per autores omnes sic explicata non est ad hanc diem, ut scopos medendi certos dignoscas, adeo quidem, ut non satis exturbari contrariis appareant, aut si curentur, his utrisque gaudeant applicamentis: siquidem Aristoteles id supposuit lib. 1. problem. 55. & 56. calidis hos æque ac frigidis curari. Dixi jam Philosophi judicium in hac re. Sed è nostris Hippocrat. & aquæ fomento & igne curari solitos per Pithoelen contemporaneum medicum approbavit l. 5. & 7. epidem. qui ait; Perniones pertundere oportet & calefacere ita, ut quàm maxime excalefacias igne & aqua.

Sed & Cornelius Celsus optimus Hippocratis imitator pernionibus non adapertis, æs quàm maxime calidum quis pati potest, admovendum præcepit: quem ignis usum cum non approbat inter manus idiotarum Falloppius, videat quæso quàm id inique faciat, quàmve immemor

quamve immemor sit, qui sanatos sibi perniones calidis cineribus præcepto matris admotis testatus est.

Sic apparet contra quam instituerint medici, censuisse problematum conditorem: hic enim frigida, sicut & calida pernionibus conducere; calida tantùm nostri volunt. Quæ Philosophi sententia tam difficilis est visa Mercuriali, ut cum medicis sentiens ipse, qui maximus semper problematum Aristotelis fuit admirator & observator, tamen huic viri Stagiritæ placito visus est nuncium remisisse. Verùm enim verò mea quidem opinione, nil absurdi continet Aristotelæa hæc hypothesis; etenim eo constituto, quòd Petro Aponensi visum est, pernionibus mederi frigidam, quòd hæc immodicum humorem ab extima parte repellat & abigat, nimirùm ad interiora transpositum, hæc quippe opera non improbatur à nostris medicis, imò verò facienda præcipitur initio tumoris; quo s. tempore procedit ad membrum humoris affluxio. Quæ transpositio conducibilis ampliùs esse potest, si sanguis influens sit purus ac probus qualem constanter opinatus est Falloppius; ad hunc enim modum non peccat aliquid nisi nimietas, quæ ritè rectèque repellitur ab unoquoq; frigido.

Jam verò cùm Hippocrates & Celsus & horum asseclæ medici calidam aquam & ex igne petitas medelas admovent, hec faciunt desita jam fluxione, collectaque tota materia tumoris, ut hec efficaci calidorum vi dissipetur & exhauriatur, constante verò fluxione neque nostri parcunt refrigerantibus medicamentis, etiam quæ adstringunt admistis, sic gallas cum aceto contritas, sic vini fecem imponi laudat Octavius Horatianus, sive, ut altero codice nominatur, Theodorus Priscianus l. 1. ad Euporistum cap. 28. Aëtius verò succum admonet hyosciami, quem ab inflammatione ac doloribus vindicare prodidit Paulus. Sed è posterioribus Falloppius & aquam rosatam frigidam & ceratum quoddam impensè frigidum commendavit, quod R. succi rosar. solatri, plantag. singulorum unciam j. cerussæ, lithargyri singulorũ uncias ij. aceti acerrimi, olei omphacini uncias iij. mista in mortario plumbeo subigantur ad linimenti consistentiam, quæ sæpius usitato affirmat autor rem optime successisse. Sic siquidem ille: Sed Joan. Huccherius velut ambusta perniones curavit, neque aliter Arantius in operis de tumoribus capite peculiari. Sed isthæc omnia superat, quod Guido Cauliacus vir sane consultissimus, frigidam aquam laudavit tractatu 6. doct. 2. cap. 8. quod est inscriptum de doloribus & mulis; sunt autem mulæ interpretibus Laurentio Jouberto, Joanne Huccherio, Joanne Manardo, & gallicis Lexographis perniones. Postremò sunt &, qui nivem applicitam ferunt remedio fuisse. Has ob res omnes verum apparet, quòd problematographus enunciarat, calidis ac frigidis æque perniones deleri, si tantùm distinguantur usus opportuni tempora.

Qua composita veterum autorum contradictione, aliam, quæ inter juniores est ambiguitas & perplexio, nunc enarremus. Mercurialis quidem nullo proposito certo scopo, curationem pernionum, ut intertriginis dicit instituenda, qualem tamen neque postmodum exequutus est, verùm apprimè diversam. Jam autem aliorum omnium, qui vitii summam ad cutis unam constipationem retulere, pars laxationem & detersionem, ut Huccherius, pars calfactum atque discussum, ut Falloppius; pars utrumque censuit exequendum, ut Arantius. Sed Franciscus Vallesius in com. ad l. 5. epidemiorum super ea sententia, quæ de pernionibus tradita est, ait; perniones quoniam cutis refrigeratione ac densatione fiunt, proinde calfactione ac laxatione curari, verùm adhibenda hæc alternatim, nam aqua sola nimium laxat ac mollit, at solus ignis exiccatione vehementi constringit & cogit, jam verò cùm sibi mutuo succedunt hæc: igne calfaciente & aqua laxante, atque ustionem prohibente dissolvitur materia, laxabitur cutis, ac temperabitur pars.

Hæc alii, nos horum opiniones ad examen, si licet, referamus, ergo quod inter omnes convenit, pro certoque habitum est; laxandam eam, quæ malum sustinet, partem; non placet. Primò, quòd non ad sententiam summi Hippocratis; imo multo diversa est enarratio, deinde, quòd non ex legitima indicatione, sed nocua hæc medicatio est, quòd (ut incipiam) ostenditur hac ratione, neque enim quòd fiat addensatione vitium, propterea fit ab hac simplici causa, neque etiam si concedatur: ideo sequitur, ut sit laxandum, quippe si curatio est per contraria, contrarietas hęc medicamentorum spectat ad morbum, qui curationem indicat; non ad causam, quæ curationem vere non indicat, sed præservationẽ, Galeno teste in 8. metho. med. Quæ si vera sunt, ut sunt plane verissima, laxatio, quæ suadetur à Vallesio, præter legem est Galenicam & nocua parti, nam tumor chimethlodes, si credimus Aristoteli, peculiari problem. jam indicato, laxatio quædam est, nec non laxis hominum corporaturis advenire sueta, quod jam ostendimus, ergo laxantibus adaugenda sit potius, quàm relevanda.

Jam igitur quoniam, ut apparuit, perniones quædam sanguinis est affusio sub cutem de venarum osculis per vim frigoris expressi, mox semicorrupti; ob id exhauriendus est seu medicamentis, seu prompta & manifesta vacuatione, sic usum calidorum applicamentorum, & scalpri pręcepit M. Hippocrates: longe aliter nimirùm, quàm interpres Vallesius commentus est, qui legit sic Hippoc. enunciatum; perniones dissolvere, tepefacere pedes, hoc modo præcipuè, calefacere igne & aqua; quæ lectio versioque non convenit cum ullo multorum aliorum translatione, neque cum codibus græcis sive Basiliensi sive Aldino; qui ambo l. quidem 7. sic habent: χιμέθλων καταςπᾶν, καταςχᾶν, restituit Anutius Foesius ἀλεαίνειν Aldino, ἀλεείνιν verò Basiliensi τὲς πόδας ὧδε μάλιςα ἐκθερμαίνειν πυρὶ καὶ ὕδατι Quæ Janus vertit ad hunc modum; perniones pertundere oportet, & calefacere ita, ut quam maximè excalfacias igne & aqua. Sed Anutius Fœsius sic; pernionum medela est scarificatio; tepefactio, itaut pedes quàm maxime igne, & aqua excalfacias, quibus utrisque prior Fabius Calvus transtulit hæc ita, perniunculos pertundito, scalprove scarificato, pedes igne & calida aqua valde calefacito. Quod si fortasse codicem libri 5. græcum adeundum volueris atque legendum, quem locum ipse Vallesius explicabat, is quidem tum ex Aldina, tum ex Basiliensi editione ad hunc modum habet, χιμέθλων καταςχᾶν ἀλεαίνειν τὲς πόδας ὡς μάλιςα ἐκθερμαίνειν πυρὶ καὶ ὕδατι quæ vertens primus Calvus reddidit per hæc; Perniones mulgebat, vellebatque pedes igne & aqua maxime calefaciendo: sed mox accedens Janus ait: perniones pertundendi & calefaciendi sunt pedes sic, ut maxime excalefacias igne & aqua. Post hos autem tertius Anutius vertit hoc pacto, pernionibus medeberis scarificando & pedes calefaciendo sic, ut maxime igne & aqua excalfacias.

Itaque si græcos ipsos codices, si latinos primos omnes interpretes consulueris, falsa & commentitia Vallesii translatio reperietur. Nec minus improbabilis videbitur ejusdem enarratio, qui deduxit ex Hippocratica dictione alternum ignis & aquæ usum, quam aquam & ad laxandum propositam interpretatur, neutrum enim consentaneum rationi videtur, nam neque ad laxandum aqua capi debuit, cujus usus enu-

enucleate traditus eſt ad maxime calfaciendum: deinde vero ſimilius eſt, loquutum Hippocrat. de aqua marina, quæ uſu præcipuo ſemper & maximo fuiſſe conſtat ad perniones priſcis, præſertim Oribaſio, Aëtio, Paulo locis citatis, & Octavio Horatiano, ſive Theodoro Priſciano l. 1. ad Euphoriſtum cap. 28. nimirum ob multam exiccandi vim, quam habet hæc aqua propter ſalſam exuparantem portionem, qua de repiſcatores, qui nudis perpetuò pedib; exercentur juniores & grandiores, equidem adverti minime chimethla perpeſſos. Confirmat demùm aquæ marinæ conjecturam, quòd ſolenne fuit antiquis ſcarificatis continuò membranis aquam ſalſã affundere, ut ne grumi ſanguinis protinus occluderent vulnuſcula, aut etiam, ut ne hæc ſimpliciter coaleſcerent; diſtinet porrò coalitum ſal inter omnia plurimum; ut in commentariis noſtris de inermi chirurgia monſtravimus. Quod ſi aquæ potabilis omninò retinetur opinio, etiamnum apparet, non ad ignis alterne contemperandi uſum, quem opinatus eſt Valleſius; verùm ad eliciendum laxandumque ſanguinis effluxum inſtitutam eandem.

Jam autem, quod ad alternum illum binorum præſidiorum uſum ſpectat, neque hic neceſſarius eſt, tum propter prędicta, tum, quod probabile ſit, duo illa ſimplicia (igni & aqua) propoſita in ſenſu compoſito, quaſi diceretur percalfacta igne & aqua, aut ſi disjuncta volueris utraque capienda; dicam Hippocratem eâ ſententiâ comprehendiſſe calidum in ſicco & calidum in humido, quorũ hoc infirmius alterum valentius ſit, ut ſtatuendum ſit deniq; calfacientia ad Hippocrate probari præſidia non laxantia, ſi conſideres plurimam partem ſemicorrupti ac propemodum extincti ſanguinis exhauriri per punctioné efficacitate tanta, ut nihil ſit præſtantiũ ad prõpte demerendum de noſtris hiſce languentibus; Quam ego duce Hippoc. exequutus in pleriſque egenis mire frugiferam comperi, quippe quę cauſam ipſam mali fomitem in promptu detrahit & naturam partis diu gravatura ſarcina cito levat, ſic in Joãnne Dominico Fuſco; ſic in Thryphone Cytharella meis auditoribus, quos curatos viderunt admodum R. P. Marcus Antonius Ruſſus è Societatis Jeſu medicus ſcientiſſimus, & Franciſcus Sparanus medicus è Collegio Neapolitano conſultiſſimus; ſiç in Reverendo quõdam Capuccino: ſic in Clerico Theatino, ſic in aliis valetudinarii noſtri decumbentibus, qui fuere propemodum innumeri, exiit autem ſemper ex vulnuſculis ſanguis primo tenuior, deinde ater & craſſior, mirum autem quod aſſervato, refrigeratoque jam eidem cruori ſerum ullum non extitit,

Dixi de ſimplicibus, reſtant compoſita medicamenta referenda. Quorum duplex eſt ſeries; nimirum altera præſervantium, alteravere curantium. A pernionibus, inquit Aëtius l. 4. ſerm. 2. c. 73. præſervat ſal cum melle tritum manibus ac pedibus aſſidue inde perfrictis. Aliud non modò præſervans, ſed productos etiam perniones curans, citriorum magnorum internam parteacidam rejectis ſeminibus diligenter terito, & cum adipe ſuillo vetuſto ad cerati compagem redigito, & ad hyemis initium quotidie illinens ex eo digitos utitor. Aliud Oribaſii, ſulphur vivum cum melle cocto imponito. Aliud perniones imminentes arcens. Atramenti ſutorii, florum mali punici ſativi, ſingulorum drach. I v. alum. ſciſſi unc. IV. myrrhæ, thuris, ſingulorum unc. ii. ceræ unc. IV. adipis ſuilli unc. viij. olei myrtei quantùm ſatis eſt.

Hæc ex Amideno autore. Poſt quæ referuntur & perniones curantia jam eductos ex his alia fluida, alia ſolidiora ex fluidis primùm eſt apud Celſum ex multa calida aqua fomentum, in qua rapæ decoctæ ſint: aut ſi ea non ſint aliquæ verbenæ ex reprimentibus decoctum, vel lenticulæ, vel ervi vel haſtulæ regiæ radicis probavit Paulus, ſed rapæ ſummum perhibuit Aëtius. Ex fluidis epithematis decoctum betarum, quibus alumen ſciſſum infuſum eſt; propoſuit Octavius Horatianus, poſt quod fomentum cera liquata linire convenit, idem ait, qui addidit ceræ & picis reſolutæ ſolam unctionem curationi valuiſſe, & gluten ſolutum in aqua liniendo profuiſſe, quod glutinis & ceræ linimentum uſui præſervandi potiſſime conducibile probarim equidem. Sed ex Paulo ſunt hæc, in rapæ ſativæ radicem excavatam conjicitur ceræ ſextans, olei lentiſcini quantum ſufficit: cocta in duplici vaſe ex marina aqua, aut muria, aut lupinorum decocto, hoc quidem ſuperfundo, ceratum verò in rapa liquefactum frigidum imponito. At in exulceratis pernionibus, thuris aluminis ſciſſi, minii, reſinæ, terebinthinæ ſingulorum par modus: adipe ſuillo diluta inducuntur. Verùm ſi inflammatio exulceratos perniones male habeat, medicamento utendum hexapharmaco, quod recipit olei uncias novem, adipis fellis taurini, & ſingulorum libram, argenti ſpumę uncias ſex, colophoniæ uncias quatuor, mellis uncias ſex.

Hæc iſti: ante quos omnes Dioſcoridi comprehenſa ſunt hæc; Thus cum ſuillo adipe, aut anſerino impoſitum. Pix liquida inuncta. Acacia illita. Myrti ſeminis decoctum fotu adhibitum. Ficus crematæ cum cerato impoſitæ. Cancrorum fluviatilium cinis cum decocto melle illitus. Pulmo marinus recens conciſus, & impoſitus. Aſininæ ungulę cinis oleo maceratus illitus. Urſinus adeps inunctus. Umbilici Veneris ſuccus impoſitus.

Lentes cum meliloto, ſiccis roſis, malicorio, cydonio malo; & roſaceo adhibitæ.

Orobi decoctum fotu impoſitum. Raporum decoctũ fomenti modo. Betæ decoctum appoſitum. Dracunculi majoris folia ex vino decocta & impoſita. Oleum ex incavata aſphodeli radice decoctum illitum.

Cyclaminis decoctum fotu adhibitum, quin etiam oleum cum pauca cera in ejus excavata radice fervefactum illitum.

Scilla cremata impoſita. Ranunculi decoctum adhibitum. Arction ex vino additum. Alumen aquâ aſperſum.

Hactenus ex Anazarbeo Viro multa, poſt quæ referam experta mihi medicamenta: quę ſunt, ut non ulceratos quidem perniones ſuffitus ex cinnabare contrito, in ignitos carbones conjecto, mane veſperique ad multos dies, ſub tenſis paniculis accommodate recipiendus, mox ex decocto cyclaminis lotura. Tertiò ex liquore deſtillato ceræ, vel ex hoc ſimul & pomata inunctio cum confricatu. Ad exulceratos verò ex eodem oleo ceræ, ſucco cyclaminis, adipe taurino, & pinus reſina, vel pice colophonia ceratum ſecundùm artem confectum. De tota pernionum inquiſitione & curatione ſint hęc jam ſatis.

De glandulis vulgo thureis Appendicula.

Medicina, ſicut Cornelius Celſus ait in operis ſui primordio, nuſquam non eſt, ſiquidem etiam imperitiſſimæ gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum, morborumque noverunt. Itaque fœminę, tum quia peculiari quodam naturæ munere humanitatis & hoſpitalitatis officiis maxime ſunt comparatę, tum quia minùs curarum habent, atque ocio abundant, pleraque obſervare poſſunt, ad commendandum alioqui non ineptę. Quam medicinæ ſpeciem rudem ſ. & ineruditis ſuis ſenſibus congruentem, aut ipſæ ſibi confluxerunt, aut perperam ab eruditis comprehenſã reſervaverunt, obſtetrices maxime, & hę vetulæ, quæ ſolertiã aliquã aut ætate, aut medicorum conſuetudine comparatunt; quarum rerum exemplis mediocrem numerum exſuperantibus enarrandis, ne nimius ſim,

ſim, ſuperſedeo: ſi memorare non omittam non eſſe rem iſtius gentis omnino contemnendam; quando Plinius a Lai Elephanti Salpe obſtetricibus, pleraque deſcribere medicamenta, dedignatus non eſt l. 28. c. 7. & Marcelli Imperatoris Theodoſii medicus etiam ab agreſtibus & plebeis accepta remedia fortuita atque ſimplicia, quæ experimentis probaverant; operi, quod edidit de medicamentis, inſerere, non erubuit; quid quod audiendos vulgi medentes monuit Hipp. alicubi technicorum operum, gynæciaque plurima ex fœminis accepit.

Itaque iſtæ matronæ morbum invexerunt tule, terſius tolle appellatum, latinè tolles quod propterea, tollantur ac tumeant; cujus diminutivum tonſillæ, paryſthmia, quæ ſunt in homine, ſicut glandulæ in ſue cùm tumor fauces occupat, quæ verba ſunt Ambroſii Bergomatis in lexico. Sed alii pronunciant thurea fortaſſe, quod ad thuris grana figuræ magnitudiniſque ſimilitudo accedit. Scire autem licet, oboriri vitioſas iſtas glandulas & ementitos adenas in artubus; ac præſertim in brachiis parte ſupina, quæ ſupra carpum eſt; in devaricationibus tendinum lacertorum. Materies autem eſt lenta pituita, quæ laxato ac rarefacto priùs per calorem corpore; mox ſuccedente frigore cogitur & conglobatur in eam, quam dicunt glandularum, aut granulorum formam. Has iſtæ ſic curant, ut obverſo pollice duriter comprimant, ſic crebro affrictu finiuntur tùm ipſæ, tum aliæ, quæ ſubſtant paryſthmiis glãdulæ, fortaſſe communicato concalfactu, ob diverſionem verò fieri credidit Gulielmus Rondeletius in l. 2. ſuæ noſotherapiæ cap. 4. quo loco & ipſe morem hunc vulgarem curandarum tonſillarum retulit. Similis tuberculi meminit Avicenna lib. 4. fen. 3. tr. 2. c. 6. cùm ait; generatur in quibusdam membris apoſtema glanduloſum, ſicut avellana nux & minus eis, & eſt in principio taliter, quod cum ſuper ipſum fit compreſſio, ſuperatur, deinde redit multoties & multiplicatur &c. Quod tuberculi genus ab Avicenna memoratum crediderunt aliqui, Joanne Coſtæo relatore, Ganglium: quod tamen notas ganglii verè non habet, ut probat idem Coſtæus; verùm mea quidem opinione ſunt notatæ glandulæ, quas ad ſententiam fœminarum vulgarium enarravi, quod confirmatur communitate curationis. etenim, quod attritus auxilium præcipit Avicenna glandulis; idem medicæ noſtræ factitãt, tum quidem tonſillas; tum tolles excutiendo; tonſillas quidem rumpunt collo patientis mira celeritate per utraſque manus circumrotato, brachii verò glandulas ante deſcriptas obverſo pollice vehementer proterunt, ut jam expoſui. Quæ de thureis glandulis pauca libentius equidem in hunc locum retuli, quod complicati folii vacuitati complendæ ſum anſam nactus.

Tractatui Marci Aurelii Severini adjiciamus jam Obſervationes aliquot de Pernionibus hybernis, earumque curatione.

Fotus calidi cineris maximè laudatur, quo remedio teſtatur Fallopius ſe liberatum fuiſſe à pernionibus, quibus ſingulis annis vehementer affligebatur: fovebat pedes cum ibat dormitum, alii ſolent inungere locum affectum oleo ceræ & terebinth. frequens uſus eſt, ut excavetur rapa uſque ad fundum, infunde ol. roſ. & ol. terebinth. an. ℥ i. ſupra calidos cineres ponatur rapa, bulliat ad medietatem & inungantur loca hoc liquore bene calido: prius pedes apponat ad fumum aquæ ferventis: ſi ulcerentur perniones, imponatur unguentum de tutia magiſtrali, vel etiam diapalma. *Rodericus à Fonſeca. tomo 2. conſult.* 12.

Conſilium dedimus ut rapam ferventem imponeret: vulgares apponunt cutem extractam ab halece fumo induratam: curantur etiam cum decocto raparum, ſi in eo immergantur, curantur & appoſito diapalma. *Petrus Foreſtus. obſ.* 15. *& Schol. lib.* 5. *obſ. Chirur.*

Adverſus manuum perniones infallibile prophylacticum commendatur cruor adhuc calens ex bove recens mactato effuſus, ſi eidem manus imponantur, cujus uſu quædam puella ab hoc vitio ſingulis brumis recidivante jam immunis vivit. *D. Joh. Ludov. Hannemann. in Miſcell. Curios.*

PESSARIA.

Sunt inſtrumenta quædam, è variis materiis, & ſub variis figuris fabrefacta, quæ medicamentis aptis inuncta, intruduntur in Vulvam, ſeu potiùs Vaginam, pro Uterô prolabente in ſitû naturali continendô, ac firmandô. De iis vid. Tabulas ſub titulô Inſtrumenta Chirurgica, allatas.

PHALANGOSIS.

Vid.

OCULORUM MORBI.

PHYGETHLON.

De eô ſic Hieronimus Fabricius ab Aquapendente.

Phygethlon eſt inflammatio in glandulâ, eryſipelatis particeps; aut eſt eryſipelas inflammatorium. Gal. cap. 1. lib. 2. ad Glauc. In hoc præcedat univerſi corporis procuratio per venæſectionem, purgationem, diætam. Quoad partem affectam, potiùs digerendum, quàm ſuppurandum, quia hujusmodi tumor habet bilem admiſtam: Propterea Galenus lib. 6. ſimpl. laudat alſinem, inſtar cataplaſmatis, item atriplicem, & folia malvæ hortenſis: Nec non ceratum humidum, quod deſcribt c. 6. lib. 2. ſimpl. In ſummâ φύγεθλον diſcutientibus mitioribus curandum.

PHIMOSIS.

Vid.

PENIS MORBI.

PHLEGMONE.

Vid.

INFLAMMATIO.

PHLYCTÆNA.

Eſt morbus ad Puſtulas pertinens. Verùm hîc de eô aliquid ſpecialiùs, ex Clariſſ. Godefridi Bidloo Exercitationibus Anatomico-Chirurgicis, tradere ingratum minimè fore credimus. Sic autem ille.

Uno eodemque nomine diverſiſſimos aliquando indigitari morbos eoſque ſingulos cum definitione nequaquam convenire; inſigne, præ cæteris, in phlyctæna exemplum eſt.

In cruribus brachiiſque oculiſque uno nomine venit morbus, Phlyctæna; neutrum tamen eorum, definitioni huic, aut illi, ab auctoribus in hoc uſque momentum traditæ in genere, aut ſpecie reſpondere, patebit ex ſequentibus liquidò.

Ipſi autem voci ejuſque propriæ ſignificationi non inhærentes ſive etenim illa ab ebulliendo, vel bullas

excitando, φλύζειν, deducta sit merito, vel non, ad rem faciet parum) submittamus examini morbi descriptionẽ; qui utriusque partis, nunc inflationis vacuæ, nunc vesicæ liquore subflavo, vel limpido lucidoque impletæ, modò pustulæ & mox hydatidis formâ, describitur; harum autem descriptionum nullam morbi phlyctænæ exhibere vim, multò minùs indolem, colligere est ex utriusque morbi cum illa comparatione, ex qua constabit, Phlyctęnã artuum esse, ab ea oculorum, diversissimã.

Primò; Phlyctæna artuum formâ pellucidarum vesicularum liquore nunc subflavo, nunc albido, magnâ copiâ, plurimis locis, citò, cum pruritu erumpens, cuticulam elevat; non pertusa, aut exsiccata mox facilè scabiei, exedentis ulcusculi, herpetisve, squammosæ, furfuraceæ &c. characterem exprimit.

2dò; Phlyctæna verò, oculi membranas anteriores, non autem cutim occupans, nunquam in vesicæ formâ, id est, cum pellicula assurgens, intus non excavatur liquidique continet nihil, unà, lentò, sine pruritu & semper rubra erumpens, ni curetur, ulceris, ne indurati, vel exsiccati quidem unquam; *panni* verò quandoque indui characterem; ita ut cum Phlyctæna artuum epinyctides, essera &c. cum ea oculorum panni initium, rarior papula &c. similitudinis aliquid, essentiæ verò nihil habere, ex earum descriptione constet probeturque nominibus nil fidendum, neq; ut à multis assertum habemus, ex græcis titulis morbis inscriptis, morborum indolem posse percipi. Oportet ergo huic, aut illi diversissimorum prædictorum morborum alius inscribatur titulus, ne sub improprio nomine, huic, quæ illi est adhibenda, adhibeatur medicatio; quod saltẽ tyronibus, vel ad titulum morbi, absente ægro, medico-chirurgis accidere facilè potest; si quoq; hæc & illa Phlyctæna eadem idemque esset morbus, unum & idem sufficeret remediorum genus.

Priusquã autem de curatione verba nobis sint, perlustremũ (lect: ben:) partes, quę primariò, secundùm auctores, in hoc & illo prædicto morbo afficiuntur: unus venas, lymphæductus eorumque extravasatũ liquidum, glandulas oculorum serosumq; earum excrementum; membranas alter, bilem salsã, pituitã, retentum menstruosum sanguinẽ, fermentum acre & salsum & quę porrò istius farinæ plura passim inveniuntur, inculcat atque increpitat.

Ut modò diversas horum morborum apparentias, ita jam nunc ostendere conabor, diversa planè in iis primariò affici organa in artuũ, nempè Phlyctæna cutaneas glandulas papillariaq; cutis corpora, in ea verò oculorum, solummodò arteriam.

Ad prim: in artuum, crurum, manuum pedumq;, sic dicta Phlyctæna elevatur, variis cum tuberculis vesiculosis, cuticula, quâ ablatâ detersoq; liquore, asperitates eminentięque, plus, minusve, pro glandularum, aut papillarum majore, aut minore affectione, duræ, aut flaccidæ conspiciuntur, eodem fermè adspectu, ac si cuti vesicatorium, vel leve aliud quoddã esset impositum causticum. Mador hic rarò ultra quartum, aut quintum diem stillitare continuat, quibus pars affecta consolidatur denuò, vel in scabiosum degenerat ulcus, cum circumjacentium partium induratione, inflamatione, excoriatione &c. non rarò, inveterascentibus hisce ulceribus, cutaneo tegmini fœda erumpit, circumvolutis induratisque hìc & illìc ulcerum labiis, excrescentia; imò ex hoc morbo homines vitam trahere languidam, contabescere, continua vexari febre, vigiliis aliisque quandoq; symptomatibus lethiferis, ipsa me sæpius docuit res.

Cutaneum hunc morbum fœminas, non mares; artus, nõ verò alias infestare partes, fabula est: in dorso etenim, pectore aliisq; locis eum detexi multoties; quare autem plus in artuum extremis, quàm aliis partibus inveniatur, crediderim ab eo loci pruritum scalpendi radendique propto facilique accessu plus, quàm ab alia causa dependere eoque magis; quoniam, ut plurimùm, in iis quibus noverca fortuna victum negat & amictum, reperiatur accedenteque porrò corporis immunditate, sordiã, pediculis &c. cutim infestantibus, morbi vis adaugetur hæcque incommoda morbi quoque causa existant; quoque (inquam) quia ejus varię statui possunt causæ & originationes; ut sunt ex: gr: sudoris transpirationisque impeditio, cutanearum glandularum, vel papillarium corporum mala dispositio, abundans & malè dispositum eorum liquidum, vulnus non ritè consolidatum, cuticula mole auctior, indurata debitòque tensilior &c.

Ad secund: Arteriam in oculi Phlyctæna solummodò, sive primariò peccare, sequentibus rationibus, confirmari, confido.

Primò; rubescentem, sine pellicula, hanc expullulationem in tunicam adnatam, corneamve à vena originem trahere, rationi demonstrationique est contrarium: vena quippe sanguinem à membranarum superficie intro vehit; fracta, nullum, nisi eò loci, tum temporis detentum, emittit sanguinem; ipsius quoque venæ pars non est; quoniam pellicula caret & hoc sensu, potiùs varicis extaret species; insuper, sanguis; si esset, qui expullulat, venosus, non rubro-floridi, ut ab initio ad finem est; sed fusci extaret coloris; itidem de momento in momentum non augeretur (sanguis enim in venis non retrograditur) quod in Phlyctæna semper ita obtinet; ut tandem panni, vel excrescentiæ tuberosæ efformet speciem.

2dò; non esse de lymphaticorum tuberculorum genere, docet ejus materia, originatio &c. & ipsorum vasorum lymphaticorum cum fabrica, usus.

3tiò ex nervis malè constitutis ortũ Phlyctænã ducere, nemo anatomico-chirurgus suspicatus est unquam.

4tò; esse membranarum affectum easq; corpore primariò peccare, probatu est impossibile; quoniam, non nisi jam nunc expullulante in ipsas Phlyctæna, patiuntur; quinimò, ab ipsis illam separari, sine laceratione sui corporis elevariaque posse atque à membranis sanguinem non emitti, propriè loquendo, compertum est satis.

5tò; neque oculi glandulis hoc posse imputari vitium, vel ex eo patet; quod loco ab ipsis remoto maximè, oriatur.

6tò; tubulos aquoso-lacrymales corpore non lædi, neque hoc malum membranis injicere, probatione egere non videtur: quod enim emittunt liquidum non sanguis; sed verò limpidus latex est. &c.

Restat igitur (cùm omnia illa organa, primariò, in causa non sint) probem, arteriam efficientem causam & esse, quod in hoc morbo peccat organum ejusque vitio postea infestari alias partes; posset enim quoque arteria (ut prædicta organa) extare inculpanda & hoc vitium, hæc Phlyctæna, ab exteriore quodam oculo accedente infortunio, materia &c. ortum ducere; sed, obstantibus phænomenis, non credo hanc difficultatem operosius esse diluendam, extraneum enim nihil, sua valet virtute, membranis oculorum sanguinem (ex quo tamen & solummodò fit oculi Phlyctæna) injicere, deq; momento in momentum, uti in hoc morbo fit, cumulo augere.

Censeo itaque Phlyctænam (qui morbus apud medicos vulgò oculi, non verò cutis est vitium) esse extremitatis arteriæ dehiscentiam à sibi opposita venarum radice, cum apertura in membranarum corneæ adnatæque superficie, unde ipso temporis sui fieri puncto, subalbida, mox verò, potiùs simul (nam vix admittitur temporis interstitium) rubra existit manetque; Quare autem liquidissimus iste sanguis de arteria oculoque mox itidem non distilliret defluatque, rogare desines (lect: ben:) ubi tibi in mentem inciderit; primò; esse ab initio vix visibile illud punctum, inter tunicarum filamenta detineri, frigore externo inspissari moxque concrescere; sed verò, tum temporis, digito carptove posse ex parte abstergi: vividum itidem effusum sanguinem, partibus cohærentem; nullo autem velamine cinctum, mox non defluere,

fluere, corripi, putrescere, ex sarcomatum, ulcerum hypersarcoticorum multis speciebus demonstratu perquàm est facile. Propullulantes luxuriantesque corpore arterias tumoribus inseri, cum iis plexiformi commisceri ritu cumque ipsis capere, preter ordinem œconomiæ animalis, incrementum ex citatis; sed verò maximè patet nasi polypis.

Oculi Phlyctæna, pro inflammationis initio haberi non potest: in illa enim arteriæ propagatio una, vel multa obstruitur, in hac aperitur.

Ultimò; cùm ex interiore membranacearum lamellarum adnatæ, vel corneæ parte, peccans hæc quandoque arteria, sive phlyctæna assurgat, de vario Phlyctęnarum colore, multus, sed inutilis sermo est (sequitur enim illa illuminationis omnium corporum regulam) ruber plus, minusve pro collocatione, mole &c. omnibus itaque hisce nominibus differentiisque, quæ à colore petuntur, supersedeo: priusquam enim arteriolæ supra memoratæ extremitas in oculi anteriorem membranam erupeiit, cum apertura, superficiem egeritque (ut supra) Phlyctænam non constituit; inter lamellas verò exteriorum tunicarum oculi non Phlyctænam; sed suæ speciei hypopyonem generari, excitari, docebo datâ opportunitate, luculenter.

Quæ igitur in membranæ corneæ, vel adnatæ superficie protuberant venæ, varicum sunt species; quæ vesiculæ liquore impletæ limpido, aut ex albo-turbidulo, hydatides, aut lacrymalium vasorum distensiones; quę exaltationes livescentes unà cum membranarum prædictarum parte, intra eorum lamellas oriuntur, hypopyonum initia: ita ut praxi chirurgica hæc constent infallibiliter, videlicet, conspici sine albescente sua dispositione materia Leucoma, sine pelluciditate Vesiculam, vel Hydatidem; sine rubedine Phlyctænâ nunquam.

De morbis hisce eorumque definitione, differentia, ortu, progressu, apparitione tantùm.

Utriusque postremò exhibituro curationem, liceat mihi primò descriptum morbum (cui alium & specificum inscribendi titulum, unicuique relinquo potestatem: sufficit enim jam nunc demonstravisse eundem illum, cum ejus nominis oculi morbo, non esse) ut Pseudo-scabiem tractitare; in cutaneo autem hoc symptomate, sive succi nutritii lymphæque, hoc loco, supra modum abundantis, profluvio, gradus ut sunt; ita plus, minusve de scabiei titulo & essentia obtinet: profluvium enim modò quod erat ad cuticulam, si continuetur, fractâ cuticulâ, ulcus excitabit; hoc, pruritu & liquorum horum mala dispositione, acredine &c. accedente, scabiei requisita & sic porrò.

Cutanea Phlyctęna curatur initio: mox enim adest dolor, observata medicatione; si opus sit, internâ diętâque ex malacticorum lenientiumque genere; topicis, anodynis desiccantibusque mediis. Ut sunt: *vinum dilutum, solutiones opii. ung: alb: caphur: ung: diaphor: aq: litharg: aq: plantag: cum sacc: Saturn: & liq: tart: mucilag: sem: Psyll: portulac: addito* (quo tertio, quartove demum die opus est) *flor: croc: cum tepidò expressorum liquamine* ℥j. *ad* ℥ij. in genere abstinendum ab emplastris largaque unguentorum inspersione. Si vesiculæ indurentur, pertusione excipiantur crebra iterataque; acu autem id fiat aurea, vel è chalybe, aut minusculo scalpello idem est; sed parti medicamentis exornatę, mox injicienda est ligatura eaque non laxa.

In ulcus si abierit, ulceris methodo tractanda, in qua sulphurata, mercuriata, nunc mixta, nunc seorsim, vel alternis vicibus usurpata, raro non prosunt.

In scabiei specimen conversa, ut hæc solet, curetur.

Præservari ab hoc malo si corpora possint, fiet illud (diætâ constitutâ) multa cutis frictione, ablutione in balneis, sudoris expulsione, modico exercitio.

In oculi Phlyctænæ curatione, paucis exceptis, ut desiccatione & ligaturâ, quæ tamen alia est: aliud enim desiccari debet liquido-concretum aliterque laxè nempè applicanda ligatura, omnia è contrario fiant oportet.

Primò; mox ab initio abstinendum ab omni pertusione: saniē enim (ut quidem autumant) nō continet; sed verò cōpressâ, quæ defluit materia, ipsissimi laticis sanguinei est.

2dò; à mediis sanguinis motum accelerantibus.

3tiò; à remediis, quæ cum oleis, adipe, axungiâ &c. miscentur.

4tò; melle & felle cujuscunque sit animalis.

5to; liquidis collyriis &c. acrioribus, utpote in vicinas partes, etsi penicillo inspergantur, defluentibus easq; plus infestantibus, quàm ad requisitā curationē ducentibū.

6tò; de mutatione, sive suppuratione non est (lect: ben:) quod somnies: latex quippe hic mox concretus in pus degenerat nunquam, ideo maturantia cataplasmata, fotus &c. de hoc remediorum cœtu removenda extant: lunæ enim radiis non maturescit botrys, nisi ubi mula pepererit.

Pustula (in oculo) Vesicula, Macula, Phlyctæna, quibusdam eadem res est eademque recipit ab ipsis remedia, sed extra rationis normam: trajicere enim arteriā pro vesicula, quis non horreat, Phlyctænam arteriarum extremitatem apertam demonstravi; perperam itaque illa pertunditur acu, perperam itidem Phlyctęna artuum acu non pertunditur: vesica quippe cutanea est.

Remedia in curationem adhibenda (emplastra enim adhibenda nemo statuit) sunt; quæ, quantum est possibile, sine, aut saltem levissima cum incrustatione exsiccant: *gummi arabicum, gypsum, sarcocolla, cerussa*; sed verò omni arte *in pulv: impalpab: redact:* hæc enim propullulationi huic adhærentia, eam exsiccant, deprimunt, cicatrice obducunt. Uti si velis hisce cum quodam liquido immisceantur *albumini ovorum cum alumine conquassato:* de detersione non moneo; quoniam abstergi minus, quàm desiccari deprimique debet; inde est, quod à *vitriolatis* in initio cavendum sit; ubi autem morbi status mutatur: mutantur & remedia; ita Phlyctæna inveterata, malè medicata, extuberans in formam *panni*, aut *sarcomatis* &c. alio modo, quàm recenter nata, excipitur; statuendo tamen, escarotica vix unquam usui venire. Quod si vicinæ partes doleant ex inveterata, multave mole aucta Phlyctæna, instituitur ac præscribitur, quæ in inflammatione, partium distentione, excoriatione &c. medicationis formula extus intusque. Phlyctænam hanc; ni ritè consolidetur, facilè recidivam pati, exemplo didici & periculo meo; esse junioribus, ut & mero delere curas nimiùm amantibus, æstivoque tempore, ut plurimùm, oboriens symptoma sanguinisque iis missionem conducere, pro comperto habeo. Quæ contra hunc morbum in præsidium vocari posse videntur; observato methodico vitæ regimine, sunt oculorum matutinę vespertinæque tepidâ ablutiones à frictione abstinentia, corporis animique quies, quæ inter curandum, uti in omni infortunio, non levioris est adminiculi & solaminis.

PHTHIRIASIS.

Pertinet ad Pilorum morbos, atque sub hôc titulô reperiri poterit. Jam unicam tantùm ejus historiam, ex Clarissimo Gregorio Franco de Frankenau, in Miscellan. Curios. Decur. iij. Ann. 5. & 6. contentam, adducemus.

Ιατρειωτατος Vir Petrus à castro Bagonas Veroniensium Æsculapius, & cui multi celeberrimi Medici intra & extra Germaniam debent plurimum, ob insignem eruditionem & Praxin felicissimam, in aureo libello de Febre maligna puncticulari (cujus iteratam editionem debemus candidissimo pectori, Magno Joh. Georg. Volchamero nobis olim, dum viveret, amicissimo & adhuc post fata colendo) Sect. IV.

IV. de signis prognosticis febris puncticularis §. 39. „ p. m. 94. ita scribit: Horrenda phthiriasis, ante „ septimum præsertim apparens, majorem partem ægrotantium misere sustulit: Nec protracto morbo „ semper est secura; nisi coctionis signa apparuerint. „ In declinatione salubriter solent germinare, consumtis per ea animalia impuris succorum reliquiis, „ quæ ad cutem natura detruserat, non satis valens „ propter putredinalem viscíditatem ab eis se expedire, „ alioquin perniciosas effecturis recidivas. Idem ibidem Sect. IX. §. 54. p. m. 26. sequens pergit: Fœda Phthiriasis non raro etiam hunc morbum comitatur, malo certe omine, ut dictum est supra. si in „ principiis appareat, nisi purgatione debelletur. remedium non habet, ut contigit famulo pharmacopolę ad D. Zenonem, qui quarta die apparente „ Phthiriasi, sexta misere extinctus est &c. Commodum vero accidit, ubi librum hunc elegantissimum in Antiquissima totius Germanię Heidelbergensi Academia, Auditoribus meis proponebam, jubente ita tempore, Ann. 1674. quando hæc maligna febris & in Castris & in urbe sæviebat; ut occurreret talis casus, qui certe inter rariores numerari meretur. Venerandæ canitiei vir, Consil. Intimus & Præses Serenissimi cujusdam Principis, ad jussum Domini, Castra Cęsarea, tunc temporis prope Spiram Nemetum metata, secutus, incidit in morbum castrensem seu febrem vulgo dictam Hungaricam cum suetis, hoc est, vehementissimis symptomatibus. Ingravescente malo deportatur Heidelbergam ad Generum suum Dn. G. A. de M. Centurionem ibi in præsidio commorantem. Hic me vocat & urbis Physicum Ordin. D. D. Andr. Steigerum; invenimus senem promissâ comâ barbâque, quam sæpius solebat interplicare & nodis constringere; cętera proceri & robusti corporis, munditiæque studiosissimum. Exhibemus ex artis præscripto remedia. Sed ecce circa undecimum morbi diem subito & ex improviso pediculi copiosi agminatim per caput, collum, pectus reliquumque corpus oberrantes conspiciuntur, cum ęgri horrore & adstantium. Vires violentissime discedunt, Optimusque Senex die morbi xiii. circa vesperam placide expiravit. Exemplum hoc communicavi cum Clariss. Viro Joh. Gottofredo Zeisio cum me Rectore Universitatis & Præside An. 1678. d. 17. Junii Heidelbergę, non sine laude proponeret Disput. Inaugur. de Phthiriasi, in qua magno labore, doctâ diligentiâ, rem exacte enucleavit, qui potest videri. Hic noster casus mihi revocat in memoriam aliud exemplum quod non ita pridem legi apud Erud. Virum D. D. Franc. Blondel in Thermarum Aquisgranensium & Porcetanarum Elucidatione & thaumaturgiæ c. XIV. §. 2. p. m. 158. seq. Edit. „ Aquisgr. An. 1688. in 4. ubi inquit: Unus restat „ exoticus morbus, quem referre debeo. Primâ A„ prilis accessit ad thermales Prænobilis Hollando„ Frisius M. M. singulariter in omnibus aulis Regum „ & Principum Europęis, imo & Turcarum notissi„ mus. Navigans in mari cum Judæis, suspicabatur „ se ab illis, fœdo illo Herodiano morbo pediculari „ intoxicatum fuisse. Quidquid fuerit, ita ejus cutis „ illis repleta fuit, ut undique ex vola manûs, ex „ Naribus, Auribus, Oculis, Mento, Barba, Pecto„ re, Ano, Pene &c. innumerabiles extrahere posset, „ viventes & in charta ambulantes & currentes, quod „ vidimus unà cum Chirurgo M. Henrico. Personam „ habebat conductam, quam secum ducebat, pro hac „ venatione, quę tota die fermè operam illi impen„ debat, & quæ ad milliones forte mactabat &c. „ Huic casui medelam adhibuit circiter per duos men„ ses, potu & fotu thermalium, causam morbificam „ sustulimus, exstinximus &c. mutatis vestibus ivit „ Francofurtum, sanatus rediit, curamque anteriorem pro majori certitudine aliquantisper repetiit, & abivit " liber & incolumis. De morbo hoc qui plura desiderat, adeat Joh. Schenk. Obs. Med. I. V. f. m. 699. seq. Ephem. Germ. Cur. Dec. II. Ann. V. & VII. in App. Fabrum Buchneri per Cellarium f. 1798. Cunr. Dietericum in Analysi Evangel. Dom. post Circumcisionem Domini p. m. 148. 6. Sennert. de Infant. cur. p. 2. c. V. Holler. ad l. 1. de comp. med. Perioch. 1. p. m. 13. de pediculis horumque seminario, & quod etiam sint in arboribus vid. Joach. Camerar. in utriusq; Lingue Comment. f. 410. Reusner Obs. XXXI. & plures Auctores in Moroni Directorio per Sebast. Scheffer. p. m. 355. & præcipue apud laudatu Zeisium suprà.

PHYMA:

Phyma latinis Tuberculum, comprehendit in genere pustulas ac tumores omnes p. n. erumpentes in exteriori corporis ambitu: stricte vero glandularum inflammationem cum subsequenti suppuratione significat. Quomodocunque autem sumatur, non opus est ut caput distinctum inde conficiamus, quandoquidem quicquid ad hujus morbi curam spectat facile reperire est ubi de Tumoribus, & in specie ubi de Furunculo. De hoc itaque jam satis.

PILORUM MORBI.

De iis accurate & erudite pro more, disserit Clar. Vopiscus Fortunatus Plempius in suo doctissimo de Affectibus Capillorum Tractatu, qui sic habet.

Capillus dicitur quasi capitis pilus, ut tradunt illi, qui verborum rationes originesque inquirunt. Litera L. geminatur, contra quam sit in primogenio, pilus, quod priorem corripit.

Caput deducunt à Græco vocabulo κεφαλή vel à κάρα ejusdem significationis voce. Alii Romanorum, teste Cicerone, doctissimum Varronem secuti etymi rationem inde arcessunt, quod à capite initium capiant sensus & nervi. Atque hanc etymologiam multi probant, quorum tamen in censu nomen suum non profitetur eruditiss. Ger. Johan. Vossius, qui mavult caput nominari à κεφαλή. Nam & φ, inquit, interdum abit in tenuem p. quomodo à σοφὸς est sapio; à κάρφω, carpo &c. & e non raro in a. abit; quomodo à μένω est maneo; ab ἔνος, annus; à σέβομαι, id est colo, veneror, Sabini; ab Hebræo & Syro ereb, quo ἑσπέρα, id est, vespera significatur, Arabes. Quod si hæc, addit, minus placent, fuerit caput à cap curvare, vel Syro capa inclinare; quia caput formâ est globosâ & ad inclinandum se idoneâ. Sane à Syro illo est κύπτειν caput inclinare. Huic præclaro Viro consentit Joh. Henr. Alstedius in omni scientiarum genere non minus excellens.

In animantium autem genere humanum caput maxime est pilosum. Cujus causam tum ad necessitatem; tum ad præsidii rationem esse referendam auctor est magnus Stagirites. Ad necessitatem quidem, propter cerebri humiditatem & commissuras calvę: nam ubi plurimum humoris calorisque, ibidem ortum pilorum esse exuberantem necesse est. Præsidii autem seu adjumenti ratio est, ut frequentia pili caput operiens defendat à nimio frigore & calore. Cum enim cerebrum hominis portione maximum & humidissimum sit, maximam etiam tutelam desiderat. Res namque corporis nostri humida quæque & incalescere & refrigerari maxime apta est: quæ autem contrà se habet, hæc minus affici potest. Adde & ornatum, qui sit velut in ædificii culmine, neque in pilei figuram teres factus, ne quibusdam partibus nudis, esset informis:

sed

ſed aliubi iuſuſus, aliubi retractus, pro cujuſlibet loci decentiâ, ut ita loquar ſpeciem miri oſtendit decoris. Proindè memoriæ traditur, Charilaum nobilem Lacedemonium interrogatum, cur comam nutriret, reſpondiſſe: quoniam ex omni ornatu hic pulchrior foret venuſtiorque, ac ſumtus minimi. Quam ob rem & Silius Italicus Poëta & tertium Conſul Romanus in laudibus Scipionis ita ſibi canendum cenſuit.

Martia frons, facileſque comæ, nec pone retroque.
Cæſaries brevior.

Philoſtratus in quâdam ſuâ epiſtolâ comæ decorem commendat ad hunc modum: caput crinibus luxurians amœnius eſt longè Palladis germine: hanc enim arcem minimè omnium glabram atque incomtam decet conſpici. Hiſce calculum adjicit prophetica ſententia Eſaiæ tertio: calvum reddet Dominus verticem filiarum Sion. Et Lycurgum ſcimus cives aſſuefeciſſe comam nutrire; quoniam pulchros quidem decentiores redderet, deformes verò terribiliores, ac magis formidabiles. Nam & jubati leones tigreſque terribiliores viſuntur cæteris eo exutis ornamento.

Iſti capitis tegmini à natura dato fidentes veteres nullis pileis uſi ſunt, ſed vel nudo capite fuerunt, vel veſte caput velaverunt: cum nulli in veteribus Romanorum ſtatuis; nulli in æneis quoque nummis pilei viſantur. Nulla etiam pilei vel cauſię, qui eſt pileus expaſſos habens margines, ad arcendum ęſtum, ne apud Homerum quidem mentio: adeò ut nudi capitis conſuetudo à calcâ Græciâ, cui capitis operimenta uſitata non fuere, ducta videbatur. Inter Romanos Julius Cęſar, ut Tranquillus prodidit, calvitii deformitatem iniquo animo tulit; ideòque deficientem capillum revocare à vertice aſſueverat: atque ex omnibus decretis ſibi à Senatu populoque honoribus, non aliud aut recepit, aut uſurpavit libentiùs, quàm jus laureæ coronæ perpetuò geſtandæ: idque ad calvitium celandum. At verò minimè eam tantò expetiviſſet opere, ſi pileus in uſu fuiſſet, longè ſcilicet aptior & fidelior ad diſſimulandum calvitium, quàm corona.

Nihilominus tempora quædam fuerunt & homines, quibus jus & uſus capitis tegendi.

Temporibus comprehendo ſacra, ludos, ſaturnalia, peregrinationem, militiam.

Sacra ſeu ſacrificia velato capite peracta fuiſſe priſco ritu literatoribus notum eſt. Undè flamen quaſi filamen dictus, quod caput filo lanæ præcinctum haberet. Diſerte Servius in 8. Æneid. flamines in capite pileum habebant, in quo erat brevis virga deſuper habens lanæ aliquid. Quod cùm per æſtus portare non poſſent, filo tantum capita religare cœperunt. Nam nudis penitùs eos capitibus incedere nefas fuerat. Undè à filo quo utebantur, flamines dicebantur, quaſi filamines. Verùm feſtis diebus filo depoſito, pilea neceſſe erat accipere, quæ ſecundùm alios ad oſtendendam ſacerdotii eminentiam ſunt reperta: ſicut columnæ mortuis nobilibus ſuperponuntur, ad oſtendendum eorum columen. Hæc Servius eo loco. Plutarchus à pileo, quaſi pileamines, dictos arbitratur. Voſſio neque à filo neque pileo, id nomen accepiſſe videntur: longiùs enim vocabula hæc abeunt. Sed eſt, inquit, flamen à flameo, hoc eſt, velamento capitis, quo utebatur. Id autem flameum vocatum à flameo colore. Hujus verò coloris erat, quia erant ſacerdotes Jovis tonantis, cui is color convenit. Illud geſtaminis genus etiam apex dicebatur. Sic enim Juvenalis;

Et tollens apicem generoſo vertice flamen.

Maximus item Valerius inter ſacrificandum Sulpitio apicem prolapſum ſcribit. Numa Pompilius de Pontificalibus agens titulum appellat, quem ait eſſe pallium, quo ſacerdotes caput tectabant, cùm ad ſacrificium accederent. Virgilius:

Et caput ante aras Phrygio velatus amictu.

In ludis quoque, Saturnalibus præcipuè, hoc eſt liberrimæ vitæ diebus, pileus admittebatur, ſignū ſcilicet libertatis. Quo ſenſu Martialis Romam pileatam vocat:

Permittis, puto, pileata Roma.

Illo nimirùm tempore paſſim per agros urbeſq; ferè omnes lęti agebant, & cum dominis famuli epulabantur.

Peregrinatio inſuper capitis tegmen ſibi vendicabat; quod erat cauſia ſive petaſus, qui ad umbram faciendam marginatus erat, & adverſus pluvias, æſtus, ac ventos inprimis idoneus. Plautus peregrè euntibus aut venientibus petaſum ubique aptat. Cicero tabellarios petaſatos venire ait. Auguſtus teſte Suetonio, domi quoque non niſi petaſatus ſub dio ſpaciabatur: quia aëris & ſolis erat impatiens.

Denique in militia pileorum uſum fuiſſe, ſuadet Vitruvius: uſque ad præſentem, inquit, ætatem conſuetudo permanſit, ut omnes milites pileis, quos Pannonicos vocant ex pellibus uterentur. Auctor tamen eſt Suetonius, armorum & equitandi peritiſſimum Julium Cęſarem, laboriſque ultra fidem tolerantem, in agmine nonnunquam equo, ſæpiùs pedibus anteiſſe capite detecto, ſeu Sol ſive imber eſſet.

Jam & homines certi à communi illo more excipiebantur. In primis liberti novi. Nam ſervis, ſimul atque manumiſſi eſſent, capilli radebantur & capite calvo pileus imponebatur. Plautus:

Ego hodiè raſo capite calvus accipiam pileum.

Hinc ad pileum vocati ſervi dicuntur Livio paſſim & Senecæ, quibus promiſſa conceſſave libertas erat. Præterea ægris capitis firmandi gratiâ pileo uti licuit. Sic Ovidius amantem ſuum de morbo & pallore fingendo inſtruens, pileolum ei inter ſigna tribuit:

Arguat & macies animum; nec turpe putaris
Pileolum nitidis impoſuiſſe comis.

Alii legunt palliolum. Idem Senibus licuiſſe Nicephorus Gregoras oſtendit lib. 10. ubi morem eum cum Romano imperio Byzantium tranſlatum docens: de capitis tegmine ait moris apud ſuperiores fuiſſe, ut ætate provectiores aulici pileis turbinatis uterentur, ſerico textis; juniores autē omnes prorſus nudis eſſent capitibus.

Dicat aliquis, ſi omnes extra memorata tempora & perſonas, nudo & aperto erant capite veteres, quomodò Plinius, Plutarchus, Salluſtius, Seneca, aliique prodiderunt, qui viris dignitate præditis & honore dignis fortè occurrerent, obvios caput aperire conſueviſſe? Reſpond. aut de iis hoc intelligi poteſt; qui operto capite aliquâ ex cauſâ incederent, ut milites & liberti pileo, ſacerdotes flameo, omnes pluvio tempore galero, in Sole & per viam petaſo ſeu cauſiâ. Aut capitis illa tectio & apertio non tam de pileo, quàm de togæ laciniâ erit accipienda. Laciniam enim iſtam in caput ſæpè rejiciebant contra ventum, vel æſtum; eamque detrahebant viro aliquo præluſtri occurrente.

Sed è diverticulo in viam redeamus. Partes capitis, quæ pilis teguntur, ſunt ſinciput, occiput tempora; ſupercilia, cilia; & in viro juſtâ ætate labrum ſuperius ac mentum.

Sinciput non quaſi ſine capite, ut quidā explicant: neq; ut alii, quaſi ſincerum caput, ſed quaſi ſemi caput: nempè quia eo dimidium capitis denotatur; unde & Græcis *hemicephalion* vocatur: iiſdem & bregma dicitur vel bregmos à βρέχειν, hoc eſt humectare, madefacere, eò quod hæc pars humida ſit infantibus.

Occiput conflatum eſt ex ob & caput; quia ea pars ſincipiti opponitur. Nam hanc eſſe vim præverbii ob, patet ex obvio, obverto, oppono.

Tempora vel timpora, hoc enim modo in probatis codicibus ſcriptū invenitur; ita vocātur, nō quia, quaſi tēpora, quibuſdā intervallis mutātur, uti vult Iſid. ſed quia ex iis tempus, hoc eſt, anni ſive ætas hominis cognoſcitur.

Supercilia dicta ſcribit Iſidorus, quia ſuperpoſita ſunt ciliis. De ciliorum voce Feſtus ſic cenſet: cilium eſt folliculus, quo oculus tegitur; unde fit ſupercilium. Et Iſidorus cilia inquit eſſe tegmina, quibus cooperiuntur

periuntur oculi; & dicta cilia, quòd celent oculos, tegantque tutâ custodiâ. Sed cùm cillere antiquis sit movere, verisimilius est, cilia dici, quia perpetuò cillant; quemadmodum palpebræ nominatæ à perpetuâ palpitatione. Etiam Lactantius accedit Festo atque Isidoro: nam inquit: ut oculi munitiores essent ab injuriâ, ciliorum tegminibus Deus occuluit: undè oculos esse Varroni placet.

Sed enim videri queat, non tàm primò id notare, quàm per synecdochen partis: propriè autem significare non totam oculorum tunicam, sed superiorem; nec hanc totam, sed crepidinem ejus, undè pili exeunt. Plinius id indicat l. 11. c. 37. ubi ait: extremum ambitum genæ superioris antiqui cilium vocavere; undè & supercilia. Quo loco genę non sunt malæ, sed oculorum tegmina, undè palpebræ prodeunt. Hadrianus Junius in Nomenclatore suo, cilia ait esse pilos è palpebris natos; & supercilium ductum pilorum supra palpebras. Sed pili isti Plinio dicuntur palpebræ, non cilia loco jam citato: palpebræ, *inquit*, ingenis homini utrimque. fluere eas haud immeritò venere abundantibus tradunt.

Labrum, uti & labium venit à Græcô λαβεῖν labiis Denim sive labris cibum apprehendimus. Donatus ad Terent. Eunuch. act. 2. scen. 3. vult labra esse superiora, labia inferiora. Aræticus contrà sentit.

Mentum Isidorus sic nuncupari putat, quòd ibi mandibulę oriantur, vel quòd ibi jungantur. Mirifica herclè etymologia, mentum à mandibula! Paulò verosimiliùs Jovianus Pontanus in Actio suo dictum ait, quia hiantibus nobis moveatur, nempe ut ex movimentum fit momentum, & hinc mentum. At Jul. Scaliger exercit. 307. deducit à μηνύω; id est, indico, significo; quasi esset menutum. Rationem affert hanc: quòd mento demonstrent pueri & muti atque alii, etiam intenti, ubiloqui nolunt. Vel sit mentum à meno, undè & mentio & commentum.

In hisce ergò capitis partibus nascitur capillus, pilus, crinis, coma, cæsaries, capronę, antiæ.

De capillo antè vidimus, dictum videlicet ita esse, quasi capitis pilum. Ab eo est capillitium & capillamentum & capillago, quo utitur Tertullianus.

Pilus à pelle, è qua prodit; ita Isidorus & Perottus. Sed est fortassè à πῖλον, pluma inquit Vossius. Nam quòd in piscibus squamæ, in avibus plumę, hoc in pedestribus pili. At fortan meliùs à πῖλος propter densitatem.

Crinis à κρίνω, id est, discerno; quòd crines discreti sint.

☞ Coma est Græcum κόμη à κομεῖν, id est curare, ornare; quoniam studio excoli requirat. Sunt qui comam quasi κόσμον & capitis ornamentum dici autumant: quâ ratione & arborum folia comæ dicuntur, quòd ad ornatum sint comparata. Undè hyems ventorumque injuria exuere plantas honore suo, & exspoliare comis legitur, ubi frondes decutit. Nec desunt, qui à κόπτειν à cædendo vocis verbi originē derivare malint, ut ab ejus præterito κέκομμαι descendat. Quorum opinioni refragari videntur Servius & Donatus, nobilissimi Grammatici; quorum ille comas, esse capillos non tonsos annotat; hic comarum significatione prolixitatem monstrari scribit. Usque adeò non esse fidendum etymologiæ videtur, ut eam non immeritò Galenus noster dixerit mendacem testem.

Cæsaries, nunc dicimus; fortassis & olim Cæsaria. Est à Cæsa: ut à luxu venit luxuria & luxuries. Cùm autem sit à cædendo, tantùm erit virorum: quod monet etiam Servius & S. Isidorus.

Capronæ sive caproneæ aliquibus dictæ videntur, quia caprorum propriæ sint. Hæc ab aliis rejicitur sententia, recipiturque Festi, qui ait capronas esse equorum jubas in frontem devexas, quasi à capite pronas. At Nonius non equorum modò, sed & hominum facit: generatim enim ab eo definiuntur comæ, quæ ante frontem sunt. Deindè, idem ac Festus, etymon subjicit, adductis his Lucillii versibus.

Aptari caput atque comas fluitare capronas
Altas frontibus immissas, ut mos fuit illis.

Forsan tamen non est vox composita, sed simplex sive à capite, sive à caperando, quia frontem caperent corrugentve. Had. Junius ait esse antias & capronas. Et ex iis quidem quæ de his veteres prodidere Grammatici, difficile est dicere discrimen. Differre tamen vel fidem fecerit Apuleius lib. 1. flor. ubi ita scribit: jam primùm crines ejus præmulsis antiis, & promulsis caproneis, anteventuli & propenduli. Dictæ ergò antiæ ab ante.

Ista Grammatica sunt & Phylologica, eruditis tamen literatoribus grata. Nunc quòd propositum est, persequamur; affectus, inquam, capillorum explicemus & curemus, quòd Medicum est.

Quid autem inquies, rei vilis, excrementitiæ, vitæ expertis curam geris; & non potiùs partium corporis affectus tradis? Ego verò, aio capillos, etsi fortassè corporis quisquiliæ & retrimenta sint, tamen qui præcipuum sunt hominis honestamentum, & mentis arcem ab injuriis tuentur, meritò & sedulò curæ habendos esse. Quin imò forsan excrementa non sunt, sed vitam habent. Plerique quidem Medici & Phylosophi aliter sentiunt; aiuntque capillos non verè nutriri, sed à vaporibus excrementitiis forâs protrudi; quos inter elegantissimus Fernelius quoque est, his præcipuè motus rationibus: quòd præcisi omni ætate vel decrepitâ vel præcipitatâ recrescant. Deindè quòd hecticis & tabidis, quibus reliquum corpus non modò non augetur, sed planè exhauritur & liquescit, ii soli diffundantur & grandescant: neque his modò, sed etiam vitâ destitutis corporibus. Quibus apertè convinci putat, non naturæ attrahentis beneficio, sed excrementi redundantis vi & egressu ab radice dumtaxat illos increscere.

Quæ quidem non mediocriter urgere videntur, sed talia tamen non sunt, ut adversam partem tanquam improbabilem pessum dent. Etenim quòd præcisi omni ętate excrescant; hoc non solis pilis competit, sed & dentibus ex Anatomicorum omnium sententiâ: id quod ideò ipsis condonatum creditur, quia perpetuò molendis cibis atteruntur. Quòd verò hecticis & tabidis ii soli diffundantur, fit, quia vilissimum alimentum ipsis augendis accommodatum est; quale cùm iis in affectibus suppetat facile, & cæteris partibus alendis sit inidoneum, fit, ut hę liquescant, illi non item, Quòd denique in vitâ destitutis corporibus augeri animadvertantur; non propterea ipsos vitâ destitui evincitur: possunt enim in vitâ carentibus quędam excrescere vitaliter; sic namque è terrâ vitâ experte plantæ emergunt viventes. Qua ratione dici potest, in mortuis corporibus pilos retinere vitam vegetativam.

Sane vitâ pilos donatos esse, arguere mihi hęc videntur: quòd, dum canescunt pili, non radicibus tantùm, sed & in extremitatibus simul albescant: argumento illos alimento intrò attracto, intusque immutato nutriri. Deindè quod pili non crescant in immensum, sed definitam incrementi legem ac metam habeant, quemadmodum & stirpes; fidem facit eos verâ nutritione increscere. Si enim admotâ dumtaxat ad radicem materiâ atque subjectâ adaugescunt; quoniam continenter suggeritur & accedit, continuâ adauctione debere tandem in immensum luxuriare atque grandescere. Atqui contrà fieri cernimus, his, ut plantis, constitutos incrementi limites, quos prætergredi non liceat. Quo circa his, ut stirpibus, videtur alimentum omnem substantiam intrò subire, quod primâ ætate, alit, & auget, & demum cessante incremento tantùm alit. Hoc sibi objicit, verùm non solvit Fernelius: at inquit, illud esse ex his, in quibus non aliud, quàm mirari licet Dei & Naturę providentiam. Denique & hoc pilos verâ nutritione alimento intrò adacto augescere indicat, quod

quan-

quandò resecti primùm, sunt, obtusi sint in cacumine, & postmodùm grandescentes acuantur. Certè si apposità infernè materià tantùm extruderentur, fastigium exsians eandem semper figuram retineret. Neque negandū hîc est, rem tam subtilem, ut pilus est, poros habere posse per quos alimentum trahat. Nam considerentur aristarū fibræ tenuissimæ, quæ vivunt, ideoque poros habent, per quos alimentum sugunt. Quæ etiam ratio est, cur præsecti pili nihil succi emittant, ob tenuitatem enim pilorum exiguus, qui inest, succus fugit sensus nostros; quemadmodum & in jam dictis fit aristis. Quod si notabiliter crassefacti sunt pili, succum etiam sensibiliter emittent; uti subindè observare licet in illo capillorum affectu, quem plicam Polonicam nominant, in qua secti pili stillant sanguinem. Quin jam beneficio conspiciliorum microcospiorum videntur omnes capilli naturaliter se habentes cavi & ut canales pertusi ac perforati, adeò ut pennas anserum referant; figuræ verò esse triangularis plerique; radices eorum geniculatæ; velut multæ sunt plantæ.

De Canitie.

Canities vel canitia, vel canitudo, ut Varro loquitur, est à cani, quod simpliciter prolatum de capillis intelligitur. Illud autem cani nonnullis primas literas retinuisse videtur ex candidus & niger, unde sit conflatum. Ita Isidorus, canus, inquit, dictus est, quia ex candido colore & nigro est. Sed enim sive singulo canus, sive plurativo numero cani dicas, simplex est, non compositum. Nec canus est à candidus: sed contra à canus est caneo; undè candeo, à quo candidus. Canus autem est à κάω uro, quia ignis lucem parit, quæ candida à Poëtis vocatur: vel potiùs à γάνειν, id est, album reddere.

Est porrò canities naturalis pilorum coloris in alborem vel potiùs cinereum colorem commutatio. Eam propterea non invenustè spumam nominat Q. Calaber, à squallidâ nimirum albitudine:

Albebant nimiâ spumâ caput hirtaque barba.

Haud absimili ratione nivem capitis eam appellat Aurelius Prudentius: ab imitatione candoris cygnearum plumarum Flaccus nuncupat plumam, ubi Ligurinum formæ venustate superbientem modestiæ admonet his verbis.

Insperata tuæ cùm veniet pluma superbiæ.

Naso quoque apud Getas exulans in extremo senio queritur, jam sua tempora imitari cygneas plumas. Tale est Aristophanis, illud in Vespis:

Olore canior comæ silva emicat.

Hinc cygnus epitheto canicolor dicitur apud Euripidem. Græcus Poëta Hippothous canos nominat senii flores. Ver jucundum Græcis Poëtis canum vocatur ab amæno adspectu florum suâ albitudine pratorum virorem interstinguentium. Absinthium, herbam amaram, canum dixit Ovidius à cinericio albore. Mare etiam canum vocitatur ob albescentis spumæ squallorem. Decembrem mensem canum appellat Martialis propter nivis omnia operientis spectaculum. Ferrum, quod attritu candescit, ad cædes & latrocinia infame, canum appellat Homerus. Comici Græci canos dictitant polline albicantes. Quemdam albicante pariter & flavente capillo varium conspicatus Domitianus, gestare nivem mulso perfusam dixit, ut à Sexto Aurelio Victore literis proditum est.

Alia autem est canities naturalis, senectutis propria; alia præter naturam, quia præmatura & intempestiva, quam qui contrahunt, præcani vocantur ab Horatio.

Fuerunt etiam, qui cum canis nati sunt. Ita à primo ortu canum exstitisse legimus Tarchonta; qui à Tyrrheno oppidis duodecim in Hetruriâ conditis præfectus fuit: quod innatæ illius à puero prudentiæ tributum à Poëtis est simile verò. Cygno Neptuni filio canities primis annis nata nomen dedisse putatur. Tarquinium Priscum, prudentissimum Regem ab ineunte pueritia canum fuisse Strabo memorat. Numam quoque Pompilium à primâ ætate canum fuisse affirmat Servius Honoratus, quâ fide nescio; quanquam Virgilius illi incanum mentum crinesque tribuat jam tum seni. Quin & ab ipso natali canescere Albanos Scythiç populos, qui se posteros Jasonis credi voluerunt, refert polyhistor Solinus in hæc verba: albo crine nascuntur, canitiem habent auspicium capillorum; sic comæ color genti nomen indidisse videtur. At hoc non videtur Doctissimo Salmasio in Plin. exercit. ad Solinum. Refert Hesiodus Græas Phorci filias mox à partu canas fuisse, quas è sorore Ceto susceperat. Cassiodorus putat Senecæ nomen inde duci, quoniam cui primo cognomentum id impositum, canus sit natus. Johan. Schenckius ex literis Guil. Stuckii narrat Conradum à *Waldkirch* patricium & Senatorem Scaphusianum statim à nativitate canos ab unâ parte capillos, & barbam, simul atque illa crescere cœpit, similiter ab illâ parte canam habuisse, ideòque *gravvlock* esse nominatum. Illud verò inter naturæ miracula adscribendum, quod prodit Ctesias, in Indiæ quadam gente fœminas semel tantùm parere, eoque conceptu genitos confestim canescere, in senectute autem nigrescere. Quod & tradit Aristoteles de gruibus, nimirùm illas senescentes magis nigrescere, contrà quàm cætera animantia. Erginus filius Clymeni virentibus etiamnum annis ante tempus canus, cùm in funerale ab Hypsipyle in exequiis mariti Thoantis propositum descendisset, cum Boreadibus certaturus à Lemniis mulierculis risu fuit exceptus; Undè & in proverbium abierunt, Ergini cani, de intempestiva canitie.

Ista canities intempestativa & præpropera nullâ re citiùs promovetur; quàm curis, mœrore, metu. Sunt, qui è naufragio præter spem salvi enatantes, repentè cani evaserunt. Commemorant alii nonnullos, qui in præruptas rupes aucupii gratiâ funis ope pervaserant soluto eo aut delapso, desperabundos præproperam canitiem accersivisse. Memoratu digna est historia Hadriano Junio narrata olim à Francisco Dilpho, non gentilitiis magis imaginibus, quàm singulari eruditione clarissimo Equite, Cæsareæ Majestatis apud Sereniss. Angliæ Regem tum temporis Oratore; ea sic habet: Hispanus nomine Didacus sive Diegus Osorius nobilissimâ familiâ ortus, aulicæ puellæ amore captus, communicato prius cum eâ consilio, in patulâ arbore & frondosâ absconderat se; ea crescebat in Hispaniis intra Regii horti septa. Interim fortuito catelli Melitæi latratu prodita colloquii fides; satellitum manui illum objecit. Comprehensus carcerique inclusus, quòd capitale esset illic deprehendi, dictatâ ultimâ sententiâ ita inhorruit totus, ut nox unica juvenem eumdem & senem incanum viderit. Quo spectaculo motus carcerarius, delato ad Ferrandum Regem catholicum prodigiosæ rei indicio, effecit, ut capitalis, legis rigore in benignitatem converso, Rex illum absolverit, inquiens pœnarum satis dedisse, qui præmaturam senectutem cum juventæ flore commutasset.

Hanc ipsam rem contigisse testatur Petrus Messias Hispalensis: eventum hunc imaginationi adscribens. Henricus Salmuth comment. in Guid. Pancirollum, adfirmat quemdam fabrum in Hassiâ, cùm nocturno itinere à cacodæmone sæpissimè habitus esset ad auroram usque, unâ nocte canitiem spectabilem contraxisse ex metu. Aliam historiam Conrado Gesnero exposuit per litteras suas Justinus Goblerus: quarum hoc est exemplar: Fuit mihi propatruus,

Michael

Michael dictus, venationi & aucupio mirè deditus, qui cùm fossas aliquas in agris suis ex patrio more haberet pro capiendis feris, altas ita, ut nulla bestia quamlibet violenta erumpere capta posset. Accidit ut unâ nocte, eâque, dominicâ tria animalia longè diversæ naturæ unam eamdemque in fossam caderent: mulier vicina prior, quæ, ut postea ipsamet retulit, sola decurrens in agrum sub vesperam bêtis rapasque in obsonium sequentis diei illinc exportatura erat: deindè vulpes: tertiò atque ultimò Lupus incidit. Singuli sibi in fossâ locum occupatum primò totâ nocte quieti obtinent, & ut verisimile est, sese inter se mutuo metuunt. Lupus, quamquam animal ferocius, neque vulpem tamen, neque mulierem attingit invaditve, sed sui quasi in statione timidus persistit. Trepidanti interea mirum in modum mulieri nihil ab utraque bestiâ mali contigit, nisi quod ob metum ab illis unâ nocte ferè tota canesceret, & tantùm non ad amentiam redigeretur. Manè venator propatruus more suo fossas perlustrans, prædam triplicem insperatò conspicit, & ad conspectum mulieris vicinæ suæ obstupescit, quam alloquens voce suâ quasi ex morte revocat, atque fossam insiliens ut erat cordatus ac robustus, statim telo lupum interficit, deindè vulpem; tandem scalam nactus mulierem semimortuam humeris suis extrahit, & in planitiem sistit, domumque defert. Quo facto suæ illa familiæ domuique reddita, deindè per omnem vitam tristior semper quàm antè comprobabat. Jul. Scaliger. exercit. 312. ad subtil. Card. describit historiam suę tempestatis sub Francisco Gonzaga. Is affinem suum suspectum conjurationis, cùm in turri portæ Cęsareæ ad quæstionem aut supplicium asservari jussisset nunciatum est manè totum repentè canum factum.' Quod quasi prodigium flexit Principis animum; qui ei propterea & veniæ & vitę fecit gratiam. Cùm Ludovicus Bavarus Imperator cum civitatibus ad Rhenum sitis inito fœdere contra eos, qui distractione Principum Germaniam vastabant, in armis esset, Maria Brabantina ejus conjunx, Werdæ habitans, binas literas, uno quidem annulo, diversâ tamen cerâ, atrâ, rubrâ, obsignatas, istas marito, alteras Heinrico Ruchoni, decurioni equestri mittit. At is, qui epistolas detulit, errore seductus, rubrâ cerâ complicatas Ludovico tradit. Qui lectis literis amatoria agi suspicatus, dissimulatâ re, relicto apud Rhenum exercitu, quàm maximis potest itineribus ad uxorem diu noctuque contendit, & indictâ causâ adulterii condemnatam securi percuti jubet. Posteà veluti conscias Helicam virginem Prennebergensem cultello confodit, & aliam fœminam nobilem, quam gynæceo præfecerat, de turri pręcipitavit. Ob id mirandam habuit & horrendam nocturnam visionem, quâ unâ nocte totus factus est canus, Indè pœnitentiâ ductus, Monasterium in Bavariâ supra Amram, quod principis campus, patriâ linguâ *Furstenfeldi* dicitur, exstruxit, & donariis ac censibus locupletavit.

Istæ sunt canitiei causæ evidentes, quas procatarcticas appellare solemus Medici. Nunc propinquiores inquirendæ, videndùmque quid sit illud, quod colorem leucophæum capillis inducit. *Aristoteles* lib. 3. de hist. animal. cap. 11. & lib. 5. de gener. animal. cap. 4. & 5. duas proponit sententias de causis canitiei, easque refellit. Prima fuit Hippocratis, quę legitur libro de nat. pueri n. 19. cani, ait, ob id fiunt, quòd longo tempore pertranseunte humiditate in homine albissimum ejus secernitur, & ad cuticulam allabitur; & pilus albidiorem humiditatem trahens albidior fit, quàm priori tempore: itemque ipsa cuticula, præsertim ubi cani sunt, albidior aliâ evadit. Et quicumque ex nativitate canum quid in capite habent, etiam illis cuticula summa,] ubi cani sunt, reliquâ albidior existit; illic enim albissima est humiditas: qualemcumque verò humiditatem caro attraxerit, sive albam, sive fulvam, sive nigram tali colore ex jam pilus inficitur.

Hanc Hippocratis sententiam confirmat vitiligo, in qua pili albi sunt, quòd album & pituitosum alimenmentum cute subjacens simili colore pilum inficiat. Deindè quorumdam observationibus constat, aliquos cùm canitie natos barbam posteà emisisse partim canam, partim alio colore præditam, canos autem erupisse ex albis punctis & maculis, quibus menti cutis erat notata. Nihilominùs hoc placitum convellit *Aristoteles*; quòd multi pilos nigros habeant, & cute sint candidissimi? & contra Æthiopes cutem habeant perpetuò nigram, per senectutem tamen canescant.

Altera opinio, quam refellit *Aristoteles*, est eorum, qui statuebant canitiem fieri ab ariditate: sicut enim videmus albescere arescentes plantas, sive quòd à nimio Solis incendio ipsarum succus exhauriatur, sive quòd obinopiam & defectum calidi nativi novum succum prolectare non possint: similiter pilos canescere existimabant, quòd deficiente alibi humore arescerent. Hanc sententiam triplici argumento insequitur: primò, quia nonnulli derepentè cani evasere, imò & ab ipso ortu quidam prodiere cani: atqui nihil ab ipso ortu aut derepentè est aridum. *Secundò*, qui caput pileo aut alio tegumento semper operiunt, citiùs canescunt, quàm quibus illud semper est denudatum: operti autem pili minùs siccantur, quàm aperti. *Tertiò*, canities plerumque à pili cuspide inchoatur: atqui in cuspide non est tam intensus calor exsiccans quàm in radice: ergò hęc deberet priùs semper arescere, ideoque & canescere.

His opinionibus rejectis, censet *Aristoteles* causam canitiei non esse aliam, quàm putredinem, hâc ratione: quibus hominibus, inquit, natura pilorum parum calida est, plusque humoris subit, calor proprius nequit concoquere; atque ita humor putrescit calore, aëris ambeuntis: fit enim putredo quæque à calore, sed non suo nativoque: putredo autem & aquæ & terræ, & quorumvis ejusmodi corporum fieri potest: quamobrem terreni etiam vaporis putredinem novimus, quæ situs vocatur. Etenim situs caries vaporis terreni est. Itaque in pilis quoque alimentum tale, cùm non concoquitur, putrescit; atque ita efficitur ea, quæ canities appellatur. Quæ alba propterea est, quod & situs cariosorum ferè albus est; cujus rei causa est, quod multùm aëris contineat. Ita *Aristoteles* Qui rem sic se habere demonstrat exemplo eorum, qui cùm per morbos cani evaserunt, restituta sanitate pristinum colorem in pilis receperunt: cujus eventus eam adsignat causam; quòd per morbum calor nativus pili debilior factus suum alimentum non potuerit concoquere, quo ex defectu putredo, & ex putredine canities fuerit consequuta. Postea quàm verò æger sanitati restitutus est, calor vegetior factus crudos humores emendat, & putrefactos abigit, in quorum locum bonos & perfectè coctos subrogans, pilis suum colorem restituit.

Quę quidem omnia probabiliter dici videntur, sed tamen non carent difficultatibus. Nam quibus rationibus studet conficere *Aristoteles*, canitiem ex ariditate non suscitari, eisdem arguere possumus, putredinem etiam causam canitiei non esse. Etenim quod ait *Aristoteles*, nihil ab ipso ortu siccum produci, aût derepentè tale evadere; & propterea cùm canities ab ortu, & repentè nonnunquam contingat, eam à siccitate non posse provenire. Idem telum in ipsius Aristotelis sententiam possumus retorquere, dicendo nihil ab ipso ortu putridum produci, aut repente putridum fieri; ideòque à putredine non omnem canitiem pendere.

Puto ego canitiem universè ab unâ aliquâ causâ non provenire, sed à variis: est enim canities pilorum color albus; at color tum albus, tum alius quilibet à mul-

tis

tis caufis oriri poteft: eft namque color proportio certa diaphani & opaci intermixtâ luce, atqui proportio illa multiplici de caufa quit variari. In præfenti negotio variari illa poteft à cruditate & incoctione alimenti fequente imbecillitatem caloris nativi. Atque in canitie ferè femper videtur adeffe caloris imbecillitas. Tribus quippe modis ea folet accidere, per ætatem, per morbum, per fubitam animi confternationem: in quibus omnibus calor nativus imminuitur. Poteft aliter candor pilis induci; propter feparationem eorum halituum, qui per modum tincturæ ipfis colorem imprimebant: vel propter tincturam, quam à pituitofo humore accipiunt. Sed ex certa aëris & aquarum proprietate videtur oriri canities. Nam congenita ab ortu canities quibufdam populis eft familiaris: cujus eventus non videtur alia caufa poffe affignari, quàm cómunis usus aquarum & aëris, vel matris imaginatio.

Solent de canitie problemata quædam agitari. Quorum primum eft: quid caufæ fit, cur canities potius in hominibus, quàm cæteris animalibus appareat; & magis in capite, maximè autem in temporibus? Hoc problema *Ariftoteles* atque etiam Galenus folvit. *Ariftoteles*, quia canitiem à putredine fieri eixftimat, refpondet, corpora humida maximè effe putredini obnoxia: homo autem cætera animalia humiditate fuperat. Capite verò magis canefcit, quia cerebrum in homine copiofiffimum eft, & inter omnes corporis partes humidiffimum, parumque habet caloris: putredinis autem caufæ funt abundantia humidi & defectus caloris.

Quod verò ad tempora attinet, ait *Ariftoteles*, ideò maximè canefcere; quia cùm occiput parum cerebelli contineat, non valdè abundat humiditate fuperfluâ: contrà autem finciput ob multam cerebri copiam putredini refiftit: quę enim in majori copia funt, difficiliùs putrefcunt; ut vini dolium magis putredini refiftit, quàm cyathus, & mare magis quàm flumen, flumen quàm palus. Cùm ergo tempora plus cerebri contineant, quàm occiput, & minus quàm finciput; fit ut inter capitis partes ipfa omnium prima canefcant. Ita *Ariftoteles*. Nofter *Galenus* fic folvit: homo potiffimùm canefcit, quia cùm non fubeat annuas mutationes pilorum, meritò per longam ætatem infirmatur pilus & canefcit: magis in capite, ob immodicam humiditatem à fubftrato cerebro fuppeditatam: maximè autem temporibus; quia hęc fola ex omnibus capitis partibus veftiuntur mufculis: adeò ut in cæteris capitis partibus cerebri humiditas à ficcitate offis temperetur; at in temporibus concurrit duplex caufa humiditatis, cerebri fcilicet & mufculorum temporalium mollities. Ad hunc modum differunt illi fcientiarum Principes, non diffentaneè à fuis principiis. Nos fecundùm noftra hoc pacto dicere poffumus: homo inter omnia animalia maximè canefcit, quia maximè obnoxius eft defectui ac remiffioni caloris nativi: caput autem primò canitie tentatur; quia cùm cerebrum innato temperamento fit frigidum & humidum, per fenectutem maximè deficitur calore nativo: & præcipuè in temporibus propter humiditatem. Sed enim inter animalia & equi & canes quoque canefcunt. De equis *Ariftoteles* & *Plinus* fatentur. Cæterùm quia canities illa rarior minufque propria eft, nec clara admodùm, ideò folum hominem canefcere traditum eft. In equis tamen etiam ratio afferri poteft, quod os, in quo cerebrum, tenuius quàm cętera pro magnitudine habent. Argumentum eft, quod ictus in eo loco periculofus fit; unde illud Homericum:

Et qua feta hærent capiti, letaleque vulnus
Præcipuè fit equis.

Cùm igitur præ tenuitate offis affluat humor, & per ætatem calor deficiat, pili ifti canefcunt: ruffi verò celeriùs quàm nigri: nam & ruffitas quafi imbecillitas pili eft: imbecillimum autem quodq; fenefcit celeriùs.

Alterum problema: quænam pars corporis omnium poftrema canefcat? Refpond. pubem ultimò canefcere, ut bene obfervavit *Ariftoteles*. Cujus eventus ratio in copiam fanguinis & fpirituum eam in partem defluentium referenda videtur.

Tertium: cur, cùm caput & mentum canefcant, palpebrarum pili non canefcant, qui intermedii funt? Refpond. quia ficco, firmo, folido & denfo loco funt inferti.

Jam ad curationem nos accingamus. Canities, quæ naturaliter & tempeftivè venit in fenectute, tolli non poteft, nec fuco emendari debet: nam fenem turpe non eft effe canum. Quin venerabilis eft canities, *Ovidius*.

Magna fuit quondam capitis reverentia cani:
Inque pari pretio ruga fenilis erat.

Cano feni in theatro univerfi affurrexere Spartani Unde Satyricus:

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si juvenis vetulo non adfurrexerat.

Quod jam anteà *Moyfes* præceperat in Levitico: coram cano capite affurge, & honora perfonam fenis. Canities atque fenium, fcribit *Heraclides*, facri quidam portus funt extremæ ætatis, fecura hominibus ftatio quantumque corporis tum decrefcunt vires; tantum animi vigor augefcit. Apud Gentiles caftitatis Dea habita Vefta, cana dicitur Maroni. Et fides, cujus numen fanctiffimum, cana eidem nominatur. Eâdem dignitate Veritas cana, apud Varronem audit. Naturæ longevæ rerum parenti canitiem dat Claudianus. Æternitatem eadem infignit Nonnus. Tempus, Diphilus Comicus appellat canum opificem. Apud Romanos vetufto more nubentes canis fenum ornabantur, ut & Veftales virgines, caftitatis vitæque integritatis exemplo, ut è Sext. Pompeio liquet. Thebæ Bœotiæ habebant canum Apollinem, tefte Paufania in Bœoticis. Apud Cimbros facerdotes & vates canę caftia fequebantur, magno in honore habitæ, quæ de præliorum eventu vaticinia edere folebant. Denique Salomon in Proverb. ut juvenum gloria, *inquit*, in robore pofita eft, ita fenum dignitas in canitie,

Hanc tamen dignitatem quidam ftudiosè occultare conantur pigmentis adhibitis. Quam capillorum tincturam primùm à Medeâ excogitatam tradit Clemens Alexandrinus in ftromatum libris; præclarum fcilicet lenocinii rudimentum. Eodem loco acriter idem auctor invehitur in eos, qui meretricio more vultum pingunt, cæfariemque tingere non ceffant. Quæ res ut in viris fummè pudenda, imò deteftanda, ita è diverfo fœminis, quibus mundicias, ornatum, cultumque pro infignibus effe permittenda fcitè apud Livium differit Lu. Valerius eatenus indulgenda, dum certis finibus coërceatur licentia, nimiaque curiofitas, atque intra fucum confiftat. Lucillius epigrammatarius lepidè jocatur in anum canos tingentem, dictitans, fuco nunquam effici, ut ex Hecubâ fiat Helena. Cæus quifpiam magno natu homo, cætera futilis, ob fenectam tamen venerabilis, inducto fuco canos tegere conatus, legationem, cujus causâ Lacedæmona venerat, exponere cùm cœpiffet, Archidamus Rex, animadverfo dolo, affurgens: quid, *inquit*, fani dixerit ifte, qui non animo tantùm verùm etiam capite mendacium circumfert? fimulque cum dicto orationem hominis explofit, ac pro indictâ habuit uti refert Ælianus lib. 7. omnigenæ hiftoriæ. Philippus Macedo

cedo similiter Antipatrum, quem ex amicis in Judicum ordinem cooptarat, capillos pariter & barbam fucantem, ut mendacem summovit, adjiciens: in crinibus infidum; nihilo fideliorem in rebus gerendis fore. Hujus filius Magnus haud vano cognomine Alexander, senem capillos inficientem conspicatus; ne comam, *inquit*, tingas, sed si potes, genua, ut à Plutarcho scriptum est. Ridet pulchrè Lentinum quendam Martialis:

Mentiris juvenem tinctis Lentine capillis.
Tam subitò corvus, qui cygnus eras.
Non omnes fallis; scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

Tamen quæ intempestivè venit canities, ea corrigi potest, neque inconvenit. Pro quâ tollenda, si corpus cacochymum est, hoc à vitiosis humoribus expurgandum. Quo facto ad capitis evacuationem est procedendum per sternutatoria, apophlegmatismos & errhina. Deindè ad medicamenta calorem nativum corporis & cerebri roborantia veniendum. Inter quæ multæ sunt confectiones calidę; sed primas tenent theriaca & mithridatium. In primis verò studendum, ut liber sit animus, neu affectionibus iis agitetur, quas diximus c[anit]iem accelerare. Novi ego virum religiosum, cui cùm imposita esset provincia pueros humanioribus literis imbuendi, eamque iniquo susciperet animo, quòd sic non satis Deo & pietati vacare posset, canescere cœpit. Quod animadvertentes Superiores eum à munere illo summoverunt, statimque, mirabile dictu, capilli ad pristinum nigrorem rediverunt. Tantum in corpus valet animus! Evonymus, qui est Conradus Gesnerus, in thesauro suo aquam describit tantæ virtutis, ut senem rejuvenescere facere sit potens. Pedemontanus & alii similia medicamenta proponunt. Narrat Deodatus de insigni Chymico Joan. Montano, quòd suo elixire sumpto, decidentibus canis & unguibus è totius corporis cute, senectam deposuerit, & juventutis florem denuò comparaverit. Quæ an vera sint, ego nescio; hoc scio, à Chymicis multa magnificè promitti, non præstari. Petrus de Osma scribit, se Indum vidisse, qui cujusdam herbæ succo Hispanos quovis morbo laborantes, cæterosque Indos persanabat, junctaris omnibus succo illitis, pannisque coopertis, à quibus deinde sanguinis copia exsudabat: & repetitâ curatione non à difficillimis tantùm morbis multos sanatos fuisse, sed eodem auxilio plures valde senes repubescere visum fuit, robustiori recuperato corporis habitu. Cæterùm herbam nec pretio, nec precibus, aut minis patefacere unquàm voluit. Sit fides penes auctorem. Hoc pacto Glaucum fabulabantur antiqui immortalem factum cujusdam herbæ esu. Sed neque imitandum, quod Rhazius prodit, amicum se habuisse, qui potatâ chalcanthi drachmâ unicâ nocte pilos omnes albos exuit. Quod periculosum est medicamentum & erodens, ideoque per os minimè sumendum.

Si per ista antè præscripta, simul servatâ bonâ victus ratione, capilli canitiem per se non deponant, ad pilos tingentia accedi debet. Inter quæ alia tingunt colore nigro, alia flavo. Videndum ergò quis color cuique conveniat. Tincturam autem præcedere debet pilorum absterfio, & à sordibus, pinguedine, ac squallore expurgatio: etenim colorem non admittunt, quę sunt unctuosa. A frigidis tingentibus præcipuè lęduntur, quibus imbecillum est caput. Itaque acerba, austera, & hujusmodi valdè adstringentia iis plurimùm nocent teste Galeno, qui observavit, plerasque mulieres talium abusu, dum canos fucare vellent; in gravissimos affectus incidisse. Constat verò quibus caput est frigidius, eos promptiùs offendi; graviùs autem, quibus est calidius; his siquidem frigus magis est adversum; & in morbis magis periclitantur, quorum naturæ non convenit affectus. Gordonius in hanc sententiam ait: melius est habere modicum de verecundiâ fatuâ; quàm dolorem perpetuum capiti inducere.

Medicamentum denigrans, neque ullum periculum damnumve inferens capiti est hoc:

♃ Myrobalan. nigror. unc. I. passar. nigr. unc. ij. vini nigr. adstring. lib. ij. bull. in duplici vase lento igne ad consumt. duarum tertiarum: dein adde succi cortic. nucum viridium lib. v. sumach, acaciæ ana unc. I. Caryophyl. integ. sesquidragm. moschi scrup. I. ponantur iterum ad ignem & sine ebullitione detineantur per dimidium diem. Isto illinuntur capilli noctu, quando itur dormitum: deinde contegitur caput panno nigro, atque ita detinetur totâ nocte. Manè postmodum abluitur caput vino nigro adstringente, in quo ebullierint myrobal. nigr. Sic continuetur uno mense circiter.

Hoc etiam linimentum commodum est.

♃. Vini rubr. ℔. I. salis drachm. I. chalcanthi drachm. ij. Misce, & pone in testulâ vitreatâ parum bulliant: tum ab igne remove, & denique adde gallæ subtiliss. tritæ q. s. pro faciendo linimento, quod mellis crassitiem habeat; quo capilli optimè illinantur, & ita caput pannis lineis tectum per tres circiter horas relinquatur. Deindè pannis calidis siccetur caput, medicamentumque excutiatur, & abluatur lixivio.

Aliud: ♃. Nuces gallas tot, quot vis: redige in pulverem, & impone sartagini ferreæ super ignem, donec nigrescant. tum infunde eis guttatim ol. olivar. agitando semper, sic ut oleum imbuant, atque ita exsiccentur ad ignem, dein contunde benè, postea isti pulveri adde pul. vitriol. rosmarin. sal. gemmæ caryophyll.

Simul ♃. Cort. arbor. jugland. granator. alumin. ana part. æqu. buliant in vino, donec hoc nigrescat instar atramenti. Colato huic vino injice dictum pulverem, tum lava caput forti lixivio; dein sicca: deindè lava isto vino, ac linteo involve caput, maneatque involutum per hor. VI. denique ablue caput aquâ & vino, & sicca. Durabit hæc nigrities ad V. vel VI. menses. Facile parabile est hoc; si capilli quotidie pectine plumbeo depectantur, intincto priùs in succo nucum viridium, aut atramento scriptorio.

Flavos capillos reddit hoc lixivium:

♃. Lixivii sarment. vitis lib. ij, Rad. bryon. chelidon. curcum. ana. semunciam. Croci lilior. albor. ij. flor. verbasc. stœchad. citrin. genist. hyperic. ana drachm. j, coq. simul. & f. lixiv. clarum s. a. Sæpe crines hoc lavandi, donec perfectè tingantur.

Aureos reddit alkanna Arabum pauco vino albo tepente excepta, & in pulmenti formam redacta. Eo unguento capilli ad radicem usque illinendi; & ita per 24. hor. stupis cooperti & benè fasciati sinendi. Posteà tepente vino caput lavandum; & denique pectendum. Cineris unguen rutilum producere crinem, dixit in Originibus Cato inquiens: mulieres nostrę capillum cinere ungitabant, ut rutilus esset crinis.

A canitie præservat, seu ne canescant pili, vermium terrenorum cinis præstat, admisto, oleo si eo in pectendo utaris: testes sunt *Plinius, Serenus Sammonicus & Marcellus.*

De Calvitio.

Calvitium ducitur à calvus quod est, capillis vacuus, ut vult Jul. Scaliger comment. in lib. I. Arist. de hist. animal. Putat Vossius non ineptè derivari à κείρω, unde ἴκαρον: ut à λείριον lilium, sic à καρεῖν calvus, converso utrobique r. in l. Magis tamen ipsi arridet, ut vel sit à φαλακρὸς calvus, per metathesin,

ſin, & ablato r. vel ab Hebræo *kal*, quod eſt leve. Hoc calvi etymon firmat ipſa definitio calvitii, quæ eſt apud Ariſtotelem lib. 3. de hiſt. anim. cap. 11. capitis lævitas calvitium nuncupatur, ut Gaza vertit; vel ut Scaliger: verticis glabritia calvitium dicitur. Martinius addit, calvus videri eſſe à Chaldæo *kalf*, quod eſt decorticare, delibrare. Denique Alſtedius ducit à κάλλος, pulcher, per antiphraſin. Calvitium ex noſtrâ definitione eſt abſentia pilorum in calvâ. Turpe autem eſt & deforme calvam capillis nudam eſſe. Eſt enim coma id ferè capiti, quod plantis germinibuſque ſunt folia, à parente Naturâ producta ad fructuum conſervationem, quorum fotu pariter ac refrigerio, aëris injuria tum averteretur, tum retunderetur: quo fiat, ut avulſis frondibus arbores & plantæ indecoro vulnere ac depili nuditate affectæ mœreant quodammodò, morſumque ſentiant; uti in Sympoſiacis diſſerit Plutarchus. Firmat id Ariſtoteles lib. 5. de gen. anim. dum ait, id eſſe in homine calveſcere, quod in avibus depenneſcere; in foliis arborum defrondeſcere. Proinde nihil mirum, ſi calvitium, quo caput ferè depilatur, apud omnes ætates opprobrii loco habitum fuerit. *Naſo*:

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus.
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Heliſæus Propheta calvus à puerorum catervâ ſannis exceptus, ludibrioque habitus fuit, quamquàm non impunè: quippè quos diris devotos protervię pœnas urſis dediſſe conſtat. Apuleius, mulierem etiam venuſtiſſimam, ſi capillitio nudetur, licet illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata; licet, inquam, Venus ipſa fuerit, licèt omni gratiarum choro ſtipata, toto cupidinum populo comitata, cinnama fragrans, balſama rorans; ſi calva proceſſerit, placere non poterit, ne Vulcano quidem ſuo. Ambroſius in hexaemero lib. 6. ſcribit comam eſſe reverendam in ſenibus, venerandam in ſacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adoleſcentibus, comtam in mulieribus, dulcem in pueris. Tolle arboris comam, arbor ingrata eſt: tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo perit. Julium Cæſarem calvitii ſui deformitatem iniquiſſime tuliſſe retulimus cap. 1. hujus tractatus; eâque de causâ deficientem capillum à vertice revocare conſueviſſe. Domitianum Cæſarem calvitio ita fuiſſe offenſum à Suetonio proditur, ut pro ſuâ ipſius contumelia duceret, ſi cui alii objiceretur. Agathoclem Siciliæ tyrannum turpi calvitio deformem tradidit Ælianus, quem cum puderet defluentis capilli, myrteam corollam, glabritiæ velamen, quo nuditas tegeretur, adornavit. Acerbè Juliam filiam ſuggillavit Auguſtus, qui aliquando improviſus cùm oppreſſiſſet coſmetrias ſive concinnatrices, præmaturam canorum ſegetem vellentes, percunctatus illam eſt: malletne cana eſſe, an calva poſt paucos annos: reſpondentique, canitiem ſe præoptare, regeſſit ille mendacii notam iſto dicterio; quid ergò iſtæ tàm citò calvam te reddunt? Veſpaſianus lepidè calvitium argutâ oſtenti cujuſdam eluſione non diſſimulavit: nam viſo comete, qui mortem ipſius portendere credebatur, non ſibi, ſed Parthorum Regi minitari dixit; illum namque comatum eſſe, ſe verò calvum. Modeſtè tulit calvitii ſui opprobrium Tiberius Cæſar à Sejano Prætore ludibrio habitus, quandò in Floralibus per calvos omnia peragenda curavit ille, qui poſtea ab ipſius nomine Sejani nuncupati fuerunt: ac rurſus è theatro deſcendentibus faces præferri per quinque mille raſos pueros, qui calvitium glabris capitibus mentiebantur. Galba Imperator ita fuiſſe glaber fertur, ut Fabius Fabulus caput ejus præciſum, veſtis ſinu exceptum portare debuerit, cùm ob pilorum raritatem difficillimè prehendi poſſet. Carolus filius Ludovici pii Imper. cognomento calvus fuit dictus à calvitio: in cujus laudem Hugbaldus monachus, vir, ut tum ferebant tempora, haud indoctus, eclogam compoſuit non illaborioſam, cunctis vocibus initialem literam C. præferentibus. Socratem quoque recalvâ fronte depingit Hieronymus, ſapientiæ argumento. Æſculapium calvum oſtendunt Ægypii eamdem ob cauſam. Ulyſſem item calvum nominat Syneſius. Sed & Iſocratem oratorum omnium ſuaviſſimum, calvum conſtat: uti & Hippocratem noſtrum. Qui omnes cùm prudentes, ſapientes, aſtutique fuerint viri; hinc forſan monet nos vulgatus verſiculus à calvorum familiaritate abſtinendum eſſe:

Si non vis falli, fugias conſortia calvi.

Porrò quemadmodùm canities, ita & calvitium aliud eſt naturale per ætatem adveniens: aliud præter naturam, accidens intempeſtivè. Narrat Herodotus Scythicam quandam gentem à natali in perpetuum calveſcere. Myconii quoque pilis carentes naſcuntur; quod præter Strabonem & Plinium teſtatur Lucilius vetus Satyrographus, ita inquiens:

Myconi calva omnis juventus.

Ita ut Strabonis teſtimonia calvi quicumque Myconii appellari proverbiali dicterio conſueverint.

De repentè quoque calvitium contrahi poſſe, uti de canitie diximus, docet nos Marcellus Donatus lib. 1. hiſt. med. mirab. Adoleſcentula, ſcribit, patri unica manè parentis thalamum ingreſſa, ut de more illi è lecto ſurgenti miniſtraret, adapertis feneſtris patrem vocat; illum verò altiori ſomno detineri rata ad cubile accedit illum expergefactura: verùm rigidum immobilemque repertum cùm tetigiſſet, frigidum invenit, nocte intempeſtâ ſubitaneâ morte oppreſſum. Quo caſu inopinato perterrefacta & horreſcens, arrectis capillis, ſemianimis vicinos advocat; (ſoli enim pater & filia vitam ducebant) qui patrem mortuum ſepulturæ dederunt, ſemiviventem filiam in lectum collocantes, ut vires reciperet: cui quartâ die cœperunt defluere capilli, ita ut omnes ferè deciderint, paucique fuerint reverſi, & in poſterum calvitio laboraverit.

Cauſa calvitii ſumenda eſt, vel ex cutis vitio tum in primis, tum in ſecundis qualitatibus, præcipuè in ariditate: vel ex convenientis alimenti defectu, ſicciore videlicet reddito cerebro: vel denique ex læſione virtutis formatricis; ſic videmus nonnullos calvos fieri vitio ſui generis, in quibus cutis benè ſe habet, neque apparet boni alimenti defectus.

Dicunt Hippocrates & Ariſtoteles ante venereorum uſum neminem calveſcere: mulieres item à calvitio immunes eſſe. Cæterùm rem aliter ſe habere, poſſeque virum citra venereorum uſum calveſcere, experimenta & rationes convincunt. Occurrunt enim permulti ſpectatæ probitatis viri, & numquam venerem experti, qui tamen calvi ſint. Contrà autem alii ſunt inſigniter venerei, qui tamen calvi nunquàm fiunt. Videlicet non ex ſola alimenti penuriâ, ſed & ex cutis & facultatis formatricis vitio oritur calvitium. Quod ad mulieres attinet, ſcribit Ariſtoteles, eas non calveſcere, quoniam ipſarum natura puerorum naturæ ſimilis eſt; utraq; ſcilicet ſterilis excrementi ſeminalis. Idem Galenus docet ad aphor. 28. ſect. 6. Eunuchi neque podagrâ laborant, neque calvi fiunt. Eunuchi enim, ait Galenus in comment. ſimiles fœminis efficiuntur: ſicut ergo in his calvitium non accidit, ſic neque in eunuchis, propter temperamentum frigidum. Sed huic quoque ſententiæ & rationes & experimenta adverſantur. Sunt quippè non paucæ mulieres calvæ tum juvencu-

Ab alimenti defectu veniens tollitur ægro restituto & benè habito.

Qui curaturus est capillorum defluvium, hunc præcipuum sibi scopum præfixum habere debet ex Galeni doctrinâ, ut caput roboret, boni succi delationem ad cutem procuret, eamque ad densitatem & raritatem moderatam deducat.

Ubi statim petat quis : an ista topica seu localia remedia adhiberi possint ante universalem corporis evacuationem? Dicendum est: posse, si causa defluvii sit vel alimenti defectus, vel cutis raritas. Sed si humorum pravitas ac corruptela sit causa, præmittenda est totius evacuatio.

Inter localia medicamenta conveniunt calida & adstringentia moderatè : in quibus principem locum obtinet ladanum oleo lentiscino mixtum, vel oleo myrtino, si largè capilli defluant; undè liceat conjicere, multam cutis capitis raritatem adesse.

Formula poterit esse hæc : ℞. Ladani optimi unciam, olei lentiscini unciam. Misce.

Hoc apud Galenum & simplicissimum & efficacissimum est medicamentum, quo se nullum præstantius neque esse expertum, neque animo concipere potuisse fatetur. Licebit tamen ei addere myrrhæ electæ drachmam. pulv. capill. ven. verbenacæ rectæ an. scrupulum. Mis. f. linimentum.

Alii præparant olea adstringentia, quibus imponunt deindè ladanum, myrrham, & alia : verbi gratiâ.

℞. Rosar. sicc. balaustior. cortic. granat. an. drachmam. ol. comm. unc. quatuor. vini rub. adstringentis sesquiunciam : bulliant ad consumptionem vini. Tum ℞. Istius olei sesquiunciam. Ladani, myrrhæ an. drachmas tres. pul. capill. ven. drachmam. Misce pro linimento.

Aliud : ℞. Apum uncias sex. adipis ex collo equi uncias quatuor. mellis comm. uncias duas. Moschi scrupulum. Pistillo contunde; & concorpora ad lentum ignem. Eo ungatur caput vesperi, superalligando linteum calidum.

Quidam his sanatus est : ℞. Ladani semunciam. ol. myrtin. mastichin. an. sesquiunciam. mis. pro linim.

℞. Lixivii facti cum cinere quercus lib. v. gal. lar. non perforat. adianti an. pugillum. fol. rosar. sesquipugillum. baccar. myrti semipugill. acaciæ, ladani an. drachmas duas. Acaciam & ladanum ligata in petiâ cum reliquis pone in lixivio, bulliantque ad consumt. tert. part. Isto linimento vesperi caput ungatur, & mane lixivio lavetur.

Si quibusdam displiceat, pinguia & unctuosa in capite ferre, fiat decoctio ex cap. ven. abrotano, polytricho aureo, lentisco, fol. myrti, rosis, absinth. in vino rub. & eo caput abluatur.

Item spumam carnis bubulæ macræ in aquâ coctæ collige in ollulâ mundâ; adde aquam mellis : atque eâ unge locum depilem.

Hæc aqua omnium est efficacissima:

℞. Aq. stillat. è melle uncias tres, ol. tartar. unciam, aquilæ vegetabilis drachmas duas. Mis. & fervebunt. Fervore facto subsidet crassamentum. Dein filtra per chartam bibulam; & utere. Descriptio aquilæ vegetabilis est hæc:

℞. Tartari libram. calcinetur per ignem carbonum lineorum in vase lapideo perforato, & aëri aperto exposito, quia horrendum fœtet. Deinde in pulverem redigatur, & ponatur in ollâ lapideâ novâ, atque affunde poculum aquæ pluviæ. tum coq. ad consumtionem medietatis. postea filtretur per folium chartæ bibulæ quadruplicatæ; & appositæ infundibulo: orificium infundibuli imponendo phialæ seu lagenæ vitreæ, ut sensim in eamdem destillet. Si gratum colorem addere vis, quandò medietas decocta est, adhuc ferventi injice taleolam tenuem cortic. aurantii. Quò plus decoquitur, eo est valentior. Hujus aquilæ multæ & mirificæ sunt virtutes, quas enarrare non est hujus loci.

Ista adhibenda sunt detonsis primò vel rasis capillis : deindè cutis fricanda: tum medicamenta apponenda.

De area, alopecia, & ophiasi.

Area ab areo est. Varro lib. 4. de ling. lat. ubi frumenta secta terantur & arescant, area. Propter horum similitudinem loca in urbe pura, areæ. Ubi per pura loca intelligit non ædificata. De origine ejusdem vocis sic Festus censet: area propriè dicitur locus vacuus, quasi exaruerit, & non possit quidquam generare.

Est ergo hoc loco nobis area glabrities seu privatio pilorum instar areæ in partibus capitis quibusvis. Vulgò vocant depilationem.

Hujus duæ sunt species : alopecia & ophiasis.

Alopecia vel alopeciasis est area seu glabrities capitis quâlibet figurâ prædita. Nomen tractum est à vulpibus, quæ dicuntur Græcè ἀλώπεκες, quarum lotium terræ inspersum toto anno eam sterilem reddere, scribit Callimachi scholiastes. Vel potiùs è vulpibus nomen habet, quòd ipsæ, cùm annosæ sunt, illi affectui sint obnoxiæ, obortâ per ætatem scabie:

Ophiasis est area capitis tortuosa instar serpentis. Dicitur à serpentibus, qui Græcè nominentur ὄφεις; quòd eorum figuram hæc depilatio referat. Hæc accidit solis pilis superioris capitis : alopecia etiam barbæ accidere potest.

Occupat utrumque vitium non totum caput, sed partes quasdam & loca tantùm quædam cuti; ad distinctionem defluvii capillorum, de quo antè, quòd promiscuè & sparsim toti capiti accidit.

Causa arearum post ortum venientium est parvus humor erodens radices pilorum; qui aliquandò simul malignus est, tanquam in lue venereâ. Humoris potest esse serum, pituita, & bilis utraque, putrefacta vel corrupta. Quemadmodum enim plantæ moriuntuntur, si muriâ, lixivio, aceto, urinâ alluantur, ita capilli defluunt, si humore salso & acri circumfundantur.

Fernelius in consiliis suis narrat casum, cujusdam qui ab ortu & semine areas contraxerat.

Alopecia & ophiasis facilè cognoscuntur; & facilè quoque inter se distinguuntur. Nam alopecia quidem est area, quæ sub qualibet formâ dilatatur, ita ut nullam certam figuram habeat: ophiasis verò more serpentis tortuosè progreditur; & modò ab occipitio extenta utrimque ad aures usque serpit, latitudinem habens duorum ferè digitorum transversorum; modò aures prætervecta ad ipsam usque frontem serpentis instar procedit. Alopecia quamlibet ætatem invadit: ophiasis ferè infantes. Præterea in ophiasi majus causæ vitium est, ut non solùm pilorum radices, sed & cuticula erodatur. Commune utique est; quòd emortuâ summâ pilliculâ pili primùm extenuantur, deindè excidunt : ac si ictus is locus sit : sanguis exit liquidior ac mali odoris.

Alopecia, quæ à lue venereâ ortum habet, id peculiare obtinet; quod superciliorum citius & barbæ, quàm aliarum partium pilos adgredi consuevit, subindeque ejus partis capitis, quę rariùs hoc defluvium patitur, ut sunt latera utraque. Sic & alopecia, quæ lepræ soboles est, magis in superciliorum, quàm aliarum partium pilos grassatur.

Signa causarum sunt, quòd si cutis apparet albidior, peccabit pituita; si nigrior, melancholia; si pallidior, flava bilis.

Increscit

increſcit utrumque vitium in aliis celeriter, in aliis tardè. Pejus eſt, quod denſam cutem, & ſubpinguem, & ex toto glabram fecit. Difficilioris ſanationis eſt ophiaſis, quàm alopecia: nam illa à materiâ & craſſiore & deteriore oritur, & ſimul cuticula eſt excoriata.

Alopecia in infantibus faciliùs ſanatur; quàm in adultis. Id quod voluit Celſus, dum inquit; hanc vix unquàm ſine curatione, illam per ſe ſæpè finiri. Sebaſtianus Egberti experientiſſimus Medicus & Conſul Amſtelredamenſis, civis meus, notis ad Dodonei praxin, ſcribit ſe obſervaſſe illos affectus anno 1614. quaſi epidemios, & puerulos invadentes.

Si per modicam frictionem cutis capitis mutetur color cutis, citò & facilè vitium tollitur. Si per modicam vel mediocrem frictionem non mutetur color cutis, vel vix mutetur; affectus non niſi difficulter, & longo temporis ſpatio pelli poterit. Si medio modo ſe habeat, medio etiam tempore tolletur.

Ut autem tollantur hi affectus: in primis, ſi ſinant vires, incidenda eſt vena, ſanguiſque mittendus pro ratione plenitudinis corporis, præmiſſo leniente. Tum ad purgantia veniendum. Galenus lib. de comp. med. ſ. l. cap. 1. narrat hiſtoriam cujuſdam adoleſcentis alopeciâ laborantis, ex quâ licet colligere, quæ medicamenta ſint accommodata. Huic adoleſcenti primùm dedit duas pilulas ex aloe, quæ ciceris magnitudinem habebant. Deindè ſolâ hierâ diacolocynthidos eum purgavit bis in quinque diebus, primâ quidem vice drachmis quatuor, alterâ drachmis quinque exhibitis. Poſtea ad evacuantia caput eſt procedendum per errhina & apophlegmatiſmos. Denique ea uſurpanda, quæ materiam in capitis cute detentam diſcutiant. Ea debent eſſe calida, non vehementer ſiccantia, tenuium partium, & metaſyncritica. Inter quę quædam ſunt leviora, quædam mediocria, alia valida. Levius eſt hoc:

℞. Amygdal. amar. cum cort. uſtar. drachmas tres, thuris drachmam, olei chamæmel. unciam. ceræ parum. Miſc. f. liniment. Mediocre eſt iſtud:

℞. Pul. amygdal. amar. uſtar. drachmas duas, ſem. erucæ drachmam. ellebori ſemidrachmam. adip. urſin. anſer. ana unciam, ceræ parum. f. linim. Validum eſt illud:

℞. Euphorb. thapſiæ ol. laurini, ana drachmas duas. ſulphur. vivi, ellebori utriuſque ana drachmam. ceræ drachmas ſex. cum ol. vetere f. linim. Quæ adhibenda ſunt calida, raſo capite perfrictâ cute, in loco calido, donec cutis ſuum naturalem colorem recipiat. Poteſt ante inunctionem caput lavari lixivio, in quo cap. ven. polytrichum, abrotan. ſimileſque plantæ coctæ ſint; & poſt lotionem caput linteo calido fricari; tum inungi.

In affectibus his inveteratis, ubi alia non profuerunt, hoc efficax eſt:

℞. Pingued. lardi veteris ſemilibram. terebinthin. uncias tres. lapid. polychreſt. ol. tartari ana drachmas ſex, ſulphur. vivi, ceruſſ. lotæ, lithargyr. minii ana ſemunciam. ellebor. utriuſque piper. long. tutiæ præpar. nihili alb. ana drachmas duas. Mixtis affunde ſuccor. depurator. rad. lapath. acut. & ſcrophular. herb. fumar. ſcabioſæ, cort. inter. virid. ſambuci, limon. ana uncias duas. Coq. ad ſuccor. conſumptionem. Poſtea adde ſtyrac. liquid. cinnabar. factit. ana drachmas ſex. ol. laurin. juniperin. ovor. ana ſemunciam. mercur. ſubl. ſeſquidrachmam. Miſc. f. unguent. Deſcriptio lapidis polychreſtri, qui hoc medicamentum ingreditur, eſt hæc:

℞. Vitriol. alb. ſalis nitri ana uncias duas. lithargyr. utriuſque ana ſemunciam, lapid. calamin. drachmas tres. Miſc. f. pul. coquendus in vin. rub. q. ſ. ad lapidis duritiem.

Fernelius in juvene carnoſo, benè ſano, annor. 20. areis ab ortu laborante, hæc ſuadebat: primò cutem glabram & jam ſiccam fotibus emolliendam & laxandam: venæſectionem & purgationem. Fotus fient ex decocto rad. althææ, lilior. malv. violar. parietar. ſem. aniſ. lini, fæni Græci. Dum hoc fotu pars mollior videbitur reddita, fiat fotus ex ſalviâ, betonic. ſtœchad. adiant. cap. ven. abrotan. ſem. urtic. & ſinap. coctis in aquâ & vini albi parte quartâ. Mox à fotu areæ ungantur adipe urſino. Exactis diebus quindecim, mane & veſperi caput confricetur cæpis contuſis, dum prorſus rubeſcat, & mox melle oblinatur vice cataplaſmatis. Si ſub his remediis pilus non erumpat, adhibendum erit hoc unguentum:

℞. Thapſiæ pulv. drachmam. adipis urſin. unciam. Miſc. hujus vi ſi pilus non ſuccreſcat, dicit vix ſpem ullam aliunde eſſe poſſe.

In puerulis areâ laborantibus venæſectio & purgatio locum non habent, ſed ſola topica ſufficiunt. Sæpè ſatis eſt, lavare caput vino Gallico, in quo ſapo vulgaris ſit diſſolutus.

De nimiâ prolixitate, criſpitudine, rectitudine, ſetaceâ rigiditate, redundantia, fiſſurâ pilorum, & pinguitudine.

Pili longiores, quàm uſus illorum, aut conſuetudo regionis fert, deformitatem inducunt: tanquam ſi in frontem longiùs deſcendant; vel mulieribus in labio ſuperiore myſtax, aut in mento barba oriatur.

Rectos etiam omninò ſeu planos pilos cùm aliqui certis in locis minùs decoros eſſe, criſpoſque illic decere magis exiſtiment, eos criſpari arte deſiderant.

Sunt alii, qui pilos ita duros habent, ut videantur pili ſuum ſive ſetæ: quod etiam moleſtum eſt & indecorum.

Accidit præterea, ut capilli in capite & barbâ findantur & dividantur; ita ut, qui antea ſimplices erant, bifidi appareant: quod etiam deforme eſt.

Denique multis pili pingues ſunt & uncti, quaſi adipe obliti, adeò ut præ pinguedine ſplendeant, & ſibi mutuò adglutinati cohæreant. Id quod ingratum, ineptum, abſurdum eſt.

Longitudo & luxuria pilorum provenit ab alimenti copia; ratione cujus vis pilos educens ordinarios ſuos incrementi terminos excedat.

Criſpitudinis cauſam tum Ariſtoteles tum Galenus conati ſunt adferre. Ariſtoteles attulit duplicem. Primam quidem, diverſum motum diverſarum partium, quæ pilum conſtituunt. Inflectitur, inquit, pilus, quia duplici delatione fertur: terrena enim portio deorſum deprimitur; calida verò & fumoſa exhalatio ſursùm attollitur: cumque pilus præ ſuâ imbecillitate inflecti facilè poſſit, intorquetur; quod pili criſpitudo eſt. At ſi hæc ratio vera eſſet, omnes haberemus pilos criſpos, cùm in omnium pilis adſit duplex illa materia, terreſtris ſcilicet & calida fumoſa.

Alteram criſpitudinis cauſam refert Ariſtoteles in ſiccitatem: quia, inquit, in pilo parum humoris, multùm autem portionis terrenæ ineſt, efficitur ut pili reſiccati ab aëre ambiente contrahantur: inflectitur enim & contrahitur, quod rectum eſt, ſi evaporatur: atque convellitur pilus, quemadmodum cùm ab igne aduritur: utpote cùm criſpitudo convulſio ſit ob humoris inopiam. Hanc eandem rationem adſignat Galenus lib. 2. de temp. cap. 5. quam etiam illuſtrat ſimilitudine corrigiæ, quæ cùm ab igne plus juſto ſiccatur, intorquetur. Quæ quidem ratio in capitibus

capitibus & pilis Æthiopum locum fortaſſis habere poſſit, ſed non in hominibus noſtratibus. Nam hîc aër ambiens non eſt tam calidus, ut pilum contrahere, velut ignis, poſſit.

Tertiam ergò cauſam producit Galenus ibidem, nimirùm meatuum, in quibus pili radicantur, obliquitatem; quàm duabus ex cauſis oriri ſtatuit; vel ex debilitate fuliginis per meatum erumpentis; vel ex denſitate cutis. Si enim exhalatio imbecillior eſt quàm ut rectè viam ſibi parare poſſit pro modo, quo inflectitur, etiam meatum ſuum format. Si verò exhalatio ſatis valens eſt, ſed duriori cuti occurrat, non poterit rectà ferri, ſed in latus reflectetur, & obliquum tranſitum ſub cute molietur. Quales autem, inquit, in radice pili finguntur, tales rationabile eſt perpetuò fore. Quæ Galeni ratio tolerari poteſt in eâ ſententiâ, quæ ſtatuit pilos ab excrementis protrudi, & non verè nutriri: ſed in alterâ, quæ ipſos verè nutriri cenſet, non apparet admodùm veriſimilis: videmus enim in plantis ex anfractuoſis, tortis, & obliquis radicibus rectum ſtipitem exſurgere. Quin pili multorum ad radicem recti planique ſunt, in cacumine criſpi: id quod poris adſignari nequit.

Itaque forſan meliùs cauſa criſpitudinis in certum cutis temperamentum referenda videtur, quo utens virtus pilorum generatrix tales pilos profert: cùm videamus natos ex Æthiopibus etiam in regione temperatâ, criſpos habere capillos; & contrà ex Europæis natos in Æthiopiâ non habere. Videlicet ſicuti ſemen lactucæ Hiſpanicæ in his etiam terris lactucam producit foliis criſpis; ita ſemen talium parentum tali temperie præditum criſpos gignit.

Siccea pilorum rigiditas oritur ab alimento, quòd planè ſiccum & terrenum eſt.

Pilorum fiſſura fit etiam vel à facultate pilorum genetrice, & ſic nativa eſt: vel ab humore acri capillos in extremitate findente: à quâ causâ fiſſi pili brevi decidunt.

Capilli redduntur pingues à vapore per cranium tranante pingui, qui ſuſtollitur ab humore uncto. Sunt enim quidem adeò pingui humecto madidi, ut ſudore pileos perpingues efficiant, quare & capillos ſuos ſimili unguine inficiunt. Atque hos adverto rariùs capitis dolore conflictari.

Pilorum nimia prolixitas tondendo ad eam, quæ decens eſt & utilis, longitudinem, ſine negotio magno, uti conſuetum eſt, reducitur. Sex autem invenio modos ab antiquis uſitatos, quibus crinium ſilvam tollerent. Nam aut tondebant forficulâ, aut radebant novaculâ, aut digitis vellebant, aut volſellis eradicabant, aut deglabratoriis medicamentis extinguebant, aut denique pice reſinâve exſtirpabant. Nobis tondere aut radere in more eſt, rarò deglabratoriis pharmacis utimur. A centum & quadraginta annis majores noſtri non in Belgicâ tantùm, ſed per totum Occidentis imperium comâ breviore erant, quàm nos hodiè. Morem illum comam tondendi, cùm ſæculis præcedentibus eam, ut nos jam, geſtaſſent, à Carolo V. Cæſare cœptum exiſtimat Fam. Strada: cùm enim, inquit, Carolus anno 1519. ad capeſſendam imperii coronam veniſſet in Italiam & minuendo capitis dolori cœſariem depoſuiſſet: exemplum certatim rapuerunt omnes aulæ primores, more, qui per ea prægreſſaque ſæcula tantoperè vigebat, alendæ comæ, imitatione unius, apud omnes abolito. Tonderi ad cutem in diuturno pituitę curſu, qui morbus literatum ſtudioſis plerumque familiaris ac moleſtus eſſe ſolet, ſuadet elegantiſſimus Celſus. Nimirùm capitis vapores, qui cerebrum percellunt, attonſo vertice evenrantur ac diſſipantur meliùs. Ægyptii conceptis verbis capillum puerorum defectum Divis ſuis nuncupabant, ut ab adversâ valetudine reſpirarent. Neque alioſùm Ariſtotelem attonſo vertice fuiſſe, quod de eo prodidit Laërtius, credi debet. Mar. Antoninum, cognomento Philoſophum, optimum Imperatorem, vivâ cute tenus tonſum fuiſſe & cum eo Medicos omnes, teſtatur Galenus lib. 6. epid. Quod patris integerrimi factum degener patrique longè diſſimillimus filius Commodus aureâ comâ ſuperbiens mutavit, ejuſque exemplo turba familiarium. Inter athletas, qui in promovendâ corporis firmitudine & evexiâ ſtudium omne ponebant, ii, qui viriliores erant, ad cutem uſque tondebant capillos.

Tonſuram veteres Greci σκεϱλὴν vocant, cujus vocis in noſtrâ vernaculâ lingâ manſit veſtigium: nam tondere comam dicimus *ſcheren*. Commemoratur autem apud ſcriptores duplex tondendi genus, cepus & ſcaphium. Exiſtimatur cepus illud tonſuræ genus, quo cæſaties frontem obumbrans ornatus gratiâ reſecatur, exæquando capillos pendulos ad inſtar tonſilis fruticeti herbarum hortenſium, quibus muſcaria & cacumina amputant olitores, ne inæqualitas areolas deformet. Scaphium verò, quando ad ipſam uſque cutem calvam ambientem ſucciditur: cujus non abſurda ratio eſt, quòd, ubi totum cranium tondetur, piſcatoriæ ſcaphæ inverſæ formam referat, cujus uti prora puppiſque eminentiores exſtant, ita latera hinc inde ſubſident depreſſa; quod in temporibus videre licet. Manſit & hujus vocis veſtigium in noſtrate linguâ, quâ qui villoſos pannos longis forficibus attondent, *ſcaepeſcheren* appellant, quaſi σκαφιοσκεϱλὴν dicas: quoties ſtrictim ad ipſam uſque panni carnem, ut ita loquar, detondent villos.

Radimus ea loca, quæ volumus prorſus pilis eſſe nuda & glabra, ut malàs & menti partem. Quæ & alia ſi volumus ex toto depilari, neque in poſterum pilos renaſci, adhibenda ſunt pſilotra. Inter quæ efficax & probatum eſt hoc:

℞. Calcis vivæ uncias duas. auripigmenti drachm. ſex. rad. irid. Florent. ſemunciam. ſulfur. nitri ana drachmas duas. lixiv. ſtipit. fabar. fort. libram. Miſce & coq. in ollâ novâ vitreatâ, ad juſtam conſiſtentiam; quod cognoſces, ſi penna oblinita plumas dimittat. tum adde ol. ſpicæ drachmas duas, vel alia odorifera; & f. unguent. ex cujus illinitione pili, in quâcumque corporis parte ſint, ſtatim decidunt. Locus autem depilatus ungatur unguento roſaceo. Jam ne renaſcantur denuò pili ablati:

℞. Hyoſcyami manipulum: teratur cum aceto vini, & formâ cataplaſmatis applicetur.

Fœminis hoc peculiare, ut circa comarum nutritionem quàm maximè occupentur. Neque injuriâ fortaſſis, quandoquidem capillamenti decorum adeò fœminas deceat, ut quamvis auro, veſte, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen niſi capillum diſtrinxerit, ornata non poſſit videri. At viros cùm affectatione quâdam & curâ capillos ſtudioſè colere, & ad lenocinia decoris ſe demittere, minimè decet. Hos Seneca dicebat ſolicitiores eſſe de capitis ſui decore, quàm de ſalute; quippè qui inter ſpeculum pectinemque occupati ſint; qui concinniores eſſe malint, quàm honeſtiores; qui rempublicam ſuam turbari minùs curent, quàm comam; ſi ſcilicet.

Unus de toto peccaverit orbe comarum
Annulus, incertâ non benè fixus acu.

Sicut de molli quodàm & effœminato Martialis cecinit. Archeſilaum Philoſophum Plutarchus refert vehementi verbo uſum eſſe in quemdam nimis delicatum divitem, qui incorruptus tamen & perinteger habebatur. Nam cùm vocem ejus infractam, capillum arte compoſitum, oculos ludibundos, atque illecebræ voluptatiſque plenos adſpiceret: nihil intereſt inquit, quibus membris cinœdi ſitis; poſterioribus an prioribus. Conſuerunt tamen & nunc & olim Franci

ci sive Galli comam alere elegantem, & cesariem insignem ac copiosam lubenter ostentare. Claudianus:

------- tum flava repexo
Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro.

Ideò fortassis, quòd Franci, id est, liberi potissimùm nominarentur. Liberorum autem sive ingenuorum est, comatos esse:

Longæ hæ comæ si rectæ essent, crispabantur. Tonsores ad hoc peculiariter conducti, qui cinerarii dicebantur; quòd unum de ministeriis eorum esset, calfactis in cinere calamistris torrere ac vibrare crinem. Iidem vocati & cinistones; quòd in cinerem flarent, ad calefaciendum instrumentum, quo capillos crispabant. Ornatrices etiam & concinnatrices nuncupabantur puellę, quæ mulieribus comas exornabant, & crines disponebant per acus & veruta; edoctæ ab artis magistris ad hoc artificium. Acus istæ comatricæ appellantur à Petronio; ab Apuleio autem crinales. At Plautus vocat calamistrum, quo crispatur in annulos capillitium. Juvenalis calamistro crispare comam: comam in gradus frangere Plinius dixit: vibrare ferro crines Virgilius: ustulare candente ferro crines Pacuvius. Dicebatur & discriminalis acus, quæ capillos mulierum ante frontem dividebat. Ornatus ipse, quo capilli sic dividebantur ante frontem, discrimen dictum. Germanorum cirri in nodum erant substricti. Martialis:

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.

Vulgò locum illum exponunt; crines in nodum tortos esse calamistro ad speciem nodi vibratos, intortos, ac rotatos crines: quemadmodùm in fluctum tortos crines dixit Manilius; qui instar fluctuum exhibent. Tortos autem aliter esse Æthiopum crines, quia naturaliter, non arte, crispi existunt. At illi non rectè sentiunt. Non enim hic mos unquàm Germanorum fuit, crines calamistris inurere, aut alio modo ornare. Clemens Alexandrinus: Celtæ & Scythæ, inquit, comas alunt, non ornant. Atqui pars longè maxima capilli ornandi est calamistri & crinium inflexio, quæ ferro fit calido. Phrygum hoc fuerit proprium, & effœminatarum gentium, quibus hoc probrum passim objectum, quòd haberent comas

Vibratas caldo ferro, murrhâque madentes.

Longè hoc à Germanis. Quid igitur hi, aut quomodò crines torquebant? qui simplicissimus fuit mos, in nodum eos cogebant. Ex ipsâ nimirùm comâ, quàm satis longam nutriebant, nodum faciebant. Quia verò non datur ex crine nodum in capite facere, nisi torqueatur, ideò tortos in nodum crines dixit Martialis, in nodum coactos, vel nodo substrictos. Rectam quippè ac prolixam cæsariem nodare non possis, nisi in modum funis obliques eam ac torqueas. Sic in nodum facilè ducitur, neque aliter quitum est. Tacitus de moribus Germanorum sic explicandus: insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere. Quem locum perperàm capiunt de crine calamistris vibrato. Neque altera melior interpretatio, ut crinem non in rectum passi sint descendere, sed reduxerint in posteriorem verticem & obliquarint. Obliquant crinem, & nodo substringunt, quia nodo aliter substringere nequeunt, nisi obliquatum ac tortum. Ideò obliquandi crinis meminit; ut ostenderet, ex ipso crine nodum eos facere solitos, non alio vinculo nodare. Nam vinculo aut tæniâ potest nodari ac religari crinis etiam rectus, & in rectum descendens: at ex ipso crine nodum facere non datur, nisi obliquato ac torto. Iste crinis in nodum tortus & coactus vocatur cirrus, qui idcircò etiam Germanorum proprius fertur ab auctoribus. Jam ad Medicinam redeamus.

Ad crassiores, rigidioresque & setaceos pilos reddendos tenuiores molliores que valet hoc lixivium.

℞. Majoran. hyssop. salviæ, thymi, ana manipulum. lavendulæ manipulos duos. cort. citri vel aranr. sicc. uncias duas. lupinor. & orobor. ana unciam. flor. stœchad. rorismar. genist. rosar. ana pugillum. fol. senæ unciam. agaric. cortic. colocynth. ana semunciam. bull. in lixivii q. s. colatura detur usui.

Fissura pilorum corrigitur, si pars illa, quæ fissa est, abscindatur: atque ea, quæ remanet, circa extremitates felle inungatur: posteà rursùm decocto herbarum capillarium, abrotani, polytrichi, & similium pili abluantur.

Pinguedinem pilorum aufert hic pulvis inspersus:

℞. Rad. Irid. Florent. uncias duas. flor. viol. recens siccat. semunciam. rad. cyper. rot. drachm. ol. stillat. rosar. veri scrupulos quatuor Misc. f. pulvis subtilissimus. Gratissimi est odoris; cerebrum & omnes spiritus recreat; nec sexui muliebri est adversus.

De tricis seu trichomate, quam Plicam vocant.

Plica est pilorum sibi invicem junctorum adeò arcta intricatio atque implicatio, ut nullo pacto ampliùs discerni aut extricari possint, à certâ causâ internâ & præter naturam proveniens. Familiaris est hic affectus & quasi endemius Polonis, præcipuè Russis; quorum infantes sæpè cum eo nascuntur. Vidi tamen eum etiam Patavii in fœminâ Germanâ, in cujus ædibus habitabam.

Poloni duplicem statuunt plicam: alteram masculam, alteram fœminam. Hæc totum horribili spectaculo involvit caput, ita ut non tam capilli, quàm aliquis pileus congenitus homini videatur. Mascula est, quæ propendentes aliquot ad instar funiculorum spiras habet.

Hujus mali causæ sunt vitiosi & maligni humores, ob peculiarem loci, pręcipuè Russiæ, aëris, & aquarum genium ad caput ferri, & in pilos commutari apti: quemadmodùm in Alpibus Rheticis, Stiriâ, & Carynthiâ, aquarum vitio bronchocelæ & strumæ incolis adnascuntur, materiâ vitiosâ in glandulas colli, & non in alium locum detrusâ.

Joachimi Pastorii Florus Polonicus lib. 2. c. 14. narrat, tempore Lesci Nigri Poloniarum Principis, in Russiâ (rubra) à transeuntibus Tartaris, immissis humanis cordibus, quæ veneno imbuerant, infectas aquas nova morborum genera peperisse, quorum ut causa diu fefellit Medicos, ita soboles hodie quoque in inexplicabili tricarum contage, quam plicam vocant, creditur vulgo superesse. Spondanus etiam anno 1287. num. 10. ita scribit: cæterùm ne Russi quidem, quamquam socii, prorsùs expertes malorum à Tartaris fuere. Nam excessuri illi è Russiâ, ut est malitiosum hominum genus, atque incantationum & veneficiorum gnarum, aquas omnes infecerunt, ex sectis captivorum cæsorum cordibus, & præsentissimo veneno imbutis, ac verubus subter aquas defixis. Undè plurimi mortales, cùm seriùs mali causa animadversa esset, miserabiliter exstincti sunt. Idem aiunt Brovius, Cromerus, Dlugossius, aliique historici Poloni. Et concors in Russiâ traditio est, plicam ab illis aquis infectis esse derivatam. Cui favere potest regionis ipsius temperamentum seu indoles. Nam plicâ laboranti caput radere in Poloniâ, perniciosum; in Tartariâ verò, si quis plicâ affectus eò deductus captivus fuerit, rasura minimè nocet, ob climatis benignitatem.

Defertur ista materia vitiosa & maligna ad pilos, non per modum fuliginum, ex quibus tantùm credun-

duntur oriri pili; sed simul cum sanguine; utpote quo pilos ipsos nutriri, hinc manifestum est, quòd pili hi intricati abscissi aliquandò sanguinem fundant.

Est plica symptomaticum quid, sed aliquandò criticum, ortum ex materiæ istius vitiosæ expulsione versus caput. Nam plica nihil periculi ægro adfert, sæpéque sine ullo damno ad mortem usque circumfertur. Id verò quod maximè ægrum infestat, est humor ille malus in corpore hærens; undè pili oriuntur; hic enim est, qui gravissima illa symptomata efficit, quæ jam enumeratum eo.

Incipienre trichomate unus & alter cirrus in capite vel barbâ excrescit, cum vicinis sibi crinibus introrsùm implicatus & densus. Antequàm is excrescat, vel etiam quamvis excreverit, modò tamen materia vitiosa in corpore redundet, ossa infringuntur, laxantur artus, membra conglobantur ac retorquentur: gibbi efficiuntur, pediculi funduntur, quibus caput ita oppletur, ùt nequaquàm purgari possit: Sed hoc non est perpetuum, ut pediculi in plicâ adsint. Narravit mihi Loveni Illustr. D. Theodorus Skuminovius Episc. Gratianopol. se novisse nobilem Polonum Petrum *Niesmiersk*i ferè sexagenarium in albâ Russiâ, cui capitis pars plicâ fœmininâ ad instar pilosæ pyramidis cirrata, nullum unquam habuit pediculum: quin è contrario, si vivus pediculus capiti ejus imponeretur, moriebatur. Si cinni hi & cirri radantur intempestivè, humor malignus & virus in corpus relabitur, & ægros jam dictis modis torquet. Caput, pedes, manus, omnes artus, omnes juncturæ, omnes corporis partes excogitantur. Ideoque morbus hic Polonicâ linguâ vocatur *Gozdziec*, quasi clavatus; quòd corporis, capitis præcipuè, clavis confixi dolorem æquet. Ungues aliquandò, præcipuè in pedibus & maximè in pollicibus, scabri, longi, & nigri fiunt instar cornu hircini. Observatum est, qui tales fasciculos implicatorum inter se crinium derasissent, vel ungues illos præscidissent, oculis captos fuisse; aut defluxionibus ad alias partes gravissimè afflictos. Purgantia usitata si exhibeantur, efferatur magis malum. Quidam cùm aliquot annis hoc genere mali cruciati essent, nec caput rasissent, sed omnem spurcitiem ac molestiam pertinaciter pertulissent, tandem virulentis illis cirris sponte suâ decidentibus convaluere; consumptâ scilicet totâ illâ malignâ materiâ in capillos: quod de masculâ plicâ intellige; nam fœmina est immedicabilis. Contrahitur hoc malum etiam per contagium, si quis aliquoties sibi imponat pileum sudore plicâ laborantis madidum.

Hæc, quæ retuli, ita esse & sic se habere universi omnis ordinis Poloni, maximi, medioxumi, minimi, adfatentur: eaque fuit constans tot sæculis sententia, à parentibus inculcata, ab avis, proavis, atavis, tritavis propagata & tradita, tantoque cum suo malo vera comperta. Quam tamen jam nunc ridet Willielmus Davisonus, nobilis Scotus, Christianissimi Galliarum & Navarræ Regis Consilarius & Medicus, domus hortique plantarum medicinalium, qui Parisiis in suburbio S. Victoris est, olim præfectus: nunc autem S. Regiæ Majestatis Poloniæ & Sueciæ senior Archiater & Chemicus: S. Reginalis itidem Majestatis in vulgari Medicinâ personæ Medicus. Nam in suo Prodromo commentariorum Scotiorum in Petri Severini Dani ideam Medicinæ Philosophicæ pag. 450. vocat plicam Polonicam morbum ex superstitiosarum mulierum cerebro natum, & in credulos aliquos Medicos transplantatum. Audax Hercle & intolerandum facinus, ab homine alienigenâ nobilem, potentem, strenuam, ingeniosam gentem, à cujus Magno Rege Reginaque lautissima meret stipendia, scripto publicè edito traduci ut stolidam, stultam, infrunitam, delirantem. Quid enim aliud censeas de eo, qui morbum hunc sævissimum immeritò morbi nomine insigniri; quæ de eo narrantur, aniles esse fabulas, eidemque adsentientes judicii & mentis non esse compotes ait, hoc est, sincipite esse non satis sano. Et hoc se agere obtendit, ut ponat auxilium nobilissimæ & fortissimæ nationi; ut non solùm medelam gravissimis affectibus corporum adferat, qui sub nomine plicæ occultantur, sed etiam animos moderatiorum hominum à tyrannide fabulosâ & superstitiosâ deinceps liberet, id est, paucioribus verbis, ut genti fatuæ mentem restituat. Hic videlicet alter est Hippocrates, qui è longinquo accersitus insanienti Democrito opem & salutem laturus est; at Democrito quàm ipse Hippocrates, sapientiori. Septem annis inquit se in Poloniâ degisse: Tantulo tempore sibi arrogat, acquisivisse scientiam, quâ veram de plicâ opinionem tot sæculis irroboratam convellat & proterat. Id quomodò exefficere conetur, operæ pretium est videre.

Principio ablegat nos ad consultationem Patavinam, quæ proponit hominem triginta annorum, boni habitus, apud Polonos repentè fieri debilem, tremulum, aut lividum & exsanguem; deindè post tres aut quatuor dies capillos capitis crispari, in varios cirros involvi, figuras quasi anguium repræsentantes, qui puncti sanguinem effundant, cum furfure, pediculis, spurcitiâ & fætore totius capitis. His ita se habentibus accedere Medicum, qui si sanguinem miserit, aut purget, vel pilos ad spurcitiam illam auferendam radat,, illicò sæva symptomata advenire, dolores oculorum, articulorum, ossium, membrorum contractiones &c. Adversus quæ hæc reponit.

Quòd hominem triginta annorum pro exemplo supponant, error est: nam non solùm contingere videtur hominibus triginta annorum, sed pueris aliquandò trium annorum; imò & nuper natis, si ita matricis superstitioni placere licuerit. Neque repentè fiunt debiles, sed præviam aliquam experiuntur causam debilitatis, quamvis non à plicâ. Simili modo nec tremuli, nec pallidi, nec exsangues repentè fiunt, sed post manifestam aliquam actionem læsam. Neque post tres aut quatuor dies capilli capitis crispantur, neque involvuntur in tales cirros, varias figuras quasi anguium recipientes, nisi arte per contrectationem crebram quasi per artem fulloniam introducantur. Neque puncti sanguinem effundunt, sed de furfure, pediculis, spurcitiâ, inhonesto fætore totius capitis. Hæc à veritate haud aliena sunt, illa enim omnia accidunt illis, qui datâ operâ ut in complicationem concrescant, crines pectine non deducunt, aut qui fulloniam in capillitio plicando artem exercere volunt. Sed cùm accedit Medicus, qui sanguinem mittere, aut purgare, vel pilos ad spurcitiem illam auferendam radere velit, illicò illis symptomata sæva accedere somniant. Ego illis sic occurro. Consultatio illa est Roderici à Fonseca Olyssiponensis, in Patavinâ Academiâ Medicinæ practicæ Professoris, in qua proponit sibi hominem triginta annorum plicâ laborantem, verbi & exempli dumtaxat gratiâ, velut in consultationibus & consiliis, ut vocant, fieri adsolet, non quòd tantùm illâ ætate affectum istum invadere existimaret: invadit enim & torquet mortales ætate quâlibet. Atque ut confessum accipio, quod ipsus hic ait, etiam nuper natos interdum corripi. Quid autem tum matris aut nutricis superstitioni est adsignandum? Cirros in infante videre, tangere non est superstitiosum. Aut vult fortassis matrem imaginari, cirros in infante esse, qui non existunt? Hoc jam est phreniticam aut aliter deliram matrem dicere, similemque Theophilo Galenico tibicines in conclavi suo canere garrienti, qui nusquàm essent. Et si

mater forſan id pravè imaginata fuit, adſtantes tamen quidam ſapiebant, qui falſam matris imaginationem rejeciſſent, nec narrari aut credi paſſi fuiſſent, infantem cirratum eſſe, qui nuper in lucem ſit editus. Repentè autem fieri debiles, tremulos, pallidos etiam ponit verbi tantùm causâ: non quòd ita ſemper & perpetuò accidat. Et repentè ipſi non eſt confeſtim, ſtatim, extemplò: ſed ſine manifeſtâ causâ, quæ à prudentibus adſtantibus aut Medicis advocatis poteſt accuſari; v. g. nullo prægreſſo animi pathemate, nullâ febre, nullo dolore, nullâ vehementi corporis exercitatione, nullâ inediâ &c. Debilitatem autem, tremorem, pallorem non à plicâ ſeu capillorum contortione fieri, verum eſt: at fit à materiâ malignâ, virulentâ, venenatâ in corpore vagante, à quâ deinde fit plica. Similiter verum eſt, non ſemper poſt tres aut quatuor dies ab illâ debilitate, tremore, pallore capillos criſpari, ſed ſæpè longo poſt tempore; aliquandò tamen citò, prout natura valens vel invalida eſt & materia pauca vel copioſa. Quod poſtea addit, capillos in tales circos (cirros dicere debuit) non involvi, niſi arte per contrectationem crebram quaſi per artem fulloniam introducantur. Hoc à verò alienum eſt. Teſtem appello univerſam cirratorum in Ruſſiâ turbam, quorum nullus in capillos ſuos fullonicam ſe exercuiſſe aiet; cùm caput raſum habeant relicto uno in ſincipite aut circa tempora tutulo; in hunc ergò ſolum fullonicam exercere queunt: atqui è reliquo capite toto excreſcunt cirratę ſpiræ. Et in puerulis trimis, nuperque natis infantibus nihil capillorum eſt per artem fulloniam complicandum; tamen hi quoque eo affectu laborant. Punctos illos capillos ſanguinem non effundere, ſed de furfure, pediculis, ſpurcitiâ, inhoneſto fœtore totius capitis eundem prodire: partem verum eſt, partem non verum. Furfures, ſpurcitia, inhoneſtus capitis fœtor ſanguinem haud fundunt, nec fundere poſſunt: pediculi poſſunt. Eſt autem, cùm caput plicâ deformatum nullos alat pediculos, ut de *Petro Nieſmierski*, nobili Polono antè relatum eſt: in eo ſi pili craſſefacti ſunt, ſi eorundem cavitas potentior reddita, utique abſciſſi ſanguinem ſtillabunt; qui eo caſu non fundetur è pediculis. At *inquit*, illa omnia accidere illis, qui datâ operâ, ut in complicationem concreſcant, crines pectine non deducunt, aut qui fulloniam in capillitio plicando artem exercere volunt. Sunt agaſones, muliones, aurigæ in Germania, Gallia, Italiâ, Hiſpaniâ, qui nunquam vel rarò pectine crines diſpeſcunt, non cruciantur tamen unquàm illis malis, quæ in plicâ evenire advertuntur. Eſt in Europâ natio miſera, quæ vix alium capillitii uſum agnoſcit, quàm ad detergendas manus à pinguibus cœnæ ſordibus, cæteràque omni illuvie: quâ de causâ ingentes concretorum crinium ſpiras alit in humeros uſque dependentes, quibus vice mantilium diffluentes pinguedine ciboque digitos ſolet injicere, eoque pacto extergere; neſcit tamen illos cruciatus, quibus Polonicâ plicâ affecti torquentur. Et in Ruſſiâ tonſo ad vivam cutem capite nequeunt Fulloniam in plicando pilo artem exercere, quibus tamen plica ſupervenit.

At ſomniant, *inquit*, ſibi ſymptomata illa ſæpe accedere, cùm accedit Medicus, qui ſanguinem mittere, aut purgare, vel pilos ad ſpurcitiem illam auferendam radere velit. Hic iterùm Corœbos aut Morychos facit Polonos, quippe vigilantes dicit ſomniare, & ſentire tormenta, quæ non ſunt. Dum vult dumtaxat Medicus ſanguinem mittere, dum vult purgare, dum vult pilos radere, nulla accedunt ſæva ſymptomata; ideoque neque illa ſe ſentire ſomniant ſapientes Poloni. Sed dum Medicus ſanguinem miſit, purgavit, pilos raſit, tum demum accedunt, & reverà ab ægris ſentiuntur. Pergit:

Ego plures quàm ſexaginta plicas iſtas immenſas latitudinem caudæ caſtorinæ ſuperantes, imo & uſque ad coxin propendentes, aliquibus abſcindi curavi abſque ullo prævio remedio adhibito, aut ſymptomate qualicunque ſubſequente, Alii negarent id factum: ſed ego credo Viro Nobili id publicè affirmanti: & dico, id feliciter ſucceſſiſſe iis, quibus tota materia virulenta in pilos erat abſumpta; iis enim interdùm ſponte cirri decidunt, & ſani evadunt. At quibus multùm materiæ malignæ in corpore ſupereſt, iſti non impunè ferent pilorum reſectionem: ſed doloribus oculorum, cæcitate, articulorum, oſſium, membrorum contractionibus corripiuntur.

Illicò dolores illos à plicâ abſciſsâ oriri non deprehenderam; imo potius aſſererem iſtos dolores perpetuos capitis non aliunde oriri, quàm à radicibus iſtis capillitiorum quæ divaricantur ſub fullatione, quia plicata capillitia trahunt, non plicata in fundo in unum & perpetua vellicatione dolores pariunt immenſos & perpetuos & præcipuè quando ſubmiſſe in tergum dependet, nam tunc pondere ſuo totum pericranium torquet, & in conſenſum trahit. Non ſemper illicò dolores illi plicâ abſciſsâ ingruunt; ſed aliquandò citiùs, aliquandò tardiùs, pro naturæ & materiæ nocentis conditione. At enim dolores iſtos oriri ideò, quia capilli plicati pondere ſuo pericranium torqueant & trahant; id minimè eſt credendum. Nam etſi dolorem capitis fortaſſis eo pacto inducere poſſint, articulorum tamen, oſſium, membrorumque contractiones non queunt ſuo pondere facere. Et multò plures ſunt, quibus non demittitur conglomeratum capillitium in tergum & coxas uſque, ſed ſolùm dependet hic & hic cirrus unus & alter, pondere ſuo nequiens pericranium detrahere: atque in his tamen etiam dolores tales contingunt.

Deindè ſcribit quemadmodùm ophthalmia curanda ſit. Nimirùm primò mittendum eſſe ſanguinem ex venâ maximè apparente ad uncias novem: nocte ſequenti admovendum poſt aures emplaſtrum veſicas excitans, Utantur, *inquit*, iſto remedio, & nullo alio, & reſpondebo pro vita nullam cæcitatem inde ſubventuram. Si hoc conſilio uſi fuerint ante decurſum annorum 20. & apparuerit plica in tota Polonia, capite plectar pro præmio. Occiſiſſimus eſt Archiater iſte, acephalus eſt, Quid? Non apparituram plicam in totâ Polonia, ſi ante viceſimum annum ſanguis mittatur, & poſt aures applicetur veſicatorium? atque in eam rem caput ſuum oppignerare? Jam nunc ſine capite eſt, ſi verbo ſuo ſtet. Ne quidem promitti poteſt, non ſecuturam cæcitatem, etſi benigna ſit opthalmia, quandò tamen magna eſt; quantò minùs, ſi ſit maligna, venæſectionem reſpuens. Præterea plica ſæpè venit ſine ophthalmiâ. Quid ergò proficiet tum ſanguinem miſiſſe, veſicatorium pone aures adhibuiſſe ante annum ætatis viceſimum, ad avertendam ex totâ Poloniâ plicam?

Plica ſic fit: cùm morbi homines lecto diu detinere ſoleant, progreſſu temporis, crebrâ crinium contra pulvinaria perfrictione, longoque ſuper crines decubitu, aut pectinandi intermiſſione, concreſcunt crines, modò in occipite aut circa tempora.

Si plica non aliundè, quàm ex causis illis fiat, multò frequentior eſſet plica hic in Belgio, Gallia, Germaniâ, Italiâ, quàm in Poloniâ: nam in illis regionibus viri comati ſunt promiſſo capillitio; in Poloniâ detonſam habent calvam. Sine dubitatione igitur alia plicę ſubeſt causa, quæ & illa mala infert ſymptomata, qualia non comitantur intricationem pilorum ex longo decubitu. Qui enim ex cachexiâ, hydrope, phthiſi, paralyſi diutulè lecto affiguntur etſi fortè implexos capillos habeant, quod longo tempore

pore pexi non sint: haud tamen illis cruciatibus torquentur, qui in plicâ adesse observantur: qui quidem à plicâ non efficiuntur, sed à materiâ venenatâ in corpore hærente, & in pilos symptomaticè vel criticè missâ. Neque hæc sunt imaginaria fabulosa, ex rusticorum superstitiosorum aut mulierculaum ingeniis nata, ut ipse contendit, sed pluribus sæculis in Russiâ explorata, ac vera comperta, magno cum hominum malo. Habet is affectus multa accidentia luis venereæ vel scorbuti; attamen ab utroque morbo isto diversus est; pluresque remediis antivenereis & antiscorbuticis frustrà diu curati ac macerati, senserunt tandem suo detrimento infestari se eo humore, qui plicam facit. Ad colicam biliosam universè etiam referri nequit; ut ut enim aliqui, antequam plica se ostendat, coli aliorumque intestinorum doloribus tententur, hoc non est perpetuum, sæpeque colica nulla antecedit. Quin aliquando plica se prodit, absque ut homines diu in lecto decubuerint; ita ut vel tum saltem non possit pilorum implicatio adscribi crebræ crinium contra pulvinaria perfrictioni, longoque super crines decubitui. In Russiâ & Poloniâ malum hoc quoque invadit equos; qui si hic per solidum decennium strigile non pectantur, minimè eo corripientur. Barba denique etiam multis implicatur; an & id ad longum in lecto decubitum referendum? Ego quidem haud accredo; neque hic quisquam Capucinorum longibarborum, quantumvis diu ægrotus in lecto jacuisset, taliter cirratos barbæ crines habere visus est. Hæc sunt, quæ pro tuendâ Polonorum sapientiâ dicere habui: censeoque cognitionem istius mirabilis affectus potiùs hauriendam esse à Medicis Polonis Russisque, quàm ab externo Scoto, qui septem vel octo tantùm annis in Poloniâ habitavit.

Constat Polonorum omnium experientiâ, in hoc malo purgationes & venæ sectionem adhibitas non prodesse, sed nocere. Videtur ergò hic morbus, ut sanetur perfectè, proprium & specificum postulare alexipharmacum, sicut scorbutus, & lues venerea, atque alii occulti morbi. Quod alexipharmacum interim dum investigatur, potest usurpari theriaca, quæ est alexipharmacum universale. Detur ergò theriaca frequenter, sudorque provocetur, maximè è capite: sic enim materia illa vitiosa citiùs ad capillos, quò tendit, evocabitur: ad quod ipsum plurimum confert, ut agrestium Polonorum experientia docuit, lotio capitis parata ex decocto foliorum brancæ ursinæ, & herbæ, quæ Polonico idiomate nominatur *dereza*: serpit humi in locis arenosis, quibus crescunt pinus. Est muscus terrestris, de quo in Herbario suo *Dodonæus part.* 3. *lib.* 15. *cap.* 14.

De porrigine seu furfuribus.

Porrigo seu furfures, vel ut alii dicunt, furfuratio est affectus, in quo inter scalpendum & pectendum quædam furfuribus similia ex capitis cute decidunt. Occupat aliquandò hoc malum etiam barbam & supercilia. Fit plerumque sine exulceratione; aliquandò tamen cum levi exulceratione.

Causa porriginis sunt humores serosi & ichores pituitosi salsi, vel billiosi; qui dum per poros cutis exitum quærunt, partes quidem eorum tenuiores discutiuntur, crassiores autem & lentę in cute hærent, & in materiam furfuraceam abeunt.

Affectio hæc se prodit, dum caput scalpitur, fricatur, vel pectitur: imò aliquandò, si grave malum est, dum leviter crines moventur; tum enim squamulę decidunt.

Ajunt vulgares hanc affectionem esse sanam: signum quippe cerebri se per furfures illos expurgantis. At dicendum: salubre quidem & sanum esse, quatenus cerebrum se purgat: sed insalubre esse signum, quatenus significat in capite talis vitiosi humoris redundantiam.

Ut sanetur porrigo, pręmissâ totius evacuatione, si frequenti pectinatione non cedat, lavetur caput decocto cicerum & malvæ, aceto addito; & vice saponis usurpentur amygdalę amarę contritæ. Si per hęc parùm proficitur, radatur caput, & eodem dicto decocto abluatur, dein panno aspero fricetur, atque hoc unguento illinatur.

℞. Hyssop. virid. semipugillum, adip. anser. drachmas duas. Pulpæ colocynthid. olei keirin. ana semunciam, thapsiæ drachmam. ladani unciam. fiat unguentum. Hæc quoque lotio optima est, & sufficiens sola.

℞. Malvæ, betæ, lapath. acuti cum rad. hederæ arboreæ, centaur. minor. ana manipulum. caulium rubr. semimanipulum. colocynthid. drachmas tres, agaric. drachmam. fol. senæ semunciam. ellebor. nig. sesquidrachmam. coq. in aq. com. ad libras tres. colaturę adde salis com. pugillum. Multis etiam profuit primò caput lixivio communi lavisse: deinde caput exsiccasse. Secundò, aceto vini, in quo semen urticę parùm contusum bullierit. Tertiò & ultimò aquâ nitidâ, in quâ radix malvavisci cocta sit.

Alia decoctio pro lotione capitis:

℞. Rad. lapath. acuti, enul. campan. ana unciam. malvæ, bismalvę, parietar. saponar. ana manipulum. lupin. fabar. ana uncias octo. centaur. minor. pugillum. hordei integ. uncias tres. f. decoct. in aquâ. Sed & lotio capitis cum urinâ, vel aquâ salsâ, vel vino sæpè benè fecit.

De morbo pediculari, & vermiculis capillos depascentibus.

Morbus pedicularis, Græcè phtheiriasis, est is affectus, in quo quispiam pediculis, maximè in locis pilosis, scatet: ut in capite, barbâ, superciliis, palpebris.

Ad hunc non inconvenienter referri potest alter affectus, in quo capilli tùm capitis, tùm barbæ particulatim & frustillatim à vermiculis quibusdam erosi decidunt vel absumuntur. Sunt enim & hi pediculorum species; sed tam exigui sunt, ut visum penè fugiant, similes lendibus, quos vocamus Flandricè *neten*, Gallicè *lendes*: creduntur que esse ova pediculorum.

Circa pudenda in pilosâ cute impacti atque inserti observantur pediculi alterius generis, vehementem pruritum & lancinationem excitantes, ac pertinacissimè hærentes, vocanturque pediculi inguinales, vulgò morpiones & plattulæ.

Denique in nudâ manuum volâ peculiare aliud pediculorum genus deprehenditur sub cuticulâ latitans, levi tuberculo vel fissurâ illic apparente, pruritu que continuo se prodens. Sunt etiam hi adeò exigui, ut vix, etsi eximantur, possint videri, motusque eorum observari, nisi speculo imponantur. Dicuntur sirones vulgo & cyrones: fortassis rectiùs chetrones, cùm χεῖρας id est, manus occupent: sed tamen & alias corporis partes occupare nihil vetat. Latinè vocantur acari & teredines.

Materia pediculorum ex Medicorum consensu est humor excrementitius præter naturam, calidus moderatè, actu & potestate humidus, inter crassum & tenuem medius, & potius ad ichorem quàm ad crassum vergens; putrescens non excellenti putredine, sed miti & moderatâ.

Causa efficiens, dispositiva est calor benignus & modera-

moderatus, qui cùm in pueris ſit, hinc illi pediculorum ſunt feraciores, quàm adulti, qui habent calorem acriorem.

Procatarctica cauſa præcipua eſt neglectus curæ corporis & immunditiesː edulia item, quæ pinguem ſuccum generant, inter quę primum locum obtinere volunt ficus.

Vermiculi capillorum à ſimili causâ producuntur, excrementitio ſcilicet quodam humore, qui cum alimento pilorum in capillos penetrat, atque in iis à calore capitis fotus in vermiculos faceſſit; qui capillis adhærentes pilos corrodunt, ita ut fruſtillatim decidant.

Cognoſcuntur pediculi viſu & tactu. Eſtque turpis ea affectio & moleſta: imò periculoſa, ſi totum corpus occupetur: nam quidam eo malo exſtincti narrantur.

Vermiculi deprehenduntur, quando pili breviores fiunt & inæquales, ſic ut alii magis alii minùs curti ſint. Hærent hi vermiculi in extremitatibus pilorum, eoſque arrodunt.

Cùm pręcipua ferè morbi pedicularis cauſa ſit immundities corporis, pro curatione & præſervatione ſtudendum imprimis corporis munditiei. Si ſanguinis impuritas, & aliorum humorum redundantia affectui occaſionem præbeant; evacuandum eſt corpus iis ferè, quæ in ſcabie conveniunt: & hîc ſudoris provocatio eſt utilis.

Quibus factis ad peculiaria pediculos abigentia eſt procedendum, eaque potiùs extrinſecùs adhiberi debent, quàm intus ſumi. Quamquàm aliqui allium comeſtum, vel cum decocto origani potum pediculos fugare prodant. Theriacę quoque frequens uſus pediculis adverſus eſt.

Inter externa præſtans eſt hoc decoctum:

♃. Rad. ariſtol. rot. ſeſquiunciam, ellebor. alb. nigr. ſemunciam. fol. abſinth. marrubii, ſummit. centaur. minor. an. manipulum. ſem. ſtaphiſag. lupin. an. ſemunciam. agarici uncias duas, coq. in lixivio pro ablutione capitis, vel manuum, vel aliarum partium, ubi pediculi verſantur. Si ſal, alumen, nitrum addantur, efficacius erit. Poſt ablutionem & abſterſionem poteſt hic pulvis capillis inſpergi:

♃. Sem. ſtaphiſag. drachmas duas. ſalis drachmas tres, aloës drachmam. cinnabaris ſeſquidrachmam. Miſce, fiat pulvis.

In corporibus robuſtis argentum vivum adhiberi poteſt; ut

♃. Ol. commun. uncias tres. ſtaphiſag. argent. vivi ſalivâ jejuni hominis exſtinct. an drachmas tres. fiat unguentum, quo caput illinatur, poſtquam lotum eſt aquâ marinâ.

Item ♃. Mercur. ſublimat. ſcrupulos duos: diſſolve in aq. abſinth. librâ. Eâ caput humectetur: omnes pediculos breviſſimè abigit, cruſtaſque capitis ſanat.

Eſt uſitatum unguentum contra pediculos in pharmacopoliis quibuſdam, quod recipit ſem. ſtaphiſag. ellebor. alb. ſal. Mercurium, axung. porcin. ol. laurin. ſaponem & acetum. Efficacius & præſtantius eſt hoc:

♃. Ol. laurin. uncias quatuor. ſucci rutæ uncias tres. Miſ. & coq. ad ſucci conſumtionem. Poſteà adde argent. vivi ſalivâ jejuni exſtinct. drachmas ſex. ſem. ſtaphiſag. nitri præpar. aloes hepat. an. drachmas duas. rad. ellebor. alb. lapath. acuti, tabac. Indici an. drahmam. camphoræ ol. ſpicæ an. ſemidrachman. Miſ. & cum cerâ f. unguent.

In pueris & corporibus tenerioribus ab argento vivo abſtinendum. In his aqua lavendulæ & ſalviæ deſtillata ſatis eſt, ſi eâ laventur, eſtque remedium gratum & bonum.

Item ♃. Sem. ſtaphiſag. drachmas duas contunde parum, & infunde in aceti acerrimi unciis duabus per noctem: deindè coletur, & locus ungatur.

In palpebrarum pediculis confert, ſi acetum ſcilliticum ſumatur, & in eo parum aloës diſſolvatur, atque hâc mixturâ palpebræ madefiant: huic alia nitroſa & ſalſa addi poſſunt. Imprimis opitulatur oleum ſpicæ, quod & viſum roborat.

Pro chironibus peculiare eſt, ut acu pertundatur cuticula, ubi chirones latent, ut detur eis exitus: tum manus ſæpè abluendę vino vel aceto, cui ſal, alumen, nitrum additum ſit. Vel fiat hoc decoctum.

♃. Aq. fluvial. libras tres, vini auſteri libram. ſtercor. gallin. ſiccat. manipulum. coq. parum. huic decocto immittantur manus. Id ſcabiem vulgarem etiam brevi tempore ſanat; & iſti chirones ſępè cum ſcabie adſunt.

Ad pediculos inguinales commodum eſt hoc unguentum:

♃. Axung. porcin. ol. laurin. ſapon. nigr. an. ſemunciam. argent. vivi ſalivâ exſtinct. ſcrupulum. myrrhæ, aloës an. ſemidrachmam. ſem. ſtaphiſag. ſcrupulos duos. ſapon. Gallic. drachmas duas: in mortario redigantur ad formam unguenti. Non hîc multùm argenti vivi miſcendum; nam inde membrum virile torpidum redditur, atque ad venerem ineptum. Quod ſi incidit, oleo ſpicæ illinendus locus eſt, quo & pediculi pelluntur & vis redditur genitalibus.

Ad vermiculos capillorum: ♃. Geniſtæ unciam, myrrhæ drachmas duas, aceti quantum ſatis. coq. parum & colaturâ pili illinantur.

Vel ♃. ſem. urticæ pulveriſ. maceretur in aceto, & eo pili madefiant. Vel urtica major coquatur in lixivio, & eo caput abluatur. Alii utiliter uſi ſunt lixivio communi, cui clavi ferrei rubigine obducti injecti eſſent, quo pili abluebantur.

De achoribus, favis, tineâ, helcydriis, pſydraciis.

Hæc omnia ſunt manantia capitis ulcera vel puſtulæ.

Achores quidem & favi ſeu ceria ſunt ulcera ſeu ulceroſa tubercula capitis, in quibus apparent foramina, per quæ ſanioſum quid continuò effluit.

Tinea eſt ulcus capitis cruſtoſum, cutem capitis erodens & fœtidum.

Helcydria ſunt ulcuſcula & puſtulæ capitis, à quibus humiditas effluit aquoſo ſanguini ſimilis.

Pſydracia ſunt exigua exanthemata in capite, ſimilia veſiculis eminentibus in ſuperficie.

Oriuntur hæc omnia ulcuſcula ab humoribus excrementitiis ſeroſis & acribus, aliquem tamen craſſum ſuccum ſibi mixtum habentibus: Ii inter cutem capitis & calvariam congeruntur, diutiuſque retenti putreſcunt, & deindè cutem erodentes eandem certis in locis perforant.

Platerus illis humoribus perniciem quandam malignam etiam ineſſe exiſtimat; eò quòd contagioſum infantibus ſit malum. Sed ſæpè nobis dictum & jam notum eſt vel tironibus, non omnia contagioſa eſſe maligna; uti neque contrà, omnia maligna eſſe contagioſa.

Iſtorum vitioſorum humorum cauſę ſunt vel internæ, ſcilicet mala viſcerum conſtitutio: vel externæ, nimirum mala diæta, ut eſus ciborum acrium & ſalſorum; converſatio & familiaritas cum iis, qui ſimilibus affectibus laborant.

Sed & lactis vel ſanguinis menſtrui impuritas cauſa eſt, ſi ab infantia malum eſt.

Achores, favi & puſtulæ capitis adſpectu noſcuntur, uti & tinea.

Achores autem à favis diſtinguuntur, quòd in illis fora-

foraminula, per quæ sanies effluit, sint minutiora; in favis paulò patentiora.

Tinea adest, quandò apparent ulcera obducta crustâ; quæ modò viridis est, modò crocea, modò cinerea: sanies effluit modica, & quæ effluit, fœtet.

Manantia ista capitis ulcera liberant infantes à magnis morbis capitis, & à convulsionibus epilepticis: progressuque ætatis in ipsis sponte sanantur. Si tamen diu durent, maximè tinea, defluvia capillorum & areas efficiunt: imò & ipsum cranium materia acris aliquando perrodit.

Si infantis nutricis vitio contingant hi affectus, aut etiam statim à primo ortu, vix sanationem admittunt; ac ne ea quidem procuranda, antequam puer eam ætatem attigerit, quâ curationem & medicamentorum laborem ferre possit.

Tineę non solùm perdifficilis est sanatio, sed etiam, neglecta si fuerit, & inveteraverit, sanari ferè non potest: idcircò satius est, ab ipsius curatione abstinere, quàm cum dedecore sanitatem polliceri nec præstare: tametsi etiam sanetur, nihilominùs post se relinquit quandam capitis deformitatem ob areas seu pilorum privationem.

Pro curatione ante omnia est animadvertendum, an affectio magna, an parva sit; recens, an antiqua, benigna, an maligna. Si parva, recens, & benigna fuerit, neque corporis purgatione, neque medicamentis validioribus est opus: sed primo quoque tempore ad localia, & quidem leviora est veniendum. Si affectio fuerit magna, antiqua, mali moris, ideoque ab humorum vitio foveatur; tum ad totius corporis evacuationes & validissima localia est procedendum. Et quidem si homines robusti sint, purgandi primò sunt taliter ferè, qualiter illi, qui lue venereâ laborant. Deindè exhibeatur hoc decoctum:

♃. Salsæ unciam. rad. chinæ semunciam. radic. cichor. drachmas quinque. hordei semipugillum. carnis vitulin. unciam. bulliant in aq. com. libris octo ad consumpt. mediet. tum ℞. Dicti decocti uncias duodecim. rad. gramin. asparag. ana drachmas duas. agrimon. sonchi, cap. ven. cuscutæ ana semipugillum. bull. ut remaneant uncię octo pro duabus vicibus, manę scilicet & vesperi: reliquum sit pro potu ordinario. Interea caput ungatur unguento, quod constat calce vivâ & ol. rosaceo.

Alii laudant hoc: ♃. Ol. laurin. unciam. lardi veteris drachmas sex, mis. f. unguent. quo locus ungatur ter in hebdomadâ, & urinâ propriâ caput abluatur. Efficacius est, quod recipit alum. usti, chalcit. ustæ an. semunciam. aristol. rot. virid. æris an. drachmas duas. picis navalis drachmam. pinguedinis anatis semidrachmam. butyr. antiquiss. semunciam. Mis. f. ung. Primò caput abluatur lixivio dulci: lotum siccetur: posteà inunctio fiat dicto unguento. Post tres dies eadem lotio & unctio repetatur. Quod cùm ter factum fuerit, tineæ evanescunt.

In puerorum achoribus non facilè est aliquid adhibendum: si enim repellamus, maxima incommoda inde oriri solent. Debet ergò præscribi non repellens; sed evocans. Linatur caput oleo rapar. cui incoxit tabacum. Quæ inunctio antequam fiat, commode caput abluetur decocto rad. oxylapat. fol. malvæ, absinth. sem. fœnigræci, cicer. lupin. fabar. in vino: vel decocto solius rad. bryoniæ in aquâ. Alii capiunt butyrum salsum in sartagine frixum, addunt camini fuliginem, & pauxillum aceti.

Ad achores & favos in pueris tenertimis.

♃. Ciner. myrtillor. gallar. an. drachmam. tutiæ sesquidrachmam, butyri vetusti loti aq. rosac. unciam, cineres aceto lævigentur, deindè misceatur ad ignem. In puerulis grandiusculis:

♃. Pulv. cort. granat. lithargyr. tutiæ an. sesquidrachmam. ol. rosacei semunciam, pingued. anatr. aceto lotæ sesquiunciam. Mis. fiat linim. Quæ linimenta extendantur super linteum subtilissimum priùs cerâ illitum: cera hæc facit, ne calor ulcerum usque adeò consumat medicamentum. Ad contumaces achores:

♃. Succi helenii, fumar. an. semunciam. axung. porc. decies lot. in aq. ros. uncias tres: tutiæ præpar. gallar. ustar an. drachmas duas. Mis. f. unguent.

Ad tineam veterem & rebellem medicamentum efficax.

♃. Succ. fumar. scabios. borag. oxylapath. aceti an. uncias tres, ol. antiq. libram. bulliant omnia in vase duplici ad consumptionem succorum & aceti. Deindè inspergę sequentes pulveres:

♃. Utriusque ellebor. sulfur. vivi, chalcanth. auripigm. calcis vivæ, alumin. gallæ an. semidrachmam. virid. æris drachmas duas, terantur & cribrentur omnia diligenter, tum misceantur cum dicto oleo, & addita picis liquidæ & cerę q. s. f. ceratum: quo cooperiatur capitis pars malè affecta. Interim tamen quandò hoc gestatur, evacuandum est subindè corpus per pil. cochias, vel hieram Pachii, vel similia purgantia.

Sunt, qui hoc modo in tineâ tollendâ procedunt, & valdè tutò. Coquunt imprimis vitell. ovi ad duritiem: addunt mellis unciam, & simul coquunt ad linimentum molle. Hoc inungunt universam tineam emplastri modo, singulis 24. horis renovando, continuandoque ad dies 4. vel 5. postea lavant lixivio forti in quo bullierit sat bona quantitas tartari: permittuntque caput per se siccari: quo facto tegunt caput vittâ; & post 24. hor. lavant sequenti lixivio.

♃. Lixiv. com. libras quinque. ei incoque absinth. salviæ, chamæmel. betonic. an. manipulum. rad. lapath. sesquiunciam, rad. lappæ major. unciam. baccar juniper. semilibram. post ebullitionem unam atque alteram, adde salis petræ uncias tres, alumin. unciam. vitriol. uncias duas, sulfuris uncias tres, lithargyr. uncias sex. Eo lavetur caput; exsiccatum deindè inungatur aliquo ex suprà descriptis unguentis.

Forestus hoc laudat in tineâ quantumvis inveteratâ, & ab omnibus immedicabili judicata, modò universalia præcesserint & capitis lotiones:

♃. Sulfur. semunciam. liquescat super ignem in patellâ terreâ: ita liquatum in mortarium ęneum conjiciatur, pistillo semper ducendo. Tum adde butyri saliti liquati & cocti ad nigrorem. axung. porcin. liquatę an. unciam. argent. vivi salivâ exstincti drachmam. vitrioli scrupulum. Hæc omnia in dicto mortario concutiantur, & pistillo continuo moveantur, donec frigescant, & in linimentum coëant.

Chirurgus quidam hoc unguento ad capitis scabiem & tineam feliciter utebatur:

♃. Pingued. porc. semilibram. rad. enul. chelidon. an. unciam. sabinæ manipulum: omnibus contusis & coctis adde hunc pulverem, donec frigescant:

♃. Nuc. moschat. caryophyl. macis, cinnam. an. drachmam, croci semidrachmam. baccar. lauri, aristol. rot. an. drachmas duas. sulfur. drachmas tres. vitellos ovor. numero octo mellis cochlear. Mis. f. unguent: quo caput illinatur, priùs lotum urinâ.

Sed & hoc est expertissimum passim Amsteledami:

♃. Bacc. laur. rad. cavæ quantum vis. Misce cum pice liquidâ: addendo butyrum vetustiss. & rancidum. pone ad ignem benè miscendo, donec fere bulliat.

Elegans quoque & probatum est hoc unguentum, sed non nisi præmissâ corporis purgatione utendum:

♃. Lardi veteris semilibram. terebinth. alb. uncias tres, lapid. medicamentosi, olei tartari an drachmas sex, sulphuris vivi, cerussæ lotæ, lithargyr. minii an. semunciam, ellebor. utriusque, piper. long. tutiæ præp. nihil alb. an. drachmas duas. Mixtis affunde succor. depurat. rad. oxylap. scrophular. herb. fumar. scabios.

bioſ. cort. inter. virid. ſambuc. limon. an. uncias duas. coq. ad ſuccor. conſumt. poſt adde ſtyrac. liquid. cinnabar. factit. an. drachmas, ſex, ol. laurin. juniper. ovor. an. ſemunciam. mercur. ſublim. ſeſquidrachmam. Miſ. f. unguent. Lapidis Medicamentoſi hæc eſt deſcriptio:

℞. Vitrioli virid. ſemilibram, vitr. alb. uncias tres, alumin. uncias novem. ſalis petræ, ſalis com. ana ſeſquiunciam. ſalis tartar. ſalis abſinth. artemiſ. cichor. perſicar. ſalis plantag. ana drachmas duas. ponantur in novâ ollâ vitreatâ. affund. modicum aceti roſac. coq. igne carbonum lento, ſæpiùs agitando. Ubi incipit ſpiſſari adde Ceruſſæ Venetæ uncias tres, bol. armen. uncias duas. diligenter miſceantur omnia, donec vi ignis mediocris in lapidis duritiem maſſa concreverit; quæ poſteà fractâ ollâ eximitur. Hujus ſolius lapidis uncia in librâ aquæ pluvialis vel fluvialis, non fontanæ, ſoluta & poſt filtrationem ad hos malos affectus adhibita mirifica eſt.

Pſydraciis ſuccurrit unguentum ex ceruſsâ & ol. roſaceo.

Vel ℞. Litharg. ceruſſ. ana ſeſquidrachmam. cretæ alb. ſulphur. ana drachmas duas. cum ol. myrtin. f. unguent.

Levia hæc mala, & quæ foventem cauſam intus non habent, ſed orta potiùs ſunt à ſudore & humore ſub capillis longis detento, à putredine acrimoniam acquirente, remedio ſiccante ſtatim ſanantur v. g. vitriolum aquâ diſſolvatur, eâ moderatione ut linguam non mordeat: eâ tepidâ cruſtæ madefiant, & ipſæ & ulcera ſiccabuntur. *Hactenus Clar. Vopiſcus Fortunatus Plempius, Tractatu peculiari de Affectibus Capillorum. Sequuntur jam* Conſultationes *&* Obſervationes *è variis aliis.*

Conſultationes.

De Alopeciâ vel Depilatione.

Propoſitio Ægritudinis ab alterô Medicô ad Clar. Fernelium.

Juvenis bene carnoſus ac ſaluberrimus, annos natus viginti, areolis aliquot ſtatim ab incunabulis caput ſibi deturpari ſæpe apud me conquæſtus eſt. Vacuatô corpore remedia ego adhibui, quæ à veteribus in proliciendis pilis commendari videbam: ſed nullô profectu omnia. Tu ſi quid longô uſu in id admodum efficax comprobaſti, impertias etiam atque etiam rogo. Vale, & me, ut ſoles, ama.

Reſponſum Clar. Fernelii.

Hæ capitis areæ, cùm nec ex acutô morbô, nec ex humoris cujuſquam vitiô, ſed ab ortu & ſemine contractæ ſint, vix ullam ſanè curationem admittunt. Seminis quippe & naturæ vitia vix ars ulla poſſit corrigere.

Si qua tamen curandi ratio profutura eſt, hæc una potiſſimùm videtur. Vacuationes nullæ tentandæ; nec venæſectione; nec purgatione corpus exagitandum, quód nullus humor defluvii cauſa ſit.

At quoniam pars glabra ſiccior apparet utile ſit, foris emollientibus cutem laxare, in eamque humorem è vicinis ſedibus prolicere, ut materia gignendis pilis apta ſuppetat.

Primò itaque fotus fient ex radice altheæ & liliorum, ex malvâ, violariâ, parietariâ, ex ſemine aniſi, lini & fœnugræci. Ab hôc deindè cùm pars mollior videbitur, fotus aliquis conferet qui materiam alliciat, ex ſalviâ, betonicâ, ſtœchade, adianthô, capillo veneris, abrotanô, ſemine urticæ & ſinapi, coctis in aquâ & vini albi parte quartâ. Mox à fotu areæ inungendæ ſunt adipe urſinô, qui omnino ſummas vires obtinet. Exactis diebus quindecim mane & veſperi caput confricetur cæpis contuſis dum prorſus rubeſcat, & mox melle oblinatur vice cataplaſmatis.

Si ſub his remediis pilus non erumpat, poſtremò adhibendum erit unguentum ex thapſiâ & adipe urſinô, quod ut veterum monumentis celeberrimum eſt, ita efficaciſſimum comprobavimus. Eſt autem nobis hic vera thapſia frequens, cujus drachma una ſatis ſit in unciam adipis. Hujus vi ſi pilus non ſuccreſcat, vix ſpes ulla aliunde eſſe poteſt. *Joh. Fernelius in Conſiliis ſub finem operum adjectis.*

Pro Illuſtriſſimô Genuenſi Capillorum defluviô, & porrigine detentô

Quod illuſtriſſimus vir capillorum defluvio, ac porrigine furfuratione vocata, ab hinc per tres annos afficiatur, nobis per litteras traditum eſt, ſimulque in capillorum fluxu id obſervatum eſt quod ad occipitium, & tempora minus quàm ad aliam partem pili decidunt, propter quæ vitia, ut de ſe conſtat, cùm cutis non modo non ornata, ſed etiam inſigni utilitate (quando capillis mediis caput ſe tueatur ab injuriis externis) orbetur, propterea operâ Medicâ opus habent illa. Quocirca ut eis occurrere poſſimus circa eorum generationem parum digredi oportet.

Certum igitur eſt, capillorum, cutiſque capitis affectiones pendere à vitio, vel cutis, vel materiæ, vel caloris nativi, at in propoſito caſu calorem minimè vitiari ex pluribus ſuaderi poteſt, quando corpus non refrigeratum, ac languidum, ſed bene commoderatum, ac in medio floris ætatis conſtitutum (eſt enim annorum triginta duorum) & ob id calidum ac robuſtum nobis proponatur, de cujus proſpera valetudine ferè nunquam ab Illuſtriſſimo Patiente audita eſt querela, relinquitur igitur, mala propoſita, vitium tum cutis capitis, tum materiæ tanquam proprium generationis principium ſibi acquiſiviſſe, cutis autem vitioſa eſt ob nimiam humiditatem, ac laxitatem, quia ſi fricetur, colorem mutat, atque intumeſcit, in cujus confirmationem & id facit, quod patiens ſemper capillatus, & intonſus inceſſit, & propterea ſemper cutim humidam habuerit, neceſſe eſt; materia verò & ipſa vitioſa eſt, quoniam abundat, atque acris eſt, ratione abundantiæ totam cutim capitis occupavit, ut etiam capilli è toto capite defluant, magis verò in ſyncipite quàm in occipite, ac temporibus, quoniam ibi calor minus viget; ac materia pilorum parciùs ſuppeditatur, his verò in locis calor major, & materia copioſior ob venarum, & arteriarum numerum, & magnitudinem exiſtit. A ratione acredinis tum pili eroduntur, hinc eorum fluxus, tum unitas cutis ſolvitur (ut Avicennas in hoc malo levem excoriationem in ſuperficie cutis adeſſe affirmaverit) hinc ſenſus triſtis pruriginoſus, & ab hoc materia quædam furfuracea à capite decidit.

Cæterùm materia hæc acris, eſt ſuccus pravus, qui cùm non ſit amicus naturæ ab ea non regitur, & proinde putreſcit, ac corrumpitur, & qui capillorum defluvium excitat eſt pituita ſalſa, qui verò porriginem ichor ejuſdem pituitæ, in quam ſententiam adducimur ob ſalſedinem, quam antea inſignem in ore illuſtriſſimus Patiens percepit, cui & illud accedit, quod cùm ipſe venationibus, merito quarum non tantum calor in corpore plus quàm decet augetur, verùm etiam humores crudi generantur, deditus fuerit, inſignem etiam pituitæ ſalſæ generationis occaſionem nactus fuit, cui non parum etiam hoc tempore ætas juven-

juventutis, quæ nonnihil bilis suppeditat, favet. Nec obstat quod cutis capitis fricata rubescat, quoniam sanguinem prædictis succis vitiosis commisceri putamus, propter quem copiosiùs in occipitio, ac temporibus receptum, & sui aliqua benignitate succos illos vitiosos attemperantem ibidem pilorum fluxum corrigi haud dubitamus.

Sed jam remanet ut videamus ubinam succi illi generentur, non in toto igitur generari tam certum est, quàm quod certissimum, quando totius temperamentum, atque habitus commoderatissima proponantur, ideo & in jecore, ac capite fervidioribus, coadjuvante etiam ventriculo, succos illos suam habuisse occasionem putamus, qui ad cutim capitis transmissi, ibidemque præter naturam detenti mala jam dicta modo prædicto produxerunt.

Et propterea pro illorum ablatione cutim siccare, ac densare, materiam corruptam evacuare, & repellere, tandemque viscera in contrarium alterare, & corroborare oportet, quas indicationes expleri posse non est quod quis dubitet, sicuti tum corporis commoderatio, tum coloris ex frictione cutis subita mutatio pollicentur, verùm quoniam affectus sunt satis progressi, idcirco provincia hæc non erit ab omni difficultate immunis, poterit tamen hisce remediorum materiis perfici.

Et primum (quantùm ad Chirurgicas attinet) mittatur sanguis ex cubito dextro, quo tutius topica usurpentur, quamquam & ex podice per hyrudines mitti posse putemus, quando patiens non nihil melancholiam sapiat, quò & cauterium femoris dextri referendum asseveramus, verùm & gratia capitis post totius providentiam materiæ Chirurgicæ non sunt reprobandæ, ergo cum Avicenna caput est fricandum, & si valde rubeat, ut venæ frontis, ac temporum turgeant, vena frontis est aperienda, imo verò & cauterium in brachio sinistro infigendum; gratiâ autem materiæ in cuti existentis, oportet hanc, usu postulante, scarificare.

Medicamenta totius in ordine lenientium ex melle rosato solutivo & syrupo de polypodio, in serie præparantium, ex decocto betonicæ, cicoreaceorum, & boraginis cum suis syrupis; in classe purgantium ex infuso Agarici, Rhabarbari, senæ cum manna, parata erunt accommodata, quamquam secundam, tum præparationem cum syrupis magis compositis, tum purgationem cum pilulis cochiis helleboriatis necessariam fore credimus, sicuti pro insensibili evacuatione decoctum guajaci, salsę, & Chinæ cum cicoreaceis, ac cephalicis castigatum ad plures dies bibitum. Autumno sequenti non improbamus; hoc verò tempore serum lactis caprini cum succo cicoreaceorum, termæque frigidæ; sicuti & balneum aquæ dulcis ad materiæ, & jecoris attemperationem opportuna videntur.

Topica attenuantia, detergentia, siccantia, & modicè adstringentia sint, requirunt autem prius ut pili sæpius abradantur, quoties nimirum renascuntur, mox cutis, aut fricanda spongia imbuta tepida, vel panno aspero, vel foliis ficuum, aut abluenda lixivio decoctionis furfurum, fumariæ, betę, radicum oxylapathi, Agarici, & colocynthidis, post quæ est adhibendum balsamum naturale, vel unguentum ex oleo unguentariorum rosetarum, & cariophylorum, favo mellis, urina pueri destillata, & labdano cum cera exceptis, adjecto malabatro; in eundem usum laudatur quod ex cinere Abrotani, & radicum cannarum cum oleo nucleorum Persicorum, Thure, & Labdano in aceto dissolutis, ac cera paratur. Quibus non conferentibus tum ad oleum ex lutis sulphureis, ac nitrosis, & Labdano destillatum, tum ad medicamentum ex calcantho, sale minerali, sulphure vivo cum Labdano in oleo masticino dissoluto exceptis est deveniendum, imò verò aliqui ad medicamentum ex cantaridibus ascendunt, & si cutis exasperetur nimis, abstinent ab his, & clementioribus, vel mitigatoriis, uti butiro atque adipidibus utuntur.

Et hæc dum peraguntur exposcunt victum euchimum subadstringentem, qui à Medico curanti institui poterit, de quo referente Galeno primo loc. Acchigenes in porrigine exactè agit; illud autem solum nobis notatu dignum videtur, ut tota hyeme Illustrissimus Patiens utatur vino cum guajaco, & sandalis medicato, Deus autem Optimus Maximus hęc omnia secundet. *Julius Cæsar Claudinus in Consultationibus Medicinalibus.*

Capillorum defluvium.

Com. Illustriss. Juvenis, temperamenti, tum secundùm totum tum secundùm caput, calidi & humidi, boni habitus, martialibus exercitiis deditus, cùm pro Serenissima Repub. ad Regni Cretensis tutelam se contulisset, ibique vina meraciora potasset, & salsamentis, imo alimentis ferè omnibus salitis & assatis usus esset, altero transacto anno, scabie totius corporis infectus est, cum molestissimo pruritu, ad quam expellendam, quadam inunctione sibi indicata usus est, nulla prægressa totius providentia, quare scabies quidem exsiccata & ferè ex toto ablata fuit, verum capitis doloribus corripi cæpit, qui tactu exasperabantur, & erosionis sensum præ se ferebant, diuque magis quàm noctu affligebant, unde ab Imperantibus venia impetrata, domum reversus, de alio symptomate sibi maxime molesto, Capillorum nimirum Defluvio, conqueri cæpit, non solùm in syncipite, verùm & in aliis omnibus capitis partibus, imo & superciliis manifesto, postquam scil. è reliquo corpore pili antea omnino effluxissent. Quare modò Patavium se contulit, ut de agendis, pro salute consulat.

Tùm præterita, tùm præsentia mala Illustr. hunc Juvenem molestantia, unicam habuisse causam manifestissimum est, sanguinis nimirum vitium, ex potu vini meracioris, & potissimùm salitorum diuturno usu, in toto contractum, cujus pars acrior & acidior, ad cutem universam à natura detrusa, impetigine non solùm, verùm & scabie totum corpus infecit, unde ab eodem corrupto pilis alimento, à toto effluxerunt, servatis solùm capillis pilisque genarum & superciliorum, qui, utpote utiles, magis quoque à natura custodiuntur. Verùm, quoniam ab inunctione impuro sanguini iter ad exteriora fuit interceptum, ideò idem superiora petens, & copia & prava qualitate continuum solvendo, capitis dolores corrosivos excitavit, & quidem extra cranium, cùm ad tactum exacerbentur; præterea ab eodem vitiatur capillorum alimentum, & ideo necessariò defluunt: non enim concurrit in nostro casu siccitas, sive alimenti inopia, sed evidens ejusdem corruptio, unde non minùs decidunt ab occipite atque temporibus, quàm à syncipite, quod prius denudatur ex siccitate, ob cerebri, eo loco, à cranio distantiam. A toto verò prius quàm à capite defluxerunt, quoniam, sicut stirpium quæ ex terra nascuntur, quædam Agricolæ industria coluntur, utpote humano usui utiles, quæ ideo conservantur, aliæ verò per accidens ortæ, quarum nulla cura habetur, facilius propterea atque celerius exsiccantur, ita pilorum alii, capilli scil. & qui supercilia atque genas exornant, quorum ipsa natura Agricola veluti est, tanquam utiliores diutiùs præservantur, reliqui verò universo corpori inutiliores, atque ideò neglecti dimittuntur, licet tandem vi humorum copia & par-

& prava qualitate peccantium, caputque petentium, & capillorum & pilorum utilium defluvium, eadem natura permittere coacta fuerit.

Affectus certè non negligendus, non solùm, quia turpitudinem inducat, sed multò magis quia acres humores dolorem excitantes, & pericranium mordicantes, progressu temporis cranium quoque cariosum reddere possint. Quare curatio statim ineunda, spe fore ut Illustriss. Juvenis à doloribus liberetur, & rursus capillatus fiat. Nam licet dicat Gal. Quis nescit Calvitium esse passionem incurabilem? Intelligendus attamen præsente Alopecia & Ophiasi.

Intentiones autem Medicæ sunt. Primò universam massam sanguineam depurare; primas vias priùs evacuando, totum corpus, & inde caput electivè purgando, & cutis capitis porositates, nec nimis laxando, nec nimis densando. Quibus indicationibus ut satisfiat.

A fonte Chirurgico, repetita depromenda est sanguinis missio ex utroque brachio, vitium enim in sanguine est, dum peccat substantiâ, qualitate, necnon quantitate. Reliqua verò ex hoc fonte administranda, inferiùs ordine executivo erunt proponenda.

In fonte Pharmaceutico, statim validiora purgantia usurpari posse videntur, si Gal. audiamus, quem, quoniam Capillorum defluvium unica die valido medicamento purgante exhibito sanavit, Medici illius ævi odio prosequuti sunt, nihilominus lenientia nobis nota, ignota illi tunc temporis fuere, prætterquam quod forsan affectus ille non adeo altas egerat radices, ut præsens hic. Quare tutiùs fuerit humorum præparationem præmittere, exhibito priùs leniente primas vias defæcante, ex syr. ros. sol. & de Polyp. vel ex Lenit. & Tart. Deinde primum præparans erit, Decoct. Cich. Borrag. Bugl. Meliss. Scab. Beton. cum syrup. Acet. & de Pom. Transactis verò quinque, aut sex diebus, expurgentur præparati humores, Elect. Lenit. & Diacarth. vel suprascripta Potione, Inde ad ulteriora præparantia deveniendum, ut

℞. Syrup. de Pom. de Fum. de Beton. Viol. simp. an. ℥. s. Decoct. Cich. Borrag. Bugl. Meliss. Fumar. Malv. Beton. ℥ v. m. pro syr. & sic pro aliis octo, aut decem, quibus succedat talis expurgatio.

℞. Elect. Lenit. Diacarth. Diaph. an. ʒiij. m. f. b.

Vel ℞. Rhab. opr. Myrob. Cheb. Folior. sennę rec. mundat. an. ʒ ij. Cinnam. integ. ʒ j. Aq. Agrim. q. s. m. f. inf. per noctem, & f. fortis expr. colat. adde syrup. ros. sol. ℥v. m. f. p. cui superbibat serum Asin. aut Capr. depur. ad lib. ij. vel iij. pro libitu.

His peractis, venosum genus, nondum satis defæcatum, Decoct. Epith. Mes. tribus vicibus, alternis diebus exhibita deplebitur, aut Extr. Veratri Nigri, ad ʒs. cum Cassia, quibus omnibus semper serum jam dictum erit addendum. Diebus autem intermediis, assumantur succi depur. Cich. Borrag. Fumar. ad ℥ iij. in decoct. suprà descripta, vel saltem serum dep. ad lib. 1. s.

Tandem caput erit expurgandum, Pilul. Coch. cum Helleb. præpar. additis Aur. & Aggreg. an. ʒ. s. quibus pariter serum superbibendum. Nec aliqua Errhina caput purgia erunt omittenda, ex lacte cum Diagrydio parata, vel ex Pulv. Major. Nigel. & Ireos.

Expurgato toto & capite, ad Topica deveniendum, quæ capillorum ortum accelerare valeant, cùm jam ferè ex toto defluxerint, & primò quidem Caput abluatur lixivio dulci ex cinere ligni Juniperi & Abrotani parato, deindè sæpè attingatur spongiâ imbutâ Aqu. stillat. ex apibus cum suis alveolis, & melle. Vespere verò, caput idem illinatur linimento ex melle, Lad. & pulv. Apum confecto, mox matutino tempore caput abluatur decoct. Abrot. Marrub. Lapat. Capillor. Ven. Agrim. Flor. Rorismar. ut subinde spongia Aq. jam dictâ imbuta caput & facies attingatur; atque ita procedendum, si non quotidie, saltem alternis diebus, caput illinendo vesperi, abluendo manè, & tota die cerebru madefaciendo.

Addendo his omnibus congruam victus rationem, abstinendo à salsis, ab acidibus, à vaporosis, Vinis meracioribus. Sub ingressum lecti, in usum ducat Cons. Violar. & singula hebdomada Pil. Capit. assumat; ita enim & purus reddetur sanguis, & probum habitum sibi comparabit, atque capillorum decorem recuperabit. *Raymund. Joh. Fortis. Consultat. & Respons. Medic. Tom.* 1. *Cent.* 1.

Plica Polonica.

Juvenis triginta circiter annorum, Natione Polonus, pauper, eleemosynam quæritans, proximè præteritis annis huc pervenit, qui post petitam stipem, rem gratam mihi facere existimans, capillorum affectionem raram præsertim in nostris Regionibus detegere, & exponere voluit, aliquod quinetiam auxilium Medicum, pro remissione, non autem pro integra sanatione in sui subsidium implorans. Erat autem Juvenis iste temperamenti secundùm totum frigidi & humidi: albus enim erat totius color; medioctis habitus, & subpinguis; caput verò humidissimum, pediculis & protensis capillis abundans, & fulvi coloris, qui præsertim prope radicem conglomerati & à glutinoso succo coacti, atque in unum collecti conspiciebantur, nec sine dolore moveri poterant; minusque abscindi: abscissi autem cruentum ichorem emittebant. Caput quoque sibi nonnunquam gravari atque dolere asserebat, qui dolor à copiosa pituitosæ materiæ per nares & per os excretione remittebatur. Interrogatus verò de anteacta vivendi ratione, respondit consuetum victum sibi fuisse, ex lacte, caseo aliisque eduliis, pariter ex lacte cum aquæ potu consueto: & præsentem capillorum affectionem decem abhinc annis sibi accidisse, dum mutato statu & habitatione, vinum meracum & copiosum bibere inceperat: à nativitate tamen lactumen in capite semper se passum fuisse asserebat, quod ætatis progressu in affectum crustaceum degeneraverat. Subdidit quàmplures in illa Regione sua huic affectioni obnoxios observari, ut plurimum pauperes, aliquos tamen etiam divites, qui curationem tentantes, aut in cæcitatem, aut in sævissimam Podagram ducuntur. Quibus habitis, infrà scriptam Consultationem eidem tradidi, curatione quinetiam addita.

Capillorum hujusmodi affectionem atque conglomerationem: Cirrum aliqui nominatunt, plures autem Plicam Polonicam vocare maluerunt, eo quòd illius Regionis Endemicus sit affectus. Et quamvis novam affectionem hanc esse aliqui existimaverint; semper tamen fuisse puto, si genericè consideretur: sicut nova appellari posset specificè; atque habita ratione ipsius graduum: etenim sub lactuminis atque Morpheæ genere continetur, & ab iisdem causis procedit: quibus adauctis, aut à vivendi ratione aut ab aëris alteratione, ob aquarum inundationes, aut ab influxu Cælesti, præsertim propter aspectum Lunæ cum Saturno, auctus quoque fuit ipse capitis affectus; adeo ut tandem unà cum vitioso humore quem antea expultrix facultas ad cutem extrudebat, sanguineus quoque ichor ad capillorum cavitates fuerit transfusus, affectum hujusmodi capillorum constituens. Humor autem iste prędominans, frigidus & humidus pituitosus & glutinosus est; ut propterea ad ejusdem generationem simul conspiraverint in isto Juvene totius, & præsertim capitis temperamentum frigidum & humidum, Regio frigida, & frigida prægressa victus ratio: quarum causarum

rum ratione lactumen in infantia erupit in capite, quod in pueritia in affectum crustaceum degeneraverat: atque tandem materia ipsa non solùm adaucta, verùm & à meraco copioso potu attenuata in capillos ipsos sese insinuavit, & cruentos ichores unà cum tenuissimis nervosis capillamentis, sive cum aliis spiritus tantùm animales secum duxit, repletione atque distentione dolores excitans, dum interim ab humoribus glutinosis capilli ipsi coalescunt atque conglomerantur, & Plica Polonica constituitur. Dum verò in capite humida materia atque copiosa detinebatur, ejusdem capitis gravitatem atque dolorem faciebat, qui remittebatur & evanescebat, eadem per nares erumpente & ex ore effluente, facilis præterea fuit pediculorum fœcunda soboles à putredine concepta ex debili calore in copiosam humiditatem agente.

Affectus iste nonnisi magno labore & opere tolli potest; tum quia naturales habet radices; tum quia expurgato toto, & capite à copiosis excrementitiis humiditatibus, nisi earundem regeneratio totis viribus inhibeatur, facillimè maxima & majora mala succedunt: frequenter enim ad cæcitatem, aut ad vertebrarum luxationem, aut ad insanabilem podagram Patientes perducit; quæ tamen omnia enarrata succedunt, eo quod in illa Regione, curatio eradicans non adhibetur, nec malum radicitus extirpatur.

Intentiones igitur curativæ debent esse, primas vias expiare. Secundò Massam sanguineam à pituitosis humoribus vindicare. Tertiò Caput iterum, atque iterum expurgare. Quartò ejusdem frigidam & humidam intemperiem corrigere & auferre. Quintò Viscera naturalia &. caput ipsum roborare; atque tandem prope radices, capillos abscindere.

Quibus intentionibus ut satisfaciamus; à fonte Chirurgico aliqua erit desumenda sanguinis missio in Patiente nostro, qui juvenis est, cum aliqua sanguinis abundantia; & quidem potiùs ex venis sedalibus, quàm ex superioribus. Præterea Cauteria duo brachiis sunt inurenda.

Quoad primum scopum convenire poterit potio ex melle rof. solut. & manna; vel electuarium lenitivum cum hiera; Sicut pro prima præparatione oxymel, & mel. rosac. simpl. addita pauca aq. cinnam. ut repetatur suprascriptum leniens.

Pro secunda indicatione, Præparans erit, decoctio borag. beton. agrim. melissæ, pentaphyl. addito oxymel. & sale tart. fixo: in qua præparatione viginti saltem diebus est persistendum, sed quinto quoque die, purgante medicamento, materia peccans in toto est minoranda; & quidem primò electuario lenit. diaphen & trochiscis Alhandal; postremò verò electuario lenit. addi poterit hiera Alex. vel extractum elleb. nigri, sic & pilulæ fœtidæ, de agarico; conveniet etiam crystallus antimonii, vino albo infusa.

Hinc ad tertium scopum implendum deveniendum, caput expurgando; in quem finem pilulæ coch. præparatæ cum elleboro, efficacissimæ sunt: sicut & præstantissimæ erunt pilulæ capitales Paracelsi, ut quæ, extracta veratri nigri, colocynth. & diagryd. contineant; exhibeantur autem ad ℈ij. à primo somno, circa noctis dimidium, & ter, quaterque, quarto quoque die repetantur; diebus verò intermediis, matutinis horis, errhinis caput pariter expurgetur, ex pulvere majoranæ, ireos, nigellæ, & nicotianæ parandis. Interim tamen syrupi capitales exhibendi, ex decoct. beton. majoranæ, stœchad. salviæ, euphragiæ. pæoniæ, & liliorum convallium, oxymelite compos. syrup. de beton. de stœchade, additis.

Purgato toto, & capite, quartæ intentioni satisfaciendum erit sudorifico decocto, quod caput calefaciet, & exsiccare, necnon totum corpus ab humiditatibus vindicare valebit, quod sic parabitur.

℞. Ligni guajaci cum cortice, salsæ parillæ electæ, ligni visci querc. ligni ror. mar. an. ℥j. ligni buxi, radic. pæoniæ, radic. chinæ an. ℥ſ. aq. ſtillat. beton. lib. ij. rutæ capr. lib. j. salviæ, lil. convall. an. lib. ſ. m. f. infus. per hor. 24. deinde bull. ad consumpt. dim. & facta colat. servetur ad usum pro tribus vicibus, matutinis horis, horâ unâ ante ingressum hypocausti, ad ℥viii. exhibenda; cui præmittatur pulvis viperin. ad gr. xv. aut xx. & in hoc decocto sudorifico, dies quadraginta perseveret, semel per diem sudorem provocando; decimo verò quoque die, pilulæ, totum, & caput purgantes, nimirum cochiæ, & aggregat. aut à Paracelso præscriptæ exhibeantur, quibus addi quoque poterunt grana Mercurii dulcificati. Diebus autem intermediis, Clysteribus acrioribus utendum; atque hoc sudoris tempore, victus attenuans, sed mediocris tamen esse debet: pro potu verò consueto, aqua hunc in modum paranda.

℞. Salsæ parillæ electæ, visci querc. veri, chinæ opt. an. ℥j. ligni sassafras ℥ij. aq. com. ℔. xv. m. bull. ad consumpt. tertiæ, in fine ebullit. adde cinnamom. integri. ʒij. fiat colat. cui adhuc ferventi adde sacchari fini, ad libitum Patientis, prout & frustula citri recentis, ut agitatione fiat aqua, vulgo dicta Cedrata.

Completo sudore, si ventriculus non adeo perfectè concoquat, ciboſque conficiat, aqua Tettuciana, quatuor aut quinque vicibus de more exhiberi poterit, cum vehiculo mellis rof. solut. sicut pro capitis roboratione, Conservæ capitales è floribus roris mar. salviæ, calendulæ, pæoniæ, beton. lil. convall. sub ingressum lecti erunt in usum ducendæ: quinimo & ante cœnam Theriaca, cum Mithridatica confectione summopere proderit, eodemque tempore pulveres exsiccantes atque pediculos necantes capiti inspergendi, ex staphisagria, lupinis, absinthio, calamentho, nitro, scordio, & dictamno Cretico.

Sed tandem ad capillorum abscissionem prope radices erit deveniendum: qua peracta, capiti lotiones quotidianæ erunt parandæ, ex aquis sulphureis atque nitrosis: quæ si præsto non fuerint, substituatur lixivium ex cinere ficus paratum, in quo ebullierint cortex ligni guajaci, agaricus, radix lauri, folia tabaci, centaur. aristolochiæ, beton. & stœchados, & jejuno ventriculo, quotidie, ad xx. dies caput lavandum, pannisque lineis diligenter exsiccandum.

Quibus jam dictis, congrua erit addenda vivendi ratio. Et quamvis ab isto Juvene ob inopiam observari non possit, sicut neque præscripta ad usum revocari, attamen ut cæteris quoque hoc affectu laborantibus hæc Consultatio utilis esse possit, exactam Curationem præscripsi, propriamque vivendi rationem subdo. Primò namque aër debet esse exsiccans, & calidus potiùs, quàm frigidus, qui in cubiculo est alterandus suffumigio, ex styrace, benzuino, ligno aloës, pastillos efformando, cum tragacantho, & aq. rosacea, accensis carbonibus inspergendos. Secundò victus debet esse attenuans, non tamen tenuis; sic conveniunt aviculæ montanæ, volucres silvestres, turdi, alaudæ, attagenæ, hirundines, columbæ turricolæ; & vitandæ carnes annosæ & pingues, sicut & lactaria omnia, legumina, olera frigida & fructus humidiores. Ex piscibus verò, electiores & saxatiles quandoque concedi possunt. Vinum sit odorum, maturum, sed paucum. Tertiò somnus sit moderatus, siquidem in vigilia humores magis resolvuntur, magisque totum corpus exsiccatur. Quartò Exercitium, jejuno ventriculo, magnopere confert potest, imò & parvæ pilæ ludus. Quintò Alvus lubrica servetur, aut Clysteribus acrioribus, aut usu pilularum mastich. semel saltem per hebdomadam. Venus totum corpus refrigerat debilitatque caput. Tandem alacri animo vivat Patiens, mœro-

mœrores arcendo: sed ad iram tamen quandoque Patientes provocandi. *Idem Tom. 2. Cent.* 1.

Observationes.

Pro Porrigine importunâ.

Juvenis quidam Melancholicus porriginem diu passus est: illi enim tenues & furfuraceæ squammulæ ex capitis & universi corporis superficie continuò resolvebantur, pluribus ulceribus relictis, è quibus sanies quædam virulenta ex intervallis per totum corporis ambitum emanabat, quod malum cùm non solùm sit fœdum & molestum; sed periculosum, & facilè in lepram commigret, idcircò illi citissimè auxiliares manus adhibere oportet. Post infinita propemodum usitata remedia, tandem solo urinæ balneo omnimodam consecutus est sanitatem, in quo prius furfures & fumaria erant incocta, nec sine ratione, nam urina vehementer abstergit, & potenter repurgat; quo pacto scabiem, sorditiem, pruritumque nitrosa qua pollet facultate persanat. *Zacutus Lusitanus. observat.* 3. *lib.* 1. *prax. admirand.*

Pro Capillorum casû à relaxatione meatuum cutis.

Cùm hic affectus à nullius materiæ vitio, sed à solâ cutis relaxatione & meatuum amplitudine proveniat, sola adstringentium admotione curandus venit.

Hoc quod sequitur singulare remedium ad hoc vitium deputatum est.

℞. Polytrich. capill. ven. an. Mß. fol. myrti. rosf. absinth. an. Mj. coq. in olei dulcis & vini rubri austeri an. quart. iij. donec vinum consumptum sit: colatum & expressum oleum reponatur.

℞. Hujus olei ℥iij. ladan. ℥iß. mastich. ℥ß. ladanum & mastich. subigantur in mortario pistillo calido, paulatim oleum infundendo. Deinde consperge & probe misce pulveris capill. veneris ℈iv. ut fiat linimentum. Quo illinantur loca depilata. Nigellam etiam urito, aquaque subactam illinito, hujus enim usus ad eliciendos pilos mirifice probatur, sive capiti, sive mento, imprimis autem si superciliis adhibeas: his remediis pili egregiè restituuntur. *Petrus Forestus. observ.* 7. *lib.* 8.

Vidi, cùm mentum calvum erat, hirsutum factum ex crebro fotu decocti capil. veneris, quos nonnulli idcircò polytrichon vocant, quod multitudinem pilorum producant. Facies autem sic radi curabis mentum novaculâ, & sequentibus diebus fricabis nonnihil cum panno aspero, postea lavabis sæpius decocto capill. ven. in aqu. fluviatili facto. *Hieron. Reusnerus. observ.* 22.

Pro Capillorum defluvio.

Ad firmandas radices capillorum & humores contemperandos, utile erit hoc unguentum.

℞. Ol. ovor. ℥ß. ladan. ʒvi. pingued. ursi ʒij. chartæ ustæ, nuc. avellan. ust. an. ʒß. pulv. gran. myrthi. ℈j. M. F. unguentum; eo ungatur mane, postea vesperi ante cœnam abluatur caput lixivio in quo abrotan. & capill. ven. decoquantur. Ad candem intentionem stercus capræ in cinerem redigatur, & misceatur cum oleo ovorum, addaturque guttula una olei Caryophyll. vel pulvis ejusdem propter majorem efficaciam & odoris gratiam *Jo. Crato. consil.* 8. *lib.* 4.

En εὐπορισον quoddam singulare in producendis capillis, ubi illi deciderint.

℞. Spumam carnis bubulæ, potiùs macrę quàm valde pinguis in aquâ decoctæ, & illam collige in ollulam mundam, & eâ locum depilum inunge. Ego nuper admodum in quodam cui superciliorum pili ex morbo omninò deciderant, feliciter usus sum. *Petrus Monavius. Epist.* 34. *lib.* 2. *consil. & Epist. Cratonis & aliorum à Scholtzio editorum.*

Pro Capillorum in fronte proventu in Virgine.

Dropacem talem præscripsi.

℞. Resin. laric. vulgar. circiter 4. Cochlearia, adde mastich. subtiliss. tritæ instar avellanæ. dissolv. ad ignem, & parum coque continuò agitando. Postea effunde in lebetem aquâ frigidissimâ plenum, deinde manibus malaxentur & in magdaleonem rotundum formentur, qui in aqua, ne adhæreat, conservetur, hujus portiuncula dilatata supra cutem pilosam applicata, ubi adhæserit, iterum detrahatur, pilique in Emplastro evulsi hærebunt. Et si quid de Emplastro in cute remaneat, ol. amygd. d. perfricatione, recedet: consuetum est remedium Venetis matronis, quo pilos evellunt.

Sequens etiam psilothrum ordinavi.

℞. Calcis vivæ ℥j. auripigmenti, ʒj. pulverisatis subtiliss. adde album. ov. num. 1. & lixivii tonsorum parum; incorporentur in formam linimenti, coque cum digito intincto ungatur pars cutis pilosa & in quarta horæ parte abluatur lixivio & fricetur, cujus vires cùm puer Pharmacopæi experiretur, pili recesserunt; sed dolor aliquis inde subortus, & rubedo, quæ tamen diu non remanserunt. *Felix Platerus. observat. lib.* 3. *pag.* 591.

Pro Pilorum defluvio.

Oleum Caryophyll. chymicum præstans est remedium, si pars depilata leniter inungatur. *Rodericus à Fonseca Tomo* 2. *consult.* 60.

Post purgationem universalem, locum depilem ut lavaret mandavi sequenti lotione, scilicet vino infusionis rorismar. & abrotani: deinde ut inungeret unguento sequenti.

℞. Ol. ovor. myrtin. liquoris destillantis è limaceis rubris, an. ℥ß. ciner. capill. human. talpæ, an. ʒij. ciner. apum. muscar. an. ʒj. ciner. abrotan. ʒß, pingued. cuniculi ℥ß. propol. ℥ß. ladan. puri, ʒiij. fæcis olei sem. lini ʒij. mell. despumat. ℥ß. incorporentur omnia, & redigantur in unguentum, quo pili regenerati sunt. *Petrus Forestus. observ.* 6. *lib.* 31. *De fucis.*

Pro Calvitie in Adolescente.

Consului ut decocto ulmi ex dulci lixivio caput lavaret, & locum affectum Squillâ aut cœpâ fricaret; & deinde hac etiam decoctione ablueret, quæ ex abrotano & agrimoniâ paratur; demum verò ut hoc unguento inungeret, quod ex labris vulpis cum pelle in cinerem redactis & ex cinere stercoris capræ, apum & muscarum, & succis dictarum herbarum & oleo decoctionis muscarum constabat; cera modica adjecta, post succi consumptionem ad formam unguenti paratum. Erat hoc Experimentum *Gisberti Horstii* præceptoris mei. Urina calida per se lota juvat, alteri verò solo lixivio hederæ arboreę, cùm caput lavasset crines restituti sunt. *Petrus Forestus, Observ.* 6. *lib.* 8. *de vitiis capitis exterioribus.*

Pro Calvitie post tineam remanente, ad virum excellentem.

Calvities hæc non ex senio, sed ex ulceribus capitis manantibus ortum duxit; vera cute hinc inde exesa; & per dropacum applicationes & detractiones absumpta, in cujus locum cicatricosa & callosa cutis nata est. Cùm autem in cicatrice pili vix unquam nasci possint, & jam diu perseveraverit malum, difficile erit arte, illic denuo pilos educere. Tamen cùm cutis capitis spissa & capillosa sit, in qua semina adhuc fortè pilorum l tere subtus possunt, præcipuis expertisque remediis id tentandum esse, ut pili crescant, censerem, omissis multis aliis hoc modo procederem.

Caput manè foveat dominus cum spongia intincta in vino albo, in quo decoctum sit abrotanum cum Chamæm. & Salviæ floribus; ut sic pori sensim aperiantur, quod & alioquin capiti, tantùm abest ut obsit, ut potiùs prosit. Hoc pacto alternis diebus per mensis spatium & ultra caput foveat; fricando & pectinando post fotum. Deinde inungat caput nocte, sequenti unguento.

℞. Ol. Myrtin amygd d. an. ℥j. Cortic. rad. Cannar. ustar. veratum. Capill. ven. veri usti & polytrichi an. ℥ij. cap. murium ustor. apum combustarum, & Cantharid. rubrat. maculis nigris an. ʒj. ladan. ʒij. Mell ℥j cum cera F. Linimentum. Hoc Linimento nihil est efficacius, quòd si non juverit, nihil juvare poterit: utetur illo alternis noctibus, & quando spissè adhæreat, abluere poterit lixivio, in quo abrotanum decoctum fuerit. Ubi mensis spatio usus fuerit, postea hoc decoctum p rari curet.

℞. Cap ven. polytrich. cortic. rad. cannar. fol. Myrti, fol. Sen fl. Chamæm. ros. rubr. fol. Lapathi acuti. an. Mj. lign guajac. ℔ß abrotan. Mij. F. decoctio. qua singulis noctibus caput lavet cubitum iturus, continuando diu; vel saltem cum spongia foveat; atque nisi succedat mensibus aliquot elapsis, rursus unguento priori caput inungat noctu & manè, & hoc decocto abluat, hæc præ cæteris omnibus (si quid effici in hac re potest) efficacissima sunt remedia, quæ fideliter communicare volui, à Deo successum domino optans. *Felix Platerus. observ. lib. 3. pag. 597.*

Pro Favo in Puero lactante.

Infans quidam in capite Favum habebat cum ingenti pruritu. Imperavi ut caput leviter balnearetur cum decocto fænugræc. malv. & althεæ. Deinde ut inungerent solo oleo ros. in quo Camphoræ exiguum immixtum sit, alioqui si istis non curaretur, jussi pararent oleum descriptum à Montagnata consil. 298. (cujus descriptionem vide supra, sect. 14. lib. 3.) quod egregie valet ad crustas & eruptiones puerorum, valet enim ad favum, tineam & achores. Nam ea quę ad crustas capitis puerorum à Neotericis practicis scripta sunt valere, eadem quoque conferunt favis, achoribus, & tineis. *Petrus Forestus. obs. 24. lib. 8. De exterioribus vitiis capitis.*

Præstat in pueris uti levibus, quale hoc est à Bayro sæpius expertum, tam in favis quàm achoribus, nempè caput abluere cum decocto fl. salicum, fol. parietar. betæ albæ & lentium, & post ablutionem inungere unguento subsequenti.

℞. Lithargyri cum oleo ros. & aceto nutriti ℥j. f . rutæ viridis, ℥ß. (vel cerussf. ℥ß.) staphisagr. ʒij. vi rioli, ℥j. (vel aloes succotrinæ, myrrh. fuliginis o s furni, turhiæ, an. ʒiß.) probè M. in mortario cum aceto & ol. rosac. (vel myrtino) diu agitando, ut fiat unguentum inflat nutriti, eo illungatur caput & est mirabile. *Petrus Forestus. obs. 25. & schol. lib. 8.*

Capillus prodigiosus, post immanem capitis dolorem in vertice cum naturalibus pilis erumpens.

Vidua quædem extranea, ætate fere quinquagenaria defuncto marito, supremo Vigiliarum præfecto, ex Ungaria redux in patriam Silesiam, occasione mihi data secum colloquendi, retulit se per. 12. annorum seriem, post febris Ungaricæ infirmitatem ægrè evitatam, obnoxiam esse immanibus Capitis doloribus, in mense semel, quandoque bis tali typo recurrentibus. Postquam intra cranium doloris capitis pungitorii, telorum instar, ab uno latere ad alterum vagantes, & quasi cerebrum transfigentes, tertiâ vel quartâ ab insultu die desævierunt, inter capillos naturales, suâ naturâ atros, pili novi, præteritis annis albi, jam cani, medium digitum longi, canini ab illa appellati, exurgunt, infra verticem potissimùm, hic sparsim illic densè, (*Buschwveise*) occiput & ultra cingentes, coronamque effingentes, atque per spatium unius noctis incrementi sui terminum absolvunt; doloribus tum ab interna calvariæ parte ad pericranium, seu ad radices prædicti capillitii plurimum transgressis, tantis quidem in principio ejus status, ut cutis ibidem nec levissimum digiti tactum admittat. Eos pilos, si intra quatriduum evelli curet nobilis fœmina, dolor indies decrescit: imò inter evellendum in extimâ cutis parte eundem jam non sentit; nisi simul vicinum naturalem incautè convelli contingat. Sin verò ultra prædictum tempus stare permittat, hem! reciproco & stupendo motu intra cutem illi se retrahunt & abscondunt. Quo facto, dolores capitis interni multo majori, quàm ante pilorum egressum, atrocitate recrudescunt, multoque diutius durant, adeò ut in rabiem propè incidat afflicta mulier.

Causæ horum Curiosis curiosè indagandæ relinquuntur: ad quas scire expedit fœminam illam, aliàs sterilem, ut tales solent, impensè favere canibus, eosque frequenter manibus suis versare; cum iisdem mensam & lectum communicare; sicuti coram præpingues duos melitæos, unum ejus gremio exceptum, alterum lateri accubantem vidi: ut, si pili illi pro caninis habendi sint, quærere liceat, annon (salvo Theologorum judicio) horum anomaliæ producendæ canum halitus & vapores spirituosi quandoque procatarxin aliquam contribuant? *David Spielenbergius.*

Plica Polonica.

Anno Christi 1653. cùm Ratisbonæ tempore Comitiorum Imperii variolæ grassarentur, inter alios etiam juvenes duo, natione Poloni, fratres uterini uno simul ferè tempore ægrotabant variolis, amboque plicâ Polonicâ à juventute afficiebantur: Medicus quidam in curam accersitus, in principio statim præcepit majori natu, pro liberiori fuliginum febrilium transpiratione, ac variolarum transitu capillos omnes detondi, simul ac illos cirros, qui Plicâ, uti communi nomine vocatur, Polonicâ infecti fuerant; quo facto, æger statim sanguinem ex capillitio fluentem sensit, & cum insigni virium animalium & naturalium lapsu post paucos dies mortem obiit, non sine magno fratris & nobilissimorum Parentum luctu. Medico igitur priore abdicato, mox in junioris fratris decumbentis curam accersitus ego, omissâ & prohibitâ capillorum tonsurâ, feliciori eventu, simulque brevi tempore, auxiliante Deo, eam absolveram, cum propinquorum applausu. *Helvvigius.*

Scholion

Scholion Hellvvigianum.) Plica capillorum morbus est, Polonis quidem plerumque endemius, ac tam maribus, quàm fœminis, imò pueris etiam & infantibus familiaris, itemque in aliis regionibus, ut in Helvetia, Brisgoja, Alsatia, & Belgii parte ad Rhenum, ac in Hungaria cognitus, ast non tam frequens. In Hungaria interdum animalia morbo hoc infestari, præsertim equos, testatur Sennertus lib. 5. prax. med. part. 3. sect. 2. cap. 9. & Ducem quendam militum talem equum ex Hungaria Dresdam adduxisse, qui ejusmodi cirrum in collo usque ad pedes pendulum habuit. Est autem Plica affectus capillorum gravis, malignus & periculosus, cum unius & alterius, vel plurium capillitii cirrorum arctâ & indissolubili implicatione & agglutinatione seu inviscatione, uti Fonseca loquitur, à vapore insensibili tenuioris & unctuosæ sanguinis portionis, vitioso, pilis imbibito, ortum habente, causâ primariâ in aëre austrino & humido, cibis crudis & mali succi, atque aquis corruptis aut mineralibus existente. Nam cùm pili verè sint partes corporis, & nutriri debeant alimento suo, ut quælibet pars corporis, familiari & determinato, quod in pilis est sanguinis portio tenuis, vaporosa, & unctuosa, attamen humor hic sæpius ob loci & aëris genium, atque alimenti assumpti intemperiem, quum humores plerumque assumptorum naturam obtinent, aut ob concoctricis facultatis errorem seu impedimentum, malignitatem aliquam adsciscit, & putrescere incipit, & tunc evaporationes tales subsequuntur, quæ in capillis & aliis coporis partibus diversa & varia symptomata gravia causant, sicuti in scorbuticis videmus, & talia sæpius in infantibus à parentibus per generationem transplantantur, sicque malum hoc ut plurimum præsertim in Polonia, hæreditarium fit. Morbum autem hunc Sennertus innuit non tam novum esse veluti Poloni putarunt, licèt Rodericus Fonseca, & Hercules Saxonia, ex authoritate Johannis Stadleri, Medici, scribant, vix ante annum Christi 1564. in Italia & Germania, plerisque Europæ provinciis ad nostra usque tempora notum fuisse, sed cùm causæ eædem, quæ morbum hunc constituunt, multis retrò seculis quoque adesse potuerint, Medici verò, qui eum describerent, & iste rariùs occurreret, vel penitus neglexerunt; vel defuerunt. Præterea morbus hic non est planè criticus, ut multi volunt, nec planè symptomaticus; sed partim criticus, partim symptomaticus, ut eleganter differit Fonseca Consil. suor. consult. 1. de Plica. Non planè criticus, quia natura expurgando corporis profunditatem, partem saltem humoris peccantis ad capillos capitis & cutem, tanquam ad partes ignobiliores mittit, sed non cum tolerantia & conferentia, ac potiùs cum gravium symptomatum antecessu, quod malignorum affectuum proprium est, remanente in corpore reliquo magna ex parte humore peccante; insuper natura quoque per evacuationem morbum hunc ob humoris multitudinem, lentorem, & visciditatem, judicare non potest. Nec planè symptomaticus est morbus hic, quia transpositio hæc humoris maligni ad partes ignobiliores, mitigat saltem ad tempus symptomata præcedentia, & prohibet quodammodo futura mala, quando absoluta fuerit pilorum implicatio. Præscissionem verò capillorum in sic affectis intempestivam cum sanguinis fluore periculosam esse, ratio & experientia evincunt. Ratio: quia hoc modo, vel intempestivâ curâ quâdam tentatâ, tenuis ista sanguinis portio unctuosa, quæ capillorum hactenus alimentum fuerat, impeditur, & non attracta, cum nitrosa sua & maligna qualitate repellitur, & materia reliqua in cerebro irritatur ac commovetur, fluxiones oculorum & cœcitatem producens, simulque maligni vapores, quos natura procurabat, temporis successu, per capillos educere, retrusi per membra ad articulos, periostia, musculorum nervos & tendines discurrunt, atque dolores acerrimos, arthriticas convulsiones, artuum torsiones, cardialgiam, lassitudinem, cum virium prostratu & vitæ periculo excitant: quod & experientia in prædicto juvene nobili, ac multis aliis docuit. Hercules Saxonia non dubitat malum hoc etiam per veneficium inferri posse, idque ex observat. Johannis Schenckii, ex relatione Christoph. Rumbaum probat, quod in Pocutio, Poloniæ provincia, strigæ, ac hujus sortis mulieres solâ curatione superstitiosâ illud facillimè & brevissimè curent. Cætero, tametsi Herculus Saxonia, Johannes Prævotius, Fonseca, & Sennertus multa remedia, tum præservandi, tum curandi causâ, proposuerint, nulla interea certa & appropriata medicinalia & alexiteria hujus morbi, ob vim suam malignam & occultam, hactenus inventa sunt quæ illum perfectè sanare, vel penitus exstirpare quiverint, quod & de subditis suis generosus Comes Nicolaus Sapieha scribit, qui licet multò majorem notitiam & experientiam de plicæ origine, progressu, & curatione, quàm alii, qui de affectu hoc scripserunt, haberet, nulli verò contigisse quod ægrum perfectæ sanitati restituerit. Optimum igitur erit, curationem hujus mali non tentare, siquidem generosis auxiliis magis irritetur, & citò occidat, sed absolutionem naturæ relinquere, quum, experientiâ teste, multi sine ulla evacuatione & præscissione, naturæ ope duntaxat sanati fuerint: Cognovi ego quendam Vice-præfectum Oppiduli Neustadlein in Bavaria, virum temperamenti cachectici, obesi corporis, & vultus pallidi, qui cirrum densum, longum à cervice ad lumbos usque pendulum, ac mirè implicatum & inviscatum in cervice gerebat, qui quidem aliquoties ob spurcitiem, credo, copiosam & fœtidam, tanquam distractus ad tertiam penè partem in extremitate sponte desilivit, sed tunc uno alterove symptomate gravi vir iste molestabatur, usque cirrus ad priorem mensuram procresceret. Vidi etiam Sacrificulum senem in arce quadam Episcopali Ratisbonensi, quæ cum subjacente opidulo vulgò *Ward* vocatur, sub libera custodia, sed effrenatæ mentis, cum capillis ad humeros usque pendulis, & barbâ latâ, longè usque ad crura promissâ, pilis utrobique impexis & mirè implicatis, opinor, ex incuria & spurcitie, horridis, quia nullam aliàs affectionem, Plicæ consuetam, inde sentiebat, in vestitu squalido deambulantem, & in tali statu per plures annos vivebat.

Additamentum Schröckii.) De hoc adfectu, nostris in terris, per Dei gratiam, ignoto, quidquam addere supervacuum esset, postquam ejusdem naturam atque curationem, propriâ aliorumque experientiâ instructus, Nobiliss. Dn. Simon Scholzius, Physicus Thorunensis, & Sacr. Reg. Maj. Poloniæ Medicus celeberrimus, in Anno 6. Ephem. German. Curios obs. 138. sub titulo: Plica explicata, diffusè docteque exposuit.

Plica explicata.) Certum est, quamlibet ferè regionem aliquid habere, quod sibi jure quodammodo suo vendicare videtur: sic quoque & morbos quosdam nonnullis provinciis ita familiares esse, ut ejus quasi proprii dicantur, in aprico est. Appellant hos Medici propter communem aliquam causam ἐνδημίους ac si dicas, vernaculos sive indigenas & proprios. Talis morbus à Plinio sceletyrbe & stomacace, à recentioribus scorbutus dictus, ad septentrionalis maris littus habitantibus communis est. Talis Neapolitanis podagra, Alpinarum regionum incolis, Hispaniæque finitimis, bronchocele esse putatur. Galenus Alexandrinis elephantiasin familiarem scripsit. Judæos imprimis leprâ contagiosâ divexatos fuisse Sacræ Literæ testantur. De singulorum naturâ varii varia

observarunt. Affectum cui à capillorum ceu glutine quodam inviscatione & invicem complicatione Plicæ nomen tribuitur, & qui Polonis imprimis, hisque finitimis peculiaris est, vix quidam ex observatione propriâ, pauci ex relatione aliorum hucusque descripserunt. Hinc natura ejus nondum planè perspecta, de eo aliquid certi statuere haud facilè erit. Nos tamen auxiliante divino Numine, quicquid tum propriâ experientiâ, tum ex relatione aliorum hucusque collegimus, circa plicæ hujus explicationem nunc consignare studebimus.

Dictus est hic morbus Plica, quòd capillos planè inter se complicet: Plica Polonica, quòd Polonis, & imprimis eis, qui inter Hungariam & Pocutium habitant, Russis & his finitimis, (quamvis nostris temporibus totam Poloniam pervagatus, usque ad nos Prussos pervenerit) hinc licet primo ortu epidemius fuerit, jam endemius factus sic. *Schenckius observ. Med. lib.* 1. *observ.* 3. etiam Brisgois, Alsatis, Belgis, nonnullisque Rheni tractibus morbum hunc notum esse scribit: sed rarò a Medicis illorum locorum tale quid observatum est. Vocantur aliàs capilli ita convoluti ab hoc affectu Tricæ incuborum, quòd vulgus capillos ab incubis intricari & noctu sugendo tractari putet. Trichoma morbus cirrorum, capilli enim intricati cirros repræsentant, & secti nonnunquam sanguinem fundunt, quod tamen alii negant. Germanorum appellationes sunt, *die Marenflechten, Maren-wirckung, Marenlocken, Schrottlins Zæpffe*, quæ eandem rationem cum Latinâ appellatione obtinent. Præterea *Wichtel Zæpffe* vocant, quod superstitiosè creditum sit ab infantibus non baptizatis, (quos antiqui *Wichteln* dixerunt) necti. *Juden-Zæpffe*, quod ab incuba Judæi specie fieri existimantur. A Polonis notatur nomine *Gozdziec* sive *Gwozdziec*, quo vocabulo morbus ipse exprimitur, item *Koltun* quod proprie capillorum complicationem significat. Est itaque Plica capillorum cuti capitis infixorum & in amplum distentorum involuta contorsio, cum gravissimâ totius corporis artuumque tàm superiorum quàm inferiorum, capitisque læsione, & antequam capilli complicentur, magno dolore, sudore plerumque concomitante.

Subjectum ejus primarium seu radicale est hepar vel partes succo sanguineo generando & separando destinatæ: secundarium, & per sympathiam recipiens, cutis capitis secundùm radices pilorum, & pili ipsi, ubi morbus firmatur, naturâ criticè ad illas partes sibi molestum deponere tentante atque perficiente. Apparet hinc pilos poris non destitui: & inde etiam quod una nocte omnes possint canescere ab apprehensione gravis mali imminentis vel præsentis. Unde suspicio vitam eis inesse, quasi alantur, per succi sibi appropriati intus susceptionem.

Neque tamen hæc affectio dicenda pilorum convulsio, quia ea tum propria est, tum analoga partium sensu & motu voluntario præditarum. Subjectum adæquatum est totum ferè corpus, articuli & periostia &c. ut patet ex actionibus læsis & qualitatibus mutatis.

Quanquam autem motus hic naturæ, ut superiùs dictum, videtur esse criticus, non tamen simpliciter talis est, haud enim tota materia illuc deducitur; vel si aliquando per abscessum ad illas partes morbus judicatur, id nimis longo obtingit temporis intervallo, secus ac fit in vera crisi. *Galen. in Aphor. Hippocr. comm.* 1. Neque etiam appellare quis posset symptomaticum, fit enim ex interioribus ad exteriores, ex nobilioribus ad ignobiliores partes humoris pravi expulsio. Ex utroque igitur mixtum, nuncupare lubet. Causa προηγουμένη seu antecedens est morbosus apparatus, sive dispositio talis humorum & partium, quæ effectum hunc generandum, sive aliunde susceptum, sive congenitum magis apta redditur: quemadmodum sunt magnæ cruditates in tribus coctionibus cumulatæ, sanguis multus, crudus, quocunque modo corruptus & venenatam aliquam conditionem adeptus. Utut enim malum hoc ob communem aliquam ejus regionis causam endemium sit, ita ut sæpè in una domo duo vel tres eo affecti reperiantur, non tamen absolutè contagiosum dicendum est, nam plurimi, licet cum ægris illis conversentur, non inficiuntur, sed qui διάθεσιν aliquam internam nacti sunt. Causa προκαταρκτική morbosum apparatum in actum deducere valens, è triplici serie rerum naturalium, non naturalium & præternaturalium Medicis dictarum, hîc quoque peti potest. Inter res naturales dispositio hæreditaria multum facit, & immediata plerumque seminarii morbifici existit causa, quando cum generationum principiis in ipsum fœtum transfunditur. Præter quotidianam experientiam testis est oculatus *Clar. Sennertus*, qui *lib.* 5. *med. Pract. part.* 3. *sect.* 2. *cap.* 9. de plicâ, Generosi cujusdam Poloniæ Comitis plicâ laborantis filium sexennem, plicas jam aliquot in pilis capitis habentem introducit. Idem militem quendam senem, plicam in occipitio à matre suâ, quæ septem plicas duarum ulnarum longitudine ad mortem usque alebat, hæreditate accepisse ibidem asserit. Ætas quælibet ad morbum hunc suscipiendum apta est. In sexu maximam partem fœminas invadere nonnulli existimant, potissimùm suppresso menstruo sanguine: sed falsum id esse experientia testatur.

Inter res non naturales est aëris mala constitutio, eidem à vaporibus è terra & aquis, quæ in Poloniam ex montibus Ungariæ defluunt exhalantibus impressa. Sive quis cum *Fonseca lib.* 1. *consult. Med. cons.* 1. eum etiam totâ substantiâ ob cœlestes influxus ab initio mutatum fuisse credere maluerit: qui unà à maleficis unguentis eundem contagium sumpsisse ibidem suspicatur. Cibus & potus tam quantitate, quàm modo assumendi peccans, morbo citius generando quoque aliquid addit. Poloni, præsertim ejus provinciæ, cibos crassæ substantiæ & in magna quidem copia assumunt, potui nimis indulgent, non solùm cerevisiæ crassæ & potentis valdè lupulatæ, verùm etiam vini generosi & spiritus frumenti, atque mulsæ cum lupulo decoctæ; unde cruditates & exhalationes proveniunt. Sed peculiare quiddam aquis ejus loci, quarum quotidianus iis hominibus usus est, ad plicam producendam inesse nonnulli rentur. Reliquæ res non naturales quid huic præstent, facilè quivis perspicere potest.

Res præternaturales mali hujus apparatum promovent, observatumque est eos qui in luem veneream propendent, vel eâ jam infecti sunt, facilius plicâ affici: tùm etiam scorbutum cum hoc morbo magnam analogiam habere.

De causa proximâ & continente intricata res est. Ad solum humorem viscidum causam referre, minùs probabile videtur, sic enim in omnibus ferè regionibus multi, qui ad viscidos humores generandos dispositi, sunt, imò eis abundant, accedente aliquo aëris vitio, plicæ obnoxii essent: nullaque ratio est, cur solùm ad capillos & partes superiores, non etiam ad inferiores, quo viscidi & lenti humores magis vergunt vel alias partes materia hæc detrudatur. Quinimo nec vapore solo circumscribi potest; quia capilli secti sanguinem emittunt: quod tamen plurimi negant, egoque nunquam observavi. Præter alios tantùm unicum testem verum hîc produco, Perillustrem, & admodum Reverendum D. Sebastianum Belenski, Canonicum Uladislaviensem & Præpositum Brzezinensem; sanctè affirmantem, quòd sibi plicas omnes absque noxâ à sanguinis effluxione aliquoties præcidi curaverit. Sed neque humor, qui corpori noxius est,

idem

idem pilis copiosum alimentum suppeditare potest, atque hinc capillorum inviscationem efficere, siquidem is potiùs capillorum luxuriei causa existeret. Causa itaque plicæ proxima statuenda est maligna glutinosa materia, cui sæpè humor atrabilarius permixtus accedit, peculiari modo cum vehiculo sanguinis in caput elevari apta, ac ibidem firmata, capillos inter se complicans; non alia ferè ratione quàm ut arthritidis causa articulis infensa esse solet. Evincunt hoc varia & sęva symptomata malignitatem ejus satis arguentia, ipseque morbus curationem methodicam planè contemnens. Chymici fortè dixerint esse resolutionem sulphuris in succo sanguineo cum salis reverberati ad mordacitatem dispositi separatione: & modum determinatum esse ab originali aëris inquinamento, quod in minutis particulis inversam proportionem efficiens, resolutionem & separationem eam præstat. Sulphur quidem resolutum quum occupat sedem mentis, soporem inducit suâ visciditate, at quum per venas jugulares ad radices capillorum repit, unà cum sanguine corrupto per modum partialis criseos, implicationem inviscatam in capillis præstat; quod si capilli tum secentur (de quo inter signa) humor irritatus, qui sal à contemperatione separatum sibi admixtum habet, exhalationes in quaslibet partes subjectas, ad oculos, articulos, periostia, &c. transmittit, etenim continuo filo humor cohærens per irritationem, etiam in ipsâ minerâ agitatus, sparsim venenatos vapores diffundit.

Quod hic affectus (de quo mox) tineę in cute capitis similis fiat, nec tamen in ulcus desinat, est à sale, quod à glutinosâ visciditate sulphuris resoluti cohibetur: quod atrabilarius nonnunquam fiat morbus, est à salis in massâ glutinosâ assatione. Cùm autem in articulis dolorem excitat, fit hoc à salis acumine, quod in loco frigido & sicco siccescit magis: sed hanc opinionem speciosam magis, quàm ad curationem morbi utilem, utpote cujus fundamenta nondum satis confirmata sunt, hîc prolixè examinare supersedemus.

Multi sunt affectus, cum quibus plica communia quædam habet symptomata. Cum lue venereâ lassitudinem totius, colorem faciei immutatum, adustionem quandam & calorem, cruciatum ossium: cum scorbuto artuum dolores, contractiones: cum capillorum tinea redundationem vermiculorum, (qui tamen rarissimè ægros infestant) cum πιτυρίασει immunditiem & squamulas furfuraceas; verùm facilè ab iis discernitur, si reliqua graviora ejusque magis propria conjunctim cum his perpendantur symptomata.

Signa morbi talia sunt. In principio cùm natura vitiosum illud sibique molestum à partibus interioribus ad exteriores propellere tentat, color faciei in pallidum mutatur, ossa infringuntur, artus laxantur, caput, pedes, manus, omnesque artus, & juncturæ dolore atrocissimo infestantur, tinnitus aurium percipiuntur, convulsiones interdum excitantur: membra etiam contrahuntur & gibbi quandoque efficiuntur, si nimirum actio causæ ab initio vehemens fuerit. Dein natura superiore quasi existente, ad capillos pręcipuè (ut in arthritide ad articulos) materia morbifica protruditur, unde nonnunquam furfurum & pediculorum in capite generatio, capitis spurcities, fœtor, capillorum inter se complicatio & in cirros convolutio, ut eos nec arte nec labore ullo explicare queas, si verò seces aut radas (quod alii, imò plurimi, ceu suprà dictum, negant) sanguinem fundent, plurimis etiam cirri sponte decidunt. Ungues insimul, pręsertim in pollicibus pedum; scabri, longi; & instar cornu hircini, nigri evadunt, atque hoc tantùm iis qui hoc morbo graviter laborant obtingit: quibusdam etiam planè decidunt, & post explicationem plicę renascuntur, quod mihi oretenus retulit Illustrissima Comitissa à *Donhoff*, Illustrissimi itidem Palatini Pomeraniæ, &c. Domini Johannis Ignatii Bonkowskii conjux, se in propriis digitis observasse.

Prognostica quod attinet, maximo cum periculo malum hoc conjunctum est, eò majorem habet laborem quo sæviora Symptomata in pluribus partibus, ad quas materia detruditur, excitat. At natura vincente, cùm materia ad capillos delata eos in densos cirros deformavit, corpus à malis suprà enumeratis liberatur, quod tamen sæpè longam temporis moram requirit, natura interim reliquias humoris peccantis ad capillos pedetentim deferente. Et sanè plurimi ejusmodi plicas citra noxam, quoad vivunt, circumferunt, quamquam non sine deformitate. Existimarunt quidem nonnulli, si isti cirri temerè præcidantur, gravissimis malis corpus iterum obnoxium reddi, quia vehementia causæ per istam irritationem increscit & motus materiæ ab ignobilibus partibus ad internas nobiliores revocatur. Oportet autem humores, quorum maturationes progressu temporis contingunt, quæ vel foras, vel intrò, vel alio, quo expedit, tendunt, ducere, ut Hippocrates libro de Humoribus docet: hinc statuunt materiæ exitu denegato, evacuationeque ejus solitâ impeditâ, quosdam visu privari, alios gibbosos fieri, alios aliá damna pati, prout humoris motus in hunc vel illum locum inclinat. Veruntamen expurgata jam in totum corporis profunditate ipsæ plicæ sæpè sponte decidunt, & si non fortasse tum Medico earum resectionem moliri liceret, modò de materiâ non amplius in corpore præsente certus esset. Hoc quamvis difficile sit, attamen Medico cuncta accuratè pensitanti, & secundùm rationem agenti haud impossibile. Verùm testati sunt plurimi, cirros illos post finalem conglutinationem illis sine omni noxa præcisos fuisse. Nihilominus tamen mihi noti sunt quidam, qui post abscissionem cirrorum ad tempus visu privati fuerint, & dolores graviores artuum & capitis inde retulerint.

Curationem plicæ perfectam nemo sibi polliceatur, antequam ejus loci, ubi morbus hic endemius est, genium & incolas, cæteraque ad hoc pertinentia benè cognoverit, quod quantùm ad morborum investigationem & depulsionem faciat, magnus Hippocrates libro de aëre, locis & aquis satis demonstravit.

An verò hic ternarius ille indicantium numerus triplicem indicationem suppeditans; qua primò præservatoria causam antecedentem tollit, secundò curatoria morbum causamque continentem debellat: tertiò vitalis viribus pristinum robur restituit, locum inveniat, non sine causa in dubium vocatur.

Quibus hactenus in principio morbi venę sectio instituta est, plus obfuit, quàm profuit. Illustrissimã Matronam Polonam, cui vena cubiti in principio secta est, confestim sævissimos in eo brachio dolores cum tumore œdematoso passam esse: pari modo in pedibus vena aperta, dolores acerbissimos in utroque crure ad malleolos excitatos fuisse, testatur Hercul. Saxonia Med. Pract. lib. 10. de plicâ cap. 7. Quibus nos etiam libenter suffragamur; plurimis plicâ laborantibus id affirmantibus, propriâque experientiâ edocti. Sed multò minus purgationibus exhibitis noxii humores superantur, quin potius commòti ita per totũ corpus dispergantur, ut quosdam cœcos, alios claudos reddant, alios alio modo graviter afficiant: quod ii experti sunt qui purgantibus medicamentis hunc affectum ab initio exstirpare tentaverunt, ex relatione ęgrorum.

Quare plica methodicam curationem respuere videtur, siquidem generosis auxiliis magis irritatur. Itaque ingruente ea leniens curatio instituenda: valida & extirpans post pilorum inviscationem & capitis immunditiem locum habere posset; sed omnes ferè post capillorum conglutinationem sani evadunt, quod

quod nos aliquoties experti sumus. Quia autem motus hic naturæ ex parte criticus est, tutissimum materiam vitiosam ad capillos, quò tendit, primò invitare & adducere, secundùm Hippocratem Aphor. 21. lib. 1. & Galen. comment. in eundem. Præsertim cùm in morbis venenatis judicatio per abscessum ad partes externas & ignobiles fieri consueverit.

Fiet hoc leniter aperiendo poros cutis capitis per emollientia & laxantia externa; sed inprimis commendant capitis lotionem cum decocto brancæ ursinæ, sive acanthi Germanici, etiam Polonici dicti, & sedi seu sempervivi majoris: atque Musci terrestris: forsan ob signaturam. Vide Crollii de signaturis tract. tum Guern. Rolfincium de vegetabilibus plant. &c. lib. 2. sect. 8. cap. 5. atque Paracelf. Portam & Quercetan. locis propr. Quidam etiam magni faciunt radices lupuli: experientiaque constat decoctum harum herbarum in ablutione capitis multùm profuisse; quare vel istis vel additis aliis convenientibus hoc in casu utendum, in iisque tam diu subsistendum, donec omnes capilli in cirros abierint, & magna pars virulentiæ, corpus à magnis imminentibus malis liberaturæ, ad cutem capitis attracta animadvertatur. Verùm ut branca ursina decocta externè in ablutione capitis prodesse dicitur; ita contrà potus ex illa paratus, & juscula internè usurpata admodum nocere plurimi confirmant. Sed de musco terrestri hoc in affectu evolvat B. L. *Observat.* 52. *Anni* 1. *Miscell. Germ. Curios. D. D. Bernhardi à Bernitz.*

Purgatio (ut jam dictum) sit moderata, incipiendo aliquando à vomitu, quem ob multas cruditates collectas, & in primis viis hærentes, aliquoties repetere haud inutile esset. Tum tutissimum erit, reliquias per alexipharmaca & sudorifica ad ambitum corporis expellere; præsertim ad pilos capitis, qua in re prudens Medicus naturæ erit minister, eandemque illuc viam commonstrantem sequi non repudiabit.

Testes curationis istius adducam verissimos, inter alios plurimos, primò illustrem & Magnificum Dn. Josephum Johannem Stamirowky, Venatorem Sannocensem, &c. dein generosum & strenuum Dn. Sebastianum Machowsky, S. R. Mtis. Pol. Colonellum &c. tum nobilissimas Matronas, unam Generosi Dni Stanislai Jemielki, alteram nobiliss. Uladislai Niemoiewski conjugem, atque Johannem Koyen, juvenem: è quibus prima matrona tertia quaque die paroxysmum, ad modum febris tertianæ, cum horrore & calore, doloribusque capitis & homoplatarum per aliquot septimanas perpessa est, cujus terminus erat sudor copiosus totius corporis, usque dum materia vitiosa ad cutem capitis delata capillos complicavit, & morbo finem dedit: altera verò doloribus totius corporis, artuum omnium & capitis gravissimis, quasique ossa frangentibus, cum tumore pedum, maximisque cordis angustiis & continuis, non nisi per sudorem copiosum & capillorum conglutinationem liberata, per aliquot septimanas afficiebatur, & jam optimè valet. Juvenis Koye Warsaviâ huc veniens, morbo isto oppressus, primùm horrorem percepit, sequente mox calore p. n. continuo, concomitantibus doloribus capitis, artuum, sudoribus indesinentibus fœtidis, dejectionibus copiosis, aqueis & tumore pedum, donec natura criticè ad cutem capitis & pilos ejusdem humores vitiosos transtulerit, cirrique illi capillorum mox omnes deciderint, sanitatemque integram ægro attulerint. Sed Illustris Dn. Venator Sannocensis, vir vix triginta annos supergressus præter calorem præternaturalem, dolores articulorum, & sudorem nunquam intermittentem, etiam convulsivos motus cum dolore capitis incipientes percipiebat. Generosus autem Colonellus, vir plus quàm sexagenarius, robustus tamen, ante pilorum contorsionem tantùm artuum doloribus divexabatur, quos semper haustu vini generosi Ungarici sudorem promoventis dispellebat; forsan hoc ex depravato quodam appetitu ad vinum factum: nam ut mihi retulit suprà nominatus Dn. Venator, proprium huic morbo est apud plurimos eo laborantes, ut ad hanc vel illam rem in cibo magis inclinent, ceu ille sæpè appetitu insolito ad vinum sublimatum, & quidem benè aromatisatum infestabatur, quo si potiri potuit, morbi sævitia remittebat, si non, pessimè se habebat, quod etiam alios mihi narrasse recordor.

Testis relationis hujus auritus est Spectabilis Georgius Merckner, Scabinus Novo-Oppidanus, affinis & compater meus honorandus. Vivit etiam inter nostrates in hunc usque diem Spectabilis Jacobus Sachs, Scabinus suburbanus, jam sexaginta annos supergressus, qui ante plures annos morbo hoc correptus, gravissimè decumbebat, & à b. m. clarissimis Antecessoribus meis Dn. D. Georgio Möchingero & Dn. D. Christophoro Meisnero P. P. Ord. ut morbo aliquo venenato cum febre continuâ laborans, curatus est; medicamentis autem nihil proficientibus, post cirrorum aliquot explicationem convaluit, quorum adhuc duos habet, reliqui deciderunt. Ut hîc taceam Magnificos & Generosos Dn. Nicolaum Rey, Hæreditarium & Dominum in Skoky majoris Poloniæ, &c. ac Dn. Nicolaum Lubstowki, Capitaneum Cruszwicensem, atque Nobilissimi Dni Andreæ Niemoiewski conjugem, quæ pro febricitante per semestre habebatur, utpote tertiâ quâvis die rigore & horrore febrili, atque calore succedente, repetentibus: inter nostrates autem viduam Weissiam plusquam septuagenariam, & filium ejus Georgium Weiss, sutorem, pluresque alios.

Hoc verò notabile est ex relatione Per-Illustris & admodum Reverendi Dn. Stanislai Belenski, Canonici Uladislaviensis & Præpo..ti Bizezinensis in viciniâ Cujaviâ, quod ipsi Medicus quidam Polonus (dolores atrocissimos, circa orificium ventriculi patienti & per aliquot septimanas oculorum caligine, tandem etiam totali cœcitate laboranti) antequam se plica explicasset, jusserit ceram virgineam seu albam oculis applicare cum tali prognostico, si post aliquot horas in cerâ crines apparuerint, illud certissimum signum plicæ fore, quod etiam eventus edocuit, nam remotâ cerâ, plurimi crines ei adhærebant, moxque omnes capilli se in cirros contorserunt, quorum illi, qui à partibus capitis dextrâ & sinistrâ pendebant, fuerunt (ut mox de hac distinctione dicetur) rotunditenus & masculi, unus autem crassus & dilatatus in occipitio fœmina appellatus: post quorum explicationem dolor ventriculi, atque oculorum cæcitas statim cessarunt. Mirum sanè & disquisitione dignum, unde isti capilli provenerint? Id quod ego tempore destitutus, aliis discutiendum relinquo.

Hîc obiter mentio facienda, plicam in illis locis ubi endemia est, in masculam & fœmineam distingui, hæcque totum caput patientis horribili spectaculo involvit, ut non tam capilli, quàm villosus aliquis pileus congenitus homini videatur, & ejusmodi species (quia ex nimia fortè humoris viscosi abundantia, & nativi caloris defectu oriri creditur) plerumque pro desperatâ habetur. Talem ego primùm conspexi in Dn. *Stanislao Bystram* Nobili Prusso: dein in Judæo quodam staturæ proceræ in nundinis horribilem mitram retro pendentem repræsentante. Talem se quoque & quidem in superiore capitis parte habuisse ante plures annos, Illustrissima Dna Comitissa à *Donhoff*, Illustrissimi Dni Palatini Pomeraniæ, &c. conjux, mihi nuper narravit, in præsentiâ Rever. Patr. Soc. Jesu & Reform. Discalc.

Discalc. cui jam iterum, post decisionem, capilli nigri creverunt. Sed mascula, quæ propendentes aliquot ad instar funiculorum plicaturas habet, licet & illa contumax sit, sæpè tamen sponte, consumpto fortè per calorem humore nocivo, decidit, & patientem à doloribus & molestiis absolvit: hæcque est communior & mitior, illa verò rarior & contumacior.

Cùm autem (ex occasione scripti, quod sub ficto nomine Theophrasti veridici Scoti Doctoris Medici, typis universitatis Abredonensis in Scotia Ann. 1668. impressum prodiit, & sub titulo Plico-Mastix, seu Plicæ è numero morborum ἀπόσπασμα apud Jacobum Pufflerum Bibliopolam Dantisci venditur) tàm ab his prænominatis, quàm ab aliis quærerem, an non etiàm capillorum illa convolutio & conglutinatio ex incuriâ quâdam proveniret, quod Polona gens rarò pectine capillos explicet? omnes mihi constanter contradixerunt, sanctè affirmando, licet quotidiè aliquoties (tale quid jam in capillis animadvertentes & anteà etiam observantes,) pilos capitis pectine explicate voluerint, conglutinationem tamen illam inhibere haud potuerint. Non possum igitur hâc in parte suffragari Theophrasto illi veridico Scoto Doctori Medico supra citato, quisquis ille fuerit, sententiâ clarissimi & excellentissimi quondam alicujus Serenissimorum Regum Poloniæ Archiatri, in tractatu præfato contra Vopiscum Fortunatum Plempium mordicus defendenti, qui plicam è morborum numero planè exterminare voluit, dicendo, eam ex superstitiosarum muliercularum cerebro natam, & in credulos aliquot Medicos transplantatam, causamque plicæ nullam aliam statuit, quàm pectendi capillos negligentiam: idemque plicam nil aliud, quàm superstitiosarum mulierum commentum tenet. *Idem* Theophrastus veridicus Plico Mastix in isto Tractatu, in responsione ad Epistolam Theodori Skuminovii Episcopi Gratianopolitani, & per albam Russiam Suffraganei, *de plica ita scribit:* Plica est voluntarius morbus, si morbus debeat dici, & nullus habet, nisi qui non velit cavere; nam affectatio credendi absque ratione ea, quę fama inter vulgus sparsit, illam genuit, & fama alas à credulitate suppeditavit. Plicam enim ut sobolem fama genuit, amploque progressu auxit, quia non habuit Medicos, sed plebem authorem, quæ quidem non purâ ratione, sed affectu & desiderio summo natos suos enutrire solet, proinde fingendo credunt & credendo fingunt, & quicquid audiunt, credunt se vidisse, & quod vident, augent & extollunt, imò assuefactio seu affectatio videndi insueta, deformia & delira falsaque spectacula inducunt mentes hominum, ut primò æmulentur, quæ affectant, & ita, quæ primâ vice apparent deformia, assuefactione longâ pulchra solent apparere, ita peregrina primâ facie duplicent, postea appetuntur: ita plicoli primo visu apparent horridi, consuetudine posteà contagiosâ mollescunt, ita ut si unus in pago plicam gerat, postea plures volunt habere, & tandem omnes; sed nimis serò in ejusmodi deliria animadvertitur, præcipuè si sub authoritate fide dignorum virorum descenderint. *Idem ibidem pergit,* impedita pectinatio capillorum retrorsum impedit transpirationem, impedita transpiratio obstruit meatus cerebri, meatus obstructi inducunt apoplexi[illegible], epilepsiam & paralysin, quæ auferunt sua [illegible]unia membris, imò & crines complicati causant viscerum dolorem consensu membranosarum partium, quæ obstruuntur; imò ego assero, dolorem viscerum causare etiam plicam, quia ægrum reddit sui negligentem, intermittendo pectinationem, & istos dolores provenire potiùs à colicâ biliosâ, atque aliquando per metastasin aut pravam epigenesin in paralysin transplantari cernimus, & ad istam transplantationem à membranosis partibus ad nervosas non parùm conferunt crines plicati, quia capillitia complicata obstruunt suturas, ne fuliginosos vapores à cerebro expellant, & inde adimunt membris sua munia. Huc usque ille. Quæ quàm frivola sint, quilibet, nisi ab affectibus præoccupatus, videt.

Verùm meliùs sensit Episcopus ille Gratianopolitanus, qui in Epistola sua ad D. Vopiscum Fortun. Plempium tales quæstiones format. anne crines convoluti longo decubitu vel negligentiâ pectendi possint causare internum aliquem viscerum dolorem? vel hominem contorquere? vel adimere sua munia membris? & ita respondet: quâ tricantur facilitate, eâdem extricantur, & nulla sequitur alteratio: in plicâ contrarium, imò huic malo non crinium tantùm plicaturâ, sed etiam unguium excretione portentosa natura medetur? Nonnullis enim si fortè contrarius in capite prędominatur humor, venenum illud in ungues educitur, prodeuntque contorti, nigri, crassi, à formâ solitâ & colore humanorum ordinario alieni: datoque casu, hos etiam ut capillos præscindere ęquè periculosum, attamen bonus ille Doctor negligentiam pectendi capitis huic malo imponit causam, & forsan multis imposuit, tametsi hoc certum, quod capillos ad numerum frangere, & mollitie cincinnorum cum mulierculis certare à decore nostro, uti virili, sit longè alienum. Non curamus itaque Poloni hęc prostituta excrementorum capitis ornamenta, sed illa magis, quæ sunt de necessitate naturę, ipsa illa 1. Corinth. 2. 14. docet nos, quod vir, si comam nutriat, ignominia est illi, mulieri pro velamine dati sunt, sed quis Hercules Augiæ stabulum expurgabit? Dummodo.

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti.

Honestas capillorum apud nos non muliebris: sed & glabritiem totius capitis Turcis, Moschisque usitatam incusamus, medium pro more gentis & virili decore retinemus, caput semper pectimus, sępe lavamus, nec illud frivolum curatur à nobis, caput ablue nunquam, &c. quæ ibi videantur,

Cur autem Germani vel Borussi culturæ capitis magis studiosi etiam plicâ afficiantur, non possum invenire rationem, si apud Polonos & Russos incuria pectinandi caput accusetur? sed quid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt? Longe meliùs & rectiùs sentit Excellentissimus Dn. D. Martin. Bernhard. à Berniz, S. R. M. Poloniæ Personæ & Cameræ Medicus observ. 52. miscell. Curios. Med. Phys. Ac. N. C. anni 2. ubi simul modum plicæ curandi proponit: cui nos quoque adstipulamur; statuentes, plicam è numero morborum nullatenus esse excludendam. quanquam non diffitemur, plurimos lue venereâ infectos, nec non scorbuticos, se plicæ pallio obtegere, cùm hi morbi magnam inter se analogiam obtineant: in primis verò scorbutus varietate symptomatum secundùm individua plicæ admodum similis est; singuli enim ægri singularia accidentia patiuntur. Sed nos unicunque liberum sensum relinquimus, hancque controversiam nostram non facimus.

Effatum hoc nostrum & plurimorum Medicorum, qui de plicâ huc usque aliquid ediderunt, confirmat egregiè rarissimum exemplum, lectuque dignum de plicâ pudendorum muliebrium, cujus meminit Dn. Joannes Paterson Hain. obs. 221. Miscell. Curios. Med. Phys. Ac. N. C. anni 3. Cui nos Epiphonematis loco addimus historiam miram de plicâ resectâ, & post sedecim annos è clavo pendente, in loco ab hominibus remoto, in cœnobio quodam Polonię Majoris Ordinis S. Brigittæ circa Posnaniam, ad semiulnę longitudinem accretâ, monialis cujusdam ejusdem ordinis nomine Kozielska, quam mihi verâ fide retulit monialis altera S. Brigittæ Ordinis Constantia Mieszkowska, tum temporis Illustrissimæ Dominæ Comitissæ à *Donhof*, supra nominatæ domestica, in præsentiâ ejusdem Illustrissimæ Comitissæ. Aderant tum unà duo Patres Soc. Jesu Collegii Thorunensis, & duo alii

alii monachi Reformati discalceat. Ordinis cis Vistulam Podgurzienses: atque Georgius Grunack, civis & chirurgus Thorunensis. Cui lubet, adeat historicos de plicæ origine scribentes, præter alios inprimis Spondaunm, Bzovium, Cromerum, Dlugossium, & inter recentiores, Joachimum Pastorium in Floro Polonico lib. 2. c. 14. quorum plerique initium hujus morbi in annum Christi 1287. ponunt *Simon. Schultzius.*

Muscus terrestris repens, Plicæ Polonicæ remedium. Et de eôdem monstrosô.

Anno 1662. cum Leopolim versus ad Commissionem generalem iremus, in Sylvis non procul à loco *Zulkovv* dicto, inveni Muscum terrestrem serpentem Math: qui aliquos lapides suis brachiolis, seu ramis affabrè circumcinxerat, & cùm illum à terrâ allevare vellem, ut totam ipsius longitudinem experirer, dimidiâ ulnâ circiter ab extremitate, ubi paulò tenaciùs terræ adhærebat, fortiusque extrahenda esset, totam plantam extraxi; & ecce Muscus ibidem in duas partes crassiores quasi divisus, in unam tamen figuram monstrosam à natura denuò compositus, ad vivum Talpam repræsentabat, cujus forma & magnitudo hac quoque in Tabulâ adjunctâ patet.

Causam hujus monstri nullam aliam credo, nisi illos ibi arctè sibi adjacentes lapides, per quos Muscus iste, ceu per spatium angustissimum duorum lapidum, à natura transire cogebatur: & illi Muscum quâdam vi compressionis ita latum & monstrosum efformaverunt, quod & in carduo arvensi aliquando observavi, qui non impari modo, æquè inter duos lapides ita constrictus & totus monstrosus creverat; & ego credo, quod omnes lato caule, monstrosæ plantæ, & in forma Cornu Copię, ab Ulys. Aldrov. in lib. suo de monstris Plantarum depictæ & descriptæ (qualem & Clar. D. Joh. Jenisch in Ephemeridibus Germanor. primi anni Naturæ curiosorum, observ. 102. ob oculos ponit) à Naturâ ita in altum vi compressionis protrusæ sunt.

Scholion.) Muscum terrestrem repentem *Math.* (quem aliàs & Muscum terrestrem clavatum C. B. pin. in Polonia verò Plicariam & Cingulariam nominare solent) satis jam in Ephemeridibus primi anni Naturæ curiosorum observ. 97. curiosè descripsit Cl. L. Christianus Frider. Garman. & cum Scholiis in ejusdem observ. Exc. Dn. D. Phil. Jac. Sachs à Lewenheimb; nihil ergo restat, nisi aliqua circa consuetum & jam quotidianum illius plantæ usum, quem Poloni & maximè Rutheni & Lithuani, ad exstirpandam & curandam Plicam, morbum sibi familiarem habent. Nam hic Muscus seu Planta (quæ reverâ inter plantas perfectiores numerari potest) non solùm in Poloniâ, sed adhuc in majori copiâ in locis desertis & arenosis, maximè in campis petrosis Ukrainę crescit, & aliquando in longitudine ad 7. 8. usque ad 10. ulnas, quod Ipsemet observavi, invenitur. Mense Julio gignit julos seu spicas, sulphurei coloris, quæ autumnali tempore, digiti percussu sulphur vegetabile de se spargere solent, cujus usum etiam jam citati Clar. D. L. Garman. & in Schol. Exc. Dn. D. Sachs à Lewenheimb, annotaverunt, ut dixi.

In curandâ Plicâ verò (quem morbum Poloni Koltum, Germ. *den Weichsel-Zopff oder Wixelzopff.* vocant) sequens observatur modus. Accipiunt hanc plantam seu Muscum, quem priùs cultello aliquo sursum versus dissecare solent, postea infundunt decocto Brancæ ursinæ, priùs optimè calefacto, & post unam vel alteram lenissimam adhuc ebullitionem adjiciunt aliquid fermenti, illudque reponunt postea ad fermentandum propè fornacem.

Alii verò accipiunt Muscum illum divisum & crassiuscule dissectum, & folia Brancæ ursinæ, etiam priùs siccata, part. æqual. coquunt ista cum aquæ simpl. fluviat. s. q. tamdiu donec decoctum saturè flavum colorem contrahat. Decocto priùs colato admiscent aliquid fermenti vulgaris acidi, (panis siliginei, à pistore desumti) vel fermentum huic usui destinatum, nempè ex pulvere Brancæ ursinæ, pane biscocto & fermento ordinario parato, reponuntque illud ad fornacem per dies aliquot, donec saporem quasi acidiusculum contraxerit. Et ita decoctum huic morbo idoneum est.

Not. Pro usu ordinario ad tabulam & ad jusculа, ita & ad alia fercula, mediante hoc decocto, paranda, sc. Capones, Gallinas, Vitulinam carnem & similia, qualia in tabulis Nobilium, hîc in Poloniâ quotidiè (non ingrati saporis) apponi solent.

Hoc decoctum dicto modo absque Plicaria, seu Musco terrest. repente paratur, hac ratione, quoniam apud multos aliquando vomitus excitare solet. Hi verò, qui Plicâ laborant, eligunt sibi decoctum primum è Plicariâ paratum, & illud ita per se, aut cum ovis rec. in formâ jusculi quotidiè bibunt & comedunt. Exterius cum illo decocto priùs calefacto & aliquando ad majorem potentiam seu virtutem secundâ vice, cum recente Musco incocto, instar lixivii & obscuri rubei coloris, lavant caput bis in septimanâ, nullo amplius adhibito pectine, donec crines sese complicare incipiant, unde necessario progressu temporis ita sese intricare solent, ut tunc quasi serpentes penduli circa caput pendeant, instar Gorgonei, aspectu horrendo, & sic credunt Plicam jam perfectam in crinibus. Leopoli quidam Presbyter Græcus & Plicatus, affirmabat mihi quasi juramento, se mediante hoc, decocto, plus quàm centum personas utriusque sexus dicto modo curasse. Narrabat mihi etiam (vir erat aliàs doctus) quod omnes plantæ, quę scandunt, in formâ convolvuli, & signaturam quasi capillorum habent (uti sunt Vitis, Hedera, Bryonia, Salsa Parilla, species Convolvuli, & similia) huic morbo prosint. Et hoc credo facilè, Salsa Parilla & Smilax aspera sunt tam potentes ut luem Veneream curare soleant, & cur non etiam Plicam? cùm morbus, prout aliqui volunt, occultæ qualitatis sit, qui fermè simillima symptomata producere solet. Hoc scio pro certo, & sæpissimè probavi, quod Mercurius vulg. (qui aliàs morbum Gallicum curare solet) etiam in Plicâ certissimum sit remedium, & qui illam infallibiliter per salivationem expellere solet: nisi alia sint impedimenta & causa aliqua conjuncta. Sed revertor ad nostrum Muscum repentem & ejus virtutes.

Illustrissima Domina Tarlowa, capitanea vidua, quæ multis annis fuit Plicata, tandem Unguento aliquo ex Musco nostro terrestri repente confecto, Dei imprimis benedictione, feliciter fuit restituta. Arcanum seu unguentum hoc acceperat à Magnifico Domino Zirowski ante annos 32. ubi spatio hujus temporis intereà, ut ipsa retulit, aliquot centenos curavit, & ab istâ plicâ liberavit. Unguentum, quod defunctus piæ memoriæ Dominus D. Andr. Cnoffelius, amicus meus extraordinarius, ab ipsâ viduâ, tanquam rem singularem acceperat, mihi quoque concessit, paratur tali modo:

♃. Herb. Plicariæ (scil. Musci terrest. & repentis) & Radicum Bryoniæ partes æquales, Adipis Erinacei q. s. ex his tribus optimè commixtis, in vase vitreo benè obturato, coquuntur in B. M. per horam & f. s. a. Unguentum. Cum quo radices capillitii in capite complicati, & loca affecta, maximè articuli dolentes, bis in die inungebantur. Naturæ, & hæc tota erat cura, in curando morbo, quæ nimis empirica, & in exstirpando malo mihi videtur non sufficiens.

Oleum,

Oleum, seu pinguedo, ex Erinaceo, quod ad confectionem Unguenti hujus requiritur, parare solebat in Ollâ novâ foraminatâ, igne circulari per descensum more consueto.

Muliercculæ rusticanæ & plebejæ in Ukraina adhuc alium habent usum hujus Musci terrest. seu Plicariæ. In nimio fluxu Menstruorum, doloribus & strangulationibus uterinis, faciunt cingulum ex illô, cum quo misercculæ circa nudum corpus sese cingunt, creduntque sanguinis impetum non solùm ita cohiberi posse, sed & omnes dolores uterinos per hoc compesci. Et hoc faciunt simili modo in Hæmorrhagia narium, ubi cum istâ plantâ seu Musco caput cingunt; & ex eo quasi coronam faciunt, & inde credo plantam nomen attraxisse, quod à quibusdam Cingularia vocatur. *Martinus Bernardus à Bernitz.*

De Plica Pudendorum Mulierum.

Quòd per crines humor ille malignus sese exoneret præsens de Plica observatio non leve argumentum adferre potest. Fuit apud Illustrissimum Palatinum Sendomiriensem, Dominum Ossolinski in Polonia, Gallus quidam à Servitiis, cujus nomen *Sant-aman,* ille in uxorem duxerat ex Gynæceo nobilem virginem, quæ posteà variis morbis divexata, tandem & Plicâ correpta: non solùm autem in capite, sed etiam in pudendo, ubi crines in tantam excrevere longitudinem, ut sesqui alteram ulnam excederent, & si sibi permitteretur, terram attingerent, quapropter femori circumductam ligare opus habuit Plicam, quam mihi, dum illam rogarem, extra vestem eduxit & monstravit. Multi sunt qui plicam illam, quæ in capite vel barba gestatur à multis, ex negligentia & sorditie aliqua coagmentari putent & illam crinium coitionem mirabilem pro nugis habeant, quales in Poloniâ non paucos inveni etiam Medicos. Plica autem illa pudendi manifestum argumentum præbet revera humorem extrudi aliquem in crines, qui eandem naturam habet cum alimento quo crines sustentantur. Nam in pudendis inauditum quòd crines in tantam excreverint longitudinem naturaliter, apparet igitur quod præter naturam illa fuerit, & succus ille excrementitius, vitiosus & malignus, ad pilos à natura demandetur, & æmuletur motum aliquem Criticum; Imò observavi in Plica alicujus fœminæ Illustris in Polonia, dum præcideretur, me præsente, quod corpuscula flava sulphurea plurima per Plicam sparsa in ea invenirentur, qui incensa sulphur redolebant, sed cum fœtoris alieni interspersо odore. *D. Joh. Paterson Hain.*

Plica ex vulnere capitis.

Rusticâ quædam juvencula anno 46. d. 31. Maii in campo pro pecore gramina demetens, grassatorem militem ipsi deflorationem vi intentantem falce leviter vulnerat, sed is ob repulsam pariter & læsionem manus, exardescens stricto gladio Miseræ duo profunda vulnera forma Lambdoidea Λ in bregmate infligit (additis quoque pluribus percussionibus cum bombarda) ita ut in angulum acutum ambo coirent, pericranium ac cranium penetrarent & exemptis aliquot cranii particulis cerebri motus ac subsultatio exactè perspicerentur, sed latior laminæ interioris (duplici enim lamina plerumque constat cranium, pumicosa quadam substantia distincta, quod in usu trepani probè observandum) pars palmæ latitudine à superiori per contusionem inferius abruta & duræ matri incumbens, superiori cranii parti adhuc arctissimè adhærens, quia eximi non poterat, specillo paulum elevata est, & negotium Naturæ commissum: Quarto die de quodam pruritu circa vulnera conquerebatur: in somnum prona erat, sed absque delirio, sermones hominum ægrè ferebat, nullo alias symptomate graviori correpta, nisi quòd se ebriæ instar incedere sibi videretur, quæ tamen paulo post plenariè tum restituta est; Tractu autem temporis eidem huic fœminæ ex loco olim vulnerato duo villosi cirrhi (*zwey filkigte Haarzæpff*) nati sunt, qui tamen iterum post febrem malignam, (qua feliciter defuncta erat) cum reliquis capillis omnibus sponte deciderunt absque ullo capitis dolore; sed recrescentibus capillis loco duorum renatus est unus ejusmodi villosus cirrhus, isque ad 4. ferè ulnarum longitudinem terræ superficiem lambens, *hat auf der Erden nack gezæscht*, quo incommodo diu afflicta tandem ex consilio cujusdam plebejæ, annuente marito & cognatis, dimidiam ulnam ex cirrho isto detruncat, sed statim invadit, bis terque miseram intensissimus capitis dolor, oculorum caligo, aurium tinnitus, & quandoque quædam quasi paraphrenisis, ob doloris vehementiam: ter frontis vena secta, & crebræ capitis lotiones c. decoct. branc. urs. & verbenæ (crescente iterum cirrho) malum nonnihil mitigarunt tum, sed ingruente squalida tempestate anno 76. mense Junio id recruduit tantopere, ut ex anni æstu ac dolore intensissimo ferè ad insaniam redigeretur: Priori decocto adjectum lycopodium (quod nobis rarum est) idque potui ordinario & capitis lotionibus crebrò immersum, unde gravissima illa cephalæa maximam quidem partem fuit sopita, sed ex materiæ pravitate ad oculos derivata subsecuta est Epiphora, non minus contumax & permolesta ad tumulum usque. *D. Joh. Michael. Fher.*

In eorum sanguine, qui Plicâ correpti, interiere, Pili reperti sunt.

Non sub cute tantùm, imo etiam in ipsis venis Crines reperiri genitos, valde pungentes, & acriter vellicantes probat historia à Slovacio Medico Cracoviensi allatâ de Matrona, in cujus sanguine pilos vidit; quique affectum hunc ut curaret rogatus, respondit irrita fore omnia, versari enim matronam in eo affectu jam deplorato, qui sanguinem habeat omni ex parte pilis refertum. Sed & omnium certissima testis αὐτοψία & inspectio sanguinis ocularis eorum qui Plica correpti obierunt, quorum in sanguine pilos acres & stimulantes videbis. *Scultetus Trichiasis admir. p. 52. Saxonia Panthei lib. 10. cap. 25.*

Plica Judæorum.

Clariss. Ambrosii Stegmanni Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 7. & 8.

Plicam Judæis admodum familiarem, & illam exinde nomen etiam germanicum, *Juden-Boss*, adeptam esse, nullum fugere autumo. Causam hujus affectûs quæsivi ex multis Judæis, nationis suæ Medicis & Scholæ Magistris, nullus autem illorum scivit, vel voluit ullam. Nuper me conveniebat Senex, antiquissimæ traditionis Judaicæ, & linguæ sacræ peritissimus Rabbi, qui à me de una atque altera re Medica petebat consilium, & inter alias etiam plicæ faciebat mentionem, referendo: Hunc affectum tam enormem consistere in utrumque gentis suæ sexum, ut non solùm illorum capillos sed & sæpe pilos sub axillis, & pudendis complicet in plicas longissimas & monstrosas. Amicis hinc illum compellabam verbis, ut causam hujus Affectûs, si quam haberet, mihi secreto aperiret. Diu hæsitabundus tandem respondit. Referam tibi, quæ ex antiquissimo hebraico MSto olim

olim me legisse memini: *DEUM.* nimirum affe tum hunc meæ gentis hominibus dedisse in pœnam, quòd mandato divino contrarii neglexerint præcisionem & loco præputii in adultis ob metum exquisitissimi exinde obvenientis doloris, lanuginem membri virilis, ut saltim in conspectu adstantium pro forma aliquid fecisse viderentur, præciderint. Hinc *DEUM* omnes illos inobedientes, & ex his falsò præcisis prognatos utriusque Sexûs Homines plicâ puniisse, & in posteros per traducem quasi derivasse hunc Affectum. Hinc & exinde resultare rationem: Quòd lapidibus saltim plicæ abscindi debeant, quia nimirum præputium olim (& adhuc hodie) collisione duorum lapidum acutorum abscindebatur, & inobedientes illi Judæi falsam suam præcisionem lapidibus etiam peregerint. Mitto has nugas, cùm sciam, gentem Hæbræam traditionis variæ, fabularumque esse amantissimam, & figmentum hoc forsitan ex historia Ziporæ Exod. 4. v. 24. Originem suam traxisse mihi imaginor. Judico autem, quòd Plica Judæorum potiùs à Cachectica & putredinosâ illorum maligna dispositione exoriatur, quæ in corporibus dispositis impuritatem cachecticam ad peripheriam corporis, & imprimis illas partes, in quibus fuligines exhalare solent, expellit. Nam malignitatem plicę in corruptione Massæ sanguineæ, in acrimonia & viscositate excedente latitare, nemo negabit. Expertus etiam in tribus monstrosè plicatis didici, quòd Plica, corpore ritè purgato, & affectu lege artis curato, absque damno & vitæ periculo, cultro tonsorio abscindi possit.

De Muliere hispida

Ad Amiciss. D. D. *Carolum Barbeyrac*, pro suggestu Professorali Medicum inscriptum Agonistam C. D. Medicus Regius.

S. P. D.

Visitur Parisiis Mulier Augustana, annor. 30. ab utero pilosa, habitu molli, albido, haud venoso, sed nonnihil toroso. Statura media est; Caput amplum, ad acuminatum vergens, ex parietalibus utrinque patentibus: Crassa curtaque cervix, pectus latum, mammę turgentes, sororiantes. Oculi cerulei, mediique magnitudine & situ. Lingua sublæsa; mores blandi; somnolentia multa, appetitus exiguus, potus vix multus, nisi Germana id moti cederet. Pulsus lentus & parvus; Spina in totum hirsutior, è cujus coccyge, sicut & ex axillis atque præsertim ex alis pudendi densi & promissi flocculi sobolescunt. Calvitium totam calvariam ambit, ab infimo occipite coronali, intercilio, orbitæ limbis & oculorum Canthis ita fusè ut supercilia non discriminentur ab ipsa coma, quæ vulgaribus nihilo promissior est, fulvaque ac teres, mollis & tenuis, genuineque crudi serici ęmula.

In reliquo corpore universo tota fermè pilo est fulvo, nam hinc inde *leucophæo* & subcinereo cernitur, *d'un blond cendré.*

Ab universa facie, fronti subjecta, ac auricular. partibus singulis, longè lateque fusus est, ac per densos & promissos flocculos, quavis carbaso tenuiores ac molliores pilus propendet.

Cilia, vibrissæ ac barba labii supremi, ubi feliciùs adolevêre, visioni, loquelę & esui officiunt. Necessum est igitur isthæc enormiter progerminantia subinde resecari. Aliàs prorsus est ab ortu intonsa.

Nusquam glabra est, nisi in volis artuum, & ubi pilus attritu deteritur, ipsas autem palpebras supernas mollis investit lanugo.

Abhinc quadriennium Viro juncta; tertio matrimonii anno masculum depilem maturè exclusit, qui sexta hebdomada spiritum extremum duxit.

Ab eo unigenito nondum gravidata, etsi secundus jam annus excurrat. Cæterò inculpata sanitate gaudet; florésque sexui solitos statis Lunis profert.

Urbes peragrat lucrum uberrimum faciens, citra sui copiam, etsi nuda sæpè visa atque contrectata.

Nullus parentum aut avorum solitò hispidior fuit. Ipsam fugit an mater ejus in ipso conceptu aut gravitatis tempore ab objecto hispidoso forti fuerit commota?

In fusiorem diagnosin digitum intendisse non licuit. Vale ut meretis, Vir amiciss.

Datum Lutetiæ Parisior. Idib. Feb. Anno 1660. *Ex communicatione Præclarissim. Viri Dom. Carol. Drelincurtii Medic. Profess. & Leydensis Universitatis Decani.*

Phthiriasis.

Phthiriasis seu affectio pedicularis toti ferè corpori communis, omnem sexum & ætatem infestans, præcipue & frequentius puellos (namque nec nobilium infantibus parcit) & mulieres, quia ejusmodi ætas & sexus utraque humiditate, naturali & excrementitia, præ aliis abundat, ac maxime in capite, qua parte pili gignuntur, de qua sola hîc loquemur. De materia pediculorum diversæ sunt diversorum Authorum sententię, ut Hercul. Saxonia tract. de plica cap. 19. & Sennertus tract. de infant. cur. part. 2. cap. 5. annotarunt. Etenim Theophrastus lib. 2. de caus. plant. vult esse sanguinem corruptum & putrescentem. Aristoteles statuit lib. 5. de histor. animalium cap. 31. ex carne cum multa humiditate gigni, per quam Marcellus Donatus dicit, Aristotelem intellexisse locum, & non materiam. Cui in hac sententia non refragatur tur Saxonia, in loco suprà cit. scribens, Aristotelem per carnes intellixisse eas, quæ in corporis ambitu sunt, in quibus cùm secundæ illæ reperiuntur humiditates, quas Avicenna alias rorem, gluten, & cambium vocavit, ex ea, quem cambium appellant, humori excrementitio permista pediculos fieri, Aristoteles existimavit, idque affirmavit, quum non omne animal ex quacunque materia fit, sed ex determinata determinatum, itaque pediculorum materiam esse aliquid calidi nativi in se continentem, & quidem lentum & pingue, ut ex eo quoque animal lentum & pingue gigni possit. Per carnem autem Galenus lib. 5. de simpl. med. facil. paratu cap. 4. putat, Aristotelem intellexisse cutem, sicuti Sennertus refert tract. de infant. curat. part. 2. cap. 5. Serapio dixit, materiam pediculorum esse ex humiditate calefacta. Alzaravius ex humore putrido. Haly Abbas ex humiditate grossa. Avicenna lib. 4. fen. 7. tract. 3. cap. 26. citante Heurnio tract. de morb. capit. in singul. partib. cap. 6. cui & Galenus lib. 1. de compos. medic. local. cap. 7. consentit; pediculos generari ex excrementis calidis tertiæ coctionis putrefactis, non acribus, non pravis, sed dulcibus, quem locum & Mercurialis in tract. de morb. cutan. cap. 7. allegat. Petrus Forestus lib. 8. observ. med. cap. 14. docet, originem illorum esse ex vaporibus intercutaneis humidis, corruptis, per poros resudantibus. Neotericos, Hercules Saxonia in cit. tr. memorat, cum Græcis & Arabibus velle, materiam pediculorum esse humorem excrementitium, & quidem præternaturalem, ita dispositum, ut sit moderatè calidus, actu verò & potentia humidus, inter crassum & tenuem intermedius, & potiùs ad ichorem, quàm crassum vergens, putrescens, non tamen excellenti putredine, sed miti & moderata. Hinc madida & calida intemperie gaudere pediculos, scripsit Joh. Heurnius tract. cit.

Præ-

cit. Præterea inter alias pediculorum causas externas, sunt cibi crudi, & mali succi, spurcities, immunditiès, iterum docente Heurnio, Avicenna quoque dinumerat aërem frigidum, qui exhaustionem materiæ excrementitiæ intercipit, si leptomeria seu cutis tenuitas adfuerit, quę in se recrementa prolectat. Causam & modum generationis pediculorum Berhard. Gordonius in Lilio Medicinæ partic. 2. cap. 9. eleganter depingit his verbis: Quando in corpore humores corrupti sunt, quos natura omnino regere non potest, nec omnino emittit, tunc per cutem ad viam alicujus desudationis propellit, & quia materia crassa est, & juxta cutem, dum calor nativus agit, & desiccat materiam illam, & generantur quædam pelliculæ, quibus includitur vapor cum aliquali calore, qui agit in materiam ebulliendo, trahens ad calorem humidum, hinc suscipit illa speciem vitæ, & generantur animalcula in capite, vel in toto corpore. Ex parte hujus materiæ magis humida procreantur pediculi, qui juxta Isidorum lib. 12. origin. cap. 5. à pedibus nomen habent, ac notante Foresto lib. 8. observat. medic. cap. 14. plus pedum motu lædunt cutem, quàm morsu. Ex parte magis sicca lendes, à lædendo denominatæ. Ex parte verò media pessolatæ vel plactulæ vulgò dictæ ortum habent, quę plerunque pectini & sub axillis adhærent. His omnibus consideratis, facilè conjecturamur, superiorem casum non penitus ex causa aliqua interna originem habuisse, sed magis externis attribuendum, cùm exhalationes humidæ tenues, putridæ aquarum canalis evaporationi naturali per desudationis viam provenienti permixtæ, capillis adhæserint, & à frigore nocturno congelatæ subveniente calore corporis nativo, pediculi tunc ejusmodi subitanei oriuntur, qui tamen ob tenuitatem materiæ, & paucitatem caloris nativi & generantis, ab externo calore Solis astrali & aëreo, aut affricatu lintei calidi, facilè & citò rursum dissolvuntur ac dispelluntur. Mare verò, præcipuè meridionale peragrantibus, & sub tempestate serena, cùm exhalationes hujus maris sunt liberiores atque puriores, & aura variorum ventorum flatu ventilatur & corrigitur, talis affectio rarò contingit, aut antipathia quadam singulari conservantur. *D. Helwigii.*

Phthiriasis ut malum est fœdissimum atque molestissimumita & sæpe luctuosissimum. De fœditate, per se utpote cognita ut taceam, quam & natura vermium æmula, & sordium, quibus inhærent animalcula ista, putor adauget, tantæ abominationis, ut nec absque veniæ præfatione teneris auribus nominari debeant; nec de molestia ut quidquam addam, lancinationibus imprimis, non tantùm, quod Foresto placuit, pedum motu, sed & morsicatione, sive, quod ex Hookiana Micrographia patet suctione fastidiosis, inducta, luctuosam eorum præsentiam multi experti fuerunt adeò ut vitam ipsam lenta morte commutare gemebundi fuerint, coacti. Qua non minus ad Tartara descendisse Herodem Antipam (cujus mortem, mortisque causâ Acta Apostolor. cap. 12. ℣. 23. manifestant,) sunt qui existimant. Nec dedecuisset, magnum illum fastum, Divinę Majestati summè exosum, vilissimo isto mortis genere eradicari. Quamvis verminosum potius obiisse Tyrannum hunc, alii judicent, quibus præsertim calculum addit Excellent. *DD. Thom. Bartholinus cap. 23. de morb. Biblic.* cum τὸ σκωλώρηξ vermem denotet, non pediculum.

Sed quis non paveat Pherecydis fata Tragœdi.
Qui nimio sudore fluens, animalia tetra
Eduxit, turpi miserum quæ morte tulerunt?
Sylla quoque infelix tali languore peresus
Corruit, & fœdo se vidit ab agmine vinci: ut

Quintus Serenus Sammoniacus cap. de phthiriasi cecinit. Quamvis enim Plinius lib. 7. hist. natur. cap. 51. & Apulejus lib. 2. floridor. Pherecidem Syrium copia serpentium, ex corpore ejus erumpente, exspirasse scripserint, per serpentes tamen hoc in loco pediculos; quos Aristoteles 5. de histor. animal. cap. 31. Plutarchus, & Ælianus exprimunt, intellexisse eos non malè determinat Hieron. Mercurialis lib. 5. Variar. Lection. cap. 6. & Marcell. Donatus lib. 1. Med. histor. mirab. cap. 5. Aliorum exempla malo hoc interemptorum ex Antiquitate desumpta ut taceam, recentiora etiam suppeditant Amatus Lusitanus cent. 3. curat. 58. in schol. Ezechiel de Castro lib. 1. tract. ignis lamb. cap. 6. & Tobias Coberus observ. castrens. dec. 1. observ. 9. Qua arte verò expellendæ sint istę turpissimæ bestiolæ, Practicorum libri abundè edocent. Quid Unguentum Officinar. nostr. valeat, p. 344. Pharmac. August. restit. à me ostensum fuit. Quam curam formosæ virginis matutinis horis amplexus spondere debet. cum Andr. Libavio (vid. Cist. med. Hornung. epist. 40.) lascivis destinabimus & superstitiosis. Unicum Stockeri experimentum notasse lubet, quod de oleo ligni coryli lib. 1. Empiric. cap. 40. profert, modicæ scilicet ejus quantitati quodcunque genus vermium, & pediculo impositos, in momento temporis emori; sed qua ex proprietate id fiat, cùm nescire se fateatur, conjecturare nobis liceat, ab impedita id respiratione fieri, qua ratione alia etiam insecta, si trachearum oscilla oleo obliniantur, emori constat; id quod de scorpionibus experientissimus D. Francisc. Redus observat. de viper. & de muscis observat. de insect. nec non de bombicibus, vespis, apibus, locustis, gryllis, ex ingeniosissimi Marcell. Malphigi tract. de bombic. Cl. Thom. Willisius lib. 1. de anima brutor. c. 3. testantur. Hoc ipso etiam modo juvenem illum apud Augustin. Thonerum observ. medic. lib. 4. pag. 222. totum caput vermibus Syllanis refertum habentem, adhibito spicæ oleo, unicâ nocte à turpissimis hospitibus liberatum fuisse credibile est, quamvis hic etiam aromaticam spicæ proprietatē, qua putredini adversatur, symbolum unà contulisse non negaverim. *D. Lucæ Schröckii.*

Pro Phthiriasi.

Quendam Phthiriasi totius corporis laborantem ita curavimus. Primò ejus causam venæ sectione & purgatione deposuimus, non solùm semel, sed bis & ter: ac postea sequentibus topicis remediis brevi ab hac fœda Lue liberatus fuit æger.

℞. Lupin. amaror. p. iij. sem. staphysagriæ p. ii. F. decoctio in aceto acerrimo, quo decocto universum corpus à capite ad pedes usque lavetur, ac postea linimento sequenti, corpore benè terso & exsiccato illinatur.

℞. Sem. Staphysagr. part. ij. sandarach. græc. part. j. nitri fini part. ß. in aceto acerrimo, cum oleo raphanino omnia accuratissimè pista misceantur, & ex iis fiat inunctio, quibus brevi assecuti sumus scopum, nec amplius in eandem fœdationem æger devenit. Ex hac fœda labe multi sunt mortui, ut Scylla, Pherecides, Ennius, & ut nonnullis placet, Plato iis quoque adjungendus venit. Novimus autem nos Olyssiponæ hominem quendam non ignobilem ex hoc morbo miserrimè obiisse, ita enim per universum ejus corpus pediculi scatebant, ut duo ejus servi Æthiopes nihil aliud curæ haberent, quàm ex ejus corpore pediculorum cophinos plenos ad mare, quod prædictam civitatem præterlabitur, portare. Porrò apud Hiberniam & Islandiam scimus homines semiferos subuculis croco infectis vestiti, ut pediculos fugent; quas per sex menses & amplius gestare solent. *Amatus Lusitanus. curat. 58 & Schol. cent. 3.*

Cùm puer quidam valdè pediculis scateret in capite, huic primùm consului, ut caput ablueretur aquâ marinâ, deinde decocto absinth. lupin. cent. min. & propria urina admixta. Postea superaddidi hoc linimentum, quod ex axungia porcina, succo absinth. pulv. lupin. staphysagria exigua, adjecta, & oleo veteri constabat; quo illito capite, omnes pediculi fugati sunt, si verò cimices seu morpiones in barba, aut locis secretioribus sint propè virilia, vel muliebria, hoc infrascripto unguento commodissimè uti soleo.

℞. Axung. porcin. ol. laurin. saponis nigr. an ℥ß. argenti vivi extincti cum saliva hominis jejuni ℈j. (ad omnia enim pediculorum genera occidenda nullum est præstantius remedium quam argentum vivum in quacunque parte fuerint) myrrh. aloës an. ʒß. staphysagr. ℈ij. sapon. gallici, ℈j. in mortario reducantur ad formam unguenti. *Petrus Forestus. observ.* 14. *lib.* 8. *de externis capitis vitiis.*

Phthiriasis funesta.

Nobilis Gallus, quem ipsemet Lugduni vidi, â continuâ & immodicâ Venere adeò omnia viscera, humores, totamque massam sanguinis corruperat: ut sceleti instar, seu larvæ, quò deportabatur, jaceret, ire enim ampliùs tunc non poterat. Erumpunt tandem ex corruptissimo sanguine per universa cutis spiracula minutissimi & vix sensibiles pediculi ruffi, qui diès noctesque horrendis eum excruciabant tormentis, pungendo, lancinando, rodendo, &c. Ex oculis in nares, è naribus in os & palatum reptabant pusilli illi carnifices, & nullus ferè porus ab iis immunis. Lachrymæ, sputum, urina, feces, & omnia excrementa animalculorum plena. Inde tandem mors miserrima. Alium Neapoli offendimus, qui in eadem navi navigans, corpore non priùs, quantum licuit, repurgato, eoque aquâ aloëticâ abluto, ferreę cistæ inclusit, reas, ibi latere tutum. sed spes eum egregiè fefellit, eôdé fatô crudeliter extinctus. Nemesin accessisse Divinam, eamque specialem, non equidem inficiabimur, interim causas ipsa dictitat natura. *Dom. E. Q. M. D. referente Clar. Christian. Francisc. Paullin. in Appendice Ephem. German. Ann.* 5. *Decur.* ij.

Phthiriasis à pediculis pro sanando Ictero voratis.

Puella rustica contra Icterum flavum, consiliô matris, utebatur pediculis vivis, quos in capite suo captos, & cerâ virgineâ obvolutos, securè devorabat. Verùm bestiolę in corpore sese multiplicantes perniciosam peperere phthiriasin, à quâ ægrè redimi poterat puella. *Idem ibidem.*

Phthiriasis sulphure & ejus balsamô sanata.

Duodecim jam præterierunt anni, cùm Altenburgi puer sive tyro stanni fusoris à me consilium peteret contra phthiriasin, unde indusia munda statim ac vestiebantur, pediculorum magnâ copiâ onerari videbantur. Suasi ut vestibus (quadantenus à naribus remotis) sulphuris, vel succini fumum interdum exciperet, & ter in die balsami sulphuris xij. aut xv. guttis, quôquô posset in vehiculô uteretur. His observatis brevi se dixit puer ille liberatum à malo suo molesto. *D. D. Jacob Wolffius Ephemerid. German. Decur.* iij. *Ann.* I.

Phthiriasis in femore sinistro.

Vir quidã in viciniis hujus urbis, Chirurgiam exercens annos circiter 25. natus, ischiadicô dolore in femore sinistrô corripitur tam immani; ut ab eo per annos integros excarnificatus fuerit; nõ eodem tamen semper tenore pergebat malum, sed per intervalla exasperabatur, tumque sensibiliter pars minui videbatur, & quod magis mirum ex ea pediculorum miriades prorumpebant. Innumera tentata sunt remedia pro atroci fugandô morbô, sed frustrà, donec demũ meo consilio adiit Thermas Aquenses in Sabaudia, quæ sulphure & nitrô divites sunt. Sic enim restitutus in matrimonio jam hilarè vivit.

PLICA.

Vid.

PILORUM MORBI.

PNEUMATOCELE.

Vid.

HERNIA.

POLYPUS.

Huncce morbum Hippocrates suspenso gurgulioni aptissimè comparavit. Quemadmodum autem gurgulio delapsus, si æqualiter protendatur ad formam teretis columnę, κιων & κιονὶς, Latinis columella nominatur; si verò summâ parte tenuior fuerit, imò crassior ac insuper rotundus & subrubescens ita ut grano uvæ vitigineæ è pedunculo pendenti, magnitudine, figurâ & colore extet persimilis, ςαφύλη sive uva simpliciter, & à Plinio cum adjuncto uva jacens appellatur: Ita metaphoricè caro in nares pendula, polypi, hoc est pisculi cujusdam marini atque multipedis ex genere τῶν μαλακοδέρμων, nomen sibi adoptavit; seu quòd polypi carnem æmuletur molli lubricâque consistentiâ, sed præsertim colore, quem pro humorum è quibus conflatur diversitate, polypi modô varium nanciscitur, album præcipuè rubentem vel plumbeum; seu quòd è petiolis exilibus in crassum latumque corpus se se porrigat, instar polypi qui è pediculis exiguissimis, crines vocat Plinius, in amplum ventrem, desinit; seu denique quòd ut piscis iste τὰ ἰδίαις πλεκτάναις περιληφθέντα, res omnes maximèque venatorũ manus suis cotyledonibus hoc est acetabulis & velut brachiorum flagellis nactas firmiter stringit, adeò ut se truncari patiatur potius quàm avelli, unde Plautus de hominibus rapacibus atque tenacibus: Ego istos novi polypos qui quicquid tetigerint, tenent; sic polyposa ὑπεροχὴ vel simplici stylo vel potius multiplici radiculâ ceu chelis quibusdam pertinaciter naribus sese affigat. Arabes ab externa quadam affinitate cum capitulis hæmorrhoïdum ani, quæ turpes ani papillas vocavit Q. Serenus, hæmorrhoïn nasi nuncupavêre.

Hujusce morbi subjectũ, ut loquuntur, inhæsionis vel potius adhæsionis, sunt subrubræ ac spongiosæ caruncula quæ intra concava narium latitantes, decumbentem è cerebro pituitam naturaliter ebibunt, obstantq; ne stiria perpetim stillet è naribus.

Sed de natura & causis polypi non æquè constat. Vulgò dicitur esse tumor ab humore crasso & viscido genitus, qui vel è capite defluit, vel propriâ affectæ particulæ culpâ congeritur. Atque pro duplici istius humoris differentiâ duplex quoq; assignatur polypus; unus à pituita, mollis, laxus, albicans, indolens ac benignus; alter

ter ab humore atrabilariô, durus, tactui renitens, inæqualis, venosus, lividus, aspectu teter & dolorificus, qui malignus est & σαρκινώδης; quibus phlegmonosus rubeusque adjicitur, inter albicantem & lividum medius.

Veruntamen cùm polypus prolectatô per propria vasa sanguine nutriatur, ac per intussusceptionem viventium more suum in omnes simul dimensiones capiat augmentum, adeò ut si filô sericô vel equinâ setâ radix ejus arctissimè constringatur, vasis alumnis interceptis contabescat, atque intra septem octove dies commeatûs penuriâ sponte decidat emortuus, imò cùm sensu tactus orbatus non sit; profectò minimè videtur è pituitosorum vel melancholicorum excrementorum congerie οἰκοδομεῖσθαι, sed potiùs esse vera & animata caro, vitam sensitivam participans præter φυτικὴν, etsi caro ista peregrina sit & excessu morbosa. Quamobrem Galenus βλάστημα σαρκὸς germen carnis in naribus retulit ad morbum in numerô auctô, non quidem rei totô genere præter naturam ut calculus & lumbricus, sed ex genere naturali ut oculi pterygium, ac superfluus digitus in sedigitis.

Potentia siquidem θρεπτικὴ otii nescia è sanguine paulatim superfluente & ad roris modum exudante carneam ejusmodi molem coagmentat, proindeque membri unitatem ac seriem necesse est interpellari, sive insensibiliter sive sensibilite, rut in ulceribus, quibus non maturè siccatis apophyses carnosæ solent adnasci; haud secùs ac convulneratô arboris cortice succus nutritius extillans in γόγγροις ἢ κροτῶνας hoc est ligneos nodos torosque transformatur, potissimùm si propter tenacitatem è labiis vulneris non facilè effluxerit, ut in oleis cæterisque fruticibus pinguibus & resiniferis, proindeque non φυλλοβολοῦσαις sed ἐμπεδοφύλλοις æternô frondis honore virentibus. Nihil novum ergò si natura vegeta uberrimôque sanguine redundans, dùm partim integritatē etiam leviter delibatam immani desideriô resarcire satagit, non deficiat in necessariis; quin potiùs largâ ac munificâ sanguinis suppeditatione luxuriet, ac è dispensatrice fiat profusa; sicque supernutritione quâdam pro σαρκώσει præstet ὑπερσαρκῶσιν, similiter ac in ossibus rimulas agente periostio pro ὀστεώσει osseos quasi umbones, quas ἐξοστώσεις dicunt, nonnunquàm reponit.

Ne mireris porrò, quamvis in genere partes spermaticæ etiam adhibitis pæoniis pharmacis non putentur renasci, polypum tamen venulis, arteriolis ac nervulis esse intersitum. Neque enim pusilla vascula ibi de novô creantur, sed è vicinô adducuntur; nempè è cæterorum vasorum extremis oris ceu ipsorum appendices ac additamenta; quomodò ulcerum ventriculi quotidiè cernuntur expleri, ac ipsemet Galenus venas & quidem multas satisque memorabiles in magnis ulceribus observavit regenitas; vel architectante facultate πλαστικῇ non solùm in certis locis ad ὑστερῶν μορίων ut dentium formationem superstite; sed etiam in singulis membris pro ipsorum necessitatibus ad mortem usque residuâ, quanquàm longè ignaviore quàm in fœtu. Neque enim reliquit natura animal, neque oblita est virium sibi insitarum, nam quas à nullô acquisivit, sed ex semine habet, eas impossibile est ipsam abjicere; vel saltem operante altrice virtute valentissimâ, cùm nutritio publicâ Philosophorum conscientiâ, sit generatio quædam partialis, ac juxta Galenum ἀναπλήρωσις τῆς ἀπορρεούσης οὐσίας, expletio substantiæ defluentis, sicque terminetur ad novum esse partiale viventis.

Igitur si ad validam vim membri σαρκοποιητικὴν floridus sanguis accesserit, dubium non est quin caro laudabilis atque solida nascitura sit, quæ alioquin flaccida succresceret & fungosa, ut contingit ab usu sarcoticorum debiliorum ac minùs quàm par est siccantium, quibus neque membri exulcerati nativus calor satis fovetur, neque ulceris sordes sufficienter eluuntur. Quodque notatu dignum, proba caro extuberans non rarò inflammatione, erysipelate, œdemate, scyrrhô, nec non etiam cancrô tam ulceratô quàm non ulceratô tentatur; ac quemadmodum in insitionibus, quas arborum adulteria appellabat Plinius, fibræ insiti cum fibris adoptantis nodô quasi conjugali coëunt, fiuntque veluti duo in carne unâ; Ita morbus morbo hic superstruitur & quodammodò ἐγκεντρίζεται.

Polypus aut est uniformis, aut ex multis quasi caruncu lis simul junctis compingitur, instar fermè mororum è quamplurimis granulis coacervatorum. Secundò polypus vel alterutram narem vel binas nares & quidem sæpè sæpiùs occupat, quas interdum adeò impedit ut blennæ delapsum moretur; quâ suppressâ & computrescente, ut in iis qui retrusum simumque nasum gerunt, fœda consequitur olidarum narium labes, ægrô tamen propter assuetudinē insconsciô; sic cloacarum mundatores ad oletorum κακωδίαν obstupescunt, ac pariter quicunque gratis odoribus solent perfundi, eorum suaveolentiâ minimè capiuntur. Non sentit, *inquit Plinius*, ipse qui gerit, summaque commendatio habetur, si transeunte illô, invitet odor etiam aliud agentes, tanti emitur voluptas aliena. Propter eandem naris obturationem polyposus non aliter quàm hiante ore cœli animam ducit; sorbilem capit somnum, hoc est alte stertit inter dormiendum; δυσχερῶς καὶ ἀηδῶς loquitur, voce in calamos narium non ampliùs resonante; subsistit ab olfactu, quòd fumidæ anathymiaseos odorum vecturam factitantis fluctus aditu intercludantur ad nares internas, per quas sensus odoris nobis datur. Quandoque etiam tanta est polypi latitudo ut nasum conspicuè dilatet, tantaque longitudo ut ad labra usque pensilis sit instar cristæ illius carneæ ultrà πρόσωπον hoc est rostrum gallorum gallinaceorum ira percitorum dependentis, potissimùm in expiratione, nam inspirando reconditur in nares polypus si mollior extiterit. Tertiò polypus aut narium lateribus, aut earum diaphragmati adhęrescit; iterumque vel infimæ narium regioni harum scilicet cartilaginibus, vel mediæ nempè nasi ossibus, vel supremæ putà ossi cribrosô appenditur, indeque lacunas suprà palatum explens ad fauces nonnunquam protrahitur, ore adapertô ponè gargareωnem conspiciendus, magnô non tantùm spiritûs & vocis sed deglutitionis quoque incommodô, maximè si ambarum narium polypus per duplices meatus ad cameram palati pervios retrò prolapsus fuerit.

Piscatores, νησοταλάντων incolæ, homines rei nauticæ plurimum dediti ac Σάρων@ ναυτικώτεροι, polypo opportuni vivunt, ob temperiem humidiorem functionibus naturalibus, nutritioni, accretioni & generationi accommodatissimam. Quantò hæcce σαρκοφυΐα ἀνώτερος altiusque radicatur, tantò rebellior existit, quoniam cerebro propior ac medicamentis minùs obvia & exposita. Eò etiam molestior quò tumidior, ut Austrô vel Eurô afflante, necnon Θεῶ πανσελήνῳ regnante, quô tempore more ostrearum & conchyliorum πληρῶν καὶ θαλασσιζόντων consuevit intumescere; sicut ex adversô ac sitiente Lunâ detumescit, ita ut polypus sit mutationum cælestium quasi Ephemeris.

Polypum carcinomatosum, si exquisitus fuerit atq; confirmatus ἀσκληπιαδῶν primicerii apertè ac ingenuè confitentur immedicabilem, mussatque tacitô medicina pudore. Quamobrem Trophilus apud Stobæum interrogatus quem Medicum censeret perfectiorem, sapienter respondit qui possibilia ab impossibilibus potest dignoscere, sed plenissimæ istius desperationis causa investiganda est.

In cancrô tria occurrunt spectanda, materia, qualitas & ῥιζοβολία. Materia est atrabilaria, ideoque, ex Hippocrate, glutinosissima, repercussionis & suppurationis æqualiter ignara, ἀπηνὴς καὶ ἀτέραμνος ὅκως λίθος, ut ait Aretæus, lapidis instar contumax & indomita; quin etiam durioris rigoris quàm ipsæmet petræ, rupes enim cedunt violentiæ causarum dissolventium, legiturque mons acetô ruptus, vel, ut Livius loquitur, putrefactus; sed cancer cathæreticis agitatur & efferatur, fitque è non ulceratô ulceratus, è quietô ἐρπυστικὸς ac populabundus. Qualitas quoque materiæ cancrosæ ob superassationem supremè acris est atque acida, idcircò, judice Hippocrate, δυσαμικωτάτη, nec ab aliis quantumvis activis qualitatibus comprimenda & edomanda, ita ut cancer stet undique tutus à machinis pharmaceuticis utut industriis ac impigris. Imò irrita sunt Medici ferrô & igne sævientis conamina, vel potiùs noxiosissima, mortemque accelerantia, etenim carcinoma ad modum Excetræ cui datum erat.

Crescere per damnum, geminasque resumere vires; si amputetur amburaturve pestiferô fœnore repullulat, propter numerosas, varicosas, altas nec extirpandas radices, more arborum quas radicibus hinc inde sparsis ac instar forcipum cancri divaricatis καρκινοῦσθαι scribit Theophrastus. Favet etiam internum βλάστημα ... inemendabilis principis alicujus visceris κακοχυμία perniciosum fœtum jugiter lactantis: poteſtque carcinoma asperiorum remediorum contactu invalescens assimilari vel plantis illis quæ calcari gaudent & atteri pereundoque lætiùs proveniunt, quòd tota vis deprimitur in radices; vel metallis opulentissimis quorum, ut ait Romanus sapiens, in altô latet vena, assiduè plenius responsura fodienti. Jure igitur odorus sagaxque indagator Hippocrates, cujus Medicis dogmaticis semper vivet autoritas, de hocce morbô εἰδήσει πραπίδεσι sic pronunciavit, quibus fiunt cancri occulti (hoc est ἀνέλκωτοι quantò magis ulcerosi atque πορευτικοὶ) non curare meliùs, curati enim citiùs intereunt, non curati verò longiùs vitam trahunt: proindeque non licet ipsos συφελίζειν, quin potiùs πιθασσεύειν καὶ μειλίσσειν, nimirùm molli manu nec ἀγωνιστικῶς tractandi sunt, blandæ fucatæque medicinæ quasi palpum obtrudendo, ῥαστώνῃ μᾶλλον βίῃ benignè non violenter; planèque capitale est irasci ac succensêre tàm feroci belluæ.

Audio tamen Mediculos ἀλάζονας magnificare certa præsidia volatilisantia, quibus humor cancri è fixo reddatur evanidus; quô pactô operâ argenti vivi difflantur venerea ossium tubera. Sed hi propriis rationibus incauti irretiuntur, & quasi plagas ipsi contra se texunt; admotô namque hydrargyrô artificiosâ qualibet industriâ adornatô; vel provocatâ per hydrargyrosin plenis labris salivatione, nec ulcera καρκινωματώδη resiccantur, nec tumores cancrosi desidunt; tametsi mercurius sit maximè desiccatorius, adeoque volatilis ut idolum istud suum, Aquilæ ac servi fugitivi nomine donent fuliginosi Mistæ.

Alii igitur venditare malunt ac ebullire arcana nonnulla specifica atræ bilis acrimoniam & aciditatem utut excellentem cicurantia & quasi edentantia; similiter ac spiritus vitrioli & sal tartari mutuâ mixtione condulcescunt, atque ex sublimatô corrosivô ac hydrargyrô crudô concinnatur mercurius dulcis. Verùm μεγαληγορίαν hoc est grandiloquentiam ac, ut loquitur Satyricus, magnos montes tàm divitis promissi, experientiæ pignoribus fulcire opus esset: Nam. αἰσχρὸν καὶ ἐν πάσῃ τέχνῃ, ἥκιστα ἐν ἰατρικῇ πολλὴν ὄχλον καὶ πολλὴν ὄψιν καὶ πολλὴν λόγον παρασχόντα ἔπειτα μηδὲν ὠφελῆσαι, Turpe est cùm in omni arte, tùm præcipuè in Medicinâ, multam turbam, multam ostentationem ac multum tumorem concitare, tandemque nihil opis afferre. Quamplurima, inquit Galenus, μέχρι γραμμάτων καὶ λόγων τὸ πιθανὸν ἔχοντα ἐπὶ ἢ τοῖς νόσων ἔργοις ἐλέγχονται ad literas & verba verisimilia sunt, at in morborum operibus redarguuntur. Non desunt E.G. cinisiones qui bullulis ejusmodi similitudinibus nitantur probare mercurium arte Chimicâ figi posse ac tingi in aurum, ipsi interim auri non minùs quàm mentis inopes, Ea est pyrotechnicorum nonnullorum intemperies, ut activa passivis applicando hominem intrà alembicum effingi posse asseverent, haud aliter quam è semine intra formandi fœtus monetam locatô. Quidem ἀθανασίας venatores nihil obesse asserunt, quominus reparatô alimentis ἐξανθρωπισμένοις, hoc est mansuetis ac naturæ humanæ accommodatis, calidô nativô ἀντιλάντω lucroque jacturam adæquante, vita in æternum naturaliter prorogetur, ipsi sæpè valetudinarii atque βραχύβιοι. Quis non derideat, qui habeat aliquid sanitatis, Philosophum illum Sophistam octogenarium atque σκελεφρόν, commentarium edentem de senectâ removendâ & corporum immortalite comparandâ? cujus meminit Galenus librô de marasmo? Virum novimus heteroclitum prorsùs in praxi Medicâ atque σκαιότατον, qui vivificô spiritu arteriis dextrè immissô, homines ἀρτιθανεῖς se excitaturum seriò pollicebatur, non tertitus sorte Æsculapii Vejovis ignibus percussi

-------- Reduces quòd tradere vitas
Nosset, & in cœlum manes revocare sepultos.

Ignoscant ergò Herculei cancrorum domitores προρρήμασι λαμπροῖς καὶ ἀγωνιστικοῖς ἐπιθυμοῦντες ἐκχαυνοῦν τὸν πολὺν ὄχλον, ut loquitur Magnus Medicinæ Professor, Prædictionibus splendidis ac palmaribus aucupantes multitudinis rumusculos, plebisque grande & insanum sophos affectantes, quam gloriolam generosô fastidiô ἀνδραγαθικώτατος καὶ τεχνικώτατος Hippocrates ibidem appellabat δημοειδέα κιβδηλίην popularem scoriam, & ad cujus mentem aiebat Seneca; Si te videro celebrem secundis vocibus vulgi, si totâ civitate fœminæ te puerique laudaverint, quidni ego tui miserear, cùm sciam quæ via ad istum favorem ferat? Ignoscant, inquam, mustei Anticarcini, ὠδίνοντες ὑπὸ τοῦ σόματος βαύχησιν τὴν σοφιστικὴν, si aures nobis desint aptæ grandioribus fabulis, renuamusque circumferri omni ventô doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutia ad circumventionem erroris.

Πίστις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστία, ὤλεσαν ἄνδρας,
Ipsa fides homines & diffidentia perdit.

Mirum tamen quo procedat humana credulitas, nullum tam impudens mendacium quod teste careat; O homines securos de negligentiâ generis humani, ad occultandas deceptiones suas! *Antonius Meniotius Dissertationum Pathologicarum parte 3.*

Curationes.

Curandi polypum ratio satis difficilis est. Ejus incremento per initia, quantum fieri potest, obsisti debet. Sed factus, confirmatusque Polypus (sive is exulceratus sit, sive nō,) auferri & exstirpari oportet, si ipsius radix seu pedunculus comprehendi instrumento conveniente queat.

Igitur tentetur primùm, possitne incipiens Polypus per admota Medicamenta tolli. Quem in finem varia proponuntur: Mitiora viz, quæ partim adstringunt, partim exsiccant: vel Erodentia seu Escharotica. Inter hæc meritò laudatur Pulvis Vitrioli calcinati, Chymici Caput Mortuum seu Colchotar Vitrioli vocant. Scribit Pigræus *Prax. Chirurg. lib. 5. de Ulceribus cap. 9.* præstantissimum ad tollendam carnis hujus superfluitatem remedium esse Pulverem Sabinæ: quod si

tertia

tertia pars Ocræ illi admisceatur, majoris efficaciæ fore putat. Quibus Remediis sane corrugatur magis quàm aperitur Polypi tunica. Nec penetrat hic Pulvis per angustiam prope nasi finem, ab excrescentia hac obturatam.

Barbette hosce proponit pulveres;

℞. Cort. Granatorum, Flor. Balaustiæ an. ʒj. Cadmiæ Fossilis ʒij. Antimonii crudi, Croci Martis an ʒß. Mastichis, Myrrhæ, Lithargyri, Lapidis Magnetis an. ʒj. M. F. Pulvis subtilis.

℞. Aluminis Usti, Balaustiæ, Boli Armeni an. ʒij. M. F. Pulvis subtilis.

℞. Vitrioli ℥ß. Gallarum, Aluminis, Cort. Granatorum an. ʒij. Myrrhæ rubræ, Aristolochiæ ustæ an. ʒj. M. F. Pulvis subtilis.

Idem testatur, se polypos radicitus extirpatos vidisse Aquâ, cui incoctus Mercurius Sublimatus.

Haud secus Johannes de Vigo *Chirurg. lib. 2. cap. 5.* laudat linteum discerptum cum Mercurio Sublimato Aquæ sequenti modo incoctum, ac iterum exsiccatum; quod dein Aquâ Plantaginis rursus madefactum Polypo admoveatur, & bis quotidie renovetur.

℞. Filorum discerptorum panni linei veteris ℥ij. Medullæ Panis albi ℥iij. Mercurii Sublimati ℥ß. Aquæ Rosarum, Plantaginis an ℔j. Coq. in Vase Stanneo ad consumptionem dimidii, dein fortiter linteum carptum exprimatur, & in furno siccetur.

Platerus *Observat. Med. lib. 3.* acriora adhuc proponit remedia. Atque bis, terve de die cum penicillo Polypo admovet Oleum Vitrioli, vel hunc liquorem.

℞. Olei Vitrioli ℈j. Aluminis Usti ʒj. Aquæ Plantaginis ℥j. Misceantur.

Vel ℞. Mercurii Sublimati ʒj. Coq. in Aquæ Fabrorum ℥iij. ad consumptionem medietatis, add. Olei Vitr. ℈ß. Aluminis Usti ʒj. Misceantur.

Dein Unguentum hoc cum petia naribus intrudit, & Polypo admovet.

℞. Unguenti Ægyptiaci ℥ß. Pulv. Gallarum, Cort. Granatorum an, ʒß. Olei Vitrioli ℈j. Misceantur.

Sed rarum valdè est, Medicamentis Polypum tollere. Et verè docet Julius Cæsar Arantius *lib. de Tumor. pr. nat. cap. 21,* admota medicamenta pro curando Polypo plus molestiæ, quàm utilitatis adferre. Adhæc Caustica, & Escharotica, fungosam hanc carnem profundius erodendo Diathesin Cancrosam facilè accersunt. Idem esto judicium de Cauterio Actuali: nihilominus tamen Obstructionem utriusque naris è Polypo Spurio, ejus ope feliciter se sanasse, refert Petrus de Marchettis *Observat. Chirurg. 27.*

Si ergo mitiora Adstringentia, & Exsiccantia pro Polypo curando nihil adferant emolumenti, ad Chirurgiam seu Manualem operationem deveniendum; quæ genuina & certissima est Polypum curandi ratio. Atque in hac Polypi per Chirurgiam Cura monet C. Celsus *lib. 7. cap. 10.* oportere sursum per nares immittere ferramentum acutum, in modum spathæ factum, & ipsum Polypum ab osse liberare, adhibitâ diligentiâ, ne subjecta cartilago lædatur, quia difficilis succedit curatio. Ubi Polypus abscissus est, uncô ferreo extrahendus; tum implicitum linamentum, ad supprimendum sanguinem, imponendum; hinc purgandum; & denique pinnâ impositâ medicamentô cicatricem inducente obductâ, sanandum.

Paulus Ægineta vult, ut ægrô collocatô in sedili adversus solis radios, Chirurgus sinistrâ manu narem aperiat, & dilatet; dextrâ verò spatulâ ad id factâ, in myrthacei folii modum acuta, orbiculatim polypum præcidat; illic acie ferramenti impositâ, ubi naribus coaluit; postea instrumentô in oppositum conversô, ipsius manubriolô succisam carunculam foras eximat; idque toties efficiat secando, & eximendo, quousque totus polypus fuerit exemptus. Judicat verò totum esse exemptum polypum, si respiratio per nares libera, & sine obstaculo recurrat, sique vox, seu loquela concinna sequatur.

Aquapendens novum proponit instrumentum, quô utitur pro extrahendô polypô, id quod apprehendit simulque præcidit & foras trahit. Sed ineptum huic operationi censemus hoc instrumentum; quippe quod radicitus polypum non evellit, sed radicem prope fungosam hanc carnem exscindit; quæ idcircò velociùs postmodum solet repullulare. Verùm sumendum potiùs ferramentum, vulgò rostrum corvinum dictum, nec quicquam secandum, sed ejus ope polypus firmiter apprehendendus, atque hinc inde vertendus, ut illius radix frangatur, & integra evellatur caro fungosa.

Quòd si post polypi extractionem, fluxio sanguinis supervenerit, illi medendum est, ut cæteris sanguinis ex nasô fluxionibus; medicamentis viz. adstringentibus naribus impositis.

Exemplum polypi admirandi, utramque nare n um spiritu difficili, & continuô suffocationis metu, obturantis, atque, in faucibus deinde extracti, videri potest apud Amplissimum Tulpium *Observ. Medic. lib. 1. cap. 26.* Insuper de polypô, ejusdemque curationis modô; consulatur Jacobus Meekeranus *Obs. Chirurg. cap. 10. 11. 13. Joh. Munnicks in Chirurgia ad Praxim hodiernam adornatâ.*

Polypum narium sequentibus non semel feliciter vidimus curatum. Præmissis præmittendis, venæsectione scil. & purgantibus, præscribebatur ptisana, è fortiori guajaci, sarsæparillæ, sassafras & santalorum decocto, additis etiam iisdem lignis in pulverem redactis, & usurpabatur quater die longè à pastu ad ℥vi. per aliquot septimanas. Præterea manè & vesperi pulvis sequens in nares insufflabatur.

℞. Calcis vivæ & mellis crudi an ℥iv. fiat pasta, quæ igne comburatur & pulveretur, tum adde tutiæ præparat. alum. usti, radic. gentian. pulver. an ℥j. M. f. pulvis. Tandem suffimigium adhibebatur sequens.

℞. Rad. ellebori albi & nigri an. ℥ß. fol. betonic. pulver. ʒiij. majoran. origan. calamenth. an ℥j. flor. rorismar. M. ß. baccar. juniper ℥ij. mumiæ Ægyptiac. ℥iß. f. omnium pulvis cujus pugill. in ignem pro suffumigio injiciatur, naribusque fumus ex infundibulô aptô excipiatur. Hisce tamen aliisque etiam quàm multis, nihil proficientibus, vidimus etiam aliquando polypum rebelliorem radices suas è naribus ad oculi usque canthum minorem egisse atque nec causticis, nec ferrô, nec igne millies applicitis curari potuisse: imò sic augmentum in dies cepisse, & quasi aliam hydram è propriis renatum vulneribus, ad totalem tandem faciei deformationem, nostrique ægri etiam suffocationem, accrevisse.

De Polypo Narium, sic scribit Anton. Nuck.

Narium cavitatem interiorè tumor quandoq; occupat, dictus, Polypus modo carnosus, modò pituitosus, colore aliquando rubicundus, lividus, vel obscurus; subinde molliusculus, vel cartilagineus, pedunculô suô nonnunquam pendulus, vel multis in locis narium tunicæ internæ annexus, quô nares non tantùm clauduntur, sed respiratio & loquela, præsertim ubi post uvulam se se extendit, notabiliter præpediuntur.

Præter intemperiem in ipsâ massâ sanguineâ quærendam, non rarò ulcera, hæmorrhagia narium, coryza, catarrhi, casus, hunc affectum præcedunt. Licèt autem ut plurimum sanguinem non fundant polypi, aliquando tamen sanguinem fundentes, aut etiam cum Lunæ phasibus incrementum & decrementum sumentes, conspiciuntur.

Si illorum color lividus, plumbeus, aut si tumor cancrosus conspicitur, difficillimè restituuntur. Nec ita facilem curam admittunt, qui carnosi & duriores;

faciliorem verò, qui albicantes, molliusculi & unico pedunculo penduli apparent.

Curatio absolvitur vel medicamentis, vel filo, vel ferro. Filum tamen non ubique convenit, quod satis altè Polypo ligatura injici nequeat. Si cui tamen hac methodo Polypum extirpandi est animus, procedat uti *Hildanus* in Trago Schirrhoso, ex ore propullulante, *Observ.* I. *Cent.* 3. ubi instrumenti & fili usum distinctè proponit.

Quidam ex amicis Chirurgis utitur eâdem instrumenti formâ, sed minori, quali Uvula resecatur.

Alii fili usum declinantes, medicamentis utuntur primò mitioribus, dein fortioribus corrosivis.

Observandum interim ut Narium interior tunica sana adhuc muniatur & obducatur Unguento albo Camphorato, Populeo, Refrigerante Galeni, aut Nutrito; ne particulæ medicamentorum applicandorum nimis acres partes lædant sanas.

Polypo itaque tollendo sequentia inserviunt,

℞. Succ. Granator. coct. inspiss. q. pl. quo Polyp. oblinatur.

℞ Cortic. Granator. & Sabin. F. Pulv. polypo admovendus.

℞. Cap. Mort. Vitriol.

℞. Vitriol. Alb. pulver.

℞. Cap. Mort. Vitriol. Subtil. pulv. Ung. Ægypt. liquidior. q. pl.

℞. Alumin. cum Bolo Armen.

℞. Spir. Vitriol. cum Aq. Plantag.

℞. Aq. Fort. cum Aq. Solan.

Subinde radicitus exstirpantur aquâ cum Mercur. Sublimat. coctâ. vel

℞. Vitriol. Ærugin. Alum. Mellis aa. q. s. M. F. cum Aceto Unguentum molle.

Notandum autem, tenuiora medicamenta penicillo; majoris verò consistentiæ linteis carptis esse admovenda.

Verùm hęc aliquando nil juvant, sed instrumento, *Forfex Cannulata* dicto, Polypus auferendus venit; Cujus instrumenti effigies exstat apud *Severinum* lib. I. de Efficaci Chirurgia p. 115.

Præstantius autem illud instrumentum foret, si in concava parte superiore duobus aut tribus dentibus quadratis & acutis esset præditum, qui firmiùs dictum tumorem apprehendere possent.

Extracto Polypo reliquiæ inurantur ferro ignito per Cannulam naribus immisso, ut ita Polypus radicitus exstirpetur; aliàs enim facilè recrudescens malum difficulter per medicamenta Caustica & Adstringentia restitui posset.

Non tamen ubique ferro ignito utuntur: Extracto enim Polypo admovetur Spiritus Vini, cum melle rosaceo mistus, eoque solo post extractionem patientes curant.

Solus etiam Sp. Vini, vel Tinctura Cinamom. cum melle Rosaceo, cum successu admoventur.

Dexterrimus quidam Chirurgus, experientiâ aliquoties edoctus, Extractionem dissuadet, & aquâ solummodo Calcis utitur, quâ sæpius Polypum tangit, quâque nuper adhuc Polypum, ad labii superioris oram pendulum, felicissime sustulit.

Consultationes

De Polypo in Nare dextra. Pro Nobilissimo Viro

Carnis excrescentia in dextra nare hujus Viri nobilissimi, sive sit polypus, aut sarcoma, originem ducit a causa interna & me judice, sanguine pituitoso, absque per mixtione insigni humoris melancholici; quod ex ætate conjicere licet, & substantia carnis exulceratæ.

Pro cujus affectus curatione, singulæ illæ indicationes implendæ erunt, quæ prudentissimè à Viris præclarissimis propositę fuerunt. Et quia universalis curatio est notissima, ideò hac prætermissa, ad fonticulum devenio, de quo consulitur, an inurendus sit occipiti, pro diversione. Verùm si liberè profetre licet quod sentio, minimè necessarium esse censeo. Sufficit enim jam inustus brachio, partem spectanti, quem aliquandiu in ulcus servare expediet, donec scilicet omnino morbus hic sit sublatus, & pars affecta roborata. Quapropter superest tantùm expendendum, qua ratione extirpanda sit hæc caro excrescens, & præservari possit nobilissimus hic patiens ab eadem affectione.

Quoad primum, duo remediorum genera proposita observo, quibus averruncari possit hujusmodi carnis excrescentia: primum est ferrum, alterum ignis potentialis. Inter hæc duo, tutius, ac promptius absque dubio ferrum est, præcipuè si fiat hæc operatio instrumento proposito ab Excellentissimo Marchetto Equite, quo feliciter usus fuit olim Excellentiss. ab Aquapendente, & idem D. Marchettus, qui polypum in quodam Tridentino, cujus curam ipse susceperam, pluribus ab hinc annis evulsit, ut innumeros taceam ab eodem hoc instrumento sanitati restitutos. Et sanè hæc operatio citò fit, parum molesta, ac sine periculo effusionis insignis sanguinis. Quoad medicamenta erodentia, hęc minime tuta esse censeo, Horum enim loco præstaret partem affectam ferro ignito in eam immisso per cannulam perforatam, linteolis madefactis succis refrigerantibus involutâ, contingere, præmissâ partiū proximarū necessariâ curâ: quo paulatim contabesceret caro illa luxurians, & exsiccaretur, sine ullo metu lædendi partes adjacentes, quæ faciliùs ab erodentibus medicamentis læderentur. Hæc tamen operatio minimè tuta erit, atque cum tædio, & fortè dolore.

Idcircò si patiens hic Illustrissimus manualem respueret operationem, tutior modus resolvendi carnem illam exuberantem erit à Gal. propositus Tertio de Medicamentis secundùm Loca cap. 3. per medicamenta scil. non ea quidem, quę ab ipso proponuntur ex aliorum sententia, sed quę sub finem capitis ex propria in medium afferuntur: & sunt succi granatorum dulcium, acidorum, & austerorum exsiccati, pulverizati, & applicati, modò formâ collyrii, cum succo plantaginis, addita pauca quantitate diphrygis: modò madefaciendo partem affectam eodem succo, modò insufflando eadem mala granata pulverizata. Modus autem manifestè expressus est ibi loci ab eodem Galeno, Quæ quidem operatio lenta est: sed blanda. Quo in loco proposuit etiam pulverem rosarum exsiccatarum, qui excipi poterit omphacio, cum portione aliqua diphrygis. Atque remedia omnia adstringentia, exsiccantia, & digerentia opportuna erunt, dummodò erodentia non fuerint. Idcircò pulveribus supradictis addi poterit parum spiritus vitrioli, & aluminis usti. Tutius tamen, celerius, & minori molestia hæc operatio ferreo instrumento antea proposito administrabitur, exsiccatione, ac cicatrizatione postmodum curata.

Interim ex usu huic patienti existimarem decocti usum, blandi tamen, parati ex radice chinæ, santalis, & visco quercino. Hoc enim redundans in capite humiditas absumi posset, ac in toto pariter corpore, servata congrua victus ratione, quæ à Viris Excellentiss. optimè quocunque tempore veniet præscribenda. *Benedictus Silvaticus Consil. & Resp. Medic. Cent.* 2.

Polypus.

Polypo in utraque nare octo abhinc annis laborat Nobilis Vir quinquagesimum annum agens, temperamenti totius & jecoris calidioris, melancholici habitus, & capitis valdè humidi cum calore; quarum partium intemperies, & præsertim capitis, à repetita lue Gallica antea contracta, neque propriis Alexipharmacis curata, magnopere adauctæ fuerunt, adeò ut propter abundantem à capite destillationem sudorifico decocto in hypocausto resistere nequiverit, dum in asperam arteriam & Bronchia pulmonum irruens, astmaticam affectionem intulit, sicque à Curatione propria desistere coactus fuit. Hinc factum est quod cacochimum quotidie magis redditum fuerit totum corpus: & quod pejus est, capitis intemperies calida & humida magis magisque semper adaucta, & ita valdè excrementosum caput redditum, à toto quoque pravum alimentum recipiens. Interim natura caput ipsum exonerare cupida ad nares tanquam ad proprium emunctorium sanguinem crassum & viscidum deposuit, & carnosam quandam molem in utraque nare produxit Polypum nominatam. Hæc autem non semel ferro & igne ablata fuit, sed rursus reversa, non extirpata mali radice, siquidem adhuc latet anguis in herba: latet nimirum Gallica infectio, viget in toto sanguinis impuritas, & magis adhuc calida & humida capitis intemperies, crassa & viscida excrementa continuò regenerans à quibus sicut Polypi primam originem duxerunt, ita semper fomitem susceperunt atque suscipiunt, & quoties iterum amputati fuerint, causâ non ablatâ, toties redibunt.

Quare ut tanto malo finis imponatur, omnia agenda: aliquando enim intrinsecus adeò augentur, ut vocem auferre & respirationem impedire valeant; & præterea quoniam ætatis progressu frigida excrementa in capite necessariò multiplicantur, aut in capite ipso retenta, aut ad inferiores partes, & potissimùm ad spiritales delabantia, alia majora mala afferre possent.

Et ideo ut præsenti malo succurramus, & imminentia præcaveamus, statim hoc anni tempore congrua est ineunda purgatio, primas vias mundando. Secundò Obstructiones quæ supponuntur, aperiendo. Tertiò Massam sanguineam ab excrementis vindicando. Quartò Caput purgando. Quintò ejusdem intemperiem corrigendo, & Alexipharmaco Gallicum extirpando. Sextò Jecoris fervorem contemperando; & interim Polypum medicamentis localibus auferre tentando; hisque non sufficientibus, & igne demendo.

Quibus intentionibus satisfaciendum remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis & Diæteticis; & inter Chirurgica, duplex erit conveniens sanguinis missio, ex Jecoraria dextera & ex sedalibus venis. Cauterium in brachio si adest, custodiatur.

Inter Pharmaceutica, pro prima intentione explenda conveniet repetitum Leniens ex manna clarificata; aut ex elect. lenit. cum tartaro, & intermediis diebus julapium acet. ad ℥. iii. aqua florum citri dissolutum, erit idoneum Præparans.

Pro secunda & tertia intentione, succi herbarum depurati sunt usurpandi, nimirum cich. borag. & agrim. in decoct. malvæ, melissæ & lupulorum, addito sale tart. fixo ad gr. x. Transacta hebdomada, præbeatur Purgans ex manna clarif. addendo infusioni consuetæ rhabarb. senam & polypodium, vel ex elect. lenitivo, de succo rosarum & diacharth. quibus superbibat aquæ Nucer. aut hordeaceæ lib. ii. Mox repetantur succi cich. borag. & betonicæ, decoctioni addendo folia beton. stœchad. & salviæ, cum gutt xii. spirit. tart. ter rectificati: & transacta hebdomada, præbeatur aliud Purgans, nimirum decoctio Epith. Mes. elleborata, ad ℥. vi. aut Extractum ellebori nigri cum Cassia, quibus pariter superbibat aquam, ut supra.

Quarta intentio exigit medicamentum ab alto trahens, & esse poterunt pilulæ capitales Paracelsi, quæ constant ex extractis colocynth. ellebori nigri & diagrydii, sub Sole diebus Canicularibus paratæ, & hîc Patavii reperiuntur; quarum dosis est ʒ. ß. aut ℈. ii. quibus pariter superbibenda concedatur aqua; duabus verò aut tribus vicibus tertio quoque die exhibeantur, & intermediis diebus propositi syrupi ex succis præbeantur.

Ad quintam intentionem necessariò explendam paretur Decoctum sudorificum ita.

℞. Salsæ parillæ el. visc. querc. veri an. ℥ j. chinæ opt. ligni ror. mar. medullæ guajaci an. ℥. ß. aq. stillat. cich. beton. an. lib. j. ß. m. f. inf. per hor. 24. deinde bull. ad consumpt. ultra dimid. & facta colatura servetur pro duabus vicibus summo mane horâ unâ ante ingressum hypocausti assumenda. Maneat autem in hypocausto primis diebus solùm per horæ quadrantem, sequentibus verò non ultra horæ dimidium, mox sudet in lecto. Perseveret in usu Decocti supra mensem. Decimo quoque die præbeantur pilulæ capitales Paracelsi, & ad vires sustinendas concedatur tertio quoque die portio aliqua carnis, aut pullæ junioris, aut palumbi ex turre; die verò intermedio ptisana hordeacea, ultra panem biscoctum, nucleos pineos saccharo incrustatos & passulas ad libitum. Pro potu verò consueto paretur suavis aqua hunc in modum:

℞. Residuum, aquæ com. opt. lib. xii. m. bull. ad consumpt. tertiæ, in fine ebullit. adde cinnam. integri ʒiij. bulliant parum, & colaturæ adhuc ferventi adde sacchari albi ad libitum Patientis, & frustula citri rec. ut agitando fiat aqua vulgo dicta Cedrata.

Pro postrema intentione adimplenda opportunus esset lactis asinini usus ad jecur contemperandum, totum sanguinem demulcendum & universum corpus nutriendum. Verùm quoniam humida nimis fuit capitis intemperies & excrementorum ferax; ideo suspectum cum Hippocr. nobis quoque videtur, ut propterea & thermalium aquarum potus tutus non habeatur; quare suppleat lac arte factum ita.

℞. Semin. melon. mundatorum ℥j. sem. cucurb. anguriæ mundat. an. ℥ß. juris pullæ ℥viii. contund. semina, & cum jure extrahatur emulsio, cui adde syrupi de pomis, aut de succo limon. ℥j. m. pro potu matutino tempore quatuor horis ante prandium, saltem integro mense quotidie assumendo.

Interim polyporum cura est habenda: etenim licet præscriptis medicamentis, & præsertim sudorifico Decocto nonnihil imminui potuerint, non tamen ex toto aboleri & tolli potuisse credendum. Quare medicamenta priùs exsiccantia, mox attenuantia & digerentia adaptari debent: neque spernenda, siquidem ab ipso Gal. & ab aliis Medicinæ Principibus non proponerentur, si frustra forent. Sic proponit Galenus idem succum Mali punici ad mellis consistentiam redactum. Paulus verò pulverem ita paratum per nares attrahendum.

℞. Squamæ æris ʒiv. atram. sutorii ʒiij. Sandarachæ ʒij. veratri nigri ʒj. m. quo quatuordecim dierum spatio sanitatem promittit. Ad inveteratos, Trallianus proponit pulverem ex chalcantho, chalcitide, ære cremato, & misy, ustis. Bayrus causticum consulit in cannula plumbea positum & naribus inditum, ut caro paulatim erodatur, & postea butyrum apponatur. Verùm si neque medicamentis appositis Polypi cesserint, ad ferrum & ignem deveniendum, ut cum Hippocr. consulunt Celsus & Oribasius. Polypi

lypi ſeparatione prægreſſa, ut docet Galen. mox fiat amputatio, & pulveribus aſtringentibus ſanguis ſupprimatur. Quibus non ſufficientibus, ferro candenti cannula argentea involuto erit utendum. Et interim congrua vivendi ratio à Viro Excellentiſſ. Adſtanti præſcribenda. *Raym. Joh. Fortis, Conſult. & Reſp. Medic. Tom. 2. Cent.* 1.

Obſervationes.

Pro Polypo narium.

Præmiſſis venæſectione & purgatione, juſſi ut guajaci decocto uteretur cum tenui victu; nam multis guajaci uſus profuit, deinde partem attingat fortiter aſtringentibus & parum cauſticis, qualis eſt aqua ſequens utiliſſima in principio adhibita, Authore *Rondeletio.*

℞. Uvar. immaturar. ℔iij. cortic. malor. granat. balauſt. ſumach. an. ℔ij. macerentur omnia in aceto & diſtillentur; deinde adde alum. ℔. vitriol. ℥ ij. deſtillentur iterum omnia ſimul, & aquâ illâ tangatur pars affecta, quidam utuntur aquâ ſeparationis auri, vel ſi nimium vehemens ſit, utere medicamento ex punicis malis confecto, quod ſic ſe habet. Accipiantur tria mala granata, ex tribus generibus eorum, acidis ſcilicet, dulcibus & auſteris, eaque matura, ac recentia terantur ſimul in mortario. Deinde ſuccus exprimatur, & coquatur in linimenti formam, ſpecilium ex lana vel linteo confectum eo ſucco imbuatur, & frequenter in narem demittatur, hoc remedium ſiccat & aſtringit ſine morſu, & excrementitium humorem abſumit. Puer quidam quinque annorum in nare altera polypum habebat. Carpus ille inſignis Chirurgus hoc Medicamento Galeni ex punicis uſus eſt, & puero rhei el. pulver. ℈j. exhibuit: deinde uſus unguento ſuo ad polypum valente.

℞. Ceræ alb. ℥iij. ol. roſ. ℥ij. butyr. antiq.. ℥vi. ſimul liqueſiant ad ignem, deinde extrahas, & pone in aqua & bene laventur duabus vicibus: cui addantur ova numero 2. cum ℥ß. ſublimati M. (nimis forte eſt, fortaſſe ʒß.) impoſuit: præterea tangebat aqua vel ſpiritu vitrioli, & curatus eſt. *Petrus Foreſtus. obſerv.* 8. *lib.* 13. *de naſi affectibus.*

Unguentum ſequens cum petia linteoli naribus intrudat, illic ubi inter polypum & nares adhuc patet aditus, repetatque bis in die.

℞. Unguenti Ægyptiac. ℥ß. cortic. granat. gallar. an. ʒß. ol. vitriol. ℈j. M. deinde irroret nares ſequenti liquore, capite adeò reſupinato, ut nares ſubire poſſet.

℞. Ol. vitriol. ℈j. alumin. uſti ʒj. aq. plantag. ℥j. m. poſt dies quatuordecim, aliquo uſque jam abſumptus erat polypus. Verùm ut penitus auferretur, ſequenti dein uſus eſt.

℞. Sublimati ʒj. coq. in aq. fabror. ℥iij. ad conſumptionem medietatis, adde ol. vitrioli ℈ß. alum. ʒj. M. & cum penicillô intinctô ſæpe tangat polypum, & ſic penitus ablatus eſt polypus. *Felix Platerus obſerv. lib.* 3 *pag.* 665.

A frequenti narium fricatione polypus, & ab illo mors.

Etiam in ſanitate conſervanda utile eſt illud obſervaſſe tritum omnium ore proverbium, exiguam ſcintillam ſæpe non exigui cauſam eſſe incendii. Vin hoc tibi in morbo, imò in morte oſtendam? Polypo laborabat juvenis quidam tam profundo, ut ad guttur uſque penetraret; tam potenti, ut naſi oſſicula loco moveret; tam fœdo denique, ut longè extra nares emineret: non exiguam hic morbus in miſeriarum humanarum iliade conficeret paginam, ſi quis ... Medicus vates conſcriberet, in qua pathos maxim... excitaret, quando tantorum malorum, quibus ... cùm triſte ſui omnibus feciſſet ſpectaculum, tand... exſtinctus eſt juvenis, maximè cùm adderet ... xiâ, & puerilem propemodum, cauſam quam jam audi...

Conſuetudo ei fuerat ſæpe digitis interiora nari... fricare, quod cum ferè (ut aſſiduitate invaleſcunt ... li iſti mores, quibus circumſpectio quædam ſui non adhibet modum) faceret aſſiduò, primò inflammari cœpit naſus, deinde oriri, quem dixi, polypus; qui miſerum enecavit miſerrimè. Tantùm ex tantula ſcintilla, quis exſpectaret, quo tota conflagraret domus, incendium? Retuli hoc ad cautelam eorum, qui vix unquam manus à naribus abſtinent, ne ſimiles ibi reperiant, quos perpetuò ſcrutari videntur, theſauros; & eò retuli libentiùs, quod Anatomiæ quoddam ſpolium videatur ad ſpectaculum ſervatus hic à me polypus. Alterum ſubjungo, quod mihi in praxi occurrit, triſte ſimilis incendii exemplum de fœmina, quæ dentes aciculis, purgare ſolita, cùm id invaleſcente cõſuetudine facit frequẽtiùs, inde gangrænã cõtraxit, gangræna mortem peperit; hæc & ſimilia ad cautelam non parum facere poſſunt iis, qui malis iſtis moribus vel imbuti ſunt ipſi, vel aliis, ne imbuantur, ex officio debent providere. *Theodorus Kerkringius in Spicilegiô Anatomicô.*

De Polypo Narium Epiſtola Nicolai Zas, Medici Rotterodamenſis. ad Jobum à Meckren.

Experientiſſime Vir.

Curæ noſtræ nec non Chirurgi cujuſdam Civitatis noſtræ haud poſtremi commiſſa eſt Puella 13. annorum, temperamenti frigidioris, polypo narium laborans, varia jam ab aliquo tempore adhibita medicamenta, interna æque ac externa, aſt nihil hactenus effecerunt. Res non naturales quas exactè obſervari in omnibus morbis exigit *Hippocrates lib.* 3. *de morb. vulg. & lib.* 2. curiosè etiam ab ægra noſtra obſervatæ, fluxiones à capite ad hanc partem deſcendentes ex præcepto Galeni ſiſtere allaboravi, præmiſſa univerſali corporis evacuatione. Decoctum radicis chinæ jam à longo tempore ſine fructu uſurpatum. Inſtitutæ etiam ex doctrina *Celſi lib.*6. *cap.* 8. Capitis fricationes; Cucuphæ capiti applicatæ ex herbis, floribus, &c. cephalicis exſiccantibus paratæ, nec fonticulum neglεximus.

Topica à Chirurgo adhibita varia itidem fuerunt: pulvis ſabinæ *Paræo lib.* 5. *cap.* 19. in hoc caſu uſualis, inſperſus, aut etiam, pro unguento illiniendo, unguento Ægyptiaco mixtus; Trochiſci itidem vigonis. At nihil omnium profuit.

Dolore accedente, ex uſu forſan medicamentorum acrium, mali moris affectum futurum, metuebamus, maximè cùm carnoſior, ſanguinolentuſvè magis polypus hic notaretur, coacti adeòque Medicamentum adſumere illud quod *Ambr. Paræus lib.* 8. *cap.* 2. in curatione Polypi commendat, dolores imminuere, haud tamen Polypum ipſum tollere, valens.

Enarratis omnibus fruſtra hactenus adhibitis nihil ſupereſſe, & parentibus, & ægrotanti ipſi indicavimus, præter extractionem Chirurgicam, at admittere eam detrectabant omnes.

Hæremus adeòq; nec quid agendum conſtat, Tu ſi quid habes Vir Clar. imperti; quo tandem miſera ægrotans moleſto hoc malo liberari queat. Quod ſi nõ niſi manualem extractionem hîc locum habere nobiſcum ſentias, Epiſtolio quodam notifices rogo, quo & parentes, & ægrotans, quàm neceſſaria ſit hæc operatio, informentur. *Vale.* Tuus *N. Zas.*

Reſponſio

Responsio Jobi à Meek'ren ad literas Nic. Zas, Medici Roterod. de Polypi narium verâ curatione.

Domine.

Quod Polypum auferendi methodum ex me cognoscere desideres, valdè afficit, non video quæ proponere queam tibi ignota, viriliter adeò, passibusque certis hic procedis, aut quis æquiparari multò magis anteponi possit, non videam; Gratias refero maximas, quod eo me honore dignum æstimes, cui publicum in commodum, quęstio de verâ polypos curandi viâ proponatur; Bestia illa (eo enim nomine Polypus venit, & quidem merito) quomodo vel per media Topica in nasi cavo consumentia, vel per instrumenta ipsa auferri queat, paucis docere aggrediar.

Notum nobis Polypum hunc esse *Galeno de comp. medic. cap. 3. Paulo Æginatæ lib. 3. c. 24. Aëtio lib. 6. cap. 90. Cornelio Celso. l. 6. c. 8.* imprimis *Fabr. ab Aquapendente parte* 1. *Oper. Chir. cap.* 24. debemus.

Locus non ipsi solùm nasus, sed & palati pars superior, & cum ea fauces ipsę, quę loca adeo sæpe carneâ hàc excrescentiâ angustari possunt, ut suffocari ferè videatur æger.

Quomodo tractaveris Polypum, quo correpta ægra tua, quæque adhibueris medicamenta, accurato satis stylo proponis. Ut verum fatear, atque ex animo Tecum agam, Medicum hic præstiti talem, qualis desiderabatur, nec aliquid omisisse Te testari possum eorum quæ ad auferendum malum requirebantur; haud equidem in medicina satis me expertum agnosco, profiteorque, qui Chirurgię deditus, diuturno, nihilominus exercitio etiam ea quæ Medicæ magis considerationis habentur, imò revera sunt, Chirurgis innotescere, quotidie experimur.

Localia quod spectat media affectum ipsum quibus tollere allaborasti; non solùm ut haud rejicienda ea habemus, sed & quæ iis anteponi queant nulla nobis nota, testamur.

At, Vir humanissime, concedas precor, quod, cùm ęgra tua filiola sit tredecim annorum, cur Vena pedis sinistri saphena non fuerit secta, ad mensium promotionem, quærere audeam. Carneæ etenim substantiæ eam dicis, imò indies sanguineam magis conditionem assumere, carnosioremque fore, at hęc unde deduci poterunt, si non ex sanguine.

Ad extirpationem manualem admittere Chirurgum quod recusant parentes, nolit ægrotans, doleo, cùm præstantius medium hactenus nullum innotuerit, citò imò etiam certò hac via procedimus; Testantur hæc in arte Chirurgica viri celebres, Fabr. imprimis ab Aquapendente loco suprà allegato. Nobis eadem non semel ex voto successit, inter alios in Ancilla Medici hujus loci *Simonis Dilmans*, *Mariæ Stevens*, cui auxiliante *Henrico à Roonhuysen*, Chirurgo magni nominis, polypum extraximus incredibilis magnitudinis, & crassitiei.

Attamen, Vir Celeberrime, quod si recusare perseverent parentes extractionem manualem, non inconsultum videretur (pace tua dixerim) plumaceolum hoc medicamentum insigne, à *Johanne Vigone lib.* 2. *c.* 5. descriptum, salivâ aut aquâ plantaginis madefactum, naribus imponere, ad eam altitudinem, ut attingat polypum, idque bis singulis iterare diebus. Descriptio hæc est:

♃. Pilor. carptor. panni linei veteris ℥ij. Medull. panis alb. ℥iij. Sublimat. triturat. ʒj. Aqu. Rosar. Plantag. an. ℔. j. Coquantur in vase stanneo ad secundæ partis consumptionem, dein fortiter exprimantur, & filum carptum siccetur in furno.

Medicamento huic, quod cautè admodum usurpari debet, eo quod sublimatum recipiat, de quo conterraneus tuus, Medicus olim celeberrimus Johannes Beverovicius, libro cui titulus Thesaurus sanitatis, *Schal der Gesontheyt*, *cap.* 8. addimus aliud, cujus vires egregias non semel experti. Valdè hoc commendat Alexander Trallianus, referente Durante Scacho subsid. Med. cons. de Polypo cap. 1. Caput hoc est, caput mortuum Vitrioli, sequenti modo usurpandum.

♃. Cap. mort. Vitriol. ℥j. Subtil. pulv. misceatur cum Unguenti Ægyptiaci portione liquidiore.

Unguentum hoc bis terve quovis die applicetur plumaceolo exceptum polypo, penicilli opera; Benè hoc successit in Consule hujus loci, brevi tempore. At quum usu immoderato hujus unguenti ardor nimius dolorque excitaretur, coacti fuimus ad utriusque mitigationem, Unguentum sequens, à prædicto Scacho præscriptum cap. allegato, adhibere, quod bene successit.

♃. Spumæ Argent. ʒ ij. Ceruss. ʒ iij. Alum. sciss. ʒ ij. Tund. & cribrentur, hinc in mortario plumbeo, cum vino odorato ad mellis consistentiam reducatur, huic addatur Olei myrtini q. s. conquassatumque in pyxide plumbea servetur.

Crede mihi, Vir Doctissime, medicamenti hujus vires esse summas, imò notum mihi hactenus nihil esse quod ei anteponi queat.

Quod si verò nec hoc medio tolli polypus queat, necessarium omnino ducimus parentes ægrotantis, ipsamq; ægram eò deducere, ut concedant Extractionem manualem, quam commodissimè fieri posse, expertus indico, instrumento s. forcipe, cujus descriptionem Fabr. ab Aquapendens exhibet, allegato capite, quod magis Commodum Cauterio quod commendat *Cornelius Celsus l.* 7. *c.* 10. ne nimium increscat, quale incrementum enorme notavimus in virgine religiosâ *Grietje Kroonenburg*, quæ, quòd in principio eradicationem omnem quovis modo instituendam recusaret, monstro magis ac homini similem faciem tandem exhibuit, effigiem addimus: Finem imponimus discursui nostro minus erudito, ne tempora tua aliis severioribus dicata moremur.

Successum optamus eum, quem non semel experti. Benedicat is qui dator omnis boni. Vale Vir Magne, diuque vivas in commodum ægrotantium, honorem artis nostræ, & urbis vestræ gloriam. Tuus *Job. à Meek'ren*

Scias, *benevole Lector*, cancrosum hunc Polypum, cujus in Epistolâ prædictâ mentionem feci, ad eam magnitudinem excrevisse, ut totam propè faciem occuparit.

De Polypo cartilagineo, à parte posticâ uvulæ ex faucibus ablato.

Polypus non solùm nares, sed & fauces replet, Authore Fabr. ab Aquapendente *part.* 8. *c.* 2. Unde gravis adeò respirandi difficultas, ut sæpiùs suffocari videatur æger.

Pedissequus Dn..... Six, ex ictu graviori, respirandi contraxit difficultatem, adeò ut spiritum ducere grave ipsi valdè, imò successu temporis incrementum tale sumpsit malum, ut ne quidem cibum deglutire, nisi cum molestiâ summâ, valeret.

Variorum Medicorum, Chirurgorumvè auxilia hic frustra imploraverat æger; quibusdam incurabile malum habitum, adeoque, medicamenta nulla in usum ducenda, statuerunt, eo usque artis Medicæ præcepta extenderunt, ut lue venereâ ægrum laborare asserere ausi fuerint, eò quod obscurè admodum loqueretur.

Tandem innotuit quibusdam ex hæmorrhagiis gra-

gravioribus, fluxuque humoris tenuioris acriorisve per nares, eoque continuo, in naribus ipsis certo hærere malum. Ad hoc medicamenta varia adhibita, at sine successu.

Amore servi incitatus Dn. Six nullius non operam implorare pergebat, modò curationis aliqua spes, tandem etiam nostram, collegæque nostri Dn. Floriani.

Ægrum quamprimum visitare nobis concessum, non solùm nares polypo repletas observare licuit, sed & fauces angustatas à massâ carneâ, gravi, durâ, cartilagineâ, circa uvulam deorsum ad œsographum se extendente, musculis œsophageis incumbente; Hîc cura nulla nisi quæ per eradicationem manualem, primò adeoque forcipe id quod fauces palatique posteriora occupabat, tollendum esse monuimus.

Operationem hanc admittente servo æque ac Domino, potio præparans & simul laxans, ad aliquot dies præscripta. Hujus usu præmisso, ad ipsam extractionem devenire placuit, quæ præsente Domino Six & Floriano Chirurgo, à nobis ad hunc modum peracta.

Primò omnium, nihil eorum hîc deesset quæ ad extractionem non magis quàm sanguinis fluxus inhibitionem, requirebantur, curam gessimus.

Pulverem stypticum parari curavimus in hunc modum præscriptum, ab acrioribus enim abstineremus asperæ arteriæ structura atque situs fecit.

℞. Lapid. Hæmatit. ℥ß. Bol. Armen. veri. Terræ Lemn. an ʒij. Nuc. Gall. immat. ℥ij. F. Pulvis subtilissimus.

Hoc quo convenienti modo uti liceret, turundas confecimus operi aptas & plumaceolis, & spongiæ exsiccatæ particulis, longas equidem, crassasque, attamen molles; has filo fortiore constrinximus, quô, siquidem ad fauces prolaberentur, ejus beneficio extrahi possent; hinc mixturæ ex albumine ovorum & succo limonum paratæ imposuimus, quo pulvis præscriptus stypticus melius iis adhærere, sicque commodiùs applicari posset.

Ipsam operationem aggredi ubi constitutum, ægri, sellæ altiori insidentis animosi admodum, faciem, faucesque luci obversas posuimus, quo certius & oculis polypum cernere, & instrumentô tractare, nobis liceret.

Mox polypum ipsum, ovi gallinacei magnitudinem habentem, planioris licet figuræ, forcipe recurva apprehensum, forti manu, variè agitando, separare à partibus quibus adnatus, extrahereque allaboravimus, at verò nihil omninò effecimus, inseparabilis relinquebatur polypus, fracturam patiebatur forceps, magni alias roboris; æger, qui omnia patienti animo perferebat, oris nariumque ossa violentiâ Chirurgicâ diffracta sibi esse credebat, sanguinis accedebat fluxus enormis, qui tamen ex se ipso sine ullo medicamentorum adstringentium usu sedatus. Pergebamus interim in opere nostro, quinquies, sexiesve extractionem modo dicto tentando; ast irritus omnis labor.

Tandem quòd polypus extractionem omnem respueret, licet deorsum magis descenderit, forfice eum auferre aggressi sumus, quod ad eam altitudinem fecimus, quam attingere licuit, consideratione habitâ uvulæ, ne læderetur.

Extirpatô polypô hæmorrhagia nulla observabatur, quæ in principio considerabilis satis fuerat, eò quòd hîc vascula sanguifera nutrimentum excrescentiæ adferentia, læsa sint, ibi ob cartilaginosam polypi constitutionem desiderentur.

Faucium, uvulæ, palatique ad alterationem, gargarismata convenientia, eclegmataque præscripta, quæ die nocteque usurpare haud detrectavit æger. Vigiliæ hîc continuæ, doloresque capitis vehementes, anodyna exigebant, quæ tamen parum aut nihil efficiebant antequam laudani opiati aliquid misceretur diascordio & aquæ alexipharmacæ, cochlearibus per vices usurpandum.

Ad virium deperditarum restitutionem, necessarium omnino fuit alimenta bene nutrientia usurpare, quæ etiam largiter adsumpsit juvenis.

Die octavô sanguinis per os & nares immodicus supervenìebat fluxus, ex eô quòd vasorum laceratorum extrema cruore repleta jam etenim aperirentur, quæ tamen simili cruore denuò repleta fuerunt, sed tamen sic ut fluxus dictus cessaret.

In dies hinc æger vires sumpsit, sic ut quatuor septimanarum spatiô integrè fuerit curatus, robustior quàm antehac unquam fuerat. *Jobus à Meek'ren in Observat. Medico-Chirurgicis.*

De Polypô ligneô quinque aut sex dierum spatiô curatô.

Filiolus Dom. Francisci Reatal, Reineri filii, ætatis ann. 3. per aliquot dies stillicidiô narium sanguineô fœtidô, laboraverat, dextram partem nasi occupabat malum, rei gravitaté perpendentes cum matre consanguinei, me advocârunt; polypus narium esset, nec ne, dignoscere desiderantes, imò auxilia Medica exigentes.

In affectum inquirentes, non solùm humore sanguineô, purulentô, eôque fœtidissimô nares scatere deprehendimus, sed & carneâ, subrubicundâ excrescentiâ superiùs repletas.

Hæc observans, quis non nasi hanc partem angustatam diceret polypô verô, ex fluxu purulenti humoris causatô?

Evacuatô corpore, quod seq. factum medicamentô;

℞. Syrup. diacnic. ʒß. resin. Jalap. pulver. gr. iij. M. & detur pro dosi; Topicô hoc polypum consumere studuimus;

℞ Mell. rosar. ℥iß. liquoris Ægyptiaci ʒj. capit. mortui vitrioli, calcinat. & dulcificati ʒß. Mistura hæc bis terve de die penicilli ope applicabatur excrescentiæ dictæ; paucorum dierum spatiô non solùm polypus imminutus, sed etiam frustum ligni in mediô observatum; hoc ope instrumenti commodi extractô, brevi sanatio absoluta.

Observatio hæc attendere nos docet ad suppurationes eas quæ in aure aut nasô puerorum occurrunt, sæpius enim externum aliquod partibus iis imponitur, ut bene notat Paræus *lib.* 17. *cap.* 23. unde mala varia. *Idem ibidem.*

Uteri Polypus Carnosus.

Sicut nares sunt corporis partes per quas humores superflui continuè excernuntur; sic etiam uterum humanum ei muneri inservire palam est. In naribus tumores præter naturam, polypi dicti, non rarò excrescunt; nec etiam uterus humanus ab iis est immunis. Non omnes polypi è naribus erumpentes ejusdem generis sunt, nonnulli carneam substantiam repræsentant; multi è contra membranâ involuti substantiam pituitosam & limosam nacti sunt. Modò nobis polypus malignus & cancrosus occurrit: modò eum omnis malignitatis expertem offendimus. Annô 1673. me vocarunt ad mulierem, à longô tempore, ut fluore albô immani, uteri prolapsu laborantem, è cujus orificiô interiori variæ excrescentiæ (quas ob similitudinem cum polypis narium, eôdem nomine aptè vocari posse putamus) membranaceo-carnosæ propendebant. Hi polypi adeò dolebant, uterusque tantum humoris aquosi & acris quotidie profundebat, ut ordinaria remedia proficere nil potuerint, & vehementiora usurpare non ausi fuerimus, propter malignita-

lignitatis indicia, & rectè, ut eventus docuit: ulcus enim malignum acceleravit, brevique post expiravit ægra. Ejusmodi etiam tumores polyposos, Bellius, Chirurgus Wormer-Veriæ expertissimus, mihi quoq; misit; quos mulier quædam ibi habitans diversis vicibus excrevit. *Clar. Frideric. Rhuyschius in Observat. Anatomico-Chirurgicis.*

Polypus Nasi tentata curatione lethalis.

Adfuimus cum aliis Medicis Experientissimis D. Simone Paulli, D. Henr. à Moinichen, D. Olao Borrichio, & Chirurgo Philippo Hacquart, Telonario quondam Regio Johanni Schmid, cui polypus nares sinistras oppleverat, & simul tumor ingens genæ sinistræ, durus, scirrhosus, immobilis, cancrum minitans dolore pungente. Videbatur autem abscessus totius ossis maxillæ superioris, cum suturæ dislocatione. In nare sinistra propendet ramus quidam ejusdem tumoris, polypum imitatus, ad palatum superius ejusdem ramulis protensis. Nasum tumor ad dextrum latus torquet, oculo quoque sinistro sede sua moto, extra orbitam prominente. Visu horrenda facies. Deliberatum inter nos, an ferro posset aperiri, vel prorsus exsecari. Conclusum tandem, tangi non debere, cùm nulla salutis spes superesset, ne optima auxilia defamarentur. Tormenta quippe majora ægro superesse, Medicis opprobrium. Ex occulto manifestum cancrum imminere, si tangatur. Tentavit verò, doloris impatientiâ, proprio consilio, dissuadentibus Medicis, sub Empiritico crudeli excisionem carcinomatis. Sed successit gangræna, convulsio, mors tertio die. *Thom. Bartholini.*

Polypus Narium fonticulo curatus.

Dum hîc Pseudopolypi & coaguli Kerkringiani facio mentionem, incidit commodum observatio de medela Polypi, aut Sarcomatis narium, quam ex ore Tuo, Venerande Domine, nuper hausisse memini, & datâ occasione ut stylo attingerem meo suasor exstitisti: Erat utrisque nostrûm virgo notissima Husumensis, serosi utcunque temperamenti, quæ sine manifesta causa in tumorem nasi internum prolapsa est, lente ut solet proserpentem, donec cum tempore grandior opplere unius hiatus cavum, & narium angustare sepimentum inciperet, tandem etiam manifesto lobulo extra naris limbum propendere, magno affinium dolore, neque exiguâ gratiæ jacturâ. Exploratus tumor non adeò repertus durus, sed molliculus & cedens, albus & pituitoso œdemati concolor; figura rotundior, nec in ramulos aut pediculos fissus, multò minus ad posteriora gulæ reflexus, magnitudine verò nucem avellanam vel superans aut æquans. Hic ut neque solennibus adhibitis purgationibus, neque aliis domari potuit, consilium erat præcipui Chirurgi, intempestivum & fatale hospitem ferro, ut vocant, exstirpare, invitante fortè loci oportunitate, in medio enim potius & latiore natis hiatu, quàm posterioribus resederat. Verùm, ut fieri in talibus solet, detrectantibus violentiam amicis, ultimum adhuc à Medico sperabatur auxilium. Itaq; cum tua affinitate, Vir Amplissime, & fideli imprimis cura, qua adesse laborantibus soles, niterentur, opemque rogarent, primum, ne quid præter receptâ methodum & vulgata arcana ageres, pulverem consumentem ex corticibus Granatorum, Gallis, magisterio Saturni, & cujus aliàs in atterendo vires notasti egregias, Colcothar Vitrioli adhibere consultum fuit; quo medicamine etsi nonnihil tumor imminui videretur, tamen vix aliquo notabili signo reddita exilior superficies. Quare successu illo frustratus, tumoris attendens naturam serosamque corporis complexionem, velut Divinò consilio ad Fonticulum brachialem confugisti, ea quidem felicitate, ut postquam stillare sanies cœpit, statim magnitudo contrahi, & paulatim intercidere, occultarique visa sit, & à portentoso nævo Virginem, Affines sollicitudine liberaverit. Alia etiamnum Virgo novendecim annorum tanti beneficii auctorem, fonticulum, aleretque amplius, nisi sobolescentis carnis impetus consolidationem vi minaretur. Hæc, quam humanitati Tuæ debeo, historia digna mihi visa est, quæ adnotaretur; atque pro occasione in usum trahetur: id tamen, scio, facilè mihi concedes, non promiscuè, neque in omni perinde Polypo, remedii hujus successum exspectari posse, sed in illo tantùm, qui serosus vel pituitosus, formaque Sarcomati, quàm Polypo propior, qualis hic fuit in Virgine tumor: non enim puto negligendum esse, quod Auctor definitionum Medicarum attendit, differre nimirum σάρκωμα ἀπολύπου μεγέθει καὶ κατασκευῇ. Equidem ut Polypum referat rumor, necesse est in cirros aut pedes dividatur; ut Sarcoma sit, satis est, unâ adesse & globosam ferè partis protuberantiam. Quando autem multifidâ expansione palatum tumor inequitat, inque gulam pensilibus lobis descendit, sive pituitosus sit seu carneus, non sic satis tutam esse per externa adhibita curationem manifestum est, quia remedia ista ad omnes angulos, fugientisque morbi latebras pervenire nequeunt: an verò etiam Fonticulus aliquid possit, non temerè dixerim, cùm plerunque post moram tam longam medicaminum generosorum rarior sit successus. In sarcomate autem, & initio Polypi, Fonticuli insignem usum esse posse persuasissimum habeo, imprimis, si pituitosa sit vel serosa concretio; in sanguinea enim & carnea operam luseris, cùm venæsectionem ibi principio adhibere ex optimorum Medicorum consilio satius sit, commendetque identidem Meekeranus, Chirurgus olim Amstelædamensis, atque in hoc opere versatissimus. In cancrosa autem vel cartilaginea, qualem Belgico idiomate Observationum suarû Capite IX. describit idem Meekeranus, tantùm abest, ut alterutro remediorum genere aliquid efficere possis, ut nec exstirpationem quidem, nisi summa cum prudentia, adhibendam esse existimem, adeò difficilis illa molitio & periculi plena, ut, cùm jam semel inceperis, aliquando desistendum esse ducas, ad tot symptomatum ipsa sectione sæviorum, deliquiorum, hæmorrhagiæ, suffocationis & reliquiarum metum. Cesserit aliis istud artificium, semelque ac iterum Meekerano ex voto, tum illi apud Tulpium lib. 1. Observ. Cap. 26. attamen non est hoc perpetuum, & vidimus cui post tentatam hanc curam nihil præter immensam dolorum vim & tumoris cancrosam malignitatem relictum fuit solatii. *Joh. Nicol. Pechlini.*

Polypus Curatus.

Patiebatur Virgo quædam consistentis ætatis E. V. H. Polypum naris dextræ, qui in eam excrescebat quantitatem, ut non solùm cavitatem naris impleret, sed, quod molestissimè omnium ferebat, penè extra propenderet, & quia per nares trahere aptè spiritum non poterat, in respirando difficultatem percipiebat non levem: quid quod ad sinistram etiam narem reperet. Radices Polypi narium partibus affixæ conspiciebantur, circa pinnas autem naris dextræ ad pollicis transversi longitudinem carnis frustulum propendebat; hæmorrhagias subinde patiebatur spontaneas largissimas, quæ nec internis nec externis sisti poterât remediis. Vocatus ad ægram, corpus evacuationibus per ἐπίκρασιν factis

factis præparabam, revulsionem sanguinis venæ sectionibus tentabam, nec infelici progressu: restabat opera chirurgica: sectio, ob molestissimæ hæmorrhagiæ metum, locum non inveniebat, quæ ut plurimum sponte propria accidebat, interdum tamen motu etiam vel levissimo Polypi, qui conspicuis admodum abundare venis videbatur, interdum etiam acriorum remediorum ad partem adfectam adhibitione facilè concitabatur; unde impetuosè tractare Polypum, sectionibus, ligaturis, ausus non sum. Tentabam quidem vicibus aliquot locum attingere, num excitata per mortificationem eschara, imminui sensim posset; sed non respondebat voto consilium; hæmorrhagia enim statim subsequebatur, quam vix compescere iterum licebat: supersedere itaque remedio hocce necessitas suadebat. Tandem placentulas parvas & tenues ex Mercurii sublimati optimi & viridis Æris an. q. s. cum fermenti tantillo curabam præparari, harum unam parti prominenti imponi, & ne decideret gossypium admoveri; escharam, post horarum aliquot moram conciliatam, blanda manu separari, & iterum iterumque novam imponi placentulam, idque toties, repeti usque dum totaliter ablatus Polypus appareret, nec vestigium amplius relictum conspiceretur. Redibat quidem non semel hæmorrhagia; sed levis admodum erat, ut placentularum impositionem vix semel atque iterum turbaret. Et ita quidem à molestissimo & periculoso affectu liberata, sana, sine symptomatibus, sive nova excrescentia, vivit & incolumis, bis tamen circiter in mense pilulis quibusdam magistralibus caput ab humorum saburra, qua repletum id esse signa non obscura commonstrant, liberatur. *D. Joh. Schmidii.*

De Polypo nasi.

Puella 13. annorum cachectica, à longo tempore Ozænâ laboravit, pusque naribus excrevit, hinc ampliùs per nasum respirare non poterat, & ore obturato suffocationis periculum subibat: conspecti sunt duo polypi interna narium foramina adimplentes, fluctuantes, neque membranis vel cartilaginibus adhærentes, sed ossi cribriformi altiùs innexi, albicabant, & duriores erant: tali autem modo extirpati sunt: Venæsectio brachii ante omnia celebrata fuit, & ex adverso in altero brachio fonticulus excitatus, purgatum verò cum Agarico, Jalappa & Sena diversis vicibus; dein die & loco claro, ægra in sedili collocata, capite firmato, forcipe extractorio cavo & in summitate denticulato prehensus est polypus, parum circumductus, & radicitùs ex utraque nare avulsus: ægra respirare liberiùs cœpit, & quantitatē pituitæ coctæ & crudę emunxit, vix quicquam sanguinis amisit, turundæ verò unguento detergente imbutæ naso inditæ sunt, omnia accidentia præcauta, aliquanto tempore ita deligata ægra meliùs quidem respiravit, sed & conquesta est de impedita deglutitione, ob dependentem massam in palatum è foraminibus narium internis; massa hæc erat quoque polypus ad interiora vergens, qui ægrè quidem sed fortiter prehensus forcipe extractus est: reliquiæ autem inustæ sunt ferramento per cannulam naribus immissam, trajecto: Usa est gargarismo ex hordei decocto; vini spiritu & melle parato, idemque syringa per nares injecit; intus decoctum Guajaci ad humores siccandos, & temperiem pituitosam corrigendam bibit, sicque restituta est.

Huc pertinet Observatio curæ Polypi cancrosi ab Atavo meo, Dn. Francisc. Muralto, p. m. feliciter peractæ, his verbis notata: Mihi adducta fuit Rustica, quæ aliquandiu in utraque nare Polypo cancroso laboravit, naresque carne obstructas & repletas, ut respirationi via non concederetur, habuit.

Ademi carnem superfluam totam erodentibus medicamentis, sed iterum pullulabat, meque coëgit, ut candente ferro rotundo per cannulam trajecto aliquot vicibus eamdem adimerem & comburerem: Immisi post operationem turundam albumine ovi cum oleo rosato imbutam, postea aliam imposui digestivo oblitam, per integrum octiduum, hinc unguento albo & de plumbo ægrotans usa, observans exactam victus rationem, restituta est.

In narium Polypo usus quoque est instrumento plumbeo, longitudine unius digiti, formâ pyxidis excavato, cui imponebatur cauterium potentiale, quod ità excrescentiam carnosam instrumento susceptam absumpsit; remota hac cannula, butyrum applicuit, donec eschara & caro combusta deciderint; toties autem hoc repetitum erat, quoties necessum ad omnem carnem absumendam.

Scholium.) Plura curati polypi per pharmaciam vel Chirurgiam exempla qui desiderat, inveniet in *Ephemer. nostr. Curios. Dec.* 1. *Ann.* 8. *observ.* 91. *Ann.* 9. *observ.* 26. *Joh. Georg. Schenckii observ. Fel. Plateri lib.* 3. *observ. medic. Nicol. Binningeri cent.* 3. *observ.* 69. *Nicol. Tulpii lib.* 1. *observ. cap.* 26. *Henrici ab Heer observ. med. &c.* D. Joh. de Muralto.

Polypus Nicotianæ fumô curatus.

Clariss. Viri Riedlini, Miscellan. Curios. Decur. iij. Ann. 7. *&* 8.

Vir quidam propinquâ adfinitate mihi conjunctus, quadraginta septem annorum, adeò nicotianæ fumo se delectans, ut ab eodem per paucula horas vix abstinere possit, quin abstinens tam malè se habeat, ut & adstantes notent, qui moris ejusdem gnari; hinc eumdem monent ut appetitui suo satisfaciat, unde illico priorem lętiorem induit faciem: Cùm nuper me visitâsset, testatus est se ante duodecim demùm, & quod excurrit, annos hôc fumô uti cœpisse, anteà verò fermè ab eodem abhorruisse; non autem tam delectationis gratiâ, quàm summâ necessitate coactum, se hanc suffumigationem instituisse: Notasse enim priùs per bene longum temporis spatium excrescentiam carneam in narium sinistrô foramine, quæ non solùm nares obstruxerit, sed & in dies magis excreverit, jamque & narium fines excedere inceperit, hincque varios artis chirurgicæ peritos se tum hâc de causâ consuluisse, qui omnes pro polypô agnoverint: nec nisi extractione violentâ curari posse plerique statuerint. At ab hâc se abhorruisse, cùm pręsertim quidam, non parvum subesse in eâdem administrandâ periculum, dum nempe arteria lædi, & hinc hæmorrhagia non tam facilè curanda concitari possit, monuerit: hincq; pręsertim sollicitus fuit ut aliô modô juvaretur, & Clariss. Medicum, Domin. Joh. Francum, communē nobis adfinem æstumatissimū, sæpius sedulò rogavit, ut consilia salubria suggerat: Qui pluribus aliis non juvantibus, suasit ut fonticulum sinistro inurat brachio, & in primis nicotianæ fumô mediante, sæpius superfluum serum ex ore eliciat. Dictis autem his eò magis paruit, quòd majus polypus sumpsit in dies incrementum; & ecce, vix per trimestre ulcusculum in brachiô excitatum pus in quantitate debitâ fuderat, & per hoc ipsum temporis spatium salivæ etiā major quantitas mediante tabaccô ex ore rejecta fuerat, cùm aliquādo subitò sternuere cœpisset, medianteque hâc sternutatione è naribus secessit massa carnosa, non ita parva venulis hinc inde interdistincta, & ab illo tempore, Dei gratiâ, meliùs se habuit, faciliùs nūc respirat, & restitātis adhuc particulæ se nullū indiciū deprehendere posse testatur: vel eò diligentiùs verò nicotianæ fumū cōtinuat, quò magis se juvisse eundē credit: unde eidē per tantùm tēporis spatiū maximè assuevit. Quod autē apophlegmatismis suis veteres in talibus affectibus præstiterūt, haud abs re à fumo nicotianæ, ad eos cōmodè referēdo, expectatur, deniq; eô mediante alimentū subtrahitur, tali excrescentiæ, & pediculus unus aut alter, à quibus pēdet, exarescit, non ita difficulter postmodū à naribus separatur primò, & tandem quoq; excluditur. Fonticulum tamen non prorsùs nil contulisse, nullum est dubium.

Polypus œſophagi Vermiformis rariſſimus à nimio pulveris Hiſpanici ſternutatorii uſû excitatus.

Ex Actor. Lipſiens. Annô 1715.

Vir annum quadrageſimum tertium agens temperamentô ſanguineô, habituque ad cacochimiam admodum proclivi, ac ſat notabili corporis mole gaudens, mirumque in modum pulveris ſternutatorii Hiſpanici deliciis effacinatus, annô ſuperiori 1714. circa tempus vernale, dolorem quendam urentem, à nimiâ dicti pulveris aliquando factâ per nares attractione, in medio œſophagi percepit, inopinatoque non ita multò poſt deglutitionem nonnihil animadvertit impeditam. Quãobrem auxilium quærens, Medicum quendam convenit, & de dolore, nunc quidem ſopitô, at in deglutitionis impedimentum mutatô, queritur: Cujus affectus cauſam in pituitoſa quadam ac viſcidâ materia, interioribus œſophagi partibus adhæreſcente, Medicus ponens, convenientia pro iſta incidenda atque educenda ægro præſcribit remedia, irrito tamen ſucceſſu, maloq; indies indiesq; adhuc ingraveſcente. Hinc ad alium ſe confert, ejuſque opem implorat, ſimulque affectûs cauſam, infra ſuo loco paulò ſpecialiùs afferendam, ſibi probabilem ipſi refert; quam verò hic flocci æſtimans, aliamque ſubeſſe aſſerens, ægro remedia, pro neſcio quo acido, ſpaſmodicam fibrillarum affectionẽ hanc generante, corrigendo atque eliminando, equidem exhibet; at iterum abſque ſucceſſu ſperato. Nullum igitur ſecundâ vice effectum ſalutarem, hactenus tam anxiè exoptatum, æger obſervans, in auxilium rurſus vocat alium, & quidem medicaſtrum ruſticum, qui, prioris veſtigia legens, pituitoſam acremve materiam genuinam hujus impeditæ deglutitionis cauſam exiſtere, pariter aſſerit, certò, citòque ut id genus hominum ſolet, impedimentum hoc ſe ablaturum, deglutitionemve liberiorem redditurum, pollicetur. Varia hinc ægro porrigit, quorum uſus (inſignis licet pituitæ fuerit educta copia) planè denuò fuit inanis atque nullus, cùm nec minima levaminis cujuſdam pars ægro inde fuerit allata. Deſerens ergo & hujus hominis medelam patiens, naturæ & tempori ſeſe tantùm committere animum induit, ſponteque ſuâ fortè an hoc malum iterum ceſſaturum firmiter ſperat. Interim verò Peniculum Ventriculi (vulgò *die magen borſte*) de quo inſtrumento multa hactenus audierat, cõſulit, iſtud applicat, ejuſque ope, ſat notabilem quidem educit materiæ pituitoſæ copiam, nullo tamen inde ſubſequente levamine. Ad quæſtionem, num ex applicatione peniculi ſenſerit dolorem? reſpondit: eũ quidem ſe non ſenſiſſe; interim tamen difficilem, imò in ventriculi cavitatem ejus penetrationem omnino impoſſibilem, ob quoddam in gulâ obſtaculum perceptum, plenarium peniculi ingreſſum prohibens, fuiſſe. Paulo poſt locò ſperati effectûs ſalubris, magis magiſque malum augeri animadvertit æger, adeò ut ſolida tandem alimenta haud amplius aſſumere valeret, ſed liquidis tantùm, v. g. lacte, juſculo avenaceo tenui, &c. famem ſedare corpuſque nutrire cogeretur. Imò tantum demum hic affectus ſumpſit incrementum, ut recenſita jam liquida tenuia liberè exinde deglutire haud valuerit, ſed mediante calamo ſtramineo iſta abſorbere neceſſe habuerit miſer. Quamprimum enim paulò liberiùs largiuſque ea ſorbere voluit atque deglutire, ſtatim ea cum ſonitu regurgitârunt, præſentaneam ægro ſuffocationem minata. Tandem hic, de cætero ſanus, liberâque reſpiratione gaudens, denuò Medici auxilium implorat, petitq; ut ſibi ſuppetię ferâtur. Hic in affectûs hujusadmirãdi cauſas occaſionales paulò curatiùs inquirẽs, variaq; ex eo quærẽs, inter alia quoq; hęc ſequentia, de quib⁹ ſuperiùs jam nõnihil fuit adductũ, audit: Ægrum nempe nimis in uſũ vocaſſe pulverem ſternutatoriũ, eundẽq; dubio procul miſerãdi hujus mali primã extitiſſe causã occaſionalẽ. Et, quo evidentior veriorq; cauſa hæc appareat, factũ fuiſſe refert æger, quod pulvis hic, præſertim ſicciſſimus ſumèq; volatilis, corpore aliquãtò calfacto, & ſudoribus propè diffluẽte, naribus copiosè intruſus, fortiterq; inſpiratus, nõ ſolùm in aſperã arteriã, verùm etiã in fauces & gulã uſq; penetravit, tuſſim, eãq; frequentẽ, necnon in gula ardorẽ, unà cum dolore primùm obtuſo, ſanguiniſq; ſputo, excitarit. Ex quo tempore ſtatim dolorem haud levẽ, & hoc evaneſcente deglutitionis impedimẽtum fuiſſe exortum. Ulteriùs confeſſus eſt æger, ſanctèq; affirmavit, nunquã in vita ſimile, vel etiam leviſſimum in œſophago percepiſſe deglutitionis impedimentũ. Hæc omnia Medicus percipiens, excreſcentiã quandã cartilagineã, ex læſione œſophagi obortam, adeſſe, ægrumque in extremo vitę periculo conſtitutum pronunciat, cujus terminũ inevitabile nunc fatum, cui æger ſolùm relinquendus erat, accelerare medicamentis ſuis nolens. Ob nutritionis autem defectum, corpus obeſum adeò fuit extenuatum, ut magis τῦ σκελετῦ quàm hominis vivi faciem repræſentârit. Ultimò liquidorum etiam ne guttulam quidem amplius aſſumere potuit: Quô evenit, ut poſt aliquot dierũ ſpatiũ, mẽſe aprili, anni currentis, fame ſitique incredibili emaciatus atque fractus, miſerè tandem perierit. Cadaver quo aperiretur, cauſaq; tam ſtupendi affectus detegeretur, vivens adhuc æger petiit. Aperto itaq; cadavere, Ventriculus parteſq; internæ à ſtatu naturali adeò remotæ non fuerunt invẽtę, exceptô tantùm œſophagô, qui ex parte non nihil contortus, & pharyngem verſus ſolito tenuior atq; acuminatior apparuit, & quidem adeò ut ejus tandem apertura vix piſum admittere viſa fuerit. Quo autem quæ intus fortè lateret, nunc quoq; detegerentur, ille inciſus fuit: quô factô, inſignis ad omnium ſtuporem conſpectui ſeſe ſtitit excreſcentia carnea in duas quaſi cordas diviſa, quæ in media œſophagi parte, eâq; poſticâ, quâ ſpinæ dorſi adjacet, initium (circa quod aliquid cujuſdam materiæ cruoris inſpiſſati ad inſtar cernebatur) ſumens ad pylorum uſque ferè ſeſe extendens, longitudine ſpatium ſex digitorũ tranſverſorum, craſſitie verò lumbricum inſignẽ, tam in una quàm in altera ſui diviſione æquabat, cujus etiam faciẽ aliquo modo patiebatur. Subſtãtia hujus excreſcentiæ rectiùs polypi, erat carnoſo-fibrilloſa atq; mollis, color verò ex albo rubicundus. Cultro anatomico, & quidem facillimè, cùm vel digitorũ jam attactui cederet auferebatur polypus hic rariſſimus: quo ablato, pedes ejus, vel potiùs radices, quibus ſe in gulæ ſubſtantiam inſinuaverat, in cõſpectum veniebant, iiſq; arctè tunicę œſophagi interiori adhærebat. Sic impeditæ deglutitionis cauſa, de qua nemini hactenus quicquam in mentem venerat, detecta cõſpiciebatur, dignaq; judicabatur quæ rarioribus Medicorũ obſervationibus insereretur, publicèq; proponeretur.

PORRIGO.

Vid.

PILORUM MORBI.

PRÆGNANTIUM MORBI.

De iis vide Bibliothecam noſtram Medico-Practicam; ad quam potiùs pertinent quàm ad Chirurgicam.

PROCIDENTIA ANI.

I. Prolabitur interdum Anus ſive Podex, ac recti inteſtini pars extrema ita, ut poſt conſuetam illam, quæ

quæ in egerendis alvi fæcibus accidere solet, eminentiam, rursus suum in locum, & intra corpus reduci nequeat, sed extra promineat, quod malum Anni Procidentia nuncupari solet.

Accidit autem Ani Procidentia, interdum ex nimio in excernendis alvinis excrementis conatu, quo anus adeò propellitur, ut partem recti intestini secum ducat; item in difficili ac laborioso partu. Fit quoque nonnunquam ob magnam irritationem, unde in Dysenteria, Tenesmo, & Lithotomia sæpius contingit. Insuper ob musculorum, qui post alvi egestionem anum propulsum retrahere solent, imbecillitatem aut resolutionem quandoque oritur hic affectus; & ex hac causa symptoma hoc interdum ita adaugetur, lævitque, ut se vidisse scribat Aquapendens Ani Procidentiam tam longam, ut cubiti mensuram æquaret, ac ita crassam, ut ambos cubitos simul junctos metiretur. Atqui hæc musculorum Ani Levatorum imbecillitas accidit, vel quia frequens & diuturna fuit ani procidentia, vel à sessione super lapide frigido, aut mora in aqua frigida, adeoque horum musculorum refrigeratione. Quibus nonnulli & mollitiem nimiam ac humectationem addunt, qua de causa infantibus hoc malum familiarius est.

III. Malum hoc per se patet, & visui manifestum est. Difficilius verò curatur in senibus, quàm in junioribus. Si ob solum conatum vehementem, nullâ aliâ accedente causâ, podex foras prolabatur, sponte interdum in locum suum redit, vel manus operâ facilè reducitur. Sin ex dysenteria aut tenesmo fit Ani Procidentia, vix curatur, nisi sublatâ causâ. Quum autem ab imbecillitate aut resolutione musculorum anum retrahentium originem habeat, & quotiescunque alvus excernitur, procidat, vix aut saltem difficulter curam suscipit.

IV. Igitur Anus ubi prolapsus est, molliter manu Ægri vel Chirurgi intra corpus reponendus: vel, ne facilè deinceps prolabatur, inungatur prius unguento adstringente Fernelii, aut Oleo rosarum & Myrtyllorum. cui tantillum pulveris adstringentis additum, hinc, digitorum aut lintei mollioris ope prolapsum intestinum restituatur.

Quod si intumuerit, atque hinc repositio impediatur, fovendus anus Lacte Dulci tepido, vel Decocto Malvæ, Althææ, Florum Camomillæ, Seminum Lini, Fœnigræci, & similium, Vel talis fiat Fotus, præsertim Inflammatio si adsit.

♃. Summ. Absinthii, Hyperici. Flor. Sambuci, Camomillæ, Meliloti an. M ß. Rosarum Rubr. p. ij. Coq. in Lacte Dulci, vel Vino Rubro adstringente.

Noxium hîc valdè externum frigus, siquidem Gangræna subito accederet. Celerrimè adeoque Chirurgus repositioni sese accingat, hinc conservationi vitalis caloris, usu Fomenti præscripti, calidiorumque linteorum, operam omnem impendat.

V. Repositus Anus suo in loco ut retineatur, Adstringens aliquod Fomentum spongiæ ope aliquandiu ei admoveatur, v. gr.

♃. Cort. Granatorum ℥ iii. Fol. Plantaginis, Quercus an. M. j. Flor. Camomillæ, Rosarum Rubr. an. p. ij. Balaustiæ ʒ ij. Aluminis Crudi ʒ iij. Coq. in aqua ferrata, vel Vino Rubro adstringente ad ℥ xx.

Interea danda opera, ut laxa servetur alvus, fæcesque molliores & ad facilè excernendum aptæ reddantur, ne tanto conatu in iis excernendis opus sit.

VI. Modum adhuc alium, (ridiculum sanè!) prolapsum hoc intestinum in suum locum reponendi describit Barbette Chirurg. part. 1. cap. 9. viz. manu forti aliquoties nates ægri percutit, unde ani levatores musculi illicò rectum intestinum in suum locum retrahunt.

VII. Quod si nec hisce modis Anus suo loco restitui queat, jubet Hippocrates, ut ex pedibus pendens Æger concutiatur; futurum enim, ut illa concussione remigret hocce Intestinum. Atque in hunc ferè modum refert. Fabricius Hildanus Cent. 3. Observat. 76. se virum quinquagenarium, cui, cùm in via publica alvum exonerare vellet, anus prolapsus erat, & ex aëre frigidiore maximus in eo exortus dolor, nec non prolapsum intestinum ad magnitudinem ovi struthio cameli tumefactum, curasse. Primò hoc applicuit Fomentum.

♃. Fol. & Flor. Verbasci, Flor. Camomillæ, Meliloti, Rad. & Fol. AlthϾ an. M. j. Sem. Lini, Fœnigræci an ℥. j. Anisi ʒ j. Coq. in Lacte Vaccino pro Fotu; cui linteamina duplicata intinxit, & per integram horam calidè applicuit. Deinde toti intestino hunc inspersit Pulverem,

♃, Flor. rosarum rubr. cort. granator. nucum Cypressi, Mastichis, Thuris, Croci Martis, Plumbi Usti an. ʒ j. F. ex his S. A. Pulvis.

Tandem caput Ægri in terram inclinavit, pedes verò in altum à duobus fortissimis viris elevari curavit; mox indice manus dextræ molli linteo involuto, & præscripto decocto intincto, atque in medium intestini prolapsi immisso, id suum in locum feliciter reduxit; & porrò quæ necessaria erant peregit. *Johan. Munnicks in Chirurgiâ ad hodiernam praxin accommodatâ.*

Prolapsum intestinum rectum quomodo reductum.

Anno 1605. Mense Novembri, quinquagenarius quidam ex pago prope Paterniacum, cùm multo oneratus, ex oppido domum rediens, in via alvum exonerare vellet, ac sese inclinaret, prolapsum ipsi est intestinum. Et quia tunc aër frigidiusculus erat, exortus est dolor maximus, ita ut ulterius ad suos progredi, neque ad oppidum redire posset. Verùm fortè fortuna à prætereunte quodam semianimis repertus, Paterniacum mihi adductus fuit. Tum intestinum rectum prolapsum; & ad magnitudinum ovi struthii tumefactum reperi. Dolor ingens aderat, & excrementa continuò, eaque liquida, effluebant. In curatione sic processi. Primò protinus sequens applicui fomentum.

♃. Foliorum & florum verbasci albi, flor. meliloti, chamomillæ, Radicum & foliorum altheæ an. Mj Seminis lini, fœnigræci an. ℥ß. Anisi ʒj.

Coquantur in lacte vaccino, recens emulcto. In decocto isto linteamina reduplicata intinxi, & per horam integram calidè applicui. Deinde toti intestino sequentem inspersi pulverem.

Rosarum rubearum, Corticum granatorum, Nucum cupressi, Masticis, Thuris, Croci martis, Plumbi usti an. ℥i. Misce, fiat pulvis.

Tandem caput ægri in terram inclinavi, pedes verò ut in altum à duobus viris fortibus elevarentur, operam dedi, mox indice meo dextro, linteo molli & suavi involuto, & decocto præscripto intincto; nec non in centro ejus quod prolapsum fuerat posito, intestinum in locum suum feliciter reduxi. Altera die os sacrum & coccygis sequenti linimento inunxi.

♃. Ol. lumbricorum, Rosarum an. ℥i. Ol. ex floribus verbasci ℥ß. Misce.

Sequenti die syrupo rosato solutivo composito, cum rhabarb. agarico, & senna corpus leviter leniterque expurgavi, venamque in brachio incidi. Sic in pristinam sanitatem restitutus fuit, nec postea amplius prolapsum est intestinum. *Gulielmus Fabricius Hildanus observation. Chirurgic. Cent. 3.*

PRO-

PROCIDENTIA UTERI.

Vid.

UTERI MORB

PROCIDENTIA UVEÆ.

Vid.

UVEÆ *seu* GURGULIONIS MORBI.

PSOROPHTHALMIA.

Vid.

PALPEBRARUM AFFECTUS.

in OCULORUM MORBIS.

PTERYGIUM.

Vid.

CORNEÆ VITIA.

PSORA.

Vid.

SCABIES.

PTILLOSIS *&* MADAROSIS.

Vid.

PALPEBRARUM AFFECTUS.

in OCULORUM MORBIS.

PUDENDAGRA.

Vid.

LUES VENEREA.

PROSTHESIS.

Vid.

sub titulo

OPERATIONES CHIRURGICÆ.

PUERPERARUM MORBI.

DE iis jam ex parte in Prægnantium morbis; (de quibus scilicet in Bibliothecâ nostrâ medico-practicâ) hîc rursùs quædam adjungemus, & primò dissertatiunculam cui titulus *Felix Puerpera*, ab Excellentissimo D. Movio, *Præclarissimo Domino Carolo Drelincurtio* dicatam, quâ præcipuè de regimine Puerperarum ac Infantium recens natorum, agitur. Indeq; continuò deveniemus ad *Consultationes*, *Observationes* ac *Anatomicas inspectiones* in Puerperiô habitas.

Felix Puerpera Seu Observationes Medicæ, Circa regimen puerperarum & Infantium recens natorum.

Cùm tantus in his Provinciis committatur error circa regimen puerperarum & infantium recens natorum mihi animus non est quæcumque ad nostrum propositum pertinere videntur ad amussim percurrere, sed tantùm quædam Consilia tradere necessaria, quibus si fieri possit, emendetur error ille. Et quamvis Ætius Tetrabilium 4. Sermone 4. Cap. 5. dixerit scriptis inutiliter mandari quomodo opitulandum sit mulieribus naturaliter parientibus, quòd hoc non modò obstetricibus sed etiam aliis mulierculis omninò cognitum sit, & quamvis insuper eodem Consilio Oribasius, Trallianus, Paulus Ægineta & alii primæ Classis Medici de ejusmodi re siluerint, non tamen sicco pede transeundum duximus, quidquid super regimine puerperarum & puerorum recens natorum Felix Platerus Archiatros Basileensis, in suâ Praxi Medicâ Literis mādavit, multa quippe in nonnullis locis illustratione quâdam digna esse duximus, ne iis qui nondum benè initiati sunt rebus Medicis malè intellecta imponere possint, vel saltem ut liceret illis faciliori negotio dirimere atque distinguere eam methodum quæ apud melioris notę Medicos recepta est super regimine istô puerperarum & puerorum recens natorum ab ea quæ in more potest esse apud Helvetios aut Romanos. Sic autem de ejusmodi re verba fecit Platerus.

Postquam partus jam peractus tunc & matri atq; infanti cura adhibetur, & paulò post subdit agens de puerperâ, ex sella in lectum placidè ne animo deficiat, quod sæpè fit, collocetur exhibitis jusculis.

In eo textu statim nonnulla sunt quæ offendunt; nostrę non est consuetudinis parturientes mulieres ut commodiùs pariant in sella constituere; quod tamen in more positum est apud Helvetios & Germanos & quosdam Batavos; varii quidem sunt; mulieres ut faciliùs pariant constituendi modi, nonnullę in genua, aliæ rectæ cubitis mensæ, vel lecti lateribus admotis, aliæ super lodice humi constratâ, aliæ juxta Platerum in sella, aliæ demum in lecto se putant faciliùs parituras. Si ex his omnibus figurationibus sella magis probetur Platero, apud nos magis lectus commendabilis est, super quo enixuræ commodiùs habitâ ratione sui; commodiùsque habitâ ratione obstetricantis & famulātium collocari possit. Duplex autem est modus apud nos super lecto pariendi, vel super alio in eam rem apparato, vel super eodem super quo solent obdormire. Habent verò in more prædivites mulieres peculiari super lectulo parere, nec immeritò, etsi enim necesse postmodum sit eas ab eo lectulo in consuetum transferre, id tamen fit ita blandè & tranquillè, ut non pedibus ambulantes sed alicujus valentioris vel fœminæ vel viri brachiis fultæ atque delatæ, ut nulla postmodum consequatur noxa: porrò beneficium ea ratione eis accedit aliud, dum enim in consueto lectulo pariunt, etiam si variis linteis multipliciter replicatis munitus sit quæ statim à partu removeantur: quia tamen purgamenta illa quę solent unà cum partu prodire non adeò grati sunt odoris, fit ut lectus iste, etsi linteis inquinatis repurgetur, servet nihilominus odoris istius pravitatem istorumque pravorum velut miasmatum inquinamenta. Istud enim non contingit ubi super lectulo peculiari pariens collocata post partum lectulo consueto committitur, nullis ejusmodi inquinamentis infecto. Itaque lectus nostro Judicio, isque peculiaris præferendus est omnibus aliis ad partum usurpari solitis figurationibus & maximè sellæ Plateri in qua mulieres veluti duplicatæ, nusquam commodè colloca-

collocari possunt neq; obstetrices comodè munus suum exequi in partu naturali, moltò minus in partu præter naturam. Aliud in textu Plateri observandum est, quod scilicet velit juscula esse exhibenda mulieri, postquã è sella in lectulũ placidè fuerit post partum collocata, tum verò subdit vino & odoribus esse refocillandã, hæc quippe videntur ὕστερον πρότερον dici & certè hæc adeò indistinctè confusèque prolata sunt ut quid maximè sequendum sit, aut saltem quo ordine non liqueat: videretur equidem convenientius si mulier quę peperit, statim à partu quemadmodum & in partu ad virium restaurationem vino & odoribus refocillaretur. quod in more positum est apud nos in partus difficultate, dum enim ægrè parit mulier vino cardiacisque auxiliis adjuvatur, in quam rem sequens potio satis feliciter succedit ad naturalem partum accelerandum ubi tardior est;

℞. Aquæ stillatitiæ card. benedict. & lilior. albor. an. ℥iij. in quibus dissolve syrup. de capillar. ℥ i ß. aq. stillatit. è capite cervi ʒij. confectionis de hyacinth. sine ambra & moscho ℈i. aquæ cinnamomi ʒj. fiat potus in duas doses, ex duarum horarum spatio exhibendas, interassumpto jusculi tantillo.

At statim à partu vino odoribusque illam recreare liceret, nisi statim à partu aliud in more positum esset præstare adversus tormina quibus divexari solet, itaque statim à puerperio ℥ j. syrupi de capillaribus cum ℥ j. olei amygdalarum dulcium permiscetur & exhibetur adversus ea tormina apud vulgus nimirum nec de Jusculo subit cogitatio quàm una aut altera hora fuerit elapsa ut isti remedio locus fiat. Ut tamen liberè dicamus quod nostra est in mente ejusmodi remedium parum proficuum; videtur permittendum tamen arbitrio volentium, sed intermittendum nostro, Jusculum siquidem longè majoris nobis videtur esse utilitatis atque adeò descenderemus in sententiam Plateri super ea jusculorum exhibitione nisi postmodum adjecisset vino & odoribus post jusculorum exhibitionem recreandas esse mulieres, quod nusquam nobis arridere potest, periculum enim esset ne vino & istis odoribus accenderetur quidam calor insolitus qui febrem posset excitare, præterea quantum odoromenta ejusmodi (quæ de bene odorantibus intelligi debent) inimica sint utero & maximè statim à partu omnibus vel mulierculis notum calamitosâ sæpè experientiâ, cùm eo tempore uterus imbecillior factus propter toleratos labores causis istis insolitos in eo motus, excitantibus reluctari non possit. Juscula potiùs exhibeantur concinnata ex carnibus pullastrorum & vituli interdum & perdicis veteris primo quoque tempore quibus & caro vervecina adjici poterit, si nihil gravioris supervenerit; Addit Platerus cibo somnoque uti decet puerperam esse gubernandam. Circa quem articulum duo sunt expendenda. Primum quo tempore mulieribus quæ peperere somnus sit concedendus, alterum quæ victus ratio puerperis conveniat. Circa verò utrumque id insuper venit observandum, distinguendum esse scilicet de primis puerperii diebus & de ulterioribus, ad somnum ergo quod attinet non statim à puerperio concedendus nobis videtur, ita ut peccaverit Platerus qui indistinctè cibo somnoque uti decet puerperam esse gubernandam dixerit. Quid enim tunc temporis deceat, id certè est quod erat definiendum. Præterea ad cibos quod attinet, cùm priùs juscula exhibuerit, quidnam per cibos intelligere voluerit non adeò liquet; nisi apud eum cibi sint aliquid solidioris edulii, juscula liquidioris, quo posito quoto tempore juscula, quoto cibi sint exhibendi id operæ pretium erat declarare.

Huic itaque difficultati lux ut afferatur dicimus non priùs somnum puerperis esse permittendum quàm jusculo fuerint recreatæ, à quo una hora vel altera elapsa omnibus inquinamentis debent repurgari, amotis ab illis omnibus linteis inquinatis, si in consueto pepererint lecto, aut elapso ejusdem temporis intervallo pepererint in peculiari lecto, debent priùs in consuetum transferri antequam de somno mentio fiat. Non debet igitur somnus concedi nisi tribus, quatuor aut quinque à puerperio horis elapsis, aut potissimum quia antequam somnus concedatur debemus esse certi de modo lochiorum effluentium cum sæpè fiat, ut mulieres quibus istius concessa sit dormiendi libertas incidant in aliquam lipothymiam ob nimium lochiorum fluxum qua par est adstantibus imponere, dum putant mulieres somno indulgere, unde non leve vitæ periculum incurrunt: sæpe etiam fit ut quædam mulieres propter gravissimos quos sustinuêre dolores, incidant in soporosos affectus à quibus vindicare illas vix possemus, si bonâ fide adeò citò somnus eis permitteretur. Itaque priùs debemus esse certi de rerum præsentium statu ut si omnia benè se habeant securè somnus concedatur. Ut autem liquere possit an omnia sint juxta notata disposita, tres quatuor vel quinque horis ad minimum à partu sunt relinquendæ; itidem non levis est difficultas circa cibum, si per id vocabuli solidum alimentum sit intelligendum. Quod igitur confusè pronunciavit Platerus hacce ratione distinguendum est, puerperis primùm parturientibus nusquam puto solidiorem esse concedendum ante quintum aut septimum diem à partu, quamvis nulla gravia symptomata à cibi solidioris usurpatione videantur orta; Ratio est quod omnino incertum sit qua ratione successura sit ista parturitio, perpetuò quippe fit ut puerperæ duabus, tribus, aut quatuor diebus à partu incidant in febrem quam lactis febrem solent appellare, quæ ex genere Ephemerarum solet contingere, dum natura fœtui consulens ad mammas materiam lactis transmittit, idcircò majoris securitatis ratione ne tunc temporis febris symptomatica abeat in essentialem, non debemus priùs solidiorem cibum concessisse, qui culpari non injuriâ posset & haberi tanquam vel autor istius febris vel fautor alterius supervenientis, itaque istud febricitationis tempus debet priùs effluxisse, ne Medicus accusetur indulgentiæ, solaque concedi interea juscula tribus quatuorve horis (ut dictum est) aut ova sorbilia jusculi vice sufficiantur cum gelatina, quo usque septimo à partu accedente die & febre fideliter sedata, horis meridianis concedantur cibi solidiores, boni succi & facilis coctionis, elixi potiùs quàm assi, ut accedente quarto-decimo à puerperio die & horis serotinis quemadmodum & meridianis, detur pariter locus solidioribus eduliis.

Res autem non sic se habere debent circa mulieres jam alias partum expertas, quibus vel primo à partu die 8. vel 10, horis ab eo partu elapsis solidior cibus semel in die concedi potest, quia jam puerperium expertæ de eventu velut sunt securæ, eâ nihilominus cum lege ut versus tertium à partu diem interea dum viget iste motus febrilis designatus sola juscula in usũ veniant per unum vel alterum tertiumve diem; Cavendum est autem tum primùm puerperis tum in aliis ne (quod clinicæ mulieres solent) nimiâ ciborum copiâ excipiantur, à qua sæpe non expectata superveniunt symptomata, id enim licet sæpiùs à Medicis recantatum, vix potest ab ejusmodi clinicis observari, quæ id solum intentum habere videntur ut plurimis & sæpius ingestis eduliis vires ut dicunt restaurent puerperarum quas ejusmodi copiâ potiùs obruunt & perfundant.

Pergit Platerus nec tum (donec vires receperit uterusque ad pristinum statum redierit, quod citiùs fiet si fascia ventri circumdata leviter ut subsidear stringatur) ambulando aut exercendo se nimium commoveat aut aëri intempestivo se credat. Hæc postre-

ma sunt de regimine puerperarum Plateri verba; quæ nec magis sũt probanda quàm ea quæ jam examinata fuere, quippe hîc primùm agit de fascia admovẽnda puerperis postquam egit de cibis solidioribus eis exhibendis, quod prȩter rerum agendarum ordinem est: scilicet debuerat verba facere primo à partu die de fascia quæ tunc necessaria est, non verò post cibi solidioris concessionem, quæ admittenda solùm aliquot à partu diebus, præterea quo die permittendum sit mulieri ut deambulare possit ex his non liquet. Tandem & multa circa regimen istud à Platero sunt prȩtermissa, de quibus omnibus paucis acturi sumus; atque ut primùm quæ ab eo malè observata sunt circa fasciam ventri admovendam illustremus; dicimus tribus aut quatuor horis à partu eam esse admovendam, sed eam à prima die ad diem usque quintam sextam aut septimam, atque sequentibus laxiorem esse relinquendam, ne si arctius constringeretur primis hisce partus diebus uterus vim pateretur, cùm enim per novem mẽsium spatium venter intumuerit in eam molem quæ in gravidis constituta est malè consultum esset mulieribus, si per unum aut alterum diem fascia strictiori ad solitam magnitudinem quis vellet & abdomen & uterum revocari, maximè cùm ab ea constrictione uterus inflammationem facili negotio pati posset, hȩc itaque circa fasciam cautio est adhibenda; ut primis diebus laxior, sensim strictior reddatur, per fasciam autem intelligimus non linteum in plures circulos per abdomen revolvendum sed linteum palmaris altitudinis quadruplicatum abdomen circumdans unâ tantùm revolutione aciculis solummodo firmandum & potissimum circa regionem umbilicalem admovendum ut sic uterus grandior graviditate redditus & umbilicum sua dilatatione excedens ad suam sedem hypogastricam blande reduci queat velut abdomen ad legitimã amplitudinem.

Quod ad deambulationem pertinet, nusquam nisi temerè permittenda venit ante decimum-quartum à partu diem: nam quamvis rusticæ mulieres & aliæ nonnullæ diebus aliquot à partu pedibus suis se committant variaque peragant opificia sine ullâ interdum noxâ, nusquã id tamen trahi debet in exemplum, Medicus debet esse judex severus qui suis fultus præceptis ab eis non debet recedere, propterea quòd quia non religiosè servaverint, perpetuò non læduntur: Sufficit ut una mulier sic lædi possit ad hoc ut nusquam quid simile debeat concedi ab artis perito, at plures novimus quæ citius quam par esset pedibus se committentes in uteri Rheumatismos, inflammationes, abscessus, hydropem incidêre, quod non contingit ubi ex methodo omnia fiunt, hæc itaque à Platero circa regimen puerperarum fuere annotata; sed nonnulla alia sunt ab eo prætermissa, non tamen contemnenda.

Inter illa postremum locum non obtinent enemata quæ in puerperis maximæ semper fuisse utilitatis observata sunt, itaq; rebus bene se habentibus, id est nullis gravioribus, vel torminibus vel doloribus præsentibus ritèque lochiis procedentibus, de istis remediis non cogitandum nisi 24. à partu horis ad minimum elapsis; illa autem sic concinnari solent.

℞. Folior. malv. bismalv. violar. parietar. Mercurial. hord. an. M. ß. Seminis lini p. ij. bulliant in ℔. iij. vel iv. aquæ ad tertiȩ partis consumptionem aut circiter, in colaturæ librâ unâ dissolve mellis nenuphar ini, ℥iij. olei amygdalarum dulcium ℥ij. fiat clyster, qui nullo graviore symptomate urgente semel quibuscunque diebus manè debet injici ad septimum usque à puerperio diem, postmodum verò misso omnis olei usu alternis ad tertiam usque septimanam aut circiter iterari poterit, tum melle omnino despumato in locum mellis nenupharini suffecto, addita interdum uncia semisse electuarii lenitivi, interdũ si flatus adsint eadem quantitate Catholici duplicati cum Rheo. Quod si tormina primis diebus negotium facerent bis de die Clysteres essent injiciendi usque ad 5. aut 7. à partu diem sed ea lege ut in eo qui sub vesperam injiceretur, nullum penitus mel adjiceretur si lochiã profluerent ex debito & si dolorum acerbitas lochiorũ fluxũ cohiberet, tum aliquid mellis esset addendũ & potius Mercurialis quàm alterius hocce modo.

℞. Decocti suprà descripti libr. unam, dissolve mellis mercurialis ℥iv. Olei amygd. dulcium ℥ij. trochiscorum de myrrha ʒß. fiat clyster.

Hæc rebus se debitè habentibus circa clysteres sunt peragenda qui immutari poterunt pro symptomatum supervenientium conditione; sed quià de regimine gravidarum bene se habentium post Platerum hîc solùm agere suscipimus, idcircò de remediis ad morborum supervenientium curam conducentibus disserere supersedemus, nam altioris & longioris indaginis id esset.

Aliud prætermissum à Platero est, observatio scilicet circa lintea uterum obturantia, quæ sæpiùs de die immutanda: ne fœtorem contrahant, & maximè ut illorum auxilio cùm quantitas tum qualitas lochiorum penes odorem & colorem possit examinari; unde intelligitur error Primerosii cap. 8. cap. 1. de Morbis mulierum qui humores ejusmodi fluentes vel spongiâ, vel pulvino sulphure repleto vel mollibus linteis excipiendos consulit; inibi quippe dupliciter peccat, tum quia excipiendos solùm dicit ejusmodi humores nullâ factâ uteri obturatione quàm per crura decussatim disposita faciendam esse malo consilio dicit, tum quia præter lintea spongiam & linteum ex sulphure conducere posse scripsit; quæ tamen nusquam accuratè aut qualitatem aut quantitatem lochiorum designarent. Sola itaque lintea molliora venire debent in usum, ex quibus nulla cum ambiguitate quod percupimus accipere possumus.

Tertium à Platero omissum est lochiorum muliebrium detersio & mundificatio, cùm tamen propter effluvium acriorum humorum per novimestre spatium retentorum, calor quidam insolitus eas partes invadere soleat & cùm propter insignem quam patiuntur dilatationem contusiones, excoriationes & dilacerationes incurrunt, necesse est ut ad meliorem statum reducantur & fieri solet instituta lotione tepidiuscula ejusmodi partium bis, terve, quaterve de die, ea tamen lege ut ista lotio non veniat in usum nisi duabus aut tribus à partu diebus, ne aër externus subeat ejusmodi partes non satis adhuc primis hisce diebus coarctatas & ad se reductas.

℞. Hordei integri nodulo latiore inclusi man. j. Fol. telephii M. ij. bulliant in aquæ communis libris duabus ad medias, ut ex spongia levissima vel ex foliis ipsis telephii fiat fotus, qui tamen ea ratione debet institui ut non sublato operimento manibus in lectum immissis peragatur. Quod si vel excoriationes vel dilacerationes sint nimiæ fotu facto, apponatur illud præsidiũ in unguenti formam redactum & super linteolo extensum.

℞. Olei amygdal. dulcium recenter extracti ℥i. Vitellum ovi recentis, ceræ albæ ʒvi. eliquatâ cerâ misceantur omnia simul & agitentur in unguenti formam, quod si drachma dimidia vel drachma una Terebinthinæ pluries in aqua plantaginis vel solani lotȩ cum ovi vitello prius agitetur, magis proficuum futurum istud præsidium. Nonnulli oleum hyperici anteponunt oleo amygdalarum dulcium, quod non culpamus ubi insignis dilaceratio, sed vulgò magis probatur oleum amygdalinum.

Quartum illud gravissimum à Platero neglectum circa mamas versatur, siluit quippe de modo quo

per totum puerperii tempus sint gubernandæ, ne aut pilare malum, aut abscessus, aut aliud quid simile incurrant propter lactis solitam ad eas confluere copiam; & quia ut plurimum nobis communis mulieribus ratio est qua alienis nutricibus alendos suos fœtus committunt, idcircò quid circa illas sit moliendum ne à lactis copia & concretione vitium patiantur potissimū docere debemus. Varii varia in eam rem comminiscuntur; Suscipiendas nonnulli volunt ex collo quæ intermedium mammarum spatium perreptent æreas catenulas, alii oleum rosatum cum aceto permiscent, atque ex Charta-bibulâ imponunt mammis, alii ex unguento populeo æquis partibus cum cerato Galeni permixto litus instituunt, sed nostro judicio catenulæ istæ inutile sunt præsidium, alia etiam præsidia minus sunt secura, vel eo nomine quòd unaquaque die semel & iterum debeant celebrari, undè aëri externo expositæ mammę majus damnum incurrere possunt. Securiori itaque ratione agetur si paulo ante partum lintea quadruplicata tepidiuscula mammis imponantur, quæ post modum ab illis partibus nusquam removeantur, nisi ubi lac per eas affluens, madefacta ejusmodi lintea cogit immutare, quo in casu alia prius sunt mammis imponenda quàm antiqua removeantur. Eâ autem ratione antiqua debent removeri ut mammæ nusquam aëri externo imponantur, per inferiores ergo partes detrahantur, dum enim mammę aëri externo non patent, vix fit ut in lactis concretionem, aliaque symptomata incurrant, quę potiùs solent contingere ubi juniores puerperę nondum de rebus edoctæ velut voluptarium aliquid, mammas suis fœtibus sugendas exhibent planè nudatas, licet prius monitæ de infausto qui exinde contingere solet, successu.

Quintum & ultimum, nec silendum, potus est, de quo breviter absolvamus, cerevisiam à puerperis ablegamus velut flatulentam, vinum pariter damnamus & omnia illa decocta calidiora ex cinnamomo, coriandro, passulis, glycyrrhiza aut similibus concinnata quę legere licet apud Liebautium, Primerosium & alios. Itaque paretur decoctum sequens vulgarius.

℞. Radicum graminis & altheæ an. ℥ij. bulliant in lib. v. aquæ communis ad quintas, adde glycyrrhizæ quantum volueris, fiat ptisana pro potu ordinanatio, quod si syrupi de capillaribus unciæ duæ cum libris duabus decoctionis hordei etiam ad potum commisceantur & proficua erit ista cautio. Ad potum pariter pertinere posset, non quidem limonata, quæ tormina sua aciditate posset concitare, sed orantiata, si quippe succus unius aut alterius mali orantii cum unciis duabus sacchari in libris 3· vel quatuor aquæ utiliter iste potus exhibebitur, quia pomorum orantii succus lochia ut menses promovere putatur, qui propterea sæpiusculè solitarius jusculis exhibetur.

Hęc præcipua sunt circa regimen puerperarum bene se habentium observanda, ad Plateri textum illustrādum. Jam pergendum nobis est ad explanationem regiminis quod instituendum voluit circa puellulos recens natos, hæc itaque sunt ejus omnia verba quę unâ serie à nobis tradentur, sed quæ per partes postmodum examinabuntur.

„ Fœtum quod attinet mox ille more consueto in „ balneo aquæ tepentis à sordibus adhærescentibus a- „ bluatur, pannisque mollibus leviter abstergatur, la- „ ctis cremore vel butyro oleoque amygdalarum dul- „ cium recenti inungatur, postea fasciis involvatur at- „ que cunis impositus continuò donec dormiat, a- „ gitetur, & ut lactere discat uberibus matris adhibea- „ tur, illud autem postquam à sordibus in primo sui „ balneo abstersus tentare omnium optimè, cùm sic à „ calore balnei sitibundus quasi prodiens mox papil- „ las orę apprehendat & ad sugendum accommodat.

Hæc ille, inter quæ primum illud licet apud Germanos aut Helvetios consuetum sit ut loquitur, apud Nos tamen nusquam in usu est, ut videlicet balneo aquæ tepentis puerorum recens natorum corpora immergantur quo à sordibus possint repurgari, olim quidem in more receptum fuit Galeno referente lib. 1. de sanitate tuenda cap. 1. apud quosdam Germaniæ populos recens natos in flumina demergere, sic enim illorum robur explorandum contendebant, nam si ejusmodi immersionem sine damno sustinuissent, exinde conjiciebāt robusta esse viscera quæ frigiditatem aquæ elusissent imò firmiora evasissent, qua ratione candens ferrum in aquam frigidam demissum durius solet extrahi, hunc morem periculosum esse probavit Galenus eò loci, sed quod balneum aquæ tepentis, non ad roboris explorationem sed ad sordium expurgationem foret conducibile nusquam observavit, certè quicquid aliter sentiant Germani, omnis illa etiam in aquam tepentem immersio tenellulis corporibus videtur esse inimica, tum quod omni tempore partus edatur, etiam per hyemis sævitiem, quo tempore vel majoribus natu infidus est balnei usus, tum quod balneum sæpè fluxiones moveat, sed maximè quod longè securiori ratione sordes ablui possint quàm ista balneatione, fatemur itaque necessariam esse eam sordium detersionem, sed contendimus eam tutiori ratione institui coram igne ex vino rubicundo tepente cui 3. aquæ pars fuerit admixta, & quia sordes majori sunt in copia circa caput, maxillas, idcircò ejusmodi partes accuratiùs sunt fovendæ vel ex panno molli, vel ex spongia vino madidis: Quod si ut sæpè fit sordium ejusmodi crassamentum aliquod firmius adhæreat cuti, tunc vel oleo amygdalarum dulcium, vel butyro recenti diluendum erit, ut linteis mollibus tandem possit omnis impuritas detergeri: Cavendum tamen ab oculis de quibus siluit Platerus, quibus nec vinum, nec butyrum, nec oleum convenit, sed qui solummodo vel linteo molli sicco, vel eâdem aquâ tepente madefacto sunt eluendi; Nonnulli ad totius corporis absterſionem oleum rosaceum & oleum myrtinum adhibent, aut saltem in vino austero rosarum & myrti folia incoquunt, eo consilio ut pori cutis minus aperti maneant cutisque vis astringentibus firmior evadat: Sed quia transpirationi eâ ratione intercipitur aliqua libertas, sufficiat ut sordes extergeantur per ea quæ descripsimus remedia, ne adhibitis adstringentibus pori cutis adversus externas injurias minus quidem pateant, sed totum corpus internis affectionibus magis sit obnoxium.

Addit Platerus lactis cremore vel butyro, vel oleo amygdalarū dulcium recenti, puellulorum esse inungendū corpus post balneationē, quę verba, si ad sordium detersionē prolata sint, inutilia prorsus videntur, nam balneum ad istas sordes eluendas jam consuluit Platerus, ergo isthęc inunctio nullius utilitatis erit.

Fasciarum involutionem equidem commendat Platerus, sed quia de recens nati umbilico siluit, idcirco quid super eo præstandum sit priusquam de fasciis agamus expendendum est;

Statim atque prodiit fœtus in lucem, quia placentę per umbilicum adalligatur, quædam obstetrices antequam placentam & secundinas ex utero detrahant umbilicum esse resecandum volunt, ut postmodum faciliùs, ut putant à secundinis & placenta libertare possint puerperas, sed mos iste nobis non arridet qui putamus de secundinis educendi quàm de umbilico resecando potiorem debere esse curam, hac maximè impulsi ratione quòd metus sit dum in resecando umbilico tempus teritur ne nimiâ morâ interpositâ vel aër externus uteri cavitatem subeat, vel ejus partes angustiores reddātur, unde utrinque periculum immineret. Itaque non prius de resecando umbilico cogitandum quàm puerpera à secundinis fuerit liberata;

Interea

Interea fœtus inter femora matris ejulans supinus est constituendus, ne si pronus esset suffocationis periculum incurreret. Liberatâ itaque muliere à secundinis, fœtus primò involvatur & ad ignem positus ei umbilicus resecetur, hacce ratione ut spatio inter abdomen & ligaturam faciendam crassitudinis pollicis relicto, vinculum admoveatur ex filo crassiore quadruplicato & leviter torto quod prius præsto esse debet magnitudinis pedalis, cujus extrema nodulo contineantur; vinculum autem istud neque adeo arctè stringi debet ut umbilicum dissecare par sit, neque adeò laxum esse ut per vasorum umbilicalium cavitatem aliquid sanguinis fœtus refluere valeat, sed moderatæ debent esse constrictiones, si enim nimia strictura sit, citiùs quàm par esset dissecaretur umbilicus & periculum esset sanguinis effusionis, partibus nondum satis ad se adductis, quod idem periculum sequeretur à vinculo laxiore. Ultra locum vinculi debet etiam ante sectionem umbilici ejus portio altera relinqui altitudinis duorum vel trium digitorum, quę portio intra 4. 5. 6. aut 7. dies propter interceptionem caloris factam à vinculo putrida decidere debet, dum pars altera intra vinculum ad se se adducta formatur in umbilicum vulgo dictum, sed prima ut diximus pars ultra vinculum putrere debet. Inde duo necessariò facienda veniunt, primum ut pannulo residuus umbilicus involvatur, ne pars ea exanguis reddita sua frigiditate fœtum lædat, alvique tormina concitet, alterum ut quatuor digitos latâ fasciâ, abdomen prius linteo munitum constringatur & umbilicus certa in sede permaneat, atque adeo citius quàm decet non decidat, quod forsan contingeret si nulla re firmatus huc & illuc divagaretur.

Accedat tertium, non minus observatu dignum, ut scilicet residuum illud umbilici versus partes superiores adducatur, non versus inferiores, sic enim tanta cum copia sanguis non erumperet si dum flaccescit, sanguinis per illas daretur exitus. Existimant nonnulli in masculis alia ratione umbilicum esse resecandum aliâ in fœmellis, relinquendam scilicet volunt umbilici intra vinculum majorem portionem in masculis, ut penis, ut inquiunt, grandior evadat, minorem in fœminis ut altiorem sedem obtineat uterus, illique cervix fiat strictior. Sed hanc observationem refutat Anatomia, quia nullum admittit consensum vel penis vel uteri cum umbilico, fœtus enim omnis umbilicalium partium consensio est cum vesicâ ratione urachi qui suspendit vesicam, non verò cum utero aut cum pene. Error itaque unus fit: aliis verò pariter annotandus, quem vulgò mulierculæ committunt, quæ ubi fœtus est debilior consulunt sanguinem in toto umbilico contentum, esse ad interiores partes propellendum, fœtus ea sanguinis accessione roborandi gratia; sed quia iste sanguis sua frigiditate suaque, propter aëris externi appulsum, velut concretione & congelatione utilis esse non potest; idcircò prohibendum ne quid simile ab ignavis mulierculis præstetur cum plurimo fœtus damno. Hæc de umbilico.

Ubi ergo umbilicus fuerit ex arte dissectus jam fœtus est involvendus fasciis, ad majorem tamen securitatem omnes partes sint ut decet patentes & liberæ; explorandum os, nares, aures & potissimum urinæ canalis & podex: sæpè quippè fit ut iis partibus membrana præter naturam obtendatur quæ scalpello est aperienda, meatusque patens relinquendus admotis mollibus linamentis, nec difficile erit de urinæ ductu & de podice judicium ferre, cùm statim à natalibus urinas reddere debeat fœtus & nigrum illud recrementum, quod papaver seu meconium appellatur. An itaque ejusmodi viæ à partu perforatæ sint ac bene conformatæ expendendum, antequam fasciis fœtus involvatur, cùm non paucos liquerit observare imperforatos in lucem prodiisse, quibus mors succedit ineluctabilis, nisi factâ operatione Chirurgica. Præterea ante fasciarum admotionem de Capitis conformatione cogitandum est, atque examinandum an aliqua contusione non sit affectum, interdum quippe ita premitur inter exeundum caput fœtus ut ejus parietes, pro ea qua tunc donantur mollitie comprimantur, atque adeo caput non longam & rotundam figuram sed vitiatam & ex longitudine compressam obtineat. Quod ut fiat manu obstetricis corrigenda ejusmodi figura & ad naturalem reducenda, quia suturæ tunc sunt molles ac proinde facili negotio suum locum pares sunt immutare & ad situm legitimum reduci; Quod si contusum sit caput, uti sæpè contingit, ubi potissimum in primo partu angustiores sunt partes, in eadem sede oleo hyperici æquis partibus cum spiritu vini permixto tepidè foveri potest ter aut quater quoque die: Iis itaque prius sic observatis fasciis est involvendus infans, circa quas id solummodo ad Medicum spectare videtur ut moneat obstetricem aut clinicam vel nutricem, Primò sinciput fœtus quadruplicato panno molli esse muniendum, cùm ejusmodi pars adhuc mollis eo debeat defendi munimento adversus frigus externum. Secundò aures, axillas & inguina pannulis debere muniri, quo exeuntes sordes absorbeantur facilius. Ad fascias autèquod spectat, pectus primò liberum est relinquendum, ut omnis sit inter respirandum libertas, cùm liquerit quosdam observasse à nimia fasciarum circa pectus constrictione suffocatos; Secundò ventriculi regio pariter sit libera, ne dum lac sugitur impar sit extendi, unde lactis ejectio consequetur; Demùm quod æqualiter totum corpus fasciis contineatur, maximè verò crura & tibiæ ita æqualiter extendantur ut in debita figura possint permanere.

Observandum est insuper brachia secundùm longitudinem corporis extensa à corpore, femora & tibias à sese, interposito linteo molli, debere distingui; ne mollities corporis attritus aut excoriationes perpetuas patiatur; cœtera mulieribus permittantur quarum illud interest potius quam Medici. Deductis bellè fasciis de cunis cogitandum, sed observat Platerus cunis fœtum impositum, continuò donec dormiat agitandum, qui certè mos vitiosus omninò est neque in quantum fieri potest tolerandus: Duo itaque se offerunt examinanda, primùm qua ratione cunis imponi debeat fœtus, alterum an cunis impositus perpetuò donec dormiat sit agitandus? Ad primũ dicimus non supinum sed ad latus alterutrum leviter inflexum fœtum esse constituendũ quia si supinus esset ne à viscida pituita in ventriculo partibusque viciniis cumulata suffocaretur periculum esset. Ut ergò pituitosis liberior decubitus in utrumque latus præferendus; Id præterea annotandum, cavendum esse nutrices cunis omissis in eodem in quo decumbunt lecto, fœtus constituant quò faciliùs mammas eis admovere per noctem possint. Sæpè quippè factum fuit ut dum in eodem lecto ubera admovent puellulis, somno oppressæ eos suffocaverint, scilicet mammis inscienter & mala ratione dispositis; Idcircò lectulus ille peculiaris sternendus lodicibus & pulvinis ut decet munitus, qui cunæ vel cunabula appellantur ἀπὸ τ͂ κύειν, quod in illo κύος seu κύημα hoc est partus seu fœtus reponi soleat; Annotandum insuper cunas ita debere in cubiculo constitui ut ad eas fenestrarum lumen rectà pertineat, ne dum lumen obliqua ratione oculos infantum verberat, strabismus seu oculorum distortio exciterur: Ad alterum autem quod spectat, videtur perpetuo in usu fuisse cunarum motitatio vel ex Galeni loco ubi de Elephanto agit nutricis munia obeunte, atque ubi inter alia narrat quomòdo plorante infante etiam cunas motitarit suâ proboscide quo is sopiretur, unde & forsan cunæ ἀπὸ τ͂ κινεῖν à moven-

vendo deductæ, qua ratione ab insulando insula dicta, ut notat Vossius in Etymologico. Verùm enim verò si usu recepta fuit ista cunarum motitatio etiam juxta Galenum lib. 1. de sanitate tuendâ, ea solummodo ad fœtum sopiendum fuit instituta, si itaque possimus obtinere ut infantes absque motitatione somnum capere possint, non levis exinde sequeretur utilitas, quia dum nutrices molestâ consuetudine cunis motitandis operam dant, per noctem somnum capere non possunt, unde lac illarum calidius multò redditur, à quo postmodum maximè læduntur infantes, non ergo bene consultum à Platero qui statim à fasciis continuè donec dormiat agitandum esse fœtum monet, cùm apud nos iste motus somni non accedentis remedium esse soleat post Galenum, debeamusque priùs experiri an somno sine motitatione indulgere possint infantes quàm illicò de illa cogitare, quæ si omnino non admitteretur res infantium feliciùs succederet.

Tandem adjicit Platerus infantem ut lactere discat uberibus matris esse admovendum, illudque faciendum vult statim a Balneo à quo sitibundus solet exire, in quibus verbis, primum illud annotandum à Balneo non esse admovendum uberibus matris infantem, cùm nullum admittimus balnei usum. Secundùm malè Platerum dixisse uberibus matris esse admovendum infantem ut lactere discat, habet quippe illud documentum à natura ipsa, quæ pueros sugere lac à mammis docet; Sed an uberibus matris, quod voluit Platerus, an uberibus nutricis admovendus sit inquirendum. Observandum tamen est priùs nescio quoddam phlegma viscidius ventriculi fœtus parietibus adhærescere, quod sit educendum quàm lac ingeratur, quod quidem faciliori fiet opera si vini tantilla potio saccharo medicata, putà drachma una sacchari pro unciis duabus vini, ex digito sugenda vel ex cochleari sorbenda ei exhibeatur, oleum amygdalarum dulciũ etiam saccharo medicatum.

℞. Olei amygdalarum dulcium & sine igne extracti ℥j. Sacchari candi. ℥ii. Misce ad usum vel digito vel ex cochleari, ut dictum est; Quorum vicem subire potest, syrupus violaceus ad unciam unam cum uncia semisse olei amygdalarum dulcium permixtus ad eundem usum, his per solidum diem utatur infans recens natus, donec præsto sit nutrix & omnem sputando rejecerit pituitam, nec enim aut mel aut butyrum in eam rem probamus. At quæritur an tunc de cassiæ medulla vel de mannæ decocto tutiùs sit cogitare: quicquid alii aliter sentiant, nos à catharticis istis abstinendum existimamus rebus rectè compositis, at morbo aliquo postulante pro rerum momento consilium est capiendum. Elapso tempore designato & magna pituitæ portione repurgata, lacti infans committendus, an materno, an alieno quæstio instituitur, quam ut brevi dissolvamus, dicimus optandum esse ut omnes ex æquo matres forent pares alendis fœtibus, cùm plurimas liceat observare inidoneas huic operi propter pectoris, pulmonisque intemperiem fervidiorem, quam vulgò imbecillitatem vocant, aut propter Viscerum nutritiorum pravam dispositionem. Insuper dicimus vel matres alendis fœtibus idoneas 8. solummodo diebus à partu Mammas eis præbere non debere, quoniã id quod primis diebus erumpit ex mammis lac convenientibus dotibus destitutum, infantem potius lædere quàm nutrire potest, ut pote quod sua tenuitate seu potiùs aquositate & alvum solvere & in eo tormina excitare par sit; Demùm quia non paucæ plantæ alieno solo traditæ feliciùs luxuriant suamque (quod de malis Persicis dictum) deponunt malignitatem, & quia vel ferocia animalia mitioris animalis lacte mitescunt, ita & pluries liquit observasse alienam nutricem alterius quàm matris sit temperamenti, suo lacte emendasse in visceribus matris contractam in fœtu intemperiem. Id licet Gellius cap. 1. lib. decimo noctium Atticarum culpaverit licetque major multa convenientia alimenti extra uterum à matre suffecti cum alimento ab eadem suppeditato intra uterum, quia tamen non levia exinde emergunt incommoda, quibus sustinendis melioris sortis mulieres non sunt pares, & quia alienas nutrices non difficile est invenire bonâ valetudine, laudabilibusque dotibus institutas, idcircò satius duximus alieno quàm materno lacte fœtus nutriendos exhibere, neque enim Vitellii Imperatoris crudelitatem vel Caligulę ebrietatem post Suetonium, nutricibus alienis tribuendum putamus, aut si nutricibus, illud imputandum intemperatis quas à fœtus nutricatu prorsus arcendas existimamus, nec meliùs valet quod super ea re Joubertus refert, nisi ad suæ ipsius fœminæ encomium quam quatuordecim, ni fallor, puellulos nutrisse venditat, quod nusquam in exemplum sumi debet à prædivitibus mulieribus.

Reliqua Plateri verba quę hortantur ut puellulæ à balneo sitibundo potiùs mammę admoveatur inutilia prorsus sunt, cùm balneum ipsum nullius apud nos sit utilitatis, itaque hęc super puerperæ infantisque recens nati regimine ex Plateri textu licuit annotasse, quibus plura licuisset adjicere, si ut de regimine puerperę bene se habentis & pueri recens nati in bona valetudine constituti, ita de morbis illorum disserere animus fuisset.

De Lochiorum retentione cum urinæ suppressione & doloribus post partum.

Mulier partu laborioso, in quo ab obstetrice ruditer tractata, filium enititur, quem difficilis & tarda secundinarum earumque frustulatim discerptarum exclusio sequitur. Hinc lecto imposita altero mane graves abdominis lancinantes, & ad pubem usque protensos dolores patitur, repetitis vicibus recurrentes, similes partus doloribus. Dolet simul acerbissimè circa pubis regionem, ita ut præ dolore tantùm non ejulare conatur. Lochia parcè fluunt, similia loturæ carniũ, eaque pauca, urina difficulter redditur, & tandem penitus supprimi videtur, Ponderis sensum in regione abdominis hypogastrica intrinsecùs sentit, versus genitalia prementis. Tertiâ denique die vocatur Medicus, qui ægram præter enarrata frigidiusculè circa extrema, ac frontem sudantem cum singultu offendit, simulque pulsum celerem, frequentem magnitudine & vehementiâ moderatum, durum nonnihil deprehendit. Adstantes flagitant curam.

Resolutio, Affectus est complicatus, consistens primariò in lochiorum retentione, secundariò in suppressione urinæ & doloribus post partum.

Pars affecta, Uterus, hinc vesica & partes membranosæ vicinæ.

Causa proxima, grumi sanguinis, à quibus irritatur uterus, unde dolores spasmodici, quales sub partus tempore adsunt; ab iisdem grumis ponderis sensus in regione hypogastrica.

Causa remota, aër frigidus sub partu laborioso, & tardiore secundinarum exclusione admissus, qui puerperis sicut & potus frigidus, perniciosissimus, ita hic grumescentiam sanguinis introduxit, & consequenter lochiorum suppressionem. Quod effluit, est saltem serum, à sanguine grumescente separatum, & pauxillo sanguine tinctum, hinc loturam carnis refert.

Urinę suppressio est à læsione genitaliũ circa collũ vesicę, quę imperita obstetricis manu duriùs tractata tumescunt, quę tumorẽ occursus aëris frigidi auxit; sępè collũ vesicæ planè laceratur, undè urinæ stillicidium planè incurabile.

Frustula

Frustula secundinæ retentæ potius hæmorragiam quàm suppressionem lochiorum inducunt. Sicut etiam mola retenta, fœtus mortuus, debilis, ad copiosum sanguinis fluxum disponunt.

Sæpè à frigore suscepto, vel potu frigido hausto abdomen à partu tumidum manet, vix nisi maturè, vel novo partu curabile.

Metus est, ne lochiorũ suppressioni febris acuta, urinæ retentioni graviora symptomata superveniant.

Excretio loturę carnium similis innuit orificium apertum adhuc: dolor, spirituum motum ad uterum, mollientem excretionem arguit: neutrum malum.

In cura. (1) Lochiorum fluxus promovendus stimulantibus, & aromaticis, grumos resolventibus. Solis æstimulantibus nihil obtinebis, quàm ut dolores intendas, excellunt Myrrha, crocus, borax in aqua cinnamomi. Item pro grumis resolvendis, lapis cancror, propter vim traumaticam, decoctum artemisiæ in cerevisia addito croco, tinctura antimonii ex scoriis reguli ad ʒß. egregia.

Externè suffitus ex colocynthide, vel scoriis reguli antimonii, vel urina putrefacta, quæ leni calore sal volatile acerrimum emittit, per infundibulum excipiendum in lochiis & mensibus suppressis. Si ægra habitior, & metus febris ardentis urget. Vena secanda in pede.

Puerperæ nostræ ad lochiorum fluxum promovendum, dedi.

℞. Borracis venet. ʒß. myrrh. gr. xvii. croc. ℈ß. M. Pro 2. dosibus; primam dosin sumpsit mane, alterâ evomuit, unde præscripsi.

℞. Sal. Card. bened. artem. an. ℈ß. Borrac. venet. ℈ß. M. Pro. 2. dosibus, à prima dosi sub vesperam sumpta sat commodè fluxere lochia, in sequente manè penitus supprimuntur cum ventris tumore, ineffabili dolore, sudoribus frigidis, unde cùm sanguinis grumos suspicarer.

℞. Aq. Chærefol. matricar. an. ℥iß. Aceti vini acerrim. ʒvi. lapid. cancr. præp. ʒj. Myrrh. gr. xv. syrup. artem. ʒvi. laud. opiat. gr. iß. M. capiat probè agitatum saltem cochlear. hinc sequentes sacculos calidè simul abdomini applicandos præscripsi.

℞. Herb. absinth. chamom. an. M. iij. Matricar. M. ij. rad. angel. ℥ ij. semin. 4. calid. major. an. ʒij. baccar. junip. ℥ß. concisis & contusis includantur sacculis duobus, repetitis vicibus applicandis.

A mixtura prędicta sanguis dissolutus fuit & evacuatus, cujus usum etiam in casu ab alto, lochiis à partu restitantibus, & læsionibus uteri consolidandis multiplici experientia confirmatus recommendo.

(2) Urinę excretio promovenda leniter stimulantibus, potissimùm lapid. cancr, ęgræ dictæ sequens applicatum fuit.

℞. Herb. parietar. M. ij. chærefol. M. i ß. incisa coq. ad Consistentiam pult. adde butyr. recent. non salit. ℥ij. ol. scorpion. ʒiij. terebinth. destill. ʒiß. M. f. cataplasm. calidè applicandum pectini.

(3) Doloribus urgentibus providè obviandum, commendo decoctum chamom. vulg. cum cortic: aurant. (quamvis sit nauseosum) additâ ad stimulandum myrrhâ & artemisiâ, externè sacculi calidi imponantur, illico priùs hypogastrio oleo destillato succini & juniperi.

(4) Virium prostrationi succurrendum, quod fit, absente febre spirituosis, aqua cinnamom. vino generoso, cujus odor & potus egregius ad refocillationem, tinctura corall. cum spiritu cornu cervi. *Michaël Ettmullerus in Collegiô Consultatoriô.*]

De Lochiis per alvum expurgatis.

Lochiorum post partum expurgatio copiosior nonnunquam est justo, parcior nonnunquam, interdum planè intercepta. Pro diminuto vel cessante fluxu lubrica alvus confert, cujus rei causam non raro admiratus sum: novi puerperas quibus nulla lochia post partum successerunt, magno vitę discrimine: injecto verò clystere simplici, alvoque soluta convaluerunt, quibus diarrhœa loco sanguinei purgamenti fuit saluti: quum uxor mea charissima fœliciter filiolum meum Casparum enixa esset, parcissimè præter morem lochia fluxerunt, sed continua ferè aliquot dierum diarrhæa sine ulla virium jactura purgata fuit. Dubitavi per quas vias retracta sit materia ad intestina; longæ vię sunt, nec hic per alvum cruor decurrit: igitur verò mihi fit simile per alvum revelli & evacuari serum quo alioqui diluitur sanguis & impregnatur ad venas uteri patentes deducendus. *Thom. Bartholinus. Histor. 19. cent. 2.*

Pro Lochiorum fluxu immodico

Mulier quædam post abortum à sanguinis fluxu immodico summam patiebatur virium dejectionem, illi præscribo frictiones & ligaturas partium superiorum, cucurbitulas sub mammis, epithemata & pullos columbinos, fotus manuum cum vino calente, in quo confectio alkerm. dissoluta sit, & sequentem potionem.

℞. Aq. plantag. naph. & ros. an ℥i. syr. corall. ℥i. sal. prunell. ʒi. sang. drach. ℈ß. M. F. potio, quæ statim fuit exhibita, antequam reliqua remedia fierent, & intra horæ quadrantem dolores ventris & lumborum quieverunt, & fluxus imminutus est, ut aliis remediis non indiguerit. *Lazarus Riverius. obs. 96. cent. 1.*

Curatio fluxus sanguinis immodici in illius cohibitione tota versatur: summa tamen cautio adhibenda est, ne quod per hujusmodi purgamenta excerni consuevit, intus retineatur, & gravissimorum affectuum causa evadat. Ideo si affectus non vehementer urgeat, à levioribus incipiendum erit, ad potentiora, si opus fuerit, sensim progrediendo; ac primùm sanguinis impetus cohibendus est alimentis incrassantibus, ut panatellis, gelatinis, oryza, amylo, cùm jusculis pedum vituli, pyris, cydon. coctis, carnib. assis succo, granatorum aspersis. Cibus paulò copiosior exhibeatur, non tamen una vice; sed potiùs frequenter, cum modo calor & spiritus, qui expulsionem in utero adjuvant, ab utero ad ventriculum avocetur, vires instaurentur. Vitelli ovorum huic conveniunt: nam & facilè coquuntur, & calorem ad ventriculum avocant: potus sit aqua ferrata, vel extinctionis auri, vel in qua parum mastiches bullierit, venter fasciâ mediocriter constringantur: quia hoc modo comprimuntur vasa & fluxus immodicus impeditur, lumbis admoveantur lintea oxycrato madefacta: si diutius duret fluxio, pulvis vel opiata ad plures doses præscribi potest in hunc modum.

℞. Lapid. hęmatit. ℈iv. pulv. bol. arm. corall. rubr. margar. præp. an. ʒi. sem. plantag. coriandr. præp. & gran. sumach. an. ℈ii. M. F. pulvis tenuissimus, de quo capiat ʒi. cum decocto centinodiæ & syr. cydoniorum.

℞. Conserv. ros. rad. symphyt. an. ℥j. bol. arm. troch. de carabe, & corall. an. ʒi. cum syr. corall. vel de ros. sicc. F. opiata de qua capiat ad magnitudinem castaneæ, superbibendo parùm aquæ potus ordinarii.

Exterius verò fotus & unguenta utiliter admovebuntur in hunc modum.

℞. Summitat. lentisc. rubr. plantag. cupress. olivæ, polygoni, an. M. j. rosar. rubr. p. ii. granor. myrti ℥iß. nuc. cupress. numero vi. cortic. granat. p. ii. coq. in aq. chalybeata & vino rubro adstringente, & colatura foveantur partes muliebres valde tepidè & ferè subfrigide.

℞. Unguenti comitiss. ℥ii. succ. plantagin. ℥ i. agiten-

agitentur simul, & fiat linimentum, applicandum post fotum.

Injectio in uterum etiam potest fieri ex succo plantag. à Galeno laudato, vel decocto fotus prædicti.

Reliquis remediis non conferentibus, venæsectio in cubito præsentaneum est remedium, si paulatim & per quædam intervalla sanguis educatur; sic enim multas deploratas convaluisse experientia docuit.

De somno peculiariter hîc annotandum, dum sanguis copiosè effluit, eum esse penitus arcendum, multæ enim ex eo de medio tolluntur, quia calor ad interiora retractus majorem fluxum efficit: & si aliquando is concedendus sit, aliquis ex ministris semper adesse debet, qui ægrotantis pulsum & respirationem observet. *Lazarus Riverius. prax. medic. lib.* 15. *cap.* 21.

Pro Lochiis suppressis

In puerpera lochiis suppressis laborante recte usus sum hoc decocto.

℞. Hord. mund. M. j. liquir. ras. ℥ß. schænanth. ʒiß. coq. in aq. pro ℔i. id quidem vel in febre non obest, & simul purgationes sopitas aperit, debilioribus ʒi. schœnanth. in jure pulli bullire jubeo: hoc enim modo Florentiola medicus Bononiensis utebatur: valet & jus cicerum. Mulieres Bononienses dant jus columbæ in quo bullierit ischænanthum ad purgationes promovendas; estque remedium Nicolai, at in robustioribus puerperis, si menses diu retineantur, vena tali incidenda, ut in quadam cum maximo successu fecimus, menstrua purgatione subsequente: etiam sumendo ʒi. pulv. dominarum cum aq. artemis. *Petrus Forestus obs.* 82. *lib.* 28. *De morbis mulierum.*

Hunc potum sibi reddat familiarem aliàs à me expertum.

℞. Fl. chamœm. M. jß. pulv. cortic. arant. sicc. ʒj. coq. in s. q. cerevis. cujus colaturæ sacch. finiss. parum misceri potest: ab eo aliquoties assumpto meliùs habuit, *Jo. Petrus Lotichius. obs.* 21. *cap.* 1. *lib.* 5.

Purgatio convenire potest septem vel novem diebus à partu, ex infus. rhei, agar. aut senæ; vel cum jusculo laxante ex herbis ac rad. aperient. cum sena parato; vel cum mannæ ℥iß. in jusculo dissolutæ. *Lazarus Riverius, prax. med. lib.* 15. *cap.* 22.

Nobilis mulier pudicitiam suam prostituerat, uteroque conceperat, conceptus ferè trimestris. Cùm de ea re nulli suboleret, fortè cum joco multa faceret patereturque, in vicinum lectum conjicitur, in ejus ventrem incidit juvenis, qui impetu lapsus, & sua ipse mole opprimens, tantam utero vim intulit, ut illisus fuerit fœtus: ingens copia sanguinis fluit. Qui aderant nil tale de conceptu cogitabant. Advocatus medicus, de amissa pudicitia ne cogitare ausus, totum id ad pressum istum referebat, ideò rogatus ut omni ratione sanguinem cohiberet, & supprimentia, & sectionem venę recens enixæ adhibuit. Sequenti die rheum præscribuit, nihil inde alienum consecutum, an urgente necessitate recens enixas ad solennia remedia adigere audebis. *Guill. Ballonius lib.* 1. *Epid. & Ephem. pag.* 53.

Lochiorum fluxus nimius usu Lapidis Hæmatitis cohibitus, manu detenti.

Fœmina Limburgi ad Lhanam nimio Lochiorum fluxu laborabat; multa nec non optima remedia frustra adhibuit, tandem ex consilio fœminæ cujusdam lapidem Hæmatitem manu tenebat, Quid fit? illico fluxus sistitur. *D. Joh. Dolæi.*

Lochia aquosa.

Uxor cujusdam Mercatoris expletis Mensibus absque laborioso nixus puerperio, natura ipsa obstetricante partum absolvebat. Circa fœtus exclusionem mirum & insolitum quid contigit: Conficiebatur enim absque ulla sanguinis profusione, cujus ne guttula in conspectum venit, sed loco ipsius lympha viridis non absimilis solutioni vitrioli commun. cum aqua simplici factæ, præter propter pondere 20. librarum lochia constituebat. Aqua erat limpida, dulcis, omnis acrimoniæ expers, duravitque ejus fluxus integrum mensem satis copiosus absque ullius sanguinis vestigio: Neque puerpera hinc male habebat: sed uti feliciter enixa erat, ita reliquo tempore puerperii, absque multis torminibus aliisque incommodis traducto, in hunc usque diem vivit sana optimaque utitur valetudine. Notandum, quod secundinæ, quanquam dilaceratæ & cultelli acie multoties discissæ nihil sanguinis, sed similem liquorem limpidum & aquosum profuderint. Hasce ob causas fœtus non est exclusus justo infirmior, sed uti integris viribus mundum intravit, ita iisdem adhuc absque ullo sanitatis vitio bene fruitur. Hinc evidenter apparet, quàm lubrica sit illorum opinio, qui sustinere conantur, lochia esse residuam sanguinis partem pro nutritione & augmento fœtus ad uterum delatâ.

Scholium.) Cùm humorem fœtus nutritium à matre suppeditatum non purpureum illum esse, sanguinis nomine propriè venientem, compertum sit, verùm albicantem aliquem & serosum, similem seri evacuationem ex oscillis uterinis hîc contigisse; & cùm sanguis puerperis à partu recenter exstillans non aliam originem agnoscat, quam vasorum sanguineorum, in uteri substantia radices agentium, à prægresso enitendi conatu, sive uteri forti commotione, & hinc subsequente placentæ separatione violentam reserationem, in hoc autem casu absque laborioso nixu puerperium successerit, & ita oscula vasorum sanguifluorum non dilacerata fuerint, poculos istos, qui liquorem nutritium graviditatis tempore ex arteriis uterinis in placentam derivaverant, ulteriorem saltem seri istius à sanguine separati fluxum concessisse, crassioribus autem cruoris particulis exitum denegasse, foret credibile, nisi & ipsa placenta discissa, sanguinis loco, similem aquosum liquorem suppeditasset; Unde potius in hoc subjecto ipsi sanguini tincturam purpuream omnino defuisse dicendum erit. Qualem rubedine destitutum sanguinem in aliis quoque fuisse deprehensum novimus, exempla promentibus Joh. Rhodio cent. 1. observ. 56. cent. 3. obs. 72. Petr. Borello cent. 1. hist. 25. Thom. Willisio de febrib. cap. 1. Henr. Oldenburgio Act. philosoph. Angl. Num. 6. §. 4. 10. & Num. 8. §. 8. Ephemeridibus Nat. Cur. Ann. 2. observ. 210. & Ann. 3. obs. 123. &c. Quæ tamen dum vel recenter è cibo comesto prolectum, & nondum cum sanguine intimius permistum chylum proponunt, vel saltem sanguinem illum in cachecticorum, febricitantium, aut alio morbo laborantium corpore exstitisse innuunt, quid hîc decernere liceat, haud video. Chylum enim non fuisse, nec puerperæ fœtusque sanitatem admodū laborasse, ipsa historia loquitur. Sanguinis equidem in genere considerati essentiam in purpura non consistere, vel Hippocrates lib. de glandulis testis est, illud album, quod ex glandulis dissectis erumpit, sanguinis nomine dignatus, per hunc ipsum tamen sanguinem album nil nisi serum intellexisse, Hier. Barbatus tr. de sang. & ejus sero benè interpretatur, utpote cujus seri quoddam quasi promptuarium sunt glandulę; idipsum vero ita solitarium in humano corpore pro sanguine vitali & sano nemo facilè agnoverit. Licet enim imperfectiorum quorundam animalium, uti cochlearum (vid. Exc. D. Joh. Jac. Harderi examen anat. cochl. terr.) liquo-

liquorem vitalem albicare certum sit, in homine tamen similis ubi occurrit, aliquid præternaturale, & ita morbosum, à quacunque demum causa, sulphur sanguinis rubicundum subjugante, ortum habuerit, evincit *D. Joh. Petri Albrechti.*

Lochiorum Suppressio.

Autumni frigidi injurias experta puerpera Hafniensis, non satis forsan cautè se in actu hoc gerens, nec fortuna satis lauta id concedente, post partum cæteris benè ex voto fluentibus, lochiorum suppressionem passa est. Quid inde? id certè rarum non est. Sed inter raros casus referendum quod huic accidit. Totum enim corpus tuberculis hinc inde obsitum fuit & defœdatum raro spectaculo, incaluitque à sanguine restitante, sive ab uteri vasorum obstructione, sive sanguinis crassitie. Vasorum obstructio impedire potuit sanguinis aliàs ex reliquo corpore, ubi gestationis tempore retentus fuerat, nec expurgatus menstruis purgationibus, excernendi cursum, unde ille in tubercula congestus. Consultus sectionem Saphenæ suasi, & pellentia interna, sed moderate sumenda. Memini in alia puerpera parciorem lochiorum fluxum, alvi liberaliori obsequio compensatum. *D. Thomæ Bartholini.*

Lochiorum Fluxus per Nares.

Muliebria purgamenta (sive menstrualia sive puerperialia fuerint) non subsistere utile, prædixit Hippocrates in 522â Coacâ, quod in præced. 516â sic explicuit: Quæ ex partu & abortu copiosè, celeriter, cum impetu ferri, i. e. fluere solent, si subsistunt, molestiam exhibent, quæ molestia consistit in rigore, præcordiorum dolore, è quibus (uti habet prædictio Coaca 522.) comitiales morbi oriuntur, nisi videlicet postmodum decenter fluant.

Veritatem harum prædictionum proprio q. cotio stabilivit Lipsiæ Mens. Jul. Anno 1670. paupercula quædam meretrix, Dessâvia Anhaltina, hæc fætum furto conceptum, depositura, cogebatur ob fortunam summe tenuem sub Dio Lucinam vocare, quæ ipsi quoque optatas tulit suppetias, filium optimè formatum in lucem mittendo. Ast, dum enititur, ob externum, eumque udum aërem (qui in canicularibus quoque utero infensus) Lochia retinebantur, quo facto, Symptomata ex supra citatis prædictionibus coacis, ipsam miserculam statim invadebant: Interim providentiâ magistratus oppidani in Nosocomium, in quo cum de Lochiis suppressis conquereretur, atque meo consilio uteretur, statim curationem direxi eo ut Lochiorum fluxus via ordinaria promoveretur, ad hunc scopum facientibus medicamentis: Verùm irrito omnia conatu: Die tertia post partum, circa medium noctis, incipiebant Lochia erumpere per largissimam hæmorrhagiam narium, quæ duravit usque ad meridiem diei quartæ, quo fluxu etiam perfectè purgata atque restituta fuit citra aliorum medicamentorum usum. *D. Pauli Ammanni.*

Secundina in utero retenta.

Anno 1667. Furstenvvaldiæ ædes locaram paternas cuidam Bibliopego, cui nomen Michaël Koch: ejus uxor 30. annorum, nomine Anna Schachin, Züllichia oriunda peperit filium, sed mortuum. Provida obstetrix cùm sentiret secundinas, quas avellere non poterat, utero esse accretas, umbilici partem ex utero propendentem filo robustiore confirmatam femori alligavit, ut eo indies secundinarum solutionem citra detrimentum uxoris tentare posset. At frustra hoc genus remedii adhibitum fuit; etenim pars umbilici extra uterum citò putredine absumebatur, secundina in utero firmiter remanente. Cùm autem mulieri propterea nullum gravius symptoma accideret, & medicamenta aversaretur, nulla ei fuerunt adhibita remedia, obiitque mulier sua munera in ædibus sana per annum integrum cum dimidio, quo transacto tempore secundinam aridæ instar pellis sponte excidisse eadem jurato affimabat. Concipere verò non poterat per id tempus, quo secundina in utero hæsit. Altera vice impregnatæ mulieri eadem acciderunt, quæ jam de ipsius partu & secundina per unum & dimidium annum in utero retenta enumerata sunt. Tertia autem vice cùm in partu ipsi similiter non possent ab utero solvi secundinæ, mulier cum infante suo in ipso partu mortua est. Rarus mihi hic casus videtur, & notatu dignus, cui fidem vix adhibuissem, nisi meâ is constaret experientiâ, & conjuges prædictos ipse in ædibus aluissem. Docemur hoc casu, nostri esse officii, jubere Obstetrices in similibus casibus, ubi secundinæ sponte non excidunt, nec facilè ab utero separantur, ut eas ab utero vi summa minimè dissolvant, aut accretas suis unguiculis, ad id opus acumitatis, felium instar scalpendo dilacerent & sic violentia quadam eas extrahendo præsentaneam mortem accelerent, quod equidem sæpiùs à me & aliis in Praxi Medica observatum est.

Scholium.) Quamvis secundinæ retentæ magnum ut plurimùm minentur periculum, aut ipsam etiam mortem accelerent, nonnunquam tamen absque singulari incommodo easdem in utero diu restitate novimus. Id verò perrarum est; qualia, præter hîc allatum rarissimum, exempla tum in Ann. 3. Ephem. N. C. obs. 117. tum in Actis Medd. Hafn. Barth. Vol. 2. obs. 22. apud Theod. Kerckringium obs. anat. 30. & Laz. Riverium cent. 2. observ. 3. occurrunt. Idque fortassis accidit, corpore illo arctius utero etiam post partum adhærente, eique per humoris ex utero in illud instillantis glutinositatem quasi adcreto, humidis autem secundinæ particulis sensim dein evacuatis aut evaporantibus; vel etiam uteri osculo post partum arctius occluso aëris corruptionem minantis, adpulsum inhibente. Qua ratione autem tardior illa post partum secundinarum ab utero separatio provide sit promovenda, (ne, quod Hippocrates lib. de superfœtat. habet, violenter detractæ inflammationem excitent) præ aliis eleganter edocuit Franc. Mauriceau de Morb. mul. lib. 2. cap. 9. & 13. *D. Christiani Menzelii.*

Secundinarum post laboriosum partum ultra sesquimensem retentarum frustillatim facta exclusio

Civis apud nos uxor, aliquantum corpulenta, staturæ propemodum mediocris, temperamenti sanguineo-phlegmatici, annorum 42. mater tredecim liberorum, jamque quarta & decima vice utero gerens, anno 1682. D. 30. Nov. post laboriosum non in sedili, sed in lecto inopinato enixum partum, quo integrum biduum transegit, non subsequentibus secundinis, ex earum retentione periculosè laborare cœpit. Paulo enim pòst præcordiorum ingruit anxietas, vires decidere, venter intumuit, dolor in inguine & infra sinistrum cruciavit hypochondrium. Interea, excluso fœtu, haud mora adhibuimus omnis penè gegeneris remedia secundinas expellere apta aliàs nata, qualia sunt:

℞. Pul. adpart. valid. ℈ß. ægagropil. testicul. equin. præpar. an. gran. v. M. D. pro unâ dosi.

℞. Ol. succin. dest. sabin. dest. an. gutt. v. Sacch. alb.

alb. ℥ß. fal. volatil. fuccin. gr. vii. Aq. artemif. melifl. an. ℥j. M. D. pro una dofi.

℞. Sem. melon. exc. Nucl. perfic. an. ʒj. Aq. artemif. Aq. puleg. calcatripp. meliff. an. ℥j. F. l. a. Emulf. add. Ocul. cancr. præpar. fuccin. alb. præpar. an. ℈ß. borac. Venet. fol. Margarit. an. gr. v. Man. Chrift. perlat. ℈ij. Aq. cinnamom. flor. cordial. ʒvi. M. D. pro aliquot dofibus.

℞. Mag. fuccin. ʒß. Sol. ocul. cancr. tefticul. equin. præpar. an. ℈j. borrac. Venet. diagryd. fulphurat. fal. fuccin. volatil. an. ℈ß. aq. confolid. regal. artemif. meliff. flor. cheir. an. ℥j. cinamom. opt. ℥ß. Man. Chrift. perlat. ʒj. M. D. pro aliquot dofibus.

℞. Aq. artemif. puleg. meliff. an. ℥ß. Pulv. ad dyftociam Auguft. ʒß. borrac. Venet. ftamin. lil. alb. an. ℈j. ol. fabin. deft. cum faccharo albo ritè fubact. gutt. vi. fyr. artemif. ʒiij. M. D. pro una dofi.

℞. Rad. Ariftol. r. ver. liquirit. pimpinell. an. ʒij. H. fcord. betonic. meliff. an. Mj. Flor. calendul. fambuc. hyperic. an. p. j. bacc. laur. contuf. Myrrh. fem. fœnugræc. an. ℈j. Coq. in f. q. aq. lil. ab. ad dimid. part. confumption. Colaturæ ℥viii. add. Mell. anthof. Mercurial. an. ʒiij. Ol. è vitell. ovor. amygd. dulc. hyperic. fimpl. momordic. an. ʒij. Balf. Peruvian. ℈j. M. pro injectione uterina aliquoties repetenda.

℞. Ung. Bafilic. ℥j. fucc. rutæ ℥ß. trochifc. de myrrh. ʒj. pulv. caftor. ℈j. aq. puleg. artemif. meliff. an. ℥iiß. balf. Peruvian. ℈ß. M. pro injectionibus uterinis.

His potioribus hîc adductis aliifque fimilibus, fummæ aliàs in exturbandis fecundinis virtutis, unà cum interpofitis pro virium refectione cordialibus, fomentationibus item humidis ficcifque, nec non inunctionibus, peffis, inque fimilibus cafibus commendabilibus cæteris pluribus præfidiis, folicitè in ufum vocatis, hoc folùm effecimus ut tertio à partu die membranacea portio vix femithaleri magnitudinem æquans, & elapfo integro octiduo carnofo-membranaceum fruftum longitudine & craffitie pollicis digitum æmulans ex vero proruperit; relicta in eo cætera fecundinarum congerie, quæ pluries, nempe vel duodecies repetitis in uterum factis injectionibus balfamicis quafi ac aloëticis à vehementiori putredine ita præfervatæ funt, ut acrior febris putrida nulla exarferit; utut inde exhalans fœtor putidus adftantium nares graviter ferierit.

Exacto integro Menfe, die nempe 30. Decem. iterum feceffit totum carnofum conglobatum fruftum pugni magnitudine, molæ carneæ, quam fecundinarum portioni fimilibus; injectis intra id temporis continuis cum uterinis, tum pro folicitanda fegniori alvo, ano immiffis Enematibus, itemque laxativis communibus fuperiori gutturi oblatis; nondum etiam omiffis fecundinarum exclufioni dicatis, jamque partim fuperiùs commemoratis, licèt minùs fortibus & parciùs exhibitis medicaminibus. Cùm enim interea febrilis quidam calor, cum fiti, interpolato capitis dolore, & pervigilio continuo ingruiffet, mutatis hinc indicantibus, ipfa remedia methodi medendi lege, mutari debuerunt. Proinde ad febrem aliaque urgentia fymptomata refpicere coacti, relicta ipfi Naturæ fecundinarum exclufione, quæ ad ea averruncanda neceffaria videbantur præfidia, inter quæ & venæfectio in pede erat, furrogavimus, maximè cùm advertere liceret, adhibitis quantumvis fortiffimis fecundinas expellentibus nihil unquam, contrà verò nullis ufurpatis remediis, fua fponte illam molam, cæteraque fecundinarum frufta ex utero abfceffiffe, eleganti argumento, quàm impoffibile fit, Naturam cogere, quàmque nihil illâ invitâ efficere liceat. Quin fæpe præftat reftituendæ fanitatis negotium patienter officiofiffimæ Naturæ officio ac tempori committere, quàm præfeftinata curatione graviora mala, uti haud rarò fit, accerfere. Adhuc enim quotidie comperimus, Naturam morborum effe præcipuam medicatricem, Medicum verò Naturę miniftrum. Ita perfuafiffimi fumus, fecundinas utero tenaciter adnatas nulla medicaminum vi priùs avelli potuiffe, quàm facta demum tempore earum maturatione & fpontanea feparatione, quemadmodum abfceffus non prius dehifcit, quam fuum maturitatis tempus fuerit nactus.

Potiffimum fymptoma, quod hîc plurimùm negotii faceffit, proptereaque in fpecie commemoratu dignum, eft faucium, uvulæ, amygdalarumque inflammatio, & linguæ fumma ariditas, ab elatis ex utero putridis vaporibus, accenfoque inde fanguine calore dubio procul orta. Hoc fymptoma tantùm minatum eft periculum, ut, labefactata inde deglutitione, viribufque fubinde magis labafcentibus, conclamata res videretur ancipiti prognoftico relinquenda, maximè quando omnia illa præfidia, ut funt injectiones acidæ per fiphonem frequentiffimè inftitutæ, ablutiones faucium penicilli beneficio in horas factæ, gargarifmi acidiufculi, epithemata collo inducta, ipfaque raninarum venarum fectio, nihil aut partum profeciffe vifa funt.

Sed quid? In mediis dum verfamur anguftiis, D. 15. Januar. 1683. adeoque fexta à fœtus enixu feptimana vix tale quid fperare nobis audentibus, totus fecundinarum acervus ex utero profilit; quo factum, ut non folùm dictum faucium malum paucis poft diebus remittere cæperit, fed & vires paulo poft paulatim redierint, illaque circa inguina, ex retentarum fecundinarum conglomeratione ac adhæfione enata intumefcentia, indeque prognatus infra finiftrum hypochondrium aggravans dolor, exclufis fecundinis mox evanuerit, fubfecuta non longe poft priftina valetudine, folumque relicto levi finiftri pedis circa malleolos tumore, quem itidem fponte brevi fperamus. *D. Georgii Abrahami Merclini.*

De Secundinæ fruftulo ultra menfem in utero retento, excreto.

Inchoante anno 1667. Hannoveræ curavi matronam primiparam mihi cognatam: huic per 5. feptimanas fruftulum fecundinę in utero reftiterat fine ullo tamen incommodo. Quinta autem feptimana repentè infignibus cordis anxietatibus & doloribus ventris corripitur, cui fini aromaticam mifturam cum laudano opiato præfcribo per intervalla affumendam. Ufa hac eft per 6. horas cum levamine: hinc in fomnum incidit per tres horas durantem. Expergefacta dolores inftar partutientis fentire incipit, & paulo poft excernit fruftulum carneum pugni magnitudine, quod ego pro refiduo fecundinæ non habere non potui. Exinde fluxus materiæ primò viridis poft flavæ per biduum, à quo optime convaluit. Memini hic Præceptorem quondam meum honoratiffimum Dn. Johan. Theodorum Schenckium, aliquando in lectionibus botanicis retuliffe Illuftriffimæ cuidam Comitiffæ fecundinam poft partum per tres feptimanas fine ullo tamen notabili incommodo reftitiffe: cùm autem fuafu alicujus vetulæ jufculum ex Chærefolio Romano fumfiffet, fubito onere fuiffe levatam. Et fanè, verum ut fatear, vix herbam novi, cujus in partu difficili, & reftitante fecundina, majores vires fuiffe cognoverim, quam Chærefolii & majoris fempervivi; fat fcio neminem qui experientiam horum ritè facit falfum iri. *D. Alardi Hermanni Cummeni.*

De

De puerperio infelici à potu frigido.

Quantùm actu frigidus potus puerperis præsertim non longè à partu obsit, docuit celeberrimus D. D. Marcus Gerbezius Medicus Labacensis, & amicus meus singularis: in suo tractatu de morb. complicat. part. 2. cap. 20. p. 453. unà cum Clariss. Dno. Dre Georgio Franco patrono atque collega meo semper colendo in Ephem. nat. cur. decur. 2. anno 9. observ. 200. quod etiam sequenti observatione patet.

Juvenis quædam fœmina, hîc Ferrariæ, uxor unius fabri lignarii annor. 21. feliciter peperit filiolam; puerpera hinc facta, sine ullo ventris dolore, lochia benè ac ritè fluebant, ejus die quinta à partu siti vehementi molestabatur, ad quam expellendam libram unam emulsionis semin. pepon. fact. s. a. in aq. stilat. cichor. gelid. ebibit, post cujus assumptionem totius corporis improvisus rigor accessit cum ventris tumore, dolore, ac nonnulla, exigua tamen convulsione; lochia suppressa sunt, ac die sequenti ingenti affecta fuit febri, à qua occisa est. *Ex communicatione Viri Præclariss. D. Josephi Lanzoni Ferrariæ Medicinæ Professoris.*

De Terrore lethali in puerpera.

Hanc quoque observationem mihi nuper per literas communicavit prælaudatus D. D. Franc. de Evangelistis. Salacissima quædam muliercula, tempore diuturnæ absentiæ fratris sui adulterè compressa, masculum concepit, & hunc die 21. Novembr. 1691. feliciter peperit, sed partum ab oculis fratris occultare non potuit, uno enim eodemque tempore, quo obstetrix filiolum vix natum in ulnis tenebat, ex improviso ejus frater ad eam ingreditur, & ex crimine sororis irâ percitus, ipsam strangulare contendit. Mulier perterrita in syncopen incidit, & vix ope aceti refocillata, laboriosè respirare incepit, hinc singultire, & in singultu, valdè concussivo per plures horas perseveravit. Secundinam ope singultûs ejecit quidem post duas horas à syncope, sed lochia retrocesserunt adeo, ut muliebria pudenda omnimodè exsiccata apparuerint. Tandem post septem vel octo horas cessit majori ex parte singultus, sed incidit in alium perversum diaphagmatis motum, quem à similitudine veri risus, risum præternaturalem appellare licet; sed hunc valdè atque iterum valdè tumultuosum, cum lacrymis continuè largeque profluentibus, qui risus perseveravit supra horas 30. & intermittebat solùm per spatium, quo salutatio Angelica recitari potest, & tempore hoc intermedio bis, ter, & quater singultiebat, postea ad eundem risum revocabatur. Non bibere, non manducare, nec loqui poterat, Oculi adeo prominentes erant, ut ex orbita prolapsuri viderentur. Ego vocatus post horas 22. à partus ostupui ob similem affectum apud me omnimodè novum, ejusque causa pensitata, & indicatione sumpta ab animi pathemate, & lochiorum retrocessione ad partes spiritales, medicamenta cordialia, & quæ sale volatili abundant præscripsi. Sed hæc ob risum & singultum sumere non potuit, unde solummodo externis uti coactus fui, inter quæ nonnulla, quæ lochia prolicere poterant, uteri regioni admovi, interim quamvis pulsus valde obscurus (ex nimia sarcina) appareret, unam tamen ex saphænis tundi præcipio, sed incassum, quia nullus sanguis ex aperta vena prodiit, idque non alia ex causa quàm quòd in formam gelatinæ abierat, ut ex duabus vel tribus guttulis observare potui, tandem cùm ex carnosa, valde extenuata evasisset, & per tot horas cachinnasset, lacrymasque profudisset, à valido terrore correpta, vitam cum morte commutavit, post horas quadraginta à partu. Puerperæ postquam parentatum fuit, cadaver aperuimus, & quod observatione dignum, vidimus ejus venas sanguine destitutas ferè, ac qui aderat; sine humiditate apparebat, observavimus insuper diaphragma undiquaque vesiculis polyporum colore protuberans, quarum nonnullis phlebotomo adapertis, emanabat serosus liquor aqueo liquore, sed acidissimo odore ita imbutus, ut ob acutiem nares offenderet. Cum isto humore gossypium imbuimus, & aliquot guttulas expressimus in tincturam floris cærulei coloris, cum qua plura experimenta ad explorandas differentias saporum acidorum olim feceramus; invenimus autem istam tincturam in colorem rubro flavescentem conversam fuisse, non aliter ac si in eandem spiritum vitrioli instillavissemus, atque ita ab insigni aciditate hanc mutationem evenisse credidimus. Quod naturaliter possit dari tam insignis aciditas in humoribus, aut saltem in succo pancreatico, pro impossibili habemus. Quare putamus, probam hujus mulieris sanguinis massam, à vehementissimo animi pathemate, illam insignem aciditatem contraxisse, unde sanguinis fusio in instanti, ut ita dicam, sequuta sit, & in serositates abierit, ut demonstrarunt copiosiores lacrymæ, non secus ac paulatim in quamplurimis accidit; quia prægnantes & puerperæ habent corpus prædispositum ad quascunque impressiones & mutationes subeundas; citissimè enim fit metastasis ab anima ad corpus, nam in iis valde pollet imaginationis vis, ex qua spiritus commoventur, humoresque alterantur. In eam insuper devenimus sententiam, quòd singultus in casu nostro vel ortum duxerit ex affecto septo transverso, non ventriculo, (ni dicamus sympathicè) ut Medici communiter statuerunt, aut pulmonibus ut Aristoteli placuit sect. 33. problem. 1. risum præternaturam non alia ex causa inductum fuisse arbitremur, quàm ex vellicatione, quam inducebat ipse humor acidus, vibrationes spasmodicas suis punctturis excitando in ipso diaphragmate, non aliter quàm accidit Tychoni telo leviter in septo transverso percusso, ut refert veterum Medicorum Maximum Epidem. lib. 5. Cur verò tam citò mortua fuerit, difficilè non erit rationem reddere, & maximè si sectemur opinionem Platonis, qui 3. de Republ. dixit, quod effusum risum vehemens mutatio sequatur, id est, mors, ut explicat Platonicorum Princeps Ficinus. Nec moraliter interpretandus videtur, & maximè quia extat exemplum apud Homerum, videlicet; *tum proci illustres manus extollentes risu emoriebantur*, quod si tanquam à Poëta prolatum pro fabuloso judicetur, alia exempla patent apud Valerium maximum, & præcipuè ex Philemone qui nimio ex risu obiit, & meritò ait insignis Philosophus Lælius Peregrinus: *Risus intempestivus inter mortales est grave malum, quia ad mortem usque perducit.* Et multò magis hæc efficere valebat risus non naturalis in puerpera, ad quam plurima malorum syndrome accesserat. *Ex eodem Ephemeridum Germanicar. Dec. 3. Ann. 1.*

In Puerperæ cadavere os uteri hians, & pelvis humoribus repleta.

Quàm malè sibi consulant puerperæ in hac regione, quæ purgationis tempora haud benè observant, & nimis citò domo exeunt, sequenti observatione satis constabit. Anno 1676. mense Martio in usum obstetricum cadaver cujusdam mulieris, à tribus cum dimidia septimana puerperæ, publicè dissecui, (præsentibus spectatissimis Viris Collegii Medici inspectoribus) cujus os uteri ad naturalem coarctationem tantùm aberat ut pervenisset quin facillimè, & sine ulla vi digi-

digitos duos immittere potuerim. Dicet forsan aliquis, illud rarum & contra naturæ leges esse: Respondebo, Sufficere hoc in aliquibus locum habere, præterea nemini notum esse, quoties hoc quidem contingat, &c. Hinc sæpissimè illæ lacrymæ & quærelæ de intolerabili hypogastrii dolore & frigiditate, obstructionibus, imò non raro quoque de menstruorum stillicidio perpetuo. In hac anatome hujus cadaveris quoque observavi pelvim ab humorum colluvie refertam, imò pintas ferè duas continere, non sine magno fœtore. An isti humores ex utero per tubas aut ovi ductus ad pelvim propulsi fuerint; quod facilè crediderim, quia pluries in pelvi humores reperi illis similes, quos in utero inveniebam; an aliunde venerint, aliorum judicio relinquo; saltem ego sum in ea opinione, in difficillimo partu caput aut clunes infantis vaginam uteri non raro ita ocludere posse, ut ne gutta quidem ampliùs utero exire valeat: atqui in tali casu non video quid possit esse obstaculo, quò minùs humores in utero contenti conatibus aut partus doloribus vehementissimis per tubas Fallopianas ad Pelvis cavitatem deriventur, eò magis quod nullæ in dictis tubis reperiantur valvulæ: & hinc febres atroces, tormina circa hypogastrium, lipothymiæ, & similia mala, imò mors ipsa, superveniunt. *Clariss. Fridericus Rhuysch. in Observationibus Anatomico-Chirurgicis.*

Verosimilis Lochiorum eruptio per Fallopianas in abdominis cavitatem.

In platea vulgo dicta *de Kalverstraat* visitavi nuper puerperam acriter febricitantem, & de hypogastrii tensione ac induratione, non sine immani dolore, conquerentem: remediis emollientibus doloremque lenientibus usa fuit; ast verò nihil proficientibus illis, brevi post è vita discessit. Aperto abdomine inveni in pelvi multùm materiæ fœtidæ, (vide quoque observat. praeced.) loturæ carnis aut lochiorum corruptorum ad exemplum, qualis etiam à me reperta est in uteri cavitate. Hoc suspicandi mihi ansam auxit, dictum humorem per oviductus aut tubas Fallopianas pervenisse ad abdominis cavitatem & pelvim, & hoc puerperis pluries contingere, si pariendi conatus & dolores sint vehementissimi, & os uteri ita clausum sit, ut per idem lochia exitum invenire haud valeant; imò etiam in ipso partu laboriosissimo, fœtus capite dictam viam in totum occludente, humoribusque pone fœtum aliam sibi viam quærere non valentibus: hinc sæpe immanes illos hypogastrii dolores, de quibus frequenter queruntur puerperæ, ortum ducere, non est cur dubitemus.

Sequens observatio affertur propter affinitatem materiæ.

Verosimilis eruptio menstruorum per tubam Fallopianam in Pelvim.

Probabile esse humores heterogeneos in utero contentos per oviductus seu tubas Fallopianas ad Pelvim & abdominis cavitatem posse deduci in parturientibus, superiùs innui. Quò minùs quoque sanguis ex uteri cavitate per dictos ductus ore uteri clauso ad Pelvim pervenire possit extra statum partûs; haud video; imò rem probabilem in medium proferam. Menstruatæ olim cadaver aperuit R. Roonhusius Chirurgus dextertimus, (præsentibus D. Dortmuntio, ejusdem Nozocomii Medico meritissimo, nec non Adriano Coenerdingio Chirurgo eximio) in cujus uteri cavitate coagulatum & utero leviter adherentem observavit cruorem, quo tuba ejusdem lateris quoque non solùm erat conspersa, verùm etiam Ovarium, in cujus superficie coagulatus copiose firmiterque adhærebat. Hunc uterum cum ovario annexo & sanguine coagulato, prout mihi demonstrarunt dicti amici, in Museo nostro reservo, balsamo ita conditum, ut omnia naturalem situm, magnitudinem & figuram servaverint, idque sine rugis, quæ post exsiccationem sæpius remanere solet. *Idem ibidem.*

PUNCTIO PARTIUM MOLLIUM

Item.

PURIS EVACUANDI RATIO.

Vid. sub titulô ABSCESSUS, ubi agitur de modô aperiendorum & evacuandorum *abscessuum.*

PUSTULA.

Vid.

CUTIS VITIA.

Finis Libri Decimiquarti.

JOH. JAC. MANGETI BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ

LIBER DECIMUS QUINTUS

De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Literâ R. incipientibus.

RABIDI MORSUS

Et ex occasione aliorum aliquot Venenatorum Animalium, Ictus.

Curationes.

Ac primò Clariss. Viri Julii Palmarii.



E Vulneribus quę venenatorum animalium ictu aut morsu inferuntur, hîc tantùm ejus, quod rabiosus canis infligit, curandi rationem trademus. Nostra enim hæc frigidior regio, venenatis feris, quas & Gallia Narbonensis, & Italia, calidioresque alii terrarum tractus, frequentissimas alunt, destituta, inveniendorum aut explorandorum remediorum, quæ illarum ictibus aut morsibus auxilientur, occasionem nobis prorsus adimit. Rabies igitur Græci λύσσα furor est, in quem quovis anni tempore, sed sub canicula maximè, canes aguntur, quemque cùm ad homines, tum ad reliqua animalia contagione transferunt. Quum canis animal maximè iracundum sit, si per ęstatis ardores, aut brumæ frigora frigidæ, potu prohibetur, bilis in eo inexplicabilem malignitatem contrahens, ipsum in rabiem agit. Quùmque animal domesticum & frequentissimum sit, si rabie corripitur, ab eo cavere perquam difficile est: & si quempiam momordit; tametsi nulla gravia symptomata, nisi forsitan ex vulnere dolor, protinus urgeant, periculum tamen maximum ac inevitabile imminet, nisi certis præsidiis confestim obviam itur, quippe venenum in partem morsu vulneratam infixum si sinitur, sensim ac clanculum in totum corpus irrepens omniaque contaminans, & in sui naturam depravans, tandem hydrophobiam ac brevi mortem accersit. Canis autem aliàs sponte intimoque vitio, aliàs alterius canis rabiosi demorsu, interdum devorata animalis rabie aut peste demortui, aut putidi, aut fulmine percussi, aut venenato morsu interfecti carne, nonnunquam & aquarum fœtidarum potu, & salsorum acrium & calidorum ciborum esu, furorem concipit. Accedit etiam ingenita quædam canis ipsius ad rabiem proprietas usque propensio. Neque verò canes temperamento calidi & sicci, atq; in iracundiam propensi, per æstatis duntaxat, flagrantissimos æstus, sed etiam per intolerabilia brumæ frigora sponte in rabiem efferuntur: utraque enim ambientis constitutio licet contraria, eundem tamen effectum profert: Nam ut calida, sic etiam gelida sanguinem perurere ac torrefacere solet: Sic verò exustus sanguis venenata labe, rabiem infligat, postea facilè inquinatur: idque maximè contingit, quum vel longiori inedia inarescunt, vel salsis potulentis aut esculentis sese replent, vel post vehementes labores atque exercitationes bibere prohibentur. Itaque regiones in quibus maximæ & inæquales ambientis mutationes inordinatæ fiunt, aut in quibus & gelidissimæ hyemes, & ardentissimę æstates sunt, morbo huic maximè patent. Et quamvis (si Galeno lib. 6. de loc. aff. credimus) soli canes absque morsu & contactu, interna humorum corruptela, & vitio in rabiem aguntur, quæcunque tamen animàlia ab his demorsa fuerint, ut simiæ, sues, feles, boves, equi, oves, muli, vulpes, lupi, & reliqua, rabie corripiuntur: ita enim aliquando ruri commorantes, fieri in omnibus fere animalium generibus observavimus, tantamque esse ejus veneni perniciem, ut non morsu modo, sed solo etiam contactu, rabidi canis saliva rabiem excitare, & hydrophobiam parere visa fuerit: Interdum etiam inquinati & furore perciti osculum contagione inficit. Quod ita habere certa comprobavit, atque mihi fidem facit experientia. Cùm enim rusticus quidam rabie perculsus furiisque agitatus sibi è vivis brevi migrandum esse intelligeret, assidentes qui eum vinculis constrictum tenebant, in furoris intermissione obnixe rogavit, ut quos mox deserturus esset liberos, sibi deosculari liceret: quod quum ei fuisset concessum, liberisque oscula libasset, præfocatus est: sed ecce septimo post die liberi eodem morbo correpti, eisdemque cruciatibus torti, brevi miserrimam vitam cum morte commutarunt. Vidi præterea ex straminis, in quod rabie perciti sues decubuerant esu, equos, boves, oves, & reliqua animalia, quæ stramentum degustassent, rabiem contraxisse, tandemque periisse. Observavi lupos viginti rabie percitos, eodem fere tempore è sylva egressos in omnis generis animalia obvia magna strage debacchatos fuisse, paucaque ex iis, quæ demorsa fuerant evasisse. Sed canis frequentissime hoc morbo conflictatur ac perit. Jam verò furentem ac rabiosum canem his signis ab aliis internosces.

Rabidus canis, toto corporis habitu & temperamento immutatur, gracilis & siccus evadit, siticulosus

quidem eſt, non tamen bibit, plerumque anhelat, oculis rubentibus & inflammatis, horrendo & torvo aſpectu, cauda & auribus demiſſis, aperto ac ſpumante ore, lingua exerta, eaque bilis colore infecta, contractis naribus, è quibus ſæpè fluit mucus aliquis. Eſculenta & potulenta averſatur, ſed aquam omnium maximè, caput in alterutrum latus inclinat atque deprimit, triſtis & ſolitarius oberrat, neque Dominum agnoſcit. In obvios quoſque ſine latratu irruit, & æque feras homineſque, familiares & notos, pariter atque ignotos mordet ac dilaniat, atque in id quodcunque obvium eſt, impetum facit. Modò huc atque illuc intempeſtive ac inordinate, citraque modum vagatur & diſcurrit, deinde rurſus ſubirò vel prorſus conſiſtit, vel ſegnius incedit. Suas enim morbus hic, pro febris, quæ illi perpetuò comes eſt, motu, exacerbationes habet, atque in remiſſione mutus fere & veluti ſomnolentus exiſtit. Reliqui canes ab eo diffugiunt, eique ſi repente fit obviam, cedunt & blandiuntur. Qui momordit canis, ſi ita ſe gerit, rabidus cenſendus eſt. At ſi fortè is rabidus ſit necne incertis adhuc ſignis ambigitur, nuces juglandes contuſas in cataplaſmatis modum vulneri per integram noctem admotas, pullis gallinaceis in eſcam præbere jubent: & ſiquidem illi poſtridie mortui concidant, rabidum canem fuiſſe, ſin minùs, nequaquam. Nonnulli panis fruſtum cruore qui ex vulnere manat, imbuunt, illudque ſanis porrigunt canibus, quod ſi comederint, certo colligunt experimento, canem qui vulnus inflixit, rabidum non fuiſſe: ſi verò reſpuit, & alia ſigna concurrant, rabie percitum eſſe pronunciat. Sunt etiam qui micas panis ſanguine perfuſas gallinis comedendas exhibeant, quas (ſi canis in rabiem verſus fuerit) gallinis intra viginti quatuor horas mortem afferre contendunt, quarum rerum me nunquam periculum feciſſe ingenue fateor: cùm tam multa eaque fidiſſima rabie perciti canis argumenta ſtatim ſe prodant, ut hujuſmodi experimentis non ſit opus. Jam verò ex illato vulnere, ubi parum oportune occurſum eſt, aquæ timor (ὑδροφοβίαν Græci appellant) naſci conſuevit, miſerrimum profectò mali genus, in quo ſimul æger & ſiti & aquæ metu cruciatur, & in canis rabioſi modum furit, atque in obvios quoſque debacchatur. Rabiei autem cauſa cenſetur maligna & venenata, eaque cæca & inexplicabilis qualitas è rabioſo cane, in partem demorſu apertam, vel ſalivæ contagione infectam, inſerta. Ea autem quoniam ſpumoſæ rabidi canis ſalivæ inſidet, in integram curem ſi inciderit nihil ſiniſtri tantopere metuendum hortatur, modò ſtatim probe deterſus & elotus fuerit locus, neq; enim denſa & adſtricta epidermis craſſiorum venenorum (cujuſmodi eſt venereum, elephanticum & rabioſum) vim humori inſidentem protinus altius in corpus penetrare ſinat, niſi vel fiſſa vel dilacerata ſit: alioqui vulnera demorſu illata quis unquam ex veterum præſcripto ſugere audeat? At in partem demorſu vulneratam quum incidit venenum, tempore membratim inſinuatum, non ſolùm humorum & ſpirituum, ſed etiam viſcerum conſtitutionem ſenſim pervertit ac labefactat, dum tandem victoriam conſequutum, in corde vitæ principio triumphet, in eoque accenſum manifeſta ſui furoris edat ſymptomata, qualia ordine recenſebo.

Antequam hydrophobia inſiliat, multa illam præcedunt atque prænunciant. Demorſus ſolito triſtior & cogitabundus eſt, hominum conſuetudinem, conſpectumque fugit, multa animo fingit & obmurmurat perturbata atque à ratione abhorrentia, eaque fere triſtia obloquitur. Iracundia ſæpius ardet: ſomnus deliriis interturbatur, leves quædam extremorum convulſiones ac retractiones ex intervallis fatigant, ſitis & oris ſicciras moleſta eſt: vox rauceſſit, facies rubet, oculi lumen refugiunt, & lachrymis nulla manifeſta cauſa madeſcunt. Hæc igitur cùm in demorſis ſe prodent, hydrophobiam proximam putato. Ejus verò jam factæ hæc ſigna ſunt. Mente capti quum ſint hydrophobiâ prehenſi, ſe ſuoſque ignorant, quo fit, ut modo huc atque illuc, in canis rabioſi morem impetu ferantur, modò velut ſomnolenti, ſtupidi ac languidi, vel ſubſiſtant prorſus, vel lento gradu incedant: atque horum alii ſine ulla furoris intermiſſione vexantur, alii remiſſionem habent. Fere autem exacerbationes recurrunt cum diſtentione nervorum, totiuſque corporis rubore, præſertim verò faciei. Solvuntur autem cum frigidiuſculo ſudore, languore quodam, & virium reſolutione. Omnes in exacerbationibus adeo furunt, ut in obvios quoſque involent, niſi arctis vinculis, cohibeantur. In remiſſione multi miſeriam ſuam agnoſcunt ac deplorant. Acceſſiones autem & ſæpius movet, & exaſperat aquæ conſpectus, hactenus ignoratâ cauſâ, niſi forte eos exiſtimes, quoniam mente non conſtant, id quod ſibi opem ferre poteſt non agnoſcere, ideoque aquam perhorreſcere, & ab ejus potu abſtinere, hincque fieri, ut ob febrem qua intus uruntur, inareſcant & convellantur, miſerrimoque tandem mortis genere intereant. Non minus illos diſcrutiat ſpeculi alteriuſve cujuslibet rei pellucidæ intuitus. Hæc enim omnia ingentiſſimis clamoribus, ac veluti canum latratu vociferantes, è conſpectu ſuo auferri poſtulant, quod ni confeſtim feceris, tremunt, ſudant, deficiunt animo, delirant, miroque pavore concutiuntur. Ego venenatæ rabiei cauſæ, quæcunque ea ſit, maximam cum aqua antipathiam ineſſe opiner: Nam præterquam quod ejus conſpectus hydrophobiam celerius accerſit atque exaſperat, recens etiam inflictum vulnus, ea ſi abluitur, vix ullo poſtea remedio æger reſtitui queat, alte adeo aqua venenum ejuſmodi in corpus dejicit atque impellit. Quo commorſus quiſque deteriore eſt corporis conſtitutione & habitu, & quo impreſſum virus acerbius, hoc & citius hydrophobia prehendit, & crudelius diſcrutiat. Non enim ſtato definitoque tempore illa exoriri ſolet, ſed aliàs quidem quarto, aut ſeptimo, aut nono à morſu die, aliàs decimo ſeptimo, aut vigeſimo, plurimùm quadrageſimo, nonnunquam & ad ſeptimeſtre, aut etiam ad annum differri conſuevit. Narrant & aliquos poſt ſeptennium aquæ metu fuiſſe tentatos, ut quam vim in acutis morbis criticos dies Hippocrat. habere prodidit, eandem in hujus invaſione & hebdomadas & menſes & annos nonnunquam obtinere credendum ſit: tametſi in hoc etiam, ſi quo in alio diuturno morbo criticorum dierum naturam vimque luculenter elucere non dubito. Neq; enim aliis, quam vel verè criticis, vel intercalaribus diebus exoriri deprehenditur, modò ne ultra annum integrum cunctetur. Quam cæcam & inexplicabilem hydrophobiæ cauſam diximus, quidam non niſi immodica ſiccitate, quæ totius corporis habitum immutet, nobis noxiam & venenatam eſſe prodiderunt. Quod ſi verum eſt, quomodo impendens ea ſiccante cancrorum cinere, aut alexipharmaco noſtro prohiberi, vel jam genita, penitus extingui poteſt? Alii hydrophobiam inſaniæ ex atrabile ſpeciem autumant, ob eam quæ venenatæ hujus cauſæ cum atrabilario humore interceſſit ſimilitudinem, & ſymptomatum affinitatem, quorum juſtior videtur opinio. Hydrophobici namque perinde atque melancholici, & ab atra bile inſanientes, quanquam alii alia timent, fugiunt atque perhorreſcunt, omnes tamen multa falſa & commentitia, eaque fere triſtia animo fingunt atque comminiſcuntur. Neque enim aliam ob cauſam eos vel ſpeculum, vel aquam fugere & averſari, veteribus veriſimile viſum eſt, quam quod

quod canis qui eos momorderit imaginem in iis ſe videre exiſtiment, cujus aſpectu terreantur. nec alia ratione canum more latratus edere, aut obvios quoſque dentibus impetere, quàm quod ſe factos canes opinentur. Sed hujus rurſum metamorphoſeos abdita & occulta cauſa eſt.

Plurima veteres ad præcedendum hydrophobiam remedia literis ac memoriæ commiſerunt: ad eam verò jam natam profligandam, perpauca. Illa efficacia eſſe multorum fide confirmatum eſt: hæc fere ſemper irrita longo medendi uſu comperta ſunt. Nam & Dioſcorides ex iis, qui jam hoc vitium ſenſiſſent, neminem unquam ſe ſervatum vidiſſe teſtatur. Et Celſus hydrophobiâ oppreſſis in anguſto ſpem eſſe literis prodidit. Et noſtra hac ętate vulgus eâ tentatos dum nullo remedio reſtitui poſſe reputat, vitę pariter ac morbo ſtrangulatu finem opponit. Triſte profectò & crudele nimium ſpectaculum. Niſi fortè ex hiſtoria unum aut alterum evaſiſſe audiamus: ſiquidem Eudemus convaluiſſe quendam affirmat: Themiſonem etiam demorſum, quidam in hunc furorem incidiſſe & evaſiſſe fatentur. Referunt & alii Philoſophum egregii animi conſtantiâ, aquæ pavore excuſſo, quam perhorreſcebat aquam, hauſiſſe, & malum tandem ita ſuperaſſe. Pauci itaque natæ jam hydrophobiæ diſcrimen evaſiſſe notati ſunt. Sed nec præcautionis ratio à veteribus tradita, in multis reſpondere comperta eſt. Quæ res effecit, ut poſthabitis Medicis ad divorum opem confugere cœptum ſit. Sed poſteritatis induſtria certum jam & minimè fallax alexipharmacum eſt, quod & futuram hydrophobiam antevertere, & præſentem extinguere, cohibereque poſſit, modò inflictum vulnus capitis partes ore ſuperiores non attigerit, aut aquâ elotum fuerit, alioqui in anguſto fere (quod veteres non animadvertiſſe miror) ſpes eſt. Quod antequam in reipubl. utilitatem poſteritatis memoriæ conſecro, præcautionis ac curationis hujus affectus rationem à veteribus pluribus traditam, paucis complectar. Non quidem, quod de noſtro antidoto, cujus vis eſt mirabilis diffidam, ſed ut iis quoque ſatisfaciam, qui poſteriorum induſtriam & diligentiam condemnantes, niſi quod à veteribus prodierit, nihil profuturum putant. Veteres igitur præcautionis duos ſcopos ſtatuerunt: quorum prior venenum demorſæ parti impactum introque ſubiens revellere & extrahere, alter autem impreſſam partibus quas jam attigerat, malignam affectionem delere hortatur. Illud præſtant cucurbitulæ, vel cornua quibus nonnulli illarum loco utuntur: oris ſuctio, uſtio quæ vel igne, vel ſeptico medicamento fit: deinde calefacientia & vehementer attrahentia medicamenta, unguenti aut cataplaſmatis, aut emplaſtri formâ admota. Hoc verò efficiunt antidota & alexipharmaca quædam tota ſubſtantia, & occulta proprietate veneno corpori inſerto adverſa, de quorum uſu paucis diſſerendum. Quum primùm inflictum vulnus eſt, cucurbitulæ cum multa flamma affixæ, id adjumenti præſtant, ut veneni vis cum ſanguine extrahatur. Quod ſi fortè ab illato vulnere ante cucurbitulas aliquot effluxerint horæ, ſæpius illas admovere præſtiterit, & viciniam altioribus ulcuſculis ſemel atque iterum ſcarificare, non ſolùm ut copioſior ſanguinis vacuatio prohibeat, ne venenum membratim in corpus inſinuetur, ſed etiam ut ſi fortè jam altius illud ſubierit, diſſecta cute cucurbitulis validius revocetur. Si fortè cucurbitulæ demorſæ parti non poſſint agglutinari, aut ſi deſint, poſt ſcarificatum quàm copioſiſſimus ſanguis effluere ſinatur. Deinde ſicca ſpongia quicquid in vulnere ſupererit exugatur: poſtremo unguentum aut cataplaſma, aut emplaſtrum aliquod ex iis, quæ excalfaciunt, & valenter attrahunt, imponatur: cujuſmodi ex alliis, aut cepis, aut utriſque ſub prunis coctis, adjecta theriaca aut mithridatio, aut utroque confici ſolet, quibus & ſal & fermentum nonnunquam miſcere contulerit. Stercus columbinum cum ruta viridi ſubactum, non minùs utile quàm paratu facilè remedium eſt. Quin & ſinapi cum nucibus juglandibus, allio crudo, ſale & melle piſtum, cataplaſmatis loco vulneri commode imponitur. Majorem artis oſtentationem præ ſe ferunt, quæ è dictamno, magnete, thapſia, ſulphure, aliiſque longius petitis medicamentis calfacientibus, & vehementer attrahentibus concinnantur emplaſtra vel cataplaſmata: quorum infinita exempla facilè ſibi comparabit, qui vel leviter in artis operibus verſatus eſt: quæ omnia & virus potenter evocant & quominus vulneris labra præpropere coaleſcant, impediunt. Galenus iſtorum loco theriacam oleo roſato ſolutam recenti vulneri indebat: Veteres non ita majora vulnera verentur uti minora, & ulcuſculis cutis ſimilia. Quippe è majori vulnere confertim copioſus ſanguis manans, virulenti liquoris non nihil exhauriri poteſt, quod minoribus non accidit. Quin à majoribus abſcedentes carnes auferre, & labra ſcalpello abſcindere, & prehenſam hamulo carnem amputare licet. Itaque exigua quum erunt, arte amplificabuntur, carne multò intervallo, orbiculatim ſi pars commode ferat, præciſa, ne facilè ad cicatricem ulcus perveniat, ſed diu pateſcat, ut per ipſum virus emanet. Cucurbitæ loco, nonnulli vulneratę partis ſuctionem commendant. ſed cùm periculi plena ſit, nemini eam tentare ſuaſerim. Alii gallinarum vivarum podicem vulneri admovent, quæ ſi moriantur, venenum ẹxtractum eſſe arbitrantur: alii pullos gallinaceos, aut columbinos vivos per medium diſſectos demorſæ parti adhibent eadem ratione, aliàs quidem poſt cucurbitulas, aliàs ſine his. Horum omnium calor demorſæ partis calorem langueſcentem erigens, ipſum pariter ad depellendum venenum ſuſcitat idque allicit & evocat. Poſt cucurbitulas uſtionem expeditiſſimum remedium cenſuit Dioſcorides, tum quod ea virus domet, & intromitti penitius non patiatur, tum quod diuturnum ulcus relinquat, per quod virus diu effluat. Uſtionis vicem ſupplent ſeptica & exedentia medicamenta, cujuſmodi multa adurere, & cruſtas ulceribus inducere uſus comprobavit. Inter ea uſurpant nonnulli argentum ſublimatum unguento aliquo refrigeranti miſtum. Nam præterquam quod omnium vehementiſſiè adurit, cruſta etiam ab eo inducta, exuſtaque caro citiſſimè excidit: quod in hoc affectu perquam neceſſarium eſt, ne diutius ſub cruſta cohibitum virus exitum non habens in corporis intima convertatur. Nudatum cruſta ulcus dies minimum quadraginta apertum ac patens eſſe volunt. Quamobrem attrahentia & valde extergentia unguenta aut emplaſtra inducunt, cujuſmodi ſunt, tum quæ ſuprà poſuimus, tum quæ ex pice, rapſia, ęrugine, calcantho uſto, argento vivo præcipitato, aliiſque ejuſdem claſſis confici poſſunt. Qui dolorum metu ignem & ſeptica medicamenta contemnunt, poſt cucurbitulas lixivio ulcus accurate abluunt, deinde cataplaſma è cinere ſarmentitio cum aceto ſubacto imponunt, aut theriacam ol. roſaceo dilutam. Nonnulli & ſale aut præcipitato mercurio inſpergunt, aut ſalſamentum ſuper vulnus deligant, omni cura & diligentia demorſæ partis inflammationem proritantes, ut humores ad eam majori impetu confluant. Quæ ad partem demorſam pertinent remedia ita ſe habent. Verumenim verò ſi ea, quæ retulimus auxilia primis diebus prætermiſſa fuerint, nec ſcalpro carnem incidere, nec uſtionem experiri operæ pretium eſt. Neque enim quod jam altius penetravit, inſedirque viſceribus, illa revocare poſſunt, ſed nullo profectu corpus doloribus proſternunt.

...dem igitur curationis modus accedat. Catharsim his tantum opis ferre tentatus est Dioscorides. ut quidam jam aquæ metum sentirent, sumpto elleboro simul ac primùm morbi impetum experirentur, fuerint servati. Quocirca eo non semel atque iterum, sed frequentius ante quadragesimum, vel etiam post hoc tempus, cum fiducia utendum pręcipit. Addunt nonnulli canes rabiosos elleboro cum polenta accepto vomuisse, & statim à rabie liberatos ad se rediisse. Quin & hieram, quæ colocynthidem recipit, non parum commendant. Hæc enim omnia quoniam vehementer movendo corporis habitum transmutant, ab hydrophobia liberare posse. Eadem de causa & sudores conferre arbitrantur. Avicennas primis diebus catharticis abstinet; postea verò purgantia propinat, si cacochymum corpus sit. Sunt tamen qui nec validiorum catharticorum, nec venæ sectionis usum, nec sudorum promotionem idcirco admittant, quod elleborus & colocynthis, & reliqua omnia vehementer purgantia, maleficum rabiosi canis virus (sive demorso tantùm loco, vicinisque partibus affixum erat, sive altius jam irrepserat) unà cum vacuando humore noxio exagitent, & à corporis ambitu ad interiores ejus partes (à quibus in cor & viscera facilè illabitur) convertant: verendum enim ne carnibus, aliisque solidis partibus in transitu obhæreat, & quicquid attigerit, contaminans, in præsentissimum hydrophobiæ periculum laborantem conjiciat. Eandem de venæ sectione, & sudorum provocatione, sententiam ferunt: quod universi corporis humores exagitent atque confundant, & rabidi canis virus (quod alioqui intus sopitum sine incommodo diu forsitan latuisset) commovent, manifesto hydrophobiæ discrimine. Nisi fortè in externa aliqua parte contractum vulnus est, è qua, nulla reliqui corporis perturbatione, statim post demorsum revulsionis ergo sanguis detrahi possit, puta in crure, tibia, brachio aut manu. His quidem rationibus contendunt catharticis medicamentis, & venæ sectione neminem ab hydrophobia, aut venerea lue, aut alio venenato morbo, si insertum in corpus jam virus est, vindicari posse, sed alexipharmacis opus esse contraria veneno vi, eaque cæca & occulta agentibus. Multos tamen novimus rusticos, qui vehementi propinato pharmaco, quod una eademque opera vomitione & dejectione supervacanea omnis generis è corpore excluderet, totiusque corporis habitum immutaret, demorsos ab hydrophobia arcerent: cujusmodi est, quod è ruta, absynthio, allio, bellide minore, calendula, melissophyllo, pauco elleboro nigro, sale & aceto potionis formâ conficitur, tribusque diluculis alternis repetitur. E multis autem internis præsidiis, à tota substantia & occulta proprietate agentibus, quæ veteres demorsos à cane rabido ab hydrophobia tutos reddere prodiderunt, duo Galenus efficacissima selegit, theriacam & cancrorum fluviatilinm cinerem. Theriacam hoc mali genus tollere, tum extrinsecus vulneri impositam, tum introsumptam scriptum reliquit. Aëtius illam in potu dat per primos tres dies, nucis avellanæ magnitudine, neminem qui ita eam hausisset, hydrophobiâ correptum se vidisse affirmans. Theriacæ vires proximè imitatur mithridatium. Fluviatilium cancrorum exiccatorum cinerem substantiæ proprietate mirabilem in his, qui à rabioso cane sunt demorsi, effectum præbere, sive solus sive cum gentiana, & thure exhibeatur, ex præceptoris sui sententia tradit Galenus. Thuris partem unam esse vult, quinque gentianæ, cancrorum decem: praberique modum cochlearis magni cum aqua bibendum, quotidie quadragintâ. Quod si aliquot post dies curam ceperis, duo cineris cochlearia misceantur. Celeberrimum hoc ex cancris antidotum, si mense augusto præparetur, efficacius esse tradit Aëtius: & in vase æris rubri lignis vitis uri præstare contendit. Avicennas & alii, quo tempore sol leonis signum peragrat, cancros & capi & uri, non parum ad ejus efficaciam facere contendunt. Omnes, in hoc conveniunt, quocunque tempore vel capiantur, vel urantur, eorum cinerem, vel solùm sumptum hydrophobiam arcere. Interim verò dum eo utuntur, ad vulnus emplastrum applicant, quod ex pice brutia, opopanace acetoque conficitur. Cancrorum pulvere qui rectè usus sit, neminem unquam mortuum fuisse affirmat Galenus. Dioscorides cineris cancrorum in sarmentis albę vitis crematorum bina cochlearia, singula verò radicis gentianæ tritæ & excretæ, in quaternos cyathos vini meraci conjicienda præcipit, quatriduo bibenda. Quod si ab illato morsu, ante cœptam curationem, aliquot dies fluxerint, à triplicato pondere, curationem auspicandum jubet. Quidam inter præcipua hujus morbi præsidia, assum canis qui momordit jecur commemorant, idcirco eo coctio demorsum uti triduum præcipiunt, & certe aliquot rusticorum, qui id post demorsum esitarunt, experientiâ didici, eo remedii genere aquæ pavorem prohiberi: Senis cujusdam experimentum celebrat Aëtius, quem demorsos à rabioso cane sola oxalide curasse testatur. Idem præstare dicitur & oxylapathum. Decocto vulnus fovetur, magma verò aut herba ipsa vulneri inducitur, succus cum vino aliquot dies bibendus datur, urinam acrem & multam movet, ac regium morbum expurgare dicitur hoc pręsidii genus. Alyssum herbam Græcis quod rabiem eximat ita nuncupatam veterum scripta percelebrant: verùm quænam hodie ea sit recentioribus inter se non satis convenit.

Cæterùm victus ratio nec tenuis esto, nec plenior, utraque enim hydrophobiæ pabulum subministrat. Tenuis humorum omnium acrimoniam adauget, bilisque fervorem accendit. Plenior excrementis putrere paratis nativum calorem obruit. Quin ejusmodi quoque sit, ut & veneni vires hebetet, restinguatque, & impediat quominus ipsum ad intima facilè insinuetur. Veneni vires restinguunt & hebetant alimenta, quæ præterquam quod probe nutriunt, peculiari etiam dote veneno resistunt & adversantur: cujusmodi sunt quæcunque cor partesque principes adversus ipsum muniunt atque & nativum calorem spiritusque recreant & erigunt. Veneni accessum intercipiunt, ejusque vires retundunt, & remorantur, quæ vias, quibus ad viscera iter est, obstruunt, & humorem in quo illud inhærescit, incrassant, acrimoniamque contemperant. Itaque vinum deligatur generosum, tenue, & odoratum, idque abunde diluatur. Carnes sint boni succi, coctu faciles, interdum quidem assæ mali punici, aut medici succo conditæ, interdum verò elixæ cum buglosso, borragine, lactuca, portulaca, oxalide, pimpinella, calendula, plantagine, menta. Nam & horum jusculum adversus omnes venenatornm animalium morsus, aut ictus insigniter prodesse, multorum fide & experientia certum est. Lactis quoque potus, quum venenorum omnium acrimoniam obtundat, commorsis haud negligendus, sicut nec reliqua omnia, quæ probabili ratione & experientia, adversus venena, aut occultas, aut manifestas vires habere videbuntur. Nonnulli alia, porros & cepas idcircò commendant, quod & difficile in ventriculo confici, & ægre forsitan à veneno vinci possint. Sed tamen horum usu humorum omnium acrimoniam, quam illi metuunt augeri manifestum est. Ira, excandescentia, mœror, & graves aliæ animi perturbationes, curæque omnes declinandæ, venus in totum intermittenda, dum suspectum tempus prætererit. Hæc enim omnia quum corporis

corporis humores exagitent atque conturbent, venenum in corpus præpropere impellunt. Alvus ſi quando pigrior videbitur, vel enemate, vel blandiore aliquo medicamento atram bilem ducente mollienda: Atque hæc quidem ex veterum ſententia demorſis à cane rabido curatio decernenda eſt. Jam præſentaneum alexipharmacum noſtrum tradendum, quod ſolum neglectis catharticis medicamentis, omiſſâ etiam quam modo diximus vulneris curâ quocunque à morſu tempore uſurpetur, certiſſimum ac tutiſſimum exiſtit, ut quo nullum unquam animal uſum viderim, quod non tam atrocis morbi periculum evitarit quacunque uteretur victus ratione, illæſis tamen capitis partibus, quæ dentes ſuperant: his enim vulneratis exigua ſalutis ſpes eſt, ut & vulnerata parte, ſtatim à morſu frigida elota.

℞. Foliorum rutæ, verbenæ, ſalviæ minoris, Plantaginis, foliorum polypodii, abſinthii vulgaris, mentæ, artemiſiæ, meliſſophyli, betonicæ, hyperici, centaurii minoris, ſingulorum æquale pondus. Legantur ſingula, quo tempore viribus pollent maximis, quod ad Junii ferè plenilunium, in hoc Galliæ tractu aſſequuntur. Papyraceis dein chartis concluſa ſiccentur ſeorſim in loco, ad quem neque ſol, neque pluvia pertingat, ne vel nimium exareſcant, vel ſitum contrahant. Siccata ad futuros uſus aſſerventur, ea lege, ut quotannis renoventur. Quum autem utendi neceſſitas incidet, ſingulorum æquale pondus in pulverem tenuiſſimum redigito, cujus ʒß. demorſis quotidie præbeto, idque vel ex cochleari cum duplo ſacchari, vel ex vino, vel ex pomaceo, vel ex juſculo, vel ex butyro, vel ex melle opiatæ formâ, jejuno ſtomacho, & tribus horis ante cibum. Quanquam autem ſeſquidrachma aut drachmæ duæ ſatis ſint, tum homini, tum omni animali quantumvis crudeliter ſauciato, nihil tamen obfuerit ad tres, quatuorve proceſſiſſe, quum præſertim vel longò poſt demorſum tempore, vel natâ etiam hydrophobiâ, curationem aggredimur. Qui hydrophobiâ jam correptus eſt, arctè vinciendus, ut quem dixi pulverem vinô, aliöve liquore ſolutum (nihil enim ad curationem refert) deglutire cogatur, ore etiam ſi opus ſit, vi adapertô Satiùs autem fuerit in furoris intermiſſione quum mens integra eſt, remedium propinare.

Jam verò quum primùm contractum vulnus eſt, ne in ſordidum ulcus degeneret, ſpongiâ aut ſiccis linteis exiccatum, vino aut hydromelite, in quo ſupra poſiti pulveris ʒß. ſoluta ſit, bis, terve, quotidie foveto: deinde unguentum aut emplaſtrum inducito, quale aliis vulneribus ex uſu eſt, & ita ſaneſcere ſinito, nullo hydrophobiæ metu. Hæc dum fiunt, nec conſuetam victus rationem immutare, nec domi ſe continere, nec purgans medicamentum uſurpare neceſſe eſt, niſi fortè ante cœptam curationem nata erat hydrophobia: ea quippe ſublata qui jam vitium fecerant corporis humores, partim expurgari, partim idonea victus ratione immutari debent.

Henrici ſecundi Galliarum regis venator, gravi morbo decumbens, bona fide Johanni Fernelio, præceptori meo amantiſſimo, aſſeveravit pimpinellam ad præcavendam hydrophobiam tantam vim obtinere, ut quicunque eam aliquot diluculis, vel in acetariis, vel alio quovis modo apparatam, poſt demorſum comederit, nihil inde incommodi ſentire poſſit: quod in canibus regiis ſe primum expertum fuiſſe dicebat, quibus demorſis illam fœlici ſucceſſu offerebat. Si quis igitur eam volet in brutis primùm experiri, dein ſi reſpondeat, ut reſpondere in aliquot comperi, ad demorſos homines transferre, præſidium erit paratu facillimum. Verùm enimverò quum nullum hactenus animal noſtro alexipharmaco uſum ſit, qui non feliciter ceſſerit, ſive jam nata, ſed non ultra tres paroxyſmos, erat hydrophobia, ſive ea ex demorſu metuebatur, fruſtra in aliis inveniendis tempus & operam poſtea luderemus. Hujus autem præſtantiſſimi antidoti inventio atque exploratio Jacobo Sylvano Domino de Pyrou viro antiquitate generis & nobilitate præſtanti, accepta ferenda eſt. Vellem interim argutulos quoſdam acerrimos abſtruſarum rerum, ſi diis placet, inveſtigatores, qui occultas medicamentorum proprietates pro ignorantiæ aſylo reputantes, eorum omnium, quæ in arte fiunt cauſam ad manifeſtas medicamentorum qualitates acceptam referunt, mihi indicarent, quomodo deſcriptus pulvis calidus quum ſit, febrem tamen malignam, eamque continuam, delirio, aliiſque pernicioſis ſymptomatis comitatam nulla excretione manifeſta profliget, atque hydrophobiam tam facilè vel præcavere, vel perſanare poſſit? Quinam, cedo, temperiei intemperieive gradus, omni animali, ætati, ſexui, & corporis conſtitutioni, ita reſpondeat, ut eundem effectum in omnibus producat? Sed valeant illi, & ad ſenium uſque nihil præter intemperiem circumtonent. Celſus unicum hydrophobiâ oppreſſis remedium eſſe putat, nec opinantem ægrum in piſcinam, non antè ei prævíſam projicere: Et ſi natandi ſcientiam non habet, modò merſum bibere pati, modò attollere: ſi habet, interdum deprimere, ut invitus quoque aquâ ſatietur. Verùm ſi hyems erit, ne corpus infirmum in aqua frigida vexatum nervorum diſtentio adoriatur, à piſcina protinus in oleum calidum demittendus æger eſt. Noſtrates hoc remedii genus ad præcautionem uſurpant, mare fluviis præferentes. Hydrophobiâ jam oppreſſis, iſtam curationem infœliciter ceſſiſſe: at præcautionis gratiâ pleriſque profuiſſe, multorum experientiâ compertum eſt. Quanquam ne huic quidem remedio prorſus fidendum eſſe per multorum mortes didicerunt populi maritimi. In pleriſque enim aquæ conſpectus hydrophobiam veneno in corpore commoto celerius exſuſcitat, quod alioqui ſine ullo ægri incommodo diutius deliteſcere, & alexipharmaco extingui, domarique potuiſſet. *Hactenus Julius Palmarius de morbis contagioſis.*

Rabiei explicatio & curatio ex Joſepho de Aromatariis.

Rabies quamvis plures in ſe ſpecies habeat; non eſt tam amplum latumque genus quàm angina. Eſt igitur videndum, quænam angina ſit quæ Rabies dicitur; quod forſan facilè colligemus, dum proprium rabiei ſignum ad memoriam revocabimus. Id rabidis proprium eſt, ut potulenta deglutire nequeant: ſique tentent: vel potiùs ad nares reſiliat: vel ęgri ſtrangulentur. Conſiderandum ergo venit, qua ratione fiat, ut in quibuſdam cynanchicis difficilis potatio fiat: in quibuſdam verò difficilis deglutitio. Methodicorum plurimi crediderunt in ſtomacho, ſcilicet in infima gulæ parte, ac in ventriculo, fieri famem atque ſitim: illam quidem quadam conſtitutione parvarum viarum: hanc autem majorum. Undè ſecundùm ipſos, patentibus parvis iis viis, potûs abominatio ſequitur: Verùm nos hoc loci non concedimus vel negamus id ſic fieri: Sed aſſerimus, ſtante eo principio non poſſe fieri ſitim & appetentiam potûs eodem prorſus tempore, quò fuga ſuadetur. Quòd ipſi verò ſub nomine ſtomachi intelligant infimam gulæ partem, quæ ori ventriculi conjungitur, optimè apparet ex 80. prob. Caſſii. Nec id novum exiſtimari debet; Habemus etenim ab *Hippocr. lib. de corporum diſſect.* Οἰσοφάγος ὁ ἀπὸ τῆς γλώσσης τὴν ἀρχὴν ποιεύμενος ἐς κοιλίην τέλεται, ὃν δὴ καὶ ἐπὶ σκεπτικῆς κοιλίης στόμαχον καλέουσιν, *id eſt,* Gula verò, à lingua principium faciens in ventriculum deſinit, quam ſanè etiam juxta putrefacientem ventriculum

culum ſtomachum nominant. Alii verò credidere id cynanchicis accidere ex diſpari pondere, è ſoliditate ciborum & potionum; quod & nos quoque magnam vim habere credimus: ſed ſi alimentorum actio tantùm ſpectanda venit; cur non ſemper anginoſi denſiora devorant faciliùs? Aliqui id fibrarum conſtitutioni tribuunt; aiunt quippe internas rectas gulæ fibras deglutitioni potus inſervire: externas verò tranſverſas deglutitioni ſolidorum; Undè aiunt, patientibus internis fibris gulæ, difficillimè poſſe ægrotantes potum ſumere. Nos hoc loco non negamus nec aſſerimus has actiones à diverſis fibris provenire: Sed aſſerimus vidiſſe ægrotos, qui difficillimè ſolidam eſcam devorabant: imò ſæpius non poterant aſſumere: Liquidam verò ſive dicas fluidam facillimè recipiebant; & nihilo tamen minus horum aliqui laborabant interno gulæ tumore, eoque inflammato: Alii verò levi internarum fibrarum excoriatione vexabantur: & nonnulli gravi earundem partium ulcere.

Cùm igitur ab iis, qui anteceſſere, nihil certi videatur ſtabiliri poſſe, non erit equidem incongruum, ut ex natura id rimari nos tentemus. Pluribus ergo modis videtur potus impediri poſſe, vigente adhuc libera facultate deglutiendi ſolida. Alter modus erit ratione abominationis, quæ poteſt progigni vel ab intenſa humida qualitate ſtomachum alterante, vel à frigida humidaque materia ipſum occupante; in quo quidem caſu accidit ſitim undequaque extingui. Sed cùm rabidi valdè ſitiant, hac ratione potum non abhorrent. Alter modus eſt, quotieſcunque palati extrema pars poſtica inflammatur, tunc enim temporis potus deglutiri nequit, vel ſaltem difficulter, quin ad nares potius reſiliat, ſtrangulatuſque moveat; cujus rei cauſſam inferiùs declarabimus: Poteſt inſuper impediri potus tranſitus à nimia pituita cruda atque viſcida œſophagum replente; propterea quòd impulſus potus non habet tantam vim impulſivam, ut pituitam penetrare valeat, quantam habent ſolida cibaria, imo pituitam elevat in ampullas, undè magis compreſſa proxima arteria ſtrangulatus patitur. Tandem depravatur quandoque potulentorum tranſitus, nulla apparente manifeſta læſione: ſed larynge patiente. Cur autem inflammata palati extrema parte ſive larynge læſa id contingat, facillimè videbimus, dum cognoverimus, quonam modo organa ſeſe gerant in potando, quonam verò in comedendo. Præaccipere igitur oportet gulam & aſperam arteriam à faucibus incipere, hoc tamen diſcrimine, quòd non ſolùm poſtica ſingula, ſed etiam videatur altius principium retinere: larynx verò non ſolùm ſit in anteriori colli parte ſita, ſed inferius videatur obtinere principium, quo gulam impingere & claudere videtur. Undè quoties facienda eſt deglutitio, larynx debet elevari ſupra œſophagi principium, quod deprimi & dilatari debet. Id autem facillimè contingit ope muſculorum laryngis, quos communes œſophago cognominant; quibus quidem alteram partem comprimentibus oppoſita elevatur, & vice verſa. Inſuper diligentiſſimè animadvertendum eſſe credimus, laryngem dum potamus altiori loco & longiori tempore deduci, quàm dum comedimus, & per conſequens ipſam & arteriam conſtringi magis & longiori tempore; unde longiori tractu reſpiratio detineri debet in potando quàm in comedendo: Sic etiam ex altiori laryngis elevatione profundiorem fieri compreſſionem ipſius oris gulæ. Nec id prætereundum eſſe credimus, quod ſcilicet in deglutitione extrema pars palati gulam verſus tendit: quòd, ea parte inflammata, difficiliùs accidit ex potu, quam ex cibario ſolido, cùm ille non valeat tam fortiter impellere, quàm iſtud. His igitur ſic ſtantibus, ſi extrema pars palati inflammata fuerit, difficillimè deprimetur gula quantùm ad potendum ſatis; ex eo quòd muſculi, qui palato & gulæ communicant, breviores redditi id fieri negant. Potus igitur cùm ob eam cauſſam permeare nequeat, adventante ſpiritu à pulmonibus, impellitur per nares, vel ſi non dimovetur, ſuffocationem commovet. Præterquam quòd palatum difficilius à potu quàm à cibo gulam verſus pellitur. Dum verò larynx inflammatur, fit rationabiliter difficilis reſpiratio; quæ difficillima redditur, imo omni modo negatur, ſi elevari & conſtringi debet, quantùm pro potando ſatis. Undè natura, tanquam ſuffocationi proxima, potum validiſſimè refugit & per nares repellit, impellente ſpiritu. Ex his igitur apparet rabidos laborare vel palati inflammatione, quod non videtur: vel ea angina, quæ laryngem occupat, vel ea, qua œſophagum phlegmate repletur. Quæ quidem duo in ipſius fieri, per ſectionem facillimè patere poteſt.

Diximus quid ſit rabies: at res dubiæ non ſic determinandæ veniunt: ſed rationibus, auctoritatibus & experientiâ comprobari debent. Videamus igitur primò, an aliquod nomen habeant angina & rabies, quod idem ſaltem innuat. Rabies in brutis animantibus *Ravia* dicitur ab aliquibus, quod raucedinem progignat: Angina verò & ipſa in quibuſdam brutis κραῦρος, ſcilicet Raucedo nominatur ab Ariſtotele. Sed non eſt nomini fidendum. Canes anginâ laborare clariùs patet, quàm diligentiori egeat probatione; ob hoc nempe κυνάγχη dicitur à Græcis: undè apud Aurelianum legimus *lib.* 3. *Oxeon cap.* 1. Alii verò etiam cynanchen & lycanchen hanc paſſionem vocaverunt, ſiquidem frequenter hæc animalia afficit; nam canes cynas, lupos lycos vocaverunt. Nec dicendum eſt canes eâ tantùm anginâ laborare, quæ occupat externas colli partes; cùm ea, quæ fit cum apparente tumore interno, peculiari nomine κυνάγχη dicta fuerit, propterea quod ſæpiſſimè canes ipſâ ſtrangulentur. Sed videtur non eſſe ulterius progrediendum; quippe Ariſtoteles dixit *lib.* 8. *de Hiſt. Anim. cap.* 22. Οἱ δὲ κύνες κάμνουσιν νοσήμασι τρισίν. ὀνομάζεται δὲ ταῦτα λύττα, κυνάγχη, ποδάγρα. *id eſt*, Canes laborant tribus morbis: iſti autem vocantur rabies, cynanche, podagra. Quibus verbis clariſſimè videtur noſtram evertere ſententiam, cùm rabiem ab angina ſeparet. Sed non ſic forſitan ſeſe res habet. Cùm & nos quoque anginam à rabie differre dicamus, ex hoc quòd angina ſit latius quoddam genus. Sic etiam *Hippocrates* 21. *Aphor.* 21. *Aphor. ſect.* 3. dum de morbis, qui æſtate fiunt, loqueretur, dixit: καὶ πυρετοὶ συνεχέες, καὶ καῦσοι, *id eſt*, Et febres continuæ & febres ardentes; quamvis febris ardens ſit ex genere continuarum. Sed ulterius urgebunt forſan alii, aſſerentes Galenum alioſque Medicos magni nominis longè aliter de natura rabiei, quàm nos ſenſiſſe: Sed de hac re ſolliciti non ſumus. Admiramur Galenum reliquoſque eruditos viros & eorum placita, ſed veritatem longè magis. Imo ſi nobis notum fuiſſet Galenum alioſve attigiſſe hanc opinionem, quam nos ſequimur, non fuiſſet cur libellum hunc conſcriberemus; cùm poſſit unuſquiſque Galeni dogmata, nullo adhibito noſtro auxilio, recognoſcere in mirabilibus libris ab illo conſcriptis.

Redeamus igitur ad inceptum, & videamus an accidentia, quæ in cane rabido apparere ſolent, poſſint fieri etiam ab angina. Hujus rei teſtimonium præbet Aretæus, cujus verba eruditiſſimus Paulus Junius Craſſius elegantiſſimè interpretatus eſt hoc pacto: Adeſt ſanè canis anginâ laborantis, tonſillarum, faucium, totius oris inflammatio: lingua extra dentes & labia prominens: ſaliva effunditur: pituita craſſiſſima ac frigida defluit, facies rubicunda & inflata eſt: oculi exerti, patentes valde rubent: potus in nares refunditur: dolores acerbi ſunt: Sed ſtrangulatio-

ne

ne vexati eos obscuriùs sentiunt. Pectus & cor ardent: frigidi aëris desiderium adest, & admodum exiguum inspirant, eousque donec demum intercluso ad pectus aëris transitu strangulentur. Si quis igitur hujusmodi accidentia in cane viderit, nonne statim ipsum rabidum affirmabit? Nonne sunt ista, quæ nos deducunt ad rabidorum cognitionem, dictitantibus auctoritatibus & ipsâ insuper naturâ; Sunt qui visis hujusmodi passionibus in homine, cùm non potuerint ad bruta caussam referre, non dubitarunt confiteri rabiem in hominibus ab interna caussâ generari posse absque ulla contagii suspicione. Sed non tam breviter sententiam nostram demonstraram volumus: Verùm distinctè magis ostendemus tempora & accidentia eadem prorsus esse rabiei & cynanches, nec varias insuper habere caussas.

Quatuor anni temporibus, Avicenna teste & experientia comprobante, rabies fieri solet, quicquid alii quidam dicant: Iisdem temporibus cynanchen fieri scripserat Hippocrates, vel si alius fuit Auctor lib. de victus rat. in morb. ac. Caloris & frigoris excessus rabiem excitare solent. Quid mirum? fluxiones pariunt: à fluxionibus cynanchen fieri ab omnibus habemus; eas verò à nimio externo frigore vel calore gigni videmus quotidiè, & habemus ab Hippocrate lib. de veteri Med. lib. de locis in hom. & alibi; testatusque est Halyabbas lib. 9. Theor. cap. 19. Avicennas, Galenus, Aretæus, & unusquisque (ut ita dicam) Medicinæ scriptor. Nec à ratione discrepat; nimirum excellens & immoderatum frigus cerebrum refrigerat, constringit, & humiditatem, ejus exprimit, redditque impotens ad benè concoquendum nutrimentum, quod defertur illi, & ad resolvendos elevatos ad ipsum vapores. Undè non solùm assidui sunt ab illo fluxus, sed insuper, cùm sanguis liberum transitum non habeat, jugulares venas improportionatè replens, crassescit, & eos inflammatione concepta lædit. Calor autem excedens longè magis attrahit, quàm concoquere & retinere possit, improportionatè cerebrum calefacit, ac indè liquat, carnes rarefacit, & humores tenuiores reddit nec non calidiores; undè (quemadmodum Hippocrates dicebat) calida, acris & nitrosa fluxio. Præterea incalescit etiam cerebrum à frigore quandoque, veluti dixerat Hippocrates lib. 2. de morb. Item si rabies ortum habere solet à calidioribus & frigidioribus potionibus & cibis, ipsisque acrioribus & putridis: Sic cynanchen fieri Aurelianus affirmavit: imò Aretæus inter caussas anginæ non solùm refrigerationes, & calefactiones, ebrietates, frigidosque potus, sed etiam saturitates solas posuit. Et Hippocrates lib. de vet. Med. inter fluxionum caussas, acrimoniam & intemperantiam humorum numeravit; quæ duo quàm facilè ab enumeratis caussis proveniant, omnibus clarè patet. Quòd autem accidentia rabiei sint cynanches accidentia, nunc remanet nobis demonstrandum.

Quicunque ab animali rabido vulneratur; à principio nihil præter vulnus, non magis quàm aliud dolorificum, pati consuevit. Sic etiam nihil præternaturale à principio percipit, qui spuma vel spiritu rabidorum fuerit infectus. Processu verò temporis, modò longioris, modò brevioris, accidentia multa patitur. Quæ primò cum Aureliano dividemus in antecedentia & subsequentia. Et in ordine primò numerantur corporis difficultas, insolitusque motus, somni suspensi atque turbati; quibusdam dolor capitis, & aurium tinnitus, stomachi gravedo, cum parva bibendi voluntate, & ciborum corruptione; crurum & brachiorum extensio; crebra jugisque oscitatio; insueta querela, quòd aër sit veluti austrinus, quamvis fuerit serena quies; Visus quoque falsitas pervolantium veluti culicum; vultus fervor; Anxietas quædam sine ulla ratione & iracundia. De quibus omnibus priùs quàm ad alia deveniamus, rationem reddere tentabimus. Primò igitur præscire oportet, quod in fluxionibus non solùm pars recipiens, sed & illa quæ demandat, patitur. Habemus namque ab *Hippocr. lib. de nat. hum.* Necesse est enim cum quid horum (loquitur de humoribus) secretum fuerit & per se steterit, non solùm eum locum undè secesserit, sed etiam in quo stat, & in quem propter nimiam copiam diffusum est dolore ac morbo vexari. Unde non solùm gulam & alias colli partes in cynanche malè affici asseverandum erit, sed etiam caput præpati dicendum. Quàm facilè insuper fluxiones à capite ad ventriculum proveniant, omnibus quidem apertissimè patere credo, & experientia ipsa demonstrante, & gravissimorum etiam auctorum testimonio comprobante, Hippocratis præsertim in lib. de Glandul. in lib. de locis in hom. In 1. & 3. de morb. & aliis pluribus in locis. Hoc igitur ante omnia retinendum est, in cynanche non solùm (quemadmodum diximus) gulam & reliquas circumpositas partes malè affici, sed etiam caput, oculos, pectus, stomachum, &c. coaffici: partim ob præsentem materiam, partim ob infensos delatos vapores, communicatamque aliam præternaturalem affectionem. His sic stantibus, cùm caput patiatur, mirum non est, dolores in ipso fieri, somnos suspensos atque turbatos reddi: nec mirum est, aërem apparere nubilosum, & parvis animalculis volantibus refertum; Habemus etenim ab Hippocrate lib. 3. de morb. quod cynanchici obtusiùs vident; provenit autem hoc præcipuè à vaporibus, à fluxione, ab excedente communicato calore, & ab impulsione venarum jugularium, estque signum adventantis maniacæ passionis. Ventriculus autem ab capitis consensum & ob defluxum, ab ea parte læditur gravedine, parva bibendi voluntate, ac ciborum corruptione; ab hac eadem caussa anxietatem fieri asseverandum erit, si Galeno credimus, cùm 7. *Aphor. cum.* 56. legamus: Eodem modo & ægrotos illos anxios esse (scilicet dicimus) qui accubitum non ferentes jacendi figuram evariant, quia semper præsens aggravat eos. Hoc verò præcipuè illis consuevit, quibus in ore ventriculi (quod nos sæpè solemus stomachum nominare) certa quædam humoris qualitas continetur ventriculo molesta, quæ neque plurima est, neque in ventriculi fluctuat cavitate: sed eam ipsæ imbibêre tunicæ. Et Hippocr. dicebat lib. 2. de morb. de iis, quibus gurgulio inflammatur, quod nesciunt stare loco: sed sese vibrando spiritum & animam efflant; & de cynanchicis lib. 3. de morb. quod crebro sese jactant & exiliunt. Indignatio autem & ira (secundùm Cassium) proveniunt & ipsæ quoque ob materiam, quæ defertur ad infimam gulæ partem & ventriculum, undè existimavit iræ & indignationis caussas promanare: nos verò addimus, ab excedente calore, & commoto bilioso humore, & à percalefacto spiritu, ob impeditum respirationis transitum, sanguinem aliquantulùm accendi circa cor, & inde iram ac indignationem provenire. Crurum & brachiorum jugis extensio & oscitatio crebra fiunt à detento spiritu, detentaque flatuosa humiditate in musculis, per quos tales motus fiunt; dum etenim viam sibi ipsis aperire tentant, hujusmodi motum gignunt. Sic apud Hippocrat. legimus; Multus aër coacervatus cumulatim superne petens, commovet ac diducit os, cùm per hoc facillimus ei exitus pateat: quemadmodùm enim ab aquis in lebete ferventibus vapor multùs elevatur: sic & corpore calefacto penetrat per os aër convolutus & quadam vi erumpens. Sic etiam legimus apud

Gal.

Gal. in 2. epyd. com. 6. part. 3. Hęc itaque & aliæ hujuſmodi infirmæ diſpoſitiones dum incipiunt adnaſci, ſolvuntur, ſecernente natura eos ſpiritus & humores, qui ipſas generarunt: veluti oſcitatio, & diſtenſio cum oſcitatione, quæ fiunt ex ſecretione excrementorum. Sic etiam Ariſtoteles in prob. retulit oſcitationem ad vapores. Quod autem in cynanchicis vapores fiant, & eleventur fortiter, nulli dubium eſſe credimus. Poſſemus forſan aliam quoque reddere rationem, quod nempè jugulares venæ meningem percalefaciant, & inde levia quædam principia convulſionis generentur, quæ à vaporibus quoque fieri poſſunt; non eſſet enim forſitan arduum & inconveniens, oſcitationem ad levem quandam convulſionem redigere; ſic & brachiorum extenſionem fieri à natura pugnante contra principia quædam levia convulſionis adventantis.

Diximus de accidentibus, quæ ſeſe primò propalare ſolent in iis, qui à rabido ſunt infecti, veluti nuntia crudelioris agminis: Sequuntur namque plurima, quæ momentum longè majus habent. Horum autem nonnulla pertinent ad reſpirationem: nonnulla ad vocem: Aliqua ad locutionem, alia ad deglutitionem: quædam ad oculos, quædam ad faciem: Plurima ad ſtomachum: plurima ad alias partes: Multa ad totum corpus, alia denique ad animæ operationes. Facies ergo inflammatur, oculi exerti, rubenteſque patent. Hoc idem in cynanchicis evenire adeo clarum eſt, ut non indigeat probatione; teſtantur tamen Avicennas, Aurelianus, Aretæus, Galenus, Hippocrates, & alii. Cauſſa verò videtur eſſe ſtrangulatio, quæ ſanguinem ad eas partes compellit, nec non communicata inflammatio, & impeditus venarum tranſitus. Lumen rabidi adverſantur, quemadmodum Avicennas docuit nos: Hoc idem de cynanchicis omnes affirmarunt; Quod ab ipſa inflammatione ac intumeſcentia oculorum provenit; Difficulter ſpirant rabidi: Hoc idem de cynanchicis dicebant Hipp. Galenus, & quicunque alii; Quid mirum, ſi, quid ſit angina, memoriæ repetamus: Vocem raucam illis reddi Avicennas affirmavit: & de cynanchicis Hippocrates dicebat, vox obtuſa. An forſan latet cauſſa? Nonne clarum eſt à fluxionibus id quotidie fieri? Linguam difficulter movent rabidi: Sic & cynanchici cùm ipſis intumeſcant venæ, quæ linguam penetrant; & hujus partis muſculi ad anginarum loca deducantur, ſintque male per conſequens affecti. Linguam aliquando rabidi extra os protendunt: hoc etiam & cynanchici, veluti & apud Aretæum, Aurelianum, & alios plurimos habemus. Rabidos murmurare dicebat Avicennas & Aurelianus, cynanchicorum loquutio non articulata ſed confuſa. Vox veluti latrabilis vel luporum vocem æmulans in rabidis narratur. Sed quid? Cælium auſcultemus: Alii verò etiam cynanchen & lycanchen hanc paſſionem vocavere, ſiquidem frequenter hæc animalia afficit; Nam canes cynas, lupos lycos vocaverunt, quorum quoque ſimiles voces ſive ululatus in cynanchica paſſione conſtituti, cùm perfocari cœperint, emittunt, &c. & cap. 2. repetebat ſic: Quibuſdam caninus vocis ſonitus: Et nos vidimus mulierem laborantem anginâ ob menſtruorum retentionem ſubitam, genitam à calore prunarum accenſarum loculis ſuppoſitarum, quæ quoties bibere tentabat, tremens voces modò lupinas modò caninas reddebat. Hoc autem manifeſtiſſimis cauſſis, non occultis fieri credimus. Præaccipere igitur oportet, quod Hippocrates dicebat, cynanchicos in naſo loqui, quamvis Avicennas aliter crediderit. Inſuper hoc etiam retinendum eſt, cynanchicorum linguam fieri tumidam difficiliſque motus, vocemque reddi raucam. Quibus ſic ſtantibus neceſſariò ſequitur canina vel lupina vox: cùm etenim loqui volunt, duobus modis poſſunt aërem impellere, vel violenter & interrupte: vel ut ita dicam, querule & extenſe: ſi violenter ac interrupte faciant ob reſpirationis indigentiam, cùm aër impulſus non poſſit à lingua bene articulari, & ab organis vitiatis aliquo modo reprimatur, neceſſariò vocem, veluti latrantem, facit: Si verò querulè & extenſe, luporum more ululant; cùm lente admodum per nares tranſeat, quemadmodum unuſquiſque ex arbitrio experiri poterit. Non eſt enim vere latratus, ſed potiùs, uti apud Hippocratem habemus, vox abrupta, obtuſa, ac violenter reddita: Non proprie ululatus, ſed indiſtincta, querula vox rauca. Aliena quandoque loquuntur rabidi: Et de cynanchicis idem apud Hippocratem habemus lib. 2. de morb. pop. & aliis pluribus in locis. Hujus autem clara cauſſa; malè ſiquidem afficiuntur mentis ſedes. Amittunt rabidi vocem, ac ſtertunt: Hoc & cynanchici; ſuffocantur etenim ac ſtrangulantur. Rabidi ſpumam ore reddunt: Hoc etiam de cynanchicis Aretæus, Cælius, Hippocrates, & alii ſunt teſtati: cujus rei cauſſa legitur apud Galenum 43. com. lib. 2. Aphor. aliiſque pluribus in locis. Sitiunt rabidi: ſitiunt & cynanchici, dum paſſio incrementum habuit, propter nimium intrinſecum calorem, à quo tandem aqua pericardii conſumitur, non aliter ac in ardenti febri conſumptam vidit *Johannes Jeſſenii à Jeſſen.* Sed quamvis ſitiant, cùm non poſſint deglutire, potum & eſcam averſantur rabidi: Quòd etiam de cynanchicis Hippocrates dicebat lib. 2. de morb. prop. ſect. 2. & aliis pluribus in locis, & Avicennas cap. de ſignis angin. & Aurelianus cap. 2. lib. 3. *Oxeon*, nec non omnes, ut ita dicam, Medicinæ ſcriptores. Sed hujuſcemodi ratio inſufficiens aliquibus apparere poterit; cùm rabidi aquam videre non ſuſtineant. At nos hoc quoque in cynanchicis evenire demonſtrabimus. Nunc ad alia nonnulla accidentia deveniamus. Qui (ut dicunt) Hydrophobici jam ſunt, ac morti proximi, tentantur nauſea & vomitu: Sic & cynanchici. Nec id irrationabile dicendum: cùm ſupernus ventriculus excalfactus, attrahat in ſe, fiatque inde vomitus, quemadmodum *Hippocrates lib. 1. de morb.* nos docebat. Convelluntur rabidi: convelluntur cynanchici. Emittunt illi involuntarie ſemen: ſic & iſti ob convulſionem. Obſervatum fuit generari quandoque vermem in anteriore parte capitis, tam in cane rabido, quàm in homine: Hoc etiam in cynanchicis obſervavit quandoque Philippus Aureolus, integræ ſcholæ Princeps. Rabidorum aliqui febricitant: aliqui verò non: Sic & cynanchici. Difficillime potant illi: imò à potu ſtrangulantur: ſic etiam difficillime cynanchici nonnulli: imò à ſaliva ſola ipſos quandoque ſtrangulari dixerat Hippocrates, ſi eam deglutire tentent.

Verùm dubitabit aliquis, qua ratione fiat, quod rabidi turbentur ex ſolo audito aquæ ſonitu, vel etiam nomine? Qui ejus rei cauſſam exoptat, memoriæ recolat, rabidos non levem læſionem pati à potulentis; unde neceſſariò apprehendunt ſpeciem illius tanquam aufugibilem. Et eo quidem magis, ſi mente alienati fuerint. Quippe Maniaci videntur fortius retinere ſpecies jam apprehenſas; unde mirum non eſt ſi quandoque ad ſonitum decurrentis aquæ vel audito tantùm nomine exacerbentur ægri; fit etenim ab imaginatione ad organa regreſſus: quomodo autem id contingat per recordationem, Caſſius nos docebat 73. prob. & Suidas in verbo Ἀνάμνησις; totum id ſpiritui tribuentes. Nec inſtet aliquis ex hoc, quod quandoque accidat, rabidos ex aquæ intuitu lædi primo quam ex ipſa potatione: id etenim & nos quoque ſcimus ab Aureliano & Caſſio confirmatum, quibus

quibus aſſentimur? Sed addimus id ob aliam cauſſam contingere: ob nimiam ſcil. diſgregationem jam ægrotantis oculi, factam à rebus lucidis. Anginoſi namque ſplendida & lucida non ſuſtinent, ob eam effectionem quam oculis patiuntur. Hinc forſitan Democritus jubebat (referente Cælio) potum præbendum in poculo ſphærico. Et Methodici mandabant ipſos obnutu vultu bibere. Et Arabes alii voluere illis dari potum in vaſe confecto ex cute lupi, vel alterius animalis, cooperto eodem cutis genere, vel latrinæ panno: Alii per canalem longum optimè cooperto per os infundi potum voluere: Non quod virtus ſit in cute vel panno aliiſque talibus ridiculis: verùm ut ægrotorum oculi non exaſperentur, quemadmodum fieri ſolet, ex reflexione luminis, quę provenit facillime ab aqua, vitro, ſpeculis, cæteriſque talibus. Addas à viſione citius & fortius imaginationem commoveri, quàm ab alio ſenſu.

Sed ampliùs. Non incongrue videbitur plurimum diſtare ab angina rabies, dum meminerimus à rabidis commingi res carnoſas veluti parvos catulos. Sed id plurimi negatunt: & qui aſſerunt non conſentiunt: alii quippe dixere id contingere in fine morbi, quod a Radio & pluribus aliis reprobatur: Alii verò aſſeruere id fieri intra ſpatium ſeptem primorum dierum, quibus tranſactis aiunt animalcula in renibus congenita non poſſe ampliùs pertranſire urinarias vias. Sed hæc ridicula videntur, cùm nullum horum appareat in urina, vel in renibus. Expurgatur quidem cum urina & pituita & ſemen putrefactum, unde curioſiores quidam poſſunt ſibi ipſis varia ſimulacra fingere, potiùs per acriorem imaginationis vim, quàm per exiſtentiam rei, ut de lunæ maculis evenire videmus, quæ unicuique pro imaginationis propenſione varias formas repræſentare poteſt. Nec equidem credimus irrationabile quandoque accidiſſe in rabidis cynanchicis, ut ex putredine genita fuerint quædam animalcula, & excreta per urinas: ſed id non eſt proprium rabiei, nec perpetuum. Legimus apud *Plut.* 8. *ſympt. prob.* 9. Athenis ephebum cum multo ſemine ejeciſſe beſtiolam aſperam, multis pedibus ambulantem: nec deſunt plurimæ hiſtoriæ, apud Schenckium, iſtius generis.

Quod majus negotium faceſſere videtur, eſt quod rabiem contagioſam diximus, cynanches verò contagioſa non videatur. Sunt equidem qui negent, rabiem eſſe contagioſam, ex hoc, quod ſuppoſuere ipſam eſſe ſicciſſimæ naturæ & potiùs venenum, quàm contagioſum morbum. Sed à veritate forſan aberrarunt, non dirigentes oculos ad humiditates plurimas rabientium corporum, & non diſtinguentes venenum fieri à corpore incontaminato in propria ſpecie: contagium verò à putrido & corrupto, ſiquidem vipera, aconitum, arſenicum, & alia quæ ſunt venenoſa, vel venenum pariunt, occidunt venenando, quamvis nullam patiantur putredinem & corruptionem: ſed hoc ſatis eſt, quod habeant naturam contrariam iis animalibus, quæ necari debent. Contrà verò à propria naturali conſtitutione receſſere plurimum oculi laborantes humida inflammatione, cutis vitiata ob ſcabiem, pectus læſum phthiſi, aër infectus peſte, caniſque rabie detentus. Cùm igitur ſit contagioſa rabies; videndum eſt, repugnet ne Anginæ contagium. Ariſtoteles dicebat illas ægritudines contagio fieri, quæ vitiant ſpiritum, gravemque reddunt & humiditati jungunt, adeo ut illius ope adhærere poſſit corpori afficiendo. In quibuſdam anginis verò, quid vetat maximam adeſſe commixtionem ſpiritus & excrementi pituitoſi? Nonne fit ſpuma? Quid vetat excrementa putreſcere, & vitiari ſpiritus? Certiſſimum eſt hîc Venetiis Sacerdotem quendam digito commorſum fuiſſe à febricitante quodam cynanchico, dum ob illius deliramenta crederet ipſum dæmonio vexatum, admoveretque digitum illius ori. Et certiſſimum eſt eundem religioſum virum, poſt octo dies, rabie correptum obiiſſe. Quo autem modo per contagium communicari accidat, nunc remanet declarandum. Fit primò angina rabida, ſcilicet putrilaginoſa & occupans gulam, laryngem, eique adnatas glandulas. Spiritus hinc humido putrido admiſcetur, & quaſi computreſcit; ambo ſpumæ commiſcentur, vel ſaltem aëri, quem rabidus ore reddit. Si ſanum corpus tangant, ad ſui naturam alterant obvios ſanos ſpiritus, ſanguinem & humores. Et id quouſque ad determinatum locum perviat infectio, & gignatur ſimilis rabida angina; quę inde totum corpus alterat, quouſque mortem inferat. Nec ſit qui miretur, quomodo infectio determinatum locum petat; evenit etenim aliquando, ut determinatæ partes per contagium lædantur: idque fit vel affecta parte poſt partem uſque ad determinatum locum: vel tendente contagioſo ſpiritu primario ad partem determinatam. Afficitur hoc modo oculus in ophthalmia, pulmo in phthiſi, ſummum corpus ob ſcabiem, & quęcunque tandem primò & facilè moventur ab eo quod movet: Altero verò modo afficiuntur inguina, caput, articuli, & alia membra plurima nonnunquam in morbo apud nos vocato Gallico. Hęc a. determinatarum partium defectio provenit ab ortu, & humidi ſimilitudine: dum etenim vitiatus ſpiritus corpora ingreditur; conjungi ſolet materiæ, quam nactus fuerit ſuæ propinquiorem, concomitaturque eam, quocunque tendat. Si namque deſtinata fuerit ad aliquod membrum, puta cerebrum, vel inguina, eo ipſam inſequetur etiam ſpiritus. Hinc eſt quod quotieſcunque pituitoſam habuerit materiam, pituitoſo ſanguini conjungitur, & aſcendit ad cerebrum, cui talis ſanguis demandatur. Sic, qui morbo Gallico laborant, ſolent quandoque impertiri eaſdem affectiones & in iiſdem partibus, quas & in quibus patiuntur ipſi; propterea quod ſpiritus vitiatus ad eas defertur, vel cum nutrimento, vel cum excremento; utpote cum nutrimento ad hepar, cum excremento ad inguina: cum nutrimento ad cerebrum, cum excremento ad fauces & tonſillas. His ita poſitis, cùm in rabida angina ſpiritum vitiari accidat, & pituitoſo humido atque ſalivæ jungi; quid mirum, ſi progignat in aliis rabidam anginam; Si quippe inſpiretur aëri commixtus, laryngem illico contaminat; inde gulam, jugulares venas, caput, necnon reliqua. Sic etiam, ſi ſalivæ, vel cybariis commixtus deglutiatur, afficit illico tonſillas, epiglottidem atque gulam. Si verò, ſpumæ immixtus adhæreat corpori & præſertim ulcerato, per partem poſt partem contaminando quæ veniunt obvia, eſt in cauſſa rabidæ cynanches; cùm etenim vitiatus ſpiritus fundamentum habeat & vivat, ut ita dicam, in materia, quæ à capite & ab ore fluxit, nulli mirum eſſe debet, ſi admiſceatur ſuccis & excrementis gulam, laryngem, caputque petentibus: ſique perveniat ad eas partes commixtus illis, eaſque lædat: quod eo facilius advenit, quo cerebrum & glandulæ laxam, mollem, & imbecillem naturam habent: unde non ſunt, quemadmodum aliæ partes, aptæ ad reſiſtendum & expellendum: ſed aliis frigidiores & humidiores faciliùs pati ſolent: & præcipue glandulæ, quæ tanquam excrementorum ſpongiæ videntur conſtitutæ; & gula, quæ naturaliter aliqua pituita abduci videtur. Cur a. aliqui tardiùs, aliqui verò citius in morbum incidant, id provenit à fortiori vel leviori rabientium morſu, à complexione, ſpirituum vitio, ſpumæ vel pituitæ copia, propinquitate vel longinquitate partis primariò inquinatæ; à communicantia partium læſarum

rum cum partibus anginæ ſubditis: ex diverſa hominum ac temporum conſtitutione, ex dictæ varietate. Sic etiam citius ac tardius pereunt ob eaſdem cauſas & anginarum differentias: quarum aliæ ſunt diuturniores, aliæ velociores, quemadmodum Hyppocrates dicebat lib. Præn. & Avicennas, nec non alii. Ut plurimum autem creduntur poſt quadraginta dies periculum evaſiſſe; propterea quod hic eſt quaſi ultimus terminus anginarum acutarum, veluti legimus apud Avicennam, Raſem, & Hippocr. *lib.* 2. *de morb. pop. ſect.* 2. Quod ſi aliqui incidunt in rabiem poſt longum tempus, id non abhorret à ratione; cùm, veluti jam ſuperius diximus, angina ſit aliquando morbus chronicus. Unde habemus ab Hippocrate loco jam citato: Multi verò ad valde longum tempus partem aliquam tumoris habebant, & columellæ liqueſcentes ſignificationem parvam exhibebant. Et Demetrius (referente Cælio) dixerat, homines à cane rabido commorſos levi tumore affectos fuiſſe ultra biennium; quod optime dictum credimus, quamvis Cælius aliter exiſtimaverit. Poteſt inſuper abſque apparente tumore vel liqueſcentia relinqui debilitas quædam in partibus anginæ deditis: unde accedente poſtea quavis cauſſa apta gignere fluxiones putridas, rabida cynanche excitetur; & eo quidem faciliùs, quo angina eſt morbus, qui recidivas facere conſuevit: veluti adnotabant Aurelianus & Hippocrates. Imò, uti in principio dicebamus, gignitur quandoque rabies in hominibus abſque præcedente contagio. Unde non ſemper ad externam læſionem eſt confugiendum. Si quis verò dubitet, cur rabidi non conquerantur de faucium reliquarumque partium colli dolore, ſi cynanchen patiuntur; adeat Aurelianum, qui de cynanchicis incipientibus dicebat: Sequitur autem eos, qui hac paſſione tentantur querela ſine ulla ratione; & Hippocratem *lib.* 3. de Morb qui de confirmatis cynanchicis dicebat: Videntibus nihil mali habere videntur, & vident ac audiunt obtuſius, & præ ſuffocatione non intelligunt, neque quid dicant, neque quid audiant. aut faciant: Et Aretæum, cujus ſententiam ſic translatam legimus: Dolores acerbi ſunt, ſed ſtrangulatione vexati, eos obſcurius ſentiunt: imo Avicennem audiat expreſſe docentem nos, aliquando cynanchicos dolore privatos eſſe, quod ante ipſum adnotaverat Galenus, 4. *Aphor. com.* 34. *ſub fine*, dum loqueretur de illis anginis, quæ à multa pituita fieri ſolent, quales rabidos pati diximus. Et habemus apud Hippocratem lib. præn. quod ſi anginoſi facilè, ac ſine dolore degere videantur, tuberculo ad extremam partem converſo, &c. ſignificatur mors, aut ruboris recidiva. Præterquam quod delirant fere ſemper omnes; qui verò mente conſtant, narrant fauces & gulam magnam habere conſtrictionem & anguſtiam; uti Petrus Salius etiam adnotabat.

Ex dictis (ni fallimur) clariſſime colligitur rabiem eſſe anginam quandam contagioſam; cùm iiſdem excitetur cauſſis, in iiſdem animantibus, iiſdem temporibus, habeatque accidentia prorſus eadem & effectus ejuſdem conditionis; & apparet quomodo unumquodque accidens habeat determinatam cauſſam & patentem; quomodo morbus contagio inficiat homines & bruta, ac vitam adimat. Nunc remanet loquendum de curatione, ſed breviſſimè, cùm ea planiſſima haberi poſſit apud Auctores in tractatibus de angina: & qui ſufficit ad cognoſcendum, ſufficiat ad ſanandum, quemadmodum Hippocrates dicebat, vel ad prædicendum ſaltem.

Cum verò prudentis Medici officium ſit non ſolùm præſentes morbos debellare, ſed imminentium quoque vim infringere, tota hæc tractatio, quæ curationem explicat per capita, dirigetur vel ad utilitatem eorum quos tetigit contagioſus ſpiritus, non tamen hucuſq; læſit evidenter: vel illorum, qui aliquales, ſed leves, ſuſtinent paſſiones, anginam ſolitas præire: vel tandem eorum quos cynanches obtinet. Quicunque igitur voluerit primis opem ferre, in memoriam revocare debet, quod illi in plures diſtinguuntur ſeries. Horum quippe alii commorſi ſunt: alii per os infecti, vel ſpiritum attrahendo, vel aliquid ore contrectando, vel aliquid comedendo. Poſſent etiam adjungi forſan alii, qui ſcilicet intentè nimium oculos rabientium proſpexere: propterea quod rabidi ſunt ophthalmici, & ophthalmia contagioſa extat. Inſuper animadvertendum eſt, eandem eſſe cauſſam immediatam, qua omnes illi malè ſolent infici: vitiatum nempè ſpiritum. Quale autem vitium habeat ſpiritus, qui contagio inficit, optimè nos docebat Ariſtoteles prob. 4. ſect. 7. dum dicebat, ad quas ægritudines contagio fieri, quoniam ſpiritum vitiant gravemque reddunt: Innuens ſcilicet, vitium in nimia gravedine & craſſitie conſiſtere, quæ ab humido excedente & craſſa nimis materia provenit: Undè in fine problematis addebat, ad contagium duo eſſe neceſſaria: quòd ſpiritus attingere poſſit corpus, quòdque poſſit perſiſtere ob glutinoſitatem. Hinc inſurgit indicatio exſiccandi & attenuandi: Hoc autem externis & internis præſidiis tentari poteſt. Externa ſunt, ex urina & aqua marina lotiones: pulveres, emplaſtra, & unguenta, quæ id præſtare valent, ſi contagium per vulnus timeatur. Si verò per os: externa præſidia erunt gargariſmata & pulveres inſufflati, omnia confecta ex attenuantibus & exſiccantibus: in quorum numero ſunt pulveres ex cineribus cancrorum, hyſſopi, hirundinum, ſtipticum braſſicæ; vel potentiores, ex nitro & flore ſulphuris, &c. gargariſmata ex aquis appropriatis, in quibus admixta fuerint nitrum, alumen, ſpiritus aceti, oleum ſulphuris, ſpiritus vitrioli, pulvis ſclopetorum, atramentum ſcriptorium & ſimilia; item linimenta ad internas gulæ partes; ſecundùm artem applicata ex unguento Ægyptiaco Meſues & ſimilibus; quæ omnia aliquo modo, cùm non deglutiantur, externa nominari poſſunt. Si verò ex inſpectione infectionem timeamus, poſſumus lavare oculos cum aqua fæniculi, vel euphragiæ & ſimilium, admixtis ſale, ſaccharo, vel felle, vel viridi æris, vel alumine Cypro, ſeu Italo, & ſimilibus, quæ attenuant & excitant, & ab oculo tolerari poſſunt. Interna præſidia in hoc genere ſunt phu, gentiana, cinis cancrorum, alyſſon, centaurea minor, hyſſopus, capparorum cortex, ſal prunellæ, ſpiritus vitrioli, & alia cum vino, vel aquis appropriatis, ſcilicet rutæ caprariæ, urticæ, ulmariæ, eringii & aliorum ex ratione plurium. Altera inſuper indicatio ex eodem ſpiritu elicitur, ab ipſius nempe motu. Cùm enim ſpiritus infectus à partibus externis ad internas tendat, neceſſum eſt ipſum ad exteriores partes revocare, vel ejus tranſitum impedire. Ad extra revocabunt ſcarificationes, hyrudines, cucurbitulæ, emplaſtra & cerata attrahentia, nec non glutinum, ſupra vulnus impoſita; vel alia ſimilia; hoc idem præſtabit motus, &, ſi æger valdè timuerit, ſanguinis extractio à commodiori ad hunc uſum parte: timor etenim ſanguinem ad cor retrahit: & venæſectio, ſi debito modò exerceatur, revocat ad ambitum: ſic vini potio & exercitatio, modò modum habeant. Tranſitum impediunt ligamenta, vel conſtrictiva medicamina debito loco appoſita: & aliqui ad hoc utuntur opio. Poteſt etiam alia extrahi indicatio partim à ſpiritu & ſpuma, partim à parte malè affecta; quòd ſcilicet abſolutè removeatur ſpiritus ejuſque conjuncta humiditas, nec non etiam caro quæ infecta fuerit. Præſtabunt hoc ignis actualis & potentialis ſuper vulnus, à rabido inflictum. Actualis autem vel ferro, vel argento, vel auro, vel ære, & aliis quàm plurimis adminiſtrari poteſt.

Po-

potentialis verò erit unumquodque causticum; veluti aqua aluminosa, & aliæ omnes vocatæ fortes, & composita cauterizantia, & oleum sulphuris, vel vitrioli; & dum per os timuerimus infectionem, spiritus vitrioli cum aquis appropriatis, qui non solùm attenuabit & exsiccabit, sed hoc potenter agens, humiditatem & spiritum consumet, non est enim in iis partibus caro consumenda. Alia etiam indicatio desumitur à materia, quam nostrum corpus præbet, quæ nihil aliud est quàm humiditas excrementitia, in qua recipiuntur infecta materia & spiritus infectus. Hæc verò indicat sui ipsius ablationem; & obtinebimus purgantibus, diureticis & sudorificis. Inter purgantia principem locum videntur obtinere, quæ à capite, à tonsillis & à faucibus materiam educunt: veluti agaricus, iris, jalappa, ricinum Indicum, coccognidium; &c. pilulæ Cocchiæ, hiera diacolocintidos: Item clisteres & suppositoria, in quorum genere, acria dulcioribus meliora credimus. Diuretica etiam ipsa aliqua leviora, aliqua potentiora sunt; plurimum autem præstabunt si admixtum habuerint rhododendrum; & sunt saxifragiæ, halicacabus, critmum, pastinaca terrestris & marina; raphani domestici & silvestres, sales & aquæ harum rerum & fabarum, & ononidis, &c. Item cantharides præparatæ, &c. Sudorifica erunt decocta ex ligno sancto, salza parilla, ex chyna, ex ligno sassafras, urtica, aliisque plurimis, item aurum diaphoreticum, præcipitatum diaphoreticum, & alia plura chymica hujus generis. Quæ omnia non tantùm materiam evacuabunt, verùm etiam motum spirituum inficientium cum materia ad exteriora revocabunt, eorumque substantiam extenuando & exsiccando poterunt consumere. Hæc sunt ea, quæ videntur facienda in iis, qui hucusque nulla apparente passione detinentur, sed tantùm à rabido commorsi sunt, vel per os, vel per oculos infectionem timent. Dum autem aliquales passiones incipiunt propalari, ad alia etiam remedia devenire licet; & secundùm ea quæ apparent operari. Oportet fluxiones sistere, partem recipientem roborare, materiam revellere, derivare & evacuare; à toto corpore, à parte demandante, & ab ea, quæ recepit, insuper dolores lenire, si qui adsunt; sanguini, qui per Hippocratem in venis sistitur, motum reddere; inflammationes extinguere si quæ sunt; vias corporis patentes reddere, &c. Ad fluxiones sistendas animadvertendum, an caput nimio incendatur calore: quo quidem casu refrigerandum erit lotionibus ex decocto hordei, malvæ, lactucæ, papaveris, &c. & odore papaverum in aqua rosacea cum santalis & floribus nimpheæ, vel odore opii: Item oxyrronidis ex oleo nimpheæ, rosarum, violarum, unguento populeonis, cæterisque similibus, & sanguinis evacuatione. Si caput autem maximo frigore constringatur, tunc porositates aperire convenit lotionibus ex decocto meliloti, fœnugræci, capillorum veneris, &c. Si verò nimio humido laboret, exsiccandum erit pulveribus, aliisque notissimis præsidiis; sic etiam ignis actualis supra suturam coronalem, & ceratum Barbarum, & alia capitalia eidem parti & temporibus adhibita fluxiones sistent, nec non materiam aliquomodo evaporare facient. Firmabit eas etiam diacodion & Theriaca recens, si à calido provenerint, vel fluidiores fuerint. Sistet item vomitus, qui materiam quoque vacuabit; conciliari verò potest remediis quàm plurimis ad hunc usum aptis; Nos tamen credimus in hoc casu non esse tentandum ope relaxantium, sed abstergentium, & expurgantium; scilicet ope asari & hellebori albi, &c. Evacuabunt insuper reliqua purgantia superiùs jam recensita, & alia plurima. Revulsio fiet dolorificis, aliisque attrahentibus positis suprà vulneratum vel cicatrizatum locum; sic etiam ligaturis, vesicantibus, &c. Derivabunt materiam à colli partibus, nasipurgia ex helleboro albo, elaterio, euphorbio, cæterisque modò ejusdem generis, modò mitioris, nec non etiam, si occasio postulet, extractio sanguinis per venas frontis, oculorum, narium, post aures, quas tamen tentandas non probamus, nisi priùs secta vena brachii. Hisce remediis non solùm derivabimus, verùm etiam aliquo modo evacuabimus; & inflammationes & dolores, si aderunt, extinguemus; & cursum sanguini reddemus, si in colli venis impeditus fuerit. Fauces roborabimus adstringentibus, quibus attenuantia & resolventia admixta fuerint, ne materia inimica detineatur] illic. In hoc genere sunt pulveres rosarum exsiccatarum, foliorum myrti, balaustiorum, gallarum; Hypocistidis, acaciæ, admixto nitro, hyssopo, &c. Materiam adhærentem abstergere sunt apta suffumigia, ab antiquis recensita, per longas fistulas, ad hoc, ne calefaciant nimium, in os recepta; quæ ex farfara; nitro, sulphure, hyssopo, &c. secundùm rei urgentiam fieri possunt: sic oxymel, electuarium ex helenio, vel ex iride siccata, &c. Porositates corporis aperient frictiones, cucurbitulæ, unctiones, ad hunc usum aptæ, balnea, & lotiones aptæ. Si verò jam synanches adsit, secundùm morbi naturam prudens Medicus se gerat; non est enim instituti nostri hoc loco recensere illa, quæ apud omnes auctores plana & in confesso sunt. Recurrat igitur ad Avicennam, Alexandrum, Areteum, Paulum, & Aëtium, Actuarium, Aurelianum, Galenum, & Hippocratem, ac alios, à quibus curationes recognoscet. Cùm verò apud hos non extet (quod nos sciamus); Medicamentum à nobis inventum, non pigebit id referre; usum scilicet nivis & aquæ concretę gelu, quibus mirabiliter extinguitur inflammatio, si diù detineantur ore. Id quoque animadvertendum esse duximus, quòd si necessum sit, ob aliquam caussam os pertingere; cautè incedatur admodum, nè commordens æger contagio lædat. Addimus insuper, quod Medici non timeant aliquandò (si ratio dictitet) dexterrimè incidere venas temporales & jugulares minores, velut etiam in Ægypto aliis de caussis fieri narratur. Si verò morbus adeò furiat, ut spuma jam appareat, possent per os immitti fistulæ ab Hippocrate recensitæ, ad respirationem & nutritionem excogitatæ; an verò expertæ, nescio, cùm verisimile sit potiùs ab iis vomitum excitari posse. Sic etiam forsitan tentari posset laryngotomia, divisura scilicet asperæ arteriæ ab *Asclepiade* inventa, quæ non immeritò forsitan ab Aureliano acriter reprehenditur; quæ si tentari debet, meliùs equidem tentabitur instrumento ferreo candenti vel aureo: Sed eò temporis mihi videntur ægroti prognostico potiùs relinquendi; His omnibus respondere debet accommodata victus ratio. Hoc tamen addimus, quod dum æger timet aquam, glutinosus lubricusque debet esse potus lentorem habens, ne ampullas elevet, non admodum fluidus, sed potiùs lubricus, ut gulam & laryngem defatiget minùs, retroque non cedat, sed quò faciliùs potest, permeet. Ob hoc licebit uti lacte, presertim coagulato, gelu cornu cervi, gelido pullorum jure, luteis ovorum, cæterisque talibus. Et hæc sunt ea, quæ ad curationem genericè spectantia à nobis videbantur recensenda.

Cùm verò adsint etiam nonnullæ curationes, quæ mirabiles & quasi non naturales hucusque existimatæ sunt, non pigebit eas hîc recensere, & nostram de illis promere sententiam, *Lucæ* (ut referunt) sunt quidam ex quadam familia, qui accepto poculo terreo, in fundo ipsius quosdam characte-

res inscribunt: Benedicit sacerdos poculum; Post hæc qui notas designaverat, gladiolo ipsius poculique portionem abradit, & cum vino infuso rasuram bibendam præbet illi, qui à rabido vulneratus fuit; dummodo hucusque aliam non sustineat læsionem. Hoc nos credimus nihil in se mirabilis habere una excepta benedictione. Omnia scilicet quæ talem ingrediuntur potionem, attenuant & exsiccant, & aliquo modo roborant. Undè in principio rationabile præsidium erit: & eò quidem magis, quò adhibita sacerdotalis benedictio majorem illi virtutem facit. Sic etiam in Gallia apud D. Huberti Templum juxta mare positum, commorsi mare ingrediuntur, & in ipso ambulant. Sic in Italia pluribus in locis Divi Bellini clavibus ferreis ignitis, in nomine Dei exurunt vulnus à rabido inflictum. Quæ duo, quamvis naturalia sint, caussamque manifestam habeant, eò evadunt meliora, quò christianæ pietati sunt proximiora. Celsus & alii, cùm æger ad aquæ fugam jam devenit, ipsum in aquam submergendum suaserunt. Hoc periculosissimum est remedium, veluti quod facillimè strangulare solet. Potest tamen aliquando contingere, ut æger supervivat, & ex nimia aquæ copia pituita abstergatur: perque vomitum & secessum expurgetur: & si quæ adest inflammatio extinguatur. Si quis hoc utatur medicamine, aquam ingrediatur tepidam, & occasione postulante pariens ab aqua tractus oleo tepido foveatur. Cinis cancrorum, alisson, & spongia canini rubri, quæ occulta proprietate credebantur operari, attenuantem siccantemque naturam possident. *Ælianus cap.* 20. *lib.* 9. *de Anim.* docet nos Piscatorem quendam Cretensem sanasse filios à canicula rabida commorsos, Hyppocamporum exenteratorum ope: quorum alios assos eis comedendos dedit: alios cum aceto & melle contrivit, eoque cataplasmate ulcera obligavit: atque (credente Æliano) adolescentium rabiem vicit: excitatio in ipsis per Hyppocampos aquæ desiderio. Credidit enim elegantissimus ille Auctor hanc esse proprietatem eorum, qui Hyppocampum comedere, ut aquam summo studio quærant & ab ipsa delectentur admodum. Verùm piscator ille non curavit præsentem Hydrophobiam: sed futuram à filiis declinavit, non ob occultam Hyppocamporum vim & aquæ desiderium, sed ob illorum naturam attenuantem & exsiccantem, quam in illis Galenus quoque recognovit.

Proposuimus superiùs aliqua valida dubitatione non carentia. Diximus in principio morbi convenire purgantia & diuretica, nec non aliquando sectionem venæ: Sic etiam dum incipiunt, quædam anginæ præludia fieri, vomitum laudavimus. Tandem inter purgantia per inferiorem ventrem, coccognidium, & inter vomitoria album helleborum recepimus; quæ quidem omnia non paucam in se difficultatem habent. Sint igitur qui negent, in principio purgantia & diuretica deberi. Eorum verò rationes sint: *Prima*, quòd medicamenta motum gignant; in venenis verò potiùs requiratur quies; nè venenum ex agitationes fortiùs humores & corpora inficiat: *Secunda*, nè vi medicaminum major fiat ad intrà veneni tractio; cùm purgantia & diuretica ab externis partibus ad internas trahant. Nos autem credimus aliquando diureticis & purgantibus utendum esse etiam in principio. Primò namque adest indicatio, quæ desumitur à materia, quam nostrum corpus præbet, quæ nobis plurimi facienda visitur, cùm plures homines optimè constituti & ab excrementis mundi nullam aliam à cane rabido noxam receperint, quàm solum vulnus, nullo etiam adhibito: imò patet etiam corpora puriora pesti quoque plurimùm resistere. Undè credimus in corpore impuro & cacochymico nullo modo prætermittenda esse. Nec allata in contrarium argumenta nos deterrent. *Primò* namque dubitari posset, an spiritus contagiosi dici possint, quamvis ab Actuario, Dioscoride, Galeno, & aliis canis rabidus inter animantia venenata recenseatur. *Secundò* falsum est, venena semper indigere quiete, velut in nostro de viperarum & scorpionum vi mortifera & medica demonstraturi sumus. *Tertiò* ea, quæ nostrum corpus in deterius alterant, non quiete, sed extinctione & expurgatione indigent. Quantum autem ad secundum argumentum attinet, hoc nullum robur haberet in iis, qui vel respirando, vel alio quovis modo per os infecti sunt; cùm spiritus inficiens jam aditum habuerit. In iis verò, qui fuere morsu vulnerati, dubium est, an contagiosus spiritus in sola corporis superficie steterit, annè intrò repserit; quod verisimilius credimus; cùm per totum corpus venæ & arteriæ dispergantur; quæ perpetuò fluentes facillimè receptum spiritum & spumam huc & illuc citissimè deferre valent, & eo quidem magis, quò sæpiùs homines aliquo modo timent, dum à rabido mordentur; quo casu sanguis ad cor retrahitur. Hisce de caussis sæpius vidimus homines in rabiem incidisse, quamvis usi fuerint in principio medicaminibus ad externam partem attrahentibus. *Secundò* animadvertendum est, prædicta medicamina non solùm evacuare materiam, quam nostrum corpus præbet; verùm etiam unà infectum adhærentem spiritum purgare, vel saltem tenuando siccandoque refrangere. *Tertiò* falsum est fundamentum, quòd purgantia & diuretica ad partes internas trahant; non etenim ad eas, sed per eas motus; valde quippe distat, ad locum intra corpus trahere, & per locum extra corpus ducere. Illud quidem irrationabile & inconveniens: hoc autem rationi & naturæ consonum: cùm natura ex semetipsa sæpius per urinam, vomitum, & secessum venenatos liberet. Nec dicendum est, quòd in transeundo corpora spiritus inficiat; est enim ex semetipso ad operandum segnis & impotentior redditus, atque forsitan extinctus ab ipsa attenuante vi medicaminum; quorum etiam proprium est, naturam mirabiliter ad expulsionem incitare. Unde nos credimus in principio non esse à medicaminibus purgantibus & diureticis abstinendum, si corpus excrementis scateat; ac eo præsertim quo diximus ordine; scilicet post adhibita localia, quando decet. Erat altera dubitatio, an conveniat missio sanguinis. Hoc posset negari: *Primò* ex eo, quòd major fieret retractio veneni ad interna: *Secundò*, quia non videntur adesse indicationes: *Tertiò* propterea, quòd in casu venenoso indigemus virium robore, sanguinis autem evacuatio virtutem frangit. His attamen non obstantibus nos credimus aliquando sanguinis missionem convenire: scilicet dum æger valde timuit, vel per os infectus fuit, nec non etiam dum per morsum; si tempus aliquod introeundi spiritus habuerit; sic etiam dum patiens valdè fuerit plethoricus. Tantum enim abest, si æger timuit, ut per sanguinis missionem ad interiora fiat retractio, quin potiùs per sectionem venæ sanguis ad exteriora revocetur, & secum etiam infectus spiritus, si ad cor redierat; est enim naturæ proprium, statim ac sectam habet venam, illuc deteriorem sanguinem & spiritum impingere. Hac eadem causa, laudanda est sanguinis evacuatio, si spiritus infectus tempus aliquod introeundi opportunum habuerit, vel per os ingressus fuerit; sique corpus sanguine repletum fuerit; solet enim natura in tali casu ab onere quodam sublevari, unde fortiùs contra inimicum spiritum insurgit ad vincendum; non potest enim probe; quod noxium est, expellere, nimia sanguinis

copia

copia impediente venas. Est igitur aliquando sanguis equidem mittendus & à proximiori vena, quæcunque sit, si æger morsu vulneratus fuerit: si verò per os spiritum ingesserit, à communi; ut jecur & caput expurgentur, & inde ab iis, quæ sub lingua sunt. Nec deterreant nos allatæ in contrarium rationes: Propterea, quod primò falsum est non adesse unquam indicationes. Retractio enim sanguinis ad cor, revocationem ad ambitum requirit; inter ea verò, quæ præstant, est equidem venæsectio. Amplius duo sunt ea, quæ sanguinis missionem indicant, vel scilicet nimia copia, vel immedicabilis conditio, quod ninimium est, diminutionem postulat: quod naturæ & medicaminibus repugnans, evacuationem indicat: Unde si corpus nimio abundet sanguine; vel vitiato valdè scateat, nostro equidem judicio, sanguis mitti debet. Nec fortius est alterum argumentum, quod egeamus virium robore; Qui etenim est tam fatuus, ut viribus oculum non dirigat? Sunt vires quidem attendendæ: sed juxta & requisita sanguinis missio eas non extinguit. Præterquam quod dum morbum oppugnamus, viribus consulimus, contra verò, dum timentes ne robur infringatur, necessaria prętermittimus, morbus invalescit, vires decidunt, ac vita perit. Erat tertia dubitatio, an conveniant vomitoria, dum incipiunt pandiculationes, & alia quæ cynanchen præire solent. Hoc plurimi negabunt, propterea quod vomitus in angina aliisque morbis lædentibus spiratum, non conveniat; plurium Medicinæ scriptorum testimonio. Cumque non conveniat per affectum locum trahere: Nihilominus contrariam nos amplectimur sententiam, quod scilicet aliquando conveniat. Hippocr. lib. de locis in hom. dixit fluxionibus ex capite manantibus vomitum conferre. Quod autem in istis fluxiones fiant & sisti debeant, dubium equidem non est. Insuper idem Hippocr. lib. 5. de morb. vulgar. statim, ac de cynanche locutus fuit, dixerat convenire purgationes superioris ventris in accessionibus morborum, quando humores per se in sublime efferuntur, cum anxietate & capitis gravitate, aut incontinenti corporis jactatione; quæ quidem omnia in jam dictis ægris facillimum est reperire. Et Celsus optimè dixerat lib. 1. cap. 3. quod si aliquid corruptum est, nihil commodius existimari debet, quàm id qua via primùm expelli potest, ejicere, per vomitum scilicet; Unde materia quæ vitiata reperitur in stomacho, gula, & faucibus, per vomitum nobis ejicienda visitur; facilior enim, brevior, latior, & promptior via. Nec argumenta jam allata nos ab ista revocant sententia. Quippe non purgare per vomitum in angina, non est adeo receptum dogma, quod contrarium plurimi non senserint. Praxagoras etenim & Heraclides Tarentinus magni nominis auctores cynanchicis dabant medicamen vomificum, Emeticum ab ipsis dictum. Et Hippocrates lib. 6. de morb. vulgar. ait, se quosdam cynanchicos ex superioribus purgasse. Imò quandoque non possumus rationabiliter nisi per vomitum purgare, propterea quod si deorsum trahentes, in pectus materiam deducamus, æger in maximo versabitur discrimine; & natura ut plurimum per os hujuscemodi morbum ex semetipsa solet expurgare. Insuper concedimus per affectum locum nos non debere aliquando purgare; tunc scilicet quando periculum est, nę major copia ad partem attrahatur, quàm expurgari possit. Sed in casu nostro contrario modo sese res habet, propterea quod tantùm abest ut materiam vomitus impingat in partem læsam, quod ipsam ab illa extrahit & expurgat. Et hinc est, quemadmodum dixerat Hippocrates lib. de loc. in hom. quod vomitus vomitu sedatur, cùm ab ipso eluantur, quæ sunt ipsius caussa; & hac eadem ratione lib. 3. de morb. jubet fricari paracynanchicorum linguam & fauces iis, quæ pituitam educunt; ad hoc scilicet, ut materia morbum gignens per promptiores vias expurgetur. Addimus insuper, quod Petrus Salius & alii, qui in demorsis à cane rabido vomitum concitavere, testantur pulcherrimum inde venisse opus. Quod si postea negent in morbis respiratum lædentibus vomitum opportunum, id nihil refert; cùm repugnet illis ipsorum quoque experientia, quæ certissimum est testimonium veritatis. Et Hippocrates dicebat, quicquid artificiose factum est, ex ratione prolatum est ac productum. Quidquid a. artificiose dictum non autem factum, methodi inartificialis demonstrativum est. Dubitabatur ultimò, an relatæ materiæ præsidiorum convenirent; scilicet coccognidium & Indici phaseoli inter purgantia infernum ventrem; & album veratrum inter vomitoria, cùm ista apta sint ex semetipsis fauces inflammare. Pro cujus dubitationis solutione hoc animadvertendum est, quod quamvis coccognidium & Indicum ricinum, si degustentur, fauces inflamment, nihilominus id non præstant, si debitis modis propinentur, scilicet in vino dulci, vel melle cocto, vel in aliis rebus abscondantur, ne transeundo propria superficie tangant immediate fauces. Sic etiam veratrum nullam affert faucium læsionem, si debitis modis ipsum, & nostrum corpus præparemus; de quorum quidem præparatione, dosi, &c. in nostro de helleboro libello tractaturi sumus. Hoc interim sufficiat, in casu nostro optimum esse post cibum ejus secundam decoctionem propinare eo modo paratam, quo apud Petrum Salium legimus in tractatulo de rabie. Quantùm a. in rabie debellanda valeat hellebori albi potio, colligitur facillime ex eo, quod canibus etiam opitulatur, & ex Actuario cap. de rabie; sed hoc præsidium tentandum non laudamus, nisi reliqua alia fuerint tentata frustra, vel dum maxima adest occasio.

Absoluta jam sunt omnia quæ ad cognitionem, caussas, prognosticum, & curationem attinent. Nunc verò recensenda venient quædam, quæ fugienda omnimodo creduntur. Compertum est eos, qui à rabido sunt infecti, per annum saltem debere à fructibus cornorum abstinere; fecit enim fructus iste rabiem sæpius. Sed quid mirum? ora gingivasque lædit, quemadmodum Dioscorides nos docebat, & experientia sæpius comprobavit. Hac igitur ratione, si quæ adest debilitas vel malignus fomes in venis linguæ, tonsillis, faucibus, aliisque partibus, facillime ob novam earum læsionem radices altius figit. Præterquàm quod nimia adstrictione possunt fructus per antiperistasin ipsum spiritum exasperare: nec non sanguinem in venis coagulare, unde fluxiones & anginæ solent evenire, docente nos Hippocrate. Sunt qui rem ampliaverint ad contactum, & ad umbram cornorum, sorborum, sanguineæque virgæ; asserentes experimento constare, harum arborum virgas rabiem excitasse, dum tamdiu manibus tractatæ fuerint ab illis, quos rabidus momorderit, quousque incalescant: eandemque vim retinere umbram earum arborum, propterea quod pluries visum sit rabiisse eos, qui lanas purgant cædendo virgis corneis, nec non eos qui summo æstu sub harum arborum umbra recubarunt, dummodo prius à rabido læsi fuerint. Verùm dubium quidem esse posset, an rabies ab harum arborum virtute excitetur; an verò fiat (quemadmodum rationabilius esse credimus) ab aliis caussis cynanches. Peccant nempe lanarii vociferando nimium, nimiaque frequenti ebrietate, & os illorum multo impletur pulvere, qui faucibus adhærens plurimùm affert nocumentum. Sic etiam

qui sub umbra cubant, veri est simile, fuisse à sole prius alteratos. Non negamus tamen posse aërem inspirandum, à sorbo & sanguinea virga alterari adeo, ut fauces etiam aliquo modo lædat. Fugiant ergo qui rabidam infectionem timent omnia, quæ jam diximus, & alia quæcunque cynanchem generare possunt. Caveant illi qui tentantur morbo, lumen & splendida, sic etiam aquam, ejus sonum atque nomen, & sanguis mittendus est, (si potulenta jam abhorrent) excipiatur manu, ne sonitu fluoris perculsus commoveatur æger. Hæc sunt ea quæ nobis de hoc morbo & ejus curatione dicenda videbantur. Prudens Medicus plura apud Hippocratem & Galenum aliosque Magnos viros de angina loquentes, videre poterit; unde caussam, naturam, differentiam, curationem, & prognosticum eliciet. Ex quibus vel ægro sanitatem, vel sibi saltem prævidentiæ famam comparabit; inter eos verò qui curationem hujus morbi sub rabiei nomine optimè tractarunt, Actuarius extitit.

Ex ictu in certitudinem rarò cerni dixerat Hippocrates: Nec immerito; Nihil enim probatum est & receptum adeo, ut tanquàm falsum & inverisimile ab aliis non fuerit acriter reprehensum: Nihil absurdum adeo & incredibile, quod idem aliquibus certissimi faciem non habuerit. Hinc tot variæ & inter se pugnantes Philosophorum & Medicorum Scholæ. Unde Plato supra cœlos Veritatis campos collocavit omnem sensibus fidem abrogans. Non deerunt ergo, quibus hæc nostra improbanda, & à veritate dissona credantur. Quibus hoc solùm responsum volumus, opinionis errore decipi, & si sapientis non sit, hominis saltem esse: Nosque; insuper non eorum, sed nostram scripsisse sententiam: quam ideo amplexati libenter sumus, quia sub veritatis forma sese nobis propalavit, sensibus & ratione ipsam quæritantibus: Unde si falsam cognoverimus, eam statim reprobatam volumus. Si aliis igitur aliter appareat (absque nostræ reclamationis suspicione) credant & scribant quicquid libet. *Hactenus Josephus de Aromatariis, tractatu de Rabie contagiosâ.*

Curatio Clarissimi Martini Lister.

Rabidi morsus Hydrophobia, Latine, aquæ pavor: Miserrimum genus morbi, inquit Cornel. Celsus, in quo simul æger & siti & aquæ metu cruciatur.

Quemadmodum autem Diabetes, à morsu bestiolæ cujusdam venenatæ, ex serpentium genere, interdum nasci solet; ita morbus de quo jam tractaturi sumus, Canis rabiosi venenato morsui primariò originem suam debet. Atque similiter quoque hic, atque ille, Dei Providentia, mortalibus rarò accidit. Quod tamen vehementer miror, cùm nulla domus sine cane sit, ejusque totiusque familiæ non sine ratione præsidium vocetur; imò cùm omnium gregum, bestiarumque ruralium assiduus & fidelis custos sit. His adde, Canes venatici plurium generum apud nos infiniti sunt, & primarii viri eorum etiam greges nutriunt; imo mulieres, cujusque ferè sortis, solius voluptatis & animi causa, eos in sinubus suis gestare amant, & intra ipsos lectos admittere; adeò non satis est, eos esse domestica Animalia, nisi mensa & toro quoque accipiantur: item horum plurimos rabie perire, scilicet morbo Canibus, & id genus animalibus solis peculiari, teste Galeno. Idcirco Providentiam divinam magnopere laudo, à morbo omnium longè sævissimo, humanum genus etiam invitum, tueri velle.

Non autem ignoro Hydrophobiam aliter; atque aliter in morborum classibus disponi. At tota illa contentio, an celeribus tardisve passionibus annumeretur, pauci momenti est. Etenim cùm rarò ante trigesimum quintum diem aquæ pavor à quo prima morbi cognitio est, incipiat; & quod celerrimè deinceps hominem interficiat, acutus morbus dici potest. Verum tamen, quia post plurimum tempus morsû inflicti ægri morte afficiuntur, & quòd ab ipso ferè morsu diversimodè sese malè habeant, etiam morbi genus nondum percipitur, aut ne dum ille animadvertitur; ideo cum aliis antiquorum sectis (quales fuerunt Asclepiadis sectatores, authore C. Aureliano) hanc tardam passionem esse putare licet.

Ut autem hujus morbi descriptio perfectior sit, tam ipsius canis rabiosi, quàm hominis à morsu rabiosi conditiones exponendæ sunt.

Canis verò insania propriè rabies dicitur: huic tùm ferè cauda demissa, oculi inflammati, lingua exerta, citra rationem currere, deinde rursus subitò consistere. Siticulosi quidem sunt, non tamen bibunt, & plerumque anhelant. Multi sunt & adeo deliri, ut ne familiarissimos cognoscunt, sed hos primùm attingunt. Segnius ferè incedunt, & velut somnolentiores exiliunt; si verò etiam cucurrerint velociùs, subitò currunt, at intempestivius & inordinate. Rufo & Posidonio authoribus antiquis apud Ætium: non solùm maximè æstu, sed etiam per maxima frigora canes in rabiem agi solent. Item potum & escam aversantur: largam spumantemque pituitam naribus & ore projiciunt; torve & solito tristius intuentur: in omnes passim sine latratu irruunt, æquè feras homìnesque: tam familiares, quàm ignotos mordent, nec protinus infestum quidquam infligunt, nisi vulnus, doloremque; exinde morbus ille contrahitur, qui aquæ metus denominatur. Illudque nosse convenit, pavorem aquæ non stato definitoque tempore exoriri, Quidam post morsum celerius in passionem veniunt, quidam tardius: ideo etiam post annum, aut eo amplius afficiuntur; sed magis plures post quadraginta dies. Cœl Aurel. Plurimùm tamen ad quadragesimum usque diem neglectis differri consuevit. Post semestre etiam nonnullos invadit. Quendam post annum aquam horruisse constat, quæ nobis visa & comperta fuere: narrant & post septennium aquę metu fuisse tentatos.

Jumentorum Hydrophobia correptorum hæc ferè est conditio. Vegetio authore.

Aliquando jumenti aquas timentis signa hæc sunt, venas omnes habebit extensas, sudabit, suffusis oculis tremorem fremoremque patietur, illidet se parietibus; ex qua passione converti consuevit in rabiem.

Homini autem evenit id malum cum distentione nervorum, totiusque corporis rubore, præsertim faciei, cum sudore & languore quodam. Aliqui auræ splendorem fugiunt; alii sine ulla doloris intercapedine vexantur; sunt etiam qui canum more latratus edunt, & obviam factos, morsu adoriuntur, ac mordendo simili vitio labefactant.

Cœl. autem Aurelianus omnium Antiquorum diligentissimus fuit in colligendis nominibus & signis hujus morbi. Hydrophobiam, inquit ille, alii Phobodyson appellant, quòd cum timore sitiat aliquis; aliis aquæfuga audit: aliis cynolysson, veluti ex rabie canina morbum conceptum.

Antecedens certè causa passionis est canis rabidi morsus; at quidam in hanc passionem devenerunt solius aspirationis odore, ex rabido cane abducto: alii rabidi canis unguibus læsi: alii à catulo parvulo læsi: Hydrophobici memorantur.

Sartrix quædam ex chlamyde scissa rabidis morsibus sarcienda, suturis & filo linguam pro more sæpius admovendo.

Alia quoque animalia apud eundem Cœl. Aurel. nu-

numerantur simili rabie noxia, ut Lupi, Ursi, Leopardi, Equi, Asini, etiam Gallus Gallinaceus.

Imò apud illum possibile est sine manifesta causa hanc passionem corporibus innasci.

Hydrophobiam autem, secundùm eundem Cœl. Aurelianum hæc ferè indicia circumscribunt: nempè, pronis in illum, cùm jam prætangi cœperint. Anxietas quædam sine ulla ratione: Atque iracundia, & corporis difficultas: insolitus motus: Somnus etiam suspensus atque turbatus, vel vigilia: & simul cibi corruptio: stomachi gravedo: crurum atque brachiorum extensio, oscitatio jugis, & impigra levandi (an ad ambulandum) voluntas: insuera etiam querela aëris, tanquam austrini, quamvis serena fuerit quies: item difficilis toleratio, atque tædium, & recusatio imbrium, parva bibendi voluntas contra consuetudinem.

Obtinente verò passione, appetentia bibendi atque timori primùm ad ipsius aquæ visum, secundò etiamsi ejus audierint sonitum vel nomen; dehinc timor fomentationis olei. Pulsus densus, parvus, inordinatus: quibusdam saltus stomachi, torpor atque stupor articulorum; subreptio atque extensio præcordiorum ad superiores partes, & officii ventris absentia. Urinæ reddendæ paulatim frequentatio, tremor atque conductio nervorum. Vox obtusa & velut latrabilis: corporis canina involutio, (sive decubitus caninus) spiratio difficilis: jactatio corporis omnis ad ingressum hominum, tanquam secum aquam afferentium: rubor vultus atque oculorum, & corporis tenuitas, attestante pallore cum sudore partium superiorum. Veretri frequens tensio cum seminis involuntario jactu: lingua prominens.

In ultimo etiam singultus, & vomitus fellis, ac frequentiùs nigri: quibusdam etiam timor, manus oculis tenus admotæ vel circumtractæ.

Quidam se agnoscere fatentur esse naturalem, vel consuetum aquæ liquorem, cùm sibi monstratur; sed commoveri cùm viderint.

Soranus ipse testatur se vidisse Hydrophobum sese hortantem, ut liquorem sumeret, nec tamen potuisse. Aiunt & militem quendam Hydrophobum, ut Artorius memorat, sibi indignatum, quod in bello nulla timuerit vice, sed nunc, aquam cùm vidisset, quæ esse consuetudinis jucundæ solet, metu inenarrabili terreretur.

Eudemus, Themisonis sectator, memorat fuisse Hydrophobum medicum, qui cum prænosceret periculum, suppliciter ingredientes exoraret, & cum lachrymarum fluore guttis destillantibus tangeretur, exiliens vestem consciderit.

Soranus memorat se infantem Hydrophobum vidisse, Ubera matris expavescentem.

Atque hæc ex Cœlio Aureliano, veterum medicorum nulli secundo, exscripta habui.

Unum autem morbi sævissimi prognosticon restat; nempe ex iis qui hoc vitium senserint, neminem servatum esse: nisi forsitan ex Historia unum aut alterum evasisse audimus, teste Dioscoride; & idem alibi; Hoc vitio tentatus nemo servari potest. Huic etiam prognostico consentiunt ferè omnes Antiqui Scriptores. Aquæ metu oppressis in angusto spes est: sic C. Celsus. Quum liquorem timent, & latratus edunt, spasmoque vexantur, horum nemo ita correptus, quantùm ego scio, inquit Scribonius Largus, expeditus est: ad idem redit sententia Galeni; hoc autem morbo omnium pessimo correpti aquam timent; ac propter multam ariditatem, humidi desiderio tenentur, cæterùm à potu abstinent, quia mente alienati, id quod auxiliari potest, non considerant. Proinde fit, ut aquam fugientes inarescunt, & convelluntur ob febrem, qua intùs uruntur, miserrimoque tandem mortis genere intereunt. Aquæ, id est, cujuslibet liquoris timor, ubi accidit, summo cruciatu ad mortem eos compellit: hæc etiam prodidit Scribonius Largus.

Ipso autem morbo hactenus descripto, proximum est, ut aliquot Ægrotos, pro more nostro, exhibeamus; nempè ad majorem morbi elucidationem. At rarissimi hi sunt: imò in tota Historia medica quantùm legi, tàm antiqua, quàm moderna, vix unum aut alterum ægrum ex integro narratum invenire licet; quòd fortè ab istiusmodi ægrotis etiam medici abhorrere consueverunt; cùm saliva non ipsius canis tantùm, sed & hominis rabiosi inficere potis est: neque enim infectionem aliquibus assidentibus, maximè si vitiosi corporis habitus sint, mediante spiritu communi, communicari posse, non multùm dubitare videtur Dioscorides.

Ægrotus 1. Jacobus Corton, juvenis procerus, atque admodùm robustus: à Cane quodam rabioso dextra manu leviter morsus est; vulnusculum per se sanatum est; imò res ipsa & sibi & ejus uxori omninò oblita est; mihi tamen respondit (cùm Hydrophia correptus est, & ea à me causa assignata est, cur aquam jam bibere non potuit) se uxori dixisse, illud sibi valdè mirum visum fuit, quòd canis, antea sibi tam familaris, ipsum tunc morderet: at è memoria id totum sibi excidit. Post quadraginta verò plus minus dies de dolore quodam totum quidem corpus, maximeque dorsum & tota circumcirca præcordia, vehementer afficiente queritur; pallescit, huic cavi oculi, &c. Die autem tertio à primo insultu ad vesperum, circiter medium Martium, Anno 1682. Spiritum Vini dictum meracum, & calefactum, petiit, potavit; lecto decubuit, vomuit, noctem inquietam egit, & postridie manè valdè ægrotavit cum stomachi vehementi insultu; & quamvis maximè sitiebat, tamen omninò bibere non potuit; imò jam propriam salivam ægrè quidem deglutiebat, quod ipsi, ut nobis seriò multoties asseveravit, vel morte pejus erat: ejusdem autem diei manè, & Diascordii tantillum, & aquam Theriacalem ei obtulit quidam Pharmacopola. Diascordium quidem sumpsit, at aquam gustare non potuit. Atque hæc manè: Prima autem ejusdem diei pomeridiana hominem primùm vidi, lecto decumbentem; pulsum protinùs exploravi admodùm tardum, & interdum inæqualem, at neque id, nisi ab aliquo stomachi gravi insultu; habitus corporis frigidus, lingua non sicca, sed flexilis & humida, subalbida. Hominem surgere jussi, & ante claram lucem eum posui; & quòd de nescio qua gravi ægritudine circa stomachum multùm querebatur, aquam Theriacalem, quæ ad manus erat, propinavi: at cùm ori ejus poculum appropinquarem, inhorruit quidem tremuitque: illud equidem infinita admiratione spectabam; adeoque vinum aquamve petii; & aquam mihi ejus necessarii attulerunt, quam ei statim potandam dedi; sed vehementer ad eam resiliit, & ejus stomachus modo quodam insolito valdè intumuit, & tunc pulsus ei multùm tremulus & commotus est: ampliùs autem eum ad bibendum provocavi; sed ut ad ejus os aquam propiùs moverem, magis magisque attonitus, caput retrò avertebat, singultiens, & eam torvis oculis intuens, non sine dentium stridore tandem & vociferatione. Illud vehementer miratus sum, nec ejus symptomatis rationem ullo modo reddere potui; diu verò cogitabundus, feliciter mihi in mentem venit, hunc Aquæ metum esse, mihi tantùm ad hoc tempus ex libris cognitum, nondum tamen visum. Quo animadverso, iterùm atque iterùm hominem ad bibendum provocavi: & toties illum valdè perturbatum expertus sum, maximè ad aquæ appulsum: Tandem uxoris matrem & ancillam adstantes interrogavi, quâ corporis parte nuper vulneratus est;

est: quâ quidem quæstione confusæ, respondebant. Quare id quærebam se velle scire. Illum à quodam cane morsum esse dixi. Id verum est, ipse ægrotus territus subitò mihi respondit, à cane cujusdam *Sutton*, vicini mei morsus sum; sed vulnus jamdiu sanatum est. Post hæc hominem rursus decumbere jussi, illumque reliqui. Uxorem autem & necessarios alibi domi conveni, & ejus mortem, ut rem certissimam prædixi; siquidem tardius esset, quàm ut opem aliquam ferre potuerim: item neminem præter custodes, & duos aliquot viros, illi adesse permittere volui.

Venam autem in brachio demorsæ manus statim secandam curavi; vulnus scarificatione profundiore aperui & vesicatoria superinjeci eadem regioni interscapulari, tibiis & brachiis ex internâ parte admovi; item Antidotos famosas & usitatas, ut Theriacam Andromachi, cinerem Cancrorum fluviatilium, Rutam, Agaricum, &c. formâ boli propinavi. Illud autem notandum est, solida quæque cochleari assumere potuit, (quod ut jam video C. Celium non latuit) sed id non sine multo tremore & metu; omnixè supplicans, ut cautè id fiat, neque aliquis ea subitò & improvisò afferret, & ut in ejus manus leniter deponerentur, quibus acceptis, manum suam suspensam paulatim versus os dirigens, subitò cochleare intra id, velut ejaculando, conjicere voluit, & dicto citiùs, velut canis ad offam, quicquid in cochleare contentum est deglutire, idq; multò expeditius voraciusq; quàm est hominum aut consuetudo aut natura. Ex variis autem Antidotis aliquid singulis horis ad multam noctem sumpsit, & semper ad modum jam descriptum: item Potiones plurium generum subinde obtulerunt die noctuque, qua tamen nunquam sine horrore vidit, gravi stomachi motu superveniente. At Salivam deglutire ei horrendum fuit; perinde ac si mortem ipso momento inferret. Nox illa ex toto insomnis fuit.

Postridiè verò ejus sanguinem, è venis missum, diligenter inspexi; optimè quidem se habentem & colore, & consistentia, & proportione utriusque partis seri ac crassamenti rubri, & sanorum sanè quàm simillimum.

Febricitavit jam primùm, & pulsus jam celerrimus, fortasse magis à calidis Antidotis, multoties exhibitis, & vigiliâ perpetuâ & animi anxietate, quàm à morbo. Aqua denuò oblata est, sed frustra; imò me magnopere rogavit, ut non ampliùs ei molestus esse velim, ut saltem quietè mori sinerem, adeo aquâ ei terribilis, ut nihil supra; sed & omnia alia quæcunque illi jam terrorem incutere dixit; ejus mortem jamjam instare sentit quòd animo, inquit, penè defectusus sum; & admodum quidem pallidus, & cavo & tenui vultu erat.

Multâ autem difficultate hominem vestitum persuasi, ut se in faciem inclinaret. lectoque incumbentem sese super ventrem prosterneret; pectore tamen & vultu in terram ultra lectum liberè deorsum prospiciente: nam mihi verisimile esse videbatur, ut hoc corporis situ (scilicet canino, aut quadrupedum more, quàm erectiore, humanoque;) faciliùs biberet. Itaque cerevisiæ tenuioris Urnam capacem ipsius ori placidè subjici curavi; quam, protinùs ut aspiceret, infinito gaudio amplexus est; & ejus odore se admodum refici dixit; potionemque jam cum insigni voluptate vidit; seque minimè dubitare, quin totam Urnam siccare posset affirmavit; & qui jam tantùm non moribundus videbatur jocosè loquutus est, & cum uxore & necessariis ejus multa lepidè & jucundè confabulatus est: inventionem meam mirificè laudat, mihique gratias quàm maximas ex animo dedit &c. Caput autem versus cerevisiam maximâ festinatione impetuque movebat, sed frustra, nam, quoties labia aperuit, stomachus vehementer offensus est; linguam jam exeruit, ac si lamberet sed cùm vel summo ejus apice cerevisiam tangere contigit, territus resiluit bibendi tamen vana imagine usque delectatus est; amphoram que è conspectu ejus subducere ancillam sinere noluit, & quoties eam paulùm & leniter subtrahere conata est, odorem sequutus est naribus, canum more, follicans. Diu & multùm sic frustra fatigatus, se jam plurimùm offendi dixit odore cerevisiæ tenuioris, scilicet nimiùm vapido & languido; idque sibi ne biberet impedimento esse; itaque alam (fortiorem cerevisiam nostratibus dictam) petiit. Atque illa ex voto dicto citiùs oblata est; sed post infinitos conatus & linguam millies, canino more, exertam, neque ex ea vel primis labiis gustare potuit. Atque hac positione modo ventri incumbens, modò manibus & genubus innixus, integrâ minimùm horâ persistebat, (Tantalum agens) at omnino citra potionem Deinceps, tenuis fistulæ, è pennis coagmentatis confectæ, alterum caput ejus ori, atque alterum cerevisiæ, immitrimus; sed illo Syphone uti non potuit: atque idem esse videbatur, ac si quis illum Canis ori intrusisset. Ira vexatus, me persuadente, tandem decubuit, & non multò post exitum meum nervorum contractione correptus est, ore spumavit, latravit, adstantes dentibus petiit.

Hoc autem paroxysmo finito Elleborismum in bolo propinavi, quod libenter avideque, perinde ut cætera, sumpsit, ab eo ter quaterve copiosè vomuit, eoque se multùm levari dixit; tamen subinde convellebatur, & in accessionibus semper delipiebat. Post quatuor autem horas hominem rursùs visitavi, & jam Sacerdos etiam accersitus est, quocum multa loquutus est sobriè & piè, precesque publicas ab eo repetens, & sacramentum mensæ Dominicæ vehementer petiit; quod tamen propter morbum dare non licuit; Testamentum scribi jussit & rationum libros inspexit. Post hæc rursùs hominem ad bibendum sollicitavi, & jam promptè seipsum in ventrem sua sponte vertebat, omnique artificio & ingenio usus est, ut de cerevisiâ capiti subjectâ biberet; sed nunc ut olim frustra. Insuper poculum exiguum argenteum, Potionis plenum, in ejus manum tradidi; quod, cùm propè os leniter & suspensa admodum manu admovisset, subitò intra proprias fauces illud ejaculare voluit, ut de bolis facere consuevit, sed dentibus allisum, in amphoram subjectam cecidit.

Illum autem, cùm non meminissem, toto decubitûs tempore vel minxisse vel semel dejecisse; ideò enema dari curavi, quod potiùs rejecit & convulsus occubuit. At eum non minxisse, & satyriasi molestissima correptum fuisse, (de quâ plurimùm questus est, maximè cùm in genibus & manibus incumbebat lecto) à vesicatoriis potiùs, quàm à morbo oriri, verisimilius mihi esse videbatur; at lecto postea Cœlio Aureliano, Antiquorum diligentissimo, si quis alius scriptore, ipsius morbi unum è propriis signis esse cognovi.

Ne quid autem omitterem de iis, quæ aliquo modo ad morbi intelligentiam facere possint, insuper dicam, me quandam mulierem è propinquis ejus fortè convenisse, cujus filia, ut mihi retulit, valdè anxia erat, ne illa quoque periclitaretur, quòd hic vir à suo domo redeuntem puellam nocte conducere ad ædes maternas voluit; seque benè meminisse ejus manum qua illum tenebat, totumque corpus tremuisse, & frigido sudore maduisse, multumque secum murmurâsse; ut illum rogaret, quomodo se haberet: respondit, post operam quotidianam, (nam supellectilicarius erat) ita se malè habere nuper consuevit.

Neque illud silentio prætereundum est, ipsum canem, à quo morsus est, hominem ea nocte sequutum esse: imò ipse canis vivus & sanus esse videbatur, quo tempore homo mortuus est.

Ægrotus 2. Ad hæc: *D. Widdovv*, ipso authore, mihi hæc narravit; nempè ad illud tempus, quo *Corton* morsus est, ab eodem ipso cane nigro ejusdem *Sutton*, Carolus in ejus officina morsus est. Postridiè autem à morsu idem Carolus & Dominum & ancillam, illum in manu, hanc in tibia momordit & eo ipso die moriebatur. Post mensem verò malè se habuit, & cordis dolore

lore vexatus eſt, non ſine aliquo tremore & metu, per triduum vix dormivit, ſanguinem mitti curavit, & melius ſe habuit. Ancilla autem de nulla noxa adhuc querebatur.

Ægrotus 3. Puella quædam, duodecim annos nata, à cane rabioſo morſa eſt ad Talum: cutis autem ejus non lacerata eſt aliquo vulnere; at penitùs impreſſi ſunt canis dentes, eorumque veſtigia ad aliquot dies manebant: huic autem in ea parte neſcio quis dolor Urens, per intervalla accedens: à ſexto verò, ut memini, die à morſu adeo intolerabilis fuit, ut præ dolore vehementer vociferavit; pungente, atque urente dolore, ac ſi carbone aliquo vivo afficeretur; is verò dolor uſque ad genu aſcendebat; imò eo tempore planè aliena loquuta eſt.

Ægrotus 4. Quædam mulier, 60. annos nata, ex matre vehementer phrenetica; ab ipſis cunabulis (ut mihi à fide dignis relatum eſt) hujus mali materni quædam ſigna habuit: ex. gr. nunquam in vita niſi pitiſſando, & cum neſcio quâ difficultate, bibere potuit; contra, cibum & multum & avidè ſumebat: aquam ſemper vehementer inhorruit, ut naviculæ in flumine ſe nunquam committere perſuaderi potuit; imò iter factura vehiculo, aquæ metu ſupra modum affecta eſt; item repentinos pavores ſine cauſa vehementer paſſa eſt: ſubitò & ſupra humanitatem, prætérque omnem rationem (aliàs mitiſſima Fœmina) iraſci ſolebat.

Ægrotus V. Quidam quinquagenarius, Mercatoribus notiſſimus inſtitor, habitans in *Pyeallcy*, ad vicum vulgò dictum *Fenchurch ſtreet*: morbo quodam valdè inuſitato ex 25. an. graviter affectus eſt: me verò per Pharmacopolam vicinum acceſſivit ejus uxor, ut de re, per neminem adhuc vel infinitis remediis levatâ, ſaltem judicium meum ferre velim: hominem vidi athleticum quidem & aliàs ſanum, & dum ei adſtabam, bis aut ter convulſus eſt ad hunc ſemper modum; nimirùm, caput ejus de humero ad humerum admodùm veloci vibratione concuſſum eſt, non ſine dentium ſtridore; idque ſi noctè in lecto contingat, quod tamen ſæpiſſimè fit, cum quodam horrendo murmure perpetrari ſolet; ut ejus uxor nobis autor fuit: hæ autem vibrationes tanta pernicitate tranſactę non diu durant; tamen cùm frequentes ſunt, hominem ſupra fidem fatigant; ad plures verò menſes in anno nihil iſtiuſmodi mali patitur, ſed integer eſt. Ego autem, cùm is caninus concuſſus planè mihi viſus fuit, hominē protinus interrogavi quoties (Pharmacopolâ præſente) & quibus corporis membris Cane morſus eſt? At mihi non ſine gravi iracundia reſpondit, bis: ſed utrumque in tibia, & ſibi vel puero vel adoleſcentulo contigiſſe. Cùm hæc mea interrogatio hominem valdè moroſum reddiderat, parùm aut nihil amplius loquutus, ei valedixi.

Elapſo autem anno, rurſus, ſuâ jam ſponte, eôdem Pharmacopolâ nunciô, me rogavit ut ad ſe venirem; excuſatione autem ab ipsô præfatâ. Ejus malum à Canum morſibus, tibiæ olim inflictis, quorum cicatrices, nudatâ tibiâ, mihi libenter oſtendit, poſſe oriri veriſimile eſt; maximè quod ejus Uxor, ſæpius obſervaverit iſtum ſtridorem, & dentium concuſſionem & murmurem in nocturnis Paroxiſmis uſitatum, canem quendam latrantem valdè propè imitari; aliaque non dicenda mihi narravit, quæ nobis fidem utique faciebant, me de morbi natura rectè conjecturam feciſſe; opemque meam ſuppliciter rogârunt, quòd quò vir ſeneſcat, eò etiam malum graviùs inveteraſcere & multò pejus fieri. Pulverem autem *Antilyſſum* diu ſumendum præſcripſi, &, ut memini, aliquoties in menſe Helleboriſmum, de effectu autem medicamentorum; & an illa ſumpſerit, nunquam audivi; & iſtiuſmodi homines citò remediis ſatiari credibile eſt: & ſi boni alicujus eventus fuerint, ſanè præter expectationem meam id eſſe, propter diuturnum vehementis morbi malum habitum. At Ægrotus jam vivit, ut mihi nuperrimè narravit ipſe pharmacopola vicinus ejus.

♃ Ægroti quidam (manuſcripti ex minio) ad marginem cujuſdam libri S. Ardoin de venenis, ad medicum quendam eximium, *Herenhook*, olim pertinentis: hos autem mecum communicavit pro candore ſuo notiſſimo, Doctiſſimus vir D. D. Franciſcus Bernard, illoſque ſanè publicâ luce dignos exiſtimavi.

Ægrotus VI. Notanda Hiſtoria cujuſdam, qui tertio demum anno poſt morſum interiit: Septimo autem quoque die, eadem hora, qua demorſus fuerat, toto triennio in rabiem agebatur: an rabiei ſupervenit ſeptimana febris?

Ægrotus VII. Vidi in ſene Septuagenario, qui poſt 40. dies Hydrophobiâ correptus, quinto ab ejus inſultu die, me mordere appetens, & ſalivam plurimam ex ore profundens, interiit: demorſus autem fuerat ad auris pinnam.

Ægrotus VIII. Memento Inſtitoris Pariſienſis, quem vidi: is à cane non rabido demorſus circa malleolum, ſine vulnere, per ſeptem annos integros, me ſpectatore, & ſi adhuc vivit, per decem, quotidiè millies in quacunque corporis parte, ſæviſſimos percipiebat cruciatus, præſertim in *Pene*, quaſi ab adactis vitri fragmentis: carnoſus aliàs & boni habitus: nullum ipſe levamen niſi in vino generoſo, & laudano, quo per plures menſes ſæpiùs in die uſus eſt.

Atque hæc hactenus de Ægrotis: deinceps verò hujus mali rationem explicare aggrediar.

At breviter videamus, quæ Antiquorum de hac re notitia fuit.

Igitur alii, referente Cœl. Aurelian. Hydrophobicam paſſionem melancholiam eſſe voluerunt.

Ab Hipocrate verò βραχυπότοι, i. e. parvi bibuli, appellantur Hydrophobi, quos brachypotos vocant, hoc eſt, quod modicum biberent, ob timorem liquoris.

Corporis paſſionem eſſe, i. e. omne corpus pati: plus tamen ſtomachus patitur, atque venter, ſiquidem in ipſis ſigna plura & manifeſtiora; ut ſingultus, egerendorum retentio.

At ex noſtra obſervatione ipſam Salivam præcipuè vitiari; atque in ea unicum eſſe virus, experimentis credo. Etenim hæc ferè vulnera inficere ſolet: ac ſine vulnere, etiam vel ab ipſis labiis aut linguæ ope communicata idem aliquando malum attuliſſe, ut ex ſartrice C. Aureliani conſtat, idemque atteſtante hujus ſeculi fide digniſſimo Fab. Hildano.

Huic accedit illud, nempè aliorum morſuum venenatorum non aliam cauſam eſſe; Viperæ puta, aut Dipſadis, &c. ſiquidem ab his Animalibus una evidens ſaliva vulneri infunditur; quam ſalivam per ſe quoque venenatam eſſe extra dubium ponitur, infinitis experimentis à F. Redi excogitatis.

Porrò, canem ore tenus plus imitantur hi ægroti, quàm ullis aliis corporis membris; ubi ſcilicet Saliva propria excretoria vaſa ſunt.

Poſtremò hominis & aliorum omnium quadrupedum rabioſorum, videlicet ex canina rabie affectorum, morſum identidem viroſum eſſe, aliàs innoxium; licèt id ſæpiùs fiat ab ægrotis ex febribus putridis, aut alias vehementer inſanientibus, notiſſimum eſt. Atque adeò ipſa eorum ſaliva, ęquè ac canum, contagioſa eſt.

Ad ejus verò rei explicationem hæc imprimis faciunt: nimirùm à morſu canis rabioſi novam naturam caninam aliquatenus homini ſuperinduci. Id quod liquidò conſtat, ex ejus latratu verè canino; ex linguæ exertione, rapidoque degluttiendi modo: ex potionis horrore in erectiore hominis poſitione: contrà procumbenti, quadrupedum more, ejus delectabilis proſpectus, ſpontanea & vehemens appetitio.

At

At bibere tamen non possunt, alterutro demùm modo iis offeratur aqua: adeoque aliquid intus impedimenti; verbi causâ, vel faucium tumor, qualis in Angina, quod aliquibus, ut video, modernis placuit; vel quod eædem contractæ & aridæ sint. At omnino nullum horum est: siquidem bolos dictos optimè & facillimè, imò avidè, canum more, appetunt devorantque, cùm ne linguæ quidem apice potionem ullius generis tetigisse valeant. Quid ergo est? planè ipsa saliva in causa est: nam quoties illam deglutire contingit, ut ex nostro primo ægroto centies dictum audivi, stomachus tanquam contra rem maximè odiosam insurgere solet: nec aliud molestius, aut gravius symptoma, quàm quod ex mota saliva oritur. Quæ itaque humida sunt, cùm ex similitudine naturæ communis crassis & solidis cibis promptiùs salivam movere, soleant, ideo multò magis abhorreri credibile est. Potionem itaque hi miseri per se non recusant, sed quòd propriam salivam venenatam, à potulentis vehementiùs motam, ampliùs deglutire in stomachum non sustineant. Galenum itaque multùm erràsse à vero constat, dicentem hoc morbo malè affectos à potu abstinere, quia à mente alienati sunt, ut id quod iis auxiliari potest, non confiderent.

At noster Ægrotus, ut potionem primis paroxysmi diebus non magnopere desiderabat; ita à calidis medicamentis cùm sitis ei infinita excitata sit; tamen & potionum genera optimè cognovit, earumq; usum, & necessitatem, at citra potentiam bibendi.

Alia autem dubia restant satisfacienda. Primùm, cur sola saliva inficiatur, & non alii humores & ipse sanguis? Respondeo ita quidem aliquatenus esse; quod liquet ex ægrotorum habitu, & conditione corporis ante paroxysmi adventum, siquidem tremunt frigentque; at ipse impetus morbosus in salivam maximè erumpit, utpotè congenerem humorem. Sanguinis autem massam esse duos distinctos humores alibi ostendi; alium que adeò posse infici, alio integro, credibile est; Cùmque è sero saliva proximè conficiatur: qui in sanguine caninæ salivæ magis affinis est, ex communi natura potiùs affici, verisimile est.

Altera quæstio est, Cur Canini generis saliva sola rabie afficiat, & non aliorum quorumvis quadrupedum insanientium? Galeno authore, (de locis affectis, lib. 2. cap 5 item 6. de interioribus, cap. 4.) reliquorum animalium nullum rabie arripitur; solus canis eo affectu corripitur, tantaque fit in ipso humoris corruptio, ut vel solum ejus sputum, si humanum corpus contigerit rabiem excitare sit potens. Proculdubio hoc exhibuit Galenus ex veterum naturalistarum fide & authoritate.

Non autem ignoro alios ex antiquis aliter sensisse: nam C. Aurelianus inter caninum genus, ut Vulpem, Lupumque, etiam Ursum, Leopardum, Equum, Asinum, imò ipsum Gallum Gallinaceum, numerat.

Hæc omnia & alia plurima animalium genera ex febribus, & ob aliàs causas, insanire non dubitandum; imò & rabie interdum affici, aliaque quæ momorderint, in rabiem similiter adigere solere. At ex rabie canina hæc effecta esse, non ex seipsis illæsis, credibile est.

Morsus humanus, (etiam phrenitici aut aliter insanientis) nisi ex aliquo canino prævio infectus, nocivus non est. Siquidem nusquam, quòd scio, proditum est maniacum, maniâ aliquem ex vulnere aut morsu affecisse. Ita de aliorum animalium furore naturali cogitandum est. Soli itaque canes rabie infectoria noxii sunt, & qui ab iis rabiosis morsi insaniunt: quæ Galeni sententia fuit.

Et si contingat, inquit S. Ardoynus, aliquod aliud animal rabiosum effici, illud accidit, quia à rabido cane, aut à morso ab ipso, morsum fuerit: & si absque hoc aliquod aliud animal videatur rabidum effici, erit rabidum non vera rabie, juxta Galeni mentem, sed dispositione quadam simili rabiei causæ: vera itaque & propria rabies aliis animalibus non accidit: cani soli & id genus animalibus proprietas est, quatenus ita mirabilia & sæva symptomata communicari possunt.

Apud veteres tamen quosdam alia invaluit opinio; nempè esse possibile sine manifesta causâ hanc passionem corporibus aliquando innasci. At hæc mera eorum conjectura est, & ob ignorantiam facti prodita.

Quid autem sit peculiare in genere canino, quod hanc infectoriam rabiem efficiat, difficilè est dicere.

Illud interim notare lubet: Canes ferè omnium quadrupedum minimè sudare, etiam æstuantes & ex vehementi & diuturno cursu fatigatos; sed linguis valdè exertis, salivam magno & continuo anhelitu effundunt; quam ob rem eorum salivam magis salsam acremque esse verisimile est; maximeque si quando, more aliorum animalium, ægrotantes insaniant. Imò propter eandem fortasse rationem omnium Serpentum, id est, frigidorum, & non sudantium animalium, etiam omni tempore & sanitate integra, saliva virosa est, & in plerisque supra fidem septica; quòd nempè nullibi corporis nisi in ore ventiletur, & ab acredine sua purgetur. De salivæ autem natura salsa & exedente alibi multa à me dicta sunt; scilicet in Tractatu de Humoribus, ubi de Concoctione agimus.

Ampliùs quæri potest, cur aliqui ex morsu canis rabiosi non Hydrophobici fiunt? atque adeo de vita non multùm periclitantur; sed mitioribus quibusdam symptomatibus & citra aquæ pavorem certis anni temporibus, & certis hominum ætatibus ægrotant.

De hac autem quæstione veterum nonnulli cum nostris observationibus non conveniunt. Democrito (Hippocrati coætaneo & naturæ rerum omnium longè sagacissimo) non danda fides est, inquit Cœl. Aurelianus, dicenti, Hydrophobas quosdam levi aquæ timore affectos, biennium transegisse. At ipse Hippocrates idem cum Democrito videtur exhibuisse, cùm parvibibulos Hydrophobas appellet & brachyporas, ut suprà dictũ est. At ex nostris ægrotis, id esse verum abundè constat.

Quæstioni itaque benè fundatæ respondeo: Canis alicujus saliva possit interdum graviter esse virosa, & Hydrophobiam inducere interdum ex alio aliquo morbo, quo canis laborare possit, multò mitiùs inficere. Rursùs, incipiente, aut declinante canis alicujus rabie, quos tunc is mordere contigerit, eos leniùs infici, quàm alios in vigore accessionis morsos, verisimile est. Deinde, quòd aliquod extremum membrum, pes puta, morsum sit; cùm labium aut manus hujusmodi infectioni opportunior esse videntur. His adde remedia etiam prophylactica, vel minore modo, quàm par erat, aut gravissimum malum futurum exigebat, data fuisse, adeoque hominibus morsis tantùm ex morbi maligna certè parte, & non ex toto occursum est. Postremò, cùm canibus hæc lues própria & peculiaris sit, is tamen omnibus & singulis non tam funesta est: sed sæpè per se sanantur, ut qui venaticos canes nutriunt, benè norunt: imò & homines similiter, etiamsi à cane rabioso morsi sint: non semper tamen Hydrophobici moriuntur: sed à morbo tuti esse videntur; cùm tamen vel iidem ipsi; vel eorum nati insania peculiari & infectoriâ vitientur in plures usque generationes.

Ex hac itaque & superiore Quæstione triste corollarium deducere licet: nimirum hinc familiarum plurimarum insignem calamitatem oriri posse verisimillimum est. Etenim si sola canina rabies ex omnibus animalibus communicari potest, scilic. de cane in hominem transferri, deque homine similiter in hominem, & sic ita in infinitum; idque à solo contactu salivæ absq. vulnere; quidni per semen genitale? Et si illa lues ad Hydrophobiam non semper attingat: sed, salva hominum vitâ, non dicendis symptomatibus, quòd adhuc plerisque nostris hominibus non animadversa fuerint, propagari possit; tot & tantarum maximè illustrium familia-

familiarum (quibus canes præ pauperibus in deliciis sunt) ubique terrarum melancholiam nescio quam & insaniam hæreditariam ex his ferè causis nasci non sine ratione vehementer suspicari fas est.

Hæc autem non protuli insolentiæ aut animi causa; sed veras causas tanti mali indagando, quo nostri homines meliùs & majori cum effectu curas intendant: cùm alia profectò sit vulgaris phrenitis maniave, atque alia rabies, & ab ea orta melancholia hæreditaria mille larvis simulata.

Reliquum est, ut rationes curativas & remedia huic morbo præcipuè accommodata expediam. Hæc autem ad duas præcipuè intentiones dirigi solent; nempe vel non permittunt homines morsos in aquæ timorem incidere; vel Hydrophobicos, quos ipse morbus aquæ timore occupavit, curant: at utriusque intentionis pleraque remedia communia sunt.

At cùm saliva venenata præcipuè noxia sit, illa imprimis evacuanda, temperandaque, ne stomachum ampliùs offendat.

In primo autem censu sunt chirurgica; ut cucurbitula, ignis, medicamenta exedentia vulneri admota, balneum, & vehementes sudationes, frictiones ex oleo, multum & meracum vinum, lac, pinguia juscula, &c. At hæc omnibus venenis communia remedia sunt.

Item, Antidota: quorum præcipua Theriaca Mithridatica, secundùm Andromachum, aut ipsum Mithridatium, hæc autem ideo bene faciunt quòd ex aromatibus confi iantur, quæ medicamenta viribus & substantiis ægrè permutantur à stomacho viscer. bulve; cùm itaque intra corporis habitum parùm mutata & tantùm non integra admissa fuerint, qualitates alienas, si quæ occurrant, & naturæ inimicas, facilè vincunt. Etenim quæ difficulter concoquantur, vix alibi corporis aboleri possint; itaque venenis rectè objiciuntur, ad ejus acrimoniam obtundendam, Dioscoride aliisque veteribus: imò propter hanc rationem intinctibus & condimentis miscentur aromata, ut acida & salsa temperentur; sic vinum, ex. gr. ingratum, acidumque, absinthii tantillo fit jucundum & potabile: adeoque ad virosam Salivam corrigendam, ne stomachum nimium lædat, bene facere existimanda sunt. Atque hęc Antidotorum communis ratio est; ut quæ illis facultates naturæ, id est, communibus sensibus amicæ & gratissimæ insint, illas & ipso stomacho corporisque habitu, ad ipsa usque excretoria vasa sartas tectas conservent.

In eodem autem censu Antidotorum à veteribus numerantur etiam simplicia quæque medicamenta: imò & interdum medicamenta propriè & per se purgantia, si minori modo dentur, quàm ut alvum movere possint; ut Hiera in hoc morbo quotidie exhibita citra purgationem: & tunc auxiliare medicamentum, id est, Antidotum apud eosdem audit.

Pergo ad alia Antidota: illud autem è nucibus juglandibus per se quoque alvum, at leniter, movet; sed ad venena mirificè apud antiquos commendatur: siquidem in his nucibus insunt qualitates maximè desiderata: earum oleum verè anodynum est, & privatim adhiberi solet ad inflammationes: idem de istiusmodi nucibus testatur Ætius supra hoc, quod affectioni rabiosæ resistit; Somnum, inquit, conciliat, & febricitantibus convenit. At alia peculiaris qualitas his nucibus donatur, (quæ ei cum oleo ex semine lini & papaveris communis est) nimirum per se siccari; pictoribus hodiernis notissima. Atque adeo hæ nuces propter hanc præcipuè rationem aptæ natæ sunt salivam acrem & venenosam obtundere. Etenim cùm corporis humani omnia salia ferè urinosa sint, id est glabra & pinguia, quòd digitorum attritione planè constat, hujusmodi olea ex similitudine & natura quadam communi propiùs associari, & cum levi corporis calore quæ earum proprietas est, strictiùs uniri posse credibile est. Quemadmodum in saponis confectione, calcis vim septicam & salis lixivii pinguem acrimoniam, ob facilem coalitionem cum oleo olivarum pisciumve (etiamsi illa præ nostris oleis tam dictis minimè apta sint per se siccari, qui ad strictiorem inter se unionem aliquis tamen defectus est) admodum retundi, & mitissimum medicamentum reddi videmus.

Procedo ad alia Antidota prophylactica, inter quæ numerantur Cinis cancrorum fluviatilium: Hippocampus marinus: item Silvestris rosæ Tuberculum ex Plinio. Hæc autem omnia quandam inter se affinitatem habent: nam & cancri, & animalcula rosæ sylvestris exanguia sunt; Hippocampus verò marinus, etiamsi è piscium pinnatorum genere sit, cùm tamen valdè osseus est, ideoque & propter parvitatem suam veteribus exanguis quoq; visus est: imò verò piscium ossa, crustæ testæque exangium eandem ferè naturam qualitatesque analogas habent.

At cineres cancri usti in præcipuis medicaminibus sunt: ad magnum modum (ad ℥j. puta mininum, aut ℥ij. si tardè dentur à morsu) & per se à veteribus multâ fiduciâ ad hoc malum præcavendum iidem dabantur; de pulverum verò testaceorum facultatibus, tam crudorum, quàm ustorum, in Tractatu de humoribus fusiùs egimus. Interim illud scire licet, illos esse è mitissimis colliquantibus medicamentis, adeoque apprimè utiles ad imbecillum stomachum salivâ venenosâ perpetim offensum, ejusque acrimoniam optimè iis temperari posse verisimile est; multoque magis, quòd is pulvis à cancris fluviatilibus confici debet; utpotè marinis, quibus salsedo major, lenioribus; item ob similem rationem ad serpentum morsus & ad tabem benè faciunt, authore Dioscoride.

Porrò Helleborus albus apud antiquos laudatur, & sternutamentis, & clysteribus aut balanis podici supponendis inditus. De infinita autem efficacia hujus medicamenti ad insaniam curandam alibi erit disputandi locus, sed an ad Hydrophobiam privatim benè faciat, hæreo. Illud quidem verum est, hoc medicamentum pituitam vehementer movere, evacuareque; quæ cùm salivæ venenatæ proxima materia sit, sic fortè ad, ĭvare possit. At metuo ne nervorum contractiones acceleret. Idem de Diagridio & Elaterio dando sentit C. Aurelianus; nempe incongruè agitant atque gravant ægros, & non eo tempore, quo permitti potuit usus suprà dictorum, præcautionis causâ ac effugiendæ passionis. Hæc itaque & similia ante accessionem Hydrophobiæ, & proximè à morsu, si quid commodi inde expectare licet, exhibenda sunt. Siquidem incepto semel aquæ pavore numquam puram & sinceram dimissionem habeat Hydrophobia, in qua sola dandum est Helleborum.

Proximo loco Antidoti Apulei Celsi exhibendi modum paucis perpendamus: illo verò in ipsa correptione uti oportet; ad ℈j. dato cum rosę cyathis tribus & exigua aqua? Hoc proficit ut aquam postea sine timore sumant, & minùs quidem liberati hac difficultate crucientur. De Antidotis autem suprà satis diximus.

De oleo verò rosato mihi ampliùs differere lubet. Non ita dissimile remedium & optimæ, ut mihi sanè videtur, spei. Cum Aceto jumentis Hydrophobicis adhibet Vegetius; at illos tantùm eorum nares & caput diligentissimè perungit, & sanitatem promittit. At summa difficultas est in exhibitione alicujus humoris, quod Scribonio tamen Largo satis benè provisum est; rememedium ejus ipsa correptione ineunte, exhiberi debet: concedatur itaque id fieri posse; olei tamen rosati quantitas præscripta admiranda est, scilicet ad quinque ferè uncias: attamen salivæ venenatæ ore, faucibus, stomachoque commistum, ejus virus habitare potest; maximè quod oleum ipsarum rosarum rerum insi-

insigniter lenientium, ad satietatem usque particeps est, ita ut postea sine metu bibant, haud incredibile est. Ulterius videant, quibus opportunitas est id genus medicamenta experiundi.

Ultimo loco, Aquæ exhibitionem violentam consideremus. Nam sunt apud Veteres qui nihil aliud, quàm potum dare quoquo modo nituntur.

Nunc gelu, vel nivem offerentes ægrotis, nunc viridem ficum, vel pyrum, aut cucumerem, & his similia, referente C. Aureliano

Antiqui autem Medici alios atque alios modos bibendi invenerunt.

Alii calami perforati initium ori ægrotantis immittunt; dehinc ex alia parte per aliam cavernam aquam infundunt.

Alii poculo, lineo panno subter imposito, vel belluæ pelle (hyenæ puta) potandum putant: scilicet super itione traducti, quòd naturalis authoritas belluarum, quæ canibus est contraria, timorem ægrotantium solvat.

Democritus autem ex antiquissimis medicis, & qui Hippocrati convixit, jubet origani decoctionem dari atque ipsum poculum, quo bibant, in sphæræ rotunditatem formari.

Si commoti aut irati fuerint audito potu, erit differendi oblatio: dandus interea potus in Fictili vasculo subtili caverna perforato, tanquam sunt papillæ Uberum & dandus, projecto oculis obstaculo, vel temporaliter clausis fenestris.

At de his ex nostrâ observatione suprà comprehensa dicere licet cum C. Aureliano, nempè hæc quæ vulgus per experimenta probata putat, longè aliena excogitata fuisse.

Porrò, parum olei, sive calidæ, ut poterit contineri per podicem, clystere injiciatur: Atque id ad minuendam sitim: nam non solùm dysentericis injectum medicamen superiora invadens, sæpè stomachum atque caput vexare accepimus, siquidem eò necessariò pervenit, sed etiam calidam & oleum pervenire posse concepimus, quò partibus iisdem irrigationis præbeat laxamentum.

Restat autem dimersio involuntaria in frigidam, quod & nostris hominibus ut video placuit: de hoc verò remedio C. Aurelianus audiendus est. Quidam medici, inquit ille, ut Artorius memorat, alios in vasculum plenum frigidâ miserunt, alios in puteum posuerunt, saccis immissos, vel inclusos, ut necessitate bibere cogerentur. Alii in aquam calidam.

Quos optimè reprehendit idem antiquissimus scriptor, dicens illos nescios esse quòd passionis curationem illam esse, non ut bibant ægrotantes, sed ut bibere velint: quod fit cum passio fuerit adjutoriis destructa.

Multi denique etiam bibentes raptu affecti sunt graviore, & convulsi ex frigida interficiuntur.

Strangulatio quoque ac mors quandoque ex sorbitione aquæ accidere solet, teste Ardoyno.

Haud ita dissimile experimentum à docto quodam medico Nottinghamiensi, *Thuroughton*, mihi olim narratum est. Is Hydrophobici cujusdam oculis mappam crassam superinjecerit, manibusque ligatis, potionem bibere invitum aliquoties cogebat; at prorsùs sinistro eventu, nam statim vehementer convulsus obiit.

Nec opinantem in Piscinam projicere, non ante ei provisam, inquit C. Celius, ut invitus aquâ satietur, sic enim & sitis & aquæ metus tollitur.

At hæc vana sunt, & sine funda mento: illud sanè ex nostris ægris satis jam evidens est, sitim non esse Hydrophobiæ perpetuum symptoma; adeoque non de morbi natura ægros sitire: si tamen aliquando per accidens id fiat; scilicet, in aliàs vitioso corporis habitu, aut æstivo tempore maximè calidâ & æstuosâ regione, à vigiliis & antidotis calidioribus nempe medicamentis multùm exhibitis, si quid boni expectare liceat à tali dimersione, id à vomitu plurimæ aquæ deglutitæ oriri debet; ita fauces & stomachus à saliva venenata abstergi possint: at quomodo causam tam altè radicatam tollat levis vomitus, non video: adeoque inter remedia contingentia, & non privata & specifica ponenda sunt.

Nostri autem Homines, certè maritimi, in altum mare ægrum demergunt: At aqua, inquies marina sitim accendere quàm tollere aptior est, propter vehementem & peculiarem salsedinem ei naturaliter insitam. Aliter tamen de aqua salsa marinaque cogitandum est, siquidem adversus omnigenum feratum morsus sal privatim utilis est. *Teste Dioscoride.*

Inter prophylactica privata oblitus sum memorare ipsius rabiosi canis Hepar coctum: Catuli lactantis coagulum. Hæc autem nomino, quia remedia sunt ab antiquitate ad nos transmissa, & quòd non rarò à nostris quoque hominibus adhibeantur; at, quantùm intelligo, frustrà. Mihi quidem videntur antiquitatis religiosa quædam deliramenta: alia certè antidota supià comprehensa non negligant, suadeo.

Antequam verò hanc dissertationem dimittam; quæri potest, cur Hydrophobia morbus insanabilis sit? Respondeo primò, ob causam fortasse adhuc ignoratam; adeoque remedia rectè adhiberi non potuerunt. Rursus, cùm duo præcipuè tempora, medicamenta danti in hoc morbo sint; unum, ab ipso morsu ad præservationem ab Hydrophobia, alterum, ad ipsam Hydrophobiam initam curandam. Cumque plurimos à rabioso cane morsos ab antidotis appropriatis sanos evasisse; imò Galenus, aliique affirmant, neminem, cui cinis cancrorum fluviatilium ex gr. ad ℥ij. ex vino puro quotidie exhibitus est ad 40 dies mortuum esse: contrà, Hydrophobicum aliquem rarissimè, si unquam, curatum fuisse. Hujus itaque in successu medica mentorum differentiæ ratio esse videtur, quòd in ipso statu & paroxysmo plerique morbi medicinam ægrè admittunt; at eadem medicamenta ante paroxismum exhibita benè faciunt. Imò morborum initia maximè accommodata sunt medicinæ faciendæ, quòd noxios humores reprimunt, totasque eliminant, antequam habitus corporis vitietur: à morsu itaque ipsoque morbi initio medicandum est, si quid feliciter moliri velimus.

Quod non alio quidem exemplo (ut id hîc obiter notem) meliùs elucidatur quàm è varia exhibitione Corticis Peruviani in Febribus intermittentibus, aut in ipsis putridis febribus, ubi tantùm remissiones eædemque sta æ sunt. Nam si febri paroxysmo declinante is propinetur, & intermissione tota, remissionisve intercapedine aliquoties iteretur, ut Sydenham, ejusque sectatores faciunt, magnis & multis modis ejus pulveris pugnandum est, & frustraneo sæpiùs eventu; certè ad infinitam nauseam & crapulam stomachi à morbo labefactati: contrà, si è vino puro, per diem unum maceratus, propinetur, vel aliquot tantùm paucis horis (unâ vel altera putâ) ante adventum paroxysmi, quando scilicet maxima corporis integritas est, maximeque si id fiat ipso ineunte morbo debellat plus una ejus dosis, quàm decem alias exhibitæ: loquor autem de morbis longis qui les intermittentes sunt; id quod centies felici eventu expertus sum.

Unde satis constat falsum esse, quod aliqui vehementer volunt; nempe Antidotum illud mirabile (ipse autem inter primos, quantùm scio illud medicamentum olim in antidotis posui) multò minoris efficaciæ esse nunc, quàm aliquot viginti retrò annis, mercatoresque ac Pharmacopolas nostros (ut quidam volunt) injuriæ fraudisque insimulando; cùm tamen non in medicamenti bonitate, sed in exhibitionis tempore & modo discrimen sit.

De

De hac autem re provoco ad Badum, qui elegantissimú ac doctissimum Tractatum ante triginta annos de Cortice Peruviano edidit, unde, S---aliique nuperi scriptores nostri, omnia sua habuerunt, præter unum illud, de corticis exhibendi modo inepto, ne pejùs dicam, & intempestivo, authore suo, misero illo agyrtâ Talbot, dignum inventum.

Porrò, si sit potior aliquis delectus in Cortice, ipsi nos medici videmur culpandi, qui pessimum volumus ex inadvertentia. Nam is cortex, me judice, optimus est, qui è trunco arboris, mox qui è ramis majoribus; deinde è ramusculis habetur: at ex ipsis summis & tenuioribus surculis non nisi crudus & acerbus cortex detrahitur. Atque hoc satis constat ex analogia corticis nostrarum arborum, (quercus putà) qui maturior, magis concoctus, majorumque longè virium, quo crassior, vetustiorque, vel ipsis coriariis notissima res. Illud fortè nostris hominibus imposuit, cinnamomi ratio pretiumque, nempe in corticis illius quadam tenuitate parvitateque: at in illo medicamine quò acrior vehementiorque gustus, eò gratius, acceptiusque aroma: cùm tamen ex cortice majori camphir copiosiùs oleumque elici solent, clara maturitatis indicia.

Illud quidem propriâ experientiâ testor, me ante viginti annos cortice Trunci sæpè usum esse, ad crassitiem & latitudinem volæ manûs, magnis & profundis sulcis & fissuris conspicuo, velut in vetusta arbore. Imò eundem aliquando valdè cariosum putridumque ex necessitate, quòd melior nullo pretio tunc temporis haberi potuit, & olim & nunc me vix unquam frustravit eventu optimo & desiderato; maximè si ejus modus & tempus exhibitionis ritè observentur. Sed tanti medicamenti rationes cæteras alibi, cùm de morbis acutis agam, opportunior dicendi locus erit. Atque hæc hactenus de hydrophobia, ad alios morbos longos procedo.

Superiores autem Schedæ de Hydrophobia tantùm non impressæ fuerunt, cùm librum Petri Salii Diversi, proximè superioris seculi doctissimi medici, primùm viderim. At multa sanè fide digna, atq; aliter quàm ab ullis aliis scriptoribus, apud eum dicta inveni.

Itaque & quæ nova ad hunc morbum pertinent excerpere; & quatenus nos ab eo in aliquibus dissentimus, pauca hic reponere lubet.

Imprimis, apud illum non video ullam bonam rationem, qua convellatur sententia Galeni; nempè, solum canem ex omnibus animalibus rabie corripi. Admittam licet à Lupo sæviora & magis horrenda symptomata posse consequi: at Lupus à cane nonnisi specie differt. Cætera autem animalia, quę ab Aristotele aliisq; rabie tentari dicuntur, à canino morsu priùs infici possunt. Esto! & Asinus & Leo rabie inficere primariò possunt;cur homines siti tentati non irrugiant, rudantve sed semper ut canes latrent,vel ut Lupi ululent? Hoc itaq; rem planè conficere mihi videtur;morbi nempe malitiā ex integro à canino genere oriri,non homini tantùm, sed & aliis quibuslibet animalibus.

Nec multùm commoveor ab instantia mulieris Hydrophobicæ ex febre recens sanatę; nam potuit, ut suprà diximus, ea ex traduce transmitti à parentibus, ut alii morbi hæreditarii. Et in his sic propagatis mitiora ferè symptomata esse solent.

Inter symptomata verò titubat, dicens, dum rabiant homines, sitiunt admodum. At sitis non minùs quàm Febris, (quam ipse excludit) ex morbi natura est.

Ut verò Febrem rectè explodit, ita delirium quoq; nolit hujus morbi signum Pathognomonicum constituere, nec necessariò rabiem consequi; quę ex nostris quoq; observationibus fidem habent.

Rationem verò Salii libenter admitto, cur oblatio, visus, solaque imaginatio aquæ, Hydrophobicos lędat, nempè ex consensu ventriculi cum rebus vel visis vel imaginatis: quæ infinitis exemplis expediri potest.

Causas timoris aquæ, quę ab aliis afferuntur, doctè refutavit: at ejus non libenter admitto.

Etenim illa Antiphatia, quam cum virosa saliva liquida alia habeant, res vana & futilis est. Atque hæc aversio ex accidenti tantùm est: nam pejorante malo, ubi valdè cupiunt bibere, si virus salivæ abominandum non impediret, promptè biberent.

Item illa altera ejus causa falsa est; nempe esse materiam ullam, quæ obstruat fauces, vimque deglutiendi in rabidis hominibus ullo modo ex pituita cruda, viscida, & virulenta esse præpeditam: sed stomachum potiùs à tanto veneno vehementer offendi; ne itaque lædatur, ad aquam insurgere.

Quod autem solida avidè deglutiant, cùm liquida aversentur, ratio est, in absorbendis liquidis arctiùs astringi gulam, quàm in assumendis solidis cibis, ideò iis magis offenduntur, quòd è ductibus excretoriis saliva copiosiùs à liquidis elicitur.

Si quis verò quærat, cur liquida (ut in nostro Ægroto I. suprà ostensum est) non aversantur in positu canino & pronis capitibus, erecti verò illa maximè abhorreant? Respondeo. Quia saliva virosa, in illo positu effusa, ad labia decurrit, in hoc ad fauces relabitur, easq; ad illam deglutiendam magis provocat.

Etiamsi verò Timoris aquæ causas non bene, ut opinor, expedivit, cum illo tamen asserere necesse est; verum characterem hujus mali esse cruciatum internū, ab aqua vel assumpta vel oblata inductum, & non vanum aliquem timorem aquæ liquidorumque, aut aliquam falsam de iis imaginationem, sed quia verè & sensibiliter ab iis interiùs admodùm & in stomacho læduntur

Hæc autem quæ sequuntur ferè singularia sunt, atque ad intelligentiam morbi maximè faciunt; eaque ideò in nostras chartas transferre non gravabor; & præcipuè quòd cum nostris observationibus, suprà cōprehensis, ex magna parte bene concordant.

1. Sensui quidem nullus rabientium à proprio habitu & temperamento, ex aspectu immutatus apparet, cum nec in colore, nec in mole corporis, nec in facultatibus, nec in affectionibus, nec in ullis accidentibus sensibilibus, antequam rabiem incurrant, ullam mutationem subeunt.

2. Rabientes ratione proprii virus non febricitare: si autem aliquando febricitant, hoc ex corporis prævia altera indispositione fieri.

3. Præter signa ab aliis comemorata, unum se (quod præcipuum & infallibile futuræ rabiei appellat) animadvertisse ait, omnibus ignotum; atque hoc signum est, dolor quidam in loco jam commorso, licet ulcus antea per dies & menses integrè fuerit sanatum, accedens, qui intensus esse non consuevit, nisi morsus partem nervosam petierit. Hic dolor à loco jam commorso incipiens, leviterque patientem affligens, per partes post partem, spatio trium aut quatuor dierum, aliquando paulò plùs, aliquando paulò minùs ascendit ad cerebrum: cui cùm communicatus fuerit, in eo quasi vertiginem causat, simulque confusionem quandam, quorum merito, modò ad hanc partem, modò ad illam declinantes rectâ progredi nequeunt; indeque statim homo in rabiem deducitur.

4. Etiamsi rabie correptis omnia excrementorum genera, ut plurimum retineantur: in uno tamen vidi maximam & ingentem urinæ copiam excretam, sine ullo ægrotantis sensu.

5. Vidi aliquot simul carnes & ossa apprehendere & conterere, & ita facilè esitare, ut profectò non adeò facilè Canes ipsi edant.

6. Narrat, quâ fide nescio, Lupum à Venatoribus captum

captum, in diverſaque obſoniorum genera apparatum & coctum, fuiſſe in cauſa, ut qui eum guſtarint, eſitarintque, rabie non multò poſt correpti fuerint: ſi verum eſt, remedium ſanè illud ex Hepate denteve Canino ſuſpectum imò abominandum reddit,

7. Ubi Hydrophobiæ indicia acceſſerint, ſi quid in tali caſu prodeſſe poterit, hoc unum erit Helleborus albus, ab antiquis valdè celebratus, qui admirandus eſt in hiſce affectionibus. At ubi rabies facta eſt, morbuſque graviſſimus evaſit, adeò lethalis eſt, ut auxilia humana, niſi tantùm ad remittenda ſymptomata, quę in iis verenda & horrenda ſunt, incaſſum cenſeam. *Hactenus Martinus Liſter tractatu de morbis quibuſdam Chronicis.*

Conſultationes.

Hydrophobia.

Ad Ancillam Illuſtriſſ. Matronæ Patriciæ inviſendã, Autumno vocatus, 40. circiter annos natam, formosã & boni habitus eam ſedentem inveni, inculto capite, capillis ſparſis, anhelam, huc atque illuc ſeſe jactantem, quæ à duabus aliis famulis vix tenebatur, & à Religioſo quodam exorciſmo expiabatur, dum interim, ululatus ederet, ad inſtar canis, quinimò & mordere tentaret alias famulas, niſi minis & verberibus ſe ipſas tuerentur. Omnia autem exaſperabantur quando Aqua benedicta aſpergebatur, quanquam hoc idem eveniebat: aquæ quoque putealis, non benedictæ aſperſione, prout ſtatim expertus ſum, imò ſi cyathus aqua plenus eidem offerebatur, magis jactabatur. Prętereà convellebatur, nec quicquam comedebat, omniũ verò minimè potum, aut potulenta admittebat. Erat autem illius afflictionis quarta dies, licet & antea potum renuerit. Interrogavi adſtantes num à cane aliquo unquam demorſa fuiſſet, qui affirmarunt æſtate proximè præterita à catello Bononienſi domeſtico demorſam fuiſſe in brachio, juxta Deltoidem muſculum, ut ego vidi, verùm morſum, utpote exiguum, abſque ulla curatione ex ſe ſanatum, & facilè cicatrizatum eſſe, catellum tamen in aquam projectum & ſuffocatum fuiſſe, quoniam paucis ante diebus Dominæ quoque digito manus vulnuſculum inflixiſſet, quod tamen ſola proprii oris exuctione & expuitione ſanatum fuit.

Quibus audiris, & à me conſideratis, jam hydrophobam, mortique proximam miſeram Ancillam pronunciavi, longo enim tempore rabies inducitur, at invaleſcens repentinam quoque nonnunquam mortem affert, ut eidem contigit, ſiquidem poſt paucas horas convulſa è vivis deceſſit. *Raymund. Joh. Fortis Conſult. & Reſponſ. Medic. Tom.* 1. *Cent.* 1.

Hidrophobia Imminens.

Dies igitur ſexageſimus jam agitur, ex quo Illuſtriſſ. Matrona ab eodem catello fuit in manu ſiniſtra demorſa, cujus ætas quadragenaria eſt, totius & jecoris temperamentum ad calidum, & ſiccum vergens, gracilior habitus, & fuſcus color, in potu meraciori, de more, delinquens. Vulnus autem à catello inflictum fuit, aliquot diebus ante Ancillæ infortunium, fuitque exiguum, ex quo tamen ſanguinis guttulæ emanarunt ſponte, quanquam & aliquas ore ſibi ſuxerit Illuſtriſſ. Pat. cui propterea ſpatio trium aut quatuor dierum, idem vulnuſculum, licet neglectum, cicatrizatum fuit.

Modò, cùm infauſtus atq; funeſtus eventus, ex morſu ejuſde canis, in miſera ancilla fuerit ſecutus, ſciſcitantur à nobis Domeſtici, nũ virus caninũ in corpore Dominæ adhuc latere poſſit, & ancipites noſtrũ implorant auxilium. Quare unà cum duobus aliis Medicis, ita conſultum fuit.

Inquirendum à nobis non eſt, utrum Matrona Illuſtriſſ. hydrophobiâ correpta ſit, patet enim imaginationem in ea depravatam non eſſe, adeò ut & aquam, & liquida omnia fugiat atque formidet, ſed quæritur, num rabie infecta eſſe poſſit, quæ tamen nondum ad aquæ formidinem pervenerit?

Et quidem, ut partem negativam & favorabilem magis ſuſtineam aliqua prælibare, hoc ſermone mihi liceat. Hydrophobia eſt intemperies ſicca habitualis ſolidarum omnium partium corporis, cum depravatione imaginationis, inducta à veneno canino, natura calido, & ſicco. Ita Gal. narrat, ſe vidiſſe quendã tranſacto anno hydrophobiam incurriſſe, cui Medicis omnibus ſumma in ſolidis animalis partibus ſiccitas eſſe videbatur, quod paulatim fit, & ideò immedicabilior. Hanc autem intemperiem inducit virus caninum, calidum & ſiccum, de quo dicebat Ætius, quod Canes naturâ calidi & ſicci, per æſtatem ex ambiente nos aëre, aliam caliditatem ac ſiccitatem acquirunt, & ob immoderatam intemperiem inſaniunt, quę inſania Rabies vocatur. Et quoniam febre vacat, non phrenetica eſt inſania (& licet febris adeſſe quoque poſſit, non tamen hujus affectus propria) prout, quia cum metu, melancholica eſt, in ſe tamen maniam continens, quia cum furore fit, cùm in adſtantes motſuri invehuntur. Sic & Paulus dicebat, quod adeò deſipientes ſunt ut familiares non cognoſcant, venenũ enim hoc, utpote atræ bili proximum, ferinum & maniacum delirium producit, ſcribente Ariſt. quod facit hæc Rabies furorem. Depravatur autem imaginatio, non ratio, Philoſophus enim ille ab Ætio deſcriptus, à cane rabido demorſus, & hydrophobus factus, quia rationem illæſam habebat, cùm canis in balneo ſibi appareret, ſecum locutus, dixit; Quid cani cum balneo? unde vicit affectionem, & ſanatus fuit cùm intrepidè bibiſſet. Nec quærendum, cur in aqua canem ſe videre putent hydrophobi? rationem enim reddere cujuſcunque objecti, circa quod decipiuntur inſani, impoſſibile eſt: niſi dicamus quod depravata ſit imaginatio circa illud objectum à quo læſi fuerunt, cujus ſpecies, mediante virulentia canina, ad cerebrum defertur, dum hæc eidem calidam & ſiccam intemperiem inurit.

Antequam autem talis alteratio, dicit Gal. ſolidis corporibus communicetur, in humoribus reperitur, quibus evacuatis, licet & ſolida occupare inceperit, illico ceſſat, & ad naturalem habitum ſolida redeunt. At ſi completa fuerit affectio, & non amplius in fieri: etiamſi vacuata fuerint, quæ eandem produxerunt humida, nihil facit ad ſanationem, ſed tandem ob nimiam ſiccitatem corrumpitur mentis judicium, adeò ut quid ſibi prodeſſe poſſit non intelligant, ſicque remedium vitando, & aquam metuendo, miſerabili morte pereant.

Quibus præmiſſis & conſideratis, primò ab Illuſtriſſ. Matrona aquæ formidinem abeſſe, hydrophobiam ſcilicet, pro certo habendum, non ſolùm enim præludia imminentis non adſunt, ſed rabie quoque vacat; imò nec eadem infecti humores fuerunt, quoniã qui vitioſis humoribus ſcatent, & analogiam, ſeu ſymboleitatem, cum hydrophobia habent, citò, imò aliqui ſtatim ab ea corripiuntur, ut conſiderabat Ætius. Quare cùm Matrona hæc temperamenti calidi & ſicci, gracilis, & melancholici habitus, & cacochyma ſit, & jam à morſu ſexageſimus prætererit dies, ſumma cum ratione credi poteſt, venenatum non fuiſſe vulnus tunc temporis inflictum, eò quod catellus nondũ rabie fuerit infectus, licet ad rabiem pronus, & ſi fortaſſe gradum aliquem rabiei foviſſet in ſaliva, ſperari poteſt quod exuctione ſibi ſtatim facta, extractus & ſimul cum ſputo ejectus fuerit fomes; eadem quippe ſuctione Gentiles à mancipiis ſuis facta utebantur, quam Chriſtiani omiſerunt, utpote non adeò tutam.

Verùm

Verùm quoniam in dubiis tutior pàrs est eligenda; & dum agitur de summa rerum nunquam satis cautè agitur, ideò remedia in præsenti rerum statu usurpare consultum existimo, ut humores, si fortasse infecti forent, è corpore educantur; statim enim solida ad pristinum statum revertentur, quia in fieri adhuc est affectio, non in facto esse. Secundò humida alteratio in solidis educenda. Tertiò alexipharmacis virus caninum oppugnandum.

Imposito itaque Clystere, aut medicamento ex syr. ros. sol. & de polyp. præmisso, aperienda est brachii dexteri vena, sanguisque modicè educendus, habita cacochymiæ ratione, quæ sanguinis missio in principio nullo modo conveniret, prout convenit veneno jam ad humores propagato.

Inde aliqua præparantia utilia quàm maximè fuerint, ex Decoct. Bugl. Melis. Oxalid. Gent. Zedoar. Dictamni albi, Angel. & Vincetox. additis syr. de Cort. Cit. de succo Bugl. & de Pomis. Quinque verò aut sex post diebus, purgans quod validum sit, erit exhibendum. Ita scribit Diosc. quendam hydrophobię proximum, sumpto Helleboro convaluisse, & Orib. quotidie porrigebat purgans ex Colocyn. ad fabæ quantitatem. Nos præbere possumus Elect. Diacath. Diaph. cum conf. Hamech. vel Extr. Helleb. ad ʒß. Cassiæ immistum. Quæ Cholagoga medicamenta conveniunt, cùm caninum virus exustionem cõtineat, præsertim verò in hoc temperamento calido & sicco, habitu gracili, atque cacochimo. Aliqui ad usum quoque Antimonii deveniunt, ut quod agitatione, & calida humorum commotione, ab alto trahere, & educere venenatos humores valeat; à quibus tamen omnibus serum depur. copiosum est semper prębendũ, quorum etiã repetitus debet esse usus. Nec ullo modo audiendus Rhasis, qui valida purgantia, non modò in progressu, sed etiã in principio exhiberi cõsulit, contra cōmunem tum Arabum, tum Græcorum sententiam.

Tandem Alexipharmaca virus oppugnantia sunt diutius quotidie exhibenda. Galenus Alyssum commendat. Lycium, & Laserpitii succum; Paulus, Orib. & Ætius viticis semen. Avic. præter cætera, Gentianam. Verùm principem locum, non solùm apud Gal. sed & apud omnes, tum Antiquiores tum Recentiores, tenet Pulvis Cancr. fluviat. quem Æscrion Empiricus, Gal. præceptor, ita parabat.

℞. Pulv. Cancr. fluviat. ʒx. Gentianæ ʒv. Thuris ʒj. m. cujus dosis erit ad ʒij. qui dissolvi poterit in Aq. Card. sanct. Scorzon. & tot. Cit. ut ad venosum genus pervadat; in cujus usu persistendum ad 40. dies. Et interim sedeat Matrona Illustriss. sub arbore Cornus, & Virgam sanguinariam manibus tractet, ita enim venenum caninum intus latens detegitur.

Victus ratio debet esse refrigerans, & humectans, licet Paulus vinum dulce, meracum, & vetus concedat, etenim idem Lactis usum & lactaria edulia proponit. Quę in casu pręsenti, dicta satis. *Idem ibidem.*

Quæsito de Virulentia Canina

Responsum.

Casus equidem sicuti rarus, ita periculi plenus, offertur mihi considerandus, cujus decisio sicut, apud ignaros & Laniones ipsos impossibilis, ita apud Eruditos difficillima, atque tandem apud Medicos, in Arte peritos, difficilis evadit, primò quia non adeò omnibus innotescat, animalia cętera rabie tentari posse, cùm ab Eruditis Viris jam Vulgus acceperit, solum Canem rabie corripi; secundò quia si animalia à cane rabido mordeantur, eorum qualitatem veneficam ab igne qui omnia consumit, prorsus absumi posse, à quàm plurimis facilè creditur; & propterea juremeritò Magnates Illustrissimi istius Urbis Nob. plures consuluerunt Medicos pro decisione, num Vitulus & Porcus, à cane rabido demorsi, rabie infici, & inficere potuerint homines, qui comederint ipsos, nec ne? simulque à partem affirmativam sustinentibus, pro curatione atque præservatione opem medicam exigunt.

Antequam igitur ad remedia proponenda deveniam, in casu mihi proposito duo necessariò priùs consideranda veniunt, alterum, num Vitulus & Sus, animalia à cane rabido demorsa, venenum caninum contrahere, & rabie affici possint, nec ne? alterum verò considerandum; num canino veneno infecta, & hominibus paulò post morsum comansa, eosdem inficere potuerint.

Et primum quod attinet; quamvis Galen. asseruerit, canes tantùm inter omnia animalia rabie tentari, & solos Camelos addiderit Aristot. locuti tamen fuerunt de innata rabie, non autem de contracta, & acquisita à canis rabidi morsu: hanc enim omnibus animalibus communicabilem esse idemmet Aristot. apertis verbis asseruit. Quare rabiem & Vitulo, & Porco rabidum canem morsu communicasse, non est quod dubitemus; quæ tamen affectio quoniam insignem latitudinem habet intentionis & remissionis, idcirco si paulò post morsum à Lanione mactata fuerint, veneno canino progressus interceptus fuisset: non enim serpit in animalium corporibus sine vehiculo spirituum, & in hoc casu non adeò facilè venefica canina qualitas cõmedentibus carnes illas communicabilis foret, eoque minus (ut ad secundum quæsitum deveniam) ignem pro coctione expetta, cùm à Galen. habeamus, quod integri Serpentes cum sale assi, ignis operâ noxiam, excedentemque corporis nostri virtutem deponunt. Negandum tamen non est caninum virus hominibus, qui carnes illas non assas, sed elixas comederint, communicari potuisse. Et quamvis Galen. asseruerit, quod spicula venenata necant quidem Cervos, sed ipsorum caro comesta hominibus minime obest; solvitur tamen objectio, eo quod venenum illud quod helenium esse solet, humanæ Naturæ, sicut Cervinæ, non adversatur; quod de veneno canino asserere nequeo: narrat enim Surius in sua Historia de rebus in Orbe gestis, quòd cùm Caupo quidam porcellum à rabido cane demorsum, decoctum & conditum, hospitibus comedẽdum obtulisset, rabie omnes correpti fuerunt. Sed præterea habemus à Petro Salio, Medico egregio, lupum quendam rabidum, à Venatoribus captum, decoctum, & in diversa obsonia distributum, multis hominibus qui ex eo comederant, rabiem intulisse: rationemque reddit, cur ab igne canina illa virulentia prorsus abolita non fuerit; idque quoniam non ab excessu alicujus manifestæ qualitatis, verùm à tota substantia venenum caninum procedit. Igitur cùm & Vitulus & Porcus à cane rabido commorsi, rabiei capaces fuerint, & eorum carnes ab hominibus comestę rabiem iisdem communicare potuerint, reliquum est ut modum proponam, quo & à rabie præservari, & ab interitu præcaveri possint: non enim necesse est quod statim à comestione rabie detineantur, asserente Galeno, quod Canis venenum licet in demorsis non otietur, longo tamen tempore, causa, quę rabiem efficit, augetur, quousque tandem ad aquæ formidinem, hoc est, ad rabiem ipsam pervenerint, tuncque quarto aut septimo die convulsi pereunt, ut propterea Anthidotis alexipharmacis adhibitis, venenoque à corpore educto demorsi homines à veneno canino vindicari, & à rabie atque interitu præservari possint, cùm frequenter, spatio mensium, & nonnunquam annorum, virus caninum suas exerat vires, dum non tantùm humores, sed solidas quoque partes tandem occupaverit.

Affectus iste quod medicamentis tolli possit antequam solidas corporis partes obsideat, jam innuebat Gal.

Gal. citatis' locis, & confirmavit, dum pulverem ex cancris fluviatilibus, remedium certò sanans appellavit, de quo pluribus locis mirabilia quoque repetit. Et quamvis Dioscorides tertium aut septimum diem, tanquam ultimum terminum assignaverit, quibus transactis nulla spes salutis supersit, tunc intelligendus est, quando jam ad rabiem & hydrophobiam pervenerint; tunc enim nullum se vidisse sanatum. Dioscorides idem asserit, admiratus se audivisse Eudemum & Themisonem sanatos restitutos. Confidenter itaque remedia sunt opportunè adhibenda, quibus se nullum vidisse mortuum asseruit Galenus, atque ego pluries expertus sum.

Et quamvis in morbis curandis, utiles priùs desumi soleant indicationes à morbi essentia & à causis, in hoc tamen affectu curando, indicatio ab essentia, neque à causa desumi potest, quia ut morbus à tota substantia, occulta vi agit, nobis ignota, ut propterea ad experientiam & experta remedia confugere debeamus, occulta & alexipharmaca facultate huic veneno se opponentia; quibus tamen solis ego non acquiesco, cùm ab evacuatione infectorum humorum liberatos viderit Galenus, & Dioscorides ipse; quare prima intentio erit humorum venenatorum eductio; mox Alexipharmacorum qualitati veneficæ oppositio, atque tandem, quoniam hujus veneni finis & effectus est ipsa siccitas, humectantia quoque indicari videntur.

Primę intentioni satisfacere nequeunt sola Lenientia, ut quæ humores à venis & longinquioribus corporis partibus trahere non valeant: unde Dioscor. narrat, se vidisse quendam Hydrophobiæ propinquum, usu hellebori sanatum: quare mundatis primis viis leniẽte aliquo medicamento, statim Purgantia in usum ducenda, hæcque sint. Extractum hellebori nigri & senæ cum cassia, Melancholicis; Extractum rhabarb. & diagrydii, Biliosis, quibus superbibant serum asin. depur. ad libras: Pituitosis verò trochisci Alhandal cum Diaphæn. cui superbibant mulsam dilutam, aquâ hordei paratam: Diebus verò intermediis assumant quotidie summo mane pulverem cancrorum fluviatilium, quem Æschrion, Galeni Præceptor, Empiricus, diebus Canicularibus ita parare solebat.

℞. Cancrorum fluviat. in panatella rubra ustorum, ℥x. gentianæ ʒv. thuris ʒj. m. f. pulvis, cujus dosis à ʒj. ad ʒij. in cyathô aquæ stillat. cardui sancti, aut pimpinellæ aut pæoniæ quadraginta diebus assumendus. Et si hujusmodi prava canina dispositio ultro processerit. Patientes etiam juvenes fuerint, plurimo aut fervido sanguine abundantes, venas quoque aperire & sanguinem educere minime verendum, ex pede primò, mox etiam ex brachio, cùm infecti humores jam in massa sanguinea contineantur; & idcirco summa cum ratione, dierum progressu, Celsus commendat quoque sudorem in Balneo, prius nimirum evacuato corpore per centrum, quod Balneum parari poterit duabus vel tribus horis ab assumpto Alexipharmaco ex cancris; ita primæ & secundæ intentioni satisfactum erit.

Pro tertia verò explenda, Paulus tanquam egregium remedium, lac proponit. quod quoniam horis matutinis remediis tum educentibus, alexipharmacis propositis locum cedere debet, idcircò horis vespertinis in usum duci poterit, simulque alia substãtificè humectantia alimenta boni succi: non tamen excludendo pepones optimos, persica matura & à Sole bene confecta, ut siccitas à virulentia canina produci solita, quàm fieri potest, arceatur, in quem finem à calefacientibus & exsiccantibus alimentis, vigente & perdurante hujusce veneni suspicione, prorsus abstinendum. *idem Tom. 2. Cent. 4.*

Observationes.

De morsu humano, ejusdemque curatione.

Duplex homini ab homine morsus infertur, nam aliàs fit ab homine rabioso, isque summè malignus atque venenosus est: ideòque non secus quàm si à cane rabioso factus esset, curari debet. Aliàs fit itidem ab homine, aut phrenetico aut furiosâ irâ percito. Quem morsum postremum periculo non vacare, exempla quę sequuntur, fidem faciunt.

Anno 1582. Girardus Muchs, mercator *in Langenberg*, in Ducatu Montensi, quum inter pocula cum alio quodam litem haberet, eique colaphum impingere tentaret, dentibus haud leviter infixis apicem dextri ejus indicis apprehendit. Unde, quia non rectè curatus, nec ulla vitæ regiminis ratio habita est, exortus est dolor magnus, aliaque graviora symptomata. Quum verò de abscissione manus barbitonsores duo, quibus curandum se commiserat, inter se conferrent; is vocari jussit pręstantissimum Cosmum Slotanum, apud quem tunc temporis praxim exercebam. Quum itaque pervenissemus ad ægrum 26. Julii, invenimus totam manum inflammatam, & jam incipiente gangræna correptam: dolores quoque extremi, convulsiones, febris ardentissima, syncope, & inquietudines maximæ aderant; ita ut non solùm de manu, verùm etiam de vita periclitaretur.

Scarificavimus itaque statim totam manum, & applicuimus quæ gangrenæ adversantur. Mox universalibus, veluti clysmatis, purgationibus, venæsectione, epithematibus, cordi & hepati applicatis, & vitæ regimine frigido & humido, humores & sanguinem ad manus cum impetu fluentes, repulimus, detraximus, diminuimus, & partes principes ad temperiem vocavimus. Sic tandem æger, divino favore convaluit, ita ut nõ manum, imò ne digitum quidẽ morsum amiserit.

Anno 1603. mense Aprili, quum phreniticam quandam mulierem tractandam haberem, & linguam an arida esset, explorare vellem, illa digitum incauti, & nimis curiosi Medici dentibus arripuit, atque adeò dẽtes digito impressit, ut sine violẽtia eum inde extrahere non potuerim. Hinc statim dolor vehemens, non solùm in ipso digito, sed per totum brachium exortus est. Applicatis tamen iis quæ sequuntur, paulatim dolor sedatus est: & quinque vel sex dierum spatio digitus convaluit. Primò diligenter sanguinem ex morsibus (diversis enim in locis dentes infixerat) expressi, mox acero acerrimo ablui tum morsus, tum etiam totum digitum. Postea theriacam dissolutam in aqua vitæ, cum gossipio morsibus imposui, ac emplastro basilico apicem digiti, totam verò manum linteo reduplicato, ac in oxicrato madefacto involvi. Atque his remediis quotidie bis vel ter iteratis, Dei beneficio convalui. *Gulielm. Fabricius Hildanus Observ. Chirurg. Cent. 1.*

Alia morsus humani curatio.

Anno 1604. sub Canicula Esaias Rapin, Corsellis propè Paterniacum, à quodam viro, furiosâ irâ percito, ad primam articulationem pollicis graviter morsus fuit. Hinc statim exortus dolor vehemens per totum brachium. Neglecto ab initio morsu, dolores, reliquaque symptomata singulis momentis ingravescebant. Ego quarto die morbi accersitus febricitantem ipsum comperi; syncopæ item aderant, & dolor acutissimus. Pollex item usq ad carpum correptus erat phlegmone, quæ postea in putridum & sinuosum ulcus degeneravit. Morsus lividi erant, ex quibus

ſubtilis, acris, & fœtidiſſima materia effluebat. Doloris leniendi gratiâ, brachium oleo roſaceo & lumbricorum inunxi. Ad carpum, defenſivum morſibus, toti verò digito ſequens unguentum applicui.

℞. Unguenti baſilici. Butyri recentis an ℥ß. Ol. amygdalarum dulcium ℥ j. Theriacæ opt. ℥ j. cum vitello ovi, fiat unguentum ſ. a.

Poſtero die electuario de ſucco roſarum ipſum purgavi. Poſtea baſilicam brachii ſani incidi, & vitæ regimen præſcripſi. His ſedato dolore, & probè digeſtis morſibus, ulceribus mundificativum ſequens impoſui.

℞. Pulveris Myrrhæ, Aloes, radicum ariſtolochiæ rotundæ, Iridis florentinæ, Angelicæ an. ʒ j. Theriacæ diſſolutæ in aqua vitæ ʒ ij. cum melle roſaceo, fiat unguentum.

Tandem ulcera aliorum ulcerum more conſolidavi, curamque Dei beneficio, maximo cum labore abſolvi *Idem ibidem.*

De morſu canis rabioſi.

Matronæ cuidam in via obviam venit canis rabioſus, qui veſtem ejus dentibus arripiens, huc & illuc trahebat, donec tandem veſte lacerata, cute tamen mulieris illæſa & intacta, canis aufugit. Illa verò neſcia canem rabioſum fuiſſe, laceratam veſtem filo (prout ſarcinatrices factitare ſolent) dentibus abſciſſo, reſarcire cœpit. Unde nullum quidem per tres menſes ſenſit incommodum. Poſtea verò ſenſim melancholica facta, imaginationibus, viſionibus horribilibus & pavoribus agitari cœpit, & paulò poſt, aquam & vinum odiſſe, & quod pejus eſt inſtar canum latrare, domeſticos non agnoſcere, dentibus arripere, atque modò hunc, modò illum mordere tentans: Donec tandem in ea miſeria animam efflaret.

Quomodo autem venenum partes nobiles infecerit, jam operę pretium eſt perquirere. Venenum hoc univerſam complexionem ac molem humorum in corruptionem trahere, ac omnes partes principes invadere, ſymptomata, quæ inde ſequuntur, ſatis ſuperque teſtantur. Cerebrum enim imprimis à veneno occupati, furor & inſania denotant: quandoquidem ſpiritus animales, aliis ſubtiliores, primò offenduntur. Poſtea quoque in corde, & hepate ſummam intemperiem calidam & ſiccam exoriri, leipothimia, incendiū, febris, ardor linguæ, ſitis vehemens, anxietas, inquietudines, & hujuſmodi ſymptomata denotant. Hinc certum eſt, excrementa & ſalivam præcipuè (quæ in canibus rabioſis partim cerebri, partim pulmonis excrementum eſt) venenoſam eſſe. Veſtis igitur matronæ virulentâ ſalivâ canis madefacta, filum infecerat. atque inde mulier dentibus filum abſcindens, venenum partim ex filo, partim ex ipſa veſte, labiis ad ſe attraxerat, quod deinde paulatim ad partes nobiles ſerpſit. Tanta enim eſt hujus veneni ſævitia ac malignitas, ut hominis judicio comprehendi non poſſit. Neglecti enim morſus canis rabioſi, quantumvis minimi, cute vix læſâ, ſine dolore aut inflammatione, nihilominus poſt longum tempus omnibus partibus principibus, labem atque perniciem communicant, ita ut tandem homo in furore moriatur. Nonne Baldus, eximius ille Juriſconſultus, à caniculo ſuo in labiis morſus, neglecto morſu, poſt quatuor menſes rabidus periit? Sed non tantùm morſum pernicioſum & mortiferum eſſe, ſed ipſam ſalivam, teſtantur Galenus, & poſt eum multi viri docti.

Quanta autem hujus veneni ſit ſævitia atque malignitas, licuit hoc anno binis exemplis mihi obſervare. Primum fuit Sebaſtiani Cuiſineri, Paterniacenſis filia, quatuordecim annos nata. Illa à rabioſo cane vulnuſcula quinque in tibia acceperat. Parentes illam vetulæ empiricæ curandam commiſerant. Illa vulnera ferro candenti inuſſit, poſtea neſcio quo unguento 15. dierum ſpatio, curationem abſolvit. Sed quia (ut ex parentum relatu colligo) non ſatis profundè immiſſum fuit cauterium, & maturè nimis obductæ fuerunt cicatrices, accidit ut poſt menſes tres ſubitò melancholiâ, triſtitiâ, mœrore, & timore, ac paulò poſt hydrophobiâ correpta ſit. Ego tandem accerſitus, inveni ipſam in mortis agone. Maximus ardor, ſudores, anxietates, & ſitis aderant: aquam tamen neque vinum videre potuit, neque etiam ſibi nominari paſſa eſt. Linguâ arida erat. Domeſticos non agnoſcebat, quos quandoque dentibus apprehendere tentabat. Atque in eo angore paulò poſt è vita deceſſit.

Alterum exemplum fuit de Juvene quodam viginti annos nato, Daniel Perrin nomine. Is ſuperiori æſtate, tempore meſſis, à fele rabioſo ſcalpturam in dextro pollice accepit: ubi epidermis vix offenſa fuit. At quia ipſe inſcius felem rabioſum fuiſſe, hanc ſcalpturam (quæ non diu poſt ſponte coaluit) planè neglexit. Nullus enim ſequebatur dolor, nullaque inflammatio, aut aliud ſymptoma. Proximâ verò die 1. menſis Martii, paulatim incepit melancholicus fieri, & pavoribus, atque falſis imaginationibus commoveri: ita quidem ut poſtero die domo egredi: atque in publicum prodire non auderet. Ego tertio die ejuſdem menſis vocatus, inveni ipſum hydrophobiâ correptum; Aquam enim, vinum, omniaque ſplendida adeò abhorrebat, ut ne videre quidem poſſet, nec vellet: imò interrogatus an vellet bibere, ſtatim alta voce exclamabat, ſeque abſcondebat. Vultus, collum, & pectus inflammata erant: colore cæruleo miſto, ſudores & anxietates aderant: maximo cum impetu ex una in alteram lecti partem ſeſe ita projiciebat, ut tres viri quantumvis validi, vix eum continere poſſent. Nonnunquam exclamabat, & ſeſe in adſtantes projicere tentabat: quos dentibus arripuiſſet, niſi cuſtodes eum retinuiſſent. Cibum & potum non ſolùm reſpuebat, ſed ex ſola nominatione aut inſpectione calicis, expaveſcebat & tremebat, atque in ea miſeria eâdem nocte è vita deceſſit. *Idem ibidem.*

Anno à Deiparæ virginis partu 1581. menſe ſextili, matrona quædam, honeſtaque mulier, doctoris celeberrimi filia, quam nobilis vir ante duos annos in uxorem duxerat, hæc mihi familiariter nota, proximèque affinis: cum quodam die per urbem negotia haberet & ageret, à cane rabido ex improviſo impetitur, in ſiniſtro brachio mordetur. Vicini, & concomitantes rei magnitudine, & triſtiſſimo caſu vehementer perculſi, illico canem interficiunt: Dein præſto advocati adfuerunt ſeduli doctiſſimi Medici, qui exquiſitè remedia præſcripſerunt, partique affectę apponenda juſſerunt. Per os item Alexipharmaca propinari curarunt. Brachium ſupra vulnus, ligaturâ validâ, vinculo arctiſſimo exceptum fuit: Topica attrahentia, foraſque venenum evocantia, ejuſque vim retundentia, adhibita. Denique ferrum & ignem loco læſo applicuit Chirurgus. Tandem elapſis paucis diebus, Deo volente, ſalva & incolumis evaſit, vel evaſiſſe videtur, nulla in brachio noxa, nec tantùm cicatrice ferè relicta, nulloque in corpore, ut apparebat, reſtante veneno. Verùm quid evenerit, audi quæſo. Septimo ab hinc anno recurrunt ſymptomata ſæviora multò: perſentit in brachio aliàs læſo dolorem acerbiſſimum, veluti à caninis dentibus diſcerpi, & dilaniari. Inde paucô interjectô tempore furor & mentis alienatio ſubſequuntur, mœror, triſtitia, vigiliæ ſummæ, ſitis inexplebilis, febris tandem; & maxima virium proſtratio: ciborum denique omnium odiū, nunquam tamen à potu abhorruit. Nec liquida, quæ ſitim extinguere valebant rejecit. Morti proxima judicata eſt, imò nulla nobis relicta erat vitæ vel ſalutis

ſalutis ſpes. Sed in tot tantiſque malis, ita diligentiſſimè ei manus auxiliares adhibitæ fuere, tum à præſtantiſſimis Medicis, tum à domeſticis, ut intra paucos dies perfectè ſanata via fuerit.

Sæva etenim illa accidentia, paulatim miteſcendo, abſolutè ceſſarunt. Poſt annos ſeptem ab hac invaſione, & decimô quartô à canis morſu, & tertiô ab obitu mariti ſui, mirabilibus, iiſque graviſſimis morbis, iterum tentari cœpit, principiô ductô à ſiniſtro illo brachio. Tormina lethalia ſenſit, vomitiones & ructus incredibiles, omniaque ſymptomata atrabilaria ſuſtinuit, vigilias & ſitim maximam paſſa eſt. Vellicationem, & dolorem ingentem in loco priùs morſo habuit. Curatur iterum diligentiſſimè, & me præſente ſanitati, ut videbatur, reſtituitur perfectè, aptis ad id adhibitis remediis. Sopitum tantùm judicavi malum, non deletum. Sic manſit per annos ſex. Annô vigeſimô à vulnere accepto, denuò recurrit affectus, excitantur accidentia ut prioribus annis, redeuntque eadem ſymptomata. Sedatis annô ſequenti iiſdem rursùs tentatur honeſta fœmina. Subſequenti annô repetiit malum bis. Annô proximè illapsô ter ita correpta fuit. Hôc annô jam bis. A tribus annis frequentiores, ſed breviores fuerunt paroxiſmi. Tres aguntur hebdomades, quòd ab ultimo prehenſa fuit, & evaſit paroxiſmô. In omnibus ferè temporum mutationibus ſibi brachium vellicari perſentit. Vereor, ne brevi vitam anxiam & calamitoſam, cum morte ſæpiùs optata commutaret. Hujus rei teſtis ſum: hæc egomet vidi. *Idem ibidem*; *ex communicatione Abelis Roſeii Medici Lauſannenſis.*

Morſus canis rabidi curatio.

Anno 1602. 30. Julii, adoleſcens quidam Paterniacenſis, David Willometus nomine, prope cubitum dextrum à cane rabido vulnus accepit. Venit ad me primo Auguſti. Tum præparatis omnibus, ſic proceſſi. Primò morſum ſcalpello ſcarificavi, cucurbitulamque cum largiori flamma appoſui, & quantum fieri potuit, ſanguinem extraxi. Deinde totum brachium poſcâ, in qua diſſoluta erat theriaca, parumq; ſalis marini, ablui. Saliva enim canis rabidi in parte aliqua cutis exſiccata, niſi maturè & diligenter ablata & abſterſa fuerit, rabiem excitare potens eſt. Poſtea cauterio actuali morſum undique ac profundè inuſſi. Hìc monitos velim tyrones Chirurgos, ut diligenter proſpiciant, ne nimis leviter & ſuperficialiter inurant hujuſmodi morſus, ſed ut potiùs in exceſſu, quàm in defectu peccet. Quum enim morbus ſit extremus, extremũ quoq; requirit remedium. Expertus loquor Filia enim Sebaſtiani Cuiſineri (cujus antea memini) fruſtra paſſa eſt cauterium, ab empirica vetula adhibitum, quòd non ſatis profundè impreſſum fuiſſet. Audacter itaque atque ſatis altè, ſi pars affecta conſentit, imprimendum eſt cauterium admodum ardens, ut Galeni verbis utar. Quandoquidem ex levi applicatione cauterii, duo ſequuntur incommoda. Non enim ſatis conſumitur virus illud, atque malignitas à cane relicta, & maturè nimis coaleſcit ulcus. Hinc remanens portio aliqua veneni in parte affecta, tandem ſerpendo ad partes principes pervenit, eaſque in perniciem trahit.

Nunc ad propoſitum noſtrum redeamus. Poſt inuſtionem non uſque adeò ſollicitus fui de leniendo dolore. Unctuoſa enim & eſcharam relaxantia, veluti butyrum, oleum, & ſimilia, multò minùs refrigerãtia & repellentia medicamenta, mihi in hujuſmodi ulceribus non uſque adeò probantur. Illa enim exhalationẽ, evaporationemque veneni impediunt, hæc verò ſanguinẽ, atque cum eo venenum ad partes nobiles repellunt. At quia omnis dolor ad ſe attrahit ſanguinem & humores ex corpore (ut Galenus teſtatur) veriſimile eſt, dolorem prodeſſe hujuſmodi vlceribus, dummodo levis fuerit. Itaq; poſt uſtionem, vulneri imposui goſſipium madefactum aquâ vitæ, in qua diſſoluta erat theriaca. ſequens emplaſtrum ſupra linteum extenſum appoſui

℞. Cepæ aliquantum ſub prunis coctæ, Fermenti, Farinę ſinapi an. ℥ij. Theriac. ℥ß. Foliorũ rutę & Scordii an. M. ß. Miſceatur in mortario, addendo parum mellis.

Sequenti die ſcapello eſcharam undique, quantum fieri potuit, incidi, deinde jam memorata medicamenta applicui: atque ſic uſque ad caſum eſcharæ proceſſi. Poſtea ne labia ulceris coaleſcerent, bis in die piſum impoſui, quemadmodum fit in fonticulis: & præſcriptum emplaſtrum applicui. Atque hoc modo ulcus ad menſes tres apertum retinui. Interim tamen per intervalla, ſingulis ſcilicet hebdomadibus, bis terve ulceri ſequentem inſperſi pulverem.

℞. Pulver. præcipitat. Lapidis bezoardici, Pulv. radicum angelicæ an. ℈j. Miſce.

Mirificè enim malignitatem ad ſe ex profundo attrahit, & veneno adverſatur pulvis ille. Per os alexipharmaca, veluti theriacam, mithridacium, cornu cervi uſtum præparatum, & & lapidem bezoardicum propinavi. Sequens quoque pulvis, cum aqua buglosſę aut boraginis exhibitus, ſummopere laudatur à veteribus & modernis Medicis.

℞. Cineris cancrorum fluviatilium ℥x. Radicis gentianæ ℥v. Olibani ℥j. Miſce, fiat pulvis tenuiſſimus.

Venam incidi, neque pharmacum ſolutivum exhibui, ne venenum ab externis ad interiora traherem membra. Sic divino Numine curatus fuit. Atq; ad hunc uſq; diem, quo hæc ſcripſi, proſpera valetudine fruitur.

Eodem tempore hujus juvenis fratrem, ab eodem cane, ſeptem in locis morſum, ſuperiori methodo curavi, qui à curatione per annum integrum ſanus vixit, tum pleureſi correptus obiit. *Idem ibidem.*

Anno 1604. die 10. Novemb. Matrona quædam honeſta Paterniacenſis, quinquagenaria, uxorque Petri Deniſii, à Cane ſuo domeſtico ac rabioſo quatuor diverſis in locis morſa fuit. Primò quidem in dextræ manus digiti medii dicti, tribus locis diverſis, quorum morſuum vulnera duo ex una ferè digiti parte in alteram penetrabant. Deinde quoque ſupra cubitum in muſculo bicipiti. Unde meo conſilio uſa, modo ſequenti proceſſi.

Primùm vulnera phlebotomo aliquantum ſcarificavi, quò ſanguis efflueret poſſet, cùm à vulneribus acceptis nihil ejus effluxiſſet. Deinde brachium ac manum undique ſequenti lotione ablui.

℞. Aceti acerrimi ℔ß. ſalis marini ſubtiliſſ. pulveriſati ℥ij. theriacæ ℥ß. Miſce.

Poſteà cauterio actuali vulneribus cauterizatis, goſſipium ſpiritu vini, in quo theriaca diſſoluta, madefactum, impoſui, & ſequenti Emplaſtro totum digitum involvi, idemque brachio quoque applicui.

℞. Cæparum ſub prunis aliquantum coctar. pulveris ſem. ſinapi, ſalis marini, fermenti acris an. ℥j. fol. rutæ, ſcordii an. M. ß. theriacæ opt. ℥ß. Miſceantur, & cum ſ. q. mellis in formâ unguenti diligenter incorporentur.

Alterâ die eſcharas ſequenti hamulo apprehenſas, ſeparatorio blandè excidi, idque in eum finem ne ſeroſus aliquis humor ibi detentus, ab eſchara malignitatem aliquam acquireret. *Idem Cent.* 2.

De morſu hominis.

Ruſticus quidam in pago *Worb.* propè Bernam, *Hans Schlichter*, nomine, in conflictu ab adverſario ſuo iracundiâ excandeſcente, ad ſecundum articulum medii digiti manus ſiniſtræ morſus fuit. Ab initio à balneatore quodã in ſecundũ menſem uſque curatus fuit,

fuit, ſed parum feliciter: quandoquidem malum ita auctum, ut tandem Bernam ad barbitonſorem primarium Xenodochii ſe conferre coactus fuerit. Is cùm nullum aliud remedium, quàm ut ad metacarpum abſcinderetur digitus, ſupereſſe bono iſti ruſtico perſuaderet, operationemque ſtrenuè, & per dies aliquot urgeret, author fuit nobiliſſimus Vir Dn. Petrus à Wattenville Dn. in Wyll, ut ad me ſe contulerit æger. Tum manum, brachium, imò totum corpus propter doloris vehementiam & diuturnitatem extenuatum, digitum verò præter modum intumefactum reperi, & qui in ſuperficie juncturę exulceratus, & ligamenta, ipſæque cartilagines juncturæ eroſę, oſſaque inter ſe disjuncta & ſeparata erant. Purgato corpore, & parum dilacerato ulcere, & impoſito pulvere catagmatico, aliisque, quæ in ſordidis ulceribus, & in eis, in quibus oſſa carioſa ſunt, adhiberi ſolent, cartilagines, necnō ſquamulæ appendicum exciderunt. Deinde brevi conſolidatum fuit ulcus, ita quidem, ut ſpatio ſex hebdomadum, divino aſpirante numine, totam curationem abſolverim. Juncturam verò cùm rigidam & immobilem permanſuram eſſe ſcirem (erosis enim cartilaginibus, quæ appendices oſſium tegunt, oſſa juncturæ mediante callo connectuntur, uti Obſerv. 77. Cent. 3. fuſius declaravimus) maturè ipſam aliquantum incurvavi, ita ut manus priſtinum robur adepta ſit. Idem in Mercatore quodam in Langerberg propè Duſſeldorpium Anno 1583. obſervavi, de quo vide tractatum noſtrum de Ichore & meliceria Celſi cap. 3. fuſiùs. *Idem Obſerv. Cent. 4.*

De morſu canis rabioſi.

Circa feſtum Purificationis beatæ Mariæ Virginis; proximè elapſum, ruſticus quidam Hildenæ Vir robuſtus, virgini ſeptem annorum ætatis, & optimo corporis habitu præditus, à cane rabido circa poplitem & genu dextrum variis in locis morſus fuit. Eadem die in pagum Ater. vocatum, & ad marginem ferè Rheni ſitum, ipſum conduxerunt: ubi ſacrificulus ejus loci clave ignita S. Huberti, ut vocant, vulnera inuſſit: ipſum eadem die ad ſuos remiſit, ad majorem quoque ſecuritatem, potionem *Lüchtenbergianam* tantoperè in morſu canis rabidi celebratam ſibi adferendam curavit, eaque ſumma cum diligentia, & prout præſcripta, uſus fuit. Nullum ſupervenit ſymptoma, & ulcera intra dies quatuordecim planè coaluerunt. Eodem autem tempore porci tres ab eodem cane morſi erant: quibus prædictam potionem ſimiliter exhibuerunt: nihilominus tamen poſt menſem rabie correpti fuere; Ruſticus verò ad finem menſis Aprilis abſque omni incommodo ſupervixit. Tunc primò dolores maximi, & peracuti in tibia dextra exorti ſunt, urina quinetiam ſimul, & excrementa alvi ſuppreſſa fuere. Tertia die morbi cùm ego accerſitus eſſem, vires adeo proſtratas inveni, ut cùm è lecto ſurgeret, ex una in alteram partem veluti ebrioſus vacillaret, & ſolus minimè incedere poſſet. Inquietudines, nauſea, anxietates & anguſtia pectoris, nec non dolores in inferiori ventre aderant, & urina ſimul & excrementa alvi, ut dixi, ſuppreſſa erant. Circa genu tamen, & in ipſa tibia nihil apparebat, præterquam quod cicatrices lividæ, aut potius nigræ eſſent. Enema emolliens & anodynum protinus infudi, quo rejecto; ſequuta ſunt excrementa prædura, parumque urinæ. Sacculum quoque ex radicibus, herbis, floribus, & ſeminibus emollientibus & dolorem ſedantibus calidè applicui: inferiorem ventrem perinæumque butyro recenti & oleo lumbricorum (urinam enim provocat) inunxi. Poſt horas duas, cùm iterum alvum exoneraſſet, excrementa copioſè rejecit: ſequutum eſt & multum materiæ pituitoſæ, viſcidæ & ſalivoſæ, veluti ſperma ranarum, multum item reddidit urinæ, quæ etſi obſcura, turbulenta & ſpiſſa eſſet, abſq; impedimento tamen & liberè deinceps ad finem uſque vitæ ſuæ ipſam reddidit. Semel atque iterum ita copioſe exonerata alvo, ipſum jam evaſiſſe penitus ſperabam, ſed fefellit opinio: quandoquidem paulò poſt correptus eſt rigoribus maximis: ſubſequens nox gravis & vires magis magiſque proſtratæ fuere: & quia ab initio morbi uſque in quintum diem nihil dormiverat, paulatim in delirium incidit: exclamabat, vociferabatur, adſtantes arripiebat, & objurgabat, ex una in alteram partem lecti ſeſe projiciebat cum impetu, & ſanguinem atrum, & in grumos concretum exſpuebat. Cùm verò poſt cœnam nonnihil laudani, & confectionis alkermes exhibuiſſem; omninò remiſit delirium & ea nocte quievit. Altero tamen die cùm à ſomno pejus haberet, mortem ex Hippocrate Aphor. 1. lib. 4. proximā adeſſe prædixi. Aucta itaq; febre, aucta etiam imbecillitate viriū, & ſudore frigido correpto ægro; placidè & mēte cōſtanti, animam ſexta die morbi effudit.

Cęterùm, etiamſi Hydrophobiâ, quę præcipuū, & veriſſimū ſymptoma eſt morſus rabidi, correptus non fuerit: ipſum tamen peſtifero hocce veneno necatū fuiſſe exiſtimo. Primò enim morbū in ſumo gradu, ut ita dicam, malignū fuiſſe, ſuma illa viriū proſtratio, anguſtia circa præcordia, anxietates, nauſea & hujuſmodi, fidem faciunt. Deindè cauſā mortis fuiſſe morsū canis, dolor ille pungens, qui per dies aliquot, antequā reliqua ſymptomata ſupervenerint, tibiam exercuerat, certiſſimū eſt indiciū, aliquid veneni ibi remanſiſſe. Et profectò malignitatē aliquā adfuiſſe; præter dolorem lividitas, aut potius nigredo cicatricum indicat. Itaq nulli remedio, nulliq alexipharmaco, quantumvis approbatiſſimo, in morbis præcipuè acutis, niſi methodicè adhibito, fidendum eſt. Pręſentaneū & à multis ſeculis approbatiſſimum remedium in morſu canis rabidi, eſt cauterium actuale: at hîc inutile fuit! Cauſſam quæris? Dicam paucis quid ſentiam. Primò an ſatis profundè infixerit, incertum eſt. Uſtio enim ſuperficialis nequaquam ſufficit. Deinde poſt inuſtionem eſchara excidenda: vulnus quinetiam ad menſes duos aut tres apertum eſt retinēdū. Eſchara enim, niſi prima aut ſecunda die auferatur, retinetur in ipſa portio aliqua veneni, quæ vi ignis inſpiſſata fuit, iterumq; dum putreſcit eſchara, in liquorem diſſolvitur, & per venas capillares ad majora vaſa tranſit; parteſq; nobiles ſerpendo paulatim inficit; At quia in hoc ægro eſchara minimè exciſa, & ulcera nimis maturè cicatrice obducta fuerant, mirum non eſt, ipſum tandem peſtifero hocce veneno extinctū fuiſſe. Quia tamē inuſtio aliqua vulnerum præceſſerat, & potione Lüchtenbergiana uſus fuerat, venenum extremam ſuam ſævitiam exercere, & hydrophobiam excitare non potuit. *Idem ibidem.*

De morſu Lupi.

Anno 1610. menſe Februario, cùm ruſtici propè Lauſannam in venatione lupum in obſtantes plagas, truſiſſent, & quinquagenarius quidam ex illis lupum trucidare vellet, inſurgit contra ipſum lupus, ipſiuſque genu dextrum arripit, & circumcirca rotulam quatuor in locis dentes altè infigit, ac miſerum in terram projicit, & niſi reliqui ruſtici accurriſſent, lupum quin etiam occidiſſent, de bono iſto viro actum fuiſſet. Ab initio, etſi dolores & magni & continui adeſſent, affectum tamen neglexit, neque ulcera ut aperta manerent, & ichor efflueret, operam dedit. A fera itaque inflictum virus cùm effluere liberè non poſſet, auctus eſt dolor, aucta eſt & inflammatio. Cibi item faſtidium & diarrhœa ſupervenerunt. Tandem cùm materia purulenta undique circumcirca genu, & in ipſo poplite collecta eſſet, & ſinus aliquot ſibi paraſſet, adductus mihi fuit

Lau ſannam. Plurimis itaque factis inciſionibus & aper uris, pus tam copioſè & tamdiù effluxit, ut vires inde mirū in modum proſternerentur. Tandé propter labefactationem virium diarrhœâ in lienteriam conversâ, planè extenuato corpore, naturæ ſatisfecit.

Verùm, hîc perpendendum eſt, primò hunce virū cacochymicum, & melancholico ſucco refertum fuiſſe; ſecundò morbum ab initio neglexiſſe. Ego enim cùm advocarer, jam per multos dies decubuerat, & labia vulnerum ferè coaluerunt. Deinde propter injuriam temporis, & adverſam valetudinem meam (nondum enim à quartana planè reſtitutus eram) rarò ipſum inviſere potui, ſed negotium famulo, & ipſis domeſticis (qui nonnunquam abſente famulo turundas extrahebant, ita ut labia vulneris nimis citò coaluerint) committere coactus fui: circa affectum itaque externum errores commiſſi fuerunt. Tertiò non illam, quæ requirebatur, victus rationem obſervabat. Quartò partem læſam valdè debilem fuiſſe perpendendum eſt: antea enim per multos annos, & diverſis quidem temporibus, ulceribus in ipſa tibia laboraverat. Ab initio itaque morbi, quia corpus purgatum non fuerat, & dolores vehementes (qui, ut Galenus teſtatur, inſtar cucurbitulæ attrahunt) adeſſent, ſanguis & humores copioſè affluebant, qui à parte debili & in decliviori loco ſita, facilè excipiebantur.

Interitum itaque hujus viri potius ad ſupradictas cauſas, quam ad venenoſam aliquam qualitatem à fera inflictam referendam eſſe, rationi aliquomodo conſentaneum eſſe videtur. Ego, ut ingenuè fatear, hujusmodi morſus malignitatem non ſpernendam, cùm maximam contuſionem, tum etiam ſalivam feræ inflictā, ſibi adjunctam habere, exiſtimo. Id enim non ſolùm viri eruditi, verùm & ſymptomata, quæ in hoc viro apparuerunt, ſatis ſuperque teſtantur. Civem inſuper quendam in oppido Corſonnay propè Lauſannam, Minicus Maria ſi rectè memini, ex morſu lupi obiiſſe, Joh. Colonnay Archigrammateus Corſonnenſis, vir virtute & ingenio præſtans, mihi retulit. *Idem ibidem.*

Pro Canis rabidi morſu in puero duorum annorum.

Cùm extra urbem in prędio vicino caſus hic accideret, protinus puerum parens ruſticus adduxit, medicam opem implorans, ne gravius quid innocenti filio ſit expectandum. Mox enim à principio laborandum in hoc malo, quo malignitas morſu venenato inflicta funditùs extirpetur, & ne ſerpat interiùs, antidotis appropriatis prohibeatur. Idcircò indicationem utramque reſpiciendo, primùm exteriùs ordinavimus collutionem mundificantem & extrahentem. Sic.

℞. Theriac. veter. ℥ij. fol. rutæ, M. ß. Syrup. acetoſ. citri ℥j. cum hydromel. q. ſ. leviter bulliant, & per expreſſionem colentur; cum colatura vulneratæ partes duriùs fricentur & eluantur.

Mox apponatur cataplaſma ex allio, ſale & terebinthina ſubactum.

Aſt interius quoque cito remedio opus eſſe ſtatuebam, quam ob cauſam canis rabidi jecur coctum ad ℥ij. in particulas diſſectum puello dedimus, experimento confirmati, quod primis 24. horis poſt morsū nondum abſolutis, antidotum ſit præſentiſſimum. Ne quid verò ad miſerabilem Hydrophobiæ morbum præcavendum intermitteretur, mox in officina parabatur pulvis alexipharmacus contra rabiem caninam quem habet Palmarius. Qui.

℞. Fol. rutæ, verben. ſalv. min. plantag. polipod. abſinth. vulg. menth. artemiſ. meliſſophyl. beton. hyperic. cent. min. an. q. ſ. Legantur omnia ubi ſunt efficaciſſima. Siccentur in umbra: hujus pulveris externus & internus uſus fuit, juxta præſcriptum authoris. Exterius ʒiß. pulveris cum hydromelite coquebatur pro vulneris deterſione; Interius quotidie ℈j. cum ſaccharo permixtus in juſculo vel ſolitariè cum hydromelite, vel cum ſyr. de ſucco citri dabatur, non neglecta interim in aquam quotidiana læſi puelli immerſione.

His remediis Dei gratiâ liber fuit æger ab ulterioribus gravioribus ſymptomatis.

Sicut & alius ſeptem annorum puer, qui ſimiliter à cane rabido demorſus, meam opem primò ſtatim dic implorabat; at neglectis vulneribus hiſce per caninam rabiem inflictis, Nobilis cujuſdam miniſtrum, necnon alium Baronis in vicinia, Sartorem, hydropobia ſuccedente, miſerabili delirio vitam cum morte commutâſſe recordor. Quare ſi unquàm, ſanè verum hîc illud, principiis obſta. *Gregorius Horſtius, obſerv. 23. lib. 7. De Morbis malignis.*

Potionem hanc hydroticam contra morſum canis rabidi expertam pro tribus vicibus propinavi.

℞. Myrrh. gentian. an. ʒj. theriac. ʒiß. ocul. cancror. uſt. ℈ij. aq. gentian. & Scabioſ. an. ℥iß. M. F. hauſtulus hydroticus.

Externe vulneri applicet rutam cum allio & pauca theriaca mixtā. *Joh. Petrus Lotichius obſ.* 1. *cap.* 5. *lib.* 6.

Matrona quædam Nobilis pluries à cane rabido demorſos curabat, urendo vulnus claviculâ ignitâ & exhibito hoc pulvere.

℞. Rutæ, veronic. plantag. latifol. rad. gentian. an. pt. æp. F. pulvis; dabat quantum nux juglans dimidiata caperet manè per quinque dies continuos. *Jer. Martius. obſerv.* 37.

Nuper cujuſdam militantis in Prætorio mater vidit in quiete, ut radicem Sylveſtris roſæ, quam Cynorrhodon vocant, blanditam ſibi aſpectu pridie in fructeto mitteret filio bibendam: in *Lucetania* res gerebatur, *Hiſpaniæ* proxima parte: caſuque accidit, ut milite à morſu canis incipiente aquas expaveſcere, ſuperveniret Epiſtola orantis ut pareret religioni: ſervatuſque eſt ex inſperato, & poſtea quiſquis auxilium ſimile tentavit. *Plinius, Nat. Hiſt. lib.* 5. *cap.* 2.

Pro Canis rabidi morſu.

Hujus curationis exemplum habes apud Amatum Luſitanum, cent. 5. curat. 45. de puero annos 12. nato, à cane demorſo in crure. Sequenti enim die puer eadem hora rigore, ſuccedente ingenti poſtea febre correptus eſt; ad quem vocatus Amatus, & accito Chirurgo locum demorſum ſcarificare juſſit, non ſine profundioribus inciſuris, & calido vino lavare: optimè abſterſo loco affecto, hoc emplaſtrum admovit: cæpam unam acrem accipiebat; alliorum caput ſive radicem mediam, theriacæ opt. ℥ß. fol. Marrhubii fœtid. meliſſ. an. pß. rubeæ min. ℥ß. fermenti ℥ß. omnia piſtentur, & loco affecto ſuperponantur, quibus puer ſanitatem brevi obtinuit. Noſtri verò demorſos à cane rabido ad Oceanum mittunt, ut ibi ter aqua marina immergantur, idque in principio vulnere inflicto, antequam in hydrophobiam incidant. Novum hoc non eſt remedium. Ejus enim meminit Celſus lib. 5. cap. 27. Puero 10. annorum Delphenſi, cùm à cane rabido morſus eſſet, ne in hydrophobiam incideret, conſului, ut in mari immergeretur, & cùm ab immerſione domum rediiſſet, mandavi, ut decoctionis radic. Gentian. in vino. ℥iijß. adjectis ℈ij. theriac. opt. ebiberet, & nihil mali amplius ſenſit. Chirurgo imperavimus ut vulnus probè tractaret, neque ſubitò occluderet. Imò multis poſtquam mari immerſi eſſent, ſolùm theriacam exhibui. *Petrus Foreſtus Schol. ad obſerv.* 28. *lib.* 10. *Cerebri Morbi.*

Vidi non procul *Gandavo* transnatantem navem & in ea ſenem nudum funibus vinctum, habentem pondus in pedi-

in pedibus: ſubter axillas zona cingebatur, quâ ad antennâ ligatus erat, Rogavi quid ſibi vellet illud ſpectaculum: Unus è Nautis dixit, ſenem illum jam hydrophobum, & à rabiente cane demorſum fuiſſe pridem, petivi quorſum illum ad mare veherent, an necem ejus intenderent; Quinimò (ait Nauta) mox ſanus rediturus; illamque eſſe maris benedictionem, quod ejuſmodi rabiem extemplò ſanaret: Arrham obtuli ut me ſocium & teſtem aſſumerent. Cum navigatum fuiſſet per milliare Italicum duo viri ſubductâ caudâ antennæ elevarunt ejus cuſpidem, & ſenem in altum ſuſtulerunt, inde verò in mare præcipitem dedere, eratque ſubter aquas ad ſpatium miſerere, quem dein adhuc binies ſubmerſerunt ad ſpatium ſalutationis angelicę, tunc collocarunt illum ſuper vas teres ſupino dorſo chlamyde tectum. Ego ſuſpicabar illum obiiſſe, ſed metum riſit Nauta. Nam ſolutis vinculis, cœpit omnem muriam rejicere quam inſpiraverat; & mox revixit, qui dein rabie liberatus, ſoſpes vixit. Referebat Nauta Batavos cruda halece ſalſa triduo renovata, & ad morſum rabientis applicata, omnem auferre metum rabiei. Ubi verò id negligentia impedivisset, ſpectato ſaltem ſubmerſionis modo omnes ſanari. Manſit id mihi alta mente repoſtum, perſuadens id in aliis amentiis non fore inutile. *Joh. Bapt. Helmontius, tractat. cui Titulus, Demens Idea.*

Honeſtæ cuidam fœminæ in forum eunti, canis rabioſus obviam venit, illiuſque pedes ſurenter ac violenter petit, ipſa periculum hoc ut evitet, inclinat ſe ſe, & genua paululum flectit, unde canis veſtem, & quidem potiſſimum fimbriam mordicus arripere, aliquantum latrare, & ſtatim aufugere. Quo facto, fœmina adhuc perterrita, hæret primò, an canis rabidus fuerit: recollecta autem mente, de rabie ejus ſuſpicatur, cùm ipſi antea familiaris admodum, imò domeſticus ferè extitiſſet. Domum igitur ſe confert, ſubque tecto veſtem laceram ligno ſuſpendit. Poſtquam verò eam quarto die repetit, atque reſarcire cogitat, res mira! vermes capite catulis prorſus ſimiles, iis in fimbriæ locis, quibus dentes infixerat, enatos reperit, eoſq; ceu miraculum novum, vicinis quibuſdã convocatis conſpiciẽdos præbet. *Phil. Salmuth. obſerv. 83. cent. 2.*

Morſus rabidi lethalis.

Joh. Janſonii, ſervus Subprætoris Joh. Voerknecht canem Prætoris rabioſum gladio jugulare tentans, exiguo foramine circa carpi manus dextræ interiora morſu canis vulneratur.

Die nono, neglectâ in mare præcipitatione, cùm accedo, delirium aderat, febris ardens, hydrophobia, convulſio, ſputatio continua, ſitis ingens, anxietas, linguę ariditas ſumma, oculorum ſcintillantia.

Vulneri illicò applicari curavi cucurbitulam, & quidẽ tertiùm iterandam, hinc locum vicinum, ſimiliter ac vulnus ipſum hoc tegebatur Cataplaſmate.

℞. Theriac. veter. ℥ß. Succ. Cepæ ℈iß. Stercor. colomb. ℥iiß. Sal. commun. ʒij. Pulv. Ruthæ, Scordii an. ℥ß. Aq. vitæ q. ſ. F. in formam Cataplaſmatis.

Veſperâ Cauterium actuale vulneri applicabamus, quo apertum ſervaretur, & venenum conſumeretur; loco cauteriſato applicabamus Unguent. Baſilic. cui Theriaca mixta, ad ſeparationem eſcharę, præterquam quod & præcedens Cataplaſma ſuperimpoſitũ, ſudoriferũ itidẽ præſcriptũ, quod ægrè admodũ, ſimiliter ac õnia liquida aſſumebat. Pro potu tamen ordinario hoc præſcriptum:

℞. Fol. Ruth. Rad. Scorſoner. an. M. j. Fol. Salviæ min. P. ij. Beton. Nepet. an. M j. Leviſtic. M. ß. Coq. in vino gall. q. ſ. Colatura uſurpetur pro potu.

Die decimo, vigiliæ continuæ, abſtinentia à potu, ſudoris nulla eruptio, graviter moleſtabant, imò delirium valdè augebatur, mordendo enim, ſpuendo, lacerando, vociferando, ſimilibuſq; actibus, omnia turbabat, latratus tamen, contra ac vulgus docet, nullus notabatur.

Die undecimo omnia parum remittebant, quod nox præterita placidior, at duodecimò, defatigatus admodum exſpiravit: Et hâc mortis ratione vulgum evidenter docet, vanum eſſe quod, rabioſum ejuſmodi non niſi ſuffocatione interfici poſſe, ſtatuat. *Jobus à Meeckren in Obſervationibus Chirurgicis.*

Rabiei & lumbaris impotentiæ Cauſa in Lupis.

Venatores in Lupo & Rabiei & lumbaris impotentię atque doloris cauſam credunt ſingulari providentia naturæ Serpentes in renibus natos, ſine qua ferociſſima beſtia multò diutiùs victura & robuſtioribus viribus prædatura, multò majus damnum ſit illatura. An hoc perpetuum ſit inquirant alii: Ego ſequentia notavi. Anni poſt ſeculum ultimum quinquageſimi tertii, Februario capta eſt Ottovillæ (circa quod tempus lupus niger viſus eſt) ab Illuſtr. Dom. Comite Naſſovio Lupa, in cujus ſiniſtri renis planè conſumpti ſuperſtite membrana vermis viginti & unam unciam ſeu pollicem longus ſerpentis formâ, enectus, ſub tenera cute quaſi ſanguine ſuffuſus alter apparuit; alter pedem longus multò gracilior, ore patulo, quale mordilapides habent, cruentum caput erexit: plures inſuper albi longè minores inventi. Renum verò dexter inſignis & integer viſus. In narium dein ſpongioſo oſſe duo viſebantur vermes latiuſculi, veluti qui in ovium hepate ſunt, *Egeln* dicti, ſed hi rotundo capite, caudaque magis magiſque graciléſcente, ſub quorum ventre tenuia quædam à cauda extrema removebantur, cum ore verò continui mihi videbantur. Quos vermes potius rabiei cauſam conjicerem, ubi incrementa proles ſumſerit, quàm dolorem renum, quando & in canibus ſub lingua inveniuntur, quos recens natis eximunt, ut præcaveatur Rabies.

De morſu Canis rabidi.

Domina à *Stange in Wagniff* dedit duos Vermes Majales ſine capite duobus pueris demorſis à cane rabido. Sed malè ſeſe habuere exinde, ita ut mortem inſtare putaretur. Poſtquam autem ſanguinem minxerunt, intra aliquot horas reſtituti ſunt. Filia ejus Domina à *Domnig in Elgut*, dedit ancillę, cui canes multa vulnera morſibus inflixere, cum magno commodo.

Scholion. Hoc experimentum eſt ruſticorum (quibus Scarabæi inſtar Cantharidum ſunt) teſte Sennerto l. 1. p. 2. c. 16. Prax. Ubi Avicennę authoritate, urinas ad ſanguinis mictũm provocandas refert. Avicenna enim l. 4. fen. 6. tract. 4. Trochiſcos è Cantharidibus peculiari modo prępáratos commendat, ac addit: Cùm ergo minxerit ſanguinem, tunc jam ſecurabitur à timore aquæ. Cùm itaque cum authoritate Experientia adſit, videndum & indagandum, quâ ratione diuretica hoc in caſu proſint. Ego, ſalvis aliorum judiciis, putarem: cùm diuretica ſerum ſanguinis ab ipſius maſſa ſegregent, & per renes & ureteres ad Veſicam detrudant, ſi principio ſtatim exhibeantur, quando fermentatio à veneno adhuc ſit in fieri, & miaſma ipſius nondum ſit Viſceribus impactum, diuretica illud unà cum ſero extrudere & per urinam expellere. *D. C. G. Wincleri.*

Remedium Euporiſton in morſu Canis rabidi.

Adverſus morſum canis rabidi infallibile Euporiſton matris meæ, Annæ Giſenæ de Calis, cujus benefi-

cio multos commorſos, & aliquot jam actu rabidos feliciſſimè reſtituit, communicabo, &

♃. Rutæ, Abrotani, Betonicæ anguſtifol. Salviæ anguſt. fol. an. M. j.

M. inciſ. aff. aceti vini optimi lib. 1. ſique tempus permittit, per aliquot horas maneat in infuſo, exprime, expreſſo adde Theriac. Andromach. ℥ii.

Adultus magnum de eo faciat hauſtum, junioribus & puerulis datur cochleatim: ſin verò periculum metuatur, additur Herb. cardui fullonum M j. vel hujus ſem. contuſ. ℥i.

Vulnus commorſum per 9. dies apertum tenendum, ac prædictæ herbæ expreſſæ poſt fricationem cum bacillo è vite applicandæ omni mane, tamdiu donec æger in portu naviget: ſi metus periculi adhuc ſit, repetatur potio. Tota Reſpublica Medica ſimile Euporiſton vix habet, quod æque prodeſt.

Experientiſſimus Franciſcus Joël integram curandi Rabidi canis Morſum, Methodum tradit, qui videatur: ſi ſuperius Euporiſton in uſum vocare non lubet, præprimis cataplaſmata venenum elicientia placent.

Sequens noſter etiam omni voto reſpondet.

♃. Pulv. ſemin. card. fullon. ʒ. j. c. c. præp. ℈ii. Lap. Bez. gr. xv. herb. Card.bened. Scordii an. ʒß. Terræ Sigill. præp. gr. 20. Radic. Tormentill. ʒj. ocul. canc. præp ℈i. Magiſt. Antim. diaphoretic. ℈iß. Lapid. Percar. ℈ii. cortic. citr. ℈iiß. M. f. l. a. P. *D. Joh. Ludov. Hannemanni.*

Auctarium Th. Bartholini.

Euporiſton expertum compendio laudat Ferd. Ponzett. de Venen. L. 3. c. 19.

♃. Pulv. gentianæ ʒi. pulv. cancr. fluviat. uſtor. ʒii. myrrh. ʒi. pro duabus doſibus. Cui ſimilis pulvis inter ſecretos à Galilæo Mathematico percelebri habitus.

♃ Pulv. cancr. fluviat. 18. Jul. capt. & in pulv. comb. ℥v. Rad. Gentianæ ℥iiß. thur. pulv. ʒiv. f. pulv. ſubtil. in vitro ſervetur. Doſ. ʒi. mane. ʒß. veſperi in aquæ font. vel alterius quant. æq. 40. diebus.

Ex Galeno verò hæc deprompta l. xi. de ſimp. Med. Facul. quæ quomodo præparanda, & miſcenda & augenda tradit laudatus Fr. Joël, quem ſemper magni feci à primis tyrocinii annis, quia cœlo noſtro accommodantur remedia, facilia, & pleraque inquilina. Unde præfero cataplaſma ejus ex cinere fraxini cum urina pueri aut aceto. In eo enim totus ſum, ut ex domeſticis remediis morbos noſtros curare doceam, ne in peregrinis incertis, mangonio ſæpè corruptis, & naturæ noſtræ cœloque minus convenientibus poſthæc indormiamus. Hinc ad Theriacam Danicam conficiēdam curas converti, ſi cœptis Deus faverit, cui interea ſubſtituatur pulvis Card. Ben. ſcordii, C. C. vel unicornu Grönlandici, cancrorum, cent. min. & alia quæ ex gentiana noſtra, angelica, fraxino, inprimis nuce juglande huic intentioni ſufficiunt, ne ſperegrinis Diis litare ſemper cogamur. Euporiſton Matris Cl. Hannemanni omne punctum feret, ſi Theriacæ, quam ruri vulgus habere non poteſt, Rob ſambuci uſus inter vulgus noſtrum quotidiani ſubſtituatur, vel cancrorum decoctum, quos hujus veneni bezoar vocat Guainerius Ven. c. 12. Rabiei promptam medicinam affert aqua ſola, ſi eam attingere rabioſus audeat. Philoſtrato autore de Vita Apollonii Thyanei Lib. vi. c. 18. Oleum lucernæ perennis à canibus demorſos curabat, ſicut tradit *Octav. Rubeus in monum. Brixienſibus,*

De Tetrace rabioſo.

Hominem, equum, camelum, leopardum, aſinum, mulum, urſum, lupum, vulpem, canem, felem, ſimiam, cercopithecum, muſtelam &c. rabie nonnunquam affici experientia & authorum teſtimonia loquuntur, qua de re videre licet Schenckium lib. 7. Obſ. 13. De avium autem genere nullum exemplum legere mihi licuit, prætterquam quod loco cit. poſt alia egregia de hac materia annotata additum eſt de veteri gallo gallinaceo olitorem, herum ſuum, ex improviſo inſultante & roſtro manum ſiniſtram ſauciante, ex qua cauſa olitor eodē, quo hoc factū, die, os ringebat, & irritis ōnibus adhibitis remediis, cum adſtantiū & de hoc admirādo exēplo audientiū horrore, tertio die venenoſo galli morſu vitam cum morte commutabat.

Caſus huic non adeò abſimilis æſtuante hac æſtate media in Sylva Semana accidit, ubi Tetrax quidam virorum in ſylva negotia ſua tractantium capitibus aut humeris inſedit, eoſque unguibus & roſtro impetivit, (nullum autem ſauciavit,) quod poſtquam crebrius factitavit, demum ab Illuſtriſſimo comite, Domino Antonio Günhero, è quatuor Sacri Rom. Imper. Comitibus, Comite de Schvvarzburg & Honſtein &c. Domino meo gratioſiſſimo, avis hæc cædi impunè vulgo expoſita eſt. Et poſtquam vertici arboris (citra ſolitum hujus avis) non altę inſideret vir quidam ejuſdem arboris caudicem ſecuri ſua irritationis causâ pulſabat, ad quod tetrax itâ excandeſcens in viri caput & humeros citò involabat, qui alios duos viros in ſubſidium vocabat, qui ſubitam furioſa violentia tetracem manibus prehendebant & Illuſtriſſimo Comiti vivum tradebant, cui aliàs ligato in viridario deambulare permittebatur, ſed brevi poſt moriebatur. Ex quibus apparet, hanc avem ad dictos conatus inſolitos itidem rabie fuiſſe adactam, æquè ac, inprimis circa urentem Syrium, in hominibus & ſuprà nominatis brutis fieri aſſolet. *D. Joh. Georg. Sommeri.*

Hydrophobia annis 20. occulta.

Occultari morbos plurimos per temporis aliquod intervallum poſſe, plurimę confirmant Medicorum obſervationes. De morbillis & variolis, res certa eſt: queis cum ſenibus etiam non rarò confligendum eſſe praxis docet; timendum ad minimum malum hocce ad mortem uſque, etiamſi caſu aliquo plurimi immunes ab eo moriantur. An cauſa in fermento quopiam hæret? quod ubi latet, à cauſa ut plurimum externa caloris beneficio in actum deducitur, & circulationis ope infecta nimirum & corrupta ſanguinis maſſa, cum diris ſymptomatibus, pro fermenti quantitate & qualitate & corporis temperamento naturali ad partes protruditur exteriores, exanthemata illa nota efficiens. Μιάσμακα itidem peſtifera per literas etiam ad remota deferri loca poſſe, res ipſa loquitur. Quid quod veſtes, lintea, & ſimilia peſtifera lue infectorum, vertente anno etiam, cùm aër non bene res illas perflaverit, ſi incautè moveantur, iterum inficiant. Luis venereæ virus ſæpius latere, & vires tandem ſuas exſerere poſt annos etiam aliquot, obſervationes confirmant. In hydrophobia, affectu graviſſimo, idem evenire Salmuth cent. 1. obſervat 96. teſtis eſt, qui ad ſeptimum, decimum octavum etiam annum venenum canis rabidi occultari poſſe ex aliis citat, & ipſus exemplum horrendum commorſæ à ſponſo hydrophobo per aliquot annos optimè diſpoſito ſponſæ, enarrat.

Rarum occulti affectus hujus caſum ipſus vidi in uxore Wilhelmi Richter, lapicidæ apud nos νυῦ ἐν ἁγίοις, quæ maligna febre laborans, meam implorat opem; ſecabatur prima ſtatim die vena, exhibebantur remedia cordialia contra malignitatem pugnantia, quæ, ut ſibi conſuleret, quamvis propter eorum liquiditatem faſtidiret, vi tamen exhaurire tentabat, ſed

fruſtra, nam dum vaſculum ori admovebat, ita terrebatur, ut conuulſiones metueret, quarto morbi die exaſperabatur malum, fauces erant ſicciſſimæ & tandem ob defectum humidi inflammabantur. Juſcula, julepos, potiones omnes magis magiſque averſari incipiebat, imò tandem ad liquidorum & aquæ ipſiuſmet mentionem horrebat. Quæro, num aliquando à cane rabioſo commorſa fuerit? Ante viginti, inquit, annos id quidem factum eſt, ſed nihil per vitam exinde incommodi ſenſi. Chirurgus faucibus gargariſmis ſubvenire non poterat, ego remediorum nulla forma naturæ ſuccurrere valebam, malignitas indies creſcebat, deliria accedebant, ſicque octavo morbi die animam efflavit. Habet ſuprà citatus Salmuth. ſimilem quà ſymptomata caſum cent. 2. obſerv. 52. ſed hydrophobiæ ſpeciem in febre maligna fuiſſe autumat: non video quare quaſi hydrophobiam appellet, cùm genuinum fuiſſe affectum ſympomata ſatis comprobent.

Obſervari etiam recidivam hydrophobiæ per annos aliquot in ancilla quadam Simonis Kroim, quę morſa & vulnerata à cane rabido in digito, me cum Chirurgo apud nos expertiſſimo Mart. Brandt vocari jubet. Exhibebantur ſtatim alexipharmaca, imò & ſpecifica in forma, ut petebat, quantùm fieri poterat, ſolidiore, ſudores vicibus aliquot tecto probè corpore proliciebantur, vulnus cautiſſimè & prudentiſſimè admixta reliquis ingredientibus ſemper theriaca à Chirurgo tractabatur, & ſic Dei O. M. ope ſalva evaſit & incolumis, quotannis tamen circa morſus tempus mens leviter aberrabat, & circa liquida quædam quaſi averſio ſuperveniebat, tandem autem perfectè ſana diu ſupervixit. *Joh. Schmidius.*

Hydrophobiæ hiſtoria rara.

Jacobus Dumas Lanificus, juvenis, à cane rabido in utroque brachio commorſus, ſe commiſit Chirurgo, cujus operâ & conſilio perductis celeriter ad cicatricem Vulneribus, ad Mare ſe contulit, ubi non ſolùm per triduum, uti mos eſt, balneum aſſumpſit; Verùm ad majorem, ut opinabatur, prophylaxin, aquâ marinam per ipſum triduum potavit. Paucis à reditu in domum diebus, decubuit, ſenſimque ingraveſcente morbo, in hydrophobiam incidit, vocatus ad illum ſequentia obſervavi. Ad ignem ſedebat æger, amictus pallio, frigore totum corpus obſidente aſtrictus, laſſitudinibus fractus, doloribuſque, caput & pręcordia occupantibus, cruciatus. Univerſum corporis habitum quaſi aculeis pungi quærebatur, rigoreſque illum identidem invadentes deſinebant in ſudatiunculam frigidam, quâ detersâ, prædicta ſymptomata protinus recurrebant. Suſurros modò, tinnituſque auribus percipiebat, modò fulminei Venti ſonitu perterrefactus, oſtia & feneſtras cubiculi diligentiſſimè claudi curabat. Ardentes oculi, ſuffecti ſanguine & ignei à diuturna luce perſtringebantur, idcirco lumina detorquês ab illa, abditum manibus vultum verſus tenebras convertebat. Difficilis reſpiratio à flebili ſuſpirioſaque voce, item & à gemitu, frequentique ſingultu interrumpebatur. Sudarium ori admovebat, ut ſalivam largo flumine erumpentem abſtergeret; illudque frequenti morſu premebat, ut ſtridorem, crepitumque dentium cohiberet. Pulſus, ut & reſpiratio, ipſi erat inordinatus, ſcilicet modò intermittens, modò deficiens reciprocus, & intercurrens. Cùm autem omnia cujuſcunque generis alimenta faſtidiret, & per triduum jejunus, tandem parentum amicorumque ſuaſu cibum aſſumpſiſſet, ſiti ardens aquam haurire enixus eſt. Verùm ad ejus conſpectum horrore perfuſus, nauſeam, lipothymiam, dyſpnæam & motus convulſivos paſſus eſt. Poſt tam dira ſymptomata, exurentem ſitim relevare ſtudens aquam in lagenam immitti juſſit, ne illius intuitus prædicta ſymptomata revocaret. Sed lagenam ad os admovens, iterum nauſeabat miſer, ſingultiebat, convulſuſque non minùs in furias ſublatus erat, quàm ſi aquam ipſam, terroris ſui cauſam, vidiſſet. Tunc autem interrogatus à me, cur aquam bibere recuſaret, aut etiam quâ de cauſa illius aſpectum ſuſtinere non valeret; oculos in me torquens, minaciaque murmura pro verbis reddens, repentino impetu terga dedit, & in lectum toto vultu procumbens, ſudarium morſu corripuit & conſcidit; terramque pedibus ſupploſit. De ſalute miſelli actum eſſe judicans, rabieique illud brevi exagitaturæ prodromos advertens, præcepi quamprimum vinculis coërceri. Probavit conſilium ægrotans ipſe, quod jamjam futurus impos ſui, morſus cuique obvio paraturus eſſet. Interim de ægrotantis anima ſolliciti parentes, verbi divini Miniſtrum aduocarunt, ut illum verbis amicis ſolaretur & appropinquantem ęquo animo accipiendam mortem hortaretur. Mirùm quàm piè placidèque conſolatoris ſui dictis auſcultaverit. Etſi enim ſpumante rictu frendens, & canis inſtar in auras latrans, morſus quandoque inferre niteretur, attamen, intermittēte diro ſymptomate, in vota & preces effundebatur. Sed vires eundo acquirens furiale virus, præcordia contagionē ſua labefecit; pulſu enim & reſpiratione deficientibus, gelidoque ſudore è toto corpore manante, reliquias vitæ, cùm larga & ſtridente ſpuma ex inembris abſtulit.

Eadem die qua prædictus juvenis à rabido cane commorſus fuerat, vinitor quidam ſeptuagenarius, & juvenis famulus, hic in brachio, ille in facie, mordicus impetiti fuere. De vetulo accepi, præter horrenda ſymptomata quæ ſuſtinuerat, priapiſmo ardentem uxori concubuiſſe, liberoſque Miniſtrātes momordiſſe, verùm innoxiè omnia. Occidit uterque. Sed quoniam acriùs commorſus, & lacerus crudeliter ora, vinitor, citiùs occubuit. Famulus verò in unico brachio demorſus, tanta non paſſus eſt numero. Verùm melancholicus & penè furiis agitatus, noctu per vias & compita vagans, ſeſeque à dæmone poſſeſſum putans, ſacrificuli cujuſdam auxilium imploravit, qui aquam luſtralem ipſi potandam præbens, quandoquidem ejuſdem intinctio ne hilum profecerat, rabioſum ita exaſperavit, ut mentis alienatione, ſingultibus & fermè latratibus, convulſionibuſque univerſalibus, tunc temporis recrudeſcentibus ab omnium conſpectu, verè lymphaticus, aufugerit.

An interimendi ſint rabioſi, utrumque ipſorum ſputa, morſuſque rabiem aut lethum inferant, prædicta docebit hiſtoria, quæ illuſtratur à Tulpio obſervat. vigeſima lib. primi. Aleſię, Martio menſe ann. 1671. *Ex Communicatione Clariſſimi Viri D. Rivalier Medici Nemauſennis, jam Lauſannæ degentis.*

Hiſtoria atrociſſimorum Rabiei ſymptomatum, in Viro Andegavenſi, à Lupo radido commorſo, qualis nobis eam perquàm accuratè deſcribit Præclariſſ. Dominus Hunaud, Regis Galliarum Conſiliarius ac Medicus Ordinarius, in ſuo pereleganti de Rabie Tractatu Gallico.

Vir quidam ſanæ admodùm mentis, ac maximis corporis viribus præditus, correptus fuit ab eo lupo rabido, qui intra viginti quatuor horas centum quadraginta homines morſibus ſuis aggreſſus eſt. Vir autem ille hoſtem cum impetu in ſe ruentem, plenis brachiis comprehenſum, in humum projecit, ſicque ſibi ſubjectum,

jectum, horæ quadrante detinuit, elatâ voce auxiliũ aliquod è vicinia advocans. Tunc temporis facillimum fuisset lupum occidere; Verùm ejus terror in tota Provincia tam magnus erat, ut omnes ipsius accessum non parvâ sollicitudine refugerent. Vir tandem noster delassatus, ac maximis lupi agitationibus victus, illum dimittere coactus, ab eodem excessus sui momento, in manu commorsus fuit.

Etiamsi miser hic Vir rusticus ad mare continuò post morsum properâsset, tam malè vulneri accepto providit, ut nihil sibi urgentius proposuerit quam promptam ejus cicatrisationem, sicque decimâ octavâ die ab illo inflicto in rabiem conjectus sit. Hydrophobia primum hujusce morbi signum exhibuit; ipseque memini quòd cùm eo ipso tempore quo in Valetudinarium publicum Andegavense deduceretur, guttæ aliquot pluviæ deciderent, inde atrociùs torqueretur, quam si carbonibus inflammatis obrutus fuisset.

In valetudinarium introductus super lecto ligatur; ubi mentis suæ planè compos, pietatisque non mediocra signa exhibens, omni momentô ab adstantibus exquirebat ut ipsum arctiùs vincirent: Siquidem se earum virium esse, addebat, in maximis quibus exagitabatur commotionibus, ut cordas injectas non minori facilitate abrumpere posset, quàm alias simplex filum discerpsisset. Nihil mihi dicatis quæso, adjiciebat, nisi primus vos alloquar, minimus etenim strepitus me maximo percellit metu. Præprimisque exoro ut nullus de potu me sollicitet, quod frequentiùs, totus horrore fremens, voceque clangosâ, ac convulsivis subsultibus interruptâ, repetebat, quos subsultus in ventriculi regione ortos, manifestè videbam ad fauces ascendere ac illas comprehendere. Ego ipsi sanctè pollicitus sum quòd nunquam de aqua aut potu sollicitandus foret; ac interim mirari quod de rebus sibi tam terribilibus ipse sermonem haberet. Ah! respondebat, totus tremulus ac palpitans, quasi morti proximus fuisset, maximo equidem angore torqueor ex hac aquæ commemoratione: Verùm illi angori me subjicio, pro devitando multo majori malo quo afficeret, si ex defectu hujusce præmonitionis, de aqua aliquis mihi verba faceret.

Exquisivit à me ut sibi venam in brachio aperiri juberem, quandoquidem pectus quasi flammis & fumo oppletum persentiret; unde exarderet ac suffocaretur. Tunc autem quantumvis vena exquisitè fuisset incisa, ægerque motus non parum vehementes faceret, sanguis tamen vix per brachii longitudinem diffluebat. Pulsus interea minutus erat, durus ac admodum contractus; Manus erant frigidæ & humidæ. Ex hisce itaque pravis dispositionibus pertimescebam ne largior venæ sectio exitiosa foret: At verò postquam duodecim circiter sanguinis unciæ fuissent eductæ: Ah! exclamavit, cum magno suspirio, jam aliquid solaminis percipio. Ego ipse reverà in ejus vultu aliquid, si ita dicere liceat, magis exhilaratum vidi, oculi fuere splendidiores, ac in ipsius manus aliqualis diffundebatur calor, tuncque in formam arcus sanguis è vena effluxit. Cùm itaque tot boni effectus animos mihi addidissent, ejus petitioni obtemperans, consentiebam ut sanguis ad uncias inter viginti quinque, ad usque triginta educeretur, sine ulla ægri debilitatione.

Verùm hìc non omittenda circumstantia admodum singularis, nimirum quòd parvulus sonitus per intervalla à sanguine in vasa decidente excitatus, ægrum in tantam anxietatem deducebat; quia ut ipse aiebat, aquæ subsultantis aliquam imaginem menti suæ offerebat; ut in furorem traheretur, motusque convulsivos in ventriculi regione pateretur; unde subinde, voce clangosâ ac balbutiente, exclamare cogebatur, sibi satiùs esse sanguinis in venis existentis pondere suffocari, quam in eo educendo ulteriùs procedere.

Si quis eum de manu attingeret, necessarium erat ut partem quam tangebat validiùs comprehenderet; quandoquidem levior contactus titillationis sensum prorsùs intolerandum in ipso excitabat. Ideòque dum ipsius pulsum explorare intendebam, digitos in carpum immittebam, quasi confodere illum voluissem.

Splendor luminis colorumque aliquot vividiorum illum etiam sauciabant: (quo utor termino, quia ipsi familiaris erat). Inde enim quasi totidem pugionis ictibus se confodi aiebat. Verùm id me maximè percellebat, quòd à volitante super se culice quasi imperceptibili, ita perterrefieret, ut in extremum furorem ageretur, exacerbatioq; inde orta fuerit quàm maxima. Culicem manû expellere voluerunt adstantes; sed motus in id adhibendus, non minus ei molestus erat quam ipsa animalis volitatio. Necessarium itaque fuit, pro eo aliquatenus sedando alterum è brachiis deligatum baculo armare, ut se defendere posset contra animalculum tantum ipsi terrorem incutiens. Minime prorsùs, adjiciebat, vobis concessum est concipere, quantis subversionibus me intùs agitatum persentio: mihi videor rotæ affixus, quâ mille diversis modis rapidissimè versor.

Inter hæc omnia rationis suæ compos fuit, & tribus tantùm, aut ad summum quatuor ante fatale momentum horis, delirare cepit. Sub finem tertiæ mali sui exacerbationis, ineunte scilicet tertiâ morbi die, postquam copiosam spumam de ore projecisset, mortuus est.

Plures alii rabidi, quos morientes vidi, tantas non passi sunt sævitias: maxima siquidem eorum pars à secundo paroxysmo in delirium prolabebatur: Unde alii adstantes mordere, atque in eos se projicere, aut vultum salivâ suâ perfundere intendebant. Alii stupore ac taciturnitate afficiebantur, quasi profundâ ebrietate occupati fuissent; nec aliter excitabantur quàm per horrendas commotiones à paroxysmis per intervalla advenientibus, ortas.

Omnes à secundo paroxysmo appetentiâ prorsùs privati fuere, & si quid comedere tentabant, illud quasi vorando, maxima cum difficultate deglutiebant; & siccos tantùm exquirebant cibos. Soli inter eos duo, mel expetierunt; sed illud leviter tantùm degustârunt. Vinum ipsis oblatum fuit, at ab eo non minùs quàm ab aqua abhorrebant: Omnes omnino etenim liquores ipsis æquè odiosi ac molesti sunt.

Unum hìc addemus circa virum cujus historiam mox tradidimus, quòd cùm Presbiter qui eum credebat mortuum, pro precibus super cadavere recitandis accessisset, lustralisque aquæ aliquot guttis ipsum conspersisset, subitò miser ille qui sine ulla vitæ nota jacebat cum maximo impetu sursum exiliit, momentoque ab hoc extremo conatu enectus est.

Venenum canis rabidi esu lactis vaccini communicatum.

Non tantùm morsu sed aliis modis venenum canis rabidi corpori humano communicari ex observationũ scriptoribus notum est. *Per odorem ex cane rabido* attractum nonnullos in hydrophobiam incidisse, Aurelianus lib. 1. de sign. & causis morbor. acutor. cap. 7. scriptum reliquit. *Per halitum & osculum canis rabidi*, quendam infectum & mortuum esse Cardanus refert lib. 2. contradict. 9. tractat. 5.

Per salivam canis rabidi Johannem Coquetanum rabiem contraxisse narrat Johannes Matthæus de Gradibus consilio 82.

Per carnes coctas & comestas, quosdam rabie correptos periisse, recenset Fernelius lib. 2. de abdit. cap. 14.

Ex

Ex lacte vaccæ à cane rabido demorsæ rusticum quendam ejusque uxorem, liberos & alios rabie infectos ipse memini; Maritus & filiorum natu maximus auxiliis idoneis, servati sunt; Mater cum reliquis duobus filiis & totidem filiabus periit; Postmodum ex intervallo trium quatuorve mensium etiam ancilla & vicina cum quatuor liberis, qui lacte istius vaccæ usi erant, omnes in furorem acti miserè interierunt, horrendo & notabili exemplo. *Baldassar Timæus in Casibus Medicinalibus.*

Aquæ Metus.

Ex venenato canis rabidi morsu oritur terribilis, ac exitialis ille aquæ metus; quem ὑδροφοβίαν appellant Græci. In quo siti enecantur, nec tamen bibunt ægri, cujus miseriæ unicum remedium est) (siquidem credimus Celso, lib. 5. cap. 27.) nec opinantem in piscinam projicere; præsertim eò si deveniant, antequam aquam metuant: aliàs foret spes in angusto, ex eodem Celso, Avicenna ac Cœlio Aureliano: imò ipso usu, efficacissimo omnium rerum magistro.

Quod ipsum auxilium, tanti, in hoc morbo fit nostratibus, ut eo solo fermè contenti, vix expetant aliud. Neque sanè injuriâ. Sanat quippe mare quoscunque. Neque vidi hactenus quenquam (licet viderim plurimos) cui tempestive in mare projecto, quidquam sinistri postmodùm evenerit. Sed salutari hoc remedio, vel flocci facto, vel tardè, ac timidè adhibito: dedere multi irreparabiles supinæ suæ incuriæ pœnas; obsessi jam tum penitiùs, ob longiorem moram: quàm ut ullâ arte dispelleretur inevitabile strangulationis periculum.

Viro æstuanti, ac summè irrequieto, incensum cùm foret guttur, utique impedita deglutitio; intenta præcordia; spiritus difficilis; sitis inexhausta & vibrans arteriæ pulsus: imperabatur confestim sanguinis detractio: præter clysterem & potiones frigidas: quæ duo postrema auxilia, ceu humida, expavescebat tam evidenter, ut moverit suspicionem hydrophobiæ, quam deinceps confirmavit certò adesse, exile aliquod vulnusculum: quod ante quintum mensem inflixerat rabida canicula.

Quô neglectui habitô, neque tanti factô, ut vel convenienter inde extraheretur conceptũ virus, vel propterea proficisceretur maturè ad mare: proserpsit sanè hęc labes tam altè, ut infectis visceribus, degeneravit in efferam rabiem, & furorem adeò indomitum, ac Belluinum, ut nullis coërceretur repagulis, quin potiùs miserabiliter pessundaret hominem, cùm per terribiles nervorum contractiones, tum per incendium, ne toto quidem mari, extinguendum.

Adeò ut opus non fuerit, nec huic, nel aliis ęgris, (quos equidem vidi satis frequentes) mortem maturare, sive per stragula, sive per culcitram (uti loquitur vulgus, ori impositam. Pereunt quippe, per se satis celeriter: utpote rarò superstites, cum aquæ formidine, in diem, vel tertium, vel quartum. Quibus addo, quod equidem neminem hactenus, vel audiverim latrare, vel viderim mordere; nedum cuiquam detrimento fuisse rabidorum sputa: quæ tamen, ne fortè nocerent, jussi nihilominus, curiosè mari semper abluere: territus exemplo illius sartricis, quam Cęlius Aurelianus lib. 3. acut. morb. cap. 9. scribit tertio die, in rabiem conversam: quòd linguâ tetigisset, pannorum suturas, à rabido morsu conspurcatas *Nicolaus Tulpius in Observationibus Medicis.*

Senex Rabiosus.

Nauta septuagenarius, demorsus à cane rabido elicuit minùs maturè virus brachio suo impressum: neque demisit se ita in aquam: ut invitus eâ satiaretur: in quo tamen Cornelio Celso, hujus auxilii summa; sed blandius, propter ætatem, à liberis habitis perfundebatur Tyâ fluvio, non minus leniter, ac si solius cutis immunditiem detersum venissent. Quum tamen expediisset, & penitùs submergere, & inopinato illo terrore, integrè expellere aquæ metum ipsum alias certò occisurum.

Ubi etiam, haud diu post, contigit: proserpente paulatim veneno: & infestante ejus acrimoniâ, primum quidem brachium læsum: sed mox etiam alas, illi adpositas; à quarum æstu, ubi accenderetur cor, occupavit ipsum illicò, non tantùm febris, sed tam vehemens faucium siccitas, ut immensùm sitiret: neque tamen vel tantulum biberet, ob formidinem conceptam, non tantùm ex aquæ intuitu, sed & ex qualicunque ejus mentione.

Hinc torreri viscera, & præfervido ardore, tantas intùs excitari angustias, ut demorsus Senex rejiceret modò stragula sibi imposita, modò verò exiliret nudus ex lecto: exclamans stentoreâ voce, ardentius sibi esse incendium, & urgentiorem sitim: quàm ut posset ab homine tolerari.

Quem tamen fervorem, siquidem satageret bibendo compescere, contremiscebant protinus omnia membra: & sentiens brachii nervos minùs firmos, ad retinendum poculum, ratiocinabitur secum, ad instar illius Philosophi, qui apud Ætium, tet. 2. serm. 2. cap. 24. describitur se ipsum rogare; quid cani cum balneo? Quod si verò, tantulum liquoris sorberet, decideret illicò poculum à manibus, & exhorresceret usque adeò corpus universum, ut exclamarit non semel, ô homines quid me cogitis ad ea, quæ naturæ meæ tantopere adversa.

Tantùm itaque profuit huic seni blandior hæc aquæ ablutio: ut potuerit interdum, licet molestè bibere: præsertim circa postremos vitæ dies, in quibus licet biberit affatim, nequit tamen extinguere incendium, nimis diu inveteratum: multò minùs supprimere convulsiones, quæ haud diu ipsum jugularunt. *Idem ibidem.*

Rabidi morsus lethalis.

Venator nobilium Tigurinorum ante tres circiter menses à cane rabido demorsus, usus est aliquot remediis Sudorificis, & meliùs habuit; cùm è contra faber quidam ferrarius nulla remedia sumens derepentè rabie tactus, liquida fastidiens, torvo vultu & quasi latrans succubuerit. Venator prædictus, tertio post morsum mense in itinere probè excalefactus potum vini ingurgitavit frigidum, statimque rigore correptus: lassitudinem spontaneam concepit, demumque magna molestia veniens suspiria movere & anhelare cœpit, nihil penitus deglutire poterat, & statim atque appropinquaret potus, esus, vel medicamentum, altâ voce clamare, atque cum maximis anxietatibus spiritum trahere cœpit, sudore frigido per totum corpus diffuso; aërem verò in ullo membro vel articulo præ suffocationis metu tolerare nequivit: convulsiones quoque tantæ erant, ut brachium non potuerimus de loco movere ad instituendam venæsectionem vel porrigendam theriacam, tandem ferè rabiosus factus derepente moriebatur.

Rabiei fermentum in venatore diaphoreticis oppugnatum tardiùs vires exeruit, secùs neglectis remediis, hinc citiùs ad ἀκμὴν pervenit in fabro ferrario, ipsumque interemit. Vini cyathus frigidus, quem excalefactus hausit, frigore excalefactioni subinde inducto, sub ratione motuum contrariorum sibi invicem & derepentè adversantium, humores exagi-

exagitavit, miasmaque rabiosum latitans exaltatum est; anhelitus; Deglutitionis impotentia, horror ad potum, esum, anxietates, convulsiones generis nervosi affectum indicabant, rabies siquidem inflammatio membranarum cerebri à priscis Medicis definita, ipsorumque spirituum insignis & furiosa excandescentia etiamnum apud modernos audit, quæ præ cæteris quibuscunque aliis morbis gravia horrendaque symptomata inducit. Præ suffocationis metu refugiebat aërem, ex eô quod membranæ spiritibus aculeatis exquisitiùs sentirent, & ab effluviis vaporosis aëre externo propulsis intusque recursantibus præcordiis, suffocationis periculum immineret. *D. Joh. de Muralto Ephemer. Germanic. Decur. 2. Ann. 7.*

De Rabie.

Propè Pontisvellam apud Sebusianos lupa rabida è nemoribus duabus circiter horis ab urbe dissitis prosiliens, in quos incidebat adoriens rictu diducto momordit, ita ut quinque personæ ab ea demorsæ fuerint, usque dum ultimò infante ab ea demorso, horæ quadrante ab urbe, ab ipsius parente scipione mucrone ferreo instructo interfecta fuerit. Quatuor priùs demorsi ante quadraginta dierum lapsum, rabiosi facti, obierunt, ultimò demorsus infans evasit. Ex quatuor priùs demorsis adolescentem quindecim circiter annor. curæ nostræ subjectum vidimus, qui variis dentis rabiosi morsibus manum dilaceratam habebat, manus subindè fuit scarificata, & aliquandiu vulnera aperta detinebantur, verùm cùm nullius prorsus mali augurium minaretur, nec parentes ideo curam longiùs protrahi permitterent, post viginti circiter dies à morsu occlusa sunt, neglectis interim remediis internis, trigesimo autem octavo à morsu sub vesperam inquietudine affici cœpit, animi corporisque jactationes patiebatur, noctem insomnem transegit, postridie exasperatis symptomatibus, excandescebant oculi cum aspectu lurido & torvis oculis, os distortis motibus circumagebatur, jactationes inchoatæ adaugebantur, fastidibat, corpus calore immodico perfundebatur, vomitus infestabat, spumam circa os ejiciebat, incendium internum patiebatur, lingua exarescebat; hisce symptomatibus divexatus, tandem circa mediam noctem è suo cubili in terram se projecit, pedibusque in altum circa dolium erectis, capite in terrâ prostratô, terram commordens, animam efflavit. Interea tum temporis expostulato pro infante, de quo suprà, consiliô, cùm fortè, propter mollitiem, humorisque decubitû nativum in genas, quæ fuerant demorsę, vulnus à morsu nondum occlusum esset, jussi, ut perdiu maneret apertum, purgantibus intereà convenientibus, per epicrasin repurgatô corpore, hisce auxiliis, maximè vulneris diu manantis aperturâ, incolumis evasit, & etiamnum post quinque circiter annos à morsu sartus tectus vivit.

Notandum quod, quamvis hydrophobia pro pathognomonicô signô rabiei habeatur, ipse tamen adolescens, de quo suprà in ipso symptomatum lethalium vigore hauserit quosdam julepos, sed tamen etiam quod non minus notatu dignum, ipse patiens, à morsu, quàvis ętas vigeret, fuissetque solitus anteà, uti alii ejusdem ętatis, sæpiùs etiam in die lavare corpus, nullatenus tamen balneum ingressus fuerit. *Idem. ibid.*

Venenum morsu canis rabidi inductum & post octo annos in Puella excitatum.

Novi puellam civilem, dum Viennę frequentarem collegium medicum, quæ sexto ætatis anno in pede à cane rabido fuerat morsa; Vulnus cùm leve erat, nec ullum malignitatis vel rabiei signum appareret, curabant domestici per remedia vulgaria, & etiam citò cicatricem inducebant; puella ista octo integris annis optimè valuit. Tandem decimò quarto ætatis anno, variolis epidemicè tunc grassantibus corripitur, antequam autem illę in cute se manifestant, variis cruciatur symptomatibus; jam delirat, modò instar canis latrat, (quod mirum dum & ipsi canes rabidi latratum omittunt.) Aquam autem coctam & omnia liquida, imò & aquam destillatam pro pulveribus alexipharmacis sumendis summè fugit. Adhibentur varia remedia in forma boli ex oculis cancri, radice cynorrhod. composita, & medicamentis ordinariis variolas expellentibus admixta, immersio autem aquę in hydrophobiâ aliàs usitata hîc omittitur, ne naturæ motus à centrô ad peripheriam impediatur. Tandem prętter omnium spem, variolis perfectè jam protrusis, præfata symptomata cessant, & medicamentis ulteriùs continuatis ex integro convaluit. *D. Joh. Benedictus Grundelius Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 7.*

De Fele rabida.

Canes rabidos venenato morsu homines occidisse, experientiâ constat; rarô autem de Fele hoc accidisse narratur; Verùm Cornelius *Stalpart. Wunderwiel* observat. cent. I. refert de cive Lugdunense in Batavis mortuo ex morsu rabidę felis; hîc autem Ferrariæ anno 1693. mense Maji adolescentulam ann. 15. observavi; cui pollicem manus dextrę momordit rabida felis; de quo morsu parùm sollicita fuit, & parùm pariter solliciti fuere parentes; ast supervenientibus pravis symptomatibus, immensa siti, cephalea, & potus fastidio, sequuto delirio, & convulsione obiit. *Ex communicatione Viri Clar. D. Josephi Lanzoni Medici Ferrariensis Celeberrimi.*

De noxa ab esu carnis vaccinæ à cane rabido demorsæ

Doctissimus D. Petrus Borellus cent. I. observ. 75. narrat, Porcum à cane rabido demorsum fuisse, omnesque qui ejus carnem degustarunt, rabidos effectos fuisse, unde colligit maximè cavendum esse ab esu animalium à canibus rabidis demorsorum; hinc pariter ego anno elapso 1694. mense Augusti observavi familiam integram Rusticorum veneno affectam, ob esum vaccæ demortuę à cane rabido morsæ: tres autem ab illo veneno emortui sunt, alii verò ope remediorum, Deo favente, sani evaserunt. *Ex eâdem communicatione.*

Canis Radidi Morsus:

Clariss. Joh. Victoris Jægerschmid, Miscell. Curios. Decur. iij. ann. 3.

Jacobi *Herlin*, Geislengensis filia, ut & *Conrad Braun*, à cane rabidô, prior in manû, posterior autem in scapulâ & brachiô morsû excipiebantur. Advocatus, statim profundissimas scarificationes in locô affectô instituere, ac theriacam cû alliô contusô & pulver. ocul. cancr. vulneri imponere jussi. Intùs Tinctur. bezoard. pulver. Palmarij cum oculis cancr. maritatum ad sudores eliciendos adhibebam. Consolidationes vulnerum de industriâ quantùm possibile retardatę fuere, ne de veneni fermentô quid in sanguine relinqueretur, quod postea tremores, anxietates, oculorum torvitatem, hydrophobiam, aliaque infausta symptomata producere posset. His ritè observatis atque usurpatis, prædicta symptomata in partû quasi suffocata, ita ut jam per sesquiannum nihil incommodi ab his morsibus sentiant.

Remedium contra morſum animantium Rabidorum longô usû comprobatum, ex Tranſactis Philoſophicis Anglicanis; in Actis Lipſienſibus relatum.

Lichē cinereus terreſtris, deſcriptus à Dom. Raiô in Hiſtoriâ Plantarum p. 117. exſiccetur & in pulverē ſubtiliſſimum redigatur, eique tantundem piperis ſubtiliſſimè contriti admiſceatur, & ad uſum ſervetur. Si cani exhibendū hoc remedium, ex aure ejus ſanguis priùs detrahendus eſt, deinde canis probè abluendus, atque à paſtû cohibendus totam noctem, aut maximam diei partem, antequam ei propinetur, mixtum lacti aut juſculo tepido. Si pecus aliquod admorſum fuerit, ſanguis etiam mittendus eſt, idque probe abluendum. Doſis autem magnitudini aut viribus ejus eſt attemperanda. Hominibus tandē propinandum eſt remedium poſt venę ſectionem factam, & ablutionem faciei aut manuum vel partis lęſę. Expedit etiam ut veſtes, quibus indutus fuit admorſus laventur. Doſis unica eſt aſſumenda manè jejunis, duobus aut tribus diebus ſe conſequentibus.

Morſus levior canis, etiam non rabidi, perniciosſus. Clariſſ. Joh. Petri Albrechti. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Anni 1687. undecimo Aprilis circa mediam noctem vocatus ad Dominum M. 22. annorum Studioſum Juris, ac cujuſdam hujus loci Senatoris filium, in miro eundem deprehendo ſtatu: Sitiebat vehementer, corpus hinc inde jactitabat, anxius valde erat circa pręcordia, ſpaſmus aderat cynicus & artuum præcipuè notabilis convulſio. Statim ſibi pereundum eſſe putans, de reſtitutione plenariâ omnino deſperabat. Interim nec ullum paſſionis Colicæ, nec febrilis invaſionis præſtò erat ſignum: Pulſus equidem quodammodo celerior percipiebatur; haud verò pręceſſerat frigus, horror, pandiculatio, dolor lumborum & qui hujus farinę ſunt alii febrium, vel intermittentium, vel continuarum pręcurſores. Sępius in hęc verba vociferando, vel ejulando potiùs prorumpebat: *Væ meis manibus emortuis jam & ſtupidis, ita ut eas vix ampliùs ſentiam!* Quas propterea inſpiciens, eryſipelaceô quôdam colore tinctas vidi, dextrâ tamen prę ſiniſtrâ magis rubente. Cęnaverat pręcedenti veſperâ adhuc bene & optimo cùm appetitu cibum ſumſerat; duabus verò pôſt horis, dicta ſubitò ipſum invaſerant ſymptomata, quibus tempore mei acceſſus magis magiſque exagitabatur. Inquirenti mihi ſedulò in eorum cauſam, ſuſpicio haud ſine ratione, aſſumti in cœnâ forſan cum eſculentis vel potulētis veneni oboriebatur, unde citiſſimè Tartari Emet. M. grana duo ipſi exhibui, additâ mixturâ quâdam alexipharmacâ, vomitorii operatione finitâ, cochleatim ſumendâ. Quo facto domum redux, lectum peto, ſomnô fruens, ſextâ verò matutinâ ad Ægrotum denuò me conferens, eundē ſemel ſaltem amarulenta quædam evomuiſſe, uſurpatis verò poſtea dictę mixturę aliquot cochlearibus, per duas horas ſomnum cepiſſe cognoſco; Anxietas quoque quodammodo remiſerat, convulſionibuſque pacatioribus viſis, ut reſiduô mixturę utatur & corpus ad blandum componat ſudorem, injungo. Circa undecimam meridianam, rurſus ipſum viſitans, paululum quidem eum ſudâſſe, anxietates verò & cętera ſymptomata recruduiſſe comperio, ita, ut quò ſe verteret, neſciret; Mira inſuper digitorum, dextrę pręſertim manûs contorſio & retrorſum verſus incurvatio advertebatur, unde exquiſitiùs eum contemplans, haud procul ab articulatione carpi cum brachio in illa regione, ubi pulſus explorari ſolet, exiguum aliquod vulnuſculum, vel potiùs fiſſuram acutô quaſi inſtrumentô inflictam ac cicatrice jam obductam conſpicio; Interroganti mihi, quænam ejus cauſa, reſpondet Pater, heri circa quintam veſpertinam filium cum cane ei familiari luſiſſe, hunc verò, poſtquam ipſum aliquatenus irritârat, levi eum petiiſſe morſu, unde, quicquid viderem vulnuſculi, eſſet ſuperſtes. Neque tamen veroſimile ſibi videri, pręcipuè cùm canis non fuerit rabidus (quem datô alliciebat ſignô, ſatiſque comiter & ſine ullo furoris veſtigio, hero ſuo & omnibus præſentibus abblandientem, mihi monſtrabat) occaſione inflicti vulnuſculi ejuſmodi horrendam ſymptomatum ſyndromen produci potuiſſe. Ad quæ, vel maximè id fieri potuiſſe, regeſſi, peſſimèque cum Ægroto actum fuiſſe, oſtendi, quod tamdiu veram ejus infortunii cauſam celaverint; Quam unicè igitur dicto canis morſui aſcribens, partem læſam ſcarificari ac cucurbitulam ei imponi jubeo; Quæ adminicula, cùm ille admittere nollet, aquâ ſalsâ vulnus fricari, remotâque ſic cicatrice Topicum ex Aq. Theriac. Spit. Theriac. camph. & aliis calidiſſimè ſępius imponi curo; Poſtea datis aliquot doſibus ſalis volatilis Viperarum, paulatim quęvis evanuêre ſymptomata, ac brevi profecit ita Ægrotus ut optimè cum priſtina in gratiam rediret valetudine.

Apparet ex hiſce luculenter, in omni morſu cavendum eſſe, etiamſi non rabiat animal. Haud equidem Bellonio adſtipulari poſſum, qui referente ſic Bonetô *Labyr. Med. extr. p.* 353. §. 93. quemlibet canis dentem virus gerere aſſerit; Neque hoc in negotio ſalivæ caninæ per inflictam plagulam ſanguini communicatę tot miſeriarum cauſam tribuerem, quin potiùs facerem cum iis, qui in ſimilibus morſibus ab animalibus haud venenoſis illatis, nihil veneni ad ſanguinē læſi ſubjecti pertingere, ſed quęvis ſymptomata à nervoſarum fibrillarum per morſum excitata vellicatione, lancinatione, diſtenſione ac ſpaſmodicis per conſenſū aliarum partium contractionibus oriri judicant, uti hanc ſententiam Doctiſſimus Dominus Melchior Fricius *Paradox. Med. 7. p.* 171. & 195. *ſeq.* haud ita pridem optimis corroboratam argumentis erudito exhibuit Orbi. Ceterùm non planè inaudita me hîc propoſuiſſe, docet inſtitor ille, cujus Martinus Liſterus *Exerc. de Hydrophob. p. m.* 127. meminit qui demorſus à cane non rabido, per plurimos annos ſubinde in quacunque corporis parte, præſertim in pene, ſæviſſimos percepit cruciatus. Sic Foreſtus *Obſ. 27. lib. 10. de Cerebri Morb.* de Monacho quodam refert, quòd à cunicula, quam in ſinu fovit, dum confeſſioni vacaret auriculari, in labiis commorſus ſit, ex quo poſtea factus fuerit rabioſus; Cui Hiſtorię in Scholio ſubnectit Exemplum, celebris illius Icti Baldi, qui itidem ludendo cum ſua canicula, morſus ac in maxima rabie & metu aquæ extinctus eſt. Diſcant hinc illi, quibus canum in deliciis eſt conſortium, ne temerè nimis ipſorum fidant blanditiis; Facile namque fieri poteſt, ut & hi adulatorum æmulentur mores, qui, dum maximè ablandiuntur, ſummam non rarò intentant perniciem.

Ictus Scorpionis lethalis.

Clariß. Joſephi Lanzoni. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 1. p. 39.

Quam hîc ſiſto Obſervationem, Exc. *Dn. D. Franc. Evangeliſtius*, ut Nobiliſſimis noſtris Dnn. Collegis innoteſceret, communicavit: quam etiam propriis ejus verbis exhibeo: Eliſabetha de Turſanis ſub finem menſis Junii 1692. cùm ſeſe ad latrinam ſ. h. in loco pręhumido ſitam contuliſſet, à ſcorpione ibidem latente icta fuit circa ultimas recti inteſtini plicas. A re inopinatâ perterrita me acceſſitū voluit, ut prędicta narraret. Petii ab eâdem, num eſſet certa quod verè ictus ſcorpionis fuiſſet, quem ſtatim mortuum mihi oſtendit, quia ab inflicto vulnere illum calceamentis contriverat. Interea ut mortem, quam imminentem arbitrabatur, evaderet, medica poſcebat præſidia. Unde præcepi, ut locum ſauciatum cum eodem ſcorpione optimè trito fricaret, quod non permiſit. Quapropter ſuffimigium cum eodem animali perficiendū comendavi, quod factum fuit; quamvis pudibunda dilatationem puncturæ operâ Chirurgi peragendam renuiſſet. Interea nulla ſæviora accidentia apparebant. Poſt duas à maxima viſcerum commotiones, vomendi ſtimulo, ſudore frigido, & quadam veluti lipothymiâ infeſtata, denuò ad viſitationem Adſtantes me vocant. Ego, indicatione ſumpta

pta à veneno repente ad superiora, hirudines ad locũ sauciatum, unam post aliam, apponendas consului, & interim specifica alexipharmaca assumenda præscripsi, quæ omnia integrè peracta fuerunt. Post sex horas incidit in adeò perversum intestinorum motum, ut omnia quæ per os assumebat, statim evomeret. Unde cùm per superiora non posset dari medelæ locus, clysteribus, fomentis, & unctionibus alexipharmacis, & spiritus refocillantibus usi fuimus. Primus clyster vix injectus fuit, cùm jam per superiora redderetur, de certitudine volvuli nos certiores faciens. Interea pluries animi deliquia ipsam apprehenderunt, & post horas aliquot convulsa obiit.

Venenum scorpionis esse minimum mole, sed facultate & immanitate maximum & potentissimum, *Galenus* ab experientiâ edoctus pronunciavit. Et quamvis in Italia lethale virus non emittere, *Plinius* testatus sit attamen sũma rerum magistra, experientia contrariũ confirmat. Cur verò tam citò, & tot tantorumque morborum syndromen evenerit, non assequor, ni forte credam, quòd per venas & arterias, non solùm virus ipsi cordi communicatum fuerit, spiritusque vitales infecerit, sed etiam pro certo habeam, quod in humoribus centuplicata fuerit quantitas veneni, non secus ac Chymici auri argentique multiplicationem invenerunt: Nã, *Apponense* dictante, venenum perniciosã ac destruentem vim Cordis habet, & quidquid attingit in humano corpore, hoc convertit in suam speciem venenosã & se ipsũ ita multiplicat, inficiendo humiditates corporis nostri in venenosã naturã, quâ multiplicatâ, augetur virtus veneni. Geometricum enim est axioma: *Geminata quantitas exauget virtutem.* Mihi insuper persuadeo, nostram patientem tã citò obiisse, quòd Chlorosi laboraret, & per consequens valetudinaria esset, hinc facilè credo, quòd venenô in suô corpore genitô scatuerit, idque adventitio, & forsan sibi analogo adjunctum, deleteriam vim exeruerit, accitam mortẽ attulerit. *Nam ubi abundat venenosus spiritus, venenum denuò ingruens est magis perniciosũ,* ut probat *Castrensis Lusitanus* in suis *Meteoris Microcosmi.*

Iliaca passio, quæ successit, magis miranda videtur, cùm aliàs ex occlusione intestinorum, & præcipue gracilium ortũ ducat; quæ tamen in Casu nostro supponenda non erat, quia novissimè fœces egesserat, quando à scorpione icta fuit; neque ab inflamatione circa rectum intestinum premebatur, ex qua clausum orificium supponendum fuisset, tum quia ex febris absentia, imò ex autopsia abfuit inflamatio, tum etiam quia clyster sumã cum facilitate injectus fuerat: Ergo omnis causa ad pravam veneni qualitatem referenda videtur, quæ annulosis intestinorum fibris cõmunicata, & spiritibus in ipsa animi commotione versus principem suæ originis locum remeantibus, associata, secum fluida vasorum ad superiora per motum antiperistalticũ stimulavit & convolvulũ prædictum excitavit. Hinc duo fatenda videntur: Primum, quòd detur motus convulsivus, præter causã inanitionis & repletionis, utplurimũ ex causâ veneficâ, & hâc calidâ vellicante, quia ex frigidâ aut humidâ potiùs resolutio non convulsio succedit. Alterũ, quòd Scorpionis virus calidũ, urens, & *nervos* mordens credendum sit, ut cum *Cæsalpino* plurimis placuit; non verò frigidum, ut multis aliis Medicinæ Principibus arrisit.

Inspectiones Anatomicæ.

In demorso à cane rabido, Pericardium sine humore repertum, & ex parte consumptum, Sinus cordis aridi.

Rabidi canis venenum quarto ordine calidum esse videtur, cùm enim dissectum esset Monachi cujusdam cadaver, tria notanda apparuerunt. 1. Nulla aderat humiditas aquosa in pericardio, tota erat consumpta ab hoc igneo veneno: 2. Sinus cordis conspiciebantur aridi & sanguine prorsus destituti, 3. in Pericardio portio quædam fuit observata ferme combusta & in pulverem redacta. *Capivaccius pract. lib. 7. cap. 12.*

In quodã hydrophobia affecto sum̃a siccitas viscerũ reperta.

Anno 1674. mense Majo juvenis artis Saltatoriæ magister, à cane rabido mordetur, Tertia post septimana in hydrophobiam incidit, salvo tamen judicio; dantur illi pilulæ purgantes, à quibus ritè expurgatur: postridie, quod nausearet, exhibitum vinum emeticum; Paulo ãnte assumptionem, cum alio ejusdem Artis magistro, cui cùm jurgium extiterat, in gratiam redit mutuisque amplexibus uterque ejus firmitudinem testatur; tertia ab hausto hora extinguitur: Pro more loci, ante sepulturam, à Chirurgo, ad id officii destinato, cadaver examinatur: Ille livore digitorum animadverso, (qui à convulsionibus inter irritos vomendi conatus ortus erat) malignitatem suspicatus, & ignarus eorum quæ præcesserant, aperiri cadaver voluit. Intactum fuit cerebrum, sed in visceribus naturalibus & vitalibus summa siccitas fuit deprehensa, quæ an veneni indoli, aut potius inanitionibus præcedentibus adscribenda fuerit, dubium remansit. *Clar. Theophil. Bonetus Anatom. Practic. lib. 1. sect. 8.*

Luporum morsus, præsertim Rabientium est venenatus, quod in eorum renibus serpentes nascantur.

In Luporum senum renibus serpentes observavi, ita ut aliquando Lupus in uno rene duos habeat serpentes, quorum unus pedem longus, alter pollicis longitudine, alii etiam breviores sint, qui venenatissimi redduntur & cum tempore Lupum enecant. Hinc videmus si animal aliquod à Lupo fuerit præmorsum, rarò & quàm difficillime curari, quod dubio procul propter peculiare venenum in Lupo delitescens usu venit: pleraque enim animalia præmorsa moriuntur, aut saltem membrum præmorsum putrescit. Carolus Stephanus *Agricult. lib. 7. cap. 1. Gaspar Bauhinus lib. 1. cap. 17. de corp. hum. fabrica. Joh. Bauhinus Tract. de Luporum rabie memorabili p. 77.*

In iis qui demorsi sunt à cane rabido nihil anginosum deprehenditur.

Mordendi desiderium in à Cane rabido morsis, magni nominis Medicus referebat ad inflammationem faucium, & conjunctam Anginæ speciem: Sed aperta aliquoties cadavera, nulla inflammationis vestigia ostendêre. *Gu. Rolfinkius Dissertat. Anat. lib. 1. cap. 13.*

In Equis, Bobus & ovibus Rabie affectis vermes in capite deprehensi.

Æstas hæc sicca æstuansque multa animalia in phrenitidem & vertiginem agit, quod damno suo multi apud nos agricolæ experti sunt. Notandum id imprimis de equis, bobus & ovibus, vermes capiti inesse ita affectorum rusticorum nostrorum est observatio *T. Bartholinus Cent. 3. observ. 48.*

Idẽ hoc ex multiplici demõstratiõe affirmat Clar. Christian. Francisc. *Paullini Cynographia Curiosa Sectione 4.*

Anatome Hydrophobici.

Laurentius Serenissimæ & Clementissimæ Reginæ meæ à pedibus d. 1. Mart. 1678. in subitaneam incidit hydrophobiam ut ne guttulam liquidi cujuscunque generis posset deglutire, cùm tamen solida quæcunque promptẽ per gulam demitteret. Ab exhibitis bezoarticis & alexipharmacis parum juvabatur, die tertio rabie correptus saliva ubertim ex ore fluẽte adstantes omnes conspuebat, quarto demum morbi die extra lectum in sella sedens facto uno, & altero corporis subsultu suffocabatur. Aperto per Chirurgum Regium Philippum Hacquardum, me præsente, cadavere, corpus prorsus extenuatũ erat ac si hectica diuturna tabefactum fuisset, caro musculosa omnis ut & pinguedo penẽ consumpta, omentum item penitus absumptũ ut intestina flatibus turgida nuda jacerent, mẽsenterii glãdulæ & pancreas prorsus extenuata. Hepar in parte convexa sano simile, in parte concava inflammatum & gangrænæ proximum cum pleura tàm firmiter coaluerat, ut vix nec sine ruptura avelli posset, sinister lobus hepatis lieni tam arctè adnatus erat ut non nisi sectione ab invicem possent separari. Vesicula fellis bile viridiuscula plena, costis itidem firmiter adhærebat. Ventriculi interior tunica corrupta ut digitis posset abradi. Ejus superius orificium etiam

xile admodum, ut & totus œſophagus anguſtus valdè & quaſi conſtrictus. Pulmones aridi & exſucci coſtis utrinque adnati. Pericardiū ne guttulā aquæ continebat. Cor flaccidum & extenuatum, cujus dextra auricula inſigniter tumebat, dexter ventriculus ſanguine grumoſo plenus, in ſiniſtro ſanguis planè fluidus. Renes ſatis magni notabili vitio carebant, ſuccenturiati egregiè conſpicui. Cerebrū non introſpectum, quia inſtrumenta ad calvariæ depoſitionē neceſſaria ad manū non erant. An à cane rabido demorſus unquam fuerit, à me cum mente adhuc conſtaret interrogatus, ſe id non meminiſſe ajebat, ſuadere tamen id videbatur cicatrix in ſiniſtro crure poſt mortem conſpicua, quanquam non deſint exempla lethalis hujus aquæ metus, ut Plinio l. 8. N. H. c. 40. vocatur etiam citra morſum canis rabidi prout videre eſt apud Marcel. Donat. hiſt. med. mirab. l. 6. c. 1. Salmuth. cent. 2. obſerv. 52. Zacut. Luſit. de Med. P.P. hiſt. 20. Borell. cent. 3. obſerv. 38. Proinde etiam famoſum illud aquæ marinæ balneū in cura neglectum, quod demorſi antequam hydrophobia ſuperveniat juvamen aliquando inde accipiant, ubi verò aquas jam horrent.

Nec formidatis auxilientur aquis.

Johan. Henric. Brechtfeld. in Actis Danicis Bartholinianis, Ann. 1682.

Rabidorum cerebrum vermibus ſcatere repertum.

Cum anno 1674. ipſis diebus canicularibus Hamburgo cum aliis in Saxoniam inferiorem proficiſcerer, occurrit nobis in rheda amicè confabulantibus circa crepuſculum canis paſtoralis rabidus, quem, ne aliis in vicina noceret, ocyus quidam è ſociis noſtris plumbeo globulo trajecit, nomine Tobias Lorch Pruſſus, Chirurgiæ candidatus, literiſque bene tinctus. Qui, cùm me medicum eſſe reſciviſſet, multis humanitatis officiis in itinere non ſemel præſtitis, amicitiam meam ambiit & promeruit. Poſt ſobriam cænam mihi in horto ambulanti ſeſe ſociat, cauſam rabiei cupidè indagans. Placuit juvenis ſtudium: orto ergo ſole caput prædicti canis aperuimus. Tum neuter quidem fœtorem perſentit, ambo tamen deliquio animi correpti cæpimus titubare, illeque vomere. Sumptis verò rotulis bezoardicis ſtatim nobis ex voto redditi. Hinc contra venenum, quantum potuimus balſam. antapoplect. & aceto theriacali Timæi, ſatis muniti, ſufflaminato halitu, clauſisque naribus & ore, hocque aceto illo repleto, accenſaque circa cadaver ſtrue, ex ligno quercino & fagino congeſta, propius & animoſius acceſſimus mirabilia naturæ contemplaturi. O ſi tunc nobis adſtitiſſet Reyſius, expunxiſſet fortè merum cerebebelli ſui figmentum in Camp. Elyſ. quæſt. 61. §. 1. publicè pronuncians ſe injuriam feciſſe Jacobo de Partibus. Totum cerebrum maximè putridum è calvaria ſtatim prolapſum in gramine longiùs diffluxit, inque eo diverſi vermiculi, quorum pluſculos in majoribus bullis, è viſcoſo putrique cerebri liquore elevatis, vel ex motu interiori notavimus. Hęc agentibus ſupervenit canus opilio anatomen noſtram viſurus. Qui cùm utrumque adhuc quaſi attonitum cerneret cum cachinno ajebat: mihi ſanè nihil novi, cùm tamen literis me nunquam manciparim. Par ratio cum ovibus. Notaſtine talia ſpectacula in ovibus? Mirabiles ſocii! vidiſtis tales vermiculos? ſunt rabidi vermes, ſeu potius vermes rabiem inferentes; corrodunt beſtiis cerebrum, inque rabiem agunt, ut quieſcere neſciant. Uterque ei 24. groſſos oſtendens. Dic nobis, quæſumus, o bone ſenex, at dic ſerio, an res ita ſe habeat. Ille corrugata fronte, & pectus ſuum palma tundens; quid? Si ego ſilicernium vobis mentiar, rapiat me diabolus! Vultis ne interiora canis, inque iis vermiculos contemplari? Vera loquor, credite mihi, & ſenes adhuc ſapiunt. Bene: manum igitur ad canem. Quod ſi feceris, gratiam mereberis & hoc prēmiū. Ille, ſumpto prius jentaculo, & devoratis, ni fallor, 12. baccis lauri, quibus ſe canitiem ſuam debere ſanctè fatebatur, rem animosè aggrediens, nobis interim procul ſenſim recedentibus, aperto canis ventre, viſcera, pede ſuo hinc inde, longiùs aliquantulum recedens, ſubindeque volutans, allium mandebat. Cùm verò nullos cerneret vermiculos, præter lumbricum ex inteſtinis protractum, cum indignatione dicebat lumbricum iſtum minores omnes vermiculos devoraſſe.

Amphion noſter amicus Reiſelius, nunc Conſil. & Archiater-Studgardianus, reperit in ſiniſtri lupini renis ſuperſtite membrana vermem 21. uncias, ſeu pollicem, longum, ore patulo, capite cruento, plures inſuper albos minores. In narium quoque ſpongioſo oſſe duos invenit latiuſculos, velut qui in ovium hepate ſunt. Hoſce vermes rectiſſimè rabiei causā conjicit. Ego, ut nihil omitterem, quantum ad notitiam veritatis, ab ipſis canicidis per alios expiſcatus ſum, annon & ipſi in rabidis canibus occiſis ſimiles notaſſent hiſtorias? Negantes promiſſo præmio monui, ut ſcrutarentur. Multum enim intereſſe, ut ſcirem. Fuere, biſque mihi monſtrarunt in capitibus, renibus ac inteſtinis canum, ob rabiem cæſorum, inventos. Sic alicubi obſervationem ſequentem ſcriptā reperio. Vidi canem ex cujus toto corpore, magno cum fœtore, innumeri prodibant vermes albi, qui ei intra biduum mortem intulere miſerrimam. Hic canis rabidus antea fuerat, ſanatus tamen iterum. Cùm vero cadavere equino, intolerabilem mephitim longè lateque ſpirante veſceretur, denuò incidit in iſtum morbum, in quo etiam periit. Dices, ſi hoc malum à vermibus, eccur Hacquard. Regius in Dania Chirurgus, amicus quondam noſter, in anatome Hydrophobi nullos omnino reperire potuit? R. Nec cerebrum, ob inſtrumentorum defectum, introſpectum eſt. Et licet nulli, oculis ſaltem obvii, in cerebro inventi fuiſſent, quid inde? Cadaver infauſtæ illius Catharinæ quæ annis retrò quaſi 20. innumeros bufones vomitu rejecerat, à curioſo Sirio noſtro, Dom. Vollgnadio diſſectum, ne veſtigium quidem bufonis ampliùs exhibuit. Ergo ne relatio ficta? Narravit etiam mihi Nobil. D. Franciſc. Gulielm. à Steinhauſſ, fautor olim honorandus, in diſſectis capitibus rabidarum ovium, ab aliis, quorum officium erat, diligentiùs examinatis, aliquando integros globulos vermium plenos fuiſſe repertos. Et in eviſceratione lupi, ob rabiem à ruſticis Weſtphalis cæſi, in dextro rene planè exeſo vermem rubicundum, ſed albis maculis eleganter diſtinctum, palmam infantis longum, cauda bifurcata, & acuto roſtello armatum, inventum eſſe, à Veterano quodam Venatore in Comitatu Waldeccenſi olim accepimus. Quocunque itaque modo rabies nobis communicetur, atomi verminoſæ, ſeu μιάσματα vel ſeminia fermentabilia, ſimul in nos derivantur, vel tamen ex ſeminio, ante in nobis contento, ſuſcitantur, quæ non ſecus ac ictu ſuo tarantula κερᾶσεος ſuæ velut genium, vi fermenti deterioris, inducunt. Ut enim in ſeminibus vegetabilium tota latet idea plantarum quę ſub veris initium, jam tum tumente & ſale ſuo gravida tellure, ipſo quoque calore ſolis, genuino coctionis opifice, in partem veniente, excitatur, digeritur, perficitur. Sic in exigua admodum particula, in minima atomo, fermenti ita dicti, morſu, contactu, aliove modo in hominem tranſlati, inque corpore ejus paulatim luxuriantis, tota reconditur indoles ſymptomatum, quæ poſt variè produntur, pro vario ægrotantium temperamento, læſa puta phantaſia, ac læſis ſpiritibus, à fermento illo peregrino. *Chriſtianus Franciſcus Paullini in Cynographia Curioſa.*

Hiſtoria & Anatome Ruſtici, Hydrophobiâ, ſecundo menſe poſt acceptum à Cane rabido vulnus, correpti & extincti.

Agricola trigeſimum ſextum ætatis annum ſupergreſſus, in pago Monchenſtein Agri Baſilienſis D. 14. Januar.

nuar. 1687. ſummo mane ad vicinum ſtabulum, inſignem proprii canis latratum, mox ejulatum audiens vehementem confeſtim è lecto ſurgit, foraſque egreditur, viſurus quid ſibi inſolitus iſte clamor vellet, cumque jam ſtabulo appropinquaret, en rabidum canem alienum, per prata nivibus obtecta, obviam ſibi cum furore currentem, cujus intuitu perterritus, famulum ſtatim in auxilium evocat, inermis ipſe, nec niſi induſio veſtitus. Nondum advenerat ſubſidium, cum jam à cane illo magno & robuſto, quemque adeo lupum rapacem primo conſpectu credidit eſſe, impetuoſo adgreſſu invaderetur: ancipiti hinc Marte aliquandiu dimicatum uſque dũ ãbo humi proſternerentur, ipſeq; Ruſticus antequã famuli opẽ experiretur, in brachio manuq; ſiniſtra haud levia exciperet vulnera: Liberatus vero tandem à cane ſecuri percuſſo, in lectum revertitur, vulnera Lacertorum, quod fortè habuit, oleo inungit, linteiſq; calente vino imerſis ligat, & Aurorâ poſt iminente medicũ ex urbe noſtra accerſit virũ in Praxi verſatiſſimum. Hic verò ſtatim cum perito Chirurgo ad Ægrum properat, inſpectiſque vulneribus, remedia interna Alexipharmaca, Theriacalia, venenũ abſorbentia & expellentia; Externa autem, præter vulnerum ſcarificationem & cucurbitularum, deleteriam rabidi animalis ſalivam extrahentium applicationem, pręcipitantia, abſorbentia præſcribit, nihilque adeò intermittit eorum quę contra morſum canis furibundi commendari, & cum fructu uſurpari conſueverunt. Succedere hinc omnia bene videbantur, nulla ſymptomata ſuſpecta hominem prehendebant, nec quicquam deleterii, ſive in ſanguine aut ſpiritibus, ſive in vulneribus animadvertebatur: non ſitis urgebat, nec appetitus minuebatur; Brachii quoque ac manus affectæ inflammatio, Fomentis è decocto Plantarum traumatico-aromaticarũ sẽſim diſcutiebatur, ipſa quin & vulnera, laudabile pus manantia, tandem ſeptimâ poſt morſum hebdomadâ, ad cicatricem feliciter perducta fuerunt. Sic ergo Ruſticus ſibi viſus integrè reſtitutus, muniis ſuis per plures dies, ſine ullo incommodo defungitur, ſuoque indulgens genio, diu prohibitum vini uſum repetit, & velut reſarturus quidquid neglectum autumabat, athleticis hauſtibus generoſioris potûs aliquoties ſeſe inebriavit. Illuceſcente hinc d. XIV. Mart. ejuſdem anni in urbem noſtram venit, meoque conſilio (dum interea prior ille medicus febri malignâ obierat) uſurus narravit, ſe præteritâ nocte quoad lecto incumbebat, maximum dolorem lancinantem, pungentem atque gravantem, in loco acceptorum nuper vulnerum perſenſiſſe, extra lectum verò dolorem mitiorem eſſe. Luſtro hinc brachium & manum, vulnera obſervo benè conſolidata, neque dolor in eorum locis magis quàm alibi in brachio ſæviebat; ſed in extremâ inde manu incipiens, æqualiter verſus Axillam uſque pergebat, ſine ullo tumore, aut colore cutis mutato: Exploro dein reliquum corporis habitum, quem etiam carnoſum beneque habentem offendi: conſtabat adpetitus, nulla ſitis moleſta aderat, de laſſitudine tantùm aliquali conquerebatur. Quibus ſingulis ad animum probè revocatis, protinus in ſuſpicionem incidi præſentis adhuc è cane rabido veneni; atque hinc ſtatim juſſi plures cucurbitulas, cum ſcarificatione fortiore Brachio affecto & Dorſo adplicare, quin & juncturas brachii unguento, ex oſſium medulla, axungia canis, oleo ſcorpionum, lumbricorum terreſtrium, ac ſpiritu Theriacali concinnato frequenter inungi curavi: Pro interno autem uſu pręſcribo pulverem ex antim. diaphoret. Ebore ppt. Myrrhâ, ocul. 69. cum Theriaca pro aliquot doſibus, Mane ac Veſpera in aquâ ſcorzon. card. bened. Scord. ac ſyr. acetoſitatis, citri, ad ſudorem proliciendum, ſumendis: jungo his mixturam cardiacã Alexipharmacam cum confectione Alkermes, per cochlearia hauriendam. Quibus per diem atque noctem, neſcio, quâ diligentiâ uſurpatis, cùm poſtridie dolor nihilominus major urgeret, ipſeque Agricola, tum fortè audiret, eundem non niſi à morſu canis rabioſi malè curato ſuam originem trahere, ſeque proin mortem haud evaſurum, niſi carnificis, in medendis ejuſmodi morſibus magis periti, auxilio utatur, ad ipſum ſine mora cum uxore in urbem properat, ei hiſtoriam mali ab origine pandit, tandemque ab ipſo impetrat unguentum fortè & aliquid internè propinavit, quod tamen Agricola fateri noluit. Sub veſperam, benè interea potus domum revertitur, ſibi unguentum inungi patitur, hauſtoque ſimul ovo ſorbili, in lectum ſe componit; ſed vix elabitur ſemihora, dum miſer ille jam incipit frequentiſſima cum ejulatu ſuſpiria ducere, ſpiritum altiùs magno cum labore, imò & tremulo plerumque cum palato, erectaque cervice petere, ac inſimul aquam liquidaque omnia horrere. Anxietas hinc pectoris ſubſequebatur pręgrandis, ut, quò ſe verteret, neſciret. Die inſequente XVI. ad Ægrum ſollicitatus, eundem deprehẽdo Hydrophobum, ac eo prorſus modo, ut jam narratum, patientem, ſed ratione utcunque ſanâ utentem: offero aquam fontanã, offero juſcula, offero mixturã cardiacã; aſt momentaneo ſaltem, horum ſingulorum intuitu, ſtatim angebatur, quàm maximè exiliebat è lecto, brachia pedeſque concutiebat, ac de loco in locum ſine quiete movebat, ſpiritum non niſi cum ſpaſmodicis colli pectoriſque motibus ducebat, ſubinde clamores & ejulatus miſcens, ita interruptos, ut latratum canum non tàm quoad ſonum vel vocem, quàm quoad repetitas toties faucium & pectoris concuſſiones nonnihil referrent: loqui cupiens dimidiata ſaltem verba, ob anhelitus brevitatem effari poterat. Juxta hæc autem nullus unquam in Ægro deprehenſus eſt furor, quo adſtantes morſu impeteret aut vulnerare geſtiret; quin rationis ſufficienter compos, in tanta anguſtia præcordiorum mortis horam unicè petiit. Sitim interea paſſus eſt inextinguibilem, bibere vel non valens, vel non audens: ſi feneſtræ, ſi fores aperiebantur, ſymptomata ſtatim vehementiora reddebantur, non ſecus liberum aërem atque liquida horrens. Laborioſa autem iſta reſpiratio, licet ſubinde mitior evaderet, difficilior tamen uſque redibat, ſudorem poſt ſe trahens frigidum largiſſimum, qui Ægrum ad mortem uſque comitatus eſt. Quantumcunque autem in hoc ſtatu liquida omnia fugiebat Æger; aut eadem cum inſigni perpetuoque ſingulorum membrorum tremore, velut unoquoque momento ſuffocandus, difficillimè hauriebat; à ſolidis tamen non ita ſibi metuebat, quin ſive panem ſive Electuarium alexipharmacum confortans à me præſcriptum, ſive alia craſſioris conſiſtentię, facilius admittebat, & cum ſpe levaminis cupidè quidem, ſed tamen non ſine aliquo labore deglutiebat. Conatus vomendi interim ſæpè Ægro ſimul moleſti extiterunt, ſed irriti: per alvum verò aliquoties in hoc ſtatu dejecit, urinaſque emiſit paucas eaſque lixivioſas: Pulſus fuit ſuccutiens & debilis; muſculorum tendines hinc inde, vibrativo motu, tantùm non continuè ſubſaltârunt; Abdomen nunquam intumuit; brachium quoque neque in magnitudine, neque in colore mutatum fuit, vel ſaltem, duodecim ante mortem horis mihi nihil tale pręter naturam apparuit. Sub finem autem conquerebatur, dolorem, non brachium ſaltem occupare, ſed ab eodem verſus pectus quoque & cordis regionem tendere, majoremque de momento in momentum reſpirandi difficultatem parere. Cum itaque neque interna remedia commodè aſſumere poſſet, neque externa quidquam valerent, tandem miſerrimè, quamvis abſque pręcedaneis convulſionibus, expirante decimâ ſextâ die Martii, circa mediam noctem, ſuffocatus eſt, ſymptomata Hydrophobię horrenda, ultra triginta horas perpeſſus.

Quindecim à morte horis ad cadaveris interanea luſtranda

ſtranda, unà cum aliquibus Myſtis Apollineis quos inter eminuit Experient. Dn. D. Johannes Hoferus, Poliater Mülhuſinus, excutri & ſequentia notatu digniſſima obſervavi. Cicatrices vulnerum acceptorum neutiquam rubicundæ vel lividæ ſed cutis naturali colore præditæ adparuerunt. Verùm in humero & ſcapula ejuſdem lateris, ut & in reliquo dorſo inſignia ſtatim gangrænæ & ſphaceli indicia conſpiciebantur; livebant enim hæ partes maximè, livorque ſe anteriùs extendebat uſque ad pectus ſiniſtrum. Aperto Abdomine inteſtina ſe ſe ſtatim obtulerunt, minimè quidem inflata, ſed hinc inde rubicundis quidem maculis, ceu totidem inflammatiunculaum ſignis, conſperſa. Inciſus dein ventriculus, paucam exhibuit crudi, turbidi, ſubflavi, minuſque fætidi humoris quantitatem, in quo moleculæ quædam flavæ, vitello ovorũ indurato perſimiles, ac pro reliquiis ovi ante obitum comeſti habitæ, continebantur: In ipſis autem ſtomachi tunicis itidem rubicundæ maculæ, præprimis circa utrumque orificium, deprehenſæ ſunt, prædictis inteſtinorum latiores. Reliqua abdominis viſcera ſana prorſus animadverti; dum verò Thoracis cameram detegebam, eandem undiquaque ſanguine ſuffuſam ex rubore liveſcentem, non ſine inſigni ſtupore conſpexi.

Pulmo circumquaque Pleuræ adhæreſcens, concreti ſanguinis molem referebat, uſque adeo extravaſatus & coagulatus ſanguis pleraſque ejus veſiculas adimplevit, alicubi magis, alicubi minus, ut hinc inæqualis tumor pulmonum cerneretur.

Interſtitia membranoſa cartilagineorum Aſperæ Arteriæ circulorũ intenſiſſimè rubebant. Diaphragma etiã, quâ coſtis fuit vicinus, ſiderationis incipientis veſtigia, ſuo ſimul præternaturali rubore & livore monſtrabat. Tandem ſive cordis ventriculos, ſive vaſa circa illud majora aperiebam, ſive Pulmones mille locis incidebam, nullibi niſi concretum ſanguinem omni propemodum ſero fluido deſtitutum reperire licuit.

Quanquam ergo plura ſint, quæ ex hiſtoriâ prolixius exhibitâ inferri & diſci queant, hactenus vel ignota planè, vel minùs adcuratè animadverſa; brevitati tamen ſtudentes, paucula ſaltem poriſmata inde educta offerimus & quidem.

I. Inde liquere arbitramur, Hydrophobiam à rabie canina magnopere diſcernendam eſſe, cum in illâ ratio conſtet, in hac autem Ægri cum furore delirent, Hydrophobus qui eſt, commodè adhuc ratiocinatur, & non niſi invitus plures membrorum motus patitur; membra ipſius citra animæ voluntatem, velut in Epilepſia aut rigore febrili, moventur, tremunt, & ad conſpectum liquidorum, vel ad auræ liberioris admiſſionem, ſuccutiuntur. Hydrophobus noſter Agricola interrogatus, cur non quieti ſua tradere membra, ſuoſque artus ſtuderet, reſpondit ſtatim, ſe non poſſe, quantumcunque velit & tentet, continere artus, ſibi invito contingere omnes illos motus. Ita Schenkius in obſ. ſuis adduxit exemplum Hydrophobi, qui adſtantes precatus eſt, ne propius accederent, ſe enim neſcire ſibi imperare, quominus dentibus eos non impetat. Qui verò Rabie laborat, protinus is rationis eſt expers, quique adeo non delirat, ſaltem & furibundas actiones committit, ſed & inconditos ſermones, aut ejulatus vel clamores horrendos edit, adſtantes etiam ſine diſcrimine adoritur, morſibuſque cum furore impetit.

II. Patet ex hiſtoria, Hydrophobiam non ſemper cum Rabie exiſtere & conjungi: quod ſi enim venenum minus potenter & copioſè in laticem ſpirituum fuit admiſſum, Hydrophobia ſola producetur: ſi autem æquè ſpirituum ac maſſæ ſanguineæ rivos ſubiit, & in utroque latice turbas excitavit, tum & Hydrophobia & Rabies ſimul jungentur. Atque hinc inferimus,

III. Hydrophobiam abſque rabie ſæpius, nunquam verò Rabiem caninam abſque Hydrophobia exiſtere poſſe. Rationem addimus hanc, quod in Rabie ſpiritus animales à ſpecifico veneno turbati ſint, & ſpecifica iſta veneni qualitas ita latere nequeat amplius, quin ſimul in nervos pneumonicos impingendo, eoſque contrahendo & criſpando, ſtagnationem, extravaſationem atque coagulationem humorum deleteriam excitet. Adde quod, venenum tale ſpiritibus vix communicetur, niſi ſimul & ipſi ſanguini inſit, aut inferatur.

IV. Diſcimus inde, Hydrophobiam non ſtatim vulnus à cane rabido illatum ſubſequi; etenim ſecundo demum menſe poſt Agricolam illum invaſit; in aliis verò nunc citius, nunc tardius exortam fuiſſe, Obſervationes teſtantur. Ita *Hieron. Fracaſtor. libr. 2. de morb. contag.* ſe puerum vidiſſe memorat, octo demum menſes ab accepto morſu Hydrophobum redditum, &, ſtatim mortuum. *Dodonæus obſerv. med. cap.* 12. exemplum habet adoleſcentis, trigeſima à morſu die Hydrophobi redditi & extincti. *Baldus*, inſignis ille jureconſultus à catulo ſuo, quem amabat, in labio leniter morſus, quarto poſt menſe phanaticus obiit, referente *Paræo lib.* 20. *cap.* 14. *Geſnerus Epiſtol. l.* 3. *p. m.* 82. *ad Coſmum Holzachium* ſcripſit, Lithotomum quendam Tigurinum, ſex vel ſeptem hebdomadas poſt vulnus impetratum, Hydrophobiâ correptum, miſerè intra biduum interiiſſe. Ut taceam plura aliorum exempla, quibus poſt annum unum pluresve demum ab inflicto vulnere, Hydrophobia atque mors obtigit.

V. Si verò quæras hic, cur Hydrophobia non ſemper morſum rabidi canis ſubſequatur? Ratio in promptu eſt, quoniam *primò* venenum, quod in ſalivâ rabioſi animalis conſiſtere credimus, non ſemper in vulnus immittitur, aut ſaltem non ita profundè ut non citò iterum vel inde extrahi, vel præcipitari, & ſuâ corroſivâ qualitate privari queat. *Secundò* vulnus ſubindè duntaxat leve eſt, non capiens aut retinens facilè ſalivam deleteriam, à qua morbus ille produci debet. Et *tertiò* frequenter immiſſum vulneri virus, remediis efficacibus tam internis quàm externis deſtruitur, ita ut corroſivam ſuam naturam prorſus exuat, & vel ſudoris ope expellatur, vel aliter extrahatur. Convenit hîc imprimis, ſtatim vulnus aquâ muriaticâ quâcunque vel lixivio etiam, probe, ſed & calidiuſcule eluere, hancque lotionem aliquoties repetere, aſt ſimul reliqua more & methodo conſuetâ adhibere: hinc qui maris ſunt adcolæ, homines à cane rabido demorſos ſtatim ſalſæ marium aquæ immergunt, ad venenum in vulneribus præcipitandum, eluendum ac deſtruendum, ſicque Hydrophobiam præcavendam.

VI. Si verò quæras ulterius, cur aliquando accedat Hydrophobia & cur eadem nunc citius, nunc tardius ſequatur. Reſponſi loco damus, venenatæ ſalivæ portionem ſubinde in vulnerum cavitatibus integram, atque à remediorum adhibitorum virtute tutam remanere. Hæc igitur veneni portio, occaſione quâcunque arrepta, efferveſcens, ac fibrillas ſive vaſculorum humoralium, ſive tubulorum nerveorum diſcindens, partim ſanguini aut lymphæ, partim ſpiritibus ſe ſe immiſcet. Sicque turbas excitando Hydrophobiam producit. Venenum iſtud quandoque ſub velamine viſcidi cujuſdam ſeri diutiùs in partis demorſæ fibrillis latitare poteſt; ſubinde autem minùs obvolutum, & magis activum exiſtens, citius in apricum prodit, efferveſcit, pungit, ſcindit ac rodit, donec viam ſibi fecit, in quemcunque laticem irruendi, ſuamque vim novicam exercendi. Excitatur etiam ſæpius

pius à caufis externis & procatarcticis, ficque inftar canis dormientis expergefit, ac in motum agitur : quod fit partim à nimio corporis exercitio, partim ab irâ vehementiore, partim ab æftu corporis in Laconicis, aliifque Balneis; partim à Crapula five Inebriatione, partim etiam aliis à caufis. Quod verò præcisè in affectâ parte tamdiu delitefcere queat portio quædam veneni illati, Ruftici noftri exemplum docet, in quo ante Hydrophobiæ eruptionem five acceffum, per diem unum & alterũ conqueftus eft de dolore vulnerati brachii, qui dolor poftmodum extenfus ad Thoracem, ficque Hydrophobiam excitans, procul omni dubio indicium certiffimum fuit veneni in brachio hactenus latentis, fed nunc in motum ac furorem adacti.

VII. Anatome Cadaveris Ruftici fufficienter docet, in Hydrophobia contingere inflammationem veram, id eft, ftagnationem, extravafationem, & extravafati fanguinis coagulationem in pulmone atque partibus vicinis. Hæc certe lerna malorum, hæc vera origo fymptomatum omnium in Hydrophobia contingentium. Quod fi enim fingulorum ætiologiam percurrere velimus, illico patebit, refpirandi difficultatem, præcordiorum anxietatem, deglutitionifque laborem non nifi ab inflammatione mufculorum laringis, pharyngis atque pulmonum provenire. Inflammatio autem ifta talium partium univerfalis, originem fuam unicè debet turbationi fanguinis à fpecifico veneno inductæ, ita quidem, ut turbatus fic quoad inteftinum motum, fitumque partium fanguis per vafcula pulmonis minima circulari amplius haud queat, quin & à fpiculis veneni fibrillæ talium vafculorum capillarium facilè crifpari, conftringi ficque fanguinis tranfitus præcludi poteft. Ubi vero jam inflammantur Pulmones, ftatim & Pleuræ, ob interventum vifcidæ ftagnantis ac in Pituitam abeuntis lymphæ adnafcuntur. Veficulæ Pulmonum ab extravafato fanguine implentur, aut ab ejufdẽ ftagnatione vafa diftendente anguftantur, ita ut aëri hinc fufficiens pro refpiratione introitus claudatur. Sitis adeft, eaque inextinguibilis, ob faucium à falivæ defectu, continuam ariditatem: deficit faliva propter fanguinis motum à veneno turbatum, hinc fecretionem falivæ ablatam. Horror adeft liquorum, ob imaginationem imminentis ab eorum potu fuffocationis; & revera potulenta Hydrophobi deglutire aut non valent, aut non nifi maximo cum labore & dolore poffunt: fed & ad folum Potulentorum adfpectum fpiritus animales ad impetuofum quemdam ac meticulofum motum concitantur, in quo membra omnia, cum terrore & anxietate fuccutiuntur. Difficillimè autem deglutiunt liquida, quoniam tumor faucium inflammatarum validiffimè liquidis refiftit; folida faciliùs admittuntur, quoniam in his aliqua eft contranitentia, à qua fauces & gula nonnihil magis dilatari, fibræque ad deglutiendum validius incitari poffunt. Vigiliæ, inquietudines, palpitationes, tremores cordis perpetim adfunt, propter fpiritus animales plus minus turbatos, vel faltem in continuo motu verfus partes affectas verfantes. Conatus vomendi inanes, inflammatiunculis fibrarum ftomachicarum originem debent. Urinæ lixiviales etiam à fulphureis particulis falinis nimium incoctis proveniunt, quod quidem in turbatione æftuque fanguinis ac inflammationibus internarum partium, tam glandulofarum quàm aliarum ut plurimum contingit. Mors tandem à circulo fanguinis penitus ablato, œconomiaque corporis deftructâ inducitur.

VIII. Stagnationem illam fanguinis in aliis quoque Hydrophobis, fi non omnibus fimiliter contingere, aliud me quoque exemplum docuit : Etenim ante quadriennium Filius Lanii cujufdam Bafilienfis mihi curandus obtigit, qui à rabido cane in brachio dextro, ac etiam in dorfo fub fcapulis vulneratus, hincque à Carnifice malè tractatus, quintâ poft vulnus utrumque acceptum, quorum alterum jam cicatrice obductum erat, hebdomadâ, in Hydrophobiam incidit, quæ cum iifdem prorfus fymptomatibus puerum invafit, quibus Agricolam in hiftoria noftra exercuiffe tradidimus; mens quoque & fana ratio eidem conftabat, fed refpiratio, paulatim adauctâ Pectoris inflammatione, magis magifque offenfa & præpedita fuit, ita ut tertio ab hinc die inter miferrimas anxietates fuffocaretur; follicitavi hinc apertionem cadaveris, fed renuerunt Parentes; hinc externè faltem illud infpexi, atque tertiâ poft mortem horâ in dorfo verfus fcapulas ad Pectus ufque jam livefcere deprehendi, unde certum indicium fumpfi, fimilem prorfus fanguinis ftagnationem & extravafationem in Pectore atque Pulmone Pueri contigiffe. *D. Theodorus Zwingerus Ephemerid. Germanicar. Decuriâ 3. Ann. 2.*

RACHITIS.

De Rachitide primum jam adducemus Clariſſ. Joh. Mayovv ſic ſcribentem.

UNus eft, quod fciam, Clariffimus Gliffonius, qui de Rachitide quicquam fcripfit: quod mirum effe videatur, cum plerunque vix tantum graffatur morbus, quantum de eodem fcribendi cacoethes. Et me quidem à fcribendo deterreret accuratus adeò de hoc morbo Tractatus, jampridem à Gliffonio editus, tantique viri authoritas; nifi eum effe crediderim, qui veritatem colenti, quanquam aliquando à fe diffentienti, lubens ignofceret. Cum tamen ad eandem cum illo metam properem, neceffe eft, ut iifdem quoad magnam partem veftigiis infiftam : quapropter tanti viri cum veniâ liceat nonnulla ab eodem prius dicta, (cum aliter fieri non poteft) nonnunquam repetere.

Morbus hic ante quadraginta circiter annos in Occidentalibus Angliæ Regionibus ortum habuit: poftea autem (ut morbis, malifque latiùs ferpendi mos eft) per totam fere Angliam, in Septentrionalibus tamen regionibus rariùs, infantum cunas infeftavit.

Infantes ergo funt, qui morbo hoc imprimis laborant, iique à fexto menfe à partu ad fefquiannum frequentiùs, à fefquianno ad finem fecundi anni cum dimidio frequentiffimè infeftantur: ita ut tempus plerunque invafionis, fint anni illi duo, qui femeftrem à partu ætatem mox fequuntur.

Diagnofis morbi hujus, uti cæterorum, à fymptomatum notitiâ dependet; quæ fequentia funt.

Proportio partium irregularis eft : Caput nempe juftò majus; Facies habitior; Ingenium, quam pro ætate acutius; membra externa, præfertim mufculofa gracilia, & extenuata; Cutis laxa, & flaccida; Offa quoad maximam partem incurvata, & quæ circa articulos funt prominentia, & nodofa; Spina etiam variè inflectitur; Pectus anguftum eft; Sternum vero acuminatum; Coftarum extremitates nodofæ; Abdomen fubtumidum, & tenfum: hæc exterius obfervantur.

Interius autem cernitur Hepar juftò majus, uti etiam Parenchymata ferè omnia; Ventriculus, & Inteftina in majorem quàm in fanis molem affurgunt; Mefenterium glandulis juftò majoribus, fi non ftrumis afficitur; hæc in Abdomine.

In Thorace Pulmones infarcti, & tumidi cernuntur, iideque nonnunquam purulenti, ftrumofi & pleuræ fæpiffimè adnafcentes. Jugulares venæ, & Carotides arteriæ juftâ proportione ampliores nonnunquam reperiuntur:

cere-

cerebrum autem non nisi proportione & mole peccat.

His denique accedit partium fere omnium enervatio, item torpor quidam, & laboris exercitiique impatientia; neque enim pueruli nisi sedentes ludere possunt; & vix pedibus insistunt; & tandem in morbi progressu à debili collo, vix sustineri potest capitis onus.

Hæc tot tantaque sunt morbi hujus symptomata; quodnam autem sit tam numerosæ prolis ferax malum, proximè inquirendum est.

Et primò supponimus morbi hujus causam in vitiato cordis influxu non consistere: ita enim tota sanguinis massa corrumperetur; quæ cùm indiscriminatim ad quascunque partes transmittitur, nullas non plus minus afficeret sanguis impurior; quod tamen in hoc affectu nunquam accidit: Caput enim, uti etiam viscera, nisi quòd solitò majora, bene habent: imò ipsa Parenchymata, quæ præcipuè ex sanguine affuso constant, cùm sanorum simillima reperiantur, laudabilem utique sanguinem esse arguunt: absurdum enim esset Attractionem, nescio quam, Electivam asserere, propter quam caput, cęteraque viscera benè se habentia, quicquid sit boni sanguinis attrahunt; sanguinē autem malum cæteris partibus amandant: hæc enim attractio, si qua esset, ab omnibus similiter partibus foret, cùm eadem sit quibuscunque partibus boni sanguinis congruentia, & necessitas; quæ istiusmodi motum efficere creduntur.

Secundò asserimus affectûs hujus fundamentum in depravatâ partium ipsarū constitutione non consistere, quasi partes frigidâ humidâque intemperie laborantes, ineptæ essent ad influxum cordis recipiendum: unde enim hæc tanta partium nonnullarum præ cæteris humiditas frigiditasque oritur, cùm omnes simili, & æque spiritibus incalescenti sanguine irrigentur? neque enim frigiditatē partibus innatam, sed præter earum naturam inesse existimo: neque quidem partes ipsas nutritioni suæ obstare credendū est. Istæ enim in nutritionis actione nihil operantur, sed nutrimentum allatum tantum patiendo recipiunt: planè ut nullam aliam partibus ineptitudinem inesse credam, quo minùs nutriantur, præter unicas obstructiones, propter quas alimentum recipere non possunt: quapropter morbi hujus causa ipsarum partium constitutioni inesse non potest; neque humiditatem illam morbi causam, sed potius effectum existimare fas sit.

Cùm tamen partes revera frigescant, neque nutriantur, licet sanguine satis idoneo profundantur, omnino concludendum est, aliquid aliud præter sanguinem solum ad calorem & nutritionem necessarium esse. Quicquid autem hoc fuerit, necesse est, ut per vasa aliqua adferatur. Arteriæ sanguinem advehunt, Venę allatum reportant; & unici Nervi restant, qui succum, aut saltē spiritus nutritios, afferre possint. Ne tamen cuivis dubium sit, quin nervi nonnihil ad nutritionem necessarium advehant, Experimentū nemini non notum proferam, nempe si nervus parti cuivis inserviens præcidatur, partis ejusdem non tantùm sensus, sed etiam nutritio quęvis omninò cessat, ita ut dicta pars in futurum marcescat.

At verò succus hic nervosus integrum nutritionis munus solus non exequitur. Etenim præter illum, sanguis per Arterias diffusus, non minimas in nutriēdo partes obtinet. Nimirum succus nervosus cum sanguine mixtus effervescentiam quandam, & calorē efficit, unde materia partibus nutriendis idonea præcipitatur: atque ob influxus hujus nervosi defectum, sanguis in hoc affectu quanquam satis laudabilis, fermento tamen debito indigens, neque calorem in partibus debitum excitando, neque nutritionis munus exequendo valet.

Ut jam non dubitemus asserere Rachitidem esse morbū, ex inæquali succi nervosi distributione ortum; ob cujus defectum, aut superabundantiam, partes aliæ nutrimento defraudatę attenuantur; aliæ plus satis saturatæ, in molem justo majorem excrescunt.

Hujus autem inæqualitatis vitiū in Cerebri influxu non consistit: ab hoc enim fonte vitiato nullis omninò partibus nutrimentum idoneum adveniret: at verò caput cæteræq; partes, quę nervos à cerebro ortos sortiuntur, satis laudabili, quanquam justo pleniori nutrimento fruuntur. Cùm tamen partes, quæ à Spinali Medullâ nervos oriundos habent, istæ succo nutritio defraudatæ, emaciantur. Certo utique indicio, proventum spirituum vitalium satis amplum in Cerebro, tanquā publicâ totius corporis officinâ, elaborari: Medullam autem Spinalem, veluti Viam Regiam ab Emporio illo exeuntem, à crassis, & glutinosis humoribus obrui prorsùs & impediri; ita ut nutrimento nervoso aditus præcludatur: unde fit, quod nervi à spinali medullâ oriundi, succo illo nutritio destituti, partibus quibus accedunt, languentibus nullas omnino suppetias ferant. Hinc partium earum atrophia, & summa extenuatio. Atque hanc demum morbi hujus causam statuere fas sit: & præsertim cum ratio symptomatum omnium huic morbo propriorum, ex hoc fonte clarius, faciliusque derivari possunt, ut ex sequentibus manifestum erit.

1.mò In hoc affectu contingit, ut caput in molem pręter rationem augeatur; quod quidem ex nostra suppositione omnino fieri debet: succus enim cerebri nutritius, qui aliàs in Spinalem Medullam ex magnâ parte exonerati solet; intercluso jam aditu isto, totus in nervos à cerebro oriundos dispensatur. Hinc cùm caput ex nervis illis, succo nutritio turgidis, liberaliorem nutrimenti proventum sortiatur, necesse est, ut in molem justo majorem crescat. Hinc etiam vultus quàm pro annis habitior, & ingenium acutius; uti enim exhausti spiritus torpidos nos languidosque, ita eorundem copia in cerebro congesta, sagaces efficit, & ingeniosos.

2.dò Solent plerumque viscera Abdominis justam proportionem excedere; in his nempe eadem ratio obtinet, quæ in capite, plexus enim illos nervorum, infimo ventri inservientium, quoad maximam partem nervorum Paris Vagi, ac Intercostalis, à cerebro oriundorum propagines esse certò constat: ut jam mirum non sit, si viscera prædicta, pleniori nutrimento per dictos nervos allato fruentia latiùs excrescant. Quanquam enim nervi paris intercostalis à spinali medulla ramos accipiant, qui succum nullum nutritium adferre possunt; hujusmodi tamen defectum abunde compensat liberior iste à cerebro influxus. Quoad Hepar, cæteraque parenchymata, quæ præsertim ex sanguine affuso constare videntur, ad horum fortè nutritionē succus nervosus non adeò necessarius est. Cùm tamen musculi Abdominis iis superstrati, à spinali medullâ nervos habeant, qui nutrimentum plane nullum à fonte isto exsiccato afferre possunt, hinc fit, quòd assurgentia interius viscera musculos prædictos, utpote pari passu non crescentes, mole suâ premant, & tensos efficiant.

3.tiò Accidit præterea, ut Mesenterium glandulis majoribus & strumosis tumoribus afficiatur. Ut hujus symptomatis causa melius innotescat, glandularum ortum breviter præmittam. Succus nervosus debitâ fermentatione cū sanguine permixtus, in substantiam nutritiam & carnalē transit, si tamen nervus repletus, turgidusque succum suū albumini ovi simillimum, in carnium interstitia effundat, materia sic effusa non amplius jam carnē, ob sanguinis ad hoc requisiti defectum, efficit; sed in corpus glandulosum, sui simillimum coagulatur: id quod ex observatione patet; etenim experimentum aliquod in Cane facturus, nervum vulneravi; quo facto canis postea convulsionibus miserè torquebatur: post tres autem circiter menses in eodē dissecto, ubi vulnus illud antea inflictum fuerat, glandulosam concretionem satis insignem reperiebam; quam à succo nervoso è nervi puncturâ emanante, ortum suum habuisse videtur. His præmissis, cùm tantus à cerebro repleto succus nervosus per dictos Paris vagi, & Intercostalis nervos in Abdomen transferatur, quantus in viscerum substantiam mutari non potest; succus iste in membranarum interstitia, quæ multa occurrunt, deponitur; ibique strumas numerosas efficit;

efficit: nec in abdomine tantùm, sed ubicunque nervi à cerebro orienti, eoque fucco turgentes, accedunt, illic videre est strumosos tumores: qui tamen post morbi curationem brevi evanescant; nempe succus nervosus, qui tantâ copiâ à cerebro per nervos exinde provenientes effusus, strumarum generationi abundavit, maximâ jam ex parte in spinalem medullam derivatur; adeo ut strumæ nutrimento defraudatæ, brevi exarescant.

4to Solent etiam in hoc affectu Ossa nunquam non plus minùs incurvari: præsertim Ossa Tibiæ & Cubiti. Articuli etiam plerunque extrorsum inclinantur, costarum extrema, ubi cum cartilaginibus Sterni committuntur, nodosa; articulorum Ossa protuberantia, item tota Spina partim extrorsum, partim introrsum varie inflectitur. Incurvitatemi hanc ossium ab eorum flexibilitate procedere non evistimo; siquidem pueris morbo hoc afflictis, majora potius & firmiora sint ossa, quàm in aliis uti mox fusius dicetur, cùm tamen notabilis adeo sit hæc ossium incurvitas; liceat in ejusdem disquisitione, paulo prolixiorem esse: & primo Doctissimi Glissonii opinionem, dein nostram breviter proferam.

Comparemus, inquit Vir Clariss. Ossa, quibus curvitas accidere solet, columnæ, & certè satis apposite, cùm si erigantur, columnam quodammodo referant; atque inde demonstrationem, rem hanc explicantem deducimus: esto ergo columna è tribus lapidibus, sibi invicem impositis, exstructa: supponimus talem, quæ ab omni latere perpendiculariter sit erecta, ejusdemque altitudinis: si ergo à dextro latere immiseris cuneum inter lapides duos inferiores caput columnæ, supremus nempè lapis inclinabitur ad latus oppositum angulumque efficiet, & altitudo columnæ erit elatior, ab unà parte quàm ab aliâ. Similiter si alterum impuleris cuneum inter duos lapides superiores ampliùs adhuc inclinabitur columna, fietque alius rursus angulus sicque reinclinabitur eadem columna. Quò autem ex pluribus lapidibus columna extruitur, si inter quosvis duos uti dictum est, cuneus ab uno solo latere interponatur, lapides isti non columnæ speciem, at portionem arcus referent.

Ut ergo hoc ad præsens negotium accommodemus, si ossa prædicta ab uno latere pleniùs alantur, atque proinde secundùm illud latus pleniùs excrescant, quàm secundùm oppositum, necesse est, illa eo ipso incurvari; nam hic eodem modo se habet plenior istius lateris nutritio ad incurvandum os, quo se habet cuneus immissus ad columnam incurvandam, nisi quòd cuneus certis tantùm locis lateris columnæ infigatur; plenior tamen nutritio lateris ossis sit ex æquo ferè secundùm totam illius longitudinem, & ob hanc æqualem nutritionem, ossis inclinatio exactè segmentum circuli sine ullis angulis effingit.

Secundùm hanc hypothesin, pleniorem viz. lateris unius nutritionem, Vir Clariss. ingenioso utique commento, ossium incurvitatem demonstrat. Sed tanti viri pace, unde constat de pleniori illâ lateris unius nutritione, cùm sanguis, ex quo nutriuntur ossa, non minùs, in hoc affectu, quàm in sanis, æqualiter dispensetur? & si qua esset hæc inæqualitas, in posteriori Tibiæ latere, ut pote frigori minùs exposito, eoque molliori, alimentum plenius admitteretur; & ita posterius, & elongatum latus Tibiæ incurvatæ esset convexum; anterius autem concavum; cujus tamen contrarium obtinet; etenim Tibia in hoc affectu antrorsum prominere solet.

Imò ulterius, ex ipsa ossium incurvatarum figurâ colligere est, quòd ab utroque latere æqualiter excrescant, ossa enim in Tibia habent latus concavum æque longum ac latus convexum alioquin enim os cruris ei superimpositum non sine manifesta corporis obliquitate sustineri poterat.

Liceat ergo aliam incurvitatis hujus causam investigare, & quò clarius res procedat, sequentia breviter præmittenda sunt.

Primò Asserimus ossa in hoc affectu non esse numeranda inter partes affectas respectu nutritionis; illa enim non minùs, quàm in sanis aluntur, & crescunt; uti observatione compertum est: ad horum enim nutritionem, sanguinem solum sufficere, neque succo nervoso, uti in cæteris partibus nutriendis, opus esse videtur. Etenim ossa, cùm ex se sentire non creduntur, parum utique aut nihil commercii cum nervis habere putandum est.

Secundò Pro concesso habemus partes Nervosas, & Musculosas propter succi nervosi, ad earum nutritionem requisiti defectum, haudquaquam in hoc affectu excrescere.

His præmissis, si os tibiæ crescat, & elongetur; idem tamen à musculis qui pari passu non crescunt, tanquam à chordâ detineatur; ita ut non possit rectâ extendi: necesse est ut os illud à musculorum fibris brevioribus tensum, tanquam arcus incurvetur. Liceat Hypothesin hanc nostram exemplo illustrare. Si arbori teneræ, & crescenti chorda superiùs, & inferiùs alligetur, ita tamen ut eâdem à chordâ non tendatur; nullus dubito, quin arbor dicta crescendo incurvabitur. Etenim demonstratio hæc mathematicæ huic assertioni innititur; viz. si linea quævis intra eosdem terminos elongetur, necesse est, ut ea à rectâ in obliquam mutetur; id quod ossibus in hoc affectu contingit.

Atque hoc ulteriùs ex eo confirmari potest, quod ossa incurvata musculum sibi annexum, tanquam arcus chordam suam, concavo semper latere respiciant: uti in Tibia videre est, quæ anteriùs prominens, & convexa est; in latere tamen posteriori, musculos respiciente, concava: & hoc idem in cæteris ossibus locum habet; argumento haud invalido, non aliter à musculis, quàm a chordâ arcum, ossa inflecti.

Ex quibus ratio petenda est, cur Medicastrę solent quotidie latera ossium concava, & non convexa cum successu fricare; nempe per hujusmodi frictionem succo nutritio uberius evocato, musculus in concavo ossis latere situs alitur, crescitque; ut jam mirum non sit, si chorda elongata, os ab eadem tensum, & incurvatum relaxetur simul, & rectius fiat. Et ob hanc causam, ab affectu hoc curati, quàm maxime in staturâ assurgunt, etenim ossa non tantùm, uti in aliis crescunt; sed etiam dum ab incurvatis rectiora evadunt, magis adhuc elongantur.

Spina etiam varie inflectitur, partim introrsum, & partim extrorsum; quod à variâ musculorum in diversis spinæ partibus positione oritur; nempe Spina in superiori parte à musculis exterius affixis introrsum; parte tamen inferiori à musculis Psoas interius annexis, & præpollentibus extrorsum incurvatur.

Et hanc utique incurvitatis causam non tantùm in hoc affectu, sed etiam aliàs locum habere existimo; Enimverò si quando in tenerâ ætate contigerit, musculum quemvis ob nutrimenti defectum extenuari, necesse est, ut ab eodem inflectatur os, cui idem annectitur.

In Crure, & Humero, ubi ossa à musculis, ab omni latere affixis æqualiter restringuntur; ea in ęquilibrio posita, à nullâ parte, nisi rarius inflectuntur: cùm tamen ea in longitudine extendi nequeant, necesse est ut in magnitudine, uti fit, & aliquando etiam in nodos excrescant.

Quintò Accidit insuper in hoc affectu, ut Pectus angustum sit, & acuminatum: & hoc utique symptoma à nostrâ hypothesi facilè illustrari potest: etenim Costæ non possunt arcus suos ampliare, nisi musculi intercostales etiam extendantur, at pro concesso habemus,

mus, muſculos dictos, utpote quibus nervi à ſpinali medullâ impertiuntur, non poſſe ob alimenti defectum, elongari; quapropter neque Coſtæ, eoque nec pectus ulteriùs ampliari poſſunt: cùm autem alantur coſtæ, neque tamen à muſculis dictis impeditæ, poſſint ſecundùm longitudinem augeri, neceſſe eſt, ut in nodos, uti fit, excreſcant: at neque hujuſmodi augmentum alimenti copiæ reſpondet; quapropter coſtarum extremitates anteriores ulteriùs adhuc in acumen elongantur; quippe hic unus reſtat iis creſcendi modus, neque enim introrſum inflecti poſſunt, cùm hoc magis adhuc contra naturalem ſitum eſſet.

Ad iſtiuſmodi pectoris anguſtiam haud parum etiam conducunt muſculi Abdominis, qui extenuati, uti diximus, tenſique, coſtas quibus connectuntur, inferiores deorſum trahunt, & ita pectus anguſtant.

Simili planè ratione oſſium cæterorum vitia illuſtrare poſſumus: nempe Articulorum oſſa in Carpis, Taliſque, cùm præ brevitate incurvari nequeant, in nodos protuberant. Sed hæc de oſſium incurvitate dicta ſufficiant.

Sextò Ob prædictam pectoris anguſtiam haud mirum eſt, ſi Pulmones, quibus ſe dilatandi ſpatium non conceditur, ſanguine grumoſo, uti fit, infarciantur, & intumeſcant, hinc nonnunquam iidem purulenti evadunt, & Pleuræ plerunque adnaſcuntur; hinc etiam Aſthma, & ſpirandi difficultas affligunt.

Septimò. Quoad ſummam in hoc affectu corporis imbecillitatem, & ad motum quemvis ineptitudinem, quanquam muſculorum extenuatio ad hoc ſymptoma nonnihil conducit, hæc tamen ſola non videtur ſatis efficax: cùm major ſit, quàm pro muſculorum extenuatione vitium imbecillitas; neque enim ægri pedibus inſiſtere, nec in morbi progreſſu capitis onus ſuſtinere poſſunt. Quapropter tantę imbecillitatis cauſa ulterior inveſtiganda eſt, quæ quidem nihil aliud eſſe poteſt præter Spirituum Animalium defectum, dictas nervorum obſtructiones neceſſariò conſequentem. Spiritus enim Animales non tantùm ad nutritionem, ſed etiam ad motum omnino requiruntur.

Et ita demum morbi hujus ſymptomata à Medullæ Spinalis obſtructione, tanquam à fonte deduximus.

At hic quæri poteſt, quî fiat, quòd ætate grandiores morbo hoc nunquam infeſtentur, cùm illi, æque ac infantes nervorum obſtructiones patiantur, uti in paralyſi, aliiſque iſtius generis morbis contingit? Reſpondeo, quanquam fortè pueruli morbo hoc præcipuè ſunt obnoxii; grandiores tamen hoc affectu ſub diverſo nomine nonnunquam laborare. Quò tamen ſymptomata prædicta quoad maximam partem ſenioribus nunquam adveniunt, non hoc à morbi, ſed ab ætatis differentiâ oritur: Etenim cùm Capitis moles, oſſium incurvitas, & alia nonnulla ſymptomata ab enormi partium augmentatione proveniant, adultos, grandeſcendique apicem adeptos, qui ſcilicet amplius accreſcere omnino non poſſunt, eos enormiter creſcere, omnino impoſſibile eſt: nempe ideo grandioribus morbo hoc laborantibus, non uti pueris plus juſtò augetur capitis moles, quia metam creſcendi jam adeptum eſt caput, quam præterire negant ipſius naturæ leges. Utcunque tamen ſenioribus partes enormiter augeri non poſſint, ſatis tamen ſe morbus prodit, quòd unum in illis poteſt, eaſdem extenuando.

Quoad prognoſin morbi hujus plerumque ex ſe lethalis non eſt: nonnunquam tamen, ingraveſcentibus ſymptomatis, in Phthiſin, Tabem, Febrem Hecticam, Hydropem Pulmonum, aut Aſcitem degenerat, & ita demum fit patienti exitialis. Prognoſis autem facilior ex regulis ſequentibus inſtitui poteſt.

1. Affectus hic, ſi ante partum, aut ſtatim à partu invadat, periculoſiſſimus eſt, & plerumque lethalis.

2. Quò citius à partu morbus hic invadit, eò periculoſior eſt.

3. Quantò magis ingraveſcunt morbi ſymptomata, viz. ſi nimia ſit partium diſproportio, & extenuatio ſumma, eò difficilior eſt curatio.

4. Si affectus hic morbos prædictos ſibi conjunctos habeat, vix unquam in ſalutem terminatur.

5. Quicunque ante annum quintum non curantur, poſtea per totum vitæ ſpatium valetudinarii ſunt.

6. Scabies, aut pruritus morbo huic ſupervenientes, ad ejuſdem curationem multùm conferunt.

7. Quibus morbi ſymptomata non augetur, ſed potiùs minuuntur, non eſt quod de eorum ſalute dubitetur.

Methodus Medendi.

Poſtquam de morbi hujus causâ, & Prognoſi diſquiſivimus, ſupereſt, ut ad ejus præcautionem, & curationem deveniamus.

Quandoquidem ergo affectûs hujus cauſa in obſtructione Spinalis Medullæ, Nervorumque inde oriundorum imbecillitate conſiſtit, præcipuæ Indicationes tam Præſervatoriæ quàm Curatoriæ ſunt; ut Nervi roborentur, & obſtructiones pręcaveantur, aut tollantur. In hunc finem Medicamenta Cathartica, ſanguinis Miſſio, item Digeſtiva, Diuretica, Diaphoretica, & Specifica in uſum vocentur: quorum formulæ, & modus utendi infrà ſubjicientur.

Quod ad morbi Curationem ſpectat, in eadem inſtituendâ à Catharſi incipiendum eſſe arbitror; quæ eò magis in hoc affectu convenit; quia humores Phlegmatici magnâ copiâ in infimo ventre plerunque congeruntur; viſceraque Abdominis tumoribus ſtrumoſis crebrò afficiuntur, Catharſis autem per Enemata, Emetica, aut Purgantia Lenitiva inſtitui poteſt.

Enematum uſus & exempla quædam.

Si Alvus adſtricta ſit, aut inteſtina flatibus, torminibuſve colicis infeſtentur, Enemata frequenter in uſum adhibeantur. Quæ non tantùm ſolutiva, ſed ſubinde etiam ex alterantibus, & corroborantibus componantur. Illorum formulas aliquot ſubjiciemus.

♃. Fol. Malv. m. j. Flor. Melilot. Chamæm. Sambuci an. P. j. Sem. Aniſ. Fœnic. contuſ. an. ʒß. Coq. in lactis vaccin. rec. ſ. q. Colaturæ ℥iv. v. vel vi. adde ſacch. rubr. ſyrup. Viol. vel Roſat. an. ℥j. M. F. Enema Injic. tepidè longe à paſtu.

♃. Rad. Alth. contuſ. Fol. Malv. Parietar. an. m. ß. flor. Chamæm. Sambuci an. P. j. ſem. Carminat. ʒii. Coq. in ſ. q. ſeri lactis ceréviſiati, colaturę ℥v. vel vi. adde Elect. Lenitivi, vel Diacaſſię ℥ß. Butyr. rec. ʒvi. M. F. Enema. Injic. tepidè.

Enemata corroborantia ad hunc modum formari poſſunt.

♃. Fimi equi non caſtrati recent. ℥i. ß. flor. Roriſmar. Salv. an. P. i. baccar. Junip. ʒii. ſem. Aniſ. Fœnic. an. ʒß. digerantur calide, & clauſe cum ſeri lactis ceréviſ. ſ. q. in Colaturę ℥iv. v. vel vi. ſolve ſacch. rubr. ℥i. Butyr. rec. ʒvi. M. F. Enema, addi inſuper poteſt, ſi viſum eſt Mannę. Calabr. ʒvi.

Vel ♃. Millep. lotor. n. 20. vel 30. quibus contuſis affunde ſeri lactis ex vino albo parati ℥iv. vel v. in expreſſione ſolve ſacch. rubri ℥i. Terebinth. Venet. in vitello ovi unius ſolut. ʒi. vel ii. M. F. Enema tepide injiciendum.

Emeticorum uſus & formulæ quædam.

Si ventriculus humoribus vitioſis aggravetur, iique ſurſum tendant, Emetica exhibeantur. In quorum tamen præſcriptione teneræ ætatis ratio habenda eſt.

Vomito-

Vomitoria potius è ſale vitrioli, & vino Scillitico, quàm pharmacis ſtibeatis conſtent; quippe quæ infantibus exhibere non adeo tutum eſt ob convulſionum periculum: quanquam aliquando etiam Emetica ſtibeata ex uſu eſſe poſſunt.

℞. Vini, vel Oxymel. Scillit. ab ℥ß. ad ℥j. quo ſumpto, poſt horę ſ. ſerum lactis Cereviſ. in magnâ copiâ ſuperbibatur, dein digito, vel pennâ gutturi immiſſis, vomitus provocetur, & aliquoties repetatur.

Vel ℞. Oxymel. Scillit. ab ℥ß. ad ℥i. ſi vomitus non ſuccedat, poſt horæ ſ. ſal. vitrioli ℈ß. vel gr. xv. in hauſtu ſeri lactis cereviſ. exhibeatur.

Si vires ferant, Emetica fortiora in uſum vocentur.

Ut ℞. Infuſ. Croci Metallor. per ſubſidentiam optime dupuratæ à ʒi. ad ʒii. pro ratione ætatis, viriumque: Oxymel. Scillit. ʒii. vel ℥ſ. Aq. Jugland. ſimpl. vel Centaur. Minor. ʒvi. m. f. vomitor.

Catharticorum exempla quædam.

Poſt aliquot dies à Vomitorio, aut etiam ſi vomitorium locum non habeat, purgatio lenis inſtituatur, & per intervalla repetatur. Ut

℞. Syrup. Auguſtan. vel è Cichor. cum Rhabarb. à ʒvi. ad ℥i. Cremor. Tartar. gr. x. vel xv. miſce, capiat primo mane, aut per ſe, aut in hauſtu ſeri lactis cereviſiati.

℞. Mann. Calabr. ab ℥ß. ad ℥i. Tartari Vitriol. à gr. v. ad gr. x. miſce, ſumatur mane in juſculo, aut ſero lactis cereviſiati.

℞. Rad. Polypod. querc. Lapathi acut. an. ʒvi. Corr. rad. Sambuci, Ebuli an. ℥ß. rad. Oſmundæ regalis, Filicis mar. Cichor. an. ℥ß. herb. Agrimon. Hepat. Veronic. Ling. Cervin. Aſplenii an. m. ß. Coquant. in aq. fontan. lib. iii. ad tertiæ partis abſumptionem. Liquor coletur in matracium, cui imponantur fol. Sennæ ℥ii. Rhabarb. ℥i. Epithymi, Santali Citrin. an. ʒii. ſem. Aniſ. Fœnic. an. ʒi. Sal. Abſynth. ʒi. ß. f. infuſio calida, & clauſa per horas 12. Colaturæ per ſubſidentiam depuratæ, adde ſacchari æqualem quantitatem, & ſola ſacchari diſſolutione, aut leni ebullitione f. ſ. a. ſyrupus. Doſis cochlear. j. ad iii. vel per ſe, aut in liquore appropriato.

Vel Infuſioni ſuperiori purganti adde Caſſiæ, & Tamarindor. cum parte infuſionis ejuſdem extract. Mannę Colatæ, ſacchar. opt. an. ℥i. ſ. Evaporent leni calore ad conſiſtentiam electuarii. Doſis qu. nucis Jugland. plus minus pro ratione operationis.

℞. Specier. Hier. picr. ſimpl. ʒj. Rhabarb. opt. pulv. ʒſ. Tartar. Vitriol. ℈i. Gum. Ammon. in aceto ſolut. gr. xv. cum ſ. q. Elixir propietat. Paracel. f. Maſſ. Pil. cujus ℈ß. ad ℈i. in exiguas pilulas formetur, & exhibeatur horâ ſomni.

Bocherum ex Rhabarb. & ſant. citr. in aquis deſtillatis idoneis fact. ex uſu eſſe poteſt.

Si æger vermibus, aut Strumis, afficiatur, aut Luis Venereæ ſuſpicio fuerit, bolus ſequens per intervalla exhibeatur.

℞. Mercur. dulc. à gr. 6. ad x. Reſin. Jalap. vel Scammon. gr. ij. ad iv. ol. Junip. Chym. gutt. j. F. Pulv. qui cum pulpæ pomi coct. aut conſerv. Viol. ʒi. in bolum redigatur. Capiat primo mane.

Vel ℞. Mercur. dulc. gr. vi. ad x. Conſerv. flor. Cichor. ʒß. m. f. Bolus. Detur primo mane, ſuperbibendo mox ſyrupi, vel infuſionis purgantis doſin idoneam.

Remedia Chirurgica.

Poſt purgationem leniter inſtitutam, ſi æger temperamento ſanguineo præditus ſit, ſanguinis miſſio locum habet. Empirici noſtrates ſcarificatione in conchâ aurium factâ, ſanguinem parvâ quantitate detrahere ſolent; quam operationem potiùs cultello obtuſiore, quàm ſcalpello acutiore perficiunt; idque bis aut ter, interpoſitis ſeptem circiter dierum intervallis, repetunt. Quanquam Practici ſcarificationem hujuſmodi multùm celebrant, neſcio tamen annon Hirudines æque, aut etiam magis prodeſſent. Neque enim metuendum eſſe arbitror, ne hirudines ſuctione ſuâ affluxum ſanguinis majorem verſus caput efficerent. Etenim quicquid ſanguinis ob earum ſuctionem ad partem, cui admotæ ſunt, accedit, idem ipſa ſuctione evacuatur; & quoad majorem ſanguinis affluxum, qui proper vaſorum depletionem efficitur, iſte etiam in venæſectione locum habet,

Fonticuli inſuper in hoc affectu opem egregiam prętſtant, pręſertim verò fontinella inter primam & ſecundam colli vertebras excitata; ita enim eadem ad morbi originem appoſita, majoris efficaciæ erit. Fonticulorum autem utilitas in eo conſiſtit, quòd iidem ad ſuperfluam Cerebri ſeroſitatem evacuandam, proindeque ad magnitudem ejus enormem imminuendam, item ad nimiam Spinalis Medullæ humiditatem reſiccandam, & conſequenter ad Nervos inde oriundos corroborandos maxime conducunt. Fontinellę vicem Setaceum ſupplere poteſt.

Quoad Veſicatoria, minime dubitandum eſt, quin ea ſuper vertebras colli, aut pone aures appoſita, levamen allatura ſunt. Verùm vis eorum ſubitò exeritur, & frequens eorum uſus pueris nimis moleſtus, & dolorificus eſſe videtur.

Cucurbitulę inſuper ſine ſcarificatione ſecundùm ſpinę longitudinem applicatę, ad temperiem humidam, frigidamque ſpinalis medullę corrigendam, nervorumque torporem tollendum haud parvi momenti eſſe videntur. Imo nonnunquam eaſdem etiam cum ſcarificatione leviori juxta ſupremas colli vertebras applicandas eſſe arbitror.

Alterantia Specifica.

Præter Catharſin, & remedia Chirurgica, alterantia inſuper Specifica uſurpentur, quibus interdum Diaphoretica, & Diuretica adjicienda ſunt; quorum exempla quędam ſubjiciemus.

Remedia Specifica, quę ad affectum hunc impugnandum pręcipue idonea comperiuntur, vel ſimplicia vel compoſita ſunt; & quidem inter ſimplicia maxime probantur ſequentia. Lignum Guajacum, & ejus cortex. Saſſafras. lign. Lentiſcinum. Roſmarin. Partes nodoſę lign. Abietini. rad. Chinę. Sarſaparil. Tria Santala; rad. Oſmundę regalis, ſeu potius ſpicę rad. ejuſdem; rad. Filicis maris, vel potius gemmę vix dum è terrâ erumpentes. Rad. Graminis; Aſparagi, Eryng. Cichor. Bardan. Cort. rad. Capparum; Herbæ capillarēs, imprimis Trichomanes; ceterach. Ruta muraria; Ling. Cervin. Hepatica. Veronica mas. Agrimonia; Becabung. Naſturt. aquat. Fol. & Flor. Salvię, Roriſmar. Betonicæ, Lamię, Tamariſci. Item chalybis præparat. ut ejus ſal, Vitriolum. Tartarum; caſtoreum, Flores ſulphuris; Vermes Terreſtres; Millepedes pręparati, & ſimilia.

Ex quibus compoſita ad hunc modum formari poſſunt.

℞. Spicar. rad. Oſmund. regal. vel rad. Filic. mar. aut Gemmarum rad. ejuſdem vix dum è terra erumpentium m. i. Coquantur in lactis, vel aq. font. ℔. i. ad tertię partis conſumpt. Colatura ſaccharo edulcoretur, & ſumatur bis, aut ter in die.

℞. Fol. Teę ʒi. flor. ſalv. Beton. an ʒß. quibus vaſi idoneo impoſitis, ſuperfundatur aqua, quę aliquandiu ferbuerit, ad lib. j. infundantur clauſe, & tepide per horam circiter unam, colatura ſaccharo edulcoretur, & bibatur ut ſuprà.

Boche-

Bochetum, è Rad. Chin. Sarsapar. & Sassafras aq. fontan. incoct. ex usu esse potest.

℞. Spicar. rad. Osmund. regal. rad. Bardan. Gramin. Cichor. an ℥i. Herb. Veronic. mar. Agrimon. ling. Cervin. Hepat. Capil. vener. an. m. ß. rasi. C. C. Ebor. an. ℥ß. Passul. exacin. ℥i. coquantur in aq. fontan. ℔. iv. ad tertię partis consump. adde vini alb. vel Rhenani lib. ß. & statim coletur in vas idoneum, cui imponantur, Fol. Beccabung. Nasturt. summit. Abietis an. m. ß. Baccar. junip. ℥ß. F. infusio tepida, & clausa per horas circiter duas. Colatura servetur vitris occlusis, & edulcoretur pro libitu. Dos. ℥ii. vel ℥iii. horis medicis.

℞. Lign. Lentiscin. Rosmarin. rad. Sarsaparil. Osmund. regal. vel Filic. mar. an. ℥iii. Herb. Agrimon. Capil. Ven. Veronic. Ling. Cervin. Salv. Beton. an. m. ii. summitat. Abietis. Tamarisc. an. m. j. coquantur in cerevisiæ non lupulatæ cong. iv. ad unius consumptionem, colatura fermentetur, & in doliolum reponatur, in quo suspendatur sacculus ex telâ rarâ confectus, & sequentibus repletus, viz. Milleped. in vino alb. lotor. & leviter. contus. n. 200. Baccar. Junip. ℥ii. Nuc. Myrist. incis. n. ii. unà cum frustulo chalybis ad sacculum submergendum. Si scorbuti suscipio sit, vasi insuper imponi possunt, Fol. Beccabung. Nasturt. aquat. an. m. ii. maneant per septimanas circiter duas, dein liquor sumatur pro potu ordinario.

℞. Conserv. rad. Cichor. Flor. Beton. an. ℥i. Conserv. Anthos, flor. Tamarisc. Flaved. Limon. an ℥ß. Myrobal. condit. n. ii. Pulv. è Chelis Cancror. compos. ʒi. Cremor. Tartari, flor. Sal. Armoniaci an. ʒß. santali Citrin. ℈i. cum syrup. de Coral. s. q. f. Elect. capiat qu. nuc. Moschat. mane, & horâ quintâ pom. superbibendo liquoris appropriati haustulum.

℞. Pulv. Milleped. præpar. ʒii. Nuc. Myrist. ʒß. flor. sal. Armoniaci ℈ii. f. Pulvis Dos. gr. viii. ad xv. in Apozemate, Jusculo, aut liquore quovis convenienti.

Pulvis iste cum Balsami Capiv. q. s. in mas. Pil. redigi potest, quæ in pilulas exiguas formetur. Dos. circiter ℈ß.

℞. Rad. Osmund. regal. vel Filic. mar. ʒiß. rad. Pæon. Mar. ʒi. lign. sassafras. santali citrin. sem. Nasturt. aquat. an. ℈i. flavedinis Aurant. Condit. ʒii. f. Pulvis. Dos. ℈ß. ad ℈i. ut suprà. E pulvere præscripto cum sacchari albi in aq. Cerasor. nigr. solut. & ad Tabulat. cocti septuplo, Tabulæ formari possunt, quæ singulæ pendant ʒi. Capiat ʒß. ad ʒi. bis in die superbibendo liquorem appropriatum.

℞. Rad. Ari, Pæon. Mar. Osmund. regal. vel Filic. mar. an. ℥iv. fol. salv. Beton. Rorismar. Nasturt. aquat. Beccabung. Veron. Mar. Hepat. summit. Abietis an. m. 3. jugland. virid. lib. ß. Millelep. lotor. ℥iii. Lumbric. mundat. lib. j. Castor. opt. ʒi. Incis. & contus. affunde seri lactis ex vino alb. parat. lib. vi. destillentur Communi destillatorio, liquor totus misceatur. Dos. ℥j. ad ℥ii. bis in die post dosin medicamenti solidi.

Inter remedia, quæ in hoc affectu probantur. Celebratissimum est illud à Nob. D. Boyle inventum, cui nomen est Ens Veneris. Componitur è Sale Armoniaco, & Colcothare edulcorato, bis aut ter simul sublimatis, dos. gr. iii. ad vi. in convenienti liquore horâ somni. Medicamenti istius efficaciam à sale Armoniaco præcipue oriri existimo; utpote quod ob summam partium suarum tenuitatem ad obstructiones morbum hunc efficientes, tollendas maxime idoneum est. Et utique probabile est Flores salis Armoniaci æque, aut etiam magis in hoc affectu profectutos esse: quippe dum sal Armoniacum unà cum Colcothare sublimatur, Sulphur quoddam narcoticum Colcotharis, indolis Terreæ, aut Cupreæ unà cum sale Armoniaco in altum ascendit. Sulphur autem istiusmodi morbo huic minus convenire videtur.

Sal quoddam atrificiale indolis Armoniacalis virtutisque egregiæ ad hunc modum componi potest.

℞. Sal. volatil. C. C. Sanguinis, aut Urinæ s. q. quibus phialæ oblongæ immissis, sp. sal. rectificat, aut etiam sulph. per Campan. rectific. guttatim affundatur, quousque ebullitio non amplius excitabitur: sal hic resolutus, per filtrum trajiciatur, & leni calore ad siccitatem salis abstrahatur. Dos. gr. 3. ad. vi. primo mane, aut horâ somni in liquore appropriato.

Porrò ea, quæ Sale Volatili purè salso constant, in morbo hoc opem insignem præstant; in quorum censu sunt, Sp. Sanguin. Corn. Cerv. Sal. Armoniac. & similia: præsertim verò spiritus isti succino, aut Castoreo impregnati.

Elixir Propriet. cum tinctura salis Tartari, aut etiam modo vulgari præpar. subinde in usum vocetur; utpote quod non tantùm digestivum optimum est, sed idem insuper vermibus necandis, & corruptioni humorum impediendæ, alvoque leniter subducendæ idoneum est. Dos. gr. vi. ad x. in Coch. ii. liquoris idonei.

Si pulmones humoribus viscidis, (ut crebro assolet) infarciantur, & Mesenterium glandulis strumosis afficiatur, Balsamum sulphuris exhiberi potest. gutt. 3. aut 4. in convenienti liquore, aut syrupo sumantur.

Nonnunquam etiam chalybis usus convenit, utpote qui virtute insigniter aperiente donatur, idemque non tantùm coctionem juvat, sed etiam viscerum tonum firmat, roboratque; verùm illius usus non sine cautione instituendus est, etenim in Tussi, Pleuritide, Infarctu Pulmonum, Febre Hecticâ, morbisque id genus aliis à Chalybis usu omnino abstinendum est.

Medicamentis prædictis Diaphoretica nonnunquam adjiciantur. Veluti decoctum Guajaci, idque genus alia, quæ in lecto sumantur, & sudor pro virium ratione promoveatur.

Huc quoque referre possumus Balnei usum sive naturalis, veluti Thermarum Bathoniensium, quæ sudorem provocando, nervisque roborandis in hoc affectu multùm probantur. Et quidem observatione frequenti expertus sum, quod ad abdominis intumescentiam, quæ in morbo hoc valde insignis esse solet, tollendam, Thermarum prædictarum usus maxime conducat. Balnea etiam artificialia ex herbis cephalicis & Tartaro vel Nitro aquæ incoctis, ex usu esse possunt.

Fomentatio sequens multùm probatur. Nempe ægro in vase satis amplo collocato, hordeum fermentatum, quod in aquâ coctâ aliquandiu infusum est, (ut in cerevisiâ conficiendâ fieri assolet) eidem circumcirca tepide apponatur, maneatque æger eodem pene opertus ad sudoris provocationem.

De Symptomatis.

Symptomatum insuper morbo huic supervenientium ratio habenda est, ex quibus maxime frequens est Alvi fluxus: ad cujus curationem Carthartica leniora, veluti infusio Rhabarb. Tamarindor. & Santalor. vel bolus ex iisdem compositus, præcipue conducit; Quinetiam nonnunquam ad adstringentia, & opiatas blandas, purgatione tamen & aliquando etiam vomitu præmissis, deveniendum est, quorum for

mulas passim apud authores reperire est.

Sudor insuper immodicus in affectu hoc affligere solet. Qui si paroxysmo febrili superveniat, criticus esse possit; neque temere cohibendus est. Si tamen idem inordinate, & præter causam fluat, indicium est, corpus humoribus cacochymicis gravatum esse: proindeque sudor istiusmodi purgatione blandâ per intervalla repetenda corrigendus est; purgatio autem præcipue è Rhabarbaro instituantur; Nonnunquam etiam vomitus hîc conferre potest. Neque aperientia, & coctionem juvantia omittenda sunt.

Porro Dentitio laboriosa morbo huic familiaris est, quæ haud raro febrem inducit. Quo casu, evacuatio lenis præsertim per Clysteres fiat: quanquam aliquando, Purgatio, & etiam Vomitus (qui leniter provocatus multum probatur) ex usu esse possunt. Si dens gingivam perturaturus sit, solent nutrices eumdem frusto Corallii politi perfricare: cujus tamen vicem radix Altheæ, aut Lapathi acuti supplere potest. Quinetiam aliquando consultum erit, viam denti erupturo sectione aperire. Item emplastra epispastica pone aures applicata levamen afferunt. Si tamen dolor, & vigiliæ urgeant Hypnotica, veluti Syrupus de Meconio ad ʒi. vel ii. exhiberi potest.

Præter medicamenta interna & præsidia Chirurgica, etiam externa usurpentur. Ex quorum censu sunt Exercitia cujuscunque generis. Si vires ferant, obambulatio crebro in usu sit. Aut saltem pueruli sedentes ludant; & gestatione in ulnis nutricum, & cunarum jactatione exerceantur. Exercitio enim sanguinis & insuper spirituum animalium influxus ad partes musculosas promovetur; unde calor in iisdem elanguescentibus excitatur: porro cruoris massa musculorum constrictione in motum velociorem cietur; eademque in pulmonibus ob respirationem in exercitiis intensius institutam, subigitur, & particulis fermentativis impręgnatur; cùm tamen è contra sanguis otio diuturniori grumosus evadit, proindeque obstructionibus efficiendis aptior fiat.

Porro Frictiones in morbo hoc curando haud parvi momenti sunt, quæ cum pannis laneis calefactis fiant. Partes fricandæ sunt Spina, quæ ut supra ostensum est, primario laborat; item partes musculosæ; hâc tamen cautione, ut qua parte ossa prominent, à frictione abstineatur; partes autem ossium concavæ liberiùs fricentur; cujus ratio superiùs assignata est.

Huc etiam spectat Hypochondriorum contrectatio, quâ viscera modò sursum modo deorsum premantur, intrudendo nonnunquam digitorum apices sub costis nothis: hac etiam ratione cavetur, ne Hepar, cæteraque viscera præternaturalem quamvis adnascentiam, cum Peritoneo, aut aliàs patiantur; quæ in affectu hoc ob tensionem Hypochondriorum haud raro accidit.

Ligaturæ insuper emolumentum adferunt, quæ cruribus supra genu, item brachiis supra cubitum adaptandæ sunt. Verum oportet eas satis laxas mollesque esse; ut ita incremento partis, cui applicantur, non obstent: ligaturarum autem utilitas in eo consistit, quod eædem ad sanguinis affluxum à capite revellendum, eumque versus partes extenuatas deducendum conducunt.

Huc quoque referenda est certarum partium fasciatio; uti etiam ocreæ fibulatæ, quæ non tantum ad partes obfirmandas, sed insuper ad incurvitatem ossium, Articulosque inflexos reducendos, haud parum conferunt. In harum autem usu curandum est, ut premant aliquantulum protuberantem ossis partem, Cavam autem vix tangant.

Ad corporis truncum erigendum Thoraces è duplici panno consuti conficiantur, asserculis ossis Ceti densè interpositis; qui Corporibus infantum ita adaptentur, ut Spina erecta sistatur, ossaque prominentia reprimantur.

Neque hic omittenda est artificialis corporis suspensio ope instrumenti cujusdam penduli ex fasciis ita formati, ut pectus sub axillis complectatur, caputque sub mento alia fascia circundet, manusque binis ansis excipiat; quo corporis onus partim à pueri manibus, partim à capite, partimque ab axillis sustineatur.

Subjiciamus nunc postremo nonnulla de iis quæ extrinsecus applicanda sunt.

Fomentatio ex vino cujuscunque generis, uti etiam ex aquâ vitæ vulgari ad partes nervosas corroborandas multum confert, quæ partibus debilitatis, Spinæ vero præsertim applicetur: quâ peractâ, partes istæ oleo, aut unguento idoneo inungantur, de quibus postea. Loco vini decoctum sequens usurpari potest, ut

♃. Rad. Osmund. regal. aut Filic. Mar. an. ℥iii. Fol. Beton. Salv. Rorismar. majoran. Nasturt. aquat. an. m. j. flor. Chamæmel. Melilot. Sambuci an. P. i. Baccar. Lauri, Junip. an. ℥ß. Coq. in aq. font. s. q. ad lib. ii. adde vini albi, vel aquæ vitæ vulg. lib. j. Colatura usui servetur.

♃. Fol. Sambuci, Lauri, Majoran. salv. Rorismarin. Beton. summitat. Lavendulæ an. m. ii. Baccar. junip. lauri an. ℥i. incisa & contusa vasi idoneo indantur cum butyri Maial. vel butyr. recent. non saliti, lib. iii. & aquæ vitæ lib. ss. Coqu. lentè ad aq. vitæ consumpt. Expressioni adhuc calidæ adde ol. nuc. Myrist. per expressionem ℥ß. Balsam. Peruv. ʒi. Misce F. Unguentum, loco butyri maialis substitui potest medullæ Povinæ, vel sevi Cervini, & Ol. Lumbricor. vel Vulpin. an. lib. i. ß.

Unguenta tepide coram igne luculento applicentur, & calidâ manu ad siccitatem usque affricentur: quò autem magis penetrent, liquoris appropriati aliquantulum iisdem tempore usus admisceatur.

Si Abdomen tensum, tumidumque sit, unguentum sequens applicetur.

♃. Ol. de Cappar. Absinth. Sambuc. an ℥i. ung. de succis aperit. vel unguent. supra præscript. ℥i. ß. Gum. Ammoniaci in aceto solut. ℥ß. F. linimentum: cui tempore usus portiuncula liquoris sequentis admisceri potest.

♃. Rad. Bryon. alb. ℥i. fol. Absinth. Centaur. Salviæ an. m. j. Flor. Sambuci, Melilot. an P. j. Baccar. Lauri, Juniper. an. ʒii. Coqu. in aq. font. lib. iii. ad dimidias, adde vini Rhenani lib. ß. Colatura usui servetur.

Dum unguenta Hypochondriis applicantur, viscera manu nutricis contrectentur, ut supra dirigitur.

Emplastra insuper hic conferre possunt.

Ut ♃. Emplastr. de Melilot. compos. s. q. extendatur super alutam & Hypochondriis applicetur. Si tumor juxta regionem Hepatis fuerit, adde Emplastri prædicti ℥i. Santal. Citr. pulv. ʒi. ol. de Absinth. & ceræ s. q. pro emplastro conficiendo.

Vel ♃. Succ. Beccabung. Nasturt. aquat. Sambuci, Absinth. an. ℥i. Succi depurati lento calore ad consistentiam extracti redigantur, quibus adde Gum. Ammoniaci in vino solut. & ad spissitudinem cocti ℥ii. Terebinth. Venet. ℥j. sant. Citrin. pulv. ʒii. ol. de Cappar. & Ceræ s. q. f. Empl. applicand. ut supra.

Si Pulmones afficiantur, Pectus unguento Pectorali, vel Dialthææ, vel utrisque commixtis inungatur, quibus tempore inunctionis admiscendum est aliquid Ol. Nuc. Myrist. per express.

Vel ♃. Glycyrrhizæ rec. ℥iv. Butyr. rec. non salit. lib. i. Contundantur simul in mortario lapideo, & macerentur calore Balnei per horas 4. dein exprimantur; idemque labor ter iteretur cum pari quantitate novæ Glycyrrhizæ. Unguentum s. a. depuratum, usui serve-

servetur. Cui tempore usus unguent. Pector. æqu. quant. cum ol. nuc. Myrist. per express. parum admisceatur.

Quoniam morbus hic à Medullæ Spinalis obstructione, & debilitate oritur, Fomentationes & unguenta corroborantia, qualia jam ante præscripta sunt, eidem applicentur, Balsamum de Tolu in parva quantitate admisceri potest. Emplastra insuper hic conferunt: qualia sunt, Empl. Nervinum, vel de Betonicâ, uti etiam sequens.

♃. Unguentum primò præscript. ℥ ii. Gum. Ammon. in vino solut. Pic. Burgund. an. ℥ß. Mastich. Oliban. Carann. an. ʒii. Castor. ʒß. Lumbricor. præpar. ʒiß. Sal. Armoniac. ʒii. Ceræ s. q. pro emplastro conficiendo. Hujus portio sufficiens extendatur super alutam, cujus figura variari potest; etenim prout partes superiores, aut inferiores infirmæ sunt, Emplastrum superiori parti Spinæ, aliquando etiam secundum ejus longitudinem applicandum est. Atque, hæc de Methodo Medendi. *Hactenus Joh. Mayow dissertatione de Rachitide.*

Sequatur jam Praclariss. Franciscus Glissonius, qui de Rachitide hæc habet.

Materia Chirurgica in hoc affectu communiter recepta ac probata, & præ cæteris famosa, duplex præsertim sese offert: scarificatio aurium & fonticulus. De pluribus verò aliis (ut infra videbimus) inquisitio instituetur, videl. de cucurbitulis, de sanguisugis, de vesicantibus, de ligaturis & fasciis. Venæsectionem verò ipsam vires non tolerant, ut cuivis facilè innotescit, qui ad ætatis fragilitatem, habitus partium extenuationem, venarumque gracilitatem attendere velit.

Agmen ducet scarificatio aurium. Empirici nostrates, qui hunc affectum tractant, eam pluris faciunt quam quis facile putaret. Solemniter quippe in sua praxi eam celebrant, absque ea vix felicem curationem sperant, nos verò, licet hoc remedii genus non improbemus, vidimus tamen absque ejus usu nonnullos pueros feliciter sanatos, & illi ipsi qui ei plurimum tribuunt, maxima ex parte vix notabilem quantitatem sanguinis eliciunt, aliqui tamen testantur se vidisse satis largam sanguinis copiam cum euphoria hac operatione eductum: utut sit, credibile est eos pueros facilius hoc remediũ ferre, plusq; emolumenti ex ejus usu obtinere, qui sanguinei sunt & habitiores, quippe Alogotrophia potius quã Atrophia, aut tabe, aliave magna partium extenuatione detinentur. Practici nostri bis vel ter, interpositis septem circiter dierum intervallis, hanc operationem repetunt rariùs lanceola, aut acutiori scalpello, frequentius ordinario obtusiorique cultello id perficiunt, nihil dolorem ejulatumque infantis morantes. Porro in concha aut utplurimum hanc scarificationem instituunt; aliqui verò eam ad interiorem alæ sive pinnæ aurium circumferentiam, imò ad Helicen usque extendunt. Nemo hactenus, quod scimus, posterioris lateris auriculæ scarificationem tentavit: quamvis revera haud obvium sit rationem reddere, cur illic administrata, non minus conduceret quam in ipsa auris concha.

Adferre tamen libet conjecturam saltem nostram, cur concha auris præ cæteris ejus partibus ad hanc operationem eligatur, quam tamen nondum confidenter adstruimus; etsi probabiliter ad minimum sustinere posse putemus, modò verum sit id, quod diligentissimus *Fabritius Hildanus* (*observ.* 4. *cent.* 1.) de nervo quinti paris retulit: huic enim observationi conjectura hæc funditus innititur, eaque fortè vacillante unà corruit. Conjectura ipsa hæc est. Suppositis distributione & usu nervi quinti paris loco citato memoratis scarificatio in concha auris commode cum liberare istum nervum à qualicunque oppressione, tum torporem ejusdem excutere, eique vigorem præstare potest. Est enim concha auris locus ei proximus, quam ferro licet attingere. Quare evacuatio hîc facta materiam prementem ferè originem illius nervi, immediatè derivare, simulque dolorem inferendo, caloremque augendo, qualemcunque torporem ejusdem excutere, vigoremque ei addere poterit. Si ergo nervus hic (ut ibidem asserit celeberrimus ille Chirurgus,) aut pars ejus ad spinalem medullam distribuatur, neque spinalem medullam unquam deserat, sed continuè ramulos cum nervis spinalis medullę ad aurium & pedum extrema emittat; facile concedi potest, nervum hunc ab obstructione esse liberatũ, excitatũ, ac vigorẽ nactũ, ipsam spinalẽ quoq; medullam omnesq; inde ortos nervos, quos ex ista sententia ad extrema concomitatur, nonnihil excitare, iisque vigorem aliquem imprimere. Quare necesse est scarificationem hoc loco factam, in concha nempe auris, longe majoris esse efficaciæ, quàm si in ulla parte ejusdem auris à nervo quinti paris remotiore administraretur. Idem fere dici potest de vulnusculo hic facto per obtusiorem cultellum. Etenim affirmant nonnulli practici præstantiam hujus operationis non tam quantitatem sanguinis extrahendi, quam doloris in ista parte excitationem respicere: quod ad excitationem vigorisque conciliationem nervo quinti paris facilè quis reducat.

Sed missa hac conjectura, alias proponamus considerationes, quarum respectu scarificatio hæc ex usu esse possit in hoc affectu.

1. Hinc obtinemus particularem quandam capitis evacuationem, quæ pars, si quæ alia, in hoc morbo particulari plenitudine gravatur.

2. Ipsa sanguinis evacuatione ejusdem crassitiem & viscidìtatem nonnihil corrigimus, adeoque æqualiorem ejus distributionem, æqualioremque partium nutritionem, promovemus.

3. Hinc nonnihil excutimus partium torporem.

Notandum, hanc operationem, quum evacuationem particularem & topicam præstet, non simpliciter primum locum in methodo curandi mereri, sed præmissis universalibus, suo loco subsequi debere.

Denique ridiculum quid, & superstitiosum sapit, quod aliqui in hujus scarificationis administratione factitant; dum dextræ auris sanguinem lanâ exceptum sinistrô hypochondrio, sinistræ dextro alligant. Hæc de aurium scarificatione.

Fonticulus in hoc affectu multũ probatur, atque hôc solô ferè præsidiô nonnullos pueros liberatos fuisse novimus. Etenim non tantum ea omnia præstat, quæ scarificationi aurium modò adscripsimus; sed & specialiter Hydrocephali cùm potens curativũ, tum præservativũ remedium est, & ad enormem capitis magnitudinem paulatim imminuendam, ejusque superfluam serositatem evacuandã, tum inordinatum ossium augmentum reprimendum multum conducit. Manifestè quoque nimiam spinalis medullæ humiditatem exsiccat, calorem suscitat, nervos roborat, eorumque torporem excutit.

Quum verò hoc remedii genus per se ulcus quoddam sit, & nonnihil doloris puello gestanti inferat, nutricique insuper aliquid molestiæ indies creet, non id præscribendum, nisi ea morbi magnitudo sit, ut eam aliis remediis, absque hoc satis domari posse vix speremus.

Excitandus est fonticulus inter secundam & tertiam colli vertebram. Aliqui eum cauterio actuali inurunt, sed hunc modum ob doloris vehementiam minus probamus: alii cauterio potentiali; sed neque hic arridet, quod caustica infantuli naturæ nimis sint adversa,

& nescio quid venenosi insinuent, spiritusque saltem nimiopere dissipent, partesque debilitent. Probamus ergo potius fonticuli excitationem per simplicem incisionem acuto scalpello factam.

Aliqui utuntur forcipe ferreô in hunc usum concinnato, quô cutem, locô incisionis, prius atramento notatô, comprehendunt, moderataque compressione sensum partis obtundunt, dein per forcipis medium quod oblongo foramine pertusum est, scalpellum adigunt, incisionemque perficiunt. Factô vulnere pisum seu artificiale, seu naturale intrudunt, superimpositô emplastrô digestivô; huic chartam vel linteum multoties complicatum imponunt, eique scutum parvulum ex materia aliqua solida factum adhibent, cui fasciæ quatuor assuuntur, quarum duæ superiores fronti circumductæ aciculis capitis integumentis annectuntur; quæ inferiores involucris pectoris similiter aciculis affiguntur, atque hôc modô deligatô vulnere pisum non excidit, sed fonticulum format. Aliqui locô fonticuli setaceum surrogant, quod non plane improbamus, nisi quod nimis molestum ac dolorificum videatur, solusque fonticulus utplurimum sufficiat. Hæc de fonticulis, sequuntur jam aliæ nonnullæ Chirurgicæ operationes examinandæ.

Primô locô hirudines se offerunt. Harum certè applicatio quid in hôc morbô curandô præstet, vix dum satis experti sumus. Si rationem solam consulamus, suspicamur plus damni quàm emolumenti ab hoc remedio exspectandum esse: etenim si alicui capitis parti admoverentur, ob continuam suctionem facilè effluxum sanguinis eò versus concitatiorem efficerent. Sin aliis partibus applicarentur, sanguinem à partibus ejus inopiâ priùs laborantibus detraherent.

II. Cucurbitulas non tam noxias quam inutiles existimamus. Equidem eas quæ cum scarificatione adhibentur planè rejicimus, non tantum argumentis modo allatis de sanguisugis ducti, sed & metu dejectionis virium ob dolorem, & administrationis molestiam, moti. Cucurbitulas sine scarificatione, ut dicere cæpetamus, neque vires, neque morbus, ejusve causæ videntur respuere. Verùm tamen parum hæ efficaces sunt, & perpendendum relinquimus, an utilitas, qualis qualis, ex earum usu emergens, applicationis molestiam satis compenset.

Nihilominus fieri potest, ut respectu alterius morbi conjuncti earum usus alicujus sit momenti: ut in pleuritide, phrenitide, atque ubi imminet periculosus aliquis fluxus in partem quandam principem. In quo casu, forsan istæ, quæ cum scarificatione adhibentur, in grandioribus & robustioribus puellis admitti possint. Applicentur autem vertebris colli, humeris, natibus, interioribus femoris partibus, plantis pedum, aliisque locis, prout peculiaris affectus complicatus postulaverit.

Notandum interim in tam tenera ętate, multò minores eligendas esse cucurbitulas, easque minori cum flamma admovendas, quàm alias in adultis solent, scarificationemque, si omnino admittatur, leviori manu indigendam esse.

III. Quod ad vesicatoria attinet, licet eorum etiam usum nondum satis experti simus, & licet tum σηπτικὰ, quod partes eliquent; tum καυστικὰ, quòd altius penetrent, crustamque inducant, ab hoc affectu arceamus: illa tamen πυρωτικὰ, quæ vesicas tantum in cute excitant, utiliter interdum admitti posse conjectamus.

Dicas, cantharides (è quibus fere conficiuntur) impense esse calidas, & præterea venenosæ cujusdam qualitatis suspectas.

Respondemus, ne quid de cantharidum qualitatibus hic interseramus, concedimus id quod asseritur: verùm cum externæ tantum cuticulæ, & particulæ ejus non adeò extensæ adhibeantur, & cum statim excitata vesica amoveantur, earum caloris excessus, virusque, vix ultra cuticulam altius in corpus penetrat, adeoque sine notabili detrimento, remedium hoc adhiberi potest. Sed quęras, quid hinc commodi expectare liceat? dicimus, efficaciter intemperiem frigidam & humidam corrigere, torporemque spinalis medullæ, cerebri, nervorum, partiumque nervosarum excutere, simulque omnes partes firmiores ac rigidiores præstare, pulsumque fortiorem in externis partibus proritare: quæ omnia in hujus affectus curatione non parvi sunt momenti.

Aliquis nostrûm testatur se bienni puello, qui hoc morbo affectus, in febrem quoque continuam & malignam inciderat, quique jam prope phreneticus factus fuerat, præscripsisse inter alia vesicatorium vertebris colli adhibendum. Manifestum hinc levamen puellus mox sentire visus est. Postea bis vel ter infusione Rhabarbari &c. purgatus, præter omnium expectationem, fere absque aliis remediis hunc affectum quoque excussit. Verùm enim vero ut vix reperias commodum, quod nulla secum incommoda trahat, ita neque hoc remedium ab omni parte culpâ suâ vacat. Molestum quippe & dolorificum atque ingratum pueris est: eorum porro lusus & exercitia ad tempus interturbat; cujus rei respectu, nisi forte alius morbus complicatus exercitia unà interdixerit, vix plus utilitatis, quam damni præstare poterit. Ad hæc, vis ejus subito exeritur, & mox paulatim exhausta est, quod non usquequaque chronico morbo quadrat. Denique Fonticulus, qui chronicis morbis proprius est, in hoc affectu ejus vicem supplere posse videtur. Quocirca, vix medicamenti vesicatorii applicationem in hoc curando morbo admittimus, nisi acutus una complicetur morbus, qui sui causâ hoc remedii genus exigat; ut in casu modo proposito evenit.

Ubi autem res postulat, ut applicetur vesicatorium commodissime id fieri posse videtur super vertebras colli, nisi fortè fonticulus excitatus locum præoccuparit; in quo casu, vel pone aures, vel quatuor digitos infra fonticulum admoveatur. Non negamus, illud, respectu aliorum, aliis atque aliis locis adaptari posse: hic vero designamus locum, qui maxime respiciat præsentem morbum.

IV. Ligaturæ quoque ad hunc titulum referri posse videntur, & quidem concedimus eas aliquando in hoc affectu non planè esse inutiles, nimirum, si eæ valde moderatæ, si per justa intervalla, si locis convenientibus adhibeantur; verùm cavendum, ne incremento partis, cui applicantur, obstent; quod fit, si satis laxæ sint, si ex lanâ molliori confectę, si interdiu aut aliquâ diei parte, leviterque constrictæ, noctu verò solutę, si cruribus supra genu, brachiis supra cubitum adaptentur.

Videntur autem ligaturę hic conducere ad sanguinis affluxum à capite revellendum, eundemque versus partes extenuatas externasque & extremas promovendum; præterea ad nimis lubricum sanguinis regressum in illis partibus, quibus adhibentur, retardandum.

V. Huc quoque spectat certarum partium fasciatio, quippe quæ cum ligaturis affinitatem habet. Solent enim ad firmandas partes earumque calorem fovendum fasciis laneis eas involvere; pedes nimirum, tibias, genu, & vicinas femoris partes. Cavendum verò ne eæ nimis strictæ liberâ partium accretionē impediant.

Alii loco fasciarum ocreas fibulatas panno lineo succintas conficiunt; has vero non sola firmitatis, aut caloris gratiâ, effingunt, sed etiam ad curvitatem ossium reducendam, vel ad inflexos articulos erigendos. Aliqui ferulas addunt, aut particulas fissis ossis ceti.

Verum tria potissimū in harū structura sunt notanda.

1. Ut

1. Ut premant aliquantulum extantem & convexam oſſis partem.

2. Ut cavam vix tangant, quin potius à compreſſione defendant.

3. Ut parti bene adaptatæ, & articulorum motum quàm minimum impediant.

In hunc finem iſtę ocreæ anteriori parti qua genu ſpectant, tranſverſim ſecari poſſunt, ſimiliter ſi opus ſit, ut ferulæ ſupra genu extendantur, ad ſuſtinendam & erigendam quidem deflexionem, requiritur, ut cum duplici articulo formentur in loco flexionis.

Loco ferularum commodiùs ſubſtitui poſſent tenuiſſimæ laminæ ferri, totumque inſtrumentum ex ferro fabricari poſſet.

Axes bini ſuper quos flectuntur aſſerculi ſive ferulæ, duobus orbiculis infiguntur: orbiculi vero ipſi ex laminis ferri quàm tenuiſſimis (modo firmis) ne nimis graves ſint, fabricantur; ſimulque admodum politis, ne aſſerculorum motum impediant: æqualis ſunt diametri, ſeu latitudinis, hi orbiculi, puta duorum circiter digitorum tranſverſorum, atque ita inter ſe coaptantur, ut ab omni parte paralleli ſint: interſtitium verò inter illos tantum ſit, ut aſſerculorum capita appoſitè excipiat. Porrò orbiculi hi, non modo duplici axe, ſed & quinque clavis ferreis, transfigendi, firmiterque copulandi ſunt. Denique tota inſtrumenti compoſitio, ita comparanda eſt ut commode alligari poſſit ad prominens latus genu inflexi, ſimulque tam extenſioni quam ordinariæ ejuſdem flexioni inſerviat, deflexionem vero ejus ad alterutrum latus, præſertim ad prominens, coërceat: quæ cauſa eſt cur duplici orbiculo axes infigantur, ſcil. ne quá juncturæ vacillent & deflexioni genu cedant.

Similiter torſio pedum faſciis quoque frequenter emendatur, ſi digiti pedum extrorſum diſtorquentur, nocte faſciis colligandi ſunt, interpoſitô inter calcaneos taloſque pulvinari, ſin introrſum digiti pedum torqueantur, colligandi ſunt tali, immittendumque pulvinar inter majores pedum digitos.

Denique ad truncum corporis erigendum, aut erectum ſervandum ſolent thoraces ex duplici panno conſutos conficere, interpoſitis exiguis aſſerculis oſſis ceti, quos ita corporibus infantum adaptant, ut ſpinam erectam ſiſtant, oſſa prominentia reprimant, incurva ab ulteriori compreſſione defendant; curandum quoque ne ſint, aut ſaltem quam minimum, puellis geſtantibus moleſti, atque ut ſuper ſpinam dorſi, funiculo in hunc uſum accommodato fibulentur.

Materia φαρμακευτική. Multiplicis ac nobiliſſimi uſus eſt, plurimiſque indicationibus ſatisfacit, omnia quippe medicamenta, quæ vel morbi cauſas, vel morbum ipſum; vel ſymptomata primò reſpiciunt, exceptis ſolis Chirurgicis, complectitur.

Dividitur in interna & externa remedia, & utraque in ſimplicia & compoſita. Interna demum ſubdividi poſſunt in eluentia primas vias, in præparantia, in elective evacuantia, in alterantia ſpecifica, & roborantia, denique in corrigentia ſymptomata.

Primum locum inter hæc merentur interna, atque ex illis eluentia impuritates primarum viarum: cùm hæ, ut ſupra monuimus, habeant rationem impedimenti reſpectu remediorum ſequentium, & ſimpliciter primo ſint amovendæ. In ſingulis autem titulis, quantum rei natura fert, ſimplicia compoſitis præmittemus.

Eluentia hæc tria genera adhuc comprehendunt, videt. Enemala, Vomitiva & Cathartica lenitiva.

Enematum injectio, priuſquam preſſius curationem aggredimur, tunc potiſſimum prærequiritur, cum alvus adſtricta eſt, fęceſque induratæ; aut cum flatus inteſtina torquent, aut quævis inteſtinorum tormina ægrum affligunt. In quibus caſibus non modo ante quamvis præparationem, ſed & ante vomitionem, imó ipſam lenitivam purgationem nonnunquam utiliter prę̨mitti poſſunt. Nunquam hæc è violentioribus purgantibus, frequenter verò è lenitivis & benignis, aliquando etiam è ſolis lubricantibus & flatus diſcutientibus conſtant. Longiùs à paſtu injicienda ſunt tepidè. Formulas aliquot ſubnectemus.

℞. Lactis vacc. rec. calfact. ℥iij. iv. vel v. ſem. aniſ. pulv. gr. x. ſacchar. comm. ℥j. ʒiß. vel ʒij. vitellum unius ovi. M. F. Enema. addi inſuper poteſt butyr. recent. ℥ß.

℞. Decoct. emoll. q. ſ. elect. lenit. ʒß. ſyrup. roſar. ſolut. violar. an. ʒvi. ol. cham. ℥j. M. F. Enema injiciendum tepidè.

℞. Rad. alth. contuſ. ℥ß. vel ejus loco fol. malv. vel flor. ejuſdem M. ß. flor. chamæm. p. j. ſem. carminant. ʒij. coq. in ſ. q. ſeri lactis cereviſiati. Colat. ℥iv. vel v. adde diacaſſiæ vel Elect. paſſulati ʒß. ſyrup. roſat. ſolut. ſimpl. ſacchar. culinaris an. ℥j. butyr. recent. ʒvi. addi poteſt, ſi viſum fuerit, vitellum unius ovi.

℞. Fimi equi non caſtrati recentis ℥iß. ſem. aniſi. fœnic. malvę contuſ. an. ʒiß. flor. cham. p. j. coq. in ſ. q. ſeri lactis cereviſiati. in colat. ℥iv. vel v. ſolve ſyrup, viol. ʒx. ſacch. comm. ol. roſat. an. ℥ß. M. F. Enema.

Emetica, ſeu vomitoria, tria potiſſimũ prę̨ſtant. 1. Humores ſive crudos, ſive corruptos, & quaſcunque impuritates in ventriculo contentas evacuant, idque per viã breviorẽ & expeditiorem, quàm ſi per ambages & anfractus inteſtinorum circumducerentur. 2. Agitando omnes partes, imprimis viſcera, humores craſſos viſcidoſque iis adhærentes, aut iiſdem impactos magis fluxiles reddunt, & frequenter excutiunt, præſertim in ventriculo & inteſtinis collectos: quô nomine colicis doloribus ſubveniunt, & ad obſtructiones reſerandas multum conferunt. 3. Omnium partium corporis, & maxime viſcerum excretricem facultatem efficaciter ſtimulant, hincque latentes morborum, imprimis febrium intermittentium fomites & cauſas ſępe unica vice exhibita eliciunt. Enimverò inter vomendum inteſtina quoque ad excretionem per ſedem ſtimulantur; hepar per porum biliarium, bilem, pancreas peculiare ſuum excrementum per novum ejuſdem vas profuſius in inteſtina effundit; lien quoque forte ſuum excrementum in ventriculum per vaſa nondum ſatis nota uberius exonerat; renes ſerum per ureteres; Pulmones efficatiori tuſſi concitata, pus mucumque per trachęam arteriam; Cerebrum, pituitam, & ſalſum ſerum per palatum, per nares, oculoſque copioſius ſolito excernit. Denique totum corpus ad diaphoreſin, ſive manifeſtam per ſudorem, ſive occultam per inſenſibilem tranſpirationem, pronius plerumque redditur. Notandum interim eſt, non leviora quæque vomitoria, neque etiam ipſa fortiora, ſi imminuta doſi exhibeantur, ſtatim hęc omnia plenè perficere; attamen ſua operatione plus minuſve pro viribus & quantitate medicamenti eo collimare & fortiora quidem, plena doſi data, tres metas propoſitas, efficaciter attingere.

Ex prædictis facilè cuivis innoteſcit fortiora Emetica pleniori quantitate præſcripta, puellis hoc morbo correptis competere non poſſe, neque teneras eorum vires tantos in corpore tumultus, & tam univerſalem evacuationem ſubitoque factam perferre poſſe. Quapropter circumſpectè admodum hoc remedii genus puellis eſt præſcribendum, tum etiam atque etiam vires & medicamenti efficacia ac quantitas contra ſunt penſitandæ. In hunc ergo finem aliquot cautiones juniorum gratia hic ſubnectere non erit inutile.

1. Vomitus in hoc affectu concitandus non eſt, niſi humores ſponte ſua, nonnihil ſurſum vergant, iique per

per superiora non difficulter exigi possint.

2. Nisi puelli per se ad vomendum sint proclives, vomitumque facile ferant.

3. In sputô sanguinis, phthisi seu tabe, hęmorrhagia narium, in quavis interna venarum apertione, similibusque casibus ab hoc remedio abstinendum.

4. Potentiora Emetica liberaliori dosi exhibita hic interdicuntur. Etenim metus est, ne insitos spiritus nimium depopulentur, ipsasque partes solidas plus æquo prius extenuatas ulterius eliquent.

Oportet ergo, ut vomitoria, hic in usum vocanda, vel naturâ suâ leniora sint, vel saltem fortiora satis correcta & parca dosi administrata.

Object. Dicas si leniora sint, aut diminuta quantitate exhibita, vix efficaciter, posse humores evacuandos educere.

Resp. Revera ubi naturam, aut non omnino, aut parum adminiculantem habemus ita rem se habere; in quo casu negamus vomitoria omnino esse exhibenda: supposita vero aptitudine tum humorum, tum corporis ad hanc evacuationem, (ut in prima & secunda cautione requiritur) etiam leniora vomitoria humores in primis viis stabulantes evacuare queunt: quod idem dicendum quoque est de fortioribus probe correctis parcaque manu exhibitis. Etenim ob correctionem & diminutam quantitatem haud multum corpus exagitant, aut naturam lacessunt, atque interim ob ventriculi humorumque proclivitatem huic scopo satisfacere valent.

Paradigmata jam aliquot subjungamus.

℞. Summ. Erigeri M. ß. passul. corinth. ℥j. coq. in ℔j. cerevisiæ non lupulatæ ad medietatis absumptionem. Colaturæ ℥iij. adde syrup. acetos. simpl. ℥ß. M. & exhibe tepide.

Vel ℞. Infusionis croci metallor. in vino Hispan. loco frigido factæ, & per subsid. optimè depurat. ʒj. ʒiß. ʒij. (pro ratione ætatis ac roboris) syrup. acetos. simpl. ℥ ß. seri lact. cerevisiati ℥iß. Aquæ cinnam. gutt. x. vel ejus loco, si convulsiones metuuntur, aq. anti-epilept. Lang. ℈j. M. & ebibat tepidè mane cum regimine.

℞. Succi fol. asari ʒß. ℈ij. vel ʒj. Syrup. acetosi simpl. ʒij. seri lact. cerevisiat. q. s. M.

℞. Salis vitrioli præpar. à gr. v. ad gr. x. exhibe similiter in sero lactis cerevisiato.

Catharctica lenitiva, cum effectus suos placidè sine tumultu exequantur, non illam Medici circumspectionem quam Emetica aut electivè purgantia postulant. Tria tamen circa illorum usum cavenda sunt. 1. ne ingrato sapore eam ventriculo nauseam inferamus, ut postmodum omnia medicamenta aversetur & abhorreat. 2. ne nimia pharmaci quantitate ventriculum gravemus. 3. ne assumptum pharmacum vomitu statim rejiciatur. In hunc ultimum scopum solent aliqui os puelli grato aliquo liquore statim colluere; alii tantum in os ejusdem ingerunt, vel cerasa condita, vel pruna brigniolensia, vel conservam berberorũ, vel succum aurantiorum sacchardo admixtum, aut similia.

Dividi hæc lenitiva possunt in simplicia & composita; & hæc iterum in ea quæ in pharmacopoliis extare solent, & ea quæ pro re nata de novo parantur.

Simplicia quæ huic scopo per se satisfaciunt, admodum pauca reperiuntur; ut manna, cassia fistularis, Aloë socotrina, Tamarindi, polypodium quercinum. At vero minus efficacia quæque (nisi purgantibus aliis fortioribus acuantur) lenitivam indolem non induunt, plura occurrunt, ut uvæ passæ majores, tum corinthiacæ, Jujubæ, Sebestenæ, pruna dulcia & damascena, ficus, dactyli, pulpa pomorum assatorum, flores malvæ, violarum, herbæ parietariæ, mercurialis, Rad. altheę, glycyrrh. sem. 4. frigid. maj. semina malvę, amygdalæ dulces, ova sorbilia, pinguedines, butyrum, oleum olivarum, oleum amygdalarum dulcium, serum lactis, & similia. Hæc licet per se parum efficacia sint, aliorum tamen purgantium admixtione, non contemnendam vim lenitivam acquirunt.

Composita lenitiva hęc in Officinis prostant, cassia extracta cum vel sine senna, diacassia, Elect. lenitivum, diaprunum lenitivum, Elect. passulatum, decoctum commune pro Medicina, decoctum flor. & fruct. syrup. & mel violarum. syrup. rosarum sol. mel mercurial. mel passulat. conservæ rosar. pallid. flor. malv. violar. Formulas nonnullas extemporaneas his subjungere possumus. Ut.

℞. Mannæ calabrinæ optimę ʒvi. Crem. tartari gr. vii. seri lactis cerevisiati, (*posset Ale* dicti) in quo parum sem. anis. ferbuerit ℥iß. Misce & exhibe mane, loco seri ejusd. substitui potest jusculum aliquod vel decoctum commune pro Medicina, vel decoctum florum & fructuum.

℞. Elect. lenitiv. ʒ iß. vel ʒij. syrup. rosar. solut. ʒii ß. viol. ʒj. crem. tartari gr. x. seri lact. cerevisiati ℥ iß. M. & capiat in aurora, aliqui parant syrup. lenitivum in hunc modum.

℞. Polypod. querc. ℥ij. tartari albi præpar. ʒij. poma dulc. num. 12. uvar. pass. exacinat. ℥j. coq. in s. q. aq. font. ad ℔j. in colat. infunde per noctem fol. senn. elect. ℥ iß. rhab. ʒij. pulp. cassię recenter extract. ℥ß. tamarind. ℥j. glycyrrh. sem. anisi coriandr. an. ʒiß. mane per pannum lineum exprimantur.

℞. Expressionis ℥viii. sacch. albi ℥ vi. coq. parum, tum adde mannæ opt. syrup. rosar. solut. an. ℥ij. viol. ℥j. F. Syrup. lenitivus, capiat puellus ℥j. aq. cichor. vel parietar. ℥ß. & succi limonum ʒj. dilutam.

℞. Aloës lotæ, vel pil. Aloëphanh. gr. vii. F. pil. ij. cum syrup. rosar. solut. immittantur in duo cerasa condita, exemptis officulis, quę integra deglutiantur, ne sapor offendat, horâ somni vesperi. Mane superbibat syrup. rosar. solut. ℥j. in sero lactis cerevisiato.

Vel ℞. Syrup. rosar. solut. ʒvi. viol. ℥ß. succ. limon. ʒj. Elect. passulat. ʒj. Aq. cichor. vel parietar. ʒiß. M. F. haustus, quem capiat mane jejunus. Atque hæc de Eluentibus primas vias: sequuntur præparantia.

Remedia præparantia, partim humores pręparandos, partim vias, per quas ii educendi, partim ipsas partes in quibus stabulantur, respiciunt. Sciendum autem evacuationem illam, quę *Emeticis* perficitur, minime omnium præparationem prærequirere; illam verò quæ catharcticis aut expectorantibus maxime.

I. Humores præparandi in genere sunt vel pituitosi, nimirum frigidi, qui calidis attemperandi, crassi attenuandi, viscidi incidendi; vel biliosi, viz. acres, amari, urentes, corrosivi, qui lenientibus & compescentibus cicurandi; vel melancholici, scil. terrestres, fæculenti, tartarei, qui benigniori materię commiscendi & fluxiles reddendi: vel denique serosi, qui disponendi & quasi manu dirigendi sunt, vel ad vias urinarias, ut per mictum vel ad alvum, ut per secessum; vel ad partes cutaneas, ut per sudationem faciliùs exigantur.

II. Viæ per quas evacuatio decernitur, muniendæ quoque sunt ac adaptandæ, & non tantũ comunes, sed & ipsę speciales, per quas materia peccans in specie ad communes vias deducatur. Alia enim est præparatio vasorum renum, (quæ scil. lubricantibus & laxantibus maximè perficitur) alia vasorum hepatis, quæ fit aperientibus, abstergentibus, & non nihil simul adstringentibus. Alia vasorum pulmonum, quæ potius lenientibus & maturantibus peragitur, admixtis forte pro ratione materiæ, vel incidentibus & attenunatibus, vel contra incrassantibus & fluxionem avertentibus.

III. Partes ipsæ, in quibus præ cæteris humores vitiosi impinguntur vel fluitant, medicamenta sibi appro-

appropriata admiſcenda poſtulant; & prout hoc vel illud viſcus plus minuſque afficitur, modo cephalica, modo hepatica, modo pulmones reſpicientia &c. dominium in præparantibus obtinent, & liberalius ſunt admiſcenda.

Porrò (ut ſimul omnes prope qualitates præparantium in hoc affectu requiſitas complectamur) dicimus hæc remedia ex arte præſcripta ut plurimum eſſe moderatè calida (niſi ſcil. febris adfuerit) attenuantia, & deobſtruentia, ſimulque peculiari jure, non nihil hepar & pulmones, & caput reſpicere, quæ partes plerumque humorum copia in hoc morbo gravari ſolent; eſſe adhuc huic affectui in ſpecie nonnihil appropriata: ſi vero non occurrant, quæ ſimul ſub cenſum præparantium cadant, morboque approprientur, ſaltem alia tunc ſpecifica præparantibus admiſcenda.

Tandem in memoriam revocandum eſt, morbum hunc eſſe Chronicum, materiamque ejuſdem eſſe tardi motus, totamque vix ſimul præparari, aut non continuè inſiſtendum eſſe præparantibus, donec tota materia fuerit præparata; ita quippe pars præparata, & jam fluxilis reddita, vel alios affectus, vel etiam gravia forte ſymptomata, facile concitet. Quare per vices modo præparandum, modo materia jam præparata pharmaco exigenda qua ſane alterna remediorum adminiſtratione, tum viribus proſpiciemus, tum cauſæ morbificæ tuto (utut ſenſim) occurremus. Notandum quoque hic, quod & ſuprà monuimus, ubi cauſæ morbificæ eo uſque diminutæ ac edomitæ fuerint, ut ad tempus non impediant ſpecificam curationem, huic quamprimum propriis alterantibus eſſe incumbendum, & in eadem perſiſtendum eſſe, donec cauſæ denuo proceſſum interturbaverint.

Hiſce jam præmiſſis, præparantia ſimplicia, ut & compoſita illa, quæ in pharmacopoliis aſſervari ſolent, necnon exempla quædam de compoſitorum ordine ſubjungere ulterius viſum eſt: monemus tamen haud expectandum eſſe ut ſingula ſimplicia, (aut forte eorum aliquod) omnes qualitates, quas modo exquiſitis illis & appropriatis præparantibus attribuimus, complectantur; (ita enim nulla compoſitione foret opus) ſed tot & talia è ſimplicibus à nobis enumeratis à prudenti Medico ſeligenda, ac inter ſe contemperanda ſunt, quæ ſimul juncta remedium omnibus iſtis qualitatibus donatum concinnent.

Simplicia, & compoſita in officinis aſſervata ſunt ſequentia; Herbæ omnes capillares, imprimis, Trichomanes, ruta muraria, ſpicæ radicis oſmundæ regalis; gemmæ vixdum erumpentes filicis maris; polypodium murale; phyllitis ſeu lingua cervina, ceterach, hepatica, agrimonia, cuſcuta, ſcabioſa, betonica, veronica mas, folia & cortex tamariſci, cortex radicum capparum; Rad. cichor, endiv. gramin. aſparag. myrridis, glycyrrh. tartarum; (quanquam forte ejus lubricitas minus congruit) paſſulæ, imprimis corinthiacę; pruna damaſcena; ſemin. aniſ. fœnicul. dulc. coriand. carvi; anethi; Syrup. capill. veneris, de betonica ſimpl. & compoſ. byzantin. cichor. de eupator. de 5. radicibus, de ſcolopend. de ſtæch.

Ex his ulterius decompoſita pro re nata formari poſſunt; ut,

℞. Spicas, vel gemmas rad. filic. maris n. 5. coq. in ℔ ß. lactis ad ℥iij. colaturam bibat mane, jejuno ſtomacho. Convenit maximè junioribus & lacti aſſuetis.

Vel ℞. Gemmar. filicis maris tenellar. è terrâ modo erumpentium m. j. Veronic. maris, ling. cervin. hepat. an. M. ß. flor. tamariſci p. j. paſſul. min. ℥iß. macis ʒß. pullum unum exenteratum, &c. Et cum farina avenacea, q. ſ. f. juſculum ut artis eſt. Capiat puellus ℥ iij. vel iv. mane & hora quarta pomeridiana, addendo, ſi lubet, crem. tartari gr. x.

Vel ℞. Capill. vener. hepat. agrimon. cuſcutæ, an. m. ß. radic. filic. maris, gramin. aſparag. an. ℥ß. flor. tamariſc. p. j. paſſul. corinth. ℥j. tartar. alb. præpar. ʒj. glycyrrh. ʒß. macis ℈j. coq. in ℔ij. aq. font. colat. ℔j. adde vini alb. vel rhenan. ℥iij. Syr. de ſcolopendr. ℥ i ß. M. F. apozema. De quo bibat puellus hauſtum, mane & hora quarta pomeridiana. Valet potiſſimum ubi pertinaces obſtructiones, in meſenterio hepate &c. adſunt.

Vel ℞. Tuſſilag. capill. vener. ling. cervin. hepat. an. M. ß. Rad. myrrhid. aſparag. an. ℥ß. glycyrrh. Hiſpan. ʒij. macis ℈j. paſſul. exacinat. ℥j. Jujub. ſebeſten. an. num. 8. fic. inciſ. num. 2. coq. in ſ. q. aq. hord. Colat. clar. ℔j. adde ſyr. capill. vener. ℥ i ß. M. hujus apozematis uſus præcipuus eſt, infarctis ſimul aut obſtructis pulmonibus.

℞. Muſti cereviſiati ℔ ij. hepat. capill. vener. phyllit. ſcabioſę, tuſſilag. matricar. arthemiſ. an. M. j. fic. inciſ. paſſul. exacinat. an. ℔j. glycyrrh. ſem. aniſ. an. ʒij. coq. lento igne per horas 6. colatura ſervetur in uſum. In eodem prope caſu conveniens eſt.

Vel ℞. Sarſæparill. inciſ. ℥iij. rad. chin. raſur. corn. cerv. eboris an. ℥j. fol. veron. mar. phyllit. hepat. ſcabioſ. an. M. iij. ſpic. rad. oſmund. regal. filic. an. ℥ij. coq. in 4. congiis muſti cereviſiæ non lupul. (*Ale* dictę) lento igne per horas 4. vel 5. dein poſt aliquot horas coletur liquor per ſetaceum; tum adde ſucci cochleariæ, becabung. an. ℔ß. ferment. cereviſiat. q. ſ. fermentetur more ſolito, & in dolium reponatur, è quo ad uſum pro potu ordinario depromatur, conducit præcipuè ubi adeſt ſuſpicio luis venereæ, vel ſcorbuti complicati.

Præparata materia morbi, apertiſque viis, per quas evacuatio inſtituitur, proximum eſt, ut conſideremus quæ pharmaca humores in ſpecie peccantes electivè educant. Hæc autem medicamenta partim humores, partim partes in quibus ſtabulantur, reſpiciunt: in ſingulis vero juſta virium habenda eſt ratio.

Violentiora, vel plane abdicanda, vel optimè correcta & parca doſi circumſpecteque adhibenda ſunt: & junioribus quidem pueris ac infirmioribus, vel mitiora, vel minori doſi, magiſque correcta: majoribus & robuſtioribus fortiora plenioriquc doſi (modo non tranſcendant vires) permittenda. In utroque caſu, tutius eſt paulo infra vires ſubſiſtere, quàm eaſdem vel tantillum excedere; & omnino in hoc affectu ſatius eſt per epicraſin procedere, quam ſimul & ſemel, plenariam humorum peccantium evacuationem tentare.

Humores porrò in corpore dominantes, ſibi appropriata pharmaca deſiderant; ut bilis *Cholagoga*, pituita *plegmagoga*, melancholia *melanogoga*, ſerum humorque aquoſus *hydragoga*.

Ad hæc ſi hepar præ aliis partibus humoribus gravetur, talia ſunt eligenda purgantia, quæ peculiari jure hepar reſpiciunt. Similiter, obſeſſis multum pulmonibus, aut cerebro, aliiſve viſceribus, ejuſmodi ſunt eligenda purgantia (quantum quidem fieri poteſt) quæ hiſce partibus reſpectivè ſunt appropriata. Sin vero non occurrant ſimplicia purgantia nonnullis partibus ſatis ſpeciatim dicata, apta aliorum ingredientium iſtis partibus familiarium admixtione eorum defectus ſupplendus eſt.

Denique (quoad fieri poterit) purgantibus directè morbi eſſentiæ oppoſitis inſiſtere conandum eſt, hoc nomine Rhabarbarum præ aliis ſimplicibus commendamus. Eſt enim medicamentum moderatè calidum & ſiccum, ſpiritibus inſitis omnium partium ſatis familiare, & amicum, torporem ſpirituum benigne excutit, mollitiem, laxitatemque partium firmat, internam lubricitatem nonnihil corrigit; pulſum ad artus evocat, calorem externarum partium auget, inter-

narum & imprimis earum, quæ nutritioni inserviunt, vigorem & activitatem fovet. Adde quod rarissimè (modo justa dosi adhibeatur) super purgationem invehat, medicamentum profectò omni ætati & complexioni satis tutum.

Hisce jam præmissis, nonnulla simplicia purgantia, quæ huc spectant, necnon paragdimata quædam compositorum proponenda sunt. Neque etiam quidquam prohibet, quin multa ex lenitivis supra citatis huc quoq; diverso tamen respectu, referantur: illic enim respiciuntur, ut acuant lenitiva aliàs ignaviora; hic vero potius, ut temperant purgantia fortiora.

Purgantia simplicia, tum composita officinalia.

Manna, cassia fistularis, tamarindi, Myrobalanorum genera, rhabarbar. Aloë, syr. rosar. solut. de cichor. cum rhabarb. dupl. augustan. scamonium, agaricus. Sem. chartami, mechoaca, jalappa, turpethum, mercur. dulc. syr. rosar. solut. cum agar. Epithymum, polypodium quercin. senn. syr. magistralis ad melancholiam, de pomis reg. sapor. diabalzemer, elect. lenit. de prunis solut. elect. passulat. diacathol. confect. hamech. benedict. laxat. &c.

Extemporaneorum compositorum exempla quædam.

♃. Syrup. Augustan. ℥j. rosar. solut. ʒij. aq. cichor. ℥ß. pro dilutione F. potio exhibenda mane jejuno stomacho.

♃. Rhab. opt. pulv. gr. XVIII. syr. de cichor. cum dupl. Rheo ʒVI. rosat. solut. ʒij. aq. fol. filicis ʒVI. M. F. haustus, biliosis ut & hepaticis maximè convenit.

♃. Fol. sennæ, polypod. querc. Epithym. an. ʒi. Rhab. opt. ℈i. Chrystall. tartar. sem. fœnicul. dulc. an. ℈i. f. infusio in s. q. aq. fumar. s. a. pro ℥iß. colaturæ; express. adde syrup. magistral. ad melanchol. ʒVI. aq. cinnam. gutt. VII. vel anti-epilept. Lang. ℈ß. M. F. haustus, melancholicis maximè designatur.

♃. Fol. senn. ʒij. pulp. tamarind. ʒVI. sem. anisi ʒß. cremor. tartar. ℈ß. F. infusio in s. q. aq. font. per noctem cum expressionis ℥iij. F. sec. art. emulsio ex amygdal. dulc. decort. ℥ß. sem. 4. frig. maj. an. ℈ij. pro duabus dosibus; addendo singulis syrup. de cichor. cum quadrupl. rheo, mannæ optim. an. ʒiij. humores acres & adustos evacuat & contemperat.

♃. Elect. lenit. ʒiij. Rhab. ℈i. crem. tartar. sem. anis. an. ℈ß. flor. borrag. anth. an. p. ß. aq. fumar. q. s. f. infusio per aliquot horas. Colaturæ, per pannum laneum densum factæ, ℥iß. adde syrup. de pomis Regis saporis ℥ß. M. F. H.

♃. Fol. senn. ʒiß. vel ʒij. agaric. trochisc. ʒß. sem. fœnic. dulc. ʒß. flor. chamæm. num. x. coq. in s. q. aq. font. s. a. express. ʒx. vel ℥iß. adde syr. rosar. solut. cum agar. ʒv. mann. optim. ʒiij. M. F. haustus, humoribus crassis & pituitosis, potissimum dicatur.

♃. Flor. sambuci p. i. Rhabarb. ℈ii. Jalapp. Mechoacan. an ℈ i. cremor. tartar. ℈ ß. nuc. moschat. gr. xv. f. infusio & brevis ebullitio in aq. flor. sambuci, & vini rhenan. an. q. s. Colat. ℥iß. adde syrup. rosar. solut. ℥ß. vel ʒVI. f. potio, pituitosis, cachecticis, & hydropicis convenit.

♃. Fol. senn. ʒiß. Rhab. ℈ii. agaric. trochisc. ℈i. pulp. tamarind. ʒ ij. sem. anis. crem. tartar. an. ℈i. flor. anth. p. ß. f. infusio in s. q. aq. font. & levis ebullitio. Express. ℥ i ß. adde syr. rosar. solut. cum agar. magistr. ad melancholiam an. ʒ iij. M. F. haustus. Mixtos humores evacuat.

♃. Merc. dulc. gr. xv. conserv. violar. ʒi. Pulv. tragac. gr. i. M. F. bolus cum syrup. viol. sumendus in aurora, superbibendo mox ℥ i. Syrup. rosar. solut. in haustulo seri lactis cerevisiati solutam. Commendari potest pueris, qui vermibus simul cum hoc affectu laborant, uti & lue venerea unà infectis; Item strumosis.

♃. Merc. dulc. gr. XII. Jalapp. gr. XI. nucis myrist. gr. ß. Pulp. passul. ʒi. M. F. bolus cum syrup. viol. quem capiat mane, loco Jalappę substitui possunt scamm. præp. vel resin. Jalapp. gr. III. vel IV. convenit pueris simul strumosis, ut & iis qui lue venerea suspecti sunt laborare, iisque qui difficulter purgantur, & ingrata planè respuunt.

♃. Merc. dulc. ʒj. resin. Jalapp. ℈ß. sacch. puriss. in aq. beton. vel simili dissolut. ʒiij. vel ℥ß. F. sec. art. tabell. pond. ℈jß. vel ʒj. capiat unam pro dosi.

♃. Aloës socotrin. opt. gr. VII. rhab. pulv. gr. XI. syrup. rosar. solut. q. s. f. pil. quas capiat puellus in cerasis conditis abditas, exemptis ossiculis. Possunt & deaurari pilulæ commodioris exhibitionis ergo.

♃. Rhab. opt. ʒiß. uvar. passar. exacinatar. M. j. cerevisiæ commun. ℔. j. infund. per 12. horas, de colatura hujusmodi bibant pueli, qui noctu avide potum expetunt.

Præparatis jam atque ex parte evacuatis morbi causis, vel saltem ita edomitis, ut ad tempus ulteriorem curationem non impediant, statim ad hæc alterantia specifica procedendum est; quæ quidem jugulum quasi ipsius morbi petunt, & quorum gratia ista cum præparantia, tum evacuantia præmissa fuerunt.

Definiri autem possunt hæc specifica, Remedia quæ ipsi essentiæ morbi è diametro contraria sunt, adeoque eum directè oppugnant.

Sunt autem ea vel simplicia, vel composita; & simplicia quidem quæ nobis hactenus innotuerunt, sunt sequentia. Radix osmundæ regalis, seu potius spicæ radicis ejusdem abjecta media parte; radix filicis maris; item turiones vel potius gemmæ ejusdem, vixdum è terra prorumpentes; Radices graminis, cichor. asparagi, rubiæ tinct. Eryng. herbę capillares, ceterach, lingua cervina, hepatica, veronica mas, flores & folia lamii, borrag. salviæ, rorismarin. tamarisci, abrotanum, absinth. ponticum, chelidonium majus, crocus, radic. curcumæ, sarsęparill. sassaphr. chinæ, tria santala, lignum guajaci, ejusque cortex. flor. sulph. chalybs præpar. crocus martis, sal chalyb. vinum chalybeatum, syrup. chalyb. vinum alb. gallicum, & Rhenanum, sperma ceti, moschus, ambra grisea, castoreum, vermes terrestres, Jecora ranarum, pullorum corvi, millepedes vino albo lotæ, & in clibano siccatæ ac pulveratæ, & similia.

Si quis autem quęrat quomodo, quave actione medicamenta hęc affectus hujus essentiam specialiter impetant.

Respondemus forte non necesse esse, ut ad Asylum istud ignorantiæ, occultas qualitates, statim confugiamus; sed in memoriam revocandas esse partes essentiæ hujus morbi; siquidem facta collatione, inter illas partes & hæc medicamenta, haud obscuram contrarietatem ac repugnantiam erga illa invicem deprehendemus. Morbus enim hic consistit, in intemperie frigida & humida, in spirituum insitorum inopia ac torpore, in toni partium enervatione: Econtra remedia hæc, calefaciunt & siccant, spiritus insitos fovent, torporem eorum excutiunt, tonumque firmant.

Porro quandoquidem cum caliditate ac siccitate remedia hæc insignem obtinent friabilitatem ac tenuitatem partium, fit, ut non tantum viscida incidant, crassa attenuent, sed & æquationem quandam omnium succorum in massa sanguinea fluitantium concilient, æqualemque (habita ratione distantiæ à fonte caloris) distributionem tum caloris tum sanguinis

guinis procurent. Hinc partes externæ prius extenuatæ liberaliori alimento caloreque fruuntur; parenchymata viſcerum, mole nimium aucta, à craſſioribus & viſcidioribus ſuccis alimentariis liberantur, & nonnihil inde imminuuntur: hinc irrationalis illa partium nutritio, ſeu ἀλογοτροφία, à qua tanta vitioꝛũ organicorum ſeries dependet, emendatur. Denique remedia hæc partes nervoſas quoque & ipſam ſpinam dorſi nimis debilem roborant ac fovent.

Dicas, omnia ſimplicia à nobis ſupra citata non hæc omnia plene perficere. Concedimus. Nam ſantalorum genera, licet ſua ſiccitate, friabilitate ac tenuitate partium, fortiter hunc affectum impugnent, ſua tamen frigiditate, videntur potius ad morbi partes accedere. Dicimus ergo hujuſmodi ſimplicia per ſe ſola non eſſe adminiſtranda, ſed aliis duntaxat admixta, quę qualitatem noxiam ſatis corrigant. Similiter nonnulla ſimplicia impensè calida, ut Crocus, Caſtoreum, flores ſulphuris, &c. huic morbo multum repugnant, ſed in uſum non ſunt vocanda, niſi prius contemperata.

Porrò Sarſaparilla, Saſſaphras, Oſmunda regalis, filicis genera, herbę capillares, ceterach, lingua cervina, & ſimilia (caliditate ac ſiccitate ſimul junctis cum inſigni friabilitate ac tenuitate partium) plurimum ad æquationem ſanguinis, tum ad multas alias morbi partes ſubigendas contribuunt. Verum partes nervoſas ac fibroſas vix ſatis roborant firmantque; quare cephalicorum admixtionem deſiderare videntur. Ad hæc lignum vitæ ſuo calore, ſiccitate, friabilitate, reſinoſa ac balſamica ſubſtantia, tonum partium multum firmat, nonnulliſque aliis morbi partibus contrariatur: cum tamen parum conferat ad æquationem ſuccorum in maſſa ſanguinea contentorum, quin potius eam forte impediat; non ſine ſumma cautione, correctûmque, & exigua quantitate eſt pręſcribendum. Denique ex ſimplicibus hic recitatis nonnulla, magis ad vires omnes corroborandas, quàm ad morbi eſſentiam debellandam, recipiuntur; ut Salvia, Moſchus, Ambra griſea & ſimilia, quæ nonniſi aliis efficacioribus magiſque appropriatis admixta in uſum veniunt.

Quod ſi quis ulterius quæſiverit quænam ſimplicia è propoſitis efficaciora ac nobiliora ſunt æſtimanda: huic regulis ſequentibus reſpondemus.

1. Illa ſunt nobiliora medicamenta, quæ ſimul pluribus eſſentiæ morbi partibus opponuntur.

2. Illa, cæteris paribus, nobiliora habenda, quæ primarias eſſentiæ morbi partes directè impetunt, pręſertim ſi ſimul faciant ad æqualem diſtributionem ſanguinis & caloris, quâ tot vitia organica corrigantur.

3. Quæ cæteris morbi eſſentiæ partibus eminentiori gradu, ita tamen ut vires ea ferant, contrariantur.

4. Quæ unà & morbo adverſantur, & naturæ ſimilia ac familiaria ſunt, eique quam minimam vim inferunt.

5. Quę magis grata puello laboranti ſunt, minoreque cum moleſtia atque averſatione admittuntur.

His jam prę miſſis Paradigmata quędam medicamentorum compoſitorum ſubjicienda ſunt.

Apozemata & Cereviſię medicatæ.

℞. Rad. Oſmundæ regal. ſpicas num. 6. herbar. veronicæ mar. ling. cervin. ceterach. capill. vener. hepat. an. M. j. ſalv. anth. an. M. ß. paſſul. min. ℥iij. Glycyrrh. Hiſp. ℥ß. macis ℈ij. Coq. in ℔. vi. aq. font. ſ. a.

℞. Colat. ℔iij. adde ſyr. capill. vener. ℥iij. M. F. Apozema, capiat puellus hauſtulum hujus quotidie mane, hora quarta pomeridiana, tum etiam noctu, ſi potum tunc petierit, immo ſi voluerit, utatur eo pro potu ordinario: tuſſi & obſtructione pulmonum ſimul cum hoc affectu graviter afflictis maximè con venit.

℞. Fol. oſmundæ regal. ling. cerv. hepat. ceterach. fl. tamariſci radic. filicis mar. an. m. j. paſſul. min. ℥ij. ſantal. albi & rubr. lign. ſaſſaphr. an. ʒij. ſem. coriandr. ʒj. macis ℈j. fol. ſalv. m. ß. coq. in ſ. q. aq. font. ſ. a. ad ℔iij. colatura edulcoretur ſaccharo vel melle, pro potu ordinario, hepaticis hoc affectu laborantibus ſuccurrit.

℞. Sarſæparill. inciſ. & optimè contuſ. ℥iij. rad. chin. in talleol. conciſ. ℥j. infund. & coq. ſ. a. in ℔. vii. aq. font. ad ℔ iv. ß. tum adde rad. ſaſſaphr. ʒij. oſmund. regal. ling. cerv. ceterach. capilli vener. lamii an. man. ß. glycyrr. Hiſp. ʒij. macis ʒj. coq. ad ℔iij. colaturæ adde mellis vel ſacch. ℥iij. M. pro potu ordinario; conducit præcipue iis qui lue venerea laborare ſuſpecti ſunt, ut & ſtrumoſis.

℞. Fl. tamariſc. recent. m. j. veron. mar. M. ß. leviter contundant. & infund. frigidè per 6. horas in ℔ ij. cereviſiæ communis in lagena lapidea vel vitrea, ſubere optimè clauſa; pro potu ordinario.

℞. Rad. ſarſęparill. ℥viii. rad. chinæ ℥ ij. lign. ſaſſafras ℥ß. Eboris ℥j. oſmundæ regal. veron. mar. ling. cervin. ceterach. capill. vener. hepat. ſummit. lamii an. manip. ij. conciſa & contuſa ſ. a. coq. in congiis iv. cereviſiæ recent. ad unius abſumptionem, ſublatis ab igne adde congium ejuſmodi cereviſiæ, agitentur ſimul baculo, & deinde colentur, ingredientia eadem ſacculo ex tela rara includantur cum fruſto ferri in ejus fundo repoſito, & ſuſpendantur in cereviſia; tum addito fermento, F. fermentatio, cereviſiæ ad perfectam uſque depurationem. Liquor limpidus poſt aliquot dies depromatur pro potu ordinario, deinde ubi ad medietatis exhauſtionem deventum fuerit, excipiatur reliquum lagenis vitreis, vel lapideis, quæ ſubere optimè clauſæ, reponantur in loco frigido ad uſum.

℞. Vini chalyb. ℥ß. ſyrup. de cichoreo cùm rhab. ʒii. bibat æger quotidie mane per v. vel vii. dies, aut plures, niſi fluor alvi aut ventriculi debilitas prohibuerint, in quo caſu loco ſyrup. de cichor. addatur ſyrup. de roſis ſiccis.

Juſcula & Panatellæ.

℞. Scolopendr. ceterach. Hepat. capill. vener. ſalv. an. Manip. ß. cort. tamariſci, ſantal. rubr. an. ʒij. indantur ventri pulli majuſculi aut gallinæ vel galli veteris, & conſuto ventre, coq. cum ℥ij. paſſul. min. in ſ. q. aqu. fontan. additaque ſufficienti quantitate farinæ avenaceæ purioris, F. juſculum perfectè coctum.

℞. Rad. chinæ in talleol. conciſ. ℥ij. ſarſęparil. alb. & medulloſę inciſ. & optimè contuſ ℥iij. infunde per noctem in ℔ x. aq. font. mane, poſt levem ebullitionem, inde colaturæ ling. cervin. veron. mar. an. manip. j. macis ʒß. paſſul. corinth. ℥ j. & cum carne vervecina, vitulina, vel capon. addita farina avenacea F. ſ. a. juſculum.

Quod ſi tenuiora juſcula deſiderentur, loco farinæ cruſta panis incoqui; ſin vero craſſiores, mica panis cum vitellis ovorum admiſceri poterit. Porro ob debilem puelli coctionem nonnunquam cochlearia aliquot vini addantur.

Panatellę ex ejuſmodi juſculis colatis, iterumque cum mica panis coctis, additis tandem, ubi ab igne ſublatæ fuęrint, butyro & ſaccharo q. ſ. conficiantur. Eædem quoq; è decoctis modo præſcriptis, niſi fortè quid amarum aut aliter ingratum contineant, concinnentur. Pręterea panatellæ pulticulæque communes, uti & juſcula ordinaria, pulveribus modò ſcribendis alterari, adeoque huic morbo curando appropriari queunt. Sin verò ex lacte pulticulæ parentur, & farina tritici incraſſentur, præter iſtos pulveres tantillum croci inter coquendum addi convenit. Quod ſi quid in pulveribus minus gratum, aut quod nauſeam moveat, deprehendatur, id

id omittatur, aliudque, (si res ita exigat) quod gratius est, in ejus locum substituendum.

Pulveres & Electuaria.

♃. Rad. filicis mar. (vel potius gemmar. ejusdem vix dum è terra prorumpentium, & in umbra siccatar.) spicar. osmundæ regal. an. ʒij. macis, sem. amisi an. ℈ß. croc. gr. ß. F. pulvis, dosis à ℈ß. ad ℈ j. in lacte, sero lactis cerevisiato, Apozemate aliquo, jusculo, panatellis &c.

♃. Medullosæ part. rad. sarsæp. ʒ ij. rad. chinæ ʒj. rad. sassafras ℈ j. sem. carvi & coriand. an. ℈ß. rad. filicis mar. osmund. reg. an. ℈ij. M. F. pulvis, qui usurpandus ut prior.

♃. Milleped. aq. prius deinde vino alb. lot. in clibano post extract. panem siccat. q. v. F. pulvis, dosis similiter ℈ß. ad ℈j. in jusculis &c. ut supra: eodem modo præparata jecinora ranarum, & pullorum corvi pulverif. præscribuntur.

♃. Flor. Sulphur. ʒij. spec. diarrhod. Abbat. diatr. santal. an. ℈ß. croci gr. facchari chystallini ℥iij. pulverata subtilissime cum aq. ros. rubr. q. f. F. pasta lento calore siccanda, quæ denuo ubi usus fert, in pulverem redacta exhibeatur ad ʒ j.

♃. Conserv. ros. rubr. ℥ i ß. flor. borrag. lamii, salv. anth. an. ℥ß. chalyb. præparat. ʒj. cinnam. glycyrr. Hispan. an. ʒß. croci ℈ß. santal. rubr. ℈j. pulv. pulverand. f. s. a. Elect. cum syr. de cichor. cum rhabarb. q. s. capiat æger ʒ ß. ℈ ij. vel ʒj. quotidie mane vel per se, vel in cochlear. seri lactis cerevisiati, vel decocti alicujus appropriati, vel etiam vini.

♃. Conserv. flor. lamii ℥j. borrag. salv. caryoph. rubr. ant. cort. myrobalan. in India condit. cort. citr. an. ℥ ß. santal. rubr. cinnam. glycyr. Hisp. an. ʒ ß. sal. chalyb. vel ejus loco croci ℈ß. syr. de Absinth. q. s. F. Elect. dosis & modus utendi, ut prioris.

Corrigentia Symptomata.

Symptomata nonnulla, huic affectui supervenientia, aliquando legitimam curandi rationem anticipant, peculiaremque tractandi rationem exposcunt, hujus generis sunt Fluor Alvi, ut Diarrhœa, cui frequenter aliquid Lienteriæ est admixtum; sudores profusi; Dentitio laboriosa, Dolorque Dentium.

Fluxus alvi hunc affectum frequenter sequitur; qui cùm diutius perseverat, aut paulò violentior est, facilè vires dejiciet, ipsasque solidas partes eliquet, & absumat, manifeste naturam causæ induit, & ut causa suam indicat correctionem. Dysenteria rariùs huic morbo accidit, Diarrhœa vero cum intestinorum torminibus, vel cum Lienteria complicata satis frequens. Etenim ob partium coctioni inservientium debilitatem, cùm Diarrhœa, tum Lienteria facile; non item dysenteria, supervenire possunt. Concurrunt tamen frequenter & aliæ causæ, ut ingesti cibi, vel quantitate nimii, vel qualitate vitiosi, febris aliqua, vigiliæ, dentitio laboriosa, lumbrici, &c. Quæ omnia quoque Diarrhœam, vel Lienteriam, potius quam Dysenteriam, facilè pariunt. Ad curam quod attinet, perficitur ea partim purgantibus, partim sedantibus & adstringentibus, partim aperientibus simulque partes roborantib;

Purgantia hic conveniunt ea quæ evidentem adstrictionem post evacuationem relinquunt, ut Rhabarbarum, senna, Tamarindi, Myrobalani, &c. ex quibus pro re nata, ut plurimum, vel bolos vel potiones concinnamus; quod sub illis formulis facilius deglutiantur.

♃. Conserv. ros. rubr. ℥ß. rhab. opt. pulv. gran. XII. syr. de Corall. q. s. f. bolus degluttiendus mane. Vel,

♃. Pulp. Tamarind. ʒ j. Rhab. pulv. gr. VII. sacch. rosat. ʒß. syr. cydon. q. s. ut F. bolus, loco hujus syr. substitui possunt, syr. Myrtil. granat. de Coral. Menthæ. vel,

♃. Fol. senn. elect. ʒß. rhab. ℈ j. pulp. tamarind. ʒiß. sem. anis. contus. gr. x. F. infusio in s. q. aq. font. levisque ebullitio.

♃. Colat. ℥iß. syr. de ros. sicc. ℥ß. M. F. haustus. vel,

♃. Aq. plantag. vel aq. cichor. vel saxifrag. ℥ j. rhabarb. pulv. gran. x. syrup. de rhabarb. Augustan. syrup. de ros. sicc. an. ʒ j. M. F. potio.

Notandum, aliquando paulò pleniorem evacuationem requiri posse; nimirùm, ubi fluxus ipse parciùs processerit, vel non diu perseveraverit, & interim materia peccans copiosa in corpore collecta fuerit, in quô casu, locô syrupi de rosis siccis, drachmæ aliquot syrupi rosarum solutivi, syrupi August. vel de cichoreo cum Rhabarb. vel mannæ substituantur: tutius vero plerumque est dosin rhabarbari aut etiam sennæ augere: non omisso syrupo de rosis siccis.

Vesperi, post purgationem, gran. x. diascordii in vino cum Caryophyllis, & tantillo cinnamomi cocto & tertia parte aq. papav. rhœad. diluto, syrupoque aliquo, cordiali, ut caryophillorum) edulcorato, virium instaurandarum, fluxusque sedandi gratia, concedantur: vel, si fluxus pertinacior sit, ʒ ij. diascordii, pro vice, loco syrupi prædicti, admisceantur vel,

♃. Posseti, è lacte & vino albo parati, detracto coagulo, quod aromatizetur tantillo croci in nodulo ligati, in id immersi, leviterque expressi, donec pallidæ flavedinis tincturam acquisiverit ℥ i ß. confect. Alchermes ℈ j. corric. granatorum pulv. gr. VII. diascordii ʒ ij. m. F. Potio, hora somni propinanda. vel,

♃. Laudani dispensatorii Londinens. gr. ß. magist. corall. gr. XII. conserv. Caryophyll. vel ros. rubr. ℈ j. syr. Cydon. q. s. ut F. bolus degluttiendus vesperi, hora somni.

Quod si obstructiones adfuerint, Crocus martis, vel sal chalyb. mane præscribantur. Ut,

♃. Conserv. ros. ℥ j. rad. cichor. condit. cort. myrobalan. in India condit. an ℥ ß. sal. chalybis ℈ß. vel croci martis ℈ j. cinnam. glycyrr. corall. rub. an. gr. XVIII. croci ß. syr. de cichor. sine rhabarb. q. s. F. s. a. Elect. de quo capiat quotidie mane ʒß. In huic etiam usum ferrum candens extingui potest in potu ordinario.

In fluxu pertinaci aliquid conservæ, vel syrupi prunellorum sylvestrium edulüs admisceri potest, ita tamen, ne ea reddantur ingrata.

Sudor profusus, modum excedens, peculiare aliquando Medico negotium in affectu facessit: quippe qui vires multum dissipat morbique curationem remoratur.

Cavendum tamen est, si forte febris adfuerit, aut Paroxysmus aliquis febrilis calorve immodicus præcesserit, ne temere coërceatur: in his enim casibus, criticus esse possit, vel saltem plus utilitatis corpori ex mitigatione febris calorisve, quam damni ex viriū jactura adferat. Nescimus enim an quidquam potentius, aut etiam suavius febrilem calōrē solvat, quàm ipse sudor. Interim, quando inordinatè fluit, & præter causam, (quam scilicet amovere queat) arguit corpus obstructionibus, crudis succisq; inutilibus & superfluitatibus gravari, quos dum regere ac domare satagit natura, ex ipso labore (concurrente unà laxitate partium cutanearum) in sudorem profunditur & quidem inutilem ac laboriosum viresque depopulantem, idcirco quamprimum corrigendus est, huc respexisse videtur Hippocrates, ubi dictat, sudorem illum, qui præter causam fluit pur-

purgationem postulare. Quid enim commodius has superfluitates minuat & eliminet; Deinde motus hic sudori contrarius est, unde inter remedia huic symptomati oppofita primum locum meretur, & cùm viam sternat aperientibus cutemque firmantibus, & coctionem promoventibus (quæ ultimam partem curæ absolvunt) iis jure præmittendum est.

Purgantia huc spectantia sunt; illa quæ naturę amica & familiaria observantur, quæque simul obstructa, aperiunt, visceraque roborant ac firmant: quæ omnia an ex simplicibus quidquam efficacius quam ipsum Rhabarbarum præstet, dubitamus. Omnia tamen, cum simplicia, tum composita supra de elective evacuantibus proposita, pro varia ægrotantis conditione, huc à prudenti Medico transferantur. Aliqui cerevisiam Rhabarbaro medicatam hic multum commendant, ut.

♃. Rhabarb. in taleol. incisi ℥ij. uvar. passar. exacinat. & incisor. ℥ß. cerevisiæ tenuioris ℔ij. indantur lagenæ lapideæ vel vitreæ subere optimè clausæ, quæ in loco frigido reponatur, sæpius agitata: Ante usum verò iterum subsidant per diem unum, deinde depromatur liquor pro potu ordinario. Exhausto liquore lagena denuo repleatur cerevisia, sed absque novo Rhabarbaro.

Porro nobiliora aperientia, quæ simul coctionem promovent, inutilem sudorem reprimunt: ut vinum Gallicum, & Rhenanum, quòd si horum calor in tam tenera ætate metuatur, temperari possunt pomis assatis, aqu. rof. rubr. borrag. addito saccharo & tantillo nucis moscatę rasę; propinantur etiam in minori quantitate, & tantùm tempore pastûs.

Sunt & aperientia efficacissima, quæ non tantum coctionem juvant, sed & simul omnium partium tonum, præcipuè viscerum, firmant ac roborant, inter quę præ cæteris chalybeata commendamus; ut vinum chalybeatum, electuarium chalybeatum supra descriptum. Et similia. Verùm licet Chalybs reipsa ea efficaciter præstet, quæ diximus; cum tamen is nonnullis aliis scopis magni in hoc affectu momenti non usquequaque respondeat, quin potius nonnunquam ex una parte plus noceat, quam ex altera prosit, cautiones sequentes circa ejus usum hic proponere visum est.

1. Quandoquidem Chalybs pulmonibus inimicus est, facileque sævum pituitosæ materiæ fluxum in tenellis corporibus concitat: ubi Catarrhus, Tussis, Infarctus pulmonum multoque magis inflammatio quævis, Pleuritis, sputum sanguinis, aut dispositio ad quemvis horum affectuum adest, ab ejus usu planè abstinendum est.

2. Cùm Chalybs parum aut nihil ad æquationem sanguinis contribuat, quin potius contra (ut ut attenuet caseosam & pituitosam sanguinis partem) ad ejus tamen separationem à reliqua massa sanguinis ob vitriolatam aciditatem simul faciat, omninò circumspectè admittendus est; præsertim vigente illa massæ sanguineę inæqualitate.

3. Cùm vis attenuandi, incidendi & aperiendi in Chalybe cum insigni siccitate & adstrictione conjuncta sit, illosque idcirco humores, quos fortè non dissolvat & discutiat, magis adhuc impingat: in alogotrophia ossium notabilis ejus usus est suspectus. Etenim metus est ne curtas ossium partes minusque debito nutritas nimium constringat & consolidet; unde postea minus prompte secundum longitudinem accrescant; partes autem protuberantes (ut & convexa ossium latera) liberabilius nutritas cùm dissolvere non valeat, amplius confirmet & contumaciores reddat; eas nimirum plusculum condensando & indurando.

4. In omnibus acutis febribus Chalybis usus noxius est; quòd nimium partes desiccet & constringat: immo eo ipsô, quòd sudores reprimat, humoresque acriores ac feirociores præstet.

His cautionibus ritè observatis, chalybis usum in hoc affectu admittimus: verùm cum Medicastræ, Empiricique nequeant usum ejus ab abusu distinguere, non suaderemus tam nobilis medicamenti usum sine consilio exercitati prudentisque Medici: quoniam nisi circumspectè pręscribatur, tanto cum periculo adhibetur. Alia minoris notę aperientia huic scopo etiam inservire possunt; Ut, radic. fol. cichor. borrag. vel conserv. flor. eorumdem, rad. gramin. asparagi, filicis, rubiæ tinctor. fol. ceterach. Asplen. Capill. vener. &c. inter composita, species diatr. santal. diarrhodon. Abbat. &c. vel,

♃. Sacchar. opt. ℥iij. solvant. in aqu. rof. & coq. paulum ultra syrupi consistentiam; deinde adde conserv. berberorum ʒj. specier. diatr. santal. diarrhod. Abbat. an. ʒj. croci pulver. gr. j. m. F. Electuarium.

Dentitio laboriosa, dolorque dentium, familiaria Rachitidis symptomata, cum febres, inquietudinem, vigilias, aliaque mala producant, peculiarem quoque merentur mitigationem. Itaque si Dens gingivam pertusurus insignem molestiam puello creet, statim ab initio universalis aliqua evacuatio, nisi ea paulò ante facta fuerit, instituenda est; ut vomitus qui dolori dentium potenter subvenire creditur. Proritari autem is potest, vel sola gutturis titillatione, immissa penna vel digito nutricis in fauces puelli, vel etiam frictione dentis erupturi cum folio tabaci circa nutricis digitum involuto, & cerevisia parum madefacta, vel denique propinato haustu aliquo Emetico supra descripto. Non est autem remedium hoc frequenter iterandum, ne ventriculum nimium debilitet. Sequenti die (dolore persistente vel recurrente) potio aliqua cathartica bolusve ex supra præscriptis aut similibus exhibenda. Facta hôc modô universali evacuatione ad Topica deveniendum. Solent nutrices dentem erupturum frustô Corallii in hunc usum polito perfricare. Medici potius commendant radices Althææ, quæ emolliunt & laxant gingivas, quo facilius pertundi possint.

Aliqui pro secreto habent frictionem dentis dolentis cum radice lapathi acuti. Alii plurimum commendant frictionem gingivæ è qua erupturus est dens, cum crista galli recenter abscissa, aut sanguine calido ex isto vulnere extillante. Quæ in aures instillari solent; In hac ætate non experti sumus; similiter neque Emplastra mastichis, Olibani vel de minio, quæ in adultis fluxionem sistere observantur. Aliqui parva Emplastra Epispastica pone aures applicant, quæ forte materiam dentibus dolorem inferentem revellunt. Sed neque de his judicium nostrum interponimus. Tandem non proficientibus universalibus, solemus ad hypnotica confugere; quę quidem extra applicata parum efficiunt; intrò verò assumpta ubi ritè præparata & correcta fuerint, plurimum juvant. Urgente ergo inquietudine, & vigiliis, hæc vel similia præscribimus.

♃. Diascord. gran. VII. syrup. de meconio ʒ i ß. vel ʒ ij. posseti ex lacte & vino albo parati, paucoque croco tincti ℥j. vel ʒ x. m. & capiat hora somni nocte ista, quæ purgationem proximè subsequitur.

♃. Laud. dispensatorii Londinensis gran. ß. pulv. cord. è chelis cancror. gr. x. caryophyll. ℈j. syr. meliss. q. s. F. bolus deglutiendus vesperi hora somni. Atque hæc de corrigentibus symptomata.

Remedia externa.

Absoluta tandem disquisitione de materia & speciebus

bus internorum medicamentorum, ad externa remedia sermo noster dirigendus est, quæ quidem ad ultimum locum reservavimus: non quòd ea perpetuò ultimò sint exequenda, sed quo diversi planè generis sint ab internis; Administranda verò imediatè post evacuantia universalia, aut saltem post electivè purgantia, simulque cum alterantibus specificis, ad quorum genus, pertinent, licèt quatenus externa sunt, ab iis, ut dictum est, differant: monendum hîc autem externi remedii nomen paulò latiùs hîc à nobis accipi, adeo ut omne medicamenti genus, quod propriè neque ad Chirurgica, neque intus assumpta referatur (modò in hujus affectus curatione usum) sub se complectatur.

Exercitii modis, seu genera omnia puero consueta, suô locô & tempore in usum venire possint. Quandoquidem autem Puelli Rachitide laborantes motum nonnihil adversantur, atque ob virium languorem & exercendi desuetudinem, statim à curationis principio, vix, aut ne vix quidem violentiores motus perferunt; à mitioribus exercitiis perpetuò ordiendum, & dein paulatim gradatimque ad fortiora progrediendum: similiter breviori tempore ab initio, posteà autem longiori absque intermissione sunt continuanda.

Distinguimus ergo exercitia in leniora & fortiora, seu mascula.

Leniora referimus, 1. ad morem decubitûs; 2. ad agitationem in cunis: 3. ad gestationem vel tractationem in ulnis, vel manibus nutricum, 4. ad lusus sedentarios.

1. Decubitus supinus inter omnes corporis positiones maximè ab exercitio recedit, & in extrema virium debilitate ferè solus convenit; ut in febribus acutis, exhaustis jam viribus. Solus etiam in multis Thoracis & Hypochondriorum casibus convenit, ut frequenter in inflammatione Hepatis, Lienis, Pulmonum, in Pleuritide, in Adnascentia Pulmonum cum Pleura, in Empyemate &c.

Decubitus lateralis versus supinum; sive dexter, sive sinister, quamproxime ad hunc decubitum accedit, & tantillum de natura exercitii participat. Quare convenit etiam in magnâ virium debilitate, saltem positionis corporis mutandæ causâ, ut & quando profundior somnus non expectatur. Porrò & proficuus est satis robustis, tempore primi vel secundi somni, mutatis post justa intervalla lateribus. Sed non æque forsitan iis postea convenit, præsertim corpore somno satis refecto, tunc enim decubitus, qui propiùs accedit ad exercitii naturam, potior est.

Decubitus simpliciter lateralis pluscululum exercitii continet & debilibus ac insuetis tempore profundioris somni vix quadrat, aliàs autem familiaris iis reddi poterit, si paulatim ei assueverint. Robustis omni tempore, modò justa ratio debitæ variationis habeatur, competit.

Decubitus lateralis versus pronum laboriosus admodum est ac molestus, vixque ipsis robustis insuetis diu continuandus. Attamen paulatim per consuetudinem superatâ molestiâ, faciliùs toleratur; & cùm dolores capitis sedet, concoctionem ventriculi promoveat; colicos dolores mitiget, alvum adstrictam lubricet, perfectô somnô naturæ debitô in usum nonnunquam vocari, & in hoc affectu exercitii supplere vicê potest, accidit enim interdum in hoc morbo, ut pueri ad tempus aliquod vix citra damnum pedibus committantur, immo ut plus emolumenti ex ipso decubitu, quàm ex deambulatione percipiant, Etenim in laxos articulos deambulatio confirmat potiùs quàm curat. Decubitus autem, ubi partes debito modo fasciis munitæ sunt, non parum ad eorum erectionem conducit. Deinde ad curtas partes proceriores reddendas, multùm ipsa decubitûs positio confert, quemadmodum cernere licet ex partium secundùm longitudinem per morbos accretione. Tertiò decubitus ratione communium totius corporis involucrorum, facit ad caloris in omnibus partibus æquationem. Ultimò, decubitus, si justa ratio sternendi lectum observetur multùm contribuere potest ad spinæ truncique corporis incurvationem erigendam. Etenim ubi in latus gibbosum decumbit parvus pulvillus, in hunc usum aptè formatus, sub extantibus partibus immitti potest, atque ita adaptari, ut partes gibbæ magna ex parte totius corporis onus sustineant, adeoque ad rectitudinem repellantur. Quando autem puelli in alterum latus devolvuntur, ita lectum sterni oportet, ut detracto pulvinari pars cava lectum vix tangat, nisi se ad rectam lineam conformet, quò pondere suo ad rectitudtnem deprimatur. Atque hæc de Decubitu.

2. Decubitum proximè æmulatur exercendi illud genus, quod cunarum agitatione perficitur. Cunæ binis arcubus, seu portionibus rotæ, seu circuli, sustentantur, quo autem majoris circuli portiones sunt hi arcus; eo efficacius exercitium puello præstant. Motus hic profundioris somni tempore intermittendus, aut saltem remittendus est; tempore verò vigiliarum, per vices modò intendendus, modò remittendus est. Convenit maximè debilioribus, vix dum pedibus insistentibus, aut aliter ab incessu impeditis.

3. Gestatio in nutricum obambulantium ulnis, iisdem prope puellis & sub iisdem conditionibus convenit, similiter Gesticulatio puelli ad rhythmum cantûs, sive dum Nutricis genibus insidet, sive dum ejus manibus sustentatur, ut & ejusdem horsum illorsum jactatio frequensque elevatio & demissio, leniter apprehensis manibus, si puellus fortior sit, aut axillis, si debilior, ita quidem, ut crura & truncus inter movendum dependeant, Præterea tractio & retractio puelli, super lectum vel mensam inter binas nutrices altera manus, altera pedes apprehendente. Duo ultimi motus aliquid videntur contribuere ad spinæ curvæ seu inflexæ erectionem, præsertim si manus, quæ humero depresso, & pes, qui coxendici elevato inarticulatur, paulo fortiùs quàm altera manus vel pes trahantur. In eumdem prope scopum collimare videtur elevatio puelli, apprehensis solis pedibus, ita ut truncus & caput puelli inverso situ aliquandiu dependeant; licet hæc actio videatur quoque nonnihil respicere Hepatis adnascentiam, si qua adfuerit. Ut & convolutio illa corporis, qua demisso capite, attolluntur pedes, iterumque elevato capite corpus totum invertitur. Huc quoque referatur rotatio illa puelli, à nonnullis usurpata, super lectum vel mensam corpore lateraliter reclinato: quam magis probamus, si non integrè circumvolvatur: sed tantùm volvatur ac revolvatur corpus supposito duriusculo pulvinari, cui pars gibba incumbat, onus corporis sustineat. Hoc exercitium rectè administratum multùm ad corporis deflexi erectionem confert.

4. Lusus sedentarii minimum inter omnia exercitia emolumentum pueris Rachitide detentis adferunt, iisque placandi causâ potissimùm permittuntur, utiliores verò erunt, quô magis eos ad movendos pedes provocant, ut, verbi gratiâ, si à Nutrice, erecto vel projecto coram pedibus corpusculo aliquo, irritantur ad id calcitrando evertendum, vel abigendum. Quòd si puelli corpus incurvum sit, ii lusus adinveniendi sunt, quibus puellus ad corpus in partem contrariam movendum alliciatur. Ubi ergò alter humerus altero est depressior, alliciantur ab isto latere, ostensis supernè pupis vel crepundiis, manum humerumque simul elevare & extendere, quo

quò oblatum objectum arripiant. Innumera propè ejuſmodi particularia exercitia fingi poſſunt, quæ nutricum induſtriæ relinquimus.

Maſcula exercitia majoris notæ ad tres titulos reducimus.

1. Ad Inceſſum; 2. ad artificialem corporis ſuſpenſionem; 3. ad Frictionem, & Hypochondriorum atque Abdominis contrectationem.

1. Inceſſus, Greſſus, ſive Obambulatio inter nobiliora exercitia numerari poteſt. Etenim pueli ætate grandiores, ut & robuſtiores, quique huc illuc quotidie diſcurrere ſolent, hoc ipſo, ceteris paribus facilius affectum hunc excutiunt. Verùm hoc exercendi genus iis non temerè permittendum, quorum articuli genuum, talorum aut vertebrarum dorſi nondum eo uſque confirmati ſunt, ut oneri corporis ſuſtinendo ſint pares. Ubi enim pueri ex incuriâ Nutricum (ut ſupra monuimus) præmaturè pedibus committuntur, facile ſit, ut articulos iſtos vel introrſum, vel extrorſum, vel antrorſum, vel retrorſum, deflecti ſinant, adeòq; deformitati illi in debita corporis erectione occaſionē præbeant.

Porrò, illi pueli, qui vel ex nativa debilitate & laxitate ligamentorum, vel ex incuria Nutricum, malove uſu, articulorum deflexionem jam contraxerunt, non ſunt pedibus exercendi, donec ferulæ, aliave munimenta, quæ articulos deflexos erigere erectosque ſervare valeant, iis adaptentur: Atque aliis interim proficuis exercitiis, ſaltem non nocivis, partim ſuperiùs, partim inferiùs deſcriptis, aſſuefaciendi ſunt. Diſcurſus puerorum in ſuis curriculis, ita conſtructis ut eos à titubatione, & caſu inter incedendum defendant, in eundem ſcopum collimat, iiſdemque legibus ſubjicitur.

2. Artificialis corporis ſuſpenſio perficitur ope inſtrumenti cujuſdam penſilis ex faſciis ea arte formati, ut pectus ſub axillis complectatur, caputque ſub mento alia faſcia circumdet, manuſque binis anſis excipiat, unde corporis onus partim à pueri manibus, partim à capite, partim ab axillis in aëre pendulum ſuſtineatur ita, ut ab adſtantibus non ſine voluptate huc illuc impellatur. Hoc exercendi genus multis modis in hoc affectu conducere creditur. Etenim ad oſſa curva reſtituenda, ad articulos deflexos erigendos, ad curtam corporis ſtaturam elongandam, conducit, quinetiam, quod & alia præſtant exercitia, calorem vitalem excitat, unaque uberiorem alimenti ad partes externas primòque affectas diſtributionem promovet: atque interim puellis huic exercitio aſſuetis voluptatem potiùs, quàm moleſtiam creat. Aliqui, ut magis diſtendantur partes, calceos plumbeos pedibus adaptant, & contractiori corporis lateri pondus adjiciunt, quò faciliùs partes ad æqualem longitudinem extendātur. Hoc autem exercitium ſolis robuſtioribus competit.

3. Frictio quoque ad maſcula exercitia ſuo modo referri poteſt: non quidem reſpectu activi alicujus motus in puello ad ejus adminiſtrationem requiſiti (ſiquidem Nutricis potiùs actione quàm pueri perficitur) ſed ob conſimilem vim & efficaciam, quam habet in morbi hujus curatione. Videtur autem frictio dubii eſſe generis, & partim ad exercitii, partim ad exteriùs applicandorum genus pertinere, quo reſpectu ad hunc locum eam reſervavimus, ut ſimul exercitiorum agmen claudat, & extrinſecus applicanda immediatè præcedat. Adminiſtranda hæc eſt (hyberno ſaltem tempore) coram luculento igne, puello undique bene munito, ne afflatu frigidi aëris lædatur. Perficiunt hanc frictionem nutrices, aliæ manu calida, aliæ linteis ſiccis & calefactis, aliæ pannis laneis, aliæ verriculo. Et quidem aliquæ plurimum laudant verriculum, cæteriſque modis præferunt: verùm cum tantillum intereſſe videatur quo ex his modis peragatur, ſingulos probamus, electionemque penes Nutrices ſagaces permittimus. Cæterum ordiantur hanc frictionem à ſpina dorſi corpore puelli pronô collocatô, & manuum modo ſurſum, modo deorſum, modo lateraliter promoveant, illinc ad clunes, femora, ſuras, talos, plantas pedum deſcendant; poſtea reſupinatô corpore, pectus, ventrem, hypochondria & latera, necnon anteriora crurum, tibiarum, pedum, moderatè fricent, abſtinendo tamen à frictione, quà parte oſſa prominent, & liberaliùs fricando partes eorum cavas. Non continuanda eſt hæc actio ultra levem ruborem in partibus excitatum, ne magis diſſipetur, quam ſuſcitetur nativus calor. Hoc exercitii genus maximè infirmioribus puellis convenit, quique aliàs ſtatione aut greſſu vix ſatis valeant ſeſe exercere. Supplet enim vicem hujuſmodi exercitii, & calorem inſitum excitat, vitalem evocat, alimentum ad partes affectas attrahit. Concedimus tamen frictionem paulò minùs ad muſculorum carnes, licet fortè magis ad partes cutaneas, nutrimentum ac calorem allicere, quàm exercitium propriè ſic dictū, adeòque eam veris exercitiis dignitate ac præſtantiâ cedere. Ad frictionem quam proximè accedit illa nonnullis uſitata contrectatio ventris, ſeu hypochondriorum & abdominis, qua viſcera, modo ſurſum, modo deorſum, modo dextrorſum, modo ſiniſtrorſum premunt, intrudendo nonnunquam digitorum apices, ſub coſtis nothis.

Et ſperant Practici, neque præter rationem, ſe hac actione Hepar à preternaturali quavis adnaſcentia cum peritonæo liberare, ſi qua fortè talis adfuerit. Atque hic obiter notamus talem Hepatis adnaſcentiam in hoc affectu facilè ob tenſitatem hypochondriorum & magnitudinem hepatis accidere poſſe, unde precisè admodum arctèque peritonæum & Hepatis membrana conjungantur, conjunctaque diu in eadem poſitione maneant, adeòque tractu temporis promptè coaleſcant. Coaleſcentia hæc quatenus ab Hypochondriorum tenſitate, & mole Hepatis, ut diximus, dependet, non incongruè ad eſſentiam hujus morbi ſecundariam referri poteſt, viz. ad vitia Organica, inter quæ recenſeri meretur, quamvis ſuprà ſuô locô, caſu à nobis fuerit omiſſa, ideòque hîc viſum eſt ejus mentionem facere. Hæc de exercitiis, ſequuntur exteriùs applicanda.

Remedia hæc non tantùm, ut diximus, frictionem prerequirunt, ſed & plerumque cum ipſa frictione, at leviori, adminiſtrantur. Sunt autem, vel generalia ſeu univerſalia, omnes partes ex equo reſpicientia; vel particularia, certis regionibus corporis dicata. Generaliū materia eadem ferè eſt, quam ſupra propoſuimus, ubi de alterantibus ſpecificis; particularium verò varia, pro varietate regionum corporis, quibus applicanda ſunt. Formulæ utriuſque generis prope omnes communes videntur, & quinque numero occurrunt; Liquores, olea, linimenta, Unguenta, Emplaſtra; quanquam Emplaſtra coſtis potius partibus dicata, nunquam univerſo corpori ſimul applicanda veniunt.

Liquores in hoc affectu longo uſu probati, ſunt omnia prope vini genera; imprimis verò vinum Moſcatellinum. Aliqui verò potiùs commendant, viniſque præferunt cerevifiam Gedanenſem, ſeu Pruſſiacā: quæ quidem ad conſolidandas & firmandas partes plurimum, ad ſanguinis autem æquationem ejuſdemque æqualem diſtributionem parum aut nihil poteſt, idem quoque judicium eſto de vino Alicantico, ut & de

de vino rubro. Aliqui loco vini utuntur aquâ vitę vulgari, quæ nihilo inferior vino creditur. Decocta quoque in eundem usum parari queunt. Ut.

℞. Rad. osmundæ regal. fol. salv. flor. calend. fol. lauri, scolopend. veron. mar. an. m. ß. roris marini, ros. rubr. siccat. an. p. j. coq. in aq. font. & aq. vitæ vulg. an. ℔j. ad tertiæ partis absumptionem. Colatura servetur ad usum. Vel,

℞. Radic. filic. mar. ℥j. fol. Osmundæ reg. hormini, lauri, salv. veron. mar. an. m. ß. F. infusio in vino aliquo, & liquor colatus servetur in usum.

Cæterùm liquores hi rarò, aut nunquam, soli adhibentur, sed oleis, linimentis vel unguentis, æquis ferè partibus admixti; & quidem coram luculento igne tepidi usurpandi, calidâ Nutricis manu, donec exsiccentur, affricti.

Olea composita, & probata in hoc affectu, pauca admodum, eaque vix satis efficacia, in officinis parata servantur. Simplicia verò paulò plura; ut oleum vermium terrestrium, chamæmeli, florum calendular. veronicæ mar., è pedibus bovinis: quibus etiam addere possumus oleum vulpinum, catellorum, hirundinum; modò hæc ultima simpliciora, & saltem absque impensè calidis parentur.

Oleum Excestrense (licet eo nonnulli practici utantur) videtur calidius, quàm ut per se solum in tā tenera ætate facilè probemus. Idem judicium esto de Oleo Castorei Jacobi de Manliis, ut & de plurimis unguentis antiparalyticis, Unguento Nervino, Martiato, Aregon, & similibus. Torpor enim in hoc affectu non paralyticus est, neque perinde ac in vera paralysi, impensè calida expetit: neque etiam conjuncta partium flacciditas talia, absque spirituum insitorū dissipatione, facilè admitteret. Quare cùm hic morbus novus sit, si velimus olea, unguenta vel linimenta ei appropriata, ad manum habere, oportet ut recta methodo compositionem instituamus; nimirum specifica alterantia suprà usitata, Oleis vel pinguedinibus, debito modo admiscendo. Ut;

Prima. ℞. Fol. salv. rubr. veron. mar. anagallid. flor. calendulæ, an. m ij. rad. osmundæ reg. ℥vi. butyr. Majal. ℔ iij. vini alb. ℔ ß. concisæ herbæ, & contusæ radices coq. s. a. ad vini absumptionem: dein F. expressio, dum adhuc calent, cui adde oleum nucis Myristicæ per express. ℥iß. Misceantur diligenter & post subsidentiam abjectis fœcibus, F. ung. purum, quod in olla vitreata reponatur ad usum. vel,

Secunda. ℞. Fol. chamęm. beccabung. nasturt. aquat. cochlear. hort. Veron. mar. cardiacæ; capill. vener. ling. cervin. ceterach. lauri, summit. menth. rubr. salv. rubr. rorismar. baccar. hederæ an. mß. rad. osmund. regal. ℥v. vini Moscatellini ℔ß. butyr. Majalis ℔ iii. incidenda incisa, & contundenda contusa. coq. omnia ad vini absumptionem, exprimatur dum calet, &, separatô impurô sedimentô. F. s. a. unguentum. Vel,

Tertia. ℞. Fol. salv. rubr. veron. mar. ling. cervin. Xiris, an. m ij. rad. osmundæ reg. ℥ vi. summit. lavendulę, roris mar. fol. lauri, an. mß. aq. vitæ vulg. ℔ j. ol. è pedibus bovin. ol. vulpin. an. ℔ j. sevi cervin. vel vervecin. vel medull. bovin. ol. lumbricor. an. ℔ j. coq. ad consump. aq. vitę, exprimatur ung. dum calet, & separatis fæcibus reservetur in usum.

Quarta. ℞. Fol. osmundæ regal. virentis M vi. anagallid. flor. calendul. fol. salv. rubr hormin. cardiacæ, beccabungæ, nasturtii aqu. an. manip. j. fol. roris marini, lauri an. m. ß. concisa omnia minutim contundantur optimè in mortario marmoreo, vel ligneo, cū ℔ vi. butyri non saliti; inde macerentur per dies 14. tum paulatim liquescant in balneo Mariæ & simul ac fervescere incipiunt, F. Expressio, iterumque addantur herbæ ut prius. Tandem unguentum expressum, & depuratum, recondatur in vasibus idoneis, ad usum.

Hisce generalibus externis remediis nonnulla particularia, certas corporis regiones spectantia, subjungi possunt. Ut,

Si regio abdominis, pręcipuè Hypochondriorum, tensa, dura tumidaque fuerit; neque durities, tensitas, tumorve purgationi debito modo administratæ cesserit, ad hujusmodi topica deveniendum est. Ut,

℞. Ol. de capparibus, de absynthio, sambucini, an, ℥j. ung. generalis primi suprà descripti ℥ i ß. M. F. linimentum. Vel,

℞. Unguent. è succis aperit. Foesii ℥iij. ung. primi generalis ℥i.. M. F. unguentum. Commendatur etiam oleum saxifragiæ ex multiplici infusione & coctione herbæ concisæ & contusæ fact. in oleo vulgari.

Tempore usûs hęc, similiaque unguenta, vel linimenta, cum aliquo appropriato liquore facilioris penetrationis causâ misceri possunt. Ut,

℞. Flor. sambuci, fol. salv. rubr. contusorum, baccarum lauri contusar. santal. albi crassiusculè pulv. an. ʒ ij. vini albi ℔ ij. macerentur, per tres dies in loco frigido, in ampulla vitrea, subere accuratè clausa, bis in die concutienda, tempore usûs portio liquoris, quæ pro una vice suffecerit, effundatur colata; denuò clausum vas reponatur in usum, vel (si fortiorem malis)

℞. Rad. bryon. alb. siccat. & incis. baccar lauri, stercor. Anserini, an. ʒ ij. sem. Cymini ʒj. fol. salv. rubr. flor. sambuci an. pug. j. coque in ℔ i ß. vini Rhenani, ad ℔j. colatura servetur in vase clauso, locô frigidô.

Liquores hi, similesve unguento commixti, & ad ignem calefacti, calida nutricis manu, abdomini & præcipuè Hypochondriis, ad siccitatem usque affricentur: simulque Nutrix istas partes molliter contrectet (viscera modò sursum, modò deorsum, dextrorsum vel sinistrorsū premēdo, ut suprà dirigitur.

Egregiè etiam hîc confert balsamum de Tolu, Unguentis vel Emplastris admistum. Potest & ex eo fieri Emplastrum, quod spinæ debili utiliter applicatur.

Emplastra quoque huc nonnihil contribuere videntur: ut,

℞. Cerati santalini ℥ iij. Gummi Ammoniaci in vino Rhenano, vel vino aliquo medicato modô descriptô, soluti, depurati, & ad spissitudinem iterum cocti ℥ j. F. s. a. Empl. hujus porrò sufficiens quantitas extendatur super alutam, & dextro hypochondrio coaptetur vel etiam sinistro (si durities quod rarò accidere putamus) illic magis urgeat. vel,

℞. Succor. beccabungæ, nasturt. aqu. cochleariæ hortensis, absynth. cortic. sambuci, rad. filicis maris, an. ℥ j. succ. depurat. lento calore, ad crassitiem fermè extracti redigantur; tunc adde in pulverem subtilissimum comminuta santali citrini ʒij. macis ʒiß.

℞. Mixturæ hujus ℥iß. gumm. ammoniaci in vino soluti & ad spissitudinem cocti, ℥iv. misceantur calide, & continuè agitentur, donec incipiant frigescere & indurari: & fiat Empl. applicandum ut priùs.

Porrò pulmonum malè affectorum gratiâ, frequenter quoque peculiare unguentum pectorale ex usu est, in quo casu.

℞. Ol. viol. lilior. alb. unguenti è floribus Arantiacis, an. ℥j. m. F. linimentum, calidâ manu pectori affricandum, superimposita charta, mollique lana intersuta, vel panno laneo, addi huic linimento potest exigua quantitas balsami peruviani. Vel,

℞. Unguent. pectoralis ℥ij. ung. Glycyrrhizæ simplicis ℥iß. ol. viol. ℥j. M. F. linimentum, eodem modo adhibendum.

Cæterùm ung. glycyrrhizæ simplex sic conficitur.

℞. Glycyrrhizæ recent. & succulentæ, ℥ iv. butyr.

butyr. recent. non saliti, in aqu. rosacea loti, ℔j. glycyrrhisa incisa contundatur optimè cum butyro in mortario lapideo; postea simul frigantur in sartagine: tunc F. colatura cum expressione; idemque labor ter iteretur, cum pari quantitate novæ glycyrrhizæ.

Denique propter summam spinæ dorsi debilitatem, quę in hoc affectu frequens esse solet, Emplastra quædam isti appropriata. parari possunt. In pharmacopæis extant Empl. de betonica & Diacalciteos; cui tamen tempore usûs addenda est mastiches, olibani pulv. an. ʒ ß. Emplastrum quoque, flos unguentorum dictum, huc referri potest, modo caphura omittatur, similiter & Emplast. nervinum, vel.

℞. Unguent. primi generalis ℥ij. herbar. ejusdem compositionem ingredientium, minutim concisarum ℥v. ceræ citrinæ ℥iv. resinæ purissimę ℥ VIII. unguento, resinâ, & cerâ liquatis, adde herbas, & s. a. F. Emplastrum. Vel.

℞. Unguent. generalis tertii ℥xv. lithargyri auri triti & cribrati ℥ix. coque simul spathulâ agitando ad Emplastri consistentiam. Tum adde ceræ, picis burgundiacæ, an. ℥iij. olei nucis Myristicæ expressi ʒiij. mastiches, olibani, myrrhæ an. ʒi ß. castorei ʒß. vitrioli albi pulverati ℥ß F. Emplastr. s. a.

Discrepant autem practici, in figura & applicatione horum Emplastrorum. Aliqui oblongam, & angustam figuram eligunt, & secundùm longitudinem spinæ applicant. Alii potiùs figuram latiusculam & propè triangularem probant; & à lumbis deorsum super os sacrum ad Coccygem usque, extendunt. Nos autem existimamus, ubi inferiores partes spinæ, tum crura ac tibiæ, partes illæ nimirum, quæ ab inferiori spinæ parte nervos suos mutuant, præ superioribus infirmæ sunt, formam posteriorem convenire posse, ubi verò potiùs superiores spinæ partes videntur debiliores, priorem & oblongam formam magis quadrare.

Similiter à nonnullis pro spinæ debilitate linimentum commendatur, quod constat ex gelatina cornu cervi facta cum nervinis & radicibus sigilli mariæ, floribus salviæ & consolidæ, tempore inunctionis admiscendum est aliquid olei nucis Myristicæ per expressionem, vel olei lumbricorum terrestrium, aut adipis human. Atque hæc de medicamentis externis. *Hactenus Franciscus Glissonius, Tractatu de Rachitide.*

Anatomicæ Inspectiones.

Rachitidis & respirandi difficultate laborantis, anatomica inspectio.

Infans dentitionis tempore languebat. Adfuit à principio tussis molesta & spirandi difficultas, quæ indies increscebant; caput solito majus erat: membra flaccida: carpi aut tarsi protuberabant; aderant nodi in costarum cartilaginibus; venter tumebat: pectus macre fuit. Tandem emaciatus obiit diem.

Abdomine inspecto, cuncta sana, sed justo majora. Intestina aëre turgida. In thorace sternum reflexum, pulmones exucci & plumbei coloris. Mirum, membrana pulmones succingens aspera erat & protuberantiis, tuberculisque, verrucis non dissimilibus. Apertis pulmonibus, in plurimis locis tartarea seu gypsea substantia concreverat.

Infantem hunc ex diętæ vitio, sive cibi sive lactis, quo sugendo alebatur, Rachitide seu morbo anglico, laborasse certum est, cùm omnia signa huic quadrant. omnia viscera in hisce symptomatibus, quæ nervos à cerebro accipiunt melius habere videntur, quâ membra, quæ nervis ex spinali medulla gaudent. Causam genuinam in obstructione medullæ spinalis pono: quæ non quidem planè paralytica est, sed pro parte. Succi enim nervosi talem particularum proportionem possunt habere; ut cerebri glandulas, ejusque nervorum originem facilè permeent medullamque spinalem quasi obstruant. Hinc causa petenda cur quædam partes nimium nutriantur, quædam autem flaccescant.

Incurvantur ossa, quia musculi non crescunt; eodem ritu ac si funis arbori circa radicem & summitatem accommodetur, tum arbor primò esset recta, elapsis verò aliquot annis planè esset curva; hoc modo etiam tota spina incurvatur, adeò ut κυφῶσει vel λορδῶσει laborent.

Ossium nodi protuberant, quia alimentum tenax ad nodos copiâ quidem affluit, sed propter lentorem altiùs in substantiam magis osseam non penetrat, ideòque intra ossium tubercula magis spongiosa subsistit, & protuberare facit.

Cùm spina ita contrahitur, thorax angustatur, hinc pulmones haud justè explicantur & ansam difficili respirationi præbent. Humores interim ibi stagnantes si particulis salinis scateant, crystalisantur, & calculosos pulmones efficiunt. Glandulæ enim minimæ, quę pulmones perreptant, facilè lentis & salinis humoribus obsidentur. Vidi sæpè calculos tracheæ adhærentes, qui unciam semissem & aliquando integram pendebant, ut dixisses totam trachęę fistulam petrefactam fuisse, adeo calculosa erat. Ejusmodi petrefactionem refert *Clariss. Theod. Kerckringius obs.* 27.

Non mirum igitur in infantulo nostro pulmones ita inæquales fuisse tactu, cùm calculi per ipsam membranam ferè protuberabant; hinc liquet cur respiratio difficilis fuerit, aër enim ab hisce tuberculis excludebatur, quò melius succi petrefacturi crystalisando ansam habebant, quàm cùm moverentur: nullus liquor salsus crystallos mittet, quandiu moveatur, sed duntaxat, cùm quietus sit. *Stephanus Blancardus in Anatomia Practica.*

Rachitidem consequutus dolor Colicus lethalis; in quo intestina, ac præcipuè crassa, rubore inflammatoriô hinc inde perfusa, Cæcum tumidum ac sphacelô tactum, Bilis ad instar picis paulò dilutioris nigra &c.

Rachitide priùs affecta puella, spinamque propterea ad lumbos non parum intro adactam gerens, languida semper vixit, ac subinde de doloribus colicis conquerebatur, qui tandem eò atrocitatis devenere, ut sibi quandoque intestina dilacerari crederet, tumque quicquid abdominis regioni umbilicali & cordis scrobiculo interjacet, non parum attollebatur. Singultu præterea ac vomitibus frequentibus, subsistente tamen appetentiâ, vexata, die Jovis 25. Junii 1696. circa sextam matutinam, annò ætatis propè 19. adhucdum tamen non menstruata, staturæ pro ætate humilioris, ac tabida moritur. Cùm post meridiem ejus exenterationi assideremus, adnotavimus primùm exteriùs cutem admodum desiccatam, Abdomen tensum ac tumidum, spinam, ut jam diximus, intrò incurvatam. Abdomine autem apertô vidimus Omentum rubrum, tenue, sed vasis varicosis ad suas origines consitū, omni prorsùs adipe destitutum, & ad usq umbilicū non descendens. Lien sine vitio erat, quamtumvis totam morbi culpam in ipsum rejiciētes mulierculæ eidē inumera, applicuissent remedia. Hepar grandius, malè coloratum, pallidum, maculis lividis conspersum, diaphragmati per sui convexam

convexam partem largiùs ac intimiùs adhærens, minimè interim purulentum, verùm ejus substantia quasi friabilis erat, velut aquæ diutiùs incoctum fuisset. Vesicula fellea adeò visa est turgida ut aliquid bilis contentę transudasset, quo proximum intestinum extus inficiebatur. Hęc autem bilis adeò degener erat, aut colore ac consistentia picem nigram aliquatenus liquatam, referret; ejus verò sapor dissectori subdulcis apparuit, non aliter quàm cùm animalium bili spiritus admiscemus acidos; prædictę autem vesiculæ parietes glutine illo bilioso ita erant infecti, ut eo nisi adhibitis multis lotionibus, digirorumque confricationibus expurgari minimè quiverit. Pancreas bene se habebat, ut & itidem Ren sinister; dexter verò purulentus reperiebatur circa pelvim, nulla tamen apparente ulcerosa cavitate, sed totâ illâ purulentiâ potiùs è fibris visceris tubularis per dissectionem, non aliter quàm alibi lotii materia, emanante. Uterque figuræ erat inęqualis, quàm loculamento à contorta spina efformato, in quod profundiùs compulsus erat, acceptam debebat. Uterus cum ovariis suis bene sanus, cavitate; vix excipere potis semen orobi, & tamen inde ad exteriora specillum liberè transmittens. Intestina, quor[9] aperturam ab inferioribus ordiebamur, ea ratione, quô ordine describemus affecta, observata sunt. Rectũ rubicũdius undique, ac eo mucore, qui illud contra excrementi acrimoniam tuetur, prorsùs spoliatum, materiam continebat pultaceam, griseam, odoris non ita exquisiti. Colon admodum erat dilatatum, tam secundùm sui latitudinem, quàm secundùm longitudinem, ita ut vi sic factâ freno ipsum corrugante, ac in plicas minus profundas cogente, in longum non parum explicaretur, valvulasque conniventes intus sibi appensas, seu potius per interioris tunicę corrucationem efformatas aptèque se intersecantes, ex parte obliteratas exhiberet: Hinc inde bilem viscidum parietibus suis agglutinatam cum exquisita circum inflammatione ostentabar. Materiam ejusdem indolis, quam in Recto descripsimus complectebatur. Cæcum tumidius, coloris extus atri, vasis varicosis totum consitum. circa sui originem crassius, prorsus sideratum, ac putridum, digitis æque facilè ac charta madida lacerabile suprà dicta materia cum aliquot cerasorum nucleis plenum, reperiebatur. Ileon, Jejunum ac Duodenum rubore inflammatoriô, non parum perfusa: Ventriculus admodum contractus, sui cavo materiam pultaceam bile saturatam gerebat. Thorace hinc reserato nihil quod contra naturam foret in eo advertere licuit; ut nec in ipso cerebro quod firmioris erat texturę, per omnes suas partes perquam sanum & probè constitutum, præterquàm quòd glandula pinealis naturali grandior, ad fabæ minoris magnitudinem accedebat.

Non possumus causam mortis dolorumque illam accersentium ex alio repetere quàm pravâ hepatis constitutione, rachiticis familiari, unde bilis degener ferociorisque indolis efformata, ac secreta est, quæ post varios, per totum intestinorum tractum, dolores excitatos, impressiones tandem funestas pluribus locis peperit, quas cultrô anatomicô detectas, mox explicuimus.

Anatome pueri Rachitide defuncti.

Clariss. Samuelis Grassij, Ephemerid.

Germanic. Cent. I. *&* 2.

In sectione pueri rachitici trium annorum sequentia observavi. Intra integumenta abdominis pleraque interstitiâ scirrhosa, ulcerosaque inveniebantur. Hepar erat pergrande, in dextro latere per abscessum ad mesenterium transeuntem; omnia intestina infestantem, cum scirrhescentia & exulceratione undiquaq; contortum, ut neutiquam distincta intestina conspici & distingui potuerint, circa intestinum rectum maxima induratio sive tumor scirrhosus trium digitorum amplitudine observatur. Renes erant integri, & more hujus ætatis satis magni, in dextro inguine inveniebatur relaxatio annulorum peritonæi, ob convoluta verò & purulenta scirrhosa intestina prolapsus in scrotũ non observabatur, bene verò per digitum hiatus percipiebatur. Lien erat magnę & optimæ constitutionis; Ventriculus flaccidus & enervis. Dexter lobus pulmonis erat taliter qualiter constitutus; in thymo tamen dextri lateris abscessus scirrhosus, nucis juglandis viridis magnitudine conspiciebatur: Sinister verò pulmonis lobus totus quantus scirrhosus erat, & pleuræ in superiori parte annatus. Cor cum pericardio optimæ erat notæ. In cerebri ventriculis copiosa inveniebatur lympha.

Ex hisce concludo in rachitico-hypochondriacis infantibus hepatis conformationē nimiam in culpa esse; quia

1. Hepar lymphæ maximum colatorium est.

2. Ob hepatis nimium augmentum, cæteris partibus idem adimitur: Hinc flaccescunt musculosæ partes, & abdomen attollitur.

3. Hinc propter lymphæ defectum in mesenterio, ejusdemque glandulis restitans chylus varices, obstructiones, flatus, & intumescentiam abdominis causatur.

4. Ob lymphæ in musculosas partes denegatam distributionem, eadem in capite cumulatur, caputque grandiorem nanciscitur figuram; lympha verò nutrix largiori per nervos & vasa lymphatica influxu præcox ossibus per medullam infert nutrimentum, ut non mirum quod propter minus nutritos tendines & musculos, ossa abundanter crescant, incurventur, & ramorum instar exostoses protrudant.

Videre poterit Lector verè Anatomicus, quomodo hæc ratiocinia ac conclusiones genuinis Oeconomiæ animalis legibus accommodentur.

RAMEX.

Vid.

HERNIA.

RANULA.

I. Nonnumquam sub lingua, propè ejus vinculum, seu ligamentum, tumor oritur, Græcis βατράχ@, Latinis Ranula, dictus, quod hoc sublinguali tumore correpti, coaxando magis quàm loquendo mentis sensum enunciare videantur. Est autem Ranula tumor mollis, laxus, muci plenus, sub lingua prope ejus frenulum subsistens, atque loquelę libertatem adimens. Enimverò tumore hoc aperto mucus prodit, ovi albumini colore & consistentiâ non multum absimilis. Et scribit Aquapendens, se aliquando hujusmodi tumorem vidisse adeò ingentem, ut omnes fermè oris partes labefactarit. Equidem errat ille, quãdo Meliceridis speciem hunc tumorem esse putat; quum non eadem in hoc, atque in Meliceride, contineatur materies

II. Circa causam verò hujus tumoris, Veteres omnes, tum Medici, tum Chirurgici, quibus latuit vera organorum salivaliũ structura, perperam ratiocinantur; sanguinem

ſanguinem accuſantes craſſum & terreſtrem, ſeu ut loquuntur, humorem tartareum in venis ſub lingua coacervatum, aut pituitam lentumque humorem è cerebro eò ſtillantem, partibuſque hiſce infixum. Sed repertis, ac palam oſtenſis, organis ſalivæ generationi & excretioni dicatis, potiùs dicamus oriri ranulā à ſaliva nimis acri ſimulque viſcidiore, quæ per inferiores ductus ſalivales erumpens atque ob ſuam ipſius viſciditatem extrema ipſorum orificia liberè permeare nequiens, hinc ſub lingua, propè ejus ligamentu ſubſiſtens huc ibidē tumorem, ingenti cum dolore, excitat.

III. Sed ut tollatur ſublingualis hic tumor, laudant pulverem, quo identidem ranula fricetur, e. g.

℞. Pyrethri, zinziber. an. ʒj. ſal. comm. gem. an. ℈ij. radic. iridis, hermodact. an. ʒß. origan. calaminth. maſtich. an. ℈j. M. F. pulvis. Ex iiſdem in aq. & vino decoctis, oris collutio fieri poteſt.

Avicenna extollit origanum, cortices granator. & ſal, quibus mixtis & pulveratis ranula fricetur. Veruntamen hiſce, aliiſque medicamentis, quæ paſſim apud Autores deſcribuntur, rarò admodum curatur ranula, vixque ea ſanatur niſi Chirurgiâ.

Paræus Chirurg. lib. 7. cap. 5. Vigierius Chirurg. lib. 1. cap. 36. & alii, tumorem hunc ſublingualem aperiendum cenſent actuali cauteriô, hinc materiam intus contentam educendam, ne malum revertatur. Alii acum per tumorem tranſmittunt, atque vulnus deinceps cum ſcalpello dilatant, ut concluſus humor effluat; quô effusô cum aqua mulſa gargariſare jubent, quam & per ſyphunculum in apertum tumorem immittunt, ac ulcus tandem legitimè claudunt. Sed quoniam contentus in hoc tumore humor nimis viſcidus eſt & tenax, quàm ut per exiguam hanc aperturam poſſit evacuari; ideò cum Fernelio, multiſque aliis, legitimam hujus tumoris curationē eſſe puto, ut ranula ſcalpellò utrinque aperiatur, & quidem ſectione latâ, & profundâ, quæ citra periculum fieri poteſt. Ubi verò humor effluxerit, & ultrà expreſſus ſit, ſæpiùs os colluatur hordei decoctō cum melle roſaceo, tantillo addito ſalis prunellæ, donec nihil amplius tumoris in loco affecto reliquum ſit. Nigra autem, vel fuſca, & dura ranula, quæ cancroſa eſt, attingi non debet. *Joh. Munnicks in Chirurg. ad Praxin hodiernam adornatâ.*

REDUVIA.

Vid.

PARONICHIA.

RECUTITI.

Vid.

PENIS VITIA.

RENUNCIATIO.

R*Enunciationum materia eſt admodum ampla, & ad omnes propè Medicinæ partes ſe extendit: Siquidem vix aliquid morbidi occurrit in quo renunciandi occaſio aliquando non exhibeatur. In gravidarum, ac in earum quæ pepererunt, v. g. examine; atque in illis quæ ante aut poſt partûs terminum ordinarium fœtus ſuos enixæ ſunt; in Viris, aut Mulieribus matrimonio inhabilibus; in iis qui veneno enecti ſunt; in Leproſis, in Lue Venerea affectis, innumeriſque aliis ægritudinibus & caſibus dubiis, Medicus à Magiſtratu adhibitus, ſolidis rationibus ac authoritatibus fretus, tanquam legitimus judex pronunciat. Verùm inpræſentiarum hocce in argumento nos in iis reſtringemus quæ à Medico, aut Chirurgo frequentiùs expetuntur; ſcilicet in Vulnerum ipſorumque lethalitate, aut non lethalitate, aliorumque paucorum Renunciatione. Præterquàm quòd etenim de Partûs termino plurimâ videri poterunt in ſecunda Bibliotheca noſtræ Medico-Practicæ, brevi emittendâ, ſic Deo juvante, editione: Gravidarum ac Puerperarum examen totum difficultatibus horridum reperitur, dum, ſcilicet ſignis nimium æquivocis ac fallacibus innititur; aliarum renunciationum quæ à Medico expetuntur, pars maxima à morborum accurata diagnoſi unicè dependet. Vulnerum itaque lethalium, vel minimè lethalium examen jam referre ſtudentes, duos adhibebimus tractatus; primum ſcilicet ab Excellentiſſimo Godefredo Welſchio, in Lipſienſi Academia Medicinæ Profeſſore famigeratiſſimo, conſcriptum, & jam annô 1674. evulgatum; in quo quia renunciationum formulæ linguâ Germanicâ, Doctis omnibus minimè notâ, traditæ reperiebantur; earum in linguam latinam tranſlationem perfici curavimus. Alterum, perelegantem ſanè, à Præclariſſimo Viro Joh. Bohnio, Profeſſore itidem Lipſienſi, de Renunciatione Vulnerum, jam annô 1689. publici juris factum, non ita pridem verò, annô ſcilicet 1711. rursùs cum non contemnendis correctionibus & auctariis Lipſiæ editum. Veniat itaque primò.*

Clariſſ. Godofredi Welſchii Rationale Vulnerum Lethalium Judicium, ſeu de Vulnerum Lethalium Natura & Cauſis, eorumque legitimâ Inſpectione.

CAPUT I. *De Lethalitate in Genere.*

Cùm, ad dicendam ſuper *Lethalitate* Sententiam, maximum intereſſe videatur, ut in anteceſſum ſtatim conſtet, quid propriè *Lethalitatis* nomine veniat, vel venire tamen debeat, operæ pretium eſſe exiſtimo, ut ex Principum Medicorum Scriptis, communique Rationalium, ac Dogmaticorum Fonte, genuinus Rei iſtius hauriatur ſenſus; Hinc ſi Patrios Artis Medicæ inveſtigemus Lares, nihil vulgarius, quàm τὸ θανάσιμον occurere, experimur ubique; quod, cùm ἀπὸ τῦ θανατόω, *mortem infero*, & hoc ἀπὸ τῦ θάνατος, quod ἀπὸ τῦ θνήσκειν, mori, *Mortem* denotat, derivetur, primo ſtatim intuitu omnem Ambiguitatis videretur removere remoram; Verùm enim verò ſi Hippocratem, accuratumque ipſius Commentatorem Galenum, hinc inde evolvas, conſulaſque pluribus in locis, τὸ θανάσιμον, vel, quod idem, θανατώδες Ipſorum, non idem ſemper ſignificare comperies; Sic enim vel pro eo tantùm, quod κακὸν, vel κινδυνώδες, malum, pravum, pernicioſum, ac periculoſum eſt, accipitur; Ita namque Hippocrates *Vulnera Capitis, quæ Oſſibus Syncipitis infliguntur*, θανασιμώτερα καὶ χαλεπώτερα (ut ſtatim addit) non Lethalia purè, ſed pernicioſa magis, magiſque periculoſa dicit, *quàm ſi in qualibet alia Capitis parte iſta accidant*; cùm, quod χαλεπὸν eſt, non ſtatim θανάσιμον ſit; Unde idem Hippocrates, Teſte Galeno, τὸ θανάσιμον, vel θανατώδες *de Convulſione ex Hellebori uſu* prædicat, non quoad ea *Mortem ſimpliciter* inferat, ſed quòd mala ſit, ac periculoſa, quia ex helleboro (& albo quidem, ut Gal. addit) utpote qui hypercatharſin facilè, vomitum, &, per conſenſum ventriculi cum cerebro, mala plurima inducere ſolet, prognata eſt.

Propriè tamen magis de *Eo* dici videtur, quod in *morbis, eventûs ratione*, vel *dubium* ſatis, atque ſummè *periculoſum* eſt, & ita quidem, ut, ſi ſervari & evadere quoſdam, contingat, rarum ſit; Id quod Galenus

lenus innuiſſe legitur, dum dicit: *Hoc Verbum Lethale protuliſſe Hippocratem ſæpè de his, qui ἐξ ἀνάγκης & inevitabili qu. neceſſitate, ſæpè etiam de iis, qui ὡσ ἐπι τὸ πολὺ, & magna ex parte, morituri ſint;* Unde Ipſe Hippocrates dicit: ἀποθνήσκουσι δὲ μάλιστα, *&c. Moriuntur autem* maximè *&c.* vel, ut Interpres reddit, ferè *autem mors contingit, ſi cui vulneratum fuerit Cerebrum &c.* hinc, cùm non omnès in univerſum, quibus Cerebrum vulneratum eſt, mori *ſemper* contingat. neque θανάσιμον h. l. *ſemper*, ſed ὡσ ἐπὶ τὸ πολὺ, & *ut plurimum*, *Lethale* eſſe, manifeſtum eſt.

Vel tandem pro *Eo*, quod θανάσιμον ἐξ ἀνάγκης, ex *neceſſitate*, vel *ſimpliciter*, & *abſolute*, *Lethale* eſt, & nullâ ope, nullâ curâ, nulliſque corrigi poteſt mediis ac remediis; hoc eſt, ubi ſumma, & inevitabili (conſequutionis, putà) neceſſitate, ac qu. *ſecundùm Canonem*, quod dicitur, moritur Patiens, & Vita nullo Artis Conſilio ſervari, & prolongari poteſt. Qui in re *Hippocratis*, & *Galeni* ſententiæ, *Celſus*, *Fallopius*, *Foreſtus*, *Hildanus*, *Sennertus*, *Severinus*, & Alii, adſtipulantur unanimes.

Cùm verò uti hactenus in *foro Medico* receptum eſſe conſtet, ut illud tantùm *Lethalitatis* mereatur titulum, quod vel *ut plurimum*, vel *ſimpliciter*, & *abſolutè*, *mortem*, mortem, inquam, non *Parti*, ut, cùm Brachium gangrænâ correptum, mortuum dicitur, ſed *Toti Corpori* inferre aſſolet; abſque mora proinde in *formalem Vulneris Lethalis rationem* inquirendi anſam arripio.

Cap. 2. *De Vulneris Lethalis Deſcriptione, ac Diviſione.*

Dico ergò, quòd *Vulnus Lethale ſit Unitatis in Parte Humani Corporis, vel nobili vel ad Vitã tamẽ ſimpliciter neceſſaria, à re externa, violenter ſolvente continuum, inducta, & , vel cum diſcrimine, vel ipsâ vitæ jacturâ, conjuncta Solutio.*

Vulnus omne *Solutionem* eſſe *Unitatis*, vel lippis etiam, ac tonſoribus notum eſſe cenſeo; ita, ut plura impræſentiarum de ea proferre, nunc quod ſuſcepi, non patiatur negotium, ſed reliqua potiùs, & quæ ad præſens facere magis videntur propoſitum, datæ *Deſcriptionis* membra accuratiùs examinanda augurer; præprimis cùm *Subjecti* ſtatim, vel *Partis Lethali Vulnere Affectæ* qualitas, ac conditio, commodam dicendi præbeant materiam.

Cùm verò *Lethale Vulnus duplex* in Definitione agnoſcat *Subjectum*, vel *partem affectam*; *Nobilem* unam; *Ad vitam* verò *ſimpliciter neceſſariam* alteram; inquirendum proinde ulteriùs, quid ſit, & in quo conſiſtat *Nobilium humani Corporis Partium Nobilitas?* Earumque pariter, quæ *ad Vitam ſimpliciter neceſſariæ* dicuntur, *Neceſſitas?*

Partem verò unam, alteramque *Nobilem*, *Viſcus Nobile*, *Partem principem*, *principalem* (*quòd aliarum partium vel Principium ſint, vel, Actionum ratione, Principatum tamen præ aliis obtineant*) alteram verò *neceſſariam* dici *Medicis*, *nihil novi, ſed communi uſu ab* Anatomicis *ita receptum eſt.*

Nobilitatem autem quod attinet ipſam, eſt ea vel *Structuræ* ac *Conformationis*, vel *Actionis* cuilibet parti *propriæ*; *Illa* ex viſceris *Situ*, *Subſtantia*, notabilique *partium integrantium Apparatu* imprimis cognoſcitur; *Hæc* verò per *Singularem agendi Proprietatem*, & *Prædominium* in alias, manifeſta redditur cuilibet.

Unde, *Situm* ſi intuearis, *Cerebrum*, *Cor*, & *Epar*, Principum inſtar, ac Magnatum, illud quidem *Caput*, iſtud *Thoracem*, hoc verò *abdomen*, tanquam certas *Regiones*, Medicis etiam ita dictas, occupare, comperies; Si *Subſtantiam*, proprium cuilibet *Parenchyma* eſſe, concedes; Si verò magnificum *integrantium partium Apparatum*, non ſine ſumma *Optimi Creatoris* laude, ac admiratione, inſpici iſta, inſignéque præ partibus omnibus prærogativam mereri, ac Principatum, ipſe fateberis; Et eò magis, quò major, ac ſplendidior à *Deo*, & *Natura* ipſis conceſſa eſt.

Actionis quoque *Nobilitas* pariter, ac ſingulis innata & *à Subſtantiæ proprietate proveniens Proprietas*; Quas integrè ut tradere queam, tantum ſanè abeſſe fateor, ut potiùs, quò me vertam, neſciam! eloquar, an ſileam? Scilicet tanta eſt viſcerum horum *Nobilitas*, & Eminentia, ut vel in ea ſola *Summum iſtud*, quod omnes in univerſo hoc Terrarũ Orbe ſperant, optant, deſiderant, *Sanitas* nimirum, &, ut breviter dicam, Vita ipſa, extremuſque vitæ halitus conſiſtere, ab eaque dependere, ſtatuatur meritò. Hæc etenim viſcera ſunt, quæ, cùm nondum ſumus, Generationis noſtræ ſuppeditant Principia, & ut tenelli adhuc in utero, inque lucem poſtmodum editi nutriamur, angeamur, moveamur, & vivamus, faciunt.

Unde ſi *Cerebrum*, Animalis Facultatis Organum, *Platonis* ἡγεμονικὸν, rationalis animæ Domicilium, Senſuum omnium Senſorium, motus localis directorium, *Cor*, vitalis facultatis organum, caloris nativi & humidi radicalis principium, ſpiritus inſiti receptaculum, influentis emiſſorium, Miſericordiæ, Charitatis, Caſtitatis, aliarumque Virtutum non minus diverſorium quàm ſiniſtrorum Affectuum Ergaſtulum; *Epar* verò, Naturalis facultatis organum, ſanguinis Ergaſterium, nutrimenti Colatorium, & benignum partium adjacẽtium fomentum, cum aliis dicerem, à vero aberraturum me, dubito; præſertim cùm tanta ſit *Viſcerum* horum *Dignitas*, ut reliquarum more partium, non vicinis tantùm faveant partibus, ſed ut toti pariter proſpiciant corpori, utpote quorum regimini integra humani corporis œconomia à naturante Natura providè ſatis demandata, atque concredita eſt; Sic etenim quis nervus vel minimum etiam extremi pedis incurrit digitum, eumque ſentiendi, & movendi informat potentia, niſi qui à *Cerebro*? quæ *Arteria*, quæ in ſummum etiam corporis habitum influentem cum nutrimento diſtribuit Spiritum, niſi quæ ex *Corde*? quæ tandem *Vena* in toto microcoſmi territorio eſt, quæ ſanguinem à nutritione ſuperſtitem, refluumque ad ſuos reducit fontes, niſi quæ (ex Veterum imprimis ſententia) ex *Epate* ſit? Ita, ut *Nobilem* hanc *partium Trigam*, non *Structuræ* ac *Conformationis* minus, quàm *Actionis* gratiâ, *Nobilitatis* emereri ſtemmata, à multis hinc meritò deciſum, ac concluſum fuiſſe ſeculis, totus fateri habeam.

Sed ut in alteram etiam *Partis* Lethali vulnere *affectæ* inquiram notulam, dicitur iſta *Pars ad vitam ſimpliciter neceſſaria*; quod ipſum quamvis abſonè quodammodò minuſque medicè, & qu. non omnes partes noſtri corporis ad vitam eſſent neceſſariæ, dictum videatur, nihilominus tamen ſcitè, & pro Inſtituti ratione, appoſitè ita dictum, comperies; cùm impræſentiarum non loquar de Statu humani corporis ſaluberrimo, & plenariâ Actiones omnes perfectè exercendi potentiâ, quæ ab omnium omninò partium naturali dependet habitudine, ac conſtitutione, ſed de corpore in aliqua ipſius parte vulnerato, & quatenus ſuper qualitate, & *Lethalitate* inflicti iſtius *vulneris* dicendi eſt *ſententia*. Dari autem, præter ſuperiùs enumerata *viſcera*, alias in corpore humano *Partes*, quæ *Nobiles* quidem vel *Principes* non ſunt, ſine quarum tamen ope, & officio *Principes* dictæ *Partes* œconomiam corporis ſartam tectam ſervare, vitamque ipſam *ſolæ* tueri nequeunt; *Alias* verò, ſine quarum ope, uſu, & officio, Vitam, quamvis imperfectè, & miſerè, ſervari tamen contingat, extra omnem eſt controverſiam;

troversiam; Sic cui intestinum tenue profundè vulneratum est, moritur; E contra cui manus integra amputatur, non moritur; Ratio est, quia absque ope, usu, & officio manûs, vivere potest, qui, cessante ope, usu, & officio Intestini, moritur.

Dicitur ergo *Pars ad vitam simpliciter necessaria quæ ejusmodi fungitur munere, quô vivi carere non possumus, & cujus* sublato usu, & officio, vita ipsa ut plurimùm cessare cogitur, quales sunt: *Pulmones*, cum *aspera Arteria*, *Diaphragma*, *Gula*, *Ventriculus*, *Intestina*, *Mesenterium*, *Renes*, & *Vesica*; Reliquæ verò omnes pro simpliciter ad vitam necessariis non habentur, quippe quibus vel vulneratis, vel planè perditis, vulneratus, quamvis cœcus, mutus, surdus, claudus, mancus, uno verbo, miser reddatur, vivus nihilominus superesse potest.

Quibus omnibus ita positis, quæ tandem *Lethalis Vulneris Caussa* sit, ac *Differentia*, reliqua in descriptione allata testantur Verba, *Caussam* proinde quod spectat, & quidem Procatarcticam (cùm aliam non agnoscat vulnus) dicitur ea *Res violenter solvens Continuum*; *Res*, eaque externa (cùm de Continui solutione à caussa interna, humorum putà vitio, & acrimoniâ, hic sermo nullus sit) quodlibet scil. *Armorum*, *Rerumque* aliarum genus, quod *Continuum solvere* aptum natum est; Sive sit *sclopetum*, *hasta*, *gladius*, *ensis*, *pugio*, *culter*, *novacula*, *fustis*, *saxum*, *malleus*, *contus*, vel id genus alia; Sed quid agit *Res ista*? *solvit*; quomodo? violenter; quid? *Continuũ*; quippe quibus ipsis *Subjectum* partim, *Actio* partim ipsa, partim v. *agendi* determinatur *modus*.

Subjectum, in quo *Res* ista *externa* agere fertur, *Continuum* dicitur; quod *Medicis* idem est, ac *integrum* & *unitum*, cui opponitur, quod *ruptum*, *fractum*, *fissum*, *contusum*, & *discissum* est; Ad naturalem enim partium constitutionem, præter *Temperamentum* & *Conformationem*, *Unitatem* non minus earumdem requiri, vel nostris etiam notum est tyronibus; unde recessus etiam à naturali ista partium *Unitate* peculiare Morborum genus, *Solutæ Unitatis* dictum, constituit; *Actionem* verò quod concernit ipsam, dicitur, *rem externam solvere Continuum*, quod dicere *Medicis* nihil aliud est, quàm, *vulnere Lethaliter* inflicto, *visceris nobilis*, vel *partis ad vitam simpliciter necessariæ* fabricam, ac structuram destruere, &, quod *integrum* in ea, ac *unitum* erat, *solvere*, *rũpere*, *frangere*, *lacerare*, ac *discindere*; Et quidem *violenter*, hoc est, *fortiter*, & *cum violentia*, ac *impetu*, utpote quo ipso *Continuum solvendi*, *Modus* exprimitur: qui in eo consistere videtur, quòd *Lethalium vulnerum* omnia *manûs* fiant. & contingant *violentiâ*; & quidem vel *Cæsim*, sive incidendo (*wenn einer gehauen, oder geschnitten wird*) vel *punctim*, sive pungendo (*wenn einer gestochen, gestossen wird*) vel *immisso ex sclopeto globulo* (*wenn einer mit einer Kugel getroffen und geschossen wird*) vel tandem *Contusim*, sive contundendo (*wenn einer trucken geschlagen, gestossen, geworffen, oder mit Fussen getreten wird.*) Unde etiam, qui ex tali moriuntur vulnere, morte *non-naturali* vulgò, & *manu violentâ* periisse dicuntur, (*Sie seyen keines reinen, oder natüralichen Todes gestorben*) quod tamen ad solam Caussam externam, ejusque violentiam restringendum est, utpote quâ ipsâ quocumque etiam modo ea contingat, *Calor nativus*, cujus *extinctio mortis naturalis caussa* est, destructo scil. per *Vulnus Lethale* hoc vel illo Actionis Nobilis, vel ad vitam simpliciter necessariæ, Organo, & ipse perit, & extinguitur.

Ut autem *Lethalium* denique *vulnerum* addatur *Differentia*, videtur ea se ipsam manifestare, modò illa, quæ sola adhuc in definitione restant, attendantur Verba, dum dicitur; *Unitatis in Vulnere Lethali Solutionem* cum *Discrimine & Jacturâ vitæ conjunctam* esse; Hinc cùm *Vulnerũ Lethalium* aliud *cum vitæ discrimine*, hoc est, summo ipsius periculo; Aliud verò cum ipsâ ipsius vitæ *Jacturâ* fiat, & dispendio, Dividendum propterea istud censeo in *vulnus Lethale simpliciter* & *absolutè* tale, & in *Vulnus Lethale ut plurimùm*; utpote ex quibus paucarum horarum vel dierũ spatio moriuntur vulnerati, & pereunt, ita ut *Duas* proinde *Vulnerum Lethalium Classes* constituam, quarum *Prior Vulnera partium nobilium*, & quatenus *ea simpliciter, & absolutè Lethalia*; *Posterior* verò *partium ad vitam simpliciter necessariarum Vulnera*; & quatenus *ea ut plurimùm* sunt *Lethalia*, continet. De quibus singulis in Specie.

Cap. 3. *Primam Vulnerum Lethalium Classem continens.*

Ex *prima* igitur *Vulnerum Lethalium Classe* ea relaturus, quæ *simpliciter, & absolutè Lethalia* sunt, nullaque arte, nulloque remedio sanari possunt, eam imitari conabor methodum, quæ superius partium nobiliorum, & principum, constituebat seriem; Quas inter cùm *Cerebrum* primum occupaverit locum, de ipsius etiam *Vulneribus* primum esto *Judicium.*

Perpendens autem quàm verum sit, quod, qui benè distinguat, bene doceat, in antecessum statim notari velim, τὸ θανάσιμον, *Lethale*, de toto quidem Organo, & principalioribus, non verò de singulis ipsius prædicari debere partibus: Prædicta enim viscera sunt partes organicæ, quæ, *Actionis* ratione, unum quidem constituunt Organum unum totum, *Conformationis* verò ratione, ex pluribus dissimilaribus, & integrantibus constant partibus, quarum nec eadem invicẽ est facies, substantia; forma, multò minùs eadem dignitas, idem usus, eademque necessitas; & consequenter nec idem de omnibus super *Lethalitate* erit Judicium; Sic (ut quivis possit, quod volo, assequi) cùm Cordis vulnera *simpliciter & absolutè* dicuntur *Lethalia*, intelligendum quidem istud est de Toto vitalis Facultatis Organo, & principalioribus ipsius partibus, Ventriculis putà, Auriculis, & vasis, non verò de reliquis æquè ipsius partibus; aliàs enim vulnera Pericardii (modò contingat, illud solùm lædi) & ipsa essent Lethalia, quod non est, teste *Benivenio*, qui, *ictum in Cordis tunica curasse*, legitur; Et sic super Lethalitate judicandum de omnibus.

Sed *Cerebrum Caput* occupat, quod ex multis, iisque diversis, quæ vulnerari possunt, constat partibus, quarum tamen *Vulnera* (*quamvis nec leviuscula contemnenda sint*) non omnia, nec semper habentur pro *Lethalibus*; Inter omnes autem *cerebrum Princeps* est, utpote quod *Animali*, & sibi propriâ, à *Creatore* instructum *Facultate*, prompto satis Spirituum animalium ministerio, Sensuum internorum, & externorum, motusque voluntarii functiones omnes expeditè disponit, atque gubernat; ita, ut quò nobilius est *cerebrum*, eò periculosiora etiã, & *Lethalia* magis esse ipsius *Vulnera*, verisimile sit.

Cùm verò de *simpliciter Lethalibus* hîc tantùm sermo sit, ea verò, ut suprà monitum, de omnibus ipsius partibus dici non possint, inspicienda proinde est *cerebri Structura*, & *Compositio*; Sed breviter, & in tantum, quantum instituti ferre videbitur ratio.

Situm autem est *cerebrum* in *capite*, membranoso piæ, duræque matris operculo, validoque satis Cranii non minùs circum circa præmunitum muro, quàm propriorum ac communium tegumentorum involucris, densâque donatum cæsarie; *Formam* habet globosam quodammodò, continentis tamen Cranii æmulam; *Magnitudine* vel *amplitudine* verò insigni, Bovem, & Bruta,

ta, in proportione, superat pleraque; *Substantiam* agnoscit peculiarem, & sibi propriam, cùm similem non liceat reperire in corpore; Cujus ratione dividitur in cinericii coloris *corticem*, qui mollis, & candicantem *Medullam*, quę solidior; *Situs* autem ratione, in partem anteriorem, & posteriorem; dextram, & sinistram; superiorem, & inferiorem; Illa *Cerebrum* propriè, hæc *Cerebellum* in specie dicitur; à quibus utrisque *Nervorum* oritur *Principium*, & *Spinalis* dicta dependet *Medulla*, ex maximo *Occipitis* foramine in vertebrarum sinûs deorsum porrecta; *Actio* denique ipsius est, *Animales* elaborare *Spiritus*, ac ministerio eorum sensuum, commodum *Sensuum internorum*, & *externorum*, *Motusque localis* esse *Organum*.

Ex quibus colligi facilè potest, quęnam in *Cerebro* pars *Vulnerum simpliciter*, & *absolutè Lethalium* sedes sit; *Medulla* scil. utpote quę Spirituum animalium non tantùm officina, & diversorium est, sed & alias, unum tamen cum *Cerebro* constituentes Organum, partes continet, & fovet nobilissimas, quales sunt: *Falcatus* iste per medium cerebrum conspicuus *processus*, sinusque ipsius, copiosum arteriosi, & venosi generis sanguinem continentes, eumque circulantes; *Celebres* item *Cerebri* dicti *Ventriculi*; ut & mirabilis iste in cavitate partim ipsorum, partim circa eosdem venularum, arteriolarumque apparatus, *Plexus Choroides*, & arteriosum *Rete mirabile* dictum; Quarum partium, ut dicetur, *Vulnera*, præsertim quę magna, & profunda sunt, *simpliciter*, & *absolutè Lethalia* esse, statuo. Ne verò absque ratione, & fundamentis dicatur, vel determinetur quicquam, *Lethalitatis* istius omnino exponenda est ratio; quod ut comodi[9] fiat, quinque ista (sive ea *Lethalitatis* Signa, & Indicia, sive requisita dixeris, mihi perinde est) attēdendū cēseo quor[9] 1. est *Partis vulneratæ Nobilitas*, vel *Necessitas*; 2. *Vulneris Magnitudo*, & *Profunditas*, 3. *Remedia applicandi impossibilitas*; 4. *Symptomatum gravitas*; & 5. *Periclitantis vitæ termini Brevitas*; quippe quæ toti huic de *Vulnerum Lethalitate* applicanda sunt discursui.

Sic ergo *Medullæ cerebri vulnera simpliciter*, & *absolutè* sunt *Lethalia*; 1. quia est omnium Capitis partium nobilissima; 2. Accidit vulneris profunditas, cùm, si vulnus capiti inflictum ad Medullam usque cerebri penetret, partes prius alias, situque priores, cutem puta capitis, pericranium, cranium ipsum, duram, piamque matrem, &, qui medullæ proximus est, cerebri corticem, fuisse vulneratas, præsupponendum sit; Unde 3. Remedia applicandi suboritur impossibilitas, vel maxima tamen incommoditas; Et quô, quæso, modô Chirurgorum etiam dexterrimus *Vulnera Medullæ Cerebri* tractare legitimè, curare, vel sanare poterit, quę ob loci profunditatem, vulnerumque in vicinis partibus complicationem, nec videre quidem potest, multò minus instrumentis ipsi explorare, licitum est; Et sic subsequitur 4. Symptomatum gravitas, copiosa putà sanguinis profusio, Actionum animalium læsio, dolor, ob solutionem in partibus membranosis continui, exquisitus, vigiliæ, humorum à dolore excitatus affluxus, unde inflammatio, in bilioso præprimis corpore, febris, delirium, *quod in vulneribus Capitis malum dicit Hippocrates*, ipsæ partis putredo, & corruptio, gangræna, Lethargus, Epilepsia, Tremor, ob spirituum vel resolutionem, vel interceptionem, Paralysis, Convulsio, eaque vel particularis, vel universalis; quæ ipsa 5. demum periclitantis vitæ termini comitatur brevitas, cùm paucarum horarum, vel dierum spatio, perire vulneratos ita, dies testetur, & Experientia.

Quò profundius verò vulnus penetrat, ita, ut vel *Falcatus cerebri processus*, vel ipsius *Ventriculi*, &, qui propè eosdem sunt, *Plexus Choroides*, & *Rete mirabile*, dicti, insimul lædantur, eò *Lethale* magis vulnus est, citiusque qui ita vulnerantur, moriuntur, & pereunt; Ratio est, quia, præter partium harum Nobilitatem, profunditatem, applicandique Remedia incommoditatem, maxima statim, (*falx* si læsa, unusve vel alter ipsius perfossus sinus est) hæmorrhagia sequitur, *ita ut* 24. *libras sanguinis exinde effluxisse*, *ex aliis testetur Sebizius*; Sanguis, exitum non inveniens, in vicina Cerebri intima profluit, ibidemque collectus in grumos abit, & putrescit, quo ipso turbatur anima, pereunt sensus, motus, loquela, quib[9] brevi succedit sopor gravis, Apoplexia, Mors; Si profundiùs adhuc, & ad *Ventriculos* usque *Plexumque* dictum *Choroidem*, per sinûs eorumdem mirabili texturâ se exhibentem, & *Rete mirabile* pertingat, res citò acta, & mors in olla est, cùm hæmorrhagiam subita insequatur spirituum (non animalium tantùm ex vulnerato cerebro, sed vitalium insuper ex sauciatis arteriis) dissipatio, & exspiratio; Plexus enim isti, præter tenuem, quam à pia matre habent, tunicam, minutissimasque glandulas, ex solis constant vasis, plurimis arteriolis, paucioribus venulis, innumerabili, plexum quidem *Choroidem* quod attinet, anastomosi invicem sese exosculantibus, in quibus Spiritus vitalis, è vicino corde, cerebro copiosè satis communicatus, in sanis alacrem se exhibet, primumque futuri spiritus rudimentum suscipit, ita ut vulneratis, disruptisque hisce vasculis, & cerebrum, & cor, omni subitò priventur robore, & Spiritus ita vel nulli generentur amplius, vel pauci, qui tamen & ipsi brevi exspirant, emigrantes autem spiritus (utpote qui ad respirationem, & consequenter ad vitā ipsā summè necessarii sunt) ipsa subindè absq mora comitetur anima.

Cujus rei Exempla in Observationibus Medicis, & Chirurgicis quamvis plura passim occurrant, melioris tamen probationis, & illustrationis gratiâ, ex iis casibus, qui a Gratiosissima Facultate Medica, ex libro Responsorum, & ab Amplissimo hujus Reipublicæ Lipsiensis Senatu, ex Actis publicis mihi fuer[9] comunicati, ut major rei fides accedat, sequentia impræsentiarū proferenda censui.

Sic enim Facultas Med. & Chirurg. Lips. 26. Sept. A. 1626. attestatur: Præm. Præmitt.

Et absolutâ Cranii aperturâ, observavimus vulnus, quod defuncto (qui sequenti die mane mortuus est) inter nasum & angulum majorem sinistri oculi inflictū fuit; pone dictum oculum per cranium in cerebrum penetrasse, & quia ille paulò post, uti dictum fuit, in terram lapsus, aphoniâ, vomitu, & lethargo correptus fuit; quapropter rebus sic se habentibus, vulnus pro lethali habendum esse existimavimus. Et quidem simpliciter, atque absolutè, quia 1. Cerebrum, ut *pars nobilis*, & quidem 2. *Profundè* satis, ac per mediam ipsius medullam, Ventriculosque vulneratum est; Nec curationem 3. *Loci incommoditas*, qua basis ipsius vulnerata est, nec *symptomatum* 4. eam admittere videtur *gravitas*; In terram enim fulmine qu. percussus *stupidus* concidit, lęsô violenter Sensuum, motusque organo; obtumescit, *evomit*, ob linguæ, & ventriculi amicum cum cerebro consensum; Apoplecticus redditur, ob impeditum, & abolitum spirituum animalium, ex lęso, & profundè vulnerato nobilissimæ actionis organo, motum, atque influxum; & 5 demum, interdictâ qu. & interceptâ mutuâ cordis, & cerebri actione; *brevi horarum spatio* suffocatur, & *moritur*.

Sic dum hæc scripsi, Nobilis quidam vulneratus sexto, post acceptum vulnus, die moritur, cujus Caput cùm Facult. nomine ipse aperuissem, hunc in modum læsum comperi:

PP. Et in apertura, præter ea quæ in Relatione vulneris

vulneris Chirurgicâ declarata fuerunt, invenimus quod in cranio, non solùm Os sincipitis super aurem sinistram, versus os occipitis, digitum longum, dissectum erat; sed etiam à latere duo alia fragmenta præter illud quod in vulneris deligatione exemptum fuerat, in conspectum venerunt. Item Os occipitis quoque (sine dubio ab ictûs violentia circa finem vulneris duas habuit fissuras, utramque minimum digitum longas: Imprimis autem durâ sic dictâ & piâ matre dissectis; vulnus in substantia cerebri apparuit, quod per corticalem in medullarem substantiam ad digiti unius & dimidii profunditatem penetrabat, versus os petrosum, circa quod magnam quantitatem, partim congrumati, partim jam putrefacti sanguinis, invenimus: universa sinistra Cerebri pars corrupta, & sub suis membranis purulentâ materiâ repleta erat. Cùm igitur Cerebrum corporis humani pars Nobilissima in hoc casu graviter vulneratū fuerit, hoc vulnus, rebus se ita habetibus, insanabile simpliciter & absolutè lethale declarandū fuit. Et quidem ex rationibus, quæ semel pro semper prolatæ sunt.

Infliguntur autem Cerebro enarrata jam vulnera *cæsim* ut plurimùm, quemadmodum jam dictum; & *emissis* è *sclopetis globulis*, quæ quidem posterior læsio, in quacunque corporis parte illa fiat, *omnium gravissima & periculosissima* dicitur; ob ictûs vehementiam, carnium dilacerationem, ossium fracturam, & attritionem, hæmorrhagiam immedicabilem, & inductum pariter, à cominus immisso globulo, empyreuma, & combustionem, & lethalia inde provenientia symptomata; rarò *punctim & non*, nisi gladio cavum Oculi violenter penetrante, ut prior testabarur casus; Sæpissimè tamen *contusim*; Cujus contusionis ea præsertim videtur esse differentia, quod *vulnerum lethalium contusim* inflictorum alia sint *sine Fractura Cranii*, ex quibus vulnerati muti redduntur, & cruda evomunt, ob cerebri commotionem, sanguis ex ruptis per contusionem, vel *commotionem* cerebri, vasis, partim per nares, aures, & Os excernitur, partim verò in cerebrū copiosè profunditur, qui, cùm exitum non inveniat, Cerebri substantiam vel comprimit, vel replet, temperamentum ipsius destruit, inflammationem, putredinem, indeque febrem producit, & delirium; Spirituū animalium influxum motumque, ac generationem impedit, ac Animalis ita Facultatis functiones omnes turbat, lædit, impedit, unde Stupor, Aphonia, Sopor gravis, Lethargus, Apoplexia, Epilepsia, Convulsio, Mors; quale quid *Illi qui, à Macedone, lapide in caput percussus, & die tertio mortuus est, contigisse* legitur; & *Mulieri, quæ, cùm ad nasi radicem, & supercilia, pugno percussa, mox Apoplectica reddita, atq; mortua est; In cujus cranio plus quàm tria cochlearia coagulati sanguinis, plexum Choroidem, & Rete mirabile comprimentis, fuerunt inventa.* Henric. ab *Heer* Observ. 12.

Sic Facult. Med. & Chirurg. Lipſ. Anno 1625. 10. Aug. P.P.

Et observatum fuit, quod defuncti Tempus sinistrum, oculus & auris, fusci coloris & tumefacta erant, oculus internè contusus congrumato sanguine plenus erat. Aperto Cranio, magna sanguinis copia effluxit; Cranium verò non erat contusum, sed inter meninges contusione Pia mater alterata erat; Ventriculi etiam Cerebri, apertis, ictûs violentiâ sanguineis vasculis, coagulato sanguine repleti erant. Unde factum fuit ut spiritibus animalibus à sanguine extravasato subitò quasi superatis & compressis, mors secuta fuerit.

Alia verò est *Contusio* cum *fractura, fissura, subsidentia*, & *fragmentis Cranii*, quando Ossa ipsius vel *franguntur*, & dividuntur; vel *finduntur*, & in rimas, vitrorum, & ollarum scissuris similes, abeunt; vel *subsident*, & os, fractum prius, in substantiam Cerebri deprimitur; vel *fragmenta*, aut portiunculæ, ab osse læso sive decedunt, sivè cerebrum versus reclinant (*wenn die Hirnschale entzwen, und ein oder das andere Stücke loß ist; und sich unterwerts ins Gehirn beuget; oder dieselbe sonst geschreckt, oder geschöller ist und von der zerschlegenen Hirnschale ein oder mehr Splitter oder Schiefer loß; oder ins Gehirn gehen.*) Ex qua, si magna præsertim, & profunda sit; & in osse Syncipitis (*tanquam in quo si contusio est, citius mori* dicuntur) ac Suturâ ipsius contingat, ob insignem cerebri commotionem, & compressionem; præter superiùs enumerata symptomata, insignis imprimis hæmorrhagia, ob vasorum sub osse syncipitis copiam, & magnitudinem; Vomitus item, & oculorum caligo, ob consensum Ventriculi, & interceptos spiritus, & sanguinis insuper, ob compressa vasa, impeditur circulatio, unde brevi temporis spatio Paralysis, Lethargus, Apoplexia, Mors; *Hyeme tardiùs, æstate citiùs.*

Sic Facultas Medic. & Chirurg. Lip. A. 1593. 26. Martii P. P.

Et cùm defuncti cranium mactrâ magna cum vi percussum discissum fuisset, vasa cerebri inter duram rupta erant, pia verò mater unà cum cerebro sanguine suffusa erat, unde statim in terram lapsus, stertore & epilepsia circa matutinum tempus correptus ad plures abiit.

Item Anno 1611. die 11. Febr. P. P.

Et post cranii aperturam observatum fuit, ictûs violentiâ, non solùm cuti externæ vulnus impactum, sed etiam cranium secundùm utramque laminam discissum, cerebroque violenter concusso & commoto, sanguinea vasa rupta esse, & ita *sanguinis effusio satis larga ejusdemque grumosi & concreti ad uncias aliquot inter cranium & duram matrem lateris contusi collectio* reperta est, unde epilepsiâ gravioribusq; aliis symptomatibus, ut aphoniâ & omnium sensuum privatione cum affectu soporoso statim apparentibus, mors tandē necessariò secuta est.

Item Anno 1649. 8. Febr. P. P.

Postquam certioris indagationis gratiâ, caput aperuimus, ingens sanguinis congrumati copia apparuit externè sub pericranio, ut & internè sub cranio à latere sinistro in supereori parte circa suturam coronalem, quo in loco cranium ex gravi lapsu vel ictu transverso diffractum, cerebrumque contusum & depressum fuit. Quia igitur non solum cerebrum, ut pars nobilissima & principalis magnum damnum mortalemque vim passum est, sed etiam cùm impossibile fuerit tantam congrumati sanguinis copiam ex cranio depromere, unde *privatio spirituum adeòque sensus & motus*, mortiferæque convulsiones necessariò secutæ sunt. Itaque hanc læsionem & vim illatam pro absolutè & simpliciter lethali habendam esse cognoscimus & judicamus.

Quod verò *Nervorum* dictum *Principium*, & *Spinalem Medullam* attinet, utriusque *Vulnera* & ipsa *simpliciter*, & *absolutè Lethalia* sunt; ita tamen, ut *illud* consideretur, quatenus *Cerebro* & *Cerebello* in Capite adhuc adhæret, nondumque ex eo per magnum Occipitis foramen in vertebrarum sinus abiit; Hæc verò quatenus profundè, & in parte superiore, & quidem supra thoracis vertebras vulnerata est; Eadem enim & *Nervorum Principii*, & *Cerebri* vulnerati conditio est; eadem symptomata, idem eventus; *Spinali* verò *Medullæ* supra thoracis, & *Medias Cervicis vertebras*, ac per transversum imprimis, inflictum vulnus subjacentes partes omnes sensu privat, & motu, ac Respirationem consequēter planè aufert, ac impedit; Cùm, læsâ ita *medullari spinæ substantiâ*, per nervos, ex vertebrarum foraminulis ab ea in utroque Latere prodeuntes, nec ad musculos intercostales, nec ad ipsum Diaphragma amplius distribuantur Spiritus, quibus denegatis, cessat respiratio, & vulneratus suffocatur, & moritur; Si verò in *Inferioribus* vulneretur *partibus*, nisi maximum, ac per transversum

infli..um

inflictum vulnus sit, *Lethale simpliciter* non est, sed partium earum motûs, ac sensûs inducitur privatio.

Sic Facultas Medic. & Chirurg. Lipf. Anno 1641.

Et cùm quidam cultro vulneratus esset qui capulo tenus inter quartam & quintam colli vertebram sub cervice penetrabat, læsa spinali medulla septimo mortuus est.

Sic *Juvenis pugione in spinali Medulla vulneratus, omnimodâ Alvi, & Vesica obstructione, ac oppressione, insigni Abdominis intumescentiâ, Viscerum oppressione, animi deliquio, & sudore frigido correptus, tertio moritur.*

Et Facultas Med. Lipf. d. 31. Mart. 1668, P. P.

Prædictis testimoniis accuratè lectis & perpēsis observavimus interfectū variis vulneribus confossū fuisse, ex quibus secundū & tertiū numerāte Medico, ut & vulnus digiti sanabilia erāt. Primum autē vulnus gladio digitum latū infra aurē inflictum ab extremitate maxillæ inferioris usq ad cervicem penetrans duos digitos profundū & manū latam longum erat, quo in statu nō tantū musculi sed etiam venę jugulares, externa per transversum, interna verò ut & arteria carotis & colli vertebra ad dimidiū dissectæ erāt, spinalis quoq medulla læsa erat, quod vulnus meritò pro simpliciter & absolutè lethali habitū fuit, quia nō solùm ob incisā arteriā magna fuit sāguinis & spirituū animaliū jactura, quæ sisti difficillimè potuit, sed etiam ob læsionem spinalis medullæ, pręsertim cum illa capiti & principio nervorum proxima esset. Epilepsia & cōvulsiones necessariò supervenire & vulneratum hoc modo de vita decedere oportuit.

Quapropter nos &c.

Cap. 4. *De Vulneribus Thoracis, simpliciter, & absolutè Lethalibus.*

Venter humani corporis *Medius*, à saliente in eo *corde*, *Thorax* dictus, Sitûs ratione inter *supremam*, ac *infimam*, *mediam* ita vocatam *Regionem* constituit; quòd *Nobile* istud *Viscus*, Principis, ac Gubernatoris instar, in ea, tanquam propria sibi Ditione, Vitalis Reipublicæ clavum teneat, ex eaque, obsequioso Spirituum vitalium, per arterias divagantium, ministerio, Vitalem in totum microcosmum diffundat gratiā, salvūq Jus vitæ, ac necis obtineat.

Proprium verò suum *Cor* occupat *situm*, si *Basin* ipsius inspicias, in *medio thorace*; sin verò *mucronatam* ipsius *partem*, versus *sinistrum* inclinare *latus*, vel leviter admotâ pectori manu ipse experieris; Capsulam, vel involucrum ipsius, *Pericardium* dictum, *in quo tanquam in Vesica diversatur*, si removeas, *Substantiam* ipsius densum, ac compactum, ipsique *proprium* esse *parenchyma*, videbis: *Magnitudine* gaudet insigni, quæ tamen Ætatis, ac Temperamenti ratione, variat; Exteriùs utrique Basis lateri adhærentesque appendices, quas *Auriculas* vocant; Interiùs verò insignes Cavitates, *Ventriculos* putà, *carnosi* interventu *sepimenti*, in *dextrum* & *sinistrum*, distinctos, licet conspicere; *Vasa* habet *maxima*, dum è *dextro* ipsius *Ventriculo vena cava*, & *vena arteriosa*; è *sinistro* verò *Arteria magna*, & *Arteria venosa*, vasa magnifica satis, mirisque intus valvularum appendiculis donata, prodeunt; *Nervos* verò, à sexto equidem pari productos, in *Cordis* tamen *substantiâ* vix observabiles; *Actio* tandē ipsius *propria*, est *Spiritus vitalis generatio*, & *sanguinis perfectio*, quibus tamen ipsis non sibi blanditur, sed toti subinde corpori, continuo vivifici isti⁹ nectaris influxu maximè egenti, prospicere satagit, negotium hoc continuū *Sanguinis*; *Pulsifica Facultatis* ope, *Circulatione*, providè, ac decenter expediens.

Structura ergò, *Actionisque Cordis* Dignitatem dū perpendo, ac Eminentiam, aliter sanè non possum, quin, *Cordis vulnera simpliciter*, & *absolutè Lethalia* esse, certus asseram.

In *substantiam* enim *Cordis*, utpote *quæ solutionem continui*, & dolorum nocumentum *vitâ permanente*, *diu perferre non potest*, vulnus si penetret, ob læsum, & vulneratum nobilissimæ actionis organum, nobilissima ipsius læditur actio; citò inflammatur, quia viscus est omnium calidissimum; Vulnus manu tractari, loci recusat profunditas, quod ipsum tamen ob continuum impulsu motum sponte coalescere nequit, spiritus vitales, & balsamum vivificum, quibus integrum turget *Cordis* parenchyma, citò dissipantur, & abeunt; Unde subitò caloris nativi resolutio, dissipatio, animi deliquium, Syncope, Mors *matura*.

Altiùs verò, & vel in ipsas *Auriculas* vel *Ventriculos*, & *sinistrum imprimis*, si penetraverint Arma, statim, atque inflictum vulnus est, & absque ullo prævió notabili symptomate, dissolutis qu. in momēto omnibus vitæ vinculis, & turbata subitò totius cordis, & corporis œconomiâ, examinantur Vulnerati, moriuntur, pereunt *necessariò*; cùm contra tantam Martis violentiam, ipsi primùm viventi, & ultimùm morienti illatam, nihil valeat Artis efficere vigilantia, ita *ut pro Miraculo habeatur, si vita ad alterius diei usquè prolongetur terminum.*

Vasa deniquè *Cordis* quod spectat, è basi statim ipsius porrecta eorū, non minus, utpote *quæ humanæ, naturæ, fontes sunt, ex quibus flumina excurrunt, quibus totus irrigatur Corporis alveus, vulnera simpliciter*, & *absolutè Lethalia* esse, statuō; cùm *Cordi*, vitæ Principio, vicina nimis sint, & calidissimum, & spirituosissimū vehant, ac distribuant sanguinem, unde, ex inflicto ipsis vulnere, immedicabile statim sanguinis, & spirituum, qui, arteria si vulnerata est, cum quodam qu. saltu exiliunt, excitatur diffluvium, ex quo subitus virium lapsus, sudor frigidus, facies Hippocratica, animi deliquium, syncope, mors.

Sic Facult. Med. & Chirurg. Lipf. Anno 1658. 29. Jan. P. P.

Et observatum fuit vulnus quod mors statim secuta est, in dextro latere pectoris ad distantiam duorum digitorum à papilla inflictum fuisse, ubi pulmones dextrumque cordis ventriculum, qui perforatus fuit, usque ad costas penetrabat.

Item, P. P. Et deprehensum est, interfecti vulnus substantiā cordis in dextro ejus ventriculo truncū venæ cavæ & arteriæ magnæ penetrasse, quo facto statim mortuus est.

Item Anno 1649. 19. Octob. Et Observavimus vulnus lateri dextro inflictū, cavitatē pectoris, primū lobum partis dextræ pulmonum super rectā cordis auriculā & truncū arteriæ magnæ è corde emergentem usq; ad costas penetrasse, quare ob jacturā spirituum animalium & sanguinis qui in magna quātitate extravasatus totam thoracis cavitatem impleverat, vulneratus horæ spatio interiit.

Quod ipsum de *majoribus* etiam *ascendentibus arteriæ magnæ*, & *venæ cavæ ramis*, *subclaviis* putà, *jugularibus internis*, & *Carotidibus*; intelligo, ipsorumque vulnera pro simpliciter & absolutè lethalibus habeo, Insignes enim cùm sint, & ipsum, suâ distributione, thoracis profundum occupent, copiosum, & spiritibus turgidum, vehunt sanguinem; ita, ut, vulneratis illis, subita, eaque copiosa proveniat sanguinis extravasatio, & spirituum dissipatio, cui nec ligaturis, nec aliis remederi licet auxiliis; unde vires, vena si vulnerata, pedetentim, citius, si arteria, prosternuntur, & pereunt, vulnerati linquuntur animo, fiunt syncoptici, moriuntur placidè.

Sic Facult. Medic. & Chirurg. Lipf. 26. Aug. 1621. P. P.

Et observatum fuit defunctum profundo vulnere læsum, quo etiam statim periit, hoc verò per costas dextri lateris dorsum versus penetravit, magnam & asperam arteriam vulneravit, quare ob copiosum sanguinis effluxum vitam cum morte commutavit.

Item 7. Mart. An. 1631. P. P. Et invenimus interfecto vulnus ad latitudinem digiti inter sextam & septimam costam

coſtam dorſum verſus latam manum à ſpina dorſi diſtans in latere ſiniſtro inflictum fuiſſe, quod ſiniſtrum pulmonis lobum & verſus medium ſpinę dorſi in venam cavam penetrabat, quæ læſio copioſæ ſanguinis jacturæ, difficilis reſpirationis, mortiſque cauſa fuit.

Cap. 5. *De Vulneribus Abdominis, ſimpliciter, & abſolutè Lethalibus.*

Infimus venter, quòd plura in eo abdita, & recōdita ſint viſcera, *abdomen* dictus, præter alias, quæ ad *conſervationem individui* partim, partim verò ad *propagationem ſpeciei* faciunt, *Epar* imprimis continet, quod, ex Veterum maximè ſententiâ, tertium inter partes humani corporis principes locum obtinet; Et quamvis ex Principum numero planè excludere illud, religio ſit, inſignem tamen ipſi cum *Corde*, & *Cerebro* intercedere nobilitatis diſparitatē, ipſe cōcedo ac fateor.

Situm autem eſt *epar* in *dextro hypochondrio*, ex *proprio* inſignis *magnitudinis parenchymate*, propriâ inveſtito tunicâ, conſtans, quod *gibbâ* ſui *parte* Diaphragma, *cavâ* verò, quæ *fellis veſiculam* fovet, ventriculum, & inteſtina reſpicit; E *vaſorum* genere *venæ* imprimis in eo notabiles, *cavæ* ſcil. *truncus*, *ramique* inſignes, & *vena portæ*, ejuſque *rami*; *Arteriæ* verò exiles; ac *nervi* & ipſi vix conſpicui ſunt; *actio* tandem ipſius, *ſanguificatio*, *ſpirituſque naturalis* (ſi quis ex Neotericorū ſententia datur) *elaboratio* eſt.

Quemadmodum autem de diſparitate Nobilitatis dictum, ſic *vulnerum* quoque *epati* inflictorum diſpar omnino eſt ratio; ita ut illa tantùm *epatis vulnera* pro *ſimpliciter*, & *abſolutè lethalibus* haberi, ſtatuam, quibus vel *truncus*, vel *rami majores venæ cavæ* in *gibba*, vel *vena portæ*, *majoreſque* ejus *rami* in *cavâ* ipſius parte, lædantur; quemadmodum *Delphenſi, qui ex vulnerata vena Portæ citò obiit*, contigiſſe legitur. Sola enim ſi *epatis ſubſtantia*, *ejuſque tantùm ſuperficies*, ut Sennertus loquitur, vulnerata, nulluſque inſimul ex ramis majoribus læſus ſit, *Lehale ſimpliciter, & abſolutè* eſſe, nego; quia totum *epar* ſolidum, nulliſque, præter vaſa, vel cavitatibus, vel ventriculis, cordis inſtar, diſtinctum eſt; unde *vulnera*, ſoli *ſubſtantiæ* inflicta, nec cum tanto ſanguinis fiunt profluvio, nec ita difficilè, ſed vel ſua ſponte coaleſcunt, vel ſanari tamen arte poſſunt.

Sin verò *ſubſtantia* pariter, & *vaſa* profundè convulnerentur *majora*, *cavæ* ſcil. *truncus*, vel *rami* ipſius *majores*, vel *vena portæ*, *inſigneſque* ejuſdem *rami*, vel ipſa etiam *Bilis veſicula*, utpote quæ *cavum epatis*, vaſorumque majorum occupat viciniam, & ſubſtantiæ nervoſæ, contentæque bilis ratione difficillimè conſolidatur, *ſimpliciter*, & *abſolutè lethale* eſt; Cùm ſanguis, ob loci incommoditatem, nec ſiſti, nec vulnus, ob læſionum complicationem, tractari queat debitè, nihilque propterea reſtat, quàm ut, præter remedia applicandi impoſſibilitatem, vomitus, ac dejectiones cruentas, deperditis cum ſanguine viribus, ipſa brevi exſpiret anima; Sicut *ille, qui jaculo in jecur immiſſo, vulneratur, priuſquàm Concio dimitteretur* (hoc eſt, ubi frequens adhuc forum erat) *mortuus eſt, cùm primâ luce vulneratus eſſet; exſpirâſſe* dicitur.

Etſi autem hîc commodam ſatis de *liene* quoq; dicendi haberem occaſionem, ſuperfluum tamen exiſtimo, ſi vel de ipſius *ſtructurâ*, vel *vulnerum* ipſi inflictorum, qualitate, plura, quàm quæ de *epate* jam relata ſunt, dicerem; cùm ea omnia, ob *ſtructuræ*, & *actionis* utriuſque viſceris analogiam, & ſimilitudinem, ad *lienis* quoque vulnerati conditionem applicanda cenſeam; ipſiuſque proinde *vulnera*, ſi *ſoli* infligantur *ſubſtantiæ* pro *periculoſis*; Sin verò *majores vaſorum*, *arteriarum* imprimis, quarum copiâ *lien* gaudet, vulnerentur *rami* pro *ſimpliciter, & abſolutè Lethalibus* pariter habeam.

Quemadmodum eundem etiam in modum *deſcendentium arteriæ magnæ*, & *venæ cavæ*, *truncorum*, *majorumque ipſorum ramorum*, *ſplenici* putà, *Meſenterici*, *emulgentium* imprimis, & *Iliacorum*, *vulnera ſimpliciter, & abſolutè Lethalia* ſunt; Cùm *vaſa* hæc Ima abdominis occupent, ac profluentem proinde ex ipſorum vulnere, ſanguinē inhibere, nec artis, nec manus dexteritas, nec doctum ſufficiat Conſilium.

Sic Chirurg. Lipſ. 1610. P. P.

Et compertum eſt vulnus quo læſus paulò poſt interiit profundū fuiſſe & hepar ad longitudinē duorū articulorū penetraſſe, adeò ut abdomen ſāguine repletū fuerit.

Item 19. Maji 1617. Et deprehenſum eſt vulneratum, ictum in dextro latere paſſum fuiſſe, inferiorem hepatis partem penetrantē, quo facto ingens ſanguinis copia in abdomine confluens neceſſariò de vita deceſſit

Facult. Medic. & Chirurg. Lipſ. 1610. P. P. Et vulneratus lethali plaga in dextro latere propè ultimā coſtā juxta ſpinam dorſi venā cavā fermè diſcindēte læſus fuit, qua inflicta ſtatim in platea proſtratus mortuus eſt.

Item 19. Maji Anno 1628. P. P.

Et fuit obſervatum vulnerato in lumbis vulnus verſus ſpinam dorſi regionemq; ubi os ſacrum incipit impactum fuiſſe, & uti poſt cadaveris apertura apparuit, vena cava perforata erat, quare neceſſariò & ſubitò mortuus eſt.

Sed hùc *vaſa* quoque *umbilicalia* in recens natis infantibus pertinere, exiſtimo, utpote quor[9] vel neglectâ, vel perperam & malitioſè adminiſtratâ præciſione, frequens ſanè committitur Infanticidium; ſive enim planè negligatur prçciſio; ſive prçſectus umbilicus decenter minùs, aut planè non deligetur, ſubitò ſanguinis, & ſpirituum diffluvio, moriuntur miſelli, ac pereunt.

Sic Facult. Med. & Chir. Lipſ. P. P.

Et invenimus vaſa umbilicalia infantis non ſolùm, tam brevi ab umbilico ſpatio prçſecta ut reliquum vix unguibus apprehendi potuerit, ſed & planè non deligata fuiſſe, quam ob cauſam ſanguis per venam & arterias umbilicales copioſè effluxit, hocque modo infans ab incuria extinctus eſt.

Cap. 6. *Alteram Vulnerum Claſſem continens.*

De partibus quę nobiles quidem non dicuntur, ſine quarum tamen ope, uſu & officio, partes principes vitam ſolæ ſervare & conſervare nequeunt, plura non addo, ſed *Lectorem* ad ea, quæ Cap. 2. de iis dicta ſunt, remitto; præterquam quòd, *alterum fas lethalitatis ſubjectum* conſtituere, aſſeram; Idque propterea. quia *ad vitam ſimpliciter* ſunt, & dicuntur *neceſſariæ*; non *actionis* tantùm *neceſſitate*, ut *pulmones*, *Diaphragma*, *Ventriculus*, & *Renes*; ſed *uſùs*, etiam, & *officii*, ut *aſpera arteria*, *Gula*, *inteſtina*, & *Veſica*.

Pulmones flabellum cordis, & culcitra, rarâ, ſpongioſâque ſui *ſubſtantiâ*, dum attracto aëre diducuntur, integrum *thoracis* replent ſpatium, *Mediaſtini* interventu in *dextrum*, *ſiniſtrumque lobum* diviſi; *vaſa* habent inſignia, è dextro ſtatim, ſiniſtroque vicini cordis ventriculo immediatè in utrumque lobum diſtributa; ex illo quidem *venam arterioſam*, ex hoc verò *arteriam venoſam*, copioſo, calido, ac ſpirituoſo ſanguine turgentia; *actio* ipſorum ſingularis & *ad vitam ſimpliciter neceſſaria* eſt, *reſpiratio* ſcil. quâ à *pulmonibus*, *Diaphragmatis*, *muſculorumque intercoſtalium* miniſterio, per *aſperam arteriam* aër, pro vitalis caloris ventilatione, attrahitur, reſiduus verò cum fuliginibus, ne iiſdem lædatur cor, exſpirat, & redditur; Cui *actioni* providè ſatis accomodata eſt *aſpera* dicta *arteria*, & fiſtula ſpiritalis (Germanis *die Lufftröhre*) utpote quæ ex membranoſa, & cartilaginea conſtat ſubſtantia, cujus caput

faucibus

faucibus cohærens *Larinx* dicitur, *corpus* verò *reliquum* per colli anteriora in pulmones variè distributum, *Bronchus* dicitur, & aëris attrahendi via, vocis verò, & sonorũ aptum satis cum pulmonibus instrumentum est.

Quamvis à *pulmones* in censum, ac numerum *partium nobilium* non veniant, tantum tamen est ipsorum, quod vitæ præstant, officium, ut, cùm partes aliæ somno refocillari, & quiete, desiderent, & ipsæ etiam propterea ab actione sua quiescant, *pulmones* nihilominus, continuatâ *inspirandi & exspirandi* serie, suo fungantur munere, & toti proinde naturę suâ ope perpetuò prospiciant, ita ut ipsis propterea primus inter *partes ad vitam simpliciter necessarias* locus concedatur optimo.

Quibus præmissis, quid de *pulmonum* vulnere statuendum sit, sequitur; Scilicet, *substantiam* quidem eorum quod attinet, *vulnere ipsius*, etiamsi vasa pariter minora læsa sint, vulnusque penetret: pro *lethalibus* tamen non habeo, cùm sanguis per vulnus extravasatus, viam, per quam excerni possit, habeat, reliquus verò, ut in hæmoptysi, fluere vel sponte cesset, vel sisti tamen, & inhiberi facilè queat; Ut *Billo* contigit, *qui in dorsum vulneratus, etiamsi spiritus multus, & sanguis multus, ex vulnere prodierit, curatus tamen est.* Accedit & hoc, quòd, vulnerato uno pulmonum lobo, in locum, & officium vulnerati, cedat, ac veniat alter; Positoque, vulnus magnum esse, hæmorrhagiam fieri recidivam, aliaque temporis protractu, supervenire symptomata, *lethale* tamen non est, sed qui vulnerati ita sunt supervivunt utplurimùm, plerumque tamen fiunt *Empyrici*, & moriuntur demum *Phthisici*.

Quæ verò *profunda* sunt, & *substantiæ*, & *vasis pulmonum* pariter *majoribus* infliguntur *vulnera*, *venæ* putà *arteriosæ*, vel *arteriæ venosæ*, ea *utplurimum*, θανατοφόρα, & *lethalia* esse, certum est, cùm vasa hæc magna non tantùm, sed cordi, vitalis caloris fonti, maximè etiam vicina, inque imò pectore, & pulmonum basi sita sint, ita, ut nec manu, nec medicamentis, commodè, & ut artis est, insigni subvenire hæmorrhagiæ, concessum sit; Unde cùm sanguis ex vulnerato vase in thoracis ruat capacitatem, *pulmones* vivifici hujus nectaris influxu destitutos, & à diffluentis circum circa sanguinis sinceri, ac congrumati, copiâ pressos, & impeditos, ab actione sua; quæ tamen ad vitam simpliciter necessaria est, remittere paulatim, animadvertitur; Et quamvis propria ipsis dicatur *Respiratio*, *solius tamen cordis gratiâ ab opifice ordinata* ea creditur, quo ipsum propterea, pro meliori functionis, & officii hujus expeditione, ex ipsa statim basi sua vasa *pulmonibus* largitur insignia, ac per ea sanguinem, spiritusque copiosè suppeditat.

Accedit, quòd, cùm parenchyma pulmonum humidum, inque continuo cum vasis motu sit, ac sanguis, pus, & sordes non, nisi per tussim, evacuari possint, summè difficilis, vel planè impossibilis sit ipsius, vasorum præcipuè consolidatio, præsertim ubi, ex vasis majoribus insimul vulneratis; insigne sanguinis excitatur profluvium; unde, cùm medicamenta ægrè admodum ad locum vulneratum perveniant, ideòque parum etiam proficere soleant, vitalium suboritur spirituum dissipatio, inevitabilis, ob vicini cordis sympathiam, virium prostratio, animi deliquium, syncope, mors; Aliis quidem, pro circumstantiarum ratione, tardiùs, aliis citiùs.

Sic Facult. Med. & Chir. Lips. 26. Nov. An. 1634.

Et observatum est vulnus sub brachio dextro circa quartam costam illatum fuisse, dextrumque pulmonis *lobum* & *arteriam venosam* penetrasse, quapropter spiritibus vitalibus cum sanguine dissipatis, mors necessariò secuta est.

Cap. 7. *De Vulneribus asperæ arteriæ Lethalibus.*

Canalem autem, per quem pulmones aërem attrahunt, superfluumque cum fuliginibus, iterum exspirant, *asperam* scil. *arteriam* quod concernit, *eam* in partem *internam*, quæ in thorace est, *externam*, quę in anteriore cervicis, vel colli parte conspicitur, dividendam censeo; & ea propter *vulnera* partis *asperæ arteriæ internæ* pro summè periculosis, *externæ* verò minus, neutrum tamen pro *Lethali* habeo; Cùm *interna pars* vulnerata nullis externis objecta sit alterationibus, ac injuriis, sed virtutis roboris naturę, benignique vitalium partium fomenti, vel spontè coalescere queat, vel juvari tamen natura, in consolidando, arte possit; *externa* verò *vulnera*, utpote quę sensibus judicantur, manuque tractari, & remediis, absque ullo valeant impedimento, sanari possint facilè.

Verùm hæc omnia cum conditione dicta scias, nimirum de sola *asperæ arteriæ* id intelligendum esse membranosâ, & cartilagineâ *substantiâ*, non verò de partibus illis, quę cum *eâ* firmissimo cohęrent nexu, ut sunt: in thorace quidem arterię magnę truncus ascendens, & maxima gulæ portio; extra thoracem verò, & in anteriore cervicis, vel colli parte; Rami jugulares, arteriæ carotides, gula ipsi subjacens; Vasa enim hæc si cum *asperâ* simul *arteriâ* vel in thorace præprimis ipso, vel exteriùs in cervice, & per transversum pręcipuè vulnerata sint, cùm, *ob suffocationis periculum, legaturam, sanguini sistendo necessariam, non admittant, & arteria, ob siccitatem, & duritiem, motumque continuum difficillimè coalescat. Lethale est utplurimùm*; Sin secus, & si debitè tractetur vulnus, restituuntur vulnerati, & vivunt; Sic *Juvenis, inopinatam nuptiarum repulsam passus, violentâ manu præcisis ferro obviis asperæ arteriæ cartilaginibus, sed illæsis venis jugularibus, & arteriis carotidibus, facilè curatus est*; Id quod vel gallinarum, pecudisque mactandę exemplo probatur quotidie, dum, quibus sola cultello inciditur aspera arteria, vivas abire, & supervivere; quibus verò vasa per transversum simul pertusa sunt, illico emori, cernimus; Cujus vel in homine etiam *Laryngotomia* testis est.

Sic Chirurg. Lips. 2. Jan. 1621. P. P.

Et cùm Fœminæ vulnus pugione à latere dextro in asperam arteriam, adeò profundum, ut digitum admittere potuerit, inflictum fuisset, magna cruoris quantitas (ex vulneratis dubio procul vasis) in cavitatem profluxit, & sic statim mortua est.

Item 30. Mart. 1612. P. P. Et observatum est sauciato vulnus ponè aurem dextram illatum, quod deorsum versus mentum flectebatur, asperam arteriam venamque singularem penetrabat; quare non solùm sanguis copiosè extravasatus; sed & respiratio suppressa, unde vitam cum morte commutavit.

Cap. 8. *De Vulneribus Gulæ Lethalibus.*

Cęterùm sub *asperâ arteriâ gula* est, *canalis*, sui generis, *membranosus*, qui ex faucibus musculoso principio proveniens, vertebrarum cervicis, & thoracis dorso firmiter adhęret, circaq undecimam thoracis vertebram Diaphragma trãsit, & sinistro ventriculi inseritur orificio; *usus*, & *officium* ipsius est, ut per eum, tanquam per *infundibulum*, alimenta, cibus, & potus, ad ventriculum transeant; quę verò, musculorum ratione, ipsi adscribitur actio, alimentorum dicitur *Deglutitio*.

Vulnera

Vulnera verò ipsius quod attinet, quamvis existimarem, rarò satis solam vulnerari *gulam*, cùm æquè in cervice, quàm in thorace, plurimæ circà eam reperiantur partes, quibus ut præmonitus *Oesophagus*, solus vix vulnerari potest, quin superjacens imprimis ipsi aspera insimul arteria; partesque consauciencur aliæ.

Quod si tamen solam, perque transversum præsertim, vulnerari *gulam*, contingat, *Lethale* illud vulnus *utplurimùm* esse, censeo; Cùm statim, atque inflictum *gulæ* vulnus est, præter medicamenta applicandi incommoditatem, duo urgentia emergant symptomata, dolor scil. vehemens, tumorque insignis; iste, ob membranosam *gulæ* substantiam, hic verò ob ejusdem crassitiem, ac soliditatem; unde *gulæ* cessat actio, usus & Officium; Alimentorum scil. deglutitio, ac transitus; Utrumque ob dolorem partim, partim ob tumorem, utpote qui deglutitionem impediunt, & alimentorum transitum intercipiunt. Maximè verò quod urget, *Vulnus* est, quippe per quod alimenta, & quæcunque assumuntur exeunt, spatia aliena occupant, putrescunt, variaque inducunt symptomata; Quibus succedit non minùs respirationis difficultas, & imminutio; quò majus enim incrementum sumat tumor, eò major etiam respirandi difficultas, majusque suffocationis periculum est; ità ut, urgente hâc symptomatum syndrome, paucarum dierum spatio perire tandem vulneratum oporteat.

Sic Chir. Lips. 28. Aug. 1626. P. P.

Et invenimus occisum glande plumbeâ in collô perfossum fuisse, quæ caput asperæ arteriæ à latere sinistro planè contudit, venam jugularem læsit, œsophagum & asperam arteriam trajecit, vertebramque colli ubi globulus plumbeus destitit & repertus est, contrivit; quapropter ob totius ferme sanguinis in asperam arteriam delapsum, capitisque ejus contusionem, respiratio difficilis facta est, præterea læsione colli vertebræ, spinalis medulla, quæ potissimum vitæ hominis instrumentum, vim passa est: quibus se ita habentibus vulneratus necessariò & brevi tempore vitâ fungi debuit.

Cap. 9. *De vulneribus Diaphragmatis Lethalibus.*

Gulæ autem, priusquam illa in abdomen descendat, Diaphragma proximum est, quod sepimenti instar, ambitu ferè circulari, medium, infimumque ventrem invicem distinguit, *septum* inde *transversum* dictum; *substantia* ipsius majore ex parte *musculosa* caro est, intermedia verò portio ex pleurâ, quà thoracem, & peritonæo, quà abdomen spectat, *excarnis* planè, & *membranosa* est; *Vasa* habet non infimæ notæ, ac magnitudinis, ex vicinis statim venæ cavæ, & arteriæ magnæ truncis, prodeuntia, *Phrenica* dicta: *nervosque* insuper insignes, ac peculiares, à cervicis nervorum plexu rectà descendentes, unde exquisitissimus in eo sensus, insignisque cum capite consensus est: Præclara verò in juvando, & expediundo respirationis negotio, ipsius *actio* est.

Vulnera autem vel *carnosam* ipsius petunt circumferentiam, vel *membranosum* ejusdem penetrant *centrum*; Ex quibus prius periculosum satis, posterius verò *Lethale est utplurimum*; Teste Galeno, qui dicit: Transversi septi Vulnera in carnosis quidem partibus subindè coalescere sunt visa, ejus motu non obstante; Quæ verò in nervosis ejus hærent, insanabilia sunt.

Cùm enim *membranosa* ista *Diaphragmatis portio* exquisitissimi sensûs sit, motus item ipsius ad respirationem[1], vitamque pariter ipsam, summè, ac simpliciter sit necessarius, adeoque continuus, ipsumque cor, solius interventu pericardii, validè ipsi cohæreat, cerebrumque per nervum non minus, quàm cor per arterias, maximè consentiat, & excitata à vulnere ussis consolidationem impediat, fieri aliter non potest, quin inflicto statim vulneri vehementissimus superveniat præcordiorum dolor, cordis, ob vicinitatem, anxietas, insignis respirationis læsio, (cùm moveri ob dolorem; vulneratum Diaphragma nequeat) inflammatio, febris, Delirium, convulsio; ex quibus perit vulneratus, & moritur.

Sic Facult. Med. & Chirurg. Lips. Annò 1658. P. P.

Et Observavimus Defuncto pergravem plagam in sinistro latere ligone impactam fuisse qua paucis horis periit. Hâc plagâ externâ diaphragma tam violenter contusum fuerat, & in utraque superficie tam quà cor quàm quà lienem spectat inflammatum erat, venis ruptis magna superveniebat hæmorrhagia, adeo ut quatuor aut quinque sanguinis libras in abdomine invenerimus. Itaque hæc contusio quam sanguinis & spirituum, jactura secuta est, mortis causa fuit.

Cap. 10. *De vulneribus Ventriculi Lethalibus.*

Porrò sub Diaphragmate, in regionis Epigastricæ medio, conspicuus satis est *ventriculus*; qui ex *membrano-carnosâ* constans *substantiâ*, *formâ utriculari*; *magnitudine* variat; divisus in *orificium superius*, quod *sinistrum*, & *inferius*, quod *dextrum* est, & in cavitatem insignem, quæ *fundus* dicitur; *Orificio* super ore gulæ, inferiore intestinis connectitur; *Actio* ipsius est *alimentorum concoctio*, & in *chylum* conversio.

Ex quibus apparet, *vulnera* ipsius vel in *fundo*, vel in alterutro ejusdem fieri *orificio*, *fundum* vel cavitatem quod spectat, cùm partium ipsius una. eademque non sit conditio, pro instituti ratione, in *superiorem*, *inferiorem* (fundum propriè dictum) & *partes Laterales* dividendum censeo; Hinc, si *superiorem*, & quæ Diaphragma respicit, vulnerari partem, contingat, præsertim quò remotius ab orificio vulnus est, curari, quamvis difficulter satis, & supervivere vulneratum posse, ex Gal. sententiâ largior; Si verò vel *Laterales* ipsius partes, vel *fundus* præprimis propriè sic dictus, vel *alterutrum* ejusdem vulneretur *orificium*, vulnusque *in cavitatem usque penetret*, *Lethale est utplurimùm.*

Concoctio enim cùm in instanti fieri nequeat, sed alimenta quandam præsupponant, & requirant in *ventriculo* moram, unde retentrice etiam donatus est facultate ventriculus, oportet sanè, ut ingesta retineat alimenta, amplectatur, & foveat; quod ipsum verò vulneratus ità effectum dare nequit; quia si alterutrum ipsius perfossum *latus* est, læduntur fibræ quæ retinent, & alimenta vel chylus, per vulnus exeunt; Si *fundus*, sanguis, ob venas & arterias copiosè ibidem distributas, confertim profluit, unde vomitiones, & dejectiones cruentę, ac cruoris in spatiis abdominis collectio; alimenta cruda statim per vulnus in loca vicina labuntur, ac decidunt; Ex *orificiis* autem si *superius*, exquisitus, ob copiosam nervi insertionem, excitatur dolor, ac Lethalia satis; ob singularem cum corde, & cerebro, per nervum sexti paris, consensum, excitantur symptomata: singultus puta, vomitus, extremorum frigus; sudores syncoptici, & convulsiones; nec non insignis, ob substantiæ crassitiem, fit tumor, unde læditur appetitus, &, si quid assumatur, vel à tumore intercipitur, & non admittitur, vel ægrè vix admissum, priusquam ad cavitatem pertingat, ex vulnere in abdomen profluit, & delabitur: Si verò *inferius* vulneratum sit *orificium*, præter dolorem; ac tumorem, chili læditur distributio, cùm alimentaris massa, quæ naturaliter ex ventriculo per inferius hoc orificium ad intestina tenuia distribui soleat, ex vulnere hoc & ipsa in abdominis spatia defluat; Unde, ut contraham, quod dictum est, ex tali ventriculi vulnere, substantię alteratio, temperamenti destructio, dolor, tumor, inflammatio, febris, singultus, vomitus, con-

[1] *Biblioth. Chirurg.* Tom. III.

coctionis læsio, impedita concoctorum distributio, alimentorum, chylique in abdominis spatia delapsi putredo, fœtor ingens ex vulnere, partium corruptio, nutrimenti denegatio, virium lapsus & prostratio, mors; quæ & ipsa tamen, pro circumstantiarum ratione, quibusdam citiùs, aliis contingit tardiùs; *ità, ut profunda & penetrantia ventriculi vulnera, quæ à Schenckio, & aliis sanata referuntur, inter τὰ θαυμαστὰ & rara reponenda, & felix eorum consolidatio naturæ solertiæ, virium robori, carnosæ ventriculi substantiæ, fidelitati, ac peritiæ Chirurgi, obedientiæ ægri, & rerum necessariarum affluentiæ, sive copiæ adscribenda censeatur.*

Sic *Aristippus, sagittâ, magnâ vi, & graviter in ventriculum impacta, intrà 7. dies mortuus*; Et *mercator, cui ventriculi fundus cultello perfossus erat, triginta horarum spatio obiit*; *Quirinus Oenopola verò ex vulnerato ventriculo, ex cujus vulnere, cùm ebrius esset, plus quàm duæ pintæ cerevisiæ emanarunt, quatuordecim horarum spatio mortuus abiit.*

Et Chirurg. Lips. 30. Decembr. 1599. P. P.

Et Invenimus Vulnerato in dextro latere sub costis spuriis inter intestina vulnus ventriculi fundum penetrans inflictum fuisse, ita ut sanguis extra vasa effusus per sedes & vomitum apparuerit, sicque tertio die defunctus est.

Hærere hîc cogor, nesciens, an sub *Zippel des Magens*, orificium inferius, vel fundum intelligant Chirurgi; quicquid tamen sit, utrumque vulnus, si penetrans, & profundum, Lethale est utplurimùm.

Caput. II. *De vulneribus Intestinorum lethalibus.*

Inferiori autem ventriculi orificio *intestina* proxima, atque continuata sunt, quæ ab eo, tanquam suo Principio, gyrato qu.& mirabili planè ductu totum discurrunt *abdomen*, inque extremo terminantur podice; *Substantia* ipsorum *membranosa* est, & eadem ferè cum ventriculo; *Tunicarum* tamen disparitate in *tenuia* dividuntur, & *crassa*; Illa constituunt *duodenum*, *jejunum*, & *ileum*; hæc verò *cæcum*, *colon* & *rectum*; *usus* ipsorum, & *officium*, ac *tenuium* quidem, est recipere, & pro distributione reservare id, quod in ventriculo ex alimentis concoctum est; *crassorum* verò colligere primæ concoctionis excrementa, eaque prout necessitas urget, retinere, ac debito tempore per alvum reddere, atque dejicere.

Vulnera eorundem penetrantia, *tenuium* imprimis, *lethalia* sunt *utplurimùm*; Dico *tenuium* imprimis, quia per ventriculi inferius orificium, *pylorum* dictum totus in illa immediatè distribuitur *chylus*, ab iisque recipitur, fovetur, & eò usque asservatur, donec optima ipsius pars per vasa lactea, copiosè satis in ea distributa, attrahatur, & rapiatur ad *mesenterium*; Jam ergò si vulnerari ea contingat, vulnus verò, ob situs incommoditatem, nec manu per suturam consui, nec quàvis artis lege tractari decenter possit, pars vulnerata alteratur, (*Sie lauffen an*) quia frigida, humida, & exsanguis est, & præsertim si promineat ex vulnere, & foràs exeat; inflammatur, ob vasorum copiam; dolet, ob nervosam substantiam; *chylus* ex vulnere exit, & in abdominis spatia defluit; Unde nutritionis cessatio, virium dissolutio, chyli ex vulnere prolapsi putredo, intestini vulnerati corruptio, gangræna, fœtor ingens, animi, ob cordis consensum, ac virium imbecillitatem, deliquium, syncope, mors; eòque citius, quò vulnus vel per διακοπὴν, & transversum, vel majus & profundius, ac *jejuno* præprimis inflictum est; utpote in cujus substantiâ, nervosâ planè, non ingens solùm dolor, tormina, ac, ex ventriculi consensu, singultus aliaque funesta excitantur symptomata, sed nulla propemodum sanandi spes suboritur, cùm vasa prætereà recipiat insignia, *ductusque biliosos* copiosè admittat, unde, si, præter jam dicta, insigne quoque subsequatur profluvium, ac biliosorum vomitus, & dejectio, quid mirum est?

Crassorum autem, & *cæci* præprimis, quod monoculum est, ac *coli*, quod attinet vulnera, illud, cùm pusillum satis sit, &, vermiformis instar processus, inter *ileum*, *colonque* propendeat, vix vulnerari, existimo; quod si tamen id contingat, leviusculum vulnus summè periculosum, magnum verò *Lethale non minus*, quàm *intestini coli*, utplurimùm esse, statuo; quamvis enim *cæcum* exiguum, & tenellum sit intestinulum, commune nihilominus cum crassis reliquis sustinet officium; *Colon* verò omnium maximum, & commune flatuum, ac excrementorum alvi, receptaculum est; Unde, vulneratis iis, tanquam partibus ad vitam simpliciter necessariis, fœtida ista alvi excrementa, & flatus, nec colligi ampliùs, nec retineri, pro arbitrio, in iis possunt, sed exeunt per vulnus, ac prætereà, quæ de *intestinis tenuibus* dixi, symptomata, maximus statim inducitur in vulnerata parte fœtor, spirituum infectio, & inquinatio, sanguinis per alvum dejectio, & miserrima ità vitæ consummatio.

Quoad *recti* verò *intestini* vulnera, anceps sum; Illaque quæ eâ in ipsius parte fiunt, quâ membranosâ suâ substantiâ *colo* adhuc vicinum est, & magna imprimis ac profunda sunt, *utplurimùm Lethalia* pronuncio; quæ verò postremæ ipsius, & ubi musculi inseruntur, infliguntur parti, sanabilia esse censeo; cùm *illa* fiant in membranosâ, & exsangui, adeoque difficulter sanabili; *hæc* verò in carnosâ qu. intestini substantiâ, ubi vel spontè coalescere vulnus solet, vel convenientibus tamen, per alvum, vel in ipsum vulnus, injectis, & applicatis tractari, & sanari possit remediis.

Sic Facult. Med. & Chir. Lips. 12. April. Anno 1657. P. P.

Et observatum est Vulneratum gladio magna vi in abdomine læsum fuisse, vulnus externe quidem duos digitos latos super umbilicum versus latus dextrum inflictum fuit, sed ensis postea dextrum hypocondrium penetrans jejunum intestinum per transversum ad latitudinem dimidii digiti dissecabat. Itaque hoc vulnus secundo die mortem afferens juxta principia & Observationes Medico Chirurgicas pro absolutè & simpliciter lethali habendum est.

Item 1658. P. P. Et animadvertimus cuidam pedibus violenter conculcato intestinum ileum infra umbilicum versus latus dextrum adeo læsum fuisse, ut in vulnus tres digitos immittere potuerimus, quam ob rem sequenti die mortuus est.

Ne verò, multiplici gyrorum tractu, per abdominis vacuum, discurrentia *intestina*, cum sanitatis discrimine confundantur, & convolvantur, prudenter satis à sapientissimo corporis nostri *architecto* interpositum ipsis est *mesenterium*; Cujus *substantia membranosa*, copiosâ pinguedine, insignique glandularum serie donata est, & *vasa*, à *venâ portæ*, & *arteriâ magna*, *mesenterica* ampla satis, & conspicua, *nervosque* varios pariter recipit, ac *venas*, sibi proprias, fovet *lacteas*; ità ut, pro colligendis, & continendis partim intestinis, partim vero pro *chyli* per *venas lacteas* distributione, factum præcipuè esse dicatur *mesenterium*.

Cujus equidem *vulnera*, si solas ipsius penetrent tunicas, pinguedinem, ac glandulas, & magna, atque profunda sint, *periculosa* quidem, *Lethalia* tamen vix dicerem, nisi, ut suprà cap. 5. dictum, vel *vasa* ipsius *majora*, arteriæ præprimis, vel partes insimul consauciatæ fuerint aliæ; *quemadmodum fieri vix possibile est, quin, læso mesenterio, intestina offendantur*

& ipsa

& ipsa; Id quod de ipso etiam intellectum velim *Pancreate*.

Caput. 12. *De Vulneribus Rhenum Lethabilibus.*

Ultimum tandem inter *partes ad vitam simpliciter necessarias* locum *renes* cum *vesicâ* occupant; *Illi* quidem in lumbari Abdominis Regione, *dexter* sub *Epate*, *sinister* sub *Liene*, siti sunt; *Substantia* Ipsorum proprium *parenchyma* est, *figura* phaseolum referens; *vasa*, quæ partim ad *Eos* distribuuntur, partim verò ex *iisdem* proveniunt, habent insignia; cùm ex descendentibus venæ cavæ, & Arteriæ magnæ truncis, *rami emulgentes* dicti in utriusque *renis cavum* abeant; Ex utroque verò *Canalis* notabilis, *Vreter* dictus ad vesicam usque prodeat; & *Renes* ipsi per *illa* superfluam in massa sanguinis serositatem, facultate, & virtute sibi propriâ, ad se trahant, per *hos* verò serum omne, quod attractum est; per papillares carunculas ad infundibulum percolatum, ad *vesicam* transmittant Urinariam.

Vulnera proinde *renum* quod spectat, & hîc limitatione opus esse, reor; Scilicet cùm per Inflammationem, & exulcerationem, alterutrum ex *Renibus*, absque vitæ tamen dispendio, planè consumptum fuisse, ac defecisse, anatomicorum testetur autoritas, *Vulnera* propterea solius *renalis Substantiæ*, & *Parenchymatis*, nisi magna, & profunda satis, & cum insigni conjuncta sint Inflammatione, *Lethalia* non sunt; præsertim cùm *Binos* inde *Renes* providus constituerit *Opifex*, ut, læso, vel ulcere planè consumpto, uno, in officium, & functionem succedat, & succurrat Alter.

Si verò cum *substantia vasa* simul Emulgentia, & imprimis ubi sinum *Renis* ingrediuntur, & vicina adhuc suo sunt Principio, consauciata sint; *vulnera*, ob insignem, & immedicabilem hæmorrhagiam imprimis, *Lethalia* sunt utplurimùm.

Alia verò *ureterum* vulneratorum est ratio; sive enim Ureter per longitudinem vulneretur, sive per transversum, & ità quidem, ut ex inflicto vulnere planè pereat, ac cesset ipsius usus, & officium, *Lethalitatem* tn. per se id inducere, non dicerem; quamvis enim ob inductam *ureteri* vulnerato cicatricem & ab eâ provenientem meatûs obstructionem, ipsius etiam *renis*, cujus *Vreter* vulneratus est, *Actio* impediatur, ac cesset, nihilominus tamen alter alterius *renis ureter* in vulnerati locum succedere, ipsiusque vice fungi dicitur; quippe quæ succedanei officii ratio in aliis non minùs, quas binas fecit *optimus Plastes*, observatur Partibus; Nec obstat, quod dicitur, vulnerato *uretere*, exire serum in spacia abdominis, ibidemque, protractu temporis, putrescere, corrumpi, variaque exinde produci posse symptomata; cùm notum sit, seri ex *renibus* per *ureteres* ad vesicam transitum non fieri confertim, sed percolari, & vel parum proinde ferri, quod tamen à partium Calore resolvi; absumi, & dissipari facilè potest, in Abdominis transire spatia, vel commodam statim vulnus consolidandi præberi ansam.

Caput. 13. *De Vulneribus Vesicæ Lethalibus.*

Ipsa denique *Vesica*, in abdominis pelvi collocata, ex *membranosâ* constat *substantiâ*; & in *cervicem* musculosam, vel carnosam, ac *fundum* membranosum dividitur; facta, ut serum à Renibus ex Ureteribus per *binos meatus*, eosque *obscuros* satis, ac veluti *conniventes*, in se recipiat, illudque deinde, vel copiâ, vel acrimoniâ ejusdem irritata, sub urinę formâ, fibrarum, musculorumque beneficiô, reddat, atque excernat.

Ex cujus structurâ, quid de *vulneribus* ipsius statuendum sit, colligere non est difficile; Scilicet, si vulnus *cervici* inflictum sit, sanari illud posse; nullum est dubium; quod vel *cervicis* in calculosis exulceratio, vel sola docere videtur Calculorum in vivis Exsectio, utpote à quibus Ægrotantes, modò debitè, ac lege artis fiant omnia, curantur; & restituuntur plurimi. Et hæc ratio fuit, *quod Miles iste, in Vesicâ Vulneratus, etiamsi ex femore mingeret, curatus fuerit.*

Sin verò membranosus vulneretur *Vesicæ fundus*, & qui dem per διακοπὴν, *quæ divisionis, ac læsionis magnitudinem significat*, vulnusq; in cavitatem usq; penetret, *Lethale* est *utplurimùm*; Cùm *vesica* vulnerata non tantùm ratione membranosæ suæ substantiæ, dolorem acerbum, Inflammationem, febrem, & Convulsionem inducat, sed fundo etiam suo imam occupet abdominis pelvim, & vulnus propterea nec suturâ, nec Vinculis stringi, nec, cùm madeat perpetuò, & sauciata ab urinæ acrimoniâ lædatur insigniter, medicamentis cicatrix tàm citò induci queat, quin ex vulnere urina omnis, quæ aliàs in matulam excerni deberet, in abdomen profluat, ibique retenta, ac collecta, præter alia symptomata, insignem, hydropicorum more, ventris tumorem excitet, Viscerum tenorem destruat; Calorem nativum restinguat, ac, vulneratos ità miserè perire, faciat.

Sic Facult. Med. & Chir. Lips. 5. Nov. 1622.

Et Observavimus plagam qua vulneratus in inguine dextro læsus fuit, vesicam penetrasse abdomen sanguine coagulato repletum fuisse, intestina per vulnus foras prodeuntia, & ab aëre ambiente alterata jam inflammata & nigra esse; Quapropter vulnus pro lethali habitum fuit.

Quod reliquas tandem (quas & ipsas attingere fas est) in Thorace, & Abdomine restitantes concernit partes, *Mediastinum* puta, *Omentum*, *Peritonæum*, *Vterum*, cum *Vasis spermaticis*, & *Testes*; Vulnera earundem periculosa equidem, *Lethalia* tamen non sunt; Cùm nec *Nobiles*, nec *ad vitam simpliciter Necessariæ* sint; Sed, vel ad fomentum solùm, & Robur aliarum partium faciant, ut *Mediastinum, peritonæum, & Omentum*; vel Propagationem sobolis respiciant, ut reliquæ; ità, ut, præcisa maximâ *Omenti quòd prelapsum ex vulnerato abdomine necessariò computrescere dicatur*, parte; Corrupto item ex causis internis, vel planè remoto *Vtero*, & exsectis *Testiculis*, salvam nihilominus remanere vitam, constet, ac manifestum sit cuilibet.

Cùm verò non raro contingat, fœtum etiam, in Utero adhuc contentum, à malè feriatis hominibus violenter tractari pariter, ac lædi; propterea que Medici etiam Inspectionem, & Judicium persæpè subinde requiri; Operæ pretium proinde existimo, ut & in hoc casu Medicus, qualem se præstare debeat, non nesciat; Scilicet totum hoc negotium à temporis partim, partim verò ab aliarum circumstantiarum ratione, dependere videtur; Circa tempus considerandum est, an læsio, vel externa gravidæ illata injuria, in primis, an in mediis, an verò in Ultimis gestationis Mensibus contigerit; Sin vel in primis, vel in secundis contingat Mensibus, & nulla alia, sive interna. sive externa causa supervenerit, Gravida verò Abortum patiatur, læsionem illam abortûs causam esse, palam est; Sin verò in ultimis, & fœtus, præter malæ Conformationis, ac aliarum causarum indicia, vel quavis corporis sui parte læsus, in lucem prodeat, vel planè mortuus excludatur, Externam illam injuriam Effectûs hujus causam esse, judicandum est.

Circumstantiæ verò aliæ, in Læsionis partim vehementiâ, partim verò in Rerum, per quas fit læsio, qua-

qualitate; nec minus in ipsius læsionis effectu, ac eventu consistunt; utpote ex quibus, collectivè sumptis, causa vel abortûs, vel læsi, vel mortui fœtus, dici haut difficulter potest.

Sic Facult. Med. Lips. de 15. Febr. 1669. P. P.

Habita Collegiali deliberatione diligenterque simul Archiatri Relatione considerata. Te certiorem facimus illas *Læsiones* quas in gemello mortuo observavimus tam externas quàm internas violenta pedum conculcatione sine dubio illatas fuisse, præcipue si nulla alia vis post conculcationem gravidæ allata sit; tenerrimo igitur fœtui ob prædictam in utero materno violentiam moriendum fuit; & nihil refert infantem tres adhuc menses post læsionem in utero commoratum fuisse, quia natura per hoc spatium omnes adhibuit curas ut hunc fructum vitiosum restituere posset, sed frustra, quia plures & nimiæ fuerant læsiones, quare ille, priusquam ultimam attigerit perfectionem, in utero expiravit, sed unà cum altero fœtu sano, & quidem in mortui emolumentum, Deo benedicente, providâque naturâ, usque ad tempus legitimum partû, in utero conservatus est. Tardius autem lucem aspexit, quia mortuus situm mutavit, nec ut vivus in partu cooperare potuit.

An verò fœtus statim nonâ à læsione die perierit, difficillime determinari potest; Credendum tamen illum pauco ante partum tempore è vita migrasse, aliàs intelligi non potest, quomodo natura corpus mortuum (ut pote quod statim post obitum cadaverosæ obnoxium est putredini) sine damno & periculosis symptomatibus tam gravidæ matris quàm gemelli vivi & sani, per longum tempus, plusquam tres nempe menses, in utero foveri & conservari potuit. &c.

Cap. 14. *De Vulneribus Partium externarum, aliisque per accidens dictis Lethalibus.*

Ne verò *vulnerum* partibus corporis humani internis tantùm inflictorum *Lethalitatem* attigisse; Externas verò, & quæ *extrema* dicuntur, sicco planè præteriisse pede, videar, de illis non minus, & quâ ratione in *partibus externis vulnera* fiant, & contingere queant *Lethalia*, dicere, & finem ità negotio imponere, fert animus. *Externarum* autem *partium* nomine, *habitum corporis*, communia ista humani corporis tegumenta, *cutem* puta cum suâ *cuticulâ*, *pinguedinem* cum *panniculo carnoso*, *musculosque* cuilibet parti proprios, intelligi: *Extrema* verò *artus* denotare, & *manus*, *pedesque* complecti, non est, quod ulteriùs demonstrare allaborem.

Quæ omnes etiamsi ad perfectum actionum humanarum requirantur exercitium, respectu aliarum tamen, & de quibus hactenus dixi, ipsis nec singularis competit *nobilitas*, nec summa, & simpliciter ità dicta ad vitam *necessitas*; unde nec gravia maximè, vulneratis iis, superveniunt *symptomata*, nec difficilis admodùm ipsorum est *sanatio*; ità ut propterea etiam neque in *vulnerum Lethalium* venire soleant censum, ac numerum.

Sed cùm multos nihilominus ab externo, eoque ut videtur, nullius momenti vulnere perire, ac emori, quotidiana testetur experientia, quænam proinde insperati eventûs hujus causa sit, ac ratio, dicere operæ pretium pariter, ac necesse esse, existimo.

Recordor autem hîc, *Hippocratem* prudenter satis, ac scitè innuisse, non *Medicum* tantùm *oportere, ut ad ea, quæ decent, facienda, promptum se exhibeat*, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν, *sed ut ipse etiam patiens, & adstantes, & externa* ità se gerant, ac habeant, ut curatio benè suscipi, decenterque & sine ullo impedimento, absolvi queat; Unde quemadmodum in aliis Morborum Curationibus non *Medici* tantùm requiritur diligentia, & prudentia, sed necesse est, ut & *patiens* obsequiosum se præstet, & *adstantes*, sive *amici* sint, sive *curam Ægrotantium habeant*, nihil vel faciant, vel intermittant, vel permittant, nisi quod salutare, & curationi conveniens est; Ipsaque tandem *externa* (hoc est quæ foris contingere possunt, ut sunt: *Aëris*, *& loci mutatio, error circà diætam, ira, commotio, terror, &*, ut *Galen.* loquitur, *sexcenta alia*) ità comparata sint, ut *Medico* methodicè & rationaliter curanti exactè respondeant; Sic cùm *vulnerum* etiam tractatione, & curatione rem se habere, certum est, utpote pro quibus dextrè, & artificiosè curandis, ac consolidandis, non *Chirurgi* tantùm sufficit dexteritas, sed ipsius etiam *vulnerati, adstantiumque*, ac *externorum* expetitur conditio, & habilitas; quippe quibus bene se habentibus maxima etiam, & enormissima externarum partium vulnera consolidari, sanarique possunt facilè; Cùm è contrà, si vel *Chirurgus* imperitus, ac negligens; Vel *vulneratus* morosus, & impatiens; vel insignis ab *adstantibus*, & *externis*, commissus error est, ex leviusculo interdum vulnere mori vulneratos, dies testetur, & Chirurgicæ Medicorum observationes, & Historiæ; quæ ipsa tamen propterea vulnera nec *per se, nec utplurimùm*, sed *per accidens* dicuntur, & fiunt *Lethalia*, hoc est, ubi inflictum vulnus, nec ratione affectæ partis vel *nobilitatis*, vel ad vitam simpliciter dictæ *necessitatis*, nec *Symptomatum* (à vulnere puta contingentium) *gravitatis*, multò minùs *remedia applicandi impossibilitatis*, nullum planè *per se* inducit vitæ periculum, sed vulneratus sine ullâ necessitate, & *per accidens*, quod dicitur, ac ex insperatô moritur; *qualia* sunt: *negligens vulneris deligatio*, & *sanguinis inhibitio*, quod utrumque vel ob *Chirurgi* defectum, vel ob ipsius contingit ignorantiam, vel incuriam (*vvenn der Vervvundete nicht bald verbunden, oder das Blut nicht bey zeit gestillet vird.*) Negligens vulneris tractatio; (*vvenn der Barbierer die VVunde mit Hefften, Reinigung*, Precavi*rung des zufälle, und sonst, so viel an ihm ist, Täglich nicht vvol in acht nimmt.*) Sic *Virgo nobilis, quæ, cùm in choreis cecidisset, vix læsâ cute, vulnusculum in vertice accepit, à Barbitonsore negligenter habita, & tractata, superveniente symptomatum syndrome, moritur; nobilis* item, *cui bregma percussum erat, ex trepanationis neglectu, quam Barbitonsores, ex ignorantia, odiosam reddebant adstantibus, & ipse moritur*; Ità, *puer in clune non ità profundè vulneratus, ob Chirurgi imperitiam, superveniente Phlegmone, & gangrænâ, moritur.* Et *Delphenses duo, ex abscisâ, sine præviâ ligaturâ, omenti portione, ob sanguinis profluvium, & omenti putredinem, mortui sunt.*

Mala vulnerati Constitutio, & habilitas, (wenn der Vervvundete an sich selbst ein Valetudinarius, *schvvacher Natur, böser complexion, und unheilbarer Haut ist.*) Cùm *pro animi, & corporis bonâ, vel malâ constitutione, vulnera varient*, &, qui morbis obnoxii, vel senes, vel aliâ quavis causâ debiles sint, & quibus corpus impurum, cachecticum, & fluxionibus obnoxium est, ob humorum affluxum, & virium imbecillitatem, difficulter ferant vulnera, nec sanentur, & restituantur, nisi difficillimè; *In ulcerum enim & vulnerum felici curâ., & partem affectam minimè esse intemperatam, & affluentem sanguinem bonum esse oportet*; Sic *aquâ inter cutem* (Hydrope) *laborantibus exorta in corpore ulcera* (quantò magis vulnera) ῥηϊδίως, *cum nullâ alleviatione*, hoc est difficulter, & non facilè *curantur:* Et *vulnera, ab emissis è sclopeto globulis, corpori pravis succis abundanti inflicta, maligna judicantur*; Unde etiam Facult. Med. & Chirurg. Lips. 30. Jul. 1617. post inspectionem Cadaveris pueri,

pueri cujusdam, qui alapis, & plagis, sola manu datis, tractatus, altero die mortuus est, ita attestantur: P. P.

Etsi externe circa aurem sinistram ecchymoma apparuerit, attamen post aperturam cranium integrum & illæsum, nec *alicujus vasis rupturam in panniculis cerebri* vidimus. Præsumendum igitur & credibile est, licet plagæ in se solùm & absolutè lethales non fuerint, commotionem tamen & contusionem cerebri, & per hanc pravorum humorum affluxum fieri potuisse, quo facto, non solùm dispositio ad epilepsiam, sed & apoplexia supervenit, quia per confluentem materiam nervorum principium obturatum fuit, & sic mors secuta est; quod facilè in corpore impuro & minus sano (ut in hoc cadavere ex pedibus œdematosis satis apparuit) fieri potuit.

Malum Vitæ Regimen (*wenn sich der Verwundete nicht wol hält*) ac *insignes* circa *Diætam*, & sex Rerum non naturalium legitimum usum commissi *Errores*; sive isti committantur circà ea, *quæ assumuntur* (*wenn der Verwundete im Essen. und Trincken, Ertesse begehet, wie auch im Gebrauch nöthiger Artzeneyen nachlässig ist*) sive *quæ geruntur*, & vel corporis, vel animi motu, indebitè aguntur (*wenn er sich nicht stille hält, und der Wunde zu ihrer Heylung keine Zeit, und Ruhe lässet, oder sich dem Gemüthe nach bewwe et, bemühet, erzürnet*) *und sonst* moros, *und Widerwertig erweiset.*) Sic *Juvenis*, *Capite vulneratus*, *remittentibus omnibus symptomatibus*, *ex irâ Phreneticus moritur*; Sive, *quæ excernuntur*, & *retinentur*; Sic *Juvenis*, *baculo in syncipite Vulneratus*, *restitutus ferè*, *ex Venere moritur*; Sive *quæ fori accidere* dicuntur, ut sunt; Casus, Contusio, aëris cujus vis, frigidi, & maligni præcipuè, & terris exhalationibus infecti, in Vulnus penetratio, *Venenatus Vetularum*, *aut menstibus laborantium*, *intuitus* (*Wenn dem Verwundeten äusserlich etwas übels begegnet, und derselbe entweder auff die Wunde fället, daran sehr gestossen, oder geschlagen, oder auch die Wunde vor der Lufft nicht wol verwahret; oder wenn ein alt verdächtig Weib, oder sonst unrein Weibesbild zusehet, und darbey ist. Wenn der Patient verbunden wird*) & ut, *Galenus* τὰ ἔξωθεν interpretatur, *sexcenta alia*, quorum quo plura insimul concurrant, Vulnerique superveniant, eò facilius Vulnerati extinguuntur, & pereunt; quamvis *per Accidens*; *Sic Puer*, *cui synciput contusum erat*, *febre*, *aliisque symptomatibus planè extinctis*, *ex tympani pulsatione*, *tubarumque*, & *fistularum strepitu*, *ac Rusticorum choreis*, *quas Pater ipsius*, *Oenopola*, *propè filii convalescentis ex Vulnere cubiculum*, *ad mediam usque noctem permiserat*, *febre acutâ inde incensâ*, *delirio* & *aliis subinde intervenientibus symptomatibus*, *moritur*; *et Vulnerum detectio*, *ac aëris frigidi contactus*, *Capitis* imprimis, & *Cerebri*, *ut* & *aliarum partium*, *Vulneribus periculosa maximè dicuntur*.

Sic Facultas Med Lips. d. 10. Jan. Ao. 1671. P. P.

Re diligenter perpensâ, circumstantiisque probè ponderatis, non possumus non illum certiorem facere, Vulnus in casu descriptum per se quidem satis periculosum; sed non absolutè lethale dici posse. Attestamur potiùs Vulnus per accidens mortale factum fuisse, quia secundùm Relationem vestram aëri expositum, nec ligatum per septem horas remansit.

Ad quam Partium Externarum Classem *Axillas* quoque, *ac Summum femur* refero, vulneraque Ramis ipsorum majoribus, Arteriis imprimis, & per transversum, inflicta, quamvis non rarò per Accidens, *utplurimùm Lethalia* fieri affero; Scilicet, si *Ramus Axillaris* circà *Axillam* statim, & sub eâ, ac prope ipsius è thorace exitum; *Ramus Cruralis* verò & ipse in summo femore, & Principium, ac egressum versus, ex Abdomine vulnerentur, & ità quidem, ut sanguinem, ob loci incommoditatem, nec medicamentis, nec ligaturis, ac vinculis sistere possibile sit. unde subitò, & priusquam vel Chirurgus vocari, vel ullum adhiberi possit auxilium, exhaustis celeriter spiritibus, & sanguine, moriuntur utplurimùm.

Sic Chir. Lips. 18. Decemb. 1596. P. P.

Et d prehendimus framea interfectum in parte sinistri femoris crassiore vulneratum fuisse, vulnusque natem dextram & perinœum sub membro virili penetrasse, Vena Iliaca cæsa erat, qua de causa circa matutinum sequentis diei tempus mortuus est.

Et Facult. Medic. Lips. d. 25. Novembr. 1670. P. P. Cùm verò in Relatione affirmetur, ramos Iliacos externos læsos, & afferente ipso qui testatus est, incisos fuisse, horum autem vasorum præsertim arteriarum vulnera & quidem transversa, in summo femore & ipso in inguine inflicta nec facilè nec commodè ut alia vulnera deligari possunt, multò minus sanguinem ex his majoribus ramis copiose & rapide profluentem sistere possibile est. Itaque hoc vulnus rebus sic se habentibus omninò pro lethali habendum, & C. T. ob insecutum sanguinis diffluvium mox vita fungi debuit. Quod Dominis significare &c.

Cap. 15. *De Necessariis Legitimæ Vulnerum Inspectionis Requisitis.*

Cùm verò maximè necesse sit, ut, priusquam de *Vulneris qualitate* dicatur *sententia*, accurata præcedat *ipsius Inspectio*, appendicis loco, ea, quæ circà eandem notatu digna videntur, recensere, ferta nimus pariter, ac negotii Ratio.

Legitima autem *Vulneris Inspectio* nihil aliud *est*, quàm *sedula*, *diligens*, & *accurata in Vulneris conditionem*, *ac qualitatem*, à *Medico*, & *Chirurgo*, à *Magistratu* legitimè *requisitis*, *ad Judicis super Lethalitate Vulneris informationem*, instituta *Inquisitio.*

Ità ut *Tria Legitimæ Inspectionis Requisita* afferam; quorum 1. *Personæ Inquirentes*; 2. *Inspectio ipsa*; & 3. *Inspectionis finis*, & *Intentio*, constituit.

Inquirentes quod attinet *Personas*, sunt illæ: *Magistratus*, *Medicus*, & *Chirurgus*; *Ille*, qui homicidium si fortè commissum est, *Hos* ad vulneris inspectionem requirit *ex officio*; *Hi* verò, qui, requisiti à Magistratu, comparent, ac inspectionem administrant.

Circà *quos* ipsos tamen plura sunt, quæ notanda veniunt; A parte *Magistratûs* enim *Inquisitio* statim, atque de Homicidio constat, instituenda; ne, cùm temporis protractu alteretur Cadaver, putrescat, & corrumpatur, vulnus vel ipsum difficiliùs cognoscatur, vel fœtor cadaverosus, quò minus sectio decenter fieri, & expediri possit, impediat; Nec minus ab iis, qui ex Magistratu Sectioni intersunt, attentè *inspicienda*, & *notanda* sunt *omnia*, ut Illis ipsis postmodùm de *Vulneris qualitate*, & *Attestati veritate*, constare possit certiùs.

A parte *Medici* disceptatur vulgò, an *Uterque*, & *Medicus* & *Chirurgus*, semper requirendi sint: vel *alteruter* solus sufficiat? An *Medicus* debeat esse *Examinatus*, & *Promotus*? An *Juratus*? An *Sectionem* administrare *Ipsum* oporteat? & quæ sunt Alia.

Ad quæ tamen meam breviter dico sententiam: Præsupponendo, *Medicos* oportere omnes, qui ad *Judicialem Vulneris inquisitionem* se requiri permittunt, ut fundamentalem, solidam, & perfectam *Artis Anatomicæ* habeant notitiam, nec de Corporis humani structurâ, singularumque partium situ, scitè solùm loqui, sed Cadaver humanum quodvis propriâ manu, decenter, ac dextrè secare, & vel ignarum Rei hujus Chirurgum informare, vel in necessitatis casu Sectionem Ipsi administrare possint, ac valeant, cùm in

in *Rerum Anatomicarum* notitia totum consistat inquirendi negotium.

Quo præsupposito, si qui statim, reor, ad *quamcunque Vulnerum Inspectionem semper* vocari, & requiri debere *Medicum*; Eumque *Examinatum*, & *Promotum*, utpote qui publicum habeat Eruditionis, Doctrinæ, & Experientiæ testimonium, & cui, ob depositum in Promotionis suæ Actu *Juramentum*, certior habenda fides sit.

An verò ad *Singulos* Inspectionis *Actus* jurare oporteat Medicum, non dicerem, multò minus ipse facerem; Cùm nec *Judex*, qui *Eum* requirit, & inquirit; nec *Advocatus*, qui Defensionem in se suscipit; nec qui *Sententiam dicunt*, ad *singulos Actus* jurati sint; Unde si Fides habetur *His*; Cur non & Eadem habenda est *Medico*? Præsertim si iste Vir Bonus, Eruditus, in Arte suâ Expertus, ac Conscientiosus sit.

Quot autem à *Medicastris*, circà *Inspectionis* hocce negotium, ex solâ *Rerum Anatomicarum ignorantiâ*, & inconsideratâ super *Lethalitate judicandi temeritate*, committantur errores; quot liberentur, & absolvantur Homicidæ, dies testatur, & Experientia, mille testantur, Casus, & Acta; Cujus Rei Caussa tamen non *Arti Nostræ*, sed Magistratui, qui tales requirit Idiotas, imputanda est; Porrò, an, *Medico Chirurgum* semper adjungi, oporteat; nullam equidem *Necessitatem* video, cùm vel solus *Medicus*, eruditus puta, & præsertim qui bonus est *Anatomicus*, utrumque exequi, in vulneris nimirum qualitatem inquirere, & super Lethalitate ipsius judicare, sufficiat; Providè tamen ac circumspectè satis usu hactenus receptum est, ut, pro tutiùs expediendo hoc negotio, *Medicus Chirurgum* (si Uterque haberi potest) semper habeat comitem, non (sicut malè putatur à plurimis) ut *Medico* famuletur *Chirurgus*, & manus solùm admoveat suas, sed ut Ipse etiam *suam super Vulneris qualitate* ferat, dicatque *sententiam*.

Requirendum ergò *Chirurgum*, utpote qui inter Personas inquirentes Tertia est, non Barbitonsorem, vel Balneatorem quemvis, sed talem, qui *Rerum Anatomicarum* benè, ac sufficienter gnarus, & in *Chirurgiâ*, ac *Vulnerum tractatione*, ac regimine, probè exercitatus, & Juratus Artis suæ Magister est, suadeo; Utrumque enim nisi obtineat, *κωφόν est πρόσωπον*; *Sectionem* quippe administrare *eum* oportet, quia Medici minister est; Suam verò insimul dicere *sententiam*, quia Chirurgus est & frequenter, ac quotidie curam habet Vulnerum; proptereaque tutum non minus est ipsius *judicium*.

Non soli tamen Chirurgo (multò minus imperito Barbitonsori, vel Balneatori) committendum negotium, cùm, teste Experientiâ, vix Centesimus Eorum in Anatomiâ, & artificiosâ Cadaverum præprimis Sectione, solidi quicquam sapiat; Unde Ipse fateri cogor, me Judicium hocce meum, de Vulneribus Lethalibus, plurimis illustrare, & probare potuisse Casibus in terminis, à Gratiosissimâ partim Facultate Nostra, partim verò ab Amplissimo hujus Loci Senatu; ex Actis in Puncto Homicidii Publicis mihi communicatis; Verùm cùm pleræque Vulnerum Inspectiones à solis celebratæ, ac administratæ Barbitonsoribus, vel Balneatoribus, ab iisque Res tàm crassè, tàm turpiter, ac illegitimè planè peracta fuerit, missos potiùs facere Casus, quàm Nullitates referre, & allegare, duxi consultius; Quapropter requirendum Utrumque & *Medicum*, & *Chirurgum*, dixi superiùs; *hunc* quidem, qui in Loco est, & *Curam Vulnerati* habuit; *Illum* verò, nisi præsens sit, ex Viciniâ vocandum, censeo.

Cæterùm quod *Inspectionem* ipsam attinet, & quando *Medicus*, & *Chirurgus* requisiti, jamjam circà eandem occupati sunt, non minimùm sanè interest, ut ab Adstantibus alternatim, & aliud quasi agendo; in Litis occasionem, Armorum genus, & qualitatem, læsionis modum, ictûs conditionem, & alias inquirant circumstantias, utpote ex quibus non minimus acquiritur rei prægustus, nec inane inquirendi indicium;

Porrò manus dum admovenda ipsa est, in Cadavere, à sordibus per Chirurgi discipulos benè prius abterso, læsio externa quævis, sive vulnus sit, sive Contusio, secundùm longitudinem, latitudinem, & (prout vulneris, & Partis affectæ fert conditio,) profunditatem primò omnium notari debet sedulò; hinc partes Externæ; vel singulæ seorsim, vel, prout necessitas requirit, plures simul, artificiosè tamen, ac cautè, ne Chirurgus vel lanienâ suâ nauseam excitet Spectatoribus, vel turpi quicquam lædat incuriâ removendæ sunt; Aperto jam Cadavere, (Aperire autem, & secare Cadaver omninò oportet, etiamsi ne minimum quidem, ut fieri interdum contingit, in externis partibus læsionis appareat vestigium; nec styli sufficit immissio, ac sola per eundem facta vulneris exploratio, utpote quæ & ipsa fallax pariter, atque suspecta est) sanguis extravasatus, qui reperitur, spongiis excipiendus, & abstergendus, ut vulnus, eò faciliùs aut ipsum se exhibeat; aut commodior ulteriùs inquirendi detur Occasio; quod tamen si profundius, & sectione ulteriori opus sit, cautè procedendum, ne, vel ex secandi imperitiâ, vel manûs temeritate, ac violentiâ, vulnerentur partes aliæ, vasa imprimis, quibus ab homicidâ tamen nulla illata fuit injuria, & vulnus ità novum vel studiô, vel ex secandi ignorantiâ, fiat majoris non rarò momenti eo, quod inflictum fuit ex injuriâ.

Repertum demum, detectumque *Vulnus*, abstergendum est spongiis; Magnitudo ipsius, & profunditas stylis exploranda: omnia verò (iis præsertim, qui ex Magistratu sectioni intersunt, ut & aliis Viris honestis, Rerum istarum Testibus) demonstranda sunt.

Quibus tandem peractis, redintegrandum Cadaver; quantùm possibile est; & quicquid ex partibus externis dissectum fuit, artificiosè, & quantùm quidem possibile, iterum applicandum, apponendum, ac cutis denique ipsa, filo trajecto, affabrè consuenda est; Quæ omnia ut legitimè expediantur, & decenter, *Medicus*, tanquam providus, ac prudens totius negotii *Director*, animum diligenter attendat, dicat, jubeat, moneat, ut *Inspectio* administretur, & procedat, *ut Artis est*.

Fieri autem hæc omnia dicuntur *ad Informationem Judicis*, & rectè; Cùm enim Magistratui à *Deo* demandatum sit in hominum malitiam animadvertendi officium, inter omnia autem facinorum ac delictorum genera, abominandum satis coram *Eo Homicidium* sit, ità, ut, *Terram, quæ insontium cruore maculatur, expiari aliter non posse, nisi per sanguinem ipsius, qui alterius sanguinem fuderit*, ipse Zelotes velit, & præcipiat Dominus Zebaoth; *magna* tamen *læsionum* sit *diversitas*, *magna circumstantiarum*, & *Accidentium varietas*, *dubiusque* pariter *rei eventus*, maximum propterea interesse videtur, ut *Magistratus* prudenter, circumspectè & cautè procedat, nihilque intermittat, quod ad perfectam, ac sufficientem circà commissum *Homicidium* notitiam, informationem, & certitudinem facere valeat.

Hæc verò inter primas tenere jure dicitur *Legitima Cadaveris* defuncti ex vulnere *Inspectio*, utpote quæ Partis læsæ monstrat situm, Structuram, Connexionem, Actionisque ipsius, usus, & Officii rationem; Vulneris item Magnitudinem, profunditatem aliasque ejus qualitates exhibet, & Accidentia, mortisque ipsius caussam reddit, & explicat. Ut ergò rectè, & sufficienter

ficienter informetur *Judex*, oportet omninò, ut *Medicus* & *Chirurgi*, omni ope, ac ſtudio eò invicem allaborent, ut inquiſitio decenter fiat, & legaliter; Ne ipſorum ſive ignorantiâ, ſive negligentiâ, & incuriâ, vel impunitus dimittatur, & abſolvatur Reus, vel innocens, & mortis inſons damnetur capite, ac Advocati, & Cauſarum Patroni commodam inde dubitandi, ac diſputandi anſam arripiant, & culpam ità omnem in eos, quibus inquirendi, & inſpiciendi commiſſum fuit negotium, devolvant; Unde, cùm & hîc *difficile* ſanè ſit *Judicium Medico* præprimis, niſi, ut ſuprà dictum ſufficientem habeat Artis Anatomicæ notitiam, fidus ſuaderem Amicus: *Manum de Tabulâ!*

Cujus rei, locô plurium, unicum tantùm refero Exemplum: Anno 1654. 28. Mart. vulneratur quidam, ac paulò poſt moritur; *Magiſtratus* ejuſdem loci altero ſtatim die ex viciniâ *Medicum*, eumque nec Examinatum, nec Promotum, vocat, ipſumque unà cum *Chirurgo* ad *Vulneris inſpectionem requirit* legitimè, ac ipſorum *ſuper Lethalitate* rogat *ſententiam*; Ad quam Requiſitionem *Medicus*, & *Chirurgus* comparentes, ſecant, inquirunt, inſpiciunt, ac ità poſtmodum ad Acta referunt:

Apertô defuncti cadavere qui Sutori ſerviebat nomine N. Ego infrà ſubſcriptus & ab ampliſſimo ſenatu ad vulneris inſpectionem requiſitus, Obſervavi defunctum nullâ aliâ plagâ ſive ictû læſum fuiſſe, niſi hôc unicô; ſex digitos latos à ſeptima ſpinę dorſi vertebra inflictô; deorsùm versùs femur dextrum ad longitudinem trium ulnæ quadrantium, minùs duos digitos penetravit & non ſolùm nervos, Arterias ac muſculum diſcidit, ſed etiam Venam Iliacam læſit; quô factô ſanguine ſpiritibuſque animalibus privatus animi deliquium paſſus eſt, Ideo vulnus pro lethali habendum.

Percipiens hoc Reus Advocatum petit, ipſumque, ut defenſionem ſui in ſe ſuſcipere velit, rogat, efflagitat. Advocatus, omni aliô remediô deſtitutus, ac ſolatiô. Medici Atteſtatum intuetur: Ecce! optatam ex eo dubitandi, ac diſputandi ſibi arripit anſam; vulgarem iſtam; ex eâdem fiſtulâ cantilenam canticans. Vulnus; vel non lethale, vel inſpectionem tamen minùs legitimè fuiſſe adminiſtratam. Hinc caſus formatur. Res ad Facultatem devolvitur noſtram. Phiſici atteſtatum tranſmittitur, & quæritur: an vulnus pro ſimpliciter, & abſolutè lethali habendum ſit.

Facultas convocatô Conciliô, negotium circumſpecte perpendens reſpondet.

Cùm quæſto propoſita cum teſtimoniô litteris conſignatô Phyſici N. N. vulnus illius qui ſutori ſerviebat deſcribente, nobis tranſmiſſa ſit, ſimulque rogati ſimus noſtrum ferre judicium, an vulnus pro ſimpliciter & abſolutè lethali ſit habendum.

Itaque ſcriptô veſtrô perlectô, & circumſtantiis accurate perpenſis, dicimus.

Si præterlapsô tertiô paſchatis die quidam ſutoris Operarius vulneratus fuerit, qui intra ſemi horam mortuus eſt, cujus cadavere inſpectô annotatum fuit &c.

Reliqua de verbô ad verbum ut in ſcriptô veſtrô & annexô Medici teſtimoniô litteris conſignatô continetur.

Primò Phyſici teſtimonium haud parum mirati ſumus; optaviſſemus Inſpectionem hanc diligentiùs adminiſtratam, noſque hôc modô accuratiùs informatos eſſe, ſiquidem neque pars læſa præcisè determinatur; neque ratio pro lethalitate decidendi adducitur, licèt enim vulneris magnitudo deſignetur quod ſex & digitos latos à ſeptima ſpinæ dorſi diſtat, vertebra, dextrum femur deorsùm versùs penetrat, ſimulque longitudo vulneris tres ulnæ quadrantes minùs duos digitos continens, deſcribatur, partes etiam vulneratæ, ut nervi, arteriæ, & unus muſculus qui diſſectus fuit, venaque Iliaca læſa, ex qua ſanguis cordis, ſpiritibuſque vitales profluxerant, denominantur. Præterea quoque quod vulneratus has ob cauſas in lipothymiam incidere potuiſſet, in eôdem Teſtimoniô affirmatur. Attamen vertebræ dorſi ſeptimæ denominatio obſcura apparet, *cùm aliàs Vertebræ ſpinæ dorſi ab Anatomicis numerentur, initiô factô à prima colli vertebra, cui caput innixum.*

Vulneris porrò longitudinem per ſe non ſequitur lethalitas; de cætero, nec nervi, nec arteriæ nec muſculus qui diſciſſus fuit denominatur; Item, an vena Iliaca, in parte ſuperiori vel inferiori, verſus genu læſa ſit minimè docetur; neque hæc abſurdiam ſilentio prætereundum eſt, quod Medicus putaverit, *per venæ Iſchiadicæ læſionem* defunctum ſanguine cordis, ſpiritibuſ vitalibus privatũ fuiſſe quod tamen primis Anatomię elementis repugnat, ideoq́ non poſſibilitas animi deliquiorũ; quia per Venæſectionẽ ſæpius Lipothymia & animi deliquium; imò mors ipſa, ſi puncta Vena non deligatur (quâ circumſtantiam quoque ex Renuntiatione veſtrâ in hôc caſû annotavimus) ſupervenire poteſt; ſed potiùs lethalitatis neceſſitas concludenda fuiſſet;

Quia verò nec in ſcriptô veſtrô, nec in Medici teſtimoniô, litteris conſignatô, pars læſa determinatur, imprimis autem vulneris inſpectio inſufficiens fuit, noſtrum, rebus ſic ſe habentibus; de lethalitate vulneris judicium, ferre non poſſumus. Quod &c.

Reſponſum hoc Ampliſſ. Facult. Jurid. Lipſ. Cenſuræ, ac Sententiæ ſubjicitur, quæ talis eſt, P. P. Cùm Magnificentia Veſtra, & Vos nobis, ſcriptum ab Inquiſitô N. N. traditum, ſimul cum Actis ſeu inſtrumentis, duobus voluminibus contentis in hôc homicidii caſû, tranſmiſiſſetis & rogaſſetis, quod juris eſſet pronuntiare: Judicamus &c. Licèt prædictus Inquiſitus Medicus expreſſis verbis, vulnus minimè eſſe lethale dicat, & hanc ob cauſam Medicæ Facultatis judicium ſimul tradat, quia tamen Facultas nihil certi, hâc in re definivit, an nempe vulnus lethale fuerit, nec ne; ſed tantùm ſtatuit rebus ſe ita habentibus, cùm in Medici teſtimoniô qui vulneris inſpectione interfuit, nec accurata nec perſpicua membrorum læſorum mentio fiat, ſuum de lethalitate vulneris judicium ferre non poſſe. Itaque cenſemus Medicum, Teſtimonium litteris conſignatum accurratiùs exhibiturum; ſuper quod Facultas aliud Judicium feret, Actiſque adjunget, quibus factis, quid rectum ſit, & hoc quidem de jure pronuntiabimus.

Phyſicus animadvertens negotium, ad prævium Academiæ mandatum, atteſtatum ſuum ita explicat, ac deducit, vel explicaſſe, ac deduxiſſe tamen exiſtimat.

Accurata Deſignatio Eorum membrorum, quæ in inſpectione vulneris illius ſutoris Operarii, coram Magiſtratu ampliſſimo & Juſtitiæ Aſſeſſoribus, meque Chirurgo Caſtrenſi præſente, cum duobus famulis, læſa deprehenſa ſunt.

1. Unicum vulnus in corpore defuncti animadvertimus, quod à ſeptima ſpinę dorſi vertebra, deorsùm, dextrum femur versùs, penetravit, tres ulnæ quadrantes, minus duos digitos profundum, pollicem verò unum latum erat.

2. Ex quô ictû. *primum muſculum* (qui vulgò omnium longiſſimus vocatur, & *ab Ilii ſpinâ oriundus obliquè in tibiam anticam & externam deſcendit*) læſum & diſſectum fuiſſe obſervavi.

3. Ex eâdem porrò plagâ, Ramum cruralem Venæ cavæ vel magnę, quæ fons eſt humanæ naturæ uberrimus, & ſecundùm Hippocr. & alios, microcoſmi flumen ampliſſimum, inciſum obſervavimus, quare interfectus

ctus sanguine & spiritibus privatus est, & cùm hominis vitâ in sanguine consistat, facilè conjiciendum est occisum hô modò viribus spoliatum fuisse : quam ad rem non parum fecit, quod defunctus macilentus & minus carnosus fuerit.

4. *Nervus etiam pedis dextri*, qui cum *venâ & arteriâ crurali per inguen descendit*, dissectus fuit.

5. Et tandem eandem venam & arteriam cruralem, quæ cum prædictô *nervô secundô pedis per internum femur ad pedem usque* descendit, per transversum incisam invenimus.

Hæc in cadavere, Inspectione vulneris habitâ læsa deprehendimus, observare verò non potuimus, an à supervenientibus Epilepticis, vel Apoplecticis symptomatibus, corporis partem quandam, subcæruleô vel fuscô colore maculatam fuisse.

An verò ex his partibus læsis & incisis lethale vulnus sit declarandum, aut an deligatio vulneris, & quod defunctus nec internis nec necessariis medicamentis in brevi quô vixit temporis spatiô, usus fuerit. mortem maturaverit hæc Amplissimæ Facultati Medicæ cognitioni & arbitrio submitto.

Quam explicationem, ac deductionem. Fac. Med. ulteriùs examinat, tandemque ad instantiam, super Lethalitate suam dicit sententiam.

P. P. Sperabamus Medicum alteram vulneris Relationem priore clariorem daturum, & secundùm artis præcepta, omnia, ut ejus erat officii, prolaturum. Attamen ex transmissa renuntiatione observamus prædictum Physicum septimæ dorsi vertebræ nomen silentiô prætereire, quod nobis eò magis obscurum apparet, quòd in scriptô vestiô animadvertatur vulnus sub natibus dextrum femur, & quidem deorsùm versùs penetrasse, ubi nulla amplius adest vertebra, & quod non minùs absurdum, partes in relatione designatę unô ictû minime lædi possunt: quod ad vulneris locum attinet, ex naturali partium situ, an circa quartam & quintam lumborum vertebram, ut Anatomici loqui solent, vel secundùm Medici opinionem circa dorsi septimam. deorsùm versùs, ictus penetraverit, facilè probari potest: Et quia in dictâ *a curatâ designatione*, nihil quod ratione vulneris notatû dignum, sit nobis à Physico declaratur, Cumque vulnera vert b. is inferioribus sicut & musculis & nervis inflicta minime lethalia sint, vena quoque, & arteria cruralis, ut à Medicô descripta est *cum nervô pedis secundô per internum femur, ad pedem usque & ejus digitos descendat*, ideoque procul dubiô Vena Saphena, & arteria musculosa interna subintelligantur, horum autem vasorum vulnera convenienter & secundùm artem deligata & curata facilè sanari possint, hæmorrhagia etiam quæ timenda foret prævaveri potuerit. Itaque hujusmodi Inquisitione habitâ vulnus pro simpliciter & absolute lethali pronuntiare non possumus, sed optavissemus Inquisitiones ex quibus hominis vita pendet ab Inquirentibus meliori forma, & secundùm artis principia institui, ne in Nobilissimæ Medicinæ opprobrium, ulterioris postmodum indagationis opus sit.

Cui subscribens Ampliss. Jurisconsultorum qui in Facultate Juridica sunt; pro dimittendô ex Carcere, & Captivâ, Reô, quæstionem decidit.

P. P. Licet Reus in carcere in quem conjectus fuit, usque ad rei decisionem custodiri more soliô debuisset: Attamen cùm Medica Facultas vulnus defuncto inflictum pro absolute lethali minime agnoscat; Censemus Nos &c. Reum ducentorum thalerorum prædem daturum, ut quotiescunque requisitus erit coram judice stet, interim illum è vinculis liberamus, & hoc de Jure.

Ex quibus facilè constare cuilibet existimo, quantùm intersit, ut Vulnerum *Inspectio* à *Perito* administretur *Medico* & *Bono* præprimis *Anatomico*. ne ex tàm crassis circà *Inspectionem*, ex Requisitorum vel ignorantia aut incuriâ, commissis erroribus, insperatum emergat Reo patrocinium.

Decent r a. & *Legaliter* satis procedere possunt, & *Medicus*, ac *Chirurgus*, si, requisiti à Magistratu, Sectionem, ut supra dictum, prudenter administrent, eâque peractâ, ea omnia, quæ circa læsionis qualitatem notari oportet, accuratè notent, ac singula propriis suis inscribant nominibus, tandemque, pro necessariâ *Judicis informatione*, super *Lethalitate* suam dicant *sententiam*: id quod *candidè*, *sincerè* ac ex *bonæ conscientiæ* dictamine, *artisque* præscripto non minus, quàm *principum Medicorum Authoritate* fieri decet, majoremque proinde in fidem manûs propriæ subscriptione corroborari, usu olim receptum est.

Quod a. de Principum Medicorum Authoritate hîc dicitur, illud cum discretione accipiendum est; Scilicet tantùm valeat, in dicendâ super Lethalitate sententiâ, Authoritas illa, in quantum ad singula, & cum iisdem circumstantiis, possit applicari *individua*; In ejusmodi enim inspectionibus Vulnerum, & ferendo *super* Lethalitate eorundem Judicio, non *Generaliter*, sed *individualiter* procedendum, & judicandum est; hoc est (ut res exemplo declaretur) quando Titius ex Vulnere Pulmonis moritur, & dicenda est super qualitate vulneris istius sententia, non quærendum est in genere; An vulnera Pulmonum sint Lethalia? *Sed*: An *hoc*; & *huic individuo*; *Titio* nimirum inflictum Vulnus Pulmonum; & quidem pro *qualitatis*, & aliarum *circumstantiarum* ratione, *Lethale* sit? Sicut enim in forensi Judicio unica interdum circumstantia totum variat processum; Ita in inspectione Vulnerum unica non rarò circumstantia totum variat *Judicium*.

Sic Facult. Med. Lips. d. 17. Jul. 1668. P. P.

Ad hæc respondemus, casu collegialiter & accurate ponderato quòd responsis & sententiis allatarum Facultatum Medicarum minimè attendimus, dum status controversiæ & nervus vestræ quæstionis non est, an vulnera ventriculi in genere sint lethalia? Sed hîc agitur judicare, an hoc vulnus ventriculi huic individuo inflictum & à vobis descriptum prò lethali sit habendum?

Quamvis rationes, autoritates & exempla in responsis nobis transmissis & in sententiis Medicorum allegata nos non fugiant, tamen comprehendere non possumus, quomodo ista huic casui & individuo fundamentaliter applicanda sint. Ideoque judicamus quòd hoc vulnus ventriculi, (secundùm Testimonium litteris conscriptum & circumstantias post inspectionem vulneris habitam adductas, quæ instar normæ sunt) per se & absolutè lethale sit.

Et quidem (1) quia illud, licet non parti nobili ut tali, tamen parti ad vitam absolute & simpliciter necessariæ; & quidem in fundo circa orificium inferius ventriculi, qui locus præ cæteris periculosus, inflictum fuit (2) quia vulnus per se magnum & penetrans (3) ob situm ventriculi profundum nec lege artis tractari, multò minus filo trajecto consui potuit. Imò (4) supervenientia symptomata, ut cordis anxietas, dum Chirurgus vulneratum primo aspectu cum morte luctantem & de magna cordis anxietate conquerentem invenit, nec non vomitus cruenti ex motu ventriculi convulsivo provenientes, sudorque frigidus; nihil aliud quàm lethalitatis & instantis mortis prodromi fuerunt; hacque ex ratione (5) nec potus aquæ, nec intermissa V. sectio, multò minùs motus, cùm ille in plaustra sequenti die deportatus fuit, neque etiam externa & superficialis in capite contusio lethalitatis causæ fuerunt; quia illæ causæ quæ vulnus ex accidenti lethale reddere possunt, tam celeriter non agunt, ut vulnerato ex ejusmodi causa inter quindecim

decim dies, ut huic individuo contigit, moriendum sit. Quod vobis significare &c.

Attestati autem hæ præcipuæ esse videntur *Partes: Legitima* sc. *requisitio*; *Accurata Cadaveris Sectio*; *Sufficiens Vulneris Descriptio*; *Sincerum super qualitate ipsius Judicium*, & *ingenuum manûs propriæ Testimonium*; ita, ut, meo quidem judicio, talis præter propter *Attestati* possit esse *Formula*.

Auff beschehene ordentliche requisition *der Obrigkeit* (hîc denominetur Magistratus Loci) *haben wir Zuendgenannte heut* dato N. N. *welcher an einer empfangenen Wunde* (*Schlage*) *Schosse*) *gestern Abend* (*oder wenn es sonst geschehen*) *verstorben, besichtiget; und bey Eröffnung des Cörpers befunden, dass demselben in die lincke Brust, zwischen der* 5. *und* 6. *Rippe, unfern der Wartze: ein Stich, äusserlich Glieds langs, beygebracht worden, welcher durch die* Musculos Thoracis, Pleuram, Pulmones, *und* Pericardium, *in den* sinistrum Cordis ventriculum, *und durch denselben bey der* 6. *ten* vertebrâ thoracis *wieder heraus gangen, worbey dann eine grosse Menge Geblütes in dem* Thorace *zu finden gewesen. Weil nun durch diesen Stich zuförderst das Hertz, als das edelste Glied Menschlichen Leibes* profundè *verwunder, und hierdurch nicht allein seiner Substantz nach, hefftig verletzet, sondern auch der* Sinister Ventriculus *durchstochen, und dahero das Hertz-Geblüte, nebenst denen* Spiritibus vitalibus *häuffig* extravasirt *unn entgangen, Solches auch durch kein Mittel zu stillen gewesen: Als ist solch* Vulnus *denen* Fundamentis Anatomiæ, & Chirurgiæ *gemäss*, pro simpliciter, & absolutè Lethali *zu halten, und hat der Verwundete nothwendig daran umbkommen, und sterben mussen, Welches wir hiermit unter unsrer eignen Hand* attestiren, *und bezeugen wollen, So geschehen &c. &c.*

N. N. Med. D.
N. N. Barbierer und Wunde-Atzt.
N. N. Barbierer und Wund-Artzt.

Ubi omnes, qui tale in se suscipiunt negotium, memores velim illius, quod scitè satis monuisse *Vesalius* legitur, inquiens: *Quæ sanè cuncta summâ animadversione spectare, atque dignoscere peritus Medicus debet, ut, si quando illi coram Magistratu de illatis vulneribus pro testimonio dicendum sit, Rem totam ad veri normam expromere queat; quæ una cautio illi summopere tenenda est, ut nunquam à verô desciscat, præsertim ubi de Capite agitur, nec livore, invidiâ, odio, aut aliâ nullâ perturbatione affectûs, aut metu, minisve cujusdam impulsus, à DEI timore, à Veritatis amussi declinet; Sed Vulneris naturam, Magnitudinem, sedem affectam, & quàm altè telum descenderit, & quæ in Eo Lethalia, aut secus, apparuere symptomata, accuratè describat.* Et *Sebizius*, cùm de Judicis informatione loquitur, ait: *oportet enim in hoc casu Animum habere ab omni affectu, & perturbatione Liberum, ac vacuum; Credendo, Deum* καρδιογνώστην *nobis adesse, & factorum nostrorum, animique inspectorem esse oculatissimum; Sique contra Veritatis, & Æquitatis legem, sententiam tulerimus, Vindicem Severissimum; Sin pro Veritate steterimus, Fautorem, & remuneratorem Benignissimum; Magnum quippe crimen est, & impietatis plenissimum, eum, qui à Mortis pœnâ liberari potest, falso, & iniquo testimonio reum facere; Peccatum maximum, servare velle illum, quem, ob Vulnus illatum Lethale Leges Homicidarum pœnâ damnarunt.* Quę si observaverint, uterque suæ satisfacit & Conscientię, & officio.

Cap. 16. *Curiosa quædam, circà Lethalitatem tamen scitu maximè Necessaria, continens.*

Quemadmodum autem ad formalem *Vulneris Lethalis* rationem *instantis ex Vulnere vitæ termini Brevitatem* requiri, non sine ratione superiùs dictum est, ita explicare omninò oportet, quousque sc. iste extendat terminus, & quid de *nono* vulneris *die*; (*wen einer, der tödtlich verwundet ist, den neundten Tag erlebt*) cum *vulgo*, sed præprimis cum *ratione* sentiendum sit?

Cùm ergò ex *Principum* ore *Medicorum* percepisse me, jam succurrat, *Lethaliter vulneratos paucarum horarum, vel dierum, mori, ac perire spatio*, nullus sanè possum, quin *Vulnera* ista *Lethalia* ad *acutorum Morborum* classem vel referri, vel multum tamen de ipsorum naturâ participare, securè asseram.

Vulnus enim omne *Morbum* esse, & ad tertium Morborum genus, *morbos* scilicet *solutæ unitatis* pertinere, superiùs abundè demonstratum est; *Lethale* verò ad *acutorum* referri classem; nec novum, nec rationi dissonum.

Et quamvis *acutum* propriè *morbum* ex humorum in corpore provenire vitio, ac *criticè* solvi; *Vulnera* verò, de quibus noster est Sermo, à solis externis produci causis, non nesciam, nihilominùs tamen, quin *Vulnus Lethale* ad *acutos* referatur *morbos*, quid obstet, non video; Posito enim quod ponitur, & dicitur ab omnibus esse de Natura, & formali *acutorum* Ratione, *moveri celeriter, subitò, & non sine insigni gravium congerie symptomatum, pervenire ad statum, & solvi, sive ad salutem, sive ad mortem criticè*; quis negabit, idem *Vulneribus* contingere *Lethalibus*? Utpotè quæ & ipsa *moventur celeriter*, hoc est, fiunt, & excitantur, non præcedente aliquâ spontaneâ lassitudine, Capitis dolore, anxietate circà præcordia, &c. ut *acuti* fiunt Omnes, sed *statim, citò, ictu, in momento*; *Subitò, & non sine insigni gravium congerie symptomatum ad statum perveniunt*, id est, vel statim, atque inflictum vulnus est, vel brevi horarum spatio maxima Vulneri superveniunt symptomata, dolor puta, pro partium ratione, exquisitissimus, inflammatio, febris, Delirium, motus convulsivi, Epileptici &c. &c. Et *solvuntur* tandem, quamvis vel *semper*, vel *utplurimùm* tamen, *ad mortem, criticè* an dicam? hæreo; *Doctiorum* tamen pace, *criticè* omninò solvi, assero, Sicut enim *acutorum Crisin*, & solutionem, quædam à Symptomatum congerie excitata præcedit conturbatio, quâ ipsâ natura, molestias deponere, allaborans, humorum vel *transpositionem* molitur, vel *evacuationem*, hanc verò ipsam *subita* insequitur morbi, vel ad *salutem*, vel ad *mortem*, *mutatio*; Ita in *Vulneribus* quoque *Lethalibus* insignis admodum, ex multiplici symptomatum serie, advertitur totius *naturæ conturbatio*, validusque conservandi se, observatur conatus, cui tamen, cùm vulneris Magnitudini, ac *Lethalitati* non sufficiat, *subita* supervenit *mutatio*, quam vel *semper*, vel *utplurimùm Vulneratorum mors* sequitur, & *interitus*.

Quod cùm ita sit, colligere exinde difficile non est, quid de *nono* vulnerum *die* statuendum sit; Scilicet, siqua in Parte vulneratus graviter nec statim, nec paulò post, nec horarum aliquot moriatur spatio, sed à *primo* vulneris *die* ad *quartum*, *à quarto* ad *septimum*, & à *septimo* ad *Nonum* usque tanquam *Intercalarem criticum*, vivus remaneat, *Vulnus simpliciter & absolutè Lethale non est*; Ratio, quia Teerminus iste, *nonus* puta *dies*, indicat, *Vulnus* vel *non Magnum* æquè, nec *profundum* maximè, nec *Nobili*, vel *ad vitam simpliciter necessariæ parti*, esse inflictum; vel tamen, quòd tot dierum (*solent n. utplurimùm intrà id tempus apparere accidentia, tùm Bona, tùm Mala, quæ post accepta talia vulnera supervenire consueverunt*) spatio sive à *naturâ* in sanis, & robustis, *sponte*; sive concurrente *Medici*, ac *Chirurgi* ope, & *consilio*, etiam *maxima* soleant curari *vulnera*, cùm tertio plerumque

que vel quarto ad summum vulneris die, suppuret vulnus, ac dolor, & febris, aliaque remittere soleant symptomata, & materia, vel pus coctum, & laudabile efficiatur, donec brevi temporis spatio vulnus consolidetur planè, vulneratusque ita restituatur integrè.

Unde non malè concluditur, *eum*, qui, *Vulneratus graviter*, post *nonum* tandem moritur, *non mori simpliciter ex vulnere, sed ex Symptomatum, & accidentium* suprà relatorum *utplurimùm congerie*.

Quid de *musculi* læsione non vulgariter tantùm ab idiotis, & mulierculis credatur, sed à non paucis insuper, non dicam Medicastris, sed qui artem (nefas dictu!) exercent Chirurgicam, dici, statuique soleat; neminem latere censeo; Scilicet credunt plurimi, si quis ex vulnere, vel contusione externarum partium moriatur, eum propterea fato concessisse, quia *musculus læsus est*, (*vveil ihm die Mauss getroffen*) persuadentes sibi, esse circa *tempora* imprimis, temporalem, & *Humeros*, bicipitem præcipuè, vel aliam quamvis corporis partem, certum, ac singularem *musculum*, vel nescio quid in musculo, in quo vita quasi resideat, &c, quo læso, ipsam expirare animam, mirum non sit; cùm *Galenus* ipse fateatur, ac doceat, *Musculos temporales inter omnes Musculos, convulsiones, febres, soporem inferre, si lædantur, & deliria*; Verùm n. verò cùm nec unicus tantùm, nec Duo, sed plures in corpore humano reperiantur *musculi*; Illique ipsi non *vitalis*, sed *animalis facultatis* instrumenta sint, & locali imprimis inserviant motui, ac nihil propterea in *musculo*, ut *musculo*, sit, quod vel vitam conservare, vel mortem inducere simpliciter possit, opinionem hanc risu potius, & Cachinno, quàm fide dignam judico; Gravissima verò, quæ læso temporali accidere dicuntur musculo, symptomata, à vasorum copiâ, & magnitudine, cerebrique viciniâ provenire non dubito.

Sed quid, si quis ex acceptâ solâ moriatur *Alapâ*? Ex acceptâ enim vel unicâ Alapâ quosdam periisse, constat; id quod vel *pulchra illa Nerii Filia, quæ ab amicâ mulierculâ, latâ, ut dicitur, manu* (palma nobis) *plagam accepit, & nono die mortua est; & Juvenis, qui ab acceptâ alapâ Apoplecticus concidit, & post paucas horas mortuus est*, testari videntur;

Dico proinde, nisi eâ ipsâ *Lethalis* contingat *capitis contusio*, vasorumque ruptura, ac Cerebri compressio, *Lethalem* eam non esse, etiamsi moriatur, qui eam acceperit; Cùm nec *instrumentum* manus pura, ex armis sit lethiferis, nec *læsio* ipsa sensibus obvia, ac de eâ judicari queat, sed mortem ex subitâ animi, à Caussâ Externa, consternatione, spirituumque vitalium, & animalium stertore quasi, fixatione, ac suffocatione contigisse, præsumere potiùs liceat; Quemadmodum ex subito, ac insperato gaudio, eundem in modum extinctos fuisse, restantur *Historiæ*.

Cæterùm an *Vulnera* externarum partium (de internis n. Nobilium imprimis partium nullum planè est dubium) *Venenatis armis inflicta* sint simpliciter, & absolutè *Lethalia?* non sine ratione ambigitur. Insignem n. *Venena* corrumpendi corpus nostrum vim habere, sive in illud *assumantur*, sive *exteriùs* ipsi *contingant, & admoveantur*, neminem fore, qui id neget, existimo; ita, ut communiter statuatur, *venenum* omne, statim, atque *assumptum*, vel *admotum* est, *Cor* petere, &, vi sibi innatâ, *vitæ* illico invadere, & occupare penetralia; Quemadmodum autem *venenorum* alia magis, alia minus noxia, & deleteria, aliaque citius, alia verò tardius interficere, ac jugulare, observatur; Ita dispar non minus *veneno* infectarum partium est ratio, cùm periculosum magis sit *venenum*, quod *intus assumptum*, quàm quod *exteriùs admotum, & applicatum* est; quod enim *assumitur*, à viscerum Calore statim, vel, pro virulentiæ suæ naturâ, ac conditione, tardius resolvitur, & ad partes Nobiles abire dicitur; *extrà* verò *admotum*, habitum prius penetrare, vasa petere, & sic demum, longo satis viarum tractu, ad partes oportet ire Principes, quâ ipsâ tamen viarum distantiâ fieri facilè potest, ut vel ipsum *venenum* vires deperdat suas, vel tamen vis ipsius reliqua à *natura* sponte effringatur, ac pereat.

Ex quibus *Vulnera*, *Venenatis armis*, externis solis partibus *inflicta*, periculosa quidem, simpliciter verò *Lethalia* esse, non existimo; Cùm *Vulneri* insuper ab armis infectis inducta Venenata qualitas vel externis statim corrigi possit remediis, quemadmodum *in Bello Turcico Senex quidam Medicus Vulneribus, Venenato telo inflictis, malum cydonium masticatum, & jejunâ salivâ permixtum, imposuisse, eaque feliciter ita curasse*, legitur; & *Arcæus, quendam sagittâ, helleboro intinctâ, sauciatum sanasse, ipse* testatur; Vel fomes ipsius unico etiam interiùs exhibito restingui queat *Alexipharmaco*, modò, si præsumptio adsit, in tempore vocetur *Medicus*; & *Chirurgus* Vulnus externum, quod *leve*, & *securum* dicitur, ab eo, quod *mali moris* est, & vehementiora, quàm quæ *Vulneris* fert *conditio*, inducit symptomata, *tempestivè* distinguere, ipsique proinde, *ut artis est*, subvenire non nesciat.

Nec novum denique esse opinor, *Medicorum*, ac *Chirurgorum attestata*, ac prolatas super *Lethalitate sententias*, ab *Advocatis*, & Procuratoribus acriter satis oppugnari in Judiciis, dum, quâvis aliâ excusationis, & Defensionis specie, destituti, in *libellis* suis *defensionalibus*, ex *Hippocratis*, *Galeni*, *Schenckii*, *Foresti*, *Hildani*, *Sennerti*, aliorumque Clarissimorum Medicorum Authoritate, casus in terminis pomposè satis sciunt opponere in contrarium, *Medicique* ita taxare, & inculpare nituntur testimonium; per illationem argumentantes, & exempla, Simile scilicet planè, majusque, ac profundius, quàm quod, cujus defensionem susceperunt, inflixit *inquisitus*, accepisse hunc, vel illum, vulnus, ex quo tamen restitutum esse, & convaluisse eum *Medicorum*, testari *Historias*.

Sed quemadmodum non dubito, *eruditum*, ac *conscientiosum* quemvis non latere *advocatum*, *exempla*, vel *nihil*, vel *parum concludere*; Ita, pro salvandâ *Medicorum Sententiâ*, dico: *Exempla ista, cum in natura etiam præter rationem plurima fiant, Historias*, hoc est, *rara*, aut planè *miracula* esse, & nihil concludere; *cùm raritas illa, ac Exemplorum paucitas Universalem non evertat Sententiam*; ita, ut *Advocato* defensori, ad *exemplum*, *exemplo* respondere nec mihi liceat, si dicerem: *Ovidius Adulter*, vel *Criminis Læsæ Maiestatis Reus*, capite non punitur, sed absolvitur, & dimittitur, Ergo neque *Horatius Adulter*, vel *Criminis Læsæ Majestatis Reus* capite damnandus est; Si regereret *Advocatus*, *istud* factum fuisse ex singulari *Summi Magistratus Gratiâ*, & non tollere *legem*; Inferrem ego, & ex Valleriolâ dicerem, *hæc vulneratorum exempla* contigisse ex *singulari Dei Gratiâ, & Misericordiâ* ac *naturæ Miraculo*, & *Lethalitatem* non tollere in Aliis.

Unde, ex *Sennerti* sententiâ, *an Vulnus tale* actu Lethale *fuerit*, *ex eventu maximè judicandum*: hoc est, omne *Vulnus*, quod in certo aliquo individuo *parti* vel *Nobili*, vel *ad vitam* tamen *simpliciter necessariæ* inflictum est, & ex quo, *brevi horarum*, vel *paucarum dierum spatio*, &, *nullo circà externa* insigniter *commisso errore*, moritur *Vulneratus*, in isto individuo ἐξ ἀνάγκης θανάσιμον, & necessariò, simpliciter, & absolutè *Lethale* esse, concludo & statuo; Illaque, quæ in contrarium adduci solent, *exempla*, pro *raris* habeo, & *miraculis*; Quod *Galenus* ipse fateri videtur, dum Historiam refert de *Adolescente*, *qui*, *cùm smyrnæ*, *in joniâ*, *capite ad Cerebri usque ventriculum Vulneratus*, *& aliquid de substantia cerebri ipsi ademptum*

tum

tum fuerit, *curatus tamen est*, & suum addit judicium, inquiens. *Sed & hoc tanquam admirandum*, *ac stupendum quoddam*, *incredibileque spectaculum*, *seu naturæ miraculum habeo ipsumque Adolescentem Dei potius voluntate*, *quàm ullâ humanâ arte sanatum fuisse*, statuit. Cui *Hildanus*, dum capite graviter, & ad usque cerebri substantiam insigniter vulneratorum, curatorum tamen, aliquot recenset *exempla*, eleganti hoc ab Antonio Fayo mutuato subscripsisse. legitur Epigrammate.

Non audita loquor, narranti credite; vidi
His oculis, tetigi non dubitante manu;
Acer erat juvenis, medio cui vulnus adactum
Est capiti, *cerebri parsque recisa* fuit;
Ille tamen vivit. Si credas, *arte Melampi*
Id factum, *peccas*; *hic Medicina silet*;
Monstra sed in Morbis Arabum flos ille Sophorum
Quod fieri dixit, *re patet ipse palam.*

Cap. 17. *De signis Lethalitatis in iis*, *qui veneno extincti sunt.*

Cùm tantus semper fuerit Diaboli in Genus Humanum livor, ut, incensâ litis, ac rixarum flammâ, eò non tantùm moveat rixantium animos ut alter alteri vim manu inferat, adeoque *manifestum* committat *Homicidium*, verùm etiam viperinâ suâ astutiâ *artem*, homines *veneno extinguendi*, & è viventium medio tollendi, *suos* edocuerit; atque adeo non raro contingit, ut *Magistratus*, certis indiciis, ac præsumptione ductus, & in *hoc* quoque *casu Medicum* requirere, ac, habitâ sufficienti *cadaveris inspectione*, *sententiam ipsius* rogare cogatur; non abs re fore existimo, si, appendicis instar, iis, quæ de *Lethalitate vulnerum* dicta anteà sunt, *Signa Lethalitatis* in iis, qui *veneno extincti* sunt, adjicerem.

Et cùm primo quidem intuitu negotium hocce (nisi palam & manifestum sit omnibus) in nudâ *conjecturâ* videatur consistere, ita, ut jam olim, & ipsius Galeni tempore, inter Romanos Medicos agitata fuerit Controversia: utrum propriæ sint notæ *veneni* assumti, nec ne? operæ proinde pretium esse duco, certa quædam referre, ac tradere *Signa*, ex quibus *Medicus* ad *inspectionem* requisitus, *Magistratum* certiùs informare, suamque super hâc re dicere *sententiam* facilè poterit. Nec tamen de venenorum natura, & proprietatibus, nec de virulentâ eorundem virtute, & effectu, jam dum dicendi, sed *signa* tantùm, ex quibus *an de veneno* assumpto constet, vel secus, tradendi est animus.

Brevitatis autem studio *signa* ista omnia in *duas* potissimum *classes* redigenda auguror, quarum prior *antecedentia*, posterior verò *præsentia* continet; Inter *antecedentia* 1. *Præsumptionem*, 2. *Mortui constitutionem*, & *complexionem*, 3. *Symptomatum relationem*, & 4. *Mortis conditionem*, referenda, censeo.

Præsumptionem quod spectat, attendendum præprimis in *vitæ Genus* illius in cujus cadaver habenda est inquisitio, & inquirendum proinde, an *lites* ac *contentiones* habuerit cum aliis; an in singularem raptus fuerit *invidiam* ab aliis; an conjuratum unum alterumvè habuerit *hostem*, & *adversarium*; vel an, ex causa aliqua externa, *ipse* sibi, vitæque suæ *invidus* fuerit, atque *molestus*.

Hinc *constitutio* non minùs & *complexio* ipsius *mortui* attendenda, atque adeò considerandum est, an, dum adhuc in vivis erat, *boni* vel *mali* fuerit *corporis habitus*; an *sanus* vel *valetudinarius*; an *mente constans*, an verò eâdem *captus* fuerit?

Porrò & *symptomatum relatio* non parùm ad hocce facere videtur negotium, cùm *Medicus*, ad *inspectionem* requisitus, ab *adstantibus* in ea, quæ mortem præcesserunt, inquirit symptomata, monente hoc *Aëtio*, qui, *cognoscere*, inquit, *& discernere oportet eos*; *qui venenum assumserunt*, *ex signis*, *quæ coincidunt*, *& consequuntur*; *Ubi enim in aliquo placidæ*; *& benè compositæ prius mentis*, *& bonæ itidem habitudinis*, *accedente etiam justâ ciborum concoctione*, *statim*, *& derepentè variæ accessiones irruunt*, *præsertim ab accepto statim cibo*, *ac potu*; *veluti si accidat tussis*, *aut fœtida sanguinis per os rejectio*, *aut molestia*, *& ægra lotii excretio*, *aut dolor in alto nitens*, *aut ardor immensus*, *aut plus quàm juvenilis*, *aut sensus erosionis*, *aut stuporis perculsio*; *punctura*, *itemque tremor*, *singultus*, *contractio*, *eruptio bullarum*, *livor*, *tumor*; *coarctatio*, *quarundam partium putrefactio*, *vomitus fœtidus & plenus*, *manifesta alicujus venenosæ qualitatis apparitio*, *& demonstratio. Ex his omnibus si quid repentè ab accepto cibo sano homini accidat*, *venenô infectum hunc ipsum existimare debemus*; Quibus ex aliorum observatione, ac experientiâ annumerantur: *Oris calor*, *exspuitio frequens*, *sitis*, *ventriculi fastidium*, *ventris mordicatio*, *copiosa & cruenta alvi & urinæ excretio*, *anxietas circà præcordia*, *color faciei plumbeus*, *difficilis respiratio*, *pulsus parvus*, *& celer*, *oculorum contorsio*, *frigus externarum partium*, *sudor syncopticus*, *digitorum contractio*, *ungues nigrescentes*, *tremor labiorum*, *&c.* Quæ si absque manifestâ causâ, & occasione provenerint, veneni suspicio est.

Ac sic *mortis* quoque perpendenda *conditio*; & considerandum tandem, an *citò*, *inopinatò*, & *sanô*, quod dicitur, *corpore*, ac nullo præcedente vel morbo alio, vel externâ quâvis injuriâ è vivis excesserit?

Signa verò *præsentia*, quæ ex ipsa oculari *cadaveris inspectione* maximè petere licet, sunt vel *externa*, vel *interna*; ad *externa* pertinet *insignis* vel *totius corporis*, vel *abdominis* tantùm *intumescentia*, à virulentâ, oppugnato calido nativo, fermentatione inducta; *funestus cadaveris livor*; *Maculæ*, circà præcordia imprimis, & in reliquo corpore, plurimæ; nunc *majores*; nunc *minores*; *coloris* modò *lividi*, modò nigricantis, modò ex *rubro flavescentis*; uno verbo, *varii*; prout scil. veneni, & ab eo inductæ corruptionis, fert qualitas, & conditio.

Interna verò sunt: Ipsa *veneni* vel venenosæ saburræ in ventriculo utplurimùm latitantis, *vestigia*; *massæ sanguinea corruptio*; & *mutata* præprimis viscerum *qualitas*. Cùm enim veneni omnis natura, & proprietas in eo consistat, ut *à totâ substantiâ agat*, *humanæque naturæ*, *& complexioni extremè repugnet*, atque vi suâ deleteriâ calidum nativum cordis primariò, atque adeò reliquarum etiam partium confertim oppugnare, ac destruere nitatur, fieri aliter non potest, quin statim, atque assumtum est, ventriculi tonum quodammodo immutet, virulentiâ verò suâ cor petat, ipsiusque robur omnibus viribus, totaque substantiâ, infringat, ac cito quasi pede in reliqua quoque viscera sese insinuet, atque ita sanguinem, & spiritus in vasis inficiat, viscerum verò temperamentum destruat, substantiam corrumpat, qualitates immutet, & sic integram humani corporis Oeconomiam subvertat, ac ipsam subinde animam citò è suo corpore emigrare cogat, & faciat. Hinc viscera veneno extinctorum funesta satis apparere, & vel plurimis suspectis maculis conspersa, vel integrè immutata experimur; Sanguinem in vasis majoribus alteratum planè & corruptum deprehendimus; in ventriculo dissecto veneni vestigia, ac reliquias ipsi videmus utplurimùm; ita ut aliena planè facies sit viscerum omnium in iis, qui veneno extincti sunt, quàm qui vel morte naturali, vel violentâ, pereunt.

Nec

Nec ſicco plane prætereundum pede exiſtimo, ex Hiſtoricorum authoritate, alia quoque recenſeri ſigna, ſcilicet, quod *cor* veneno extincti nec comburi, nec igne conſumi poſſe dicatur, teſte *Suetonio*, qui de *Cæſaris Germanici* obitu ita ſcripſiſſe legitur: *Antiochiæ obiit, non ſine veneni ſuſpicione; nam præter livores, qui toto corpore erant, & ſpumas, quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter oſſa incorruptum repertum eſt, cujus ea natura exiſtimatur, ut, tinctum veneno, igne confici nequeat*; Cui adſtipulatur *Plinius: Certè extat Oratio Vitelli, quâ reum Piſonem ejus ſceleris coarguit, hoc uſus argumento, palamque teſtatus, non potuiſſe, ob venenum, Cor Germanici Cæſaris cremari.* Accedit & hoc, tanquam ſignum, ex Plinii mente, corporis veneno extincti certisſimum, *quod ſi exponantur ſub Dio Cadavera veneno interfecta, neque à feris, neque ab avibus tententur*; Cujus rei cauſſa manifeſta eſſe videtur, *quia venena, ſive calida, congelant, & exſiccant dulcem illam corporum humiditatem, quâ feræ delectatæ ſolent Cadavera perſequi, aut etiam ab hujuſmodi cadaveribus pravi, & inſuaves exſpirant halitus, qui à feris perſentiti, earum fugæ cauſa ſunt.* Quorum tamen fides penes Authores eſto.

Ex quibus facilè patere arbitror, *Medicum Rationalem* quemvis, modò *Signa* hactenus recenſita *circumſpectè* perpendat, ac *collectivè* conſideret ſuper veneno aſſumpto & hinc dependente *Lethalitate* haud difficulter *ſuam* dicere poſſe *ſententiam*; Ubi tamen recordari fas eſt, quàm amicè monere Medicum Ardoynus Piſaurenſis ſoleat, *ne in Controverſia de veneno, cujpiam ab altero propinato, feſtinanter, ac temerè, ſuam mentem aperiat, cùm in corpore generentur humores, qui ex putrilagine, & corruptione inſigni, ad veneni naturam convertuntur, à quibus accidentia penitus ſimilia iis, quæ ab aſſumpto veneno inducuntur.*

Cùm verò ex *altera* præprimis *ſignorum claſſe* conſtet, nudam *externi corporis habitûs* inſpectionem, & in *hoc* quoque *caſu* non ſufficere, ſed *interiora* etiam intueri, ac ſpectare oportere, *ſectione* propterea opus eſſe manifeſtum eſt; Quæ ipſa tamen, cùm ſuſpecta ſatis ſit, quandoquidem periculo vix caret, *cautè* adminiſtranda, ac propterea meô quidem judiciô, hæc *duo* potisſimùm circa eandem attendenda; Quorum prius in prævijs quibuſdam *Præparatoriis*, poſterius verò in ipſius *ſectionis adminiſtratione* conſiſtere videtur.

Quoad *Præparatoria* determinandum eſt (1.) *ſecandi*, & *inſpiciendi Tempus*; (2.) eligendus *locus*; (3. non negligenda *præſervatio*; (4.) tandem abſque morâ *feſtinanda* eſt *ſectio* & *inſpectio. Tempus* quod attinet, ſectionem & inſpectionem differre non licet, ſed, quantùm poſſibile eſt, maturare eandem, paucisque poſt mortem horis expedire, convenit; ſi enim protrahatur ſectio, duplex exinde emergere poteſt incommodum, dum ex unâ parte in iis, ubi nuda eſt ſuſpicio, viſcera, quamvis veneni omnis expertia, temporis protractu, à cauſis plurimis ita alterari, & immutari poſſint, ut veneni aſſumpti ſuſpicionem augeant, cùm tamen ne minimum quidem veneni aſſumtum ſit; Ex alterâ verò parte ob ſectionis dilationem, & procraſtinationem, tanta tamque maligna in cadavere excitari poteſt putredo, & corruptio, ut *inquiſitio* vix abſque adſtantium, & rem adminiſtrantium, inſigni vitę periculo, ſuſcipi, ac expediri queat.

Locus ſectioni, & inſpectioni aptus, & ipſe ſit conveniens; non obſcurus, ac tenebricoſus, ſed lucidus; non ſpelunca, nec conclave quodlibet, præſertim quod occluſum eſt; ſed ſub Dio, aurâque liberâ, expediendum negotium, ne operantes, vel adſtantes, à tetris, ac deleteriis exhalationibus, contagii quicquam attrahant, ac concipiant, atque ita ipſos in ſanitatis, ac vitæ conjiciant periculum. A quo tamen metu liberare eoſdem poteſt *Præſervatio*; ſi, quos manum admovere oportet, ante ſectionem unum vel alterum *cordiale, Bezoarticum*, vel *alexipharmacum* aſſumſerint, *baſamoque* convenienti nares, tempora, ac pulſus inungendo, ſibi proſpexerint; Reliquis verò adſtantibus, excitato hinc inde *ſuffimigio*, pro exhalationum malignarum correctione, ſubvenerint.

Feſtinare autem denique *ſectionem* & *inſpectionem* ipſam omnium eſt convenientisſimum; Contemplato enim *externo habitu*, volante quaſi manu *abdomen* aperiendum, ut artis eſt, ibidemque contenta inſpicienda ſunt, cum vaſis majoribus, *viſcera*, utpotè in quibus *venenum*, notis ac characteribus ſuis ſeipſum manifeſtare aſſolet; quibus viſis (ſi vel placeat, vel ſuſpicio ac neceſſitas urgeat) ulterius quoque progredi, & *Thoracem* imprimis aperire, *vitaleſque partes* intueri fas eſt. Omnia verò, quæ notanda veniunt, ſtudioſè *notare*, *ſententiamque* ingenuè tandem dicere, *Inquirentium* eſt *Officium*.

Sic Facultas Medica, & Chir. Lipſ. Anno 1661.

Ad requiſitionem Senatus Provincialis hujus loci nos infra ſubſcripti, cadaver Viduæ cujuſdam Figuli N. N. repentina morte exſtinctæ inſpeximus, & obſervavimus quod corpus externe & præcipue circa præcordia, regionem epigaſtricam & abdomen, hinc illinc maculis flavis, nigris, ſubrubris inquinatum erat, & quamvis paucis poſt obitum horis cadaveris ſectio facta fuiſſet, ubique tamen turgidum & tumefactum erat. Diſſecto corpore, ventriculus ingenti corruptorum humorum ſaburrâ variegati coloris repletus apparuit, qualem etiam materiam paulò ante mortem per vomitum rejecit. Hisce igitur cum reliquis circumſtantiis perpenſis, judicamus, illam veneno propinato periiſſe, in cujus rei fidem hoc teſtimonium manu propria ſubſcribere & corroborare voluimus.

Item anno 1670. d. 9. Jul. P. P. Poſtquam litteræ veſtræ cum annexis ad nos pervenerunt, in quibus rogaviſtis noſtram de repentina morte N. N. ferre ſententiam, attento animo tam Inquiſitæ indicia quàm prædicti N. N. Symptomata cum circumſtantiis occurrentibus, ſectione & inſpectione facta obſervavimus: imprimis quod defuncto juſculum cum Arſenico citrino aliàs Auripigmento 20. Februar. die propinatum fuit, quo ſumpto ſtatim alterationem ſentire cœpit, quamvis antea optima uſus fuerit valetudine, ſtatim atque, guſtu deprehendit in offa aliquid eſſe, illam comedere noluit, & revera vomitu continuo, cordis anxietate, dolore Ventriculi, Reſolutione, & laſſitudine membrorum ſpontaneâ & tandem motibus convulſivis violenter correptus fuit; Ejus cadaver etiam externe maculis rubris, lividis imo puſtulis nigris conſperſum, & ecchymoſi affectum erat; Inteſtina à flatibus valde diſtenta, horumque vaſa, ut & meſenterii ſanguine turgida erant, ventriculus à ſtagnante ſanguine alteratus & inflammatus cum tunicæ internæ eroſione. Omnia ſecundùm relationem veſtram & ſchedularum annexarum contenta deprehenſa ſunt.

Itaque circumſtantiis ponderatis in annexis ſcriptis expoſitis, & rebus ſic ſe habentibus exiſtimamus prædictum N. N. Arſenico citrino ſeu Auripigmento ab uxore in juſculo illi propinato, periiſſe quidem, tamen conſervari potuiſſe, ſi illi debito tempore neceſſarium prꝑſtitum fuiſſet auxilium, imprimis cùm uſque ad undecimum diem vixerit.

Quæ vobis reſpondere &c.

Et hæc ſunt, quæ de Vulnerum partim Lethalitate, breviter dicere, partim v. de Signis Lethalitatis in iis, qui veneno extincti ſunt, adjicere conſtitui. Deo Ter Sancto & nunc, & in æternum devotiſſimas acturus Gratias!

Hactenus Godefredus Welſchius; ſuccedat jam. *Clariſſ.*

Clarissimi Ioh Bohnii.

DE RENUNCIATIONE VULNERUM

TRACTATUS.

seu

Vulnerum Lethalium Examen &c.

Præfatio ad Lectorem.

ANte viginti jamdum, & quod excurrit, annos Anno nimirum elapsi Seculi 1689. præsens opusculum *De Renunciatione vulnerum*, edidi, non quod ulli persuadere mihi præsumpserim, quasi nemo ante me Argumenti hujus declarationē unquam in se susceperit, aut Publico quicquam de eo concesserit, quique scripto hoc aliis palmam præripere voluerim: utpote quale assertum ac petulantia, ut bonorum Autorum ignorantiam crassam, aut jactantiam inanem, oluisset, quarum tamen utramque semper odi. Neminem siquidem, qui Eruditi nomen gestit, latere potest, ante seculum *Ambr Paræum de Renunciationibus & Embammatibus Cadaverum*, paulò post *Fortunatum fidelem de Relatione Medicorum*, nostrâ ætate sub falso Scriptoris nomine ac fictâ Rubrica, *Thomæ* sc. *Reinesii Scholæ Jurid. Medicæ*, Venditatum, *Baptistam Codronchium, de Methodo testificandi*, Accessorium tractatus *de Vitiis vocis*, atque *P. Zacchiam Quæstiones Medico-Legales*, conscripsisse. Quibus ante medium circiter seculi elapsi accesserunt *Melch. Sebizii Examen vulnerum, Hermanni Corbei, Oratio de Vulneribus lethalibus ac sanabilibus*, *Bernhardi Suevi de Inspectione Vulnerum Lethalium & sanabilium*, ac demum *Gottofredi Welschii Judicium Vulnerum Lethalium*, *Blegny la doctrine des Rapports en Chirurgie*, &, quam Anno 1703. Parisiis imprimi curavit *Anonymus, l'art de faire des Raports en Chirurgie.* Qualia sanè nemini ansam conquerendi concedent, Lethalitatis percussionum materiam olim nondum fuisse ventilatam. Alia longè mihique eadem cum Suevo conatus hujus tunc temporis erat, ac in præsentiarum est, ratio: nimirum ut, quam Scripti hujus difficultatem, viribus meis superiorem experiebar & adhuc deprehendo, hincque Lucubrationum mearum imperfectionem haud exilem auguror, aliis, quorum Judicium promptius & doctrinæ atque peritiei supellex instructior, solvendum ac eruendum concedere mallem. Veritati siquidem dum unicè & semper lito, perinde mihi erit sive propriis, sive alienis, oculis illam perspexero. Recudere verò dum nunc intendebat Scriptum hoc Bibliopola, me rogabat, ut illud reviderem, demerem ex eodem adderemve illi, quæ è re esse cognoscerem: Errores conspicuos magis emendavi, quædam delevi, adjeci tamen pariter nonnulla, quæ posteriorum temporum suppeditarunt observata. Annexi demum sub *Appendicis* conspectu Cogitata 1. *De Infanticidio recens natorum:* 2. circa *modum discernendi Vivos & mortuos submersos, suspensos ac vulneratos*; Argumenta frequentiora, & Medico, qui ad deponendum coram Magistratu se applicat, scitû maximè necessaria. Vale!

De Renunciatione Vulnerum.

Tractatus.

PLura sunt argumentorum genera, Medicis cum Legum-peritis communia; ideòque forsan *mixta* seu *Medico-Legalia* dicenda, super quę hi illorum censuras sub *Relationum*, *Renunciationum* ac *Depositionum* nomine petunt, & pro eorum diversa inclinatione ac sententia reos damnant ac insontes absolvunt. Rogant sc. Jure-Consulti Medicorum sententiam circa morborum simulationem, de sustinendis tormentis, de generandi impotentia, de arcta & sterili, de virginitatis signis, de ingravidationis notis, de simulata impraegnatione, an mulier pepererit, de tempore partus legitimi, de abortus à verberibus metu, de abortu concitato, de mente captis, de fœtu intra extrave uterū mortuo, de infante v. g. à nutrice suffocato, an ex aqua protractus vivus, an mortuus, in eam fuerit præcipitatus? de veneno hausto, de iis, qui mortem fingunt, & quæ similia fereque infinita sunt. Ast omnium frequentissimum &, prout *Zacchias* loquitur, practicabile maximè, super quod Magistratus seu Judex à Medicis informari desiderat, *Vulnerum* est *Lethalitas*: i. e. an Vulnus, à percutiente inflictum, mortis causa, an secus, extiterit? quo illi pariter ac vulnerato jus decernere queat. *Ubi nimirum*, advertente *Celeberrimo* quondam *Stryckio, de Sanguine in Terram profuso, qui ad Cœlum anxius clamat, controversia movetur, movetur ibidem de sanguine vivi adhuc hominis, carnificis manu profundendo.* Ita quidem ut, quamvis Legum Interpretes diversas conjecturas, v. g. à tempore mortis subsequentis, parte corporis læsa, qualitate ac quantitate vulneris, conditione armorum, fama publica &c. petitas in Commentariis suis prolixè satis subministrent, v, g. *Mascardus, Boerius, Gomesius, Carerius, Farinacius* aliique, quorum Catalogum à Medico, prudentior nec Legum, nec Medicinæ peritus, desiderabit: eorum plerique nihilominus, præsumptionibus illis, tanquam insufficientibus atque incertis, posthabitis, ad Medicorum Relationes confugiant, hasque solas Judicem in arbitrando, an vulnus sit mortale, nec ne, sequi debere sentiant, prout vel ex solis *Mascardo, Conclus.* 10037. & *Farinacio, de Homicid. tit.* 14. *quæst.* 127. *part.* 2. *No.* 49. 50. & 51. videre est. Renunciationum E. de Vulneribus formandarum provincia quia ad Medicos devoluta, horum quoque erit potissimum, fundamenta & rationem, illas methodicè concinnandi, evolvere atque innuere, quod duabus Sectionibus præstare conabor.

Sectio I. *De Renunciatione Vulnerum in genere,*

Cap. I. *De Vulnerum Inspectione.*

POstulatur ac adornatur Censura de Lethalitate Vulnerum modo vulnerato adhuc superstite, quæ utplurimum conjecturalis atque incerta satis, quatenus vulnerum, interiora penetrantium, vix unquam tanta observatur latitudo, per quam cunctas eorum circumstantias, imprimis læsionum profundiorum, sufficienter indagare, intueri ac dignoscere licet, ut in plagis capitis quotidie experimur, utpote quæ facie suâ externa sæpè levissimæ, multùm nihilominus periculi involvunt, imò non rarò interficiunt, ob rupta vasa recondita interioresque cerebri recessus laceratos: ut taceam

ceam, vulnera aliarum quoque partium ex minimo errore mortifera fieri, contra pro desperatissimis habitos percussos eluctari, ut inferiùs patescet. Modo de vulnere deponere jubetur Medicus, seu à vulnerante ejusque Parastatis quæstio movetur, postquam mortuus vulneratus, an, quod ille intulerat, vulnus lethale exstiterit, i. e. ut tale, occiderit? Quod judicium, quia læsionum ipsarum autopsiam & accuratiorem lustrationem supponit, hincque *Vulneris inspectio* vulgò audit, non mirum, cur certam atq; infallibilem magis hanc censuram pronuncient Legislatores, adeòque huic demum, non illi, definitivam accommodent. Atque hoc quidem scrutinium post *Clarum Recept. sentent.* §. *si quæst.* n. 4. & 5. ac *Constitutiones criminales Carpzovius prax. crimin. part.* 1. *quæst.* 26. *Feldmannus de Inspic. cadav. c.* 3. *Stryckius de Jure sens.* c. 7. ac *Serenissimi Electoris Brandenburg. Edictum*, Anno 1665. promulgatum, quasi totius mundi consuetudine receptum, diversorumque populorum moribus ac legibus cōformem, comprobant. Quatenus eo ipso, dum decidēdum est, an percussus à vulnere? an alia causa, discesserit, oculorum usu imprimis innitendum venit, ut illius habitudine seu conditione, quam in hujusmodi casu corpus delicti ajunt ICti, perspecta de quæstione illa accuratior sententia feratur. Ita quidem ut, si Visitatio ejusmodi, ex quacumque occasione negligatur, iisdem Legibus publicis cautum legamus, pœnam homicidii in percussore minime locum habere, seu ab hoc recedant Legislatores, communiter, aut certè in ambiguo relinquatur judex, destitutus depositione medica circa Lethalitatem vulneris, ex inspectione quæ debebat formari: dum in iis, quæ de vita humana agunt, probationes dubiæ ac semiplenæ ad mortem inferendam non sufficiunt. Quāvis cum *Tuschio*, *Muscatello*, *Brunnemanno* aliisque *Strickius* l. a. c. 3. si brevi ab illato vulnere discesserit percussus, etiā non facta sectione, ordinariā nihilominus homicidii pœnam locum habere, & ita in ejusmodi casu à Facultate Viadrina aliquoties decretum fuisse, tradat.

Negotium proin hoc non, prout incongruè à plerisque Scriptoribus factum, prognosticæ Medicinæ parti accensendum, sed Anatomiæ practicæ seu pathologicę specimen videtur: quatenus non de eventu futuro, sed de facto sive præsente, per autopsiam reliquarumque circa vulneratum emergentium circumstantiarum collationem, decernit Medicus, talem nempe ejus & pl agæ fuisse statum, ratione cujus hæc sanabilis, vel insanabilis exstiterit. Id est, perinde ac lustratio Anatomica ejusmodi subjectorum, quæ ex morbis internis, sive acutis, sive chronicis, perierunt, symptomatum ac ipsius mortis ætiologię formandæ, non status ægri vel defuncti futuri, rationem habet: sic vulnerum ex cadaverum inspectione judicium partis prognosticæ documentum dicere, sanę rationi refragatur. Cui quidem errori, si non solitariam, certè potissimam, occasionem subministravit hoc, quod nonnulli Medicorum, v. g. *Sebizius*, *Suevus* (quorum nihilominus posterior sub titulo *de Inspectione Vulnerum* opusculum suum venditat) de Vulneribus lethalibus ac non lethalibus non in facto, sed in fieri tantùm, seu de metuendis ac sperandis, scripserint, quale scribendi genus utique prognosin spectat: quam circumstantiam alii, de Inspectione ac Judicio vulnerum suas meditationes evulgantes, non attenderunt, adeòq; quadrata rotundis cōmiscuerunt, propriæq; intentioni ac scopo præfixo ridiculè contradixerūt. Nec error hic sibimet mansit, sed ut cōmuniter fieri solet, mox prolis sibi similis genitor evasit, dum factum, ut inter argumenta lethalitatis confirmandę cōmuniter retulerint, modo partium externarum seu continentium firmitatem & mollitiem, modo instrumentorum lædentium figurā, magnitudinem &c. Ita sępiùs cum nausea legi & audivi, vulnus hoc vel illud, v. g. capitis lethale esse, inter alias ob causas quod syncipiti, cujus ossa tenuiora, hinc ad violentiores percussiones sustinendas inepta, fuerit inflictum: cujus pariter acuminis est ratio decidendi hæc, quæ eadem capitis læsio juxta reliqua argumenta, mortalis pronunciatur, quod à securi, fusti majore &c. contigerit. Cùm circumstantię hæ non pro lethalitate in cadavere, quàm nihilominus determinare Judex postulat, sed periculo tantùm, in vulnerato adhuc vivo, plus minus metuendo ac innuēdo, faciant.

Quod si tamen in ulla quadam functione Medica, certè in hac querelæ *Hippocratis* nostri, *Judicium difficile*, locus erit, causas sc. sanguinem concernentes decernenti, resque hæc magnæ semper difficultatis visa fuit; vel quod læsionis ratio formalis nec inspiciēti adeò promptè compareat seu satis evidens sit, vel quod ab hoc ejus conditiones perfunctoriè satis attendantur, obscuriùs ac impertinenter recenseantur, hincque Collegia Peritorum, quæ secundum ejusmodi Acta & Probata, seu Data valde obscura, sententiam de vulneris lethalitate dicere debent, ambigua maximè redduntur, Nemesis à nugis his modo intempestivè interpellatur, modo plus justo irritatur, utrâque ratione Justitia sanctissima violatur. Quàm frivolos ac negligētes in cadavere inspiciendo, absurdos temerariosve in judicio formando se nonnulli gerant, ad testimonia ejusmodi provocati, quotidiana loquitur experientia: eo ipso verò dum inspectionem illegaliter peragunt, lęsionis phænomena minus technicè ac fideliter referunt, circumstantias insufficienter exponunt, nec Prudentioribus, à quibus rei decisionem magistratus postulat, ex difficultatibus ejusmodi se extricare conceditur, hique vel sententiam suam suspendunt, sicque conscientiæ prospiciunt, vel, quod horrendum, reum absolvi ac innocentem damnari præcipitantia sua faciunt, haud attendentes illud *Guidonis de Cauliaco* de *Vuln. cap.* 1. *Non sis tamen, rogo te, in judicando velox ac subitus, sed deliberatus ac prævisus:* nec illud *Ammiani Marcellini lib.* 29. *De vita & spiritu hominis, qui pars mundi est & animātium numerū complet, laturum sententiam diu multumq; cunctari oportere, nec præcipiti studio, ubi irrevocabile factum est, agitari*; neque *Fieni Semiot. part.* 1. *sect.* 4. *c.* 1. *Si Medicus nimis temerariè judicat, reus est ipsemet mortis & supplicii vulneratoris.* i. e. differente *Joh. Baptista Sylvatico, hist.* 85. *magni momenti res videtur, cùm de Justitia servanda agitur.*

Cujus difficultatis summæ & errorum nefandorum dum recordor, ab Inspectoribus nempe vulnerum seu horum Judicibus primę instantiæ commissorum, in quæstionem delabor, qualesnam personæ huic muneri destinari seu ad inspicienda ac dijudicanda vulnera admitti debeant? dum Legislatores horumque Commentatores modo Medicos, modo Chirurgos, nominant, imò modo solis his, modo tonsoribus ac balneatoribus quoque, deponentibus fidem adhibere jubent, aliis contrarium asserentibus: adeòque ipsimet in diversas partes secedere videntur. Quibus equidem dicam haud scribam, neque magistratum legis hujus causa provocare mihi præsumam: imò ut Medico inspicienti præsto sit vel barbitonsor, vel balneator, qui in sordidis ac vilioribus operationibus illum sublevet, vel Chirurgus, artis dissecandi gnarus, qui manus non tantùm aperturæ cadaveris admoveat, sed suam quoque super vulneris qualitate dicat sententiam, facilè largior; potissimum cùm ex Juris peritorum collatione, in specie *Strickii de Jure sens. cap.* 2. evidens sit, hos non balneatores ac tonsores, ut tales, seu quosvis, sed in rebus Anatomico-Chirurgicis versatissimos, vel qui judicii sui rationem reddere queant, Medicis ac Chirurgis aut combinare, aut surrogare. Ambiguus tamē hæreo, rem nō, ut in thesi, sed in hypothesi & secundùm statum nostratem, considerās, an ejusmodi vel Chirurgorū vel Barbitonsorū in Saxonia aut Germania nostra multi reperiantur, qui de scientia corporis humani, muneri huic expe-

jure gloriari queant, licet Magiſtri utriusque artis examinati & jurati audiant? quatenus quidem omnes præſumptionem ejuſmodi peritiæ atque dexteritatis præ ſe gerunt, plures nihilominus eorum, quod plus quam notorium, nec terminum anatomicum enunciare valent, multo minus ipſius artis ſufficientem notitiam habent, vulneraque inter operandum non tam luſtrant, quam faciunt; adeoque nec ad ſecandum, nec ad decernendum, omnium minime ad effati ſui rationem reddendam, habiles exiſtunt. Cur E. rudioribus ejuſmodi hominibus, ſive Chirurgi, ſive Tonſores, appellari malint, arduum tale munus & in cauſis ſanguinis definitivam concredamus? cum, animadvertente *Carerio*, non per Chirurgos, ſed *Medicos Chirurgicos expertos*, *vulnus mortale*, *aut non mortale*, *eſſe probetur*. Circumſpecte proin *Angelus Aretinus* in *Proœm. Inſtit.* ſentire videtur ajens: *Quando aliquid committitur faciendum alicui*, *debet committi illi*, *qui ſit peritus in eo*, *quod faciendum eſt*, *& debet eſſe peritus totius artis*, *non partis tantum*, hincque infert, quod, *ſi poteſtas* (Magiſtratus forſan) *debeat requirere conſilium Medicorum*, *an Vulnus ſit mortale*, *nec ne*, *non debeat credere*, *nec ſtare Medico qui eſt Chirurgus tantum*, *ſed oporteat* N B. *ut ſit peritus totius Artis Medicinæ*. Cui ſubſcribit *Fulvius Pacianus de Probation. lib.* 1. *cap.* 47. ubi *perinde negotium hoc ſe habere*, ait, *ac dum Imperator*, *quando judicium Architectorum vel Mechanicorum requirit*, *vult ut primates Architecti & inſignes Mechanici advocentur*, *ſc. quod* NB. *mediocriter inſtructi haud ſufficiant*.

Porro quando Medico ac Chirurgo vero Barbitonſores ac Balneatores noſtros Sanctiones publicæ, in illorum defectu, ſubſtituere jubent, ea, qua decet, obſervantia has pariter equidem veneror, modo ex earum Interpretibus conſtaret, qui præter Medicos Chirurgi, & præter hos Tonſores ac Balneatores exiſtant: cum ipſimet noſtrates Chirurgi ſe Barbitonſores profiteantur, omneſque Barbitonſores ac Balneatores jure ſui Magiſterii peritiam Chirurgicam & Chirurgi nomen atque immunitates prætendant. Adeoque diſparitatis hujus ratione haud determinata non apparet, quis horum alteri ſurrogari debeat: ne repetam, neutris horum prout quidem Provinciæ noſtræ eos alunt, (ſi forſan unam vel alteram rariſſimam avem excipias) tantum peritiæ atque dexteritatis, quantum huic expeditioni neceſſarium, ineſſe. Siquidem prout (nec in quocunque neceſſitatis caſu) non cujuslibet Prætoris urbani ac pagani arbitrio pœnas delictorum minorum, multo minus homicidii, committunt Leges publicæ, ſed vel à Judice Superiore, vel à Collegio Juriſprudentum, Principis Autoritate pollente, demum, quid in Inquiſitionis Proceſſu agendum, an reus puniendus, vel abſolvendus, ac quo genere pœnæ affligendus, ille quærit ac reſciſcit, eo quod negotia hæc captum ejus ſuperent: ita ſane paradoxum valde videtur, Medico Chirurgove peritiori & perſpicaci, homines doctrinæ nullius ac peritiæ exilis, aut non, niſi empiricæ, uno verbo, pecora campi ſuccenturiari poſſe, quaſi hi ingenio & oculis obtuſioribus talia diſcernant, quibus dijudicandis majoris ſæpe perſpicacitatis Homo vix par erat.

Multo minus evidens eſt, quo fundamento in lethalitate vulneris dubia Medicoque à Chirurgo diſſentiente, quidam Doctorum hujus partes præ illius amplexi fuerint, & quo argumento *Maſcardus de Probat. Concluſ.* 1175. hanc ſuam conſequentiam defendere queat: *Ubi periti diſcordant*, *ſtandum eſt peritiori*: *idcirco*, *quando quæritur*, *an vulnus ſit mortale*, *ſtandum eſt magis Chirurgo*, *quam Medico?* (Etſi *Stryckius l. a.* c. 3. §. 21. ſcribat, hoc aſſertum Maſcardi vix univerſalis Concluſionis nomen mereri.) Aut enim neſcivit Reverendiſſimus hic Vir, Chirurgiam Medicinæ partem eſſe; aut Chirurgi ſoli, non Medici, Romani, Mediolanenſes, Patavini, Placentini alii ve, inter quos vel ut Protonotarius Apoſtolicus, vel ut Eccleſiarum Vicarius, vel ſub quacunque conditione ac dignitate vixit, ſtudium ſecandi coluerunt, & interiora corporis humani noverunt; aut ille infallibilitate Papa ſuo inferior longe extitit, id eſt, in concluſione hac formanda egregie lapſus eſt. Subſumo proin, conceſſa illius argumenti Majore, eo ipſo; dum machinæ, ſeu œconomiæ, corporis humani cognitione frequentius ac ut plurimum deſtituuntur Chirurgi, ſine qua nihilominus non, niſi meras nugas, ſuper vulnerum lethalitate proferre licet, his tanquam minus peritis, minus quam Medico, erat ſtandum; quatenus, juxta *Boërium deciſ.* 323. *magis creditur teſtibus allegantibus legitimam cauſam*, *vel rationem dicti ſui*, *quam cæteris*, *nullam reddentibus*, nec reddere valentibus, i. e. trivialibus Chirurgiæ Magiſtris aut Barbitonſoribus. Poſſem hujus loci facere, quæ ſuperius ex *Aretino* & *Fulv. Paciano* retuli, aſt inpræſentiarum & pro odioſa hac quæſtione ſolvenda ſufficiant ejuſdem *Paciani* verba, quæ loco allegato legere licet: *Major peritia veroſimiliter probatur*, *quando unus eſt bonus Phyſicus*, *& ſimul bonus Chirurgus*, *alter vero eſt tantum Phyſicus*, *vel tantum Chirurgus*, ex quibus concludit; *priorem reliquis duobus præferendum eſſe*.

Hinc Paradoxum quoque illud miror, in quod abripi ſe patiuntur nonnulli, ſi non ex Legiſlatoribus horumque Interpretibus, certe Legum Adminiſtratoribus ad minimum, ac in Foro noſtro ſimiliter fieri factumque novimus: ex Conſtitutione Imperatoris Criminali inferentes, Medicum ſolitarium, ſine paraſtata Chirurgo, deponere neutiquam poſſe. Qualis traditio poſtquam frequentiore uſu in conſuetudinem abiit, Legis publicæ tandem autoritatem acquiſivit; quinimo Collegia Prudentum Vulneris inſpectionem, quam ſine Chirurgo adminiſtrat Medicus, illegalem, ſecus, quam ſine Medico peragit Chirurgus, pronunciarunt hactenus: perperam tamen in hoc negotio agi, ex antecedaneis evidenter eluceſcit. Quibus inſuper addo, formari à Medicis & ex horum ſcriptis noſtrates Tonſores; in operibus proin Medicis non Directores, non Conſiliarios, eorum; quæ penes ægros fieri ſolent, aut debebant, ſed miniſtrantes atque executores illorum, quæ Medici juſſerint, hos agnoſcimus: Cur itaque illis potiorem locum in hac functione concedamus? cur concedant præter omnem rationem alii? Præterea hominum horum peritiam, ſi Magiſtros in arte ſua declarari malint, Medici explorant, iidemque quoties illos in Extiſpiciis ejuſmodi forenſibus adſtantes & miniſtrantes ſibi habent, obſervata conſignant: ideo; quod ſphæram illorum hoc negotium longius tranſcendat, ut ex eorum Relationibus ſuper Vulnera, *Mund-Settein*, ad nauſeam experimur. Accedit, Chirurgum, qui in Caſu quovis difficiliore, hinc Vulnerationis etiam, Medicorum conſilia non implorat, ſed negligit, non levem hac ratione occaſionem præſtare, per quam à pœna ordinaria abſolvatur homicida. Et quid frequentius, quam ſuper Chirurgorum æque ac Medicorum Relationes Collegia Medica (nunquam Chirurgorum Societates) horumque deciſiones rogari, & ſecundum horum conſenſum ac diſſenſum illarum vim moderari? Unde nec in Cadaveris inſpectione, hincque concinnando judicio Chirurgi Medicis cenſeri poterunt pares, multo minus ſuperiores, ſine quorum approbatione ad deponendum omni facultate hi deſtituantur. Notoria perquam eſt Barbitonſorum noſtrorum ruditas, per quam pleri que eorum nec Calvariam ſine Meningum ac Cerebri laceratione aperire; nec abdominis integumenta ſine interaneorum perforatione; nec Viſcera, horumque vaſorum ramificationes evolvere & diſcernere, multo minus ex viſis petite judicare, norunt.

Qualem hominum ruditatem occultare, quam in apricum ponere, mallem. Denique attendi meretur, Medicum ſolum ſine Pharmacopœo de rebus Pharmaceuticis, ac de aliis infinitis cauſis v. g. Impotentia, Virginitate, Geſtatione, Partu diſſimulato, Potionatione &c. ſine alterius cujuſdam, miniſtram tantum aliquam Medicinæ partem exercentis, adjutorio perite, ſufficienter ac legaliter deponere: quid obſtat, quominus ſuper Vulnerum lethalitate idem ſolus & abſque adſtante Tonſore, indicare queat, qui non hanc vel illam tantum, ſed cunctas Artis partes, callet. vid. *de Offic. Med. part.* 2. *cap.* 3.

Circa Medicum tamen ac Chirurgum, Inſpectioni ejuſmodi præficiendos, adhuc monere conveniet, ne homo illis, qui Percuſſo decumbenti medebantur, hoc in eodem defuncto deponendi munus committamus: ſecus, ac olim *Welſchium* noſtrum ſenſiſſe novimus. Dum hoc ipſo, ubi de vulneris lethalitate per ſe ac per accidens quæſtio imprimis emergit, aut à percuſſoris Defenſore in litem trahitur, an illi in Medela perite & ſecundum Artem egerint horumve nihil neglexerint, hi de lethalitate ejuſdem individui ſeu in propria cauſa i. e. lege Artis medelam ſe adminiſtraſſe, ac omnem diligentiam adhibuiſſe, teſtari ſeu judicare nequeant; nisi defenſori ad lites mutiles, & Judicem in ſententia de homicidio ferenda conturbantes occaſionem ſuggerere malimus. Quale quid *Facultas Noſtra* in Caſu hujus generis Anno 1706. menſe Auguſti ad Tettavienſes reſpondebat his verbis: *So iſt auch vors andere*, pro legalitate in ejuſmodi actu obſervanda, *beſſer, daſ nicht derjenige* Medicus *und* Chirurgus, *welche den Entleibten in der* Cur *gehabt*, *ſondern andere Perſonen, dergleichen* Section *und Beſichtigung verrichten, da abſonderlich die Frage:* An Vulnus per ſe, an per accidens lethale? *und hierbey*; *Ob der erſte* Medicus *und* Chirurgus *dem* Patien*ten recht und wohl vor geſtanden? in Zweiffel gezogen werden mag, da ja dieſe* in propria cauſa *nicht fuglich* teſtiren *können.*

Sed miſſis perſonis inſpicientibus, rem ipſam aggrediar, ubi ſane præliminariter monendum, Vulneris nomine non illam tantum continuitatis partium mollium, cæſim, punctim, ſimilive modo factam ſolutionem hic venire, ſed quamvis ab ictu externo & violento partium ſolidarum, mollium pariter ac duriorum læſionem illud deſignare, ſive hæc ſui ſenſibile veſtigium pone ſe relinquat, ſive ſecus. Adeoque ſub cenſura hac præter vulnera proprie dicta ſtant tumores, fracturæ, v. g. Calvariæ, luxationes vertebrarum ſpinæ, contuſiones hincque ortæ rupturæ, compreſſiones, v. g. cerebri, ac quævis percuſſiones, actiones vitales aut animales turbantes vel intercipientes: ita quidem ut hinc quibuſdam ICtis Percuſſionis vocabulum præ vulneris notione placuerit. In ſpecie vero præter vulnera cruenta Medicorum effatum frequentius poſtulat commotio cerebri, quam graviora ſymptomata, imo aliquando mors immediate, excipit, juxta *Hippocr.* 7. *aph.* 58. *Quibus cerebrum concuſſum fuerit, ex aliqua cauſa, eos ſtatim voce privari, neceſſe eſt*; vel ut *Galenus* explicat, ac quotidiana evincit experientia, *eorum modo ac apoplectici, ſine omni motu ac ſenſu proſternuntur.* Et quidem non illi tantum, quibus à vaſorum ruptura aliqua ſanguinis profuſio ad ἐγκέφαλον contingit, ſed ubi nihil pláne hujus obſervare licet; ex ſymptomatis nihilominus gravioribus morteque præcipiti texturam cerebri tenerrimam hujuſque canaliculorum molliſſimorum atque exilium faſciculos enormiter contractos, complicatos, aut quacunque ratione à ſtatu & habitudine naturali dejectos auguramur. Cui violentiorem quoque regionis Epigaſtricæ ac Hypochondriorum percuſſionem jungo, ad ſuffocationem & aſphyxiam diſponentem, atque aliquando ſine vulnere tumoreve paulo enecantem: cujus phœnomeni penes ſcriptores equidem raro mentio fit, niſi quod *Fortun. Fidelis* oris ventriculi ſeu Epigaſtrii percuſſionem aliquando enecare perhibeat, & quidem propter ſtomachi ſeu orificii ventriculi ſuperioris dolorem exquiſitum maxime. Ego nihilominus Anno 1673. die 6. Maii requiſitus à Prætore hujas urbis diſſecui cadaver virile hominis, qui à jactu lateris dimidii, aliquot librarum, hypogaſtrium dextrum impetente, ſubito concidens exſpirarat: in quo nihil integumentorum, nihil viſcerum vaſorumve læſum laceratumve offendi, niſi quod in diaphragmatis illo loco, quo coſtis nothis ejuſdem hypochondrii hoc contiguum, aliquid contuſionis & ſuggillationis, ambitu ſuo vix dimidium imperialem æquantis, mecum viderint adſtantes, periit tamen ex ictu hoc infauſto miſer ille. Ne igitur & percuſſionis terminus juſto ſtrictior videatur, quemlibet ictum læſionemque, quæ manu violentiore, aut nuda, aut inſtrumentis nociferis armata, infertur, hic concipere licet, de cujus lethalitate quæſtio eſt: ita, ut præter caſus quos ſuperius innui, hujus quoque forſan loci ſint plures alii, v. g. violentior uteri parturientis ſub ſecundinarum ſpecie, ab imperita & imprudentiore Obſtetrice facta extractio, qualem hæmorrhagia, inflammatio, delirium & convulſiones lethales utplurimum ſequuntur.

Cadaver ſecandi & aperiendi rationem prolixius declarare præſentis negotii haud videtur, qui Medicis harum rerum peritis hæc ſcribo: quinimo illorum prudentiam laudo, qui ſe modulo ſuo metientes, & quod in Reſectionibus adminiſtrandis ſe non ſufficienter exercitatos norint, ejuſmodi ſecandi & inſpiciendi, hincq; teſtificandi munus, poſtulati quamvis, modeſte detrectant. Sufficiat in genere dixiſſe, ſingulari prudentia ac dexteritate Vulnerum inſpectiones eſſe peragendas, ſi non ſecundum regulas à *Carpzovio prax. Crimin. part. I. quæſt.* 26. *p.* 43. & *Celeberr. Stryck. l. a. cap.* 2. *§.* 33. certe ſub ſimilibus & ſequentis forſan tenoris animadverſionibus ac monitis traditas.

Primo nempe inſtituatur ejuſmodi Viſitatio ſatis tempeſtive, i. e. quantum licet, brevi à deceſſu Percuſſi, pro declinanda putredine Cadaveris & Fracedine hinc ſuperveniente: qualis Medicum in inſpectione accuratiore turbat, putredine corrupta & arroſa Interanea læſionum illatarum conditionem genuinam occultant, & commode has evolvi minus concedunt. Ad qualis ſane cadaveris luſtrationem nec adigi poteſt Medicus, nec, ſi ſub tali cuncta penitius non adverterit, hinc minus exquiſite deponat, imperitiæ vel negligentiæ accuſandus erit. *Deinde* caveat à Styli ſimiliumque inſtrumentorum, antequam interior Vulneris facies detecta, improvida intruſione. Sane ſicut in Percuſſo vivo adhuc ſpecilli tentativi, pro Vulneris profunditate ſimilibuſque conditionibus explorandis, uſus à *Wurzio* jamdum *Chirurg.* 1. cap. 6. non ſine evidente ratione, improbatus fuit, caſtigatur etiam ab aliis, quaſi fodicando partes interiores laceret, hinc Vulnera profundiora & latiora reddat &c. pariter metuendum erit ab ejuſmodi ſcrutinio in defunctis, utpote ambiguum reddit inſpectorem, an à ſuimet, an vulnerantis, talis plagæ conditio, ex qua Lethalitas determinanda, dependeat. Erroris ejuſmodi craſſioris quam maxime paradigma Acta Fac. noſtræ 1699. menſ. Martii ſuggerunt. Ubi Vulneri Frontis à Globulo ſclopetario facto, Chirurgus rudior inſtrumentum ejuſmodi ad digiti profunditatem immiſerat, neque à violentiore ejus impreſſione & agitatione ceſſerat, donec Corpus ſolidius, quod globulum augurabatur, offenderit, hocq; non ſine cerebri laceratione & mortis acceleratione, dum inprimis hac ratione Calvariæ fragmenta illi profundius impacta, hinc plaga magis dilatata & elongata, fuerit. Cui ex *Strykio* l. a. n. 34. addo, ab impertinente ac rudiore Styli ſciſcitatorii per Chirurgum imperitum applicatione in Cadaveris aperti Pulmonibus diverſa Vulnera fuiſſe reperta, quorum quod enſe occiſoris, quod inſtrumento Chirurgi, illatum, ambiguum manſerit.

Tertio, ſedulo & exquiſite non tantum in partem læſam & plagæ evidentis conditiones cunctas diſquirat Medicus, ſed totum inſimul cadaver, an forſan aliud inſuper in eo

Vulnus lateat, seu omnes ejus ictus, tumores, vibices externas perlustret, quo ab his similive phœnomeno ad internarum læsionum investigationem feratur. Imò quamvis nihil ejusmodi vestigiorum compareat, minime tamen sectio & interaneorum evolutio ulterior negligatur, si nimirum defunctum violentiorem percussionem passum fuisse innotescat, aut præsumatur: sed Medicus, quam in uno membro non invenit mortis causam, in altero scrutetur; imprimis si de homicidio tumultuario aut plurium ictuum illatione, constet; adeòq; caput non minus ac thoracem & abdomen horumq; recessus atq; contenta, omni studio perlustret. Ita ut si plures ictus offendat, horum singulos cum eorum circumstantiis annotet, quo, quæ demum lethalitatis potior existat occasio penitiùs eruatur: aut si forsan læsionũ diversatum neutra mortalitati inferendæ sufficiat, num earum binæ vel trinæ simul idem præstent, comodiùs disquiratur. Habet etiam sollicita ejusmodi investigatio hoc emolumenti ut, si forsan percussionis evidentis lethalitas aut nulla, aut dubia, verior aut latens simul, v. g. apostema internum, hydrops, manifestetur, in subjecto præprimis hactenus valetudinario, aut ignoto etiam, sicq; ab homicidii suspicione liberetur percutiens.

Ab ipso *F. Fideli* l. 4. s. 5. c. 1. jamdum annotatũ legimus, non quãcunq partem percussam semper livorem seu ecchymosin ostendere, nisi venis, iisq; nõ admodũ altè positis prædita sit, aut si in nervosas aliasve minus carnosas partes inciderit percussio. Ac sæpè ne livissimo quidẽ percussionis externo vestigio comparente, interiora corporis enormiùs lacerata deprehendimus, mihique plura ejusmodi obtigerunt subjecta, qualium dissectionem frustrà aut præter rationem postulari, videri poterat, ubi tamen partes recõditas mortaliter læsas autopsia declaravit. Hujus rei exempla *de Offic. Med. libr.* 2. *c.*4. aliquot adduxi, inferiùs quoq talia recensere occasio feret: ne pluribus Lectori molestiam hìc pariam. Infero potiùs ex his, cautũ & circumspectum postulari Prosectorem in percussionũ lethalitate investiganda, neq; hunc renuere aut subterfugere debere perlustrationẽ partium exquisitiorẽ, utut laboriosissimã, & sine violẽtiæ quoq; ab extra illatæ nota præmõstraticè.

Quartò E. quia ejusmodi inspectio atq; evolutio sine sectione fieri nequit, hæc nunquã negligatur, aut persũctoriè administretur, aut rudiori Chirurgo, ut superiùs monitum, cõcedatur: quo læsionis forma penitiùs & quoad singulas circumstantias pateścat, nullaq; harum negligatur, quæ judicio de illa ferendo litet. Neq; enim, quam ab externi vulneris obtutu, contactu, aut ejus aliquali dilatatione, aut styli tentatorii intrusione sibi nonulli promittũt, exploratio læsionis profundiùs latentis conditionibus singulis manifestandis adæquata existit, sed fallax omnimodè ac suspecta deprehenditur, prout superiùs monitum. Ipsa verò hæc sectio suspensa ac provida maximè celebretur manu, ab illo, qui operationum anatomicarũ ignarus, vix expectanda: & qui dexteritate hac secandi destituti vulnera non rarò facere potiùs, quàm investigare, videntur. Ac eo ipso, dum Chirurgos nostrates huic negotio minus pares esse, novimus, vasa hinc inde, mẽbranas cerebri, ipsũq, cerebrũ, intestina, &c. per incuriam atq; imperitiam lacerantes ac perforantes; prudentioris Medici erit, propriis potiùs manibus talia administrare, quàm rudioribus his hominibus committere.

Quinto majore circumspectione opus est in puncturis illatis, quæ in partibus internis ob instrumenti perforantis apicem angustiorem seu acuminatã valdè sæpiùs eousq; cõnivent, aut minus lyncei atq; attenti Prosectoris oculos & manus facilè fugiant: adeòq; horum terminus ultimus sollicitè persequendus. In specie sclopeto facta vulnera indagine curatione opus habent, utpote quorum globuli miros & tortuosos adeò tractus utplurimum describunt, ut horum tendentias an fractuosas stupescat aliquando curiosior oculus, offendens ultimum globuli terminũ & interaneorum, quæ ille perforarat, læsionem plagæ externæ minus directo respondentẽ & inadæquatã maximè. Multa hujus observati possem tradere exempla ex pluribus subjectis ita interemptis: nisi unum vel alterum dictis comprobandis sufficere crederem.

Anno 1678. mense octobris, ad Requisitionem Quæstoris Sceudizensis, cadaver militis cujusdam globulo sclopetario interfecti, visitabam: qui globulus quamvis per rectã satis lineam thoracem penetrarat, dum prope papillã dextrã inter quintam & sextam costam pectus subierat, & dorsi idem latus inter septimam & octavam trajecerat, ita ut unam costam anticarum maximam partem, posticarũ omnimode, cõfregisset: miris nihilominus & tortuosis ictibus seu sub totidem refractionum ratione, diversa interanea, plagis thoracis externis haud æq; intermedia, simul lacerata cernebantur; inferior nempe pulmonis dextri lobus simplici, ast ãplo, Diaphragma duplici vulnere, itẽ epatis cõnexa & septo annexa pars, cuncta ratione à priore minus explicabilia. Pariter Anno 1687. mense Junii vocatus à Comissariis Serenissimi Ducis Martisburgensis inspexi cadaver juvenis, bombarbæ manuariæ globulis binis, hinc duplici vulnere, interfecti: quarum sphærularum unà per lumborum sinistrum, prope costam ossis Ilei, obliq; sursũ ad Hypochondrium ejusdem lateris conversa lienis faciem gibbam profundiùs laceraverat, hinc per Diaphragmatis ambitum carneum ac Pulmonum sinistrum lata in costarũ superiorum tertia figebatur; dum alter globulus Natium sinistram & musculos gluteos itidem obliq; sursum unà cũ Ilium osse & musculo Iliaco perforaverat, ita tamẽ ut hũc, sedulò quamvis inquirens, neutiquam, sed ramentum tantùm ejus exiguum, quasi laminatum, invenire potuerim. Quibus adjicio vulnus globulo sclopeti majoris 27. Jun. Anno 1706. Fœminæ Tauchensi illatum, qui summitatẽ humeri dextri, hujus musculos & superiorem costam ad cavitatẽ pectoris penetraverat, & in hac pulmonis dextri lobum superiorem superficialiter laceraverat, simul tamen arteriæ pulmonalis truncum unà cum lobo superiore sinistro & costa ejusdem lateris sinistri secunda perfregerat ac claviculã notabiliter cõquassaverat, tandẽ brachiũ sinistrũ ad humeri usq partem superiorem permearat.

Interim, lustrationis ejusmodi authoritati nihil derogabit, si per illam lethalitatis causa mediata vix semper evolvatur, & aliquando nos ad decernendum de illa urgeamur: modo de hujus effectu, seu causa mortis immediata certi reddamur, V. g. in casu, quo vasorum lymphaticorum lacerationes, propter horum teneritudinem, nec per industriam satis visitationem conspicuæ fiunt; comparet nihilominus lymphæ extravasatio notabilis, illarum necessaria atque immediata pedissequa. Simile quid de enormiore quoque cruoris ad ventrem hunc vel illum profusione seu collectione, vasorumq; evidentiore exinanitione aliquando judicare, sana ratio suadet: utut hæc horumque perforationes aut rupturæ, ob sui exilitatem, minus conspicuæ extiterint, annuẽte *Facultate nostrâ* in Responso 1692. mense Maji, & in alio, Anno 1707. mense Augusti, dato.

Quemadmodum nec de lethalitate ideo mox ambigendum, adeòque sectio ac lustratio Interaneorum, quasi minus necessaria, negligenda, quod violentiæ periculosioris illatæ nulla extrinsecus seu in habitu compareant signa. Quales casus dum crebriores, ita horum quoque diversos *Collegii Nostri Acta* suppeditant. V. g. Anno 1705. mense Julii Procurator Fisci Smalcaldensis ad illud deferebat, in cadavere fœminæ sex vel septem menses gravidæ, in agro reperto, Diaphragma manus longitudine dirruptum, absque ullo signo externæ percussionis, nisi levi dorsum versus rubedine, visum fuisse: unde Medicus ac Chirurgus, qui visitationi præerant, sibi & Judici persuaserint, non tam à percussione quadam externa, quàm per modum suffocationis seu aëris interceptione, ruptũ fuisse dictũ sepimentũ. Cui tamẽ respõdimus, Crepaturã hanc Diaphragmatis neutiquã

neutiquam ab aëris compressione, quin potius ab ictu externo evenisse, etsi nullum ejus vestigium extitisset: quod in illis præprimis contingat percussis, qui subitanea valdè, & ictibus ejusmodi mox superveniente morte intereunt, antequam sc. ex ruptis à percussione vasis capillaribus tantum sanguinis, quantum ad conspicuam suggillationem formandam, necessarium profundatur. Liceat mihi addere, in strangulatis, seu suspensis, me nunquam aliquid rupturæ in Diaphragmate observasse, nec memini ab aliis Prosectoribus talem visam fuisse: neque immensior pulmonum, aëre turgentium, inflatio ad Diaphragma rumpendum satis potens videtur, illorum compage atque texturâ teneriore, tenacius & compactum magis, quodque sub constitutione ejusmodi deorsum, sine ulla sui renitentia, explicatur, cedentibus ipsi promptissimè abdominis partibus continentibus cum contentis.

In hoc interim *Claro 5. sentent. §. homicid. Farinacio Consf.* 100. *num.* 17. *Zacchia* l. 5. *tit.* 2. *quæst.* 3. n. 2. 3. 4. *Carpzovio prax. crimin. part.* 1. *quæst.* 26. n. 4. aliisque Legum Interpretibus auscultandum, ne percussiones quas autopsia in se mortiferas testatur, propter aliam quandam causam, obitum percussi quæ forsan juvare vel accelerare poterat, supervenientem vel præexistentem, minus seu per accidens tantùm lethales arguamus v. g. si vulnerato nullus aut imperitus adhibitus fuerit Medicus vel Chirurgus, si neglecta in casu ejusmodi consueta & adæquata remedia, aut vulnerati pravum regimen accedat; verùm non obstantibus his vulnerantem per Leges de occiso teneri. Et locum tantum habet hujus generis exceptio, ubi læsio illata hujusve lethalitatis signa dubia: contra, ubi hæc certiora, ac vulnerato præsidia necessaria denegata.

Assertum hoc durum nimis videri poterat non frivolis tantùm Homicidarum Defensoribus, sed Medicis quoque & horum Collegiis incautioribus, minus pensitantibus, quod, quamvis, quæ per imperitiam neglecta censebantur, studiosiùs administrata fuerint, hæc nihilominus per ipsius plagæ conditionem, huic medendæ haud paria contigerint: quod imprimis cõprobant Collegii Nostri diversa. Ita v. g. 1702. mense Aprilis ad Christianum *Olzen*, Administratorem Jurisdictionis Grisaviensis *in Farnstedt*, & Mense Maji ejusdem anni ad Quæstorem Torgaviensem respondebat idem in puncto percussionum capitis per se lethalium, quas Patroni causarum nihilominus, ob medelam negligentiorem & remedia congrua posthabita, per accidens solummodo tamen aiebant, illas, his erroribus sc. non obstantibus, mortiferas per se pronunciando. Mense Junii similiter deponebat de triplici Epatis Ruptura, quam quidam Medicorum, per accidens tantùm lethalem redditam asseruerunt: non obstante plagam lustrantium judicio, à Facultate Nostra confirmato. Hoc ipso anno 1710. Mense Martii Zwickaliensibus simile quid rescribebatur circa capitis contusionem, cui remedia congrua pariter minus adhibita fuerant, eam, quia breviùs discesserat vulneratus, neque ante Sectionem cadaveris in subjecto adhuc vivo Calvariæ fractæ habitudinem exactiùs dignoscere, hinc Instrumenta Chirurgica secundum artem & cum fructu administrare licuerit, per se lethalem pronunciando.

Secus tamen in Lethalitate vulneris minus evidente, si errores obitum antecesserint, judicabatur, v. g. Mẽse Januarii 1706. ad Requisitionem Caroli *Friedebert* Bartholi, Dessaviensis, de capitis pariter percussione. Nẽpe, cum in hoc casu cruor extravasatus Calvariæ & duræ Meningi tantùm incubuerat, hic autem primis diebus per sanguinis missionem, cutis incisionem ac Trepanationem educi forsan valuerit, his neglectis læsionem illam, per accidens tantùm lethalem fore dicendam. Cujus etiã generis est Responsũ Anni ejusdẽ mẽsis Aprilis ad Lubecenses, de Calvariæ fœminæ fractura, hanc equidem difficilem atque periculosam valdè videri: quoniam nihilominus Percussa sine affectibus comatosis, convulsionibus, deliriis aliisque in simili casu frequentioribus, ad septimum diem commodè satis degerit, quantitas sanguinis extravasati exigua admodum, ac Chirurgus tardiùs accersitus fuerit, hîc in plagæ exploratione minus industrium se gesserit, neque sanguinis missionem, Epithemata aliaque hujus generis præsidia administrari, interim nulla partium læsarum in putrefactionem abierit, eam per se lethalem declarari vix posse.

Illegalem Inspectionem hincque vulneris Mortalitatem ancipitem reddere nonnulli satagunt, si, hoc quãvis gravi & in se lethali in aliquo membro viso, illa mox abrumpatur, ac cæterarum partium plus minus nobiliorum nulla simul fiat lustratio: num, fortè in harũ una alterave par ant potior mortis causa reperiatur? Verùm utut minimè diffitear, in ejusmodi nos aliquando incidere casus, ubi plures simul sectione indagare partes consultum atque necessarium: si nimirum læsionum plurium extrinsecus observentur vestigia, aut illarum percussas signa probabilia vel adstantes innuant; item si aliquam ex his morbo latente affectum, aliàs constet, ac lethalitas in una parte nondum evidens deprehendatur. In qualibus sanè cæterorum quoq ventrum interanea perquirere jubemur, ne aliquid eorum negligi videatur, quod Justitia exigit: sin verò nullum membrorum aliorum, sive ab extra, sive ab intra, læsorum compareat signum, Vulnus in illo, quod imprimis percussum novimus, verè lethale advertatur, prolixiore cæterorum viscerum evolutione minime opus; & legaliter ac secundum artem agit, qui talem haud suscipit, adstipulante hoc in passu Responso Facultatis dictæ duplici, Anni sc. 1685. mens. Decebris & 1706. mense Augusti; hujus circiter tenoris. Si in capite v. g. percussio mortifera cernatur, simul sedula & exquisita facta indagatione penes agnatos aliosque familiares de percussi valetudine pristina, nihil tamen morbi antecedanei hinc innotescat, minime illegalem dicendam esse inspectionem, quæ membri manifestè & lethaliter affecti tantùm rationem habuit, capitis v. g. posthabita thoracis ac abdominis apertura.

Mense Octobris 1708. Dominis Scabinis Lipsiensibus respondebatur, dum percutientis Promachus contra lethalitatem, à Medico & Chirurgo secantibus assertã, urgebat: quasi inspectio ab his Lege Artis non fuerit administrata, ideò, quod thoracem non simul aperuerint, in quo forsan alia internecionis causa, Cordis e. g. Polypus, fuerit reperta, innuente tale quid Dyspnœa non levi, qua defunctus olim pressus fuerit: eo ipso, quod ictus graviores in capite sustinuerit defunctus, spuma circa ejus os, Epylepsiæ gravioris nota, mox comparuerit, & mors brevi supervenerit, percussum non ex Paroxysmo asthmatico ac morbo pectoris latente, sed ictu capitis & commotione cerebri graviore, periisse. Circa capitis saltim Læsiones insigniores & cum vehementiore cerebri commotione factas, monendum, forsan non inutile fore his defunctorum thoracem ac abdomen simul cum capite aperire: si nimirum febrem ardentem valdè cum rigoribus erraticis, dolorem Hypochondriorum punctorium, item cervicis, summam spirandi difficultatem atque inquietudinem decumbentes passi fuerint. Utpote in qualium cadaveribus, Pleuram, Pulmones, Epar ac Lienem frequenter plus minus suppurata offendere, hincque percussionis gravitatem insuperabilem magis judicare licebit. Difficultatem equidem anhelitus *Pareus Libr.* 9. cap. 9. ac 10. propter impeditam facultatem animalem, quæ movendi virtutem à cerebro musculis thoracicis impertiri debebat, fieri opinatur: Verùm aliud docuit Modernos Observatores Experiẽtia, sc. Epatis, pulmonumq inflamatorũ symptomata, esse sphacelati cerebri productum.

Tandem verò per quamcumque demum causam vel errorem

errorem Medici & Chirurgi Depositio insufficiens aut imperfectior videatur, haud tamen semper tanti momenti existit; ut lethalitati, si quæ subest, omnem vim ac pondus subtrahat: modò per istam percussionis illatę conditio & circumstantiæ lethalitatem inferentes sufficienter ac perspicuè annotatę ac enarratæ fuerint. Secus, si ex rudiore ejusmodi visitatione de his minus constet, ex quibus nihilominus super lethalitate formari poterat ac debebat sententia. Prioris generis inconcinna Inspectio admittebatur à Facultate nostra Anno 1670. mense Novembris, facta in cadavere vulnerati Rustici à Pharmacopœo ac duobus Chirurgis satis ineptè ac imperitè deponentibus, Ligamenta sc. Pulmonum fuisse lacerata, Ventriculum cordis vulneratum haud nominantibus &c. Quod nihilominus plagam in Pulmone latitudinis binorum digitorum & in Ventriculo cordis profundam admodum adnotaverant iidem Prosectores aciei obtusioris, ac vulneratus tantùm non intra Nycthemerum obierat, læsio per se lethalis ab eodem Collegio pronunciabatur. Posterioris verò notæ, i. e. nullius planè ponderis ac autoritatis videbatur Relatio medica, à Causidico quodam Oppidi *Stadthagen* 1672. mense Junii transmissa, in qua inter alia hæc legebantur verba: *Cruor & Serum ad cavitatem thoracis copiosius profusa circa orificium ventriculi sinistrum & venæ circulum utrumque nervosum super diaphragmate hærebant. Post diuturniorem & solertiorem Visitationem cernebamus duo vulnuscula exiliora in ramis bifidis venæ cavæ descendentis sub corde ad utrumque latus Vertebræ, cui septima costa alligata est, disseminatis &c.* item, *In hoc tantùm pulmonum lobo, qui mediante Mediastino loco affecto annexus erat &c.* Unde Collegium respondebat: equidem percussionem hanc per se lethalem videri, ideò, quod multum sanguinis extravasatum, & vulneratus quinto mox die sub gravioribus symptomatis obierit; ex obscuriore nihilominus eadem Relatione nihil categorici de hoc casu decerni posse.

Interim hoc quoque attendi meretur, illos, qui pro Visitatoribus cadaverum cavillandis & Judice confundendo conquiruntur ac finguntur defectus aliquando parvi momenti existere, si artis fundamenta ponderentur; adeòque à Collegiis peritorum optimo jure rejici; qualium unum alterumve innuere, è re erit. Anni videlicet 1667. mense Februarii Arnurus quidam Wittebergensis de vulnere Hypocondrii sinistri, Ventriculi duplici, Epatis ac Mesenterii, cum insigniore cruoris ad abdomen profusione, litem movebat, num hoc jure lethale fuerit pronunciatum? & inter alias dubitandi rationes inspectionem illegalitatis accusabat ideò, quod cruoris extravasati quantitatem minus accuratè & non pondere determinarit, nec Symptomata Plagæ supervenientia cum vasis laceratis recensuerit Prosector: hincq; Collegium, cujus decisionem implorabat, in lethalitate determinanda dubium valdè reddebat. Cujus tamen indicia seu documenta satis evidentia exhibuerat ipsa Sectio, quã perstringebat iste Causidicus; ventriculum nimirum in fundo pariter ac prope orificium inferius; ac Epatis cavum non procul à vesicula fellea, perfossa, simulq́ enormē sanguinis profusionē. Ex quibus profectò phœnomenis vulnus hoc per se lethale fuisset dicendum, expirante imprimis vulnerato mox & vix horis novem elapsis: nec perpetuę necessitatis videtur; Symptomata supervenientia ac vasa læsa nominare, cruoremque statera ponderare. Similiter Anno 1701. à Stargandensi quodam Juris Practico Collegii nostri postulabatur judicium super vulnus abdominis, lethale à Medico atque Chirurgis declaratum, à Defensore nihilominus vulnerantis impugnatum, ideò, quod quamvis notabilis cruoris quantitas in ventris dicti cavitate fuerit visa, vasorū tamē laceratorū rami vel truncus minus aňotati, nec Intestini Ilei plagæ profunditas & latitudo circumscripta. Responsum autem ferebat: Etsi Judicium prosectorum omnibus numeris haud absolutum, videatur, dum vasa Mesenterii læsa num majora minorave fuerint, non determinarint, hoc nihilominus valdè suggillatum, & sanguinis profusi ingentem quantitatem dum annotarint, lethalitatis evidentem rationem eos reddidisse. Pariter licet in vulneris Ilei descriptione non adeò accuratos se gesserint iidem: eo ipso tamen, dum lacerationem dictorum vasorum, hincq́ enormiorem sanguinis profusionē intulisse, abundè constet: nec hanc negligentiorem Ilei sauciati lustrationem lethalitati evidenti derogare.

Cap. 2. *De Lethalitate Vulnerum in genere.*

LÆsionum verò harum percussionumve dum quædã Lethales, quędam non lethales, pronunciantur, ratione lethalitatis supponendum, eam prudentiores nō ex eventu deplorando tantùm concludere, neque omne vulnus, quod mortem pedissequam habet, mox cum vulgo mortale proclamare; sed quod reverà & ut tale, mortis insequentis causa extiterat, & quia non sanabile, mortem intulerat. Quippe quamvis non omnis plaga insanabilis simul atque necessariò lethalis sit, ac Lippis quoque & Tonsoribus de differentia inter vulnus insanabile ac lethale constet, proin à *Celso* non adeò congruè forsan mortiferum insanabile dicatur, dum ipsa experientia evincit, membrorum non tantum quorundam externorum, sed viscerum etiam, quædam vulnera, modò cum symptomatis plus minus molestis, modò sine his, vulneratis plures annos ac non rarò ad decrepitam usque ætatem manere, nullâ arte consolidari seu sanari posse. (Quatenus præter alios Scriptores *Platerus obs. p.* 880. de quodam Capitaneo, in abdomine sauciato, perhibet, hunc per multos annos incolumen satis, per fistulam, à vulnere intestini atque abdominis remanentem, stercus cum euphoria quotidie excrevisse. Pariter ex *Cornace & Jul. Alexandrino Schenckius* vulneris ventriculi, Rustico cuidam Bohemo venabulo illati, meminit, quod nullâ arte seu consilio consolidari poterat, id est, insanabile existebat, vulnerato nihilominus per plures annos superstite, & ventriculum ad lubitum per aperturam, à vulnere relictam, eluente seu evacuante.) Eo ipso tamen quod mortē inferēs vulnus propter sui insanabilitatem funestum existat, quia nullam medelam admittit, omne quidem mortiferum insanabile, non verò omne insanabile mortiferum, appellari potest, adeòq́ vulnerans non de morte, sed de vulnere tantùm, tenetur.

Quo proin de ratione, super vulnerum lethalitate judicandi, pleniùs constet, quia sicut in quibusvis casibus, ita in homicidio quoque, antequam corpus delicti, hujusque cunctæ circumstantiæ ac conditiones; imprimis verò, an occisus ex illata violentia seu percussione perierit, pateant, ICti pœnam mortis haud decernunt, ac ab ordinaria, si occisus non à vulnere, sed culpa Chirurgi, malo regimine, vel alia dē causa superveniente moriatur, reum absolvunt: illud vulnus lethale, mortale seu mortiferum asserunt, quod plus tēdit ad mortem, quàm ad salutem, & mortali vulnerē affectum dicunt, qui secundùm artis Medicæ regulas, seu cum tota peritia Hippocratis & Galeni, non, nisi cum magna difficultate, evadere potest. Neque enim confundenda sunt vulnera periculosa cum lethalibus, sed ex Chirurgicorum Medicorumque scriptis, horumque collatione, aut per ipsam experientiam supponi debet, vulnera non tantùm majora & penetrantia, sed interdū exilia ac superficialia satis, sæpiùs cum magno minoreve mortis periculo combinari, imò plagis levissimis tristes aliquando contingere eventus: multùm nihilominus ab his recedunt Lethalia seu Mortalia.

Quare primò solennis maximè penes Medicos æque ac Jurisperitos observatur distinctio inter vulnus *per se* & *per Accidens* lethale: quorum *illud* lethale καθ' ἐξοχὴν etiam dictum, sine ulterius causæ interventu mortem immediatè producit: *Per accidens* verò lethale seu indifferens audit, ex quo, ut tali, seu immediatè, nullus vulneratorum perit, sed percussi modo convalescũt, modo fatis cedunt, pro diversa nempe medentis industria ac peritia, ægri probo pravoque regimine & similibus circumstantiis, ut causis intermediis, ex vulnere non mortali aliquando mortale facientibus. Deinde per se lethale denuò deprehenditur vel *de necessitate* seu *simpliciter* & *absolutè*, item juxta *Hippocratem*, *maximè*, juxta *Guidonem de Cauliaco valdè*, vel *non necessariò*, sed *utplurimum* tantùm seu *frequentiùs*, tale. Ita ut illud dicatur, quod omnem medelam detrectat, ac semper brevique interimit; non necessariò verò vel utplurimum duntaxat lethale, cujus curatio utplurimum malè succedit, non tamen semper, aut tardiùs demum, interficit. Id est, potest aliquando plaga existere in se utplurimum lethalis, vulneratus nihilominus convalescere, quemadmodum alii morbi, tametsi sua natura utplurimum lethales sint, interdum & à quibusdam superantur: seu possibile est, vulneratum lethaliter, per singularem, ut communiter aiunt, corporis texturã, ac naturæ robur à vulnere liberari ac sanari, aliũ nihilominus ex morboso corporis apparatu, textura ejusdẽ teneriore &c. diem supremũ obire.

Frequentiùs equidem Τὸ *per se* & *absolutè* vel *de necessitate* lethale in Relationibus ac Judiciis à Magistratu postulatis, non tantùm Balneatores hujusq; generis homines rudiores, sed illi quoq; qui inter Medicos eruditos ac dogmaticos recenseri gestiunt, quinimò aliquando Peritorum Collegia, pro synonymis habent ac exscribunt, vulneriq; per accidens lethali opponunt: Quibus & ego in hoc subscribo, quod omne simpliciter ac necessariò lethale per se etiam tale dici queat ac debeat: minime tamen vice versa omne per se lethale simpliciter seu ἐξ ἀνάγκης tali pronunciar valet, ut ex antecedaneis elucescit. Haud operosum adeò mihi foret, diversa diversorum Collegiorũ hujus generis absona producere enunciata, quibus τὸ *simpliciter & absolute lethale* huic, quo d*per se lethale*, substituunt, seu unius ejusdemque generis ambo credunt, prius quoque *per accidens lethali* contradistingunt: quorum tamen autoritatem ne petulanter lacessere videar, curiosiorem Lectorem ad *P. Ammanni Praxin Vulnerum* tantùm ablego, in qua specimina hujus paradoxi plura reperiet. Sanè vulnus, *quod non absolutè seu simpliciter lethale* neutiquam mox *per accidens tale* dicendum, interim pro *per se* tali, vel quod mortis insequentis proxima vel immediata causa aliquando haberi postulat. Ac *per se lethale* modò *absolutè seu necessariò*, modò *non necessariò, sed frequentiùs aut utplurimum* tantùm, tale, prout monui, deprehẽditur. Id est notio *lethalitatis per se* non eo usque se restringi patitur, ut de nulla plaga ejusdem mẽbri & conditionis, ex qua unum alterumve aliquando eluctatum, sed omnes interiisse, novimus, prædicari queat: quin potius ab eo, quod utplurimum contingit & contingere experimur, cęteris paribus, argumentari conveniat. Proin, si dicendum, quod res est, quoniam justitię imprimis administrandæ ac homicidii puniendi causa Judex à Medicis sententiam super lethalitate rogat, Legislatores verò in delicti hujus pœna decernenda, inter vulnus necessariò & utplurimum mortale, differentiæ vix rationem habent, sed ordinaria pariter affici jubent illum, qui vulnere simpliciter seu ex necessitate lethali, ac qui utplurimum tantùm lethali, occiderat; (Quatenus utrumque horum vulnerum causa mortis insequentis proxima seu immediata existit, ipseque *Hippocrates* ex illis, quę *6. aphor.* 18. θανατώδεα seu lethalia pronuntiat, vesicæ sc. cerebri, cordis septi transversi &c. vulneribus 3. *Coac.* 387. μάλιστα ἀποθνήσκειν, i. e. ferè & utplurimum mori percussos, asserit.) Consultiùs forsan foret in Renunciationibus Anatomico-Chirurgicis distinctione hac, utpote per quam iniquis & minus conscientiosis homicidarum defensoribus disceptandi argumentum atque occasio suggeritur, & Judex non adeò perspicax, in sententiam injustam trahitur, supersedere, ac solummodo, an vulnus per se, an per accidens, mortale, disquirere atque enunciare.

Neque enim unum alterumve, rarissimè contingentium, exemplum, quo hunc aut illum, ex tali vel tali vulnere, aliquando convaluisse observamus, aut ab aliis observatum legimus, sufficit, quo minus, quæ sæpissimè, seu utplurimum mortales deprehenduntur, plagas in his, qui hinc moriuntur, per se tales appellemus: quatenus profectò res difficillima est, de binis duorum subjectorum, quorum unum evasit, alterum occubuit, vulneribus asserere, ambo hæc sibi omnimode & per cunctas circumstantias similia, seu specie eãdem, extitisse, & per consequens ejusdem eventus eadẽ pronunciare, ac causas diversas concipere licet, harumque forsan plures adhuc latent, cur ex illorum, plerumq desperatissimis, pauci nonnulli evadant. Mirabile & increbile est, quod *Galenus* 8. *de usu part. cap.* 10. & in *Hipp.* 6. *aphor.* 18. testatur, spectaculum, Smyrnensem Adolescentem, vulnere in alterum anteriorum cerebri ventriculorum majusculo accepto, solâ voluntate DEI, ut plerisque videbatur, sanatum fuisse: cui simile, quod *Theodoricus Chirurg. lib.* 2. *cap.* 2. refert, se Cellariũ vidisse, cui ventriculus cerebri posterior vulnere destructus fuerit, qui nihilominus restitutus prodierit. Quod Phœnomenon quamvis jure in dubium vocet *Guido de Cauliaco* l. a. vulnera nihilominus cerebri enormissima, cum ejusdem substantiæ perditione, sanata perhibet idem, & cum hoc *Brassavola in Hippocr.* 6. *aphor.* 18. *Fallopius de Curat. Vuln. cap.* 45. *Berengarius de fract. Cran.* 13. *Arcæus de Curand. Vulner. cap.* 6. *Coiter Obs. anat. Chir. p.* 111. & 112. *Pareus lib.* 9. *cap.* 9. *Hildanus cent.* 1. *obs.* 13. *Horstius lib.* 2. *obs.* 5. & 6. *Rhodius cent.* 1. *obs.* 31. & 32. *Glandorpius Spec. Chirur. obs.* 5. *Marchetti obs. med. chir.* 1. 2. & 3. *Jones Anglus*, in peculiari tractatu, *Wounds of the Brain proved curable*, ac præter hos *Symphorianus Campeius*, *Musa*, *H. Augenius*, *A. à Cruce* aliique infiniti. Pulmonum vulnera, quæ parum spei alebant, consolidata nihilominus fuisse ex *Platero obs. p.* 735. & 736. *Hildano Cent.* 2. *obs.* 32. *cent.* 3. *obs.* 36. & *epist.* 51. ac 52. *Horstio lib.* 3. *obs.* 13. *Foresto obs. chir. lib.* 6. *obs.* 4. *Valeriola lib.* 4. *obs.* 10. *Glandorpio l. a. obs.* 24. *Rhodio cent.* 2. *obs.* 5. *Lamswerde append. ad Scult. obs.* 43. *Pechlini Celeberrimi Historia Vuln. thorac.* item ex *Massa*, *Fallopio*, *Schenckio* &c. patet: egoq ante bienniũ in Nobili, sub papilla sinistra ita transfosso, ut ensis per dorsi superiorem partem, prope scapulæ os, prodierit, testor. Cordis vulnerũ nõ necessariò lethaliũ forsã pauciora existũt exempla, inter quę nihilominus memoratu dignum est, quod *Glãdorpius obs.* 33. refert, Patavii *Sanctorium* in maxima Studiosorum corona & cum summo hujus stupore cor cuniculi instrumento acuto perforasse, vivo nihilominus per multos menses animalculo.

Porrò ex plagis compagis Tracheæ cartilagineæ quasdam arte vel casu feliciter consolidatas perhibent Petr. *von der Stille*, *Pareus*, *Pigræus*, *Bartholinus ac Tulpius*, quibus observationẽ addo, cujus ante decenniũ, aut quod excurrit, ad me ab Amico trãscriptæ recordor. ubi quidã, propter delictũ in carcerẽ cõjectus, Novacula penes se recõdita, sũmitatem hujus canalis, proximè sub cartilagine annulari, transversim præciderat, ad hæmorrhagiã usq insigniorẽ, Lypothymiã, Aphoniã, Stertorẽ ac paucorũ tantùm verborũ emassitationẽ. Balneator imperitus, labia Tracheæ vulnerati haud adducens plagæ tantùm integumentorũ externorum curam gerebat: consolidescebat vulnus totũ brevi, sine gravioribus symptomatis, excerpta tussi sensim pariter

unius seu solitarii hujus salutaris eventus, utpote, juxta *Averrhoem*, Monstri naturam præ se ferentis, præ tot male succedentibus ac funestis casibus, majorem rationem habendam esse.

Neminem adeo præcipitis ingenii concipere possum, qui leviora partium externarum vulnera, quæ sæpe sponte aut sine ullo Chirurgico auxilio consolidantur, ideo pro lethalibus per se pronunciet, quod aliquando mortem inexpectatam & quasi præter omnem rationem intulerint; sed ejusmodi plagæ, non obstante uno vel altero casu tragico, qui fortuito contigerat, minus aut per accidens tantum lethalibus à quibusvis Prudentioribus accensentur. V.G. si quis ex infausta Odonragia pereat, quod rarioris equidem observationis est, aliquando nihilominus fieri solet. Anno sc. 1705. mense Maji tempore Nundinarum, in Foro nostro, Circumforaneus quidam Juveni robusto dentem ex maxillaribus extrahebat: qui intra paucas horas, propter supervenientem hinc enormiorem hæmorrhagiam, fatis cedebat: sine dubio, quod vel Operator, vel ægrotus, in illa cohibenda negligentior fuerit. Cujus generis Exemplū pariter è *Facultatis nostræ Actis* Anni 1701. Mense Junii mihi producere licebit, funesto nimirum eventu susceptæ hujus Chirurgiæ in fœmina: quæ tamen propter effracturam potius Maxillæ simul factam, non fluorem sanguinis, obierat. Cur non Vulnus ejusmodi lethale pronunciabimus, quo plures pereunt, unus tantum vel alter præter spem atque opinionem servatur? Deinde nec adeo evidens est, aut fieri unquam potest, an vulnus sanatum cum non sanato, quoad singula exacte simile, seu specie & omnimode idem fuerit, quin mens sagacior semper anceps relinquatur, an illud, quod accurate lustrare haud licebat, ratione latitudinis, profunditatis, vasorum fibrarumque lacerationis idem cum hoc, cujus conditiones in cadavere per autopsiam, quam accuratissime dignoscimus, quas in illo ex signis tantum, interdum satis fallacibus, auguramur, rarius penetramus.

E. de conditione Vulneris in reconvalescente nihil certi constat, adeoque nec de identitate seu conformitate hujus cum illo, quod in Dissectione Cadaveris cernitur, judicium exactum formari valet. Nec sequitur, Vulnus pectoris, cujus partes læsas ignoramus, aut leviter tantum auguramur, in Lentulo feliciter fuit sanatum, forsan quod levioris momenti extiterit; itaque nec insanabile seu non lethale erit in Fabio, cujus venam Azygos, pulmonalem, &c. transfossam autopsia manifestavit: quod saniori rationi & quotidianæ repugnat experientiæ. Per consequens frivole, ad minimum inepte, agunt, qui super Lethalitatem individualem sententia dum postulatur, terminis generalioribus se explicant, aut mox ab uno alterove Exemplo ad Subjectum quæstionis concludunt. Ita v. g. ubi disquiritur, an Titio inflicta Capitis fractura, ex qua secundo vel tertio die hic decessit, sit lethalis? Fracturas Calvariæ non omnes, nec omnibus mortem intulisse prolixo sermone perhibent, hincque nec Titii percussionem mortiferam, perperam ac posthabita circumstantiarum conformitate aut disparitate inferunt; seu quod vulnus pluribus quidem lethale, uni tamen vel alteri tantum salutare extitit, præsenti Individuo seu Titio minus quoque mortiferum appellandum fore, tædiose concludunt.

Pariter Ventriculi fundi vulnus exile, tantum tamen, per quod alimenta cruda aut semicocta, aliquot dies, cum singultu molestissimo, conatu vomendi ac Lipothymiis prodeunt, in Titio intra mensem solidatur: intra triduu verò simili vulnere, quoad circumstantias sensibiles cunctas, si singultū excipias, moritur Cajus, adeoq; tali, quod propter spasmodici hujus symptomatis absentiam, si non majoris, certe paris, expectationis videbatur. An Cajū E. ideo non per se mortifero vulnere occubuisse, dicamus, quod Titius superstes manserit, eadē ratione, imo inscitu singultus, gravius forsan vulneratus? nimirum, manifestante sc. sectione cadaveris, lateralem magis, quā anticam, fundi stomachi partem in hoc perfossam, simulque arteriam gastricam sinistram discissam. Quarum circumstantiarum prioris ratione plus contentorū ventriculi ad abdominis cavitatem, quam extra hanc, posterioris plus sanguinis ad idem abdomen fuisse rejectum, (de quibus phænomenis ante inspectionē haud constabat) deprehenditur: eas nihilominus Caji vulneri defuisse non immerito eousque ambigimus, donec, id est, nunquam, contrarium probetur. Item Sempronius contusionem capitis patitur insignem, cum depressione cranii enormiore, hæmorrhagia impetuosa satis, per vulnus æque ac aurem dextram apparente, sensuumque ac motus sublatione: post cranii elevationem tertio die factam, redit successive ad functiones pristinas anima sensitiva, compescitur fluxus sanguinis, & post quinque septimanas sanus egreditur vulneratus. Claudius cum simili calvariæ depressione & sub iisdem symptomatis, restituto pariter tempestive satis osse, quod subsederat, & hæmorrhagia cessante, septimo die cum stertore expirat: in cujus cadaveris ventriculis Cerebri multum sanguinis extravasati & putrilaginosi, à ramulo plexus choroidis rupto, cernitur. Proba tu eandē fuisse faciē internā contusionis Sempronio illatæ: aut si non, mihi dubitare liceat, illam talem fuisse.

Præterea quid obstat, quin certa ac individualis conformatio, plus minus frequens, occasioni existat, quo minus vulnus pluribus aliis mortiferum, alicui individuo salutare contingat? dum v. g. ex vulnere pulmonum in se satis gravi, ac utplurimum lethali, cujus pleuræ illi adnati, convalescit aliquis: quatenus in ejusmodi subjecto sanguis ex visceris vulnerati vasis profluus immediate magis per vulnus intercostale emanat, alias ad pectus deciduus, ac vel mole, vel putredine, organis vitalibus molestus ac exitiosus; & vulnus pulmonis, sibi in aliis subjectis relicti & liberioris, non adeo prompte coiens, musculorum intercostalium vulneri in hoc Individuo continuum, per cicatricem cum hoc communem facilius conglutinatur. Denique nonne præter causas ejusmodi salutarium in vulneribus mortiferis eventuum, ab *Hippocrate* recensitas, corporis nempe singularem puritatem & crasin laudabilem, virium robur præcellens, plusquam fidam atque diligentem Chirurgi curationem, optimamque vulnerati diætam, casus ejusmodi nobis aliquando concipiamus, quos imitari arti vix concessum, qui dabiles nihilominus existunt? Nonne v. g. fieri potest, ut particula quædam omenti aut pinguedinis intestini, ventriculi aut vasis cujusdam vulneri, alias lethali futuro, se fortuito insinuet, illique incuneata agglutinetur? pari forsan modo, ac in cadavere cujusdam Aurifabri, Anno 1672. die 13. Maji dissecti, hujus venæ Iliacæ internæ dextræ, prope insertionem hypogastricæ, vulneri particulam pinguedinis immersam mihi videre licuit, quod operculum sine dubio terminum vitæ, hujus generis vulneribus breviorē, ad decimum tertium diem, quo vulneratus demum moriebatur, distulerat. Hujus etiam generis fatum *Nobilis Rosencranzii* fuit, cujus ex literis *Bartholini* mentionem faciunt *Ephemerides Germ. Naturæ Curios. Ann.* 2. *obs.* 161. qui in crure sinistro vulneratus post enormissimā hæmorrhagiam aliquantum sedatam ad decimum quartum usque diem supervixerat: ideo ut sectio cadaveris manifestavit, quod arteriæ cruralis apertura infelix grumoso sanguine obturata fuerat, quæ universi sanguinis effluxum eousque inhibuerit, & mortem plerumque alias repentinam longius protraxerit. Similiter quid impedit, quo minus vulnus cavitatis aut visceris cujusdam interni, integumentis musculosis propinquius & magis contiguū cum horum plagæ labiis felicius cicatricetur? cum à brutorū vivorum sectionibus, v. g. pro extractione lienis, ligaturis vasorum biliariorum, exploratione succi pancrea-

pancreatici similibusque experimentis Anatomico-Physiologicis adornatis, viscera hæc vel illa peritoneo agglutinari, quotidie experiamur, si denuo post paucos plur.esve dies aperiatur animal.

Qualem coalitum fortuitum potissimam etiam suspicor causam, cur ventriculi fundi vulnera, frequentius equidem mortalia, aliquando nihilominus salutaria existant atque extiterint, si sc. partem hujus magis anticam & peritoneo musculisque contiguam, non lateralem, & à contiguitate ejusmodi alienam, afficiant; Imo forsan eadem ætiologia incisionis ventriculi, manu Chirurgi, pro extrahendo cultro, à Prusso ac Bohemo devorato, factæ, salutaris: potissimum cum vel magnetis, exterius admoti, vi, vel cultri ad exteriora vergentis, tendentia, ventriculi ambitus Epigastrii integumentis propius adductus, cum his promptius coire valuerit. Vulnera vesicę urinarię fundo inflicta olim necessario lethalia pronunciabant cuncti harum rerum Judices: postquam vero ex *Platero obs. p.* 850. *Kentmanno de Calcul. cap.* 11. *VVurzio Chirur. part.* 2. *cap.* 13. *Cattierio, obs. Borello, communicatarum* 4. *S. Pauli. Flor. Danic. part.* 2. *c.* 83. & *Cornelio Stalpart. van der VViel cent.* 1. *obs. rar.* 81. medii quoque ipsius corporis seu fundi vulnera sanata fuisse, innotuit, temperandum non nihil erit de his rigidius illud judicium, illaque non adeo absolute lethalia dici debent. Cujus equidem aliquando salutaris eventus causam non tantum conjicere licet in carnosam seu musculosam fundi ejusdem tunicam, non obstante, quod antecessores nostri eundem membranosum plane dixerint, sed potissimum in contiguitatem seu connexionem illam, quæ illius parti anticæ cum peritoneo ac musculis abdominis rectis atque pyramidalibus, si adfuerint, in homine intercedit, quibus coalescentibus simul callus inducitur vesicæ discissæ. Pulmonum vulneri, alias exitiali, eadem fortuna accidere posset, ut nimirum vulnerata horum portio spatio intercostali se insinuans vulneratum incolumem dimittat, musculis hujus per cicatricem communem agglutinata: cui meæ suspicioni favet, quod *Tulpius lib.* 2. *obs.* 17. de quodam refert, cui per vulnus thoracis erumpens ac propter putredinem supervenientem præcisa pulmonis fibra cum oris vulneris externi brevi firmiter coaluerat, ut sectio ejusdem subjecti, sexennium abhinc administrata, manifestavit. Imo quemadmodum ejusmodi salutares vulnerum lethalium eventus plerumque naturæ solius opera videntur: ita aliquando vicinitas organorum internorum læsorum cum integumentis communibus, facit, ut per futuram utrisque pariter communem vulnera illorum constringi & firmari queant, quod alias & per levem circumstantiarum mutationem fieri haud poterat. Comprobat hoc augurium post *Jacobum Ortheum* modo allegatus *Corn. Stalpart van der VViel cent.* 1. *obs.* 39. ubi vulnus ventriculi fundi cum vulnere musculorum acu & filo salutariter consutum perhibet. Christianus & prudens igitur Medicus ac Chirurgus, præeunte *Galeno*, locis superius, de vulneribus capitis præter opinionem salutaribus, adductis, *Pareo lib.* 9. *c.* 9. ac *Brunque Seidelio de morbis incurabilibus pag.* 19. potius & primario vitæ Autoris atque Conservatoris primi, seu DEI, beneplacito, benedictioni atque auxilio immediato, quam artis potentię seu beneficio insperatorum ejusmodi successuum, horumque causarum, nobis fortuitarum visarum, directionem adscribit, ac in acceptis refert: adeoque vulnera quoque illa, quæ maximam partem seu utplurimum Medicinæ vires & opem humanam superant, mortemque sibi terminum habent, per se lethalia proclamat, utpote non per medelam, quam Ars tradit, sed per propitium tantum Fatum seu per ἐυτυχίαν sanabilia, cujus agendi methodum cognoscere vel imitari nescit Medicus, utut sagacissimus. Per inductiones demum si non completas & absolutas, certe aliquales, hic sua format Theoremata atque Conclusiones, nunquam à singularibus paucis ad universalia; nedum singularia, argumentatur Medicus prudens.

Contra aliquando observamus Casus, ubi Vulnera natura sua & intuitu partis affectę vix lethalia per se dici poterant, nihilominus per certas circumstantias talia evadunt. Sit scil. Vulnus Arterię Brachialis aut Venæ Basilicæ, alias vix adeo difficulter sanabile, moritur nihilominus ex hæmorrhagia hujus extraordinaria pręcipiti intra quadrantis horæ spatium, antequam Chirurgus, qui deligationem necessariam præstet, quamvis mox vocatus, adesse possit, percussus. Circa qualem Casum ita me gererem, Vulnus equidem ratione Vasorum lęsorum, per quam hæc commode constringi seu constipari poterant, hinc suæ conditionis intrinsecæ, lethale per se vix censerem; intuitu nihilominus adynamiæ extrinsecæ seu circumstantiæ, quod, propter Chirurgi & medelæ indeclinabilem defectum, non licuerit tempestivè sanguinis effluxum enormiorem sistere, illud per se lethale dicere haud vererer, per Artem, ob fatale exiguum nimis, minus sanabile.

Supposita & asserta hoc modo Vulneris seu Læsionis per se ac per accidens lethalis formalitate dispari, disquirendum erit de prioris ætiologia: id est, cum superius dictum fuerit, illam immediate, seu, ut talem, mortem inferre, investigare decet, quando & sub quarum functionum frustratione tale quid præstet? Quod dum annitor, ex Physiologicis repeto, Motum fluidorum universalium & solidas partes vitalitate immediate actuantium, sanguinis sc. & lymphæ, esse duplicem, intestinum & localem: per consequens quæcunque Percussiones, Vulnera &c. aut alterutrum, aut utrumque horum eousque turbant, ut vita totius extinguatur, mortifera per se erunt appellanda. Quæ violentiæ externæ motui fluidorum vitalium obicem ponunt, hoc aut immediate magis & subitaneo impetu præstant, sc. cunctæ illæ, quæ organa respiratoria horumque functionem enormiter lædunt, v. g. vulnera & percussiones diaphragmatis pulmonumque ac asperę arteriæ obturationes, constrictiones ac læsiones quævis inemendabiles: aut mediate demum ac lente magis perimunt, sc. vulnera organorum, Chyli productioni, exaltationi ac dispensationi ministrantium, ventriculi nempe, intestinorum, vasorum lacteorum, folliculi fellis &c. Pariter quæ vulnera motum fluidorum localem interpellant, iterum duplicis generis sunt, quatenus vel cor cum canali sanguinis & lymphæ, i. e. cum vasis & visceribus ipsis appensis, sc. epate pulmonibus, liene, renibus, utero &c. tanquam antliam primariam ac canales adæquatos, immediate lacerant, quæ omnium brevissime ac certissime enecant: vel cerebro atque nervoso generi, utpote vim moventem omnibus membris suggerentibus, illata, hinc cordi quoque potentiam motivam subtrahentia, pulsum intercipiunt ac tollunt. Denique utrumque motum simul lædit quorumvis totius corporis organorum continuitas soluta, cujus occasione fluida tam nutritia, quam excrementitia, sc. chylus, sanguis, fæces alvi, urina &c. extra receptacula & canales suos in hanc vel illam cavitatem, sibi incongruam, elabuntur, ibique congesta aut mole, aut putredine, Exagitationi sanguinis vitali, ejusve Circulationi moras nectunt, sc. in capite, thorace atque abdomine.

Per consequens non lethale, seu aliquando per accidens tantum tale, dicendum erit vulnus, quod neutrum horum sanguinis motuum vel functiones ei litantes ad interitum usque vulnerati turbat: aut si exin mori contingat hunc, aliis intermediis de causis hoc fiat, negligentia v. g. Chirurgi, temulentia illius, Veneris usu intempestivo &c.

CAP.

Cap. 3. *De deponendi ratione seu modo.*

QUalia vulnera eisque cognatas violentias ut pressius dignoscamus, perpendendæ erunt horum circumstantiæ atque adjuncta, & quidem tam intrinseca, quàm extrinseca. Intrinseca voco, quæ ipsam plagã affectam spectant, huicque inhærent, sc. (1) hujus texturam, situm & actionem, (2) vulneris magnitudinem, (3) ejusdem qualitatem ac (4) figuram: Extrinseca, quæ extra percussionem hujusve subjectum imediatum sunt; & quidem iterùm vel necessaria, vel contingentia. Necessaria denuò distinguere conveniet in res naturales, quæ sunt textura seu dispositio corporis nativa & ætas: præternaturales, nempe morbi antecedanei ac combinati: & non naturalem, sc. loci atmosphæram. Contingentia verò observantur Symptomata, ægri diæta & Chirurgi seu Medici peritia ac solertia diversa. Pro quarum circumstantiarum habitudine varia modo lethale, modo non & per accidens lethale, pronunciandum erit vulnus.

In parte læsa primò ponderanda est texturæ, & quidem non tam organicæ, quàm similaris communiter dictæ, seu substantiæ, disparitas, ratione cujus membranosarum ac tendinosarum partium vulnera, quia difficulter coalescunt, mox vehementiùs inflammantur ac convulsiones concitant, plus semper periculi involvunt, hinc, cæteris paribus, præ carnositatum continuitate, soluta lethalia magis dicuntur, v. g. tendinosæ diaphragmatis parti inflicta, quæ carnosæ plagis insanabilia magis observantur. Quando enim *Sennertus prax. lib. 2. part. 2. cap. 15. & lib. 5, part. 4. cap. 3.* circulo hoc nerveo aliquando perfosso sanatum nihilominus ac restitutum fuisse vulneratum, asserit, ex prava & Scholis à superiorum temporum Prosectoribus obtrusa hypothesi agere videtur, centrum diaphragmatis, per quod Oesophagus fertur, tendineum docentibus: cùm nihilominus carneum hoc esse, id est superiorem musculi sui inferioris partem involvere, nec tyrones nostros nunc lateat. Quem quidem locum illũ innuere inde opinor, quod ventriculum simul per idẽ vulnus ad thoracem raptum ac translocatum perhibeat, qui huic parti ratione Oesophagi vicinior existit. Prętereà non per se coaluisse hoc vulnus, sive carneæ, sive tendineæ, septi transversi portioni illatum, id evincit, quod intestini pars cum ventriculo transiens hoc obturarit, simulque, quo minus diaphragma ratione hujus foraminis respirationem turbarit, impediverit. Manent E. ac manebunt diaphragmatis tendineæ substantiæ vulnera, nisi forsan exilissima, inconsolidabilia, hinc ratione inflammationis metuendę ac actionis respiratoriæ turbatæ lethalia.

Propter eandem texturam nerveam seu membraneam plagæ ventriculi, Intestinorum ac Vesicæ urinariæ pariter vix unquam coalescunt, hincque periculosissimæ & utplurimum lethales existunt: dum vel ratione inflammationis ac sphaceli, vel dolorum ac spasmorum supervenientium, vel contentorum ad abdominis cavum depositorum, mortem inferunt. Non cunctæ equidem organorum horum tunicæ membraneæ sunt, sed instruuntur insimul involucro carneo seu musculoso, ratione cujus eorum coalescendi difficultas forsan aliquantum temperatur: quia nihilominus hoc quicquid musculosi exile ac tenue satis, & vel à contentis, vel à motu illorum peristaltico nunquam non tenduntur atque exagitantur hęc receptacula, parum spei de eorum coalitu superest, prout Sect. 2. constabit.

Deinde partis affectæ intuitu consolidationem vulneris difficiliorem & interdum impossibilem reddit illius situs, ratione cujus labia sibi adducere aut ulla arte illud obturare minime licet. Hinc vix adeò paradoxum videri poterit, vulneratum intestinum extra abdominis plagam propendendens promptiùs consolidari, quàm latitans: quatenus huic nihil remedii, synthesi faventis, applicari, multò minùs censui, valet; quale quid nihilominus cum successu in prominente præstari, plurimi Chirurgorum testantur, ex quibus unicum allegare sufficiet *Glandorpium Specul. Chir. Obs.* 33. Ejusdem circumstantiæ intuitu fit, ut vasorum sanguiferorum satis amplorum lacerationes in externis partibus per se rarò aliquid periculi portendant, parium nihilominus aut minorum quoque, profundiùs reconditorum, hæmorrhagiæ animam eluant: utpote quibus nec medicamina stegnotica, nec ligaturas, nec ferrum ignitum admovere possumus, vasis aliàs obturandis quàm oportuna remedia. Recordor equidem ex Facultatis Nostræ Actis 1678. Mens. Octobr. quem vasorum gastricorum, cum splenicis ramis communicantium, & vasorum breviũ vulnera aliquando ideò per accidens tantùm lethalia pronunciasse, quod ipsum Lienis viscus, cui majora obtigerint vasa, sine vitæ periculo canibus exscindi queat & frequentiùs extrahatur. Cui tamen phœnomeno, aut inde potius formatæ consequentiæ, declinandæ ex Responso ad hunc casum inserviet, non vasorum amputationem, ut talem, sed ex hac necessariò contingentem hæmorrhagiam, nulla arte compescibilem, mortis in ejusmodi casibus causam existere: proin quod extirpatio lienis sine vitæ dispendio administretur, causa est hæmorrhagia, per ligaturam vasorum præparatoriam cõgruam inhibita, qualem casu vulnerans haud præmeditatur, Chirurgo verò denegatur eadem.

Refero huc lacerationes Vasorum Intercostalium, Mediastini & Mammariorum, Sterni superficiei arctiùs annexorum, quę unà cum Venæ Azigos vulneribus ideò imprimis Lethalitatem patrant, quod sub costis, Sterno ac in profundo thoracis recondita Chirurgiam necessariam renuant, hinc sanguinem ad cavum hujus copiosiùs profundendo pulsui ac respirationi vitali moras lethales nectant. Equidem huic cruoris Collectioni gravativę remedio traditur vulneris thoracis tempestiva dilatatio, per quam ille educatur: rarissimè tamen effectum speratum & salutarem pręstat hæc Chirurgia, dum quidem fatale fati ad aliquot dies retardat, minime tamen hoc omnimodè declinat. Id est, cruoris quidem extravasati aliquid eduxit, vulnera tamen vasorum, quæ ejusdem quotidie plus profundunt, haud obturat, vel obturare concedit, donec tandem cum sanguine ipsa vitalitas deficiat. Exempla infaustæ ejusmodi læsionis frequentiora obtingunt, inter quæ spectatioris momenti forsan erit, quod *Gallus ille anonymus, l'art de faire les rapports*, quem in Præfatione hujus Opusculi nominavi, p. 139. & 140. recenset. Vulnerabatur nempe quidam in thoracis latere sinistro inter quartam & quintam costarum spuriarum, cui ut mederetur, & cruorem, quem ad cavũ thoracis depositum ex symptomatis ominabatur, Chirurgus, comodè subtraheret, plagam dilatabat: expirabat nihilominus sub febre cum horripilationibus irregularibus, summâ spirandi difficultate, tussi enormiore & alvo laxiore percussus. In cujus cadavere aperto arteria intercostalis spatii indigitati cum vena Azigos læsa & thoracis cavum multo sanguine scatens offendebatur: adeòq́ vulnus istud solà & unica mortis causa in hoc subjecto asserebatur.

Cui subnecto, quod ante quadriennium Anno sc. 1706. 26. Maji mihi observare contingebat in juvene, qui in postica ac sinistra thoracis parte, prope Spinam, intra octavam & nonam Costam vulnere exili & inter cutem atq́ musculos obliquo, penetrante verò, trajectus, nihil tamẽ aëris, quod vulneribus ejusmodi aliàs solenne, toto decubitus tempore, per hoc parum admodũ sanguinis, emittebat, quinimò in Pleura cadaveris dissecti apertura vix ulla, nisi prolixiore lustratione, demũ reperiri vale-

valebat, cavum interim thoracis sinistrum multo sanguine ichoroso, cum intermixta sanie scatebat, ac ramus intercostalis arteriosus spatii indigitati maximam partem discissus cernebatur: ex cujus vulnere sine dubio tantùm cruoris & ex vase lymphatico socio lymphę profluxerat. Pleura inflammata, pulmo insigniter corrugatus, Pericardium cordi hinc inde agglutinatum, & inter hujus Auriculam dextram dictamque involucrum apostema notabile, pure cocto turgidum, Diaphragmatis verò superficies, qua thoracem spectat, inflammata ac evidenter incrassata, nullibi illud perfossum, deprehendebantur: cùm nihilominus abdomen apertum notabilem seri quantitatem, purè interfluam, monstraret: imprimis multum ejus intra Diaphragma, Ventriculum, Epar, Lienem & intestinorum hinc inde inflammatorum, plerasque convolutiones, ac in pelvi renis sinistri & hypogastrii cernebatur. Quale vulnus vel ideò in se lethale pronunciabam, quòd ratione suæ angustiæ & tortuositatis sanguinis & seri extravasati eductionem haud concesserit, nec illud ad cavum thoracis, cùm nihil aëris transmitteret, penetrare, nec vasa læsa, augurari licuerit. Præsertim dum dyspnœa post tertium diem aliquandiu cessabat, nec æger interrogatus aliquid fluctuationis in pectore sentiebat innuebatve. Purulentam verò materiam minime ex thorace vulnerato ad abdomen defluxisse, sed ex totidem hujus apostematibus, propter circulationem impeditam & inflammationes hinc inde enatas, promanasse, hæcq lethalitatē juvasse, rebar in percusso, qui decimo quinto die animam exhalabat.

De cætero attendi meretur; vasorum internorum (thoracis v. g. & abdominis) laceratorum non illa tantùm, quę conspicua magis & per nomenclaturas determinatas famosiora, v. g. venam Azigos, vasa mammaria, arteriam hepaticam, vasa brevia &c. sed exiliora quoque & tantùm non anonymos eorum surculos, si lacerati conspicuam magis quantitatem cruoris profuderint, lethalitatis autores existere: sub hac tamen conditione, ut multùm mox ejus & confertim eructent; nam qui lento magis demum motu ab his stillat, dubium relinquit Medicum, de lethalitate qui judicare debet, dum tantillum ejus, quod pedetentim promanat, à natura facilè discuti aut quocumque modo subigi posse videtur. Hinc in casu ejusmodi decernendo advertendum, num vulneratus brevi à percussione decesserit, aut graviora mox perpessus fuerit symptomata: sicque aut majora, aut minorum plura, vasa sanguine manarint; quales circumstantiæ si deficiunt, lethalitatem dubiam relinquunt.

Neque tantùm cavitatum ac viscerum arteriæ atque venæ laceratæ ob situs incommoditatem, medelam detrectant, hinc mortales hęmorrhagias movent, sed externarum quoque partium vasa frequentiùs eundem effectum experiuntur: unde miror, cur *Suevus de Inspect. Vuln. part.* 2. c. 5. vulnera venarum jugularium majora ac profunda, quę nihilominus *Hippocrates* 2. *prædict.* 9. τρώματα θανατωδέστερα & *Celsus lib.* 2. *cap.* 26. *illum servari non posse* ait *cui circa fauces venæ vel arteriæ grandes sunt præcisæ*, per accidens tantùm mortalia fieri sibi persuadeat? Contrarii ipsum monere poterant *Forestus* ac *Hildanus*, quos ipsemet in eodem capite allegat, quorum *ille lib.* 6. *obs. chir.* 4. *in Schol.* inquit: *Jugulares venæ* (*quas & organicas vocant*) *grandi vulnere percussæ, ægrè & rarò curationem recipiunt, tum quòd larga profusione sanguinis hominem vitali spiritu exhauriunt, tum quòd ligaturam propter imminens suffocationis periculum sustinere non possunt. Hic* verò *cent.* 4. *obs.* 2. exemplo satis tragico *Hippocratis* ac *Celsi* judicium firmat. Pariter ejusdem situs incongrui ratione artuum quædam vasa majora sauciata exiguam, aut nullam, salutis spē concedunt v. g. rami axillares & crurales, tam arteriosi, quàm venosi, sc. sub alis & prope inguina lacerata seu discissa: ita quidem ut ejusmodi vulnerati utplurimum brevi, antequam Chirurgus advocetur, cum sanguine animam deponant.

Vasorum axillarium lacerationis eventum funestum maximè ipsemet testor, requisitus Anno 1678. die 12. Januarii à Nobilissima Vidua Widemaniana ad pagum Drachenau, pro administranda inspectione cujusdam Studiosi, quem securis, alæ dextrę injecta, intra dimidium horulæ sub hæmorrhagia enormissima è vivis sustulerat: cujus vena axillaris per transversum & omnimode discissa, hincque ejus summitas ad spatium usq subclavium pectoris retracta, cernebatur. Cruralium verò seu Iliacorum externorum ramorum vulnerum lethalitatem comprobabit Casus, Anno 1670. Facultatis nostrę sententię expositus. Nimirum femur dextrum, mox sub inguine, ad abdominis usque cavitatem (in qua tamen nihil læsum reperiebatur) ensis angusto satis vulnere penetraverat, & glandulam inguinalem cum ramo Iliaco externo, arterioso æquè ac venoso, dissecuerat, ut miser intra quadrantis horulæ spatium animā exhalaverit: quale quidem vulnus à Collegio per se & absolutè lethale, ideò quod ratione loci atque angustiæ auxilia cuncta respuerit, pronunciabatur. Simile huic erat vulnus femoris, Anno 1682. d. 24. Maji & 25. Novembr. à Collegio Nostro ventilatum, quo prope inguen, cultro latiore per musculum lividum illato, arteria muscula interna, circa sui ex crurali exortum cum ipsius trunci parte, unde hæc exurgebat, lacerata: cui enormior superveniens hæmorrhagia ideò mortifera contingebat, quod illud abdomini propinquius remedia necessaria haud admiserit. Anno 1685. d. 2. Julii Plaga globulis Sclopeti minoribus, *Vogel-Schrot*, Arteriæ & venæ crurali simul inflicta, ex qua fauciatus intra pauca momenta intererat, à nobis pariter per se lethalis pronunciabatur ob situm imprimis vasorum læsorum profundiorem, qui medelā necessariam interpellabat: Porrò Anno 1679. d. 15. Februarii arteria & vena cruralis non procul ab inguine rescissę, propter sui situm profundiorem lethaliter læsæ dicebantur. Quale judicium eadem Facultas de plaga venæ cruralis, inguini viciniore, & ex qua intra horulę quadrantem spiritum cum sanguine profundebat percussus, Anno 1695. d. 12. Junii ferebat. Cujus generis etiam erat Responsum ejusdem ad Senatum Colbergensem Añō 1706. d. 25. Januarii de vulnere arterię cruralis prope coxā, sc. ob eādē rationē hincq impetuosius cruoris profluviū illud per se lethale edifferebat eadē. Tandē An. 1707. d. 20. Febr. Nostrā rogabat sentētiā quidā Archtes Dicæophilus Ienēsis super similē arteriæ & venæ cruralis plagā, quę intra horulę dimidiū percusū interfecerat, motui corporis im̄oderatiori supervenientem sanguinis profusionē inprimis adscribēs. Cui respōdebatur, illā, quā im̄ediatè patraverat, hæmorrhagiā utique, & nō obstante illo corporis motu, per se existere lethalem.

Assertum hoc communiter labefactare satagunt. 1. quod aliquando femora cum vasis per infortunium tollantur, vulnera nihilominus hæc feliciter sanentur; quale argumentum Medicus quidam 1687. d. 12. Febr. in casu Facultatis Nostrę censuræ paulò post exposito, adducebat, ac globulis binis, Sclopeto elisis, Musculum Femoris sinistri fascialem, arteriam musculam internā, musculum tricipitem, venam cruralem totam & arteriæ ejusdē nominis medietatem laceratas minimè per se, verùm per accidens tantùm, lethaliter vulneratas aiebat: 2. quod crus hunc in modum sauciatum per ἀκρωτηριασμὸν tolli, hoc facto vasa discissa commodè satis occludi ac hæmorrhagia mortifera compesci queat. Quibus tamen regero, primò detruncatis per infortunium femoribus cum suis vasis, hæc per εὐτυχίαν potiùs, quàm artem, aliquando coaluisse; ideò rariùs contingentibus ejusmodi observationem fore accensendam. Deinde Extirpationem cruris longius supra genu & inguini propius, propter ingens valdè Hæmorrhagiæ periculum, nunquā forsan molimur: aut si in parte genu viciniore hoc fieri debeat, nō

nisi

nisi apparatu pro præcipiti hæmorrhagia avertenda, necessario instructi Operatione aggredimur, sicq; Chirurgia hæc aliquando felicius succedit. Aliter longe se res habet, ubi casu & minus præmeditate Vasa cruralia majora, prope sui ex Abdomine elapsum fuerint læsa: dum vix ullo experimento constat, talia unquam fuisse consolidata, ubi sc. necessaria ejusmodi casui, qui nullam moram concedit, remedia deficiunt. Et supponunt ejusmodi Homicidarum inepti Defensores conditionem minus possibilē i. e. *Wenn dem* Vulnerato *bald Hülffe geschehen wäre*: Forsan aptius dicerent: *Hülffe geschehen können zc.* Proin alia videbatur conditio vulneris femoris sinistri, quod quidam Servo suo eodem anno cæsim inflixerat, & cujus relationem pariter ac antecedaneam Jena transmissam in Faculte ventilatam memini. Principium hujus incisionis punctura superius descripta uncias quinque vel sex profundius observabatur, à quo oblique per femur versus genu ad spithamæ longitudinem descendebat, musculos intermedios profundius cum arteriis ac venis majoribus lacerans, ac tantæ latitudinis, ut ejus Labia vix palma tegi potuerint, & ex qua læsus intra paucas horas obierat. Hanc non per se, sed per accidens tantum, lethalem judicavimus, quoniam ejusmodi in loco tantæque amplitudinis extiterat, ubi vasis tam deligandis, quam per adstringentia aut cauteria occludendis, commode satis præsto esse potuerit Chirurgus, modo peritiori commissus fuisset, per septem horas (tempore hyberno) sub cœlo rigidiore ad deliquium usque animi vulneratus relictus.

Nihil interim impedit, quo minus arteriarum, profundius seu sub musculis, per brachium ac femur descendentium vulnera quoque summe periculosis annumeremus: si sc. circumstantia quædam obstet, quo minus puncturæ arteriæ locum accurate augurari ac dignoscere, multo minus adæquata remedia commode admovere, liceat; de quo me monet sequens casus. Vocabar nempe Anno 1686. d. 13. Septembris ad Juvenem Equitem, Stirpis hujus Provinciæ generosissimæ, die tertio ejusdem mensis vulneratum. Observabam puncturam in brachii dextri interiore parte, paulo supra carpum, quæ ad cubiti flexuram sub cute ac musculis ferebatur, & quæ bis ab ipsa perforatione sanguinem cum pulsu ac impetuosius fuderat: brachium vero ad summum usque humerum totum tumidum, ex livido rubicundum, ac circa cubitum præprimis, maxime dolens, donec post triduum, ni fallor, in flexura illius ruptura contingeret, per quam cum brachii detumescentia ac febris reliquorumque symptomatum remissione excernebantur per aliquot dies cruenta ac saniosa. Stabat etiam huc usque à primo meo accessu sanguis ad vigesimum septimum Septembris, quo & postmodum aliquoties, primo post biduum, hinc quatuordecim, ac tandem post octodecim demum dies, recrudescebat illius fluor impetuosissimus, per vulnus pariter carpi ac flexuræ cubiti ulcus: donec post plures ejusdem profusiones nono Novembris corpus exsangue & exsuccum relinqueret anima beata. In cadaveris sectione vulnus cernebatur, à carpi summitate intra integumenta externa ascendens, & arteriæ brachialis ramum externum, statim ac truncum elabitur, penetrans, illumque ad unciæ dimidiæ longitudinem findens, quæ fissura callo solidiore munita existebat. De lethalitate hujus quid censuerim, Acta Publica loquuntur: in præsentiarum innuere sufficiat difficultatem medendi huic hæmorrhagiæ deplorandæ: quæ in illo præprimis videbatur consistere, quod vulnus arteriæ sanguinem fundentis à vulnere externo adeo distaret, ut ejus situs determinari haud potuerit; amputationem vero brachii, quam nasuti quidam, haud interrogati, sero nimis commendare sustinebant, detrectarit vulneratus.

Quamvis haud abnuam, in ejusmodi similive Casu si Aneurisma evidens supervenerit, huic tempestive mederi sicque Lethalitatem forte imminentem declinari posse: præeunte *Chirurgo* illo *anonymo Gallo*, cujus bis, ni fallor, jamdum mentionem feci, *l'art de faire des raports*. p. 181. in Casu sequ. Vir quidam in Brachii inferiore seu Carpi interiore parte punctura passus erat, quæ inter Flexores digitorum binos ad Cubiti flexuram tendebat, ibique Arteriam Basilicæ venę sociam perforarat, hincque Aneurisma paratat, quod ex conspicuo satis tumore & pulsatione profundiore mox innotescebat, intumescente ac dolente valde brachio inferiore cum manu & combinata febre vulneraria. Chirurgus prior incisionem Vulneris ab hujus ostio ad terminum usque intendebat: cui tamen Noster unam alteramve ejusmodi longioris incisionis regerebat difficultatem, simulque solius Aneurismatis Chirurgiam solennem commendabat atque administrabat.

Sed, quod potissimum lethalia maxime reddit vulnera, Organorum sauciatorum actio seu usus cessans est, utpote per cujus integritatem solam, non autem à situ, substantia, partium integrantium apparatu, seu conformatione, (ut communiter fabulantur) membrorum alia præ aliis nobilitantur. Id est, quæ horum plus minus ad vitam perpetuandam necessaria sunt, eorum vulnera etiam mortem inferunt, frustratis nimirum hinc illorum functionibus, cordis v. g. pulmonum, vasorum sanguifluorum majorum, cerebri, ventriculi &c. de quibus jamdum superius dictum, ac inferius dicetur: Ita quidem ut, quam à partium natura *F. Fidelis de renunc. lib.* 4. *s.* 2. *cap.* 2. *& Zacchias lib.* 5. *tit.* 2. *quæst.* 2. *&* 6. Lethalitatis præsumptionē potissimā seu primariam maxime peti aiunt, ad actionem potius hujusve necessitatem videatur restringenda. Adeoque vulnera cerebri, cordis, pulmonum, ventriculi &c. utpote quorum magna pro vita conservanda necessitas, vel necessario & absolute, vel utplurimum, lethalia observantur, si sc. talia fuerint, quæ illorum functiones enormius turbent; quod periculum notabiliter intenditur, si pars vulnerata in perpetuo motu existens, ob quietem denegatam consolidescere nequeat, v. g. pulmones ac diaphragma.

Neque tamen partis vulneratæ tantum habitudo ac necessitas semper pro lethalitate decernenda sufficit, quasi, juxta *Zacchiam*, hęc circumstantia sola per se, reliquæ, nempe vulneris magnitudo, qualitas &c. per accidens saltem, eandem determinent, id est, majus minusve duntaxat periculum reddant, mortemque modo accelerent, modo procrastinent: sed præter illā Quantitas quoque est, quæ, prout variat, sic unius ejusdemque mēbri in duobus subjectis vulnus lethale & non lethale facit, quatenus sc. præter longitudinem ac latitudinem, profunditatem complectitur, quod ab *Hippocrate* 6. *aph.* 18. per vocabulum *discissa* significari *Galenus* probabiliter satis asserit. Vulnus Ventriculi e. g. & intestinorum exile aliquando sanatur, majus semper pessundat: ex superficiali Cerebri, Epatis, Pulmonum &c. plaga multi evadunt, pereunt ex profundiore tantum non omnes: pariter vulnusculum Vesicæ urinariæ exiguum aliquando sine damno singulari sustineri posse, suadet, quod adacta in vesicam canis vivi acicula tenuiore, hacque denuo extracta, nihil hinc urinæ prodeat, profluat tamen ex apertura ejusdē paulo majore. Imo ubi de Medullę spinalis vulnere deponendum *Fallopius de Vulnerib. particul. cap.* 11. ante omnia dispicere jubet, an hæc in una tantum sui parte puncta vel cęsim sauciata, an ex toto & per transversum discissa, compareat? ita quidem, ut si totus vel maximam partem laceratus existat funis hic, omnimode desperandum sit, sin alteruter tantum ejus tractus, v. g. punctim, læsus, aliquid adhuc spei restitet. Quamvis hanc quoque exilem reddat Experi-

 mentum,

mentum, quod *Sennert. prax. l.* 5. *part.* 4. *cap.* 3. innuit, olim Lugduni Batavorum, pro enecandis sine magno strepitu canibus, exercitiis anatomicis destinatis, frequêtius à nobis administratum: Sc. dum acus major (similéve instrumentum subtilius inter os occipitis & vertebrarum cervicis primam, aut inter primam & secundam, ad eorū Medullā spinalem profundius dimittitur, post aliquot concussiones epilepticas illi mox attoniti cōcidunt, in puncto quamvis exili vulnerata hac. Cui accedit, quod quemadmodum vulnera nervorum pleraque, imprimis puncturæ exiliores, mox ipsum cerebrū in consensum trahunt, & convulsionibus universalibus totum corpus concutiunt, idem forsan metuendum sit, de medullę spinalis caudice, non latius, modo profundius, sauciato, tanquam trunco omnium nervorum communi & cum cerebro immediate magis conspirante.

Atque observare contingit, quarundam partium vulnera, quo exiliora seu angustiora, eo periculosiora, existere, ac interdum per solam hanc circumstantiam, nisi manu Chirurgi tempestive dilatentur, lethalia evadere: quatenus v. g. ex *Galeno artis medic. cap.* 92. cuilibet Chirurgorum constat, nervorum læsiones atrociora semper patrare symptomata, *cum nihil hinc expirat, obcæcato cutis vulnere.*

Pariter fissuræ calvarię, cùm ruptura vasorum subtus latentium & sanguinis extravasati congestione, aut fragmentorum secessu, nisi trepano amplientur mortis certissima existunt causa: quale quid de thoracis vulneribus angustioribus ac tortuosis, ubi de sanguine ad hujus cavitatem copiosius profuso suspicio est, cujus generis augustiam & obliquitatem dignotioni atque medelæ derogantem in Vulnere Thoracis penes Juvenem, paulo ante indigitavi, itidem animadvertendum, sectione aut turundis, si læsum orci faucibus eripere velis, dilatandis. Eadem ratio abdominis vulnerum, quorum latiora hoc equidem periculi involvunt, quod per ea intestina promtius elabantur, ac interanea ab aëris contactu magis lædantur; angustiora nihilominus ideo nonnunquam existunt, quod, si forsan contingat, per hæc quoque intestina aut omentum prorumpere, eadem per angustius foramen non statim & commode reponi queant, hinc grangræna facile corripiantur.

Præterea Vulnerum qualitas quoque lethalitatem notabiliter variat, imo sola aliquando eandem conjicere facit. Quid notius est, quam vulnera partium externarum contusione, hincque sclopetorum globis, illata, ratione contusionis ac lacerationis enormioris & inflammationis exquisitioris supervenientis, simplicioribꝫ puncturis & incisionibus, utut majoribus ac profundioribus, semper graviora ac periculosiora esse? Nonne E. periculum viscerum internorum vulneratorum ad lethalitatem usque evehi poterit, si à glande sclopeto emissa hoc dependeat? ita quidem ut ex quibus eorum plagis, gladio similive instrumento acuto minusque conquassante inflictis, quidam sanantur, puta ventriculi, intestinorum &c. illæ, si sclopetorum effectus utplurimum perimant, partium sc. inflammationibus sustinendis minus adæquatarum.

Spectat huc quoq; Vulnerum venenositas, ab instrumentis lędentibus venenatis impressa, quorum qualecunque & quomodocunque ab his illatum, lethale *Zacchias l. a. quæst.* 2. & *quæst.* 6. *Arma venenata lethalitatis præsumptionem adeo urgentem constituere*, asserit, *quæ ex se ipsa sola facere posset evidentissimam conjecturam, quod vulneratus ex vulnere mortuus fuerit, ceteris omnibus conjecturis & præsumptionibus, in contrarium facientibus ipsius quoque partis natura, quæ omnium urgentissima est.* Breviter, si non necessario, utplurimum tamen, maxime si majora fuerint ac interiora penetrent, hęcque plus minus afficiant, ejusmodi vulnera enecant, non tam unitatē partiū solvendo, quam principio vitali imediate magis vim inferendo: ut vel symptomata eorum peculiaria & reliquorum vulnerum accidentibus mox atrociora longe, v. g. cordis palpitatio, totius corporis frigus ac rigor, lypothymię, livor ac fœtor vulneris &c. innuere poterant. Latent siquidem nos aliosque innocentes illa venena quibus arma, sagittas globulosve intoxicate norunt ejusmodi homines maligni: quæ aliquando tantæ activitatis & virulentię observantur, quam nulla sive Pharmacia sive Chirurgia subigere potest, adeoque necimpedire, quominus eis ejusmodi percussi pereant; quale quid cum notabili suo damno experiebantur quondam Galli penes Sienesses.

Communiter equidem plerisque hæc arridet traditio, quodvis venenum haustum seu intus sumptum exterius admoto exitiosum magis existere: quasi, quod assumitur, à viscerum activitate citius resolvatur & ad horum nobiliora feratur, extrinsecus vero applicatum habitum prius penetrare, vasa petere & sic per ambages demum ad partes principes abire oporteat, sub qua ipsa tamen viarum longinquitate facile contingere posse, ut ipsius veneni vires valde infringantur. Quo supposito, vulnera à telis venenatis illata minus lethalia asserunt, quod virulentia iisdem affricta commodis remediis facile detergi queat: pari modo ac *Arcæus de recta cur. vuln. rat. lib.* 2. *c.* 1. se in oppido Cumbres Baxas quendam, sagitta, helleboro tincta, in pectore graviter sauciatum, curasse, & *Forestus* 6. *Obs. chir.* 10. ex relatione Medici cujusdam Romani, quendam vulneribus venenato telo inflictis poma cydoniorum, dentibus contrita & saliva jejuna subacta cum multorum salute admovisse, perhibent. Quod nihilominus dogma diversas ob rationes mihi suspectum videtur, quatenus primo diversorum, imprimis *Celsi lib.* 5. *cap.* 27. & *Cardani lib.* 2. *de Venen. cap.* 6. testimonio evinci potest, non universalem illam regulam existere, venena vulneri instillata non æque facile, nec assumpta internecioni dare: dum *Ille venenum Serpentis, ut quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipuè utuntur, non in gustu, sed in vulnere, nocere:* Posterior *Venenum, per vulnus inditum, multo majorem vim obtinere, quam epotum, illico enim per venas ad cor facile penetrare posse*; ait quinimo ipse jamdum *Galenus* 3. *de tempore cap.* 3. *classe* 1. venenorum quædam assumpta perimere, de foris tamen administrata minus nocere, tradidit: ita quidem ut, quæ extrinsecus applicata nocent, deglutita tale quid haud præstent. Accedunt his *Fr. Redi* & *Charras* experiméta, circa veneni viperini vim adornata, cūcta vero evincentia, illud epotum nec homini, nec brutis aliquid damni adferre, sed vel cum morsu, vel alias, animalis plagæ instillatum, necare: quod ipsum confirmare poterat venenum hellebori, ex observatione *Arcæi* mediante sagitta inficiens, minime tamen tale quid præstans, si in adeo exili quantitate, quali telo illinitur, intrinsecus propinetur; ut taceam, venena immediate in spiritus & sanguinem, non, quæ vulgo teritur opinio, in cor similiaque organa solidiora agendo, œconomiam corporis evertere. Deinde nec adeo levis sanationis vulnera venenosa observantur, ut malo quidem cydonio tolli queat eorum malignitas, utpote quibus ferrum & ignis vix sufficiunt, raraque satis ideo dici debet avis vulnus venenatū interiora penetrans (quale *Arcæi* erat) sanatum, cum ejusmodi violentiora remedia corporis interanea haud admittant. Potissimum, dum venenorum non eadem observatur formalitas, hinc nec eadem alexi-pharmaca: ob quam solam etiam varietatem vulnera viscerum venenosa profundiora lethalibus accensere convenit, quod nec de veneno, quo arma imbuta fuerint, adeoque nec de hujus antidoto, constet.

De cætero forsan non omnibus adeo absurdus videbor,

bor, si huc & inter causas seu occasiones lethalitatis generaliores retulero illam percussionum sive plagarum conditionem ac habitudinem, intuitu cujus difficillimæ cognitionis existunt illę. Ducem hoc in passu sequor *Hippocratem de Arte t.* 19. dicentem: *Quæcunque oculorum conspectum effugiunt, ea mentis oculis obtinentur ac superantur. Quæcunque vero ob id, quod non statim cognoscantur, ægri mala perpetiuntur, ea non ad medicos, curantes ipsos, tanquam ad ipsorū autores, referenda sunt, sed ad naturam ipsius ægri, itidemque ipsius morbi.* Et paulo post: *Quando igitur neque ex ægri narrationibus ad infallibilem certitudinem pervenire potest, alio certe respicere Medicum necesse est; quare hujus tarditatis non ars ipsa, sed corporum natura, causa existit.* It. *text.* 21. *Quare artis potentiam magis ex merito mireris, si quem ex clandestino morbo ægrum restituat, quam si impossibilibus & desperatis opem ferre moliatur.* Unde quamvis ejusdem *Hippocratis* sensui literali, quoad illa verba, quæ *a. l. text.* 20. legere contingit, non omnimode subscribam: *Medicus siquidem sufficerit ad cognoscendum, sufficiet etiam ad sanandum,* subscribo tamen ejus effato, quod de *Flatibus t.* 2. exprimit: *Si quis causas corporis affecti probe cognovit, potens est valde adferre, quæ corpori commodent, nimirū contraria corporibus, morborum natura perspecta.* Et per consequens, si illam, quam omnes concedunt, vulneris lethalis ætiologiam supponamus, quod nulla arte ipsi mederi liceat: nec Medico, seu Medicinæ potius, non cognita seu non cognoscibilia, curare, multo minus sanare, concessum, i. e. vulnera ejusmodi, horumque effectus latentes quia non dignoscuntur, insanabilia, hinc lethalia, dicenda, qualia in aliis partibus rarius, in capite frequentius eveniunt. Quemadmodum idem *Hippocrates de Capit. vuln. t.* 9. de Resonitu ait, & *hanc calamitatem, ubi facta est, nulla re juvare queas. Nam si passus est hoc malum, non est, quod ex ipso exquirere possis, an passus sit hoc malum, neque qua capitis parte.*

Quamvis nec Thoracis vulnera penetrantia adeo feliciter semper dignosci soleant, hinc vim Lethalitatis intendere, oppido & ex variis Casibus constet. Superius, ubi de situ partium vulneratarum, medelæ harum derogante, disserebam, enarravi, juvenis cujusdam pectus dissectum multum cruoris ichorosi monstrasse, nihil tamen acris strepiferi vulneratum hunc decubitus tempore per plagam expirasse, parum tantum sanguinis per plagam excrevisse, nullum fluctuationis sensum in Thorace percepisse, parum tussivisse, quinimo dyspnœam in eodem per aliquot dies omnino cessasse &c. uno verbo omnia deficiebant signa, quæ cavitatem hanc perforatam & sanguine extravasato scatere alias innuunt. Pariter, Anno 1707. d. 2. Augusti de Coquo vulnerato Medicus ac Chirurgus, qui ejusdem curam gesserant, deponebant vulnus pectoris quod d. 19. Julii ipsi inflictum, musculum pectoralem sinistrum ac intercostales perforaverat, vasa mammaria ejusdem lateris cum Mediastino atque Pericardio laceraverat, hincque notabili saniei congestioni occasionem præstiterat, in vivo adhuc corpore nec candelæ cereę applicatione, nec syphone, nec tubulo, nec flamma candelæ admota, explorari potuisse, sed in Sterno, quorsum tendebat, terminari visum, neque ægrum de dolore pectoris punctorio similive conquestum fuisse, per consequens nec medelam adæquatam innuisse aut admisisse: qualem plagam intuitu recensitarum circumstantiarum per se lethalem pronunciabam, utut Medicus indigitatus cum Chirurgo, leviores ob rationes contrarium sentirent. Denique notabilem Casum Pectoris Anno 1701. d. 14. Decembris Sigersdorfi Silesiorum infausta sclopeti manuarii explosione perforati, minus tamen dignoscibilis, Acta Facultatis Nostrę suggerunt in Nobili videlicet, cujus brachium sinistrum globulis minoribus ictum, quique sine ullis pectoris symptomatis, nisi spasmo Oesophagi, tandem in universalem degenerante, die 26. Decembris animam exhalabat. Sectio Cadaveris globulos multos musculos Brachii diversos cum Vena Basilica & Arteriæ brachialis ramo vicino perforasse ac lacerasse, simul tamen intra eosdem musculos & os Humeri eorum quinque Thoracem adiisse, hujus musculum pectoralem & intercostales, primę & secundę Costæ ac dextrum Pulmonum Lobum penetrasse, hinc extravasationem Sanguinis notabilem concitasse, declarabat. In hujus Lęsionis Lethalitate determinanda ambiguos ac dissentientes deprehendimus Medicos, ad deponendum desuper postulatos, licet unus horum cordatior illum, propter obscurum & paradoxum ejus tractum ac terminum, à priore haud dignoscibilem, incurabilem asseruerit: cujus sententiam nosmet confirmabamus d. 21. Septembr. 1702. quod tendentia globulorum horum per Brachium ad Pectoris interiora nec ex Symptomatis, nec per lustrationem solertiorem ullam, innotescere potuerit.

Non sola autem ipsius læsionis conditio in se talis est, ut prudentiorum dignotionem, quam accuratissime quoque adornatam, effugiat: sed, quemadmodum per circumstantias Vulnerationis externas aliquando ad vulneris dignotionem ducimur, ita si & his destituamur, silet ac cessat omnis ars, v. g. reperitur in via publica percussus, sine suggillatione, vulnere, & nemo adest, qui testetur de percussione, nec ipsemet æger, quia sine sensu & aphonus, quem *Hippocrates t.* 10. & 11. *ut passus sit & quomodo interrogandum* ait, horum aliquid indicat, vel indicare valet: nonne hujus v. g. calvariæ contrafissura, hinc vasorum cerebri ruptura, quia nullo modo dignosci valent, incurabilibus, adeoque lethalibus, adscribendæ? ideo quod Ars, quæ non sufficit ad dignoscendum, nec sufficiat ad sanandum.

Quam difficultatem, partem internam primario lęsam ac læsionis indolem curatius dignoscendi, aliquando etiam patrat situs seu figura corporis aut membrorum, sub ictus illati momento observatus ad qualem se componere sauciatus plerumque nescit, nec Medico, nec Chirurgo fingere semper licet, magni interim momenti in hoc negotio circumstantia, & quam vel casus antecedanei, ratione obliquitatis vulnerum declarare poterant; quo ignorato tractu seu sinu, partes profundiores, quæ læsæ, necessario nos latent, consequenter modus illis medendi. Ne dicam de vulneribus, tenuiore ensis mucrone factis, & facile denuo concidentibus, qualia oculum Chirurgi aliquando fugiunt, nec quæ intrinsecus lęsa, internoscere concedunt.

Sed magis forsan paradoxum erit, si per figuram vulneris hujus lethalitatem aliquando determinari; aut ad minimum intendi moderarique, dixero: non gratis tamen me hoc attentare, inde puto, quod quarumvis v. g. partium plagæ circulares, seu in orbem factæ, pessimę ac difficillimæ consolidationis deprehendantur, ut præter experientiam *Pareus Chir. lib.* 8. *cap.* 4. ratione hoc evincit, quod labia vulnerum non, nisi per angulum, h. e. duarum linearum combinationem, uniantur, quod in vulneribus circularibus locum minus habeat, dum hæc figura unica linea obliqua absolvatur: Vulnera quoque eo majora censeantur, quo magis distant eorum labia, quod vulneribus sphæricis contingat &c. Si proin visceri alicui, cujus usu integro sine vitalitatis discrimine carere haud possumus, ejusmodi circulare aut cujusvis ad coalescendum minus aptæ figuræ vulnus inferatur, nonne ideo, id est, ob figuram sui incongruam, plaga redditur lethalis, alias & sub alio schemate sanabilis ac salutaris?

Quoniam nihilominus vix adeo frequens hæc lethalitatis ætiologia observatur; missis intrinsecis ad extrinsecas mortis à vulneribus progredior causas, inter quas, & quidem necessarias atque

atque inevitabiles magis, primo ipsa vulnerati textura seu constitutio naturalis occurrit, quam vel crasis & conformatio congenita, vel ætas suggerit. Observo equidem ex Scriptorum, in lethalitatis formalitatem & causas inquirentium, lectione, eorum plures binas has vulnerum indigitatas circumstantias illis tantum causis adscribere, quæ illorum in se sanabilia per accidens lethalia reddant; quod quidem illis per me liceat: ostendere tamen haud vereor, easdem, aliquando ad minimum, vulneris lethalitatem per se inferre.

Quippe quemadmodum, ubi judicium de hac expetitur, non, quomodò illa in genere, sed quomodo in Paulo, v. g. Petro aliove individuo, à vulnere mortuo, se habeat, i. e. an immediata mortis causa in hoc subjecto determinatum vulnus, v. g. ventriculi, epatis, mesenterii &c. an secus, extiterit? quæstio est: Sic Responsu quoque sub iisdem terminis specialioribus concipi debet, nisi concipiens stupiditatis notam penes sagaciores incurrere gestiat. Quod si E. ejusdem individui caput calvaria gaudeat tenuitatis extraordinariæ, adeo ut ab alapa aut baculi exilioris ictu frangatur: quæro, an fractura hæc per se, an per accidens, lethalis nuncupari debeat? Respondeo, non per accidens, quia percussionem & mortem nihil causalitatis intercedit intermediæ, prout per definitiones superius traditas & ab omnibus admissas suppono: sed quoniam à partis percussæ conditione individuali hujusque læsione cuncta symptomata mortifera aut ipsa mors immediata immediate dependent, per se lethalis videtur. Pari siquidem fundamento ac si propter habitum individui robustiorem, hinc v. g. crassitiem ac soliditatem calvariæ extraordinariam (qualem v. g. in cadavere fœmineo olim aliquando à me publice dissecto mecum annotarunt trepanationi, in eodem subjecto administratę, adstantes, digiti nempe minoris crassitiei parem) vehementius percussus nec fracturam, nec lethalia symptomata patiatur, hoc individuum mortis periculum non per accidens; sed per se & per suæ texturæ resistentiam, superasse omnes asserent: ita si per texturam individualem, qua corpus ad resistendum violentiis externis minus potens, aliud individuum percussum moriatur, à percussione, ut tali, ac per se hoc mori, evidens satis est. Porro vulnera abdominis, hujus musculos & peritoneum perforantia, nihilque hujus ventris interaneorum lacerantia, communiter non lethalia observantur: quod si vero concipiatur subjectum, cujus vena atque arteriæ umbilicales prętèr consuetum naturę morem, patulæ sint, ac sanguine scateant, qualem conformationem *Coiter. obs. anat. chir. pag.* 117. *Kerckring. spicil. anat. obs.* 7. aliique Anatomici testantur, hocque ratione dicta sauciëtur, hinc ex vasis illis unum alterumve discindatur, profecto vulnus hoc non, nisi per se lethale, vocari poterit. Præter reliqua viscera Lienem dislocatum diversi anatomici testantur, v. g. ad regionem hypogastricam & super vesicam urinariam *Ballonius Epidem. & Ephemer. lib.* 2. *Blasius part.* 1. *obs. med.* 14. *& Schraderus obs. anat. med. dec.* 3. *obs.* 4. ad medium abdominis seu regionem umbilicalem *St. Blanckart. collect. Med. Phys. cent.* 4. *obs.* 46. & *C. Stalpart. van der Wiel. cent.* 1. *obs.* 57. Si itaque contingat, ejusmodi hominis vulnerari regionem umbilicalem aut hypogastricam, & sub hac reconditum Lienis viscus cellulosum hujusve vasa perforari ad mortiferam usque hæmorrhagiam: sine dubio in hoc subjecto, cui ejusmodi lienis situs connatus, erit vocandum vulnus illud lethale, utpote quod hęmorrhagiæ illius primaria, immediata & solitaria causa, licet pluribus aliis individuis ejusdem regionis similis punctura vix ullum notabile symptoma moverit.

Par ętatis in discernenda percussionum mortalitate videtur ratio, cum in pueris v.g. casus ejusmodi non tā fingere, quam quotidianos attendere, liceat, sub qualibus vulnus per se lethale evenire poterat, in adulterioribus minus tale: & quidem non tantum ratione teneritudinis totius, caloris majoris, minoris temperatiorisve &c. sed potissimum conformationis partium vulneratarum naturalis ætati huic adæquatæ atque perpetuæ. Revocare huc mihi concedatur plagas, abdomen sine viscerum læsione penetrantes, qualium modò mentionem feci, & quales in adultis nemo facile pronunciaret mortales: quod si autem ex tali pereat infans paucorum dierum, ac in sectione hujus venter ille sanguine plenus reperiatur, ob sauciatam videlicet alterutram arteriarum aut venam umbilicalem, nonne per se, imo absolute & simpliciter, lethale hoc dicendum puerile vulnus. Similiter si cranii ac cerebri in puero teneriore summam ponderemus mollitiem ac tenuitatem, nonne hæ illius habitudines, quo minus nec levioribus ictibus sustinendis ejus caput par sit, faciunt, id est, ut calvaria facilius deprimatur, vascula, aut ipsi cum meningibus ac cerebro communia, aut huic propria, rumpantur, molliora ac succulentiora ejus ossa, annotante *Hipp. de Vuln. cap. t.* 25. *& Pavvio p.* 219. citius putrescant, cerebrumque vehementius commoveatur, ejusque ad fluorem usque adhuc mollioris tractus cum functionum animalium disturbatione ac extinctione distorqueantur, lacerentur aut omnimode obliterentur seu destruantur? hincque læsio, huic ætati minus tolerabilis, dicenda erit per se, & forsan aliquando absolute lethalis? Præterea si v. g. sanguis extravasatus, sub calvaria pueri tenerioris congestus, mediante trepano educi nequeat, vel quod mollior ipsius textura ejusmodi operationem ancipitem sine convulsionum metu haud ferat, vel quod calvariæ flexibilitas ac teneritudo, seu hujus suturarum laxitas, instrumenti impetum vix sustineat: sane hæ incurabilitatis causæ non accidentales seu evitabiles, sed res corpori ejusmodi secundum naturam ac necessario inhærentes, ictum talem per se lethalem faciunt, quod omnem medelam respuat. Nec Senectuti tantum est pondus, quod vulnus, ex quo juniores frequentius evadunt, seniori subjecto hinc fatis cedenti, pariter minus mortale extitisse persuadeat; quasi nimirum illud occasio tantum, ætas vero immediata & effectiva causa, hujus eventus fuerit, i. e. sanatus fuisset percussus, modo senectus non obstitisset: & per consequens non vulneratorem, sed vulneratū, ad grandiorem ejusmodi ætatem evectum, mortis culpam gerere. Eo ipso enim, dum, si vulnus haud illatum fuisset, senex, valetudine satis mediocri gaudens, forsan per plures adhuc annos vixisset, illud non occasionalis, sed vere efficiens, symptomatum & mortis causa pronunciari debet: senium vero causa tantum per accidens videtur, utpote quod, hincque corporis robur exilius, percussionis accidentibus resistere haud poterat, aut est adjuvans atque accelerans duntaxat. Adeoque quamvis plaga illa non sit tanta, quæ in juvene aut ætatis consistentis homine robusto convulsiones, aphoniam, febrem, gangrænam &c. concitare valuerit, viresque enormiter & ad mortem usque mox prostraverit, sufficit tantam illam existere, quæ decrepito debiliori vere & effective talia symptomata graviora intulerit, quę alias & ab intrinseca causa haud emersissent, & quorum, hincque evenientis mortis, causa, utique vulnus, judicari debet, nec aliter potest.

Ad res & causas præternaturales propero, ubi an corporis vulnerati infirmitas, seu morbi præcedanei, vel ad hunc prædispositio percussionem per accidens tantum lethalem, efficiant, decidere mihi vix præsumerem, nisi præter ICtos quosdam, qui vulnerantem infirmum, si hic decedat, de homicidio teneri, etiam vulnere in se non existente mortali, decernunt, *Galenum quoque de causis procatarct. c.* 2. *Zacchiam, lib.* 5. *tit.* 2. *quæst.* 5. *& 6. ac Fienum l. a.* pro lethalitate per se militare animadverterem: ideo quod dato, vulnus non mortale, ex corporis vulnerati impuritate ac morbifica dispositione mortale fieri posse, vulnerans morti proximam causam

causam dedisse videatur, & ex corporis infirmitate sola, absque vulneris accessu, non decessisset idem subjectum.

Quia nihilominus ex Jurisperitis *Caballus de omni genere homicid. n.*330. & ex Medicis *F. Fidelis lib.* 4.*cap.* 9. à sententia hac recedere videntur, pro quæstione hac, dubiis multis undique stipata, solvenda, ante omnia & primo considerandum puto periculum seu gravitatem & levitatem vulneris,ut talis, quarum hæc seu vulnus leve, propter supervenientem mortem lethale per se proclamari nequit; id est, si hoc non utplurimum aut frequentius lethale fuerit: contra si periculum majus vulnusque in se gravius, quamvis forsan simile in subjecto firmiore aut robustiore sanetur, vel sanatum fuerit, in hoc tamen individuo, cui mortem per symptomata sibi intrinseca, inferebat, v. g. vulnus capitis per insipientiam, convulsiones &c. omnimode mortiferum pronunciari debet; neque vulnerati v. g. exuperantia humorum pituitosorum, ulcus pulmonum, ventriculi atonia &c. illud per accidens lethale reddent. Multo minus occisori favebit, si vulnere per se lethali decedat percussus, qui vitam miseram & valetudinariam hactenus egit: quatenus in robustissimo quoque & sanitate optima fruente subjecto idem eventus à simili vulnere obtigisset, id est sola hæc plaga effectui illi funesto sine morbo antecedaneo, adæquata extitisset: Neque pro eodem sub tali casu res decidi poterit, quasi, si morbi gravitas ac periculum evidens, v. g. phthiseos aut hydropis conclamati, apoplexiæ quarti gradus, seu fortissimæ, vulnus, quamvis in se ut plurimum Lethale, mortis factæ causa non videatur, quod tale aliquando salutare observatum fuerit: cum mors ex morbo nihilominus antecedaneo incerta sit, quatenus phthisicos, hydropicos ac apoplecticos desperatissimos aliquando inopinato convaluisse, præter Scriptorum testimonia Experientia loquitur, ita quidem, ut ex apoplexia v. g. mortuos ante triduũ haud sepeliendos lege publica cautum sit. Imo etsi de funesti morbi eventu certissime constaret, vix tamen constabit de ejus termino: ita ut vulnus superveniens eundem antevertere forsan videatur, pereatque non ex illo, sed ex hoc, vulneratus.

Deinde distinguendum auguror inter causalitatem infirmitatis præcedaneæ minus necessariam seu separabilem, qualis v. g. dum referente *Manardo* ex impuritate corporis erysipelas simileve quid vulnerato accidit: & inter necessariam ac inseparabilem magis, quam binis exemplis seu casibus declarabo, quod conceptu generaliore eam exprimere nondum audeam. Perfoditur v. g. herniosi scrotum, ut simul enormiter lædantur intestina, ad hoc devoluta, quod Vulnus Scroti in se neutiquam lethale, ob morbum hunc intestinorum in situ (qui pariter in se non mortalis) lethale evadit: id est, ipse hic morbus antecedaneus causalitate sua ad lethalitatem ita concurrit, ut ipsi nihil detrahat, sed eandem potius conciliet. Contra, si vulneretur levius idem scrotum, intactis intestinis inhærentibus, & vulneri superveniat inflammatio, quæ repositionem intestinorum moretur, hincque vomitus stercorei & cum aliis symptomatis mors eveniant, vulnus inflictum per se lethale dici haut poterit, quod evitabilis fuerit hęc causalitas seu inflammatio i. e. non semper & necessario superveniat. Porro sinistro v.g. rene, ulcere calculove, eousq; affecto, ut secretio & excretio urinæ in hoc per octiduum turbetur, aut, ut sectiones cadaverum perhibent, plane consumpto vel deficiente, qualia exempla *ex Solenandro sect.* 5. *consil.* 5. *Job. van Meekren obs. chir.* 37. *& Cornelio Stalpart. van der Wiel obs.* 52. aliisque petere licet, si vulneretur dexter, non quidem vulnere in se lethali, id est, quod vasa majora aut Pelvim petat, tali tamen, cui superveniat inflammatio, hujus etiam functionem secretoriam ac excretoriam ad interitum usque ægri turbans; an in hoc subjecto non, nisi mortalis, poterit pronunciari plaga renis dextri?

Ferendo huic judicio me eo promptius applico, quod *Boerius decis.* 323. aliique Jurisperiti in casu ejusmodi, si vulnera duo quis patiatur, quorum prius non mortale, posterius mortale, existat, sentiant, posteriorem vulnerantem de occiso teneri, i. e. dolorem, vigilias similiaque symptomata prioris plagæ, hincque emergentem infirmitatem, non impedire, quo minus vulnus posterius, in se lethale, tale pronuncietur: per consequens nec valetudo adversa seu debilitas corporis præcedanea ulla alia vulneris revera mortalis, lethalitati, aliquid derogabit, sed Medicos quoque lethale hoc dicere jubet sana ratio. Imo quamvis ipsa pars morbosa, v. g. caput doloribus frequentioribus expositum, pulmo exulceratus, ventriculus anorexia & dyspepsia laborans, vulnere alias lethali afficiatur: quia nihilominus hæc pathemata morti subito inferendæ minus proportionata sunt, seu eorum lethalitas non adeo evidens & certa est, vulnera ejusmodi, iis non obstantibus, utique lethalia pronunciare conveniet: contra, si eorum periculum evidentius & horum lethalitas dubia, seu per accidens saltem eveniat.

Ast quid denique censendum, si vomica pectoris, apostema abdominis, &c. alias lethales affectus, à percutiente ita perforentur aut rumpantur, ut ad cavitates dictas præcipitata materia purulenta ægrum brevi interficiat? vel si ascitìcus vulneratus confertim nimis aquam, & cum hac animam, profundat? nonne vulnus ejusmodi causa mortis immediata erit? quod ancipites etiã hi morbi inexpecta plane ratione aliquando à natura solvantur, adeoque de eventu eorum ultimo in hoc quoque subjecto incerti simus? Ambigo.

Quod si vero de vulnere nec absolute, nec frequentius, mortifero, sed de tali, quod in se utplurimum sanabile observatur, sermo fuerit, simulque ejusmodi infirmitatis præcedaneæ seu status valetudinarii supponatur causalitas, quæ symptomata mortalia non necessario patret, i. e. illud propter cacochymiam v. g. gangrænam febremque graviorem moveat: res dubia magis & iniquior forsan videbitur illius severitas, qui ex ejusmodi casu mortuum vulnere per se lethale occubuisse assereret, hinc vulnerantem homicidii accusaret. Quoniam nihilominus, si de symptomatis constet, ea ex vulnere ipso emersisse, hoc in corpore cacochymico debili ac valetudinario se ut causa mortis proxima & efficiens habet, eo quod absque illo infirmus seu cocochymicus neutiquam decessisset; neque dici potest vulneri novum supervenisse morbum, quatenus conditio seu constitutio ejusmodi corporis non aliter fert, quin alias salutare vulnus in eo semper prava symptomata & per horum atrocitatem mortem causetur: dyscrasia illa viscerum, cachexia, partis læsæ imbecillitas &c. causæ tantum per accidens, seu occasionales, non effectivæ, pronunciari debent, utpote ratione quarum accidentibus, quæ idem vulnus sequebantur, resistere subjectum hoc morbosum minime poterat. Per consequens, vulnus, quod in hoc vel illo individuo, intuitu determinatæ seu valetudinariæ dispositionis, magnum & grave satis est, mortemque in similibus subjectis utplurimum pedissequam habet, accidentium quoque suorum & mortis hinc evenientis causa proxima audiet. Ut proin percussor ille, cujus *Bonetus Anat. pract. lib.* 4. *sect.* 3. *obs.* 29. §. 1. meminit, satis prudenter dixerit, audiens, cacochymiam biliosam ab ictu externo commotam symptomata lethalia in percusso excitare potuisse, qui evasisset, si illam humorum colluviem ante rixam pharmaco exclusisset: gratias ago pro salutari monito, nunquam enim deinceps cum quopiam altercabor, quin eundem prius sic adoriar, cura tibi corpus expurgari & venas sanguine depleri, demum te, prout promeritus es, mulctabo. An vero, qui illud intulit, Homicidę nomen ac pœnam mereatur? alterius est fori.

Contra, si vel vulnus ratione exilitatis, seu levitatis suæ tantis symptomatis, nec in valetudinario subjecto, inferendis non fuerit proportionatum, vel alias evidens sit, accidentia hæc minime à vulnere, sed à procatarxi corporis, ut tali, emergere, v. g. si vulneri cruris parvo superveniat in cachectico gangræna, pulmoniaco &c. subjecto strangulatio: non ex hoc, sed ex illa, mortuus judicabitur vulneratus, neque hoc lethale dicendum; cujus etiam generis videtur, quod paulo post ex *H. Augenio* in scenam producam. In præsentiarum exempli loco sit rusticus ille, ex pugno pectori inflicto mortuus, cujus historiam *Bogdan.* apud *Bartholinum cent.* 4. *epist.* 11. describit Sc. ebrius hic ex pugno pectoris supinus sternebatur, extemplo conquestus de frigore, dolore lumborum & ambulandi difficultate, nihilominus post aliquot horas extra urbem ad suos se conferens: ubi decumbebat, sanguinem spuebat & laterum gravissimis puncturis excruciabatur, cum siti ingente, delirio & convulsionibus funestis. Ejus cadaver cum jussu magistratus inspiceretur, in dorso & lumbis comparebant maculæ longiusculæ, instar vibicum, incisæ tamen nihil sanguinis extravasati exhibentes, pudenda ad gangrænam usque livida, & in sinistro Olecrano ecchymoma, fœtor simul horrendus. In aperto abdomine omnia integra & salva. Sub thoracis mammilla dextra, plagæ inflictæ vestigium, macula nempe livida, sine effusione tamen cruoris, omnique costarum ac sterni læsione: interiora vero hujus ventris cuncta quasi fumo fuscata conspiciebantur, pulmones undique pleuræ adhærescebant, exsucci, intus putidi & instar puris inspissati atque exsiccati. In cordis, omnino flaccidi, ventriculo utroque polypi ingentes, in capite vero pariter dissecto nihil preternaturalis reperiebatur. Quem percussum non à percussionis violentia, sed cordis & pulmonum imprimis prava diathesi, periisse, idem *Bogdan.* cum Medico & Chirurgo sociis egregie l. a. deposuerunt.

Quod casum concernit, quem ex *Manardo lib.6. epist.* 1. allegat *Zacchias*, quendam sc. ex vulneribus capitis binis levioribus vixque calvariam attingentibus, propter erysipelas ac febrem octavo, & paralysin atque loquelæ deperditionem duodecimo, die, sine ullis pravis symptomatis, quæ de cerebri læsione suspicionem movere poterant, præviis, supervenientes, decimo quarto decessisse: hęc equidem vulnuscula vitiosorum humorum motui lethali aliquando occasioni existere & mortem inde secutam ex humorali ęque ac locali procatarxi, non illorum magnitudine, contingere posse, *Manardo* facile largior. Quia vero nec cacochymiam totius, nec infirmitatem capitis, prçcedaneam evincit idem, ac neglexisse videtur cadaveris sectionem atque inspectionem: in fabro illo ferrario, de quo quęsitus respondebat, an res ita se habuerit, ambigo, potissimum cum argumenta illius haud sufficientis connexionis appareant.

Multominus *Zacchiæ* condescendere possum, qui dum vulnera hęc cum *Manardo* non per conditionem sibi intrinsecam & ex symptomatis, à vulneratione immediate dependentibus, sed à procatarxi individuali, lethalia reddita fuisse concedit, vulnerantem nihilominus proximam morti causam dedisse, scribit: quatenus quę in iisdem à *Manardo* supponitur, exilitas occasionem tantum pravorum humorum motui subministravit, ac proin symptomatum lethalium causa proxima vulnera vix extiterunt.

Memorabilis ac difficilioris solutionis mihi videtur Casus, à Præfecto Quæsturæ Reinhartsbrunnensis-Gothanę Anno 1701. d. 12. Nov. Collegii Nostri decisioni expositus: quem prudentiorum disquisitioni commendo, ideò prolixiore paulo stilo eum delineans. Verberibus variis ac duris à duobus Compotatoribus excipiebatur, pedibus conculcabatur, tandemque de scala dejiciebatur pręceps Valentinus Just, Minister nominatę Quæsturæ pragmaticus, Vir alias robustus & quadratus. Hic quotidie in pejus ruebat, licet parum hinc decumberet, conquestus interim de algore totius cum æstu alternante, dolore pleuritico, oppressione pectoris, tussi ferina, appetitu Ventriculi prostrato & Corporis Contabescentia evidente: donec post quatuor fere Septimanarum decursum, sub ardoris in dorso vehementioris sensu, morte repentina suffocatus perierit. In ejus cadaveris Thorace Cordi ac Pulmonum dextro lobo, non sine stupore, annatum cernebatur Steatoma glandulosum, trium circiter librarum pondo, quod Scirrhum Cordis aut magis, Pericardii ajebant Prosectores. Pulmonum compages hinc inde similibus tuberculis glandulosis, mole globis bombardarum paribus, stipata erat: Spina autem dorsi à superiore ad undecimam vertebram valde intorta atque incurvata, & in sinistro Thoracis latere folliculus comparebat membraneus, palmam æquans, qui ruptus procul dubio, sub ardore præcedaneo, quod continuerat, demum ad cavum Pectoris, ad suffocationem profuderat, serum cruentum notabilis quantitatis. Neque tumor ille Cordis ac Pulmonum à percussione hac ultima, sed antiquioris originis forte ac prosapiæ, videbatur: Etsi, quod mirari meretur, sine molestia horum Organorum & eorum actionibus conturbatis, virium attritione ullove valetudinis incommodo gestarit eundem miser ille. Curvatura vero Dorsi, hujus sugillatio & Abscessus sanguinolentus brevioris forsan ætatis & percussionis atque delapsus producta erunt. De qua re dum quęrebatur, an lethalitetem involvat, dubie responsum fuit: Contorsionem equidem Spinæ, Sugillationem internam ac Apostema cruentum probabiliter à violentia illata facta fuisse; profusionem autem Seri sanguinolenti una cum Cordis Pulmonumque tumore glandulo-scirrhoso mortem hujus subjecti mutuo concursu accelerasse, ac solas lęsiones, ab extra factas, minime per se lethales asseri posse.

Circumstantiis externis necessariis, Lethalitatem vulnerum moderantibus seu determinantibus, accenseo atmosphæræ certam ejusmodi habitudinem, quæ quamvis forsan ad diętam potius seu ęgri gubernationem ac Chirurgi Curationem, adeoque ad contingentia magis, videatur spectare, quin tamen sub certa relatione eam rem inevitabilem magis asseram, nihil me moratur. Suppono nimirum ex diversorum Celebrium Magnæque Experientiæ Scriptorum consensu, quibusdam non tam Zonis ac Climatibus, v. g. dum *Sebizius Examin. Vulner. prodr. part.* 3. vulnera capitis in Germania præ Hispanorum ac Italorum minus periculosa & *Paw. in Hipp. de Vuln. cap.* læsis capite aërem circa lineam ęquinoctialem insaluberrimum testatur, quam urbibus ac agris particularibus magis peculiare contingere cœlum, Vulneribus his vel illis modo propitium, modo infestum magis. Sic v. g. *Pareus de Renunciat.* de tempestate, quæ olim in obsidione Rothomagensi & in agro Dionysiaco regnabat, omnes glãde, sclopeto ignivomo elisa, vulneratos de vita periclitatos fuisset perhibet, imo *Idem Chir. lib.* 10. *cap.* 8. cum *Guidone de Cauliaco* capitis plagas Lutetię Parisiorum contumaciores longe, quam Avenioni, ubi tibiarum vulnera difficilius, quam Lutetiæ, sanantur, deprehendi, asserit. Atmosphæram Florentinam *Vidus Vidius lib.* 6. *de Curat. membrat. cap.* 2. eandem cum Ferrariensi *Quercetanus Sclopetar. cap.* 3. Florentinam cum Bononiensi *A. Lusitanus cent.* 6. *curat.* 100. *Jerem. Martius obs.* 18. & *Joh. Udalric. Rumlerus obs.* 76. capitis pariter vulneribus pestiferam maxime referunt, contra, in agro Ragusæo & Romano vix enormissime capite sauciatos decedere, posterior subdit. Temporarium ejusmodi influxum de Mantuano aëre testatur M. *Donatus de Variol. cap.* 2. dum inquit: *jam agitur quartus vel quintus annus, quod in civitate nostra Mantuana, quicunque in capite vulnerabantur*

tur, licet leve admodum Vulnus ipsis inflictum esset, quovis administrato auxilio sanari minime potuerant, qui tamen influxus post tertium vel quartum annum penitus abolitus fuit, ita ut nunc fere nullus eadem in parte sauciatus moriatur &c. Denique in obsidione ultima Regni Candiæ Metropolis peculiarem & vulneribus adeo exitiosâ aëris malignitatē annotarunt Chirurgi, ut potior sauciatorum pars periret, testante hoc *Leonh. Tassin Chirurgie Militaire.* Quibus ita se habentibus vulnera tali tempore ac in ejusmodi locis inflicta, sine dubio per se lethalia dici debent: quód aëris hanc texturam cœlive constellationem aut quamvis habitudinem, sive endemicam sive epidemicam, nec ægro, nec chirurgo, emendare aut immutare, adeoque intuitu hujus effectus non minus accidentale quid ac aliarum provinciarum & locorum constitutiones, morbos communes producentes ac foventes, asserere, concedatur.

Pergo ad res contingentes ac ad Lethalitatem percussionum indifferenter magis se habentes: i. e. pro quarum diversa relatione ad vulnus hoc modo mortale, modo non mortale, appellandum. Inter quas primo occurrunt symptomata, illi supervenientia, quæ insulsi ac perversi occisorum defensores, ut circumstantiam, qua vulnus per accidens tantum eveniat mortiferum, allegant, id est, non ex hoc, sed ex accidentibus, vulneratum occubuisse, judici persuadere frivole satis moliuntur: cum nihilominus interdum perinde sit, mortem ex ipso vulnere immediate, ac ex symptomatis, evenire. Quatenus hæc & illud aliquando, imo forsan utplurimum, ut causa & effectus, inter quæ symptomata mediant, se habent; sive hæc vulnerationem mox excipiant, sive paulo post superveniant: ita ut, qui ex hæmorrhagia vulneris moritur, moriatur revera ex vulnere, qui ex apoplexia ab ictu capitis vehementiore concitata, perit, à percussione interficiatur, pariter, qui à lipothymia & asphyxia succumbit, ex vulnere cordis, illarum causa immediata seu proxima, decedat. De cœtero quemadmodum ex symptomatum gravitate ac multitudine lęsionis gravitatem in vivis adhuc, & antequam eorum læsas partes penitius inspiciendi ac secandi copia fiat, auguramur, ex illorum absentia plus salutis sauciatis pollicemur: ita præter & post inspectionem quoque factam attendere jubemur symptomata plura & vehementiora, ac vulneris ad mortem influxum ex horum syndrome colligimus; sin mitiora aut nulla adfuerint, potissimum si vulneratus aliquandiu supervixerit, non raro de plagæ etiam atrocioris, mortalitate ambigimus, dum v. g. *H. Augenius tom.* 1. *lib.* 9. *epist.* 2. de vulnere quodam capitis judicium ferens, illud non lethale fuisse inter alia inde concludit, quod nulla symptomota, ut cerebri ac membranarum discissarum signa, sc. vomitus biliosus, corporis syderatio, adfuerint. Paucis, supervenientia & perseverantia symptomata, v. g. febris, dolor, spasmus similiaque, ex quibus percussus in deterius labitur, ac mortem tandem obit, hunc ex vulnere mortuum præsumere faciunt, pro contraria vero militat præsumptione, ubi contrarium evenerit, i. e. nulla eorum vulneri superveniunt, aut brevi evanescunt seu notabiliter remiserint eadem.

Cum autem symptomatum, vulneratis exitiosorum, triplex observetur genus, & horum alia ex vulnere ipso, ut tali, hinc à parte læsa immediate, emergant; alia aliam extra vulnus causam agnoscant; alia indifferenter se habeant, id est, modo à vulnere, modo aliunde eveniant: probe omnes ac singulæ ponderandę sunt in vulnerato circumstantiæ, & ex harum demum collatione, cujus generis sint illa individui præsentis, prudenter inferendum.

Primæ & secundæ classi accidentia dirimit I. functionū membri sauciati & symptomatum emergentiū collatio: i. e. si hęc illas turbent, à vulnere, contingunt, hocque lethale reddunt; sin alterius generis fuerint, aliunde dependent, nihilque lethalitatis ipsi adferunt. Sic v. g. vulnus ventriculi qui comitantur, singultus, nausea & vomitus, qui affectus soporosi, epilepsia &c. plagam capitis excipiunt, ex læsione, ut tali, eveniunt: proin si vehementius & ad mortem usque affligant, ex illis, hæc concitantibus, æger mortuus, eademque per se lethalia dici debent. Sin vero, e. g. Vulneri vesicæ sese jungat dolor pleuræ punctorius, dyspnœa, tussis cruenta &c. qualia non vesicæ functionem frustrantur, aliam extra illud hęc symptomata agnoscunt causam: & per consequens, ex his si pereat vulneratus, non ex vulnere perit; potissimum hac accedente circumstantia, quod per prædispositionem vel naturalem, vel præternaturalē, in hoc vel illud symptoma magis pronū fuerit Individuum defunctum v. g. erysipelas, epilepsiam &c. Pluribus casibus ne Lectori nauseam pariam, sufficiant à *Fieno loco superius alleg.* adducta: *Si quis læsus in ventre & supervenit apoplexia, & vulneratus esset Senex, probabile esset, illam apoplexiam ortam esse ex propria causa ac dispositione cerebri & non ratione vulneris illius, quia talis morbus non est natus sequi tale vulnus, & verosimile est, talem apoplexiam eventura fuiße, etiam si vulnus non fuisset inflictum, & proinde non vulneri, sed apoplexiæ est imputanda mors. Sic si quis in capite vulneratus esset, & superveniat phlegmone, & inde gangræna in pede, ex qua mors sequeretur, tum censendum esset, illum non ex vulnere, sed ex alio morbo qui fortuito supervenit, mortuum esse.*

Neque tamen illa tantum symptomata quæ actionem partis lęsæ turbant, adeoque immediate magis ab hujus soluta unitate eveniunt, patratores mortis insequentis existunt, sed classi huic pariter accensenda veniunt, quæ alia minusque percussa organa afficiunt, modo constet, eadem à percussione illa, ut tali, quamvis mediate contingere: qualia à capitis lęsionibus gravioribus omnium frequentissima observamus, v. g. vomitum biliosum, dyspnœam, urinæ suppressionem, alvi fluxum &c. quem, percussionibus capitis supervenientem, absentibus quamvis aliis symptomatis, cerebri lacerati signum esse, & quidem utplurimum mortale, *Marchettus obs. med. chir.* 15. asserit. Spectant huc pustulæ, in lingua ex sphacelosa cerebri corruptione exurgentes, & vel cum stupore & aphonia, vel cum partis oppositę convulsione, per experientiam *Parei lib.* 9. *c.* 9. mortem inducentes: item illa materiæ purulentæ ex capite ad pectoris & abdominis cavitatem metastasis, qua tractu temporis pleura, pulmones, lien, epar &c. eroduntur & apostemata ac ulcera contrahunt. Ita quidem, ut rei hujus ignari abscessus ejusmodi, in cadaveribus apparētes, in partibus illis immediate exortos clamitent, eosque, non vulnus capitis, mortis causam primariam existiment, quod ex capite adeo copiosum pus ad inferna viscera delabi, sibi haud persuadeant: quibus nihilominus *Pigræus chir. lib.* 4. *c.* 9. *Ballonius de Convulsion. in append. Joh. van. Meekren. obs. Chir.* 2. & 3. *Ephemerid. Nat. Curios. ann.* 2. *obs.* 119. *Bonetus Anat. pract. l* 3. *s.* 17. *obs.* 12. & *lib.* 4. *sect.* 3. *obs.* 16. & *Marchettus l. a.* contradicunt, ac posterior multijugâ suâ commendat autopsiâ, & quidem sub hac conditione seu circumstantia infallibilem, si nimirum in ejusmodi vulneribus collum, potissimum parte sua antica & laterali, doleat; tanquam signo delabentis ad inferiora materiæ purulentæ. Imo hic recordor gangręnę in pollice pedis, ex levissimo capitis credito vulnere, in Adolescente contingentis atque in sphacelum lethalem abeuntis: in cujus calvaria nihilominus præter fissuram exilem & inter binas meninges sanguis purulentus reperiebatur. Hinc omne dubium circa casum *à Smetio Miscell. lib.* 10. *p.* 561. enarratum animo excutere nequeo, ubi quendam ex vulnere capitis cæsim inflicto, superveniente pleuritide, post tertiam septimanam mortuum, non vi vulneris, sed morbi

accessorii, periisse, putat: quod nihilominus pus sub calvaria in ictus loco, contrafissuram in hujus lamina interiore, hincque fragmentum squamosum, pollicis latitudinem habens, se in apertura capitis offendisse, ipsemet scribat.

Peculiare insuper aliquid hoc in passu sibi vendicant vulnera quorundam nervorum, in se equidem vix lethalia, intuitu tamen organorum, magni ad vitam usus ac necessitatis, quorum actionem illa sufflaminant, talia dici merentur; i. e. quamvis non in loco vulnerato, sed in membro, ab hoc remotiore, eveniant symptomata, mediantibus quibus interficiunt, v. g. si sauciëtur collum, simul discindantur nervus octavi paris & intercostalis, hincque contingant deliquia animi, dyspnœa ac tandem asphyxia & suffocatio. Non pathemata mortifera ejusmodi tantum partium hic attendi volo, quæ sine nervorum laceratorum integritate ac spirituum animalium influxu ordinario in actione vitali deficiunt, sc. modo indigitatorum cordis ac pulmonum, quod *Guido l. a.* ex *Avenzoare* innuit, quando, *si læsio fuerit in nervis anhelitus, moritur patiens suffocatus brevi*, ait: sed illorum pariter membrorum, quæ sympathiam quandam communiter dictam, si quæ ipsis cum nervis, aut in extremitate, aut in medio, seu circa plexus, læsis, intercedat, lethalia symptomata sustinent. Quid frequentius, quam à tendinum & nervorum in artubus contusionibus & lacerationibus deliria, convulsiones aliosve affectus, generari? qualia exempla *Glandorpius Specul. Chirurg. obs.* 41. 42. *ac* 43. refert, quos, quamvis mortales eveniant, quia nihilominus ab ejusmodi externorum læsionibus emergunt, quæ, cæteris paribus, Chirurgiæ locum concedunt, lethales per se vix declaramus. Ast liceat ita formare casum, ut vulneretur plexus mesentericus superior aut renalis, aut insertio nervi stomachici reticularis circa orificium sinistrum, hi vero in consensum trahant cor, aut cerebrum, & quidem per ejusmodi symptomata, quę principium vitale hujusve influxum immediate magis destruunt: & tunc si quæratur, an vulnus hujus plexus nervei sit lethale? tacebunt omnes, quotquot materiæ huic disquirendæ se hactenus dicarunt Scriptores.

Cerebrum à nervi cujuscunque punctura, contusione &c. in consensum rapi, *illamque ad nervorum* (reliquorum) *convulsionem excitandam promptam esse*, ratione continuitatis, quæ huic cum illo, ut suo principio, intercedit, *Galenum art. med. cap.* 92. animadvertisse, legimus: quia vero idem subdit, *ac tum præsertim cum nihil extrorsum expirat, obcæcato cutis vulnere*, non sine ratione me acturum confido, si internorum seu in cavitatibus reconditorum nervorum majorum læsiones, quæ convulsionem totius funestam patrant, per se lethales asseram; quod omnem medelam, imo extremam quoque, sc. præsectionem, propter situm, renuant. Verum vulnera plexuum ac nervorum abdominis Cor & Organa Pneumonica ad mortem usque spasmis concitatis afficere posse, ac, si afficiant, ideo per se mortifera dici debere, paradoxum magis judicabunt, quos Anatome Nervorum, à Neotericis demum accuratius exculta, latet: qui nihilominus sibi facile hoc persuadebunt, modo, si forsan ipsi operi manum commodare detrectent, *Willisii* ac *Vieussens*, Scripta, improbo labore congesta, legere malint; quod antequam ab iis impetravero, frustraneus foret conatus, quem in ejusmodi hominibus, qui primis fundamentis destituuntur, informandis impenderem.

Præterea an accidentia lethalia à vulneris conditione, an aliunde, eveniant, dignoscitur forsan II. ex tempore invasionis, i, e. si mox cum vulnere, aut brevi post, aut tunc temporis, v. g. die quarto, quod inflammationis audit, ingruant plagæ, non alterius causæ, producta censeri debent, quod talia errores in diæta & medentiū incuriam imperitiamve, à quibus vulnus per accidens lethale fieri poterat, excludant: secus, si vulnerationem præcesserint, aut tardius, ubi nimirum res in salvo videbatur, demum emergant eadem.

Ita cum plerisque sentit *Farinacius Conf. crimin. lib.* 2. *conf.* 171. quale quid tamen cum discretione seu judicio pleniore tantum admittendum. Non modo, quod ex solennioribus & inevitabilibus magis plagarum accidentibus quædam non primo statim harum momento, sed tertia quartave die demum, aliquando compareant, inflammatio sc. Febris, dolor alięque ex his emergentes molestię: verum quod aliquando talia accidentaliter quoque vulnerato longius post supervenire queant, quæ peculiaria in hoc concitent mala eaque gravissima atque lethalia, & quidem immediate ex vulneris habitudine. Hujus loci reddere licebit casus illos, quos superius recensui, sc. ubi portiuncula pinguedinis vulnus Venę Iliacę ad plures dies eousq; obturabat, ut decimo tertio demum Hæmorrhagia lethalis vulneratum enecarit: item ubi ex relatione *Th. Bartholini* Arterię cruralis vulnus à grumo sanguinis eousque fuerit obturatum, ut enormior hæmorrhagia ad decimum quartum usque hinc interpellata fuerit, hocque symptoma tardius recidivans mortem attulerit. Ut taceam, tela, globulos similiaque extrinsecus immissa atque aliquandiu relicta fluorem equidem sanguinis lethalem aliquantisper interdum morari, haud tamen omnimode avertere. Proin perpetuę consequentiæ haud erit, ideo, quod symptomata percussum non statim à principio præhenderint, vulnus non esse lethale: quemadmodum nec connexio undique valida videtur, pro inferendo vulnere lethali ex symptomatis mox corripientibus, si sc. temporis tractu secundum rationem mitescant aut cessent, prout ex tertia conditione elucescet.

Quod III. eo certius erit, si eadem symptomata à principio ad mortem usque perseverarint, aut si alia ejusdem generis accidentia pristina excipiant, v. g. nausea vomitum, vertiginem epilepsia, utraque tamen in pejus semper vergant.

Neque tamen cuncta symptomata, quę vulnus mox sequuntur, & ad mortem usque durant, ideo illius effectus credere convenit, sed eorum quædam aliam quoque causam & apparatum morbificum internum agnoscunt; si nempe vulneris conditioni non fuerint congrua, & procatarxis morbifica ex signis pateat. Ex quo fundamento *H. Augenius* v. g. loco allegato febrem continuam, in leviore capitis vulnere, ipso vulnerationis die exardescentem non symptomaticam, sed primariam, ait, i. e. quæ propriam habeat consistentiam, à vulneris occasione distinctam: quod vulneratus ab aliquo jamdum tempore prædispositionem febrilem, seu biliosarum cruditatum congestionem, aluerit, hinc in cephalalgiam ac lassitudinem totius ulcerosam inciderit, morbi imminentis prę nuncias; evacuationem humoris peccantis pręscriptam neglexerit, & febris citius justo eum invaserit, antequam sc. vulneris vehementia tanta vel putredo in cerebro vulnerato exoriri poterat. Nec, si melius quandoque se habeat vulneratus & symptomata aliquandiu remittant, aut cessent, pereat nihilominus à plaga ille, in alias ab hac causas culpa sēper referenda, eademve mox non lethalis proclamanda: cum annotante *F. Fidel.* l. a. *multas ac graves invenias ægritudines, ac præsertim malignas, quarum aliquando sævities intermittat, mortem tamen propria natura adferunt*, quidni vulneribus quibusdam simile quid contingeret, ut & hæc videantur curari, ac æger melius inde habeat, illa nihilominus serò postmodum per symptomata aut pristina, aut nova, ad mortem usque ingravescant? Induciarum ejusmodi perfidiam sępius experiuntur vulnera capitis, quorum quædam parva, superficialia & sine omni calvariæ fractura videntur, cum nihilominus sanguinis ex vase interiore, à contusione lacerato, extravasatus longiore demum temporis tractu,

ctu, v. g. decimo quarto aut trigesimo die putrescat, suppuretur, cerebroque phlegmonem, sphacelum aliaque mala & symptomata inducat.

Nec deficiunt Casus, ubi post graviora vulnera & prava horum symptomata percussus quidem reconvalescit, recidivas nihilominus horum aliave experitur accidentia & moritur: quorum illud per robur naturæ, vim læsionis & accidentium superantis evenit, hoc concipiendum, si cruor extravasatus hactenus nec premendo, nec vellicando, aliquid molestiæ attulerit, tandem vero in putredinem abripiatur, inflammationem concitet & suppurescat; In qualibus decernere vel ipsa Lex divina nos instruit, dum *Exod. c.* 21. Percussorem ab Homicidii pœna absolvit, si percussus ad obambulandum reconvalescat: unde necessario inferendum, illum, qui post evidentem reconvalescentiam pristinis denuo, vel aliis, corripitur symptomatis, hincque moritur, ex vulnere antecedaneo vix decedere, i. e. annotante *Grotio* in *text. alleg. Et Lex, & Mos, & Æquitas exceptiones legi addidere, si vulneratus aliquo tempore melius se habuerit, ut credi possit, magis Medicorum ac sua negligentia mortuus.* Cui cœteris paribus *Th. Fienus Semiot.part.*1.*s.* 4.*c.*1. annuit, quod ex eo, dū Vulneratus post aliquot dies melius se habuit & convalescere incepit, vulnus non fuerit lethale, disparente omni periculo ac difficultate; cum si lethale extiterit, æger non melius, sed paulatim pejus, se habuisset: adeoque quod tandem tam sæva symptomata evenerint, certum reddere, quod vel ex parte Medici, vel ægri, aliquis error fuerit perpetratus, etiamsi is minus innotescat; vel quod alius affectus supervenerit, non ratione vulneris, sed peculiaris suæ causæ & pravę corporis prædispositionis &c. Dari nihilominus pergit *idem Scriptor* ejusmodi aliquando occasiones, in quibus æger prius notabiliter reconvalescere videatur, superveniant nihilominus sæva symptomata, hæcque cum ipsa morte vulneri imputanda fore: in quali nempe intus materia reliqua aut sanguis ruptis vasis extravasatus & retentus, temporis progressu putrescendo, suppurascendo &c. nova mala moveat, ut vulneribus capitis non infrequens contingit, levioribus primo visis, decimo septimo aut decimo octavo demum die pessima symptomata ac mortem inferentibus. Extra talem casum & ordinarie, si vulneratus melius se habuerit, & convalescere visus fuerit, & per plateas aut ad templum exierit, posthac nihilominus moriatur, mortem non vulneri, sed alicui errori commisso, esse adscribendam.

Tandem & IV. quemadmodum, si constet, vel Ægrum, vel Chirurgum enormiorem errorem commisisse, symptomata, hunc excipientia, si talia fuerint, quæ, ut effectus illum sequi queant, verosimiliter gubernationi illi pravæ tribuimus: ita si talis non contigerit, nihilominus sub symptomatis gravioribus obierit vulneratus, hūc ex vulneris symptomatis seu ex percussione mortuum asserimus. Declaro hoc per exempla, quæ *Fienus loco allegato* suggerit. *Si*, inquit, *Chirurgus sua ignorantia non scivisset fluentem venam compescere, & inde secuta fuisset magna debilitas, vultus pallor, asphygmia, est indicium, mortem esse secutam errore illius Chirurgi, quia talem errorem talia symptomata sequi nata sunt: Si Chirurgus neglexisset adhibere repellentia, & exinde secuta fuisset magna inflammatio, vel nimis frigida adhibuisset, & exinde secuta fuisset gangræna, ex eoque mortuus esset* (vulneratus) *verosimile est, eum mortuum esse ex errore Chirurgi, non vulneris magnitudine: nam tale symptoma natum est sequi talem errorem commissum. Si æger continuo vinum bibisset, & secuta inde fuisset vulneris inflammatio, vel sanguinis fluor, aut magna febris, & ratione ejus æger mortuus esset, verosimile est, eum ex errore proprio, & non vulneris magnitudine, periisse.*

Ac de his Vulneris symptomatis locum habet, quod cum *Boerio* suo plerique ICtorum asserunt, sub his si moriatur vulneratus, ex vulnere eum decedere, utpote quæ, ut effectus, testantur de sua causa, vulnere sc. hujusque gravitate: i. e. hęmorrhagia impetuosior, cui mederi nulla arte licet, dum interimit, vulnus vasis sauciati perimere dici potest. Imo circumstantiis his probe observatis determinari valet, quæ accidentium indifferentium, seu quæ modo vulnus sequuntur, modo ex alia quadam causa oriuntur, v. g. febres, vomitus &c. in individuo præsente revera à vulnere, quæ aliunde, dependeant: illa augurando, quæ mox cum vulnere aut consueto tempore apparent, & cum illo ingravescunt, tanquam illius immediatos effectus & mortis causam immediatam; posterioris vero generis, quæ longius à percussione & quovis tempore, non solenni, eveniunt.

Deinde prout, si Æger ac Chirurgus in gubernandis ac tractandis Vulneribus suis muniis rite fungantur, nihil eorum intermittant, quę Artis præcepta exigunt, nullumque errorem vel in diæta, vel Chirurgia ac Pharmacia, committant, vulneratus nihilominus decedat, illorum lethalitas arguitur aut dubia confirmatur: sic, si de malo regimine aut eorum alteruter, aut uterque, convincatur, nisi mortalitas evidens plane, seu vulnus in se mortale, extitisse, ex aliis signis & autopsia constet, mortis culpa in hoc redundat, & illud eventui huic per accidens tandem occasionem præbuisse dicitur. Æger accusatur, si negligentem aut cervicosum in admittendis ac adhibendis remediis se gesserit, si sex rerum non-naturalium rationem accuratiorem non habuerit, aut intempestive seu tardius Chirurgum advocarit. Chirurgus vero seu Medicus Vulneris, in se levioris, periculum ad mortem usque intendit, si non agat, quæ in artis potentia sunt, si v. g. venam minus tempestive secet, hæmorrhagiam vel non, vel intempestive supprimat, sanguinem extravasatum, festucas, fragmenta ossium similiaque exterius immissa non educat; item, animadvertentibus *Boerio decis.* 323. *Farinacio de homicid. quæst.* 427.*p.* 3. aliisque Juris Commentatoribus, incantationibus potius, quam remediis naturalibus, sanationis aleam committat &c. Quales tamen ex Percussi & Chirurgi erroribus formatæ exceptiones suas limitationes pati ex *cap.* 1. repetendum. Hoc loco saltem attendendum, quid circa vulneratum plerumque eveniat, qualem hic & Chirurgus circa eundem se gesserint: quo his diligentius inter se collatis demum constet an ex habitudine ipsius plagæ, an aliunde, symptomata prodierint. Interim nec, quod rudiorum ac imperitorum commune asylum est, sufficit, fecisse Chirurgum ac molitum fuisse cuncta, quæ in ipsius potestate erant; sed tunc demum ab omni culpa absolvitur hic, si, quę in artis potestate sunt, præstiterit. Quatenus Percussiones ejusmodi, ratione suarum circumstantiarum, tales aliquando operationes postulant, quarum nomen ejusmodi Magistri inertiæ vix norunt, nec instrumentorum congruorum apparatu instructi sunt, aut illa applicare sciunt. Quibus nihilominus remediis ignoratis aut neglectis ægri, qui ex vulnere haud perirent, imperitiam sui Chirurgi morte luunt, administratis iisdem aliquando à certo interitu vindicantur: cujus inscitiæ exempla funesta ac deploranda, v. g. intermissi trepani, neglectæ extractionis fragmentorum calvariæ, paracenteseos thoracis &c. à Scriptoribus passim enarrantur & quotidianæ in Germania nostra observationis sunt, modo illa recensere haud puderet.

Applicare non vereor trivialibus nostris Magistris querelam, quam de Hispanis sui temporis plerisque *Arcæus l. a. lib.*1. *cap.*3. *& lib.* 2. *c.* 5. jactabat, *qui vel nihil aliud norunt, quam quod à suis ejusdem farinæ magistris didicerunt, vel, quod miserrimum est, suam quisque libidinem, suum privatum errorem, nullo, neque indocto etiam, auctore, sequuntur*: item, *qui neque eos, qui* (funda-

(fundamenta artis) *intelligunt, interrogandos ducunt, neque doctiores consulere, neque expertos magis adire, & duces sequi, commodum sibi aut honestum arbitrantur. Hinc etiam fit*, pergit, *ut si gravis aliqua & magni momenti curatio contingat, tametsi nonnihil jam illius cognitionis, vel ex temporis longitudine, vel ex ingenii felicitate, vel alia ratione, sibi pepererint, tamen instrumentorum, aut inventorum, aut inveniendorum, usu, quibus ea res effici possit, careant, cum nulla talia ipsis vel videre, vel cogitare, unquam contigerit. Si quæ vero illis forte sint, neque ea norunt, neque iisdem uti didicerunt. Quotus enim quisque in hac citeriori Hispania est; cui abaptisti (sive terebellum, sive trepanum, vocare malis) usus notus sit, imo istis plerumque terebrandi officium ut periculosissimum & lethale omnino damnatur, asserentibus fieri non posse, dum trepano utaris, quin ex &c.* Nec prudentioribus & conscientiosis adeo iniqua nostrisque chirurgis incongrua videri poterit censura *G. Fabr. ab Aquapendente*, per quam insigniores Veterũ operationes nunc obsoletas *de thorac. sect.* ait, & quidem inter alia ideo, *quia non reperiuntur eximii Chirurgi, sicut deceret, qui calleant anatomen, & tuto noverint perforare, & id genus omnes operationes tuto moliri, sed formidolosi plerique.*

Neque vulneranti favere potest iniqua & inhumana quorundam illatio, quod, quia hæ vel istæ operationes generosiores, provinciis & locis nostris minus usitatæ, aut Chirurgi illarum ignari sint, earum neglectus culpa in hoc devolvi haud queat; sed circumstantia hac non obstante, vulnus, ex quo moritur percussus, per se lethiferum appellari debeat: cum nec multitudo errantium & ignorantium, nec illorum tenacitas, *qui*, juxta *Arcæum, eandem semper insistunt viam, quam prætergredi nullo modo aut posse, aut debere quenquam putant*, errori aut inscitiæ huic tantum patrocinium parere valeat, quod vulnus penes Chirurgos eruditos ac peritos non mortale, in gratiam stupidiorum Tonsorum mortale reddat; potissimũ quia non, quid fiat, sed quid fieri debeat, attendendum est, hęcque vel incuria, vel imperitia, nostrorum Chirurgorum ille ipse obex observatur, qui sanioris artis & salutarium operationum ex his nostris provinciis Colonias excludit.

Aliquot prӕterierunt anni, cum à Principis vicini Quæstore ad cadaveris percussi inspectionem ac sectionem vocarer, simul tamen à me Chirurgus illius loci juratus consilium peteret ratione socii vehementius pariter læsi, vitam adhuc miserrimam agentis. A quô cum circumstantias paulo accuratius rescíscerem ex perforatione calvariæ aliquid spei mihi & illi pollicebar, hinc instrumenta, huic operationi adæquata, simul apportabam, nec sine successu. Accedens percussum sine omni fere sensu ac motu, ultra biduum, nisi convulsivis intercalaribus, & absque rationis usu reperi, ex quibus aliisque signis, quæ huc referre vix quadrat, incerta illa de Trepano spes vires potiores penes me acquirebat, hinc sectionem cutis præparatoriam (nullum enim vulnus conspiciebatur) à Chirurgo postulabam, quam inter miseri ejulatus & boatus trepidus & tremebundus satis peragebat. Ast, ubi terebra applicari debebat, imperitiam, quam hactenus egregie celaverat, qui multas clades cruentas ac vulnerum graviorum deligationes atque curationes olim enarraverat, nec trepanum se unquam tractasse, nec hujus usum vidisse, ingenue & cum suspirio fatebatur: ut aut percussum tristi prognostico relinquere, aut ipsemet Chirurgum agere, coactus manum admoverim, & quem intuitu imperitiæ Tonsoris nostri incurabilis insanabilem pronunciare debuissem lęsum, annuente Benedictione Divina, ab orco revocaverim.

Atque ex circumstantiarum harum, tanquam totidem Lethalitatis & Non-Lethalitatis causarum, hactenus enarratarum, ponderatione, quibus fundamentis inniti debeant Renunciationes vulnerum seu percussionum, quæ mors excipit, & quando hæc per se, quando per accidens, mortifera enunciare deceat, satis superque elucescere puto: modo membris singulis earumque læsionibus rite applicentur regulæ hæ generaliores, quod in Sectione sequente annitar. In præsentiarum ex dictis tria formare mihi licet porismata, quorum primum sit: *Inspectionem vulneris ad judicii ejusmodi rationalis concinnationem necessarium ac primarium esse Instrumentum.*

Sc. Jurisperitorum plurimi in vulnere mortali ac non mortali discernendis nonnullis conjecturis utuntur, quarum priorem ab obitus tempore petunt, mortali obiisse vulnere præsumentes, qui intra biduum triduumve decesserit, quasi, juxta *Mascardum, natura ipsa per spatium ejusmodi breve eum ex vulnere mortuum demonstraret*: Alii terminum hunc lethalitatis ad octiduum, alii ad decimum tertium usque diem, alii ad octavum mensem, alii, per Legem Lombardorum, ad annum usque, alii longius, si nimirum per totum hoc intervallum symptomata à vulnere indies ad mortem usque ingravescant, extendunt, v. g. idem *Mascardus* & *Gomesius*, & quidem posterior his verbis: *Si post vulnus illatum in continenti decesserit vulneratus, præsumitur ex vulnere & ejus occasione decessisse; si vero probetur*, pergit, *quod post vulnus illud semper & continuo fuerit infirmus, & tandem decessit, similiter præsumatur ex prædicto vulnere & ejus occasione decessisse &c.* Eo ipso nihilominus, dum horum Doctorum, quidam latiorem, quidam angustiorem, vulneris, quod recens vocant, terminum concipiunt, imo plerique eorum ad judicium Medicorum insimul recurrere jubent, v. g. *Mascardus Conclus.* 1039. alii non attendendum esse ajunt, quanto tempore quis supervivat, seu quandocunque moriatur, modo alias, Vulnus mortale esse, constet: equidem ita probabiliter satis concludere possumus, brevi vel de recenti (sc. vel mox, vel intra paucas horas) post illatum vulnus læsus mortuus est, E. ex vulnere, ut tali, obiit, ast soli huic illationi inhærere, adeoque cadaver non aperire, periculosum maxime videtur. Quamvis enim terminus vitæ brevior & vulnerationem immediate magis excipiens mors maxime probabiliter, vulneratum non culpa propria aut Chirurgi periisse, innuat; quin tamen v. g. ex dispositione ejusdem ægri morbifica aut morbo latente, cujus terminus ultimus seu lethalis cum percussionis momento coincidat, aut paulo post contingat, mors sub vulnere exili minusque periculoso aliquando evenire queat, non est, cur adeo præfracte dubitemus.

Exempli gratia suppono, gestasse quendam polypum cordis aliquandiu in pectore, vulneratur is in capite, paucas post horas hospes ille peregrinus, vel ratione magnitudinis & conformationis suæ, vel propter fervorem sanguinis ab ira concitatum, suffocat, adeoque brevi post percussionem obit læsus: quis hunc à vulnere periisse ideo diceret, quod mors paulo post illius illationem contigerit? Nondum biennium est, cum in vicinia Vir quidam Nobilis ac strenuus, ætatis consistentis, habitus formosioris atque athletici, sine symptomatis evidentioribus sub diæta accuratiore vivens, uno verbo, cui summam senectutem promisisset quilibet, ad latus uxoris repente occumberet, cujus subitaneæ mortis causa in cadavere ruptura sinistri cordis ventriculi prope ostium Aortæ, hincque cruoris ad pectus profusio deprehendebatur. Hunc E. si paucis ab obitu horis leviter sauciari contigisset, v. g. in abdomine, nonne, solius temporis rationem habens, ex vulnere mortifero decessisse, autumasset? phœnomeni revera exitiosi ignarus, & talis quidem, cujus nulla signa prӕcedaneæ comparebant, & quale vix unquam viderunt Prosectorũ oculatæ manus. Quadrat huc Casus, quem ex *Bogdanii* literis ad Bartholinum superius transcripsi, Rustici sc. ex pugno pectori inflicto post quatriduũ defuncti: Ex cujus circum-

circumſtantiis cunctis percuſſionem illam cauſam mortis ſubitaneæ remotam, quæ internam procatarxin moverit, vel concomitantem duntaxat ſecundum regulas artis pronunciarunt ad deponendum Requiſiti.

Multo minus ex temporis à vulnere illato diuturnitate negative deponendum, i. e. vix ſequitur, periit demum poſt nonum, vigeſimum aut trigeſimum diem aut totidem ſeptimanas vulneratus. E. non vi vulneris occubuit, ſeu Vulnus hoc per accidens tantum tale quid præſtitit: quatenus intercedere ejuſmodi nonnunquã valent & ſolent circumſtantię dilatrices, quæ mortem certam & inevitabilem dubiam reddunt, prout v. g. ſuperius de punctura quadam Venæ Iliacæ internæ innui, quæ à portiuncula pinguedinis accumbente forſan obturata; ad decimum tertium uſque diem ſuperſtitem reliquerat fato brevioris termini alias mancipatum. Quemadmodum enim inter reliquos præter vulnera morbos non acuti tantum & quorum tempora breviora ſunt, ſed chronici quoque infiniti, vere & per ſe mortales deprehenduntur, nec horum diuturnitas lethalitatem excludit: Ita nulla apparet ratio, cur vulnus tardius interficiens ſeu chronicum, minus per ſe enecet, modo conditio vulneris eventui fuerit adæquata, id eſt, tale hoc extiterit, cui manus Medica nihil medelę conferre potuerit, actio nihilominus hinc læſa œconomiam vitalem enormiter, quamvis lento ſatis motu, evertat. Quippe ſi termini brevitas mortiſve celeritas, ut talis, vix perpetuo lethalitatem per ſe infert, aut concludere permittit, niſi vulneris conditio reſpondeat: neque vulnus in lentam mortem abiens ideo ſalutare dici poterit, ubi ejuſmodi circa idem obſervantur circumſtantiæ, quæ illud lethale pronunciant. Imo ſi ex illis vulneribus, quæ utplurimum mortifera, quosdam aliquando evadere contingit, hæc nihilominus mortalibus per ſe adſcribuntur: nonne horum aliquod, aliquandiu ſalutem promittens, poſt plurium dierum aut ſeptimanarum decurſum fallere atque enecare poterit, & quidem per naturam ac formalitatem ſuam intrinſecam? prout ſuperius jamdum indigitatum fuit.

Crebriores ſane numerantur caſus, ubi poſt plures demum dies ſanguis extravaſatus, pus ſimiliaque heterogenea, per trepanum, à Chirurgo priore neglectũ, cum ſalute ægri, minus ſperata; fuerunt educta, v. g. animadvertente *Scultero Armament. Chir. obſ.* 5. decimo ſeptimo læſionis die, & ſeptimana vigeſima nona, juxta *Eundem obſ.* 13. item annotante *Lamswerde append. ad Scult. obſ.* 11. vigeſimo primo & *obſ.* 48. trigeſimo ſexto demum die: quales ſane percuſſos tandem, operatione hac poſthabita, certa quamvis lenta, morte perituros fuiſſe, non eſt ambigendum, ut vel, aliis miſſis, *Sculteti obſ.* 7. contuſio capitis, ob intermiſſum terebræ uſum, centeſimo die mortem inferens declarare poterat.

Sunt E. nonnulli, & quidem non tantum *Medici*, ſed ex *ICtis* quoque *Farinacius*, qui negotium hoc ita determinare ſatagunt, quaſi, ſi ſymptomata plus minus graviora, in continenti à vulnere, aut brevi poſt, emergentia, ad finem uſque perdurent, cognata ſibi ſocia adſciſcant, aut in hæc commutentur, pariter ad mortem uſque perpetua, lenta etiam mors illud pro cauſa proxima & efficiente agnoſcat, ſin vero non mox, ſed poſt aliquot demum dies, compareant, vulnus minus mortale præſumatur. Aſt horum regula vix tantę autoritatis æſtimari debet, quin ex vulnere quoque immediate tardius ſuccumbat læſus, cui ſymptomata non ſtatim in principio enata, modo poſtmodum exurgentia lęſioni fuerint adæquata, v. g. contuſioni capitis cephalalgia, vertigo, paralyſis, &c. ac vulneris conditio Lethalitatem involvat. Ita *Lambswerde obſ.* 48. refert, juvenem quendam ex caſu contuſionem, hinc binas fiſſuras in dextro ſyncipite paſſum, ad trigeſimum ſextum tamen uſque diem ab omnibus ſymptomatis immunem manſiſſe, tempore vero hoc elapſo febrem, vomitus, convulſiones ſimiliaque huic morbo communia ſuſtinuiſſe, quę trepanum tandem mitigavit, ægrumque ad brevem reconvaleſcentiam præparavit. Quod ſi vero hæc ſimiliaque remedia fuiſſent prętermiſſa, aut etiam, ob ſitum materiæ peccantis ſimilesve circumſtantias, fruſtraneo conatu applicata, nomine mortem certam ex ejuſmodi percuſſione ſibi augurari potuerit miſer vulneratus, tanquam hujus effectum proximum atque immediatum, quamvis tardius eveniſſet; quod metuiſſet?

Rectius proin judicant v. g. *Salycetus, Boerius, & Farinacius*, ſi alias conſtet, vulnus, quo læſus periit, extitiſſe mortale, vulneratum ex vulnere deceſſiſſe, præſumi, quandocunque morietur idem, etiam ex intervallo: id eſt, non attendi metam temporis volunt, ſed ſi vulnus ex ſua natura fuerit mortale, & vulneratus proceſſerit, ut inquiunt, de malo in pejus, ac tandem mortuus ſit, ſemper illum ex vulnere obiiſſe hocque per ſe lethale, dicendum.

Altera, cui communiter innituntur Jureconſulti, conjectura inſtrumenti lędentis eſt conditio ſeu habitudo, quam moles æque ac figura ejus ſuggerit, utraque diverſitate ſui vulnus gravius leviusve innuens. Verum quia & circumſtantię ſoli innixi pariter in ancipiti relinquimur, quousque penetrarint eadem arma, & quam partium internarum tetigerint; fallax ſatis videtur, quam inde petimus, præſumptio: cum à ſolo manus ictu ſeu inflicta alapa contuſiones capitis & ἐγκεφάλȣ commotiones deplorandas aliquando eveniſſe, pręter Practicorum teſtimonia frequens confirmet experientia. Simili ratione lapidis fuſtisve craſſioris impetum ſuſtinent ſine ulla commotione quorundam calvariæ tenaces, dum aliorum olla fiſſilis admodum ab ictu baculi ſeu ferulæ exilioris in fragmenta ſecedit; quorum diſparium ſucceſſivum exempla frequentiora mecum teſtabuntur multi Medicorum ac Chirurgorum, imprimis cadaverũ ejuſmodi ſectionibus vacantes.

Tertio ex ſymptomatis inſuper gravioribus ac mitioribus de Lethalitate judicium formant: quam firmum autem hoc ſit, ex illis, quæ ſuperius dicta, ſuppono. Quam tandem conjecturis his addunt, loci vulnerati & partis læſæ conditionem ac vulneris magnitudinem, pariter prolixius jamdum delineatas ac circumſcriptas, ſola inſpectio Vulneris accuratior manifeſtat, quod erat probandum.

Imo eadem cadaverum per peritos luſtratio, quoad reliquas circumſtantias, imprimis procatarxin morboſam, in judicio accuratius enunciando, inſigni pollet emolumento. Tales corpori nonnunquam inexiſtere apparatus morboſos, ſeu partium internarum vitia conformationis & unitatis, quæ illato vulnere faciunt, ut ex hoc, cui alias haud ſuccũberet, mortuus credatur vulneratus; aut ad minimum ambiguus linquatur Magiſtratus æque ac Medicus, utri horum morborum in acceptis ſit ferendus illius obitus, ex iis, quę de infirmitate corporis præcedanea hujuſque influxu in mortem cæſi vario diſſerui, repeto: quibus nihilominus determinandis ſola autopſia perſpicaciſſimus deprehenditur judex v. g. an ſubfuerit vomica pulmonum, apoſtema abdominis, horum ruptura, polypus cordis ſimiliaque, à quibus triſtem vix hactenus opinati fuimus eventum, imo interdum vix per ſomnium cogitaſſemus; quę cum plaga tamen de mortis, ſubitaneę aliquando ſatis, cauſalitate certant.

Sed ad alterum nunc Conſectariũ generale progredior, Cadaveris Inſpectionis vim atque auctoritatẽ, in deponẽdo ſuper lethalitate, nõ parũ reprimens: *Sc. operationẽ hanc in Renunciationibus rite condendis non eſſe inſtrumentum ſolitarium.* Id quod vel ideo minus paradoxum videri poterat, quod, qui de Lethalitate vulnerum judicare poſtulatur, huic non tantum innoteſcere conveniat

quæ

quæ pars & quam late quamque profunde sauciata, reliquæque vulneri inhærentes circumstantiæ, sed præterea requiritur, ut de vulnerati ætate, dispositione ante vulnus perpessum, item de cunctis illis, quæ à momento inflicti vulneris primo ad mortis usque articulum illi contigerunt, ipsi accuratius constet: sc. qualia fuerint arma, quibus illud infligebatur, v. g. an venenata? qualem coluerit vulneratus diætam? sub qua cœli plaga aut atmosphæra degerit? an Chirurgus & Medici tempestive advocati? qualem hi adhibuerint solertiam? quomodo adstantes suo functi fuerint officio? quoto die expirarit &c.? Necessariam harum rerum, quæ extra vulnus sunt, notitiam esse, *Celsus lib. 5. cap. 26.* postquam quæ vulnera lethalia ac non lethalia, quæ faciliorís, quæ difficilioris, curationis, per ipsorum membrorũ vulneratorum naturam determinaverat, his verbis edisserit. *Quin etiam confert aliquid & ætas & corpus, & vitæ propositum & anni tempus, quia facilius sanescit puer vel adolescens, quam senior; valens, quam infirmus; neque nimis tenuis, neque nimis plenus, quam si alterum ex his est; integri habitus, quam corrupti; exercitatus, quam iners; sobrius & temperans &c.* Utpote quibus circumstantiis aut ignoratis, aut neglectis, sæpius fit, ut Medicus Lethalitatem per se & per accidens discernere, uno verbo, de eadem certi quid pronunciare, nequeat: imo Collegia quoque, ob denegatam illarum notitiam, inspectionis seu vulneris historia quamvis transmissa lecta ac relecta, sententiam absolutam suspendere aut eousque interdum limitare coguntur, donec pœnam ordinariam subterfugiant occisores.

Cujus erroris scandalive vitandi causa prudenter agit Magistratus, qui in vulneribus non tantum periculosis, sed desperatis quoque, Chirurgo ordinario, aut prius advocato alterum adhuc, imo Medicum peritum, adjungit, non tantum scil. quo nihil eorum, quæ in artis potestate sunt, intermittatur, adeoque si decedat vulneratus, vulneranti lethalitatis per accidens exceptio succidatur; sed, quod præprimis hujus loci, quo, quæ decubitus tempore successive contigerunt, ab his accuratius animadvertantur, adeoque vel ipsimet homicidii & non-homicidii certiorem probationem suppeditent; vel ad Inspectionem & Renunciationem requisitos de his circumstantiis, ut testes oculati, admonere & informare queant.

Accedit insuper & hoc, tales aliquando contingere percussiones mortiferas, Capitis v. g. & Præcordiorum, brevi ac non raro in momento enecantes, quæ utut nullam sensibus evidentem post se relinquunt unitatis solutionem seu Lethalitatis notam, minime tamen ideo pro non lethalibus haberi debent, ut superius innui, in sectione vero subsequente specialius comprobare conabor; si nimirum aliæ circumstantiæ ejusmodi ictuum impetum & vim singularem evincant, v. g. Sanguinis & Lymphæ profusio. Neque virulentiæ ab armis venenatis vulneri affrictæ ejusmodi semper habitudinem mihi persuadere possum, quæ sensoria nostra afficiat: sed vel ex notitia, quam de infectione armorum diligentior inquisitio suppeditat, vel ex symptomatis, illam colligere jubemur.

Tertium dictorum porisma penes me supprimere mallem, aut ex iis hoc eliciendi facultatem aliis concederem, ne arrogantiæ cristam tollere, aliisque, qui hoc argumenti genus olim evolvere conati fuerint, aliquid vel autoritatis, vel famæ detrahere viderer: ast eo ipso, dum post *Fortunatum Fidelem & Ambrosium Pareum, Codronchio* quoque, *Sebizio, Suevo, Corbeo &c.* suas lucubrationes publico exponere licuit, sic nec horum manes, nisi æquo animo, ferent spero, si demum dixero: *Nec sufficienter, nec pro rei exigentia hanc de Vulnerum Renunciationibus Doctrinam hactenus fuisse excultam & traditam, proin emendatione indigere.*

Non gratis me hoc asserere judicabunt sublimioris judicii Ingenia, si attendere iis placeat, quæ mox subnectam. Sc. primo plusquam succincti videntur plerique Scriptorum quoad Nervorum vulnera per se lethalia determinanda, qui error aut defectus Anatomes superiorum temporum imperfectioris soboles est, aut, si mavis, fœtus abortivus eorum, qui ultra *Veslingii* Syntagma Anatomicum & *Sennerti* Institutionum Epitomen sapere noluerunt, suisque sapere sub fide Juramenti Hippocratis interdixerunt. Sicut enim alias in pathologia, prout quidem hæc in Scholis hactenus tradebatur, plerorumque morborum causæ tantum aut in humorum exuperantia, defectu & pravitate, aut viscerum obstructionibus atque imbecillitate, hincque vaporum meteorisationibus, fuerunt supposite, & vix ullus Doctorum, si *Willisium* aliosque modernos excipias, generis nervosi per totum corpus dispersi, & an hujus schematis ac distributionis occasione, ramulis nervorum exilioribus læsis ipsum eorum principium seu cerebrum vel alia organa intermedia, in consensus tristes ac deplorandi interdum eventus rapi queant, rationẽ habuit: Ita parum aut nihil ex Scriptoribus modo allegatis mihi promittere potui rationalis vulnerum Nervorum lethalium judicii. Aliquando nihilominus illa per se mortifera existere, asserere haud vereor, illarum videlicet propaginum, quarum, profundius sitatum, vel puncturis, in convulsiones universales & epilepsiam conjicientibus, vel quibus læsionibus enormioribus, quibusve organa vitalia, seu cor ac instrumenta pneumatica, activitate sua defraudantur, conveniens haud adhiberi valet medela. Suppono enim, nervorum vulnera non adeo prompte coalescere, nec pati summam viscerum horum vitalium in œconomia totius conservandæ necessitatem animæ sensitivæ eclipsin, seu spirituum animalium irradiationem interceptam diuturnã, quin mox rota corruat machina. Quoniam E. ab his motoribus cordis & pulmonum motum, cum vita paribus passibus ambulantem, dependere, ex physiologicis constat: haud sine ratione infero, vulnera nervorum octavi phrenici & intercostalis paris frequentius per se lethalia existere. Quamvis enim experientiæ conforme, nervis in habitu ac extremitatibus corporis læsis, i. e. punctis, cõtusis &c. in iisdem organis, aut toto corpore convulsiones lethales concitari, his tamen plerumque medelam fieri & mortem hinc imminentem declinari, constat: pari nihilominus ratione ac Vasorum sanguiferorum, profundius latentium, & quibus ob situs rationem remedia congrua applicare haud licet, lacerationes vulneribus per se lethalibus accensemus, non obstante, quod in artubus eorum hæmorrhagiæ utplurimum & commode satis refrenentur; ita nec, quod nervis exterioribus sauciatis remedia suppetant, ingruentia aut metuenda eorum symptomata graviora interpellentia ac solventia, de interioribus, v. g. plexibus abdominis, qui auxilia adæquata respuunt, idem nobis polliceri valemus. Et si aliquando ex ejusmodi punctura, in spasmos totius, vel organorum vitalium, conjiciente, quis convalescat, aut dubium manet, an talis vel tanta fuerit nervi læsio, quam oculis usurpare haud licet, aut salutaris ejusmodi eventus rarioribus phænomenis, seu naturæ monstris, accenseri debet.

Pergerem ad Lymphatica vasa, quò etiam lactea cum receptaculo lumbari & ductu thoracico spectant, de quibus pariter penes hos, qui Vulnerum Lethalium Examina nobis tradiderunt, altum observatur silentium; quorum nihilominus rupturas seu vulnera ac Chyli atque Lymphæ nutritiæ profusiones aliquando maxime lethales ut pronunciemus, sanior ratio suadet: ast tractatui specialiori forsan doctrina hæc congruè magis reservatur; sufficiat in præsentiarum innuere, neminem hactenus judicium suum illi applicuisse.

Alterum in Prædecessorum argumenti hujus scriptis desiderium

siderandum est, quod recte equidem supponentes, partium ad vitam immediate magis necessariarum vulnera per se mortalia existere, excluserint nihilominus quasdam ex harum classe, forsan pari jure cum corde, pulmonibus, cerebro &c. hanc prærogativam actionisque nobilitatem sibi vendicantes, hinc eidem lethalitati obnoxios. Thoracis ambitus, quem cum pleura costæ, sternum, spina & musculi intercostales formant, vulnera penetrantia cum costarum fracturis affectibus maximè periculosis à plerisque accensentur, neminem tamen mihi legere contigit, qui hæc aliquando per se lethalia conjecturarit, ideò sc. quod nec ratione actionis, nec usus, compagem hanc ad vitam immediate necessariam concipere poterat ullus eorum, qui in inspiratione pulmones active se habere, putabant, obliti *Galeni* sui dogmatis, passim ab eodem inculcati & à pluribus modernis comprobati, pulmones ad motum thoracis moveri, i. e. ad respirationem passive magis concurrere. Quo concesso ipsis facilè constitisset, testudinem hanc osseo-carneam membris vitalibus ac nobilioribus esse annumerandam, hinc vulnera ejus majora, i. e. quæ respirationem insigniter lædunt ac sufflaminant, plus minus mortifera præsumenda: idem olim jamdum annotante eodem *Pergameno 6. de usu part. cap.* 3. dum à magnis vulneribus, alterutram thoracis partem seu ventrem penetrantibus, animal repente parte dimidia respiratione privari, plane autem respiratione destitui asserit, si pars ejus utraque fuerit confossa. Quæ tristis hujus eventus causa intermedia sit, ex Physiologicis commode deciditur, sive Cartesianam & Svammerdamianam, de aëris ab explicato thorace in pulmones impulsione, sive Illustris Boylii hypothesin, de pondere ac elasticitate ejus, admittamus: quia tamen non Tyronibus, ad quos materia hæc non spectat, sed veteranis magis Artis Cultoribus, hæc trutinanda propono, speculationibus his chartam consumere nolo.

Par ratio videtur fracturæ costarum non unius, sed plurium, aut sterni simul, integro quamvis manente integumento cutaneo ac musculis quoque substratis minus læsis: utpote qua ratione extensio ac constrictio pectoris respiratoria insigniter turbatur, sicque impressio illa vitalis, quam ab aëre ambiente fluidum sanguinis recipit & expectat, brevi & perinde, ac si fauces laqueo constringantur aut quovis modo obturentur, cessat. Bina ejusmodi exempla in praxi annotavi, fractarum sc. costarum, brevi interficientium, utraque quidem in senioribus subjectis, & viris decrepitæ ætatis, percussionibus; nihilominus per se lethalibus adscripta. Nempe Anno 1679. mense Februarii alter horum à fratre (ut ajebant hæreditatis maturandæ causa) cum tanto impetu sternebatur, ut durius allidens scamno latus dextrum intra nycthemerum suffocatus occumberet: nihil tamen violentiæ præter suggillationem partium externarum, quam costas nothas tres superiores ac verarum duas inferiores transversim fractas reperi. Pariter 1709. mensis Maii die sexto, à Magistratu requisitus secui cadaver hominis, qui currus onusti rotis subactus post paucas horas sub maximis angustiis expiraverat: offendi autem in hoc lateris sinistri costas novem & dextri duas superiores confractas, sextam, septimam verò & octavam ejusdem lateris luxatas; quamvis nonnullorum vasorum intercostalium & arteriæ mammariæ sinistræ rupturas, sanguinisque ad cavum thoracis extravasationem in hoc misero accelerasse non dubitarim.

Simile quid de spinalis medullæ parte inferiore, sc. intra vertebras thoracis ac lumborum, sauciata communiter v. g. *Forestus lib. 6. obs. chir.* 4. & *Fallopius de vuln. in genere cap.* 4. afferunt, quasi nec nervorum hujus diramationum, nec fluidi horum cerebralis, visceribus abdominis inferendi, tanta foret necessitas, ut hujus influxu intercepto actiones vitales inhibeantur, quamvis viscera hæc sensu & motu priventur. Verùm quemadmodum *Hippocrates f.* 3. *Coac.* 387. & *Celsus lib.* 5. *cap.* 26. caudicis hujus medullaris vulnera, sine illius superioris partis ab inferiori discretione, mortalibus accensent: sic rariora forsan numerare continget exempla eorum, qui ex thoracis & lumborum medullæ plagis enormioribus reconvaluerunt; & quas harum *Fallopius* sanatas perhibet, forsan non adeo magnæ fuerunt, ut vel illius verba innuunt. Si propriam denuo allegare licet experientiam, Anno 1683. die 30. Aprilis, in agro vicino, globulo sclopeto minore elisô, Centurioni cuidam Cæsareo perforabatur intra secundam ac tertiam lumborum vertebram, spina dorsi, simulque funis medullaris medietas sinistra, ita tamen, ut nec dextra omnino intacta maneret, unde præter dolores atrocissimos, mox febris continua, cum delirio & convulsionibus subinde intercurrentibus, sudor algidus, fœcum ac urinæ suppressio, distensio abdominis & præcordiorum angustiæ summæ oriebantur finemque vitæ die 8. Maii imponebant. Quod vulnus unius ejusdemque generis cum illo mihi videbatur, quod *Tulpius l.* 3. *obs.* 27. describit, ut ut locum ictus in spina non determinet hic: sub intercostalium nihilominus nervorum exortu illud auguror, quod alvi ac vesicæ excretiones impeditas hincque tensionem abdominis prima & potissima illius symptomata referat. Quæ quidem, si vulneri medela fieri nequeat, v. g. in hoc subjecto, cui vivo æque ac mortuo adstiti, propter globulum & fragmenta spinæ nulla arte extrahenda & sub sectione demum comparentia, Lethalitati inferendæ capacia videntur: quod secretionibus & excretionibus his sublatis massa sanguinea heterogeneitatibus ipsi haud proportionatis gravetur, viscera cuncta ac genus vasorum à sero restagnante inundentur, ac tandem his & abdomine præter modum tensis suffocetur vulneratus. Imo perinde ac ex nervo particulari, in extremitate artuum lacerato frequentius in consensum rapitur cerebrum, hincque in lethales convulsiones totum conjicitur corpus: quid mirum, si à trunco quasi hoc nervorum, cui rarius medela fieri potest, læso idem contingat?

Tertio disquisitioni sobriæ vix unquam expositum legimus, quid de Percussionum plurium simul factarum, singularum equidem minùs lethalium, syndrome censendum sit, si ex tali moriatur percussus? numne sc. hæc Lethalitatem inferat? Ubi sane affirmativa probabilis satis videtur, ideo quod plurium membrorum contusiones, lacerationes aut vulnera multos dolores, inflammationes & spasmos pariant, adeoque sanguinis & spirituum motum hinc inde enormius turbent, v. g. contundatur Musculus temporalis, Inguina cum Peritoneo, lacerentur Membranæ Cerebri &c. Quinimo sæviores fustigationes ac flagellationes, quibusvis durioribus instrumentis, in partibus externis ad suggillationem usque factas, quamvis vasa interna haud lacerarint, interficere, experientiâ constat: si imprimis Percussus infirmior ac valetudinis causariæ fuerit, v. g. phthisicus, hecticus, anhelosus, lipothymiis facilè expositus, febricitans &c. nihil interim erroris vel à Percusso, vel Chirurgo, commissum & graviora mox symptomata secuta fuerint. Quatenus nempè hinc factæ suggilationes circulationem sanguinis vitalem atque spirituum maximopere interpellant.

Denique pro argumenti exigentia doctrinam hanc olim haud fuisse traditam, hinc evincere possem, quod aliquando vulnera minùs lethalia per se lethalibus adscripserint, v. g. vesicæ fundi vulnera cuncta, contra revera lethalia minus talia proclamarint, v. g. Lienis, substantiam hujus visceris tantùm, non vasa ejus majora, afficientia: quem utrumque errorem, similesque plures,

plures, minus pariter accurata situs, connexionis, atque texturæ organorum peperit lustratio. Imo tandem eò usque crevit quorundam spirituum narcosis, ut organi haud existentis vulnera inter simpliciter lethalia redegerint, retis sc. mirabilis, vere mirabilis, quippe in Anatomicorum ejusmodi mirabili cerebro ficti potius, quam ejus basi subtensi. Censuræ hujus fundamentum ex Modernorum Anatomicorum consensu prolixe exponerem, nisi illis ingeniis cuncta, quæ nova, sordescere nossem; forsan proin tolerabilior ipsis erit virgula censoria *Jacobi Berengarii Carpensis*, ante sesquiseculum Anatomen ac Chirurgiam docentis, qui in *Isagoge in Anatom. Corpor. hum.* ubi *Experientiam sensualem sibi Aurigam*, ait, *istud rete ego nunquam vidi*, ingenue fatetur, fatua ejusmodi insomnia se successoribus discussurum sperans, Proh! frustra. Ast ne ulli in recensendis pluribus hujus generis soloecismis Anatomico-pathologicis molestiam creem, hæc pro firmando posteriore hoc Corollario & pro parte hujus materiæ generali evolvenda nunc sufficiant.

Modo illud adhuc adjecero, nullum Medicorum jure culpari, nec penes hunc ignorantiæ spatium dici posse, multo minus eundem erubescere debere, si post casus difficilioris enarrationem inconcinnam, aut ubi forsan omnium circumstantiarum, ad accuratius nihilominus deponendum scitu necessariarum, notitia minùs suppetit, Judicium suum detrectet, suspendat, aut dubie vel sub conditione deponat: approbante circumspectam hanc modestiam *Codronchio meth. testif. c. 3.* ubi quemlibet Medicum sententiæ potius peritorum magis se submittere, quam in casu minùs firmatum frivole ac in alterius præjudicium & Justitiæ violationem decernere, suadet. Cui adstipulatur *F. Fidelis in conclus.* Operis, *de Relat. Medicor.* hoc contextu: *Sed illud etiam ignorandum non est, in nonnullas rerum occasiones Medicum nonnunquam incidere, ut, cum nihil certi de re proposita constet, dubia omnia incertaque referre nos etiam oporteat. Non semper enim prompta sunt rerum atque affectionum notæ: ut propterea in dubia atque ancipiti Medicorum relatione satis justa esse possit excusatio.* Et perperam agit, qui rationibus concludentibus minùs sufficienter instructus casum ancipitem dirimere audet, i. e. tale quid asserere sibi præsumit, de quo ipsemet dubitat, aut dubitare poterat debebatque. Non adeo diu est, cum de vulnere transversali tendinis majoris, qui patellam in crure sinistro obtegit atque firmat, ab insultu improvido equi inflicto, deponere me postulabat Prætor hujus civitatis, postquam nimirum ab hoc ortus & per abdominis lateris ejusdem integumenta ad umbilicalem usque regionem ascendens Sphacelus, simulque intestinorum aliqualis Gangræna vulneratam tertia die occiderat. Lethalis hæc videbatur contusio, ratione Sphaceli ac Gangrænæ brevi supervenientis; ast minus talis, quod præter tendinem nominatum nihil laceraverat, & symptomatum aliàs graviorum expers: hinc malui potius in ambiguo linquere, quam frivole asserere negareve, casus hujus lethalitatem.

Quinimo nec Collegiis de sententia ferenda ambigentibus, & interloquendo, ut aiunt, minùs accurate atque confuse à Medico ac Chirurgo observata atque relata technice ac perspicue magis explicari postulantibus, hæsitantia ejusmodi vitio verti debet: Ita tamen, ut defectus momentosos innuant, quibus illos erroris, obscuritatis, præcipitantiæ &c. convincant, sicque perspicuitati ac veritati eruendæ occasionem præstent. Quamvis Medicis cum cœteris peritis leges harumque interpretes, v. g. *Baldus prim. constit. ff.* n. 16. *Mascardus conclus.* 1069. *Gailius obs.* 111. *atque Pacianus* l. 1. *cap.* 47. *num.* 25. in hoc faveant, ut non semper de rei veritate, sed credulitate seu probabilitate, etiam tantùm, in causis nempe, quæ in sensus minus incurrunt, nec aliàs certo sciri possunt, deponant, etiam in ejusmodi casibus, ubi Magistratus illorum relationem jurejurando confirmari postulat.

Sect. 2. *De Renunciatione Vulnerum in Specie.*

In quas & quot classes vulnera seu læsiones lethales intuitu functionum vitalium dirimi queant, superius dictum: nunc ubi earum singulæ perlustrandæ, his recensendis ordo ille appropriatus esto, quem corporis structura suggerit, adeoque à capite mihi initium petere liceat, hinc ad thoracem & abdomen horumque partium vulnera decensuro.

Cap. I. *De Capitis Vulneribus Lethalibus.*

Sanè si in ulla parte corporis vulnerum lethalium ætiologiam determinare difficile, Capitis & Cerebri percussiones sunt, quæ dispatis planè eventus observantur, dum earum graviores aliquando sanantur, ex levioribus verò interdum moriuntur percussi, quod utrumque præter autorum observationes frequentior comprobat experientia: videnturque capitis vulnera peculiare ac diversum quid à plerisque reliquis alere, ut vel ex ipsorum symptomatis atrocioribus evidens fit, ratione cujus sedula iis non minus in curatione, ac si ferendum fuerit de mortalitate eorum judicium, adhibenda erit prudentia atque opera.

Phœnomeni hujus rationem redditurus *F. Fidelis lib.* 4. *f.* 2. *c.* 6. i. e. cur capitis vulnera sua natura nunquam tuta sint? tres imprimis indigitat circumstantias, partis nempè naturam, errandi facilitatem, & curandi difficultatem. Cui equidem per potissima adstipulor, modò ratione partis affectæ (cum ille de integumentorum tantùm externorum vulneribus disserat) addatur, levissimam etiam cerebri denudationem aliquando mortem præstare, si nimirum ab incongruo aëre, qualem sæpius vix discernimus, alteretur hujusque textura tenerrima, hinc mutabilis valde, immutetur. Imo, quæ circumstantia & nocendi ratio non infrequens forsan, ipsius cerebri ingens commotio ejusque tubulorum enormior concussio, complicatio atque contorsio, quam nulla oculorum acies discernit, mortis sub vulnere alias exili existit causa, ab imprudentioribus vix animadversa.

Quibus addo contrafissuras, de quibus inferius prolixius agetur, item rupturas vasorum profundius reconditorum, hincque sanguinem ejusdem loci extravasatum, aut cruorem, qui ex vasis etiam elatioribus laceratis ad inferiora descendit, v. g. ad ossis temporum inferiorem partem, quæ organa auditus asservat: quia nimirum nullo artis instrumento inde educi valet, nisi forsan aliquando Natura inimitabili tendentia ejus excretionem per meatum auditorium præstet. Hujus generis Percussionem Capitis ejusque à Medico atque Chirurgo factam relationem Anno 1679. d. 23. & 29. Septemb. Collegii Nostri Censuræ exponebat Quæstor Libenvverdensis. Ubi quidam Andreas Pfennig ex ictibus violentioribus altero die mortem obierat, in calvaria verò ejus dissecta prope Os Petrosum, seu intra hoc & Duram Meningem, aliquid sanguinis congrumati, forsan per canaliculorum vicinorum rupturam huc depositi, reperiebatur; licet nec in hoc osse, nec cæteris calvariæ partibus, ulla fractura comparuerit. Per se nihilominus lethalis hæc extravasatio, ob situs declivitatem, fuit pronunciata.

Equidem enormiores capitis contusiones præter phænomena externa symptomata diversa sibi familiaria habent, è quibus rupturas ejusmodi intrinsecas dignoscere, non adeo difficile deprehenditur: sc. sic mox ab ictu in humum prosternantur percussi, sensus cum motu aboleantur, sanguinem per os, nares ac aures illi profundent,

fundant, oculi inflentur ac inflammentur, vomant, ac remittentibus etiam his ſymptomatis inſequentibus diebus gravitate capitis notabili premantur. Dantur tamen illarum quoque leviores, quæ, quamvis non mox in principio, certe temporis progreſſu, propter extravaſationem quoque cruoris minorem, graviora ſymptomata patrant, ac præter opinionem enecant, adeoque nec his fidendum.

Quia autem ictus capiti illati vel ejus tantùm integumenta exteriora afficiunt, cutem ſc. cum ſubſtratis muſculis, vel cranium, vel ἐγκέφαλον: de prioribus notandum, hæc quocunque modo læſa, mortem per ſe haud inferre, niſi cerebri ingens commotio ſimilisve ſubſit. De muſculi temporalis vulnere equidem vetus eſt nonnullorum cantilena, ejus contuſiones inciſionesve grandiores per ſe lethales exiſtere, ideo quod *Hippocrates* 3. *Coac.prænot.*369. *de Vulner.Cap* t.19. ſectionem hujus muſculi convulſionem oppoſiti excipere, ac de *articul. t.* 27. muſculos hos p. n. alteratos ac tenſos febrem continuam & ſoporem inducere, aſſeruerit: cujus eventus triſtis hanc rationem vulgo reddunt, quod arteria & nervis inſignioribus gaudeat. Quamvis potior videatur interior ejuſdem ſtructura radioſa, ſeu ex totidem muſculis penniformibus compoſitio, cujus intuitu vix in ulla ſui parte, exterius carnea viſa, lædi poteſt, quin laceretur unus alterve tendo diverſorum muſculorum, hujus compagem conſtituentium: imò nec radioſus ſimplex, ſed biventer & ex duobus quaſi compoſitus obſervatur, quorum, inſtar binarum laminarum, ſibi inſtratarum, extremitates tendineæ in medio illius compagis coëunt; ut taceam pericranium, illi ſuperinſtratum, aut hinc emanans, cujus læſiones periculi magis plenas teſtatur experientia, per continuitatem ſc. quę ipſi cum dura matre intercedit. Quibus addendum, quod muſculus hic nervos ſuos à caudicibus, ex Cerebro ſeu Medulla oblongata immediate magis emergentibus, hinc brevioris ab eorum exortu diſtantiæ, recipiat, binos à tertio & unum à quinto pari: facilius proin hoc ſenſuum & motus organum cum ſuis membranis, ad febrem uſque, delirium, paralyſin, convulſiones &c. in conſenſum rapiat.

Aſt eo ipſo, dum *Hippocrates* ex Muſculi Crotaphitis plagis non convulſionem univerſalem, ſed particularem tantùm, oppoſiti nempe ejuſdem nominis muſculi, & ex illius, per maxillę luxationem, tenſione ſoporem febremque continuam, quibus nihilominus tempeſtiva oſſis translocati reſtauratione mederi licet, hinc ſymptomata per ſe lethalia ex læſionibus ejuſmodi evenire, minime aſſerit; neque ulla pars huic muſculo præ reliquis peculiaris, id eſt, cui laceratæ non adæquata remedia ſuppetant, contigit: traditionem hanc mirari ſeu ridere potius, quàm refutare, congruum mihi videtur, & quæ contuſiones ac vulnera ejuſmodi excipit, mortem ex accidente ſaltem aut propter alias læſiones coincidentes, ſupervenire, puto.

Stant à partibus meis infiniti Medici ac Chirurgi, qui hunc muſculum partim caſu enormiter vulneratum, partim manu provida Chirurgi inciſum, feliciter coaluiſſe perhibent, quorum pauciores allegare impræſentiarum ſufficiet: Prioris nempe claſſis *Pavvium in Hippocrat. de Vuln. cap.* p. 147. *Fontanum in epit. Veſal.* p. 14. *Scultetum arm. chir. obſ.* 3. *Gandorpium ſpecul. Chir. obſ.* 11. & 12. *Volcherum Coiter. obſ. anat. chir.* p. 111. *Cattierium obſ.* 9. & *Wieſeman of Wounds cap.* 9. poſterioris verò, i.e. ſectionem chirurgicam ejuſdem muſculi in caſu neceſſitatis haud omnimode declinantis, ſed cum ſalute ægrorum factam perhibentis, *Fontanum* l. a. *part.*3. *Borellum cent.*2.*obſ.*20. *Pawium* l.a.p.176. *Riverium obſ. à Formio commun.*19 & *ab Aimar commun.*4. *Marchettum obſ.chir.*15. *Job.van Meekren obſ.chir.cap.*1. *Cornelium van de Voorde Lichtende Fackel der Chirurgie p.*476. & *hujus Scholiaſten.* l. a. *item Wiſeman* l. a. Quibus propriam experientiam jungo, per quam olim *Lugduni Gallorum* in Noſocomio, quod *l' Hoſtel de Dieu* vocant, in puero 10. circiter annorum dextrum muſculum temporalem caſu ab alto ita contuſum atque laceratum fuiſſe recordor ut ſuperveniente ſuppuratione os ſubjacens hinc inde nudum plane, imo in hoc ſub illius latere poſtico fiſſuram cernere contigerit, cujus perſequendæ cauſa ejus integrę ſatis fibrarum lateralium faſciculum incidere cogebatur Chirurgus: qui nihilominus poſt delirium, febrem & convulſiones exantlatas ſanitati priſtinæ reſtituebatur. Item militem conſiſtentis ætatis, cujus ſiniſter Crotaphites obliquo vulnere verſus genam uſque ſecuri diſciſſus erat, paucis tantum fibrarum in medii profundo intactis faſciculis, quique præter illius antagoniſtæ convulſionem hæmorrhagiam inſignem & febrem aliquot dierum, nihil ſymptomatis patiebatur, paucarum ſeptimanarum cura ad cicatricis uſque cutaneæ inductionem ſanatum eodem in loco relinquebam. Imo provocare poſſem ad acta publica Quæſturæ Sckeudicenſis vicinæ, à cujus Præfecto Anno 1679. d. 7. Julii ut de fœmina quadam, uxore civis noſtratis, in pago, *Schönau* dicto, vehementius vulnerata, deponerem, poſtulabar: in qua præter vulnus brachii dextri & manus ſiniſtræ plagam capitis obſervabam; ſpithamam circiter longitudine æquantem, i.e. ab occipitio per temporum ſiniſtrum & frontem ad naſum uſque vergentem, ſimulque muſculum temporalem ac ejus vaſa enormiter, calvariam quoque & meninges cum cerebro, cujus etiam aliqua portio excernebatur, in occipitio non leviter inciſa, deprehendi, cum aphonia ſenſuumque fere omnium per biduum ablatione, febre tamen non adeo magna: quæ nihilominus miſera in hanc urbem & ad ſuos delata intra aliquot ſeptimanas ſanata fuit.

Paucis, niſi vel calvariæ fractura, vel cerebri commotio & vaſorum ruptura plagæ aut contuſioni muſculi temporalis combinentur, hæ mortem vix unquam inferunt. Cujus limitationis intuitu nec adeo paradoxa videri poterat *Ant. de Heide obſ. medic.* 20. dum muſculus temporalis forma crucis inciſus in cane equidem concitabat hæmorrhagiam profuſam brevi tamen inhibitam qui ſine ullis gravioribus alias ſymptomatis brevi convaleſcebat; ſine dubio, quod vulnus hoc ſimplex omnino extiterit, nullaque contuſione concuſſioneve cerebri ſtipatum.

Porro Calvariæ fracturæ in ſe numquam mortem inferunt, ſed propter adjuncta tantùm ſine quibus tamen rarius contingunt vel contingere valent, ſc. commotionem cerebri inſigniorem, vaſorum interiorum rupturas, fragmenta membranis ac cerebro infixa, aut hujus compreſſionem atque lacerationem: Proin ſi funeſtus iis ſuperveniat eventus, ejus ætiologia ab una alterave harum ſimiliumque circumſtantiarum erit petenda. Neque omnis vaſorum intra calvariam ruptura & ſanguinis profuſio, calvariæ depreſſio cerebrive compreſſio & vulnus ac à fragmentis punctura mortem infert: ſed fracturæ conditio demum diverſa ejuſmodi pathemata horumque circumſtantias modo per ſe, modo per accidens tantùm, lethalia reddit, illud quidem ſi ratione fracturę adjunctis his congrua medela fieri nequeat, hoc, ſi eandem admittant. Commotio verò cerebri mortis cauſa quando & quando non, judicari debeat, inferius declarabo.

Chirurgia E. illorum, quia in eo conſiſtit ut vel læſionibus internis admoveantur remedia adæquata, vel educantur ac removeantur heterogenea, ſymptomatis lethalibus occaſioni exiſtentia, nempe calvaria depreſſa, feſtuca pungens & ſanguis atque ſanies comprimentia & putreſcentia: ante omnia hic mihi ex ſuperioribus repetere concedatur illud *Hippocratis* effatum, Medicum, qui ſufficit ad cognoſcendum, ſufficere quoque ad ſanandum; & per conſequens fracturas calvariæ, quas vel ratione exilitatis ſummæ, vel ut contrafiſſuras, dignoſcere haud licebat, ſolerti quamvis adhibita indagatione, ſi enarratarum circumſtantiarum graviorum aliquam cum pravis & pertinacibus ſymptomatis ſibi combinatam gerant, mortifera per ſe præſumerem,

utpote quibus non perspectis, aut vix dignoscibilibus, nec medicina applicari poterat. Deinde, utut satis manifesta sit fractura, i. e. quam oculus aut specilli contactus dijudicet, eo ipso nihilominus, dum ratione situs similiumque circumstantiarum, de quibus successive in sequentibus disserendi dabitur occasio, intrinsecus latentibus congrua remedia denegantur, etiam hoc nomine fracturæ aliquando mortiferæ evadunt, v. g. si sanguis extravasatus sub meningibus & interioribus ἐγκεφάλου recessibus hæreat.

Sc. posthabitis fracturarum enarrationibus, quas alii cum *Hippocrate* sub quinario, alii cum *Paulo* sub senario, numero complectuntur, sub ea disparitate mihi hoc loco illas concipio, ut alia sit Fissura, alia effractura seu depressio, alia contusio seu collisio, alia sedes, aliaque contrafissura: hinc in earum mortalitate evolvenda ita procedo.

Fissura quia vel evidens, vel cœca seu abstrusa magis, illa vix unquam lethalis est, quòd vel immittendis medicamentis ac educendis molestiis satis pateat, vel quod, si per angustiam suam operas necessarias haud admittat, de sui dilatatione nihilominus Chirurgum admoneat: adeoque si inde moriatur percussus, ex accidente tantùm talis dici debet. Ast de cœca seu capillari si constet, omnem prudentiam indagatricem ipsi fuisse adhibitam, hanc tamen nullo modo conjecturari licuisse, v.g. si verenda mox in principio haud emergant symptomata, subitanea tamen aut lenta etiam aliquatenus morte & præter expectationem succumbat æger, hanc, si aliqua mortis causa, etiam si talis, quæ alias commode satis sublata & educta fuisset, sub calvariæ sectione reperiatur, lethalem enunciarem, quod malo haud perspecto aut minus perspicuo non valuerit fieri medicina. Paradoxum hoc assertum videbitur pluribus, imo ejus contrarium in Collegiis non raro renunciari novi, ideo quod fissura in se nihil lethalitatis involvat, sanguis extravasatus ac sanies tempestive satis educi queat, terminus mortis interdum satis longus, v. g. in casu sequente: ast difficultatem dignotionis probe ponderantes, hanc summam, difficilem quoque omnimode, curam, inviti post hac fatebuntur, ac in accusando magis Chirurgo, quam vulneratore, haud adeo præcipites se dabunt.

Comprobant hoc Observationes frequentiores, v. gr. penes *Pavv. in Hippocr. de vuln. cap. p.* 82. qui refert, quendam à compotatore in Bregmatis os dextrum poculo stanneo percussum, hujus tamen integumentis molliotibus apertis nihil fissi in Olla repertum fuisse, ægrum pancratice se habuisse & obambulasse: donec post decimum mensem inter ambulandum vertigine correptus conciderit & brevi post expiravit, apertoque Cranio in ictus loco os plane putridum fœtidumque cum meninge comparuerit; ideo sc. quod ab insensibilibus staminum, seu fibrillarum ossearum, tabularum calvariæ meditullium intercurrentium, contusionibus lacerata fuerint vasa illi intertexta, quorum cruor exstillans in inflammationem, hocque meninges & Cerebrum in consensum lethalem abripuerit, cui similem Historiam *Valleriola* in *Comment. in Hipp. de vuln. cap. ad c.* 15. suppeditat. Ejusdem fortè generis dicenda erit occulta illa Rima, quam *Tulpius obs.* 1. *c.* 2. describit, & ex qua, omnibus remediis irritis periit sexta die Vulneratus: cujus Cranium, tam vivi, quam cadaveris, dissectum foris illæsum plane deprehendebatur, intus nihilominus sui fissuras, una cum sanguine, ad basin Cerebri deposito, & Cerebello syderato ostendens. Sane Tabulam Calvariæ externam ictui illato minus cedere, findi nihilominus plus minus internam, hinc inde experimur, qualis læsionis species lethalitatem plerumque pedissequam habet, si non ob aliam causam, certe vasa lacerata, hincque sanguinis ad interiora profusionem. Ita v.g. *Fallopius in Hipp. de vuln. cap.* 13. perhibet, se in Nobilis cujusdam Studiosi Occipitio percusso (raso etiam) nullam equidem vidisse fissuram, donec Lamina superiore penitus abrasa inferior largam satis stiterit. Simile quid de Sutore quodam Parisiense, lapide percusso *Anonymus ille Gallus* cujus aliquoties jamdum memini, *L'art de faire des Rapports*, narrat, hunc equidem intra quindecim dies sanatum evasisse, postmodum verò duris symptomatis prehensum quinta circiter septimana expirasse: super hujus dura matre repertam fuisse saniem purulentam, quæ hanc lividam maximè reddiderit, & in Cranii pariete interno visam fissuram cum aliquali hujus erosione, recta quidem sub loco, qui ictum exceperat, integra lamina exteriore. *Hic casus*, inquit *Berengarius de fract. cran. part.* 2. c. 1. *inter alios timendus est, quia Medicus cum maxima difficultate potest judicare illam speciem læsionis maximè sensu, sed judicio tantum præsumptivo judicabit, visis accidentibus, quæ sequuntur ad talem speciem &c.* Quæ tamen pariter aut non mox eveniunt, aut fallunt.

Minoris ergo periculi erit fractura latior & patula magis præ arctiore, atque inepte argumentantur ab illis frequentius sanatis, ad minores, capillares ac minus sensibiles; cum hæ plures perimant, ob rationes indigitatas, sanguinis imprimis ad ἐγκέφαλον profusionem; illarum enormiores quoque feliciter curari, experientia crebrior comprobet. *Etenim etsi rima sit tam augusta*, inquit *Ægineta*, ut *sensum exiguitate fallat, tamen pluribus mortis causa fuit:* quanquam non tam ob rimam ipsam, quam ob sanguinem supra interiora Calvatiæ profusum, tale quid eveniat. Ad quas latentes fissuras quoque referendæ, quæ in ossibus Calvariæ profundioribus v. g. ossium temporum inferiore parte, osse Sphenoide, orbitarum, oculorum &c. eveniunt, sub basi Cerebri latitantes, hinc nulla oculorùm mentisve acie comprehensibiles, & læsionibus Capitis per se lethalibus annumerandæ. Non quidem in se, sed quatenus vasa sanguifera rumpunt, aut sub iisdem testæ aut fragmenta secedunt, membranas cerebrumque pungentes ac vellicantes: qualia educere, nulli arti conceditur, exitium nihilominus ægro parant.

In specie si fissura in ipsam inciderit suturam, difficillimũ eam dignosci, *Hip. de Vuln. cap.* 16. tradit, *Fallunt* enim, inquit, *& mentem & visum Medici hæ suturæ, fissuræ speciem referentes & reliquo osse asperiores existentes, nisi vehementer dissectæ fuerint ac dissolutæ.* Seu secundùm *Fallopium in Hippocr. de vulner. cap.* 19. quoniam asperitas specillo deprehensa non indicare facit Vulnus suturæ, & ambigui recedimus ab exploratione facta: num illa naturalis, i. e. Suturę propria, num præternaturalis, seu à percussione superinducta: *Credimus*, pergit *Fallopius*, *enim suturam tangere, & erit vulnus, & econtra, oculus etiam decipitur, qui videbit suturam, & credet os esse fractum*; nisi forsan suturę ipsæ rimam patiantur latiorem, seu hiatum manifestum, quem dissolutionis nomine Hippocrates innuit, dehiscentiam forte commodius dicere liceret. Per consequens si nec oculus, nec ratio, his vitiis detegendis, semper adæquata, quid mirum, mortem, quæ ejusmodi fissuras insequitur, ex conditione vulneris, non imperitia Chirurgi, obvenisse dicamus, i. e. has, quod iis mederi haud licuerit, per se lethales asseramus. Cunctos verò Medicos mihi adstipulantes promitto, fissuram, qua interaneorum læsorum remedia excluduntur, aut heterogeneitatibus ad mortem usque molestis exitus denegatur, semper lethalem esse: quod quibus modis evenire queat, inferius tradetur.

Alias verò etiam aliquando evenire solet, quod ter sibi in Praxi visum *Berengarius Carpensis l. a. part.* 1. tradit, partem Cranii, à re obtusiore percussam, partem ossis sibi oppositam, per suturam tamen sibi connexam, eò usque impellere, ut commissura illa intermedia plus minus evidenter aut omnino non solvatur & hiet, huic tamen intertextæ villæ membraneæ ac vasa conquassentur ac lacerentur, hinc cum sanguine è vasis ruptis destillante temporis successu putrefiant & in pus abeant. Quod, quemadmodum, cute haud lacerata, difficilioris pariter

pariter cognitionis, sic difficilioris quoque medelæ est: atque ideo læsio hujus generis ut plurimùm, hinc per se, lethalis erit dicenda.

Incisio ac punctura aliæ sedis nomine venientes in se mortis causâ minime dici debent: quia utplurimùm cum vulnere evidentes satis & in oculos incurrunt, ideoque patulam viam immittendis remediis & educendis noxiis concedunt, vel de amplianda illa nos monent.

Neque effracturarum talis existit conditio, quin sensibus satis obviæ sint ac cæteris paribus Chirurgiam promptius admittant: nisi quod aliquando sanguis & sanies una cum fragmentis ossis sui eductionem detrectent. Quæ sanguinis ac saniei evacuationem morentur, paulo post dicetur: de testis verò seu fragmentis à calvaria secedentibus, & vel extremitatibus suis acutis, quasi spiculis, meninges ac cerebrum pungentibus ac perforantibus, vel mole sua eadem comprimentibus, monendum, utraque ratione hæc exitiosa valde existere. Quippe sive mole, sive aculeis, in membranas agant, illa comprimendo, his irritando, & in spasmos eas concitando, circulationem per vasa turbant & graves inflammationes movent; cerebrum verò simul in sphacelum conjiciunt, spirituum dispensationem inhibent & apoplexiam provocant. Per consequens si vel fragmenta hæc ita se habeant, ut commode protrahi nequiverint, vel eousq; læserint, ut protracta quamvis, effectus graviores pone se reliquerint: lethales capitis percussiones aliquando reddere possunt. Priore nempe ratione, si portio ossis avulsa seu fragmentum sub os integrum ita se receperit, ut ubi hæreat, nesciens Chirurgus illud apprehendere & extrahere haud valeat, aut v. g. ad basin cerebri hujusve interiora adeo profunde, aut in similem quendam locum, depositum fuerit, ubi instrumentorum usus silet, v. g ex fractura orbitæ oculi, ossis cuneiformis &c. Imo quamvis commode satis, mediante sive trepano, sive per ipsam effracturam patulam, tale ossiculum protrahatur, adeo ut symptomata graviora ad unam alteramve horam remittant, & sensus ad pristinum statum ac vigorem se denuo recipiant, redeunt tamen illa, paulo post cum impetu: vulnus, propter ejusdem duriorem impressionem factam, etiam hoc remoto, percussum interimit, hinc lethale manet.

Ambigua magis videtur contusio seu desessio calvariæ. quia cum ab hac modo fovea remanet, modo eadem deletur, in priore casu, etiam citra ullius symptomatis apparitionem Chirurgo metum rupturæ tabulæ internæ ac vasorum illa incutere & elevatorii atque trepani usum commendare poterat. Quinimo hæc introcessio cerebro ac Membranis comprimendo vim infert, seu motum sanguinis & spirituum plus minus evidenter turbat, in adultis utplurimùm cum fractura. Adeoque ex collisione illa, quam cum externæ tabulæ lacuna, sine ulla accidentium molestia in juvene testatur *Paw. p. 91.* post trimestre eveniens mors artificis potius securitati & negligentiæ erat adscribenda. In posteriore nec de eadem constat, nec talem, nisi ex symptomatum vehementia suspicari, aut per cadaveris sectionem judicare, licebit; hinc ejus effectus haud semper attendere, multo minus avertere, poterit sagacissimus, & sine dubio non culpa Chirurgi, sed aggressoris, perit percussus.

Ex contrafissura, oppositione seu resonitu demum si moriatur idem, cum sanguine extravasato, fragmentorum ad interiora secessu similive circumstantia, non sine ratione me hanc per se lethalibus fracturis accensere, illi annuent, qui in primis artis Principiis evolvendis operam suam aliquando collocarunt. Hos enim ex *Hippocrate de vuln. capit. t. 9.* non possunt latere hæc verba: *Si os vulneratur alio capitis loco, quam quo ulcus habet homo, quintus hic modus est, quod infortunium ubi accidit, nulla re juvare valebis: non enim scire potes, ubinam malum hæreat, imo num æger vulneratus sit, aut quanam capitis parte, etiamsi maximè quæras, certior fies.* Hinc *Paw. p. 106. vere infelices ac infortunatos ejusmodi percussos proclamat, qui nec ipsi sciunt, an, & quo loco l. si sint, nec Medicus ac Chirurgus hac de re certior fieri potest, nisi cum jam conclamatum est.* Et *Pareus 9. c. 8.* ait, cùm nullo certo signo hoc fracturæ genus dignosci valeat, si quando ex tali mors consecuta fuerit, venia dignum censendum esse Chirurgum.

An ejusmodi contrafissuræ dentur, seu unquam existant, prolixe equidem disceptare novi Doctores æque, ac Practicos, ut cernere est penes *Fallopium in Hippocr. de vuln. capit. c. 14. Berengarium part. 2. c. 2. Joh. Bapt. Cortes. in Hipp. de vuln. cap. part. 2. t. 2. A. à Cruce Chir. l. 2 cap 1. Pareum l. 9. c. 8. Sennertum pr. l. c. part. 1. c. 23. Diemerbroeck anat. l. 11. c. . John. Brown of Wound c. 33. & Anton. de Heide annotat. in Cornel. van de Voord Fackel der Chir.* horum aliis illas asserentibus, aliis negantibus: inter quorum illos reperio *Pareum, L. 4. Nic. Florent. Serm. 7. sum. 2 tr. 4. c. 1. à Cruce, Pawium anat. succent. l. oss. 1 obs. 1.* Quibus sane obstrepere nefas, multo minus Berengario subscribendum, quando illos, qui ἀπήχημα s. ἐνύχημα testantur, purum mendacium dicere frivole clamitat; postquam in linea mox antecedente possibilitatem ejus nihilominus non diffisus fuerit, perdifficilem tantùm dixerit. Medicos Chirurgosve ajunt decipi per hoc, q od contingere queat, aliquem in uno latere lapide, fusti, percuti, sine ullo ictus aut fracturæ vestigio, simul tamen eundem percuti in opposita parte, aut hac percussum in terram cadere, seu parieti allidere &c. ut in hac frangatur Calvaria, quod à priore percussione evenisse, imprimis si de posteriore ictu aut allisione minus constet: ut credamus illam partis oppositæ læsionem factâ fuisse ab uno ictu, quæ ab alio seu altero fuit facta, v. g. casu in terram. Quod equidem aliquando ita se habere facilis largior, quin tamen interdum etiam ejusmodi infortunium accidere queat, nihil prohibet. In præsentiarum interim, ne theoriæ præ praxi plus litare videar, neminem adeo difficilem ac obstrepentem mihi in hoc auguror, etsi nulla unquam contrafissura detur, si modo duabus diversis capitis partibus inferantur ictus, quorum unius inflictio aut inflictionis locus ex quacunque occasione nos lateat, etiam hunc per dignotionis difficultatem incurabilem præstiturum fracturam hinc factam, eamque per consequens ideoper se lethalem.

Celsus equidem *lib. 8. cap. 4.* modum eam dignoscendi suggerit hunc, ut si quis graviter vapulet & mala subsequantur symptomata, neque in parte, qua cutis discissa est, rima reperiatur, in parte altera investigetur, num quis locus mollior sit & tumeat, hicque aperiatur: imo alii alia his addunt signa, nempe quod æger manum illi loco frequentius admoveat, &c. Ast cuncta hæc insufficientia ac fallacia satis testatur Chirurgorum multijuga experientia, quatenus non raro in illa quoque cranii parte, in sectione cadaveris, offendimus fissuram, in qua nullus tumor nullaque laxitas cutis conspiciebatur: imo qualis tumor cutisque secessus expectari poterit, si lamina calvariæ interna, externa integra, resonitum fuerit passa, aut orbitæ oculi sub musculo temporali, ossi cuneiformi similibusque locis, cuti non immediate contiguis, ejusmodi infortunium imprimatur? qualia phænomena autopsia non raro suggerit. Unicum horum exemplum recensere lubet. Requisitus Anno 1669. Septembr. Taucham, oppidulum vicinum, ut cadaver Christiani Voigtii, ex ictu fustis defuncti, aperirem, in fronte hujus prope & circa supercilium dextrum suggillationem sine vulnere, nihil verò in osse substrato fissuræ, contusionis &c. ast sub prora cerebri in orbita ejusdem oculi dextri contrafissuram sesquipollicaris longitudinis, ad sellâ turcicâ abeuntem, hinc eodem in loco duram matrem ruptam, offendi, offenditque mecum Chirurgus, qui laboris impatiens hanc intempestive abrumpere maluisset. Ægrorum delirantium ac sub torpore, i. e. sine sensu & motu decumbentium, manus, caput hinc inde contrectans, aut nulla, aut minus fida, index est. Præterea non in parte percussori semper

ſemper oppoſita, ſed in vicina quoque aliquando contrafiſſura fit, imo in eadem ſc. ut modo dictum, non lamina externa, quæ ictum excepit, ſed interna, fiſſa, ut vel ex *Fallopio in Hippocr. de Vuln. cap.* 14. *Pareo lib.* 9. *c.* 8. *Pavv. p.* 108. *Tulpio lib.* 1. *obſ.* 2. *& Sculteto obſ.* 14. patet. Imo nonne evenire poteſt, ſicut inſpectiones cadaverum edocent, ut in parte percuſſa excitetur fiſſura, patiatur nihilominus contrafiſſuram alia quædam remotior, de qua, quia illa evidens, nec ſomniare quis poterat? Et certe, *ſi quis non, niſi mera fretus ſuſpicione*, inquit *Pavvius, hanc illamve capit. partem explorandi cauſa ſecet, nihil inibi detrimenti inveniat & æger poſtmodum moriatur, non poterit crudelis Medici evitare nomen, verùm notam tam ſibi, quam arti, inuret non eluendam.* Neque tamen contrafiſſura immediate lethalitatem patrat, ſed pariter, ut modo indigitatum, vel ratione ſanguinis extravaſati, vel fragmentorum inſignium, quæ vel aculeis vel mole ſua membranis ac cerebro exitioſa exiſtunt, & quorum neutrum, utpote haud exploratum, protrahi poteſt. Sanguinem ſub contrafiſſura vix ullus diſputabit: aſt tantùm ictus illati ad contrafiſſuram uſque eſſe potentiam, ut in teſtas majores minoreſve interior calvariæ lamina ſecedat, mirari, haud tamen omnimode negare, conceditur. Miſerum hujus phænomeni exemplum eſt, quod *Pavv.* l. a. refert, de Juvene quodam, qui capite pronus in terram conciderat, & tertio poſt caſum die obierat: cujus calvaria diſciſſa omnino integra & ſine omnis læſionis veſtigio comparuit, ab interna parte nihilominus evulſo fragmento ingente, quod per utramque cerebri partem perque intermediam hujus diviſuram ſe trajecerat. Cui addere convenit, quod *Pareus lib.* 9. *cap.* 8. perhibet, cujuſdam Nobilis, caſſide armati, bregmatis lethaliter icti, laminam internam externa integra in multas teſtas ſeceſſiſſe: imo quotidie tale quid evenire, ſectionibus ejuſmodi cadaverum vacantes mecum fatebuntur. Per conſequens, ſi aliquando ejuſmodi infortunium tempeſtive detegatur, huicque æger eripiatur, raro contingentibus hoc erit annumerandum, imo pauciſſima forſan (ſi quæ) penes practicos reperimus exempla eorum, quorum contrafiſſura comparuerit, hæcque cum lethalibus ſuis adjunctis ſeu effectibus ſublata fuerit.

Propero ad interiora Calvariæ, ubi mox de Duræ ac Piæ meningis vulneribus quæſtio exoritur, an hæc inter lethalia referenda? quale quid ſimpliciter affirmare haud poſſumus, niſi forſan intuitu reliquarum circumſtantiarum, ſc. rupturæ vaſorum, cerebri concuſſionis aut vulneris inſignioris, mors aliquando ſuperveniat. Quemadmodum enim cerebri compages nec leviſſime vulnerari valet, niſi inſtrumentum vulnerans hæc ejus involucra penetret, ex læſione nihilominus illa frequentius convaleſcunt ægri; ita cur ſola hæc involucra lacerata mortis cauſam quis præſumeret, haud apparet. Potiſſimum cum craſſam integram, ſi inter hanc & tenuem ſanguis extravaſetur, vel pus colligatur, incidere & aperire haud vereantur Chirurgi peritiores, ut vel ex *Glandorpii Specul. Chir. obſ.* 4. *& Blankarti Collect. Med. Phyſ. cent.* 1. *obſ.* 27. legere poterunt, quibus hoc paradoxum nimis videtur.

Cujus etiam generis videtur experimentum tentativum *Antonii de Heide*, ab hoc *obſ.* 19. delineatum, quo, poſtquam trepano Canis Calvariam perforaverat, forcipe prope ſinum falciformem aperiebat, eum in finem, ut ſymptomata, hujuſmodi læſionis connexa obſervaret. Hæmorrhagiam ſanguine draconis & linteo carpto brevi ſedabat, adeo ut poſt breve animi deliquium ad ſe rediret, & pane ſicco aliiſve (licet minus avide) veſceretur, nullis ab hinc aliis gravioribus ſymptomatis correptus.

Etſi lubens fatear, ejuſmodi inciſiones arte & manu ſuſpenſa factas, haud undiquaque æquiparandas eſſe Lacerationibus ac Rupturis horum panniculorum, cum impetu ſeu violentia majore concitatis: dum harum poſterioribus combinantur fractura, cerebri concuſſio &c: tenſiones quoq; ruptoriæ ac ictus impetuoſius illati plus doloris præ inciſione artificiali parant, hinc ſpaſmis gravioribus totius involucri aliarumque partium occaſioni exiſtunt. Ne advertam, in parte laterali, vel à fractura calvariæ remotiore ac profundiore, cui remedia commode adminiſtrati nequeunt, laceratas meninges lethalitatem utplurimùm conſectariam habere. Senſus delicatioris ſunt hæ membranæ, hincque vulneratæ in paralyſin ac demum convulſiones abripiunt partes, ideoque per ſe mortales nuncupari valent earum lacerationes, ſi fruſtra admota fuerint remedia congrua: & ſi forſan unum vel alterum à læſione ejuſmodi evadere conſtet, aphoriſmo tamen univerſali occaſionem parare nequeunt, per axioma: *rara non ſunt artis.* Urgens interim magis videtur lethalitas in vulnere piæ matris; quod vaſis ſanguiferis nullibi non cernatur hæc intertexta, quæ ſimul rupta multùm cruoris profundunt: Cerebrum quoque integumento hoc denudatum ab aëre ambiente brevi corrumpatur, ejuſque dolorifica conſtrictione ad exteriora protrudatur atq; elevetur.

Ratione læſionum Duræ meningi obvenientium adhuc attendi meretur membranæ hujus textura ſingularis, qua in ſuperficie ſui interna fibrarum craſſiorum & tantùm non lacertoſarum ſtrata bina, ſe interſecantia, in extima ſimplex tantùm, ſiſtere *Anton. Pacchionus de dura mening.* c. 1. ediſſerit, hæcque pluribus figuris exprimit: Per quam conformationem ac alternativam ſui conſtrictionem cerebrum ejuſque vaſa comprimat, fluidum à ſanguine derivatum in ſubſtantiam ejus corticalem & ex hac intra nervorum tubulos medullares exprimat atque propellat, ut *cap.* 4. prolixe tradit. Adſtipulatur huic theoriæ *G. Baglivius de fibra motric.* c. 5. ubi duram matrem maximum humani corporis elaterem air, qui perpetua ſua oſcillatione ſecretiones fluidorum varie promoveat varieque dirigat, hinc ſolidis ac fluidis imperet: vulneratus verò, inflammatus aut quocunque modo læſus convulſiones, deliria, jactationes alioſque motus inordinatos in cerebro ac partibus inferioribus præſtet toti plus minus pernicioſos. Quam theoriam etiamſi haud per omnia meam faciam, admonitus à *Ridley* Anglo, dum in *tr. de Anatome Cerebri* duræ matris motum arteriis cerebri, cum pleriſque anteceſſorum, in acceptum refert: poſtmodum, cum Baglivii hypotheſin, de motu duræ meningis proprio & hujus influxu ad cætera organa, intelligeret, ſingulari experimento, in cane vivo adornato, quod ex *Trans. Philoſophic. Angl.* excerptum in *Act. Erudit. Lipſ.* Ann. 1705. menſ. Maii reperitur, priſtinam ſententiam vindicare, motumque cerebri à peculiari hujus membranæ textura, ab aliis aſſertum, evertere conatus fuit. Ipſa nihilominus ejus ſtructura, ſimplici telæ ſatis abſimilis, ſed ſenſibiliter lacertoſa, & ſymptomata ejus ſtatum morboſum comitantia, innuunt, eam machinæ corporis vitali uſum non exiguum præſtare, adeoque violatam motus hujus generoſiores varios vitiare. Adeo ut minus paradoxe aſſerere liceat, violentiores involucri hujus rupturas aliaſque unitatis ſolutiones convulſionem, paralyſin ac non raro mortem inferre: atque hoc quidem plus minus, quo modo has, modo illas, fibrarum illius ſeries faſſiculoſve violari contingat. Qualem quidem diſparitatem ſpecialius animadvertere non licuit, augurari tamen in genere fecit hoc, quod, tradente *Pacchiono c.* 6. loci diverſitas in dicta membrana, in quo contactus violentiores hæc experitur, cuive hæc vel illa acriora admoventur, majus minuſve periculum inferat, v. g. prope falcem, cujus lateribus Glandulas quoque ſpiſſius ſeu copioſius adhæreſcere, idem Autor *de glandul. duræ matris* aſſerebat.

De vaſorum, involucris his intertextorum, lacerationibus mox dicetur, in ſpecie quoad ſinus duræ matris hic monendum, eorum vulnera, niſi leviſſima forſan, propter enormiores ſanguinis profuſiones, ſemper lethalia pronunciari debere: ſive cranio eouſque aperto, ut patulo

tulo

tulo satis vulneri medicamenta styptica admovere concedatur, sive eodem clauso, hisque remediis aditu intercluso. Nec in dubium hoc vocabit, qui sanguinis uberrimum confluxum ad receptacula illa, imprimis majora, novit, firmateque idem possem diversis Autorum testimoniis, nisi insequentibus casibus sat fidei adscriberem; Facultatis nostræ censuræ 1669. d. 7. Aprilis & 1678. d. 16. Novembr. expositis. Nempe in priore, cuidam furca, aut, occisoris relatione, baculus extremitatis acuminatæ, per orbitam oculi dextri eousque adigebatur, ut processum falcatum in antica parte hujusve sinum duobus foraminulis pertusum & sanguine vacuum, declararet inspectio die tertia ab ictu mortui. In altero, quidam fuste majore percussus repente sine motu & sensu conciderat, & ni fallor, tertio die obierat: in cujus calvaria fractura ingens simulque quartus duræ matris sinus ruptus visus fuit, sanguine multo sub eadem membrana & intra cerebri anfractus atque cavernas collecto. Quod si tamen cranii fractura latior, dubia ideo videri poterat hæc lethalitas, quod sub hac circumstantia ille sanguinis fluxus mortalis commode satis compesci queat, & quidem præeunte *Marchetto*, qui *obs. med. chir.* 4. vulneri capitis latiori, per medium cerebri, ubi hoc à falce dividitur, usque ad corpus callosum penetranti & sinui falcato cum aliis vasis dissecto, gossypium ustum, bolo armena, sanguine draconis & albumine ovorum imbutum, una cum filamentis aridis intrudendo, hæmorrhagiam enormissimam sistebat. Sed quamvis experimentum hoc celebris adeo Chirurgi in dubium vocare mihi haud præsumam, ambigo nihilominus, an levior & superficialis ejusmodi stypticorum applicatio vasis seu receptaculis tantis, quæ præter sanguinem venosum arteriosum simul excipere, eorum pulsus & manifesta satis arteriarum insertio persuadet, obturandis sufficiat: quatenus cerebri subjacentis mollities nullam ab altera parte renitentiam compressivam præstat, & in membris externis, nisi simul adplicari queat deligatio congrua, frustraneus est restringentium usus: violentiorem verò & duriorem ejusmodi remediorum infarctum, hinc compressionem potentiorem, cerebrum mollius sine spirituum dispensationis graviore ac lethali læsione, an feret, quod sanguinis extravasati mole, aliquando non adeo ingente, mox gravatur?

Lacerationes ac rupturæ vasorum sanguifluorum reliquorum, sive cerebro, sive membranis, implicatorum, proin Plexus quoque choroidei, si tales fuerint, per quas enormior ad extra sanguinis contingat profusio, lethales per se censentur: sive apertura calvariæ tanta fuerit per quam styptica applicare liceat, hæc nihilominus tanto malo avertendo vix unquam proportionata sint, ut ex modo dictis suppono; sive situs ac tractus vasis lacerati talia respuat, v. g. arteria illa per fissuram magnam limborum cerebri anteriorum decurrens. Hinc necessario cum sanguine deficiente oscillatio hujus vitalis fatiscit & syncopen apoplexia lethalis brevi excipit seu comitatur.

Sin verò idem sanguis extravasatus intra calvariam congeratur, duplex pariter cerebro inde emergit damnum: alterum ab ejus mole seu pondere, alterum ab ejusdem corruptione seu putredine. Illa siquidem cerebrum brevi ad apoplexiæ concitationem comprimitur; hac verò idem sphacelosum redditur, ac post deliria, vertiginem ac convulsiones spirituum pariter emanationes turbantur: per consequens, si sanguis ille tempestive satis educi nequeat, mortis causa vera & proxima dici meretur. Quamvis enim aliquando per nares atque aures idem aliquando sponte, cum percussi salute, rejiciatur: fortuitum tamen satis & solius naturæ potentioris effectus quia hoc est, artis regulis condendis minus adæquatum videtur; cum pluribus miseris beneficium hoc extraordinarium illa denegat, neque tori Hippocratis & Galeni peritiæ abstrusas has illique soli reservatas, vias terere ac simile levamen istis adferre concedatur.

De sanguine sub cerebro, in hujus substantia, plicis & concamerationibus, intra hoc ac cerebellum atque circa medullam oblongatam collecto, idem asserunt plures, si non omnes: illum verò, qui intra calvariam & membranam crassam deponitur, aliquando Trepano educi adeoque lethalitatem non semper patrare, in propatulo est. Quia nihilominus Medici minus cauti & malitiosi occisorum Procuratores Chirurgiam hanc omnibus ejusmodi casibus adæquatam credunt, hinc ejus omissionem inter neglecta & errores, quibus per accidens saltem mortalis evadat plaga, referunt: non cuilibet sanguini sub calvaria immediate hærenti evacuando hoc remedium sufficere, adeoque aliquando grumos illos per se mortem inferre, sequentibus declarabo.

Nolo in præsentiarum prolixus esse in explicanda difficultate, quam aliquando læsionis locus admovendæ terebræ parit, dum v. g. ex consensu plurimùm Artistarum constat, frontis illi parti, quæ superciliis propinquior eam applicari haud posse: alia plura insuper; hac superata, sunt quæ operationem illam prohibent, seu prudenter negligere jubent. *Primum* horum est symptomatorum mox summa gravitas & mortis hinc evenientis celeritas; ratione quarum circumstantiarum ingentem simul cerebri fibrarum medullarium commotionem aut enormiorem sanguinis profusionem subesse concludimus: quarum hæc sæpe tanta, ut, quamvis aliquid cruoris per foramen modiolo descriptum prodeat, reliquum illius tamen ejusmodi ponderis aliquando observetur, quo cerebrum ad apoplexiam usque comprimat, aut putredine sua idem ad sphacelum usque lethalem brevi contaminet, quod multum sanguinis brevi educi nequeat. Imo fieri haud potest, quin multus sanguis extravasatus per totam ἐγκεφάλȣ convexitatem dispergatur, semperque decliviorem vacui partem petat, hinc nullo instrumentorum apparatu evocabilis. Neque obstabit, quod *Berengarius* l. a. *cap.* 11. *Roonhysen obs. chir. p.* 161. ac 139. *Heide* in *not.* ad *Corn. van de Voorde nieuwlichtende Fackel der Chir.* p. 475. ac denium *Anton. Pacchion. de dura mening. fabrica & usu cap.* 3. non in suturis tantùm, sed undique crassam meningem calvariæ alligari, hincque ejusmodi descensum cruoris fieri haud posse per autopsiam & contra commune dogma tradant; Quippe eo ipso, dum à percussionibus capitis membrana eadem ab osse plus minus secedit & abrumpitur, via patula & locus conceditur sanguini, ex ruptis vasis profuso, sese latius explicandi & ad latera ac inferiora descendendi. Præterea quamvis non cunctos, quibus cerebrum concutitur, necessario perire, lubens concedo: quod si nihilominus enormior ejusmodi quassatio fuerit, sanguini equidem, ad calvariam profuso, extrahendo trepani usus quadrabit, minimè tamen corriget illas cerebri tubulorum interiorum distorsiones aut lacerationes lethales. Neque hac Chirurgia educere licebit sanguinem sub ejusmodi concussionibus ad cerebri interiora rejectum, à quibus nihilominus vehementiora mox in principio symptomata eveniunt, & per consequens in ejusmodi casu, frustranea erit modioli applicatio. Adeoque utut etiam hujus extravasationis illa fuerit conditio, cui Chirurgia hæc in se foret adæquata: eo ipso nihilominus, dum, ut dictum, citius expirat percussus, ac prudens super eandem consilium capere hancque congrue administrare poterat Chirurgus, non hic, sed ipsa læsionis natura, causa mortis dici debet. Accedit, quod rupto majore aut pluribus vasis sanguis equidem extravasatus modiolo evocetur, non tamen impedire queat idem instrumentum, quin illo educto ex rupturis his novus scaturiat, hicque si non cerebrum comprimendo, certe vires dissipando, ægrum, cujus calvaria terebram sustinuit, enecet.

Deinde à trepano nihil salutis expectandum, hujusque neglectus ex percussione per se lethali vix per accidens tantùm lethalem faciet, si signa deficiant sanguinis extravasationem alias indicantia: quales quidem casus determinate mihi haud præsumo, binis tamen vel trinis declarare conabor. Si nempe contingat, quendam remotis arbitris, seu nemine vidente, percuti, ut sine sensu & motu mutus concidat, uno verbo sine omni phantasia & rationis usu percussus reperiatur, nullum vulnus aut tumor simileve, ex quo à violentia quadam externa hæc symptomata lethalia evenisse, suspicari liceat, compareat, hinc nec æger, alius quispiam, qui percussionem innuere possit: talis si sub torpore isto, ex sanguine sub cranio collecto, & alias per trepanationem educibili, moriatur, nonne illa sanguinis profusio per se mortifera erit judicanda, ideo quod causæ mali haud cognitæ non valuerit congrua fieri medela?

Ast ne casus ejusmodi fingere aut somnia alere videar, provoco imprimis ad ingenuorum Medicorum ac Chirurgorum experientiam, quorum sane unus vel alter, si non frequentiora, certe aliqua, sibi aliquando obvenisse exempla, testabuntur, per recensitas aut his similes circũstantias difficultati intimatæ obnoxiarum, hinc per se lethalibus adscribendarum, capitis percussionum: quibus nihilominus, ne ἀσύμβολ☉ plane censear, quid mihi ann. 1688. obvenerit, adjiciam. Vocabar sc. die 6. Septembris à Prædii suburbani Gubernatore, ut secarem cadaver militis gregarii, & de læsionibus ejus deponerem. Sanus hic vespera antecedanea ex hospitio suo ad tabernam cũ commilitone prodierat, mane in compito reperitur semimortuus, aphonus sc. sine sensu & motu, deportatur ad suos & post paucas horas fatis cedit. Nemini constabat, an à violentia externa, an pathemate causæ intrinsecæ lethalia hæc ipsi contigerant symptomata, nisi quod eo jamdum defuncto socius egregie vulneratus narrabat, quosdam homines ignotos & per viam grassantes se cum socio fustibus similibusque instrumentis invasisse, donec fuga sibi prospiciens ipsemet vulneratus mortuum dereliquerit. Nullum violentiæ ullius externæ in toto hoc cadavere comparebat vestigium, nisi brachium dextrum maximè sugillatum, hinc de mortis causa proximè incertus primo medium & inferiorem ventrem, & cũ in his nihil eorum, quæ ominabantur, offenderem, caput quoq; aperiebam, nec in hujus cute, sed sub musculo demum temporali sinistro effracturam cum sanguine extravasato super dura matre deprehendebam.

Quæro itaque, qua ratione quave arte sanguis sub calvaria extravasatus in hoc subjecto dignosci potuisset, cum, quid ipsi obvenerit, nemo deponeret, neque ipse vulneratus (secundum consilium *Hippocratis l. a. t.* 10. *&* 15.) *interrogari potuerit quid passus sit & quomodo?* & per consequens, quid agendum fuerit? an terebrandum in casu, ubi morbi natura hujusque circumstantiæ latent; demum verò, an artificis culpa occubuerit miser hic? Hærebunt quoad bina priora quæsita omnes, postremis negative respondebunt prudentiores. Unde infero, vel propter has solas circumstantias percussionem illam sua natura extitisse lethalem.

Pariter hujus generis erit sanguis, qui è vasis in loco extra percussionis locum, sive cum, sive sine, contrafissura ruptis, emanat ac colligitur: de cujus extravasatione quamvis satis certi simus, cum nihilominus, quia de particulari ipsius situ haud constat, trepano protrahere vix conceditur, concederetur forsan, modo, ubi hæreat, innotesceret. Item, si quis percutiatur baculo exiliore, nulla verò primo aut altero die gravia patiatur symptomata, nec vulnus, aut superficiale tantùm, compareat: qua conjecturandi arte fissuram cranii laceratave vasa sanguinea intelligeret, hinc qua temeritate perforationem cranii & eductionem sanguinis, sibi ignoti, adornaret, Chirurgus? Quodsi interim moriatur ille ex improviso, uter horum causa mortis? an Læsus? an Chirurgus? an Percussor? Ultimus sane mihi omnium quam suspectus videtur.

Tertio sicut sanguinem, qui intra cerebri plicas & concamerationes, sub eodem, cerebello, & sub dura matre hæret, modioli usum detrectare plures mecum convenire superius monui, ita de posteriore, si in capitis ambitu superiore, immediate sub meninge fluctuet, hoc asserere, nimis durum videri poterat illis, qui ex *Glandorpii, Blankarti, & de Heide* observationibus superius allegatis recordantur, aliquando sanguinem purulentum, ad spacium, huic ac tenui intermedium, depositum, incisa priore, cum vulnerati euphoria ac salute, eductum fuisse: quin tamen rupturis utplurimùm, adeoque per se, lethalibus, ejusmodi casus accenseamus, singularia hæc nihil nos morari debent. Quatenus extravasatus hic sanguis indeve producta sanies non semper adeò sensibili, & ad protuberantiam usque meningis turgescentia seu tendentia, qualem in historiis suis scriptores hi testantur, exitum molitur, hinc artis ministerium poscit: sed probabilius est, illum fluxibilitate & gravitate innata inferiora potius, quam superiora, capitis petere, adeoque v. g. ad basin cerebri, aut inter hoc & cerebellum se insinuare, unde sane nulla arte elicietur; ut taceam, si in saniem putrilaginosam abierit, quod aliquando derepente fit; ejus congestionem sub involucro hoc sine piæ matris & cerebri substantiæ singulari alteratione seu corruptione vix fieri posse.

Nec ille sanguis, qui immediate sub calvaria, etiamsi circa bregmata, colligitur, trepano semper cedit, si nimirum *quarto* citius grumescens duræ meningi plus minus tenaciter agglutinetur, *hänget anso feste als Pech*, ut in cadaveribus nõ, nisi duriore rasione, hinc detergatur, & lenta suppuratione seu putredine demum, secernatur, hinc forsan tarde satis per aperturam factam, excernitur, interim cerebri compagi vel mole, vel fracedine, molestus & œconomiam ejus brevi sufflaminans ac destruens. Quam circumstantiam nihilominus à paucis attendi, proh dolor! quotidiana edocet experientia.

Ipsius denique cerebri ac cerebelli plagas *Hippocrates* *s. 6. aph.* 18. 3. *coac.* 387. & 1. *de morb.* 1. 3. mortales ait: quia nihilominus ex harum gravioribus quosdam evadere præter experientiam frequentem scriptorum fide dignorum monumenta perhibent, quorum quædam in *sectione prima* allegavi, pluraque his addere possem, ex quibus in præsentiarum sufficiat à *Berengario de fract. cran. c.* 13. & à *Volch. Coiter. obs. anat. chir.* p. 111. producta exempla, cogitarunt de limitationibus variis Chirurgi, quibus, quousque vulnerum horum lethalitas se extendat, definirent; quamvis vix adeo congruis & phænomenis quotidie obvenientibus haud adæquatis.

Potissimum verò per discrimen inter cerebri corticis & medullæ plagas ambiguitatem hanc declinare attentarunt: quasi corticali tegmini illatæ per se mortem minimè inferant, semper tamen medullam penitiorem penetrantes. Sed hos, quàm inepti sint illi conceptus, docere poterant ex medullaris substantiæ profundiore aliquando laceratione non minus convalescentes, quam è corticalis vulnere succumbentes. Alii inter vulnera ventriculos penetrantia & non penetrantia distinguunt, v. g. *Fernel.* 7. *pathol. cap.* 8. dum inquit: *Si cerebri quoque substantia offenditur, ut facilè fit cum amplificatum, id, (ut plenilunio) omnem calvæ capacitatem implet, mens labat, symptomataque omnia ingravescunt, ac sæpe cerebri portio, non citra vitæ perniciem excidit. Ast si altius in cerebri ventriculos vulnus sit inflictum, aut si transfossi sunt oculi, repentina mors insequitur.* Verùm cum non minus ventriculorum vulnera sanata, ac hos non penetrantia mortem attulisse, multis historiis, quarum nonnullæ sectione prima allegatæ, comprobari posset, merito & hæc distinctio phænomenis cunctis solvendis haud adæquata erit: potissimum cum ex pravo supposito, quasi nempe intra ventriculorum horum concamerationes spiritus animales elaborentur, natales suas trahere videatur. Non is equidem ego sum, qui propter unũ alterumve raro contingentium i. e. salutaria aliquando ventriculis cerebri vulnera, hæc è lethalium

classe

classe eximam, sed illa per se mortifera utique pronuncio: minime tamen ideo, quod ventriculos penetrarit instrumentum lædens, sed quod magnæ cerebri portionis continuitatem solverit, antequam vacuitates has attigerit idem.

Puto E. in cerebri plagarum lethalitate determinanda hac ratione procedendum esse, salvis tamen aliis sagaciorum judiciis. *Primo* sc. respiciendum erit ad illarum magnitudinem ac profunditatem, pro quarum diversitate corticis æq; ac medullosæ substantiæ vulnera modo mortifera, modo non-mortifera, dici poterunt: prioris generis quælibet majora, posterioris salutaria, cæteris paribus, minora neque adeo profunda. Ita tamen ut medullæ vulnus intuitu corticalis vulneris minus, mortem nihilominus per se inferat, quatenus instrumentē percutiens ad hanc penetrare nequit, quin corticis totam profunditatem emetiatur, simulque plura vasorum sanguiferorum laceret: item quod ob situs conditionem remedia vel plane non, vel difficulter admodum, eidem applicare concedatur.

Alteram conditionem formant vasorum majora minorave, plura aut pauciora, discissa seu rupta, per quam corticis æque ac medullæ vulnera uni subjecto exitiosa, alteri secus, existunt: illud sc. si sanguinis ingens copia profusa partem vulneratam cum toto debilitet, aut intra meninges ac cerebrum collecta huic vim inferat. Spectant huc vulnera plexus choroidei, quorum hæmorrhagiam nulla arte compescere licet: Cruor etiam ex hoc profusus recondita magis cerebri, imprimis medullæ oblongatæ principium, comprimendo & secum in putredinem vindicando, lethaliter afficit.

Hinc factum, ut quidam ex modernis Chirurgis v. g. *Pavv. in Hipp. de Vuln. capit. Wiseman of Wounds & Blankart. in Collectaneis Med. Phys.* vulnera cerebri instrumentis secantibus inflicta, quia utplurimùm cerebrum non adeo graviter commovent seu concutiunt, minùs periculosa autument his, quæ à casu ab alto, obtusis atque gravioribus telis, lapidibus &c. emergunt: ideo sc. quod hæc majorem in cerebro excitent tremorem ac concussionem, hinc vasorum sanguiferorum rupturam nunquam non comitem habeant. Quam quidem circumstantiam *Tertio* loco iis, qui super lethalitate deponere postulantur, commendo, cum vulnus cum concussione cerebri vix unquam sine ejusmodi ruptura & sanguinis profusione concipi queat, vel in cadaveribus reperiatur: unde fit, ut illud mox enormiora sustineat symptomata, sensuum nempe ablationem seu torporem insignem, aphoniam, qualia in plagis simplicioribus & acutis magis instrumentis concitatis, non, nisi temporis tractu & ex superveniente putredine ac sphacelo cerebri, eveniunt.

Quarto sicut ex Anatomicis nunc suppono, corticale cerebri ac cerebelli tegmen instar cribri glandulosi se habere, ex cujus acinis infinitis emanantes totidem fibrulæ seu canaliculi medullares fluidum ibi secretum ad totam machinam hujusque cuncta organa dispensant: ita unam præ altera, tam corticis, quam medullæ, portionem vulneratam mortis causam existere probabile fit, illa sc. quæ visceribus nobilioribus & ad vitam vel immediate, vel mediate magis, facientibus, destinata, seu quæ ratione vulneris nervis ejusmodi membrorum spirituum animalium influxum denegat aut intercipit.

Quales equidem cerebri tractus seu areolas nemo Prosectorum à priore determinare poterit; sed ex symptomatum, vulnerationem ipsam mox excipientium, indole ac vehementia tantùm, aut periclitantis vitæ termini brevitate eas, stochasmo satis rationali, auguramur. Ita v. g. si singultus vulneribus ejusmodi superveniat, radices nervi phrenici, sin palpitatio cordis, syncope & asphyxia, sin dyspnœa, tractus cerebri nervis cardiacis ac pneumonicis dicatos, à vulnere laceratos præsectosve esse, probabile videtur: uno verbo ex symptomatis vitalibus, plagis cerebri, sine concussione illius, supervenientibus, plus minus lethales has præsumere ac declarare convenit.

Præmonstratorem mihi hoc in passu reperio *Sennertum pr. lib. 5. part. 4. cap. 3.* dum vulnera cerebri, etsi hoc sit pars nobilis, quatenus cerebrum lædunt, minime lethalia existimat, sed quatenus ob eadem cordi & facultati vitali vis infertur, cujus sedes cerebrum non esset, sed facultatis animalis. Hinc ubi prognosis de ejusmodi plagis formanda, distinguere inter symptomata animalia atque vitalia, quam accuratissime monet: judicando ex posterioribus semper casum quam desperatissimum, ex prioribus neutiquam, cum ex vulneribus ejusmodi non raro sensus omnes interni ac externi motusq; spontanei enormiter lædantur sine vitæ discrimine; si verò facultas vitalis inde periclitetur, mortem sequi necesse sit. Quemadmodum autem symptomata alia facultati vitali vel immediate, nempè pulsum læsum ac turbatum, respirationem deficientem seu suffocationem, vel mediate magis, v. g. actiones ventriculi & intestinorum depravatas ac interceptas, vim inferre ex *sect. 1.* repeto: ita non minus hæc, ac illa, vires extreme absumentia, & vulnus cerebri, quod ea patrat, mortiferum dici debent.

Imo *quinto* non contemnenda aliquando erit circumstantia, Vulneris exilitas, si nimirum hæc impediat, quo minus sanguis extravasatus in apricum prodeat, sed intus coërceatur, aut ad nobiliores magis ejus partes v. g. medullæ oblongatæ principium, se demittat. Monet me de hac Historia, quam *Timæus Respons. medicin.* 18. refert, *sc. Nobilis quidam Silesiacus Francofurti ad Viadrum nocte illuni & tempesta per plateas in excubitores seu vigiles urbis incedit, à quibus in osse sinistro capitis ad suturam coronalem bipenni acuta punctim, in hypochondrio autem dextro ense lato & hebete cæsim, vulneratus illico concidit* ἄφωνος *, die tertio superveniente Epilepsia forti & convulsionibus expiravit.* Cui casui ita hoc suum judicium subnectit, *Vulnus in hypochondrio dextro pro lethali habendum non esse &c. Alterum autem in capite mortem intulisse nullum est dubium: fuit enim, ut in apertione cranii conspeximus, valde profundum & utramque meningem ipsosque cerebri ventriculos penetrans adeoque angustum, ut sanguis, cujus magna copia ad basin cerebri defluxerat, nullo modo evacuari posset.*

In specie verò & *sexto* utplurimùm, si non semper, & per se mortifera deprehenduntur corporis callosi, fornicis, corporum striatorum & medullæ oblongatæ tam crurum quam caudicis hujusque protuberantiarum vulnera, utpote non tantùm partium, medullari cerebri substantiæ continuatarum, sed talium quoque, in quibus ex utroque hemisphærio cerebrali emergentes canaliculi fibrosi, tanquam in centro, seu communi trunco, concurrunt, ac proin in quibus, exigua incisione seu laceratione plures ad organa vitalia abeuntium nervorum radices, manipulatim quasi, præsecantur ac dilacerantur: de qualium surculorum læsione ex symptomatis mox ab ipsa vulneratione evenientibus, certiores reddimur, v g. singultu aut vomitu effero, pulsu maximè inæquali ac intermittente, item dyspnœa &c.

Quemadmodum tandem & *septimo* hujus loci sunt plagæ cerebellum subeuntes, utpote quod motibus involuntariis intrinsecus, nempè cordis, diaphragmatis, ventriculi atque intestinorum, magis quam cerebrum, videtur litare, quatenus par nervorum quintum, sextum, octavum, eisdem organis vitalibus dicatorum majorem ab illo, quam ab hoc spirituum animalium copiam recipiunt, prout nunc ex illis, quæ Anatome moderna de nervorum intercostalium, octavi paris & phrenici exortu atque mutua implicatione nobis detexit, suppono. Imo si experientiam consulamus, vix forsan observare continget, qui ex lacerato cerebello evaserit, cum plura passim obvia sint illorum exempla, quibus satis ingentia quoque cerebri vulnera coaluisse perhibetur, referre huc mihi liceat experimentum, cujus *Perrault, Mechanique des animaux part.*

2. *cap.* 7. & *Vieussens neurograph. lib.* 1. *cap.* 20. meminerunt: Nimirum animalis capite per superiora aperto, hincque dissecto & exempto cerebello, hoc illico mori, integro quamvis cerebro & medulla oblongata; contra insigniter satis in simili subjecto lacerato, imo evulso, cerebro, ut intactum maneat cerebellum, ad aliquot horas satis commode adhuc respirare animal ejusque cor palpitare. Idem in catellis junioribus, quibus calvaria adhuc mollior & suturæ hiscentes, per suturam sagittalem adigendo cultellum in cerebellum, tentavi, vidique eosdem post leviores partium externarum concussiones expirasse, remota verò calvaria in uno totam fere illius compagem perforasse, in altero ad medullosum ejus nucleum tantùm penetrasse, instrumentum.

Quibus denique capitis læsionibus cunctis subnectere convenit σεῖσιν, i. e. Agitationem seu commotionem cerebri, quæ quemadmodum modo pluribus reliquis capitis læsionibus major minorve combinatur, modo sine his à sola concussione illius contingit: ita in priore casu aliquando lethalitatis sociam, in posteriore solitariam, causam illam auguror. Talem qui patiuntur, v. g. ex lapsu aut allisione violentiore, docente *Hippocrate* 7. *aph.* 58. 3. *coac.* 370. & 1. *de Morb. t.* 3. ac *Galeno in Hipp. f.* 7. *aph.* 58. *obmutescunt, sine sensu & motu concidunt, imo, nec apertis quamvis oculis vident, & fere seu utplurimùm moriuntur*: uno verbo frangitur tali quassatione cerebri robur vehementer, ut munia sua peragere nequeat: qualem concussionem à sternutatione etiam experimur, interdum adeo gravem & lethalem, ut mos precandi salutem sternutantibus, etiamnum hodie solemnis, olim hinc originem ceperit.

Quorum quidem phænomenorum duplex sub cerebri commotione existit causa, i. e. quemadmodum hæc modò cum ruptura vasorum, cerebrum ambientium ac transeuntium, modo sine hac, fit: ita eadem symptomata gravissima aliquando à cruore extravasato, aliquando sine hoc, à sola partium cerebri quasi dislocatione & situ mutato, dependent. Ruptorum vasorum sanguineorum ex concussione capitis exempla infinita hinc inde ex Medicorum ac Chirurgorum historiis depromere liceret, neque ullus talium notitia destituetur, cui cadavera ex percussionibus capitis defunctorum secare & lustrare concessum. Plura horum proin & ego enarrare possem, tria tamen tantùm malo, utpote de vasis majoribus testantia Anno 1674. d. 22. Septembris à Quæstore delitiano requisitus, Landsbergæ aperui calvariam Christophori *Kößlers* hoc genere mortis trucidati, ita quidem ut mox sine sensu & motu cum stertore concidisset ac expirasset: in quo præter fracturas & fissuras ossium diversas cerebri à fragmentis lacerationes, item vasorum tam per ambitum hujus decurrentium, quàm eidem intertextorum, rupturas, illum Carotidis arteriæ ramum insignem, qui intra fissuram cerebri dextram magnam, ab orbita oculi per maximam ejus hemisphærii partem abeuntem, reconditur, divulsum mecum viderunt Chirurgus atque adstantes. Ann. 1675. die 9. Maii à Nobilissimo hujus Civitatis Senatu vocabar ad pagum vicinum, *Kohl-Garten*, ut vetulæ, quæ pariter ictu atque Lethargo & sub auditus loquelæque amissione obierat, caput inspicerem: & ecce, in hujus integumentis, nec mollioribus, nec durioribus, nisi inter cutem & calvariam tantillum sanguinis extravasati, aliquod violentiæ perpessæ vestigium cernere licebat, inter duram & piam meningem verò, intra cerebrum & cerebellum ac sub basi utriusque multùm cruoris, ex ramo sc. arteriæ carotidis sinistræ, ad vertebralem sub cerebro deflectentis, effusi. Denique postulatus Ann. 1685. d. 15. Januar. à Quæstore Sckeudicensi aperui cadaver Juvenculæ, sedecim circiter annorum, & ex lapsu quatuo die defunctæ, in cujus capite nihil omnino violentiæ effectus observare dabatur, quamvis cruor ex ore & naribus vivæ pariter satis copiosus promanasset, ac mortuæ promanaret: donec aperta calva & elevato cerebro Carotidum ramus sinister anterior ruptus sanguinis illius scaturiginem monstraret.

Pro illa autem cerebri vibratione lethali, quæ sine ejusmodi arteriarum aut venarum ruptura contingit, commodius concipienda, suppono ex mechanicis, dura quævis, hinc calvam quoque, non ex meris partibus seu machinulis solidis, sibi undique exactè contiguis, congesta esse, sed prout ex staminibus, non ex omni parte cohærentibus, & quæ innumeros porositates ac spatiola intercipiunt, in quibus stringi ac flecti possunt, coagmentantur, ita eorum totam quoque compagem ab ictu violentiore aliquantisper constringi, ejusq; impetus momento cessante, denuo dilatari posse, percussa proin necessariò tremiscere. Qui tremor in ossea hac galea fieri nequit, quin ad cerebrum & partes ipsi intertextas propagetur: utpote quæ illi non tantùm contigua, sed per vasa & membranas continua, sunt: Imo, quemadmodum pariter ex doctrina Percussionis hujusque potentiæ evinci posset, (multis paradoxum ac impossibile visum) vibrata calva cerebro motum, motu suo velociorem seu vehementiorem, imprimit, simili modo, ac pila simileve corpus super tabulam ligneam aut incudem ferream quiescens, ad harum percussionem tremorificam velocius longè his, quæ ictus extrinseci vim immediate magis sustinent, exagitatur & in altum projicitur, quantùm sc. spatium ambiens ipsi concedit; & proindè cerebrum ad calvariæ contusiones quatitur atque subsultat, ac quidem motu pariter tremorifico, plus minus; prout vel percussio major minorve, vel spatium in ejus ambitu amplius aut angustius, est.

Unde ratione prioris circumstantiæ evenit, ut innuente *Hippocrate de Vuln. cap. t.* 13. ictus rectilinei obliquis utplurimum gravius afficiant, imprimis perpendiculares & vertici illati: utpote quorum major est vis, in se perpendiculariter recurrens & quasi duplicata, hinc potentius non tantum quatit calvariam ac cerebrum, sed hoc vel ideo potentius, quod cranio illud hic vicinius sit, eique propius adhærescat. An vero spatium inter cerebrum & cranium in senibus latius, juxta *Holleris* in sæpius allegatum *Hippocratis* Aphorismum *Scholiasten*, primaria & solitaria causa sit, cur in his magis agitetur à percussione cerebrum? vix assererem: cum naturalis ejus flacciditas & subsidentia, ætati huic solennis, ac spatii vacui amplioris causa, plus forsan lethali ejusmodi eventui litet.

Hujus enim meatus seu fibrulæ aut canaliculi medullares, tanquam nervorum primæ propagines seu radices, à vibratione ejusmodi comprimuntur, subsident, contorquentur aut quomodocunque tonus eorum vitiatur, imo illæ aliquando propter summam sui teneritudinem, lacerantur: cunctis tamen his modis œconomia spirituum animalium insigniter turbatur, perinde ac à subsidentia cerebri causæ apoplexiam lethalem *Platerus obs. lib.* 1. *pag.* 16. & *Barthol. cent.* 4. *hist.* 68. annotarunt, cujus formale symptomata, commotioni cerebri supervenientia, constituunt.

Velocius seu protinus sub vibratione illa vehementiore eadem invadere *Hipp. loc. alleg.* tradit, quale quid nihilominus haud perpetuæ observationis est: quatenus non omnes, quibus cerebrum quassatum, mox aphoni concidunt, sed plures aliquando dies sine ejusmodi prostratione mediocriter satis se habent, quale quid *Dodonæus obs. medic.* 1. perhibet, in quodam, qui baculo in temporum sinistro, ad ossis petrosi usque fissuram ingentem percussus, primo non nisi, levi & interpolato sopore, corripiebatur, post plures demum dies in graviorem degenerante atque enecante. Cui similis est ille casus, quem *Valeriola lib.* 3. *Obs.* 8. debemus,

bemus, quo vinitor in syncipitis parte sinistra lapide ictus, sine vulnere, sine fractura fissurave, ad aliquot dies sine gravibus symptomatis manebat, his demum post septimum supervenientibus, moriebatur; sub cujus calvaria multum puris & membrana aliquantum corrupta, comparuit. Præterea ipse *Hippocrates* 5. *Epidem. ægro* 24. quendam, à Macedone in caput percussum, equidem mox corruisse, (forsan notante *Pavvio p.* 150. potius *prærpercussionis robore ictusque vehementia, licet non perturbaretur cerebrum*) tertia verò demum die voce & post hac sensibus privatum fuisse, refert: Ut vel ex hac ipsa Historia, eum in pluribus equidem, non tamen cunctis, præcipitem ejusmodi symptomatum metum incutere voluisse, inferendum veniat. Aut cum *Berengario l. a. cap.* 5. dicere oportet, aliud esse commotionem cerebri, ut talem, id est hujus medullarium tractuum confusiones seu conturbationes, aliud sub & cum ea contingentes vasorum sanguiferorum rupturas ac cruoris depletiones: quarum illæ, si vehementiores, quia ab ictu seu allisione corporis durioris immediate dependent, repente seu subito mutos reddat, reliquisque motibus ac sensibus privet: quæ verò ratione rupturæ arteriarum ac venarum tale quid patret, non semper mox sub ictus momento, sed aliquando tardius, vim suam lethiferam exerat, postquam nempe sanguis putrescit, & hoc modo spirituum dispensationem turbat.

Confunduntur equidem bini hi de cerebri exagitatione conceptus ab illis quoque Scriptoribus, quos Doctores bene meritos venerantur Prudentiores, Classicos vocant temulentis præjudiciis occæcati: ast ipsimet *Hippocrati* forsan illi injuriam faciunt, qui solius cerebri substantiæ vibrationis seu quassationis eventum talem ait, nulla habita vasorum sanguineorum ruptura, horumque fluidi rejecti. Sunt ex primatibus artis nostræ alii magnæ autoritatis, ex quibus brevitatis causa unicum *H. Augenium tom.* 1. *lib.* 9. *epist.* 3. loco plurium nomino, qui accuratius longe inter commotionem substantiæ cerebri, & si per vehementiam contusionis aliquæ venæ in cerebro fuerint abruptæ, indeque sanguis effusus ac putrefactus mortem attulerit, distinguunt: quorum prius sine altero, i. e. quassationem cerebri satis violentam & lethalem absque vasorum sanguineorum laceratione, à capitis contusione aliquando evenire posse, frequens evincit experientia testanturque modo nominatus *Berengarius* l. a. atque *Wiseman. of Wounds cap.* 9.

Quod si ergo à Commotione cerebri, proprie tali, quis moriatur, ejus percussionem per se lethalem, pronunciarem, si nimirum pathemata hinc emergentia non solam facultatem animalem, sed simul vitalem, mox enormius turbarint, remedia, alias congrua, eis amoliendis aut solvendis haud sufficerint. Prout enim de vulneribus cerebri dictum, eorum quædam hoc, alia aliud, accidentium, plus minus lethalium, genus concitare, diversis nimirum ejus partibus seu tractibus præfectis: sic probabile est, ab agitatione cerebri graviore modo hos, modo illos, nervorum surculos seu fibras radicales, præter naturam contorqueri, comprimi, laxari, tendi &c. ac pro harum disparitate alia atque alia phænomena morbosa fieri. Dum v. g. *Heurnius* in *Hipp.* 7. *aph.* 58. quosdam σεῖσιν ejusmodi perpessos tota vita sua ad gustandi & odorandi potentiam non rediisse, narrat: *G. Segerus Miscel. Nat. Cur. Dec.* 1. *ann.* 2. *obs.* 120. in alio ex casu obmutescentiam sine ulla insuper læsione, tandem curatam, testatur; quale quid pariter de quodam, cum insequente tamen post octiduum morte, *Blankart. Collect. Med. Phys. cent.* 4. *obs.* 28. perhibet Quibus demum adstipulatur *Berengarius* l. a. dum ait: *Post concussiones atq; agitationes cerebri, secundum nervos ruptos, ad quæ vadunt tales, varia evenire accidentia*: quæ textus verba quamvis spissiorum spirituum Cephalotomis de nervorum tantùm ex cerebro emanantium caudicibus intelligenda videantur, quin tamen ad radices quoque eorum extendi queant, nihil impedit: cum quæ occasiones radici subtrahunt fluidum animale, ipsi quoque nervo hoc intercipiant.

Sin itaque nervorum cardiacorum, thoracis, phrenicorum, ventriculi &c. surculi radicales, i. e. nervi hi sub primo statim sui ex cerebri meditullio exortu, per hujus generis vibrationem, figuram situmque mutent, eorumve tonus eò usque vitietur, ut vitalium functionum una vel plures graviter hinc turbentur: Contusionem capitis, quam lethalia ejusmodi symptomata, propter cerebri insigniorem commotionem, mox excipiunt, mortalem per se præsumere sana ratio suadet. Quæ verò ratione sanguinis extravasati tale quid præstat, pro circumstantiarum illarum, de quibus superius, ubi de ruptura vasorum, occasione fracturarum calvæ, dicebatur, disparitate, modò per se, modò per accidens solùm, lethalis audiet.

Atque illud quidem in iis eo certius, quorum cerebrum concussum in consensum adeo evidentem interiora Thoracis atque abdominis abripit, ut Pulmonem cum pleura, epar ac lienem inflammari, hinc suppurari contingat. Penes antecessores hujus generis observationes legere vix datur, testantur tamen lethales *P. Marchettis obs. med. chir.* 15. *scriptor ille anonymus Gallus, L'art de faire les rapports*, cujus aliquoties memini p. 80. 81. atque *Ant. Pacchionus de duræ meningis fabrica & usu.* Apostematum horum ætiologiam redditurus *Marchettis* l. a. ex dolore colli conjuncto sibi persuadet, à vulnere capitis ad Thoracis cavum delabi horum materiam: quæ longiore mora pulmones ac pleuram erodat, ex quibus sanies ad abdomen defluens in Jecore ac Liene pustulas excitet, quibus disruptis materia purulenta in abdomen deponatur. Quamvis mox addat; alios de ratione hac fiendi hæsitare, ac potius credere, abscessus in visceribus his, sine metastasi saniei ex capite oboriri: ideo imprimis, quod vix appareat, qua ratione adeo copiosum pus, quo mediam Thoracis & abdominis cavitatem in plerisque fuisse refertam ipsemet commemorat, ex capite ad inferiora hęc delabi queat. Quibus adjicio, nec per sectionem cadaverum ejusmodi manifestari vias seu meatus, per erosionem factos, per quos devoluta fuerit ad Thoracem ac abdomen purulenta hæc materia; nec longiore demum temporis mora semper illam congeri, sed interdum brevius post factam percussionem, v. g. intra triduum, intra quod exile tempus ille *Anonymus* ex ingente epatis abscessu cujusdam Capite vulnerati plus quam septem uncias se eduxisse, pulmonisque totam substantiam pure suffusam se vidisse, perhibet; qualis humoris corrupti moles forsan è cerebro nunquam foret expectanda, utpote quod in ejusmodi casibus raro simul suppuratum cernitur, dum in capite indigitati subjecti nihil nisi exiguum sanguinis congrumati, reperire licebat. Idem confirmat observatio *Pacchioni*, qua refert, quendam in occipite vulnus accepisse, nullis pravis signis hactenus comitatum, donec post octuagesimum à decubitu diem fragmenti, meningi adhærescentis, rudior extractio totius corporis concussionem, partium cunctarum refrigerationem, sudorem gelidum, pulsum admodum debilem & dolorem intestinalem concitarit. Quo evanescente tensionem abdominis factam, manuum compressioni aliquomodo extrinsecus cedentem, interius verò valdè dolorificam, cum inflammatione & exquisitiore dextri Hypochondrii sensu, bilis vomitu & tertia die morte insequente. Nihil puris intra calvariam defuncti, sed aliquam tantùm serositatem, in epatis autem gibbo abscessum insignem, ex quo

quo feri ac puris crudi copia in abdominis cavitatem profluxerit, fuiſſe deprehenſum. Ex quibus concludendum, graviores cerebri concuſſiones tam in ſe, quàm per abſceſſus ejuſmodi medii ac infimi ventris, mortiferas maximè contingere: adeoque in eorum, qui ex capitis percuſſione obierunt, cadaveribus etiam horum extiſpicia fore inſtituenda, quo nimirum de ſingulis circumſtantiis ſatius conſtet.

Addo denique his capitis ac cerebri contuſionibus atque concuſſionibus illam, ubi loco ſanguinis Lympha ſeu ſerum extravaſatur, & ad cerebri interiora, v. g. ventriculos depoſitum, vel ſolum, vel propter illius tractus medullares ſimul turbatos atque diſtractos, enecat: quorum hoc celerius utplurimùm & cum gravioribus mox ſymptomatis, illud lente ſatis, contingit. Rem ita ſe habere, variorum Authorum obſervationes comprobant, v. g. *Joh. Chifflетii obſ. rar.* 11. qui puerum, 14. annorum, poſtquam caput caſu ex alto alliſiſſet, ità commilitonibus in dolio rotatus fuiſſet, in leviſſimam febrem, ſtuporem inſtar temulentiæ ac dolorem capitis incidiſſe, ſubinſequente verò obmuteſcentia dentiumque ſtridore duos poſt menſes mortuum, & ejus cerebri ventriculum dextrum Aquæ libram unam continuiſſe, refert. Cujus quoque generis eſt, quod *Berengarius* cap. 13. de Nepote Cardinalis Strigonienſis perhibet, ſe ex capite hujus inſigniter vulnerato, ſeu ampla fovea in cerebri ſubſtantia excitata, copioſam aquam, per vices coacervatam, evacuaſſe, ſexageſimo verò die hujus portionem de novo collectam & coercitam, Epilepſiam cum rigore & tremore univerſali concitaſſe, qua tamen denuo evacuata vulnus conſolidatum & æger priſtinæ ſanitati reſtitutus fuerit. Porro *Bonetus Sepulchret. lib.* 1. *ſect.* 1. *obſ.* 13. de puero ſeptenni ac ingenii vivaciſſimi narrat, eum, cùm ſupinus ex ſedili in occipitium graviter cecidiſſet, mox de ingente capitis dolore, nullius læſionis notis exterius comparentibus, conqueſtum fuiſſe, cum inſequente verò decimo die iſchuria, decimo quinto fatis ceſſiſſe. Sub cranii integumentis diſſectis in occipitio, ubi ictus fuerat, ampliùs libra una ſanguinis concreti, in anteriore capitis parte, inter cerebrum & meninges ingentem ſeri copiam, delituiſſe. Refero huc bina exempla, quorum alterum amici relationi debeo, alterum propriis uſurpavi oculis. Sc. narrabat prior ſe Amſtelodami apud Blaſium vidiſſe Cranium pueri hydrocephalo defuncti, quem contraxerat, quòd nutrici ulnis ſeu ſinu elapſurum hæc pede altero comprehenſum violentius levarit atque ſuccuſſerit. Ego verò A. 1683. d. 7. Jun. poſtulatus à Prætore hujus civitatis in ſuburbio aperui caput pueri ſeptennis, qui baculo in caput percuſſus, poſt cephalalgias, modò vigilias, modò ſomnolentiam, vertiginem, convulſiones capitis, motum atque erectionem impeditam ac pedum vacillationem, die vigeſimo ſexto occubuerat, in quo nullum violentiæ externæ veſtigium, præter concamerationem ventriculorum anteriorum ſero limpidiſſimo ſcatentem, hincque corporis calloſi portionem, intra bina hemiſphæria cerebri conſpicuam, maximè attenuatam ſeu diſtentam, annotavi.

Contrà ab ictibus ejuſmodi capitis gravioribus extravaſatum ſerum, quandoque cum euphoria per aures excretum, teſtantur nonnulli, v. g. *Langelottus Miſcell. Nat. Cur. Decur.* 1. *ann.* 6. *obſ.* 12. Certum nempe Principem Romæ ex lapſu ab alto tam valde capitis latus ſiniſtrum lapidi impegiſſe, ut ſemianimis abſque ſenſu, motu & loquela ad integrum fere diem jacuerit, venæſectione tantillum ad ſe revocatus: ita tamen, ut abhinc cephalalgia immani & continua preſſo à Medicis trepanum decretum fuerit. Quod dum capiti admovere tentant, ex ſiniſtra aure latex quidam ſeroſus ſtillare incipit, qui Medicos ac Chirurgum ab operatione deſiſtere & naturæ molimen admirari jubet, cujus robore primùm duæ ad minimum & ſucceſſive octo libræ ſeri fuerint excretæ. Cui ſimilis videtur hiſtoria, quam *Cornel. Stalpart van der Wiel obſ. rarior. part.* 1. *obſ.* 15. deſcribit, Fœmellam nempè quandam cono ligneo in bregma ſiniſtrum percuſſam omnem ſenſum & motum perdidiſſe, vomuiſſe & tantillum ſanguinis ex aure ejuſdem lateris profudiſſe, cum levi ſaltem cutis lacceratione, aſt ſine omni calvariæ fractura: quæ tamen poſt venæſectionem aliorumque congruorum applicationem ad ſe redierit & per quinque continuos dies multùm aquæ ſeroſæ, duarum circiter librarum, cum euphoria & ad reconvaleſcentiam uſque excreverit.

Unde hoc ſerum ſit, vel quæ ejuſdem, ab ictibus capitis violentioribus, extravaſationis ætiologia, diſquirere hujus loci vix videtur, nec ego, an ex vaſorum Lymphaticorum, cerebro intertextorum, utpote, nondum à Proſectoribus viſorum, ruptura, an medullarium cerebri meatuum laxitate ſimilive morboſa conſtitutione, hincque ſeri motu impedito ſeu eructatione, tale quid dependeat, determinare præſumo: illud præſentis magis inſtituti videtur, an profuſio & circa meditullium cerebri facta congeſtio, ſi ſymptomatis lethalibus occaſioni extiterit, per ſe lethalis dici mereatur? Quod equidem aſſerendum puto, quatenus ſub calvaria, multò magis intra cerebri ambitum, contingens hydrocephalus nullam curationem admittit, i. e. aqua, ut cauſa mali continens ſeu proxima, nulla arte educi valet: unde tractus cerebri comprimendo, neceſſariò ſenſuum omnium torporem aliaque ſymptomata lethalia, pedetentim inducit; vel de laxitate meatuum cerebri extraordinaria, ſecretioni ac diſpenſationi fluidi nervei exitioſa, teſtatur.

Nihil enim movet, quod *du Hamel Philoſ. Vet. & Nov. tom* 6. ſeu *phyſic. part.* 3. *c.* 6. ex relatione Dodardii profert, ſc. illum diverſis temporibus duorum infantum, hydrocephalorum, capita aperuiſſe: quorum anteriores ventriculi, cum tertio unam & continuam cavitatem efficientes, aqua pura & limpida quamvis turſerint, uterque nihilominus eorum aliis morbis, qui nullo modo capitis affectus dici potuerint, laborarit; & citra omnem convulſionem interierit; hincque aquam intra cerebrum concluſam apoplexiam haud inferre, concludit. Quippe utut talis colluvies non ſemper & mox ſymptomata graviora cerebri ac generis nervoſi inducat, & aliquando ex alia cauſa mors præmatura hydrocephalo affectos, antequam illa vim ſuam in organa illa abunde exerat, tollat, quale exemplum *Veſalius* quoque *de hum. corp. fabr. l.* 1. *cap.* 5. proponit: particularia tamen & rariora hæc phænomena tantæ conſequentiæ haud ſunt, ut eos, qui morbo hoc, ſive per cauſam intrinſecam, ſive violentiam externam, concitato, defunctos, non à ſeri hac congeſtione ſuccubuiſſe, evincant. Plus dubitandi rationis involvit dignotio, qua certi reddimur, an, quod intra calvariam reperitur, ſerum percuſſionis ſeu colliſionis, an potiùs cauſæ cujuſdam internæ & antecedaneæ, productum ſit? i. e. ex ſymptomatum collatione ſemper equidem recte inferimus, colluviem illam horum & mortis inſecutę cauſam exiſtere; rarius verò determinari poteſt, an hæc aliquandiu jamdum latitarit, an à violentia externa promanarit?

Atque hæc de Lethalitate percuſſionum capitis, pro inſtituti ratione ſufficere crederem, niſi frivolos homicidarum defenſores, ne dicam, Medicos artis ignaros ac malitioſos, variis technis, imprimis per medelam minùs decenter adminiſtratam, illam ſuſpectam reddere noſſem; quibus quidem in parte generali me ſatisfeciſſe puto. Inter hos tamen defectus quia frequentiùs trepani uſum neglectum perperam referunt, & per hunc vulnus capitis per ſe lethale, aut per temerariam peritiæ jactantiam, aut mercedis cruentæ

aviditatem

aviditatem, per accidens tantum tale pronunciare satagunt: pro negotio hoc adæquate ventilando opus esse ratus paucis adhuc, quod olim in Dissertatione quadam *de Trepanationis difficultatibus* tentaveram, innuere casus, in quibus Chirurgia hæc necessaria, seu in quibus, non sine imperitiei culpa, negligatur. Quo ex his demum plenius constet, quando illa male & in perniciem Vulnerati fuerit omissa, sicque non tam vulnerantis violentia, quam vulneri inflicto medentis errore, illum periisse, seu Percussionem per accidens demum lethalem evasisse.

Sc. Utilitatem ac Necessitatem Modioli experimur, seu secundum rectam rationem ejus applicationem suscipimus, non in quibusvis Capitis plagis, secundum *Petri Martyris Troni* doctrinam, neque tamen tantum ex Præcepto *Lanfranci*, ubi os Calvariæ fractum inclusum ἐγκέφαλον premit aut pungit: sed, ex *Hippocratis*, *Galeni*, *Celsi* ac plerorumque, antiquorum pariter ac modernorum, sententia, in quibusvis ejus percussionibus, ubi aliquid p. n. sub Cranio hærere auguramur, quod per hanc ejusdemve fracturam angustiorem progredi ac educi nequit, tollendum tamen vi primariæ indicationis. Id est non ipsa Capitis læsio fracturaque Calvariæ, ut talis, Chirurgiam hanc perforatoriã postulat, hincque nullius consequentiæ pronunciatum: Capiti, gravius etiam, sauciato non administratus fuit Modiolus, E. hic percussus culpa negligentius medentis & ex accidente, periit. Sed certæ demũ ejus conditiones seu adjuncta, h. e. quicquid occasione percussionis similisve violentiæ externæ aut ad ἐγκέφαλον detrusum delapsumve huic graviora symptomata parat, aut cujus descensum metuere jubemur. Prioris generis sunt, præter ab extra immissa telorum fragmenta &c. cruor, sanies, lympha & calvæ frustula, quæ sui eductionem exigunt, ne mole premant, acrimonia seu heterogeneitate rodant, vellicent ac asperitate lacerent, atque mortificent: Posterioris classis observamus saniem, rodentem pariter ac sphacelantem, quæ ex osse plus minus contuso, hinc carioso facto, aliquando etiã sine evidentiore fractura, ad interiora Capitis destillat.

Quorum tamen eductionem morantur, & Chirurgiam hanc, penes peritos æque ac imperitos adeo decantatam, difficilem reddunt, aut, si de educendis his horumque situ ac loco specialiore minus certo constet, hinc deficiente seu ignorato indicante deficiat indicatum; aut illa commode educi renuant: sive hoc pariter ratione eorum situs, sive alterius cujusdam circũstantiæ, contingat. Cruorem à percussionibus Capitis extravasari, tandemque in pus saniemve converti, ex cadaverum sectione quam manifestum est; in percussis viventibus vero difficillime dignoscitur, imprimis si nulla, aut non evidens, simul contigerit Fractura. Ex ictus gravioris momento fractum Cranium, rupta Vasa Sanguinemque effusũ ominamur: quia nihilominus illius impetum majorem tale quid non semper patrare, leviorem aliquando profundius lædere, crebrius edocemur: hinc formata conjectura illi percussionis adjuncto seu effectui minus deprehenditur adæquata. Postquam ipsam fracturam sensibus semper dijudicare haud conceditur; signa ejus aliquando nulla, aut fallacia admodum, existunt: prout superius prolixe satis indigitatum dedi, assentiuntur etiam in hoc omnes Artifices. Nec symptomata vehementiora, quę extravasationem ejusmodi comitantur, sc. prostratio in humum subitanea, vomitus biliosus, oculorum rubedo, aphonia, torpor sensuum &c. Commotioni Cerebri incruentæ, i. e. meræ & sine vasorum ruptura factæ illius concussioni, adeo infrequentia observantur, ut necessario ac semper vasorum sanguiferorum rupturam innuant: eadem aliquando evanescunt, hinc Chirurgum securum reddunt, donec ex improviso & cum majore atrocitate recrudescant ac operationem irritam faciant. Neque his casibus perpetua & inseparabilis est Sanguinis per Nares atque Aures eruptio, quam inter signa certiora extravasationis ejusmodi numerant, sed hujus majori ac graviori tantum gradui combinatur: cum nihilominus tantillum Cruoris, quod sine notabili Cerebri succussione ac durioribus symptomatis sub Calvaria colligitur, temporis tractu, aut dum in saniem convertitur, horum lethalia patrat. Haud audiendi, qui, quod in ictus momento percussus non ceciderit, non vomuerit, viderit, audiverit &c. ejus Calvariam integram & illæsam, nihilque sanguinis sub illa extravasatum ajunt: postquam Experientiâ convincimur, Cranium aliquando sine ullis aut majoris momenti Symptomatis, non tantum leviter contundi, sed enormius quoque confringi.

Difficilius longe est Lymphæ dignoscere profusionem, nisi evidens Cerebri concussio eam suspicari faciat; extra quem casum, quia tardius utplurimum congeritur, symptomata ejus aut nulla, aut leviora, observantur, aliqualis tantum nempe sensuum stupor, capitis gravitas ac dolor, vertigo, somnolentia cum vigiliis intercalaribus. Saniem ex cruore productam auguramur, & quidem temporis demum tractu, ex Commotione Cerebri graviore antecedanea &c. vasa rumpente, ac symptomatis quotidie ingravescentibus, juxta illud *Hippocratis, dum pus fit, febris ac dolor augetur:* quam tamen dum educere molimur, res utplurimum deprehenditur desperata, hinc irrita Operatio. Et naturę miraculis adscribendum, quod in Juvene phrenetico Veneto testatur *H. Saxonia prælect. pract. part.* 1. *c.* 3. cui suborto abscessu, purgata fuerit sanies per aures, oculos & nares: quemadmodum pariter, quod penes *Glandorpium Specul. chir. obs.* 4. legimus, de quodam pugili, cui cum graviter in Capite vulnerato tertia die gravia supervenirent symptomata, ut suspicio de materia quadam pręter naturam sub Cranio collecta contingeret, hoc cum Dura matre aperto ingens saniei copia effluxit & æger sanitatem recuperavit.

Neque tamen in hoc casu à Calvarię perforatione aliquid certi promittendum, & pauci illorum quibus ejusmodi suppuratio aut potius corruptela saniosa contingit, evadunt, sanie quamvis copiosius promanante, perinde ac illis, quibus extravasatio ingens, parum spei superesse videtur. Per moram nempe diuturniorem, quam, antequam in pus abeat, sub Calvaria trahit Cruor, decubitu interim suo multum hujus partium contentarum corrumpit: atque hoc equidem eo magis, cum non verum è sanguine extravasato hic formetur pus, sed in liquamen potius putrilaginosum idem convertatur; quod fœtor ejus cadaverosus aliaque phænomena, quibus à pure ingenuo illud quam alienissimum observatur, innuunt. Proin tunc demum & tardius hujus corruptelę se exerentia symptomata equidem materię substantia peccantis eductionem suadent, corruptionem tamen atque fracedinem simul enormem, quæque omnem artis vim superat, simul declarant.

Quę vero sanies occasione Fracturę ex Diploes vasis laceratis in Panniculum destillat, nisi hæc evidens & gravioribus mox Symptomatis illa se manifestarit, vix cognoscitur, adminimum non in principio morbi ac tempestive, sed ubi virium lapsus Chirurgiam generosiorem prohibet, i. e. frustra patet, cui mederi haud conceditur. Quinimo in illa Fracturæ specie, quam Contusionem ac Desessionem ajunt, Medulla vasculoso-carnea, tabulis Calvarię intertexta, modo laceratur, modo comprimitur, hinc sanguis vel ad Diploen profunditur, vel intra vascula cõmpressa stagnat, sub utroque statu putrescit, & os ad inflammationem usque corrumpit: ita quidem ut hujus tubus aliquando panniculo instillatus hunc cum cerebro ad lethalitatẽ usque syderet, in uno subjecto citius, in alio tardius, i. e. aliquãdo post plures demũ septimanas, ne dicã totidẽ menses, pro- ut

ut Historiæ à *Paw. in Hipp. de vuln. Cap. p.* 82. *&* 91. enarratæ testantur. Qualis vitii medela Modiolum frequentius postulat, antequam nimirum os contusum per moram corrumpatur & ejusmodi ichorem ossi vicino pariter, ac substratæ Membranæ corruptivum generet: de eodem nihilominus experimur, difficillimæ satis conjecturæ illud contingere. Quod in osse nulla sensibilis aliquando contingat mutatio, nulla relinquatur & compareat in hoc vel exilissima rima vel fovea: Dum, advertente *Fallopio* & *Vertunio in Hipp. de Vuln. cap.* ejus compages ab ictu compressa depressave mox in statum seu formam pristinam, sc. per Elasticitatem suam intrinsecam, resilit ac restituitur; quatenus in eadem continuum, non juxta magnas, sed minores & intrinsecas tantum, sui particulas, i. e. per meram attritionem, solvitur.

Quod demum festucas & fragmenta majora minorave Calvariæ, tabulę potissimum interioris, attinet, Membranis ac Cerebro diversis modis molesta, præter Fracturæ ac Commotionis Cerebri cœtera signa dolor equidem, cum insequente partium harum Inflammatione hincque delirio aut torpore talia innuere creditur: quia tamen dolor hic aliquando non, nisi confuse, à percusso, sub delirio torporeve, sentitur, aut de eodem ille conqueritur, nec à dolore ipsius Fracturæ squammæ pungentis vellicatio commode semper discernitur. Neque fragmenta ejusmodi, si vel minus aspera, vel læviore sui superficie Membranam contingunt, molestiam semper sensibilem concitant, adeo quidem ut talia interdũ in Cadaveribus reperiantur, quę in vivente adhuc subjecto nullo modo augurari licebat: incerta hinc quoque manent horum signa, & manus Chirurgi prudentis hæsitat in eductione eorum per Trepanationem tentanda.

Porro eductio ejusmodi heterogeneorum, Calvariæ immersorum dubia manet, quamdiu dubii hæremus de particulari eorum situ: i. e. an sub Bregmatis, an sub Temporum, an Occipitis, ossibus, an super Oculorum Orbitas, in Calvariæ basi, in Cerebri Substantia ac Ventriculis &c. lateant. Atque hoc quidẽ, si regionẽ Capitis percussam ignoremus, si Contrafissura subfuerit, plures ictus forsan sustinuerit æger: ut taceam, hæterogenea hæc aliquando pristinum situm mutare & ex altiore loco ad profundiorem volutari. Qualis sane circumstantia ancipites nos reddit, cui Capitis loco admovenda sint instrumenta, labitur interim tempus & cumulantur Symptomata.

Quibus ita se habentibus nemini Medicorum ac Chirurgorum vitio verti potest, si in rebus adeo obscuris, & quas nulla sensus ac rationis acies in apricum ponere valet, hallucinentur ac fallantur, & subesse sibi persuadeant Cruorem extravasatum, festucam &c. hærere hæc in illa Capitis provincia, unde Modioli ope educi queant, haud cogitent vero de alia, quę sedes eorũ vera existit. Postquam nempe in illis & horum circumstantiis singulis pensitandis assiduitatem & peritiam suam comprobarunt; utut eos errasse eventus doceat: nec negligentiæ aut ruditatis accusandus, qui Capite vulneratum, sub cujus calvaria, post obitum secta, cruor, sanies, fragmenta ossis &c. reperiuntur, haud perforavit; multò minùs plaga, ob intermissam hanc Chirurgiam, per accidens tantum lethalis pronuncianda. Eodem siquidem jure, quo veniam meretur, qui in casu, quo cum Indicante Prohibentia majoris momenti concurrunt, calvariam haud perforat, nec ob neglectam Operationem Vulnus minus lethale evadit: nec quamdiu de Cruoris extravasatione, sanie, fragmentulis latentibus &c. horumque situ specialiore incertus, erroris convinci valet, qui illa educere minus molitus fuit; & plaga ejusmodi, ob dignotionis difficultatem, insanabilis seu per se lethalis jure meritoque decernitur.

Accedit huic dignoscendi difficultati alia, hoc est, Heterogeneorum illorum conditiones diversæ, per quas sui eductionem plus minus detrectant, quarum forsan in fluidis frequentior & majoris momenti est situs seu descensus eorum profundior, ratione cujus Trepanum non admittunt, aut irritam reddunt Operationem, si sc. in ipsam Cerebri substantiam, Ventriculos aut Basin fuerint profusa. In Cruore extravasato simul attendi meretur, eum nonnunquam sub Calvaria eousque condensari, ut Duræ meningi instar glutinis spissioris aut picis adhęrescat, hincque in cadavere vix multo conatu ac ferramentis deradi queat. In quali sane casu à Perforatione Calvarię parum sperari valet, dum agglutinatus hic panniculo grumus per aperturã factam protinus haud excernitur, mora vero diuturniore, imo forsan intra nonnullas horas, ἐγκέφαλον ad Apoplexiam usque lethalem comprimit, aut successive, dum in pus abit, idem graviter corrumpit: quod phænomenon nihilominus nulla arte dignoscere conceditur. *Johannes Baptista Carcanus Leonis* equidem *de vulner. capit. serm.* 2. *lect.* 5. coagulum hoc diffitetur, seque sanguinem sub osse extravasatum nunquam grumosum conspexisse, scribit, alios quoque idem asseverasse, memini: talem nihilominus hinc inde offendi, expertus testor, provocans simul ad aliorum Medicorum autopsias, Censuræ Collegii Nostri expositas. Regerere ac discernere commemoro negantes, Congelationem hanc in cadaveribus demum evenire, neutiquam in iis, qui adhuc superstites: ast vidisti fluidum cruorem in vivorum Olla? & quid obstat, quo minùs in viventibus talem concipiamus sanguinem extra vasa rejectum, intestino ac locali motu destitutum; postquam ex partibus vivorum suggillatis v. g. in Capite ipso, per factam incisionem grumos spissiores educi comperimur.

Fragmenta ossium pariter aliquando situs ratione sui eductionem morari per experientiam edocemur, dum à fracturæ loco ad alium interdum ab ipso ictu illato hujusve instrumento dimoventur, cujus exemplum d. 12. Febr. 1686. Budissa ad Nos delatum, ubi fragmentum ossis Bregmatis sinistri in & ab eodẽ sub Calvariã longius detrusum, in quodam *Adam Gottfriedt Fürsten*, ablata hujus summitate reperiebatur, quod per Fracturã, quamvis patulam satis, cerni non poterat. Adjuta forsan horum devolutione aliquando per motum quendam corporis aut capitis incongruum, aut si fracturæ vel aperturæ Trepano factæ linteamina similiave improvide subtrudantur, sicque testæ dictæ de loco suo propellantur. Aliquando à profundiore Cranii parte effracta hæc officula secedunt, quorum extractioni nullum Instrumentum, proin nec Modiolus, adæquatum deprehenditur, v. g. ab ossis Sphænoidis processu, Crista Galli &c. aut Cerebro desuper quoque profundius immerguntur ut nec reperiri, nec eximi, commode valeant. Cujus utriusque casus exempla in uno subjecto, *George-Hauffmann*, suppeditant Acta Pegaviensia, lethalis proin per se à Nostro Collegio Anno 1705. mense Julii pronunciati: utut aliquot à Percussione dies melius se habuerit æger, cessarint aliquandiu Febris, Vomitus ac Vertigo, illeq; demum per Diætæ errores evidentes Febrem de novo cum aliis symptomatis gravioribus sibi contraxerit. Quibus accedit tenacior Testarum, vel Ossi vicino, vel Durę Matri, adhęsio, cujus ratione sine summo aliquando periculo illæ se avelli haud patiuntur; quamvis earum celerem remotionem urgeat dolor, quem lacerando aut pungendo Meningibus ac cerebro gignunt. Cujus rei singularem historiam *Ant. Pacchionus de Dura Matre obs.* 3. recenset de Septuagenario, qui in occipitio vulnus, nullis pravis signis comitatum acceperat. In quo cum post octuagesimam à decubitu diem Chirurgus ossis, Meningi paulò adhærentis, extractionem

propę

prope Suturam Lambdoideam tentaret, repentina totius concussione partiumque singularum refrigeratione hic correptus fuerit, sudore insuper gelido, pulsu imperceptibili, doloreque ad intestina: quo evanescente tensio in abdomine apparuerit, manuum pressioni aliquoties extrinsecus cedens, interiùs vero dolorifica, cum inflatione exquisitioreque dextri hypochondrii sensu. Accesserit his Bilis vomitus & tertia die mors.

Impedit denique hanc Chirurgiam aliquando temporis brevitas, seu subitanea nimis sauciati expiratio: vel quod non mox in principio adeo prava symptomata illam festinantia observentur, nec de circumstantiis ejusmodi constet, unde talia imminere metuendum, vel quod præsto sint Symptomata, si non prohibentia, certe retardantia, eandem, v. g. Hæmorrhagia gravior. Cujus intuitu etiam, si sine Integumentorum mollium vulnere, Capiti contigerit læsio, hinc arte prius fuerit parandum, non ab ipsa mox facta incisione Trepanum admoveri valet, sed altera demum die & fluxu sanguinis, qui eam necessario comitatur, sedato; vel quod hic in languorem ac animi deliquia conjiciat percussum, hinc Perforationem interpellet; vel quod hanc ipsâ & Operatorem in negotio hoc ex arte expediundo turbet. Interim dum perit miser, culpa in illum minimè conjicienda, utpote qui officium suum haud negligit, sed in hoc peragendo impeditur: linquit vulnus per se, non reddit, per accidens, lethale.

Ex quibus discernere erit, quando in plagis Capitis Trepanatio aut secundum, aut præter rationem sanam negligatur, & quando hujus omissio earum Lethalitati deroget: quamvis minus dubitem, hujus generis plures mergere posse casus, qui pro Chirurgis, qui Modiolum non applicarunt, interpellent.

Cap. 2. *De Medullæ Spinalis & Nervorum Vulneribus Lethalibus.*

Cerebri productio & quasi caudex cum sit spinalis medulla, ita tamen, ut cinerea substantia, qualis Corticis ad instar Cerebri compagem medullarem involvit, ab hac in Spinali medulla obvolvatur, & ratione hujus situs diversi Cerebrum inversum commode satis forsan dicatur, hujus quoque & spinæ læsionum examen, intuitu Lethalitatis huc refero: adeo quidem ut, dum conformatione & officio ipsi cum cerebro convenit, ideo etiam à *Galeno* alterum nuncupatur, harum læsiones aliquando mortales augurari conveniat. Quas accuratioris Doctrinæ gratia dispescam in spinæ luxationem, fracturam, vasorum sanguineorum & ipsius funis medullaris vulnera seu lacerationes.

Spina sicut vel ad posteriora, vel ad latera, vel ad anteriora luxatur, ita, quia priores binæ luxationes restaurationem prompte satis admittunt, posterior nunquam, aut non sine summa difficultate & periculo, hæc, si tanta, in tali spinæ loco fuerit, quæ & ubi motus seu actiones, plus minus vitales, turbat ac interpellat, mortis, quæ ipsi pedissequa, causa vera & prima dici meretur, comprimendo scil. medullam inclusam, emanationem fluidi cerebralis ad organa vitalia intercipiens, aut ad convulsiones horum depravans. Per organa vero hæc non thoracis tantum viscera à Galenicis κατ' ἐξοχὴν sic dicta, sed abdominis quoque potissima, subintelligere jubet *Hippocrates 2. prædict. t. 26.* dum ait: *Si spinalis medulla aut ex casu, aut ex alia quapiam causa externa, aut sua sponte, laboravit, & crurum impotentiam facit, ut nec tactum quidem percipiat æger, & ventris & vesicæ, adeo ut primis quidem diebus stercus aut urina nisi coactè reddatur. Quum autem morbus invaluerit, & stercus & urina, non urgente homine, prodit, moritur postea non multo interposito tempore.* Viscerū enim abdominis functiones, quamvis vitalitati non immediate prospiciant, sine illorum tamen functionum integritate vitalitas diu integra persistere nequit: per consequens si per spirituum animalium influxum interceptum munere suo haud fungi valent, causa tale quid præstans per se lethalis præsumitur, adeoque non tantum, juxta *Avicennam*, vertebræ colli luxatæ mortem inferunt, ob nervos, respirationi aut pulsui cordis inservientes coarctatos aut quocunque modo tensos, sed dorsi quoque, imo lumborum, superiores, si nimirum ventriculi, intestinorum & vesicæ urinariæ contingant spasmi enormiores, aut ipsum cerebrum, quod satis frequens, hic in consensum rapiatur.

Vertebræ Dorsi ad interiora seu anteriora non, nisi per summam violentiam dimoventur, aut excidunt, ob renitentiam & firmamentum, quæ à vinculis & ligamentis suis habent, qualia potius rumpuntur, quam ut tantam extensionem ferant: hujusque dearticulationis restitutio vix sperari valet, nec inflammationi dictorum ligamentorum, hinc nec convulsionibus inde ortis, mederi conceditur. Adeoque mortifera utplurimum deprehenditur illa, quod Medullam vehementius comprimat, tendat quoque violentius nervos, ad interiora magis decurrentes, hinc diversas actiones tam vitales, quam animales, frustret: quod à spina extrorsum luxata vix metuendum, nec Medullam, nec hinc excurrentes Nervos, adeo potenter comprimente.

Quinimo circa Spinæ Luxationem adhuc attendendum, quod ab Antiquis non minus, ac Modernis Chirurgis, v. g. *Pareo* & *Fournier* notatum legimus: mortalem magis evenire Luxationem unius Vertebræ, præ plurium sibi contiguarum simul facta dislocatione. Quatenus unica tantum, extra situm suum compulsa, Medullam Spinalem in acutum magis angulum cogit atque secum abripit, ut hæc proin arctius compressa, torsa & tantum non disrupta emanationem fluidi nervei ad partes magis intercipiat: quod si vero plures Vertebræ sibi contiguæ simul dislocantur, in angulum obtusum & leviter tantum illa inflectitur, hinc equidem ejus actio aliquantum, haud tamen omnimode, frustratur, & fluido illi aliquid adhuc transitus patet. Ita ratiocinari jubet *Hippocrates de articulis*, quando t. 43. unum tantum si verticulum exilierit, spinalem medullam hoc magis comprimere, si non etiam abrumpere, tradit: & t. 45. eandem Medullam distorsiones Spinæ circulares, i. e. ad gibbositatem conspicuam factas, facilius ferre, non angularem.

Recensitis his Spinæ Luxationibus cum *Galeno* jungo hoc, ubi Vertebræ equidem de locis suis minus dimoventur, sed intra sedes suas manent, laxantur nihilominus harum Ligamenta eousque, ut illarum contiguitas sensibiliter lædatur, seu juncturæ earum plus minus à se invicem recedant, quod Quassationem seu Seisin communiter ajunt, Elongationem forsan appellare liceret. Qualis equidem Ligamentorum atque Articulationum laxitas non semper tantum periculi involvit, si nimirum à causa interna, & quæ lente magis agit, eveniat: ab impetu tamen externo violentiore si tale quid eveniat, subito utplurimum interficit, vel in ipso ictus momento, vel brevi post, contuso nimirum hinc seu vehementius commoto ac tenso fune medullari. Exemplo sit quidam Joh. Nicolaus *Selinger* Curiensis, qui ab ictu violentiore, Nuchæ inflicto, post nonnulla verba prolata aliosque leviores ac paucos motus atque gressus mortuus conciderat; cujus Cervicis articulatio adeo laxa observabatur, ut hic facile intorqueri & facies in dorsum converti potuerit, nihil vero luxationi analogū, sed Integumenta tantū cum Musculis multo cruore suffusa, comparuerint, prout d. 16. Nov. 1673. Nobis relatum, & Sententia nostra desuper rogata fuit. Cui simile quid præstabat jactus, Cervici Magdal. Catharinæ *Miritschin* illatus,

tus, ſubitanea itidē hujus percuſſę mortis cauſa: de quo Delfavienſes 26. Martii & 5. Octobr. 1685. noſtrum Judiciū poſtulabant. Quibus ex *Pareo* 15. *c.* 17. addo illud Medullæ ſpinalis vitium, à variis pariter violentiis ſeu ſuccuſſionibus eveniens, ſi nimirum illa ab immotis plane Spondylis divellatur, abſcedat atque concutiatur, i. e. ſimile quid Commotioni Cerebri ſuſtineat: quale quid paſſos vix unquam reconvaleſcere, Idem Autor ſentit. Pugnô in Nucha percuſſum epilepticū evaſiſſe, ipſemet recordor.

Quamvis enim v. g. ex *Hildano cent.* 5. *obſ.* 68. theſi huic regeri queant exempla, duorum, qui ex luxatione vertebrarum lumbarium, miſere ſatis, evaſerint, i. e. ſatis diu adhuc vixerint; peculiaris tamen horum eſt ratio, aſſerto meo minus contraria. Quatenus in neutro horum unquam fecum & urinæ contigerat ſuppreſſio, per conſequens nec adeo ingens medullę compreſſio in his concipi poterat: imo rariores forſan ſunt luxationum ejusmodi ſpinę eventus, cum ipſe *Hildanus* de poſteriore fateatur, ſolius naturæ beneficio potiſſima ſymptomata remiſiſſe.

Deinde nec fracturæ ſpinæ à mortalitatis culpa ſemper immunes videntur, ſi nimium hinc ſecedentia fragmenta medullam eousque ſubeant ac penetrent, ut eximi nequeant, adeoque vel comprimendo vel pungendo, hinc alia viſcera nobiliora ac cerebrum in conſenſum trahendo, enecent: pari enim ratione fragmenta ejusmodi hic agunt, ac in cerebrum agere eadem, ſuperius dictum.

Tertio cum ingenribus gaudeat arteriis ſinubusque venoſis idem finis medullaris, his vel per conquaſſationem tantum, vel per fracturam ſpinæ, ruptis vel vulnere diſciſſis & cruore intra tubum ſpondylorum congeſto, hic perinde, ac cerebro affuſus, ſanguis mortis cauſa evadit; i. e. tam comprimendo, quam putreſcendo, ſpirituum hinc emanationes turbat; & quidē eo magis, quod pro eodem educendo haud ſuppetant inſtrumenta Chirurgica, qualia nihilominus in quibusdam caſibus ars cerebro conceſſit ſatis commoda ac ſalutaria.

Demum quarto ipſius medullæ ſpinalis vulnera, quę ejus ſummitatem ſeu principium in cervice, paulo profundius, afficiunt, imprimis transverſalia, conſenſu omnium mortifera per ſe proclamantur, in ſpecie *Foreſti 6. obſ. chir.* 4. *Fallop. de Vuln. in genere c.* 4. ideo quod partes ſubjacentes omnes ſi non ſenſu privent, motus nihilominus earum, v. g. diaphragmatis, thoracis, cordis &c. enormiſſime turbent & plane auferant. Dum vulnerata in hoc loco Medulla Spinali per Nervos ex eadem utrinque promanantes, nec ad muſculos intercoſtales, nec Diaphragma, nec Cor &c. poſthac emanant Spiritus animales, actionibus horum organorum miniſtrantes. Caſum præſentis negotii ſuppeditant *Acta Facultatis Noſtræ* Anno 1641. de quadam Cultro latiore inter quartam & quintam Cervicis Vertebram illata punctura profundiore, Cerebri hanc productionem vulnerante ac vulneratum ſeptimo die enecante, hinc per ſe lethalis pronunciata. Aſt inferioris ejus tractus, imprimis lumbaris, plagæ, à multis pro non mortalibus habentur, v. g. *Galeno de Sympt. cauſ. l.* 1. *c.* 5. ac *Sennerto pr. l.* 5. *part.* 4. *cap.* 3. ideo quod partium, quibus hujus nervi deſtinantur, ſenſu & motu, ſine vitæ diſcrimine carere poſſimus, & v. g. inde contingens fecum alvi & urinæ incontinentia vitalitati nihil derogat. Alii circumſpectiores ſe gerentes diſtinctione, inter vulnera majora ac transverſalia, & inter longitudinalia ac minora, negotium decidere conantur: illa per ſe lethalia, hæc minus, pronunciantes. Quibus denique accedit *Foreſtus*, qui punctim illata, utut minora, æque mortalia, ac majora quęvis, ait.

Verum repetere hic mihi liceat ex ſectione prima, utique aliquando vertebrarum thoracis inferiorum & lumbarium ſuperiorum medullam quoque lethaliter vulnerari, & pro effato illo magis magisq; confirmando exemplis, ibi recenſitis, hiſtoriam ex *Panarol. pent.* 5. *obſ.* 7. ſuperaddo, famuli ſc. cujusdam Cardinalis, qui globulo ſclopeti minoris, quatuor digitis ſub regione renum, per medium ſpinalis medullæ trajecto, vulneratus triginta poſt horas expiravit. Qualium vero hujus generis conditionum plagæ, qualium non, mortem per ſe inferant, difficile dictu: cum exempla illorum, qui hinc evaſerint rariſſima, & forſan à *Fallopio* tantum, ſi ab ullo, obſervata, referantur, ut dubius hæream, an quæ judicentur ac judicata fuerint in defunctis vulnera ſpinæ non lethalia, cum fundamento talia dicta fuerint, aut dicantur.

Quę enim non lethalitatis cauſa vulgo venditatur, quod à parte Medullæ thoracica & lumbari propullulantes nervi ad organa minus vitalia pertingant, ſed ignobilioribus duntaxat ſpiritus pro ſenſu & motu communicent, quarum nihilominus functionum privatio, v. g. in retentione fecū atque urinæ lęſa, mortē neceſſario haud inferat: ideo ſuſpecta videri poterat, quod ea conceſſa nec transverſalis & omnimoda pręciſio partis Medullę inferioris mortalis dici queat, quam tamen plerique talem aſſerunt, utpote quæ non plus damni, quam minores Nervi, ſcil. ſenſus & motus defectum, imprimeret. Plus Lucis nobis ſuggerit hoc in paſſu *Galenus* 4. *de loc. aff. cap.* 3. ubi ex luxatione vertebrarum medullā ac nervos modo tendi, modo comprimi, ab his vero partium reſolutiones, ab illis ſpaſmos ſeu convulſiones, emergere ait: cui adſtipulatur *Celſus l.* 5. *c.* 26. his verbis: *Medullæ, quæ in ſpina eſt diſcuſſa, nervi reſolvuntur aut diſtenduntur,* item *Pareus l.* 9. *c.* 30. *Spinalem medullam vulneratam teſtantur oborta convulſio aut paralyſis, urinæ & fecum citra voluntatem excretio, aut omnimoda ſuppreſſio.* Quæ ſi vulneratæ non minus medullæ, ac propter luxationem ſpinæ male ſe habenti, applicentur, concederem equidem, quæ inferioris medullæ partis luxationes ac vulnera organorum paralyſes tantum comites adſciſcunt, minime, quæ convulſiones, utique lethalia, præſumi debere, non tantum, quod urina & alvus hinc pertinacius ſupprimantur, quale eorū ſymptoma utplurimum mortiferū præter *Hippocratem* l. a. experientia quotidiana teſtatur, ſed quod cerebrum ac ſuperiores partes quoque, ſi caudex ſpinalis non omnimode præciſus, ſimul in conſenſus ſpasmodicos rapiantur. Imo confirmant me in hac ætiologia reddenda non tantum exempla ex *Hildano* ſuperius producta, ejusmodi ſubjectorum, quæ luxationem ſpinæ, haud reſtauratam, ſine ſpasmis, verum cum ſola relaxatione ſphincterum veſicę, podicis ac crurum, ſalutarem experta fuerunt: Verum probabilitatem quoque haud exilem ipſi conciliat *Foreſti* monitum, dum l. a. puncturas majoribus ejus vulneribus combinat; easque pari jure lethales judicari debere, ac hæc, aſſerit. Sine dubio, quod pari modo, ac nervorum puncturę, ſpaſmis producendis aptiores, quam inciſiones, exiſtant. Imo denique quid impedit, quominus propter commercium, quod nervo intercoſtali cum vertebralibus inferioribus pariter ac ſuperioribus intercedit, alia viſcera, ventriculus, inteſtina tenuia, Lien &c. in conſenſus ſpaſmodicos abripiantur lethales? dum vomitus quoque à læſæ medullæ portione lumbari evenire, in propatulo eſt, teſtaturque exemplum poſterius ab *Hildano* communicatum.

Illud ratione ſummitatis ſpinalis medullæ nunc ex *ſect.* 1. denuo moneo, non tantum latiores ac transverſales ejus inciſiones, ſed, ut modo de inferiore illius portione annotavi, puncturas quoque exiliores, mortem patrare, hinc, intuitu ſymptomatum, lethalium nomen mereri: quod nemini adeo paradoxum exiſtimari poterit, modo nervorum puncturas atrociora ſemper inciſionibus majoribus movere pathemata, ac cerebrum cum toto corpore vehementius exagitare, attendat, ſic enim facile, quid de nervo hoc, totius corporis maximo, ſeu nervorum plurium faſciculo, expectandum ſit, prǽſumet.

Addo denique his judicium de Nervorum vulneribus, quæ pariter aliquando per ſe interficiunt, & quidem ſub conditio-

conditionibus ſequentibus. Nempe primo læſiones illorum truncorum, qui organis vitalibus miniſteriū motus ac ſenſus, præſtant, imprimis octavi ſeu vagi paris, intercoſtalis, ac diaphragmatis: utpote qui præfecti reſpirationem, pulſum, & ventriculi aliorumque viſcerum, vitalitati litantium, functiones enormiter imminuunt ac tollunt; quadantenus ſaltem lacerati eosdē motus & actiones per ſpaſmos graviſſimos & in univerſales degenerantes depravant. Quamvis enim trunci hi, mox ab exortu ſuo, aliquatenus vulnerati, cum aliis nervis partium externarum hoc commune videantur habere, ut per colli latera decurrentes topica medicamenta admittant: quia tamen hęc ſæpe minus ſufficiunt ſpaſmorum interim, hinc concitatorum, violentia æque intenditur atque extenditur, ultimum vero remedium, ſc. eorum amputatio hic nullum locum reperit, quod hac facta ſenſus & motus in partibus vitalibus maxime destruatur, ex ſitu hoc magis externo nihil aut parum lethalitatis vulneribus ejusmodi decedit, ut taceam, hunc adeo profundum eſſe, ut vel hujus ratione illorum præfectionem moliri temerarium ſatis videatur.

Præterea quamvis ſine dubio celerius longe jugulet, ſi uterque recenſitorum parium nervus ſimul afficiatur, nec ideo tamen alterius horum inciſio, ſi ejus ſymptomata graviora atque pertinaciora, non lethalis auguranda, quaſi per ſocium integrum reſtitui ac emendari queat, quod ab alterius vitio tollebatur ac depravabatur: obſtat enim, quod nihilominus tantæ ac lethales ex lacerato uno nervo præcordiorum anxietates, palpitationes &c. evenerint, quibus nulla arte ſuccurrere licuerit, ſine dubio quod integritas nervi ſolitarii non ſuffecerit pro motibus illis vitalibus integris conſervandis. In ſpecie vero quoad ſpaſmos à nervorum uno, quadantenus ſaltem læſo, res evidentior eſt: quippe ſi unum membrum alterum, interdum ſatis remotum, ratione commercii nervorum, in conſenſum trahit, cur idem in ejusdem organi lateribus diverſi non fiet? ut nimirum v. g. diaphragmatis pars, lienem ſpectans, ratione nervi ſui, male ſe habentis, in convulſiones concitata, partem ſui, epati contiguam, ſimul convellat, ideo quod nervi unius fibrillæ capillares ubique alterius ſurculis mire implicentur, hinc motuum irregularium ſtimulos invicem communicent. Quod quidem in Ventriculo ac reliquis abdominis viſceribus promptius concipiendum, quatenus illius nervi paris vagi ante ſui inſertionem ſibi aliquoties inoſculantur, intercoſtalis vero propagines & plexus pluribus in locis coeunt ac invicem communicant.

Deinde mortis inſequentis cauſa immediata exiſtunt quorumcunque illorum ramorum ac plexuum, profundiora atque interna corporis perreptantium, adeoque remediorum congruorum uſum reſpuentium, lacerationes aut punctuta: ſi nempe doloribus, convulſionibus, febribus ac deliriis occaſioni fuerint & ſub his ac cognatis ſymptomatis enecarint. Alia ſententia erit ferenda de artuum & habitus externi nervis horumque læſionibus & exin dependentibus ſpaſmis, utpote quibus non unum remedii genus ſuppetit, quamvis in intenſiores ac univerſales ſpaſmos conjiciant vulneratos. Anceps nihilominus hæreo de illorum caudicibus, ſummitati humeri & femoris implantatis, ſi ab harum inciſionibus aut puncturis tale quid contigerit, miſerumque illæ enecaverint. Quippe ratione profundioris, quem obtinent, ſitus topicorum admotorum vis non penetrat, inciſionibus vero iisdem viam parare, ob grandiorem vaſorum ſanguineorum, incumbentium & accumbentium, propinquitatem, temerarium admodum videtur. Sed ad extremum ſeu ultimum provoces auxilium, humeri ſc. aut femoris extirpationem, & hoc plus audaciæ, quam rationis, ſapit conſilium: ac operationem illam in hac artuum ſummitate, trunco adeo vicina, vix audebit Chirurgus prudentior, cui convulſiones atroces atrocioribus ad mortem usque cumulare religio eſt.

Cap. 3. *De Colli Vulneribus Lethalibus.*

Quatuor, præter ſpinam, partium genera in collo obſervantur, quarum Plagæ frequentius funeſtos eventus habent: ſc. Vaſa illius ſanguifera, Nervi, Aſpera Arteria & Gula: quamvis rarius contingat, unam earum ſolitarie ſauciari, cum ſibi vicinæ maxime exiſtant cunctæ; hinc lethalitas per concurſum plurium læſionum non raro intendatur.

Arteriarum Carotidum ac Cervicalium, Venarum Jugularium internarum & vertebralium diæreſes impetuoſas ac lethales excipere hæmorrhagias, nullo auxilio coërcibiles, *ſectione prima* indigitatum: ideo præprimis, quod ligaturam ſtrictiorem, comprimendis ſuis aperturis ac compeſcendo ſanguini neceſſariam, propter imminens hinc ſuffocationis & apoplexiæ periculum, ſuſtinere nequeant. De jugularium externarum plagis mitius ſit judicium, majoribus etiam, utpote quibus obturandis remedia Chirurgica ſuppetunt, & *M. A. Severinus Effic. Chir. de phlebot. c.* 16. *Horne in notis ad Botall. ac in Microtechn. Hildan. cent.* 4. *obſ.* 14. *& River. pr. l.* 1. *c.* 2. venarum harum aperturā diverſorū Medicorū teſtimoniis pariter ac propria experientia approbant, minimeque habet *Botallus*, cur *de modo incid. venam* &c. phlebotomiam hanc Chirurgis adeo diſſuadeat, aut timide ſatis concedat, quamvis nec quibusvis tonſoribus committendum. Imo, qua immediate ſub cute degunt; ſi non compreſſione, certe ligatura, earum inciſiones conſtringere & eruptionem ſanguinis reprimere licet, notante *Blanckart Collect. cent.* 3. *obſ.* 65.

Plurium horum vaſorum aliorumque organorum hujus loci ſimul ſauciatorum exempla frequentioris obſervationis ſunt, ipſeque teſtari poſſem: bina loco plurium ſunto. Requiſitus Anno 1672. 23. Octobris à Prætore Civitatis Noſtræ inſpexi cadaver adoleſcentuli 12. vel 13. annorum, cujus colli tota anterior facies à juvene nequiſſimo cultro lanionino couſque dilaniata erat, ut omnes hujus muſculi, ſcil. Maſtoidei, Sternothyroidei, Coracohyoidei, Trachea, Oeſophagus, utraque Carotis, ambæ Venæ Jugulares internæ atque externæ reſecta comparuerint, hinc ex multis vulneribus una mors contigerit. Anno 1678. d. 28. Julii à quodam Militum Centurione poſtulatus, in pago proximo, Lindenau, luſtravi vulnus, quod Pediti punctim illatum erat, ingens valde & ab antica colli parte, ſub mento, per integumenta ac muſculos, ſub auricula dextrā, verſus cervicem penetrans, quodque utrumque muſculum Sternohyoideum & Sternothyroideum, dextrum Coracohyoideum & Maſtoideum, ejusdem lateris Venam jugularem internam & externam, Carotidem ac Nervum Octavi paris, imo cum enſis, (forſan dum retraheretur) inter Os Hyoidis & Laryngem retrorſum declinaverat, ſummitatem ſimul Gulæ totam fere, reſecuerat. Quibus ex Reſponſis Facultatis Noſtræ addo plagā, Wittenbergæ 1668. 9. Martii cuidam cæſim inflictam, & à cervice ſub aure ſiniſtra atque maxima ad colli anteriora declinantem: qua cum muſculis accumbentibus vena jugularis externa tota per transverſum, interna vero ac Carotis cum Vertebra Cervicis ſecunda ad medietatem diſſciſſa hujuſque medulla ſimul tacta cernebatur, à cujus enormiore hęmorrhagia vulneratus altero die ſuccubuerat.

Quia vero rariora exiſtunt exempla, ubi unum ſeu ſolitarium horum colli vaſorum lethaliter laceratur, caſum, ad Nos pariter Juſſu Sereniſſimi Ducis Mechlenburgenſis An. 1685. 10. Julii transmiſſum, referam. Fabri nempe ferrarii ſervi collum parte antica cultro d. 25. Novemb. anni pręcedentis perfoditur, unde hęmorrhagia inſignis, ac nullis remediis, niſi cauterio actuali, cedens, eveniebat: eſchara vero 27. Decēbris recedente & fluore ſanguinis recrudeſcente 14. ejusdē ſauciatus fatis cedebat. Cadaver dū perluſtrabatur, Vena jugularis interna, ad duorū

digitorum latitudinem sub maxilla inferiore, oblique incisa cernebatur, fluoris cruenti lethalis autor: musculi vero adliti à sanguine post escharam inductam, extravasato, congesto ac putrescente jamdum corruptionem notabilem contraxerant. A certo quodam Collegio Medico punctura hæc per accidens tantum lethalis judicabatur, quod lęsus ad decimum nonum usque diem vixerit, nullaq; primis diebus graviora nisi lypothymias, (hęmorrhagię potius, quam vulneri adscribendas,) symptomata passus fuerit, ac ex commotione demum animi vehementiore hæmorrhagiæ recidiva cum febre supervenerit &c. Quibus nihilominus haud obstantibus & satis declinatis argumentis, Facultas Nostra Medici ac Chirurgi de Vulneris Inspectione deponentium, sententię adstipulabatur, utique lethalem per se illam asserens.

Nervorum, per collum decurrentium, Vulnera quæ & cur mortifera sint, *capite praced.* innui. Asperæ arteriæ plagas vero quod concernit, cadunt hæ vel in partem ejus externam, vel in internam, seu sub jugulo reconditam. Bronchi externi incisiones, majores ac cartilagineos illius circellos lacerantes, difficillime consolidari, in propatulo est, coalescere nihilominus aliquando si non per se, certe, per intermedium callum, imo ligamenta illa carneo-membranea, cartilaginibus interjecta, excrescentiis suis, quamvis relicta post se raucedine, has incisuras obturare, adeoque majores etiam fistulæ hujus spiritalis hiatus coire, testantur *Joubertus de affect.thorac.cap.*1. per *Albucasis, Avenzoaris* & propriam experientiam *Brasavola in Hippocr. de rat. victus acut.* 2. *f.* 35. (qui magnam annulorum, ad numerum quinarium, anteriorem partem lamina ferrea dilaceratam, ac sanatam vidit) *Pareus lib.*9. *cap.*29.*Tulpius lib.*1. *obs.* 50. *Bartholinus Cent.* 5. *hist.* 89. *Timæus Respons.* 14.*& Blankart Collect.cent.* 4. *obs.*47. Neque audiendus erit *Jacotius in Hippocr. Coac. lib.* 1. *sect.* 3. *aph.* 16. *& Forestus* 6. *obs. Chir.* 4. qui majores ejus incisiones lethales ajunt, utpote quibus allegati *Jouberti, Brasavolæ, Tulpii & Blankarti* historiæ contradicunt.

Coalitum horum Tracheæ Vulnerum Suturam proprie sic dictam juvare, *Petrus von der Stille, Chir. part.* 2. *tr.* 4. *cap.* 14. *Pareus* lib. 9. c. 29. *Pigræus Chir.* l. 4. cap. 12. ac *Bartholin.* 5. hist. 89. testantur, quemadmodum suturam per glutinum, *Tulpius* 1. *obs.* 50: casu nihilominus & sine ejusmodi medela quosdam, quibus canalis ille profunde satis præcisus, eundem *Pareum* & *Pigræum* l. a. perhibere *Sect.* 1. c. 2. innui: quorum relationibus, quod ad me ab amico in simili Casu transscriptum erat, adnectebam.

Quin tamen percussiones seu contusiones cartilaginum Laryngis, maxime Arythænoidearum, aliquando per se mortem inferant, haud ambigo, si nimirum per ictum violentiorem earum connexio laxior eousque turbetur, ut sibi propius adactę seu arctius conniventes Glottidem eousque claudant, quo inspiratio & exspiratio inhibeatur, illis vero diducendis haud suppetant remedia.

Tracheæ autem sub claviculis & in thorace reconditæ vulnera utplurimum suffocando enecant, hinc sub tali circumstantia per se lethalia dici debent, quod ars naturam in consolidando juvare nequeat, soli vero hujus roboti commissa opera, quorum successus incerti, judicio super lethalitate enunciando normam suppeditare haud valent, cum non de hujus, sed de artis potentia, ubi de Lethalitate deponendum, quæstio sit: alias vulnus illud Asperæ Arteriæ ac Venæ jugularis *Pareus l. a. præter expectationem & divino potius favore, quam arte, sanatum fuisse*, non scripsisset. Symptoma siquidem inde emergens tantum est, ut ei per unam alteramve horam sustinendo minus par sit principium nostrum vitale, brevi hinc suffocationi obnoxium: quippe enormiter hinc turbatur respiratio, quatenus aër externus pulmonum cavernosam compagem minime subit, sed ad pectoris cavum depositus illos non tantum non distendit, sed undique etiam comprimit. Quam circumstantiam cum vulgo non attenderint, factum, ut ad canalis hujus coalitionis possibilitatem tantum respicientes, errorem non exiguum commiserint ejusmodi vulnera minus lethalia decernentes.

Gulę denique seu fistulæ cibariæ vulnera penetrantia, pariter modo lethalia, modo minus talia, ut accuratius discernantur, attendendum puto, alia canali huic evenire adhuc intra collum constituto & ab hujus organis reliquis stipato, alia, ubi per cavitatem thoracis & per diaphragma ad ventriculum dimittitur; item, quædam horum esse majora, quædam minora. Quo supposito exiliora & summitati ejus, cervici accumbenti, illata vix unquam morti exponere, probabile fit: quatenus vel ratione exiguitatis parum inflammationis ac doloris metuendum, aut, quod ejus supervenit, gulæ quidem functionem turbat, imo forsan aliquando interpellat, frustratio tamen hæc non tanta, quin ad unum alterumve diem eam sine certo vitæ dispendio sustinere queamus: Nec per vulnus hoc elabentia deglutita spatia aliena subintrant & in his putredinem concipiunt: remedia denique satis commode hic applicare conceditur. Et ne sine experientia merus theoreticus prodeam, ex *Schenckio Bonacursii* observationem hujus loci faciam, qui quendam, carceribus detentum, postquam sibi gulam, qua parte tracheam spectat, sauciarat & hiatum digito eousque ampliarat, ut per ipsum medicamenta cum alimentis transmitterentur, paucis diebus sanatum narrat. Ejusdem generis est historia, quam *Pigræus Epit. Med. Chirurg. lib.* 4. *cap.* 12. refert. Sc. in sylva duo juvenes à latronibus jugulabantur, quorum unus mortuus, alter se mortuum ad aliquod tempus simulavit, maximo largissimoque vulnere in faucibus accepto, ab una enim jugularium externarum incipiens ad patris adversæ alteram desinebat ita tamen, ut illæ minime offenderentur. Missus proin à Regina, de eo certiore facta, Pigræus miserum illum prægravi vulnere jacentem reperit, capite demisso equidem loquentem, sed eo elato aërem per vulnus expirantem & aphonum. Ut mali magnitudinem melius dignosceret, lac ipsi bibendum dedit, quod per vulnus effluebat, supinus verò cùm hoc hauriret miser, ad stomachum descendebat, ita ut œsophagum haud omnino rescissum esse, colligeret. Quo viso idem Scriptor sutura valida ac firma plagam se firmiter conjunxisse & per viginti duos dies lacte tantum, resupino semper collo hauriendo, eum aluisse ait: donec postmodum solidioribus vesci cœperit & vulnus, ad exilioris tantum foraminis circa tracheam, remanentiam, coaluerit.

Verum si interior, seu in thorace delitescens, gulę portio pertundatur & quidem vulnere paulo majore, nulla quia medicamenta nec Chirurgiam admittit, alimentis vel transitū ad stomachū, ratione tumoris ac doloris denegat, vel ad cavitatem pectoris assumta transponit, in qua, tanquam loco sibi alieno, computrescendo symptomata lethalia patrant: vulnere per se lethali deficere dici debet ęger.

Communiter addunt, incisiones gulæ transversales longitudinalibus graviores esse, v. g. *Suevus de Inspect. Vuln. part.* 2. *pag.* 17. qui tamen ratione vera videtur destitui, dum juxta Doctrinam *Vesalii* exteriorem seu carneam gulę tunicam ex fibris transversalibus, internam seu nerveam ex rectis contextam putat. Docet quippe cum *Fallopio & Fabr. ab Aquapendente* autopsia pręter tunicam interiorem nerveam, ex fibris longitudinalibus coagmentatam, carneam duplicis fibrarum strati, in subjectis humanis reperiri: quorum exterius ex staminarum rectarum manipulis crassioribus, interius ex transversalium circulis tenerioribus paratum: ita ut ex transversis simplicioribus ac tenuioribus fibris, secundùm tractum gulæ discissis, minor metuenda sit vulneris apertura, quam ex longitudinalibus, internis pariter ac externis, laceratis.

CAPUT

Cap. 4. *De Thoracis Vulneribus Lethalibus.*

In Thorace præter Spinam diversa pariter observantur membra, quorum plagas excipiens mors his, ut causæ per se, adscribitur: nempe Cor cum suis vasis, Arteriæ & Venæ Mammariæ atque Azygos, Pulmones, Ductus Thoracicus, Diaphragma & Nervi Intercostales, Phrenici ac Octavi paris. Ast horum organorum integumentis externis seu testudini Carneo-osseæ aliquando vulnera per se mortalia contingere posse, nemini Scriptorum unquam in mentem venit: ita ut de his exclamandum veniat, quod de eorum Chirurgia facit *Guido de Vuln. spec. cura. cap. 5. De Vulnere thoracis, magnum est mirabile, quia ita parum de ipsis maxime, quantum ad membra continentia, invenimus tractatum à Galeno, neque ab Halyabate, neque ab Avicenna &c.* Nec ideo ullum eorum reprehendendum esse, pluribus persuasum videtur, qui sc. partium harum externarum usum & actionem ad vitam non adeo necessariam concipiunt, id est, cum *Sennerto nostro* pulmones proprio motu, non ad dilatationem thoracis, extendi &c. putant: qualis nihilominus generis homines, dum veteribus causam dicere, haud requisiti, annituntur, Principi Medicorum & antiquiori longe Doctori, *Galeno*, contradicunt, qui hinc inde in suis Commentariis, v. g. *lib. 2. de Hippocr. & Platonis decretis c. 6. de Causis Respirat. c. 2. 6. de Usu Partium c. 10. ac de Motu Thorac. & Pulmon. c. 1. Nullum pulmones innatum habere motum, sed semper indigere thorace ad motum, item, Pulmonis dilatationem & contractionem thoracem gubernare,* magna animi contentione asserit. Quibus ita se habentibus, id est functione thoracis ambitus ad vitam immediate necessaria, inferendum puto aliquando, majora thoracis vulnera, quibus illa eousque turbatur, ut brevi hinc suffocetur vulneratus, lethalibus per se non minus accenseri debere, ac si à mole majore, thoraci incumbente, quis interficiatur, seu comprimendo suffocetur.

Quotidie equidem pectus perfossum, modo interanea illius intacta maneant, consolidari observamus & infinita forsan vulnerum ejusmodi sanatorum ex scriptoribus corradere possem; Majorum tamen & latiorum, i. e. à quibus motus thoracis ac pulmonum insigniter læsus, aliquod salutare penes neminem legere aut observare mihi datum; proin & cum causalitas horum suffocatoria evidens maxime, donec resectionem v. g. quatuor vel plurium costarum, harumque interstitiorum coaluisse audiam, vulnera ejusmodi lethalia verebor, confirmantibus idem animalium vivorum sectione, hujus phænomeni experiundi gratiâ administrata, & *Galeni* dogmate *Sectione Prima ex 6. de Usu Part. c. 3.* allegato. Urget quippe maxime Respirationis necessitas, neque tamen vel sutura, vel glutine, vel deligatione, labia ejusmodi hiatuum fortuitorum sibi adducere & combinare concessum, quin thoracis motus, vel impetuosior in hunc conatus, qualem in pectore sauciatis experimur, hoc interpellet atque inhibeat, expiret vero interim percussus.

An unum solummodo thoracis latus vulneratum tantum exitii præstet, dubitare jubent eadem *Galeni* verba, dum à magnis vulneribus in alteram thoracis partem penetrantibus, animal repente dimidio tantum respirationis multari, tunc vero demum eadem omnimode destitui, ait, si cavitas illius utraque fuerit perfossa. Verum eo ipso, dum dimidium seu residuum illud respirationis sanguinis oscillationi virali aliquandiu continuandæ non sufficit, i. e. unius lateris pulmo vix tantum elateris aërei suppeditat, quantum viribus totius perpetuandis dimensum: brevi forsan quoque hinc destruetur & cessabit functio vitalis tota, à febre acuta, necessario superveniente, simul enormiter conturbata. Imo quid dicendũ erit de vulneris unius lateris insigniore, mediastinũ simul perforante, hinc per aëris utrinq; incongruã irruẽtiam utriusq; pulmonis explicatione inspiratoria cohibita?

Idem vel simile fatum truculentum aliquando observatur Fracturarum costarum, i. e. nec hæ mortis, nec percussor forsan homicidii, culpa semper solvi poterunt. Si Scriptorum super hoc assertum suffragia forent petenda, nullum planè, qui lethalitatem hanc suspicetur, offenderem: aliquando equidem has fracturas periculosas, non tamen per se lethales, dicentium v. g. *Hippocratis de artic. l. 51. & 52. item 5. epid. t. 13. Galeni in Hipp. de artic. Celsi lib. 8. cap. 9. Epiphan. Ferdinand. Hist. 64. Forest. 8. obs. Chir. 6. & Sennert. pr. l. 2. part. 2. c. 25.* Ast cum de vita & spiritu hominis ferenda sit sententia, rem non sola autoritate decernere, sed penitius disquirere, conveniet: potissimum cum inter Jureconsultos *Marium Giurbam Consil. 17. §. 17.* ipsa hæc Medicorum dogmata seduxerint, ut Costarum fracturas læsionum per se mortalium classe exemerit, firmatum consensu *Capollæ lib. 3. Consil. 61.* Quem tamen loco allegato neutiquam de fractura costarum lethali aut non lethali disserere, sed tantum, ex contusionibus vel ictibus illarum, quarum ossa durissima, instrumento obtuso fieri posse læsionem mortalem, negare, si non *Giurbæ*, verùm ipsius *Capollæ*, verbis fidem adhibeamus, constabit.

Sc. non unius alteriusve, sed plurium simul costarum, ut ex superius (seu in *sect. 1.* allatis observationibus suppono, κάταγμα καυληδὸν ac σύντριμμα mortalia videntur: quod nullum vel ipsamet, vel strangulatio hinc imminens, adæquatum admittant remedium: Sive enim fracturas has concipias cum fragmentorum secessu, sive horum contiguitate: illis tamen si ad interiora ferantur, nec reducendis, nec reductis conservandis, ars semper sufficit. Quemadmodum enim harum fracturam quamlibet, sic ingentem quoque seu plurium costarum, mox carnium seu integumentorum inflatio, ab aëre pectoris intrinseco erumpente, excipit, ita sine dubio hæc impedit, quominus restitui vel componi possint illarum extrema reponenda. Quippe non fiet hoc per spiritus retentionem ac tussim, cum aër internus, à quo motum illum reductorium expectemus, costarum & pleuræ ambitum elabens, illas haud elevet: manui reponenti rarissime conceditur locus, prout omnes Chirurgi peritiores asserunt; & quidem multo minus, si ejusmodi carnium secessus & intumescentia adsit. Nec *Vesalii, Parei & E. Ferdinandi* glutinosum aut constrictivum Emplastrum tantæ semper observatur efficaciæ, ut impetuosius avulsum costarum fragmenta depressa attollat, si illa integumentis externis non fuerint continua, adeoque nec cum cute attolli queant: neque demum ultimum illud *Parei* aliorumque remedium, integumentorum nempe incisio & per vulnus cum hamulis similibusque instrumentis adornanda costæ elevatio, ubi plures fuerint fractæ, rei difficultati proportionatum observatur. Adaptatis verò costarum fragmentis continendis haud semper suppetere encheirises, experti fatebuntur, cum quæ uni vel alteri, costæ firmandæ sufficiat mediocris deligatio pluribus non sit adæquata, strictiorem autem non ferant anxiosi & vix anhelantes ejusmodi miseri. Uno verbo, si *Pareus lib. 13. c. 11.* unius costæ fracturã ad interiora vergentem, propterea, *quod membranam costalem pungat, inflammationem excitet, in empyema facile desituram, nec tam facile restitui queat, ideo quod libere & plene absolvi nequeant in hoc fracturæ genere, quæ sunt ad restitutionem necessaria, nempe trahere, continere, impellere, seu adjungere* curatu difficillimam pronuntiat: quid de quinque, sex vel plurium costarum effractura ominabimur? Habent siquidem pauciores ruptæ hoc beneficium, ut harum parastatæ integræ ipsis instar ferularum sint, quæ pariter, ac in cubito radium fractum ulna, aut in tibia hujus os fibulam fractam, seu vice versa, eas ita detinent, ut fragmenta earum sibi contigua maneant, dislocationem costarum ruptarum vicinarum impediant ac repositis firmamento sint: quali destituuntur plures idem fatum expertæ. De cætero

ſicut aërem thoracis internum virtute ſua elaſtica pulmonum compreſſionem & expirationem multum juvare, ex fundamentis phyſiologicis ſuppono; ita dum extra clauſtra ſua naturalia ſub inflatione integumentorum externorum, magis tenſibilium, idem erumpit, ſpiram ejus valde dilatari ſeu fatiſcere, adeoque expirationis quoque motum enormiter gravari, probabile fit.

Comprobare hanc Fracturę Coſtarum Lethalitatem puto Caſum 22. Julii 1689. Facultatis Noſtrę judicio expoſitum: Ubi quidam Nobilis, fuſtibus agitatus ac de exquiſitiſſimis doloribus lateris dextri conqueſtus ſexto à percuſſione facta die obierat, in cujus cadavere diſſecto quatuor Coſtæ inferiores diffractæ cernebantur. Quam læſionem, in ſpecie Coſtarum, nominatum Collegium per ſe & abſolute lethalem, cui nulla arte mederi conceſſum, quæ Pleuritidem incurabilem induxerit, Reſpiratione ad Suffocationem turbante, enunciabat: quamvis nihil remediorum, nec Venę ſectio quidē, fuerit adminiſtrata, nec Sanguinis extravaſati, qualis nihilominus ex Vaſis Intercoſtalibus ſimul ruptis probabiliter prodierat, ulla mentio facta fuerit. vid. ſect. 1. cap. 3.

Verum quemadmodum meam hanc de Thoracis integumentorum percuſſionibus opinionem nemini obtrudere audeo, ita & illos, qui huic ſuffragantur, monitos volo, ut illam, caſibus ſpecialioribus applicantes, circumſpecte agant, & quas vel mihi, primum tale quid proponenti, non licuit innuere ac determinare, circumſtantias amore Publici ac Juſtitię ſuppleant, vel me devium ea, qua Viros honeſtos decet, modeſtia ad rectam magis viam reducant.

Ego interiora Pectoris nunc aggredior, ubi primo occurrit Cor, cujus Plagas, ſi vel alterutrum aut utrumque ventriculum penetrent, vel Vaſorum Coronariorum aliquod lacerent, per ſe mortales periti æque ac imperiti judicant: illas quidem non, quaſi animæ ſenſitivæ altithronium, caloris innati ſedes & officina ſpirituum vitalium Cordis hi Receſſus ſint, ſed quod ſanguine per eaſdem profuſo ejus influxus vitalis ad totum intercipiatur; hæ vero, quod per hæmorrhagiam horum vaſorum, ſatis equidem particularem, ipſi Cordis compagi muſculoſæ vitalitas atque activitas ſubtrahatur, adeoque hoc inde langueſcens in officio publico expediundo deficiat. Pariter ſi, intactis his ventriculis & vaſis propriis, ſubſtantia tantum ejus exterior ſaucietur, utut ſub tali fato ad triduum, quatriduum &c. aliquando ſupervivant tale quid perpeſſi, caſus nihilominus & hic inter utplurimum, adeoque inter per ſe, lethales, referri debet, annuente *Vido Vidio lib. 7. de curat. membr. cap. 7.* & confirmantibus idem hiſtoriis, productis à *Pareo lib. 9. cap. 30. Horſtio lib. 11. obſ. 18. H. ab Heer. obſ. 11. atque Job. van Meekren. obſ. chir. 32.* Non poteſt enim fieri, quin muſculi hujus propulſoris actio maxime vitalis à fibrarum ejus ſpiralium uno vel altero faſciculo præſecto notabiliter turbetur, cui tamen ſymptomati maxime urgenti ejusque cauſæ nulla chirurgia, ob loci ſeu ſitus profunditatem motumque cordis perpetuum, mederi licet: Et ſine dubio evidentior erit lethalitas Lacerationis majoris, v. g. juxta *Heer* baſeos æque ac coni ſimul; ſeptum utrique ventriculo intermedium, annotante *Horſtio & van Meekren*, penetrantis; aut juxta *Pareum* cum magna ſanguinis profuſione ſeu inſigniorum Ramorum Coronariorum diſciſſione contingentis.

Atque hæc quidem Cordis vulnera modo repente interficiunt, ſc. perforantia alterutrum vel utrumque ejus thalamum, modo tardius poſt aliquot demum horas ac dies, nimirum carnem tantum & vaſa ejus coronaria lacerantia: quatenus in illis non tantum Circulationis Antlia, ſeu organum movens, rumpitur, ſed ſanguis quoque diſpenſandus, antequam canales adæquatos ſubeat, profunditur; in his moventis tantum textura laceratur, hincque ejus impetus retunditur. Unde paradoxum maxime & inter miracula pathologico-anatomica referendum, quosdam perforatis illis ventriculis plures horas, imo dies ſupervixiſſe, v. g. Ventriculo dextro Nauclerum, quinto demum die fatis cedentem, cujus *Barthol. cent. 1. hiſt. 77.* meminit, item Civem illum Pariſienſem, eodem demum tempore mortuum, de quo *Blegni Zodiac. Gall. ann. 2. April. Obſ. 10.* videatur. Eodem Ventriculo dextro Vigiliarum cujusdam Magiſtri ſervum transfoſſum quartum diem ſupervixiſſe *Miſcell. Curioſ. Decur. 2. ann. 3. obſ. 113.* Ruſticum, ſimilem puncturam ſuſtinentem ſeptimum attigiſſe, *obſ. 114.* teſtantur: Militem ex vulnere ejusdem ventriculi die decimo ſexto demum obiiſſe, *tabula penſilis, in Bibliotheca Academiæ Groningenſis ſuſpenſa, tradit.* Franciſcam à Tulpha, quę quamvis pręter alia Vulnera duo in dextrum ſinum penetrantia exceperit, ultimum nihilominus halitum ad quartum usque diem compreſſiſſe *Panarolus pent. 5. obſ. 45.* annotavit: item juvenem ad nonum usque, cum non adeo magna hæmorrhagia, mente ſana, motu cordis ſatis valido, tuſſicula ad juvandam ſanguinis excretionem voluntaria, nec ſine omni alimentorum uſu, ad decimum usque, refert *Diemerbrock. anat. l. 2. c. 6.* ad vigeſimum tertium, ex communic. *J. B. Fontani Bonnet. Sepulchr. lib. 4. ſ. 3. obſ. 23. §. 12.* Septimo poſt ictum demum die quendam, cui Cordis baſis cum cono per inſignem lacerationem, duobus ſclopeti globis, transverberata, mortuum *H. ab Heer. obſ. 11.* perhibet. Quemadmodum eodem loco narrat, quendam, cujus Cor quaternis bombardæ globis perfoſſum, nihilominus quintum diem ſupervixiſſe. Nolo hujus loci facere, quæ de Cervo, poſt dextrum ventriculum glande plumbea à Sereniſſima Electrice Brandenburgica olim trajectum, inſtar mortui proſtrato & poſt tres horæ quadrantes quatuor circiter millia paſſuum aufugiente, ex *Diſſertatione 1687. Francofurti ad Viadrum* habita, legimus: Cum præſto ſint illorum exempla, qui perfoſſo utroque ventriculo ſatis diu ſuperſtites permanſerint, v. g. Studioſus ille Ingolſtadienſis, quem vulneratum plateæ ſatis longæ ſpatium curſus confeciſſe, mente porro & ſenſibus integerrimis per horam fere integram conſtitiſſe, ex obſervatis *Cyriaci Lucii* narrat *Bonnet. l. a. §. 16.* item juvenis, ſimili ratione ſauciatus, quinta demum hora expirans, de quo *Miſcell. Curioſ. Dec. 2. ann. 2. obſ. 188.* videantur; ut *Jacotium in Hipp. Coac. & Th. à Veiga in Galen. de loc. aff.* taceam cervam quandam ſagittam, ex longo tempore cordi infixam, geſtaſſe, perhibentes, item Cordis porcini, cui bacillus acutus ante ſemeſtre transfixus inhærebat, quod penes *Plateri* ſe vidiſſe *H. ab Heer l. a.* aſſerit.

Quæ ſimilesve hiſtoriæ, quamvis raro contingentibus merito accenſeantur & fundamentis anatomico-pathologicis ponendis minus adæquatæ ſint, earum nihilominus aliquas ætiologias ex circumſtantiis, iis combinatis, reddere, non adeo forſan difficile erit. Nimirum probabile eſt, quorundam ejuſmodi ſauciatorum vitam protrahi *primo* ab exilitate plagæ, ut de ſuo vulnerato ſuſpicatur *Diemerbrock. loc. alleg.* & experientia Zootomiæ vivorum incumbentium comprobat, dum acus ſimileve inſtrumentum pungens, ventriculis cordis adactum, parum ſanguinis educit, & *Glandorpio Specul. Chir. cap. 38.* teſte, cuniculus, cujus cor *Sanctorius* inſtrumento acuto perforarat, vivus nihilominus ad multos menſes permanſit: quatenus paucæ admodum organi hujus fibræ per puncturam lacerantur, ſed leviter tantum divelluntur, quę extracto inſtrumento pungente priſtinum ſitum & habitudinem facile reperunt. *Deinde* corde vulnerati terminum vitæ ultimum ſufflaminare videtur ipſemet ſpecialis magis locus, per quem ſubintrarat inſtrumentum lædens: dum idem *Diemerbrock. l. a.* pręter vulneris anguſtiam in caſu ſibi obſervato rationem hanc putat, quod ſuperiori ventriculi pari, inter valvulas, fuerit illatum, ita ut in conſtrictione cordis omni ventriculi dextri ſanguis per vulnus non mox expelli valuerit.

Tertio,

Tertio, quemadmodū aliquando obſervamus enſe transfoſſos, quamdiu hunc intra vulnus gerunt, haud adeo repentinam experiri ſyncopen, vel mox concidere, extracto telo ſtatim cum ſanguine animam dimittere: ſic à ratione vix omnino alienum, in corde ſimile quid aliquando fieri poſſe, ita ut non adeo paradoxum cenſeri debeat, quod *Jacotius* & *à Veiga* de cerva à longo tēpore ſagittam, & *H. ab Heer* de porco baculū cordi infixum geſtante, ſcribunt, cum eadem inſtrumenta quas puncturas parabant, obturarint; neque illud, quod de acu dextro cordis vaccini ventriculo transverſim infixa huicque rubigine conferruminata ex obſervatione *Celeberrimi Anatomici du Vernay*, *Peyerus pareg. anat. med.* 3. *c.* 6. refert. Imo probabile eſt, ſimile aliquando à grumo quoque ſanguinis fieri poſſe, ut in Pariſino illo, ſub finē demū quinti diei ex vulnere dextri ſinus mortuo, cujus ſuperius ex *Zodiac. Gall.* memini, annotarat Chirurgus, qui cadaveris ſectionem adminiſtraverat, *vid. Blegni l. a. menſ. Junii obſ.* 6. quamvis non dubitem, huic caſui, quæ modo ex *Diemerbrockio* prolata, quoque applicari poſſe, cum immediate pariter ſub auricula ictus ventriculum ſubintrarit. *Quarto* hujus generis concipienda obliquitas vulneris, qualem in Nauclero ſuo cauſam auguratur *Th. Bartholin.* l. a. cur adeo diu in hoc interrupta perſtiterit ſanguinis & vitę chorea. *Quinto* Autor Obſervationis 113. *Miſcel. Curioſ.* alleg. in ſervo illo, cujus vulnus Cordis Ventriculi deſcripſerat, individuale ac peculiare ſibi concipit texturę robur, per quod poſt acceptam plagam in fibris Cordis nihilominus tantus remanſerit vigor, ut ſeſe à cono ad baſin contrahentes ſub ſyſtole vulneris labia ſimul conſtrinxerint, liberumque Sanguini in Arteriam pulmonalem impulſum conceſſerint: fibris vero iisdem relaxatis Cordeque ad diaſtolen ſeu priſtinum ſtatum redeunte hiantes Ventriculi à venis denuo ſufficienter adimpleti fuerint, donec doloris ex vulnere ſenſus fibris illis ſeu compagi cordis magis communicatus paulatim defecerit Machinæ hujus vitalis motus &c. Nec *denique* à veriſimilitudine procul abeſt, ſingularem quandoque cordis fabricam mortem neceſſariam interpellare: quatenus, obſervante *Job. van Meekren* l. a. quidam corde vulneratus ſextum diem ideo ſupervixerat, quod organum hoc, pericardio ſuo hinc inde alligatum, motus ſuos minus libere exercere, hinc nec ſanguinem adeo pleno rivo projicere, potuerit. Etſi nec improbabile videatur, ideo Vulnus hoc Cordis tardius enecaſſe, quod neutrum Ventriculorum perforarit, ſed Septum tantum his intermedium in Baſi cordis læſerit, ut ex Exemplari Belgico (non Latino) perſpicuum eſt: adeoque non flumine mox præcipiti, ſed lentâ magis ſtillâ, ſanguis ex hoc Viſcere promanarit.

Antequam Cordis vulnera dimittam, ratione hujus involucri notetur, ejus plagas *à Rondeletio de dignoſc. morbis c.* 21. & *F. ab Aquapend. Chirurg.* l. 7. c 21. ſēper, à *Suevio part.* 2. *c.* 8. aliquando, lethales judicari, ſi tantæ fuerint, per quas humor ejus ſeroſus omnimode effluat: Eo ipſo tamen, dum horum poſterior cum aliis ſupponit, humorem pericardii ſecundum naturam colligi ſingularemque uſum cordi ac toti præſtare, ita quidem, ut ejus defectum & profuſionem hectica excipiat; de his vero dubitare jubet ſana ratio: nec ætiologiam lethalitatis hujus (ſi qua eſt) admittere convenit. Sc. non immerito cum *Veſalio*, *Th. à Veiga*, *Matthæo Curtio*, *Lindano &c.* dubito, an fluidum hoc corporibus vivis & ſecundum naturam conſtitutis, ut pars integralis, inſit? cum *R. Columbi* autopſia in animalibus vivis facta, tale quid minime evincat: vel quod nihil, aut parum ejus ſub extiſpicio hoc compareat, vel quod, ſi compareat, in mortis potius articulo & ſub illis anxietatibus, quibus animal per aperturam pectoris exponitur, congeratur, quod ante non exiſtebat. Videtur enim ſerum hoc inde quidem ſuccus laudabilis & naturalis, aſt ſitu peccans & per motus cordis impetuoſiores ac circulationem per pulmones impeditam p. n. ſecretus: pari modo, ac in corporis partibus diverſis arte talem ſeri congeſtum parare licet, circulo nempe ſanguinis per vincula, venis injecta, intercepto. Adeoque non mirum, in cunctis, quocunque morbo, defunctis illud reperiri, utpote quibus in agone ad minimum reſpiratio & circulatio per pulmones fatiſcit: copioſius tamen in his, qui ex hydrope, aſthmate, phthiſi ſimilive pathemate ſtrangulatorio peribant, ita ut in phthiſico ejus uncias quinque *ſ. D. Horſtius Obſ. anat.* 18. teſtetur. Qui violenta morte pereunt, quia pariter vel aquis ſubmerguntur & ſtrangulantur, vel confoſſi & decollati, i. e. ſine notabili circulationis turbatione expirant: non in his, ſed in illis tantum, lympham hanc cardiacam animadvertere licet, ut aliquoties, in publicis æque ac privatis ſectionibus, oſtendi.

Quod ſi proin ex lacerato inſigniter pericardio quendam obire contingat, imputandum hoc erit vel continuitati, quæ ipſi cum diaphragmatis parte tendinea intercedit, vulnere ejusmodi ſolutæ, hincque reſpirationi turbatæ, vel inflammationi, cui ſaccus hic membraneus cum partibus, quibus continuus exiſtit, exponitur, vel aëris forſan contactui, cordi minus proportionato, hoc erit tribuendum. Priori ætiologiæ cauſam dicit *Antonius Algiate*, quem ablata parte pericardii quidem ſanatum, ſuſpiria tamen alta duxiſſe, nec multis annis ſupervixiſſe, ex *Cardano Schenckius* refert: inflammationem vero harum partium mortalem exiſtere, cur mirabimur? Quemadmodum denique Cordis texturam ab aëre per vulnus pericardii ſubintrante ad corruptionem repentinam ſatis alterari, probabile reddunt, inteſtina, omentum, pulmones aliaque organa, extra ventres ſuos devoluta & ab atmoſphęra mox in ſphacelū conjecta.

Et quæ contra hanc vulnerum Pericardii Lethalitatem aſſertam adducuntur, v. g. ex *Benivenio de abdit. morb. cauſ.* & *Cardano* ad *Hipp.* 6. *aph.* 18. parum movere poterunt, quod meris conjecturis innitantur. Quamvis vix concipi vel fieri queat, Folliculum hunc Cordis ſine partium aliarum circumſtantium aut adſitarum læſione vulnerari, adeoq; de habitudine ejuſmodi plagæ ſolitaria vix unquam diſquiri, quin lacerata ſimul fuerint Vaſa, Intercoſtalia, Mediaſtina, Pulmo &c. Ita ut crebrius complicata hinc emergat Lethalitas.

Cum Corde communi lethalitati involvuntur hujus Vaſa ſanguiflua quatuor majora, ſi ea vulnerari contingat, cujus aſſerti experientiam caſus triſtiſſimi infiniti comprobant, rationem *Hippocrates de Corde t.* 5. ſuppeditat. Hæc quippe, nomine Venæ Cavæ & Pulmonalis, Arteriæ pulmonalis atque Aortæ, ad ventriculū illius utrumque demiſſa & ex hoc exurgentia, *fontes ſunt humanæ naturæ, & flumina ſunt, quibus totum corpus irrigatur; atque etiam homini vitam conſervant, & ubi deſiccati fuerint, homo moritur*; i. e. totum corpus his laceratis fluido vitali neceſſario defraudatur, ſive hoc ex eo rejiciatur, ſive vaſa tantum deſerat, & ad cavum thoracis depoſitum, tam mole, quam putredine, hujus mēbris moleſtum evadat. Exempla vulnerum ejuſmodi funeſtorum vel ex Actis Facultatis Noſtræ, vel ex Inſpectionibus à me adminiſtratis proferrem, niſi penes omnes Conſcientioſos & Prudentes Medicos aſſertum hoc in confeſſo eſſe, noſſem. Potius ſtupeo tantam quorundam Medicorum malitioſam ruditatem, qui talia vulnera, utut in momento hinc concidant icti, pro per accidens tantum lethalibus defendere & homicidis contra conſcientiam cauſam dicere ſatagunt: quale quid quendam de Aortæ trunco, mox à ſui exortu perfoſſo, ante paucos annos, quod Arteriæ non ſint partes principes, arteriarum & venarum vulnera ſæpius conſolidentur, non omnis profuſio ſanguinis ſit lethalis, hic è cavitate thoracis educi queat, naturæ ejusmodi plagarum conſolidationes ſint poſſibiles

biles, similibúsque frivolis argumentis sustinere conatum fuisse, Acta publica loquuntur.

Accenseamus his vulnera Vasorum Subclaviorum & Mammariorum, item venæ Azygos, ex truncis illis immediate magis emanantium & in eosdem se terminantium; quæ mortis certissimæ pariter causa proxima existunt: vel quod sanguinis affluxu hinc spolietur totum, vel quod thoracis organa motuum suorum vitalium ab hujus congestione lethales patiantur motas, ut historiæ, *à Ballonio lib.* 2. *consil.*, 22. *Boneto Sepulchr. l.* 4. *s.* 2. *obs.* 24. §. 2. evincunt.

Quibus non sine ratione accenseo Vasorum Intercostalium læsiones ejusmodi, quarum occasione multum cruoris ad cavitatem pectoris profunditur: de quibus tamen quia *Sect.* 1. cap. 3. prolixius disserui, Lectorem eo remitto. Sanguis enim hic congestus Viscerum vitalium motus enormius turbat atque cohibet,ac tandem in saniem seu pus ichorosum degenerans ad suffocationē usque eorum texturam corrumpit ac destruit. Cujus eductio per Paracentesin non adeo facilis est, ac communiter creditur: vel quod plagas ejusmodi cavum illud penetrare, non ęque semper constet, vel quod adornata hæc Chirurgia eductoria successus felicioris raro observet ur. Utriusque Exempla evidentiora *sect.* 1. *c.* 3. recensui: priori in præsentiarum hoc addo. Anno 1707. mense Junii in sauciati cujusdam Thoracis latere sinistro Medicus ac Chirurgus deprehendebant puncturam, ad Sternum inclinantem, quæ an Pectus perfoderit, nec Candelæ cereæ, nec Siphonis, nec Tubuli applicatione, iisdem experiri licebat: quin, potius eam in Sterno terminari, cuncta tentamina innuerent, & Symptomatum levitas optima quævis sperare juberet; donec post aliquot dies cochleare circiter seri corrupti hinc promanaret & percussus obierit. In cujus Cadaveris Thorace Puncturam illam intra tertiam & quartam Costarum superiorem illius cavum subiisse, ac Musculum sub Sterno Triangularem sinistrum, Mediastinum & Pericardium lacerasse, vidi, ita quidem ut lateris dextri spatium Intercostale pariter ad cutem usque perforarit. Venter hinc medius, pure sanioso repletus, Pleuram & Cordis superficiem externam corrugatam ac crassiorem, Ventriculum vero hujus dextrum maxime compressum, monstrabat: punctura vero descripta à me Lethalis dicebatur.

Pulmonum Plagæ non semper lethales observantur, hincque forsan *Hipp.* 6. *aph.* 18. *&* 2. *prædict.* 19. harum inter lethalia haud meminit, suntque frequentiora illorum exempla, qui transfossis iisdem, quamvis raro sine gravioribus symptomatis, ad multos annos superstites manserunt, qualia in *Sect.* 1. innui, his vero nonnulla ex *Pigræo & C. Stalpart. van. der Wiel*, utpote memoratu prę reliquis digna, in præsentiarum addo. Nimirum *Prior Chirurg. lib.* 4. *cap.* 14. de Nobili quodam, in pectore non longe à mamma ensis ictu, dorsum in opposita parte trajiciente, percusso refert, quod, quāvis hic trajectus sine pulmonis læsione fieri non potuerit, parum tamen puris per vulnus prodierit & sine febre aliisque symptomatis intra quadraginta dies perfecte sanatus fuerit: donec quadragesimo febre ac aliquali dyspnœa correptus paulo post per tracheam puris albi & percocti ultra libram ejecerit, indeque optima semper valetudine usus fuerit. Addit huic notabilem maxime historiam cujusdam militis, qui sclopi ictu in thorace vulneratus tribus aut quatuor à sanatione mensibus per eandem arteriam asperam satis crassum tribusque ad minimum digitis longum costæ fragmentum emiserat, ab eoque tempore nullum plane symptoma senserit. *Posterior* autem *Cent.* 1. *obs.* 39. perhibet, juvenis cujusdam dorsum prope scapulam eousque perfossum fuisse, ut ensis mucro per pectoris quendam musculum intercostalem ad cutem usque ferretur, isque multum sanguinis tussiendo rejiceret, sanatum nihilominus intra quatuordecim dies prodiisse. Item *Obs.* 31. alium juvenem ab ense, pariter thoracem trajiciente, humi prostratum sine motu & sensu aliquandiu decubuisse cum insequente hæmoptosi duarum circiter mensurarum & paralysi unius lateris satis diuturna: qui nihilominus tandem cum loquelæ & motus in crure aliquali restitutione sanabatur, manu resoluta permanente.

Memini ipsemet Juvenculæ villicæ, quæ ante annos viginti circiter sclopeti explosi ictum sustinuerat, cujus globuli, pisum circiter æquantes, plures summitatem Pectoris dextram perforarant, ita quidem ut horum quatuor per Scapulam ejusdem lateris hujusque Os denuo prodierint. Altera à vulnere suscepto die, cum illam, pro Prognosi formanda, visitarem, sputum cruentum spumosum, tussim, dolorem pungitivum cum aliquali dyspnœa penes eam annotabam, ex qualibus Symptomatis & regione Thoracis vulnerata Pulmonum partem granulis illis plumbeis transfossam, hinc vulneratam non omnis vitæ periculo expertem declarabam; quæ nihilominus sensim reconvalescens, sub raucedine & dolore loci tensivo ac gravativo cum aliquali anhelitus difficultate, superstes mansit.

Multos tamen, modo brevius, modo tardius, ex pulmonum ictu succumbere præter *Hipp.* 3. *coac.* 388. eadem experientia evincit; adeoque organi hujus Vulnera per se lethalia censeri debent, quæ aut plures, aut majores earum arteriarum vel venarum ramos, aut tracheæ propaginem insigniorem, penetrant lacerantve. Vasorum sanguifluorum pneumonicorum lacerationes lethales præter *Timæum Respons.* 16. Acta Facultatis Nostræ comprobant, v. g. in Viro quodam, Sulæ Francorum 1683. d. 19. Junii glandis sclopetarię ictu trajecto, hincque paucas post horas obeunte: in cujus cadavere visa fuerunt clavicula dextra & pulmonis summitas perforata, hujus vero vasorum rami majores lacerati, hinc spatium thoracis idem multo sanguine repletum. Cui ex propriarum observationum Catastro tres paris eventus casus jungo. Quippe anno 1674. die 13. Februarii, vocatus à Nobili in Viciniam, secui & inspexi cadaver, cujus pectus non glande plumbea, sed chartacea tantum, trajectum monstrabat sub ala sinistra è regione papillę intra quintam & sextam costam vulnus, cum quintæ effractura & pulmonis sinistri loci inferioris hujusque vasorum insigni seu sesquiunciam æquante dilaceratione, qua intra Nycthemeron cum hæmorrhagiâ insigni, difficultate spirandi & cordis anxietatibus obierat percussus. Primo Decembris ejusdem anni in conflictu quorundam Studiosorum & Præsidii Curiæ nostræ illorum cujusdam, qui mox cum vitæ suæ exordio Cognomen à Morte susceperat, latus sinistrū venabulo nefario mortaliter pertundebatur, ut per vulnus satis ingens, septimæ costæ partem, octavam totam & utriusque spatium intermedium trajiciens, cum cruore languescentem animam sexto ejusdem mensis deponeret: in cujus cadavere cum diaphragmatis ambitu carneo sinistri pulmonis fibram superiorem ad unciæ longitudinem perforatam simulque aliquot hujus visceris vasa, imprimis tres insigniores ramos arteriosos, lacerata, hincque pulmonem ac pleuram inflammatam, videre contingebat. Porro A. 1679. d. 27. Sept. ad Instantiam Prætoris urbani lustravi cadaver juvenile, Civis suburbani filii, qui thorace sub ala pariter sinistra, intra sextam ac septimam costam, ense perfossus triduo post fatis cesserat; ideo quod pulmo ejusdem lateris cum venæ pneumonicæ ramo sinistro sauciatus fuerat.

Majora itaq; pulmonum vulnera, quia sine divulsione vasorum sanguiferorum fieri nequeunt, item minora, venam arteriamve insigniorem penetrantia, semper per se lethalia dici merentur, & rarissime evadunt, qui talia sustinent. Obstare equidem huic pronunciato videntur ejusmodi quorundam Scriptorum observationes, quę ingentem satis pulmonum prominentem portionem

portionem, sine vitæ detrimento resciſſam perhibent, v. g. *Hildani Cent.* 2. *obſ.* 32. *Schenkii ex Rolando obſ. p.* 267. *ac Tulpii l.* 2. *obſ.* 17. verum diſpar horum phęnomenorum & plagarum hactenus deſcriptarum ratio eſt. Quippe, quam *Hildanus* annotavit, apicis pulmonis lividi præſectio ferro candente,hinc absque notabili hæmorrhagia, fiebat: in *Schenckii* hiſtoria pulmonis portio, propter ſanguinis, ab anguſtia & conniventia vulneris thoracici, appulſum interceptum, pariter ſine hæmorrhagiæ metu amputabatur. Quam *Tulpius* quoque, quia partem pulmonis prorumpentem emortuam filo conſtrictam extirpabat, prudenter ſatis evitabat.

Quadrat huc *Ruyſchi Celeberrimi obſ. anat. chir.* 53. ubi ex vulnere thoracis partis inferioris, in famulo cujuſdam Nautæ Pulmonis particula prominebat, quam Chirurgus imperitior pro Omenti portione habens illico vinculo ad reſcindendam deligando præpararat. Advocatus *Ruyſchius* admonebat Idiotam, Plagam non Abdomen, ſed Thoracem penetraſſe, & eam, quæ emineret, ab illo ligata, Pulmonis portionem eſſe: hinc vulneri digeſtivo & Emplaſtro defenſivo ſingulis diebus fore proſpiciendum, donec illa ligata emoreretur ac ſua ſponte decideret, & pulmo in ipſo vulnere conſolidaretur; quod cum reconvaleſcentia ægri contigit.

Futile & nullius valoris augmentum ſane eſt, quo in defendendis homicidis communiter utuntur, quaſi ſub compagis Pulmonum ab ulcere profundiore eroſione & non exiguæ hujus portionis conſumptione quidam diu ſatis & per annos (quamvis ſub valetudine plerumque cauſaria) ſuperſtites degant: proin nec Vulnera eorum adeo exitioſa & brevioris interitus cenſeri poſſe. Alterius plane rationis eſt Suppuratio ſenſim & ſine Hæmorrhagia præcipiti emergens, ac Plaga, enſe, globulo &c. inflicta: cum hæc ſine cruoris enormiore vel ad extra, vel ad Pectus profuſione, quæ Lethalitatis cauſa proxima, nunquam contingat; qualem ulcera illa neſciunt. Ulcera Crurum aliarumve partium externarum per plures annos ſuſtinent nonnulli ſine vitæ diſpendio, Vulnera eorum, graviorem Hęmorrhagiam quæ comitem habent, brevi cum ſanguine animam deponunt.

Præterea vulnera pulmonum illa quoque, quæ, illęſis vaſis ſanguiferis, aſperæ arteriæ intra eos reconditum ramum perforant, mortem per ſe patrare, ipſe *Hippocr. Coac. l. c.* innuit his verbis: *Moritur autem etiam, ſi in arteriam & pulmonem magnæ plagæ fiant, ita ut pulmone percuſſo paucior ſpiritus per os procedat, quã is qui ex vulnere elabitur*: confirmante idẽ experientia v. g. *Glandorpii*, qui *obſ.* 25. quendã nautã ex læſione rami aſperæ arteriæ cũm impetuoſiore aëris per vulnus tranſitu & ſanguinis ſpumoſi eruptione ſexta die deceſſiſſe, narrat. Eſtque hujus eventus cauſa in promptu, quod aër, qui pulmones diſtendere & ſanguini molecolas vitales concedere debebat, libere & ſine omni hoc effectu per plagam pulmonis æq; ac pectoris exhalet: aut ob vulneris anguſtiam in thorace retentus ac pulmones comprimens ſuffocando magis perimat.

Nec ductus Chyliferi ſeu Thoracici lacerationes, hactenus ab hujus argumenti Scriptoribus neglectæ, lethalitatis notam effugiunt: non tantum quod hac ratione, quæ per canalem hunc alias fieri ſolet, chyli traductio intercipiatur, ſicque ſanguis commeatu neceſſario intercludatur,ſed quod lympha pariter, è corporis partibus reflua, ex canali ſanguinis exturbetur. Aſſerto huic ejuſque ætiologiæ egregiam fidem faciunt experimẽta bina, à *Lowero de Corde cap.* 5. perſpicue ſatis tradita, & à quovis, mediocriter in ejuſmodi tentaminibus exercitato, facile adornanda; quibus intra thoracem canis viventis tribus à paſtu horis lacerata receptaculi lumbaris ſummitate aut ipſo canali chyloſolymphatico cruor è vena vel arteria poſtmodum ductus pauca lympha nulloque chylo dilutus conſpicitur, animal paucis dieb; elangueſcit & expirat, ventre hoc lympha ac chylo extravaſato ſcatente, ac Viſcera vitalia ſubmergẽte.

Lethalitatem equidem hanc dubiam reddere poterat hiſtoria fluxus ex vulnere chyloſi, quam ex *Langeloti* relatione *Bartholinus Cent.* 3. *Epiſt.* 37. tradit, quod Baro quidam circa mediam dorſi vertebram ſclopeto læſus, glande ſubter ſiniſtram ſcapulam exeunte, primo quidem non adeo male ſe habuerit, poſt quatuordecim tamen dies per vulnus inferius, ſuperiore conſolidato, extillarit liquor albicans, parum ſimul flaveſcens, & quidem per plures menſes, ægro quotidie ſub febricula veſpertina magis magiſque debileſcente & contabeſcente, utut bene appeteret & victu lauto atque pleniore quotidie uteretur, tandem tamen eouſque reſtituto, ut febricula & fluxu per quatuordecim dies remittente, habitus quoque corporis floridior comparuerit. Donec idem, ex alimentorum calidiorum abuſu animique commotione vehementiſſima, ejuſdem fluxus recidiva una cum epilepticis convulſionibus ac poſtmodum hemiplegia correptus, paucos poſt dies è vivis ſublatus fuerit. Sed vindicabit Illam ab ambiguitate, ſi (propter cadaveris inſpectionem minus accurate peractam) dicamus, forſan non ipſum truncum, ſed ramum ejus tantum alterutrum, infra coalitum communem, ſauciatum fuiſſe, ut pro portione quadam Chyli & Lymphę advehenda alter adhuc ramus quadantenus ſuffecerit. De cætero mortem certam non parum forſan morata fuit illa circumſtantia, quod fluidum hoc extravaſatum è vulnere promanarit, nec congeſtione ſua cordi pulſanti, nec organis reſpiratoriis, impedimento fuerit; contra in thorace reſervatum functiones has vitales graviter turbet.

Pro Diaphragmatis vulneribus mortalibus diſcernendis vulgo diſtinguunt cum *Galeno in Hipp.* 6. *aph.* 18. & 5. *meth. medend. c.* 9. inter vulnera nervoſæ & carnoſæ parti inflicta, nervei ſ. tendinoſi centri vulnera per ſe & neceſſario lethalia, carnoſæ vero peripheriæ modo cum *Fallopio & Vido Vidio* gravia tantum, ac difficilioris curationis, modo cum *Foreſto* utplurimũ, hinc per ſe, lethalia pronunciantes. Verum quamvis negari haud poſſit, carneæ diaphragmatis ſubſtantiæ vulnera minora aliquando ſanata fuiſſe, qualia exempla præter *Alex. Benedictum, Hollerius in Hipp.* 6. *aph* 18. *Glandorp. Specul. Chirurg. obſ.* 27. *ac Diemerbrock anat. l.* 2. *c.* 3. narrant; & quidem non tantũ per texturę rationem, qua ad conſolideſcendum hęc magis apta, ſed quod coſtis maximam partem propinquior eadem circumferentia remedia commodius admittat: Majora nihilominus aut multiplicata v. g. bina, non, niſi morte, expiari, præter experientiam communem ratio ſuadet, dum per hæc quoque actio reſpiratio vitalis turbatur, & inflammatio ſuperveniens cerebrum ac nervoſum genus æque facile, ac ſi pars ejus tendinea ictum ſuſtineat, in conſenſus ſpaſmodicos ciet.

Imo ambigere licet, nonne quæ à Medicis ac Chirurgis hactenus vulnera nerveę Diaphragmatis portionis ex præjudicio credita fuerunt, ipſam ejus carnoſitatem penetrarint: dum quę communiter traditur, diaphragmatis conformatio autopſię accuratiori haud concordat, & à Modernis Profectoribus evincitur non hujus tantum circumferentiam carneam exiſtere, ſed ex duplici & digaſtrico quaſi muſculo illud componi primo *Steno* aſſerit, quorum ſuperior ac latior peripheria ſua circulari coſtis & ſterni extremitati adhæreſcat, altera ſui parte in aponeuroſin tendineam abeat, inferior à vertebris lumborum carnoſo pariter corpore ſurſum feratur, & cum prioris aponeuroſi tendinem communem formet. Ita quidem, ut Septi hujus portio, quam tranſit Gula, quamque nerveã ſeu tendineã hactenus crediderunt omnes, revera carnea ſit, adeoque ex hujus vulneribus qui pereunt, non ex tendineę, ſed carneę, expanſionis læſione expirent. Breviter, utriuſque Diaphragmatis ſub-

ſtantiæ

ſtantiæ vulnera per ſe lethalia ſunt: quia nerveę ſemper & neceſſario, carneæ frequentius, ſeu utplurimum talia obſervantur. Accedit, raro Diaphragma ſolum ſauciari, quin ex Viſceribus vicinis unum pluraque ſimul lædantur, hincque Vulnus complicatū Lethalitatem intendat.

Interim vix adeo mirari convenit, ſi vulnera Septi mortem aliquando non mox pediſſequam ferant, illa ſc. per quæ Ventriculus atque Inteſtina ſurſum & intra thoracis ambitum rapiuntur, hinc foramen factum obturant, imo hujus limbo tandem agglutinantur, qualia phænomena *Pareus lib. 9. cap. 30 Sennertus prax. lib. 2. part. 2. cap. 15. & lib. 5. part. 4. c. 3. ac Blanckard. Anat. pract. ration. obſ. 1.* referunt: quamvis eadem viſcerū hac tranſlocatione repente quoq; interemiſſe, i. e. irrepentia hæc motum cordis & pulmonum mox ad ſyncopen & ſuffocationem uſque turbaſſe, idem *Pareus l. a. H. ab Heer. obſ. 25. Glandorp. obſ. chir. 28. & Blanckard. l. a. obſ. 2.* teſtentur. Nihilominus, ſive brevi, ſive poſt menſium demum fluxum, moriatur ab ejuſmodi viſcerum mutato ſitu perfoſſus, lethalis tamen dici meretur hic Diaphragmatis ictus: quod arti nullus ſuppetat modus, per quem raptus ille impediatur ac tranſlocata interanea retrahantur, etiamſi de his (phænomeno alias ſatis abſtruſo) conſtaret. Etſi etiam ſine ejuſmodi Viſcerum Abdominis tranſlocatione Diaphragmate enormius ſauciatos Fatum aliquot dies ſuperſtites conſervaſſe, Obſervationes teſtentur: v. g. ex relatione illius Galli Anonymi, cujus à me aliquoties mentio facta fuit: Ubi enſis vulnerans Hypochondrium ſiniſtrum compagem Diaphragmatis carnoſam primum, hinc dextræ partis tendinoſam, perforaverat: expirarit tamen poſt triduum demum vulneratus ſub Febre graviore, Delirio & Convulſione Sardonica.

Spectat huc ejuſdem Septi Contuſio, non tantum illa, quæ cum Cruoris enormiore extravaſatione contingit, qualem *Timæus Reſp. 15.* brevi lethalem perhibet: ſed quæ etiam ſine hac momentaneam ſuffocationem infert, percuſſis ſc. hypochondriis aut regione epigaſtrica. Repentinæ ab ejuſmodi Diaphragmatis concuſſione ſtrangulationis exemplum ex penu propriarum obſervationum *Sect.* 1. protuli, ſimileque me aliquando ab Amico audiviſſe recordor, qui ſuperioribus annis, juſſu Magiſtratus ſui, ſecuerat cadaver pueri, commilitone globi nivalis in Epigaſtrium jactu proſtrati & extincti, nihil tamen rupturæ ſimiliſve violentiæ præ ſe ferentis. Sine dubio, quod vehementius concuſſum Septum ſpaſmum ejuſmodi compreſſivum experiatur, per quem ad tempuſculum intercepta reſpiratio percuſſum è vivis rapiat.

Demum Lacerationes Nervorum per ventrem medium decurrentium Intercoſtalium, Vagi paris & Phrenicorum, ut mortiferæ maxime, huc revocandæ, ſive utriuſque, ſive alterutrius tantum, lateris propagines aut plexus exiſtant, prout ſub finem *cap.* 2. monui. In ſpecie hoc evidens maxime eſt in nervis & plexibus cardiacis ſingulis, quatenus ab horum ruptura uni tantum cordis ventriculo eveniens ſpaſmus, aut reſolutio alterius quoque motum cum Reſpiratione neceſſario turbat: ut ponderata habitudine, qua ad ſe invicem & pulmones hi gaudent, facile cuivis perſpicuum fiet.

Cap. 5. *De Abdominis Vulneribus Lethalibus.*

In Abdomine quemadmodum pariter diverſa diverſique muneris ſunt organa; ſic eorum ſauciatorūm intuitu ventri huic plura prę Thorace contingunt vulnera mortalia: Sc. innuente *Hippocrate* locis aliquoties allegatis, Ventriculi, Inteſtinorum, Hepatis, Veſicæ & Vaſorum Majorum, quibus non immerito Lienis, Folliculi fellis, Meſenterii, Pancreatis, Omenti, Receptaculi lumbaris, Renum Uterique lacerationes pleręque accenſentur.

Ventriculi Vulnera vel ratione vaſorum ſanguiferorum, vel ratione compagis ſibi propriæ, lethalia obſervantur: dum per illa contingens hæmorrhagia totius corporis viribus enormiter derogat, ſanguinis vero ad interiora facta profuſio mole atque putredine Viſcerib; vim infert: per hæc autem digeſtio alimentorum horumque diſtributio, fluidis, vitalibus univerſalibus ęque ac particularibus, materiam ſubminiſtrans, turbatur atque aboletur, imo illorum vel crudorum, vel digeſtorum, ad ventrem rejectione hujus interanea pariter materia moleſta & in ſui ac horum exitium vergente obruuntur.

Frequentiora nihilominus annotantur & penes Autores conſignata leguntur exempla eorum, qui à percuſſionibus Ventriculi reconvaluerunt, v. g. *Galenum in Hipp. 6. aph. 18. Fallopium de Vulnere in genere c. 4. Chr. à Veiga in 6. aph. 18. Schenckium obſ. p. 348. & Glandorp. Specul. Chir. obſ.* 30. quibus accedunt hiſtoriæ famoſiſſimę illorū, quibus cultrū, vel demente temeritate, vel imprudentiore conatu, per gulam ad ventriculum demiſſum, per epigaſtrii regionis inciſionem eductum fuiſſe, narratur *à Crollio in præf. Baſil. Chymic. & Daniel. Beckero* in peculiari *de Cultrivoro Pruſſiaco* libello deſcriptæ. Quo referre licebit adoleſcentem illum ruſticum prope Halam ſedecim annorum, qui anno 1691. d. 3. Januarii inter petulantias juveniles Cultrū ore prehensū improviſo pronoque in terram lapſu faucibus profundius impegit, ſociiſque & aliis accurrentibus, quod extrahi illum poſſe diffiderentur, cereviſiam ac oleum, ad gulam lubricitandam, ſuffundentibus, in ventriculum demiſit. Poſt varios dolores ac moleſtias, modo ſedatos, modo recrudeſcentes, menſe Januarii inſequentis anni tumor quidam durus non procul à Scrobiculo Cordis enatus, cum rubore & dolore intenſo, paulo poſt aliquantum evaneſcens, Maji menſe denuo tamen prominens & Abſceſſum innuens, qui 24. dicti menſis ſpatha Chirurgi apertus materiam purulentam ac graveolentem fundebat, die 18. Junii apicem cultri monſtrabat, donec die 2. Auguſti culter integer, quamvis hinc inde corroſus ac mole imminutus, feliciter extraheretur, & ab eo tempore, ſenſim conſolidato ulcere, incolumis viveret Adoleſcens. Tranſcripſerat hanc Hiſtoriam, qui illi medendo adſtiterat, ad nos, *Actis Eruditorum ann. 1692. menſ. Decembr.* cum figuris Cultri devorati inſertam. Quibus & ſimilibus, *quo Hippocratis, Galeni, Celſique* ſui effata defendant, Vulnerum Ventriculi varias conſtituerunt claſſes eorum commentatores, harumque alias lethales, alias non lethales, ſibi conceperunt. Diſtinguebant ſiquidem I. inter parva & ſuperficialia tantum & inter penetrantia ac latiora, illaque minus, hæc maxime, mortalia judicabant: II. inter Ventriculi læſi partes, id eſt orificia & fundum, illorum plagas ſemper & neceſſario, hujus utplurimum tantum, mortiferas pronunciantes; quamvis alii faſtigio tantum fundi, ſeu eminentiæ bina orificia interjacenti, hujuſque læſionibus hanc prærogativam tribuerint.

Verum quemadmodum orificiorum plagas penetrantes ſemper lethales cenſeo, ſcilicet ſiniſtri, ob deglutitionem impeditam, plexuum nervorumque inſigniorum inevitabilem lacerationem, connexionem cum Septo tranſverſo, hincque inflammationem dolorificam ſingultuoſam & convulſivam; dextri ob chyli diſtributionem impeditam vel depravatam & vomitus bilioſos enormiores: utriuſque vero quod ratione ſitus profundioris remedia congrua ſibi applicari haud patiantur. Ita haud apparet, cur non vulnera fundi quoque, ſi cum his ſimilibuſque ſymptomatis moriatur percuſſus, per ſe lethalia debeant pronunciari, utpote quæ pariter ideo perimunt, quod medelam neceſſariam ratione ſitus naturalis reſpuant, aliorum vero conſolidationes aut naturę favoris ſingularis, aut cœcæ fortunæ, opus fuerint. Neque enim, ut aliquoties monui, locum hic habet illa, quam in prognoſi vulnerum

adeo

adeo frequenter decantant, limitatio, quasi orificiorum plagæ semper & necessario, fundi ut plurimum duntaxat, mortem inferant: quatenus non de futuro, sed præsente, eventu, id est, non, an moriturus, sed mortuus, sit percussus, deponere postulatur Medicus; vel eo ipso, dum ex vulnere utplurimùm funesto periit hic, hoc per se interfecisse videtur vulneratum, prout in *Sectione prima* prolixius ostendi.

Neque enim I. Symptomata alterius generis, panciora aut orificiorum vulnerũ pathematis mitiora minusve lethalia patitur sauciatus ventriculi fundus, chyli nempè digestionem ac distributionem frustratam, nauseam, vomitus, convulsiones, &c. quæ sane vulnera interficiendo satis potentia existunt. Nec II. crassior magisque carnosa est hujus substantia tunicacea, prout hactenus cum *Sebizio* & *Suevio* sibi suisque lectoribus multi, dogma sui *Galeni* denuo posthabentes, quo in *Hipp. aphor.* sæpius nominatum vulnera, ad stomachi cavitatem penetrantia, non tam propter hujus substantiam, quam quod ipsis non, ut partibus externis medicamenta possimus imponere, incurabilia ait, persuaserunt. Carnosiora longè semper observantur bina ostia, & fibrarum musculosarum fasciculis pluribus atque crassioribus, imo insuper circularibus, instructa, tenuioribus semper comparentibus parietibus ipsius cavitatis: ita ut, qui contrarium asserunt, eos vel contra autopsiam loqui, vel nullum ventriculum humanum vidisse, dicendum foret. Multo minus III. majorem præ fundo sensibilitatem prætendere possunt ostia bina vel ex his sinistrum propter plexus ingentes, in quos circa idem abit par vagum, quatenus plexus illi hic locorum haud terminantur, aut ab his majores ac plures nervi in eorum tunicas absorbentur, sed ab iis emanantes propagines per totum undique ventriculi ambitum feruntur, imo à plexibus nervi intercostalis abdominis diversis infiniti & conspicui nervorum fasciculi egrediuntur fundo magis, quam orificiis prospicientes. Denique nec IV. adeo evidens est habitudo fundi, pro admittendis medicamentis, major quam ostiorum: dum quoad extrinsecus immittenda difficultas ratione situs ubique eadem, à traumaticis verò internis seu epotis haud plus sperare potest fundus præ orificiis, quam illa in hoc diutius morentur, eumque non adeo festinanter, ut hæc, prætertlabantur, i e. quamcunque hujus regionem tibi concipias perforatam, exilissima, aut potius nulla, illorum in plagam conglutinandorum erit efficacia. Si enim summam, ad hanc minimè pertingunt, hujusve unitatem læsam attingunt optima balsamica: Si inferiorem, per hujus aperturam facilius effluunt & abdomen gravant, quam illius labia conglutinant: Sin denique mediam, etiam ejus plagæ viam potius patulam medicamentis illis concedunt, quam ut ab illorum momentaneo contactu aliquid virtutis recipere queant; eas verò si non attingant, nec inde delibare poterunt balsamum labia illarum.

Neque tandem video, qualem prærogativam habeat jugum fundi, orificiis intermedium, quæ cordatum & rationalem Medicum, in hujus vulneribus mortalibus judicandis ambiguum reddere possit: imprimis cum quem unus vel alter hunc in finem *Galeni in 6. aph. aph.* 18. allegat, commentarium aut nunquam legisse, aut non recte intellexisse, aut perverse applicuisse, videatur. Verba quippe illa: *Tenuium autem intestinorum natura & ventriculi magis non parum participant carnosæ substantiæ, & ideo in summa parte vulnerata sæpius agglutinantur &c.* non summitatem loci, sed superficiem externam ventriculi & vulnera non penetrantia determinant, ut præter *Sebizium ac Suevum* vel succedanea innuunt: *Tota autem discissa usque ad eorum cavitatem, rarissime &c.* vel hoc evincit, quod, cum ventriculum intestinis combinat hoc loco *Galenus*, haud pateat, quid per horum summitatem, nisi superficiem, sibi velit. Quodsi verò ex percussionibus ejusmodi aliquos evadere contingat, ratio duplex potissimum subesse videtur: nimirum vel quod fastigium hoc ventriculi non adeo prompte conscendant ac per hoc rejiciantur contenta, præprimis si vulnus exilius; vel quod diaphragmati magis contiguum cum eodem facilè coalescat: quæ phænomena tamen quia naturæ ac fortunæ potius, quam artis, opus sunt, vulnera hęc nec in genere, nec in individuis, ex illis succumbentibus, reddunt minus mortalia.

Quo tamen his meis de fundi ventriculi plagarum lethalitate aliquid luminis & firmamenti ab experientia quoque accedat, provoco ad scriptorum observationes, in specie *Foresti*, qui *lib. 6. obs. chir. 5.* quendam quatuordecim circiter à fundi ventriculi vulnere, alium à simili viginti quatuor horis, obiisse perhibet, *A. Lusitani Cent.* I. *Cur.* 67. qui Architectum Pauli Tertii, Summi Pontificis, ex ventriculi fundo ense perfossum, altero die mortuum ait. Item *H. ab Heer, obs.* 25. qui Granorum Mercatorem, cujus ventriculi fundus cullo transfossus, ad trigesimam tantùm horam supervixisse refert: & *Th. Bartholini*, puellam, bombardæ minoris globulo ad ventriculi fundi sinistram protuberantiam hujusque cavitatem usque ictam, sequenti mane expirasse narrantis. Quibus ex *Actis Collegii Nostri* adjicio binos casus, quorum alter de vulnere lethali in fundi imo, alter in summo, testatur. Sc. Anno 1668. 12. Maii Servestæ Studiosus quidam militis hypochondrium sinistrum mox sub costarum verarum ultima ita vulneraverat, ut gladius in fundum stomachi, hincque ad latitudinem digitorum duorum transversorum à pyloro per eundem ventriculum & hypochondrium dextrum transierit, ex quo ille cum vomitibus frequentioribus potulentorum haustorum, ac cardialgia, sudore frigido altero die perierat, potulentæ pariter materiæ mensuris quatuor circiter ad abdominis cavum profusis. Qualem percussionem quamvis præter Medicum quendam privatum Collegium aliquod in vicinia non per se lethalem pronunciarit, aliud judicium postulatum super eundem casum suspenderit: Nostra nihilominus Facultas per se & absolute mortalem, non sine rationibus decidendi, evidentibus judicavit. Pariter An. 1677. 26. Sept. in Oppido Voigtlandiæ, Reichenbach, calcearius calcearii hypochondrium sinistrum fere eodem loco, sc. super costarum notharum prima, & ipsum ventriculi fundi fastigium, è regione orificii sinistri, ac duobus digitis transversis super pylorum denuo, perfoderat, ut hic cum dolore circa stomachum insigni, siti, vomitibus & convulsionibus intra biduum expirarit, & quidem vulnere sine omni dubio lethali.

Quodsi proin præter summitatis ventriculi etiam reliqua fundi vulnera, in plagis lateralibus, antica &c. aliquando consolidentur, quintuplicem suspicor imprimis hujus eventus salutaris causam occasionalem. Nempe (I) si minora, fieri hoc poterit per corrugationem ventriculi naturalem & beneficio strati fibrarum musculosarum tunicæ carneæ, tractui vulneris paralleli, contingentem: (II) Si peritoneo, diaphragmati & abdominis musculis agglutinentur & cum horum labiis coalescant, ut in Rustico illo Kunnersdorffiensi, cui, annotante *Schenckio*, per vulnus epigastrii satis diu alimenta prodierant, sanato factum, tumor externus, mole pugnum æquans & non raro dolores gravissimos excitans, probabile reddit, simileque in adolescente rustico Hallensi factum, ex circumstantiis enarratis colligitur: vel si (III) portiuncula omenti se insinuans ejus incisionem obturando coalitionem juvet. Quod (IV.) etiam forsan evenit, si per vulnus ejusdem abdominis regionis latius labia ventriculi sauciati integumentis externis adducere & una eademque sutura hæc colligare liceat; quale quid ex voto satis successisse ex observatione *Oethei Schenckius*, *Suevus*, *Corbeus* aliique referunt, idemque confirmat *C. Stalp.*

Stalp. van der Wiel cent. 1. *obs.* 39. Item (V.) si apertura ejusdem ventriculi ratione contiguitatis arctioris cum labiis plagæ externæ ita occallescat, ut per meatum seu ulcus hoc patulum, quæ molesta, rejiciantur: cujus phænomeni exemplum in Rustico Bohemo, venabulo lato in Stomachum sub orificio sinistro icto, ex *Cornace* & *Jul. Alexandrino* allegari, si Wielium excipias, narrant, sc. vulneris interni & externi labia per callum communem ita coiisse, ut per eorum hiatum deglutita ad lubitum emittere, eodem verò linteis obturato illa retinere, valuerit, sicque aliquot annorum spatio vitam protraxerit. Nec (VI.) rationi omnimode repugnat, quo nonnullos scriptores inclinare observo, quorundam forsan ventriculos carnosiores existere, adeoq; per habitudinem quoque hanc individualem vulnera felicius eluctari.

Sicut autem, prout in *sectione prima* innui, quæ per singularem naturæ benignitatem aut circumstantiam satis fortuitam aliquando sanatæ plagę alias, ejusdem generis visas, lethalitate haud eximunt, nisi ex particularibus universalem conclusionem, invita Logica naturali, eruere malis: ita, dum plura ventriculi vulnera lethalia, quam salutaria obvia sunt, in subjectis, quæ occasione horum ac cum symptomatis gravioribus, his læsionibus adæquatis, perierunt, & quibus non adeo propitia fuit vel natura, vel fortuna, talia cujuscunque ventriculi partis, mortem per se intulisse asserere nunquam vereor, potissimum si nec sauciatus, nec Chirurgus, erroris convinci queat. Habent enim cuncta hoc commune, quod remedia illis commode applicari haud valeant, vomitibus verò ac convulsionibus totum exagitent brevique enervent, his ipsis subsultibus discontinuatarum partium coalitionem turbent atque impediant, assumpta verò vel omnino è corpore proscribant, vel ad abdominis cavum deponant.

Ventriculo prout continua sunt intestina, & quidem tam ratione substantiæ quam usus, hæc discissa aut quocunque modo lacerata idem cum illo habent fatum. Sc. vulnera horum per se lethalia comprobant infinita eorum exempla, qui intestinis sauciati expirarunt, contradicentibus aliis observationibus, quamvis paucioribus, nonnullos eadem salvos atque incolumes evasisse. Unde factum, ut diversam semper διάκρισιν meditati fuerint rerum harum scriptores, sc. modo cum *Galeno in 6. aph.* 18. vulnerum *Superficiariorum* & *Penetrantium*: modo cum *Hippocr.* 3. *Coac.* 389 *magnorum & Paruorum*, modo cum *Eodem Longitudinalium* atq; *Transversorum*; modo deniq; cum *Galeno 6. meth. med. cap.* 4. *Tenuium* & *crassorum*: adeo quidem ut superficiaria, parva, recta ac crassorum periculosa tantùm, penetrantia verò, majora, transversa ac tenuium per se mortifera, proclamarint. Et quidem posteriori limitationi ipse quoque *Hippocrates* primam occasionem suggessisse videbatur, dum 6. *aph.* 18. & 24. inter partes lethaliter sauciatas tenuia tantùm numerat intestina: eo ipso tamen dum 2. *prædict.* 19. intestina in genere, & 3. *Coac.* 389. tenue æque ac crassum mortem causari, ait, eandem distinctionem quasi tollit, nescio tamen quo casu, inter Canones fundamentales relatam; pariter etiam *Celsus l.* 5. *cap.* 26. postquam servari non posse scripserat, cui intestinum Jejunum aut tenue aliud vulneratum; mox omnium intestinorum plagarum difficilem esse curam, pergit.

Primam itaque ac Secundam διάκρισιν promptus largior, Tertiam verò ac Quartam concedere nequeo: cum arti non plura ac efficaciora suppetant remedia pro vulnere longitudinali & crasso intestino, ac pro transverso & tenui, conglutinando seu uniendo. Transversa vulnera rectis cur difficilius coeant, hæc forsan subesse videtur ratio, quod fibris tunicæ extimæ ac mediæ seu carneæ longitudinalibus dissectis nullo amplius vinculo contineantur circulatium manipuli: contra his præsectis, illis harumque potentia contractoria integris conniveant magis vulnera, minimè tamen in cadaveribus, si patula reperiantur, pro non lethalibus habenda. Concedo pariter, tenuium intestinorum plagas vel ideo magis exitiosas existere, quod nobilior eorundem videatur actio, sc. Chyli perfectio atq; distributio, quod difficilius longè coalescant crassis, quodque majoribus & copiosioribus vasis sanguifluis & lacteis instruantur. Nec tamen crassorum functio sordidior, quam in congerendis & egerendis stercoribus præstant, talis est, quæ sine vitæ certo discrimine per vulnus frustrari queat: neque facilitas & difficultas coalescendi ex vulgi hypothesi à substantiæ diversitate dependet, ut ipsemet *Galenus comm.* 6. *aph.* 18. innuit, sed ex situs disparitate, per quam colon maximum sui tractum, ambitui ac integumentis abdominis externis non tantùm contiguum, sed continuum quoque, deprehenditur, tenuibus profundius reconditis atque implicatis.

Concludo E. cum *Hippocrate*, ictus, intestina quæcunq; penetrantes, imprimis majores, & graviora symptomata pedissequa habentes, per se mortales existere: quod 1. à contentis suis ac flatibus distendantur, & motu peristaltico perpetuo exerceantur, hinc difficulter coalescant; 2. facilè inflammentur ac gangrænosa evadant, ac 3. chylum atque feces ad aqualiculum profundant; nec 4. remedia sibi rite applicari patiantur.

Vulnerum intestinorum lethalium historias plures scriptores consignarunt, v. g. *Valeriola li.* 2. *ob.* 8. & 9. *Benivenius de Abdit. c.* 76. in specie v. Ilei *Glandorpius obs.* 32. *Salzmann. obs. anat. p.* 10. & *Bonetus Sepulchret. l.* 4. *s.* 2. *obs.* 15. §. 9. it. Coli *Tulpius l.* 3. *c.* 20. ac *Salmuth. cent.* 1. *obs.* 18. Quibus addo Casum à Quæsturæ Martisburgensis Præfecto Facultatis Nostræ Judicio expositum, cujusdam, qui 1678. 27. Decembr. duorum transversorum digitorum altitudine supra os pubis cultello confossus, 1679. 4. Januarii ultimum diem obierat: propter Ileum sectione longitudinali, vix crassioris Digiti capace, laceratum, hincq; cum reliquis intestinis inflammatum atque sphacelatum. Nec desunt tamen, quibus eorundem intestinorum plagæ salutares contigerunt, qualium meminerunt *Albucasis l.* 2. *c.* 5. *Pareus l.* 9. *cap.* 35. *Holler. in* 6. *aph.* 18. *Fallopius de Vuln. in genere cap.* 4. & *de Vulner. pecul. cap.* 17. atque 19. *Valeriol. l.* 4. *c.* 9. & quidem Ilei *Ephemerid. Nat. Curios. Dec.* 1. *ann.* 3. *obs.* 176. Coli verò *C. St. van der Wiel. cent.* 2. *obs.* 25.

Vulneris Coli (ex quo sauciatus die quarto vita defunctus) Lethalitatem quondam sc. A. 1691. 22. Augusti à defensore impugnatam, à Collegio v. Nostro eodem anno ac mense vindicatam, acta hujus suggerunt: cujus utriusque argumenta recensere forsan è re erit. Defensori ambigua videbatur illa ideo imprimis, quod 1. Prosectores negligentiores intestinum nominatum minus aperuerint, hinc ejus valvulæ læsionem, unde lethalitatis potissimum momentum petierant, non tam viderint, quam augurati fuerint, 2. quod per integumenta abdominis dilatanda vulnerato intestino Medicus, qui ægri curam gesserat, vulneraria seu balsamica non tempestive injecerit, alias salutaria. 3. Hinc inde constet, vulnus ejusmodi cum Peritonei & Musculorum vulnere aliquando ita occalluisse, ut per hiatum relictum scybala intestinorum ad plures annos, sine vitæ periculo, rejecta fuerint: 4. non tam vulnus, quam sanguinem extravasatum ac in ventre congestum, supervenienti inflammationi & Gangrænæ intestini occasionem dedisse: ac tandem 5. Vulnera hujus generis sanata quandoque legantur. Ast dubia hæc solvebat Facultas, regerendo ad (1) quod, quamvis valvulæ coli laceratio ab inspectoribus nec visa, nec exactè probata, ex plagæ nihilominus loco, principio nempe hujus intestini, læsionem illius opinari liceat. & utut hæc minus lacerata fuisset, motus tamen intestini peristalticus ex simplici hujus vulnere, hincque necessario superveniente dolore ac inflammatione, depravari potuerit: ad (2) deficere indicans adæquatum ad abdominis integumenta dilatanda ad injectiones admovendas: incumbens etiam vulneri coli ileum illas ad hoc forte non admisis-

se,

ſe, neque has ejuſmodi duplex vulnus conglutinare potuiſſe: ad idem & (3) à particulari ad univerſale non valere conſequentiam, h. e. ex uno exemplo caſu magis, quam arte, hujus vel illius ſanati vulneris non inferendum, quaſi omnia ejuſdem partis vulnera medelam admittant: ad (4) Inflammationem ac mortificationem coli utique vulneri hujus potius, quam extravaſato ſanguini, adſcribendum: ad (5) verò idem, quod ad 3. dicendum, ſc. ab illo, quod rarius contingit, ad plura non fore concludendum; proin hoc vulnus coli duplex ratione doloris, inflammationis ac gangrænæ; hincque evenientibus lipothymiis, ſingultus vomitus ac rejectorum clyſterum per os, per ſe lethale eſſe dicendum.

Et ſic in exque genere experientia fato potius, quàm arte, à vulneribus inteſtinorum reconvaleſcentium, non, niſi hoc, concludere nobis convenit; vulnera inteſtinorum natura ſua & in ſe non neceſſariò, ſeu ſemper, ſed utplurimùm tantùm, exiſtere lethalia: hincq; inferendum, E. eorum plura illave frequentius ſunt talia, hæc nimirum, quibus conſolidandis Medicina defuit, adeoque ſymptomata mortifera declinare haud potuit, ob difficultates modo indigitatas. Quæ verò eorum ſalutaria contingunt, obſervantur vel cum hiatu, ſeu apertura ad exteriora hiſcente, per quam præterlabentes feculentiæ excernuntur; vel cum inteſtini pariter ac abdominis plagæ occluſione & coalitione. Prius ſolennius eſt craſſis inteſtinis, & quidem per ſitus & connexionis cum ventris hujus integumentis rationem, qualia exempla *Cabrolius obſ.* 13. *Hildan. cent.* 1. *obſ.* 74. *Platerus obſ. lib.* 3. *p.* 850. *Bauhinus in append. ad Rouſſett. parerg.* 1. *Ephemerid. Nat. Cur. Decur.* 1. *ann.* 3. *obſ.* 8. & *ann.* 9. *obſ.* 121. & ex *S. Sculteri Diſputatione, Suevus de Inſpect. Vulner. part.* 2. *c.* 19. quamvis ex tenuioribus tale quid Ileo quoque cum vitę, quamvis miſeræ forſan, integritate accidere poſſe, ſequentes binæ hiſtoriæ declarent. Refert quippe *Fernelius pathol. lib.* 6. *cap.* 14. Viro cuidam ex accepto ventris vulnere pręciſum tenue inteſtinum prodiiſſe, ex quo alvi excrementa minus ſolida aut cohærentia per multos annos emanarint, ea via, quæ ad anum ducit intercepta. Pariter *Bleg. Zodiac. Gallic. ann.* 2. *Jun. obſ.* 4. narrat, ab acinace quendam vulnus recepiſſe in parte dextra inferioris abdominis regionis, paulo ſupra annulos, proceſſibus vaginalibus peritonei tranſitum concedentes, quo ictu tranſverſim & omnino diſſectus fuerit tubus inteſtinorum, non procul à loco, ubi deſinit Ileum. Quod vulnus quamvis abſolute lethale pronunciatum & pro deſperato relictus fuerit percuſſus, ea tamen fuit hujus felicitas, ut extremitas ilei reſecti, extra vulnus ad ulnæ ſextæ partis longitudinem elata, tandem recti inteſtini munus in ſe ſuſceperit &c.

Quod autem aliquando omnimode ac perfecte coaleſcant inteſtinorum vulnera, fieri poteſt I. per communē cū integumentis externis cicatricem, ſi illud vulneri externo è diametro opponatur, quale quid colo per continuitatem illam, quæ cum peritoneo & muſculis abdominis ejus parti externæ intercedit, quam frequentiſſimum eſt. II. Si vulnus abdominis tantùm, quantùm pro conſuendo inteſtino lacerato neceſſarium, hoc conſutum interdum coaleſcit, ſi nimirum ſubſtantiæ craſſioris & copioſiore pinguedine obſitum fuerit, qualem experientiam in colo *Glandorp. obſ.* 32. *ac Ephem. N. C. Decur.* 1. *ann.* 3. *obſ.* 176. teſtantur: non enim in omnibus futuram hanc æque feliciter ſuccedere penes *Bauhinum* loco modo allegato videre eſt. III. Si forſan omenti, inteſtinis innatantis, portio caſu aperturæ ejus ſe ingerat, hocque ad coalitionem uſque perfectam obturet.

Meſenterii rupturæ vix adeo facilè interficiunt; niſi quatenus hujus vaſa majora cū glandulis vel pluribus, vel majoribus, lacerentur. Vaſa hæc quia ſunt tam ſanguifera, quā lactea, utraq; per fluoris ſui, plus minus vitalis profuſionem letho cauſam dicunt: illa quidem, ſive ſanguis è corpore proſcribatur, ſive in ventre congeratur; hæc, ſi intra abdomen cumuletur chylus ſeroſus & aſcitem formet. Prioris, ſeu hæmorrhagiæ lethalis, exempla frequentiora ſunt, quamvis oppido raro tales animadvertere liceat vaſorum meſenterii ſanguifluorum lacerationes, quin ſimul inteſtina aliave viſcera mortaliter læſa conſpiciantur. V. g. Juſſu Magiſtratus oppidani 1669. 13. Auguſti luſtrabam interanea juvenis in hypochondrio ſiniſtro perfoſſi, & paucas abhinc horas defuncti: in quo præter Meſocoli vaſa ſanguinea diverſa, hinc multum ſanguinis extravaſati, Jejuni extremitatem inferiorem, perforatam vidi. Pariter in cadavere civis cujuſdam hujus urbis 1671. 25. Sept. ab enſe, itidem hypochondrium ſiniſtrum ſubeunte, hujus inteſtini Jejuni principium, epatis partem dextram & folliculum fellis cum venæ Meſentericæ trunco perfoſſa, hincque itidem non unam ſeu ſolitariam mortalitatis cauſam, in uno defuncto, cernere dabatur. Superiore tamen anno d. 17. Junii in cive quoque oppidano, vulgo *dem Frantzöſiſchen Koche* dicto, qui ex punctura regionis Epigaſtricæ tertia die expiraverat, obſervavi, ictum per omentum in meſenterii centrum penetraſſe, ſicque præter vaſcula Epiploica exiliora propaginem arteriæ meſentericæ ſuperioris inſigniore tranſverſim reſecuiſſe: unde abdomen ſatis vaſtum & obeſum cruore extravaſato & ad corruptionem inclinante turgebat.

Circumſpectius paulo mihi judicādū videtur de lactearū venarū vulneribus. Nempe lacerato uno vel altero tantū harū ſurculo, etiam ſatis magno: hinc notabili quamvis chyli ac lymphæ portione profuſa ac maſſæ ſanguineæ ſubtracta: per reliquos nihilominus ramulos integros, quia tantùm chyli, quantum pro vita perpetuanda indigemus, advehitur: nec chyli hoc diſpendium, nec ramulorum horum lacteorum inciſiones, phænomena per ſe lethalia pronunciare conveniet. Quod ſi autem hæc vulnera cum multa & mox præcipiti chyli ad abdomen profuſione contingant, viſceribus ejus moleſta ac tandem ſuffocatoria, haud perſpicio, quid auxilii illis ſperandum: cum perinde ac in aliis aſcitis ſpeciebus, niſi aquarum ſcaturigo obturetur, hoc in caſu fruſtraneus ſit Paracenteſeos conatus. Illud tantùm hac occaſione monitum volo, minimè, ut communis fert traditio, Chylum ac Lympham extravaſatam intra corporis ambitum ſeu cavitates adeo facilè corrumpi aut putreſcere; adeo hanc illorum nocendi ætiologiam hoc loco haud attendendam eſſe. Quotquot enim ſecui aſcite vel hydrope pectoris extinctos, ſerum horum chyloſum nihil vel graveolentiæ, vel ſaporis nauſeabundi, præ ſe unquam tulit, niſi corruptio viſceris cujuſdam enormior fracedine quadam illud infecerit: imo vix annus præteriit, cum in viro, ſumme aſcitico (magis ad ejus & uxoris inſtantiam, quam ut ipſi aliquid hinc ſucceſſus promitterem) per inſtrumentum Barbetianum Paracenteſin adminiſtrarim, qua repetitis vicibus eductum ſerum, quod per menſes aliquot in aqualiculo quam moleſte geſſerat, coloris lactei, odoriſque ac ſaporis ſuavioris atque ſubdulcis, uno verbo inſtar lactis ſeroſi & omni corruptionis ſeu fracedinis ignarum, deprehendebatur.

Glandularum meſenterii eadem eſt ratio, ſi nimirum harum læſio tanta, per quam chylus ac lympha cum impetu ad abdominis cavum ſtillet & ſub quantitate viſceribus reſpiratoriis moleſta in hoc cumuletur. Quod fieri aliter vix poterat, quatenus ſi vaſa lactea primi generis has non tranſeunt, certe per eaſdem colatur hinc diſciſſis colatoriis profunditur eorum fluidum: præprimis majore & media glandula, in quam plura lactea confluere, ex Anatomicis nunc ſuppono.

Plus metuendum à vaſorum lacteorum diſtributoriorum (eu ſecundi generis vulneribus, utpote quo paucïorum, eo grandiorum, item Receptaculi lumbaris: quatenus hi canales atque alveus communis lacerati plus chyli, imo omnem hujus & lymphæ aſcendentis penum, profundunt, hinc non tantùm viſcera gravando,

cto, sed his atque fluido sanguinis succum alibilem d negando, mortem certam accelerant.

Pancreatis plagas non, nisi arteriarum aç venarum transeuntium ac perreptantium occasione, mortiferas augurari possumus: quatenus organi hujus actio seu usus non tantus, quantùm olim Graef. aliique venditabant, ita quidem ut satis commode ac sine notabili œconomiæ animalis conturbatione aut eversione subjectis vivis extirpari queat, fueritque extirpatum sæpius cum successu à curiosioribus rerum Physiologicarum Scrutatoribus.

De omento idem sit judicium, i. e. nec hoc, ut tale, sed vel ratione venæ splenicæ ac arteriæ epaticæ atque splenicæ, proximè transeuntis, vel harum ramorum, sibi propriorum, insigniorum laceratorum, vulnerato aliquando necem adfert: Miror proin *Sebizium*, quod omenti vulnera per accidens tantùm periculosa, nunquam per se lethalia concedat, si nimirum imperita ac rudiore manu tractentur illa: quatenus *Celeberrimum hunc Doctorem* meliora edocere poterat, quem pro dogmate suo declarando in scenam producit *Forestus*, qui 6. *obs. chir.* 7. rescissa sine ligatura prævia portione omenti, ex abdomine vulnerato prominente ac corrupta, hincque per hæmorrhagiam enormiorem multo cruore in abdomine collecto, quendam paucis post diebus periisse; Alium per Gratiam Dei ac Naturæ singulari demum fato, huic & desperatissimis symptomatis ereptum fuisse, perhibet, i. e. quæ ab ejusmodi cum consilio, quamvis imprudentiore, suscepta resectione contigit, cruoris extravasatio lethalis, à vasorum eorundem majorum perforatione seu rescissione magis fortuita erit metuenda.

Epatis plagas *Hippocratem* non sine ratione mortalibus accensuisse declarat *Galeni* Commentarius in 6. *aph.* 15. his verbis: *Epar vero vulnera habet plurimo manantia sanguine; atque idcirco prius moriuntur, qui ita sunt vulnerati, quam vulnera agglutinari possint*, quatenus in eo vix exilissima demonstrari potest areola, cui si non arteriæ conspicuæ, certe venæ notabiles, sint intertextę, nec remedia commode applicari, nec pus ac sanies evacuari potest; unde cum anxietate præcordiorum, lipothymiis, punctionibus ac doloribus ad jugulum & scapulam extensis, vomitibus modo biliosis, modo cruentis, item dejectionibus cruentis, æstu ac siti intensissima, ejusmodi miseri brevi utplurimum pereunt. Testatur hoc ille, cui annotante *Hippocrate 5 Epidem.* §. 24. & 7. *Epidem* §. 18. sub diei exordium epate jaculo percusso, color, qualis est mortuorum, mox per corpus diffusus fuit, anxietas contigit, quique mortuus est antequam concio solveretur: idemque morte sua confirmant, qui penes nos tale infortunium sustinuerunt. Cujus classis erat Tympanista ille Martisburgensis à Tubicine Ann. 1672. 6. Maii gladio latiore inter secundam ac tertiam costarum notharum sauciatus, ac intra bihorium discedens: in cujus cadavere Epar mox supra fellis folliculum ad convexitatem sui simulque diaphragmatis expansum carneum perforatum cernebatur. Item ille Molitoris Ossatiensis servus, in eodem hypochondrio dextro ictum sibi intra viginti septem horas mortiferum perpessus, epatis partem dextram perfossam hujusque ramum venosum ac folliculum fellis laceratum prosectoribus sistebat, ut pariter Acta Facultatis perhibent.

Quia nihilominus his similibusque casibus hincque fortunato judicio historiæ salutarium epatis plagarum contradicere observantur, enarratæ à *Bertino Medic. lib.* 13. *cap.* 7. *Hildano Cent.* 2. *obs* 37. *Quercetano de vuln. sclopet. cap.* 2. *Foresto* 6. *obs. chir.* 3. & *Glandorpio obs.* 33. *&c.* imo ipso jamdum *Galeni* ævo extiterunt, qui non tantùm profundius fibrarum jecoris vulnus, sed fibram quoque abscissam, sanatam fuisse, jactitarunt: factum, ut alii de Hippocratis sententia dubitarint, potissimi discrimen inter plagas substantiæ & vasorum organi hujus, tanquam arbitrum fidissimum, produxerint, vasorum epaticorum vulnera per se lethalia, substantiæ minus talia, asserentes.

Quodsi tamen observatis anatomicis innitamur, vix apparet, quales epatis percussiones lethalium classi eximi debeant; nisi cum *Sennerto* illius superficiei tantùm ejusmodi prærogativam decernamus. Cum vix ejus fibrę alicujus extremitas observetur, quę discissa non conspicuis satis venis intertexta sit; adeoque haud constet, ubinam epatis substantia sola, sine vasis, hæmorrhagiæ lethali concitandæ adæquatis, sauciari queat. Adstipulandum potius *Glissonii* censuræ, *Anat. Epat. cap.* 9. ubi substantiam epatis friabilem non adeo commode solidescere ait, quia per hujus ejusque vasorum minorum vulnera enormior quoque cruoris extravasatio contingat. Et vix fieri posse, idem pergit, quin per vulnera, visceri huic cæsim inflicta, vasa ejus simul lædantur, nisi plane superficiaria fuerint: quamvis in illis, quæ punctim inferuntur, hæc forsan aliquando magis intacta evadere valeant. Per consequens, epate vulneratum eluctari, rarissimæ observationis est, sed cum cruoris dispendio insigni fatiscit motus cordis ac sanguinis vitalis: citius equidem in illo, cui, animadvertente *Celso*, Jecoris Portæ & Crassum, quam cui fibrarum extrema, fuerunt lacerata. Cujus posterioris generis dicendus Lictor ille audacior, penes *Tulpium l.* 2. *obs.* 26. qui cuidam Nebuloni ferociori injecturus vincula, in infima jecinoris fibra bipenni ictus fuerat, ex qua extillans & in pus conversus sanguis eum in febriculam lentam & tantam totius maciem conjecit, ut ante diem quadragesimum conficeretur, in cadavere autem, jussu Prætoris dissecto, sub fibra vulnerata multum puris graveolentis reperiretur. Imo si juxta *Brassavolam* in 6. *aph.* 18. & *Glisson. loco cit.* contusiones epatis adeo periculosæ sunt, inflammationem ac suppurationem concipientes, parum profecto spei alet vulnus hujus membri mediocris magnitudinis ac profunditatis, pręter hæc pathemata nunquam ab hæmorrhagia gravi immune.

Memini, quondam me legisse Responsum Collegii cujusdam Medici, super vulnus Diaphragmatis duplex & epatis, quod digiti latitudine profundum, longitudine verò digiti longitudinem æquabat, hincque sanguis in abdomen confertim influxerat. Quale complicatum vulnus nullum vitæ periculum absolute inferre decidebatur, quod 1. nulla vasorum majorum læsio in eo fuerit observata: 2. sanguis ad ventrem inferiorem confertim ruens ex quam plurimis vasis minoribus forte scaturierit: 3. Plaga epatis superficiaria tantùm: nec 4. determinatum à visitatoribus, utrum carnosa, an membranosa, Diaphragmatis pars transfossa. Verùm Judicio ejusmodi superficiario adstipulari vereor, quod ex eadem hujus casus relatione constet, 1. vulneratum mox à suscepto ictu mortuum concidisse. 2. Testetur quantitas sanguinis extravasati tanta de majorum, aut plurium minorum simul, vasorum epatis ac Diaphragmatis laceratione: 3. vulnus epatis non hujus superficiem tantùm attigerit, sed longum & altum maximè: ac 4. demum Diaphragmatis plaga, cujuscunque demum hujus partis extiterit, facilè æquipollere queat tendineæ ejus expansioni inflictæ. Immortales profecto debes grates, homicida, mortalibus his, qui vulnus plus quam mortale, ut mortalitati tuæ derogent, minus mortale enunciarunt.

Quoniam proin Jecoris plagæ immediate magis, propter hanc cruoris, sive ad interiora, sive exteriora, profusionem, enecant, cunctas illas, quas hæc vel solitaria, vel cum aliis symptomatis desperatis, comitatur, lethales pronunciamus, quamcunque demum epatis partem subierint: utpote quas semper si non unius vasis grandioris, plurium nihilominus mediocrium, lacerationes in sinu fovere, accuratior inspectio manifestabit. Ita, ut dubitare liceat, an cuncti circa epatis regionem percussi ipsius visceris hujus plagam sustinuerint, v. g. cujus *Quercetanus* meminit: alii verò ex vulnere tali reconvalescentes hujus exilitati & fortuitis adjunctis potius, quam solertiæ Chirurgi salutem suam debere videntur. Hinc quem Forestus à Jacobo Carpo ex plaga epatis cum

ejus-

ejuſdem portionis, à natura facta, ſecretione ſanatum perhibet, theſi expoſitę nihil derogat, vel quod exigua ſatis & motu naturæ lento magis, quam inſtrumenti lædentis violentia, illa ſeparata fuerit, vel quod mutilata & cruenta ſua extremitate integumentis externis contigua fibra illorum labiis opportune forſan coaluerit: Porro difficultatem conſolidationis non parum temperat vulnus hypochondrii integumentorum latius magiſque patens, per quod remedia ſtegnotica ac conglutinantia ipſi epati lacerato immediate magis admovere conceditur: quale illud concipere convenit, quod *Hildanus cent.* 2. *obſ.* 37. deſcribit. Sc. Helvetium quendam, in conflictu gladio Helvetio è regione epatis percuſſum, tantum vulnus accepiſſe, cujus conſolidati cicatrix longitudine ſpithamam æquarit, ac ſimul epar euſque ſubierit, ut ſanguis copioſius & ad deliquium animi emanarit, fruſtulum verò infimi epatis lobi reſectum Chirurgus extraxerit: qui nihilominus evaſerit, quod per latiorem plagæ externæ hiatum commode ſatis mederi licuerit internæ. Cujus etiam generis videtur Adoleſcens ille, de quo *Glandorpius obſ.* 33. narrat, ei ad finem ultimarum coſtarum plagam, octo digitos tranſverſos longitudine ſuperantem ſimulq; epar longo ſatis tractu penetrantem, incuſſam fuiſſe: quam pulvis ſtypticus cum aliis appropriatis, tam internis, quam externis, tandem ad cicatricem perduxerit.

Nullum itaq. epatis vulnus, quod cum multi ſanguinis emanatione, hinc vaſis, ſive unius majoris, ſive plurium minorū ejus compagi undiq; intertextorum, laceratione, vel pathematis irreſiſtibilibus evenit, ſalutare dici poteſt, ſed qui ſub hoc pereunt, ex percuſſione, ut tali, perire præſumuntur. Atque hoc quidem eo magis, ſi vaſorum, organo huic accumbentium, illud ſubeuntium hincque emanantium continuitas ſimul ſolvatur, ſc. arteriæ epaticæ ac cyſticæ, venæ ſplenicæ, meſentericę, cavæ & portæ trunci inferioris aut ſuperioris, vel hujus ramorum trigæ alterutrius. Cum venæ portæ laceratione epatis vulnus lethale deſcribit *Foreſtus l. 6. obſ. chir.* 3. *in ſchol.* cum Cavæ trunci *Timæus R. ſponſ.* 20. Cum rami meſenterici, in cive illo, quem occaſione percuſſionis ilei 1671. 25. Septembris celerrima morte occubuiſſe, ſuperius dixi, idem vidi: ut illa mittam, quæ cum vicinarum partium plagarum complicatione lethalia extiterunt.

Ad vaſa Jecoris quia non immerito refertur veſicula biliaria cum poro epatico, de folliculi laceratione obſervandum, hinc juxta *Falloptum de Vuln. in gen. c.* 4. *ac Foreſtum l. a. obſ.* 2. *&* 5. *in ſchol.* mortem neceſſariam inferre, quamvis lentam, tum ob ſitum, tum ob ſubſtantiam, tum ob ejus contentum. Idem aſſerit *Helmontius de Sextupl. digeſt.* §. 30. ſub hac tamen diſparitate, ut confeſtim mortalia vulnera fellis ſeu veſiculæ biliariæ pronunciet. Rupturam ejuſmodi ab intruſione ſummitatis ductus cyſtici in ejuſdem extremitatem, hinc bilis ad crepaturam uſque receptaculi turgeſcentiam, cum torminibus ventris atrociſſimis & poſt biduum enecantibus, annotavit *Job van Meekren obſ Chir.* 43. vulnerum verò ejus, à percuſſionibus externis evenientium, ſolitariorum rariora ſunt exempla; adeoque ſi experimentis negotium decidi debeat, ambigua relinquitur mens, an mors ſacculi fellei rupturam excipiens, huic, an plagæ combinatæ, v. g. epatis, ventriculi &c. in acceptis referri debeat? Quo itaque in hoc argumenti genere me magis firmarem, binis canibus veſiculam hanc extirpavi, uno intra viginti quatuor horas, altero poſt biduum demum, utroque cum magno ejulatu, anhelatione graviore & anxietatibus, expirante. Aſt contrarium huic phænomeno ſucceſſum experiebar, in ſubjecto ſimili, cui in corona ſtudioſorum privata folliculum, prævia cervicis hujus ligatura, extraxeram, quodque poſt operationem tres ſeptimanas integras, primo miſere, poſt commode ſatis, tranſegerat, forſanque unum alterumve adhuc diem ſupervixiſſet, niſi moræ impatiens eundem Martyrem viviſectioni alteri, pro luſtrandis, quæ ab extirpatione illa ejus interaneis contigerint, mutationibus, mancipaſſem.

Rationem diſparis hujus eventus ſi poſtules, ſine dubio eſt, quod in prioribus binis ſubjectis nulla ductus cyſtici facta fuerit ligatura, adeoque per hunc etiam emanarit bilis per poros epaticos confluа; quem effluxum in tertio vinculum folliculi cervici injectum, prohibuerat: ita quidem ut in hoc meatus cyſticus à divergente bile tumidior, choledochus ſeu inteſtinalis patulus maximè & inteſtinum bile manifeſtiſſime tinctum conſpiceretur.

Hoc eſt, bilis Epatica euſque ſufficere poterat œconomię inteſtinali ac totius in animali hoc, deficiente quamvis Veſicaria. Cauſa enim primaria atque immediata, qua folliculi fellis dilacerationes mortem inferunt, bilis eſt profuſio ejuſque ad inteſtinum diffluxus interruptus: dum ille, ratione ſitus profundioris, remedii appropriatis aditum intercludit, ſubſtantiæ verò ac emanationis bilis continuæ bilis defectus non adeo commode conſolidatur: hic verò cruditatibus ſanguinis motui vitali exitioſis, modo brevius, modo confeſtim magis, occaſionem ſuggerit. Quale quid pariter dicendum puto, ſi vel porus epaticus, vel ductus choledochus, euſque ſaucientur, ut bilis actio in inteſtinum aboleatur.

De venæ ſeu ligamenti umbilicalis, in adultioribus ruptura ſeu præciſione quid judicandum, hæreo, utpote quam, ſine ulla alia noxa, repente ſuffocare, commune dogma eſt: ideo nimirum, quod cum reliquis ligamentis in æquilibrio detineat epar, ne hoc verſus poſteriora ac ſuperiora nimis reclinando diaphragmatis motum turbet; unde vinculo illo præſecto ſeptum hoc neceſſario comprimatur, & reſpiratio aboleatur. Suffulcire etiam hoc ſuum aſſertum quidam conantur fabula illa, per quam *Scaliger, Cardanus* & cum his *Laurentius* graſſatores ac rebelles, apud Ægyptios pro ſupplicio, corio vivos exutos, cum maximis cruciatibus diu, niſi Carnifex umbilicum ferro contigerit, vivere tradunt: cui accedit *Hildani Cent.* 1. *obſ.* 53. qua adoleſcentem quendam à vulnere inter umbilicum & coſtas mendoſas exiguo, interioribus omnibus illæſis, ſolaque vena umbicali reſciſſa, mox humi proſtratum quamprimum expiraſſe perhibet.

Quali tamen aſſerto repugnat, quod *Riolanus Anthropol. l.* 2. *c.* 12. in Muliere Æthiopica, Saltatrice agilima, ſtrangulata, venam hanc abruptam & intra fiſſuram epatis revulſam, ſine ullo ejus reſpirationis aut vitæ incommodo, & in aliis fœminis, quæ utero ſæpius geſtaverant, vaſa umbilicalia ab umbilico avulſa, viderit. Deinde vix concipi poteſt venæ hujus officium deligatorium, dum in cadaveribus ſupinis illa vix adeo tenſa conſpicitur, hinc laxior adhuc neceſſario in illis, qui erecto corpore incedunt, erit, quam ut viſceris hujus molem umbilico attrahat.

Neque difficultati huic ſolvendæ epicriſis Gliſſoniana quadrat, qui propter convulſionem demum ſupervenientem, tendinoſis ac nervoſis partibus vulneratis frequentem, rupturam dicti ligamenti lethalem fieri putat: quatenus hoc nec nervoſum, nec tendineum eſt, nec convulſionum, ſed ſubitaneæ tantùm mortis, penes *Hildanum* mentio fit. Aliis proin hujus generis obſervationibus quia deſtituimur, nec mihi quenquam vitio verſurum confido, ſi vinculi hujus vulneris lethalitatem in ſuſpenſo relinquam.

Ad lienem propero, cujus ſubſtantiæ, ut talis, plagas qui mortiferis accenſere verentur, illi viſceris hujus compagem ſe minus exacte perſpexiſſe produnt: cum nihil parenchymatis ſeu carnis hic reperiatur, ſed tota illius compages ex cellulis ſeu veſiculis nerveis ac fibroſis, ſanguine arterioſo turgidis, coagmentetur. Per conſequens ſive arterioſi ac venoſi hujus organi rami, ſive his continuatæ, ac intermediæ cellulæ ſaucientur cum impetu hinc promanans ſanguis repente ſatis interimit:

adeoque aut leve admodum fuit, aut non tam *Carpi* dexteritate & solertia, quam fortunæ nutu, consolidescebat illud in milite lienis vulnus, cujus curandi rationem *Forestus l. a. obs.* 6. tradit. Neque video, cur *Fallopius ac Forestus* plagas hujus visceris minus, ac aliorum, lethales pronuncient: quatenus, etiamsi concedatur, quod usus ejus ad vitam non adeo necessarius sit, quodque sine hujus periculo illud extirpari valeat; enormior nihilominus hæmorrhagia, quam ex substantia vel tunicis tantùm ejus, latius divulsis, experimur, eidem fato has cum epatis plagis exponit, vixque juxta *Celsum ad sanitatem perveniunt, quibus lien vulneratus.*

An ulli hominum unquam fuerit excisus aut excidi, sine vitæ discrimine, possit, prout *Plinius, Cœl. Aurelianus* & *Leonh. Fiorovanta* scripserunt, merito dubitant prudentiores, quemadmodum in specie *Fiorovantæ* fidem valde suspectam reddit *R. à Fonseca tom.* 1. *consult.* 94. In caninis aliisque brutis, sine notabili actionum detrimento hoc fieri, nec Tyrones nostros latet: insulse nihilominus ex phænomeno hoc concluditur, vulnera lienis majora aut profundiora non esse lethalia; quatenus per vincula, ante extractionem visceris, vasis ab anatomico injecta, inhibetur, quam ab ictibus fortuitis observamus, hæmorrhagia lethalis.

Læsiones autem ejusmodi lieni obtingunt non tantùm ab instrumentis secantibus ac perforantibus, sed obtusioribus quoque & contundentibus, quorum ictus vehementiores crepare faciunt ac rumpunt profundius reconditum ampullosum viscus, integumentis externis integris vixque suggillatis, qualia exempla *Tulpius l.* 2. *obs* 29. & *Fontanus in Vesal. Epit. p.* 21. à baculi ictu, recensent, eisque bina ex *Facultatis Nostræ Actis* subnecto. Sc. Lignitziæ 1682. 22. Augusti quidam uxoris hypochondrium sinistrum baculo mediocris crassitiei percutiebat, hicque post horulam extinguebatur: cujus abdomen cruore extravasato ad turgescentiam usque plenum, & in lienis gibba seu hypochondrium spectante parte fissura ingens ac duplex, angulum acutum formans, cordis verò ventriculi & vasa corporis majora sanguine vacua, reperta fuerunt. Pariter à Quæstore Lunzensi petebatur Facultatis nominatæ judicium super quendam, qui ex fustigatione & diversarum partium, præprimis verò ex hypochondrii sinistri contusione enormiore, (in cujus tamen integumentis ne suggillatio quidem cernebatur) mox conciderat & brevi expirarat: cujus abdomen sanguine extravasato & congrumato scatuit, Lien verò in parte sui cavâ tres fissuras ingentes ac profundas monstravit.

Renum Plagas in Catalogo Hippocratis Lethalium haud deprehendimus, ab *Avicenna* nihilominus magna ex parte mortales dicuntur, *Celsus* quoque *servari illum haud posse*, ait, *cui Renes vulnerati.* Et quidem non absque ratione: non tantùm, si illæ vasorum emulgentium ramos & pelvis tubulos vel foramina penetrent, sed si substantiam quoque tantùm eorum profundius ac latius incidant ac lacerent.

Quemadmodum enim priora non, nisi cum magna cruoris profusione, contingunt, per pelvis verò fistulas laceratas in illo collectum serum urinosum ad cavum abdominis rejicitur, molestias ibi lethales patrans: ita intactis quoq; his canalibus gravius sauciatus ren, hujusve canaliculi urinosi, potissimam ejus compagem constituentes, serum pariter ad abdomen profundunt, ut taceam dolorem atque inflammationem mox supervenientem, & quòd renum substantia, quin simul vasorum sanguiferorum arcuati plexus insigniter lædantur, vix incidi queat, ut ex autopsia Anatomica suppono. Interim vulneribus his, ob conditionem loci, necessaria denegantur remedia, ac cum sero jugiter transeuntes sordes illorum coalitionem haud parum turbant.

Quod si verò eadem superficiaria duntaxat fuerint, minimè mortifera dici poterunt, utpote à quibus neutra harum evacuationum præternaturalium metuenda: cujus generis videntur illa, quæ penes autores diversi sanata legimus, & quidem aliquando cum portionis renum sublatione, v. g. *Fallopium de vuln. in gen. c.* 4. *Forestum lib.* 25. *obs.* 20. *Dodonæum obs. medic.* 52. *in schol.*

In his tamen vulneribus renum cunctis attendenda quoque erit eorum inflammatio, hincque emergens ischuria seu urinæ suppressio; quod symptoma solum lethalia illa reddit, unius quamvis renis: cum experientia testetur, ab uno tantùm, à vulnere atque inflammatione, affecto non minùs, ac à calculô, alterum mox in consensum rapi, ut vel sola ex *Foresto* nunc allegata observatio declarare poterat.

Neque valet consequentia, quibusdam solennis, quasi eo ipso, dum ab exulceratione renum compagem aliquando omnino consumptam fuisse constat, & quidem sine vitæ dispendio, nec eorum vulnera adeo difficilia videantur: sed hujus loci pariter erit, quod de pulmonum vulneribus monitum, sc. per renum vulnera sanguinem profundi, cui profusioni ob situs partis vulneratæ profunditatem, commode mederi haud possumus.

Tantùm non elapsi sunt quadraginta anni, cum Barbitonsoris Minister in Regionis lumbaris parte sinistra ense subdola perfoderetur, correptus hinc Hæmorrhagia vehementiore, lypothymiis, nausea & vomitibus, insequentibus diebus nephritide, interdum mictu cruento cum ischuria alternante, quarum posterior cum rejectione sanguinis grumosi per visicam solvebatur, febre valde acuta & totius abdominis distensione dolorifica. Ex quorum symptomatum syndrome renem sinistrum profunde satis fuisse vulneratum probabiliter inferri poterat. Graviter & ulterius tres menses sauciatus decumbebat, mitescentibus tamen sensim enarratis molestiis, tandem restituebatur & superstes ultra triginta annos vixit, paroxysmis nephriticis frequentius agitatus.

Refero huc ureterum præsectiones & per has ad abdomen confluam urinam: quæ mole pariter ac putredine vulneratis exitio evadit. Notum equidem est, serum urinosum in renibus sensim percolari & per canales hos non confertim, sed lento satis stillicidio, ad vesicam descendere: nec vetulam tamen latet, intra nycthemeron v. g. multum ejus vias illas transmeare, & per consequens non adeo parum urinæ, quod à partium ambientium calore tam facilè resolvi ac consumi valeat, per unum ureterem vulneratum ad ventrem deferri, potissimum si febris superveniens potum uberiorem jubeat. Neque perspicio, quam commoda statim plagam ejusmodi consolidandi vel præbeatur ansa, vel præsto sit Chirurgia, partis nimirum profundius reconditæ.

Vesicæ vulnera lethalia itidem pronunciare jubet *Hippocrates* cum *Galeno* Commentatore ac *Celso*: Imo *Aristoteles* quoque 3. *histor. animal. c.* 15. inquit, *Nec Vesica præcisa coire potest &c.* Quemadmodum autem idem hic mox pergit his verbis: *quanquam non ignoro, aliquando contigisse, ut vulnerata Vesica solidescat*, ita nec deficiunt alii viri, magnę experientiæ atque fidei, qui vesicæ læsiones non semper mortiferas extitisse, diversis experimentis confirmant. *Fallopius* v. g. *de Vuln. in gen. c.* 4. *Platerus obs. p.* 849. & 850. *Bauhinus app. ad Rousset. cap.* 2. & *Riverius obs. infrequ.* 5. ut reliquos mittam in *sect.* 1. nominatos, subnecto tamen his, quod Ann. 1680. Mense Maii in studioso quodam, nomine *Reiche* observavi. Perfodebatur huic noctu, nescio à quò adversariô, hypogastrium, prope ossium pubis commissuram, advocatus ego cum Chirurgis eum deprehendi hæmorrhagia insigni, vomitibus atque dolore ejusdem regionis ad lipothymias usque fractum, per vulnus omnis urina, nihil verò aut parum hujus per urethram, nisi ope catheteris, excernebatur, & quidem per plures dies: donec turundarum, quibus hactenus plagam

gam

gam Chirurgi more communi deligaverant, usum dissuaderem, illamque remotis his tractarent illi, quæ postmodum intra octiduum coalescebat, reddebatque per meatum ordinarium urinam percussus.

Cum nihilominus præter dictos Medicinæ principes tota hujus schola vesicæ plagas per se lethales proclamet, postquam supposuerunt ejus Doctores, *Hippocratem* reliquosque non de superficiariis, sed penetrantibus, seu *Vesica dissecta*, loqui, limitatione seu distinctione, inter fundo ac cervici inflictas, illorum autoritatem & experientiam quotidianam integram conservare ac rem decidere, allaborarunt, fundi perforationes per se, cervicis minus, lethales asserentes, eandemque jamdum concepisse videtur *Aristoteles* l. a. his verbis, *Nisi ad ipsum exordium suæ cervicis.* Quod nimirum fundus membraneus sub hypogastrio delitescens laceratus plus doloris ac inflammationis suscipiat, non coalescat, nec sutura, nec vinculis, stringi queat, defluat interim ad abdomen urina: contra collum carneum promptius consolidescat, ipsiusque, perinæi propius adjacentis, coalescentia remediis juvari queat, ut vel in calculo sectis experimur.

Circa quæ cogitata temen monendum, nec cervicis vulnera semper adeo salutaris eventus esse, sed frequenter ex his quoque perire percussos, si, annotante *Foresto l. 6. obs. chir. 5. in schol.* contundatur ac laceretur valde illa, ut lithotomi fateri coguntur, si sub extractione calculi majoris tale quid contingat. Neutiquam interim ideo illa lethalibus per se annumerari debent, nisi forsan per hypogastrium subintret instrumentum collum lædens, adeoque sanguis æque ex vasis colli discissis, ac ex ipsa vesica urina, emanans ad cavum abdominis confluat, nec vulneri interno medela adæquata fieri queat, quale auguror civis illius Tennstædensis, super quod Judicium Facultatis petebat Præfectus illius loci. Perfodebatur Anno 1679. d. 6. Octobris hujus hypogastrium, mox supra pubem, cum egressu intestinorum per plagam externam, quæ quidem per hanc dilatatam reponebantur & hæc sutura firmabatur: tertio nihilominus die vulneratus moriebatur, in cujus cadavere collum vesicæ perforatum ac pelvis cruore congrumato referta deprehensa fuit. Econtra à fundi quoque plagis quosdam convalescere *Kentmanni, Plat. ri, Bauhini, Cattierii & Pauli* observationes *Sect.* 1. allegatæ, item *Ruysch. obs. anat. chir.* 75. & historia vulneris studiosi modo nominati evincunt: quin tamen ob rariora hæc exempla fundi plagæ in genere dici debeant per se lethales, vix putarem, sed eas tales judico. Ita Nossenæ quidam machæra venatoria 1681. d. 2. Octobr. vulnerabatur intra os ilium seu Coxendicis & Sacrum, penetrante punctura substantiam membraneam vesicæ lateris dextri: qui mox corruit & tertio pariter die expiravit, in cujus sectione præter plagam illam vesicæ multum urinæ, sanguine tinctæ, in abdomine conspiciebatur. Cui simile quid *Glandorpius obs.* 36. tradit.

Evadunt verò tales vulnerati, si illius fundi parti, *in qua*, advertente *Fallopio de vulner. in gen. c.* 4. *cum Perinæo ligatur*, seu ubi huic & musculis abdominis connectitur, plaga fuerit inflicta: secus, ubi in alia & ab ejusmodi connexione cum integumentis libera quadam parte illum sauciari contigerit, utpote cui nec natura, nec ars, propter situs profunditatem, auxilium ferre valet, per vulnus verò vesicæ ad cavum Hypogastrii urina potius confluit, quam evacuatur. Atque illud quidem duplici modo fieri solet, nempe ut plaga vel nunquam coalescat, sed in ulcus callosum degeneret, per quod lotium reliquo vitæ tempore excernatur, ut ex *Fallopio l. a.* & ex *Bauhini* ac *Plateri observatis alleg.* elucescit; vel artis & naturæ opera mediantibus illis integumentis conglutinentur illius & horum labia in unum; interim urina per vulnus externum promanat, nullamque interaneis molestiam parit. Præterea si incisio abdominis major, per quam forsan vesicæ vulneratæ labia adducere ac consuere liceat, nisi superveniens inflammatio negotium turbet, sanescere poterit illa pariter: quale quid tamen contingentibus mere fortuitis foret adscribendum. Interim non video, quo fundamento *Forestus l. a.* asserere sibi præsumat, plagam fundi in illa parte qua ossi sacro alligatur, sanari posse: cum dictum os ac vesicam urinariam intestinum rectum ac in fœminis uterus intercedat, adeoq; illi nec continua, nec contigua existat vesica. Nescit etiam hanc connexionem, quem sui asserti testem provocat, *Fallopius*.

Uteri in fœminis vulnera quia rariora, forsan quod ossibus circumcirca bene muniatur idem; vel quod sexus hic ad conflictus & digladiationes cruentas non sit pronus, parum de lethalitate horum penes practicos legere contingit. Mirari tamen satis nequeo illos, qui talia; ideo quod uterus ad vitam non simpliciter necessarius sit, sed propagationi sobolis tantùm prospiciat, non lethalia sibi persuadent. Contrarium asserente *Foresto* l. 6. *obs. Chir.* 5. *in Schol.* non tam quod, juxta hunc exanguis, secundum alios membranea sit ejus compages, sed si illius vasorum sanguiferorum unum alterumve saucietur, per quod sanguis non tantùm utero, sed toti quoque subtrahatur, aut in abdomine, in detrimentum uteri viscerumque individui conservationi destinatorum, cumuletur.

Sin idem organum, dum fœtum gestat, ejusmodi ictum, etiam extra vasorum majorum diramationes, experiatur, matri pariter ac proli ille lethiferus existit. Illi quidem, quod (ultimis præprimis mensibus) totus uteri cavernosus seu spongiosus ambitus cruore multo turgeat; hinc laceratus ad deliquium animi eundem profundat, insequente simul illo quoque, quem vasa, tunc temporis per uteri fundum tumidiora, continebant: Huic verò, quod subsidiis vitalibus maternis idem defraudetur.

Quinimo fieri potest, eundem fœtum per plagam ejusmodi profundiorem simul lædi, cujus generis casum perquam funestum *Gallus ille anonymus, l'Art de faire les Rapports artic.* 9. describit: quem vernacula transcribere non incongruum erit. *Rapporté par moi Maitre Chirurgien juré à Paris, que ce jourd'hui 8. Mars 1695. l'on m'est venu che cher avec empressement, pour penser Jeanne Ravichot, femme de Jacques Berthot, grosse de huit mois, laquelle venoit d'être blessée au bas ventre, à trois travers de doigt de l'ombilic d'une playe penetrante dans la capacité & perçant la Matrice aussi bien que le Fœtus contenu en icelle. La blessée étant morte de la perte du sang, avant que j'ai eu le temps de mettre aucun appareil sur sa plaie. Il m'a été ordoné par Monsieur le Commissaire sur les neuf heures du soir, de venir faire l'ouverture de son cadavre, au moien de quoi j'ai decouvert, que le coup d'épée porté à la mere, aprés avoir percé la matrice près de son fond, s'est perdu dans la poitrine du fœtus, & a occasionné un très grand épanchement de sang dans le bas-ventre, ce qui a causé la mort tant à la mere, qu'à l'enfant.*

Verberibus aut pedum conculcationibus uterum eousq; aliquando concuti, ut in fœtum pariter, quem ille gestando fovet, ingens damnum redundet, si imprimis ictus in anticam & laterales abdominis gestantis partes impingant, ut casus Jena 10. Febr. 1669. transmissus declarare poterat. Jurgiis dum se exagitarant Pastor Cosbodensis & ejusdem loci Ludimoderator, à verbis denique ad verbera veniunt, ubi uxor posterioris gravida accurrit, pro dirimendis his furiosis, aut pro marito manibus Presbyteri eripiendo; quam hic in inguine sinistro pedibus vehementius conculcabat, ut hinc per reliquum gestationis tempus male se habuerit. Elapsis à violentia illa suscepta quatuordecim septimanis partus dolores miseram hanc invadunt, ut post horas aliquot filiolum sanum

ſanum ac vegetum enixa fuerit, quem transacto nycthemero mortuus alter ſequitur, partu quamvis præternaturali, & cujus diverſa membra præter naturam ſe habebant. Funiculus quippe umbilicalis brachium dextrū, primum ex utero prominens, ſtringebat, quod humerus idem cum capite ſequebatur, ita tamen, ut ſiniſtrum brachium pone cervicem dorſo incumberet, caput intra crura & oculo dextro aperto, maximam partem hæreret. In excluſo fœtu funiculus ille cernebatur putrilaginoſus ſibi agglutinatum habens ſanguinis grumum ingentem ac fœtidum, dimidium placentæ uterinæ ſalvum, alterum corruptum. Ipſius fœtus aperti epatis pars dextra nigricans in putredinem vergebat: dexter ren hinc inde profundè ſuggillatus, ſiniſter teſticulus ſanguine ſeroſô turgidus, Pulmo dexter ſemiputridus, in eodem thoracis loco tres coſtæ fractæ, ſeu à cartilaginibus ſuis avulſæ & muſculi his incumbentes cum intercoſtalibus, humero & brachio multo cruore ſuffuſi, totum fere corpuſculum cuticula exutum & oſſa capitis hinc inde evidenter ſuggillata deprehendebantur, horumque ſuturæ plus quam ſecundum naturam hiabant.

Partui huic ſimilis aliquomodo erat ille gemellorum enixus, cujus *Louyſe Bourgeois part.* 1. c. 4. *Hiſt.* 4. meminit, quorum prior mortuus, ſatis monſtroſus, cuticula & cute eroſa, alter vivus, pedibus tamen primum naſcebatur. Cujus partus præternaturalis duplicem reddebat rationem puerpera; vel quod in cœtu populi majore ejus venter violentius compreſſus ac contuſus fuerit, vel quod gravida per pravam quandam conſuetudinem angulo menſæ crebrius ſe aſſediſſe meminerit. Porro pedibus abdomen uxoris prægnantis violentius concuſſerat, quidam nefarius Anno 1682. menſe Martii, quæ quatriduo poſt enitebatur puerum putrilagine valde arroſum. Hunc cum ad requiſitionem prætoris urbani diſſecarem intra calvariam ejuſque integumenta molliora, ut & intra Duram ac Piam Meningem, notabilem cruoris extravaſati quantitatem, & os occipitis à ſutura lamdoidea maximam partem avulſum atque ad interiora depreſſum deprehendi ac monſtravi adſtantibus.

Cui tamen argumento inſerere oportunum reor, non quævis gravidis inflicta verbera, aut pedibus factas conculcationes, fœtui ſui veſtigium immediate imprimere, ſed illa tantùm, quæ abdominis anticæ aut lateralibus partibus illata, & fœtum immediate magis contundenta: quin potius ſana ratio nos conjecturari jubet, non ab ipsâ percuſſione externa ſemper, ſed aliquando per matris percuſſæ, ſub ejuſmodi aggreſſione à Terrore, Ira &c. conturbatam imaginationem vitia p. n. patrare. Poſtquam violentias ejuſmodi extrinſecas tale interdum geſtantis membrum ſuſtinet, cujus læſio ad fœtus mutilatam partem penetrare non poterat, dum à percuſſo v. g. matris brachio humerum infantis editi contuſum cernimus. Et Facultatis Noſtræ diſquiſitioni Anno 1696. commendabatur caſus, ubi prægnantis cujuſdam manus in tumultu vulnerabatur, ſimul abdomen vehementius hinc inde ad livorem uſque conculcabatur: quæ poſt trimeſtre, partû tempeſtivô, prolem enitebatur labiô leporinô horrendô deturpatam. Qualem oris rictum nullam matri illatam percuſſionem induxiſſe, ex collatione ſitus fœtus in uterô, inſtrumentorum lædentium ſimiliumque circumſtantiarum ſuſpicabamur, ſed terrori potiùs ac imaginationi iſtius in acceptis referebamus. Ejuſdem nominati anni menſe Jul. à Prætore hujus loci diſquiſitioni meæ exponebatur puerulus octo ſeptimanarum, cujus matri die partum præcedaneo incuſſi colaphi oculum præprimis ſiniſtrum contigerant; ut, an ſuggillatio in oculo ſiniſtro nati ingens, ac demum in Cataractam degenerans percuſſionum illarum productum exiſteret? deponerem. Non ſine ratione inferebam, non tam à violentiâ matri illatâ immediate, quàm ab Imaginatione hujus vehementiore per ictus determinatâ, hunc oculi fœtus tumorem contigiſſe, oculô nempe matris ictô ab oculô hujus evidenter diſſitô. Ne dicam, interdum à metû tantùm percuſſionis imminentis, tale quid eveniſſe, ut v. g. penes *C. Gemmam Coſmocrit.* l. 1. c. 6. legimus de gravidâ, quam maritus excandeſcens brevi ante partum terminô ſtrictô gladiô adoriebatur, hunc velut in caput illius adacturus: quæ, etſi fuga ſibi conſuleret, paulo poſt infantem enitebatur, in cujus capitis illa parte, cui enſis acies minitabatur, ingens ſolutio unitatis comparuerit, ſanguine ad nati ſubitaneum exitium manans. Nec tamen omnimode negandum, violentiæ non raro externæ imaginationem matris combinari, hiſque ſimul unum eundemque fœtum variis modis lædere, ut ex obſervatione de labio leporino recenſito conſtare valet: ubi funiculus umbilicalis infantis collo & brachio ſemel, cruri dextro bis, circumvolutus deprehendebatur, agitationis & proſtrationis matris violentioris variæ ſine dubio effectus; labio leporino interim ab ejuſdem imaginatione producto.

Frequentiùs occurrit illa improvida & immanis uteri dislocatio, quam rudiores obſtetricum manus, ſecundinas violentiùs eripientes, aut locô harum uterum arripientes, præſtant, non ſine atrociſſimô parturientis in abdomine dolore, inflammatione, convulſionibus & repentina morte, quales caſus *Bartholinus cent.* 2. *obſ.* 91. *Marchettus obſ. Chir.* 61. *Solingen Embryulciæ cap.* 16. *ac obſ. circa mulieres & infantes Append. & Mauriceau des Maladies des femm. groſſ. lib.* 3. c. 6. & *obſ. ſur la groſſeſſe & accouchement* narrant, teſtanturque *Acta Facultatis* in Juvencula Zittavienſi filii primipara. Hujus enim placentam, utero arctius annexam, dum obſtetrix imperita violentiore manu eripere moliebatur, ſimul uteri portionem protrahit: quam pro fœtu peculiari ſeu gemello habens, puerperam ad novos conatus urget, nec labori ipſamet in illo educendo parcit, contradicente illa, de illata vi & evulſione interaneorum omnimoda conquerente, ac vix elapsâ à feliciore aliàs partû horulâ expirante. Cujus Hypogaſtrii Pelvis utero hujuſque annexis vacua, hic autem ex ſinu muliebri ultra ſpithamam propendens, in cadaveris diſſectione cum ſtupore adſtantium cernebatur.

Qualis quidem funeſti eventus ætiologia non ſemper ſanguinis illa eſt profuſio, ejuſmodi impetuoſioris uteri evulſionis vaſorumque ſanguiferorum rupturæ effectus, ut in fœmina, cujus primo mentiorem feci, annotavit *Mauriceau l. a.* ſed ſola aliquando partium nervearum ac ſenſibilium maximè tenſio dolorifica & in convulſiones graviores ac mox lethales conjiciens: Ita quidem ut nihil plane cruenti penes quaſdam, nec in harum cadavere, reperiatur, obſervante *Solingen & Medico,* qui ſectioni puerperæ Zittavienſi præerat.

Denique in abdomine mortaliter læduntur vaſa majora, hoc tranſeuntia: Sc. ex ſanguiferis arteriæ magnæ truncus deſcendens ac vena cava aſcendens horumque propagines inſigniores v. g. cœliaca, meſenterica utraq; Portæ, ſplenica, emulgentes, iliacæ, ſpermaticæ & per quarumcunque lacerationes multum ſanguinis profunditur, proin minores quoque rami v. g. Gaſtricæ, Epiploicæ &c. Qualem quoque lethalitatis præſumptionem habent lymphatica per eundem ventrem hinc inde lata, imprimis horum caudex major ſuper ſpinæ vertebras, inter aortam & cavam, Cyſternam Lumbarem conſcendens, aut ſi plures eorum ramuli ſimul v. g. ſub epatis cavo & circa Portæ confinium rumpantur. Repeto ſiquidem ex Phyſiologicis, Lympham non fluidum excrementitium, nec vehiculum tantùm alimoniæ, ſed ſuccum particulis gelatinoſis ſeu nutriciis plus minus turgidum exiſtere: proin hujus extravaſationem corpus emaciare vireſque inſigniter conſumere. Cujus equidem phænomeni exempla ſcriptores

Pra-

practici vix suppeditant, nisi *C. Stalpart van der Wiel & Solingen*, Medicus ac Chirurgus Belgæ, multæ Experientiæ. Horum quippe posterior *part.* 4. *van de Manual Operatien der Chirurgie*, c. 34. de Bajulo quodam narrat, ipsi ex motu corporis incongruo vas lymphaticum in femore ruptum fuisse, ut lympha per foraminulum exilius instar pori cutanei, continuo cum cruris emaciatione ac totius languore promanarit. Alter *part.* 2. *obs. rar.* 46. perhibet, ex vulnusculo brachii à V. S. relicto, altero & insequentibus diebus multum lymphæ diaphanæ absque dolore ac inflammatione profluxisse, sine dubio ex vase quodam seroso, supra venam sectam decurrente, ac à ferrô in hanc adactô, dissectô, & quidem cum virium languore quotidie increscente. Atque horum canalium vulnera difficulter coalescunt non tantùm ratione tunicarum suarum membranosarum tenuissimarum, sed inprimis ratione lymphæ transfluentis, quæ non adeò commodè, ac de sanguine innotescit, in thrombum seu grumum abit, atque vasis rupturam aliquandiu obturat, donec ipsius tunicæ cicatricem contraxerint. Qualis coalitionis difficultas, cum in vasis iisdem, profundiùs & in abdomine delitescentibus, ubi carne non undiquaque stipantur, non minor sit, neque ob eandem situs rationem hæc medicamenta appropriata, plumaceolos comprimentes ligaturasve, quorum nominati Autores, ut remediorum congruorum meminerunt, admittant: si ex rupturâ ejusmodi ascites aut virium quicunque raptus contingat, utique hanc mortiferis plagis accensere sana ratio jubet.

De nervis abdomen perreptantibus, quid judicandum, ex *Sect.* 1. & *Sect.* 2. *c.* 1. satis superque constare puto, horum nimirum propaginum & plexuum læsiones ejusmodi, quæ viscera hujus ac reliquum corpus in convulsiones lethales conjiciunt, utique mortiferas nuncupari debere: Etsi lubens fatear, vix sine aliarum & vicinarum partium plagis enormioribus eas existere, vixque oculo tantum fugitivo cerni.

Cap. 6. *De Artuum Vulneribus & ictibus per fustigationem ac contusiones duriores illatis, lethalibus.*

Artuum vulnera per se lethalia minimè dici possunt, vel quod usu eorum sine vitæ discrimine supersedere queamus, vel quod ab omni parte medicamenta, deligationes, suturas aliasve operationum Chirurgicarum promte satis admittant. Unum tantùm est, quod ex his per inevitabilem necessitatem sauciatos aliquando succumbere facit, vasorum nempe sanguineorum & nervorum perforationes ac præcisiones illæ, quarum symptomatis lethalibus, hæmorrhagiæ potissimum ac convulsionibus totius, nullum auxilium præsto est, i. e. trunco corporis propinquiorum: de quibus tamen quia *Sect.* 1. (de vasorum sanguifluorum) & 2. cap. 2. (de nervorum vulneribus) prolixe actum, argumenta inde repetere nolo.

Qualia E. symptomata si non superveniant, aut brevi cessent, lethalitatis suspicionem discutiunt, evanescente sc. ratione decidendi, seu lethalitatem inferendi: prout ex Judicio Collegii nostri de vulnere femoris elucescit. Anno 1705. mense Septembr. Leucopetræ vulnerabatur fœmina quædam in summitate femoris sinistri, hujusque parte interna, cum mox insequente hæmorrhagia aliquot dierum, frequentioribus Lypothymiis & motus impotentia dicti cruris. Accedebat febris gravior cum vomitibus biliosis, ita ut dolore, inflammatione ac hæmorrhagia licet sedata, & vulnere ad consolidationem inclinante, vulnerata post decubitum mensis integri fatis cesserit. Sub inspectione d. 16. Octobr. à Medico & Chirurgo administrata, plaga deprehendebatur in dicto loco haud omnimode consolidata, hinc pure adhuc scatens; sub cute & pinguedine per medium Glandulæ inguinalis tendebat vulnus, discisso insimul insigni Venæ ac secundi nervi cruralis, ramo usque ad Glutæos musculos. Vulnus hoc nihilominus à nobis non lethale per se pronunciabatur, ideo, quod hæmorrhagia venam discissam secuta compesci potuerit, nec nervi cruralis dissectionem convulsiones aut paralysis universalis exceperit, vulnus ad coalescentiam maxime inclinarit, nec dolor, inflammatio aut alia periculosiora symptomata penes vulneratam observata fuerint.

Ast memoratu digna videtur illa tendinis majoris, patellam obvolventis, in fœminæ genu per insultum equorum & curru facta ruptura, quam nulla hæmorrhagia notabilis ac inflammatio, mox verò ipsa nocte insequente sphacelus per lateris ejusdem femoris atque abdominis integumenta communia & musculos ascendens, simulque partem insignem intestinorum gangrænosam reddens excipiebat, utut defensiva necessaria fuerint applicata. Immedicabile hoc genu vulnus videbatur mihi, quod artis instrumenta naturam adjutricē non invenerint & ex vulnere sphacelus immediate, omnibus remediis irritis, emerserit. An aliis tale compareat, penes eos stet sententia: simile quid interim iis aliquando evenire posse non dubitandum: postquàm in aliis quoque artuum locis, quibus tendines majores contigerunt, in subjectis inprimis Cachecticis, vulnera fracturæve convulsiones lethales inferunt; prout olim in ICto, qui fracturam Tibię propè malleolum cum vulnere passus, factum recordor, qui mox convulsionibus totius cum febre ac delirio vehementissimis corripiebatur, & quarto die animam exhalabat, utut nihil eorū intermissum fuerit, quæ necessitas efflagitabat.

Vulneribus congrue annectuntur læsiones, quæ fustibus, pedum concussionibus seu quibusvis duriorum instrumentorum ictibus inferuntur; plagę incruentæ, quales pariter, si vehementiores, sine rupturis & partium unitate soluta nunquam fiunt; quinimo hæ quoque utut habitum corporis tantùm externum afficere videantur, mortem aliquando inopinam patrant, si nimirum earum plures latiores durioresque fuerint, carnes profundius penetrent, imprimis autem interanea plus minus attingant: leviores verò seu magis superficiales, paucæ atque exiguæ vix enecant, utpote sub quibus extravasatus cruor promptiùs discutitur, si per remedia appropriata potissimum juvetur natura. Sc. sub læsionibus his carnium compages contunditur seu conquassatur, harum fibræ, canaliculi & vasa rumpuntur, hincque illa extravasato cruore inæqualiter suffunditur, ad ruborem, livorem & nigredinem usque: unde circulatio sanguinis ac lymphæ plus minus turbatur, tractu etiam temporis quod hujus extra vasa profusum, corrumpitur, & in saniem abit. Non rarò etiam impetus ejusmodi contusionum ad interiora se extendit, ut pleuram, pulmones, epar, lienem, vesicam urinariam &c. evidenter suggillare, quin etiam rumpere, aliquando observemus. Hernias diversi generis ab ejusmodi violentia concitari; quid frequentius? Uteri verò descensum à tali factum, acta Facultatis nostræ commemorant in fæmina quadam An. 1669. mens. Aug. quam quidam socius petulans supinam cum impetu prostraverat, genubus ejus inguina, ad excretionem usque urinæ, insultaverat &c. Firmioris habitus & optimæ valetudinis illa hactenus extiterat, proin laboribus domesticis semper strenue contenderat, mox verò postquàm illam violentiam perpessa fuerat, inguinis & costæ sinistræ sensatione molesta, oppressione præcordiorum, animi deliquiis, convulsionibus, passione hysterica, febre ac deliriis corripiebatur, multum cruoris per anum ac os rejiciebat, octavo demum die primordium procidentiæ uterinæ penes se observabat & de hac penes adstantes conquerebatur. Quam equidem non tam à violentia hac, quam forte ab alia quadam causa, concitatam aggressoris procacis defensor sustinere annitebatur, quod totidem demùm post ejusdem illationem dies hæc contigerat. Illum tamen hanc immediate patrasse, Collegium dictum enunciabat: quod organum hoc situm suum non propter vinculorum rupturam, sed relaxationem, mutarit, lentô demùm gradû & sub totidem molestiis factam.

Func-

Funestum magis Fustigationis & Proculcationis eventum olim, nempe 1684. mense Martii vidi, pariter in fœmina, quam maritus truculentior Verberibus ac calcitrationibus diris exceperat, quæque sub doloribus corporis variis exquisitissimis, motus impotentia, febre, anxietate Præcordiorum, dyspnœa ac convulsionibus post triduum spiritum exhalabat. Hujus, jussu Prætoris lustratæ, habitus externus circa humeros imprimis, Thoracis latera, lumbos, inguen ac femur sinistrum, ex rubore pariter ac nigredine lividus, hinc inde etiam tumidus, cernebatur; Cutis verò nonnullarum partium incisa cruore partim fluidiore, partim grumosô, manabat, & carnes profundiores plus minùs conquassatæ ac suggillatæ deprehendebantur. Medius ac inferior venter sanguine serosô scatebant, pleuræ ac peritonei sinistra pars & huic vicinior intestinorum tractus, unà cum lienis superficie, quâ costis nothis accumbit, sanguine ad Gangrænam usque erant suffusa. Lethalitati per se phænomena hæc mancipabam, quod circulationem evidenter turbarint, ad rupturam etiam vasculorum capillarium, hinc cruoris & lymphæ profusionem variarumque actionum frustrationem. Et conturbatur quidem hac ratione indigitatorum fluidorum motus, non tantùm ob dictas vasorum ac intermediorum canaliculorum rupturas ac compressiones, sed insimul, quod fibræ propter nervearum partium tonum hinc inde enormiter laxatum in illô juvandô deficiant: ne dicam humores nutritios, extra meatus, seu cancellos naturales profusos, facilè corrumpi & in saniem, partibus solidis exitiosam, converti.

Ast quoniam in ejusmodi casibus hoc frequentius emergit aut movetur dubium, num verè immediatè ac solitariè à Verberibus inflictis, nec à causâ & affectû quôdam internô, sive antecedaneô, sive superveniente, aut simul ad minimum, mors contigerit? huic etiam satisfacere frequentius jubetur Medicus, quamvis hujus discretio utplurimùm difficilis deprehendatur, nisi circumstantiæ fustigationem antecedentes, subsequentes ac inspectio cadaveris negotio huic aliquid lucis fœnerentur. Quem in finem igitur prænosse ac sciscitari oportet, valetudinem seu statum corporis defuncti ante violentias illatas, i. e. an exactè sanus an valetudinarius hic fuerit. Ubi in casû priore probabile fit, ictuum duritiem solam obitûs ejus extitisse occasionem, atque hoc eò certius, si mox ab illorum perpessione malè se habuerit, & in pejus quotidie lapsus fuerit, qui vapularat: in posteriore plus minus ancipites hæremus, num à morbô aliô latente potiùs, quem relatio Medici vel adstantium innuit, vel quem sectio manifestat, an à Plagis illis, fatalis hic dies evenerit; aut ad minimum combinandi sunt morbus ille antecedaneus ac violentia externa, ut tanquam causæ sociæ mortis insecutæ attendi postulent.

Exemplum dubiæ ejusmodi decisionis erit modò relatum, de uteri descensû per rudiores insultus in fæminam concitatô: cujus generis alia hinc inde occurrunt, v. g. si Gravidam ad abortum usque partum p. n. ac vitiosum per abdominis violentiorem contusionem adigi contigerit, qualem casum Jenâ ad nos missum *cap.* 5. recensui. Quibus addo alium nostri Collegii censuræ 1693. d. 10. Augusti expositum, in quo perhibetur, servam postquam per mensem integrum ex dolore pectoris & lateris sinistri, seu, ut sectio cadaveris declaravit, vomica pectoris & pulmonis insigni, decubuerat, 12. Martis fusti crassiore rudius & donec in humum conciderit, percussam, abhinc verò dorsi, hypochondriorum & crurum cruciatus insignes perpessam, ac 27. Aprilis demortuam fuisse. In hac, occasione plagarum duriorum & has stipantium animi commotionum vehementiorum, sanguinis stagnationê in thorace ac pulmonibus, hincque suppurationem adjutam vel acceleratam sentiebat Facultas; infirmitati huic interim non parum contulisse, quod post fustigationem per nives & aquas medio Martii procul ambularit nihilque remedii primis quotuordecim diebus admiserit ægra.

Appendicis ad Tractatum de Renunciationibus Vulnerum.

DISSERTATIO I.

De Infanticidio.

Ubi de infanticidio recens nati suspicio emergit, duo imprimis disquiri solent, nimirum, *num vivus, mortuusve, partu is fuerit exclusus? & num vere enecatus fuerit?* seu an modus, quo interemptus creditur aut dicitur ille, neci inferendæ sit adæquatus? quo de corpore, quod ajunt, delicti planius constet. Prius vel ideo nosse opus, quod prima & crebrior infanticidarum observetur exceptio, fœtum in utero vel sub enixus conatibus expirasse, seu mortuum fuisse editum: posterioris verò indagatio aliquando vel ideo exigitur, dum miseræ quædam (aut ex vitæ tædio, aut ex amentia) criminis insontes ejusdem se accusare, illudvè fateri, Collegia ICtorum haud latet, quas circumspectior nihilominus inquisitio, tale quid minimè perpetrasse, post prolixiores demùm superatas difficultates, docet. De quô utrôque nunc, ubi super infanticidium deponendi ratio explicanda, edisseram.

Olim equidem prius negotium per Indicia tantùm mere legalia, plus minus specialia seu propinqua, decidebatur, ut ex *Ordinatione Caroli V. Constitut. Crim. Saxon. Farinacio, Mascardo, Zangero, Carpzovio*, elucescit, & Mulier, quæ infantem mortuum se peperisse, ajebat, hoc aut sufficienter probare tenebatur, aut si hoc probare non poterat, in assertione nihilominus suâ pertinaciùs perseverabat, ad veritatis confessionem cogendam torturæ subjiciebatur: gravata imprimis per hoc, quod graviditatem occultarit & clam pepererit. Nec quæstionem hanc, num vivus mortuusve extiterit natus? inter Medico-Legales olim relatam legimus, neque unquam à Prætore adigebantur Medici, ut ex Cadaveruli inspectione & per hanc observatis, i. e. per Argumenta Anatomico-Physica, de illâ enunciarent, aut hi ad deponendum super illâ postulabantur, ut ex *Pareo, F. Fideli, Codronchio ac Zacchia* constare potest. Ubi nihilominus ICtis in infanticidii indiciis formandis à Medico manus porrigenda, hujusque relatio expetitur, plurium phænomenorum ac circumstantiarum in nato rationem habendam & ex horum demum examine negotium dirimendum esse puto. Vixisse ad partum usque & post partum infantem conjicicimus, si tempestivè nec præmaturiùs ille exclusus fuerit, si conformatio ejus membrorum omnibus numeris absoluta: contra, si ante terminum naturalem editus, & membris quidem justa conformatione atque firmitate destitutis.

Quemadmodum enim prius perfectam minusque interruptam ejus nutritionem, & hinc vivacitatem adæquatam, innuit: sic posterius per exilitatem, teneritudinem ac flacciditatem membrorum suspicari concedit, defecisse in Utero gestato nutritionem atque augmentationem, per consequens vitalitatis robur. Quamvis aliquando etiam ejusmodi casus evenire possint, per quos nutritio illius cum ipsa vita brevi ante partum cesset, sicque carnosior & quoad singula membra firmatus, ac robustus satis editus compareat, pro vivo itaque habendus; quem tamen intra uterum jamdû vita defunctû aliæ circumstantiæ dicere jubeant. In specie de nutritione integra atque vita fœtus, instante partu testari creditur funiculi umbilicalis habitudo, ratione cujus hic modo succulentus, candidior ac firmus, modo flavus, flaccidus, aridior & facilè lacerabilis cernitur: quorum illud eum in utero vivum, hoc emortuum innuat. Licet ex his formatum judicium aliquando fallat, dum nimirum idem funiculus in vivo etiam edito minus rite deligatus, & aëris externi afflatum per aliquot horas tantùm sustinens, faciem ejusmodi præternaturalem frequentius

quentius induit: contra brevi ante enixum seu sub enixu expirans fœtus succulentum & firmum præstat eundem, qui tamen de vita illius minimè testari poterat. Porro in occasione tali attendi meretur, num funiculus non diligatus multum cruoris fuderit? de quo si constet, vivum extitisse Partum, verosimile fit; secus, si parum ejus comparuerit, appulsu nempe sanguinis penes fœtum in utero qui expiraverat, jamdum deficiente.

Qualia momenta pro fœtu ante sui enixum mortuo declarando plus certitudinis acquirunt, si innotescat, Matrem gestantem violentiam quandam evidentem, v. g. abdominis graviorem concussionem, lapsum, terrorem aut plura horum simul, fuisse perpessam, ponderis gravioris elevatione, inconcinno corporis motu ac tensione sibimet ipsi vim intulisse: qualibus ille modo subito enecatur, modo eousque saltem concutitur, ut lente demum fatiscat & emoriatur, functionibus vitalibus plus minus successive fractis atque labascentibus. Quod si interim ab illata cujuscunque generis injuria fœtus mortuus brevi exturbetur, nihil corruptionis aut putrilaginis in hujus cadavere deprehenditur: sin tardius & post aliquot demum dies excludatur cadaver, fracidum & putredine plus minus arrosum comparet idem. In utroque quidem casu violentia externa & animi commotio enormior fœtui exitium infert: saltem ut modo præcipiti magis, modo lenta, functionum vitalium conturbatione ac interceptione hoc fiat. Favet his responsum Facultatis nostræ Anno 1699. d. 2. Januarii ad quæstionem: *an fœtus ex lapsu gestantis ancillæ intra uterum fuerit extinctus?* Eum equidem septimo aut octavo ante partum die statim, quo illa conciderat, vix decessisse, ideo, quod sine omni squalore ac fœtore prodierit: fieri tamen potuisse, ut ab allisione præcedanea debilitati motu evidenter fracto, ille nihilominus eousque superstes manserit, donec vespera partum proxime præcedanea, qua mater horrore corripiebatur, animam exhalarit.

De cœtero tunc mortuum enixam fuisse illam non inepte auguramur, si sub difficili partu hoc contigerit, sive nati infirmitas partum molestiorem reddiderit, sive sub illo hic imbecillior, & qui enixui laborioso ferendo minus capax, suffocatus perierit, sive partum brevius longiusve hæmorrhagia insignis antecesserit. Alias verò fœtum mortuum gestari conjecturamus, si per plures dies nihil ejus motus consueti senserit mater aut adstantium quædam, ventrem hujus manu calida complectens, ac si exclusus aliquid fracedinis spiret: sicut contra eum vivum natum colligimus, si partui mox supervenientes calidum aut tepidum, hoc est, omni vitalitatis charactere nondum privatum, deprehendamus illius corpus; dum emortuus, mox frigescit, aut potius actu friget, nisi in ipso enixus momento expirarit. Etsi cuncta hæc documenta non demonstrativa, sed verosimilia tantùm, veniant dicenda; nisi forsan plura horum in uno casu concurrant: i. e. vivum mortuumve partum exclusum Medici asserunt, secundum illa, quæ in prægnantibus ac natis communiter fieri norunt, adeoque de credulitate solum, non de veritate, hactenus deponunt. ad testandum si requirantur. Atque hoc quidem iis indulgent leges, earumque interpretes, in causis nempè, quæ in sensus minus incurrunt: qualem præsentem omnes saniores sine dubio pronunciabunt.

Donec haud adeo pridem nonnulli Medicorum, in eliciendis ac formandis ex una alterave observatione seu experimento anatomico hypothesibus & aphorismis universalibus nimis præcipites sibimet aliisque durius & difficilius hoc referendi onus contraxerint. Nempe ex *Galenô de usu part. 6.* & hujus quibusdam commentatoribus intelligentes, compagem Pulmonum in fœtu rubram, densam ac ponderosiorem, in edito subalbam, raram ac levem, deprehendi. Porro ab *Harveo, Highmoro, Th. Bartholino* ac *Thrustono* edocti, per ponderis illam disparitatem pulmones fœtus, integros æque ac dissectos, si aquæ committantur, submergi, nati contra fluctuare seu supernatare; ex dicta visceris hujus supernatatione ac præcipitatione; an infans, mortuus oblatus, talis, vivusve, partu exclusus fuerit, decidere sibi præsumpserunt. De quali tamen experimento hujusque concludendi vi sicut olim quædam incidenter disserui, ita hoc infallibile & sufficiens omnimode pro dubio præsente dirimendo; & pro infanticidis convincendis aut exculpandis, satis fida argumenta suppeditare, adhuc ambigo, atque prolixius nunc declarare contendam.

Inquisiturus ante omnia in experimenti ipsius veritatem seu certitudinem, nimirum an pulmones fœtus mortui compactiores ac rubicundiores, vivi nati rariores ac albicantes, semper cernantur? Ubi primam dubitandi rationem subministrat *Charleton* in *œconom. corp. animal.* qui se multoties expertum tradit, nullam ejusmodi coloris differentiam in pulmone fœtus ac nati reperiri: cui sub certis conditionibus suffragatur *Diemerbrock anat.* l. 2. c. 13. autopsia edoctus, usque ad quintum mensem cum dimidio circiter pulmonem fœtus rubicundum & mediocriter densum reperiri, postmodum verò eum paulatim mollescere, rariorem & coloris subpallidi magis cerni, quod suum assertum duplici comprobat exemplo. Sc. in cadavere mulieris gestantis septimo mense præter propter gravidæ se offendisse fœtum; cujus pulmonem equidem minus turgidum, ac in natis, mollitie tamen atque colore ab horum pulmone parum distinctum invenisse & coram compluribus spectatoribus demonstrasse. Pariter in fœtu maturiore ac perfecto, paulo ante partum in utero extincto colorem pulmonum equidem rubicundum magis, quam in nato, ast simul, nonnihil variegatum seu cinereum, mollem tamen & adeo spongiosam ejus substantiam, ut aquæ injectus minimè subsederit, sed natarit, observasse. Ex qualibus observatis inferre liceret, Criterium Modernorum, quo pulmones rarioris texturæ, pallidiores & aquæ innatantes infantis esse qui à nativitate vixit; densiores, rubicundas & submergentes illius, qui in utero obierat, lubrico & infirmo satis gaudere fundamento: adeoq; tantæ molis ac ponderis negotium in eodem haud locandum venire. Imo quamvis hæc phænomena, contra Charletonum & Diemerbroeckium, firmioris veritatis admitterem, non levia tamen sunt, quæ applicationem eorum difficilem reddunt: ita ut experimentum hoc quæstioni, an fœtus in utero respiret, & an editus in lucem respirarit? discutiendæ probabile satis argumentum præstet, vix tamē certo & infallibiliter per idem determinari queat, an natus in utero, an extra uterum, obierit, seu manu violenta interfectus fuerit? ut quidem hactenus sibi nonnulli Medicorum persuaserunt.

Quale quid tamen quo evidentius evadat, experimentum illud bifidum membratim trutinare tentabo, proin *Primo* disquiram: *An ejus, qui post sui enixum respiraverat, Pulmones in aqua semper fluctuent?* Seu, *an infantem, ex cujus cadavere tales extracti, vivum editum, hinc post partum demum vel sponte expirasse, vel enecatum fuisse, certo asserere liceat?* Quam sane hypothesin mox dubiam reddit hoc, quod mortui quoque nati pulmones compactiores & submergentes inflatione ab extra facta ad natandum facile disponi queant: dum non tantùm catulorum mortuorum exsectorum pulmones levi aëris inhalatione me eousque, ut natarint, expandisse memini, sed in cadaveribus quoque recens natorum mortuorum infantum, propter infanticidii suspicionem hinc inde dissectis, mihi atque adstantibus idem præstare ac cernere contigit, testaturque idem *Peyerus miscell. Nat. curios. dec. 1. ann. 6. obs. 202.* ut qui fundum prius petierint, pulmones, per Tracheam inflati ac distenti, post expressum iterum omnimode flatum, natarint, nec mergi potuerint. Argumentum hoc credit indubitatum allegatus scriptor ad convincendas infanticidas & indagandam veritatem,

an infans in utero mortuus, vel post partum demum quocunque modo occisus? Ego inverto, hocque ipso experimento autoritati natatus pulmonum multùm detrahi, ajo: dum arte adigere conceditur, pulmones in utero mortui & alias submergentes, ut natent, adeoque partum perperam & contra rei veritatem vivum innuant; qualem Fallaciam *Böckelman* quoq; penes *Blanckartum Collect. physico med. cent. 2. obs.* 92. Ejusmodi siquidem casum nunquam dabilem seu impossibilem omnino nemo prudentum asseverabit, quin ipsa Mater nati, pia satis & tenerrimæ Conscientię, per στοργὴν quo hunc debiliorem & syncopizantem mortis faucibus eripiat, ori ejus aliquid aurę inhalet; prout ab obstetricibus in ejusmodi casu ancipiti, cum evidente aliquando ejus emolumento & resuscitatione inopina, fieri solet: sicque ante enixum vere mortui pulmones, in sui propriam necem, explicet, seu ad natandum componat, i. e. vivi nati pulmonibus similes reddat.

Quod ne gratis plane augurari seu fingere videar, ad ipsam experientiam provoco. Nimirum aliquot elapsi sunt anni, cum ab amplissimo hujus urbis Senatu in pagum vicinum evocarer, ut de nati cadaverulo, an culpa matris forsan perierit? renunciarem. Accedens non tantùm ex hujus, sed obstetricis quoque, quæ ipsi in partu opem tulerat, ac cœterarum adstantium relatione intelligebam, Fœtum non modo aliquot ante partum horis in latere, ni fallor, sinistro matris sine omni motu & in glomum quasi convolutum jacuisse, sed mortuum quoque, h. e. sine motu aut quovis alio vitalitatis indicio, eductum fuisse: nisi, postquam eadem obstetrix, quo illi, quantùm possibile, suppetias ferret eumque forsan suscitaret, hujus faucibus spiritum fortiore conamine inhalaret, bis adhuc exhalare visus fuerit. Nosmetipsi cernebamus corpusculum partui perfecto & maturo per omnia simile, ejus funiculum umbilicalem hinc inde putrilaginosum (qualem corruptelam in secundinis etiam remotis asserebat vetula) totum habitum marcidum & flaccidum maximè, nullam verò illatæ violentiæ notam observabamus. Unde obstetrici subscribere jubebamur, & quidem per phænomena recensita, mortuum hunc partum prodiisse, quem mater, obstetricem ipsammet accersens, celare noluerat. Interim, quo etiam hac occasione controversiam illam, de innatantibus ac submergentibus pulmonibus recens natorum per autopsiam ventilarem, è Thorace tenello hos extractos, satis albicantes, aquæ injiciebam, cui supernatabant, fœtus nihilominus ante partum mortui: sine dubio, quod inhalatione obstetricis explicati & rarefacti fuerint. E. quod quæstionis erat, hactenus negatum, pulmones in utero defuncti aliquando aquæ supernatant: neque præsens eorum supernatatio præjudicio contingere poterat nostræ, de infanticidio quamvis suspectæ.

Equidem contrarium dictis innuere videtur observatio, dissertationi *Zelleri, Professoris Tubingensis*, cujus inscriptio: *Infanticidas non absolvit, nec à tortura liberat, nec respirationem fœtus in utero tollit, pulmonum in aqua subsidentia*, inserta: Qua vituli vivi nati, submergentes tamen pulmones, nisu quamvis inflationis fortiore, omnimode & ad natatum usque distendere haud licebat. Verùm singulari & individuali structuræ, ni forte præternaturali habitudini, per quam ad commode inflandum illi minus apti existebant, hoc in acceptis ferendum videtur: qualem exin suspicari jubemur, quod animal hoc post partum crebius anhelarit, pulmones tamen ejus ad fundum vasis, aqua repleti, se pręcipites dederint, lobulorum horum quidam muco turguerint & crassioris compagis extiterint. Adeo ut, etsi in uno alterove subjecto hujusve pulmonibus, non æque prompte succedat ejusmodi inflationis conatus, in plerisque tamen quia eam non frustra molimur, per illam ambiguam reddi experimenti venditi autoritatem, prudenter judicamus.

Præterea numne per dystociam aliquando fieri valet, ut ruptis membranis, fœtus, in utero aliquandiu adhuc commoratus aëris tantùm per vaginam & uteri orificium admittat ac pectore recipiat, quantùm ad pulmones ejus tantisper explicandos ac natatiles reddendos exigitur, mortui nihilominus exturbari? Cui conjecturæ litare quoq; deprehendo illos, qui penes *Blanckartum l. a.* Ruyschio, Medicis Trajectinis, Lugdunensibus & Böckelmanno, experimentum de fluctuantibus ac decidentibus pulmonibus pro vivo aut mortuo nato, admittentibus atque comprobantibus, cōtradicere cōtendūt. Quibus quamvis per omnia assentiri nolim, nec tamen *Böckelmann* dum l. a. aëris ejusmodi subingressum rationibus quibusdam impossibilem plane reddere conatur, æque subscribere possum: quatenus fœtum sub difficiliore enixu quandoque sensibiliter satis anhelare contingit, sive vivum, sive mortuum postmodum prognatum. Neque hypothesis Cartesiana & Swammerdamiana, de aëris ad uterum ac fœtum impulsu denegato, quam nihilominus *Böckelmann.* omni dubio superiorem ait; nec, quasi uterus, post effluxum aquarum à secundinis ruptis in se cedens atque constrictus, fœtus thoracem eousque comprimat, ut spatium pro admittendo aëre undique intercludat, affetto illi destruendo par erit: postquam ille impulsus aëris, pro respiratione formanda, dudum jamdum explosus legitur; conniventium verò parietum uteri renitentia vix tanta, quin à fœtus agitationibus illi aliquantum explicari, sicque lateribus seu thoraci ejus ampliandis & aëri vaginæ propinquiori locus atque aditus aliquis parari queat. Potissimum cum *Overcamp œconom. animal. c.* 121. qui strenuum alias stomachum illius experimenti se gerit, concedat ac fateatur, quandoque partus in utero defuncti pulmones aquæ supernatare: si nimirum hic sub ipso enixus conatu, post respirationem aliqualem, mortem obierit; seque in una fœmina quatuor ejusmodi partus observasse, tradat.

Porro nec adeo fidum seu tutum erit hoc fluctuationis ac subsidentiæ pulmonum experimentum, si putredine jamdum in cadavere inchoata illud tentetur: dum per hanc ejus, qui nondum respirarit ac mortuus natus, pulmones forsan ad fluctuationem eousque immutari & disponi valent, mediante scil. rarefactione illa, quam putredo cadaveribus cunctis horumque membris mollioribus præstat, ut quæ horum aliquandiu in profundo aquarum hæserant, tractu temporis in sublime earum ferri hisque supernatare in vulgus innotescat. Qualem putredinem tamen, quia cunctis natorum cadaveribus haud parem concedo, nec eundem ejus semper effectum facilè largior: quinimò, observationibus ejusmodi convictus, quibus post partum difficiliorem hujusque conatus aliquot dierum frustraneos editi tandem fuerunt infantes mortui, in quibus fracedo putrilaginosa satis evidens, pulmo nihilominus horum, aquæ commissus, mox fundum hujus petere cernebatur, ut casum tantùm dabilem, & qui cautos in decernendo hoc negotio arduo nos velit, non perpetuæ existentiæ atque necessitatis, me adduxisse, lectorem advertere æquum ratus sum.

Nolo hujus loci facere vagitum uterinum, quem ab ipsis gestantibus & amicis harum observatum annotarunt diversi scriptores à *Sennnerto prax. lib.* 4. *part.* 2. *sect.* 5. *cap.* 8. recensiti: quibus ex modernis *Timæum* 8. *cas. med.* 24. & *Bartholinum* 1. *hist.* 1. addo. Hisque eo promptius subscribo, quod *Boyle de vi aër. elast. exper.* 41. minus absurdum credat scribere, grandescentem fœtum forte obscuram quandam respirationem exercere: ideo quod non vana fabula sit, Infantulos in uteris matrum aliquando auditos fuisse vagientes, hocq; exemplo Dominæ cujusdam comprobet. Meminique ipsemet, quandam Theologi nostræ Universitatis & Ecclesiæ Archidiaconi Uxorem, anno 1684. gestantem finale quid penes

penes se aliquoties & memet ipsum illi assidentem, percepisse: quacunque demum ratione hoc evenerit. Sub ambiguo interim relinquitur, an levis hæc in Embryone quodam facta pulmonum agitatio hos eousque disponat, ut partu edito aquis supernatent: cum nec exclusorum & aliquandiu extra uterum viventium catulorum pulmones vel sponte mox se expandant, vel aëris per tubulum seu arte factâ inflatione, adeò facilè semper explicari posse, experientia doceat. Hinc quia Ejulatus ejusmodi uterini rariùs accidunt, nec penes nefarias meretriculas ullo testimonio certificati, nec fortè ad natatiles reddendos pulmones sufficiant: parum defensionis sibi hæ ab illis promittere poterunt.

Hæc erant momenta quæ fluctuationis pulmonum super aquam testimonium de nato vivo suspectum innuunt, quibus nunc talia subnectam, quę alteram illius famosi Experimenti partem fallacem pariter, hincque factam illationem infirmam ac minus concludentem reddere videntur; i. e. ex sola pulmonum recens nati submersione, hunc ante sui enixum mortuum, seu in partu & post partum eundem non vixisse, concludi haud posse. Nec vitio aut temeritati mihi vertent illi Medici horumque Collegia, quę eam fœtus ante partum exhalantis signum perpetuum ac certum asserunt, quod eorum sententiæ non adeò promptè assentiar: qui causam sanguinis arbitrio ejusmodi suspecto submittere, & rem ancipitem atque arduam levi ac fallaci Experimento dirimere nolo, argumentis seu dubitandi ad minimum rationibus haud exigui vigoris admonitus; quarum nihilominus solutionem si ex aliis intellexero, eorum cogitatis subscribere minus refragabor.

Scilicet primam traditioni huic Scholarum erroneæ occasionem dedisse puto theorema, quod ingentis autoritatis ac fidei catholicæ hactenus visum fuit naturalis scientiæ Doctoribus plerisque, *Vitam & respirationem paribus passibus ambulare*, seu juxta *Galenum 6. de loc. affect. c. 5. Spirationem à vita, & vitam à spiratione, separari non posse, adeò ut viventem non spirare, & spirantem non vivere, sit impossibile.* Cui tādem Dogmati tribuere vix valeo, quin *vitam in recēs natis respiratione priorem* seu *aliquando etiam sine hac, existere*, asseram, proin illud precarium maximè dicam. Quatenus per observationes, mulicularum quoque evidens est, quas suas etiam olim faciebat *Facultas Medica Wittebergensis Nobilissima* in causa seu suspicione infanticidii aliquando renuncians, adeò debilem atque infirmum interdum excludi partum, ut omni sensu, motu ac respiratione per aliquot momenta seu notabile tempus, destitui videatur, hîc non, nisi variis vellicationibus, fomentationibus, vini, spiritus vini & aromaticorum liquorum adspersionibus, instillationibus ac inhalationibus plus minus medicatis demum excitetur, & ejulatu primo aëris primam admissionem testetur. Hunc sub tali statu, i. e. sine omni sensu & motu, (nisi quod in arteriis ejus patentioribus, v. g. umbilicalibus levis quædam micatio sentiatur) hinc sine respiratorio quoque, quis non mortuum diceret, quem tanto molimine nihilominus resuscitare attentat, & feliciter sæpè suscitat, seu latentem & quasi syncopizantem vitam in apricum ponit? cùm hujus formalitas animæ & corporis sit connubium, quo semel soluto aut denegato illa haud redit, nec ullo modo revocari potest. Hoc est, quamvis sensus atque motus, functiones vitales, in nato aliquando deficiant, vita nihilominus interim, seu unio illa animæ & corporis actualis, erit concedenda, & quidem ex functionibus vitalibus post liminio conspicuis: perinde ac fœtus, si Secundinis obvolutus nascatur, aliquādo aut nihil omnino motus sensibilis exerit, aut thoracem saltem minus movet. Per consequens falsum, quod vulgò supponitur, omnes natos statim ab ipso partus momento respirare. Quod argumentū laudata *Wittenbergensium* Facultas pariter admittens in causa *Annen* Voigtii, hujusq matris, in Præfectura primū Pegaviensi, hinc Lipsiensi, ventilata, die 30. Augusti Anno 1684. ita decernebat. *Wir können aber nicht davor achten dass dieses* (submersio nempe Pulmonum) *ein* indubitatum *und* universale argumentum *sey, wodurch so gar gewiss bewiesen werden könne, es müsse das Kind* ante partum *in Mutter-Leibe verstorben seyn. Mann könte endlich wol* ex præsuppositis *schliessen, wenn eine Lunge in Wasser sincket, so hat dieselbe noch keine Lufft in der Welt geschöffet, Aber es folget nicht alsbald, dass es müsse in Mutter-Leibe gestorben seyn. Sintemal so wol in, als nach, der Geburth ein lebendig Kind kan ertötet werden, ehe es Athem holet rc.*

Vere E. vivum, utut nondum respirantem, ejusmodi tenellum si mater impia manu truculentiore perimat, seu perire concedat, pulmones ejus cernes compactiores, sanguine uberiùs perfusos, ponderosos, hinc aquæ submergentes: non mortui tamen, sed vivi nati, quamvis nondū anhelantis, organum. Nec adeò ineptè planè in ejusmodi casibus ancipitibus nostrates mulierculæ agūt, dū, ut superiùs tradidi, Nati ad sensū mortui, seu nō mox respirātis, faucibus halitū potiùs immittāt, sicq eundē resuscitent; Forsā quod hujus sanguinis motus vitalis absq elatere accessorio, seu impulsu ab extra, quem ab atmosphæra liberiore expectabat, pro hoc tamen admittendo vel recipiēdo, thoracem, præ summa virium imbecillitate & per aëris externi incūbētis gravitatē, nondū sponte explicare poterat, ferè succūbens, ab illius paulò potentiore atq ad tracheā maximè directo impulsu aut inhalatione alterius levetur, sicq sēsibiliter quasi reviviscat partu exclusus. Porrò, sicut Natus imbecillior aliquando nō ęq promptè respirat, ita nec vegetior elatere aëreo externo sēper forsā adeò opus habet, ipsiq & fluido ejus vitali aliquātisper exagitādo, seu hujus undulationi intestinę ad tempusculū perpetuandæ motor internus à matre deciduus seu impressus presto est. Simile quid hîc fieri concipiendū quod in Hystericæ ac Hypochodriacæ suffocationis nonullis speciebus & animi deliquii gradu intensiore contingere observamus, in his nimirū affectibus inspirationē aëris evidenter interpellari: adeò ut ad tempus notabile satis, sine vita cū morte commutatione aliquando carere valeat Æger anhelatione sensibili, quod nulla, prout sermocinari amāt, ejus in ejusmodi casibus urgeat necessitas. Qualē nihilominus hominē nemo sanæ mentis mox pronūciabit exanimē, calore & pulsu aliquali, tanquā vitalitatis indicibus, adhuc præsentibus, &, si non planè integris, certè haud omnimode abolitis: ut vel à posteriore concludimus, quod ille aut sponte ad se redeat, aut adminiculis congruis restituatur.

Perinde nempe, ac per Experientiam advertere licet, catulos aliaque animalia, mox à partu & antequam spirarint; etsi teneriora, longè difficiliùs strangulari seu suffocari præ illis, quorum fauces aliquali demùm ab enixu intervallo & respiratione jamdum inchoata constringimus: quod sine aëris externi usu, per motum vitalem, sanguini connatum, aliquandiu superstites durare possint, comprobante hoc duplici Observatione, cujus olim aliquando ex Actis Forensibus mentionem feci. In prato nempe agri Torgaviensis Anno millesimo sexcentesimo decimo nono puellam enitebatur Meretricula quædam, quam, ut occultaret, vivam in humum vicinam defodiebat, vivam nihilominus posthac Prætor protrahebat. Pariter Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto Parentes, quam ex nefario coitu genuerant, filiam natam mox pannis ac linteaminibus obvolvebant, scrobi in horreo ad profunditatem pedis effosso imponunt, terra hunc opplent & spicarum avenacearum mergitibus cooperiunt: quæ tamen misella stupēndo Fato, post septem horarum intervallum incolumis ac viva eruta ac protracta fuim & parentes à crudeli infanticidii flagitio hujusque supplicio liberavit. Atque hujus constitutionis seu texturæ, utero & involucris suis verè vivus exclusus Partus,

Partus extra omne dubium pulmones retinebit compactiores & aquæ minus supernatantes: minusque perpetuum reddet assertum triviale, vivi nati pulmones super aquas fluctuare & nunquam submergi.

Me vera scribere, non merâ speculatione fingere, recensita, quælibet docebit Experimentū sequēs, modò in hujus administratione circumspectiorem ac frequentem se præstet: cùm non æquè feliciter succedant tentamina hujus gratiâ adornata, quod expertus moneo. Præsto sit Canis aliudve animal partui quam proximum & catulorum enixus patienter expectetur, editorum verò Guttur mox, antequam spirare videantur, funiculo cōstringatur: qui vivi nihilominus inter strangulandum varias corporis agitationes & oris rictus convulsivos edent ac formabunt, dissecti in pectore Cor satis potenter vibrans & pulmones compactiores ostendent, & hi perinde, ac non natorum & vivorum, ad aquæ, cui injiciuntur, fundum præcipitabuntur. Non dubitabit de rei hujus successu & experimenti fide quispiā ideò, quasi catuli omnes, statim ac utero & membranis exclusi necessariò respirent, qui *Boylii, de vi aëris elast. exper. alleg.* evolvet: ubi catulos quosdam, antequam respirarint, se dissecuisse commemorat, in quibus cordis motum, quamvis non adeò evidentem, observarit: & vix frustraneos experietur suos conatus, si modò celeriter & dextrè satis operatus fuerit.

Accedit, quòd luctuosa satis aliquando testatur Experientia, Funiculum umbilicalem collo fœtus nascendi præter naturam ac ita circumvolvi, ut in ipso hujus enixu incongruè tensus, imprimis si rudior Obstetricis manus supervenerit, illum brevi aliquando extinguat. Per modum constrictionis canalis pneumonici atque strangulationis hoc fieri, Muliercularum turba sibi persuadet: de quo tamen dubitare faciunt illa, quod aëris usu & reciprocatione hactenus destitutus, eodem aliquandiu adhuc sine vitæ dispendio carere valeat, & catellos sine respiratione vivos exclusos injecta chorda difficulter admodum strangulari, modò dictum fuerit: quin potius solam funiculi umbilicalis tensionem ac compressionem, sub ejusmodi circumvolutione inevitabilem, partui proximum enecare, probabile sit. Provoco, pro hoc meo asserto comprobando, ad aliam Obstetricantium observationem: scilicet si quocunque modo, ac sine ulla colli constrictione, funiculus fœtui antevertat, seu capiti hujus promineat, nisi mox reponatur, ei valdè detrimentosum hunc evadere. An discriminis hujus causam cunctæ harum æque intelligant, disquirere nolo, auguror ego, à prolapsu vasorum umbilicalium præmaturiore infantem ideò brevi extingui, quòd sanguinis materni motus ad illū per cōpressionem, inter genitalia parturientis & hujus caput necessariò, imprimis sub reiteratis ac singulis partûs doloribus factum, intercludatur: quo tamen, donec respirarit, carere nequit. Quid proin dicendum foret si Pariens forsan ἄστοργος, aut huic obstetricans imperitior, aut complex truculentior, eundem funiculum vel strictius tendendo, vel minus decenter reponendo, vel quamcunque vim ipsi inferendo, huic, qui vitam anhelat, necem inferat? Quale quid pariter metuendum, si caput, in partu constituti, aut à parturientis, piæ alias, agitatione ac situ inconcinno, aut ejusdem Obstetricis rudiore contrectatione, aliquando lethaliter conquassetur, dum enixum illius juvare intendit, aut mentitur earum utraque, & mortuum exclusum dejerat. Numne, quod in ejusmodi casu pulmones aquæ submergentes facinorosas has ab Infanticidii crimine liberent, asserere, temerarium ac impium foret.

Porrò Experimenti hujus de natatu ac præcipitatione pulmonum fidem sublestam reddit, quod unius ejusdemq; infantuli pulmonis frustum ad fundum aquæ feratur: alterum eidem supernatet: quale quid se quoque advertisse perhibet *Craanen de hom.* c. 30. ubi scribit, Judices hac in parte maximè falli posse, ideòque Medicum advocatum, ut suam hac de re dicat sententiam, prudenter circumspicere admonet, ne innocentē matrem puniri faciat. Cùm sæpiùs contingat, quod vivi etiam nati pulmo per primam ac brevem respirationem, non quoad totam sui compagem æqualiter mox infletur, sed secundum aliquam tantùm sui partē; & sic, quamvis quædam ejus pars, quam aër nondum subiit, fundum peteret, in aquam conjecta, vix tamē inde sequi, infantem mortuum in lucem fuisse editum. Proin omnes visceris hujus lobos diligentiùs contrectādos ac singulos in partes conscindendos monet, quæ aquæ successivè commissæ si omnes fundum petant, certò demum & infallibiliter innuant fœtum ante partum mortuum fuisse, quam primùm verò aliquam ejus partem aëre inflatam & supernatantem viderit, fœtum per momentum aliquod extra uterum respirasse ac vixisse pronunciat. Et contingere aliquando posse, pergit, ut quorumdam natorum pulmones, non, nisi difficulter, inflari valeant, extra uterum nihilominus infantem vixisse, quamvis pulmo aërem, propter anomalam sui conformationem nō admittat. Quale quid in vituli vivi nati pulmone observatio *Zelleri* l. a. docet sc. hunc non nisi, repetito ac potentiore conatu fuisse distensum, & in aqua subsedisse. Verùm eidem ambiguitati hæc *Craanii* immergitur cautela ac totum, hactenus prolixiùs ventilatum experimentum, decisivum quod vulgò sibi persuadent: postquam hoc ab utraq; sui parte fallere, partim dictū, partim ex sequētibus cōstabit.

Horum primùm erit Quæstio, superioribus annis disquisitioni Scabinatus hujus loci Electoralis exposita, ubi Infanticida facinus primo pertinaciùs diffitebatur, favebantque illius negationi pulmones nati, in aqua submergentes, hincque in utero defunctum (ex hypothesi communi) innuentes: postmodum nihilominus, se partum vivum enixam fuisse eundemque enecasse disertè fatebatur, & ad ultimum usque supplicium constantissimè asseverabat. Addo huic binas observationes à *Zellero l. a.* productas, quarum una vitulum concernit, qui post sui partum per dimidium horæ crebrioribus & evidentiore iliorum motu reciproco, qualis circiter equorum delassatorum, se respirantem ac viventem stiterat: cujus pulmones nihilominus aëre inflato mediocriter distenti, aquæ dum committebantur, instar lapidis ad fundum vasis fuerint præcipitati ac demersi. Alteram ex Actis Forensibus infanticidii ac Nepoticidii suspicionem involventibus, & *Amplissimæ Facultatis Juridicæ Tubingensis* disquisitioni expositis, idem Scriptor recenset: ubi in fœtu post fata & sepulturam clandestinam denuò eruto & inspectioni Medici commisso, pulmones reperti fuerunt, qui aquæ injecti, hujus fundum petierint. Matre quidem primùm, ex Aviæ relatione, asserēte, Natū post partum aliquoties vagivisse, eadem Avia, quæ filiæ seu Matri parturienti adstiterat, hoc diffitente, & fœtum mortuum dejerante: donec tandem sub examine rigorosiore illum vixisse seque misellum vivum atque ejulantem tumulasse utraque confessa fuerit.

Quibus ita se habentibus Experimentum hoc solitarium seu merum, ac hactenus adeò jactitatum, ut nōnullus illud *argumentum indubitatum ad convincendas ac defendendas Infanticidas* proclamarit, minus potens deprehenditur, annuente *Collegio Medico Wittebergensium* in causa pari, cujus superiùs mentio facta fuit, nisi alia huic combinentur phœnomena seu indicia, illi robur addentia seu plus verisimilitudinis conciliantia. Quod advertentes cautiores ita concludunt, Subsidentiam pulmonum in aqua signum equidem præstare infantis in utero seu ante partum denati, sicut eorum fluctuationes vivi nati: neutrum tamen illorum universale argumentum existere. Sub qua etiam circumspectione in casibus hujus generis *Facultas nostra* semper

hactenus

hactenus respondit quæsita, Anno v. g. 1701. die 18. Julii à Commissario Ducali Jenensi, in puncto inculpati Infanticidii Uxoris *Paul Lorbers*, quod, etsi communiter tradatur, Infantem, cujus Pulmones aquæ supernatant, vivum prodiisse & respirasse; hoc tamen firmum signum, seu ex quo tale quid semper ac universaliter inferendum, venditari minime posse. Quin potius aliquando suspicari detur, illos rarefactos & natatiles redditos per inhalationem aëris in fauces mortui nati, quam Mater simplicior & anxietatibus gravioribus obruta pro suscitando hoc forte susceperat. Dum ex Actis imprimis innotesceret, paucis ante Partum diebus eandem gravius lapsam ac ab illo tempore penes Maritum & Mulierculas diversas de torminibus atque cruciatibus ventris conquestam fuisse, hunc simul subsedisse ac ad Hypogastrium fœtum devolutum fuisse, ejus motum omnino cessasse hincque ex Lapsu potius gestantis illum in Utero periisse; Concurrente forsan insimul partu difficiliore, sub enormiore atque anxiosa matris jactatione & animi deliquiis, & quod neminem in labore hoc opitulantem habuerit genitrix: interim violentas has vasorum Fœtus rupturas, cruoris extravasationes, hinc Suggillationes Integumentorum Capitis, Colli &c. necem patrasse.

Dubius magis occurrebat Casus die 20. Novembris 1705. *Annen Dorotheen Gelhorn*, concernens, de quo ita sentiebat Nostrum Collegium. Favere ejusdem Inquisitæ, quod Infans octimestris hincque debilior visus fuerit, & vel ante enixum, vel in hoc, vel brevi post, dum illa Syncope fortiore correpta & omni ope destituta, occumbere valuerit: Supernatationem pulmonum conjecturam suggerere, Fœtum vivum editum fuisse ac respirasse, quod non adeo diu sub partus conatibus hæserit, brevi tamen expirasse. Nec in Matrice à Parturientis laboribus durioribus & motibus vehementioribus, quos Defensor accusarit, eum enecatum fuisse, inde colligi, quod nulla uteri Hæmorrhagia, ut in casu ejusmodi fieri solet, motibus his supervenerit. Neque Funiculum umbilicalem flaccidum & exsuccum infirmitatem & immaturioris Fœtus obitum in utero necessario indigitare: quod natus, postquam aliquandiu sub terra defossus jacuerat, demum lustratus fuerit, ubi per prima corruptionis rudimenta flaccidus evaserit ille. Quin potius, propter indicia hæc incerta sibique contradicentia in dubio relictum fuerit, An Infans hic vivus mortuusve natus, seu an violenta manu interemptus fuerit. Similis argumenti Quæstio Collegii dicti judicio exponebatur 7. Octobr. 1707. ad quam sequentibus respondebat. Cum natus vix Septimestris videretur, Gestanti paucis ante partum diebus insignis Uteri Hæmorrhagia supervenerit, pulmones illius maximam partem in aquam demerserint, Cadaverulum scybalis suis defœdatum, corruptionis putrefactivæ notę, v. g. cuticulæ in facie secessus, Cerebrum fluidius & quasi deliquatum, in Sectione annotatæ fuerint; verosimile quidem videri, illum mortuum Utero fuisse exclusum: quia nihilominus Partus septimestris quoque vitalis censeatur, nec omnis Uteri fluor cruentus Fœtum necessario enecet, submersio pulmonum eum quidem nondum respirasse, minime tamen nondum vixisse, testetur, nec Stercorum ante partum excretio infallibile intra Uterum mortui signum (dubium siquidem maneat, num in præsenti casu cadaveri adhærescentia, ante, aut post, partum ille excreverit) incertum pariter, an putredinis illud primordium in utero, aut extra eundem, ipsi evenerit, dum quarto demum à partu die inspectio facta fuerit, suggillatio Capitis enormior, violentiam non Cadaveri, sed viventi corpusculo, illatam augurari faciat; probabilius judicandum fore, partum illum mortuum neutiquam, sed viventer, fuisse exclusum. Anno 1702. d. 6. Febr. Facultatis Nostræ sententia itidem de Infante, ex Fœmella Stemmatis generosioris nato, & in Cloacam dejecto, ab hujus defensore rogabatur; num scilicet ex Specie facti hujusque circumstantiis infanticidium violentum suspicari liceat? qualem sequentibus pronunciabat. Ecchymosin Integumentorum Calvarię & Meningum, in Relatione Medica descriptam vivum natum indigitare, ideo, quod ejusmodi cruoris ad interstitia & compagem dictorum Involucrorum extravasatio suggillatoria in Cadavere neutiquam fieri possit: hocque per Pulmones illius in aqua fluctuantes magis confirmari.

Annecto his singulare & rarioris forsan observationis exemplum, ex Actis Inquisitionalibus in puncto Infanticidii, cujus prostibulum quoddam Dresdense accusabatur, depromptum. Nati Thoracis integumenta molliora, spongiosa & sero turgida, instar eorum, qui Anasarca laborarunt, à Medico & Chirurgis Sectionem Cadaveris administrantibus, deprehendebantur. Thorax totus aqua scatebat ac Pulmones rubicundi, compacti atque exiles ad spinam dorsi reclinati seu coacti: qui dum aquę injiciebantur, protinus submergebant, nullumque violentiæ extrinsecus illatæ comparebat signum, quin Funiculus umbilicalis quoque integer, non avulsus, sed Placentæ adhuc annexus seu continuus. Negabat Facinorosa, primò Fœtum vivum se fuisse enixam, diffitebatur proin Infanticidium: Tormentis vero admota fatebatur & asserebat utrumque, quod paulo post, ab his liberata, magna denuo constantia negabat. Cujus etiam sub Tortura facta confessio vel ideo dubia & hujus cruciatibus extorta videbatur, dum ejulasse ac vagiisse editum simul dixerat: quale quid vel ob ejus Thoracis Hydropem, pulmonum explicationem sufflaminantem, vel quod Pulmones aquæ non innatarint, dictu ac creditu difficile, supervenientibus etiam his Circumstantiis, quod modo prostratione seu lapsu corpusculi editi impetuosiore in humum, modo Funiculi umbilicalis divulsione, illum se enecasse, dixerat: quorum tamen prioris nulla in Visitatione comparuerint signa, Funiculum etiam, qui huic præerant, integrum minusque laceratum testati fuerint. Et numne fieri potest, Fœtum brevi ante partum vixisse, suggillationes in Capitis ejus Integumentis non tantum mollioribus, sed ipsis quoque Calvariæ Ossibus conspici, stercorata comparere linteamina, quibus ejusmodi recens natus involutus, ac facile peperisse Matrem; adeoque ex horum collectione hanc illum vivum enixam fuisse: quin tamen hæc signa judicio à pulmonum fluctuatione petito, semper ac undique annuant, Casus alterius generis, v. g. si Partus laboriosus maxime extiterit, simulque Infans stercoratus prodierit, evincunt. Quemadmodum; nec stercorum absentia cum submergentibus pulmonibus hunc mortuum exclusum semper ac necessario evincit: Dum sine illorum recrementorum excretione aliquando ad tempus vivere potest idem, imprimis nondum respirans; nec adeò certe eum vivere sub partus conatibus semper dignosci, Genitrix autem improba, sine ejusmodi Capitis evidentioribus contusionibus aut depressionibus, variis aliis modis, tenellum interficere valet.

Quibus, an vivus mortuusve extiterit Partus, judicio Medici expositus, ventilatis, ad alterum hujus Negotii momentum transeo, modos recens natos enecandi frequentiores, qui ambiguitatem aliquam involvere poterunt, horumque circumstantias disquisiturus quo de Infanticidio actu perpetrato aut plenius constet, aut indicia ejus obvia plus minus infirmentur. Postquam ex Legum harumque Interpretum sententia, ubi de crimine puniendo decidendum, non sufficit, Matrem suspectam modum aliquem & instrumentum facinoris sui innuere, vel ab aliis de horum applicatione convinci: Verum simul indagare postulatur, num effectum funestum pręstiterit hæc, h. e. misellum vere interfecerit, aut prolata ratione saltem interficere valuerit? Nimirum Con-

feſſio ut probet, debet eſſe veroſimilis, alias nihil operarur, ſive per Torturam, ſive ſponte, emanaverit: ut v. g. non condemnetur mox, qui venenum propinavit defuncto, ſed tunc demum, ubi in hoc comparuerint ſigna venenis propria, ſimul vero in cadavere ejus intoxicationis actualis indicia, i. e. hujus effectus ſolennes. Pari ratione Infanticidii ſuſpicio aliqualis tantum ad hujus pœnam ordinariam decernendam minus adæquata creditur, niſi de modo & infantem occidendi ratione evidente plenius conſtet.

Nequitiarum ſeu technarum ejuſmodi, huic exitioſarum, primum locum tenet Funiculi umbilicalis à Secundina avulſi aut præſecti, ſive animo maligno, ſive per ignorantiam, neglecta deligatio, ratione binarum Arteriarum, quas involvit, laceratarum Hæmorrhagiam lethalem inferens. Qualis tamen culpoſa Funiculi adminiſtratio tunc demum admitti valet, ubi multum ſanguinis per vaſorum dictorum aperturas promanaſſe, conſtat: cum parcior ejus profuſio Tenellum ante partum expiraſſe innuat. Quam quidem circumſtantiam dignoſcimus primo, ſi vel Linteamina, quibus natus involutus, vel locus, in quo occultatus reperruſve, multum cruoris profuſi oſtendant. Cujus momenti intuitu à Facultate Noſtra Anno 1709. die 30 Martii pronunciabatur hunc in modum. Cum teſtantibus Actis, vix ultra horam in partu transegerit Mater, pone Cyſtam autem, ubi natus latitaverat, parum ſatis cruoris obſervatum fuerit, credibile magis videri, Fœtum intra uterum obiiſſe: dum vivus natus, non deligato Funiculo, plus Sanguinis rejeciſſet, adhuc ſc. naturaliter tepeſcens, & motu cordis plus minus integro; ac poſt partum demum per illius deligationem neglectum interfectus. Deinde diſquirere conveniet per Cadaveruli Sectionem, num vaſa hujus majora ſanguine adhuc ſcateant: unde non propter laceratum minuſque obturatum Funiculum Natum periiſſe probabile ſit; ſecus, ſi hęc evidenter exinanita deprehendantur. Diſruptum eundem Funiculum caſu & Fœtu à parturiente ſtante in humum ex improviſo præcipitato, non raro accuſant de Infanticidio ſuſpectæ, firmantur etiam in effugio hoc à Patronis Cauſæ. Quibus equidem aliquando graves accidunt nonnulli Medici, divulſionem ejuſmodi Funiculi, utpote ſecundum naturam tenacioris ac validioris compagis, niſi à corruptione fuerit arroſus, perquam difficilem aſſerentes, ſimulque metuentes, ne per præcipitationem Nati impetuoſiorem Secundina potius, forte cum Utero quoque, protrahatur ſeu evellatur, quam Funiculus rumpatur. Ab Obſtetricibus nihilominus peritioribus annotatum novimus, Parturientibus ſtantibus ſibique ſolis relictis, Fœtum cum impetu ejuſmodi exturbatum illum laceraſſe, & quidem in hujus parte modo altiore, modo profundiore ſeu illi propiore: niſi extraordinariæ magis longitudinis hic extiterit.

Aliquando Partus etiam durioribus Capitis tenelli compreſſionibus ac contuſionibus enecatur, (quamvis an ſub conatibus parturitionis difficilioris gravioribus, an à Matre truculentiore poſt enixum tale quid factum, haud ſemper determinari queat) & violentiæ illatæ veſtigia in Cadaverulis crebrius obſervamus, ideo ſuſpecta, quod nullę ſanguinis ex vaſis capillaribus profuſiones & ſuggillationes integumentorum, niſi in vivo nato, concipi, & in cadaveribus, nec rudiore contrectatione & contuſione, evenire queant. Infanticidii inculpata Generoſa Fœmella, cujus ſuperius mentionem feci, fingebat, ex Latrina eductum Infantem, quem mortuum natum aſſeruerat & quatuordecim à partu diebus in illam dejecerat, ſub decidentia & lapſu in glaciem illius loci contuſiones, hincque cruoris ſuffuſiones, in Calvariæ involucris ac Meningibus Cerebri perpeſſum fuiſſe; quales nihilominus non, niſi viventi adhuc Partui illatas, modo nominatum Collegium decernebat: quod ejuſmodi cruoris extravaſatio ad integumenta nominata in defuncto neutiquam, ſed vivente tantum, corpuſculo fieri potuerit. Cui parallelum judicium ab eadem Facultate die 14. Octobr. Anno 1707. ad Requiſitionem Patroni Cauſæ, latum: Scilicet non obſtantibus aliis momentis, Fœtum forſan mortuum natum innuentibus, Suggillationem tamen Integumentorum Cranii, enormiorem Capitis contuſionem & rupturam vaſorum ſanguiferorum, vivo illatam, hunc enecaſſe, veroſimile videri.

Porro præfocatos atque ſtrangulatos recens natos Acta forenſia pariter tradunt, in quali tamen occidendi ſeu necis genere admittendo itidem circumſpectos ſatis decet eſſe Medicos deſuper deponentes. Circumſtantiæ ſeu momenta, in ejuſmodi occaſionibus attendenda, modo omni ſuffocationi communia, modo huic vel illi propria ſeu peculiaria, obſervantur. Communium evidens maxime exiſtit Faciei & Capitis intumeſcentia, ac illius, Colli & Humerorum Livor atque Rubedo obſcura: à Circulatione Sanguinis videlicet, per Interceptam reſpirationem & Venarum jugularium compreſſionem, impedita; item Os, Nares ac Pulmones ſero ſeu muco ſpumoſo ſcatentes. Quale quid proin ſi minus fuerit conſpiciendum, de ſuffocatione Nati dubitare concedit: dubitabat etiam Facultas Medica hujus loci A. 1702. die 16. Februarii de infante, qui ex rivo mortuus, cum Vinculo circa collum conſtricto protrahebatur & ſtrangulatus cenſebatur: propter ſignorum ſeu phænomenorum recenſitorum defectum. Quia nihilominus Reſpirationem interpellant, modo quæ Collum cum Trachea conſtringunt ſeu comprimunt, modo quæ fauces tantum obturant, in caſu priore advertendum, num Funiculus ſimileve conſtrictiorium Cervici profundius impreſſum, ſeu an ejuſmodi impreſſionis veſtigium evidens cernatur, Circulus nempe in collo huſuſque imprimis antica & lateralibus partibus conſpicuus, rubicundus, aut fuſcus, Cutis rugoſa, Muſculi ſubſtrati plus minus ſuggillati: ſine quali arctiore conſtrictiore Trachea nec præcludi, nec Aeris per hanc reciprocatio vitalis ſufflaminari, poterat. In altero caſu, ſeu ubi linteaminum ſimiliumque obturamentorum in os intruſione vel infarctu Matrem impiam Nati ſuffocationem molitam fuiſſe videtur, an talem per illa vere præſtiterit, an ſecus, non raro ambiguum evadit, ſi de modo & profunditate hujus intruſionis haud ſufficienter conſtet, ut vel Obſervatio proxima declarat.

Nimirum Anno 1690 die 30 Septembris Juvencula quædam ex clandeſtino coitu Puellam pepererat, hancque in Latrinam, mortuam, ut ajebat, dejecerat: quam paulo poſt tamen vivam ſe enixam fuiſſe, ac linteamine præcinctorio ori ejus impacto, ne ejularet, ſuffocaſſe fatebatur; poſtmodum Confeſſionem illam temperabat, nimirum linteo hoc ſuperficialiter tantum ſe os ejus obtegiſſe, ſeu illud huic admoviſſe, *nur an das Mäulgen gehalten*, modo leviter illud immiſiſſe, ac perpauca tantum momenta in hoc reliquiſſe, dicens. Quas circumſtantias variantes apprehendens Defenſor, pro innocentia Inquiſitæ adducebat, quod ore natæ leviter tantum per Præcinctorium obturato, i. e. per hoc illi minus profunde adactum, haud ſuffocari potuerit illa: cum imprimis obturaculum hoc non adeo diu in ore ejus reliquerit, & ſub hac oris leviore obturatione Reſpirationi patula per nares via manſerit. Cui ego, à Prætore deſuper requiſitus, regerebam, Naribus quamvis externis hac ratione minus coarctatis, viam nihilominus faucibus atque naribus intermediam, forte hac ratione fuiſſe præcluſam, ſicque reſpirationem Puellæ utique ſufflaminari potuiſſe, aut nares forſan muco, in recens natis frequenter oppletas ſuffocationem juviſſe. Et, tametſi de mora lintei intra fauces minus exacte conſtaret, brevem tamen forte moram interi-

interimendo Infanti extitisse adæquatam: qui à partu recenti debilis, spiritum trahere tantum inchoaverit. Hocque eo magis, quod per Hæmorrhagiam vasorum umbilicalium haud deligatorum, nec non caloris externi fotum aliorumque necessariorum administrationem neglectam infans simul viribus fractus fuerit. Ac denique per superficialem tantum Linteaminis immissionem phlegma illud glutinosum, quo fauces modo natorum pariter utplurimum infarctę, ab ore forsan antico ad hujus angustias posticas & Laryngem retrusum, sicque spiritus reciprocationem interceptam fuisse. Magis anceps Collegio Nostro obtingebat Casus, quem Scabini Wazdorfiani in Sira, mense Aprilis præteriti anni disquirendum exponebant, Partus nempe septimestris aut ad summum Octimestris, quem à Genitrice suffocatum suspicio ferebat: Linteamine seu Mappa aliquoties complicata & ori atque naribus ejus superimposita, concurrente insimul, illius imbecillitate, prǽcocius editis consueta, ac deficiente Regimine Tenellis ejusmodi necessario. Quamvis nihil certi hoc in passu Nobis decernere licuerit, dum Mater ipsamet in circumstantiis, scitu necessariis, recensendis sibi haud constabat, asserens modo, se Nato linteamen tantum injecisse, modo complicatum ori ejus arctius imposuisse, modo hunc eodem obvolvisse; ignorare pariter se fingebat, quamdiu sub velo hoc ille vixerit: hinc in dubio linquens nos, an ab instrato eodem suffocatus perierit.

Nec missum facere possum, ab aliarum quoque rerum, aliquando paradoxarum satis, infarctu Guttur, ad lethalem usque spirationis interceptionem suffulciri: hujus admonitus ex Casu, quem 1. Septembr. Anno 1684. à Prætore ac Senatu Islebiensi Facultatis nostræ sententiæ expositum, recordor. Mortuum à se editum quædam Agnes Sophia Bolazia asseruerat, in cujus Capite nihilominus Contusiones hinc inde variç, Funiculus umbilicalis abruptus & Os cineribus refertum cernebantur: emergente hinc Quæstione, numne præter cæteras internecionis causas hanc quoque festinarit cinerum infarctus, aeris permeatum intercludendo. Quem quidem Mater suspecta fortuito obtigisse ajebat, cum stans enixa fuerit infantem, capite in humum, in qua cinerum acervus, præcipitatum, sicque aliquid horum admittentem: eo ipso vero, dum ille mortuus (ex illius asserto) hinc minus inspirarit, tantam cinerum quantitatem illum attrahere haud valuisse, augurabamur, & non tam per illapsum fortuitum, quam ex consilio & manu intrusis, cineribus refertas fuisse illius fauces.

Refero huc pariter illum suffocationis modum, quo Natus sub stragulis, culcitris similibusque operimentis, simulque in sordibus ac excretis partus, detinetur, item intra Femora Infanticidæ comprimitur; cujus Exemplum Quęstor Langen-Saliensis Anno 1700. mense Decembris nobis suggerebat. Ubi equidem nulla à Medico in Infante observata erant violentiæ externæ vestigia, vixisse interim prę̨ter natantes Pulmones ipsa Mater asserebat: quem à Secundina minus liberatum sub stragulis atque recrementis parturientibus consuetis relictum, ac intra femora genitricis compressum, ex aeris appulsu denegato & Thoracis motu impedito, seu suffocatum, periisse, probabile judicabamus. Quale Infanticidii genus promptius conjiciendum, si sub situ, quo partum ordinarie excludi innotescit, facie nimirum ore ac faucibus posteriora spectantibus, hisque incumbens seu pronus hic diutius manserit: quantum enim situs hic modo editis præjudicet, rudiores nedum Obstetrices nos docent, dum hos statim, ac manibus suis exceperunt, invertunt & inversos in gremium ponunt.

Ratione Spumositatum in Faucibus ac Fistula Pulmonari repertarum, quas suffocationis violentioris signum communiter tradunt, advertere conducet, phænomenum hoc aliquando fallere, hinc solitarium Infanticidio inferendo pariter vix adæquatum existere indicium, dum Epilepsia quoque decumbentibus ac occumbentibus non adeo infrequens deprehenditur similis Spuma: ut proin vitio verti nequeat Medico, si ubi non alia insimul Suffocationis ab extra factæ signa concurrant, in deponendo ambigat, suamque potius sententiam suspendat. Cujus festinationem etiam hoc dissuadet, quod, cum fauces recens natorum muco seu sero viscidiore ordinarie scateant, fieri facile queat, ut uno alterove leviore anhelitu, mox à partu & brevi ante obitum spontaneum tentato, adeoque sine omni causa externa, illud in spumam elevetur: sicque decipiatur, qui Infanticidii conjecturam ex hujus solius conspectu confirmare suscipit. Quinimo ex adverso contingere potest, ut, sine ejusmodi spumositate circa fauces comparente, suffocando extinguatur ejusmodi tenellus: v. g. si illæ linteaminibus obturentur, serum spumosum imbibentibus seu absorbentibus; aut hic in latrinam similemve locum cœnosum prę̨cipitatus fuerit, hujusque illuvies Spumositatem talem obliteret. Ut mittam, ipsas aquas limpidiores, si forte his submergatur Infans, illam diluere ac detergere: aut, quia his injectus sine notabili renitendi seque elevandi conatu ac facultate, mox opprimitur, talem spumam vix produci seu formari.

Idem observari solet in natu majoribus, hoc est, aliquot septimanarum ac mensium, si repentina & clandestina morte perierint ac suffocati præsumantur, quibus Spuma turgescens, aliis circumstantiis deficientibus, mox categorice hoc asserere vix concedit. Atque hoc quidem multo minus, si denatum Epilepsiæ alias expositum constet, aut Dentitione similive affectu, qui ejus frequentior occasio existit, laborarit: qualem morbum, propter conturbatam hinc respirationem, spumam circa os utplurimum producere, vel in vulgus constat. Proin si in tali casu deponendum fuerit, per collectionem demum plurium phænomenorum hoc tentet Medicus. Sc. se deprehendisse infantis nupera nocte mortui faciem lividam aut ex atro rubicundam, os & nares spuma obsitas, aperto vero cadavere pulmones pariter sero spumoso refertos: quarum circumstantiarum intuitu & cum de cætero cunctæ, tam externæ quam internæ partes sanæ & optimæ constitutionis deprehensæ, probabile videri, eundem à mole quadam ponderosiore, quæ faciei aut pectori ejus incubuerit, aut alia forte ratione, fuisse suffocatum:

Hi sunt modi natos suffocandi crebriores & Meretriculis impiis solenniores: quin tamen aliis quoque insuper tale quid vel per incuriam & negligentiam, vel magis dolose, ab iis patrari queat, ex illis, quæ circa partum magna cum cura agere novimus Fœminas sagaciores, non sine omni ratione auguramur. Pronum seu in faciem atque pectus conversum Infantem ordinarie nasci, penes omnes in confesso est: in quali tamen corporis situ ille minime linquendus, sed mox in latus alterutrum convertendus, ut facie sua Obstetricem assidentem spectet: Ne videlicet pronus diutius jacens, spiritum forsan tardius ac difficilius trahat; supini vero os ac nares à colluvie aquarum & cruoris, partus proxima pedissequa, ad suffocationem usque oppleantur. Unde subsumere adigimur, quam facile cautela hac neglecta, & si Puerpera ejusmodi clandestina hanc situs in nato mutationem haud studiose advertat negligatque, aut Infanti quoad hæc minus opportune subveniat, neci tradatur hic, nulla alias adhibita violentia evidente, h. e. non quidem committendo, omittendo tamen, peccet ac infanticidium committat.

Nec Obstetrices aliasque Fœminas peritiores latere potest, quam perperam cum Nato agatur, si à Funiculo & Secundina

Secundina non sat citò liberetur, hæcque ab illo non quantocyus separetur: ita ut penes Illas in usu observetur, partum, si fortè illa hunc non mox sequatur, præciso funiculo, removere. Quo nimirum balneo quamprimum committi & sub enixu viribus fractus hujus fotu calido suscitari & mortuus visus in vitam revocari possit: antequam nimirum, ambitui uteri tepidiori adsuetus, ab atmosphæra frigidiore nimis alteretur. Secus quidem aliæ Mulierecularum hatum sentiunt, non protinus nempe segregandum à Secundina infantem, dum per hujus & sanguinis per funiculum circulati seu agitari motum secessus & excretio Secundinę ab utero, cui forsan tenaciùs adhærescat, juvetur. Earum tamen opinioni multum authoritatis derogat hoc, quod Natus imbecillior parum aut nihil aliquando, motus exerat, hinc Epar uterinum per funiculum illum vix agitare & commovere queat: nec concedente hoc longitudine ejus ordinariâ, ratione cujus nihil impressionis seu vellicationis ab Infante ad illud emanare valet. Neque motus sanguinis, per umbilicalia vasa undulantis, firmius adhærescentem Secundinam commovere potest in Nato viribus destituto: postquam experientia frequẽtiore edocemur, nec robustissimum semper illam mox sequi, multò minus ab imbecilliore, per cujus vasa umbilicalia vix tantillum sanguinis fertur, aliquid exagitationis illa sibi promittere poterit. Stante proin, Nati connexionem cum Epate uterino hujus exterminationem minus juvare, nec illum Balneo similive fomentatione calidiore sub eadem commodè & secundum exigentiam, tractari posse: quid impedit, quominus interim hac ratione, seu sub tardiore Nati à Secundina remotione pereat ille; sive hoc contingat per clandestinæ nascẽtis ignorantiâ, sive malitiâ & culpâ plusminus latam.

Metuendum simile quid à Placenta, mox simul equidẽ cum fœtu excussa, ab hoc tamen minus tempestivè seu nõ illicò sequestrata: dum hæc vitalitate maximam partẽ orbata & tantùm non cadaverosa, non, nisi cruorem grumescentem, nihilque vitalitatis ac virium, illi concedit, quin potius aliquid corruptelæ suæ inchoatæ impertitur. Quæ proin clandestinarum ejusmodi puerperarum vel per imperitiam, vel dolosè, hoc agere negligũt, culpam infanticidii gerunt, illud omittendo, quod Nato internecioni cedere poterat. Recordor quidem pravi illius moris, à *Spigelio* & *Sennerto* comprobati, quarumdam Obstetricum, quæ, antequam Funiculum pręscindant ac deligent, Cruorem vasis ejus inexistentem digitis suis versus Infantem urgent ac repellũt: ineptè sibi persuadentium, hac ratione refocillari maximè illum, fortè debiliorem. Ast cum sũmo Tenelli vitæ periculo tale quid ab iis fieri, inde judicare est, quod canalibus his refrigeratis, sanguis quem continẽt, omnem mox vitalitatẽ deponat & congelascat, hinc ad interiora ejus delatus & latici vitali intermixtus hunc pariter corrumpat & graviora in illo Symptomata patret; quorum genuinam causam nec sagacissimus Medicorum subolfacere, nec eidem mederi, potest.

Recens deniq; nato exitium non rarò infert Regiminis necessarii neglectus, hoc est, si à mucositatibus, quibus ad infarctum ejus Nares ac fauces frequentius scatent, non oppido liberetur, à quibus tamen solis aliquando suffocatur: aut si idem contra aëris injuriam externam saltem non mox per linteamina, Fascias similiaq; integumenta, Balneum aliaq fomenta calidiora præmuniatur. Calidiori siquidem atmosphærę in utero hactenus adsuetus externam sine evidente sui damno non æq ferre valet: quin brevi ab hujus solius rigore, absq; ulla alia violentia, suffocetur ac enecetur. Qualibus curis & administrationibus necessariis posthabitis si pereat infans, Infanticidii non rarò deficiunt indicia, Medico nihilominus ad deponendum postulato, scitu necessaria maximè.

DISSERTATIO II.

De Vivis Mortuisve Aquâ submersis, suspensis ac vulneratis.

Contingit aliquando dubitare 1. de Homine ex aqua protracto, an in illam vivus mortuusve fuerit demersus? 2. de Suspenso reperto, vivusne an mortuus suspensus? ac 3. De Vulnerato, num vivo mortuove inflicta fuerit plaga? Quarum disquisitio pariter ad Medicos devolvatur, determinationis aliquando arduæ satis, & ex phœnomenis in cadavere conspicuis non adeò facilè eruendę. Variis siquidem dum artibus nefarii homines crimina sua celare contendunt, non mirum, infinitas fraudes has eum in finem fingere, ut Magistratum, Vindicem eorum, fallant, quibus discutiendis equidem Ars medica aliquando præsto est, interdum tamen vix sufficit: modi interim ac signa, negotia ejusmodi investigandi penes diversos Scriptores leguntur, *Paræum* v. g. *F. Fidelem, R. à Castro,* ac *Zacchiam quæst. med. legal. l. 5. tit. 2. quæst.* 11. congesta; quorum monumentis unum alterumque subnectere nunc intendo.

Quoad prius, communis est ratio, illius, qui undis vivus submersus fuit, cadaver digitorum extremitates attritas & excoriatas monstrare, quod nimirum ille quovis extremo molimine obvia quævis perfringere, eripere ac effodere, hincque emergere attentarit, sicq dum salvare se molitus fuerit, in proprios digitos, instar furibũdi, sævierit: quale quid in cadavere ejus, qui in illas mortuus conjectus, cernere haud detur, conatu ejusmodi desperabundo destituti, quique vita jamdum privatus cum morte minus colluctatus fuerit. Præterea in ore ac naribus ejusmodi submersi viventis mucum observari ajunt spumosum, elevatum ab iis moribundi conatibus ultimis, quibus spiritum agitare annisus fuerit, & sub hoc molimine simul tam humorem salivalem, quàm aquam ab extra appellentem in Spumam redigerit: dum contra Cadavera aquis injecta nec respirationis reciprocatione opus habeant, nec huic moliendæ paria existant. Addunt demum his, abdomen & thoracem illius, qui vivens in aquam præcipitatus fuerit, valdè tumidum conspici, Pulmonibus nimirum, ventriculo ac intestinis aqua subeunte refertis ac turgentibus; in hoc verò, cujus cadaver demum submersum, nihil ejusmodi intumescentiæ, nihil aquæ in interaneis, reperiri: in priore canalibus ad hæc patescentibus, quinimò aqua, sub ultimis anhelandi conatibus pulmonibus impulsa, in posteriore occlusis ac constipatis.

Docuerunt idem olim omnes Medici, ex Signis his Prætori suspicionem non unius generis subministrantes, & aliquando Inquisitionis argumenta suggerentes: qualia tamen multum ambiguitatis involvere ille fateri nõ erubescet, qui experientiam autoritati ac pluralitati conspirantium anteponit. Scilicet haud omnino frivolè infertur, illum, cujus in undis reperti digitorum extrema, forsan aliæ quoque partes nudæ, evidenter laceratæ, illarum vi suffocatum fuisse, per sermocinationẽ declaratam: neutiquam tamen hoc mox negare convenit, si forsan illæ integrę offendantur, v. g. in recens natis, ad primum mox aquarum contactum, ac sine ullo renitendi nisu suffocatis. Ne de Melancholicis dicam, qui salutem ex aquarum oppressione quærunt, nec de Ebriis, qui sensuum torpore obruti & quasi somnolenti tale quid sustinent. Circa os atque nares profectioris ætatis hominis aquis submersi quæ comparet, Spuma indicio est, eundem sub aquis demum interiisse, huncque gargarisando quasi illam formasse: de recens edito autem dubitare conceditur, spumositatem hanc illi connatam seu à partu relictam forsan esse. In cujusvis verò ætatis homine quid impedit, quominus

hæc ſub aquis in ſubmerſo elevata Spuma, ab iisdem denuò eluatur & abſtergatur, hinc deficiens eum extra has interemptum fuiſſe falsò perſuadeat.

Aſt quod demum aquæ ad Ventres horumque viſcera, imprimis pulmones ac ventriculum, ſubingreſſum ſpectat, hujus argumenti vim probandi confirmant, qui cum Veteribus, Græcis æque ac Arabibus, periculo aquarum ereptos mox ſtudioſiùs in caput convertunt, ſeu pedibus quaſi ſuſpendunt, ut aquam ingeſtam prôptè exturbent: quinimò hujus rejectionis juvandæ caula illum ſuper cupam ſeu dolium rotant, ut penes *Alex. Benedictum 7. de morb. cur. cap. 3. Codronchum de iis, qui aquis ſubmerg. Chriſtoph. à Vega art. med. libr. 5. ſ. 5. c. 8. & Th. Bartholin. 6. hiſt. 68.* videre eſt. De quali tamen ſuffocatos per aquas in vitam revocandi remedio dubitare oppido jubent illi, qui ſine ejusdem adminiſtratione & ſola ſub ſtragulis calidis fomentatione, frictione & ſpirituoſorum internorum atque externorum uſu idem feliciter ſe præſtitiſſe perhibent, v. g. *Foreſtus 15. obſ. 26. Platerus obſ. p. 284. Langelot in miſcell. N. C. decur. 1. Anno. 6. obſ. 20. & Pechlinus de vita ſub aquis* aliiq; qui ejusmodi homines tractarunt: quibus præſidiis *Foreſtus l. a.* Decoctum florum Chamomillę, tanquam ſingularis in ejusmodi caſu virtutis, addit & præ aliis commendat. Ipſemet quoq; *Zacchias & Rod. à Caſtr.* circa hoc experimentum, ab ingurgitatione aquæ petitum, ancipites hærere videntur, dum *Prior l. a. quæſt.* 11. & 12. illos, qui in aqua pereunt, non tam propter molem aquę, quæ interiora eorum opplerit, quam impeditam potius reſpirationē, ſuffocari, tradit: Poſterior non cuncta eorum cadavera ob incluſam aquam, ſed propter vapores, in quos ſub aquis horum fluida reſolvuntur, inflari ac intumeſcere ſcribit, illa videlicet, quæ diuturniore ſub illis mora putredinem contraxerint.

Verùm, quod potiſſimum, olim jamdum, cum Proſectoris publici officio adhuc fungerer, non unam Infanticidam, ſupplicio Culei enecatam, me ſecuiſſe atque hac occaſione Spectatores ad advertendum admonuiſſe, memini: nihil tamen aut parum aquæ in ullius pulmonibus ac abdomine deprehendiſſe. Quinimò, ut hujus rei certior evaderem, canes aliquot huic meæ curioſitati & aquis viventes litavi: in neutro tamen horum hinc extracto aquā hauſtam offendi. In quo me inſuper confirmarunt *Platerus quæſt. med. Waldſchmid. in Ephemerid. Nat. Cur. decur. 2. an. 6. obſ. 153. & Joh. Conrad Becker* in *tract. de ſubmerſ. mort. ſine potu aquæ.* Quemadmodum idem Experimentum hincq; petitum Argumentum, quaſi, ſi in homine ex aqua protracto, nulla aqua reperiatur, inferre detur, mortuum, non viventem, eundem in hanc præcipitatum fuiſſe, *Facultas noſtra* Anno 1689. d. 6. Aprilis ſuſpectū ac fallax declaravit: ideò nimirum, quia per aquam ſuffocati non, quod interiora eorum eadem repleantur, ſed quod per hujus ambitum aëris uſus iis denegetur, pereūt. Demum contrarium probabilius videtur, Cadavera aquis ſubmerſa æq; ac illorum, qui vivi in eaſdem pręcipitati, ſi diutius ſub his linquantur, tandem per canales laxatos aquam aliquando forſan admittere, proin in deponendo pariter fallere utraque, ſi diutius ſub illa hæſerint.

Unde concludo, bina equidem priora ſigna in diſcernendo cadavere viventis ac mortui ſubmerſi, cæteris paribus, alicujus valoris, tertii autem, quia falſa innititur Hypotheſi, vim nullam omnino videri: ita tamen, ut illum etiam circumſtantiæ atque indicia combinata moderentur, temperent atque infringant. Ita v. g. ſi conſtet de hominis ſubmerſi dementia, ſi de hoſtis animo vindicativo, illumve per loca ignota ambulaſſe, ſimulque protracti ex Aquis cadaveris manus, aut chirothecæ, quibus forſan hæ indutæ, hinc inde laceratę, naſus verò atque os ſpuma referta vel obſita cernantur; hęc vix dubitare ſinunt, illum viventē aut in aquam cecidiſſe, aut pręcipitatum fuiſſe; contra, ſi ejusmodi indicia deficiant ac de aliis violentiæ illatæ generibus horum ſigna teſtentur, propinati e. g. toxici, Facies livida ac inflata, lingua tumida, nigra & extra buccas longiùs prominens, Stomachi facies exterior rubra aut fuſca, interior verò hinc inde arroſa & quaſi cauteriſata, ſine digitorum conſpicua attritione, appareant.

Par ambiguitas circa illos emergit, qui ſtrangulati reperiuntur, ſi de his, an viventes adhuc, an mortui demum, ſuſpenſi fuerint, Medicus deponere poſtuletur: cui equidem diſcutiendæ *Pareus & F. Fidelis* allaborarunt; aſt forſan non undique feliciter. Signorū illorum diſtinctivorum frequentiora traduntur, quod in ſuſpenſo vivo funis ſeu laquei ſtrangulantis obſervetur veſtigium ſive impreſſio in Jugulo & lateralibus Cervicis partibus, vel rubedine, vel fuſcedine, livore aut nigredine conſpicuum. A quali funis conſtrictiva impreſſione, annotante *Pareo*, rugoſa & contracta etiam cernitur cutis propinquior. De cætero livida comparet Facies, humeri & brachia, circulatione ſanguinis cum impetu intercepta: quinimò Caput & Thorax tumidior aliquando, utraque à ſanguine intra horum integumēta ſtagnante, thorax verò inſuper ab ultimo inſpirandi conatu, quia in diaſtole explicatus permanſerat. Muco ſpumoſo, plus minus cruore tincto, ſcatent os atq; nares: Lingua tumidior ac nigricans extra dentes cum oculis prominet, à circulatione pariter impedita ac anhelitu violentius intercluſo. Urinam aliquando in agone profundunt ejusmodi ſtrangulati &, advertente *Zacchia*, membri virilis tentiginem, cum ejaculatione ſeminis, prę ſe ferunt: ſymptomata ſc. ſpaſmodica, ſtrāgulatis crebriora. Larynx in quibusdam lacerus, attritus & quaſi conquaſſatus deprehenditur, ſi nimirum funis ſtrangulatorius ipſi propius adactus fuerit: hoc tamen rariùs contingit, vixque fieri poteſt, ubi ille infra guttur aut ſupra hoc tracheæ caput, ſeu proximè ſub mento, collum conſtrinxerit. Addunt his nonnulli Luxationem Vertebræ cervicis ſecundæ, quale quid tamen rarioris obſervationis: nimirum in illis tantùm, qui à manibus carnificum ſuſpendii ſupplicium paſſi, quibus in nonnullis locis ſolemne eſt, mortis acceleradæ cauſa cervicem delinquentis torquere ac inflectere, ſicq; vertebram plus minus diſlocare. Qualium ſignorum & ſymptomatum ſi nulla compareant, cadaver ſaltem hominis ſuſpenſum fuiſſe, probabile fit.

Utriuſque caſus exempla & ſuper hæc deponendi formulas *Chirurgus ille Gallus des Rapports* p. 516. 517. &c. ſubminiſtrat, quales, quia rarioris obſervationis, in tyronum gratiam tranſcribere haud pigebit ſequentibus. Nos Medici & Chirurgi Regii, ad Requiſitionem & in pręſentia Commiſſarii, viſitavimus cadaver Fœminæ ſeptuaginta circiter annorum, quæ ſemetipſam ſuſpenderat, exhibens Linguam nigram, tumidam & extra os prominulam, cum recremento oris & narium glutinoſo atque ex atro rubicundo. Invenimus dictum corpus pedibus humum contingens ſeu humotenus innitens, & collo mediante laqueo ex tænia duplici parato ac nodo craſſiore inſtructo, tigno affixum: ita quidem, ut funiculi hujus Orbiculus quaſi capiſtriformis, inter mentum ac laryngem, per angulos maxillæ inferioris, inter aures atq; Apophyſes Maſtoideas ad occipitium latus, profundam ſui impreſſionem in partibus his, ſub mēti potiſſimum medio, quod nodus ille craſſior contigerat, reliquerit. Adeò ut ex his cæterisq; in Actis enarratis circumſtantiis, & poſtquam ſingula membra exactiùs luſtraveramus, judicaverimus, ſolam laquei admoti ſtricturam huic Vetulæ mortis cauſam extitiſſe. Sicut contrarium caſum, i. e. poſt mortem demum ſuſpenſæ, ac de hac teſtificandi ſchema ex eodem Scriptore l. a. petere licet ſequens. Nos Medici ad Relationes ejuſmodi deputati ac à Magiſtratu loci poſtulati, Cadaver fœmineum in horreo offendimus, de trabe ſuſpenſum

pensum: cujus facies naturalis seu consueti coloris, nihil spumæ aut recrementi viscidi in ore ac naribus monstrabat, in Lingua nulla nigredo, nec minimum rubedinis, livoris aut ullius coloris peregrini in Collo aut funiculi stringentis tractu comparebat. Cœtera vero corporis membra lustrantes exiguum in latere Thoracis dextro deprehendimus vulnusculum, sub mammilla propendente occultatum, inter quintam ac sextam Costam veram pectoris cavum & in hoc totum Cor, ad cruoris ingentem ad hoc profusionem, perforans. Ex quibus observatis, collective sumptis seu simul ponderatis referre adigebamur, plagam hanc Thoracis & Cordis Fœminæ huic ante strangulationem inflictam solitariam & genuinam mortis ejus extitisse causam, & post hanc demum cadaver fuisse suspensum. Simile quid ad Requisitionem Quæstoris Senfftenbergensis Anno 1708. d. 19. Octobris factum, ex *Actis Collegii Nostri* commemorare liceat de Fœmina quadam suspensa reperta: cujus quia nec facies, nec Collum, nec Humeri cum Thorace peregrino colore imbuti, nec Oculi prominentes, nec Lingua tumida ac nigra, nec vestigium laquei deprehensa fuerint, utrumque potius Abdominis latus, à Costis nothis, Lumbi ad Podicem usque ac Femora livida, fusca atque suggillata comparuerint, hoc concludebat, illam non tam viventem se ipsam strangulasse, quam ejus Cadaver post fustigationem & verbera lethalia suspensam fuisse.

Tandem de illorum Cadaveribus, quæ vulneribus confossa reperiuntur, dum forsan ambigitur, utrum hæc homini adhuc viventi an mortuo, illata fuerint? discernere hoc satagunt *Pareus* atque *Zacchias* hunc in modum. Nimirum plagas rubicundas, cruentas ac quarum labia tumida & livida, viventium; plagas autem nec rubras, sed pallidas, nec cruentas, & quarum labia flaccida, defunctorum, esse. Ast hallucinari utrumque horum, Experientia imprimis evincit, quam in enunciando illi neglexerunt, per quam nihilominus constat, haud cuncta vivis inflicta vulnera in cadaveribus horum rubicunda, cruenta & tumida, quinimo pleraque eorum pallida atque flaccida, conspici: dum quicquid rubedinis ac inflationis in viventibus possident, sive à carnium vitalitate, sive earum inflammatione, hoc habeant, cum vita deponunt, & per consequens in quovis cadavere sauciatorum frustra queritur. Cruenta autem observantur nunquam in cadavere, sed in actu tantum viventibus subjectis, & quidem primis diebus tantum, ubi cruore adhuc stillant; sedata vero omnimode eorum Hæmorrhagia tunc cessat quoque cruentatio: adeo multo magis in defunctis, quorum Cruor undulare & per tubulos carnium laceratos prorumpere desinit. Proin ita quidem concludere conceditur, tument, rubent & cruenta cernuntur in Cadavere aliquando plagæ eorumve labia illius, qui vivus fuit percussus: haud tamen infallibilis videtur consequentia, illum, cujus vulnera recensita phænomena præ se minus ferunt, cadaveri demum ejus fuisse inflicta; ob rationem nimirum declaratam. Tumor labiorum sine dubio emergit ab aliquali Labiorum inflammatione, qualis in vivis jamdum non raro cessat: imo dum labia eadem aliquando ad exitium usque vulnerati subsident, flaccida ac livida simul evadunt, superstite adhuc eodem. Majoris proin momenti ajerem illud Zacchiæ criterium, vasa hujus, qui vivus sauciatus fuit, flaccida & inania maxime, in illo, qui post obitum vulneratus, sanguine turgida & repleta adhuc, cerni: idque ideo, quod per viventis vasa & carnium fibrillas discissas sanguis promptius feratur, penetret ac prorumpat fluidus adhuc, vitali elatere turgidus, & à Cordis Embolo vibratus: deficit contra uterque motus & cruor grumescit in Cadavere, si hujus partium unitas solvatur, proin nihil aut parum hujus per vulnus ejus rejicitur. Nisi obstaret, vulneratum ex diversis aliis præter Hæmorrhagiam causis fatis cedere, utut exile vivens perpessus fuerit cruoris profluvium, sed potior hujus massa intra vasa asservata fuerit: unde deciperetur, qui ex sanguinis in cadavere exuperantia mortuum vulneratum crederet, vivens nihilominus qui vulnus exceperat.

Hactenus Clarissimus Bohnius de Renunciationibus. Sequantur jam aliquot earum in variis Casibus exempla alia.

Renunciationes de Vulneribus, ad diversos Iudices, factæ.

Clariss. Christiani Helvvich. Miscell. Curios. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Licèt eruditorum manibus terantur integri tractatus de relationibus rectè instituendis à doctissimis viris editi, uti in fundamentis decidendi eruendis præclarissimè operam suam posuerunt Baptista Codronchius, Fortunatus Fidelis, Ambrosius Pareus, Paulus Zacchias, Gottof. Welschius, Johannes Bohnius, Heinric. Meibomius, Wolffg. Wedelius aliique plures: non tamen abs re faciunt, qui particularibus exemplis ea, quæ in genere disputantur, illustrare satagunt, quod facere data occasione prælaudati viri non intermiserunt; ex professo autem id egit Paulus Ammanus. Non itaque mihi vitio vertetur, si eo animo relationum quarundam compendium hîc recitavero. Id verò tribus adhuc præfari liceat verbis, me vulneris vocem sensu Medicis & Coo familiari hîc accipere, quò notat *omnes affectiones, quæ extrinsecus cum quâdam violentiâ corpori accidant, seu casus fuerit, seu vulnus, seu plaga, seu distensio,* qua de re videatur Martianus Comm. in Hippocrat. Section. 5. lib. 6. Epidem. p. 276. Anno 1696. Sub initium Julii, adolescens 18. annorum ab herô suô molitore, baculô circa regionem hepatis, pubis & ipsum scrotum graviter percussus fuerat. Post hanc verberum inflictionem malè habens, initio curæ balneatoris commissus est; qui, quomodo in curâ progressus fuerit, non memini audivisse, nisi quod medicamentum purgans ei datum fuisse postea resciverim. Ex eô verò in deterius singulis momentis percussi res lapsa est, ac deinde nescio quô consiliô in pagum Lanisch, qui uno circiter milliari distat Vratislaviâ, ad matrem afflictam fuit deportatus. Hic miser de molitoris truculentia multis verbis flebiliter conquestus, famâ deinde sævitiæ latiùs, ut fit, sese diffundente, à Judice aulicô Episcopali rogatus, ut cum Chirurgis in pagum illum proficiscerer. Factum illud est die XI. Julii. Sugillatio ingens circa regionem hepatis deprehendebatur. Partes genitales Sphacelo affectæ putridum & cadaverosum exhalabant odorem, & ita invaluerat Sphacelus, ut jam νέκρωσιν in intestinis serpere pateret. Sitis intolerabilis erat. De exquisitissimo ejus dolore, quô partes gangrænâ, ut apparebat, correptæ afficiebantur, ululatus ejus, quibus tuguriolum resonabat, testabantur. Extrema & cæteræ partes exteriores frigebant. Hæc Magistratui referebantur & addebatur de miseri vitâ actum esse. Ubi deinde mortuus fuerat, judicio aulico consultum videbatur, ut cum Experientiss. Dn. D. Ohmb iterum illuc irem & exta lustrarem, quod ipsô, quo obiit die, à nobis diligenter est factum. Præter sugillationem externam & Sphacelum in Scroto nulla labes à nobis deprehensa, nisi quod colon & ileon Sphacelo affectum ostenderent hiatum, per quem aliqua liquoris quantitas in cavitatem abdominis effusa erat; Relationis nostræ ad Judicem summa erat: sugillationem satis testari de percussionis violentiâ, ex hac ortam esse gravem inflammationem, ex in-

flam-

ex inflammatione vero gangrænam & ex hâc Sphacelum, *non adhibitâ fortè ſatis diligenti curâ*, ex ſphacelo mortem ſecutam, nihilominus mortiferam percuſſionem, ex ſe & naturâ ſuâ non videri, quòd (1.) nullum notabile vas ſanguiferum læſum, nec ulla hæmorrhagia obſervata, (2.) nec pars ad vitam ſimpliciter neceſſaria noxam majorem paſſa fuerit, quantum enim ad ſphacelum & ſolutionem continui in inteſtinis attinet, non videri ſub actu percuſſionis, vel brevi pòſt contigiſſe, & hoc conſtare liquidò, tum ex *modicâ* liquoris in abdominis cavitatem effuſi *quantitate*, eam certè futuram fuiſſe longè majorem, ſi inteſtina ſtatim fuiſſent rupta, ægrum enim avidè & multum bibiſſe; tum ex valida medicamenti purgantis à balneatore poſt plagam propinati operatione &c.

Exauctoratus miles, Anno 1698. die 27. April. in pago Illuſtriſſimi Commendatoris Ordin. S. Joh. Hieroſolym. Dom. Comitis à Kollovvroth, cum homine quodam turbido primò litigans, deinde in monomachiam deſcendens interimitur. Hoc cùm contigiſſet, iterum ego cum laudato ante Medico ad inſpiciendum occiſi corpus invitatus ſum, & 28. Aprilis ad locum in quo occiſus erat, me contuli. In latere ſiniſtro ſub coſtis ſpuriis vulnus tres digitos latum, ex quo inteſtina facilè ad palmæ longitudinem protuberabant, oſtendimus. In latere dextro è diametro quaſi priori oppoſitum cernebatur vulnus, ſed vix tertia parte magnitudinem prioris æquans, ex quo ante apertum abdomen ſanguis confertim manabat. Cavitas abdominis, poſtquam eò in ſectione perventum erat, cruore, cujus pars non exigua in grumos concreverat, turgebat. Poſt inſtitutum ſolicitum examen deprehenſum eſt, arteriæ cœliacæ ramum ſplenicum, nec non ramos quoſdam meſentericos fuiſſe mucrone diſciſſos. Viſcera abdominis non multùm læſa, & hepar gladio quaſi leviter perſtrictum erat. Propter læſionem hanc vaſorum & enormem ſanguinis extravaſationem, quæ nulla arte impediri potuiſſet, judicatum eſt, vulnus fuiſſe ex ſe & naturâ ſuâ lethale.

Anno 1699. die 6. Januarii adoleſcens imberbis maturè caſtra ſecutus in hybernis luxurians ex protervâ petulantiâ occiderat Patris-familias alicujus in *Bolniſch Beterwiſs* filiam in flore ætatis conſtitutam, habens enim ſclopetum in manu, ecce, inquit interficiam te; dictum, factum, explodit & puella exanimis corruit. Rogatus, ut cum Chirurgis die ſequenti item & de lethalitate vulneris judicium ferrem, licet ex brevi illo inter vulnus & mortem intervallô ac partis vulneratæ nobilitate ſatis eſſet probabile puellam ex vulnere mortuam eſſe. Inſpectio tamen magis nos confirmavit læſionem illam fuiſſe mortiferam; globus per orbitã oculi dextri adactus in ſiniſtra occipitis parte emerſerat & craniũ diſruperat, unde ſanguis ad aliquot cochlearia effluebat Poſt integumentorum ſeparationem in oſſe occipitis, non procul à vulnere, duę ſpectabantur fiſſuræ, altera digiti longitudine, altera aliquantò minor. Os ſquammosũ itidẽ fiſsũ deprehendebatur. Remotô deinde craniô patuit ex globuli per meditullium tranſitu factam ingentem cerebri commotionem & inductam vaſorum (cerebrum perreptantiũ) rupturam, unde ſanguis ex vaſis ſuis evacuatus in quantitate notabili in cerebro depoſitus erat, atque hinc nullum ampliùs de lethalitate vulneris ſupererat dubium.

Eodem anno, die 19. Januar. invitatus ſum ad inſpectionem exanimis puellæ, quam mater meretrix mortuã à ſe in lucem fuiſſe editam affirmabat. Dum externum corporis habitum luſtro, ſanguinem ex naribus ſtillaſſe atque hinc illinc cutem diſceſſiſſe ſine aliâ evidenti noxâ. Corpore aperto, pulmones rubeſcentes ac denſioris ſubſtantiæ ſeſe offerebant, ac aquæ immerſi ſubſidebant. Pericranium circa ſuturam coronalem lividum erat, ipſum verò cranium omni ex parte illæſum. Nec erat, unde vel cerebri concuſſio, vel ruptura vaſorum eidem implicatorum argui poſſet. Relatum itaque fuit, nihil quicquam in hac inſpectione occurriſſe, unde clarè ac irrefragabiliter inferri queat, infanti poſt partum patricidiô vitam fuiſſe ademptam, imò ex ſententiâ paſſim receptâ (non tamen indubitatò verâ, ut à Celeberrimô Bohniô demonſtratum eſt) quæ vult pulmonem aquæ injectum & ad fundum deſcendentem præbere certum indicium, quòd infans non reſpirarit, potiùs conſequi, quòd jam in utero materno (incertum, quo fato) mortuus ſit.

Die 6. Julii ejuſdem anni Virgo in pago Oſtvvizabà Vratislavienſi aliquo cive, qui inter ipſam & Gallum quendam nuptias conciliare geſtiebat, fortuitô ſclopeti ictû vulnerata erat ac poſt paucas à vulnere inflicto horas obierat. Abii eò die ſequenti, ut de lethalitate vulneris cognoſcerem. Vulnus duobus pollicibus ſupra podicem à fiſſurâ à natium partis ſiniſtræ uno pollice remotum in muſculo glutęo majori comparebat, externa facie digitum tranſverſum æquabat, interna verò aliquanto anguſtius erat, profunditas ejus ſtylo explorata, non multùm a longitudine digiti indicis aberat. Cùm cautè ſecando interiora vulneris ſcrutaremur, apparuit ex quinque vulneribus minoribus globulos aliquot minutos, quos grandines vocant, in parte obliquè oppoſitâ iterum ex carne emerſiſſe, reliquos verò ad os femoris alliſos ſuperna & inferiora petiiſſe, obvia adurſiſſe, vaſa cruralia laceraſſe ac excitaſſe in ſuperioribus ſinum duos tranſverſos digitos latum, & medium ferè digitum longitudine ſuperantem (ſiquidem extimam Peritonæi membranam in regione pubis attingebat) & in depreſsâ verò ac declivi quaſi parte, iterum produxiſſe cavitatem, quę latitudinem digiti & longitudinem duorum articulorum referebat. Pronunciatum eſt vulnus fuiſſe ſummè periculoſum ob læſionem vaſorum ſanguiferorũ inſignium ac inſecutã hęmorrhagiã maximã, non tamen videri abſolutè lethale, ac perito Chirurgo ſi pręſens fuiſſet, non defuturam fuiſſe viam artemque ſedandi, (quamvis cum magna difficultate) ſanguinis effluxum.

Anno 1700. die 17. Maji adminiſtrator in Krobelwitz Vratislaviam pergens, a paſtore gregis, lite inter eos occaſione ceſſionis, in viâ ſubitô exorta, graviſſimè percuſſus, die 18. ejuſdem deceſſerat, atque vulneris inſpectio mihi commiſſa fuit: In mortuo cadavere, in latere ſiniſtro, ſupra os ſquamoſum, non procul a muſculo temporali, vulnus duos digiti articulos longum, & digitum tranſverſum circiter latum eſt deprehenſum. Cranii illa pars quæ ictum ſuſtinuerat, oſtendebat ſpectatoribus particulas laminæ inferioris percuſſione violenta divulſas & ſeparatas; in oppoſitâ verò calvariæ parte non procul à ſutura ſquamoſa cernebatur fiſſura. Dura mater & ſinus falcatus ſuperior livebant. In medio ſubſtantiæ medullaris cerebri extravaſatus cruor in larga quantitate non ſinebat dubitare de vaſorum ſanguiferorum rupturâ, ex violenta cerebri concuſſione ortum ducente, quæ omnia documento erant & argumento, vulnus abſolutè fuiſſe lethale, præprimis cùm ſtatim poſt inflictũ vulnus, viſus, auditus, ſermo, percuſſum prorſus deſtituerint, exactèque impleta in hoc Hippocratis Coaca: *Quibus concuſſum eſt cerebrum, vel ex plaga dolet aut alio caſu illico vox deficit, neque vident neque audiunt, fereque intereunt.*

Mors ex vulnere ſubitanea, eôdem tamen minimè lethali.

Clariſſ. Joh. Georgii Hoyeri. Ephemer. German. Centur. 3. *&* 4.

Adoleſcens ſedecim annos natus ſanguinei temperamenti ſanus & robuſtus, die ſolis ictu ſclopeti non nimis periculosè ſeu lethaliter ex Medici & Chirurgi ſententia,

qui spem salutis fecerunt haud dubiam: vulneratus, (dum verba facere, edere, bibere & deambulare adhuc posset pro lubitu) cùm sequenti die lunę celerius opinione animam efflaret, jussu superiorum, cultello anatomico subjiciebatur. Exteriùs itaque (1.) brachium dextrum ictu citato, qua partem internam superiorem leviter saltim tactum, particulis quibusdam plumbeis sub cute relictis, pluribus aliis globulis sub axilla dextra inter tertiam & quartam costam in thoracis cavitatem trajectis, quibus non solùm (2.) integumenta communia contusa & dilacerata adeò, ut vulnus magnitudine floreni conspicuum, sed ipsa etiam quarta costa penitus diffracta, (3) Vicini musculi intercostales unà cum venis intercostalibus & ipsa pleura dilacerata, (4.) Dextri pulmonis lobus superior unius digiti transversi, inferior pollicis transversi latitudinem & culmi straminei transversi profunditatem læsus; (5.) In cavitate thoracis sanguinis extravasati coloris seroso-sanguinei mediocris quantitas, cum quibusdam costę diffractæ festucis & particulis plumbeis, chartaque pro bombardæ explosione necessaria, visenda. (6.) Globulus quidam plumbeus in ipsam vertebram dorsi penetrâsse notatus, & quantùm ex situ & profunditate lęsionis videre erat, ipsa fortasse spinalis medulla leviter tacta.

Notabile profectò est harum læsionum seu vulnerum seorsim consideratorum, nullum per se lethale judicari posse. Quod enim 1. & 2. ad læsiones illas externas attinet, illæ sanè nullius sunt momenti: Neque etiam unius costę fractura lethalitatis metum potest afferre; cùm sæpius unius costæ, & haud ita pridem duarum quoque costarum & ipsius ossis femoris fracturas casu ab alto factas in cive & pistore hujus urbis feliciter curatas viderim. (3) Vulnera thoracis cum lęsione vasorum intercostalium feliciter fuisse persanata, quotidiana experientia confirmat. Et sicut (4.) ipsa pulmonum leviora vulnera, vasis majoribus illęsis, vix consideranda, sed pro curabilibus æstimanda; cùm per observationes constet, lobos pulmonum tam ensibus pertusos, quàm ictu sclopetorum perforatos fuisse curatos: Ita (5.) nec sanguis extravasatus (vel alia materia purulenta) in thorace per vulnus inflictum, aut si nimis angustum fuerit, scalpello dilatandum, vel per sectionem seu paracentesin, in loco commodiori institutam, bono cum successu & curatione vulnerati forsan evacuandus, ut taceam, quantùm excellentissima remedia interna à modernis inventa his casibus præstent, lethifer vix ac ne vix quidem pronunciari potest.

Hujusmodi enim vulnus thoracis & pulmonum cum sanguine extravasato copioso per excreationem rejecto in Prætore pagano, pagi Molhusini *Felchte* feliciter sanatum notavi. Quo quidem casu, præter interna remedia, Empl. diasulphuris Rulandi, excreationem purulentam promovendo & dolores leniendo, egregium levamen afferebat. Nec denique (6.) vulnus medullæ spinalis in vertebra thoracis, nisi per transversum inflictum & maximum, pro lethali habendum. Maxima quippe vertebrarum thoracis vel dorsi vulnera, siquidem lethalia sint, non tam citò interimere solent. Quemadmodum Jenæ studiosum, & hîc Molhusæ civem quendam, vertebris dorsalibus casu ab alto planè diffractis & dislocatis, per plures septimanas vitam protraxisse notavi.

Qualis igitur causa subitaneæ hujus mortis sine lethali vulnere? Ipsas equidem læsiones citatas conjunctim consideratas & vi quasi unitâ mortem accelerasse, valde probabile. Ipso enim thorace, à cujus motu impedito pulmonum motus etiam impeditur, in alterutro latere enormiter læso, ipsaque materia serosa ex vasis intercostalibus effusa, & partim in cavitate pectoris collecta, ibidemque subsistente, œconomia vitalis mirè turbari potuit. Hinc spiritibus animalibus sensim depauperatis, altero die lipothymię notatæ. Quibus cum motus convulsivi, dubio procul à dilaceratione nervorum intercostalium ac læsione spinalis medullę orti, accesserint, vomitu simul notato; neglectis apprimè medicamentis cordialibus, confortantibus, nervinis, festinæ mortis eventus non fuit impossibilis.

Pulmonum in aquâ subsidentia, non est signum infallibile fœtus in uterô maternô mortui.

Clariss. Christiani Schuchmanni Miscell Curios. Decur. iij. Ann. 1.

Haud solis pilulis similive apparatui Medicos adstringi, eorumque munus non circa grabatos ægrotorû solùm terminari, sed Forum etiam Civile, pariter ac Ecclesiasticum, eosdem aliquando moderari, in Publicû & Curiam prodire, & Civitati seu Reipublicę immediatè magis consiliis atque decretis suis litare, omnium novissimè pro vindicanda Medicorum authoritate in nuper editis *Speciminibus Medicinæ Forensis*, solidis rationibus, atque exemplorum serie probatum ivit Celeberrimus Lipsiensium olim Anatomicus *Bohnius*, nunc Therapeutices Professor. Infiniti scil. generis casus dantur, in quibus Prætor, auditâ nisi priùs Medici sententiâ, jus dicere nequit: Neminem siquidem juxta Fortun. Fidelem in Pręfatione Operis sui, latet. *Quam sæpe qui Jurisprudentiam profitentur ipsique gravissimi Magistratus nos consulant, nostramque sententiam exposcant, ut illa adjuti sapienter de rebus atque integre judicare possint.* Sæpissimè autem accidit, ut quæstiones has ad dirimendum propositas tanta circumstet difficultas, ut his neutiquam ex asse satisfacere queamus. Quin potiùs captum hominis cæteroquin sagacissimi, transcendant, hocque ex ipsius casus naturâ ac circumstantiis. Jam dudum hoc, plus scil. interdum à nobis postulari quàm quidem per naturam rerum præstare conceditur, prævidit Fortunat. Fidelis in fine operis sui, ubi inquit. „Sed illud etiam ignorandum non est, in „nonnullas rerum occasiones Medicum nonnunquam „incidere: ut cùm nihil certi de re proposita constet: „dubia omnia, incertaque referre nos etiam oporteat. „Non semper enim promptæ sunt rerum atque effectuû „notæ: ut propterea in dubia atque ancipiti Medico-„rum relatione satis justa esse possit excusatio." Ut alios casus specimine tertio §. 6. & seqq. allegatos & sub hunc censum venientes, taceam, unicum illud famosum pariter, ac abstrusum Problema Medico-legale sistam, ubi à Magistratu Medicis dijudicandum offertur; an scil. fœtus à meretrice Matre clanculum editus, abjectus, aut etiam è terra erutus vivus prodierit, an verò uterô adhuc inclusus defecerit, mortuusque sit natus? Pro hac quæstione decidenda hactenus defuisse sufficientia signa, nemo cordatorum Medicorum inficias ibit credo. Silent siquidem de his docimasiis omnes scriptorum libri, qui de Renunciationibus scripserunt, aut observationes orbi erudito communicarunt. Aliquot autem abhinc lustris factum, ut non solùm color pulmonum, juxta mentem Galeni, sed &, quod pro palmario hactenus fuit habitum, pulmonum in sufficientem aquæ quantitatem conjectorum subsidentia pro indubitato ac infallibili tecmeriô fœtûs in utero defuncti fuerit recepta. Cui sententiæ benè multi præclarissimorum Medicorum subscripsêre, ceu hoc ex Miscellan. Curiosor. Dec. I. An. 6. & 7. Observat. 102. ex Ammanni Praxi Vulnerum lethalium Decad. 6. Hist. 1. ex Blanckardi Collectan. Medico-

Medico-Physic. Cent. 5. Observat. 92. Cornel. *Stalpart van der Wiel.* p. 2. Observ. rarior. 32. Schol. abundè videre licet. Nec tamen defuêre qui secùs sentientes, ex allegata subsidentia apodicticam veritatē fœtûs in utero extincti, erui non posse strenuè contendunt. Hos inter est Nobiliss. Wedelius, Collegium Medicum Wittebergense, & omniū novissimè Excell. Bohnius in supra citato specimine tertio Medic. Forens. cujus rationes fortan nō leves, ibidem videre poterit curiosus lector. Ex quibus facilè elucescit hoc signum tot contradictionibus adhuc expositum, dubię non solùm fidei esse usq; nunc, sed & huic soli, an in causa sanguinis humani tutò sit fidendum meritò ambigi posse. Interim cùm meum non sit tantas componere lites, finita sic sibimet contradicentium recensione, Facti speciem superaddam, quæ posteriori negantium scil. pacti, vel maximè accedere videtur. Anno nimirum hujus seculi nonagesimo primo die tertio Martii Maria Lutwigin, aliàs Trescher Maria vocata, ex furtiva Venere puellam peperit, quam linteis involvens cistę includit, quod cùm Magistratui illius loci innotesceret, Medicinæ Licentiatum Practicum Ronneburgensem percelebrem, ad lustrandum secandumve corpusculum Grosdolsium evocat. Hic remotis linteis, apertove cranio ac thorace, cùm nihil soliti, quod violentas manus testaretur, adinveniret, *quæsito, an viva, an mortua prodierit,* satisfacturus, pulmones sufficienti aquæ quantitati immittit, quos citò subsidere videt. Innixus huic experimento (quod sæpiùs etiam in brutis antea tentatum viderat) & quod vasa sanguifeta, resecto quidem umbilico, sed filo non constricto cruore turgida cerneret, in Renunciatione sua puellam ante partum, sicque adhuc in utero detentam periisse judicat. Meretrix interim, infanticidii suspecta, Ronneburgi captiva detinetur. Instituta hinc in Præfectura Ducali, quæ ibidē est, inquisitione generali, singula negat, nequicquam de perpetrato infanticidio sponte manifestat; nec carnificis præsentia instrumentorumque apparatus illam terret, imò arctiorem pollicum compressionem sine confessione pertulit. Fidiculis cùm subjiceretur, sequentia profert: Se filiā non necasse, occidendi tamen animum habuisse, vixisse adhuc puellam brevi, ante partum propendisse funiculum umbilicalem, quem, fœtûs intestina esse reputans, sinui reddidisset, an autem hac ratione fœtum suffocasset, sibi non constare, utut putet. Cùm instarent ulteriùs fidiculis illam exercere, ut desisterent petiit 6. die Aprilis, cunctaque narraturam promittit: Igitur ad 3. articulum: An scil. infans ante & post partum vixerit? affirmativè respondit. Ad Artic. 4. An non interfecerit infantem? affirmativè respondit. Ad Artic. 5. An non ligaturā funiculi umbilicalis studio neglexerit? respondit: non venisse in mentem. Ad Articulum 6. An non illa existeret causa mortis? affirmativè respōndit, dicendo vixisse utique post partum infantem, artusque movisse, *Es habe gekrappelt, sic habe es gefühlt,* constrinxisse verò illam fœtui fauces & fontanellam compressisse, *Sic habe das Kind an die kehle gedruckt, und das Blätgen mit den Fingern eingedruckt.* Hæc ipsâ horâ XI. noctis scil. 6. Aprilis repetiit hanc confessionem. Cùm die 8. Aprilis denuò interrogaretur, absque tamen tortura, ad Artic. 3. 4. & 5. ut suprà affirmativè respondit. Ad Artic. 6. autem sic deposuit; quòd utique mortis existeret causa, cùm fauces cōstrinxisset & fontanellam compressisset arctiùs: sed non vixisse puellam post partum, nec motum hujus animadvertisse, exprobrante autem Judice hanc varietatem, & ut vera deponeret monente, ternâ vice affirmativè respondit; dicēdo: utique se motum fœtus percepisset. *Es habe das, Kind mit den handem gekräppelt,* reliquaque omnia Artic. 6. contenta constanter affirmavit, singulaque denuò prælecta sine ulteriori negatione, quòd vera sint sanctè affirmavit, quam jam confessionem subsequente morte confirmavit.

Hic igitur est Tragœdiæ hujus exitus; de fide autem hujus Relationis, ne dubitet rogo Benevolus Lector, siquidem hęc omnia literis debeo supra allegati Medicinæ Licentiati, qui Acta Judicialia Publica excerpsit, mihique communicavit. &c.

Scholium. Legi de hac materia meretur Disputatio quā Excell. Dn. D. *Joh. Zellerus* Prof. Publ. Tubingæ, An. 1691. in lucem edidit; qua infanticidas non absolvere, nec à tortura liberare, nec respirationem fœtûs in utero tollere deducit pulmonum infantis in aqua subsidentiam. Ubi imprimis, præter varias ingeniosas rationes, duobus id experimentis confirmatur: uno nempe in vitulo post partum per dimidium horæ spatium vitali, qui crebris anhelitibus, fortiorique abdominis motu respirate se testatus est, pulmonibus tamen ejusdem aquæ injectis, lapidis instar fundum petentibus: altero, de fœtu ibidem vivo in lucem edito, cujus tamen pulmones in aqua submersi fuerunt. Mihi si concessum sit circa hæc conjecturam meam proferre, neque respirationem leviculam fœtûs in utero penitùs negare volo, neque tamen etiam fidem & experimenta aliorum, quibus pulmones fœtûs in utero demortui semper fundum petiisse, extra uterum verò demum defuncti supernatasse referunt, in dubium vocare valeo. Magna etiam temeritas foret allatis suprà duobus experimentis fidem denegare. Ast cùm in vitulo præternaturalis pulmonum constitutio adfuerit, reliquorum experimentorum in sanis pulmonibus institutorum robur inde non infringi arbitror: Lobulorum unus crassus fuisse perhibetur, & ob mucum vesiculas obstruentem ad inflationem ineptus; unde graviorem eum extitisse sequitur, ita ut aër in reliqua sana pulmonis parte contentus, nō sufficiebat pulmonem in alto suspensum tenere, sed alteri illi pondere suo ad fundum detrudenti cedere cogebatur. In fœtu autem cùm hepar corruptum ac tumefactum, nec non abdominis cavum aquâ nonnullâ repletum fuerit, scrupulus injicitur annon in pulmonibus quoque vitium aliquod adfuerit. Interea tamen hæc cautionem maximè necessariā suppeditare valent, ut in similibus casibus, imprimis ubi de sanguine & vitâ humanâ agitur, providè circa istiusmodi experimenta procedatur, nec nisi accuratissimè omnibus circumstantiis excussis, aliquid decernatur.

Plura rursùs quæ hîc insererentur, nobis parata essent, tum de Renunciationibus in Leprosis, in Lue Venerea affectis, in iis qui Matrimonio inhabiles visi sunt, tum in aliis etiam casibus. Verùm quandoquidem hoc in argumento jam forsan nimii fuimus; illa omnia in aliam aliquam opportuniorem occasionem rejicimus.

RHAGADES.

Vid.

PAPILLARUM FISSURÆ;

Capite de Mammarum Morbis.

RHYAS.

Vid.

OCULORUM MORBI.

RIMA CRANII.

Vid.

in CRANII FRACTURIS.

ROSEOLÆ SALTANTES.

De iis tanquam à *Gutta Rosacea* diversis, videatur. Marcus Aurelius Severinus, sub titulo *Epinyctis*, cui omninò affines videntur.

Finis Libri Decimi quinti.